SANCTI

BONAVENTVRAE

EX ORDINE MINORVM,

S. R. E. EPISCOPI

CARD. ALBANEN.

EXIMII ECCLESIÆ

DOCTORIS

Operum

TOMVS SEPTIMVS,

COMPLECTENS TERTIAM, ET QVARtam partem Opusculorum.

Opuscula tomi huius indicat. Pag. III.

Nunc primùm in Germania, post correctiss. Romanam Vaticanam editionem, impressus.



MOGVNTIÆ

Sumptibus Antonij Hierati Coloniens. Bibliopolæ.

Anno M. DC. IX.

SERIES OPVSCVLORVM, QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR.

Pars tertia hæc habet.

Pars quarta hæc habet.

Appendix hæc habet.

SEQVI-

SEQVITVR PARS TERTIA. OPVSculorum S. Bonauenturæ, ea potißimùm comprehendens, quæ pertinent ad exercitia ſpiritualia, quibus actiuorum, & contemplatiuorum vita inſtruitur. Hæc autem ſuis locis annotata cernuntur pagina præcedenti.



S. BONAVENTVRÆ EX ORDINE MINORVM S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS ALBANENSIS EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opuſculum, quod inſcribitur,

SERMONES DE DECEM PRÆCEPTIS.

Sermones hi de decem præceptis doctrinam continent ſaluberrimam, & omnibus maxime neceſſariam, iis præſertim qui vel confeſſiones audiunt, vel peccata ſua integre confiteri deſiderant. Nam de obſeruantiis mandatorum non nulla generatim præmittens S. hic Doctor, breuiter & dilucide explicat, quid ſingulis decalogi mandatis præceptum, quidue prohibitum ſit: vt inde quiſque intelligat, quæ præſtare debeat ad præceptorum obſeruationem, & quot quibuſue modis eorum incurrat tranſgreſſionem. Qui vero de præceptis decalogi fuſius deſiderat ab Auctore inſtrui, legat eundem Centiloq. 3. par. Sect. 33. & Diætæ Salut. tit. 3. per omnia capita, vbi hac de re itidem diſputat.

SERMO I.

De iis, quæ nos mouere debent, ad ſeruandum mandata Dei, & de præceptis Decalogi in genere.

Matt. 19. c

SI VIS ad vitam ingredi, ſerua mandata. Verba iſta ſcripta ſunt in Matthæo, & ſunt verba Saluatoris noſtri, in quibus explicatur nobis ſumma totius noſtrę ſalutis, quantum ad duo. Primo quantum ad præmium retributionis diuinæ. Secundo, quantum ad meritum operationis humanæ. Primum ibi, Si vis ad vitam ingredi. Secundum ibi, Serua mandata. Et hic rectus ordo tangitur, quia finis mouet agentem, vt ſe exerceat ad debitum finem. Sequamur ergo formam illius Magni Magiſtri. Sed antequam de præceptis aliquid dicamus, dicamus primo de obſeruantiis præceptorum. Præmittit Dominus primo motiuum, poſtea ſubiungit actum, per quem poſſumus deuenire ad debitum finem. Et notandum, quod ſunt quattuor, quæ debent nos mouere ad obſeruandum mandata Dei. Primum eſt auctoritas mandantis. Secundum eſt obſeruationis mandatorum vtilitas. Tertium eſt tranſgreſſionis periculum. Quartum eſt irreprehenſibilitas mandatorum. Quando ille qui mandat eſt magnæ auctoritatis, & obſeruatio mandatorum eſt magnæ vtilitatis, & in tranſgreſſione eſt magnum periculum, & irreprehenſibile eſt mandatum, tunc nullus poteſt habere excuſationem de obſeruatione mandatorum.

Quattuor ſunt, quæ debét nos mouere ad ſeruandum mandata Dei.

Primo dico, quod debet nos mouere ad obſeruãdum mandata Dei, auctoritas mandantis: quia ille, qui mandat, ſcilicet Deus, magnæ auctoritatis eſt; quod patet ex tribus. Primo, quia ipſe ſua magna potentia nos creat. Secundo, quia ipſe ſua mira ſapientia nos gubernat. Tertio, quia ipſe ſua munifica beneuolentia nos ſaluat. Primo dico, quod ille, qui mandat obſeruari mandata Dei, eſt magnæ auctoritatis, quia ſua magna potentia nos

A creat. Iob: Manus tuæ fecerunt me. Et in Deuteronomio dicitur: Oculi veſtri viderunt omnia opera magna Dei, quæ fecit, vt cuſtodiatis mandata eius. Secundo eſt magnæ auctoritatis, qui ſua mira ſapientia nos gubernat. Vnde dicit Iſaias: Ego Dominus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas; vtinam attendiſſes mandata mea. Et Pſalmiſta: Seruaui mandata tua & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Tertio eſt magnæ auctoritatis, quia ſua munifica beneuolen-B tia nos ſaluat. Vnde in Deuteronomio: Et nunc Iſrael, quid petit Dominus Deus tuus à te, niſi vt timeas ipſum, & diligas ipſum, & ambules in viis eius, & cuſtodias mandata eius? Dominus, qui te creauit: Deus, qui te gubernat: tuus qui te ſaluat. Patet modo, quod dignitas ſiue auctoritas præcipientis debet nos mouere ad ſeruandum mandata.

Iob 10. b *Deut. 11. a* *Iſa. 48. c* *Pſal. 118. x* *Deut. 10. c*

Secundo debet nos mouere ad obſeruandum mandata Dei obſeruationis vtilitas. In ſeruando enim mandata Dei eſt multiformis vtilitas, quæ ad tres vtilitates C reducitur. Prima vtilitas eſt impetratio diuinorum chariſmatum. Secunda eſt reuelatio ſanctarũ ſcripturarum. Tertia eſt aſſecutio cœleſtium præmiorum. Prima, dico, vtilitas in ſeruando mandata Dei, eſt impetratio diuinorum chariſmatum. Vnde in Ioanne: Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo patrem meum, & dabit vobis alium paraclitum. Secunda, intelligentia ſanctarum ſcripturarum. Vnde dicitur in Pſalmo: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Sed quomodo perueniemus ad intelligentiam ſcripturarum, docet Gre-D gorius. Vnde ſuper illud, quod diſcipuli quando viderũt Dominum Ieſum, ipſum non intellexerunt, ſed quando loquebatur, tunc ipſum intellexerunt, dicit Gregorius, quod audiendo Dei præcepta diſcipuli illuminati non ſunt, ſed faciendo ea illuminati ſunt. Quare? quia non auditores legis tantum, ſed factores iuſtificabuntur. Propter hoc dicit Iacobus in canonica ſua: Eſtote factores verbi Dei, & non auditores tantũ, fallentes voſmetipſos: quia qui eſt auditor verbi Dei tantum, & non factor, comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Si videat homo decies vultum ſuum in ſpe-

Triplex vtilitas in ſeruando mandata Dei.

Ioan. 14. b *Pſal. 118. n* *Greg. hom. 23. in Euangel.* *Rom. 2. b* *Iac. 1. d*

culo, adhuc non sciet ipsum: sed si videt vultum alterius hominis extra speculũ, bene recognoscit ipsum; & hoc est propter fortem impressionem speciei super organum visus secundũ rectam lineam, sed in speculo non est verus intuitus. Similiter, quando homo audit verbum Dei, videtur ei, quod ipsum intelligat; sed statim recedit: sed quãdo ponit ipsum ad experientiã bene operando, tunc ipsum intelligit. Tertia vtilitas in seruando mandata Dei, est assecutio præmiorum cœlestium. Vnde dicitur in prouerbiis: Serua mandata mea, & viues; & legem meam quasi pupillam oculi. Hæc est ratio, quare homini existenti in paradiso Deus dedit obseruantiam mandatorum. Patet modo, quod ad obseruandum mandata Dei, debet nos mouere vtilitas obseruationis.

Prou. 7. a

Tertio debet nos mouere ad obseruantiam mandatorum, periculum transgressionis; homo enim qui transgreditur mandata, incidit in multa pericula. Primo, quia multa bona perdit: secũdo, quia in nefanda flagitia ruit: tertio, quia æterna supplicia meretur. Primo dico, debet nos mouere ad seruandum mandata Dei transgressionis periculum, quando transgressores multa bona perdunt. Vnde dicitur in Leuitico: Si non audieritis vocem meam, & non feceritis omnia mandata mea, visitabo vos in egestate & calore: qui conficiet oculos vestros, & consumet animas vestras. Dicit, Visitabo vos in egestate, quæ est priuatio omnium bonorum: & calore, qui conficiet oculos vestros, & consumet animas vestras: quia auferet affectum boni, & intellectum veri. Vnde Psalmista: Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Secundo transgressores in nefanda flagitia ruunt. Vnde dicitur in Baruch: Non obediuimus voci Domini, vt ambularemus in mandatis eius, & abiuimus vnusquisque in sensu cordis sui maligni, & Psalmista: Populus meus non audiuit vocem meam, & Israel non intendit mihi, & dimisit eos secundum desideria cordis eorum. Tales dat Dominus in manus dæmonum. Vnde dicitur in Daniele: Dixerunt pueri in fornace ignis ardentis: Peccauimus, inique gessimus, & præuaricati sumus. Et sequitur eorum ignominia: Et traditi sumus in manus inimicorum nostrorum iniquorum, & regi iniusto & pessimo super terrã. Tertio, transgressores incidunt in pericula, quia æterna supplicia promerentur. Vnde dicitur in Psalmo: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Maledicti, quia dicetur eis: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Ecce modo obseruationis mira vtilitas, & trãsgressionis mira calamitas. Vnde Dominus per Moysen: En, inquit, propono tibi benedictionem & maledictionẽ. Benedictionem, si mandata mea feceris: maledictionẽ, si non feceris. Ponit nos Dominus in medio, & mirabiliter operatur nobiscum: quia quãdo aliquis vult aliquid alij ostendere, vtitur duplici ratione, scilicet ratione ostensiua. & ratione ducẽte ad impossibile. Sic facit Dominus: Ponit hominẽ in medio inter cœlum & infernũ. In cœlo est æterna gloria: in inferno sunt æterna supplicia. Et quando Dominus ostendit homini gloriam cœli, quam homo potest promereri, si obseruet eius mandata, tunc inclinat ipsum ad obseruantiã mandatorum per rationem ostensiuam. Quando vero ostendit homini inferni supplicia, quæ promeretur, si transgreditur mandata, tunc inclinat hominem per rationem ducentem ad impossibile. Ecce proponit tibi maledictionem & benedictionem. Dimitte Iudæ maledictionem, & accipe cum Matthia benedictionem. De Iuda dicit Psalmus: Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Leui. 26. c — Psal. 37. b — Baruch. 1. — Psal. 80. b — Dan. 3. c — Psal. 118. c — Mat. 25. d — Deut. 11. d — Psal. 108. c

Mandata Dei irreprehensibilia.

Quarto, debet nos mouere ad obseruandum mandata Dei irreprehensibilitas mandatorum. Est enim mandatum irreprehensibile; quia non continet aliquod impossibile, nec aliquod onerosum, nec iniquum. Primo dico, debet mouere ad seruandum mandata Dei irreprehensibilitas mandatorum, quia non continent aliquod impossibile, immo sunt facilia ad seruandum. Vnde dicitur in Ioanne: Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Habenti enim charitatem mandata sunt facilia; sed non habenti charitatẽ videntur difficilia. Et ponit Augustinus exemplum de aue sine plumis, & de aue cum plumis. Aui habenti plumas facile est volare; sed aui non habenti est difficile. Similiter homini peruersæ voluntatis difficilia videntur mandata; sed habenti charitatem sunt facilia. Vnde dicitur in Deuteronomio: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est super te, nec procul positum, nec in cœlo sitũ, nec trans mare positũ, sed iuxta te est valde sermo in ore tuo, vt facias illum. Secundo mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia non continent aliquid onerosum, immo sunt suauia. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Nihil melius est, quam timor Dei: & nihil dulcius, quam respicere in mãdatis Domini. Et Psalmus: Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Gaudium est iusto seruare iustitiam; sed palato infecto cibus dulcis videtur esse amarus; similiter homini peruersæ voluntatis mandata Dei videntur difficilia, licet sint suauia. Tertio, mandata Dei sunt irreprehensibilia, quia nõ continent aliquid iniquum. Vnde dicit Apostolus: Lex quidem sancta est, & mandatum sanctũ, iustum & bonum. Propter hoc dicit alibi: Præcipio tibi in Deo, qui viuificat omnia, vt sine macula serues mandatum irreprehensibile. Coniungamus ista quattuor insimul, scilicet quod in illo qui præcipit, est summa auctoritas; quia sua magna potentia nos creat, mira sapientia nos gubernat, & munifica beneuolentia nos saluat.

1 Ioan. 5. a — August. de ver. Apost. ser. 24 ante med. to. 10. — Deut. 30. c — Eccl. 23. b — Psal. 18. b — Rom. 7. c — 1. Tim. 6. c

Item videamus vtilitatem obseruationis mandatorum: quarum prima est impetratio diuinorum charismatum, secunda est reuelatio sacrarum scripturarum, & tertia est assecutio cœlestium præmiorum. Item videamus transgressionis periculum, quia transgressores multa bona perdunt, in nefanda flagitia ruunt, & æterna supplicia promerentur. Item videamus irreprehensibilitatẽ mandatorum, quia mandata non continent aliquod impossibile, nec onerosum, nec iniquum. Et si ista quattuor bene consideremus, non est aliquis, qui possit se excusare de obseruatione mandatorum.

Mandatorũ obseruationis vtilitas triplex.

Sed quod est magnum mandatum, & primum in lege? Respondet Dominus in Matthæo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ex his vniuersa lex pendet & prophetæ. Augustinus ostendit, quod in isto verbo: Mihi autem adhærere Deo bonum est, continetur totum hoc, quod dicitur: Diliges Dominum Deum, &c. Debemus enim diligere Deum, quia hoc est iustum, bonum, sanctum, suaue, & facile. Vnde Augustinus: Domine quis mihi es? & ego quis tibi, vt iubeas me amare te, & si non amem te, minaris mihi ingentes miserias? Decalogus sacer, qui datus est Moysi in monte Sinai, ostendit, quomodo debemus custodire mandata Dei. Volo vobis ostendere, quod sicut octo partes orationis sunt fundamenta omnium eorum, quæ exprimi possunt per sermonem in Grammatica, & decem prædicamenta sunt fundamentum omnium eorum, quæ determinantur in Dialectica; sic decem præcepta sunt fundamentum & regulæ omnium legum & bonorum, quæ sunt in moribus. Nec voluit Dominus, quod sine ratione data essent decem præcepta Moysi. Dicam modo ista decem in generali.

Mat. 22. d — Aug. enar. in Psal. 72. cir. fi. to. 8. — Aug. lib. 1. confess. c. 5. to. 1. — Hæc sunt posita in Exo. c. 20. diffusè.

Non habebis Deos alienos.
Non assumes nomen Dei tui in vanum.
Memento, vt diem sabbati sanctifices.
Honora patrem tuum & matrem tuam.
Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non falsum testimonium dices.
Non concupisces vxorem proximi tui.
Non agrum, nec aliquam aliam rem. Vt magis clarius sit hoc, quod dicam, nota quod lex omnis non mandat, nisi iustitiam. Est enim lex regula iustitiæ. Sed iustitia est, secun-

est, secundum quam homo habet ordinari ad Deum, & ad proximum. Et secundum hoc est duplex iustitia. Vna qua ordinamur ad Deum, & alia, qua ordinamur ad proximum. Et secundū hoc fuerunt duæ tabulæ datæ Moysi, prima, & secunda. In prima continentur mandata ordinantia nos ad Deum; in secunda continentur mandata ordinantia nos ad proximum. In prima dico tabula continentur mandata ordinantia nos ad Deum: Deus autem est Trinitas, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Patri attribuitur maiestas, Filio veritas, & Spiritui sancto bonitas. In Patre est summa maiestas humiliter adoranda. In Filio est summa veritas fideliter asserenda. In Spiritu sancto est summa bonitas sincere amanda. Sed si ista tria ex æterna ordinatione debemus facere, necesse est in prima tabula esse tria mandata secundum tria appropriata tribus personis diuinis. In primo mandato præcipitur humilis adoratio diuinæ maiestatis, cum dicitur: Non habebis Deos alienos. In secundo mandato præcipitur fidelis assertio diuinæ veritatis, cum dicitur: Non assumes nomen Dei tui in vanum. In tertio præcipitur diuinæ bonitatis sincera dilectio, cum dicitur; Memento vt diem sabbati sanctifices. In secunda tabula continentur septem mandata ordinantia nos ad proximum, quæ significantur per duo præcepta legis naturæ.

Quomodo ex lege Moysi probare Trinitatē possumus.

Hoc facias alij, quod tibi vis fieri.

Non facias alij, quod tibi non vis fieri. Et secundum hoc est duplex pars iustitiæ ordinantis ad proximum, scilicet innocentia & beneficentia. Mandatum beneficentiæ est, Honora patrem tuum & matrem tuam. Hoc nomen mandatum non est solum reuerentiæ, sed etiam beneficij, & obsequij: & non est in patre solum, sed in omnibus, quæ à patre procedunt. Mandatum innocentiæ necesse est multiplicari, quia hoc mandatum consistit in hoc, vt caueas ab offensa proximi tui; est autem triplex offensa, in animo, in verbo, & in facto. Offensa in facto est tribus modis, secundum quod homo tribus modis potest offendere proximum, scilicet in persona propria, in persona coniuncta, & in possessione terrenorum. Et secundum hoc sunt tria mandata, Non occides, Nō mœchaberis, Non furtum facies. Dehinc sequitur offensa in verbo, contra quam est vnum mandatum, Non falsum testimonium dices. Per falsum autem testimonium significantur omnia, quæ homo potest dicere contra suum proximum. Offensa autem in animo duas habet radices, secundum duplicem concupiscentiam: quia est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum. Contra concupiscentiam carnis est vnum mandatum. Non concupisces vxorem proximi tui. Contra concupiscentiam oculorum est aliud mandatum, Non agrū, nec aliquam aliam rem. Patet modo in generali, quæ sunt decem præcepta, & penes quid accipiantur.

SERMO II.

De præambulis ad mandata Dei, deque primo mandato.

Exo. 24. c. Psal. 118. p.

ASCENDE ad me in montem, & dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem & mandata, quæ scripsi, vt doceas filios Israel. Et Psalmus: Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Legitur, quod B. Gregorius, qui fuit Papa & doctor Ecclesiæ, habuit consuetudinem, quod quando ibat ad studium legis diuinæ, semper dixit ista verba: Declinate, &c. Et quæsitum fuit ab eo, quare hoc faceret? respondit Petro, cui consueuit dicere secreta sua, quod experimēto didicit, quod quando cogitare voluit in lege Dei, sentiebat dæmones semper sibi aduersantes. In aliis subtilitatibus instigant dæmones, quia in ipsis non vident damnum suum, immo expectant suum emolumentum: sed quando fit mentio de documentis veritatis, per quæ fugantur dæmones, tunc princeps tenebrarum occurrit armatus, modo per occupationes, modo per phantasticas illusiones, & nititur reuocare animos hominum à studio veritatis. Sed verum est, quod verba ista, Declinate à me, &c. dixit Gregorius, sicut vir sanctus, qui tunc habuit virtutem compescendi dæmones. Sed ego nō sum ex illis. Ideo in principio rogemus Dominum, vt imperet dæmonibus, ne nos impediant, & vt det nobis mentes serenas, ad intelligendum verba de mandatis.

Ascende ad me, &c. Dominus dixit Moysi verbū istud, & Moyses audito verbo ascendit in montem, & accepit duas tabulas lapideas & legem & mandata. In quo significatur, quod si volumus peruenire ad intelligentiā mandatorum Dei, debemus ascendere in montem, id est, in eminentiam mentis: quia secundum impressionem lucis æternæ lex naturæ est nobis data, & secundum illam lucem documenta legis diuinę suscepimus. Tangebam vobis alias, quod certum est, quod ens per se primo cadit in animam. Ens autem aut est creatum, aut increatū; & secundum hoc est duplex iustitia. Vna per quam ordinamur ad ens increatum, alia per quam ordinamur ad ens creatum. Et secundū hanc duplicem iustitiam est duplex tabula Moysi data, scilicet prima & secunda. In prima dantur mandata, per quæ ordinamur ad ens increatum. In secunda dantur mandata, per quæ ordinamur ad ens creatum. Ens autem increatum est causa omniū rerum, efficiens, formalis, exemplaris, & finalis. Ens etiā increatum habet potentiam, sapientiam, & beneuolentiam, & producit omnia in esse, & ista tria appropriantur tribus personis diuinis in Trinitate. Maiestas appropriatur Patri, veritas Filio, & bonitas Spiritui sancto. Summa maiestas in Patre humiliter est adoranda, summa veritas in Filio fideliter est asserenda, & diuina bonitas in Spiritu sancto sincere est amanda. Ista dicta fuerunt in generali: sed quia sermones de mandatis in vniuersali sunt inutiles, nisi dicantur in speciali; ideo oportet explicare de mandatis in speciali. In generali dictum est, quod sunt decem mandata, quorum tria sunt in prima tabula.

Dicam vobis generale documentum, quod æterna Dei sapientia, quæ scripsit tabulas istas, breuissimo modo, & clarissimo modo, & facillimo modo tradidit. Tradidit autem breuissimo modo, ne oneraretur nostra memoria. Clarissimo modo, ne offuscaretur nostra intelligentia. Facillimo modo, ne reuocaretur nostra voluntas. Hæc est ratio, quare per verba quanto breuiora, & quanto clariora & faciliora, & per actus synecdochicos data sunt mandata.

Primo videamus de primo mandato, sicut videmus in aliis rebus, quod primum opus est fundamentum omnium subsequentium, sic primum mandatum est fundamentum omnium aliorum mandatorum. Prima verba de mandatis sunt illa: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies sculptile, nec similitudinē eorum, quæ in cœlis sunt, neque quæ in terris, neque eorum quæ in aquis sunt. Non adorabis, neque coles ea. Ego Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios vsque in tertiam, & quartam generationem, & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me.* Ad plenam mandatorum explanationem concurrunt tria, quædam quæ pertinent ad mandati cognitionem, & ista debent præmitti: quædam quæ pertinent ad mandati obseruantiam, & ista debent subiungi: quædam quæ pertinent ad mandati integritatem, & ista debent interponi. Primo dico, quod sunt quædam, quæ pertinent ad mandati cognitionem, & ista debent præmitti, & sunt duo fundamenta fidei. Primum est notitia creatoris; secundum est notitia reparatoris. Isti duo sunt radij siue duo oculi, dirigentes nos semper in viam mandatorum Dei. Homo prius aperit oculos, quam ambulet; sic debet homo prius cognoscere mandata per fidem, quam exequatur mandata. Ad cognoscendum autem creatorem dicit: *Ego Dominus Deus tuus. Ego Dominus*, hic insinuat potentiam Dei patris, *Deus*, hic insinuat sapientiam Filij, *Tuus*, hic insinuat bonitatem Spiritus sancti. In hoc autem, quod dicit, *Ego*, notat identitatem essentiæ, & in hoc notat Deum trinum & vnum creatorem vniuersorum. *Qui eduxi te de terra Ægypti*: hic notat donum reparationis per Verbum incarnatum

Exod. 20.

Nota tria concurrētia ad plenam mandatorum explanationem.

Omnibus loquitur Dominus, quibus dedit præceptum, & omnibus præcepta dedit, licet primo daret ipsa Filiis Israel. Vnde quod dicitur: *Qui eduxit te*, &c. dictum est non solum Hebræis pro ipsis, quo ad corporalem eductionem de Ægypto, sed generaliter pro toto genere humano, quo ad eductionem de Ægypto æternæ damnationis: de peccato primi hominis, ex quo educimur per Verbum incarnatum, quia sicut illi educti sunt de Ægypto post comestionē agni paschalis, & per aspersionem sanguinis eius liberati ab Angelo exterminatore: sic nos educimur de seruitute diabolica per esum carnis Verbi incarnati in Sacramento altaris, & per sanguinem eius in Baptismo: quia secundum Apostolum: Quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Hæc verba dicit tota Trinitas. Dicit igitur: *Ego sum*, cui debes obedire, & quem debes adorare. Et dicit: *Ego*, scilicet, qui te feci inesse naturæ, & inesse gratiæ. Debemus ergo dicere: Domine tu es quem debemus adorare, cui debemus seruire: tu es qui nos creasti, tu es qui nos redemisti. Vnde dicit Psalmus: Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud. *Sequitur*: Venite adoremus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, &c. Nos populus pascuæ eius, &c. Sine istis duobus fundamentis fidei, scilicet sine notitia creatoris & reparatoris, nil intelligere possumus.

Rom. 6. a

Psal. 94. b

Vt autem intelligamus ista, oportet scire adminiculantia quædam: Scitis, vbi est prima cognitio nobis data de mandatis? Certe Moyses scripsit per Spiritum sanctum. Sed qualiter habuit istam cognitionem? Certe, quando Dominus apparuit ei. Et quomodo apparuit ei? Certe in igne flammæ rubi ardentis. Et tunc dixit Moyses: Quis es tu Domine? Et respondit Dominus: Ego sum qui sum. Et tunc dedit ei Dominus duo, scilicet lumen essentiæ æternitatis, & lumen veritatis æternæ. Rubus ardebat. In hoc ostendit nobis mysterium incarnationis humanæ. Ista duo sunt lumina & principalia fundamenta fidei, scilicet lumen essentiæ æternitatis, & mysterium incarnationis. Et quando facimus crucem in fronte in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, recognoscimus Trinitatem & Redemptorem. Cum dicit homo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, recognoscit Trinitatem: cum facit crucem in fronte, recognoscit Redemptorem. Patet modo, quomodo quædam valent ad mandati cognitionem, quæ debent præmitti, & ista sunt duo fundamenta fidei, scilicet notitia Creatoris & Redemptoris.

Exod. 3. a

Mandatorum duo genera.

Secundo sunt quædam, quæ valent ad mandatorum obseruantiam. & ista debent subiungi. Omnia mandata aut sunt affirmatiua, aut negatiua. Affirmatiua sunt, vt homo faciat bonum. Negatiua, vt homo vitet malum. Sed impossibile est, vt homo vitet malum, nisi per timorem, & quod faciat bonum nisi per amorem. Propter hoc, ad obseruantiam mandatorum duo sunt necessaria, scilicet timor & amor. Auis non potest volare sine duabus alis: nec homo potest ambulare sine duobus pedibus. Similiter non est perfectus obseruator mandatorum Dei, nisi sit repletus timore & amore. Sed non replebitur homo timore, nisi ex consideratione seueritatis diuinæ: nec replebitur amore, nisi ex consideratione bonitatis diuinæ. Ista igitur duplex consideratio homini est necessaria. Sequitur: *Ego Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem. Fortis zelotes, id est*, fortissimum habens zelum, scilicet eorum qui oderunt me. *Visitans iniquitatem patrum in filios*, non quod propter peccata actualia patrum æternaliter puniat filios: sed cum filij fuerint imitatores paternorum scelerum, punit peccata patrum cum peccatis ipsorum, vsque ad tertiam & quartam generationē, scilicet temporaliter. Hoc autem dicit, vt timeamus, & per timorem à malo declinemus. Vnde dicitur in Ecclesiaste: Deum time, & mandata eius obserua; hoc est omnis homo, id est, ad hoc est omnis homo. Vis mereri, vt ad summum complementum peruenias? certe time Deum. Sed quomodo timebo? Certe, quia Dominus est fortissimus zelator. Item cum hoc etiam oportet amare ipsum, quia ipse dicit de se: *Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me.* Dicit, quod visitat iniquitatem patrum in filios vsq; in tertiam & quartam generationem, & facit misericordiam in millia his, qui diligunt eum: in hoc ostendit nobis, quod Dei misericordia & benignitas transcendit vltionem iniquitatum. Quando cor hominis dilatatur per amorem, tunc homo faciliter seruat mandata. Vnde dicit Psalmista: Viā mandatorum tuorū cucurri, cum dilatasti cor meum. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Dicit, quod lata est via mandatorū, sed quibusdam videtur arcta. Certe amantibus est lata; sed nō amantibus est arcta. Patet modo, quomodo scilicet timor & amor valent ad obseruantiam mandatorum.

Timor & amor requiruntur ad obseruantiam præceptorum.

Eccl. 12. a

Exo. 20. a

Psal. 118. d

Tertio, quædam valent ad integritatem mandatorum, & ista debēt interponi, id est, in medio poni, & hoc tangit, cum dicit: *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies sculptile, neque similitudinem eorum, quæ in cælis sunt, neque quæ in terris, neque eorum quæ in aquis sunt.* Ibi præcipitur latria, quæ est soli Deo cultus debitus, & ex hoc nulli alij est debitus. Cultum aliorum Deus prohibuit in negatiua, & implicuit cultum Dei in affirmatiua. Sed in nouo testamento explicuit in affirmatiua cultum Dei Christus, quando dixit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Matt. 4. b

Sed quare prohibuit Deus cultum aliorum in negatiua, & non explicuit cultum Dei in affirmatiua? Certe, quia facillimo modo dare voluit mandata, & reuocare in negatiua ab idololatria, vt implicaret cultum Dei in affirmatiua. Et nota, quod ipse reuocabat ab omni idololatria, quia omne quod adoratur aliud à Deo, aut est creatura intellectualis, vt Angeli & dæmones; aut natura corporalis, vt cœlum & terra, & aqua, & huiusmodi; aut est figmentum humanæ mentis. Numquid ens sufficienter non diuiditur per corporeum & incorporeum? quare ergo posuit figmentū, quod nihil est? Dico, quod idolum nihil est, immo fertur ad illud, quod est in æstimatione. Et videte, quomodo scriptura sacra procedit, creaturam intellectualem ponit in supremo, figmentum in medio, & naturam rei corporalis in imo. Vnde primo prohibet idololatriam respectu creaturæ intellectualis, cum dicit: *Non habebis Deos alienos.* Secundo prohibet idololatriam respectu figmenti humanę mentis, cum dicit: *Non facies sculptile.* Tertio prohibet idololatriam respectu naturæ corporalis, & hoc respectu cœlestium, terrestrium, & infernorum, cum dicit: *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cælis sunt, neque quæ in terris, neque eorum, quæ in aquis sunt.* Primo prohibet hic idololatriam respectu cœlestium, vt habetur in Psalmo: Quoniam omnes Dij gentium, dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Secundo prohibet idololatriā respectu terrestrium. Vnde dicitur in eodem Psalmo: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis. Quod homo incuruetur ad adorandum figmentum suum, hoc est peruersio summa. Tertio prohibet idololatriam respectu inferiorum. Vnde dicit Apostolus: Qui commutauerunt gloriam incommutabilis Dei. *Sequitur*: Et seruierunt creaturæ potius quam creatori. Ecce quomodo vera adoratio Dei implicatur, & omnis idololatria prohibetur. Habemus modo præambula ad mandata, quæ sunt notitia creatoris & reparatoris, timor & amor, & prohibitio idololatriæ respectu superiorum, mediorum, & inferiorum.

Quare Deus dedit primum mandatū negatiuū, de nō adorādis diis alienis, & non dedit affirmatiuum de vero deo adorando.

Psal. 95. a

Rom. 1. c

Dico vltra, quod nos Christiani vlterius debemus videre, quam nobis patefacta est veritas, & secundum tria quæ prohibētur, magna lux & vera nobis apparuit. Prohibentur autem tria, per quæ auertitur mens humana à reuerentia creatoris sui, & per tria quæ prohibentur nobis, prohibentur nobis omnes profanæ pactiones dæmonum, ibi: *Non habebis deos alienos.* Prohibentur etiam omnes falsæ superstitiones, & adinuentiones errorum, ibi: *Non facies sculptile.* Prohibentur etiam omnes peruersæ appretiationes mundialiū naturarum, ibi: *Neq; similitudinem*

tudinem eorum, qua in cœlis sunt, &c. Dico ergo, quod in primo verbo: *Non habebis Deos alienos coram me*, prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum, siue sint per incantationes verborum, siue per inscriptiones characterum & imaginum, siue per immolationes sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes artes magicæ. Prohibentur igitur omnia, ex quibus oriuntur profanæ pactiones dæmonum, siue sint ad transmutationem naturarum, sicut fecerunt magi Pharaonis: siue sint ad ludificationem sensuum, sicut faciunt incantatores & histriones: siue sint ad inuestigationem futurorum contingentium. Omnia talia vocat Augustinus pactiones dæmonũ. In talibus attribuitur creaturæ, quod deberet attribui creatori, & tales peccant contra primũ verbum mandati, quod est: *Non habebis Deos alienos coram me.* De talibus dicitur in cantico Deuteronomij: Prouocauerunt eum in diis alienis, & in eo, qui non erat Deus, ad iracundiam concitauerunt. Et ideo dicit Apostolus: Tradidit eos Deus in passiones ignominiæ. Et Deus tradit eos in manus dæmonum.

Aug. lib. 2. de Doctri. Christia. c. 20. & 23. tom. 3.
Deut. 32. c
Rom. 1. c

Exemplũ.

Habemus exemplum huius. Quidam literatus diu studuerat, qualiter posset effici diues, & fecit linguã suam venalem longo tempore, & tamen semper egebat. Cogitauit, Ex quo non possum ditari per Deum, ditabor per diabolum. Quæsiuit magũ inter Iudæos & Christianos, & non inuenit. Cogitauit, Ego ipse experiar, si potero per diabolum effici diues. Iuit in viam quandam vmbrosam & saxosam iuxta torrentem, & dixit: Vbi es dæmon, qui semper quæris decipere homines? ego sum hic, vt dem me tibi. Prima vice non venit, quia forte Deus adhuc noluit permittere, nec secunda vice venit, tertia vice venit, & dixit: Quid petis à me? Respondit ille: Vt facias me diuitem. Cui diabolus: Prius adorabis me. Et tunc ille incuruauit se, & adorauit illum. Et ludificauit eum diabolus, quia tunc habuit potestatem in eum, fecit, quod omnes illi lapides videbantur ei esse aurum. Et dixit ei diabolus: Accipe satis de auro. Et tunc ille gaudens onerauit se de lapidibus, & cum venit domum, posuit lapides in quendam locum illius domus, & incœperunt ardere lapides, & combusta est domus, & quidquid in ea fuit, ita quod ipsemet vix euasit. Et cogitauit, Non curo, quia ibo ad locum, vbi plurimum aurum dimisi. Accedens inuenit, quod essent ibi lapides, qui prius videbantur ei aurum purissimum, & sic ludificatus est. Patet modo, quomodo in primo verbo prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum.

In secundo verbo: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinuentionis errorum; omnis enim error est fictio mentis. Errorem autem facit phantasia obnubilans rationem, quæ facit, quod illud quod non est, videatur esse. Prohibentur autem omnes superstitiosæ adinuentiones errorum, siue procedant ex improbo ausu inuestigationis philosophicæ, siue ex peruerso intellectu sacræ scripturæ, siue ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. Ex improbo ausu inuestigationis philosophicæ procedũt errores in philosophis, sicut ponere mundum æternum; hoc est, peruertere totã sacram scripturam, & dicere, quod Filius Dei non fuerit incarnatus. Et ponere, quod vnus sit intellectus in omnibus, hoc est, dicere, quod non sit veritas fidei, nec salus animarum, nec obseruantia mandatorum: & hoc est dicere, quod bonus homo damnatur, & malus saluatur. Ponere igitur, quod sit vnus intellectus in omnibus, prouenit ex improbo ausu inuestigationis philosophicæ. Et tales ponunt, quod impossibile est mortale deuenire ad immortalitatem. Et qui hæc confingit, tuetur, & imitatur, incedit contra secundum verbum mandati: *Non facies sculptile*, & secundum hoc & fictor, & defensor, & imitator omnes prohibentur.

Errores ex quibus ꝓueniant.

Arist. lib. 8. phys. à prin. per multos tex. & li. 1. de cœlo tex. 101. & seq. Auerr. lib. 3. de ani. cõ. 5. & 36.

Item proueniunt in aliquibus errores ex peruerso intellectu sacrarum scripturarum, sicut hæreses hæreticorum, qui male sentiunt de Trinitate & Spiritu sancto. Tales sunt Arriani, Sabelliani, Donatistæ, & Pelagiani, & ceteri. Tertio adinuentiones errorum proueniunt ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. De numero talium est secta Epicureorum, quæ dicit, nullam aliam vitam esse, nisi istam: & secta Nicolaitarũ, quæ dicit, quod licet quemlibet facere turpiter cum qualibet. Sarraceni etiam, quod dicunt, non habent ex sacra scriptura, nec ex altitudine sapientiæ diuinæ. Omnes igitur errores vndecumque proueniant, tamquam sculptilia debent abominari, quia peccant contra hoc mandatum: *Non facies sculptile.* Vnde Hieremias: Stultus factus est omnis homo à scientia sua, id est, ab inuestigatione propria & nimiæ philosophiæ, confusus est artifex omnis in sculptili, vana sunt eorum opera & risu digna, & in tempore visitationis suæ peribunt. Standum igitur est super hoc, quod limina fidei dictant, & quidquid huic aduersatur, totum debet abominari. Quando audiui de Aristotele, dum fui scholaris, quod ipse posuit mundum æternum, & audiui rationes & argumenta, quæ fiebant ad hoc, incœpit concuti cor meum, & incœpit cogitare, quomodo potest hoc esse? Sed modo sunt ista ita manifesta, quod nullus possit dubitare. Patet modo, quomodo in secundo verbo: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinuentionis errorum.

Hier. 10. c

In tertio verbo: *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, &c. prohibentur omnes peruersæ appretiationes creaturarum. Omnis autem superflua appretiatio creaturarum procedit, aut ratione sublimitatis, aut ratione sufficientiæ, aut ratione delectationis. Primo modo est idololatria superborum. Secundo modo est idololatria auarorum. Tertio modo est idololatria lasciuorum. Contra primos dicitur in Psalmo: Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Contra secundos dicit Apostolus: Auaritia est idolorum seruitus. Contra tertios dicit Apostolus: Quorum Deus venter est. Alias plenius prosequemur.

Psal. 80. b
Ephes. 5. b
Philip. 3. d

Dixi, quod decem sunt mandata decalogi, quæ sunt fundamenta omnium legum, quorum tria continentur in prima tabula, quæ sunt ordinantia nos ad Deum trinum, & vnum; & hæc sunt tria secundum appropriata tribus personis diuinis. In diuinis enim est paternitas, filiatio, & processio: & secundũ hæc, sunt tria appropriata tribus personis diuinis. Patri appropriatur maiestas, Filio veritas, Spiritui sancto bonitas. Ista tria respiciunt triplex genus causæ, scilicet causam efficientem, exemplarem, & finalem. Patri attribuitur causa efficiẽs, filio causa exemplaris, quia est imago Patris, & Spiritui sancto causa finalis. In patre est summa maiestas humiliter adoranda, in filio summa veritas fideliter asserenda, in Spiritu sancto summa bonitas sincere amanda. Et secundum hæc tria necesse est, in prima tabula esse tria mandatã. Primum est: Non habebis Deos alienos coram me. Secundum est: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertium est: Memento, vt diem sabbati sanctifices. De primo mandato dictũ est, quod quædam præmittuntur ad mandati cognitionem, quædam subiunguntur ad mandati obseruantiam, & quædam interponuntur ad mãdati integritatem. Dictum etiã fuit, quod in verbo isto: *Non habebis deos alienos coram me*, prohibetur omnis idololatria respectu creaturæ intellectualis. Secũdo prohibetur idololatria respectu figmenti humanæ mentis, cum subdit: *Non facies sculptile.* Tertio prohibetur idololatria respectu naturæ corporalis, & hoc respectu cœlestium, terrestrium, & infernorum, cum dicit, *Neque similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, & cetera. Dictum etiam fuit, quod in hoc verbo, *Non habebis deos alienos coram me*, omnes pactiones dæmonum prohibentur, siue sint per incantationem verborum, siue per inscriptiones characterum, vel imaginum, siue per immolationem sacrificiorum. In istis tribus consistunt omnes artes magicæ. Dictum etiam fuit, quod in secundo verbo: *Non facies sculptile*, prohibentur omnes falsæ superstitiones adinuentionis errorum. Et circa hoc dictum fuit, quod omnis error prouenit, aut ex improbo ausu inuestigationis philosophicæ, aut ex peruerso intellectu sacræ scripturæ, aut ex inordinato affectu carnalitatis humanæ. Propter primum pro-

uenient errores in philosophis, sicut ponere mundum æternum,& huiusmodi. Propter secundum proueniunt errores in hæreticis, qui male sentiunt de Trinitate & Spiritu sancto. Propter tertium proueniunt errores in Epicureis, qui dicunt, non aliam vitam esse, nisi istam. In tertio verbo: *Neque facies similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, &c. prohibentur omnes peruersæ appretiationes creaturarum. Et circa hoc dictum fuit, quod omnis peruersa appretiatio creaturarum, aut est ratione sublimitatis, aut ratione sufficientiæ, aut ratione delectationis. Primo modo est idololatria superborum, secundo modo auarorum, tertio modo lasciuorum. Ista dicta fuerunt de primo mandato. Modo dicebam, quod est triplex idololatria: Pactiones dæmonum, superstitiosæ adinuentiones errorum,& peruersæ appretiationes creaturarum. In pactionibus dæmonum est summa omnium vitiorum malitia,& radix omnium malorum. Ex his tribus idololatriis procedunt omnes falsitates, & peccati deordinationes, quibus misera anima subiicitur dæmonibus. Vnde dicitur in Apocalypsi: Vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modū ranarum. Per draconem significantur pactiones dæmonum. Per pseudoprophetam superstitiosæ adinuentiones errorum. Per bestiam peruersæ appretiationes creaturarum. Et omnia ista prohibentur in primo mandato. Et sicut Deus in prima creatione quodammodo omnia produxit, sic in primo mandato omnia mala prohibet, licet ad maiorem explanationem plura ponat mandata. Omisi dicere, quod Iudæi aliquando insultant nobis, quod non seruemus mandatum illud, & imponunt nobis, quod illud transgredimur. In isto mandato continentur tria verba: *Non habebis deos alienos coram me. Non facies sculptile: neque similitudinem eorum, quæ in cœlis sunt*, & cetera.

Apoc.16.c

Decē nobis obiiciunt Iudęi, quibus nituntur ostendere, quod Christiani primū mandatū transgrediantur.

De primo verbo dicunt, quod dicit Dominus, Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus: & vos dicitis Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Item dicunt, quod facimus sculptile: quia ecclesiæ plenæ sunt imaginibus. De tertio, quod prohibet Deus adorare corporalem naturam, dicunt, quod adoramus frustum panis, & hoc maxime videtur eis absurdum. De primo, quod dicunt, quod adoramus tres deos, dico, quod si adoraremus tres personas, ita quod diceremus, quod ibi essent tres dij, & triplex essentia, oporteret, quod adoraremus deos alienos. Sed nos adoramus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sicut vnum Deum, & vnam essentiam. Vnde sicut videmus, quod in homine est pluralitas naturarum, scilicet intellectualis & humana, & tamen est ibi vna persona; econtra in diuinis est vnitas essentiæ, & pluralitas personarum. Dixit quidam Iudæus: Vos dicitis, quod Deus filium habet, quare non habet vxorem? Isti Iudæi vilissime intelligunt. Deus Pater habet Verbum & Spiritum sanctum. Verbum habet, per quod omnia fecit: Spiritus sanctus habet per quem omnia cōseruat. Verbum manat à dicente,& est Deus de Deo. Similiter Spiritus sanctus spiratur,& est Deus in Deo. Solus Spiritus sanctus est, qui profunda cordium scrutatur, & ille est Deus. Vnde homo, qui ista vult intelligere & de istis loqui, oporteret quod habeat eleuatissimas cogitationes, non pedestres: quia aliter non potest intelligere altissima de Deo. Quando ponimus Trinitatem, non ponimus Christum purum, sed Deum cum homine. De secundo, quod dicunt: Non facies sculptile,& nos ponimus plures imagines in ecclesiis, dico, quod impossibile est diuinitatem sculpi: sed facimus Christi effigiē, Christi dico, humanitatis. Vnde est in natura propria Deus absq; figura. Cur ideo pictus? quia carne probatur amictus. Et dico, quod est duplex adoratio, scilicet duliæ, & latriæ, Adoratione duliæ possumus adorare illos, in quibus est potestas, sapientia, & sanctitas. Et sic adoramus principes, prælatos, sicut in quibus est potestas. Adoramus etiam illos, qui excellentiam habent philosophiæ, sicut illos, in quibus est sapientia, & sic quinquagenarius adorauit Heliam. Item adoramus sanctos in patria, sicut illos, in quibus est sanctitas. Imaginibus eorum exhibenda est adoratio duliæ, non inquantum imago vel pictura, sed ratione illius, quod per ipsam signatur. Soli autem Deo exhibenda est adoratrio latriæ. Et in hoc prohibentur omnes profanæ pactiones dæmonum, & omnes falsæ adinuentiones superstitionis errorum, & omnes peruersæ appretiationes creaturarum. De tertio, quod maxime abhorrēt, scilicet de corpore Christi, hoc secretissimum fuit, sed modo est promulgatum. Aliquando dixerunt aliqui, quod non esset Deus ibi, nisi in ligno. Sed intelligendum est, quod ad prolationē verbi sacerdotis, & intentionem dicentis, substantia panis statim conuertitur in corpus Christi, quod habet vnitam animam cum deitate,& hoc est planum. Dicit Iudæus, quomodo potest hoc esse? Dico, quod ille, qui potest separare substantiam ab accidente, potest facere, quod non appareat substantia sensibus nostris, quæ est sub accidentibus alienis. Et adoramus verum corpus Christi, & Deum trinum & vnum. Et in hoc virtus Dei, potentia, sapientia,& bonitas manifestatur. Sed Iudæus errat, qui pedestri modo credit sentire. De hoc audiui, quod fuit quidam incantator dæmonum: quadam die cum quidam vellent aliquid impetrare à dæmone fecit ille, quod venit in medio illorū. Et venit quidam sacerdos portans corpus Christi, & cum appropinquauit, inclinauit se ei dæmon, similiter cum rediit, inclinauit se. Et dixit incantator: Vnde hoc? prohibuisti mihi, ne adorem Christum, & tu adoras? Respondit dæmon: Inuitus feci. Nonne scriptum est: In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum? Ista dicta sunt de primo mandato.

Adoratio duplex.

4.Reg.1.c

Exemplū.

Phil.2.b

SERMO III.

De secundo mandato.

NON *assumes nomen Dei tui in vanum, neque insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei frustra*. Vnde dicit Psalmista: Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Dauid Propheta dicit in verbis istis, qua de causa loqui debemus de mandatis Dei, & ostendit rationem triplicem. Prima est, vt inflammemur ad dilectionem mandati; nihil enim ita est necessarium, sicut diligere Dei legem,& mandata eius. Ideo dicit: Ideo dilexi mandata tua, &c. Secundo debemus loqui de mandatis Dei, vt melius cognoscamus ea; quāto enim homo frequentius vadit per viam aliquam, tanto melius cognoscit eam. Vnde Gregorius: Homo cognoscit viam frequentius vadendo. Sed via eundi in patriam est in seruando mandata Dei: sed non cognoscit homo mandata Dei, nisi audiendo loqui de mandatis. Ideo dicit: Da mihi intellectum,&c. Tertio debemus audire mandata, vt odio habeamus iniquitates. Quando homo incipit cognoscere peccatum, & iniquitatem, & peccati deordinationes, quæ sunt contra Deum, tunc incipit detestari peccatum. Debemus igitur loqui de mandatis, vt ipsa diligamus, & per ea in viam ad cœlestem patriam dirigamur, & iniquitatem odio habeamus. Et vt hæc tria possimus consequi, ideo in principio,&c.

Psal.118.

Sup.ser.2.

Non assumes nomen Dei tui in vanum, &c. Sicut in primo mandato præcipitur humilis adoratio summæ maiestatis, sic in isto mandato secundo præcipitur fidelis confessio summæ veritatis, & prohibetur abnegatio veritatis. In veteri testamento dicitur: Qui iurat, in nomine Dei iuret: & non periuret. Periurare, idem est quod peierare, & hoc est nomen Dei in vanum assumere. Vnde Hieremias: Iurabis in nomine Domini in veritate, iudicio,& iustitia. Et dicit ibi glossa, quod iuramentum debet habere tres comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Primo dico, quod debet fieri iuramentum in veritate. Vnde dicit: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, hoc est sine veritate.

Deut.6.b

Leu.19.c

Hier.4.a

Intelli-

Iuramentũ duplex assertorium, & promissoriũ.

Intelligendum autem est, quod est duplex iuramentum, scilicet assertorium, & promissorium, ita quod est in testimonium, & in promissum. Fac iuramentum assertorium sic: Hoc tibi iuro, assero, & testificor per testimonium diuinæ veritatis. Illud autem iuramentum primo debet habere veritatem. Veritas autem est in iuramento, vt homo non neget verum, non affirmet falsum, & non asserat scienter dubium: quia sermo est indicatiuus eorum, quæ sunt in corde. Sed scitis quid est, quando homo aliquod falsum testificatur per testimonium falsitatis? hoc est dicere, quod mentitur, & diuina veritas mentitur secum. Et hic est primus modus assumendi nomen Dei in vanum, quando negamus veritatem. Secundo debet fieri iuramentum assertorium cum iustitia. Fit autem cum iustitia, quando non fit contra mandatum diuinæ legis, neque contra præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, nec in dispendium salutis propriæ, vel alienæ. Et qui contra ista tria iurat, dupliciter peccat, & quia iurat & quia seruat. Tertio oportet in iuramento assertorio, vt concomitetur iudicium, quod sit in mente discretio veritatis & iustitiæ, scilicet vtrum iuramentum sit verum vel falsum, iustum vel iniustum, fructuosum vel infructuosum, & si iuro absque iudicio, non discernens inter ista tria, temerarie iuro. Isti tres comites debent esse in iuramento assertorio. Sed Manichæi insultant nobis, & dicunt, quod non debemus iurare omnino: quia dicitur in nouo testamento: Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non. Certe dico, quod ex certis causis bene licet iurare. Hæretici non bene attendunt vim vocabulorum. Differt dicere, non iurare omnino, & omnino non iurare. Sicut differt dicere: Quidam homo non currit, & non quidam homo currit. Omnino non iurare, est nullo modo iurare, & non omnino iurare, est non omnibus modis iurare, sed ex certis causis.

Auctor. 1. p. Concil. sec. 12. tom. 6.

Manichæorum hæresis.

Matt. 5. e

Iuramentum promissoriũ fit tribus modis.

Secundo debet nomen Dei assumi non in vanum in iuramento promissorio. Fit autem iuramentum promissorium tribus modis, scilicet ad promouendum bonum, ad conseruandam fidelitatem, & ad ineundam mutuam pacem. Primo modo iurant inferiores superioribus. Secundo modo pares paribus. Tertio modo superiores inferioribus. De primo dicit Apostolus: Testis mihi Deus est. Secundo modo iurauit Laban fidelitatem Iacob. Tertio modo iurant superiores populo. Ex primo iuramento relinquitur triplex vtilitas: fides in intellectu, amor in affectu, & pax in effectu. Istis tribus modis fit iuramentum ad promouendum bonum. Secundo modo fit iuramentum ad conseruandam fidelitatem, & hoc fit ad compescendum malitiam, ad sedandum controuersiam, & ad expurgandum infamiam. Primo dico fit ad compescendum malitiam, vt homo nõ neget veritatem, nec affirmet falsitatem: & hæc est ratio vtilitatis iuramenti. Secundo modo fit ad sedandum controuersiam. Vnde Apostolus: Omnis controuersiæ finis est iuramentum. Tertio modo fit ad expurgandum infamiam. Vnde in Deuteronomio dicitur, quod maiores debebant se expurgare per iuramentum, quando inueniebatur cadauer mortuum. Istis tribus de causis fit iuramentum ad conseruandam fidelitatem. Tertio modo fit iuramentum ad ineundum mutuam pacem, & in hoc intelligitur cohibitio peccatorum mortalium, quia omnis iuratio vera est periculosa, falsa est perniciosa, nulla autem est secura. Et propter hoc dicitur in Ecclesiastico: Iurationi non assuescat os tuum. Iste est intellectus literalis.

Rom. 1. a

Gen. 31. g

Heb. 6. d

Deut. 21. b

Eccl. 23. a

Spiritualis vero intellectus hic est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum, &c.* Notandum est, quod assumimus nomen Dei non in vanum tribus modis, scilicet ad efficiendum, ad promittendum, & ad exprimendum. Primo dico, quod assumitur nomen Dei non in vanum ad efficiendum, vt in sacramentis, sicut dicitur in baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti. Secundo modo fit iuramentum ad promittẽdum, sicut promitto ire ad sanctum Iacobum, vel intrare religionem per iuramentũ. Tertio assumimus nomen Dei non in vanum ad exprimendum, sicut quando loquimur cum iuramento. Econtra accipimus nomen Dei in vanum per frustrationem sacramenti suscepti, per fractionem voti, & per prolationem sermonis blasphemi. Primo dico assumimus nomen Dei in vanum per frustrationem sacramenti suscepti. Et secundum hoc est triplex modus assumendi nomen Dei in vanum. Primo modo quando quis non credit, sicut hæreticus. Secundo modo quando credit, & se non disponit, sicut vsurarius. Tertio modo quando gratiam in sacramento susceptam non custodit, sicut ille qui postea peccat. Audi, quando tu es insignitus in nomine Dei, tunc character tibi imprimitur per virtutem nominis Dei. & quando homo postea peccat, euacuat virtutem sacramenti. De talibus dicit Apostolus ad Titum: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Et sic conculcas, & pollutum ducis sanguinem Christi.

Tit. 1. d

Secundus modus assumendi nomen Dei in vanum est per fractionem voti emissi. Et hoc fit tribus modis. Primo per dilationem irrationabilem, sicut promitto ire ad sanctum Iacobum, & non assigno mihi certum tempus, & sic semper procrastino. Secundo fit voti fractio per voluntatem contrariam, sicut quando quis promittit aliquid Deo, & postea pœnitet. Contra tales dicitur in Deuteronomio: Si quid processerit de labiis tuis, non facies irritum. Tertio fit fractio voti per apostaticam rebellionem, sicut quando homo apostatat à religione. Primus modus est malus, secundus peior, tertius pessimus: quia dicitur: Homo apostata vir inutilis. Vnde dicit Ecclesiastes: Si quid vouisti Deo, non moreris reddere, displicet enim Deo stulta & infidelis promissio. Tempus, dies, & hora interpellabit. Patet modo, quomodo tribus modis in fractione voti assumimus nomen Dei in vanum.

Deut. 23. d

Prou. 6. b

Eccl. 5. a

Tertio assumimus nomen Dei in vanum per prolationem sermonis blasphemi, & hoc fit tribus modis. Primo quando aliquis loquens de Deo vtitur locutione maledica, sicut quando maledicit Deo. Secundus modus est per locutionem mendacem, sicut quando quis negat verum, vel affirmat falsum: quia dicit Anselmus, quod omnis contradictionis nobilior pars Deo est attribuenda. Tertius modus est per locutionem probrosam, sicut quando quis loquitur de membris Christi interioribus, blasphemat pessime, etiam si verum dicat, & Christum despicit in eo, quod humilis fuit. Et tales diuino iudicio sunt exterminandi. Narrat enim Gregorius, quod quidam puer sex annorum consuetus fuit blasphemare: quadam die cum blasphemaret, & esset in sinu patris sui, raptus est à dæmonibus, & portatus in infernum. Propter quod dicitur in Leuitico: Quicumque blasphemauerit, morte morietur. Patet modo quibus modis assumimus nomen Dei in vanum.

Greg. lib. 4. Dialo. cap. 18.

Leui. 24. c

SERMO IV.

De tertio præcepto.

Memento, vt diem sabbati sanctifices. Psalmista: Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, & iustitia illius in filios filiorum his, qui seruant testamentum eius. Indigemus diuina misericordia condonante offensas nostras, & diuina iustitia recompensante merita nostra. Sed timor Dei facit inuenire misericordiam, & obseruantia mandatorum, iustitiam. Consideratio autem magnificentiæ Dei inducit ad timendum: consideratio diuinæ legis inducit ad obseruantiam mandatorum. Et propter hæc innuitur nobis, vt semper cogitemus diuinam legem. Vnde Iudæi die sabbati consueuerunt semper disputare de lege Dei, quia hoc est opus Dei. Et vt perfecte possimus loqui de lege Dei, ideo rogemus Deum in principio, &c.

Psal. 102. c

Sup. ser. 2.

Memento, &c. Dicebam vobis, quod in tabula prima continentur tria mandata nos ordinantia ad Deum, secundũ tria appropriata tribus personis diuinis. In primo

mandato pręcipitur humilis adoratio diuinæ maieſtatis. In ſecundo fidelis confeſſio ſummæ veritatis. In tertio ſincera dilectio ſummæ bonitatis, & hoc tertium præceptum eſt. Et eſt ſumma verborum: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices.* Sequitur. *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum, ſeptima vero die non facies omne opus tuum, tu & filius tuus, & filia, ſeruus & ancilla, iumentum, & aduena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt, & ſeptima die requieuit. Ideo benedixit, & ſanctificauit illum.* Videte quod in his verbis Spiritus ſanctus ſcripſit tabulas; quia Spiritus ſanctus per digitum Dei intelligitur, qui omnia præcepta ſcripſit cum ſumma diligentia, hæc ſcripſit inſinuans mandati integritatem, & conſummationem. In hoc autem mandato aliquid præcipit, aliquid concedit, & aliquid interdicit. Præcipit ſanctificare diem ſabbati, ibi: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices.* Sanctificatio enim eſt conuertens animam ad Deum ſanctum, ad Deum verum, & ad Deũ ſumme diligendum. Aliquid concedit in iſto mandato, ibi: *Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum.* Aliquid vero interdicit, ſcilicet opus ſeruile, ibi: *Nullum opus facies in eo, &c.* Hæc eſt perfecta vacatio, quæ habet adiunctam bonam operationem, & prohibitam ſeruilem. Ratio præcepti ſubiungitur, ibi: *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, & ſeptimo die requieuit. Ideo benedixit, & ſanctificauit illum.* Sed quare præcepit vacare? Certe, quia benedixit, & ſanctificauit illum. Ideo & tu creatura, qui es Chriſti imitatrix, debes hoc facere. Modo Iudæi inſultant nobis, & dicunt: Vos tenetis decalogum, & decalogus non habuit niſi præcepta moralia, morale autem neceſſitatem habuit pro omni tempore. Septima autẽ dies, in qua non licet operari, à prima die, in qua licet operari, eſt dies ſabbati, quæ dicitur dies Saturni, & vos vacatis die Dominico pro die Saturni. Item dicitur: Omne opus non facies in die illa; & vos facitis multa opera, & ita totum diſſipatis. Videte chariſſimi, intelligendum eſt ita, quod præceptum illud habet aliquid, quod eſt mere morale, & habet aliquid, quod eſt mere cæremoniale, & habet aliquid mixtum ex morali, & cæremoniali. Quod præcipit Dominus ſanctificationem, id eſt, vacationem ad amandum, hoc eſt, vere præceptum. Vnde dicit Beatus Petrus, quod quilibet tenetur Dominum ſanctificare in corde ſuo, id eſt, amare. Ille ſanctificat, ſiue ſabbatiſmum facit, qui Deum ſupra omnia diligit propter ſe, & non propter aliud. Item eſt in præcepto aliquid figurale, ſicut diei ſeptimæ feriatio. Dies ſeptima ſignificat quietem animarum, & quietem Domini in ſepulchro, & ceſſationem ab opere ſeruili cum vacatione, & deprecatione. Deus enim ſex diebus operatus eſt omnia, non quia non potuiſſet feciſſe vna die: ſed intelligendum eſt hoc, quod mundus aliquid habet in arte æterna, ſcilicet eſſe æternum, quod eſt æternitas vitæ & poſſeſſio vna, in quo nihil eſt prius, nec poſterius; & hoc impreſſit Deus mentibus angelicis. Item habet mundus aliquid in intelligentia creata, ſcilicet prius & poſterius natura ſimul ſecundum durationem; non ſecundum naturam, ſecundum quod eſt in materia: non propter defectum operantis, ſed propter condeſcenſionẽ ipſius, vt coaptaret omnia, & omnia in primis operibus deſignaret. Et ſicut omnium operationum in primis operibus produxit; ſic & ſeminaria omnium operum, & quietationem plene produxit. Et quia ſeptimo die requieuit, & intellectualem ad eſſe creaturam reuocauit, & ſeptimo die animas in ſepulcro reduxit ad quietem paradiſi. Significatio igitur diei ſeptimæ eſt figuralis quietis animarum. Sic igitur in mandato illo continetur aliquid quod eſt morale, ſcilicet, vt Deus ſuper omnia diligatur, & aliquid quod eſt cæremoniale, vt figuratio diei ſeptimæ. Item continetur aliquid quod eſt partim morale, & partim cæremoniale, vt ceſſatio ab operibus. Et hoc in quibuſdam generaliter eſt intelligendum, in quibuſdam ſpecialiter. Si intelligamus ſicut Iudæi, qui dicunt, quod debet fieri vniuerſalis ceſſatio ab omni opere ſeruili, ſic inſinuatur Chriſtiano, quod debet abſtinere ab omni peccato, & ſic eſt figurale. Si intelligamus, quod ab aliquibus debemus abſtinere, ſic eſt morale; non ſicut in præcepto, & ſicut in bene eſſe, & remanſit ſicut in eccleſiaſtica inſtitutione eſt præceptum. Dico opera ſeruilia opera mechanica, quæ ſunt ſeptem, ſcilicet agricultura, quæ comprehendit omnem modum colendi terram. Lanificium, quod conſiſtit in omni genere veſtimentorum. Fabricatio ſiue ſit in materia ferrea, ſiue lapidea, ſiue metallica, ſiue lignea. Venatio, quæ comprehendit equorum, & venatorum opus, & omnem modum piſtorum, coquorum, & omnem modum præparandi cibos. Medicina, quæ conſiſtit in arte conficiendi pigmenta vel ſyrupos, & huiuſmodi. Nauigatio, quæ comprehendit omne opus nautarum in mari, ſiue omne opus mercationis. Et theatrica, quæ comprehendit omnem modum ludi, vel iucunditatis. Modo dico, quod in omnibus iſtis ſunt quædam meræ ſeruilitatis, quædam continuæ neceſſitatis, quædam meræ iucunditatis. Illa quæ ſunt meræ ſeruilitatis prohibentur ab Eccleſia. Illa autem, quæ ſunt continuæ neceſſitatis, ſicut illa, quæ ſunt ad conſeruationem vitæ, vel ſanitatis, conceduntur inquantũ ſunt neceſſitatis, & prohibentur inquantum ſunt ſeruilitatis. Illa vero, quæ ſunt meræ iucunditatis, ſunt permiſſa, non prohibita: quia propter prauitatem noſtram permittuntur ab Eccleſia. Et ſic poterimus reſpondere.

Sed dices, quare confudit & miſcuit moralia, & cæremonialia ſimul? Dico, quod hoc præceptum: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices, &c.* eſt de charitate, & quidquid patet & latet in aliis, in iſto mandato conſummatur. Et ideo miſcuit ſimul moralia & ceremonialia, vt melius ad memoriã reduceremus; ne ſi ſpecialiter poneret, grauaretur memoria noſtra. Sunt autem tria, quæ requiruntur ad perfectam dilectionem. Primum eſt diuina vacatio conuertens animam in Deum. Secundum, imitatio Chriſti in bonis operibus. Tertium eſt ceſſatio ab omni opere ſeruili, quæ cor reddit purum, & mundum. Conuerſio autem in Deum eſt ſecundum ſeptem opera, quibus anima conuertitur ad perfectam vacationem in Deum, quorum tria ſunt intrinſeca, quæ fiunt meditando, orãdo, & exultando. Ex iſtis tribus fit contemplatio. Alia ſunt extrinſeca, quæ fiunt legendo, pſallendo, ſacrificium offerendo, diuinam legem adimplendo. Et hoc fit ſiue audiendo, ſiue docendo, ſiue cum aliis conferendo. Hoc eſt, quod dicit: *Memento, vt diem ſabbati ſanctifices,* &c. Mandat igitur Dominus primo vacationẽ conuertentẽ animã in ipſum. Secundo mãdat ſui imitationem, cum dicit: *Sex diebus operaberis.* De iſta imitatione dicit Apoſtolus: Imitatores Dei eſtote, ſicut filij chariſſimi. Et in Luca: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Sex autem ſunt opera miſericordiæ, ſcilicet paſcere eſurientes, potare ſitientes, veſtire nudos, colligere hoſpites, viſitare infirmos, & redimere captiuos. Aliter enim impoſſibile eſt eſſe opus virtutis, niſi creatura in iſtis conformetur Chriſto. Ad opus autem virtutis requiruntur ſex correſpondentia ſex operibus virtutis, quę ſunt circumſpectio prouida, intentio recta, affectio pura, electio recta ſiue iuſta, proſecutio vigoroſa, & informatio charitatiua. Primum intelligitur in opere primæ diei, quando dixit Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Hoc eſt circumſpectio prouida. Secundo oportet, quod homo ponat ſibi rectum finem in Deum, & hoc notatur cum dicitur: Fiat firmamentum in medio aquarum. Et vocauit Deus firmamentum cœlum. Oportet, quod homo agatur ſurſum, & habeat rectam intentionem ad Deũ. Tertio requiritur affectio pura, & hoc intelligitur in tertio opere. Diuiſit Deus terram ab aquis, id eſt, affectiones ſæculares à diuinis. Quarto requiritur electio iuſta ſiue recta, vt ordinate faciat, quæ debet facere, & hoc notatur in quarto opere, cum dicit: Fiant luminaria in firmamẽto cœli, id eſt, ſint opera noſtra ordinata. Quinto requiritur proſecutio vigoroſa, quod notatur in quinto opere, quando Deus produxit animã viuam, in aquis

natati-

Marginal notes:

Exo. 20. b

Obiiciũt nobis Iudæi, quod ſabbatum nõ ſanctificemus.

1. Pet. 3. b

Lege breuiloq. 2. p. c. 2. & Cẽtiloq. 3 p. ſect. 7. to. 6.

Opuſcul. de Reduct. ar. ad Theolo. ſtatim à princip. & Hug. de S. Vict. Excer. priorum li. 1. c. 14. & li. 2. Didaſcalici. c. 21.

Epheſ. 5. a

Luc. 6. e

Opera miſericordiæ.

Gen. 1. a

natatilia, in aere volatilia. Sexto fecit Deus integra opera superuestita omnibus circumstantiis, secundum quod exigit lex diuinæ charitatis. Charitas autem est forma perfectiua omnium, & ille qui habet charitatem, habet omnia ista sex. Sextum igitur opus virtutis est informatio charitatiua, quod notatur cum dicitur: Fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Quando hominis opus integratur ex istis sex, tunc dicitur rectè viuere. Sed non sufficit facere virtutis opus, nisi homo caueat ab opere vitioso. Et hoc tangitur cum dicit: Nullum opus facies in eo.

Peccatum quinque modis ab homine committi potest.

Quinque modis potest homo facere peccatum. Primo quando peccatum perpetrat. Secundo quando ad peccandum alium incitat. Tertio quando peccantem defensat. Quarto quando peccantem acceptat. Quinto quando peccantem dissimulat, nec arguit, nec punit, & hoc est maximum periculum, quando quis alium castigare negligit. Primum peccatum tangitur, cum dicitur: *Nullum opus facies in eo*, i. e. tu nullum perpetrabis peccatum. Secundum peccatum tangitur cum dicitur: *Ne. filius, nec filia*, i. e. non eris pater peccati instigando alium ad peccatum, verbo vel opere vel exemplo. Tertium peccatum tangitur, cum dicitur: *Nec seruus tuus, nec ancilla tua.* Ille qui facit peccatum, seruus est peccati: sed ille qui defensat peccatum, Dominus est peccati, illi præbendo patrocinium, qui facit peccatum. Quartum peccatum est, quando aliquis peccantem acceptat, quod notatur ibi: *Nec iumentum tuum.* Iumentum cum fuit ligatum, non ducebatur ad opus, nisi acceptante Domino, & ista acceptatio est religatio. Quintum peccatum est quando aliquis alium castigare negligit, quod tangitur cum dicit: *Non aduena, qui est intra portas tuas.* Aduenam quis reputat hominem, quando dicit ad alium. Quid ad me de peccato suo? Et sic quando homo non punit peccatum alterius, efficitur particeps peccati illius. Aliis etiam multis modis efficitur homo particeps peccati alterius. Et propter hoc dicit Psalmista: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Psal. 18. d

SERMO V.

De quarto præcepto.

Exo. 20. b — Eccl. 13. c

HOnora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi. In Ecclesiastico dicitur: Quæ præcepit tibi Deus, cogita illa semper, & in plurimis operibus eius, ne fueris curiosus. Verba vltima specialiter dicuntur litteratis: in quib. docet Ecclesiasticus cogitare vtilia, & vitare curiosa. Vtilia autem dirigunt nos in viam salutis: sed curiosa distrahunt nos à via salutis, & dissipant intelligentiam nostram. Magna pars intelligentiæ perditur propter curiositatem, & tamen nihil est pretiosius intelligentia in nobis. Dolemus cum perdimus aurum, multo plus dolere debemus, si amittamus intelligentiam; quia nihil est ita charum sicut actus intelligentiæ. Sumus dicturi de præceptis, & indigemus, quod Dominus illustret intelligentiam nostram: ideo rogemus Deum in principio, &c.

Sup. ser. 2.

Honora patrem tuum, &c. Dicebam, quod sicut anima rationalis ordinari habet ad creatorem, & ad creaturam, secundum hoc est duplex tabula, in qua lex Dei est scripta. In prima tabula continentur tria mandata, secundum tria appropriata tribus personis diuinis, & secundū triplicem operationem animæ. In primo mandato præcipitur humilis adoratio summæ maiestatis, in secundo fidelis confessio summæ veritatis, in tertio sincera dilectio diuinæ bonitatis. Ista tria mandata sunt fundamentum omnium præceptorum legis. Et propter hæc tria omnis timoratus, verax, & Deo deuotus tenetur ista principaliter custodire. Modo dico, quod in secunda tabula continentur septem præcepta, vnum est affirmatiuum, & sex sunt negatiua. Ratio distinctionis est hæc. Quia omnia mandata reducuntur ad duo: Hoc facias alii, quod tibi vis fieri. Non facias alii, quod tibi non vis fieri.

A Et iuxta hoc accipiuntur duo præcepta. Primum est innocentiæ. Secundum est beneficentiæ, quæ sunt duæ partes iustitiæ. Modo dico vlterius, quod præcepta ordinantur secundum ipsorum nobilitatem, & beneficentia melior est, quam innocentia: ideo mandato innocentiæ præponitur mandatum beneficentiæ, & est synecdochice traditum Iudæis, sicut, *Honora patrem tuum & matrem tuam, &c.* Et ponitur hic primo forma mandati, cum dicit: *Honora, &c.* Secundo subditur promissio, cum dicitur: *Vt sis longæuus, &c.* Intellige secundum literalem intelligentiam. Pater nominat personam generantis, personam instruentis, & personam educantis: qui pater habens filium generat ipsum, instruit ipsum, & nutrit, & ipsius est, filio legare bona sua. Et sic pater tenet rationem originis, rationem regiminis, & rationem benefa-B ctoris. Et secundum hoc debetur ei triplex honor: honor reuerentiæ, honor obedientiæ, & honor beneficentiæ.

Patri triplex honor debetur.

Primo dico, patri, inquantum tenet rationem originis, debetur honor reuerentiæ. Vnde in Ecclesiastico: Qui timet Deum, honorabit patrem suum & matrem suam, & quasi dominis seruiet eis, qui se genuerunt. Secundo patri ratione regiminis debetur honor obedientiæ. Vnde Paulus: Filii obedite parentibus vestris, hoc enim iustum est. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Tertio honor debetur patri, quia rationem tenet benefactoris, honor, scilicet beneficentiæ. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius. Præcipitur igitur, quod triplex honor impendatur pa-C rentibus, scilicet honor reuerentiæ, obedientiæ, & beneficentiæ. Et hoc est primum mandatum, quod debes custodire, propter promissionem, scilicet, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Et tangitur primo mandatum ibi: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Secundo additur promissum ibi: *Vt sis longæuus super terram, &c.*

Eccl. 13. a — Eph. 6. a — Eccli. 3. b

Longæuitas honorāti patrē quomodo promissa.

Sed numquid verum est semper, quod diutius viuant? Videmus hoc falli quandoque, ergo Deus fallax erit in suo promisso. Dico, quod longæuitas non solum attenditur secundum longitudinem dierum currentium, sed secundum valorem. Et secundū quod est triplex honor, qui exhibetur parentibus, sic respondet huic triplici honori triplex præmium. Honoranti patrem honore reuerentiæ, debetur vita gloriosa siue honorifica. Honoranti patrem honore obedientiæ, debetur vita iucunda. Ho-D noranti patrem honore beneficentiæ, conceditur vita opulenta. Primo dico, honoranti patrem honore reuerentiæ, conceditur vita gloriosa siue honorifica. Vnde Ecclesiasticus: Gloria hominis ex honore patris sui, Item ibidem: Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi honor, sed confusio. Naturale enim est, quod filius vehementissime diligit patrem, & indignatur quando aliquis iniuriatur patri. Secundo honoranti patrem honore obedientiæ, conceditur vita iucunda. Vnde Ecclesiasticus: Qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis, & in diebus orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore; & qui obedit patri suo refrigerat manum suam. Summa iucunditas est, quod homo non sit rebellis superiori suo: quia qui rebellis est superiori, inueniet rebellem inferiorem: & con-E temptor superiorum potestatum, contemnetur ab inferioribus. Sicut Adam quando fuit inobediens superiori suo, omnia inferiora sua, quæ sibi fuerant subiecta, habuit contraria. Tertio honoranti patrem honore beneficentiæ, conceditur vita opulenta: Vnde Ecclesiasticus: Honora patrem tuum & matrem tuam, & superueniet tibi benedictio, & benedictio tua in nouissimo manebit. Benedictio ista vocatur multiplicatio bonorū. Ecce præceptum & ecce promissio. Obligamur ad obediendum parentibus, quamdiu vtimur ipsorum bonis: & debemus eis obtemperare in exercitatione actuum virtuosorum, siue salubrium, in dispensationibus temporalium & in subministratione obsequiorum. Debemus etiam viuere secundum eorum consilium, & expendere secundum

Eccli. 3. b — ibidem. — Eccli. 3. a — Genes. 3. — Eccli. 3. a

eorum imperium, & quando exegerit necessitas subministrare eis obsequium. Si tamen parentes aliquid velint, vel dicant, vel imperent nobis, quod sit contra profectum salutis nostræ, non est ipsis in illis pietas exhibenda. Et hoc est, quod dicit Dominus in Euangelio: Qui non odit patrem suum aut filios propter me; non potest meus esse discipulus. Vult Dominus, quod ex affectu paterno non dimittat homo facere, quod pertinet ad salutem suam. Et hoc est, quod dicit Dominus: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade & annuncia regnum Dei. Et Hieronymus dicit: Si pater in limine iaceat, si mater vbera, quibus te lactauit, ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad vexillum crucis euola. Solum enim genus pietatis est, in hoc esse crudelem. Ecce intellectus verborum secundum sensum literalem. Videte latiorem intellectum.

Luc. 14. e *Matt. 8. e* *Hieron. epi. 1. ad Heliod.*

Præcipitur beneficentia ad omne genus hominum. Pater nominat personam, in qua est præcipua ratio auctoritatis, antiquitatis, & amicabilitatis. Primo dico, in patre est auctoritas: & in isto mandato datur præceptum, quod obediatur patri, qui habet auctoritatem. Auctoritatem autem habet omnis, qui præest reipublicæ, vel rei politicæ, vel rei monasticæ. Primo dico, quod ille qui præest reipublicæ est pater ratione auctoritatis, vt princeps, baro, comes, vel dux. Et dicitur pater tutela, vel defensione, & eum debemus honorare. Vnde Beatus Petrus: Deum timete, principes honorificate. Secundo habet auctoritatem ille, qui præest rei politicæ siue Ecclesiasticæ. Et ipsum debemus honorare, secundum quod exigit dispositio ecclesiastica & debet ei obedire vulgus. Vnde Apostolus ad Hebræos: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim vigilãt, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Tertio auctoritatem habet ille qui præest rei monasticæ, & illum debemus honorare & ei obedire, secundum quod regula & promissio facta est. Vnde Hieronymus: Præpositum monasterii diligite vt patrem, timete vt dominum, audite vt magistrum, credite vt salubre, quidquid ipse vobis dixerit. Modo dico, quod istis debemus obedire, secundum quod exigit ordo vel auctoritas. Secundo in patre intelligitur antiquitas, & ex hoc intelligitur debilitas, senes enim debilitantur. Et qui patrem honorat ratione antiquitatis & debilitatis, honorat omnem hominem, qui indiget adiutorio, vel qui caret sensu, vel fortitudine, vel infestatur ab alio. Propter hoc debemus alium iuuare per documenta, vel sustentamenta & per patrocinia, & ad hoc specialiter sunt prælati. Si homo caret sensu, debent ipsum iuuare per documenta: si caret fortitudine, debent ipsum iuuare per sustentamenta: si infestatur ab alio, debent ipsum adiuuare per patrocinia. Tertio in patre intelligitur ratio amicabilitatis, & in hoc intelligimus, quod ratione originis, amabilis & amandus est omnis homo, & tenetur quilibet homo alium honorare. Vnde Apostolus: Honore inuicem præuenientes. Et iterum: Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

1. Pet. 2. c *Hebr. 13. c* *Hieron. epi. 4. ad Rustic. post med. [illegible] 1.* *Rom. 12. c. & 13. b*

Homo quo modo est diligendus, & ordo in dilectione.

Debet homo alium diligere, bene volendo cuilibet quantum ad effectum, & quantum ad effectũ, & quantũ ad signum. Habet autem ista dilectio ordinem, quia debemus diligere secundum rationem proximitatis, secundum rationem similitudinis, & secundum rationem obligationis. Primo dico, debemus diligere secundum rationem proximitatis, & secundum hoc maiorem amorem debemus domesticis, quam extraneis, & amicis, plusquam inimicis. Secundo habet dilectio ordinem secundum rationem similitudinis, quia aliquibus debemus ratione similitudinis maiorem dilectionem, quam aliis: sic tenemur ratione similitudinis in forma specifica diligere hominem: secundum similitudinem ratione conuenientiæ in fide debemus plus diligere Christianũ, quam Iudæum vel gentilem: & secundum rationem similitudinis in professione maxime debem⁹ diligere, sicut religiosus fratrem suum, & vnus canonicus concanonicum suum. Tertio ratione obligationis debemus diligere & tenemur obedire: & sic aliquibus plus tenemur quam aliis. Teneor enim alium diligere, & eum honorare ratione præcepti tantum: teneor plus ratione præcepti & beneficii: & teneor maxime, ratione præcepti, beneficii & promissi, id est, illum de quo est mihi præceptum, & recepi beneficium, & feci promissum, debeo plus diligere, & honorare. Patet modo quod in verbis istis: *Honora, &c.* tangitur præceptum: & quomodo secundo redditur promissum ibi: *Vt sis longæuus, &c.* Deinde dictum est, quomodo intelliguntur secundum intelligentiam literalem, & quomodo secundum spiritualem. Et vt melius teneatis in mente, dicam vobis duo exempla, vnum bonum de illo, qui matrem honorauit; & aliud malum & crudele de illo, qui patrem non honorauit. Dicam primum de bono.

Exemplũ de filio matrem honorante.

Fuit quidam magister magnus & famosus Parisiis, & à multis notus & dilectus. Hoc audiens mater sua paupercula, cogitauit ire ad filium suum, accepit baculum & in tunicella de burello venit Parisiis, & quæsiuit à quibusdam dominabus pro tali magistro. Dixerunt illi matronæ. Quid vultis ab eo? Respondit: Ego sum mater sua. Tunc illæ matronæ duxerunt eam in domum suam & refocillauerunt eam. Postea cogitauerunt, quod ille bonus homo verecundaretur, si videret eam in tali statu, & induerunt ipsam bene, & dederunt ei mantellum, & iuerunt secum ad magistrum. Tunc illa dixit, Ego sum mater tua. Respondit magister: Vere ego non credo, quia mater mea est paupercula, & consueuit habere solum tunicellam de burello. Et cum nullo modo vellet acquiescere verbis eius, reduxerunt eam in domum suam, & reddiderunt ei tunicellam eius, & baculum. Tunc illa accessit ad filium suum in congregatione multorum, & cum videret matrem suam in tali habitu venientem, deposuit caputium suum, & amplexatus est eam, & dixit: Modo scio, quod estis mater mea. Hoc fuit diuulgatum per villam, & reputatum est ei pro magno bono. Et postea factus est Episcopus Parisiensis.

Exemplũ cuiusdam qui patrẽ non honorauit.

Aliud exemplum dicam malum de eo qui non honorauit patrem suum; & vidi illum, qui nouit illum, cui hoc accidit. Fuit quidam homo pauper, qui per industriam suam multa acquisierat, & habebat vnicum filium. Et videntes quidam nobiles, ferunt quod contraxit filius cum filia cuiusdam nobilis. Et tunc illa quæ fuit pulchra & nobilis incœpit abominari patrem, & fecit tantum cum marito suo, quod odio habuit patrem suum, & quod pater non habebat quid comederet nisi fabas malas, & semper in conuiuio expellebatur à domo. Quadam die fuit famelicus, & venit ad domum filii & petiit cibum, & datæ sunt ei fabæ malæ, & expulsus est à domo. Tunc illa dixit marito suo: Modo possumus comedere in pace. Vade ad arcam & accipe caponẽ coctum. Et cum aperuit arcam, mutatus est capo in bufonem. Qui subito saliens ad faciem eius, ponebat duos pedes ad mentum & duos ad frontem, & operuit totam faciem eius, & non fuit medicus qui sciret eum amouere. Tandem venit quidam, qui fecit tenellas quasdam, & dixit, quod eum amoueret. Tunc bufo aspexit eum tam horribili vultu, quod ille cecidit in terram, & amplius non audebat aliquid facere, & nullus fuit qui sciret apponere consilium, sed mala morte mortuus est. Patet modo præceptum, & promissum quod promittitur.

SERMO VI.

De quinto, sexto, & septimo Præcepto.

Psal. 118. a *Iac. 2. b*

Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Psalmista ait: Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Iacobus dicit: Qui totam legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus. Non quia pro vna transgressione tantum punietur pœna sensus, sicut pro trãsgressione omnium; sed punietur tantum pœna damni: non tamen ita acriter pro vno, sicut pro omnibus. Ideo si quis vult pertingere ad vitam

æternam,

æternam, oportet quod perspiciat in omnibus mandatis Dei corde & opere. Et ideo dixit Psalmista: Cum perspexero, id est, perfectè inspexero, & considerauero; & iuxta hoc ego non timebo confundi. Non est magnum confundi in præsenti; sed confundi æternaliter, hoc debemus abhorrere. Sed tamen non possumus euadere istam confusionem, nisi perspiciamus in omnibus mandatis Dei. Ideo Deum rogemus in principio, &c.

Sup. ser. 2.

Non occides, &c. Dicebam vobis, quod mandata Dei distinguebantur in duas tabulas. In prima continentur mandata secundum legem iustitiæ ordinantia nos ad Trinitatem: qua continentur tria mandata secundum tria appropriata tribus personis. In secunda tabula continentur mandata ordinantia nos ad proximum, & hoc secundum duplicem partem iustitiæ, scilicet innocentiæ & beneficentiæ. Reducitur autem tota iustitia ad tria: B quia Deo debemus exhibere debitam reuerentiam, per orationem, confessionem, & satisfactionem. Patri debemus exhibere beneficentiam, & omnibus aliis innocentiam. Dictum est de tribus mandatis, quæ nos ordinant ad Deum; Dictum est etiam de quarto mandato, quod accipitur penes partem iustitiæ, quæ est beneficentia, in quo præcipitur, quod debemus exhibere honorem patri & matri: sequitur de sex aliis mandatis, quæ pertinent ad innocentiam. Nocet autem quis proximo suo tripliciter, peruersitate operis, falsitate sermonis, & improbitate voluntatis: & propter hoc legislator primo prohibet nocumentum, quod prouenit ex peruersione operis. Peruersitas autem operis, qua quis iniuriatur alii, est triplex. Aut enim quis iniuriatur alii in propria persona, aut in coniuncta persona, aut in temporali substantia, & secundum hæc sunt tria mandata, quę pertinent ad innocentiam. In primo prohibetur nocumentum in propria personâ, ibi: *Non occides*. In secundo prohibetur nocumentum in persona coniuncta, ibi: *Non mœchaberis*. In tertio prohibetur nocumentum in substantia temporali, ibi: *Non furtum facies*.

Proximo suo tripliciter quis nocet.

Primo dico cum dicitur, *Non occides*, prohibetur ira prorumpens in iniurias peremptiuas vitæ naturalis siue substantialis, & vitæ incolumis, & vitæ honorabilis, natura enim appetit, quod melius est, & ideo non sufficit sibi, quod habeat vitam subsistentem, immo cum hoc vult vitam salubrem & incolumem. Ergo in isto mandato, *Non occides*, legislator prohibet primo iras prorumpentes in iniurias peremptiuas vitæ naturalis. Secundo prohibet iras prorumpentes in iniurias vitæ incolumis, scilicet quando fit iniuria per verbera, vel vulnera. Tertio prohibet iras prorumpentes in iniurias vitæ honorabilis, sicut est iniuria quæ est in contumeliam apertam vel occultam, sicut illa quæ fit per signum. Vnde dictum est in Euangelio: Audistis, quia dictum est antiquis: *Non occides*. Ego autem dico, quod omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Ergo planum est, quod tribus modis facit homo contra illud mandatum, scilicet quando quis irascitur fratri suo, vel quando dicit, racha, vel quando dicit, fatue. Et quando hoc facit ex deliberatione animi, tunc dicit, quod reus est gehennæ ignis. Et quia vita naturalis fundamentum est respectu aliarum, ideo sub isto modo, *Non occides*, legislator expressit mandatum.

Matt. 5. c

Manichæi autem obiiciunt nobis, & dicunt, quod contradicit sibi legislator? Dicit enim: *Non occides*. Et alibi dicit: Maleficos non patieris viuere. Et hoc est contra principes in Christiana lege, qui per sententiam iudiciariam alios occidunt. Item obiiciunt, quod Dominus dicit: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, ergo non licet gladium accipere. Et similiter dicunt, quod non licet sacerdotem esse occisorem. Et hoc est contra Ecclesiam & ecclesiasticas personas, qui exequendo iudicium & imperando accipiunt gladium. Item obiiciunt, quod dicitur: Ego autem dico vobis non resistere malo, & hoc est contra legislatorem.

Exo. 20. b
Exo. 22. c
Mat. 26. e
Matth. 5. l

Intelligere debemus, quod prohibetur hic occisio hominis, non bestiarum vel virgultorum, sicut dicebant antiqui Manichæi, qui nolebant comedere de fructibus arborum. Occisio autem hominis potest esse à lege aut ab homine, in veritate, aut interpretatiue. Occisio autem hominis ab homine sicut ab homine non vt à lege, prohibetur; sed Deus qui conditor est naturæ, & conseruator naturæ & legis, potest hominem priuare vita, quando vult. Lex autem occidit hominem, quando minister legis occidit & hoc seruato iusto ordine, iusta causa, & iusto animo. Oportet, quod assit iustus ordo & iusta causa, id est, quod ex iusta causa occidatur, quia lex dicit: Iuste quod iustum est exequeris. Item oportet habere animum iustum, vt homo, qui est minister legis, ex lege hominem occidat, non libidine vindictæ, sed amore iustitiæ. Vnde Apostolus ad Romanos, loquens ad principes, dicit, quod princeps non sine causa gladium portat. Dei minister est vindex in iram ei, qui male agit. Quod igitur Dominus dicit Petro, Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt; non refertur nisi ad hoc, quod ille, qui non est minister legis, non debet occidere. Et quod dicitur: Non licet sacerdotem esse occisorem, hoc non refertur ad principes. Tertium quod dicit Dominus: Ego autem dico vobis, non resistere malo, verum est vltionis libidine, sed amore iustitiæ, bene licet resistere malo. Patet modo, quod lex occidit hominem.

Deut. 16. b
Rom. 13. b
Mat. 26. e

Item occiditur homo ab homine tripliciter, aut casu, aut necessitate, aut voluntate. Si homo occidit hominē casu, aut adhibet operam rei licitæ, & adhibet debitam diligentiam, excusatur à tanto & à toto. Si autem fit homicidium casuale, & homo adhibet operam rei illicitæ, nec adhibet debitam diligentiam, nec excusatur à tanto nec à toto. Si autem fuerit homicida ex necessitate, hoc est dupliciter, aut ex necessitate ineuitabili, aut euitabili. Necessitas euitabilis est, si possum effugere, sed dimitto propter verecundiam vel aliam causam, & in isto casu excusatur à tanto & non à toto: quia melius esset, quod fugeret. Si autem sit necessitas ineuitabilis, vt homo occidat alium hominem non amore vindictæ, sed amore conseruationis vitæ & animæ, vt non interficiat ipsum ex crudelitate, sed vt impediat ipsum, ne perdat suam vitam & animam, & fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc concessum est personis etiam perfectis, non solum imperfectis. Et hoc dicit Augustinus de libero arbitrio, & excusatur à tanto & à toto. Tertio modo fit homicidium ab homine voluntate, & hoc dupliciter: aut libidine vindictæ, sicut quando aliquis interficit patrem alterius: aut animi crudelitate, sicut latrones vel iracundi interficiunt aliquos, & vtrumq; istorum est prohibitum, & est primum grauius, quam secundum. Item fit homicidium interpretatiue in animo, & hoc tripliciter. Primo fit homicidium interpretatiue omittendo in facto. Vnde dicit Ambrosius: Pasce fame morientem, si non paueris, occidisti. Secundo modo fit, quando aliquis occidit alium consulendo, vel accusando, vel detrahendo, quando hoc facit ex malignitate animi. Tertio modo fit homicidium interpretatiue in animo, odiendo. Vnde canonica Ioannis: Qui odit fratrem suum, homicida est. Dico ergo, quod secundum principalem intellectum prohibetur hic occisio, non quæ est secundum legem, sed quæ est secundum hominem, & illa quæ fit voluntate, aut interpretatiue. Et hoc est quod dicit: *Non occides*.

Tripliciter homo occiditur, & quando fit peccatū, & quādo non.

Aug. lib. 1. de lib. arb. longe antè med. to. 1.
Refertur ex Ambros. d. 86. c. Pasce.
Iohan. 3. c

Sequitur: *Non mœchaberis*. Hic prohibetur, quod vxorem proximi tui non violes. Et dicit Augustinus, quod hic prohibetur omnis illicitus vsus membrorum generationis, qui fit ad procurationem libidinis, & impugnationem castitatis. Et hoc fit septem modis, per adulterium, fornicationem, meretricium, stuprum, sacrilegium, incestum, & peccatum contra naturam. Notandum, quod est pudicitia coniugalis, communis, & priuilegiata. Secundum hoc dico, quod aliquis est impugnator pudicitiæ coniugalis, secundum hoc fit adulterium, & hoc fit cū peccat cū coniugata. Aut est impugnator castitatis communis, & hoc fit cū peccat cum soluta simpliciter, &

VI. Præceptum. Non Mœchaberis.
August. in quæst. sup. Exod. q. 71. prope fin. tomo 4.

vocatur

vocatur simplex fornicatio: vel cum peccat cum vagabunda, & prostituta, licet sit soluta, tunc vocatur meretricium. Si autem sit impugnator pudicitiæ priuilegiatæ, id est virginitatis, hoc est dupliciter: aut fit cum conditione adiuncta, quæ est defloratio: & sic vocatur stuprum: aut fit cum Domino Deo consecrata, & sic dicitur sacrilegium, hoc est quando aliquis Domino consecratam violat. Si autem fit contra fundamentum omnium istorum, sic dicitur peccatum contra naturam. Et hoc est dupliciter. Aut fit contra dictamen naturalis rationis, scilicet contra hoc, quod omnia animalia natura docuit, sic dicitur peccatum cõtra naturam proprie. Aut fit contra instinctum naturæ, & hoc modo est incestus, quando quis peccat cum persona sibi coniuncta. Peccatum contra naturam scelestissimum est, & super omnia fugiendum. Et de hoc crimine accusauit Ioseph fratres suos apud patrem suum crimine pessimo. Dicit igitur: *Non mœchaberis.* Hic prohibetur omnis mœchia cum vxore proximi, & secundum Augustinum, omnis illicitus vsus membrorum generationis, qui fit ad procurationẽ libidinis cum impugnatione castitatis. Patet modo secundum quod accipiuntur transgressiones huius peccati, & peccatum contra naturam super omnia est fugiendum. Sed de peccato contra naturam narrat Petrus Damianus, quod erant duo in deserto qui asperrimam faciebant pœnitentiam, & vnus fuit idiota, & suis peccatis exigentibus illusus est à diabolo, qui dixit ei, quod peccatum pollutionis contra naturam non maius esset peccatum, quam si homo mucilagines proiiceret à naso suo. Tunc ille pestifer exercuit se ad illam impudicitiam. In morte autem portauit animam suam diabolus. Miratus est alius, quod ille qui fuit tantarum vigiliarum & laborum fuit perditus. Et astitit Angelus Domini, qui dixit illi, quod totum se fœdauerat per illud peccatum. Omnis igitur actus qui est in experientia libidinis qualicumque modo fiat, est prohibitus, nisi fiat in forma matris Ecclesiæ. In somnis patitur homo quandoque pollutiones absque causa & absque culpa. Sed quidam stultus presbyter cuidam confitenti de pollutione nocturna, dixit: Non potes habere denarium ad explendam libidinem tuam? Patet modo quomodo prohibetur hic omnis illicitus vsus corporis & membrorum, procuratus extra formam matrimonij, & hoc tangitur, cum dicit: *Non mœchaberis.*

Gen. 37. a

Aug. vbi supra proxime.

VII. Præceptum. Non furtum facies.

Exo. 11. a

Sequitur: *Non furtum facies.* Furtum est attrectatio rei alienæ inuito Domino, si fiat ex cupiditate, sed si non fiat ex cupiditate non est furtum. Sicut filij Israel ex Domini præcepto, portauerunt secum ex Aegypto vasa argentea & aurea. Vel qui alij aufert gladium, ne faciat malum, tunc non dicitur furtum.

Furtum tripliciter fit.

Furtum autem diuiditur per partes, quia furtum est contrectatio alienæ rei inuito Domino, &c. & hoc fit aut per meram fraudem, aut per violentiam, aut per circumuentionem. Primo modo cum fit per meram fraudem, & furtiue, sic dicitur furtum. Si fiat per violentiam hoc est dupliciter: aut est apertum, & sic dicitur rapina: aut est occultum, & sic dicitur latrocinium. Si vero fiat attrectatio rei alienæ per circumuentionem, hoc potest fieri cum pactione adiuncta, & hoc tripliciter: aut cum pactione fraudulenta, aut iniqua, aut profana. Si fit cum pactione fraudulenta, sic fit in negotiationibus, hoc autem fit tripliciter, aut in pondere, aut in numero, aut in mensura, & de hoc rarissime euadunt mercatores. Si autem fiat cum pactione iniqua, sic est vsura, in qua id, quod venditur, est commune, scilicet tempus. Si autem fiat cum pactione profana, in qua illud, quod venditur, est proprium, sic dicitur simonia.

Nota de vsura.

Sed quæritur, si accommodo tibi vestem vel equum vel domum, & accipio denarios, non est vsura, sicut de pecunia? Dico, quod in veste vel equo vel domo trahitur vsus ex re, non ex pecunia, & ideo non dicitur vsura. Aliqui credunt, quod vsura sit mala, quia prohibita, sed certe est prohibita, quia mala. Item in mutuo meum fit tuum, & si tu aliquid acquiris per industriam tuam ex illo mutuo, & ego aliquid de illo repeto, vendo tempus quod est commune, quod non est licitum vendere: sed in accommodato non transit mea res in tuam. In mutuo pecunia mea fit tua, & non minoratur pecunia nec peioratur: sed in accommodato domus mea, vestis mea, non fit tua, & minoratur, & peioratur domus vel vestis, & tu elicis ex ea vtilitatem tuam non sicut ex tuo, sed sicut ex re mea, & diminuitur, & peioratur. Pecuniam autem mutuatam totam, & integram oportet, quod mihi reddas, & ideo non excusor, cum peto aliquid de mutuo, & est ibi peruersio ordinis, & appropriatio communitatis. Et debet quilibet sibi cauere de hoc, & sic si fit circumuentio cum pactione iniqua, dicitur vsura. Si autem fiat circumuentio cum pactione profana, sic dicitur simonia: in qua qui vendit, nihil acquirit, & ille qui emit nihil habet, sed solum rem alienam contrectant, & hoc est cum res spiritualis venditur tanquam res vilis. Contra istos dicit Dominus: Nolite domum patris mei facere domum negotiationis. Sed quidam faciunt eam speluncam latronum. Vnde Dominus dicit per Prophetam: Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant. Rogemus ergo Dominum Iesum Christum, &c.

Ioan. 2. c

Michea 3. d

SERMO VII.

De octauo, nono & decimo Præcepto.

VIII. Præceptum.

Deut. 30. c

Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces rem proximi tui. Nec desiderabis vxorem eius. Vnde dicitur in Deuteronomio: Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & econtrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & custodias mandata illius. In principio rogemus Deum, &c.

In Deuteronomio loquitur Moyses de decem mandatis, quæ Deus æternus per ipsius os proposuit, vt non despicerent ea Iudæi: & ostendit, quod in obseruantia mandatorum est vita & bonum, & oportet quod omnia seruentur ad hoc, quod in illorum obseruantia sit vita, & bonum. Ostendit etiam, quod in ipsorum transgressione est mors, & malum, & quod in transgressione vnius necesse est intelligere transgressionem omnium, quoad damnum, non quoad pœnam. Dicebam alias, quod prima distinctio mandatorum est secundum duplicem partem iustitiæ, quæ nos ordinat ad Deum, & ad proximum, & secundum hoc duæ tabulæ datæ sunt Moysi. In prima continentur mandata, quibus ordinamur ad Deum, & sunt tria. In secunda continentur mandata, quib. ordinamur ad proximum, & sunt septem. Dicebam etiam, quod in secunda tabula est vnum mandatum affirmatiuum, & sex negatiua. De affirmatiuo & tribus aliis negatiuis habitum est.

Sup. ser. 1.

Sequitur modo de aliis, quorum primum est: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.* In isto mandato negatiuo prohibetur mendacium, quod nociuum est proximo. Et secundum generalem intellectum prohibetur hic omne mendacium pernitiosum, & datur intelligi, quod omne mendacium est malum. Augustinus autem distinguit mendacium & dicit, quod est mendacium officiosum, iocosum, & perniciosum. Mendacium officiosum est, quod nulli obest, & alicui prodest. Mendacium iocosum est, quod non fit causa nocendi, sed mentiendi libidine, & hoc nulli prodest & nulli obest. Mendacium perniciosum est, quod fit intentione mentiendi, & vt noceat, & hoc semper obest, & nulli prodest. Et dicit Augustin⁹. In primo mendacio est minima culpa, in secũdo mediocris, in tertio est culpa grauis.

Mendacium triplex.

Aug. legendus de hoc to. 4. lib. de mendacio ad Conf. à c. 11. vsque ad 15. & l. 3. q. sup. Leuit. q. 68. to. eo.

Mendacium officiosum fit tripliciter, aut pro defendenda re alicuius temporali, aut pro tuenda vita, aut pro seruanda castitate. Mendacium iocosum fit duob. modis, aut sola mentiendi libidine, aut causa placendi, & hoc est mediocris culpæ. Mendacium autẽ perniciosum

tripliciter fit, aliquando in doctrina religionis contra sacram scripturam: aliquando in impositione falsi criminis; & istis duobus modis nulli prodest, sed omnibus obest. Aliquando fit mendacium perniciosum in causa alicuius, & sic alicui prodest, & alicui obest. Sic igitur sunt octo genera mendacij. Et dicit Augustinus, quod Deus potest facere, quod furtum non sit peccatum; sed non potest facere, quod mentiri non sit peccatum. Et hoc est propter nobilitatem veritatis; quia mendacium est falsa vocis prolatio cum intentione fallendi; & Deus non potest recedere à veritate, quia est ipsa veritas; sed potest dispensare, quod furtum non sit peccatum. Inter omnia, quæ disponunt hominem, necessarium est, quod seruet fidem, & habeat veritatem in sermone. Vnde Seneca: Qui perdit fidem, non habet amplius quod perdat. Patet modo de isto mandato: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Mendacium quid.

IX. & X. Præceptũ.

Postea subiungit duo præcepta: *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis vxorem eius.* In quibus duplicem concupiscentiam, scilicet oculorum & carnis prohibet, quæ sunt fomenta omnium malorum; quia vis concupiscibilis infecta & corrupta corrumpit omnes alias animæ vires. Superius prohibetur actus illicitus exterior contra proximum, cum dicitur: *Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hic autem prohibetur actus illicitus interior, cum dicitur: *Non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis vxorem eius.* Concupiscentia oculorum, siue cupiditas radix est omnium malorum: concupiscentia carnis est fomes omnium peccatorum. Et per istam duplicem concupiscentiam fit transfusio omnium malorum & peccatorum. Et ideo lex diuina ipsam prohibet, & in hoc omnia mala, & omnia peccata prohibet. Hæc est febris, qua omnes filij Adam febricitant, & generat omnia mala. In hoc igitur, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium, præcipitur innocentia in actu exteriori, in aliis, non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, præcipitur innocentia in animo. Et sic patet, quæ sunt decem præcepta. In tribus primis præcipitur recta ordinatio ad Deum, in quarta recta ordinatio ad parentes. In sex aliis præcipitur recta ordinatio ad proximum.

Resumamus in summa ista decem præcepta, quæ sunt: NON *habebis deos alienos coram me.* NON *assumes nomen Dei tui in vanum.* MEMENTO, *vt diem sabbati sanctifices.* HONORA *patrem tuum & matrem, &c.* Intelligere debemus, quod quamquam quædam dicantur præcepta affirmatiua, & quædam negatiua, omnia tamen affirmationem, & negationem in se continent. Quando Deus prohibet aliquid in vno mandato, præcipit contrarium: & econuerso, quando aliquid præcipit, prohibet contrarium eius. In primo enim mandato præcipitur humilis adoratio Diuinæ maiestatis, & prohibetur idololatria. In secundo præcipitur fidelis assertio diuinæ veritatis, & prohibetur periurium. In tertio præcipitur deuota vel sincera dilectio diuinæ bonitatis, & prohibetur indeuotio. In quarto præcipitur pietas ad parentes, & prohibetur inhonoratio. In quinto præcipitur mansuetudo, & prohibetur iracundia. In sexto præcipitur pudicitia, & prohibetur mœchia. In septimo præcipitur largitas, & prohibetur furtum. In octauo præcipitur veritas, & prohibetur mendacium. In nono præcipitur liberalitas cordis, & prohibetur concupiscentia rei temporalis. In decimo præcipitur castitas mentis, & prohibetur concupiscentia carnis. Vide, quod omnia mandata continent affirmationem & negationem, & in omni præcepto est vita & bonum, mors & malum. Si facitis quæ præcipit Deus, & vitatis quæ prohibet, consequemini vitam & bonum. Sed si non facitis quæ præcipit Deus & non vitatis, quæ prohibet, incurretis mortem & malum. Ex legis obseruantia sequitur benedictio. Ex transgressione sequitur maledictio. Ex obseruantia legis efficitur homo reuerens, fidelis, deuotus, pius, mansuetus, pudicus, largus, veridicus, propriis contentus, siue liberalis, & corde impollutus. Econtra ex transgressione legis efficitur homo idololatra, blasphemus, indeuotus, impius, homicida, mœchus siue adulter, fur, fallidicus, cupidus, & carnalis. Igitur obseruator legis & transgressor plus distant à se, quam infernus & Paradisus, quia vnus est in centro, alius in circumferentia. Nec Deus cæli aliud facere potest, quia iustus est, & se negare non potest.

Videte modo, quoniam omnes homines non addiscunt sapientiam nisi per flagella, & propter hoc Deus decem flagella, id est plagas, misit super terram Aegypti. Prima fuit sanguinis, secunda ranarum, tertia multitudo cinifum, quarta multitudo muscarum mordentium, scilicet caninarum, quinta mortis pecorum & iumentorum, sexta vlcerum siue vesicarum turgentium, septima destructio bonorum temporalium per grandinẽ, octaua locustarum, nona tenebrarum palpabilium, decima mortis primogenitorum. Modo videte, quomodo Spiritus sanctus flagellauit Ægyptios & manuducebat ad obseruantiam mandatorũ; sic & nos propriissime manuducit. Decem sunt legis transgressiones, & secundum hoc fuerunt decem plagæ.

Prima plaga sanguinis, qua percussi sunt idololatræ, quia de ipsis dicit Psalmus: Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam.

I. plaga, qua percussa est Ægyptus. *Psal. 105. f*

Secunda plaga fuit ranarum, qua percussi sunt blasphemi & periuri, qui comparantur ranis. Rana est animal clamosum, & seipsam clamando consumit. Similiter facit homo, quando stabilitatem veritatis perdit.

II. plaga.

Tertia plaga dicitur cinifum, qua percussi sunt indeuoti, qui non custodierunt diem sabbati, quæ est dies deuotionis. Cinifes sunt muscæ paruæ, quæ valde inquietant, & vexant homines per omnia loca, & maxime per os & nares, & tantam faciebant vexationẽ, quod homines nullo modo poterant habere quietem. Similiter inquietantur indeuoti. In isto signo defecerunt Magi Pharaonis, in signum quod inquietudinem cogitationum non possumus effugere nisi per deuotionem. Gregorius vix vnam cogitationem tota die de terrenis habuit.

III. plaga.

Quarta plaga est muscarum caninarum, qua percussi sunt impii, qui habent apud se muscas caninas, id est carnales & crudeles affectiones.

IIII. plaga.

Quinta plaga fuit mortis iumentorum, qua percutiuntur homicidæ: quia omnis qui gladio occidit, reus est mortis: & tales moriuntur sicut iumenta, nec sunt digni diuina protectione, nec humana: quia qui alium occidit, seipsum interemit, & brutalitatem suam non sentit.

V. plaga.

Sexta plaga fuit vesicarum turgentium, qua percutiuntur adulteri, qui habent vesicas turgentes, id est carnem infectam. Vesicæ nascuntur ex nimio humore facientes pruritum, & cum sentit homo pruritum, scalpit se, sed postea dolet. Similiter qui luxuriatur, primo delectatur, postea dolet.

VI. plaga.

Septima plaga fuit destructio bonorum temporalium, qua percutiuntur fures: quia dignus est perdere sua, qui aufert aliena. Ista fuit plaga grandinis, quæ omnia destruxit. Mirabile est, quod qui peccant peccato carnis, reconciliantur Deo per confessionem sine illa persona, cum qua peccant; sed qui aliena rapiunt, non reconciliantur Deo sine restitutione ablatorum, si reddere possunt.

VII. plaga.

Octaua plaga fuit locustarum, quæ comederunt omnem herbam virentem. Ista percutitur mendax, qui dentibus & labiis veritatem conculcat, sicut dicit Psalmista: Cor eorum vanum est, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.

VIII. plaga. *Psalm. 5. c.*

Nona plaga fuit tenebrarum, qua percutiuntur cupidi & auari, quia nihil adeo excæcat hominem sicut cupiditas. Vnde: Xenia & dona excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Cupiditas est sicut fumus fœtidus, qui totum excæcat. Iudas cupidus filium Dei vendidit.

IX. plaga *Eccli. 10. d & Ex. 23. d* *Eccli. 10. b*

didit. Salomon: Auaro nihil est scelestius, animam suam venalem habet, quoniam proiecit intima sua in vita sua.

X. plaga. Decima plaga fuit mors primogenitorum, qua percutiuntur carnales. Ista percussus est Esau. Ait enim Apostolus: Ne quis inter vos fornicator sicut Esau, perdat primogenita sua. (Heb. 12. d) Carnalis concupiscentia abstulit nobis nobilem generationem, qua omnes nasceremur innocentes & heredes Paradisi. Concupiscentia carnalis facit nos nasci in mortem & culpam, & facit nos perdere ius primogenituræ. Quod figuratum est in Genesi: (Gen. 49.) vbi dicitur, quod Ruben primogenitus Iacob perdidit ius primogenituræ, quia concubuit cum concubina patris sui, & maculauit stratum eius. Et Ioseph, qui castissime vixit in Ægypto, meruit esse princeps fratrum suorum. Patet modo, quod omnes transgressores legis percutiuntur plagis istis.

Sed quis liberabit nos à plagis istis? Certe vnus solus qui venit propter istas plagas amouendas, scilicet Christus, qui decem condescensiones fecit nobis contra decem plagas. Quod figuratur in libro Isaiæ: (4. Reg. 20. b. & Isa. 38. b.) vbi dicitur, quod sol retrocessit decem gradibus: per quos significantur decem condescensiones filii Dei ad hominem.

(Decē condescēsiones filii Dei, vt nos liberaret a decē plagis.)

Prima condescensio, qua Dominus condescendit homini, est vsque ad carnem, hic est primus gradus quo retrocessit Sol.

Secunda condescensio ad mortalitatem nostram.

Tertia ad necessitatem nostram, quia famem, sitim & frigus passus est.

Quarta ad pauperiem nostram, quia egenus factus est, non habens locum ad quem declinaret.

Quinta vsque ad tentationem, quando permisit se tentari, in hoc portauit infirmitatem nostram, nam ait Apostolus: (Heb. 4. c) Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, &c.

Sexta ad corporis lassitudinem & laborem.

Septima vsque ad mentis anxietatem. (Mar. 14. d) Vnde scriptum est: Cœpit Iesus pauere & tædere, & dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Octaua condescensio fuit vsque ad crucem, & hoc fuit mirabile.

Nona fuit vsque ad mortem.

Decima fuit ad carcerem infernalem.

Istæ sunt decem condescensiones, quibus Deus condescendit hominibus. Sed quare condescendit ad carcerem infernalem? Certe vt in sanguine testamenti educeret vinctos de carcere, & de tenebris, & de vmbra mortis. Christus enim per sanguinem testamenti nos liberauit, & eduxit de morte ad vitam, & de tenebris ad lucem. Debemus igitur modo resurgere ad nouam vitam. Sicut Christus resurrexit à mortuis, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. (Ro. 6. a. b) Christus liberauit nos de manu Pharaonis, & introduxit nos in terram repromissionis, & in signum huius manducatur modo Pascha, quia modo liberati sumus. Et ideo debemus celebrare Pascha, debemus facere transitum & inchoare nouam vitam, & non redire in Ægyptum. Nullus sit falsus proditor. Ista tria sunt necessaria cuilibet pœnitenti, scilicet quod displiceat sibi peccatum suum, & paratus sit cauere de peccato cum adiutorio Spiritus sancti, & quod paratus sit satisfacere pro modulo possibilitatis suæ, & proponat numquam peccatum iterare, ideo dicit Psalmista: (Psal. 15. a) Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Et hæc est consummatio verborum, per quæ semper conformari debemus cum Christo, & refici, vt cum Christo perueniamus ad æternam refectionem. Quam nobis, & vobis præstare dignetur Christus filius Dei, AMEN.

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Epistola continens, VIGINTI QVINQVE MEMORIALIA.

Hæc epistola quadam veluti regula, & institutio est omnium, qui veteri homine exuto, mori mūdo: & Christo viuere percupiunt. At, ne hoc ipsum desiderium, negligentiæ, & incuriæ nostræ tepiditate languescat, viginti quinque memorialia ob oculos ponit S. Bonauentura: vt in his quæ fugienda, quæue sequenda sint, omni intimo mentis affectu speculantes, tamdiu in eorundem exercitatione versemur, vt præstante Deo, virtutibus & gratijs crescamus, quousque perfectum veniat desiderium collium æternorum.

PROLOGVS.

IN CHRISTO suo dilecto. E. Bonauentura de balneo regio confrater eius in Domino. Qualicunque, homine veteri iam exuto, Christo viuere, & mori mundo. Quoniam dilecte mi frater in Domino adhuc me in præsentia tibi posito mihi instantissime supplicasti: (Rom. 12. d) vt te in posterum aliquibus litteris exhortationis visitarem; noui frater, quod hæc dicens, ardentes prunas congeris super caput meum. Verumtamen affectuose instando, duritiæ meæ superbiam supplici humilitate vicisti: intantum, vt ipse iam promitterem, quod optabas, quamuis magis dignum foret, hæc me à te quidem suscipere, quam me tibi huiusmodi destinare. Quia tamen instantia tuæ deuotionis me compellit stultum fieri in parte ista, sicut potero qualitercumque experiar, quod hortaris; non tamen tibi alia specialia scribens, nisi ea quæ rudia, & simplicia mihi ipsi colligere proponebam, ex quibus iam plurima bene nosti. Sed interim, alloquens dilectionem tuam charissime, cum nullus, sicut experientia certa docet, perfecte Deo seruire possit, nisi dissoluere omnino se procuret à mundo: oportet si sequi volumus Dominum Saluatorem, voci nos propheticæ obedire, (Isa. 58. b) vt scilicet peccatorum colligationibus dissolutis dissoluamus fasciculos deprimentes: quatenus à terrenis actibus dissoluti sequamur liberis gressib. Redemptorem, quia iuxta Apostoli testimonium: (2. Tim. 2. a) Nemo militās Deo debet se negotiis sæcularib. implicare. Numquam ergo de aliqua re creata, nisi inquantum nostrum excitet diuini amoris, & dilectionis affectum, cor nostrum esse solicitum permittamus: quia multiplex rerum labentiū varietas plus debito ruminata non solū animū distrahēdo, pacatæ mentis gratam interrumpit quietem: verum etiam in animo gignendo phantasias, turbulentę quassationis molestia importune impellit eandem. Sed potius affectionis omnium terrenorum sarcina onerosa deposita, absque retardationis grauedine curramus ad illum, qui nos salubriter inuitat: in quo est animarum opulenta refectio, & pax summa quæ exuperat omnem sensum. (Philip. 4. b) Venite ad me, inquit, omnes q laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. (Matt. 11. d) O domine quo indiges? quare vocas? quid tibi commune nobiscum? O vere pietatis vox. Venite ad me, inquit, & ego reficiam vos. O Dei nostri dignatio admirabilis. O charitas ineffabilis. Quis enim aliquando fecit talia? quis vmquam audiuit, quisue conspexit similia? Ecce inuitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. Venite, inquit, ad me omnes. Et discite à me. (Ibidem.) Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem anima-

em animabus vestris. O verba dulcia, verba deifica, & penetrabiliora omni gladio ancipiti, intima præcordiorum euiscerantia, nimiaque repleta dulcedine vsque ad diuisionem animæ pertingentia. Expergiscere nunc, ô anima Christiana, ad tantæ benignitatis amorem, dulcedinis tantæ saporem, & ad tantæ suauitatis odorem. Certe, qui ista non sentit, infirmus est, alienatus est, iam proximat morti. Inardesce, quæso, ô anima mea, pinguesce more, dulcesce sapore: nemo te prohibeat intrare, tenere, gustare. Quid amplius quærimus, quid vltra expectamus, quid desideramus in hac vita? Habemus in Christo omnia bona. Sed heu ô insania nostra mirabilis. O infirmitas miserabilis. O vesania detestabilis. Nam vocamur ad requiem: & sequimur laborem. Inuitamur ad solatium: & quærimus dolorem. Promittitur gaudium: & appetimus mœrorem. Mirabilis prorsus infirmitas, miseraque peruersitas. Iam omnes insensibiles facti sumus, & quasi deteriores simulacris, habentes oculos, & non videntes, aures, & non audientes, rationem & non discernentes, amarum dulce, & dulce amarum ponentes. O Deus vnde nobis tantæ peruersitatis correctio? vnde nobis tantæ offensionis satisfactio. Certe nihil tale inuenitur in nobis, nisi tuo munere tribuatur. Tu enim solus potes nos corrigere, tu solus pro nostris delictis satisfacere, qui solus nosti figmentum nostrum, salus & redemptio nostra, qui solum illis hæc facis, qui se miseros conspicientes in imis, à te solum releuari confidunt. Leuemus ergo ad Deum mentis nostræ oculos in directo, & videamus, vbi nunc prostrati sumus. Quoniam qui proprium suum casum ignorat, surgere minus curat. Cognoscentes vero clamemus in fortitudine ad Deum de profundis, vt nobis adiutricem porrigat misericordiæ suæ manum, quæ abbreuiari numquam poterit ad saluandū. Non quæso confidentiam amittamus, magnam remunerationem habentem. Adeamus thronum gratiæ eius cum fiducia, fructum nostræ fidei reportantes, salutem scilicet animarum nostrarum. Nulla nobis insit cunctatio. Iam enim vita nos vocat, salus expectat, tribulatio compellit intrare. Quid ergo facimus? quid pigritamus? quid moras contrahimus? Festinemus ingredi in illam requiem iucunditatis æternæ, vbi sunt magna & inscrutabilia: quorum non est numerus. Ascendat quæso Hierusalem cor nostrum: suspiremus ad patriam nostram: tendamus sursum ad matrem nostram. Introeam⁹ in potentiam Domini, & intueamur nostrum regem in ea regnantem, & liquescant in miserationibus eius corda nostra. Agamus illi gratias toto corde, qui defectum nostræ ingratitudinis non considerans, suæ non abstulit à nobis misericordiæ pietatem: desiderium nobis tribuens ipsius viam currere mandatorum, quam sine desiderio nullus currere potest. Quod quidem munus non est vilipendendum, sed gratię reputandum: cum hoc prophetarum ille eximius se asserat concupisse, qui ait: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Sed quia hoc ipsum desiderium aliquando nimia tepiditate nostræ incuriæ, & negligentiæ lassescit: cogitaui quædam incitationis huius memorialia annotare, in quibus fugienda pateant, & sequenda: quæ quidem cum affectu affectuose speculantes pristino vigore resumpto tam diu infatigabiliter virtutibus, & gratiis charitate diuina crescamus, quoadusque perfectum veniat desiderium collium æternorum. Ponantur autem memorialium prædictorum prius quædam generalia: post modum specialibus subsequentibus.

Heb.4.c *Psa.113.b* *Isa.5.c* *Isa.59.a* *Heb.4.d* *Ibidem c* *Psal.118.c*

Memoralia generalia.

SVnt ergo hæc quædam virtutes probatæ in iuuenib. & scalæ salutis: per quas sine dubio ad perfectionem virtutum, & culmen gloriæ possunt ascendere fideliter exercitati per eas, videlicet sancta verecundia in cunctis rebus, & actibus suis, tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentatio orationis, fugere otium, & dissolutiones, pure & frequenter confiteri, libenter seruire, & infructuosum consortium deuitare. Hæ namque sunt Margaritæ fulgentes, quæ possessorem suum Deo, & Angelis faciunt gratiosum. Dum autem ei placuerit, qui te segregauit ex vtero matris tuæ vocauitque per gratiam suam, vt in te reuelet imaginem filii sui, de miserabili seruitute Ægyptiaca transferens te in libertatem filiorum Dei, iamque in viam noui hominis incœperis pedem ponere, quæ inter timorem & amorem humilitatis est semita constituta: tunc per eandem humilitatis viam ad eminentiora conscendens, poteris te in altioribus exercere, ex quibus certa memorialia subscribuntur.

Gal.1.c

De concupiscentiis mortificandis.

Primum ergo oportet ante omnia te cupiente vestigia sequi Saluatoris, vt spem tuam totam fixam in Domino habeas, de omnibus huius mundi consolationibus penitus desperans.

De vitiis extirpandis.

Secundum est, vt ab omnibus vitiis, & concupiscentiis malis, inquantum sustinet humana conditio, teipsum studeas penitus emundare, vt fermento veteri totius malitiæ & nequitiæ expurgato, ambules in nouitate vitæ post Christum: quia nisi prius huiusmodi catenas iniquitatis confregeris, anima tua, in tenebris aggregata, ad cælestia non poterit eleuari.

1.Cor.5.b

De colligationibus resecandis.

Tertium est, vt à te ipso dissoluas omnem colligationem extrinsecam, vt sana, & pura mente possis Deo colligari.

De tribulationibus cum patientia tolerandis.

Quartum est, vt amore altissimi & sponsi tui Christi, omnes mundi huius persecutiones æquanimiter feras, immo si possibile est pro voto suscipiens, solum in Christi passionibus delecteris: renuensque omnem temporalem lætitiam, in ipsis tribulationibus hilarescas, omnes reputans tibi esse ad purgationem peccaminum, & lucrum animæ tuæ præparatas.

Vt de nulla re conqueraris.

Quintum, vt cum creatorem tuum & omnium, te sentias offendisse, rationem tibi fieri non poscas ab aliqua creatura.

De paupertate suipsius.

Sextum, vt habeas despectui temetipsum, cupiens ab omnibus despici, zelansque sacratissimam paupertatem, in omnibus quæ ad te spectant. Asperitatem, vtilitatem, & parcitatem habeas, quantum potes, non tamen in aliis requiras, sed potius lætus, & gaudens de omni consolatione fraterna, eis sicut oportet obsequendo, & ministrando assistas, omnis consolationis eos reputans esse dignos, nisi quod absit ita tibi in aliquo pateret diuina offensa, quod omni excusatione careret; de qua compatiendo, & timendo ex intimo corde doleas, quantum potes.

De honoribus fugiendis.

Septimum est, vt omni tempore in timore stans blanditias huius sæculi, honores, glorias, vel fauores, aurasque vanæ gloriæ quasi mortiferas pestes omnino fugias toto posse, stansque continuo in teipso, omni hora habeas te suspectum, quia si tuiipsius victoriam fueris assecutus, nullus hostis interius, vel exterius tibi nocebit.

De humilitate vera.

Octauum est, vt amore illius, qui cum sit Dominus omnium cælestium, terrestrium, & infernorum, pro nobis assumpsit vilissimam serui formam, in ea subiiciens se voluntarie hominum potestati, humiliando te ipsum, omnem hominem reputes tuum dominum, & te verissime reputes seruum omnium, & in omnibus circa hominem te reputes sicut seruum. Sic enim tranquillitatem & pacem cum omnibus perpetuam obtinens, scandalum penitus ignorabis.

De pace animæ, & quomodo habetur.

Nonum, vt nihil eorum tangas, quæ te spirituali vtilitate non tangunt, hoc est, de nulla re cures, vel implices te in aliquo exterius vel interius quoquo modo; vbi non inuenis animæ tuæ lucrum, nec in huiusmodi te ab aliquo implicari permittas.

De custodia sensuum.

Decimum, vt visui, atque omnibus sensibus corporis omnimodam custodiam ponas ita, vt nihil prorsus velis videre, vel audire, aut tangere, nisi vtilia animæ tuæ. Linguam etiam diligentissime restringas, vt nihil loquaris nisi interrogatus, vel necessitate vel vtilitate euidenti coactus, & tunc cum reuerentia animi timoris dulcedine breuiter & submisse si potes, semper deuitans prolixitatem verborum, eorum occasiones iuxta posse præscindens.

De solitudine & vigilijs.

Vndecimum, vt gratam sanctamque solitudinem desiderans, omni tempore operationem vigiliarum habeas pretiosam, in ipsis semper offerens Deo orationes tuas cum attentione verborum, deuotionis feruore, & humilitate profunda.

De Diuino officio.

Duodecimum, vt cum debes diuinum officium celebrare, ita factus in teipso quietus obliuiscaris omnium terrenorum, quatenus fixa mente cælestibus insistens mysteriis, cum tanta illud deuotione, reuerentia, gaudio, ac timore persoluas, quasi inter Angelorum agmina constitutus, diuino conspectui laudes præsentialiter offeras cum eisdem.

Quod super omnia habeas in deuotione Virginem gloriosam.

Tertiumdecimum, vt gloriosam Reginam Domini nostri matrem benedictam in summo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam necessitatibus, periculis, & pressuris, tamquam ad refugium tutissimum, te conuertas, ipsius tutelæ præsidium flagitando, eamque in tuam suscipiens aduocatam, deuotissime ac secure tuam ei causam committas, quia mater est misericordiæ, quotidie studens ei specialem & singularem reuerentiam exhibere. Et, vt tua deuotio sit ei accepta, & reuerentia grata, ipsius puritatem & munditiam omni virtute, mente, & corpore, illibate in te ipso seruando, toto conatu nitaris humilitate & mansuetudine eius vestigia imitari.

Quomodo fugienda sunt consortia mulierum.

Quartumdecimum, vt vbicumque mulieres, & virgines, & iuuenes quoscumque, præter necessitatis, vel manifestæ vtilitatis causam, deuites. Et vnum vbicumq; fueris elige tibi patrem, virum quidem sanctum, discretum, & pium, doctum potius experientia operis, quam sublimitate sermonis, qui te verbis, & exemplis efficacibus & probatis, ad diuinum amorem instruat & inflammet: ad quem in cunctis necessitatibus tuis possis habere recursum, & spirituale solamen.

De fuga acediæ & tristitiæ.

Quintumdecimum, vt omnem frigiditatem acediæ & tristitiæ, in qua latet via confusionis, quæ ducit ad mortem à te ipso summo studio depellens, interius exteriusque serenus semper & tranquillus existas. Nulli vllo modo contradicas, vel resistas in aliquo, sed potius omni modo, per omnia omnibus acquiescas, dummodo diuinæ laudi, vel saluti animæ non obsistat.

Quod de omnibus habeas bonum exemplum.

Sextumdecimum, vt omnes affectiones tuas ac voluntates, conformes diuinæ voluntati. Omnia te ædificent, neq; te deædificet aliquid in hoc mundo, puritatis & innocentiæ gratia diuini tibi muneris elargitæ. Nec aliorum plus debito defectibus perturbatus, iniquitati addendo iniquitatem, alienis sordibus polluaris; ne dum cupis alios de pelago liberare, deterius ipse corruas in profundum. Potius igitur, omnia quibus non potes sine detrimento prodesse, operiens charitate benigna, illi summæ sapientiæ derelinquas, quæ nouit bona de malis elicere quibuscumque, sicq; in bonis operibus pariter atque malis, spiritualem, Domino concedente, poteris reperire profectum.

De custodia cordis.

Decimumseptimum, vt cor tuum seruans omni custodia, solisque spiritualibus exercitiis deditum, nullæ ibi rerum visibilium imprimantur concupiscentiæ, vt creaturis omnibus alienum, libere possit vacare omnium creatori.

De charitate ad proximos.

Decimumoctauum, vt imaginem ac similitudinem maiestatis diuinæ considerans in cunctis hominibus ita omnes diligas intimæ charitatis affectu, omniumque & maxime infirmorum & quorumcumque indigentium curam geras, dummodo circa spiritualia tibi non fiat nociua distractio; sicut bona mater diligit, atque curat vnicum filium prædilectum.

De orationibus cum operibus sanctis.

Decimumnonum, vt continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis, quam corporis sit oratio, omniaque seruitia & maxime humiliora cum tanto facias charitatis feruore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes, & potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Euangelio: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Mat. 25. d*

De obedientia sancta.

Vigesimum, vt honorem & reuerentiam omnibus tam debitam quam deuotam sanctissimæ obedientiæ normam, non solum magnis, verum etiam minimis, quasi pupillam studeas semper seruare illæsam, obediens quidem non solum maioribus, vt prælatis, verumetiam minoribus omnibus te subiiciens quibuscumque, abnegando teipsum pro Christo. In bonis & indifferentibus semper alterius studeas facere voluntatem, in nullo præbens te alicui onerosum, sed potius in charitate Christi diligens vniuersos, teipsum communiter omnibus gratum reddens. Affabilitates, amicitias & familiaritates fugias singulares. Summopere caueas, ne vmquam verbo, vel facto vel gustu, alicuius rancoris, odii, clamoris, iniuriæ, turbationis, murmurationis, detractionis, scandali, & adulationis, & quorumcumque similium, aliqua ratione vel modo, per te vel alium, causa vel occasio fias.

Quod consulationes, & tribulationes occulte teneas.

Vigesimumprimum, vt virtutes vel gratias spirituales quas in te, vel per te, diuina misericordia operari dignatur tribulationes & prælia, virtutisque propositum, vel similia, ab omnibus abscondere studeas quantum potes: his tamen exceptis, quæ proprio sacerdoti in propria debent accusatione detegi, nisi forte alicui tuo speciali ac probato amico ea spiritualis vtilitatis gratia reuelares, cuius consilium vel doctrinam in huiusmodi credas tibi posse valere. Solicitus semper sis furari tempus vbique, vt possis solitæ orationi, & meditationi sanctæ vacare, vt sedendo solitarius eleuatus sis desiderio ad superna.

Quod Deum semper & vbique habeas in memoria.

Vigesimumsecundum, vt solutus ab omnibus creaturis, tanto mentis conatu desideriique feruore circa tuum creatorem intendas; vt quasi omnium inferiorum oblitus, quidquid agas, vbicumque steteris, & quibuscumque negotiis impliceris, die ac nocte & omni momento & hora, Deum semper habeas in memoria, credens & cogitans te esse verissime coram eo, & ipsum cogitans vndiq; te aspicere. Hæc autem cogita cũ magna reuerentia, ac timore pariter & amore, & cum magna discretione; nunc ante pedes immensæ maiestatis eius prostratus corde amarissimo, peccatorum veniã postulando; nunc sacratissimæ passionis filii Dei gladio compassionis corã eius cruce vulneratus cum eo, lacrymosus, & flebilis apparendo; nunc totius vitæ illius decursum, obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam præponendo; nunc inenarrabilia, & immensa Dei beneficia mẽte pertractans, gratiarum actionibus insistendo; nunc stimulis ipsius amoris ardentissime punctus, ipsum in creaturis omnibus intuendo: nunc potentiam, nunc sapientiam, nunc bonitatem & clementiam eius attendens, eum deuotissime

in cunctis operibus suis collaudando: nunc desiderio patriæ cęlestis attractus, ad ipsum gemebundis suspiriis anhelando: nunc circa nos viscera inæstimabilis charitatis eius aspiciens, lætabunda quadam excessiua admiratione, corde ac animo, in ipso deficiendo: nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem, nunc Deum te timentem, subleuantem, retinentem, & attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia concernentem considerans, ineffabilibus diuinæ misericordiæ visceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conferens, totum te fletibus resoluendo: nunc vero occultissima, profundissima, & summe arcana nimiumque stupenda iudicia iustitiæ eius diligenter attendens, eum in omnibus fidelis, & constans cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore, discretus, supplex, & humilis venerando, præ omnibus autem continuam & viuam memoriam ipsius sacratissimæ passionis in animo & corde tuo ferens.

De solicita custodia suipsius.

Vigesimum tertium, vt super custodia tua vigilans, omni tempore ab antiqui hostis fraudibus, qui sæpe se in Angelum lucis transfigurans, omni tempore, & in omni via homini laqueum tendit & retia, vt animas nostras valeat captiuare, solicitudine te cautissima tuearis, venantium laqueos fugiens sicut passer, tantæque puritatis humilitate sancta in oculis tuis fias, vt ne subtilissima eius retia te valeant continere, à quibus sane tunc poteris liberari illæsus, cum effectus fueris Israel, continue mentalibus oculis videns Deum: Quia non dormitabit, neque dormiet eius custos.

1. Cor. 11. d

Psa. 120. a

De pura confessione peccatorum.

Vigesimum quartum, vt tenens indefessum instituti sancti rigorem, sacris ardoribus cælestium desideriorum succensus, mentis & corporis munditiæ pulchritudinem, innocentiæ puritatem, conscientiæque teneritudinem conseruans, cura diligentissima caueas, ne vmquam tependo in aliquo resipiscas. Ad quod quidem diligentius & purius conseruandum, quotidiana discussione septies in die examines vitam tuam, semper ante vel immediate post quamlibet horam canonicam, considerans, & discutiens attentissime, qualiter de hora in horam ambulaueris digne coram Deo sine macula in iustitię semita. Et quia nemo est, qui sic disciplinam & iustitiam obseruet, vt nihil penitus negligat, vel omittat; ideo necessarium est, vt ad pœnitentiæ lauacrum recurrens cum dolore & gemitu sæpissime tuæ accusationi insistas. In qua quidem accusatione seu confessione, integre veraeiter, & pure, sine omni velamine excusationis, vel occultationis, seu palliationis, per ordinem omnes tuos retexendo defectus, sacerdoti proprio tamquam Deo debes intimare, narrando prius omissiones, quas in iis, quæ sunt ad Deum, fecisti, & maxime in oratione quantum ad duplicem eius partem, mentalem scilicet & vocalem: deinde defectus in obseruatione iustitiæ quoad proximum: post, commissiones, quas egisti ex mala custodia sensuum, & sensibus adiacentium affectionum & cogitationum. Hanc autem confessionem semper debet contritio & satisfactio comitari, vt doleas videlicet de omnibus offensis, non solum de magnis, sed etiam de modicis, & dolendo caueas iterare culpam. Semper studens causas, & occasiones peccati præscindere, quamtumcumque per amorem videantur tibi coniunctæ: quia tunc iuxta Saluatoris sententiam, eruendus est oculus scandalizans, id est occasiones peccati vitandæ, quæ quidem apparent nobis delectabiles nimium, etiam si multum nobis displiceant earum effectus. Vnde fortissimum est in hac pugna bellum. Et ideo oportet secundum Dei præceptum esse cæcum, surdum, & mutum, & insensibilem ad omnia, in quibus non inuenit anima lucrum. Vt autem diuinorum præceptorum, eiusque disciplinæ cælestis obseruantiam in supradictis & ceteris aliis solicitius intendas, ac feruentius accendaris, studeas hęc quinque semel ad minus inter diem & noctem, affectuose & morose omni tempore sincera mente tractare, quam scilicet sit breuis vita nostra, quam lubrica via, quam mors incerta, quæ præmia iustis, quæ supplicia parantur iniustis, vt non sit seruitium sine timore, nec gaudium sine tremore.

Mat. 9. f

Ad obseruantiam mandatorum Dei quinque frequenter sincera mente tractãda.

Qualis esse debemus in nostra reputatione, quamuis perfecti.

Vigesimumquintum & vltimum, vt cum diuina gratia largiente omnia bene feceris, te seruum inutilem & peccatorem recognoscens, omni beneficio Dei reputes te indignum, semper robustissimam fidem tenens, repletus charitate diuina, fiducia magna sperans, ab ipso misericordissimo Patre misericordiæ tibi viscera aperiri: vt dum in fossam profundæ humilitatis firmissima ieceris fidei fundamenta, erexerisq; lucidissimos parietes continuæ ac feruidæ charitatis, decoratos omnium virtutum picturis, tectumque desideratæ spei beatissimæ posueris gloriosum, tandem omnibus ordinatè dispositis; summus ille cælestis inhabitator dulcisque hospes fidelium animarum, cuius delitiæ sunt esse cum filiis hominum, tamdiu tecum dignetur inhabitare per gratiam in præsenti sæculo vel exilio, quousque post terminum vitæ huius, in cęlestis beatitudinis patria gloriosa stola perpetuæ immortalitatis indutus, claritatem vultus eius cum omnibus sanctis cernere merearis in iubilo, vbi erit summa fœlicitas, & æterna beatitudo, finis & complementum omnium desideriorum nostrorum.

Luc. 17. c

Prou. 8. d

Conclusio epistolæ huius.

Hoc verumtamen adhuc scias, charissime frater, indubitanter, quod nisi perfecte abnegaueris temetipsum, sequi non poteris vestigia Saluatoris: & sine solicitudine continua & labore, eius gratiam adipisci nequibis, & nisi assidue propulsaueris portas eius, ingredi non poteris ad pacem mentis, & nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum. Et si fideliter, & constanter te tenueris, & exercitatus fueris in prædictis, spero in misericordia Saluatoris, quod te gratia sua dignum faciet in præsenti, secumque potieris gloria in futuro. Quod ipse tibi concedat, qui est trinus & vnus in sæcula sæculorum benedictus, Amen. Hæc autem charissime non ideo tibi scripsi, quia te crederem talibus indigere, sed quia ante collegeram pro meipso, cernensque meæ inconstantiæ pronitatem, seu constantiæ paruitatem cogitaui, ea tibi tamquam coadiutori fideli communicare, vt quod mea pusillanimitate negligentiaque teporis omittitur; tua magnanimitate, feruorisq; solicitudine restauretur, maxime cum te concordem quasi omnibus votis meis, in huiusmodi simplicioribus plurimum delectari cognoscam. Quapropter charissime in Christo, hæc ea rogo charitate suscipias, qua illa tibi me scio affectione misisse, vt videlicet his omnibus supradictis, quorum quidem disciplina non videtur esse gaudii sed mœroris, ita per cælestium studiorũ exercitia studeas te mancipare, vt pacatissimum iustitiæ fructum afferant in futuro, & expectationis eius dulcis memoria, etiam in præsenti anima tua gustu deuotionis, adipe, & pinguedine repleatur in Christo Iesu Domino nostro, cui me aridum & verbosum potius, quam deuotum, deuotis tuis orationibus commendabis. Cui est honor, & gloria, decus, & imperium per infinita sæcula sæculorum, Amen.

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum ad Blancham Hispaniæ Reginam.

DE REGIMINE ANIMÆ.

Blanchæ, Hispaniæ Reginæ, hoc Opusculum de regimine

mine animæ Auctor inscribit: in quo documenta salutaria tradit, quibus ad vitam secundum Deum Reginam instruit. Fuit autem hæc Blancha S. Ludouici Francorum regis filia Fernando Alfonsi decimi cognomento sapientis, Hispaniæ regis primogenito filio in vxorem data. Sed Fernandus Princeps, procreatis ex ea Alfonso & Fernando, qui de la Cerda vocati sunt, superstite adhuc Alfonso Patre, antequam ad regni gubernacula manum admouisset apud Villam regiam cessit è vita. Testantur hæc Alfonsus à Carthagena in Anacephalæosi Regum Hispaniæ. c. 84. Michael Reticius de Regibus Hispaniæ lib. 3. Franciscus Tarafa de Regibus Hispaniæ in Alfonso X. Hoc tempore S. Bonauentura Lutetiæ floruit.

PRIMVM omnium necesse habes anima mea, altissime, piissime, sanctissime, de optimo Deo sentire, videlicet, certa fide credendo, attenta mente considerando, & perspicaci rationis intuitu cum admiratione perspiciendo. Altissime quidem de optimo Deo sentis, si cuncta de nihilo creantis & supportantis immensam potentiam, si cuncta gubernantis & ordinantis infinitam sapientiam, si denique cuncta iudicantis, & retribuentis indeterminatam iustitiam, fideli, pio, & perspicaci contuitu, & credis, & admiraris, & perspicis, & extra te exiens, & intra te ingrediens, & supra te transcendens, vt illud veraciter decantes: Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos, &c. *Psal. 96. c* Piissime de optimo Deo sentis, si eiusdem misericordiam admiraris, amplexaris, & benedicis, vt summe benignam, in nostræ humanitatis & mortalitatis assumptione, vt summe viscerosam, in crucis & mortis perpessione, & vt summe liberalem, in Spiritus sancti donatione, & sacramentorum institutione, cum seipsum communicet liberalissime in Sacramento altaris, quatenus illud Psalmi ex animo cantes: Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius, &c. *Ps. 144. b* Sanctissime de optimo Deo sentis, si eiusdem inexplicabilem sanctitatem aduertens, miraris, & laudas, atque illi cum sanctis Seraphim, Sanctus, sanctus, sanctus, proclamas. *Isa. 6. a* Sanctus primo hoc est in seipso sanctitatem, summe ac purissime habens, vt impossibile sit ipsum aliquid nisi sanctum velle, vel approbare. Sanctus secundo, hoc est sanctitatem ita perfecte in aliis diligens, vt impossibile sit ipsum vere sanctitatem seruantibus, aut gratiæ dona subtrahere, aut gloriæ præmia denegare. Sanctus & tertio, hoc est ita seuere oppositum sanctitatis abhorrens, vt impossibile sit ipsum peccata nisi abhorrere, aut reprobare, aut impunita relinquere. Quod si sic senseris, cum legislatore cantabis: Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus & rectus. *Deut. 32 a*

Post hoc oculos tuæ mentis ad Dei legem conuerte, quæ te iubet exhibere altissimo cor humile, piissimo cor deuotum, & sanctissimo cor illibatum. Cor, inquam, humile debes exhibere altissimo, per reuerentiam in animo, per obedientiam in facto, & per honorificentiam in verbo, & signo, quatenus secundum Apostolicam regulam & doctrinam, Omnia in gloriam Dei facias. *1. Cor. 10. g* Cor autem deuotum exhibere debes piissimo, per interpellationem feruentium precum, per degustationem spiritualium suauitatum, & per actionem multiplicium gratiarum, vt anima tua iugiter per desertum ascendat in Deum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, vt de sponsa in Canticis dicitur. *Can. 3. c* Cor vero illibatum exhibere debes sanctissimo sponso, vt nullus in te regnet, nec sensu, nec consensu, nec affectu corporeæ voluptatis applausus, nullus terrenæ malignitatis affectus quatenus omni exclusa macula peccati, possis cum Psalmista cantare: Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar. *Psal. 118. k* Attende ergo diligenter, & vide, si hæc omnia à iuuentute seruasti. quod si hæc in conscientia repereris, non tibi hoc attribuas, sed dono Dei, illique gratias agas, quod si te inuenis semel aut pluries in horum aliquo, vel pluribus, vel forte in omnibus, aut grauiter, aut leuiter deliquisse, siue per infirmitatem, siue per ignorantiam, siue ex certa scientia, inenarrabilibus gemitibus studeas reconciliari Deo. Et ad exhibendam emendam illi, spiritũ virtutis assume, vt possis cum pœnitente veraciter cantare ac psallere: Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. *Psal. 37. d*

Debet autem dolor animi duos habere comites, vt sit purgatiuus animæ, & placatiuus Dei, nimirum timorem diuini iudicii, & ardorem interni desiderii, vt recuperes timendo cor humile, desiderando cor deuotum, & dolendo cor illibatum. *Dolor animi qualis debeat esse.* Time igitur diuina iudicia, quæ sunt abyssus multa. *Psal. 35. a* Time, inquam, vehementer, ne forte quamquam sis aliqualiter pœnitens, adhuc tamen displiceas. Time vehementius, ne post hoc Deũ offendas. Time etiam vehementissime, ne finaliter à Deo discedas semper carens lumine, semper ardens igne, nunquam carens verme, nisi per veram pœnitentiam in gratia finali decedas, vt sic cum Propheta decantes: Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. *Psal. 118. p* Dole quoque & satage propter commissa peccata. Dole, inquam, vehementer, propter annihilationem omnis boni diuinitus tibi dati: vehementius, propter impugnationem Christi pro te nati, & pro te cruci affixi: vehementissime, propter vilipensionem Dei, cuius transgrediendo leges, tu inhonorasti maiestatem, denegasti veritatem, & offendisti bonitatem: totumque vniuersum debilitasti, deformasti, & deordinasti, dum diuinis aduersando statutis, imperiis, & iudiciis, omnibus tibi seruientibus propter Deum abusa es naturis, scripturis, iustitiis, misericordiis, donis gratuitis, & præmiis repromissis. Quibus diligenter consideratis luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, nec somnum oculis tuis. *Ier. 6. g Thren. 2. f* Desidera nihilominus diuina charismata diuini amoris in Deum conscendens, qui te peccantem, tam patienter sustinuit, longanimiter expectauit, & misericorditer ad pœnitentiam reduxit: tibi concedendo veniam, infundendo gratiam, & promittendo coronam. Dum tamen eidem impendas, vel potius ab ipso suscipias, eique rependas sacrificium contribulati spiritus, cordisque contriti & humiliati, per compunctionem amaram, confessionem veridicam, & per satisfactionem condignam. Desidera, inquam, vehementer diuinam complacentiam, per largam immissionem sancti Spiritus: vehementius diuinam conformitatem, per expressam imitationem Christi crucifixi: & vehementissime diuinam comprehensionem, per apertam visionem patris æterni, vt veraciter cum Propheta decantes: Sitiuit anima mea, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? *Psal. 41. a*

Porro, vt hunc spiritum vitæ, timoris, doloris, & ardoris acquiras intrinsecus, exerce te foris ad omnimodam modestiam, iustitiam, & pietatem, quatenus iuxta documentum Apostoli, abnegans impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuas in hoc sæculo. *Ad Titum 2. c* Exerce itaque temetipsam ad omnimodam modestiam, vt iuxta Apostoli doctrinam, modestia tua nota sit omnibus hominibus. *Phil. 4. a* Ad modestiam, inquam, parsimoniæ, in victu & vestitu, somno & vigilia, otio & labore, vt in nullo excedas. Ad modestiam disciplinæ, per moderamen silentij & loquelæ, per moderamen mœroris & gaudij, ac etiam per moderamen mansuetudinis & rigoris, iuxta quod opportunitas exigit, & recta ratio dictat. Ad modestiam honestatis, per gloriationem, ordinationem, compositionem, scilicet actuum, motuum, gestuum, vestimentorum, seu habituum, membrorum, & sensuum, iuxta quod moralis honestas, & regularis obseruantia id exposcit: vt merito sis ex illorum numero, quibus Apostolus dicit: Omnia honeste, & secundum ordinem fiant *1 Cor. 14. g*

in vobis.

in vobis. Exerce te quoque ad iustitiam, vt tibi illud propheticum possit veraciter aptari: Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, &c. Ad iustitiam, inquam, integram, per zelum diuini amoris, per obseruantiam diuinæ legis, & per desiderium fraternæ salutis. Ad iustitiam ordinatam, per obedientiam ad superiores, societatem ad pares, & per castigationem ad inferiores. Ad iustitiam perfectam, vt omni veritati consentias, omni bonitati faueas, & omni malitiæ aduerseris, tam mente, quam verbo, quam etiam opere, nihil agens alij, quod tibi nolis fieri, nihil negans alij, quod tibi velis impendi; quatenus illorum sis imitatrix perfecta, quibus dicitur: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Exerce te tandem ad pietatem, quia, vt dicit Apostolus: Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est pariter & futuræ. Ad pietatem, inquam, diuini cultus attente & deuote ac reuerenter, scilicet, horas persoluendo canonicas, ac quotidiana confitendo peccata & deplorando, sacratissimam pro tempore Eucharistiam sumendo, & quotidie Missam audiendo. Ad pietatem saluationis animarum, nunc adiuuando per orationum frequentiam, per sermonum informationem, & per exemplorum incitamenta, vt qui audit, dicat. Veni. Hoc tamen sic sapienter oportet fieri, vt salutis propriæ dispendium non incurras. Ad pietatem reuelationis corporalium necessitatum, in supportando patienter, consolando amicabiliter, & subministrando humiliter, hilariter, & misericorditer; vt sic diuinam impleas legem; cum dicat Apostolus: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Ad quæ omnia prosequenda, super omnia credo valere memoriam Crucifixi, vt dilectus tuus tamquam fasciculus myrrhæ, inter mentis tuæ vbera iugiter commoretur. Quod ipse præstare dignetur, qui est benedictus in sæcula. Amen.

(Psal. 44. a; Matt. 5. c; 1 Tim. 4. c; Gal. 6. a; Cant. 1. c)

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum quod inscribitur, Formula aurea

DE GRADIBVS VIRTVTVM.

In hoc Opusculo, vt titulus præferre videtur, S. Bonauentura, veluti per scalæ gradus, ascensum aperit ad montem omnium virtutum. Deinde eundem conscendere monet, & hortatur. Ac denique modum præscribit, quo is ascensus facilior nobis sit, vt cuique attente & deuote legenti omnino patebit.

ACcedite ad Dominum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur, dicebat Dauid. Ius hominis est ad Deum accedere. Ius Dei accedentem ad ipsum illuminare. Ad Deum spiritualiter accedit, qui affectiones suas ad Deum dirigit, qui sperat Dei laudem, qui timet Dei contumeliam, qui lætatur de omnibus, quæ Deo placent, qui tristatur de omnibus, quę Deo displicent, qui diligit virtutes & opera virtutum, qui odit vitia & opera vitiorum, qui erubescit iniqua, & opera iniquitatum, & occasiones iniquitatum. Deus lux vera illuminat accedentem, ad cognoscendum virtutes, & gradus virtutum, quæ sunt certissima via ad regnum cœlorum. Si aliquis calumniatur gradus, qui ponuntur, & scit meliores gradus ponere, quam hic ponuntur, non est contra me, nec propter hoc volo litē subire. Et sciendum quod gradus in plerisque ordinantur, secundum raritatem, vel secundum perfectionem, tamen diuersis respectibus se excedunt.

(Psal. 33. a; Quid sit ad Deum accedere, & ab eo illuminari.)

CAPVT I.

Gradus charitatis.

PRIMVM autem notandum est de gradibus charitatis. Nam dicit sponsa in Canticis: Ordinauit in me charitatem. Infimus gradus charitatis est, diligere amicum à quo homo diligitur, honoratur, fouetur, & in omnibus adiuuatur, qui hoc non curat facere, contra naturam nititur laborare. Diligere enim amantem, naturæ est, vt dicit Chrysostomus. Altior gradus, diligere inimicum ex corde propter Deum, qui eum ad imaginē suam creauit, & corpore suo refecit, & sanguine suo redemit; quia diligere non amantem gratiæ est, vt dicit Chrysostomus: qui hoc facere non curat, filius Dei esse recusat, qui facit solem suum oriri super bonos & malos. Altissimus gradus charitatis est, inimicos beneficiis ad amorem trahere. Vnde super illud, Vt sitis filij Patris vestri, dicit Glossa: Cumulus perfectionis est inimicos diligere, & pro ipsis diligēter orare, sicut fecit Christus, & alia Glossa super illud: Benefacite, &c. dicit: Non tantum ad amicos, sed etiam ad inimicos extendite opera charitatis, vt amici esse incipiant. In primo gradu stant ethnici & publicani, qui diligunt eos, qui se diligunt. In secundo stant perfecti Christiani, qui maledicentibus benedicunt. In tertio stant perfectissimi religiosi, immo Christus, qui Iudam ad amorem suum traxit, benignissime osculando, pedes lauando, sua carne cibando, & in cruce pro persecutoribus orando.

(Cant. 2. a; Graduum charitatis ordo. I.; Matt. 5. g; Ibidem.)

Item altus gradus charitatis est, cum aliquis vtilitatem amici sui cum proprio lucro quærit. Altior, cum aliquis commodum amici sui, cum damno rerum suarum quærit. Altissimus, cum aliquis bonum amici sui, cum propria morte quærit. Vnde dicitur, Maiorem charitatem. &c. Ergo maximam charitatem habet, qui animam suā pro amicis ponit. In illo gradu stetit Christus, quando pauper factus est, cum esset diues, vt nos inopia sua diuites essemus, vt dicit Apostolus: Cum per suā contumeliam nobis obtinuit æternam gloriam. Cum per sua vulnera nobis exhibuit medicinam. Cum per suam mortem turpissimam nobis comparauit vitam æternam.

(II.; Ioan. 15. b; 2. Cor. 8. b)

Item altus gradus charitatis est, cum quis diligit auferentem sibi res temporales. Altior, cum diligit auferentem sibi honorem. Adhuc altior, cum diligit auferentem sibi corpus, vel membra corporis. Altissimus, cum diligit auferentem sibi virtutes & dona spiritualia, siue ipsum Deum, ad peccatum quacumque occasione inducendo, vel à virtuosis operibus retrahendo.

(III.)

CAPVT II.

Gradus obedientiæ.

OBEDIENTIÆ altus gradus est obedire Creatori, Redemptori, remuneratori nostro, qui vult commune bonum nostrum in præsenti & in futuro, cui obediendum est merito in omnibus præceptis & prohibitionibus: quia nihil præcipit, nisi ducat nos ad summum bonum: & nihil prohibet, nisi abducat nos à summo bono. Altior videtur gradus obedientiæ quodammodo esse, cum obedimus homini in persona Dei, quasi obediremus ipsi Deo: quia Deo tenemur obedire propter prædicta, sed non homini tenemur, nisi propter Deum. Cum obedimus, inquam, homini perfecto & discreto, qui omnia cum discretione & deliberatione imperat. Altissimus autem videtur gradus obedientiæ, cum obedimus homini indiscreto, & discolo, & despecto, in persona Dei, qui multa imperat cum impetu, & sine discretione & deliberatione. Vnde Petrus: Serui obedite Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia apud Deū, quasi dicat, non est meritum magnum bonis & modestis obedire, tamen caute videatur, ne obediatur contra salutem.

(Graduum obedietiæ ordo. I.; 1. Pet. 2. c)

Itē aliqualis gradus est obedietiæ in eo, q homini suaue

(II.)

est, & leue. Altior est obedire in eo, quod graue est, & ad breue tempus. Altissimus obedire in eo, quod graue est ad longum tempus, vel vsque ad mortem. In hoc gradu stetit Christus, cum obediuit Patri suo vsq; ad mortem, à principio vitæ, turpissima sustinendo.

III. Item aliqualis est gradus obedientiæ, obedire propter timorem pœnæ inferendæ propter inobedientiam, sicut sæpe contingit. Alter est obedire propter spem gratiæ in præsenti, & propter amorem gloriæ in futuro, quod etiam sæpe contingit. Altissimus est obedire propter neutrum horum, sed pure propter Deum, quia Deus Dominus noster est, & nos serui eius.

IV. Item altus gradus est obedientiæ, implere verbũ prælati, propter Deum. Altior implere nutum. Altissimus implere voluntatẽ, sicut dixit Christus: Non veni facere voluntatem, &c. Et iterum: Si fieri potest, transeat, &c. *Ioan. 6. d. Marc. 4. d*

V. Item aliqualis gradus est, cum mandatum differtur, & tamen impletur. Altior cum statim perficitur, sed tamen cum murmure & inuoluntarie. Altissimus cum statim perficitur, sponte, & cum magno desiderio.

CAPVT III.

Gradus humilitatis.

Graduum humilitatis ordo. I. *Matt. 3. d*

HVMILITATIS altus gradus est, cum aliquis sponte subiicit se maiori, hæc est debita. Altior cum subiicit se pari, hæc abundans est. Altissimus cum subiicit se minori, hæc superabundans est. In hoc vltimo gradu fuit Christus, cũ veniens ad Iordanem subiecit se Ioanni, dicens: Sine modo, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam, id est, humilitatem superabundantem, vt dicit Glossa.

II. Item altus gradus est, cum aliquis habet humilitatem in verbis. Altior cum in factis. Altissimus cum habet humilitatem in corde. Ibi enim est virtus, sed non in verbis vel factis. Quandoquidem enim est, qui se nequiter humiliat, verbis, vel factis, vel gestibus, vel vestitu, vel incessu. Christus vero fuit humilis in corde, cum diceret: Discite à me, &c. Humilis in verbis, cum diceret: Ego sum vermis, & non homo. Et mea doctrina non est mea, &c. Et, Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor. Humilis in factis, cum se inclinauit ante pedes Apostolorum in lotura. *Matt. 11. d. Psal. 21. b. Ioan. 7. d. Idem 14. b.*

III. Item altus gradus humilitatis est, humiliare se propter magnitudinem & multitudinem defectuum, iuxta illud prophetæ: Humiliatio tua in medio tui, id est, materia humiliationis, sit in corde tuo, scilicet defectus tui. Altior est humiliare se, propter abundantiam virtutum, & donorum spiritualium, sicut arbor nobilis inclinatur ex abundantia fructuum. Vnde dicitur: Quanto maior es, humilia te in omnibus. Altissimus, propter imitationem exempli humilitatis Christi. *Michea 6. d. Eccli. 3. c. Ioan. 13.*

IV. Item altus gradus est humiliare se de omnibus malis commissis. Altior de omnibus bonis omissis. Adhuc altior de omnibus deturpatis. Altissimus de omnibus bonis in vacuum perceptis. Iste ordo sumitur ex raritate. Quanto enim gradus est rarior, tanto videtur altior. In nullo istorum fuit Christus, quia nihil mali commisit, & nihil boni obmisit, & nihil boni deturpauit, nihil boni in vacuum recepit.

V. Item altus gradus est, tam vilem se reputare, sicut vere est in oculis Dei. Altior, sicut vilis esse potuit coram Deo, si Dominus nõ cauisset. Altissimus, sicut vilis adhuc fieri posset, si Dominus à tentationibus non custodierit.

CAPVT IV.

Gradus castitatis.

Graduum castitatis ordo. I. *Damasc.*

CASTITATIS altus gradus est castitas coniugalis. Altior vidualis. Altissimus virginalis. Hoc patet per fructus, qui eis debentur, scilicet tricesimus, sexagesimus, centesimus. In hoc vltimo gradu fuit Christus, & beata Virgo mater eius. Damascenus etiam dicit: A nuptiis abstinentia, est Angelorum imitatio.

II. Item altus gradus est, detestari gestus & tactus impudicos. Altior detestari verba impudica. Adhuc altior detestari voluntatem, vel concupiscentiam impudicam, sicut Sara dixit: Numquam concupiui virum, &c. Altissimus, detestari cogitationem impudicam, sicut dicit Iob: Pepigi fœdus cum oculis, &c. Item multum quandoque periclitatur castitas ex auditu impudico. Magis quandoque ex visu, vt in Dauid, & in senibus in Daniele. Sed maxime quandoque ex tactu impudico. Item maxime adiuuatur castitas, si homo vitat locum suspectum. Magis si vitat homines suspectos. Multo amplius si vitat familiaritates suspectas, & ea quæ prouocant familiaritates suspectas, vt sunt dulces litteræ, dulces salutationes, dulces respectus, dulcia verba, & blanda, & crebra munuscula, de quibus Hieronymus dicit: Crebra munuscula, & dulces litteras, & sudariola, & cibos prægustatos, sanctus amor non habet. *Tob. 3. c. Iob 31. a. 2 Reg. 11. a. Dan. 13. a. Hieron. ep. 2. ad Nepotian. ante med.*

III. Item altus gradus castitatis est, esse castum per munditiam carnis. Altior per munditiam mentis, quia per impudicitiam maculatur corpus & anima, vt dicit Apostolus: Quodcumque peccatum fecerit homo, &c. Altissimus per imitationem exempli castitatis Christi. *1. Cor. 6. d*

CAPVT V.

Gradus patientiæ.

Graduum patientiæ ordo. I. *Iob 1. 2 Reg. 16. b*

PATIENTIÆ altus gradus est, patienter sustinere amissionem rerum, vt Iob. Altior, patienter sufferre amissionem honoris, vt Dauid, cum improperia Semei sustinuit. Altissimus est, patienter sufferre mutilationem membrorum, vel ablationem vitæ corporalis. In hoc gradu fuit Christus, cum sponte pro nobis animam suam posuit.

II. Item altus gradus est patientiæ, tolerare afflictionem, quam homo pro peccatis meruit. Vnde Petrus: Si peccantes & colaphizati suffertis, &c. Altior, patienter sufferre afflictionem, quam innocenter sustinet pro iustitia. Vnde, si quid patimini propter iustitiam, beati. Altissimus est, feruenter appetere afflictionem. In hoc gradu fuit Christus, cum dicebat: Improperiũ expectauit, &c. *1. Pet. 2. d. Matt. 5. a. Psal. 68.*

III. Item altus gradus patientiæ est, non vindicare iniuriam facto. Altior non vindicare verbo. Altissimus est non habere vindictam in desiderio.

IV. Item altam habet patientiam, qui non indicat impatientiam in verbo. Altior, qui non indicat vultu. Altissimam, qui non portat impatientiam in corde suo.

V. Item altum gradum patientiæ habet, qui non vindicat iniuriam suam, cum vindicare potest, licet non sine damno. Altiorem, qui non vindicat, cum vindicare potest sine damno. Altissimus est, cum gratias agit pro afflictione, vt Tobias, cum dixit: Gratias ago tibi Domine, quia castigasti & sanasti me. *Tob. 11. c*

VI. Item altus gradus patientiæ est, cum aliquis patienter sustinet aduersitates, vt à peccatis suis purgetur, iuxta illud: In fornace probatur argentum. Altior, vt in cœlo gloriose remuneretur, iuxta illud Matthæi: Beati eritis cum vos oderint homines, &c. Altissimus, vt Christo vicem rependat, iuxta illud Hieronymi: Fœlix est anima, quæ pro Christi nomine tanta voluerit sustinere, quanta ille pro nobis passus est. *Prou. 27. c. Matt. 5. a*

VII. Item altus gradus patientiæ est, de iniuria numquam querimoniam facere. Altior numquam iniuriam propriam excusare. Altissimus est, iniuriam propriam, numquam alicui ad vindicandum significare.

CAPVT VI.

Gradus misericordiæ.

Graduum misericordiæ ordo. I. *Luc. 6. e. Iob 31. b. Idem 29. c.*

MISERICORDIÆ altus gradus est misereri proximi, iuxta illud: Estote misericordes. Et Iob: Si negaui quod volebant pauperes, &c. Et iterum: Oculus fui cæco, & pes claudo. Altior misereri sui, secundum illud:

illud: Miserere animæ tuæ placens Deo. Altissimus misereri Dei, sicut ipse petit in Iob: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, &c.

Eccl. 30. d
Iob 19. c

II. Item altus gradus est, misereri consanguineis afflictis. Altior gradus, misereri extraneis afflictis. Altissimus, misereri inimicis afflictis. In hoc vltimo gradu fuit Christus, cum dixit: Misereor super turbam. Et iterum: Pater ignosce illis, &c.

Mat. 8. a
Luc. 23. e

III. Item altus gradus est misereri viuis in afflictione corporis. Altior, misereri viuis in afflictione spiritus. Altissimus, misereri mortuis in purgatorio.

IV. Item altus gradus est, misereri sanis in necessitate. Altior, misereri infirmis non decumbentibus in necessitate. Altissimus misereri infirmis decumbentibus in necessitate.

V. Item altus gradus misericordiæ consistit in dando temporalia, sicut fecit Abraham, qui nulli negauit hospitium. Altior in condonando iniurias, sicut fecit Dauid Sauli, & Semei. Altissimus pro iniuriantibus supplicando fideliter, sicut Christus & beatus Stephanus.

Gen. 18.
1. Reg. 24 a. & 26. c
2. Reg. 16. b
Luc. 23. e
Act. 7. g

VI. Item in alto gradu misericordiæ consistit, quem ad miserendum inducit natura suadendo. In altiori, quem inducit homo præcipiendo, vel admonendo. In altissimo, quem inducit Deus inspirando.

CAPVT VII.

Gradus veritatis.

Graduum veritatis obseruandæ ordo. I.

VERITATIS altus gradus est libenter cogitare veritatem, & libenter cogitare de veritate. Altior est libenter loqui veritatem, & libenter loqui de veritate. Altissimus est libenter viuere secundum veritatem, & alios ad hoc inducere.

II. Item altus gradus est cognoscere veritatem. Altior amare veritatem. Altissimus seipsum, & alios iudicare secundum veritatem. In omnibus istis gradibus fuit Christus.

III. Item altus gradus est libere, & absque adulatione, & sine pallio pronunciare veritatem, quando libere pronunciare oportet. Altior libere defendere veritatē, quando defendere conuenit. Sed qui hoc faciunt sæpe amaritudinibus replentur, quia veritas res amara est. Dicit sanctus Bernardus: Melius est tamen pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione pati beneficium. Altissimus est libere defendere veritatem coram inimicis.

IV. Item altus gradus est propter veritatem res temporales in periculo ponere. Altior honorem imponere. Altissimus corpus in periculo ponere. Et hoc merito faciendum est, quia Christus veritas est.

CAPVT VIII.

Gradus paupertatis.

Graduum paupertatis perfectæ ordo. I.

PAVPERTATIS, quæ est vna de octo beatitudinibus, altus gradus est, relinquere res temporales. Altior relinquere amicos sæculares, & spirituales. Altissimus relinquere seipsum, id est singularem sensum, amorem priuatum, propriam voluntatem. In omnibus istis gradibus fuit Christus, qui reliquit seipsum, sua, suos.

II. Item altus gradus est pro transitorijs non laborare, nec solicitari. Altior transitoria non appetere. Altissimus oblata respuere. In secundo fuit Apostolus cum dixit: Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui. In vltimo fuit Daniel Propheta, qui contempsit munera Balthasar, quia scriptura reprehendit munuscula dare, & accipere.

Act. 20. e
Dan. 5.
Exo. 23. b
Deut. 16. d
Eccli. 20. d

III. Item altus gradus est nolle habere certum hospitium, sicut Christo non fuit locus in diuersorio. Altior non habere certum victum & vestitum tempore sanitatis. Altissimus nolle habere certum victum & vestitum tempore infirmitatis. In hoc vltimo gradu fuit Christus, cum non habuit vbi caput suum reclinaret, nec haustum aquæ, nec vestem, sed nudus ante crucem stetit.

Luc. 2. a

IV. Item in alto gradu paupertatis est, qui propter hoc eligit paupertatē, vt a transitorijs solicitudinibus eruatur. In altiori est, qui propter hoc eligit paupertatem, vt in virtutibus & donis spiritualibus dotetur. In altissimo, qui propter hoc eligit paupertatem, vt in sessione sua apud Christum in iudicio, Deus glorificetur.

V. In alto gradu est, qui nihil habet proprium, in speciali, sicut multi religiosi. In altiori, qui nihil habet proprium in communi ad annum, vel ad longum tempus, sicut pauci religiosi. In altissimo est, qui nihil habet proprium in communi, nec ad septimanam, vel ad diem, vt Fratres minores.

CAPVT IX.

Gradus prudentiæ.

Graduum veræ, & Christianæ ordo. I.

PRVDENTIAE altus gradus est, cognoscere Deum per creaturas, sicut dicit Apostolus: Inuisibilia Dei, &c. Altior per scripturas. Altissimus per fidem.

Rom. 1. c

II. Item altus gradus est prudentiæ, ordinare mores exteriores secundum voluntatem Dei. Altior ordinare affectiones interiores. Altissimus, ordinare vires animæ secundum placitum Dei.

III. Item altus gradus est, ordinare vitam interius & exterius secundum exempla sanctorū. Altior secundum exempla Christi. Altissimus secundum mores Christi.

IV. Item in alto gradu est, qui considerat amaritudinem animę, cum separatur a corpore. In altiori, qui considerat amaritudinem animæ cum separatur a familiaritate Dei ad breue tempus. Vnde Bernardus: Quæ anima semel accepit, &c. In altissimo, qui considerat amaritudinem animæ, cum æternaliter separatur a fruitione Dei.

V. Item in alto gradu est, qui considerat iucunditatem animæ, cum vnitur Deo ad longum tempus. In altissimo est, qui considerat iucunditatem animæ cum vnitur Deo æternaliter.

VI. Item in alto gradu est, qui considerat, quo modo dat se Deus in bonis spiritualibus. In altissimo est, qui considerat, quomodo dat se Deus totum in omni, quod est ipse in diuina, & humana natura.

CAPVT X.

Gradus fortitudinis.

Graduum veræ atque Christianæ fortitudinis ordo. I.

FORTITVDINIS est altus gradus vincere mundum & delitias eius contemnendo, sicut dicit Apostolus: Omnia inquit arbitratus sum vt stercora &c. Altior est vincere carnem, & concupiscentias eius restringere, vt Apostolus: Castigo inquit, corpus meum. Altissimus, vincere seipsum simpliciter & sponte vsque ad mortem obediendo, sicut in omnibus istis fuit Christus.

1. Cor. 9. d

II. Item altus gradus est, fortiter resistere peccatis corporalibus, vt sunt luxuria, gula, &c. Altior, resistere peccatis spiritualibus, vt sunt placentia propria, displicentia aliena, hypocrysis, personarum acceptio, ingratitudo. Altissimus est, resistere occasionibus, tam corporalium, quam spiritualium peccatorum, vt munuscula, & familiaritates, verba blanda, &c.

III. Item altus gradus est, non consentire peccatis operationis. Altior, non consentire peccatis locutionis. Altissimus, non consentire peccatis cogitationis. In his omnibus fuit CHRISTVS.

IV. Item altus gradus est, fortiter laborare in hoc mundo pro sancta vita, quæ consistit in bona conscientia, & in bonis operibus & moribus. Altior, laborare pro societate angelica. Altissimus, laborare pro vnione Dei in vita æterna.

CAPVT XI.

Gradus iustitiæ.

Graduum Christianæ iustitiæ ordo. I.

IVSTITIÆ altus gradus est, reddere proximo ius suū, scilicet congratulationem in prosperitate, & compassionem in aduersitate, iuxta illud: Gaudere cum

Rom. 12. c
Michea 4. c

gaudentibus, &c. Et altior, reddere sibimet ius suum, scilicet dolorem de malis commissis, iuxta illud propheticum: Dole quasi parturiens, & cautelam contra mala committenda, iuxta illud: Non solum à malo, sed ab omni specie mala abstinere vos. Altissimus, reddere Deo ius suum, scilicet timorem, quia Dominus iustus est: & amorem, quia Pater bonus est. Vnde Dominus dicit: Si ego Dominus, vbi timor meus? si Pater, vbi amor meus?

Micheæ 4. c | 1. Thes. 5. | Malach. 1.

II. Item altus gradus est, reddere vnicuique bonum pro bono. Altior, reddere bonum pro malo. Altissimus, reddere optimum pro pessimo. Hoc fecit Christus, quando dedit corpus suum sanctissimum Iudæ pessimo traditori.

III. Item altus gradus est, iustificare omnes operationes, vt Deo placeant. Altior, iustificare omnes locutiones. Altissimus, iustificare omnes voluntates. In istis gradibus fuit Christus, cũ dicit: Quæ placita sunt ei, facio semper.

Ioan. 8. 13. b

IV. Item altus gradus est, discere iudicare omnia opera sua, qua intentione, & ad quem finem fiant. Altior, iudicare verba, vtrum sint vtilia vel nociua. Altissimus, iudicare conscientiã, vtrum recta vel erronea sit, & omnes affectiones, vtrum ordinatæ vel inordinatæ sint.

V. Item altus gradus est, exhibere naturalem iustitiam omnibus viuis, scilicet quod oderis tibi fieri; & quæcumque vultis, vt faciant vobis homines. Altior, exhibere iustitiam omnibus mortuis consanguineis in eleemosynis, orationibus, & maxime in testamentis eorum distribuendis, secundum ordinationem ipsorum, & in omnibus, quæ ipsis fideliter commiserunt. Altissimus, iustitiam exhibere mortuis extraneis, sicut eis commiserunt, & confidunt.

Matt. 7. b

CAPVT XII.

Gradus temperantiæ.

Graduum Christianæ temperantiæ ordo. I.

TEMPERANTIÆ altus gradus est, moderare se in omnibus exterioribus, scilicet in victu, habitu, somno, in incessu, verbis, factis, & moribus, vt omnia ordinate & modeste fiant secundum Deum. Altior est, temperare se in motibus & affectionibus interioribus, ne nimis circa transitoria occupetur. Altissimus, temperare cogitationes, ne nimis extra Deum euagentur.

II. Item altus gradus est, restringere se ab illicitis interioribus & exterioribus. Altior, refrenare se à licitis exterioribus & interioribus ad tempus. Altissimus est, abstrahere à licitis exterioribus & interioribus vsque ad mortem, iuxta illud: *Virtus est licitis abstinuisse bonis.* Ille enim solus ad illicita non cadit, qui se caute restringit à licitis, dicit glossa super Iob. Qui enim non vult detrahere & mentiri, & similia, restringat se à licitis verbis, quia auctore Salomone, In multiloquio peccatum non deerit.

Gloss. in 1. c. Iob. ex Gregor. lib. 1. Mor. c. 8. ante med. Prou. 10. c

III. Item aliqualis altus gradus est, moderate loqui de defectibus hominum in præsentia eorum. Altior, temperate loqui de defectibus viuorum & mortuorum in absentia ipsorum, sed tamquam præsentes essent. Altissimus, excessus tam viuorum quam mortuorum absentium excusare fideliter, quia locum excusationis non habent.

IV. Item Chrysostomus ponit gradus de temperantia cibi & potus, dicens: Nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio, ecce altus gradus. Nihil sic sanitatem seruat, ecce altior. Nihil sic acumen sensuum operatur, ecce altissimus.

CAPVT XIII.

Gradus pacis.

Graduum Christianæ pacis ordo. I.

PACIS altus gradus est, cum caro subiicitur spiritui, siue rationi, difficilem se reddens ad omnia mala perpetranda. Altior, cum subiicitur caro spiritui, promptam se exhibens ad omnia bona facieda. Altissimus est, cum spiritus subiicitur Deo, omnem ordinationem tam in exterioribus, quam in interioribus animæ viribus penitus obseruando. Iste vltimus gradus seruatur in cœlo.

II. Item altus gradus est, inferioribus parcere, si in aliquo excesserunt, eosque benigne consolari, si in aliquam afflictionem inciderint. Altior est, cum paribus benigne conuersari, ita quod faciat eis bonum, quod sibi iuste vult fieri, nec inferat malum aliquod, quod sibi iuste non vult fieri. Altissimus, voluntatem suam voluntati superiorum in omnibus conformare.

III. Item altus gradus, nullum turbare factis. Altior est, nullum turbare verbis, vel facie, vel in verbis post tergum. Altissimus est, nullam dare occasionem iustam alicuius turbationis, signo, nutu. In omnibus istis gradibus fuit CHRISTVS, secundum illud: Non veni facere voluntatem meam, &c.

Ioan. 6. d

IV. In altum gradum pacis ascendit, qui mala proximorum non publicat. In altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec inuertit, sed extollit. In altissimum ascendit, qui defectibus eorum compatitur, & profectibus eorum ex corde congratulatur. In isto gradu fuit CHRISTVS.

CAPVT XIV.

Gradus constantiæ.

Graduum Christianæ constantiæ ordo. I.

CONSTANTIÆ altus gradus est, cum homo tantum vnitur Deo, quod non potest induci ad aliquod malum, quod Deo displicet, nec abduci ab aliquo bono, quod Deo placet, per amissionem rerum temporalium, sicut Tobias & Matthathias. Altior, cum homo non potest cogi per mutilationem membrorum, sicut illi septem, de quibus legitur in libro Machabæorum. Altissimus, cum non potest cogi per ablationem vitæ temporalis, sicut Paulus, cum dixit: Non solum alligari, sed etiam mori paratus sum, propter nomen Domini Iesu Christi.

2. Mac. 7. | Act. 21. c

II. Item in altum constantiæ gradum ascendit, qui non recedit à Deo in prosperitate, sicut Dauid. In altiorem ascendit, qui non recedit à Deo in aduersitate illata ab inimicis, vt Stephanus. In altissimum, qui non recedit à Deo in aduersitate illata ab amicis, vt Iob, qui dixit amicis: Iustificationem, quam tenere cœpi, non deseram.

Iob 27. b

III. Item in alto gradu constantiæ est, qui non consentit tentationibus peccatorum carnalium, sed tamen suffert. In altiori est, qui nõ consentit tentationibus peccatorum spiritualium, sed tamen suffert. Vnde Iacobus dicit: Beatus vir, qui suffert tentationem, &c. In altissimo est, qui extirpat à se etiam occasiones tentationum carnalium & spiritualium peccatorum. In isto gradu fuit Christus.

Iaco. 1. b

IV. Item in altum ascendit, qui nõ mouetur à sancta conuersatione, vel à bono opere, vel proposito bono, irrisione, vel vituperatione, vt Dauid, cui Michol irrisit, & contempsit, & improperauit, quod saltasset, sicut scurra nudus coram ancillis. In altiorem, qui non mouetur adulatione, vel laude histrionum, & malorum hominum. In altissimum ascendit, qui non mouetur adulatione, vel laude bonorum hominum.

2. Reg. 6.

CAPVT XV.

Gradus largitatis.

Graduum Christianæ largitatis seu liberalitatis ordo. I.

LARGITATIS altus gradus est, hilariter dare temporalia, sicut fecit Abraham, qui nulli negauit hospitium. Altior est, hilariter dare spiritualia, sicut Apostolus fecit, dicens: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Item: Si vobis spiritualia seminamus, &c. Altissimus est, sponte & hilariter dare corpus suum, sicut fecit Christus, qui dicit per Prophetam: Corp⁹ meũ dedi percutientibus; & cum dixit: Comedite ex hoc omnes, hoc est, &c.

Rom. 1. b | 1. Cor. 9. b | Isa. 50. c | Mat. 26. c

II. Item in altum gradum largitatis ascendit, qui dat quidquid ab eo petitur, sicut Herodes fecit, qui filiæ dixit: Quidquid petieris, dabo tibi. In altiorem ascendit, qui dat plus, quam petatur ab eo, sicut fecit Naaman

Mar. 6. c

Giezi

Giezi seruo Elisæi, petenti vnum talentum, dixit: Melius est, vt duo accipias. In altissimum ascendit, qui attigit non petentes, vt petant, sicut Christus. Vsque modo non petistis quidquam.

Item in alto gradu stat, qui dat aliquid habens spem recuperandi, vel recompensationis, sicut fere faciunt omnes homines, iuxta illud Isaiæ: Omnes diligunt munera, &c. In altiori stat, qui dat aliquid sine spe recompensationis, sicut Apostolus dedit spiritualia, dicens: Non quæro vestra, sed vos. In altissimo stat, qui refert gratias accipientibus dona, sicut Chrysostomus dicit de Christo: Pro omnibus, quæ tribuisti nobis ô Christe, nihil petis, quam saluari, hoc ipsum tribuens, & accipientibus gratias agens. In omnibus istis gradibus fuit Christus.

Item in alto gradu stat, qui dat dona consanguineis indigentibus. In altiori stat, qui dat extraneis indigentibus. In altissimo stat, qui dat inimicis indigentibus, sicut Deus, qui facit solem suum oriri super bonos & malos.

4. Reg. 5. f — Ioan. 16. d — III. — Isa. 1. f — 2 Cor. 12. e — IV. — Matt. 5. g

CAPVT XVI.

Gradus compassionis.

Graduum cõpassionis Christianæ ordo. I.

COMPASSIONIS altus gradus est, medullitus condolere amico afflicto. Altior, condolere inimico afflicto. Altissimus condolere Deo de contumelia sibi illata.

II. Item in alto gradu est compassionis, qui condolet sanis in afflictione ipsorum. In altiori est, qui condolet infirmis in infirmitate. In altissimo est, qui condolet purgandis in pœnis eorum in purgatorio.

III. Item altum gradum ascendit, qui afflictis condolet in corde, sicut dicit Apostolus: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, aliqua molestia tribulationis, & ego non vror? dicit Glossa. In altiorem ascendit, qui ore conqueritur incommodum afflictorum, sic ut Dauid, mortem Saulis & Ionathæ dicens: Quomodo ceciderunt fortes in prælio? In altissimum ascendit, qui plorat super afflictionem, sicut Dauid lugebat Absalonem inimicum suum; & Iob: Flebam, inquit, quondam super eo, qui afflictus erat, & anima mea compatiebatur pauperi. In his gradibus fuit Christus, quando conquerendo fleuit super Hierusalem, dicens: Quia si cognouisses. Quædam Glossa dicit super Marcum: Homo patitur & ridet; Deus compatitur, & flet.

2. Cor. 11. f — 2. Reg. 1. d — In eodem 18. g — Iob 30. d — Luc. 19. f

IV. Item altus gradus, condolere omnibus in afflictionibus corporalibus. Altior, condolere in afflictionibus spiritualibus. Altissimus, condolere in defectibus spiritualibus.

V. Item altus gradus est, condolere afflictis ad breue tempus. Altior, condolere ad longum tempus. Altissimus, condolere semper. In omnibus his gradibus fuit Christus.

CAPVT XVII.

Gradus congratulationis.

Graduum Christianæ cõgratulationis ordo. I.

CONGRATVLATIONIS altus gradus est, congratulari omnibus hominibus, quod ad imaginem & similitudinem Dei sunt facti, & congratulari eis in omnibus bonis, quæ à Deo perceperunt. Altior est, congratulari omnibus Angelis, quod signaculum Dei sunt, & quod nullam miseriam experti sunt, & semper in fruitione Dei fuerunt. Altissimus est, congratulari Deo de æterna & immensa beatitudine, quam habet à seipso per naturam.

II. Item altus gradus est, congratulari in omni beneplacito suo, quod perficitur in cœlo, & in terra ab hominibus. Altior est, congratulari Deo in omni beneplacito suo in cœlo, quod perficitur ab Angelis. Altissimus, congratulari singulis personis in omni beneplacito, quod perficitur vnicuique personæ à duabus personis.

III. Item altus gradus est, congratulari omnibus hominibus de omnibus bonis fortuitis. Altior, congratulari in omnibus donis naturalibus in corpore & anima. Altissimus, in omnibus donis spiritualibus, & virtutibus in spiritu.

IV. Item altus gradus est, congratulari omnibus consanguineis in omnibus bonis & profectu. Altior est, congratulari omnibus extraneis. Altissimus, congratulari omnibus inimicis.

V. Item altus gradus est, congratulari cum ad congratulandum instigat natura. Altior, cũ scriptura. Altissimus, cum inspiratio diuina. In omnibus his fuit Christus.

CAPVT XVIII.

Gradus abstinentiæ.

Graduum Christianæ abstinentiæ ordo. I.

ABSTINENTIÆ altus gradus est, vitare superflua oblectamenta corporis in victu, & in vestitu, & in aliis commoditatibus. Altior, vitare oblectamenta spiritus, quæ subito veniunt, & subito terminantur, vt contingit in luxuria, in choreis, & cum aliquis delectabiliter audit, & loquitur mendacia, vel detractiones, & similia. Altissimus, vitare delectabilia spiritus, quæ sæpe veniunt, & diu permanent, sicut est in ornatu superfluo, & amicitia carnali, & in gaudio temporali.

II. Item altus gradus est, libenter vitare illicita oblectamenta, quæ homo non potest, vel difficulter habere potest. Altior est, sponte vitare delectabilia, quæ habet, vel quæ habere potest. Altissimus, qui potest vitare licita delectabilia, quæ habet, & quæ habere potest, & quibus meritorie vti potest, vnde illud: *Virtus est licitis abstinuisse bonis.*

III. Item altus gradus est, sponte vitare delectabilia in vilibus & nociuis. Altior, vitare delectabilia in raris, & caris ad tempus, & quæ fiunt cum multa diligentia, & magnis sumptibus comparantur. Altissimus, vitare delectabilia in raris, & caris omni tempore.

IV. Item altus gradus est, consolationem transitoriam non admittere in omnibus visibilibus, propter Deum. Altior est, fugere consolationem transitoriam in Angelis, & inuisibilibus propter Deum, sicut Maria Magdalena dixit: Non quæro Angelos, sed eum, qui fecit me, & Angelos, &c. Altissimus, vitare ad tempus consolationem, quæ potest haberi in ipso Creatore, propter salutem proximorum, sicut dixit Apostolus: Optabam anathema esse pro fratribus. Et: Cupio dissolui, & esse cum Christo. In omnibus his fuit Christus.

Rom. 9. a — Phil. 1. c

CAPVT XIX.

Gradus concordiæ.

Graduum Christianæ cõcordiæ ordo. I.

CONCORDIÆ altus gradus est, concordare cum sanctis hominibus in sancta conuersatione. Altior, concordare cum sanctis Angelis in continua laude Dei. Altissimus, concordare cum Deo in perfecta voluntate.

II. Item altus gradus est, concordare cum subditis, defectibus compatiendo. Altior, concordare cum paribus, & sociis, profectibus eorum congaudendo. Altissimus, concordare cum prælatis, voluntati eorum obediendo in omnibus.

III. Item altus gradus est, concordare cum perfectis, præcepta Dei seruando. Altior, concordare cum perfectioribus, consilia Dei in scriptura perficiendo. Altissimus, concordare cum perfectissimis, diuinis moribus se conformando.

IV. Item altus gradus est, concordare cum omnibus hominibus, quantum in se est, vt omnis perturbatio caueatur. Altior est, concordare cum omnibus hominibus propter quietem propriam, ne homo in seipso affligatur. Altissimus est, concordare cum omnibus hominibus, ne propter inquietudinem cordis Deus ab ipso, vel ipse à Deo ad breue, vel ad longum tempus alienetur. In omnibus his fuit Christus.

CAPVT XX.

Gradus gratitudinis.

Graduum gratitudinis ordo. I.

GRATITVDINIS altus gradus est, digne ponderare naturalia dona corporis. Altior, digne ponderare naturalia dona animæ, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Altissimus, digne ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritus sancti, & virtutes.

II. Item altus gradus est, ponderare dona tẽporalia à Deo collata. Altior, põderare dona spiritualia à Deo percepta. Altissimus, ponderare dona æterna à Deo percipienda.

III. Item altus gradus est, gratias agere de scriptura. Altior est, gratias agere de septem Sacramentis. Altissimus est, gratias agere de sanctissimis exemplis Iesu Christi, & moribus diuinis.

IV. Item altus gradus est, gratias agere de præceptis sacræ scripturæ. Altior, de consolationibus. Altissimus, de doctrinis Christi in Euangelio.

V. Item altus gradus est, gratias agere de omnibus creaturis, quas habet homo in terra. Altior est, gratias agere de omnibus Angelis, & sanctis, quas homo habet in cœlo. Altissimus est, gratias agere de omnibus bonis, quæ habet in ipso. In omnibus his gradibus fuit Christus, ipso teste: Quæ placita sunt ei, facio semper. *Ioan. 8. d*

CAPVT XXI.

Gradus religionis.

Graduum religionis (vt est virtutis studium) ordo. I.

RELIGIONIS altus gradus est, cognoscere omnia impedimenta religionis, & de ea odire, sicut est otium, dissolutio, mala societas, curiositas, & nimia libertas. Altior est, cognoscere omnia incitamenta religionis, & ea desiderare, vt est maturitas, solitudo, taciturnitas, bona societas, bona exempla. Altissimus, studiose se exercitare in omnibus, quæ pertinent ad religionem, vt sunt virtutes, & opera virtuosa.

II. Item altus gradus est, diligenter seruare omnia præcepta religionis. Altior, seruare omnia vota religionis, non solum maxima, sed & minima. Qui enim minima negligit, paulatim decidet. Altissimus, imitari optimos in religione, & ipsis se conformare.

III. Item altus gradus est, relinquere res temporales. Altior, relinquere omnes amicos, tam carnales, quam spirituales. Altissimus, relinquere proprium sensum, & propriam voluntatem.

IV. Item altus gradus est, seruare religionem, & amare religionem, propter pœnam vitandam, quæ debetur irreligiosis. Altior, propter spem in præcedenti, & gloriam in futuro, quæ debetur religiosis. Altissimus, amare religionem pure, propter Deum.

V. Item altus gradus est, semper niti ad proprios defectus videndos, qui semper pullulant. Altior, niti semper ad crescendum in virtutibus & spiritualibus donis, ad conformandum se diuinis moribus. Altissimus, semper dolere, quod non potest omnes defectus deuincere, nec semper exercere virtutes. In multis his gradibus fuit Christus.

CAPVT XXII.

Gradus contritionis.

Graduum contritionis ordo. I.

CONTRITIONIS altus gradus est, ex corde dolere pro omnibus peccatis mortalibus. Altior, pro omnibus peccatis venialibus magnis. Altissimus, dolere pro omnibus peccatis venialibus minimis.

II. Item altus gradus est, vehementer dolere pro peccatis operum. Altior, dolere pro peccatis verborum. Altissimus, dolere pro peccatis cogitationum & affectionum.

III. Item altus gradus est, dolere pro commissis omnium malorum. Altior, pro omissis omnium bonorum. Altissimus, pro deturpatione omnium bonorum per tædium & teporem, & etiam impuram intentionem.

IV. Item altus gradus est, dolere pro omnibus malis, quæ A homo commisit personaliter. Altior, pro omnibus, quorum fuit occasio scienter. Altissimus, pro omnibus, quorum occasio fuit ignoranter. Vnde illud: Ignorãtias, &c. *Psal. 24. a*

V. Item altus gradus est, dolere pro peccatis manifestis. Altior, pro peccatis occultis, quæ homo solus scit coram Deo. Altissimus, dolere pro peccatis, quæ solus Deus scit sine ipso in lumine suo. Vnde Apostolus: Nihil mihi conscius sum, &c. *1. Cor. 4. a*

VI. Item altus gradus est, dolere de damno quod sibi homo per peccatum intulit. Altior, quod communitati intulit. Altissimus, de contumelia, quam Deo intulit.

VII. Item altus gradus est, cum in contritione deletur culpa tantum. Altior, cum deletur culpa, & pars pœnæ. Altissimus, cum deletur culpa & omnis pœna.

VIII. Item in alto gradu est, qui dolorem mentis indicat in ore pure confitendo. In altiori, qui dolorem indicat in B oculis lacrymando. In altissimo, qui dolorem indicat in opere, ieiuniis, vigiliis, & disciplinis carnem suam affligendo.

CAPVT XXIII.

Gradus confessionis.

Graduum confessionis sacramentalis ordo. I.

CONFESSIONIS altus gradus est, declarare secundum præceptum Apostolicum, semel in anno omnia peccata illius anni. Altior est, confiteri singulis mensibus. Altissimus, confiteri semel in septimana, cum scriptum sit: Septies in die cadit iustus, & resurgit per confessionem. *Prou. 24. b*

II. Item altus gradus est, confiteri tantum vni sacerdoti, C iuxta illud: Vade, ostende te Sacerdotibus. Altior est, confiteri pluribus sacerdotibus sæcularibus, iuxta illud: Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Altissimus, confiteri pluribus Sacerdotibus religiosis, qui diligentes sunt circa confessionem & confitentes. *Matt. 8. a* *Luc. 17. d*

III. Item in alto gradu est, quem ad confitendum mouet horror peccati, & fœtor. In altiori est, quem mouet ad confitendum desiderium regni cœlestis. In altissimo, quem mouet ad confitendum amor vnionis Dei.

IV. Item in alto gradu est, qui confitetur, vt à maculis emundetur animæ. In altiori, qui ideo confitetur, vt Deo per munditiã assimuletur. In altissimo est, qui ideq confitetur, vt Deo habitaculum in anima per munditiam præparetur. Sciendũ, quod de singulis gradibus, de quibus est contritio, de eisdem debet etiam fieri confessio.

D CAPVT XXIV.

Gradus satisfactionis.

Graduum satisfactionis, vt ad pœnã pertinet, ordo. I.

SATISFACTIONIS altus gradus est, emendare digne peccata propria. Altior, bonorum hominum. Altissimus, emendare peccata malorum hominum.

II. Item altus gradus est, emendare peccata consanguineorum. Altior, emendare peccata extraneorum. Altissimus, emendare peccata inimicorum.

III. Item altus gradus est, emendare peccata in propria domo. Altior, emendare peccata in eremo. Altissimus, emendare in claustro.

IV. Item altus gradus est, emendare peccata in claustro rigido. Altior, emendare in claustro rigidiori. Altissimus, in rigidissimo claustro.

V. E Item altus gradus est, emendare peccata eleemosynis. Altior, emendare bonis operibus corporis, ieiuniis, orationibus, peregrinationibus, & similibus. Altissimus, emendare peccata passionibus corporis, scilicet lacrymis, disciplinis, ciliciis, & similibus. Perfectius est, aduersa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.

CAPVT XXV.

Gradus contemplationis.

Graduum contemplationis ordo. I.

CONtemplationis altus gradus est, cognoscere Deũ in creaturis. Altior, cognoscere Deum in scripturis.

Altissimus est, cognoscere Deum in sua potentia, & sapientia, &c.

II. Item altus gradus est, cognoscere Deum in hominibus, qui ad imaginem eius sunt creati. Altior, cognoscere Deum in Angelis, qui sunt signaculum similitudinis Dei. Altissimus, cognoscere Deum in sua substantia.

III. Item altus gradus est, cognoscere Deum in suis operibus. Altior cognoscere in suis moribus Deum. Altissimus cognoscere Deum in claritate sua. Vnde in Ioanne: Vt videant claritatem quam dedisti mihi. *Ioan. 17. d*

IV. Item ad altum gradum contemplationis ascendit, qui abstrahit animam suam ab omnibus transitorijs, & colligit eam ad seipsam. Ad altiorem tendit, qui cognoscit, qualis sit anima in se collecta super corpus, & sine corpore, & secundum quem, imaginata. Ad altissimum tendit, qui cognoscit Deum, ad cuius imaginem factus est, vt pro posse suo se illi conformet. In omnibus his fuit Christus.

CAPVT XXVI.

Gradus discretionis.

Graduum discretionis ordo I. Discretionis altus gradus est, secundum ordinem Dei vti donis temporalibus. Altior, secundum ordinem Dei vti, donis naturalibus in corpore, & in anima. Altissimus, vti secundum ordinem Dei donis gratuitis in anima.

II. Item altus gradus est, seruare præcepta scripturæ. Altior seruare consilia scripturæ. Altissimus, seruare doctrinas Iesu Christi.

III. Item altus gradus est, regere se secundum exempla sanctorum. Altior, secundum exempla Christi. Altissimus, secundum mores Dei.

IV. Item altus gradus est cogitare varia beneficia Dei. Altior, de beneficijs collatis gratias agere. Altissimus, laudare diuinam naturam, & bonitatem, & quæ coegit dantibus.

V. Item altus gradus est in omnibus cautum esse coram sæcularibus, ne scandalizentur. Altior, cautum esse coram religiosis, vt ædificentur. Altissimus, coram Deo iudice cautum esse, ne offendatur.

CAPVT XXVII.

Gradus spei.

Graduum Christianæ spei ordo I. Spei altus gradus est, expectare cælestem hereditatem, quam daturum se Deus nobis per pignus obligauit, scilicet Spiritum sanctum in baptismo, qui est pignus hereditatis nostræ, vt dicit Apostolus. Altior est, expectare beatitudinis eandem hereditatem, quam nobis se daturum iuramento firmauit. Vnde. Iusiurandum, &c. Altissimus est, expectare eandem beatitudinem, quam nobis se daturum in lege, & Prophetis promisit. Vnde Apostolus: Quod oculus non vidit, &c. *Ephes. 1. c* *Luca 1. g* *1. Cor. 2. c*

II. Item in alto gradu est, qui expectat æternam beatitudinem ex operibus misericordiæ, & iustitiæ, in quibus se diu exercuit. In altiori est, qui expectat eam ex passione Christi, qui nobis eam promeruit. Vnde Bernardus: Peccanti mihi peccatum, &c. In altissimo, qui expectat eam ex mera bonitate, & misericordia Dei, qui nos ad ipsam creauit.

III. Item in alto gradu est, quem certificat de æterna beatitudine bene discussa conscientia. In altiori est, quem certificat veteris, & nouæ legis scriptura. In altissimo est, quem certificat inspiratio diuina.

IV. Item altum gradum tenet, qui expectat æternam beatitudinem ex multiplici intercessione in via, & in patria. Altiorem, qui eandem expectat ex diligenti custodia Angelorum. Altissimum, qui eandem diligentissima custodia diuina expectat. Vnde Augustinus: Perfectioribus adest ipse Deus ad custodiam, imperfectioribus vero ipsi Angeli.

CAPVT XXVIII.

Gradus timoris.

Graduum timoris ordo I. Timoris infimus gradus est, timere iudicem sæcularem. Altior est, timere iudicem spiritualem. Altissimus timere iudicem sempiternum.

II. Item altus gradus est, timere iudicem Deum, quia punire potest corpus in hoc mundo. Altior, timere eundem; quia punire potest animam. Altissimus, timere eundem, quia punire potest corpus, & animam in inferno.

III. Item in alto gradu est, quem timor cogit fugere omnia, quæ elongant à familiaritate Dei ad breue tempus. In altiori est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant ab vnione de longo tempore. In altissimo est, quem cogit timor fugere omnia, quæ separant à fruitione Dei omni tempore.

IV. Item in alto gradu est, cui timor semper suadet requirere voluntatem Dei, iuxta illud: Qui timet Dominum, inquiret, quæ placita sunt ei. In altiori gradu est, cui timor suadet semper perficere voluntatem Dei, iuxta illud: Qui timet Deum nihil negligit, & qui timet Deum faciet bona. In altissimo est, cui timor omnia bona conseruat, iuxta illud: Timor Domini omnibus superponit quasi signaculum omnia conseruans. *Ecclesi. 2. d* *Eccl. 7. c* *Eccl. 15. a* *Ibid. 25. b*

CAPVT XXIX.

Gradus doloris.

Graduum doloris, vt ad virtutem spectat, ordo I. Doloris altus gradus est, tristari ex corde de omni incommodo proximorum corporali. Altior, tristari de omni incommodo proximorum, spirituali. Altissimus, tristari de omni contumelia Dei.

II. Item altus gradus est, contristari, quòd animæ continue in peccatis venialibus maculantur. Altior est, contristari quòd animæ frequenter peccatis mortalibus vulnerantur, iuxta illud Bernardi: Agnosce, homo, quàm aspera peccatorum vulnera, pro quibus oportebat Dominum Christum vulnerari. Altissimus, tristari, quòd vulnera Christi quotidie innouantur, cum peccati mortalis vulnere sauciantur. *Bern. de meditat. cap. 3. ante med.*

III. Item altus gradus, tristari pronitate cadendi in malum. Altior, tristari de tarditate, & raritate surgendi à malo. Altissimus est, tristari de difficultate perseuerandi in bono.

IV. Item altus gradus est, tristari de debilitate perficiendi bonum. Altior, de debilitate desistendi à malo. Altissimus, de fortitudine consummandi malum.

V. Item altus gradus est, tristari quòd tam parum curantur exempla bonorum hominum in terra. Altior, quòd tam modicum curantur exempla perfectiora in patria. Altissimus, quòd tam parum curantur exempla perfectissima IESV CHRISTI, per quattuor Euangelistas nobis testificata.

CAPVT XXX.

Gradus gaudij.

Graduum gaudij spiritualis ordo I. Gaudij altus gradus est, lætari hic, & in futuro, de æterna societate Angelorum inferiorum, & sanctorum. Altior est, lætari de æterna societate supernorum Angelorum & sanctorum, & præcipue beatæ virginis Mariæ, quæ est super omnes Angelos & sanctos. Altissimus, lætari de æterna societate Dei.

II. Item altus gradus est, lætari de mundissima carne Christi, quam sibi assumpsit de mundissimis sanguinibus beatæ virginis Mariæ, quam homo videbit in æternum carnalibus oculis. Altior, lætari de perfectissima anima sua in omnibus virtutibus, & donis spiritualibus, cuius anima non accepit Spiritum sanctum ad mensuram secundum quòd alij sancti. Altissimus est, lætari de diui-

diuinitate Christi, quam habet communem cum Patre, & Spiritu sancto æternaliter.

III. Item altus gradus est, de omnibus voluntatibus meritorijs lætari. Altior, lætari de omnibus meritorijs locutionibus. Altissimus, lætari de omnibus meritorijs operationibus.

IV. Item altus gradus est, lætari hic. & in futuro, de exteriori sancta conuersatione. Altior lætari de interiorum affectionum ordinatione. Altissimus, lætari de mentis securitate. Vnde illud: Secura mens, quasi iuge conuiuium. *Prou. 15.*

V. Item altus gradus est, lætari de sanctæ Trinitatis visione, siue æterna cognitione. Altior, lætari de eiusdem æterna visione. Altissimus lætari de eiusdem æterna fruitione.

Propterea nos hortatur Augustinus dicens: O anima mirabilis creatura, quo te deijcis? terram amas, melior es: solem miraris, pulchrior es: cælum contemplaris, altior es: solo creatore tuo inferior. Si vis ergo progredi in me, & ego transiens in te: exi totaliter de te, traham te in me, & introduc me, & sic nec in te, nec in vlla creaturarum, quidquid amabis, præter me. Idem: Anima inter Deum, & creaturas media posita est, conuersione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur: conuersione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur. Item: Deus intrabit in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, omni secreto interior. Gregorius esse quidem sine delectatione anima non potest, aut enim delectatur in summis, aut in infimis. Glossa super Ecclesiasticum: Felix anima, quæ quotidie mundat cor suum, vt recipiat habitatorem Deum, cuius possessor nullo eget bono, quia omnium bonorum auctorem in se habet. Augustinus: Magna Dei pietas, & ineffabilis bonitas, qui hominem ad vitam æternam prædestinatum, mori non permittit, nisi in eo statu quo melior futurus non est, tollit etiam damnandos, cum noscit eos peiores futuros, vt sic minus puniantur, & iusti eorum exemplo non corrumpantur. *Gregor. lib. 18. Mor. cap. 8. in princ.*

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum.

DE PVGNA SPIRITVALI, CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

Breue hoc Opusculum, cui titulus est, De pugna spirituali, contra septem vitia capitalia. *Continet documenta salutaria Christianis militibus; qui hostem vincere, & in hoc certamine superiores euadere conantur. Nam Auctor, Gregorij, Hieronymi, Climachi, Cassiani, & Isidori, doctrinis vsus singulorum vitiorum naturas explicat; deinde machinas, quibus hominem adoriuntur, detegit, remedia denique tradit, quibus veluti propugnaculis, insidiæ vitiorum retundantur.*

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

CAPVT I.

De certamine contra gulam, de natura gulæ, & eius remedijs.

EIA nunc milites Christi bellum spirituale ingressuri, induite vos armatura Dei, arripite gladium & scutum, gladium virilitatis, & strenuitatis, scutum patientiæ, vt sitis patientes in sustinendo eorum impetus & dolores. Videtur autem incipiendum certamen primo contra gulam: quia quamdiu gula in nobis dominatur, aliorum vitiorum certamina magis occulta videre non possumus. Item, vt Gregorius dicit, Multi quandoque ardua & magna incipiunt: sed quia gulam non vincunt ea quæ fortiter egerunt, turpiter perdunt. Qui enim nequit in propria terra, id est naturali carne debellare, quomodo vincet in terra longinqua: Est autem gula inordinatus, & immoderatus appetitus cibi. *Gula quid.*

Omnia illa quæ faciunt animam interius vtiliter occupari in viribus animæ, & quæ eius desiderium internum augent, remedia sunt contra gulam, immo contra omnia vitia carnalia. Hoc est, quod dicit Hieronymus ad Rusticum: Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis. Hinc est quod dicit Ioannes Climachus, etiam in hac materia expertissimus, quod carentia dolorum, & obliuio mortis, est occasio gulæ. Breuiter qualibet vacantia, vel vacuitas à desiderijs bonis, à meditationibus sunt origo, vel augmentum præcipuum vitiorum carnalium. Remedia igitur sunt timor mortis, iudicij, & inferni bene cordi impressus, si homo interius occupatur circa desiderium regni cælorum, desiderium perfectionis, immo quodlibet bonum internum desiderium, vt deuotio, maxime compunctio lacrymæ, oratio, hæc enim intus cor hominis occupant, & secundum Hieronymum, desiderium desiderio, affectus affectu expellitur. *Hieron. ep. ad Rustic. circ. medium Ioan. Clim. de gula, gr. 14. circ fin. Hieron. ibid. vbi supra prox. in fensu.*

Sobrietas arcem concupiscibilitatis contra gulam deberet custodire. Est enim virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur. Et debet sobrietas præcipue esse vigil contra gulam. Vide ne excedat in cibi qualitate, sed de quantitate difficile discernitur. Hic tamen in omnibus potest esse continentiæ finis, ne quis iuxta mensuram capacitatis suæ saturitatis oneretur ingluuie. *Virtus sobrietatis & gradus eius.*

Primus gradus sobrietatis est, vt patienter sustineas & feras, cum non poteris habere cibum, vel potum ad libitum.

Secundus est, etiam velle his, quæ possunt haberi amore sobrietatis, paupertatis, & boni exempli, carere.

Tertius posse abstinere sine difficultate ab habitis delectabilibus.

CAPVT II.

De pugna, & natura luxuriæ, & eius remedijs.

SI gulam non viceris, sed ipsa te vicerit, statim aduocat sororem suam, id est, luxuriam, cuius aduentus indicia sunt, quæ per naturam eius poteris agnoscere. Statim enim in concupiscibili accendit amorem & inclinationem, & affectum ad feminas, aut suscitat motus in carne: & hoc potes videre per motus carnis, & titillationes. Aliquando magis in anima, per affectionem & inclinationem ad actum illicitum, vel ad personam affectu illicito. Et hunc modum affectus, potes considerare per imagines mulierum in te depictas. Contra illud vitium est certamen longum & durum, immo vero viribus nostris hoc specialiter non possumus perficere.

Vnde radicale remedium secundum Augustinum pluribus locis libri cõfessionem de continentia, & alios sanctos, est, vt homo cor suum humiliet, & cognoscat propriam fragilitatem, & recurrat ad misericordiam Dei. Sunt quædam remedia, quæ magis luxuriam remouent ab anima, vt contritio spiritus, frequens oratio, cõtinua meditatio mortis, inferni, & similium præmissorum. Horum remediorum ratio patet ex his, quæ dicta sunt de gula. Item repressio interiorum affectionum, & malarum cogitationum, quòd fit maxime per alia deuota, & spiritualia desideria. Item sunt quædam remedia, quæ magis restringunt luxuriam, abstinere à carne, & ieiunium. Maxime autem est tenendum contra hoc vitium æquale moderatumque ieiunium. Item opus manuum instabiles cordis peruagationes coercens. Sunt quædam, quæ directe iuuant contra vtraq;, id est, luxuriam tam in carne, quàm in anima, sicut est custodia diligens sensuum. Hi enim sunt fenestræ, per quas hoc vitium intrat. Item fuga societatis mulierum, nec familiaritatem habere cum eis, nec solus cum sola, maxime in secreto loco, loqui, nec domus earum, secundum Hieronymum frequentare.

Hieron. epist. 2. ad Nep. circa med.

Primus gradus castitatis est, vt viriliter cum labore abstineas ab actu carnis, cum proposito sic manendi, & neges semper consensum motibus illicitis.

Secundus, vt per remedia prædicta, & alia similia, caro tua spiritui tuo subiugetur, vt rarius tenteris, & facilius tentatio cæditur imperãdo magis, quàm reluctando.

Tertius gradus castitatis est, ita domitas habere concupiscentias carnis, vt vix rarissime & tenuissime sentias, & talem te induisse affectum, vt cum nausea & horrore in de audias vel loquaris.

CAPVT III.

De philargyria vel auaritia, & remedio eius.

Auaritia.

POst luxuriam sequitur philargyria vel auaritia, quæ passio vexat tepefactos in seruitio Dei. Nam raro impugnat certantes legitime, præsertim si sub alterius degunt cura. Remedium tibi sit, vt sciens aliquam artem, labore manuum victum & vestitum conquirens, illis sis contentus. Ideo Deo confide, qui non relinquit sperantes in se.

Remedia contra auaritiam.

Summa remediorum, si vis auaritiam ad plenum vincere, relinque omnia quę habes, & alterius curę te committe, cum alijs viuens in communi. Huic autem vitio in principijs obsta, vt non admittas desiderium cuiusq;. Sicut enim hoc vitium in principio facile vincitur; ita si semel admittitur, potest cunctis difficilius excludi.

Primus gradus quo proficis, contra hoc vitium in contemptu mundi est, nihil habere iniusti, & diuitijs non abuti ad peccatum, eleemosynam facere.

Secundus est, nihil habere superfluum, sed necessarijs esse contentum. Sed multi necessitatem suam valde amplificant, sed non est tutum, vt homo in multis sibi confidat, sed potius alteri.

Tertius est, nihil possidere in hoc mundo, sed dumtaxat capere vsum necessarium, & frequenter pati penuriam, cibo, potu, & vestitu.

CAPVT IV.

De ira, & remedijs eius.

TRia prædicta vitia arcem concupiscibilitatis oppugnant.. Quartum autem vitium quod est ira, debellat vim irascibilem, & est nociua bestia sibi nocens, & alios scandalizans, virus mortiferum animam interficiens, & Spiritum sanctum expellens. Cum autem ira vim irascibilem obtinuit, statim introducit ibi suam familiam, quæ sunt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia.

Remedia contra iram.

Amb. lib. 1. offic. cap. 21. tom. 4.
Ioan. Clim. de ira vacuitate, & mãsuetud. gradu 8. in prin.

Remedia contra iram sunt ista, primo os tacendo comprimere, & accensam flammam in corde suffocare. Nota autem quòd secundum Ambrosium in libro de officijs, verus præliator eo vsq; per timorem, meditatio nemq; mortis & similium, & maxime deuotam compunctionem (qua secundum Climachum ita extinguitur ira & indignatio, sicut ignis aqua) motus iræ deberet reprimere & mansuefacere, vt morum tranquillitas, vsu quodam, & affectione, & proposito, in naturam vertatur. Multum iuuat contra iram, si quotiens quis in ira recesserit, iam sopita commotione seipsum dure redarguat, & comprehendat, & humiliter reum se det toto corde, ab illis veniam petens, quos offendit.

Gradus autem quibus contra iram ascenditur, patent ex dictis. Primus est iræ resistere cohibendo linguam, membra, &c. ne excedat foris.

Secundus est cum homo iam per exercitia didicit non turbari ex aduersis, sed est quasi in loco munito, non curans ea quæ sibi fiant contraria.

Tertius est, gaudere & in tribulationibus gloriari, cum adsunt, & desiderare cum desunt.

CAPVT V.

De inuidiæ natura, de ortu eius, atq; remedio.

Gregor. lib. 31. Mor. cap. 17.

QVintum certamen est contra inuidiam, quàm beatus Gregorius ponit inter vitia capitalia, eo quòd ex sui ratione habet, quòd alia vitia inde sequantur. Licet Cassianus & Isidorus eam inter capitalia non enumerent, eo forsitan, quòd ipsa ex vitio capitali suam ducit originem. Vt autem huius vitij naturam per suum effectum in te comprehendas, scire debes, quod inuidia est dolor de bono alterius. Inuidiæ enim obiectum est bonum fraternum inquantum est sibi malum. Hoc autem contingit dupliciter, vel tripliciter. Vno modo inquantum sibi imminet malum, vt si inuidemus quòd inimicus noster, vel aliquis qui nobis non placet, fit noster prælatus timentes ne nos deprimat, & hoc in casu staret sine peccato. Alio modo quando respicimus bonum proximi, non quod sibi inuidemus illud, sed quia dolemus illud, nobis abesse, & hoc est interdum bonus zelus. Tali enim inuidia debemus omnes tendere ad humilitatem, & charitatem, & obedientiam. Alio modo fit istud, inquantum bonum fratris est diminutiuum nostræ præcipue gloriæ. Vnde inuidia est præcipue circa illa, in quibus gloria consistit. Vnde generaliter vanagloriosi, & pusillanimes sunt inuidi, quia isti timent minui gloriam suam, illi timent faciliter superari. Hæc inuidia vbicumque venerit, filias suas secum adducit, quæ sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, & afflictio in prosperis eius.

Inuidia quid.

Vanagloriosi, & pusillanimes, quare sint inuidi præ ceteris.

Quomodo mutua dilectio conseruetur.

Inuidiam vero dilectio proximi expellit, ideo de ipsa dilectione proximi aliqua dicamus. Et primo quibus medijs dilectionem inter nos mutuo seruare possumus. Deinde quomodo quilibet se talem exhibere debeat, vt & ipse diligatur ab alijs, & alios ipse diligat: & ex his sufficientia remedia inuidiæ apparebunt. De primo scias, quòd perfecta, vera, & indisrupta dilectio solum inter tales inuiolabiliter seruatur, qui sunt vnius propositi, vnius nolle & velle & quodammodo vitijs omnibus expurgati, vt in 16. collatione Patrum dicitur. Et ita summa dilectio erit in patria, & fuisset vera in Paradiso si non primus homo cecidisset.

Cass. coll. 16. cap. 3. & 5.

Attamen sunt quædam remedia, quibus dilectio inter nos acquiritur, & seruatur, & si non perfecta.

Primum est, quod etiam inuidiæ est summum remedium, vt vnusquisque toto corde omnia quæ mundi sunt, ex quibus contentio, rixa, vel inuidia oriri potest, cordialiter despiciat & calcet, siue sint diuitiæ siue honores.

Secundum, ne quis sapiens sibi sequatur propriam suam voluntatem nulli acquiescens, & hoc causat maxime discordiam, & rancorem.

Tertio, vt sciat, quæ vtilia sunt, ac necessaria postponenda bono charitatis. Nam si habeam fidem, ita vt montes transferam: si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodest. Ideo super omnia exercitia in omnibus operibus, præ omnibus debemus quærere fraternam charitatem. Nec est aliquid, quod tantum Angeli & Dominus Angelorum in nobis inuenire desiderant, sicut fraternam vnionem & mutuam charitatem.

1. Cor. 13. a

Quartum vt vnusquisq; summopere iracundiam, & alia quibus fratrem offendit, caueat, & deuitet, & si quando contra fratrem excessit, humiliter satisfaciat, si quando frater contra eum rancorem sine causa concepisset, quantum in ipso est, studeat pacificare. Hæc habentur in collatione patrum, xvj.

Cass. collat. 16. cap. 27.

CAPVT VI.

De acedia, & remediis eius.

Sextum certamen est contra acediam. Cuius natura est, vt tædium boni generet, animi torporem causet, mentem grauet, tristitia, ad somnum & dissolutionem, inclinet, horrorem loci, & cellæ fastidium, fratrum contemptum, & aspernationem gignit, nil operis libet maximè spiritualis. Nam interdum opus manuale arripit, vt possit spiritualia, orationes & similia relinquere. Huius filiæ sunt malitia, id est voluntas machinandi malum, desperatio, pusillanimitas, rancor, id est odium inueteratum, torpor circa præcepta Dei, euagatio mentis circa illicita.

Summum remedium contra acediam est, numquam tædere, sed repugnando acediæ obuiare & vincere eam laborando. Attamen homo potest opera sua variare, vt nunc oret, nunc legat, nunc meditetur, &c. vt si vnum non sapiat, sapiat saltem aliud, sicut febricitanti habenti gustum infectum, apponuntur multa fercula. Item contra tædium cordis, valet varietas actionis. Item valet compunctio. Qui enim luget seipsum, non nouit acediam, ait Climachus. Ligetur ergo iste tyrannus memoria offensionum & delictorum, & percutiatur opere manuum, & intenta meditatione futurorum bonorum.

Remedia contra acediam.

Ioan. Clim. de acedia gradu 13. statim à princ.

CAPVT VII.

De tristitia natura, & pugna contra tristitiam.

Nota, quòd tristitia mala est duplex. Nam quandoq; tristitia dicitur generaliter, ita quòd versetur circa omnes passiones nam in omni passione est inuenire tristitiam & delectationem, secundum quod suum obiectum adipiscitur, vel ab ea repellitur. Et hanc tristitiam intantum superabis, inquantum singula vitia extirpaueris, si multum, multum, si parum, parum, omnino autem, si omnino ipsam necas. Sed ad hoc quis idoneus? Alia est specialis circa diuina, tædium, & ista potest comprehendi sub acedia. Tristitiæ origo difficulter est cognoscibilis, eo quòd tam multas habeat origines omnia met vitia & affectiones.

Contra hæc duo vitia acediam, & tristitiam, pugnat charitas Dei, quæ numquam est otiosa contra acediam. Ad quam charitatem triplici gradu peruenitur.

Primus, si erti licitis concessis, vt tamen illicita deuites.

Secundus est feruentiori desiderio omnia quæ Dei sunt, studiose facere in se, & in alijs promouere.

Tertio est tanto affectu æstuare ad Deum, quòd quasi sine ipso viuere non possit. Valet etiam contra tristitiam deuota confabulatio in bona societate, memoria benignitatis & misericordiæ Dei. Item deuotus cantus, vt dicit Paulus ad Ephesios.

Ephes. 5. d

CAPVT VIII.

De vana gloria, & remedijs eius.

Si omnia prædicta vitia viceris, quòd sine maximis laboribus & multis doloribus non fit, si tamen fit, tunc amplius à vana gloria cauere debes. Hæc enim occulte virtutibus se ingerit, ita vt vix à spiritualibus semper valeat comprehendi. Hæc est multiformiter vana, semper & in omnibus vanitatem ingerens in vestitu, in apparatu, in loquela, in taciturnitate. Si veste pretiosa indutus fueris, adest; si humilis fueris, amplius gloriatur; si loqueris, gaudet vnde dixeris; si taces, laudat te velut humilem. Ipsa semper suggerit, & magnum desiderium ingerit ad illa, in quibus laus & honor consistit, etiam per magna pericula & labores, & maiorem fortitudinem dat suis amatoribus quàm spes beatitudinis veris præliatoribus. Hæc eadem bestia suggerit gradum clericatus, presbyterij, & diaconatus. Si quis tamen eum vellet cogere, nam per se non vult, ne ipse appetere videatur. Vide super hoc exemplum libro de institutis cœnobiorum Cassiani. Non possunt varietates huius bestiæ explicari, sed vbicumq; eam proieceris, semper stat aculeo recto sicut tribulus. Ipsa est sicut allium quoties vnum tegmen remoueris, aliud adhuc intus habet, vbi autem ipsa intrauerit, matrem dolosam sequuntur filiæ peruersæ, quæ sunt inobedientia, contentio, iactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, nouorum præsumptio seu inuentio.

Cassian. de instit. cœnobi. lib. 11. cap. 14. & 15.

Quam vanam gloriam si vincere desideras, caue summo studio, ne quicquam intentione gloriæ incipias facere, cogitans illud Saluatoris: Receperunt mercedem suam. Et illud: Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Item illud: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Secundo deberes niti, illud, quòd bona intentione incœpisti, simili custodia ab inquinatione gloriæ custodire. Item quidquid singulare est, & vnde laus & gloria posset conquiri, semper vitandum est bellanti contra hanc bestiam. Nam principium priuationis vanæ gloriæ, secundum Climachum est, custodia oris, & amor humilis societatis, ignominia consummata, coram multitudine miserabiliter adinueniri. Chrysostomus: Vnicum vanæ gloriæ remedium, orare Deum, vt ipse te liberet.

Matt. 6. a

Psal. 52. b

Gal. 1. b

Ioan. Clim. gradu 21. de cenodoxia prope fin.

CAPVT IX.

De superbia, & remedijs eius.

Vltimo aggredienda est ipsa superbia, vitiorum regina, vitiorum radix, virtutum omnium deuoratrix, quæ tantæ est fortitudinis & seueritatis, vt Luciferum eijceret de cælo. Attamen puer Dauid in Domino confidens, per humilitatem, Goliam, quantalibet esset staturæ enormitate erectus, prostrauit.

1. Reg. 17.

Est autem superbia duplex, vna spiritualis pulsans, scilicet virtuosos de perfectione; alia carnalis, quæ minus perfectos pulsat de aliqua excellentia exteriori. Nam primæ est in corde suo magna merita sibi depingere, spiritualem gratiam attribuere sibi, quantum Deus eum diligat cogitare, mirari, quòd non faciat mirabilia, turbari quòd Deus non dat sibi nescio quid speciale, & alios velut carnales despicere. Et hæc est multum periculosa, & plusquam vitia carnalia. Nullum vitium est, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaq; iustitia, & sanctitate hominem expoliet, quemadmodum huius superbiæ malum.

Superbia duplex.

Qui autem huius nequissimi spiritus laqueos vult euadere, debet in singulis, in quibus se senserit virtutibus profecisse, dicere ex sententia: Gratia Dei sum id quod sum, & cogitare Deum esse, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Item diligenter confide-

1. Cor. 15. b

considerare, quia bona nostra non sunt à nobis, sed dona Dei, de quibus districtè sumus rationem reddituri. Item bona nostra quàm multis malis sunt permixta, tepiditate, hypocrisi, &c. Item considerare, quàm multa sint in nobis mala, & vitiosa. Item attendere meliores nobis homines & angelos, vt ita in comparatione vilescamus nobis.

Carnalis autem superbia his indicijs demonstratur. Est clamosa dum tacet, amara & indignabunda, & indissoluta lætitia, risus irrationabilis & sine causa, in tristitia sua est seuera, dura, reprehendit cum rancore non ex compassione, verba profert passim sine aliqua cordis grauitate, vel ponderatione, expers patientiæ, charitatis, aliena audacter iniuriat, sed pusillanimiter iniuriam patitur, difficulter alijs obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, sed vult propria statuere, numquam alterius diffinitioni acquiescere, non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens quàm sapientibus.

Remedia Superbiæ.

Huius remedium primum est obedientia simplici corde suscepta, & humiliter exhibita. Secundum, vt intimo cordis affectu fratribus nostris humilitatem exhibeamus, in nullo eos lædere acquiescentes. Item semper niti exercere nos in humilibus operibus, vilibus & despectis officijs, puta ministrare in coquina, lauare scutellas, purgare domum, semper vilia officia eligere humili habitu, humilibus gestis incedere. Hæc si in consuetudinem venerint cor ad humilitatem inclinant. Item honorem fugere, magis semper eligere ministrare, quàm ministrari, superba vocabula & nomen iactantiæ etiam à propria familia deuitare. Item omnia signa, & quæq; facta, iactantiam vel vanitatem prætendentia declinare.

Humilitatis gradus tres.

Humilitas quæ contra superbiam pugnat tres habet gradus.

Primus est, vt homo seipsum cognoscat infirmum, inopem boni, vitiosum, & si quos alios habet defectus, & non eleuet se supra se.

Secundus est, cum homo se desiderat ab alijs reputari, qualem seipse noscit in veritate, scilicet vilem, inopem, superbum, &c.

Tertius est, quando homo in magnis virtutibus, & honoribus non extollitur, & nihil sibi ex hoc blanditur, totum in illum refundens à quo totum accepit, & ei integrum restituens. Talis fuit humilitas Christi, & talis Angelorum, & Sanctorum in gloria.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum quod inscribitur:

SPECVLVM ANIMÆ.

Apte huic opusculo S. Bonauentura, Speculum animæ, nomen dedit. Sicut enim in speculo obiectarum rerum imagines apparent, & quisq; in eo effigiem suam intuetur: ita in hoc tractatu capitalia vitia, eorumq; propagines adeo perspicue cernũtur; vt eo sibi ob oculos mẽtis proposito non mediocriter iuuetur is, qui conscientiam suam examinare, & patrata scelera inquirere, eademq; in memoriam reuocare studet, ad integram eorum confessionem. Hoc autem opusculum tripartitum est. Primo siquidem Auctor præfationem præmittit, in qua describit arborem, cuius radix cupiditas est, truncus vero voluntatis consensus, rami affectiones variæ; quæ, vt ipse ait, ex voluntate procedunt, & secundũ eius cõditionem pensantur. Deinde per tria capita tractat de tribus præcipuis huius arboris ramis, scilicet superbia, concupiscentia diuitiarum, & concupiscentia carnis. Postremo, vt facilius sibi arborem quisq; confingat, breuiori, quo potest compendio, seu epilogo, hæc omnia comprehendit. De hac re legendus est Auctor his præsertim in locis, videlicet 2. Sent. d. 35. & 36. Breuiloq. p. 3. per tot. itidem Centiloq. p. 1. Diaet. salut. tit. 1. opusc. proxime seq. & plerisq; in alijs.

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

PRÆFATIO.

ARBOR *mala fructus malos facit*, dicit Dominus, secundũ Glossam interlinealem ibidem, Mala arbor, mala volũtas est, ex qua, secũdum aliam Glossam, fructus malæ operationis procedit. Huius autem arboris folia, mala verba sunt, secundum Glossam in principio Psalmistæ super illud: Et folium eius non defluet. Per folia enim verba signantur, folia siquidem vanitatem & fluxibilitatem habent, quod est de natura verborum. Huius arboris rami sunt affectiones diuersæ, quæ ex voluntate procedunt, & secundum eius conditionem pensantur. Si enim voluntas mala est, ramis suis suam corruptionem immittit, secundum illud Apostoli: Si radix sancta, & rami, &c. Truncus autem istius arboris est voluntatis consensus, quoniam sicut radix ramos suos, nisi mediante trunco, non potest expandere; sic nec radix malæ voluntatis, ramos vitiorum non potest emittere, nisi mediante consensu. Siquidem secundum Gregorium, suggestione, delectatione, & consensu peccatum perficitur. Radix autem istius arboris secundum [a] Apostolum est cupiditas. Licet autem radix arbori præstet originem, tamen à fructu incipimus, per folia & ramos & truncum descendentes per ordinem ad radicem, vt iterum incipientes ab ipsa, qualiter procedant ascendendo monstremus.

Matt. 7. c

Psal. 1. a

Rom. 11. b

Greg. in Regist. lib. 12. ind. 7. ep. 31. interrog. 11.
a 1. Timot. 6. b

Sciendum igitur, quòd hæc radix, quæ cupiditas, vel concupiscentia nominatur, secundum Bedam, ex corruptione seminis transfusa per primos parentes ad posteros habet ortum. Sicut autem materialis radix humorem trahit & germinat: sic radix concupiscentiæ, secundum [b] Gregorium, ab imaginatione suggesta, ab extrinseco sumit naturam, qua mediante germinat, cum delectatio ex imaginatione procedat. Tunc autem emittit virus, cum ex delectatione consensus oritur, quia secundum [c] Augustinum, est duplex consensus, scilicet in delectatione & opere. Cum enim ex imaginatione, & delectatione morosa cum aduersione periculi, consensus in delectationem sequitur, etiam si opere non complendum decernat, mortale est. Et propter hoc secundum [d] Augustinum, totus homo damnabitur, licet iste progressus peccati, qui dictus est, potissime in peccato carnali locum habeat, & manifestius ibidem appareat; tamen & in omnibus alijs mortalibus locum habet. Si enim quodcumque peccatum mortale, mente per cogitationem tenueris, & delectationem consensus in ipsum sequatur absq; consensu in opus si facultas adesset, nihilominus est mortale.

Beda in ep. ad Rom. c. 5. in illa verba, Propterea sicut per vnum hominem, &c.
b Greg. ibidem vbi sup. interr. 10. circa. med. in sensu.
c August. de Gen. cont. Manich. lib. 2. c. 14 prope fi. tom. 1.
d Ibidem.

Vt autem de radice ista pleniorem notitiam habeamus, & quomodo ex ipsa fructus malæ operationis procedat, quadruplicem actuum differentiam assignamus. Sunt enim quidam actus, qui de natura sui bonum dicunt. Sunt alij, qui quantum de natura sui esse, indifferentiam habent, nec boni, nec mali, in genere moris dicuntur, vt leuare festucam, & huiusmodi. Sunt alij, qui de natura sui malum dicunt, & tamen aliqua de causa vel fine, bonitatem moris sortiri possunt: vt occidere hominem, quod quidem existente iustitia bonum fieri potest,

Actuũ quadruplex differentia.

poteſt, licet de ſui genere malum dicat. Sunt autem, ſecundum Auguſtinum alij, qui ita habent deformitatem annexam, quòd nullo bono fine vel intentione poſſunt fieri, nec facientem excuſare: vt fornicari, vel iniuſtitiam facere, vel adulterium committere, & huiuſmodi. Hoc igitur circa iſtam materiam eſt ſciendum, quòd ſecundum Ambroſium, Affectus nomen operi imponit, & ex intentione opera iudicantur. Quod quidem de duobus primis generibus actuum intelligit Ambroſius, ſcilicet quando bonũ eſt, vel indifferens. Si enim aliquis intentione inanis gloriæ paſcat pauperem, vel ex contemptu feſtucam erigat, ex mala intentione procedit & rationem radicis ſortitur. In alio autem genere actuum, ſola iuſta intentio opus bonum facere poteſt. In quarto autem genere actuum, nulla intentio vel finis poteſt facere bonum actum: quacumq; enim intentione quis fornicationem, vel actum adulterij committat, nullatenus excuſatur. Hoc etiam circa iſtam arborem eſt ſciendum, quòd truncus iſtius arboris, rami & fructus cum folijs, ex quibuſdam circumſtantijs quantitatem aſſumunt, ſicut materialis arbor ex ſterquilinij, & corruptionis iniectione in fructibus & alijs recipit incrementum, ſecundum quod dicit colonus ille in Luca. Hæ autem circumſtantiæ hoc verſiculo continentur, videlicet:

Auguſt. de ſerm. Dom. in mon lib. 2. cap. 28. tom. 4.

Amb. lib. 1. offic. cap. 30. ante med. tom. 4.

Luc. 13. b

Circũſtantiç actuum.

Quo, quis, vbi, cum quo, quotiens, cur, quomodo, quando.

Quo, motu ſupple, vtrum ex tentatione graui, vel leui, vel nulla, ſi malitia vel infirmitate, vel ignorantia. Quis, perſona, prælatus, vel ordinatus, clericus, vel alius, vel alij in exemplum poſitus religioſus, vel huiuſmodi, in quibus peccatum aggrauari poteſt ratione perſonæ. Vbi, ſi in loco ſacro, vel communi, ita quòd malum poſſit eſſe alijs in exemplum. Cum quo, ſi multos ad ſimile malum traxit, &c. Quotiens, ſi habuit in conſuetudine. Cur, ſcilicet quo fine vel intentione, licet enim malum facere bona intentione, non excuſet à toto, tamen excuſat à tanto. Similiter autem & peruerſa intentione, aggrauat peccatum. Quomodo, ſi forte modum nouum, modum effrenatum peccati inuenit. Quando, vt ſi forte tempus ſacrum, vel orationi deputatum, in peccato expendit. Sunt autem aliæ circumſtantiæ, quæ ſpecialem ſpeciem dant peccato, vt cognoſcere vxorem alterius, & ſimilia, quæ nullatenus à confitente omitti debent, & plenius in arboris proſecutione patebunt. Quod autem, vt iam ſupradictum eſt, ſecundum Apoſtolum, rami & fructus ex radice penſantur, ſatis de facili poteſt quiſq; perpendere, ſi peccatum eius radicem mortalem habet, & ponitur in exemplum. Videre enim mulierem de ſe non habet rationem peccati, nec tangere, & tamen ſi de radice luxuriæ procedat directe, cuius malus habitus latet interius, eſt mortale. Quando autem radix rationem mortalis habeat, in proſecutione, & formatione arboris poterit plenius pertractari. Hoc autem addo, quòd illud mortale de ſuo genere dicitur, quod directè eſt contra Deum, vel proximum. Directe autem dico, quia ſicut in materiali arbore ex trunco vel ramis, quædam pullulationes indirecte procedunt, quas adulterinas vocamus: ita ex radice malæ voluntatis, quam concupiſcentiam nominamus, multa ſemina prodeunt: quæ directe contra Deum vel proximum non faciunt, ſed aliqualiter indirecte, & talia venialia nuncupantur. Vnde etiam aduertendum, quòd multa talia ponuntur in formatione iſtius arboris, quæ licet in ſe, & in ſuo genere mortalia non dicantur, tamen ad ſuam radicem relata, & eidem coniuncta, poſſunt habere rationem mortalis. Licet autem contingat interdum, quòd vnum opus, & idem à diuerſis trahat originem, vt percutere, ex ſuperbia, inuidia, & ira poteſt procedere: tamen idem actus in arbore nullatenus iteratur. Sed vere pœnitens, arboris inſpector, diligenter aduertat, quibus ex cauſis & radicibus actus ille inueniatur in ipſo, digna etiam deliberatione conſideret progreſſum peccati, quomodo radix concupiſcentiæ germinauerit in ipſo, & circumſtantiis de quibus ſuperius eſt expreſſum. Et ſi de fructu vel folijs, vel ramis arboris ſe comediſſe aduertat, per confeſſionem euomat, vt animæ recuperet ſanitatem. Hæc eſt enim arbor, de cuius fructu mortifero protoplaſti parentes contra præceptum ſummi medici guſtauerunt, & mortem experti ſunt, quam ad poſteros tranſmiſerunt. Et hæc eſt arbor, quæ ſecundum teſtimonium Matthæi excidetur, & in ignem mittetur, & ardebit.

Gen. 3.

Matth. 3. b

His ergo prælibatis, arborem imaginariam deſcribamus, in cuius radice ſit illa Apoſtoli auctoritas: Radix omnium malorum cupiditas. Truncus autem iſtius arboris taliter deſcribatur, quòd ab imaginatione incipiat, & in delectatione moroſa cum auerſione periculi ſit eius medium, & in conſenſu triplici terminetur, ſcilicet in conſenſu, in delectatione, & in opere, ſecundum quòd progreſſus peccati ſuperius eſt expreſſus. Quia autem omne peccatum vel cogitatione, vel locutione, vel opere perpetratur, & ſicut ſupra probatum eſt, in ramo mala voluntas ſignificatur; in verbo autem folium, fructus in opere: ideo omnia peccata, quæ in progreſſu occurrunt, quæ ad cogitationem pertinent per modum rami, quæ vero ad locutionem per modum foliorum, quæ autem ad opus per modum fructuum in arbore deſcribantur. Sed hos ramos, fructus, & folia, deſcribamus huius arboris. Si quidem ſecundum Ioannis teſtimonium, tres rami principales ex radice concupiſcentiæ prodeunt, quoniam omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ concupiſcentia honoris nominatur. Et de hoc vltimo, primo eſt dicendum, tamquam de groſſiori, & à quo plures rami, onuſti fructu, & folijs mortiferis oriuntur, & primo de ſuperbia.

1. Tim. 6. b

1. Ioan. 2. c

CAPVT I.

De primo principali ramo, ſcilicet Superbia.

HIc igitur ramus, qui ſuperbia nominatur, in genere ſuo mortale peccatum dicitur, quoniam directe eſt contra Deum, & eius reuerentiam, cum ſcilicet creatura vltra quod à factore accepit, extollitur, & quaſi vſurpare præſumit. Vnde & Gregorius 34 Moralium dicit: Euidentiſſimum ſignum reproborum eſt ſuperbia. Per hoc patet, quod illa ſuperbia eſt mortalis, qua quis ſe vltra merita extollere appetit, & ſe melioribus anteponit, & hoc ſi ex deliberatione procedat. Sicut enim alia peccata carnalia motus habent, qui præueniunt rationem, quibus ratio non conſentit: ſic & ſuperbiæ motus quamplurimi in homine rationem præueniunt, quos ratio aduertens reprimit, vel ſaltem non conſentit. Hic autem ramus ſuperbiæ tres præcipue ramos habet, ſcilicet præſumptionem, contemptum, & inanem gloriam.

Gregor. lib. 34 Mor cap. vlt. cir. fin.

Præſumptio in hoc conſiſtit præcipue, quòd homo præſumit gratiam ſe habere, vel ex ſe, vel pro meritis ſuis, vel falſo, vel plus alijs, vnde verſus:

Ex ſe pro meritis falſo plus omnibus inflat.

Præſumptio quid.

Et ſecundum hoc præſumptio quattuor ramos habet ſecundum Gregorium in Moralibus. Hi autem rami cum ſuis fructibus, & folijs habent rationem mortalis, eo modo, quo de ſuperbia eſt prædictum. Ex hoc autem vltimo ramo, ſcilicet plus omnibus, duplex ramus oritur. Hoc enim in gratuitis ſicut in virtutibus, vel in gratis datis, ſcilicet in gratijs exterioribus poteſt intelligi. Ex quorum ramorum medio oritur elatio cordis inordinata, & confidentia de ſe, & inepta audacia. Ex ramo autem, qui eſt præſumptio de bonis gratuitis, oritur folium diuinæ tentationis, & fructus diſcriminis. Appellatur Dei tentatio, quando quis experimentum diuinæ potentiæ quærit, vt ſicut petere abſq; neceſſitate. Diſcrimen autem dicitur, quando quis ſe exponit periculo, in ſola diuina virtute confidens, contemptu humano adiutorio, abſq; neceſſitate fidei, vel Eccleſiæ, & habet rationem mortalis. Vnde dicitur in Deuteronomio:

Gregor. lib. 31. Mor. cap. 17. poſt. medium.

Deut. 6.

mio: Non tentabis Dominum Deum tuum, dicit Glossa: Deum tentat, qui habens quod faciat sine ratione se committit periculo.

Contemptus quid.

Secundus ramus superbiæ est contemptus, eo enim quo qui alios se præsumit supergredi, Deum contemnit & hominem, & secundum hoc hic ramus in duos diuiditur, videlicet in contemptum Dei, & proximi, qui plane habent rationem mortalis: quia contra charitatem Dei & proximi sunt directe. Ex ramorum istorum medio procedit ramus inobedientiæ, per quam à potestate alterius, & subiectione se eximit, nulli volens subesse. Ex primo autem ramo, qui est contemnere proximum, procedunt isti fructus, scilicet se à societate & verbo subtrahere, & gestu indignationem, vel contemptum ostendere, folia etiam ex ipso procedunt, quæ sunt verborum indignatio, irreuerentia in verbo, * *ironia, derisio, subsannatio*, quæ omnia sunt contra charitatem ad proximum, & mortalia sunt, secundum quod ex superbia & contemptu nascuntur. Est autem ironia alterius detestatio per contrarium. Derisio autem, & subsannatio differunt: quoniam derisio fit in voce; sed subsannatio fit in gestu, vel trahendo linguam, vel faciendo nutus, & similia, irreuerentia autem in modo loquendi. Cum hoc autem folio est irreuerentia in facto, ex quorum medio procedunt isti fructus, scilicet irreuerentia facta parentibus, prælatis, principibus, maioribus, senioribus, patribus spiritualibus, & sanctis viris, locis, & rebus sacris, & temporibus, vt in violatione festorum contingit, & præcipue sacramentis, maxime sacramento altaris. Qui enim excommunicatus, vel suspensus vel interdictus, vel in mortali peccato solemniter in Ecclesia officiat, vel sacramentum administrat, vel recipit in mortali, vel irregularis, vel inconfessus post mortale, cum copia sacerdotis celebrat, vel notorius peccator officium correctionis exercet, vel excommunicato scienter participat in diuinis, & hoc scienter faciat, & ignarus iuris existat, irreuerentiam diuinis exhibet, & mortaliter peccat. Hoc etiam sciendum est, quòd excommunicati vel interdicti, qui se ingerunt diuinis, si hoc sciente faciant contra præceptum Ecclesiæ, mortaliter peccant. Alia etiam supra posita rationem mortalis peccati habere possunt, secundum quod ex ramo contemptus procedunt.

* *Hæc suppleta sunt ex quarto capite vbi continetur horum epilogus.*

Nota pro excommunicatis.

Secundus ramus, qui ex contemptu Dei & proximi oritur, est superbia, quæ quidem respectu Dei manifeste mortale est, respectu etiam maiorum quibus obedire debemus, siue parentibus, siue prælatis rationem mortalis habet, si præcipiantur licita & honesta. Vnde dicit Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et parentibus non obedire, ab eodem Apostolo inter mortalia computatur.

Rom. 13. a

Rom. 1. d

Inobedientia duplex.

Ex medio autem ramorum inobedientiæ respectu Dei & proximi, procedit ramus impatientiæ similiter bipartitus contra Deum, & proximum, & ista quidem impatientia ex inobedientia oriri dicitur: quia cum à superiori aliquid faciendum imponitur, quod peruersæ displicet voluntati, in ipsa impatientia excitatur, quod nihil aliud est, quàm immoderata animi perturbatio, ex dicto vel facto alterius, quod personam ipsius tangit, & in quo se reputat grauari, vnde hoc laborat vitio, qui infirmitates, vel infortunium, vel onus impositum non sustinet patienter, & habet rationem mortalis, cum vsque ad odium Dei, & proximi se extendit. Et secundum hoc, ex hoc ramo impatientiæ procedit aliud, scilicet odium Dei, qui licet in se odio haberi non possit, tamen in effectibus suis odiri potest. Ex hoc ramo folium blasphemiæ, & murmuris nascitur, & manifeste rationem habet mortalis.

Murmurationis descriptio.

Ex ramo autem impatientiæ ad prælatum, oritur, & murmuratio, folium scilicet vento superbiæ agitatum. Est autem murmuratio, iniusta querela contra superiores latenter multorum auribus conculcata, & habet rationem mortalis, secundum quòd ad alterius diffamationem anhelat. Cum hoc autem folio est fructus obstinationis, & pertinaciæ.

Pertinacia quid.

Est autem Pertinacia, perseuerantia in malo proposito, contra voluntatem superiorum. Ex qua oritur folium rebellionis apertæ, & fructum transgressionis secum habet, quæ omnia habent rationem mortalis, secundum quod ex inobedientia oriuntur. Cum fructu autem transgressionis sunt excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententiæ, quas sustinere procedit ex inobedientia, si debite infligantur.

Item ex ramo inobedientiæ ramus infidelitatis procedit, secundum quam aliquis se ab obedientia Romanæ Ecclesiæ alienat. Et quidem hic ramus in hos ramos se diuidit, scilicet in hæsitationem, dubitationem, & errorem, & hos fructus habet, hæresim, schisma, sortilegium, & diuinationis, superstitionisq; folia, quæ etiam fructus apostasiæ, & idololatriæ secum habent. Et de singulis, quid sint per ordinem exprimamus.

Hæsitatio quid.

Est autem hæsitatio, mentis titillatio contra fidem, cũ scilicet intellectus non perfecte consentit his, quæ sunt fidei, sed dubitat, quod etiam de suo genere est mortale.

Error quid.

Est autem error, quando iam tenetur contrarium fidei, siue scienter, siue ignoranter. Sed tamen multum interest: qui enim credenda nouit per fidem Ecclesiæ, & tenet contrarium, peccat mortaliter: qui autem ex simplicitate ignorat, si tamen intentionem, & voluntatem habeat generaliter credendi, quod credit Ecclesia, nullatenus iudicandum est mortale. Si quis ex simplicitate veritatem videre oculis corporalibus credat, non propter hoc contemnendus est, cum paratus sit credere, quod credit Ecclesia indistincte. Vnde dicit Augustinus: Errare potero, sed hæreticus non ero.

Hæresis, & schisma.

Est autem hæresis, obstinata affirmatio contra fidem. Schisma à autem scissione dictum est. Vnde ille schismaticus dicitur, qui ab vnitate Ecclesiæ se separare intendit, licet eadem sentiat, quæ tenet Ecclesia & fides catholica, secundum Augustinum contra Faustum.

August. habet hoc lib. 2. con. Cresc. Gramm. c. 7. tom. 7.

Sortilegium est, cum id quod futurum est, inquiritur, & habet multas species, quæ per folia in arbore designantur, scilicet diuinationes per astra, per incantationes, per dæmonum consultationes, per garritum auium, quod dicitur augurium, per ligaturas nominum, temporum obseruationes, & somniorum, quæ omnia prohibentur ab Ecclesia tamquam mala, & habent rationem mortalis: quia quod soli Deo competit, attribuitur creaturæ. Hoc tamen circa obseruantiam temporum, & orationes debes aduertere, quòd sortiuntur sortilegij rationem, quando scilicet creditur, quòd magis valeant ad vnum effectum, quam ad alium, vel quando quis confidat in determinato orationum numero, vel effectum optatum, qui sic fecerit, infallibiliter consequi putat.

Augurium vnde dicatur.

Apostasia.

Quid autem sit apostasia, à fide, vel idololatria plane patet.

Inanis gloria quid.

Tertius ramus superbiæ est inanis gloria, qua quis appetit suam excellentiam ostendere, quæ habet rationem mortalis, inquantum quis gloriam sibi appetit, quæ soli Deo debetur, quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos. Vnde qui gloriam non refert in Deum, vel sic gloriam affectat acquirere, quod si ex hoc assequatur, offensam Dei non metuit, mortaliter peccat. Vnde Augustinus in libro de ciuitate Dei, dicit: Hoc vitium inimicum est piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor & amor. Si autem in bono proprio, quis inaniter glorietur, ita tamen quod ibidem non sistat, vel actu vel habitu in Deum referat, nec vt hoc acquireret aliquo modo Deum vellet offendere, nullatenus est iudicandum mortale.

Psal. 99. a

August. lib 5. de ciu. Dei c. 14. tom. 5.

Ex hoc inanis gloriç ramo quattuor rami oriuntur, scilicet ambitio honoris, & fauoris humani appetitus, confusionis timor, & laudis amor. Ex primo autem ramo inanis gloriæ, qui est ambitio oritur fructus pompæ, qui tres fructus habet, & vnum folium scilicet fastum in superfluo comitatu, & apparatu, & fastuoso gestu, & affatu, quæ licet mortalia non sint ex suo genere, tamen prout oriuntur ex ramo superbiæ mortalia esse possunt.

Ex secundo ramo qui est appetitus humani fauoris, est adulationis folium, quę quandoq; mortalis,& quandoq; venialis; qui enim ad malum alium incitat, malum factum eius laudando per adulationem, vel alij occasionem præbet vt in peccato remaneat, vel vt vltra merita sua efferat ipsum, scilicet falsa laudando, in tali adulatio est mortalis: si autem sola intentione placendi,& vt Dei gratia augeatur, quam in veritate ipse commendat, mortalis nullatenus iudicatur. Et hoc Augustinus in sermone de purgatorio iudicat veniale.

August. de sanctis, serm 41. ant. med. tom. 10.

Secundum igitur hoc, folium adulationis in tria diuiditur, quia aut adulatio est de bono habito, aut non habito, vel de malo.

Item ex ramo appetitus fauoris humani, oritur prodigalitatis fructus, fit enim homo prodigus, vt humanum fauorem acquirat. Habet autem prodigalitas rationem mortalis, secundum quod bona, quæ vtiliter in pauperes fundi debebant, inutiliter expenduntur, & in personis inhonestis non seruando modum, vel tempus. Et quidem hoc vitium, malum est in personis ecclesiasticis, quorum bona vltra sustentationem personæ & status, debent pauperibus erogari. Secundum hoc autem prodigalitas quattuor fructus habet, quia nec personam, cui dat, nec modum, nec tempus considerat,& incuriam secum habet. Est autem incuria, cum quis sic curam de bonis suis abijcit, quòd bona eius depereunt, quæ à Deo collata sunt, vt exinde sustententur pauperes Christi, hęc autem incuria non iudicatur mortalis, nisi secundum quod ex aliqua radice mortali procedit. Quandoque enim ex contemptu temporalium procedit, tamen semper ad indiscretionem pertinet, & ex tanta negligentia procedere potest, quòd mortalis esse posset, vt si forte indigentiam manifestam pauperum viderit, & bona quibus eos iuuare posset, deperire permittit.

Incuria quid sit.

Item ex tertio ramo inanis gloriæ, qui est timor confusionis, hi procedunt fructus, mala scilicet verecundia, & falsa humilitas. Verecundia autem hos habet fructus secum, scilicet erubescentiam diuinorum, vt cum quis erubescit vel facere Missam, vel orare. Item verecundiam paupertatis parentum, vel pauperum amicorum. Item in confessione, secundum quòd aliquis confessionem dimittit, vel non confitetur veritatem propter confusionis timorem. Falsa autem humilitas est cum aliquis se ipsum humiliat, ne per superbiam minus reputetur ab alijs. Item ex illo ramo, qui est timor confusionis, hæc folia oriuntur, videlicet veritatis negatio in iudicio, vel extra iudicium, veritatis impugnatio, falsa excusatio,& peccati defensio. Ista autem, quæ ad timorem cōfusionis pertinent, habent rationem mortalis, non ex genere, sed secundum quòd amor fauoris humani, amori diuino præfertur,& eligit hoc magis contra Deum facere, quàm confusionem humanam incurrere. Hoc tamen circa negationem veritatis in iudicio aduertendum est, quòd ex suo genere mortale est, & quia superiori in iudicio obedire tenemur, & iustitiæ opponitur. Si tamen aliquid superior interroget, quod secundum iuris ordinem interrogare non debet, potest appellari, sed nullo modo licet mentiri.

Humilitas falsa quid.

Ex quarto ramo inanis gloriæ, qui est amor humanæ laudis oriuntur tres fructus, scilicet hypocrisis, ostentatio, singularitas, & iactantiæ folium quod in quattuor est diuisum. Aut enim est de bono habito, vel non habito, aut de malo facto, vel non facto, & de his per ordinem videamus. Est autem hypocrisis, secundum Isidorum, simulatio boni non existentis, vnde est mendacium in signo. Sicut enim mendacium omne nō semper est mortale, sed quando est in detrimentum proximi, vel contra veritatem fidei, vel morum: sic nec hypocrisis semper est mortalis, nisi quando fit intentione decipiēdi sub specie bonitatis, sicut illi qui simulant sanctitatem, vt bona Ecclesiæ habeant, quæ habere digni non sunt, & Ecclesiam per suam simulationem decipiunt. Quando autem fit intentione laudis, tunc de ea sicut de inani gloria iudicandū est, sicut superius est expressum.

Hypocrisis. Isid de summo bono. c. 24. sent. 2.

Ostentatio est, quando bonum quod quis habet, vel habere se putat, exterius ostendere nititur, vt laudem humanam exinde consequatur, nec est mortale ex suo genere, nisi secundum quod inanis gloria iudicatur mortalis. Singularitas est, cum quis vult singulariter apparere, & secum habet fructus diuersos, secundum quòd in diuersis materijs inuenitur, cum scilicet communia, quis non dignatur facere, vel docere, vel modum singularem in factis satagit ostendere, & hoc quandoq; rationem mortalis habere dicitur, secundum conditionem radicis, eo modo quo inanis gloria, quæ propter hoc intenditur esse mortalis. Iactantia quandoq; mortalis, quandoq; venialis. Cum enim quis se iactat de bono quod habet, vel se habere putat, vt inanem gloriam consequatur, tunc iudicandum est de tali iactantia, sicut de radice ipsius. Cum de bono quod non habet, tunc est ibi mendacium, & tunc si tale est mendacium, quod sit contra diuinam reuerentiam, vel proximi charitatem, habet rationem mortalis. Contra Dei reuerentiam se iactabat Pharisæus. Cum autem quis de peccato mortali quod non fecit, vel quod fecit, se iactat, mortale est, quoniam in peccato facto sibi complacet, & vnde confusionem meruit, quærit gloriam, si factum suum in alios extendit.

Ostentatio.

Singularitas.

Iactantia.

Luc. 18.

Item nota, quod fructus singularitatis, qui procedit ex inani gloria, vt iam supradiximus, non solum per modum fructus in opere, sed etiam per modum rami, debet describi in arbore, ad significandum voluntatem singularem apparendi. Ex hoc autem ramo procedit ramus inuidiæ. Sic autem ex voluntate singulariter apparendi procedit, quia dum quis videri singulariter appetit, si aliquem videt in gratia præeminere qui eius offuscet gratiam, eidem inuidet,& est peccatum mortale.

Est autem inuidia tristitia de bono alterius secundum Damascenum. Circa quod notandum, quòd hoc quattuor modis potest contingere, vno quidem modo, cum quis bonum alterius sibi esse damnosum aduertit, & cum quis de promotione inimicorum tristatur, & hoc rationem mortalis non habet. Item secundum quod quis bonum videt in alio, in quo defectum patitur,& ex quo dolet, non quidem, quia alius bonum habeat, sed quia ipse non habet, & non habet rationem peccati. Item alio modo dolet quis de bono alterius inquantum ipsum indignum videt bonis, quæ habet, & hoc etiam non habet rationem peccati in bonis temporalibus, quæ homini quandoq; proficiunt ad ruinam. Alio modo quis dolet de bono alterius, secundum quod per bonum alterius gloriam suam putat diminui,& hoc est inuidia, quæ iudicatur mortalis, & quia ex ramo procedit superbiæ, & quia directe opponitur charitati, in qua vita animæ conseruatur. Sicut autem de superbia dictum est, quòd quidam motus præueniunt rationem, quibus ratio non consentit, nec habent rationem mortalis, ita & de inuidia est dicendum.

Inuidia quid. Damasc. ortho. fid. lib. 2 c. 14.

De ramo autem inuidiæ præcipue, exeunt duo rami, scilicet exultatio in aduersis, & dolor in prosperis, qui, sicut dictum est de inuidia, rationem habent mortalis. De primo autem ramo, scilicet de gaudio in aduersis, oriuntur hi fructus, machinatio, scandalum, insidiæ, proditio, suspicio,& iudicium. Inter hæc folia, discordiarum seminatio, secretorum & confessionis reuelatio, signo, vel verbo, vel circumstantia, & falsum testimonium, de quibus sigillatim aliquid est dicendum.

De ramis fructibus & foliis inuidiæ.

Machinatio, est mali occulta, & studiosa procuratio. Scandalum secundum * Augustinum est dictum vel factum minus rectum, præbens alij occasionem ruinæ, cum scilicet aliquis alium in malum inducit, & est mortalis, cum aliquis per consilium vel exemplum ex intentione inducitur in mortale. Insidiæ sunt, prout hic de insidijs loquimur, inuestigatio & consideratio factorum alterius, vt accusari possit deprehensus in malo. Proditio est, cum aliquis amicitiam ad alium simulat, vt ipsum decipiat, de quo dicit Boëtius, quòd nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Su-

*Machinatio quid. Scandalum quid. * Hieron. potius in c. 15. Matth. in illa verba: Scis, quia Pharisæi, &c tomo 6. Insidiæ quid.*

spicio

Suspicio quid. Iudicium peruersum quid.

spicio est, cum quis facilis est, vt malum de alio suspicetur, vnde Tullius: Suspicio est mala opinio, ex leuibus causis, & hoc ex mala affectione inuidiæ procedit, & tūc habet rationem mortalis, alias autem nō iudicatur mortalis. Iudicium peruersum est, cum quis ad alium male affectus, non solum malum suspicatur in ipso ex causis leuibus, verum etiam diffinit in corde vel ore sententialiter, peccatum mortale committi ab aliquo, & hoc de suo genere est mortale, ex quacumque radice procedat. Vnde Glossa super illud ad Corinthios: Nolite ante tempus iudicare. Suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est sententias diffinitiuas cauere debemus. Hoc autem iudicium semper est nimis graue peccatum, & procedit, cum quis ex sola suspicione ex causis leuibus condemnatur. Item folia quæ de ramo isto procedunt, sicut dictum est, sunt discordiarum seminatio. Cum enim aduersitati quis congaudet alterius, alios concitat contra ipsum, quod est peccatum mortale. Vnde in prouerbiis dicitur: Sex sunt quæ odit Dominus, & vltimum ponitur tamquam peius, Qui seminat inter fratres discordias. Item secretorum reuelatio, tunc est peccatum mortale, cum tale secretum est, quod in illius, qui secretum commisit, potest verti detrimentum, tunc autem maximum est peccatum, cum videlicet ad reuelationem confessionis, verbo, vel signo, vel circumstantia aliqua quis procedit.

1. Cor. 4. a

Prou. 6. b

Secundus ramus inuidiæ principalis, est dolor in prosperitate proximi, quòd, vt supra dictum est de inuidia, habet rationem mortalis. Ex hoc autem ramo procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur. Hoc autem folium principaliter in duo diuiditur: quia qui detrahit, aut hoc est, eius bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum folium quattuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, peruertere, & negare. Ex secundo autem ramo hæc folia procedunt, malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggrauare, addere, reuelare, & imponere, de quibus videamus qualiter habeant rationem mortalis. Sciendum igitur quòd est denigratio famæ alterius per verba occulta. Vnde Salomon dicit: Si mordeat serpens in silentio, nihil habet, eo minus qui occulte detrahit, habet autem ex suo genere rationem mortalis. Cum enim secundum Sapientem, Melius sit nomen bonum, quàm diuitiæ multæ; sicut mortale est rem inuito domino pertractare, & qui hoc facit, ad restitutionē tenetur: sic etiā alterius famam auferre, mortale est, & qui hoc facit, ad restitutionem tenetur. Hoc tamen circa istā materiam est aduertendum, quod quodlibet breue verbum, quod in derogationem vergit alterius, non est iudicandū mortale, maxime cum ex habitu inuidiæ non procedit. Ad detractionem autem spectat, vt dictum est, bonum proximi tacere, quod quidem mortale est, cum videt aliquis iniuste famam alterius deperire. Sicut enim in arcta necessitate tenemur proximo in rebus temporalibus prouidere; sic etiam & in necessitate famam eius seruare. Diminuere bonum alterius est, cùm aliquis commendationē alterius audire nō potest, sed eam diminuit, quod charitati opponitur, & si ex ramo inuidiæ procedat, mortale est, quandoq; tamē absq; mortali contingit, vt cum quis audit commendari indignum, vel vltra merita, & ex hoc potest oriri aliqua deceptio, tunc non habet rationem peccati. Cōuertere bonum alterius, est bonum quod negari nō potest, mala intentione factum asserere. Vnde de tali dicitur: Bona in mala conuertens, insidiatur, & in electis ponit maculam. Quod manifeste habet rationem mortalis, cum procedit ex inuidia; tamē cum hoc ex falso procedit iudicio, de hoc quandoq; iudicari debet, sicut de malo iudicio est dictum. Cum quis bonum peruertit alterius cum mendacio, tale mendaciū cum sit perniciosum, rationem mortalis sortitur. Item negare bonum alterius, quod scitur inesse, pertinet ad detractionem mortalem. Item de alio malum libenter audire, vel occasionem detractionis præstare, vel dissimulare cum possit corrigere, est mortale. Vnde Apostolus: Detractores Deo odibiles esse commemorat, dignos morte iudicat, non solum autem facientes, sed consentientes. Tamen circa hoc debemus dicere, quòd si aliquis detractionem alterius audiat, & non ex inuidia, sed ex verecundia, vel aliquo timore humano ne offendat aliquem, non est iudicandum mortale; nisi sit talis persona, quòd ex officio corrigere debeat, cui posset cedere in mortale. Item malum auditum de aliquo confirmare, & additis circumstantijs aggrauare, vel dicto alterius addere mendaciter, vel veraciter, ad diffamationem intendendo, est mortale. Multum tamen interest, vtrum hoc procedat ex inuidia, vel indiscreto zelo iustitiæ, quandoq; enim contingit mala aliorum, facta ex quadam indignatione vel leuitate loquendi, nec intentione diffamandi contra aliquem malum recitari, vel etiam aggrauari, quod esset durum iudicare mortale. Hoc tamen à plerisq; magis dicitur, quòd crimen alterius etiam verum extra correctionis ordinem reuelare mortale est. Ordo autem correctionis fraternæ est à Domino institutus, qui ait: Si peccauerit in te frater, in te, id est te sciente, vade & corripe eum, &c. Hic etiam circa istam materiam est notandum, quòd crimen alterius detegere, vni non potest prodesse nisi ad diffamationem, est contra ordinem correctionis fraternæ.

Eccli. 10. c

Prou. 22. a

Eccli. 11. d

Rom. 1. d

Matt. 18. b

Item ex medio duorum ramorum inuidiæ descriptorum, procedit ramus rancoris, cum enim inuidus bonum proximi non potest diminuere, nec eidem malum inferre, prorumpit in cordis rancorem. Est autem Rancor motus cordis grauis ex mala affectione procedens in proximum, & habet rationem mortalis, si ex inuidia procedat, vel libera voluntate. Ex libera autem voluntate dico, quia contingit interdum, quòd aliquis homo propter suam ineptitudinem, vel illatam iniuriam, sine motu displicentiæ videri non potest: quod quidem in multis magis habet rationem passionis, quàm peccati, dum voluntas libera non consentit. Ex hoc autem ramo rancoris procedit ramus odij, qui manifeste habet rationem mortalis: quia rectæ charitati opponitur, in qua vita animæ conseruatur. Hoc etiam aduertendum, quòd non solum secundum præceptum tenemur diligere amicos, sed etiam inimicos & malos; vitium tamen in aliquo non tenemur diligere. Vnde & si quis contra alium moueatur propter eius vitium, quandoq; non est vitium, sed virtus, licet quandoque zelus indiscretus circa hoc possit contingere, & sic oditur vitium, quod aliquando redundat in personam. Debent autem, secundum Augustinum in speculo, corrigi vitia hominum, cum dilectione personarum, & odio vitiorum.

Rancor quid.

Inimici, & mali sunt diligendi, non tamen vitium.

Aug. habet hoc ep. 109. post med. tomo 2.

Ex ramo autem odij oritur ramus iræ. Est autem ira, vt hic accipitur, inordinatus animi motus ad nocendum proximo sine causa, & cum sit contra charitatem habet manifeste rationem mortalis. Hoc tamen notandum est, quòd quælibet ira non debet iudicari mortalis, secundum enim Gregorium, est ira per zelum, & est ira per vitium. Est autem ira per zelum, cum quis multum intense contra malum mouetur, & in punitionem tendit, quod quidem virtutis est, nisi zeli indiscretio interueniat, sicut de odio immediate est prædictum. Ira autem per vitium est, cum quis contra proximum mouetur iniuste, & ad eius pœnam intendit. Et quandoq;, sicut de alijs vitijs est dictum, talis motus præuenit iudicium rationis ex complexione, vel ex causa alia, & tunc non habet rationem mortalis. Ex hoc autem ramo iræ procedit ramus appetitus vindictæ, & fructus crudelitatis, & folium discordiæ, quæ consistit in verbis.

Ira quid.

Gregor. lib. 5. Mor. cap. 31. post mediū.

Ira duplex.

Circa appetitum vindictę intellige, quòd aliquis vindictam de aliquo dupliciter potest appetere; aut inquātum est in proximi nocumētum, & procedit ex odio: aut inquantum per pœnam potest corripi proximus, ne de cetero ad peccatū declinet, & hoc modo vindictam appetere non est malum, licet autem vere puniens debet aduertere, quod quandoq; mens sibimet mentitur, & quod facit ex odio, ex bona intentione fieri sibiipsi simulat, & in hoc conscientiam suam mendaciter informat.

Calumnia quid.

Ex ramo appetitus vindictæ oriuntur hi fructus: Calumnia, vexatio, & damnificatio. Calumnia est falsi criminis impositio,&est manifeste mortale,quia est perniciosum mendacium, & procedit ex odio, & quia iniustitia inuenitur ibidem.

Vexatio.

Est autem vexatio, cum quis aliud trahit ad iudicium sine causa, & ipsum in persona sua vexat, & in expensis damnificat,quod fit quandoq; per falsas litteras, vel falso impetratas, vel non suas, sed alterius, vel iuris ordine prætermisso, vel ad impossibilia obligando, vt citando coram diuersis iudicibus ad loca distantia, & iniuste, in quibus causis non solum quis peccat mortaliter, verum etiam ad restitutionem omnium damnorum, & expensarum tenetur.

Damnificatio.

B Item, damnificatio est,cum quis in temporalibus bonis damnificat, & est mortale. Hoc etiam potest fieri dupliciter, aut impediendo bonum habitum, vel habendum,aut malum inferendo,quod etiam fit pluribus modis,quæ per modum fructus in arbore describuntur. Vnde circa hoc est notandum, quòd quinq; modis est quis reus damnificatione proximi,scilicet faciendo,præcipiendo,consulendo,iuuando,& dissimulando,scilicet cum prohiberi potest vel impediri damnum proximi,& voluntarie sustinetur, & quattuor casibus primo dictis, qui sic reus est, ad restitutionem tenetur, & in omnibus istis est peccatum mortale, quoniam hæc omnia directe charitati proximi opponuntur. Hoc tamen circa dissimulationem damni alterius est aduertendum, quòd alterius damnum dissimulare non semper iudicandum est mortale,puta cū quis ex timore magis quàm ex ira vel odio dissimulat, timēs ne forte malefactores cōtra ipsum moueantur, & in damnum proprium, possit aliqualiter redundare, vel in casu vbi probabiliter credit, quod sua correctio non prodesset. Vnde Augustinus primo de Ciuitate Dei: Si propterea quisq; obiurgandis, & corripiendis mala agentibus parcit, ne deteriores efficiantur, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.

Aug. lib. 1. de ciu. Dei cap. 9. ante med. tom. 5.

Secundus ramus iræ est crudelitas, ex qua oriuntur hi fructus,scilicet,incarceratio,percussio,verberatio,duellum, bellum, mutilatio,& occisio, de quibus aliquid videamus.

Crudelitas. *Sen lib. 2. de clemen. cap. 4.*

Est autem crudelitas,secundum Senecam,atrocitas animi in exigendis pœnis. Ex hoc etiam ramus feritatis procedit. Est autem feritas, cum quis sæuit in proximum absq; aliqua culpa præcedente in ipso, & in hoc à crudelitate differt, quia crudelitas est excessus in infligendo pœnam pro peccato commisso, habet autem vtrumq; rationem mortalis,quia opponitur charitati. Si tamen excessus in puniendo,ex zelo iustitiæ quandoque contingat,vt alij terreantur,nisi sit excessus notabilis,nō esset de facili iudicandum mortale. Punire autem absq; omni culpa, & causa, semper habet rationem peccati mortalis, absq; autem causa dico, quia sine culpa quandoque quis punitur non tamen sine causa, sicut patet in crimine læsæ maiestatis.Et quandoque etiam illi de terra alicuius inquantum sunt res domini offendentis,absque culpa propria in temporalibus puniuntur.

De incarceratione autem & verberatione,vel percussione, mutilatione, vel occisione proximi, clarum est, quod habent rationem mortalis,nisi fiant, per iustitiæ auctoritatem, iuris ordine, & moderamine obseruato, vim vi repellendo,cum moderamine inculpatæ tutelæ, hæc enim opponuntur charitati proximi, & licet de suo genere mala sint, tamen multum aggrauantur secundum radicem,si ex radice odij oriuntur.

Simplex sacerdos non potest absoluere parentum percussores.

Hoc tamen de percussione notandum, quòd parentum percussio specialius est peccatum, à quo simplex sacerdos non potest absoluere,& est contra præceptum diuinum de honore parentum. Percussio autem clerici grauior est quàm alia: & si grauis est ad solum Papam pertinet absolutio.

Tria ad iustum bellum requisita.

De bello autem notare debemus, quòd ad iustum bellū tria specialiter requiruntur, sine quibus habet rationem mortalis, videlicet, principis auctoritas. Vnde Augustinus contra Faustum: Suscipiendi belli auctoritas, atq; consilium penes principes sit. Item iusta causa. Vnde [a] idem Augustinus: Iusta debent esse bella,quæ vlciscuntur iniurias. Tertio requiritur intentio recta. Vnde [b] idem etiam Augustinus de verbis Domini: Apud veros Dei cultores, bella non crudelitate, aut cupiditate geruntur.

Aug. contr. Faust lib. 22. cap. 75. tom. 6.
[a] Idē quæst. sup Iosue lib. 6. quæst. 10. tomo 4.
[b] Refertur ex August. 23 quæst. 1. cap. apud

Duellum.

Duellum autem nota, quòd secundum iura est prohibitum, & secundum rationem habet rationem mortalis, & in appellatione, & in Domino, cuius auctoritate fit, & procuratoribus, & in pugilibus propter pecuniam. Et hoc patet cum manifeste habeat rationem tentationis diuinæ, & à forti debilis per naturam vincatur. Dicunt tamen quidam, quòd consuetudo excusat in hoc facto: cuius contrarium tenetur communiter à Theologis, & Iuris peritis.

Tertium, quod ex ramo iræ procedit, est discordiæ folium, secundum quod consistit in verbis. Ex discordia enim animorum, etiam discordia verborum procedit. Hoc autem folium in huiusmodi folia est diuisum, quæ sunt: irritatio, comminatio, contumelia, improperium, maledictio, procacitas, clamor, & irreconciliatio. Circa materiam istam in generali notandum est, quòd discordia in verbis contentio dicitur, qua quis verbis alterius procaciter contradicit, vnde contentio duorum dicitur, dicit enim modū inordinatum & contradictionem. Potest igitur inordinate aliquis contradicere proximo malum & falsum dicenti, & tunc ratione contradictionis, C peccatum non habet, sed in modo potest esse excessus, scilicet cum extendit modum negotij vel personæ, & potest esse mortale, cum quis ad confusionem anhelat alterius ex ira forte, vel odio, vel sit tanta contentio, quòd ex inde scandalum oriatur. Cum autem quis contendit cum aliquo, & veritati etiam contradicit, vel veritatem impugnat ex inuidia, vel ira, vel odio, tunc est mortalis contentio, & est contentio, quæ inter opera carnis ab Apostolo numeratur: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Huiusmodi autem contentionis species est irritatio, quando aliquis proximo loquitur pungitiue, secundum quòd quandoq; contingit, quòd homo ex odio, quod habet ad alterum, libenter eum verbis stimulat & irritat, sicut de fratribus Ioseph in Genesi dicitur: Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Et sic est mortale peccatum, secundum quòd ex odio vel ira mortali procedit, vnde de hoc iudicandum est secundum rationem radicis.

Gal. 5. d
Gen. 37. a

Commi-natio.

Item cum hoc folio est comminatio, cum scilicet aliquis alicui se malum facturum promittit. Et sicut lædere proximum est mortale, sicut dictum est superius, sic malum comminari, quod si fieret mortalis esset, peccatum mortale est, si sit deliberatio, & proponat facere quod minatur. Vnde scriptum est: Ante sanguinem, maledicta, contumelia & minæ.

Eccli. 22. d

Contumelia.

Sequitur videre de contumelia, improperio, & conuitio, & notandum, quòd contumelia est obiectio criminis perpetrati. Improperium est, cum quis iniuriose reducit ad memoriam auxilium, quod contulit necessitatem patienti. Vnde ait Sapiens: Pauca dabit, & multa improperabit. Conuitium autem est, cum defectus corporalis, vel aliud quodcumque crimen obijcitur ad confusionem personæ, & de his videamus quomodo habeant rationem peccati. Hoc igitur circa istam materiam est notandum, quòd cum secundum * Philosophum, voces sint signa intellectuum, multum considerandum est, quo animo verba dicantur. Contingit autem quandoq; talia verba dici ex indiscreto zelo, vel zelo iustitiæ, aut amoris, vel ex quadam surreptione & subito metu iræ, & tunc non esset iudicandum mortale, nisi tantus esset excessus, & verba sic inordinata, quòd aliquis per talem contumeliam in diffamationem incurreret manifeste. Tunc enim zelus iustitiæ nullatenus excusaret, quin peccaret mortaliter, sicut si aliquis aliquem ludendo interficeret per cautelam, tamen posset peccare morta-

Eccli. 20. b
** Arist. lib. Periher. tex. 1.*

mortaliter. Cum autem quis alteri conuitium vel contumeliam, vel improperium dicit ad proximi confusionem, & dehonorationem intendens, tunc agitur contra charitatem proximi, & peccat mortaliter, & sic intelligitur verbum Domini, dicentis: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Matt. 5. c

Item folium discordiæ, vt dictum est superius, est maledictio, vt cum aliquis malum alij imprecatur optatiue, & manifeste habet rationem mortalis, quia est contra proximi charitatem, si tamen mente ira teneatur, sicut ore profertur. Et hoc modo loquitur Apostolus cum dicit: Maledici regnum Dei non possidebunt. Contingit tamen verbum maledictionis esse veniale, vel propter paruitatem mali optati, vel quia ludo, vel surreptione, vel zelo iustitiæ, vel non malo affectu verba dicuntur. Et hoc modo Augustinus in sermone de Purgatorio, hoc iudicat veniale.

1. Cor. 6. b

August. de sanctis serm. 41. ant. med. tom. 10.

De clamore autem verborum, & procacitate sciendum, quòd quandoque contingit, quod licet intentione verborum conuitia grauia non dicantur, tamen tantus clamor & procacitas potest esse, quod scandalum sequitur, vel etiam ex intentione proximus prouocatur, & tunc habet rationem mortalis, eo modo, quo dictum est de contentione. Si tamen ex deliberatione procedit, & ex ramo iræ vel odij procedit, aliàs autem non iudicaretur mortale.

Item ad discordiam pertinet, irreconciliatio, cum scilicet quis proximum per contumeliam, vel alio modo læsit, & ipsum pacificare contemnit. Sicut enim rem alterius ablatam, vel famam, tenetur restituere proximo, sic, & pacem, petendo veniam. Vnde conuenienter dicit Augustinus in speculo, quòd melior est ille, qui quamuis ira sæpe tentetur, tamen ad impetrandum festinat, vt ei dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad impetrandum veniam tardius inclinatur. Vnde non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quod si quis contemnat facere, peccatum committit, sicut patet per verbum veritatis dicentis: Si offers, &c. secundum Glossam, munus nequaquam acceptatur talis offerentis, ante reconciliationem fratris. Et per hoc manifeste probatur, quòd est ibi peccatum mortale, non enim nisi per peccatum mortale amittit acceptationem diuinam, hoc tamen sane debet intelligi, cum scilicet talis fuit offensa, quod rationem mortalis habuerit. Qualiter autem contumelia rationem mortalis habeat, iam dictum est.

Matt. 5. d

CAPVT II.

De concupiscentia diuitiarum.

Secundus ramus, qui ex radice concupiscentiæ, & ex trunco mali consensus procedit, est concupiscentia oculorum, qui alio nomine auaritia nominatur. Dicitur autem auaritia, secundum quod est auiditas æris, id est, pecuniæ, ita quod per pecuniam omnia temporalia designantur. Vnde auaritia est inordinatio animi circa temporalia habita vel habenda. Quod duobus modis potest contingere, vel inordinate amando vel appetendo, vel iniuste acquirendo. Circa hoc tamen aduertendum est, quòd vtroque modo potest esse mortale, cum scilicet aliquis amorem diuitiarum præfert charitati Dei vel proximi, vel cum iniuste præfertur, vel per rapinam temporalia acquiruntur, & sic auaritia ab Apostolo inter mortalia computatur. Sicut autem de alijs vitijs dictum est, quod sua venialia habent, dum scilicet rationem præueniunt; sic etiam auaritia quælibet non iudicatur mortalis, vt cum quis ad temporalia inordinate afficitur, tamen salua charitate Dei, & proximi, vel proximus in tam modico læditur, quòd nullo modo iudicaretur mortale. Secundum hoc igitur, ex primo ramo auaritiæ tres rami principales procedunt, qui dicuntur, inordinatum desiderium habendi, inordinatus habiti amor, & inordinatus dolor amissi, & eo modo, quo dictum est de auaritia, est iudicandum de ipsis.

Auaritia quid.

Item ex primo ramo, qui est inordinatum desiderium habendi, procedunt hæc, scilicet solicitudo in mente, & iniustitia in opere. Hæc autem solicitudo potest habere rationem mortalis, scilicet cum propter solicitudinem rerum temporalium, dimittuntur necessaria ad salutem. Vnde ex hoc ramo, Sabbati violatio oritur, cum scilicet contra præceptum diuinum vel Ecclesiæ, tempora non seruantur. Per hoc autem sabbatum in lege nostra, Dominica intelligitur, & festa alia ab Ecclesia instituta. Obseruatio siquidem diei Dominicæ est de iure diuino, scilicet præceptum diuinum, vt habetur in Exodo: Memento, vt diem sabbati sanctifices, ex constitutione Ecclesiæ, & Spiritus sancti familiari consilio, propter solemnitatem resurrectionis Dominicæ, & propter quietem, quę octauę ætati respōdet, succedit Dominica sabbato, & in ipsa cessare à seruili opere debemus, & vacare diuinis. Hoc autem circa istā materiam est notandum, quòd obseruatio ista quantum ad aliquid est moralis, & de iure diuino, quantum autem ad aliquid cærimonialis, & ad ius positiuum pertinet, quòd enim homo aliquod tempus habeat ad vacandum diuinis, hoc pertinet ad morale præceptum, sed quod tali vel tali die, vel ab isto opere cessetur, vel ab illo, hoc ad ius positiuum pertinet. Igitur mandatum diuinum transgreditur, qui sic temporalibus negotijs occupatur, quòd numquam vacat diuinis. Præcipue etiam festum vel Dominicam violat, qui peccato operam dat, hoc enim est opus seruile, qui facit peccatum, seruus est peccati. Vnde Augustinus de decem chordis: Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm in theatro seditiosus existere, & melius feminæ eorum, die sabbati lanam facerent, quàm tota die in Neomenijs suis impudice saltarent, quod tamen intelligendum est de ludis, qui fiunt cum peccato mortali. Non enim intelligo sabbatum violari per peccatum veniale, quia secum compatitur obseruantia mandatorum. De operibus autem mechanicis, quæ seruilia dicuntur, sicut iam dictum est, ad Ecclesiam pertinet iudicare, qualiter sit abstinendum. Vnde Ecclesia pro tempore necessitatis, quæ legem non habet, dispensat, vnde in hoc casu præceptum vniuersalis Ecclesiæ particulariter, vel consuetudo generaliter approbata ab omnibus est obseruanda. Vnde de mercatis, & quadrigatione, & negotiatione, & nundinis, & talibus, quæ quandoque fiunt in multis locis diebus Dominicis, & festiuis, vtrum sit mortale, vel non, à legislatoris interpretatione dependere videtur, si enim hoc Ecclesia prohibeat sub virtute obedientię, constat transgredi esse mortale peccatum.

Exod. 20. b

August. lib. de decem chord. cap. 3. ante med. tomo 3.

Secundum, quod ex ramo inordinati appetitus temporalium procedit, vt dictum est, est iniustitia in opere, quæ in duos fructus principales distinguitur: quia aut est aperta iniustitia, aut occulta, quæ fraus alio nomine nuncupatur. Iniustitia autem aperta hos fructus secum habet, qui sunt, furtum, vsura, rapina, & iniqua sententia, de quibus aliquid videamus.

Circa furtum nota, quòd furtum est occulta rei alienæ contrectatio inuito Domino, & habet rationem mortalis, inquantum est contra iustitiam, & opponitur charitati proximi. Vnde lex diuina dicit: Non facies furtum. Hoc tamen aduertendum, quod tam modicates posset esse, vel tam modici valoris, quòd non haberet rationem mortalis, nisi forte adesset voluntas maius accipiendi, si facultas adesset, vel in illo modico esset alterius notabilis damnificatio, plus enim quandoq; damnificatur pauper in paruo, quàm diues in magno, vel nisi forte esset tanta necessitas, quòd accipere rem alterius cogeretur: tunc enim potest aliquis rem alterius pro extrema, vel vrgente necessitate corporis accipere: quia in necessitate omnia sunt cōmunia, & tunc furtum dici non debet, quia suum est, quod in necessitate accipit, vel etiam pro necessitate alterius. Vnde Ambrosius: Esurientiū panis

Furtū quid

Exod. 20. a

Ambros. in

Dom. 8. post Pentec. ser. 64. cir. fin. to 5. edit. Rom.

panis est, quem tu detines, & loquitur de auaro. Huius autem furti quattuor sunt species, scilicet rei occulta acceptio, rei inuentæ detentio, sacrilegium, & proprietas in religiosis.

Circa rei inuentionem nota, quòd quędam inueniuntur in littore maris vel aquæ communis, talia enim cedunt in proprietatem inuenientis. Similiter & thesauri, qui inueniuntur in terrâ, qui non fuerunt à tempore, à quo sit memoria in bonis alicuius, tamen secundum leges, dominus terræ debet habere medietatem. Vnde in Matthæo dicitur de inuentione thesauri absconditi, quòd emit eum. Illa autem quæ inueniuntur, quæ probabiliter fuerunt in bonis alterius, retinere, est furtum. Vnde Augustinus: Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Si autem possessor inueniri non possit, consuetudo terræ est seruanda.

Matt. 13. f

August. de verb. Apost. serm. 21. post med. to 9 & lib. 50. homil. 9. circa med. Refertur 14. q. 5. si quid.

Circa sacrilegium [a] nota, quòd sacrilegium est ratione acceptionis sacræ rei, vel in loco sacro, & secundum hoc triplex est species sacrilegij, vt quando aufertur sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro.

a Triplex sacrilegij species.

Quartò circa furtum religiosorum in retentione proprij, notandum est quod dicit Augustinus[b] de religiosis, quòd si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur, tunc autem intelligo hoc celari, & habere proprij rationem, quando sic celatur, quòd si etiam prælatus in virtute sanctæ obedientiæ præciperet, quòd reuelaretur, etiam celaretur. Nec aliter intelligo mortale, nisi quando contra voluntatem prælati præceptoriam detineretur. Hoc etiam notandum de religiosis, & dispensatoribus, & filijsfamilias, & vxoribus, quòd furtum possunt committere, si notabiliter dominos rerum in dispensando damnificant, contra voluntatem & intentionem dominorum, cum autem intuitu pietatis etiam commune bonum procurando, nec mala intentione dant aliqua, vel dispensant, non est iudicandum mortale.

b *Aug. ser. 1. ad frat. in eremo. cir. med. tom. 10.*

Sequitur de rapina. Est autem rapina, cum quis rem alterius manifeste per violentiam accipit iniuste, & habet manifeste rationem mortalis, sicut de furto dictum est. Vnde in Isaia dicitur: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Potest tamen esse veniale, vel etiam nullum, eo modo quo de furto dictum est, vel etiam in bello iusto, quando bona inimicorum rapiuntur. Quid autem requiratur ad bellum iustum, dictum est superius. Cum rapina autem sunt fructus alij, scilicet inductio nouæ taliæ, vel consuetudinis exactio, extorsio, munerum acceptio, & ludus alearum.

Isa. 61. b

Notabile pro Principibus.

Circa primum notandum, quòd nouas talias, vel leges, vel consuetudines constituere, ad extorquendum pecuniam absq; iusta causa, habet rationem rapinæ. Item exactio est, cum quis debitum inordinate exigit, & potest habere rationem rapinæ, cum scilicet creditor videt damnũ notabile debitoris, nec necessitatem patitur, sed cõmode potest expectare, tũc enim posset lędi charitas, & posset esse necessitas, quòd exactio haberet rationem mortalis. Vnde qui à subditis talias & seruitia isto modo exigunt, nec necessitati eorum, quantumcunq; sint pauperes, compatiuntur, rectè raptores dicuntur. Vnde hæc, quæ de actione dicta sunt, contra illud præceptum morale sunt, quod ponitur in Exodo: Si pecuniam dederis mutuo, populo meo pauperi, non vrgebis eum quasi exactor.

Exod. 22. d

Tertius fructus rapinæ est extorsio, quod quidem est cum quis terrendo, vel adulando, vel violentis precibus extorquet ab aliquo seruitium, vel aliquod temporale: & tunc quidem potest habere rationem mortalis, cum tollitur ratio voluntarij arbitrij ab illo, cui infertur talis extorsio, & talis est qui minatur, vel rogat ab eo, qui potest nocere, & cuius offensa probabiliter timetur, nisi habeat quod petit, & hoc modo extorsio violenta est, & sic est contra præceptum in Leuitico positum, vbi iubetur, non aliquid extorqueri.

Leuit. 6. a

Quartus fructus rapinæ est munerum acceptio, quæ quandoque non habent rationem peccati, scilicet cum pauper dat diuiti, reus iudici, creditori debitor. Suspecta tamen est talis munerum collatio, & receptio, ex intentione dantis vel recipientis cito posset inueniri ratio mortalis peccati. Vnde cum diues à paupere recipit, vt ipsum secundum iustitiam tueatur, cum alias hoc facere teneatur, & iudex cui datur aliquid, vt peruertat iudicium, vel vt iustitiam consequatur, cum munus recipit, aut iudicium peruertit, aut iustitiam vendit, manifeste habet rationem mortalem. Creditor etiam, qui à debitore munus recipit, in rationem debiti videtur quod accipiat, & si hac ratione non accipit, tunc habet rationem vsuræ. Quandoque tamen non habet rationem peccati, vt cum quis simpliciter recipit munus, absque mala intentione, nec habet rationem, quare possit suspicari, quod mala intentione donetur.

Quintus fructus rapinæ est ludus alearum, seu taxillorum, qui prohibitus est tam à iure canonico, quàm ciuili. Vnde & de hoc dicunt quidam, quòd sit peccatum mortale, eo quòd sit contra ius canonicum & ciuile, & quod ex ludo habetur, nullo bono titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogari. Quia enim qui in ludo lucratur, iniuste lucratur, & qui amittit, iuste amittit, ideo qui lucratur, eidem à quo lucratur restituere non tenetur, nisi forte induxerit ad ludendũm. Cum autem ludus satis videatur ex radice rationem habere mortalis peccati, quia scilicet ex auaritia videtur procedere, & quia ludo multa communicantur peccata, scilicet fraus, mendacium, periurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter: ideo hæc causa prohibitionis ludi esse videtur. Cum ludit aliquis causa recreationis, peccatis supradictis exclusis, non videtur habere rationem mortalis.

Tertius fructus principalis iniustitiæ ad proximum quæ ex ramo auaritiæ procedit, est vsura. Dicitur autem vsura ab vsu æris, sunt enim quædam res, quarum vsus est rei consumptio, quarum dominium in accipientem transfertur, vt pecunia, & bladum, & vinum, vnde qui talium vsum vendit, vsurarius dicitur, & habet rationem mortalis peccati, & inquantum contra præceptum mortale iustitiæ est, quia vendit alij quod suum non est, cum iam sit translatum dominium. Vnde scriptum est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Vsura enim in has species diuiditur. Est enim vsura in spe, cum quis non expresse contractum vsurarium facit, licet speret pro mutuo se aliquid accepturum, & hac intentione dat mutuum, alias non daturus; constat, quod talis quantum ad Deum, qui cor intuetur, vsurarius iudicatur. Vnde Dominus: Date mutuum, nihil inde sperantes. Item est vsura non solum intentione, sed & opere, cum quis debitorem ad amplius obligat quoquomodo, vel tacite, vel expresse, tacite quidem mutuando speciem pro specie, vt bladum pro blado, & huiusmodi, vt ea recipiat tempore cariori, vel dando antiquum pro nouo, vt melius recipiat innouatum, in quibus casibus vsura committitur, cum proprium commodum, non necessitas proximi ibidem attendatur. Tunc autem potest manifeste scire corrupta intentio, cum solummodo præcluditur infra tempus, quo carius venduntur, cum quis autem huiusmodi intendit seruare, vsque ad tempus, quo vendentur carius, licet debitor in se periculum suscipiat, non tamen in creditore iudicatur vsura, si hoc faciat, vt proximo subueniat. Item tacita vsura est, cum quis ratione dilationis plus iusto vendit & accipit, & cum quis ratione mutui seruitium vel munus accipit, vt superius est expressum. Item est vsura tacita, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum vel damnum non sit commune. Item est vsura manifesta, cum promissum ex pacto interuenit accipiendi amplius, vel etiam obligatio ex pacto ad simile mutuum faciendum.

Vsura quid.

Psal. 14.

Luc. 6. e

Iniustitia in contractibus.

Secundus ramus principalis auaritiæ est iniustitia occulta, quæ in contractibus multis modis contingit, scilicet vendendo, emendo, commutãdo, & hoc potest esse, quando circa spiritualia vel temporalia, fit fraus in numero, pondere, & mensura, in valore, seu in quantitate, in defectus taciturnitate, cum scilicet notabilis est defectus, & occultus rei venditæ, & tacetur, & ita care venditur, ac si non esset ibi defectus aliquis. Item notabiliter care vendendo, vel propter necessitatem ementis, vel propter solutionis dilationem, vel propter simplicitatem ementis, qui rei valorem non nouit. Item in venditione suspecta locutio, plurima, scilicet rei falsa commendatio, periurium, execratio, verborum duplicitas, seu falsitas, quæ omnino secundum quod ad nocumentũ proximi, vel deceptionem ordinantur, sic contra proximi charitatem sunt. Hoc tamen aduertendum, quod sicut supradictum est de furto, ita posset esse proximi tam modicum nocumentum, quod quantum esset de ratione contractus, non iudicaretur mortale.

Mendacium. *Psal. 5. b*

Hoc tamen circa mendacium est notandum, quod sicut habetur super illud Psalmi: Perdes omnes qui loquuntur mendacium; triplex est mendacium, scilicet iocosum, officiosum, quod fit propter bonũ proprium, vel etiam proximi, & perniciosum, quod fit in nocumentum proximi, vel fidei detrimentum, & hoc vltimum de suo genere est mortale. Vnde cum mendacium sit in proximi nocumentum, in contractibus, patet, quod habet rationem mortalis.

**Hiero. lib. 1. commēt. in Hierem. c. 4. nō longe à princ. to. 4. Refertur 22. q. 1. cap. animaduertēdum.*

Hoc etiam circa periurium, & iuramentum est notandum, quod iuramentum, secundum *Hieronymum, tres comites habere debet, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam. Iudicio caret iuramentum absque discretione, & deliberatione factum. Iustitia caret iuramentum illicitum, quod est in detrimentum salutis æternæ. Veritate autem caret, cum falsum iuratur.

Iuramentum.

Circa iuramentum etiam est sciendum, quod duplex est iuramentum, scilicet assertorium, & promissorium. Iuramentum assertoriũ est cum falsum iuratur, vel quod creditur esse falsum ex suo genere est mortale, & contra præceptum diuinum, de non assumendo nomen Dei in vanum; hoc autem sic intelligendum videtur, cum quis ex deliberatione peccat, & se peccare aduertit.

Exo. 20. b

Circa iuramentum promissorium notandum, quod cum quis promittit per iuramentũ aliquid se facturum, & deliberatiue, tenetur illud adimplere: aliter est transgressor præcepti, nisi forte ad implendum reddatur impotens, vel nisi iuramentum vergat aliquo modo contra Dei vel proximi charitatem. Dicit enim Isidorus: In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum. De verborum autem duplicitate & falsitate, quando fit in proximi deceptionem & nocumentum, sicut de mendacio iudicandum videtur. Vnde dicit Isidorus: Quacumque arte quis iurauerit, Deus, qui conscientiæ testis est, illud accipit, sicut ille, cui iuratur.

Isid. de contemp. mun. c. de voto.

Isid. de sũ. bo. lib. 2. c. 31. sent. 8.

Circa fraudes, quæ in emendo fiunt, notãdum, quod quandoque in venditore est simplicitas, vel necessitas: & hoc modo contingit fraus in emptore, scilicet cum res emit vilius, vel ratione simplicitatis illius vendit, vel necessitatis, vel ignorantiæ.

Item peccata locutionis in emptoribus frequenter inueniuntur, cum scilicet res mendaciter vilipenduntur & rationes, quæ circa venditores sunt dictæ. Et eo modo quo dictum est de venditore, sic etiam de fraude in commutationibus est similiter iudicandum.

Item, vt dictum est, non solum consistit iniustitia & fraus in contractu temporalium rerum, sed etiam circa spiritualia. Et quidem potest fieri, vel circa iudicia, & sic est fructus iniquæ sententiæ: vel circa beneficia, & sic simonia. Est autem simonia, secundũ quod communiter diffinitur, studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum; & habet rationem mortalis: quia manifeste ibi est iniustitia contra Deum, cũ spiritualia non possint cadere sub pretio temporali, & quia non potest quis vendere vel emere illud, cuius non potest habere dominium, spiritualium autem non sumus Domini, sed ministri. Vnde Apostolus ait: Sic nos existimet homo, &c. Item, quia gratis accipiuntur, gratis conferri debet. Iuxta illud Matthæi: Gratis accepistis, &c. Simonia autem tribus modis committitur, & secundum hoc tres fructus habet in arbore; committitur enim à manu, vt munera corporalia conferendo pro spiritualibus obtinendis. Item munus à lingua, vt per preces carnales & iniustas, spiritualia obtinendo. Item munere ab obsequio, vt cum quis per seruitium humanum, iniustum, vel inhonestum spiritualia obtinet. Item nota alias species simoniæ, quia permutando, transigendo spiritualia beneficia absq; superioris auctoritate, contrahitur simonia secundum iura. Appellatur permutatio, cum fit mutatio dignitatum, vel quorumcumq; beneficiorum Ecclesiasticorum. Transactio autem est de quacumque re spirituali non gratuita pactio. Hoc autem circa materiam generaliter est aduertendum, quod spirituale dare vel accipere pro temporali, ita quod spirituale cadat sub pretio, est vitium simoniæ. Licet autem pro labore & pro sustentatione secundum bonas consuetudines accipere seu dare.

Simonia quid.

1. Cor. 4. a

Matt. 10. a

Item vt dictum est, alius fructus iniustitiæ seu fraudis est ad proximum, scilicet iniusta sententia & multos fructus mortiferos habet, qui sunt, iustitiæ peruersio siue dilatio, ordinis, iuris mutatio, falsum testimonium, iniusta aduocatio, litterarũ abusio, quę omnia habent rationem mortalis, secundũ quod cedunt in proximi nocumentũ, & ex radice auaritiæ procedunt, vt pecunia emergatur.

Aduocatio iniusta.

Circa quartum scilicet de iniusta aduocatione nota peccata, quæ ibi inueniuntur frequenter, scilicet iniustum patrocinium, litis prolongatio, & iuris sophistica allegatio, iniustum consilium, scilicet de mendacio, seu periurio in iudicio faciendo, quæ manifeste rationem mortalis habent, cum fiunt in proximi nocumentum.

Abusio litterarum.

Circa quintum, scilicet litterarum abusionem, nota etiam multa peccata, quæ committuntur hoc facto, scilicet iniusta impetratio, vt cum veritate tacita vel falsitate suggesta, litteræ ad vexationem proximi impetrantur: iniusta extensio, vt cum quis habet litteram ad aliquas personas specialiter, vel ad certum numerum personarum, vel ad certum negotium, & vltra litteræ virtutem vel tenorem, extenditur ad negotia vel personas. Item additio vel diminutio per rasuram, vel fictio, cum quis bullam subtiliter raserit, vel bullam falsam facit, in quo vltimo casu, ipso iure maiorem excommunicationem incurrit.

Secundus ramus principalis, qui ex auaritia procedit, est inordinatus amor habiti; & ex hoc ramo hi fructus procedunt, iniusta congregatio, immisericordia, seu incompassio, restitutionis dilatio, irrecompensatio, illiberalitas; de quibus est videndum, quomodo habent rationem peccati.

Circa primum de iniusta congregatione est notãdum, quod iniusta congregatio est, cum quis bona sua, seu fructus terræ congregat solo ardore habendi, vel vt carestia procuretur, & res seruatæ postmodum carius vendantur, & iterum pretium reponatur. Et hoc quidem rationem mortalis habere potest, dum est tibi intentio ita congregandi, nec dispergendi, loco, & tempore, sed solo ardore habendi, & luxuriandi in eis. Et hoc exemplum patet in illo diuite, de quo dicitur, quod dicebat: Anima mea habes, &c. cui responsum est: Stulte hac nocte repetent animam tuam, scilicet dæmones, &c. ergo manifestum est, quod faciebat peccatum mortale. Secundus fructus est immisericordia in effectu, cum scilicet proximus in arcta necessitate videtur, & scitur hoc, & non subuenitur ei, cum tamẽ omnia in necessitate debeant esse communia, & tunc potest esse mortale, & secundum hoc mali iudicabuntur de defectu misericordiæ, sicut patet in Matthæo. Vnde & sic intelligit Ambrosius, vbi dicit: Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. Non solum autem est in præcepto proximum iuuare in datione temporalium, sed etiam in aliis actibus misericordiæ, sicut patet

Lucæ 12. g

Matt. 25. Refertur ex Amb. d. 86. c. pasce.

in Matthæo vbi supra. Tertius fructus est restitutionis dilatio. In illis enim casibus, in quibus non transfertur dominium, sicut in furto, rapina, & similibus, semper est detentor in mora. & peccat mortaliter retinendo, licet pœniteat accepisse, si tamen adsit reddendi possibilitas, vel opportunitas. Vnde & Augustinus dicit: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ. In his autem, in quibus dominium transit in accipientẽ, sicut in mutuo, non est quis in mora, nisi secundum conditiones appositas, & sic posset esse tantæ conditionis transgressio in proximi læsionem, quod posset habere rationẽ mortalis. Quartus fructus inordinati amoris temporaliũ est irrecompensatio, cum scilicet quis multa bona accipit ab aliis, & ex inordinato amore temporaliũ, aliquid recompẽsare dimittit, quod manifeste est contra ius naturale. De hoc tamẽ secundum radicem iudicandũ est, scilicet, vtrum hoc ex auaritia procedat, quæ habeat rationem mortalis: qualis autem auaritia radicem mortalis habeat, dictum est. Sicut autem de irrecompensatione, ita & de illiberalitate dicendum est, cum quis non est liberalis in dando.

Aug. ep. 54. ad Maced. post med. to mo 2.

CAPVT III.

Tertius principalis ramus est concupiscentia carnis.

TERTIVS ramus principalis, qui ex radice concupiscentiæ, ex trunco malæ voluntatis procedit, est carnis concupiscentia, secundum Ioannem in canonica sua, scilicet, in quærendo delectationem, & vitando molestiam. Et secundum hoc in duos ramos principales iste ramus diuiditur. Primus autem ramus, qui ex quæstu delectationum consistit, in duos ramos diuiditur, quia quædam est delectatio pertinens ad conseruationem indiuidui per actum refectionis: alia est pertinens ad conseruationem speciei per propagationem seminis.

2. Ioã. 2. c

Gula quid

Quantum autem ad primum, specialiter peccatum gulæ consistit. Est autẽ gula, secundum quod habet rationem peccati mortalis, inordinatus appetitus vel vsus nutrimenti, rationem subuertens, & auertens à Deo; & hoc patet in illa gula præcipue, qua quis præcepta Dei non timet prætergredi, vt delectamenta ciborum sequatur, & illa in qua etiã ratio subuertitur, cum ex deliberatione, seu aduersione rationis procedit, vt cũ quis scienter se inebriat, vel naturam propriã grauat. Vnde Gregorius tricesimo Moraliũ, sic loquitur de gula dicens, quod dominante gulæ vitio, omne quod egerint homines fortiter, perdunt. Sicut autem alia vitia sua venialia habent, vt supra dictum est, ita etiam gula sua venialia habet. Vbi circa actum nutritionis & desiderium non est inordinatio contra Deum, nec auersio rationis; quia tales actus non sunt quandoque in potestate hominis. Ex hoc autem ramo præcipue tres rami exeunt principales, scilicet incontinentia gulæ, immodestia, & delectatio.

Gregor. lib. 30. Mor. c. 13. ante med.

Gulæ incontinentia.

Circa primum scilicet de incontinentia gulæ notandum est, quod istos fructus habet secum, anticipationem, frequentationem, & ieiunij fractionem. Anticipatio est, cum quis horam comedendi anticipat, quod potest fieri tempore ieiunij, vel alio tempore. Si autem tempore ieiunij, quod est in præcepto, cum hora comedendi secundum iura & consuetudinem assignetur post meridiem, qui horam notabiliter anticipat sine causa, sola comedendi libidine, fraudem facit, nec tale ieiunium reputatur: vt si quis forte hora tertia comederet, & sic se impleret, quod postmodum illa die non esuriret. Qui autem fraudem facit legi, committit in legem. Vnde Chalcedonense Concilium: Nullatenus iudicandi sunt ieiunare, qui ante comedunt, quam vespertinum celebretur officium, quod tempore Quadragesimali dicitur. Alias autem post nonam. Item ista anticipatio fit etiam alio tempore, vt multi qui volunt comedere, statim quando de lecto exeunt, sicut bruta etiam quandoque absq; aliquo appetitu ex praua consuetudine; quod est graue peccatum, & vix potest contingere, quin à radice mortali procedat. Secundus fructus est frequentia cibi vel potus, quod nisi cogat ætas, vel infirmitas, vel iusta necessitas, manifeste contra rationem est peccatum; quam prohibet Apostolus, qui ponit comessationem inter opera carnis. De quibus dicit: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Per quod patet manifeste, quod aliqua comessatio habet rationem mortalis, cum scilicet procedit ex gula eo modo, quo habet rationem mortalis. Quando autem habeat rationem hanc, dictum est supra. Tertius fructus incontinentiæ gulæ, est fractio ieiunij ab Ecclesia instituti, quod fit in numero, in qualitate. In numero comestionum, pluries comedendo: in qualitate cibi, cibum vetitum comedendo, vt comedendo carnes, vel lacticinia, & huiusmodi in Quadragesima. Et hoc de ieiunio est sciendum, quod quicumque hoc ieiunium non obseruat absque dispensatione superioris, iusta necessitate laboris necessarij, vel paupertatis notabilis, vel ætatis, vel infirmitatis, est transgressor præcepti, & sic peccatum mortale committit. Vnde Hieronymus ad Lucinium, loquens de ieiunio dicit: Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepto maiorum, leges Apostolicas arbitretur; per quod patet, ieiunium esse in præcepto.

Gal. 5. d

Ieiunium.

Hieron. ep. 28. quæ est ad Lucin. prope fin.

Immodestia.

Secundus ramus principalis gulæ, est immodestia, scilicet cum in nutriendo corpus, modus debitus non seruatur: & duos fructus habet, scilicet auiditatem, & nimietatem. Est autem auiditas, inordinata in comedendo gulositas, & est peccatum, cum motus brutales & inordinatos debeat refrænare, & potest quandoque sine peccato esse, vt cum homo non subiacet suæ potestati: & quandoque est veniale, vt cum non ita reprimit sicut decet; & potest esse mortale, si ex radice mortali procedat, sicut de frequentia dictum est. Secundus autem fructus immodestiæ in cibo est nimietas, vt cum quis comedit in nimia quantitate, vel bibit. Ex hoc fructu nascitur corporis grauitas, & infirmitas, mentis hebetudo & cæcitas, iudicij præcipitatio, incircumspectio, ebrietas, loquacitas, inepta lætitia, & dissolutio. Circa materiam istam notandum in generali, quod ille nimis dicitur comedere, qui vltra commoditatem naturæ comedit & bibit; & est contra rationem, & per consequens peccatum, cum actus nutritionis sit ad conseruationem indiuidui, & per talem culpam fiat naturæ subuersio; vnde patet, quod ibi est abusio & peccatum. Et tantum in grauamen naturæ procedere potest, si ex deliberatione fiat, quod habebit rationem mortalis. Ex deliberatione autem dico, quia quandoque ex passione famis, vel prætextu æstimatæ necessitatis hoc potest fieri, quod de facili non esset iudicandum mortale. Ex hoc autem fructu, vt dictum est, est corporis grauitas & infirmitas, quæ ex nimia cibi sumptione procedit, & hebetudo mentis, & cæcitas, quæ licet magis rationem pœnæ, quam culpæ habeant, tamen causa peccati esse possunt, cum quis ratione infirmitatis, vel grauitatis carnis iam non potest facere, nec implere id, ad quod à natura ex præcepto tenebatur; vel cum ex nimia sumptione cibi vel potus, in talem hebetudinem, vel cæcitatem mentis incidit, quod necessaria ad salutem non cogitat, nec diiudicat, & transgreditur, vel sententiam, vel verbum præcipitat in proximi nocumentum. Et tunc manifeste non excusatur, quin talibus possit peccare mortaliter in talium commissione, cum factus sit ineptus ad talia exercenda, dando operam rei illicitæ. Et hæc intelligo, nisi amisisset totaliter rationem, vel forte corporis potestatem, eo modo, quo de ebrietate dicetur.

Ebrietas.

De ebrietate autem notandum, quod si quis sciens vini vel liquoris fortitudinem, & aduertens, quod ex eius nimia sumptione potest ebrietatem incurrere, nimis sumendo, peccat mortaliter, quia scilicet vsu rationis se priuat, & omnium peccatorum periculis se exponit. Vnde Ambrosius in libro de Patriarchis: Vitandam discimus ebrietatem, per quam crimina vitare non possumus; nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Et Apostolus ad Galatas inter opera mortalia ebrietatem connumerat. Potest tamen ebrietas contingere absq; mortali, & etiã veniali, vt cum quis liquoris fortitudinem non agnoscit, vel liquorem

Amb. lib. 1. de Abrah. c. 6. cir. fin. Refertur 15. q. 1. c. sane.

* Gal. 5. d

inebrian-

inebriantem pro alio bibit, vel siti ducitur non aduertens. Vnde & Augustinus contra Faustũ, Loth de ebrietate excusat. Cum autem quis ratione ebrietatis, vel occasione, peccatum mortale ignoranter pòstmodũ committit, si mortalis fuit ebrietas, non totaliter excusatur: tamen secundum quod ratio voluntarij diminuitur, sic peccatum excusatur à tanto, licet non à toto. Si autem ebrietas absque peccato contingit, tunc à peccato mortali excusare potest. Vnde Augustinus, Loth ebrium ab incestu excusat, dicens contra Faustum: Loth culpandus, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit. Tamen cum quis ad se redierit, debet de illo peccato dolere, vt credo, & etiam confiteri: quia ad superiorem pertinet iudicare, vtrum talis fuerit ebrietas, quæ peccatum valeat excusare. Item folium istius immodestiæ est loquacitas, quæ multa folia secum habet, scilicet multiloquium, vaniloquium, stultiloquium, turpiloquium: de quibus cum voces sint signa intellectuum, iudicandum videtur secundum rationem radicis.

Aug. lib. 22. contra Faust. cap. 44. to. 6.

Aug. ibid.

Vltimus fructus nimiæ comestionis est inepta lætitia & dissolutio, quæ sortiuntur rationem peccati secundum radicem, & in aliquibus secundum scandalum, seu occasionem scandali, quod tantum esse poterit, quod habebit rationem mortalis.

Tertius ramus principalis, qui ex gula procedit, est inordinata delectatio, & hos fructus etiam secum habet, scilicet: Solicitudinem in quærendo, studiositatem in præparando, multiplicitatem in diuersificando, carestiam in emendo, voracitatem in sumendo, quæ rationem peccati sortiuntur secundum rationem radicis, & personarum & statuum, vel secundum quod in talibus fit ita notabilis superfluitas atque sumptus; quod pauperum indigentia & necessitas hoc faciat habere rationem mortalis, eo modo, quo superius de prodigalitate est dictum.

Secundus ramus principalis, qui ex radice carnalis concupiscentiæ procedit, est delectatio inordinata circa actum, qui pertinet ad conseruationē speciei, vt dictum est supra, quæ luxuria appellatur, quæ quidem habet rationem peccati, inquantum repugnat rationi vel naturæ, & habet rationem mortalis, sicut patet ad Galatas, vbi inter carnis opera computatur. Hic autem ramus cum præcedenti ramo conuenienter inseritur, quia ex gula procedit, & gula ei materiam administrat, quia semen secundum Philosophum est superfluum alimenti. Sicut autem dictum est de aliis peccatis, quod motus proprij & diuersi, qui præueniunt rationem, nec adhibetur consensus, non habent rationem mortalis, sic etiam de luxuria est dicendum.

Luxuria.

Gal. 5. d

Arist. lib. 1. de generat. anim. c. 29.

Ex hoc autem ramo tres rami speciales procedunt, qui sunt, inhonestas, carnalis affectio, & incontinentia. Inhonestas hos fructus emittit, quia est inuerecunda in verbo, in gestu, in facto, in habitu. Circa inuerecundiam hoc est aduertendum, quod licet sit passio, tamen ex vitio oritur; cum enim inuerecundia sit de turpi proprie, quia qui inuerecundus est, turpia videtur diligere; vnde de ipsa iudicandum est, secundum rationem radicis. Neque enim quandoq; est in potestate hominis, quando voluerit verecundari, quia huiusmodi passiones, vt frequenter complexionem sequuntur.

Inhonestas.

Circa inhonestatem in gestu, vel facto, vel verbo, sciendum, quod multum ex affectu pensantur, vel secundum quod ex hoc ratione temporis, vel loci, vel personæ potest oriri scandalum, & tunc ex aliqua circumstantia, posset tantam præstare occasionem scandali, quod posset habere rationem mortalis, vt si forte persona religiosa, vel posita in exemplum, choreas, vel tripudia duceret, vel si forte quæcumq; in Parasceue talia exerceretur. Inhonestas autem in verbo, quæ scurrilitas dicitur, de qua dicit Apostolus, Nec nominetur in vobis; ex affectu pensatur vel secundum scandalum ratione personæ, vel secundum quod verba talia alios ad malum incitant, cum & tali intentione dicuntur, & sic posset habere rationem mortalis. Et sic etiam de choreis, & cantilenis, & lusibus, intelligendum est. Per hæc igitur quæ dicta sunt, patet, quomodo histriones, saltatrices, & tales ioculatores, qui inhonestis verbis & factis, homines faciunt delectari, nō pensantes quæ verba vel facta proferant, dum tamen possint pecuniam extorquere, non sunt in statu salutis. Dare etiam talibus est in peccato fouere. Vnde Augustinus super Ioannem: Dare res suas histrionibus, vitiosum est. Qui autem talia exercent officia absque inhonestate ad recreationem hominum, cum quandoque talis recreatio sit lætitia & virtus, etiam secundum Philosophum Eutrapelia nominatur, non tales damnandi, nec talibus dare iudicatur peccatum.

Ephes. 5. a

Aug. tract. 100. in Io. ante med. tom. 9.

Arist. lib. 4. Ethic. c. 8.

Circa inhonestatem habitus, notandum, quod iste fructus quattuor secum habet, scilicet superfluitatem, pretiositatem, curiositatem, & inhonestatem. Superfluitas autē consistit in duobus, numero & mensura, vt cum habentur vestes plures, vel nimis latæ vel defluētes. Item curiositas in veste duobus modis inuenitur, scilicet in colore & modo facturæ. Inhonestas autem est, cum modus facturæ, vestium impudicitiam prætendit, & ad malum prouocat, vt pretiosarum vestium, vel circa collum, & guttur, tale quod. Huius autem inhonestatis sunt fructus, vnctio, lotio, deceptio, compositio, multiplicatio, adinuentio, vt cum fiunt vnctiones, vel lotiones ad acquirendum colorem, vel deceptiones in mutando capillos, vel fucando caput & huiusmodi. Item compositio, vt cum nimis stricti sotulares, vel singularis modus in compositione seruatur. Item multiplicatio iocalium, etiam adinuentio noui modi in talibus, quæ omnia, quomodo rationem peccati habeant, videamus.

Inhonestas habitus.

Circa ergo hanc materiam est notandum, quod ista quattuor possunt habere rationem peccati, vel ratione peruersæ intentionis, vel contrariæ consuetudinis, vel conditionis personæ, vel temporis, vel ratione radicis possunt habere rationem peccati, vel cum ista ex superbia oriuntur, & ad inanem gloriam ordinantur, vel cum ista fiunt intentione placendi, & ad luxuriam prouocandi, & si radix mortalis sit, & ramus mortalis erit. Dicit enim Augustinus, quod non solum appetere, sed etiam appeti velle, criminosum est. Hæc etiam ratione consuetudinis contrariæ possunt habere rationem peccati, vt cum quis quærit habitum, qui consuetudini terræ non congruit, vel vnguentis vtitur, vel modo ornat, & incedit in scandalum proximorum, vt si vir veste muliebri vteretur, & econuerso, & huiusmodi. Et ita talibus tanta posset dari occasio scandali, quod posset iudicari mortale. Vnde Augustinus tertio confessionum: Consuetudo vel lex terræ, nulla ciuis vel peregrini libidine violetur. Item ratione conditionis personæ, quia aliud decet clericum & personas ecclesiasticas, vel prælatum & religiosum; aliud personas laicas, aliud diuitem, aliud pauperem, aliud viduam, aliud coniugatam. In hoc etiam potest contingere ratio peccati, secundum quod quælibet persona suum statum in aliquo prædictorum excedit, vt si forte tot paria vestium velit habere burgensis aliqua, quot regina, & sic de aliis. Vnde sic potest in talibus excedere statum suum, quod oportet concludi, quod ex aliqua mala radice procedat, & quod vergat in scandalum proximorum. Quarto ratione temporis, vt cum quis vtitur talibus, & talia multiplicat tempore necessitatis pauperum, & cum tanta est caristia, quod pauperes arctam indigentiam patiantur, quod deberent pauperibus erogari, quæ in talibus superfluitatibus expenduntur: & tanta posset esse ex vna parte superfluitas, & ex alia tanta indigentia, quod posset habere rationem mortalis eo modo, quo dictum est de prodigalitate.

Aug. epist. 109. de regul. monac. circa me. to. 2.

Aug. lib. 3. confess. c. 8. non longe à princ.

Secundus ramus principalis luxuriæ est carnalis affectio, quæ duobus modis contingit, vel secundum quod aliquis ad carnem suam, seu corpus inordinate afficitur, vel etiam ad alium. Primum autem istorum cura carnis vocatur, de qua dicit Apostolus: Curam carnis ne fece-

Carnalis affectio.

Rom. 13. d

ritis in desideriis. Huius autem rami sunt multi fructus, secundum diuersa opera, in quibus consistit carnalis delectatio, & secundum hoc est mollities in vestibus, in culcitris, in lineis, in sedilibus,& in lectis quies corporis. Item solicita cautio aduersitatis, vel frigoris, caloris, famis, & huiusmodi, & ista licet de se non habeant rationem mortalis, tamen circa ista potest esse solicitudo, quod ista præponuntur amori diuino, vel aliquod diuinorum præceptorum omittitur, vel aliquid contra Deum fit, vt talia habeantur. Item carnalis affectio quandoque habetur, vt cum quis ratione eorum, quæ ad carnem pertinent, inordinate diligit, potest carnalis affectio nuncupari. In hoc autem potest esse duplex excessus, scilicet in affectu, & effectu. In affectu autem potest esse duplex, vel secundum quod caro sonat in naturam, secundum illud Apostoli: Carnem suam nemo odio habuit; vel secundum quod sonat vitium, secundum illud: Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Primo modo quando est excessus in diligendo filios vel parentes, vt cum amor creatori præferatur, vt si quis Deum offendere magis eligeret, quam amorem talium amittere, vel eorum quodcumque detrimentum videre, quod esset peccatum mortale secundum verbum Domini, dicentis: Qui amat patrem, aut matrem, aut filios plus quam me, non est me dignus. Est autem alius amor carnalis, secundum quod caro sonat in vitium, qui ex corruptione carnis nascitur, vt cum quis ad aliam personam sic quandoque afficitur, quod licet in actu peccati consensus non interueniat, tamen ad actum illum talis affectio aliqualiter ordinatur, quod ex eius fructibus comprobatur, cum scilicet ex mutua collocutione, vel societate, vel aspectu, vel visu, carnis stimuli oriuntur. Constat autem secundum Apostolum, quod si rami sint mali, & radix etiam mala erit. Hoc etiam patet, quod habet rationem peccati, quia ex tali affectione ratio amittit dominium, & voluntas etiam rationem quandoque sequi non potest, tali affectione ligata, cum scilicet affectus trahatur ad cogitandum de re amata, nec sit in potestate eius cogitationem dimittere. Insuper & ad Dei delectationem eleuari non potest, tali affectione depressa. Insuper & quandoque corporis detrimentum incurrit. Cum igitur aliquis se scienter inebrians, quia vsum & potestatem rationis voluntarie amittit, & in corpus proprium peccat, quia ex hoc deterioratur in corpore; multo amplius videtur, quod qui in talem affectionis seruitutem se scienter iniicit, cum non ita cito sicut ebrietas transeat, peccat mortaliter. Vnde & hoc videtur dicere Augustinus in Speculo, cum de talibus dicit, Secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, & intactis etiam ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Sicut autem supra dictum est, quod quandoque ebrietas rationem mortalis non habet, cum aliquis fortitudine vini, vel conditione decipitur non aduertens: sic & si quis per contubernium personæ alicuius in talem affectionem incidat non aduertens, non iudicarem peccatum, immo potius passionem. Si inde aduertens, affectionis periculū fouet, affectionē & nutrit, iam in talem affectionē consentit. Si autem aliquis talem affectionem sentiret, & semper displiceret eidem, aut si esset vrgens necessitas, vel magna vtilitas conuiuendi, vel colloquendi, vel consolandi personas huiusmodi, non crederem iudicandum mortale, nisi per talem affectionem sentiret in se notabile spiritualium detrimentum. Et si forte talis esset persona, quam oporteret actus spirituales exercere, & per hoc impediretur, ne possit implere officium competenter, tunc licet in societate personæ illius posset sequi vtilitas, tamen ex ordine charitatis tenetur occasionem vitare, cum damnum suum magis quam alterius vitare teneatur.

Ephes. 5. g — *1. Cor. 15. f* — *Mat. 10. d* — *Rom. 11. b* — *Aug Regula tertia, c. 21. to. 1. & ep. 109. de reg. monach. circa med to. 2.*

Item ex affectione carnali in effectu oritur acceptio personarum, & peruersio ordinis charitatis, & fauor mali. Circa primum, scilicet de acceptione personarum, notandum, quod acceptio personarum est, cum alicui personæ aliquid vtilitatis impenditur, cum tamen illud idem faciendi alteri, maior ratio inueniatur, & hoc quidem ex affectione inordinata oritur & contra legem, iuxta illud: Non accipietis cuiusquam personam. Hæc acceptio personarum quadruplicem fructum habet, quia in beneficiis, electionibus, honoribus, & iudiciis. In beneficiis est dupliciter, vt cum dantur beneficia Ecclesiastica, vel temporalia. Circa collationem beneficiorum Ecclesiasticorum, tunc intelligo acceptionem personarum habere rationem mortalis, cum beneficium Ecclesiasticum alicui indigno confertur, scienter dignis postpositis, siue sit intuitu consanguinitatis, vel etiam beneficij temporalis, vel affectionis spiritualis. Similiter autem & diuitem eligere ad dignitatem Ecclesiæ, contempto paupere instructiore. Vnde Augustinus super illud: Nolite in personarum acceptione &c. Quis, inquit, ferat, si quis diuitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sanctiore? Si autem sint temporalia beneficia, sic in eis potest esse personarum acceptio mortale peccatum. in necessitatis articulo, quando quis tenetur beneficium conferre ex præcepto, & cum datur beneficium illi, qui non indiget, ratione particularis amoris, & ille est qui in arcta necessitate contemnitur. In his autem, in quibus non tenetur quis dare, non cadit acceptio personarum secundum illud Matthæi: Aut non licet mihi, quod volo facere?

Acceptio personarum. — *Deut. 1. c* — *Iacob. 2. a* — *Mat. 20. b*

Circa tertium, scilicet de acceptione in honoribus est notandum, quod cum quis solum ratione diuitiarum honoratur absque ratione virtutis vel status, peccatum est, secundum illud: Quicumque diuitem propter diuitias honorat, peccat. In hoc autem posset habere rationem mortalis, vt si quis pauperes sanctos contemneret, nec eis ratione sanctitatis honorem præstaret, nec aliquem, nisi diuitem vel potentem honorare vellet, cum secundum Philosophum, honor non sit aliud quam testimonium virtutis.

Glossa interlin. in Iacob. c. 2. — *Arist. lib. 1. Rhet. c. 5.*

Circa quartum hoc notandum videtur, quod qui sic personam in iudicio accipit à vero iudicio deuiando, manifeste facit contra iustitiam, & proximi charitatem, & ita non est dubium, quin peccet mortaliter, vnde & contra legem est, quæ dicit: Non accipies personam, vt à vero iudicio deuies.

Deut. 16 d

Circa secundum principale, quod ex affectione carnali oritur, scilicet de peruersione ordinis charitatis, hoc primo notandum est, quod charitas ordinata esse debet, secundum illud: Ordinauit in me charitatem. Quatuor autem sunt secundum charitatem diligenda per ordinem, scilicet Deus, nos, proximus, & corpus nostrum. Hic autem ordo est necessarius ad salutem respectu bonorum spiritualium, scilicet quod amor alicuius creaturæ Deo nullatenus præferatur. Item quod non faciat aliquis peccatum propter dilectionem proximi. Item quod corpus proprium non tantum diligat, quod ex hoc aliquo modo peccatum vellet committere. Item quod salutem proximi proprij corporis dilectioni proponat.

Cant. 2. a — *Ordo charitatis.*

Tertius fructus affectionis carnalis est fauor mali, & hoc fit multis modis; quandoque enim ex familiari amore contingit, quod peccatum alterius dissimulatur, & secundum hoc est incorrectio, consensus, procuratio, seu adiutorium, & communicatio in casu illicito.

Circa primum notandum, quod correctio proximi est omnibus in præcepto, cum tamen scitur vel creditur, quod correctio peccatum impediat, quod alias fieret. Et licet sit omnibus in præcepto, illis tamen præcipue, quibus incumbit ex officio, vt sunt Domini, Principes, Prælati, & magis in hoc peccare possunt. Quod autem correctio sit omnibus in præcepto, patet per Augustinum de verbis Domini: Si negligis corrigere, peior factus es eo, qui peccauit.

Correctio proximi. — *August. de ver. Dom. ser. 16. ante med. tomo 10.*

Item procuratio peccati est consensus in peccatum, & adiutoriū quodcumque, & participatio, si sint respectu peccati mortalis, erunt eiusdem generis secundum Apostolum dicentem: Qui talia agunt, digni sunt morte: non so-

Rom. 1. b

non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Tertius ramus carnalis concupiscentiæ est, vt dictum est, incontinentia, quæ præcipue circa actus venereos consistit. Ex hoc ramo procedit, turpis imaginatio, motus carnalis, delectatio simplex, & morosa, aduersio periculi, consensus in delectationem, & consensus in opus, & deinde fructus operis malus. Circa materiam istam notandum est, quod in consensu in delectationem primo mortalis ratio inuenitur. Sicut enim dicit Augustinus: Si mente delectatio teneatur, & voluntate, cum aduersione periculi, & in delectationem huiusmodi consentit, etiam si in opus extrinsecum non interueniat consensus, nihilominus est mortale peccatũ, & propter hoc totus homo damnabitur. De consensu autem in opus mortale, quin habeat rationem mortalis, non est dubium; fructus autem operis per quinque sensus distinguitur scilicet in auditu, visu, odoratu, loquela, & tactu. In auditu autem multiplex contingit peccatum luxuriæ prout luxuria in inordinatam delectationem ducit: scilicet in curioso auditu rumorum, instrumentorum musicorum, cantilenarum scurrilium, & verborum inhonestorum: quæ omnia videntur iudicanda secundum habitum, quo quis mouetur ad audiendum talia scilicet secundum conditionem radicis. Visus etiam inordinatus pestiferos fructus habet. Aspectus pulchritudinum, & visus delectabilium, cum inordinatione delectationis, & curiosus aspectus mulierum. Item aspectus, signa, & nutus. Item aspectus factorum impudicorum, & motuum, seu carnalium peccatorum, de quibus dicit Augustinus in Speculo: Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Et cum sibi mutuo aspectu corda nunciant impudica, & alterutro delectantur ardore, intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Secundum hoc igitur, satis potest patere, quoniam inordinati aspectus possunt habere rationem mortalis, cum scilicet ex malo consensu, periculum graue & probabile peccati mortalis, in se vel in alio aduertitur ex aspectu. Quoniam secundum Sapientem: Qui amat periculum, in illo peribit. De odoratu autem iudicandum est secundum conditionem radicis. De loquela autem secundum quod ex carnali concupiscentia oriri videtur, multi prodeunt fructus, scilicet scurrilitas, de qua iam dictum est, cum de inhonestate verborum fecimus mentionem. Item incitatio, prouocatio ad peccatum, verbo vel scripto, vel nuncio. Item attractio per verba dulcia, quæ affectu pensantur.

Aug. de gr. cont. Manich. lib. 2. c. 14. to. 1. in sensu.

Aug. Regula tertia. c. 21. to. 1. & ep. 109. de reg. monac. cir. med tomo 2.

Eccli. 3. d

Peccata tactus.

Circa tactum hoc aduertendum videtur, quod in tactibus multiplex peccatum inuenitur, secundum quod loca, circa quæ tactus contingit, habent maiorem inhonestatem, & magis possunt ad luxuriam prouocare. Vnde hoc circa istam materiam est tenendum, quod libidinosi tactus oscula, absq; etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundum quod in eis oritur delectatio carnalis voluntarie, & deliberatiue. Vnde super illud, Fornicatio, & omnis immunditia, &c. dicit Glossa: In osculis & amplexibus, de quibus dicit Apostolus ibidem, quod non habent hæreditatem in regno Christi, & Dei. Hic autem tactus distinguitur, quia vel fit in personam propriam vel in aliam, & eodem modo habet rationem peccati. Cum tactu autem ponitur corruptio carnis, quæ pollutio dicitur, quæ duobus modis contingit; aut per actum tactus, seu imaginationem delectationis morosæ, aut per actum carnalem. Si primo modo per tactum vel imaginationem, hoc contingere potest dupliciter. Aut dormiendo, aut vigilando. Circa pollutionem in somno hoc breuiter est notãdum, quod talis pollutio secundum se non habet rationem peccati, eo quod tunc liberum arbitrium vinctum sit, scilicet per comparationem. Potest autem contingere ex superfluitate cibi vel potus, vel ex turpi imaginatione in vigilia præcedente. Quod si causa mortalis fuit, puta quia vigilando consensit, vel actum gulæ mortalem exercuit, secundum hoc pollutio est signum grauioris, & tunc dictæ circumstantiæ sunt in confessione notandæ vel dicendę. Cum autem talis pollutio illusione diaboli, vel debilitate retentiuæ, vel virtute exclusiuæ contingit, nec adest complacentia, non habet rationem peccati. De pollutione autem vigilando sic distinguitur, quod si est procurata per tactum, vel imaginationẽ voluntariam quoquo modo, vel per auditum, vel visum, vel motum; omnis enim talis resolutio si sit procurata, vel si consensus interueniat, est mortalis quocumque modo. Et si semen extra vas naturale voluntarie emittatur, habet rationem mortalis peccati, quod etiam contra naturam est. Si autem in tactu sit sexus mutatio, etiam grauissimum est peccatum, & talia peccata nec nominari debent, & ignominiosa dicuntur. Potest etiam huiusmodi pollutio contingere per actum carnalem, & hoc dupliciter, quia vel per actum matrimonialem, vel per actum mœchiæ. In actu autem matrimoniali potest contingere deordinatio in modo, in tempore, & in causa. In modo quidem peccatum est, cum modus, qui naturæ non congruit, inuenitur. In tempore autem, cum tempore menstruorum debitum exigitur, quod est contra legem, si scienter fiat, est peccatum mortale. Item cum tempora orationi, honestati, & festiuitatibus sanctorum deputata, non obseruantur, quod tamen mortale non dico. Item in causa, cum in actu huiusmodi non prolis, sed carnis delectatio quæritur, quod licet excusetur per matrimonium, tamen posset habere rationem mortalis, si vsque ad hoc inordinatio extendatur, quod imaginando alienam mulierem cognoscat propriam, vel si eo affectu cognoscatur, quod etiam si vxor propria non esset, vellet nihilominus delectationem complere. Si autem per actum mœchiæ talis inordinatio compleatur, secundum hoc huiusmodi peccati sex species distinguuntur. Simplex fornicatio, solutus cum soluta. Adulterium, ligatus cum ligata, vel altero ipsorum ligato. Stuprum in defloratione virginum. Raptus, qui consistit in violenta mulieris cognitione. Item incestus, qui est, cum cognoscitur consanguinea vel affinis. Item sacrilegium, cum scilicet Deo dicatæ virgines vel viduæ cognoscuntur, vel in sacro loco talia exercentur, de quibus omnibus pertranseundum iudico, cum absque hæsitatione habeant rationem mortalis.

Ephes. 5. a

De pollutione.

Secundus ramus principalis, qui ex carnis corruptione contingit, vt dictum est supra, est inordinatio in euitandis aduersis, & ex hoc ramo procedit vitium capitale, quod acedia nominatur. Est autem acedia secundum actum proprie, vt est vitium principale & capitale, tristitia quædam aggrauans, quæ ita deprimit animum hominis, vt eidem nihil agere libeat, & maxime bonum aliquod spirituale. Habet autem rationem peccati mortalis, inquantum quis per talem tristitiam bona spiritualia deuitat deliberatiue, nec placent ei: quod frequenter ex carnis corruptione procedit, inquantum scilicet aliquis curam carnis agens, spiritualia refugit, carne contra spiritum dominante. Vnde à beato Gregorio 31. Moralium inter capitalia vitia computatur. Sicut autem de aliis est prædictum, non quælibet acedia, nec quilibet motus acediæ habet rationem mortalis, sed oportet, quod ex deliberatione procedat. Ex hoc ramo procedunt secundum Isidorum de summo bono, & secundum Gregorium 31. Moralium, alia vitia, quæ sunt pusillanimitas, torpor, euagatio mentis, instabilitas corporis, tristitia cordis, & desperatio.

Acedia quid.

Gregor. lib. 31. Mor. c. 17.

Isido. lib. 2. de sum. bo. c. 37. sent. 2.

Circa primum, de pusillanimitate sciendum, quod ille pusillanimis dicitur, qui animum pusillum habet ad exequendum bona opera, quæ faciliter operari posset. Vnde sicut præsumptio habet rationem peccati, quia per eam tendit homo ad ea, quæ eius potestatem excedunt: ita & pusillanimitas est peccatum, dum recusat tendere in illud bonum, quod commensuratum est suæ personæ. Et inde est, quod seruus qui accepit pecuniam Domini sui, & fodit in terra, nec operatus est ex ea propter quẽdã pusillanimitatis timorem punitur à Domino, vt patet in

Pusillanimis quis.

Matthæo & in Luca. Habet autem pusillanimitas rationem mortalis, cum pusillanimitate dimittuntur necessaria ad salutem, vt diuina præcepta. Posset nihilominus habere rationem mortalis in casu, vt si quis detrimentum fidei, vel damnũ proximi spirituale, vel etiam temporale ex pusillanimitate defensionis, prædicationis, vel correctionis dissimularet. Vnde Gregorius in pastorali dicit, quod illi, qui prodesse vtilitati proximorum refugiunt, si districte iudicentur, ex tantis rei sunt, quantis, venientibus ad se, prodesse potuerunt.

Luc. 19. d. Mat. 25. *Greg. Past. cur. par. 1. c. 5. prope fi. in sensu.*

Timor. Ex ramo autem pusillanimitatis procedit timor seruilis, humanus, & mundanus, qui eodem modo, sicut de pusillanimitate dictum est, sortiuntur rationem peccati. Est autem timor seruilis, cum quis vt seruus dimittit malum facere, non propter dilectionem, sed propter pœnæ timorem. Timor autem humanus dicitur, cum quis parcens carni suæ, spiritualia bona refugit, quæ carnis delectationibus aduersantur. Est autem timor mundanus, cum quis propter timorem mundi, personæ scilicet alicuius, dimittit bonum facere solummodo. Primus autem timor semper cum mortali peccato est, scilicet cum quis peccatum dimittit facere solummodo ratione pœnæ. Secundus autẽ timor & tertius habent rationẽ mortalis, cum propter huiusmodi necessaria saluti dimittunt.

Torpor. Circa secundum de torpore notandum est, quod tunc quis torpere dicitur, cum ad bene operandum inuenitur inefficax, sicut aquam tepere, seu tepida esse dicitur, cum non est efficacis caloris. Vnde tibi in Apocalypsi dicitur: Vtinam esses calidus, aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo; & talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quæ tanta esse poterit, quod erit cum peccato mortali, vt cũ quis palatum animæ sic corruptum habet, quod in nullo bono spirituali complacentiam inuenit, & propter hoc quidquid boni facit, tepide & indeuote facit. Vnde ex hoc ramo procedit negligentia, cum quis negligit facere quod debet, vel si forte illud facit, quod absque diligentia facit. Et secundum hoc dupliciter potest habere rationem mortalis. Vno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem. Alio modo, vt si forte talia fiant, sic cum contemptu fiunt, quod quoquo modo fiant, non curat omnino; & sic intelligitur illud: Qui negligit vitam suam, mortificabitur.

Apoc. 3. c *Prou. 19. e*

Omissio. Ex hoc autem ramo negligentiæ multi fructus oriuntur, scilicet omissio, ignorantia, obliuio. Circa omissionem sciendum, quod multiplex est omissio, quæ multipliciter habet rationem peccati. Est enim omissio boni propositi, voti promissi, iuramenti debiti, vtilium saluti. Circa omissionem boni propositi notandum, quod habet rationem peccati, secundum rationem radicis, seu causæ, nec enim de se habet rationem mortalis, nisi fuerit propositum boni necessarij ad salutem.

Votum quid. Circa secundum scilicet de omissione voti sciendum, quod votum est conceptio melioris propositi, animi deliberatione firmata; & talem promissionem absq; causa vel dispensatione debita omittere, habet rationẽ mortalis. Vnde Dauid: Vouete & reddite, vbi dicit Glossa, quod vouere est voluntatis & reddere est necessitatis.

Psal. 75. b

Promissio. Circa tertium, scilicet de omissione promissi notandum, quod promissum non complere, quando est simplex promissio, nisi compleatur, peccatum est: nisi adsit impedimentum legitimum, vel iusta causa dimittendi promissum, habet autẽ rationem peccati eo modo, quo & mendacium. Tunc enim impletur mendacium, cum non impletur promissum. Patet igitur, quomodo potest habere rationem mortalis; quoniam sicut mendacium, quod in damnum vergit alterius, habet rationem mortalis: sic & frustrare promissum cum damnificatione alterius, vt si forte aliquis promittat adiutorium alicui, in prosecutione alicuius negotij, & postmodum ille succumbit, vel notabiliter damnificatur in negotio propter defectum promissi. Item circa hoc sciendum est, quod secundum iura est promissio secundum quam competit actio in iure illi, cui fit promissio, vt cum quis facto vel verbo, vel fide præstita coram bonis, se obligat ad implendum promissum, & tunc secundum iustitiam promissum tenetur implere. Aliter directe faciendo contra iustitiam, peccatum mortale committeret. In promissis autem, quæ vergunt in detrimentum salutis, non obligatur quis. Vnde Isidorus: In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto, muta decretum. De omissione iuramenti, hoc idem dicendum, quod sicut qui in iuramento assertorie peierando, peccat mortaliter, si hoc deliberatiue faciat, & se iurare aduertat; ita etiam, qui iuramentum promissorium frangit sine causa, idem genus culpæ incurrit.

Isid. de contemp. mun. post med.

Pœnitentia iniuncta. Circa omissionem vero iniuncti notandum est, quod pœnitentiam iniunctã à discreto confessore contemnere, & sine causa aliqua dimittere, absque dispensatione, videtur habere rationem mortalis. Vnde Augustinus in epistola: Nihil aliud agit, qui vere pœnitet, nisi vt id quod male fecerat, impunitum non sinat.

Aug. ep. 54. ad Maced. longe ante med. to. 2.

Debitum. Circa omissionem debiti hoc est notandum, quod homo debet aliqua de iure naturali agere, & facere alij, quod sibi vult fieri. Aliqua de iure diuino, vt præcepta decalogi. Aliqua de iure positiuo ex præcepto, vt semel in anno confiteri proprio sacerdoti, id est, illi, qui potest absoluere, & semel in anno, scilicet in Pascha communicare, nisi ex causa legitima dimittatur: & ille qui est in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium habet Ecclesiasticum, tenetur ad horas canonicas ex præcepto. Circa primum autem & secundum, scilicet de omissione iuris naturalis & diuini, in prosecutione prædictorum dictum est.

De transgressione seu omissione eorum, quæ ad ius positiuum pertinent, hoc sciendum est, quod qui ius positiuum scienter omittit, si id ius sit præceptorium, inobediens est, & peccat mortaliter; vnde illa, quæ ad ius positiuum pertinent, & habent rationem præcepti, dimittere, peccatum mortale iudicatur. De his vero, quæ ad officium diuinum specialiter pertinent, est notandum, quod in hoc multipliciter peccatur, scilicet dicendo officium inattente, indeuote, extra horam, corrupte, & diminute; inde tamen nõ facile est iudicandum mortale, nisi hoc proueniat ex contemptu. Simpliciter autem dimittere officium inordinato in sacris, in religioso clerico, & professo, in beneficiato in ecclesia, mortale communiter iudicatur.

Officium diuinum.

Circa omissionem vtilium ad salutem, hoc notare possumus, quod quilibet vtilia saluti tenetur quærere, maxime illa, sine quibus non potest habere quis cogitationem illorum, quæ sunt necessaria ad salutem. Vnde maximum est, quod ille qui sermones & monitiones, & societatem bonorum euitat hac intentione, ne scilicet hac occasione moueatur ad bonum, vel vt cognitionem eorum non habeat, quæ necessaria sunt saluti vel vtilia, resistit Spiritui sancto & gratiæ Dei, & ex hoc mortaliter peccat, vtpote qui suam salutem contemnit.

Ignorantia. Secundus ramus, qui ex negligentia procedit, vt dictum est, est ignorantia, secundum quod potest habere rationem peccati. Nulla enim ignorantia potest habere rationem peccati, nisi ex negligentia oriatur. Vnde Augustinus de natura & gratia: Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras. Vnde qui de salute sua diligens est, per ignorantiam damnari non potest: quia si in eo ignorantia esset, inuincibilis esset, quæ excusat omnino. Ignorantia igitur, quæ peccatum est, ex negligentia oritur; quæ multiplex potest esse, scilicet ignorantia iuris & facti.

Aug. de natu. & grat. c. 67. cir. fi. to. 7.

Ignorantia multiplex. Circa ignorantiam facti, notandum, quod tunc dicitur esse facti ignorantia, quando aliquis facit factum malum ex genere, & ignorat, quod tale factum faciat, de quo tamen nouit, quod peccatum est, vt si quis credat interficere feram, & interficiat hominem, vel credit cognoscere suam, & cognoscit non suam. In hoc casu secundum modum negligentiæ, potest ibi esse peccatum. Si enim in hoc casu non apponit aliquam diligentiam, quam debet, ita poterit esse crassa negligentia,

quod non excusabit à peccato. Vnde Lamech, qui putauit occidere feram, & occidit Cain, non excusatur.

Gen. 4. d

Circa ignorantiam iuris nota, quod est ius naturale, diuinum, & positiuum. Circa ignorantiam iuris naturalis nota, quod nullus excusatur, quin peccet, faciendo contra legem naturalem. Hoc autem ius naturale, seu lex naturalis appellat illud, ad cuius cognitionem potest homo per naturalia attingere. Constat enim, quod qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingit.

Circa ignorantiam iuris diuini, scilicet mandatorum decalogi, & articulorum fidei, notandum est, quod hæc ignorantia est mortalis, quia in potestate cuiuslibet est hoc scire, & à lege naturali deriuatur.

Circa ignorantiam iuris positiui, notandum, quod quilibet illa, quæ pertinent ad officium suum, & de iure positiuo sunt, scire tenetur, & talium ignorantia est mortalis. Hic distinguendum videtur. Quædam enim sunt iura præceptoria, quædam monitoria, quædam consultatoria. Vnde de iure præceptorio, hoc intelligo, sicut dictum est supra de iure positiuo, vbi de omissione diximus. Licet autem, vt dictum est, naturalis iuris ignorantia, seu etiam iuris alterius non excuset: tamen si contingat, aliquem multa peccata per ignorantiam commisisse, quorum non potest in modico tempore habere notitiam; in modico tempore possunt per contritionem generalem dimitti, sicut alibi diffusius tractari habetur.

Conscientia.

Item ex ramo ignorantiæ procedit error conscientiæ, & eius transgressio & perplexitas & discrimen. Est autem error conscientiæ, cum conscientia dictat aliquid faciendum ad quod non tenetur quis, vel quod facere non est peccatum. Qui enim facit contra conscientiam, secundum Gregorium, ædificat ad gehennam: & si sit conscientiæ iudicium, quod omissio aliqua, vel transgressio sit mortalis, peccat mortaliter dimittendo. Cum autem conscientia dictat aliquid faciendum necessario, quod tamen peccatum mortale est, mortaliter peccat dimittendo, & nihilominus faciendo, & tunc perplexitas est manente conscientia, quę tamen dimitti potest & debet. Tunc autem discrimini se quis exponere dicitur, cum aliquid timet & dubitat esse mortale, & tamen id facit, & tunc etiam mortaliter peccat, quia discrimini se exponit. Hæc autem dicta sunt, vt frequenter, ex negligenti discussione conscientiæ procedunt, quæ negligentia tanta esse poterit, quod mortalis erit, sicut de ignorantia iam dictum est.

Obliuio.

Tertius ramus, qui ex acedia procedit, est obliuio, quæ in duos ramos diuiditur. Est enim obliuio peccatorum, & beneficiorum Dei, & hominis, ex qua ingratitudo oritur & indeuotio. Circa obliuionem peccatorum est notandum, quod peccata propria obliuisci ex negligentia, est peccatum, cum quis teneatur conteri & confiteri de peccatis suis, quod non potest facere, si obliuioni tradantur, & tanta circa hoc poterit esse negligentia, quod habebit rationem mortalis, sicut de ignorantia est prædictum. Item beneficia Dei obliuisci, nec considerare, & sic Deo esse ingratum, mortale est. Vnde bene in quodam sermone de talibus dicit Bernardus: Quantos videmus quasi oblitos sui, & peccatorum suorum, Dei quoque & beneficiorum eius immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, vt de moribus & affectionibus suis vltima apud ipsos vix mentio fiat?

Bern. serm. contra ingratitudinem circa med.

Peccatũ in Spiritũ sanctum.

Vltimus ramus, qui ex acedia procedit, est omnium pessimus, scilicet desperatio, quia quis peccatorum suorum immanitatem considerans, & de Dei misericordia diffidens, laxat frenum peccatis. Et hoc quidem grauissimum est peccatum, quod dicitur in Spiritum sanctum, de quo dicit Dominus: Non remittetur in hoc sæculo, nec in futuro. Non quod non possit dimitti, sed quia vix dimitti potest, vel quia ibi non est color excusationis, qui locum præstet diuinæ misericordiæ. Hoc autem peccatum conuenienter ex acedia oriri dicitur, quia vt dictum est, acediosus complacentiam aliquam in bono non inuenit, & ideo à bono opere se subtrahit, spes autem ex merito operis prouenit.

Matt. 12. d, e

Hic vero circa peccatum in Spiritum sanctum notandum est; quod huius peccati sex species à Sanctis assignantur, scilicet, desperatio, de qua dictum est.

Item præsumptio, cum quis in tantam prorumpit insaniam, quod non cogitat iustitiam in Deo esse, sed quicquid faciat, ad gloriam sui prouenire credit.

Impœnitentia, cum quis proponit, quod numquam pœnitebit de peccatis suis. Et iuxta hunc ramum est alius, qui licet non dicatur peccatum in Spiritum sanctum, tamen peccatum mortale est, scilicet cum quis se cogitat esse in mortali peccato, & in offensa diuina, & non statim pœnitet, sed adhuc remanere in peccato intendit.

Quarta species peccati in Spiritum sanctum est, obstinatio, cum quis sic malo adhærere intendit, quod nulla persuasione vel timore redire ad bonum intendit.

Quinta est impugnatio veritatis agnitæ, scilicet cum quis impugnat fidei veritatem, vt licentius peccet.

Sexta est inuidentia fraternæ gratiæ, cum quis in tantam prorumpit malitiam, quod gratiam Dei multiplicari in mundo & fidem crescere, videre non potest. Hæc autem peccata in Spiritum sanctum dicuntur, quoniam licet contra totam Trinitatem sint, tamen sunt præcipue contra bonitatem diuinam, quæ Spiritui sancto, appropriatur, sicut potentia Patri, sapientia Filio. Dicitur enim quis peccare in Patrem, cum peccat ex infirmitate. In Filium, cum peccat ex ignorantia. In Spiritum sanctum, cum peccat ex malitia, quod habet magis rationem peccati. Soli peccant in Spiritum sanctum, qui impœnitentes existunt vsque ad mortem. Spiritus enim sanctus charitas est diuinitatis, est amor genitoris & genitæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit, sui ipsius arrham. Qui igitur peccat, & gratiam suam recuperare non amat, & numquam curat ab eo diligi, qui totus est amor, & charitas, nec ad illud tendit, vnde sumpsit arrham in Spiritum sanctum peccat, & numquam post mortem, sicut neque viuens, consequetur veniam. Sicque nullus peccat in Spiritum sanctum, qui fugit ad ipsum. Ecce radicem arboris malæ, truncum, ramos cum foliis, & fructibus plenis veneno mortifero, secundum intellectus mei paruitatem descripsi, sed sicut Dauid cum dicebat: Delicta quis intelligit, &c. Neque enim peccatorum grauitatem, & conditionem me scire suppono. Vnde & si quid in hoc opusculo scriptum lector inueniat, quod ei scrupulum dubitationis ingerat, peritiores medicos consulat, qui securius sibi arboris fructum, & ipsius periculum valeant indagare. Neque intentionis meæ est, hic aliquid temere asserere, vel alicui præiudicium generare. Vt autem ea quæ dicta sunt planius innotescant, ipsa breuiter recapitulo eo modo, & ordine, quo sunt in arbore describenda.

Peccare in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum quid sit.

Epilogus dictorum.

Psal. 18. b

CAPVT IV.

Epilogus prædictorum, vbi arbor describitur.

RADIX malæ arboris est cupiditas, secundum Apostolum. Ex qua truncus malæ voluntatis procedit, qui incipit in imaginatione mala, & procedit in mala & morosa delectatione, & consummatur in malo consensu: qui duplex est, scilicet consensus in delectationem, & in opus.

1. Tim. 6. b

Sunt aliquæ circumstantiæ, quibus aggrauatur peccatum, quæ in hoc versiculo continentur.

Quid, quis, vbi, cum quo, quotiens, cur, quomodo, quando.

Ex præmissa radice concupiscentiæ triplex ramus procedit, scilicet concupiscentia honoris, concupiscentia oculorum, & concupiscentia carnis.

Superbia.

Ex primo ramo hi rami procedunt, scilicet præsumptio, inanis gloria, contemptus.

Præsumptio hos habet ramusculos,

Ex se, pro meritis, falso plus omnibus.

Et hos ramos habet præeminentia, in gratuitis & gratis datis.

Ex primo ramo procedit folium tentationis diuinæ cum fructu discriminis.

Ex præeminentia ex gratis datis sunt hi rami, elatio mentis, confidentia de se, de qua procedit fructus inordinatæ audaciæ.

Ex ramo contemptus est ramus duplex, contemptus Dei, & contemptus proximi, & horum medius est inobedientia ad Deum & ad proximum.

Ex contemptu Dei procedunt hi fructus, irreuerentia rebus diuinis exhibita, locis, personis, temporibus, sacramentis, sustinere interdictum, suspensionem, excommunicationem, recipere quodcumque sacramentum in mortali peccato, quodcumque sacramentum ministrare, vel Ecclesiam officiare, officium correctionis exercere, inconfessus sacramentum recipere, habita copia sacerdotis, in statu suspensionis, vel interdicti, vel excommunicationis, vel irregularitatis celebrare, item in excommunicatione se diuinis ingerere, vel interesse, item cum excommunicato in diuinis participare.

Ex contemptu proximi hi fructus procedunt, subtractio à verbo, à societate, gestu, vel modo, indignationem ostendere. Hæc sunt folia, indignatio verborum, ironia, derisio, subsannatio, irreuerentia in verbo.

Ex inobedientia procedit ramus impatientiæ, cum fructu murmurationis, blasphemiæ, pertinaciæ, rebellionis, & transgressionis, & hæc possunt esse contra Deum, & contra proximum.

Item ex ramo inobedientiæ, infidelitatis ramus procedit, & hi rami ex ea exeunt, diuinatio, apostasia, idololatria. Item hæc folia prædicta, prout in verbis existunt, scilicet, peruersum dogma, seu prædicatio.

Secundus ramus superbiæ est inanis gloria, ex qua quattuor rami oriuntur, honoris ambitio, fauoris humani appetitus, confusionis timor, & laudis amor.

Ex ramo ambitionis oriuntur hi fructus, scilicet pompa, quæ in tres fructus diuiditur, scilicet fastum in superbo apparatu, & comitatu & gestu ex cordis affectu, & folium fastus in verbo.

Ex appetitu fauoris, procedit folium adulationis, quod tripartitum est, quod aut est de bono habito, aut non habito, vel de malo facto.

Item ex appetitu fauoris oritur fructus prodigalitatis quadripartitus, quia non considerat tempus, nec personam, nec modum, & incuriam secum habet.

Ex ramo timoris confusionis, hi fructus procedunt, mala verecundia, & falsa humilitas in verbo vel in facto.

Verecundia mala diuiditur, quia aut est de bono opere, vel de paupertate parentum, vel de naturali defectu, vel carentia gratiæ gratis datæ. Item in confessione hæc folia secum habet, nempe excusationem, defensionem, veritatis negationem, in iudicio, vel extra iudicium, veritatis impugnationem.

Ex amore humanæ laudis hi fructus oriuntur, simulatio, seu hypocrisis, ostentatio, singularitas. Item iactantiæ est folium, quod quadripartitum est, quia aut est de bono habito, vel non habito, vel de malo facto, vel non facto.

Inuidia. Ex singularitate procedit ramus inuidiæ, quæ est secundum iudicium capitale. Inuidia vero in duos ramos diuiditur principales, qui sunt exultatio in aduersis proximi, & dolor in prosperis.

De exultatione in aduersis oriuntur hi fructus, machinatio, insidiæ, scandalum, proditio, suspicio, iudicium. Item habet folia, discordiarum seminatio, secretorum reuelatio, & maxime confessionis, verbo, signo, vel circumstantia. Item falsum testimonium.

Ex secundo ramo, scilicet de dolore prosperitatis proximi, procedit detractionis folium, & ramus rancoris. Detractio autem diuiditur, quia aut fit bonum alterius diminuendo, vel destruendo, vel malum imponendo.

Primum folium alia quattuor secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, peruertere, & negare.

Secundum folium hæc etiam secum habet. Malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggrauare, addere, reuelare, imponere.

Ex ramo rancoris procedit odium.

Ex ramo odii procedit ira, quæ est tertium capitale.

Ex ira procedit fructus crudelitatis, & hi fructus, percussio, verberatio, incarceratio, duellum, bellum, mutilatio, occisio.

Ex folio discordiæ hi filii oriuntur, irritatio, comminatio, contumacia, improperium, conuitium, maledictio, procacitas, clamor, irreconciliatio.

Ex ramo appetitus vindictæ oriuntur calumnia, vexatio, damnificatio.

Vexatio hos fructus secum habet, quia fit per falsas litteras, vel falso impetratas, tacita veritate, vel suggesta falsitate, vel per non suas, vel non ad hoc impetratas, vel coram diuersis iudicibus ad impossibilia obligando.

Damnificatio in duos fructus diuiditur, quia fit aut bonum impediendo habitum, vel habendum; aut malum inferendo, quod etiam multis modis fit, scilicet faciendo, præcipiendo, consulendo, iuuando, dissimulando.

Secundus ramus principalis, qui ex radice concupiscentiæ procedit, est concupiscentia oculorum, quæ auaritia nominatur, & est quartum vitium capitale.

Auaritia. Ex auaritia autem tres rami principales procedunt, inordinatum desiderium habendi, vel inordinatus amor habiti, & inordinatus dolor amissi.

Ex inordinato desiderio habendi procedunt duo fructus, scilicet sollicitudo, & iniustitia. Ex sollicitudine autem procedit festorum violatio.

Iniustitia autem diuiditur, quia aut est manifesta, aut occulta, quæ fraus nuncupatur. Iniustitia aperta hos fructus habet secum, scilicet furtum, rapinam, vsuram, & iniquam sententiam.

Furtum in quinque diuiditur, qui sunt, occulta rei acceptio, rei inuentæ detentio, sacrilegium, & proprietas in religiosis, & mala dispensatio.

Rapina hos etiam fructus habet, qui sunt nouæ taliæ, vel consuetudinis inductio, exactio, extorsio, munerum acceptio, & ludus alearum.

Vsura diuiditur, quia quædam est in spe, quædam in rei contractu.

In contractu autem est multiplex vsura, scilicet in venditione, emptione, mutua commutatione, ratione temporis, vel rei, vel periculi, vel obligationis, vel corruptæ intentionis.

Item contingit fraus in contractibus, in emptione, & venditione, in numero, pondere, & mensura, in valore, in qualitate, in taciturnitate defectus.

Item notabiliter care vendendo pro necessitate ementis, vel debitorum solutionis, vel pro simpliciter ementis.

Item in fraude plurima mala locutionis folia contingunt, mendacium, periurium, duplicitas.

Ex ramo autem mali contractus oritur fructus simoniæ.

Item ex iniustitia ad proximum, vt dictum est, oritur iniqua sententia & secum habet hos fructus, qui sunt, iustitiæ peruersio, ordinis iuris immutatio, sententiæ dilatio, iniusta aduocatio, litterarum abusio.

Mala autem aduocatio, hæc folia secum habet, iniustum patrocinium, iniustum consilium, litis prolongatio, iuris sophistica allegatio, litterarum abusio.

Fit his modis iniusta impetratio, tacita veritate, vel

ſuggeſta falſitate, iniuſta extorſio, add.tio, vel diminutio, ſiue quæque falſificatio.

Secundus ramus principalis auaritiæ eſt inordinatus amor habiti, & ex hoc ramo hi fructus procedunt, iniuſta congregatio, ad proximum incompaſſio, reſtitutionis dilatio, beneficii irrecompenſatio.

Concupiſcentia carnis.

Tertius ramus principalis, qui ex radice cupiditatis procedit, eſt concupiſcentia carnis, quæ in duos ramos diuiditur. In quærendo inordinate delectationem, & vitando moleſtiam.

Primus ramus diuiditur, quia aut eſt circa delectationem actus, qui pertinet ad conſeruationem indiuidui, ſcilicet circa actum nutritionis, aut eſt circa actum, qui pertinet ad conſeruationem ſpeciei, ſcilicet circa actum generationis.

Primus igitur ramus, qui ex concupiſcentia carnis oritur, eſt inordinata delectatio circa actum nutritionis, & quintum vitium capitale, quod gaſtrimargia dicitur.

Gula.

Ex vitio autem gulæ tres rami principales procedunt ſcilicet incontinentia gulæ, immodeſtia, & inordinata delectatio.

Ex incontinentia gulæ hi fructus procedunt: anticipatio horæ, nimia frequentia, fractio ieiunii.

Ex immodeſtia, hi fructus procedunt, auiditas, & nimietas.

Cum fructu autem iſto, qui eſt nimis ſumere, ſunt hi fructus, corporis grauitas, infirmitas, mentis hebetudo, cæcitas, præcipitatio iudicii, incircumſpectio, loquacitas, inepta lætitia, diſſolutio, ebrietas.

Loquacitas autem hæc folia ſecum habet, multiloquium, vaniloquium, ſtultiloquium, turpiloquium.

Tertius ramus gulæ eſt inordinata delectatio circa cibum, & hos fructus ſecum habet, ſcilicet ſollicitudinem in procurando, ſtudioſitatem in præparando, multiplicitatem in diuerſificando, cariſtiam in emendo.

Secundus ramus, qui ex carnali concupiſcentia procedit, eſt inordinatio circa actum generatiuum, qui luxuria dicitur, & eſt ſextum vitium capitale.

Luxuria.

Ex luxuria tres rami principales procedunt: inhoneſtas, affectio, incontinentia.

Inhoneſtas hos fructus habet, inuerecundiam in verbo, in geſtu, in habitu.

Inhoneſtas in geſtu habet choreas & tripudia, & corporis motus,

Item inhoneſtas in verbo habet ſcurrilitatem, & hiſtrionatum.

Item inhoneſtas in habitu, hos fructus ſecum habet, ſcilicet ſuperfluitatem, pretioſitatem, multiplicitatem, curioſitatem.

Superfluitas in duobus conſiſtit, in numero & menſura.

Curioſitas conſiſtit in colore & modo facturæ, & compoſitione corporis.

Huius compoſitionis fructus ſunt, adinuentio noui modi, nouorum iocalium. Item vnctiones, lotiones, fucatio, ſuppletio capillorum ex alienis.

Secundus ramus luxuriæ principalis, eſt carnalis affectio, & iſte eſt duplex, quia poteſt eſſe reſpectu ſui vel proximi.

Si reſpectu ſui ſit, hos fructus habet, primo curam carnis, quæ habet hos fructus, mollitiem in veſtibus, in culcitris, & talibus. Item nimiam ſollicitudinem in euitando pœnam, frigus, calorem, ſitim, famem, & huiuſmodi.

Carnalis affectio ad proximum duplex poteſt eſſe, vel ad parentes, vel ad alios: poteſt etiam eſſe in affectu, vel in effectu.

Ex ramo carnalis affectionis oritur acceptio perſonarum, peruerſio ordinis charitatis, & fauor mali.

Perſonarum acceptio eſt in beneficiis, electionibus, honoribus & iudiciis.

Fauor mali hos fructus ſecum habet, diſſimulationem, incorrectionem, conſenſum, adiutorium, & communicationem.

A Tertius ramus principalis concupiſcentiæ carnalis, eſt incontinentia, quæ per hos ramuſculos procedit, qui ſunt, turpis imaginatio, moroſa delectatio, conſenſus in delectatione, & conſenſus in opere. Item hos fructus ſecum habet, id eſt quinque ſenſus, in auditu, viſu, odoratu, guſtu, & tactu.

In auditu curioſo ſcilicet rumorum, canticorum, inſtrumentorum, verborum diſſolutorum, & ſcurrilium.

In viſu, in aſpectu oculorum, pulchritudinum hominum, & mulierum, inhoneſtorum membrorum, geſtuum, ſpectaculorum.

In verbo, ſcurrilia dicendo, ad malum incitando, verbo, vel in attrahendo.

In tactu multipliciter, in oſculis, & tactibus libidinoſis ſui vel alterius, & ex hoc ſequitur pollutio dormiendo B per naturalem actum in vaſe debito, vel contra naturam, per actum naturalem matrimonii actiue. Item ex hoc per actum matrimonii vel mœchiæ. Per actum matrimonii modo inordinato, vel tempore illicito, vel intentione non recta.

Mœchiæ autem ſex fructus ponuntur, fornicatio, adulterium, ſtuprum, raptus, inceſtus, & ſacrilegium.

Secundus ramus principalis concupiſcentiæ carnalis, eſt inordinatio in pœnis euitandis, ex qua oritur vltimum vitium capitale, quod acedia nominatur.

Acedia.

Ex acedia procedunt hi fructus, puſillanimitas, torpor, euagatio mentis, inſtabilitas corporis, triſtitia cordis, & deſperatio.

Ex puſillanimitate procedit timor ſeruilis, humanus, mundanus.

C Ex torpore procedit negligentia, cuius fructus ſunt omiſſio, ignorantia, & obliuio.

Omiſſio multiplex eſt, ſcilicet boni propoſiti, voti promiſſi, iuramenti, iniuncti, debiti, vtilium ſaluti, pertinentium ad ius naturale, vel diuinum, vel poſitiuum.

Ignorantia eſt multiplex, ſcilicet iuris naturalis, diuini, & poſitiui. Item facti, item affectata, craſſa, & ſupina, & inuincibilis.

Ex ignorantia procedit error conſcientiæ, & eius tranſgreſſio.

Obliuio eſt duplex, peccatorum, & beneficiorum Dei & hominis.

Ex his oritur ingratitudo, & indeuotio.

Vltimus fructus eſt deſperatio, peccatum in Spiritum ſanctum.

Peccata in Spiritū ſanctum.

D Peccati in Spiritum ſanctum, ſex ſpecies diſtinguuntur, ſcilicet deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio agnitæ veritatis, & inuidentia fraternæ gratiæ. Si quis autem plenius de ſingulis velit habere notitiam, ad tractatum ſuperiorem recurrat.

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opuſculum, quod inſcribitur, CONFESSIONALE.

Eſt hoc Opuſculum, quod Confeſſionale inſcribitur, vtilitate præcipuum: in quo S. Bonauentura tam Confeſſorem, quam Confitentem copioſe dirigit ad ea, quæ confeſſioni præuia, quæque in confeſſione agenda, dicendaue ſunt, & quæ ipſam confeſſionem conſequuntur, annexis Canonibus pœnitentialibus, quorum cognitio valde eſt neceſſaria.

CAPITA HVIVS Opusculi.

PRÆFATIO.

IN Dei tabernaculo, id est in sancta Ecclesia positus, & si per doctrinæ sapientiam, phialas exuberantis doctrinæ ad inebriandum mentes legentium ministrare non potui, inquantum pro diuina largitate sufleci, cyathum paruæ, atque angustæ, vel, vt verius dicam, pene nullius scientiæ, præsens videlicet opusculum de informatione simplicium sacerdotum, in confessionibus audiendis, compulsus per obedientiam compilaui. Cum secundum beatum Gregorium circa principium, cura pastoralis sit ars artium, regimen animarum, & occultiora sunt vulnera cogitationum, quam viscerum. Horrendum profecto est videre quosdam sacerdotes nostri temporis, qui sacram scripturam, in qua præfati regiminis ars sufficientissime traditur, & iura canonica, & scripta doctorum, in quibus plenissime declaratur, vel per torporem legere negligunt, vel per ignorantiam nesciunt, & tamen cordis medicos in audiendis confessionibus, se profiteri impudenter non metuunt, quando qui pigmentorum vim nesciunt, videri carnis medici erubescunt. Talium ergo Deo odibili ignorantiæ, per obedientiam, vt dixi compulsus, subscripta informatione simplici studui, sicut potui, quamuis non, vt debui, subuenire. In primo autem huius Opusculi tituli capitulorum, & singularum particularum eorumdem continentiæ præmittuntur, quibus ad legentis animam quasi quibusdam passibus facilius gradiatur. Porro particularum quinti capituli continentiæ non prænotantur, quia sicut inspicienti patet, per se possunt satis faciliter inueniri. Ceterum simplex simplicibus simplicia scribens simpliciter, particulas præsentis Opusculi secundum quod occurrerunt memoriæ magis, quam secundum naturalem adinuicem cohærentiam ordinaui, omni qua possum humilitate ac deuotione supplicans, quatenus.

Sis mihi corrector resecando superflua lector:
Veraque digneris, quæ desunt iungere veris.
Omnem defectum partim studio breuitatis
Scribentis tribuas, partim vitio ruditatis.

(Greg. past. cu par. 1. ca. 1. cir. prin.) (Mira modestia ac humilitas Auctoris.)

QVALITER SACERDOS CONFESSOR habere se debeat in confessione. Cap. I. continens Particulas sex.

CAPVT I.

De loco confessionis.

PARTICVLA I.

QVI facit veritatem venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. Ex hoc verbo sacerdos, qui Angelus Domini exercituum dicitur, intelligat vt non tenebrarum, sed lucis Angelum se ostendat, sedens pro confessionibus audiendis in loco manifesto, & omni suspicione carente, vbi videri possit ab omnibus, & non audiri. Quærendo enim latibula tenebrarum, male agere se ostenderet dicente Christo: Omnis enim qui male agit, odit lucem. Qui est in intentione mali, & cui placet malum. Hæc Glossa, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Caueto, ai Hieronymus, omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante deuita. Apostolus: Ab omni specie mala, id est, non solum ab eo, quod est malum, sed etiam ab omni quod speciem mali prętendit, nos admonet abstinere. Et quia secundum Augustinum libro de singularitate clericorum, pene post principium: Peius est quam mœchia, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. Sacerdos audiens confessionem, sedeat, vt dictum est, in loco publico, & honesto, ne, quod absit, adulterum se ostendat. Nam dicitur: Oculus adulteri obseruat caliginem. Veniens igitur ad manifestationis lucem faciat veritatem, vt dicitur in Ioanne, ibi Glossa, id est bona opera, quæ veritas iubet.

(Ioan. 3. c) (Malac. 2. b) (Ioan. 3. c) (Hieron. ad Nepotianu ep. 2. ante med.) (1. Thes. 5. d) (Est inter opera Cypr. to. 3.) (Iob 24. c) (Ioan. 3. c)

CAPVT I.

Qualiter sacerdos cauere debeat ab illicita delectatione.

PARTICVLA II.

SOLICITVS etiam sit Sacerdos, ne dum confitentem foris à sordibus purgat, ipse ex his, quæ audit per voluntariam delectationem interius sordidetur. Debet enim esse, vt nobilis manus, quæ alium lauans, lauatur, mundans mundatur, non vt lexiuia vilis, quæ alia mundificans inquinatur. Caueat ergo ne per voluntariam delectationem caput aspidis sugat, & occidat eum lingua viperæ. Glossa: Aspis est paruus serpens, vipera prolixioris est corporis, & sic nascitur, vt violenter exeat. Caput itaque aspidis sugit, & occidit eum lingua viperæ, quia cum initium suggestionis occultæ libenter suscipit, violentis postmodum se tentationibus deuictus tradit, vel quia venenum aspidis concite, viperæ tardius occidit, per aspidem violenta, & subita, per viperam tentatio tardior significatur. Hæc Glossa.

(Iob. 20. b)

CAPVT I.

Quod confessor non respiciat faciem pœnitentis.

PARTICVLA III.

DEBET etiam cauere sacerdos, ne vultum sibi confitentis maxime mulieris respiciat, ne confitens confundatur, & ne ipse delectatione illicita capiatur, vnde debet semper mulier sedere à latere confessoris, quia vt dicit Abacuc: Facies eius ventus vrens, & Glossa Gregorii super illo verbo Genesis: Vidit igitur mulier, &c. Ne lubrica in cogitatione versemur non debemus intueri, quod non licet intueri, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis reprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Eua lignum contigisset, nisi prius incaute respexisset. Pensandum ergo quantum ab illicitis debeamus visum restringere, qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortem venit. Hæc Glossa.

(Abac. 1. c) (Gen. 3. a) (Ex Greg. lib. 21. Mor. cap. 2. ante med.)

CAPVT I.

Quod confessor peccata pœnitentium non abhorreat.

PARTICVLA IV.

NON debet etiam confessor pœnitentis horrere peccata, quantumcumq; enormia, turpia, magna, inaudita, vel inusitata sint, quia vt dicit Ioannes: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam mittat. Aut enim confessor fuit, vel est, vel erit, aut esse potuit, in similibus peccatis, vel maioribus. Vnde præcipit Deus: Non abominaberis Idumæum, id est peccatorem rubore confusionis dignum, quia frater tuus est, vel Ægyptium, id est peccatorem peccatorum angustiis tribulatum. Idumæus namque rufus, vel rubens interpretatur. Ægyptius angustia, siue tribulatio.

(Iohan. 8. a) (Deut. 23. b)

CAPVT I.

Qualiter sacerdos alloqui debeat Pœnitentem.

PARTICVLA V.

EXINDE debet confessor pio ac suaui alloquio, ipsum confitentem ad veram compunctionem, & ad nudam, & expressam confessionem inducere, non statim ex abrupto, si tempus sufficit, inferre, Dic peccata tua, sed dulciter ei proponere aliqua de confessionis vtilitate, quæ valet ad septem. Valet enim ad peccati cognitionem propter instructionem sacerdotis. Vnde dicitur in Deuteronomio: Si difficile, & ambiguum iudicium apud te esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & infra parum: Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Leuitici generis, quæresque ab eis. Psalmista: Dixi confitebor, &c. Si propositum valet, quanto magis ipsa confessio? Ad cogniti, & contriti satisfactionem. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Est confusio adducens gloriam, & gratiam. Ad pœnæ diminutionem, vi clauium, de hoc Matthæus: Quodcumq; solueris super terram, &c. Ad Dei glorificationem. Vnde Iosue: Da gloriam Domino Deo Israel. & confitere, atque indica mihi quid feceris. Ad intercessorum multiplicationem, dicente Iacobo: Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Ad conscientiæ assecurationem. Vnde Dauid statim cum dixit: Peccaui, audiuit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Et hoc est magnum bonum, vt dicit Paulus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Proponat etiam ei de peccatorum venia, de Dei misericordia, & suadeat ei, quod non verecundetur confiteri, sed nude, & expresse omnia confiteatur, quia non homini confitetur, sed Deo scienti omnia, qui si nude confiteatur pro absoluto habetur, si vero scienter aliquid occultauerit, confessio nihil valebit, quia qui in hoc vno offendit, factus est omnium reus, inquit Iacobus. Si vero non vult confiteri, proponat ei terrores iudicii, pœnas inferni, & quod multo melius est, erubescere hoc coram vno homine, quam in die iudicii coram Deo, & omnibus Angelis, hominibus, & dæmonibus.

Deut. 17. b — *Psal. 31. b* — *Eccli. 4. c* — *Mat. 16. c* — *Iosue 7. c* — *Iaco. vlt. d* — *2. Reg. 12. c* — *2. Cor. 1. c* — *Iacob. 2. b*

CAPVT I.

Quod confessor in iudicio pœnitentiæ personam non accipiat.

PARTICVLA VI.

STVDEAT etiam confessor cauere ab acceptione personarum, quod confessor in iudicio pœnitentiæ personam non accipiat, quæ sic describitur à magistris. Acceptio personæ est iniustitia, qua præfertur persona personæ propter causam indebitam. Attende diligenter, ô iudex pœnitentialis, quod tibi dicitur: Non facies quod iniquum est, nec iniuste iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Ne videlicet declines à via iustitiæ propter pauperis compassionem, vel propter potentis adulationem. Attende præterea tibi dictum: Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Attende nihilominus diligenter, & considera vniuersaliter omnibus confessoribus esse dictum: Audite illos, & quod iustum est, iudicate, siue ciuis ille, siue peregrinus nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, non accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. Audite inquam, id est, diligenter intendite peccata, & peccatorum circumstantias examinando: & quod iustum est iudicate, iustos videlicet, siue diuites, siue pauperes absoluendo: & impios, quamuis etiam potentes & diuites condemnando: nec accipietis personam cuiusquam, pauperes indebite exasperando & diuitibus & potentibus adulando. Non inquam accipias personam,

Leu. 19. c — *Deut. 16. d* — *Deut. 1. c*

A ne maledictione prophetica feriaris, qua dicitur: Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. *Isa. 5. f*

DE INTERROGATIONIBVS faciendis in confessione. Cap. II. continens Particulas XX.

CAPVT II.

Qualiter interrogationes sint faciendæ in generali.

PARTICVLA I.

POST hæc sacerdos incipiat audire confessionem ipsius. Interrogando si peccator nesciat confiteri, & adiuuando per inquisitionem, discrete tamen, ita quod sollicitus sit B vsitata peccata singulatim requirere, inusitata vero per circumstantias generales, & valde remotas caute inuestigare; ne inexpertis detur materia, vel occasio, quod ante nesciuerant perpetrandi, sicut aliquotiens contingit ex quorumdam insipientium confessorum interrogationibus. Taliter autem indiscrete interrogantes, non sunt vitiorum euulsores, & destructores, sed potius ædificatores, & plantatores. Ideo, vt dictum est, non debent de peccatis inusitatis expresse interrogare, sed nec ad circumstantias speciales descendere, sed tantummodo in vniuersalibus stare, & sapienter valde à longe & à remotis generalibus circumstantiis incipere quærere, ita vt si fecit, confitens statim cognoscat: si non fecit, nesciat quid confessor dicat. Verbi gratia: Si de in- C continentia quærat, & velit scire, an in turpi vitio peccauit, dicere potest: Habuisti vnquam pollutionem dormiendo? Si dicat, quod sic; quærat, si vigilando, quia omnis pollutionis voluntaria procuratio, excepto fœdere matrimoniali, peccatū mortale est: Si adhuc dicat, quod sic, posset quærere quomodo, caueat tamen, ne vnquā quærat vtrum illo, vel illo modo speciali, sed quærendo generaliter modum, expectet ab illo determinationem. In quo casu potest intelligi, quod præcipit Dominus cōfessori sub typo creditoris in Deuteronomio: Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, i. e. cor vel conscientiam eius, vt pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit, si vero dicat, quod non, taceat sacerdos. Caue- D re enim debet ne lupum excitet dormientem, ne videlicet peccata noua in animo hominis repræsentet. Similiter faciendum est de aliis peccatis inconsuetis. Si autem confitens etiam peccata consueta nesciat confiteri, vt fere communiter omnes rurenses, potest & debet confessor interrogare, secundum illud Ezechielis: Fili hominis fode parietem. Augustinus de vera, & falsa pœnitentia, circa finem: Diligens igitur inquisitor & subtilis inuestigator sapienter, & quasi astute interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecunde velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum & tempus, &c. quæ supradiximus in exponendo eorum qualitates, quibus cognitis, adsit, beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate personarum. Et infra: Semper E eum iuuet leniendo, spem promittendo, consolando, & cum opus fuerit etiam increpando, hæc Augustinus. Et introducitur hæc auctoritas, & multa de ista materia de pœnit. d. 6. per totum.

Deut. 24. b — *Ezec. 8. d* — *Tomo 4.*

CAPVT II.

Qualiter & de quibus interrogandum sit, & primo de superbia.

PARTICVLA II.

TALITER autem Sacerdos potest incedere, interrogando primo de superbia. & primo: Si ex tumore cordis cum deliberatione, superbiuit de bonis naturæ, e, lios contemnendo, vtpote de ingenii naturalis subtilitate

de corpo-

de corporis fortitudine, pulchritudine, agilitate, & similibus, de omnibus donis, scilicet gratiæ gratis datæ, sicut de bona voce, de affabilitate, eloquentia, & similibus, appetendo pro his inordinate placere, vel eadem, si non affuerint, culpabiliter affectando. Secundo, de bonis fortunæ: Si se extulit de diuitiis, de parentum multitudine, nobilitate, & de propria dignitate, potestate, de acquisita scientia, industria, experientia, de consilii excellentia, & similibus, vel si defuerunt, ea culpabiliter affectauit. Quæret etiam si de præmissis omnibus, vel aliquibus, aliquando se iactauit, forte etiam mendaciter, & de quattuor speciebus superbiæ, quæ continentur in hoc versu:

A se, pro meritis, falso plus omnibus inflat.

Tertio de bonis gratię gratum facientis, vtpote de deuotione, oratione, de lacrymis, ieiunio, silentio, obedientia, humilitate, & similibus omnibus exercitiis, quoquomodo ad gratiam gratum facientem pertinentib. Quarto, si extulit se de peccatis, vtpote de luxuria, vel aliis quibuscumq;, quia secundum beatum Gregorium: Omni culpa grauius est, quando de commisso vitio superbitur.

Greg lib. 7. mor. ca. 12. post med.

CAPVT II.

De Inuidia.

Particvla III.

QVÆRAT etiam de inuidia. Si lætatus est de proximi aduersitate, qui eum læsit, vel contristatus de prosperitate, quod est primus gradus inuidiæ: vel qui non læsit, quod est secundus: vel qui bene sibi fecit, quod est tertius. Hic descendere poterit de diuersis aduersitatibus in speciali, scilicet infirmitate corporis, labore, & dolore, vel cordis tribulatione, vel confusione, & similibus, secundum quod pro varietate personarum viderit expedire.

CAPVT II.

De Ira.

Particvla IV.

POSTEA quærat de ira, secundum tres gradus iræ. Primus est, quando homo irascitur, & maledicit, vel malefacit conuicianti sibi, vel malefacienti. Secundus gradus est; quando ex amaritudine cordis sibi maledicit, vel malefacit se percutiendo, vel aliquid huiusmodi. Tertius gradus est, quando homo ex nimio furore, in ludo, vel alibi, maledicit Deo benedicto, vbi etiam quærat de peccatis, quæ proueniunt ex ira, scilicet de bellis, homicidiis, incendiis, & huiusmodi.

CAPVT II.

De Acedia.

Particvla V.

DEINDE quærat de acedia. Primo si per tædium boni, ex consuetudine, & prauitate, & desiderio mali, quodcumque malum faciendo lætatur, & bonum quodcumque faciendo tristatur, vbi poterit descendere ad diuersa bona, & mala, secundum quod exigit diuersitas personarum. Secundo quod si non solum in bono tristatur, & malo lætatur, sed etiam aliquos deridendo, à bono retraxit, vel ad malum attraxit, verbis, gestibus, & exemplis. Tertio, si desperando, vel de misericordia Dei nimium præsumendo, omni stultitiæ, & impudicitiæ se tradidit per otium, à bona cogitatione, locutione, & operatione cessando, concupiscentiæ carnis, oculorum, & superbiæ vitę insistendo: aut amore mali, aut tædio boni, malo per negligentiam non resistendo, in dissolutione spectacula vana videndo, in fractione vocis, in leuitate mentis, in gestibus corporis lasciuiendo inepte, & nimis ridendo, alios ad risum mouendo, fabulosa & vana loquendo, vagus & inconstans existendo, quod modo non vult, modo vult, quod nunc laudat, nunc vituperat, grauis ad bona, leuis ad mala, gratiam Dei repellendo, & si receperit expellendo, tempus, horas, dies, & menses & annos inutiliter expendendo, pœnitentias iniunctas indeuote perficiendo, vel imperfectas relinquendo, vel totaliter obmittendo.

CAPVT II.

De Auaritia.

Particvla VI.

QVÆRAT etiam de auaritia, & tribus gradibus. Primus si sua non communicauit vt debuit, vbi quærat de operibus misericordiæ si obmisit, & hoc tam de spiritualibus, quam de corporalibus. Spiritualia sunt hæc, doctrina, consilium iniuriarum remissio, correctio, consolatio, supportatio, & oratio, quæ præter primum continentur in hoc versu:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Corporalia continentur in hoc versu:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Secundus gradus est, quando per fraudem acquirit, vbi quærat de diuersis modis illicite acquirendi, de quibus postea tangetur. Tertius gradus est, si non restituit illicite acquisita, nec etiam operarios, vel seruientes sibi remunerauit, vt debuit.

CAPVT II.

De Gula.

Particvla VII.

QVÆRAT etiam de gula, secundum tres gradus gulæ, primus si se repleuit frequenter, & præposuit epulas dilectioni, vel delectationi Dei, ita quod non delectaret eum quidquam boni agere. Secundus gradus est, quando quasi nullum vel paucos dies vult ieiunare, & si ieiunat immunde ieiunat, bibendo vinum ante prandium in quadragesima, vel aliis diebus ieiuniorum. Tertius gradus est, si comedat, aut bibat, vt fortior sit ad peccandum. Quærat etiam de speciebus gulæ subscriptis. Prima si nimis sæpe sumpsit cibum. Secunda si variis ferculis vsus sit. Tertia si noua cibaria requirat, & inconsueta. Quarta, si pretiosa & sumptuosa requirat, non habito etiam respectu quod magis sint saporosa. Quærat etiam si propter delectationem comedit nociua corpori, & in infirmitate positus morbum potius confortauit, quam naturam.

CAPVT II.

De Luxuria.

Particvla VIII.

QVÆRAT etiam de luxuria, de tribus gradibus eius. Primus, si peccauit solutus cum soluta, vel econtrario. Secundus, si coniugatus cum coniugata, vel econtrario. Tertius si vitio Sodomitico, vbi cautissime procedat, sicut superius est expressum. Quærat etiam si cum consanguinea vel affini.

CAPVT II.

De primo præcepto Decalogi, de sacramentis, & articulis fidei.

Particvla IX.

POSTEA procedere potest confessor, si voluerit, de decem præceptis, quæ continentur his versibus:

Sperne deos, vita periuria, sabbata serua.
Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus.
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Nullius nuptam, vel rem cupias alienam.

Circa primum præceptum sic quærat, Si aliquando quattuordecim articulos fidei non credidit, tam de diuinitate, quam de humanitate Christi. Septem autem articuli pertinentes ad diuinitatem sic distinguuntur. Primus est de vnitate essentiæ, scilicet, Credo in Deum, singulariter, non Deos, vt notet vnitatem essentiæ. Vnde in maiori Symbolo dicitur: Credo in vnum Deum. Iste

primus articulus, scilicet Credo in Deum, debet retorqueri ad tres sequentes, qui sunt de tribus personis. Primus de Patre, cum dicitur: Patrem omnipotentem. Secundus de Filio, cum dicitur: Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Tertius de Spiritusancto, cum dicitur: Credo in Spiritum sanctum. Est ergo sensus: Credo in Patrem omnipotentem Deum. Credo in Filium vnicum Dominum nostrum Deum. Credo in Spiritum sanctum Deum. Ecce habemus quattuor articulos pertinentes ad diuinitatem in se. Tres alii pertinent ad effectus. Primus indicat effectum creationis, scilicet, Creatorem cæli & terræ. Secundus, effectum recreationis, scilicet, Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Tertius, effectum resurrectionis, scilicet, Carnis resurrectionem, & vitam æternam. Carnis resurrectio pertinet ad corpus; vita æterna ad animam. Ecce tres articuli pertinentes ad effectus diuinitatis, quattuor ad diuinitatem in se consideratam, & sunt simul septem. Septem pertinentes ad humanitatem sunt isti. Primus scilicet, Conceptus de Spiritu sancto. Secundus, Natus ex Maria virgine. Tertius, Crucifixus, mortuus, & sepultus. Quartus, Descendit ad inferos. Quintus, Resurrexit à mortuis. Sextus, Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Septimus, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Quærat etiam circa Ecclesiastica sacramenta, quæ continentur in hoc versu:

Abluo, firmo, cibo, dolet, vngo, ordinet, iungo.

Quærat etiam, si aliquando voluntarie, & forte ex deliberatione, circa prędicta dubitauit, tertio, si sortilegiis & diuinationibus corde credidit, vel ore docuit, vel talia in opere perpetrauit.

CAPVT II.

De secundo præcepto.

PARTICVLA X.

QVÆRAT etiam de secundo mandato, Si aliquando nomen Dei sumpsit in vanum, sine causa iurando, iuramentum violando, votum transgrediendo, falsa iuratione affirmando, vel negando, inutiliter iurando, consuetudinem incurrendo.

CAPVT II.

De tertio præcepto.

PARTICVLA XI.

QVÆRAT etiam de tertio mandato, Si solemnitates præcipuas, & dies Dominicos, & festiuos violauit, opera seruilia faciendo, choreas ducendo, vel eas ducentibus intendendo, vel aliquos gestibus, vel ornatu ad libidinem prouocando, peccata luxuriæ, vel alia committendo. In quibus omnibus poterit descendere ad multa specialia & singularia, secundum varias circumstantias personarum.

CAPVT II.

De quarto præcepto.

PARTICVLA XII.

CIRCA quartum præceptum quærat, si spiritualem patrem, vel prælatum inhonorauit, eius præcepta contemnendo, excommunicationem incurrendo, vel quam incurrerat non curando, vel in ea existens, diuinis officiis se ingerendo, vel prælato detrahendo, vel contentiose contradicendo, vel corde vel ore maledicendo, vel debita subtrahendo. Similiter de parentibus carnalibus, multa huiusmodi quærere poterit, iuxta quod videtit expedire.

CAPVT II.

De quinto præcepto.

PARTICVLA XIII.

CIRCA quintum præceptum quærat, Si occiderit aliquid obmittendo, vt si in extrema, vel notabili necessitate posito non subuenit. Item si occidit committendo, vtpote corde odiendo, ore detrahendo, malum consulendo, opere vel malo exemplo animam alicuius interficiendo. Item si corporaliter occidit, & hoc tripliciter, casu, necessitate, vel voluntate. Item etiam quærat si circumstantia personæ exegerit, si occidit, conceptum præpediendo, vel aborsum procurando, licet fortassis effectus in huiusmodi non fuerit subsecutus.

CAPVT II.

De sexto præcepto.

PARTICVLA XIIII.

CIRCA sextum præceptum quærat secundum septem differentias luxuriæ, fornicationem, meretricium, adulterium, stuprum, sacrilegium, quod est concubitus, prout hic sumitur, quo continentia Deo sacrata læditur, vel violatur, incestum, & peccatum Sodomiticum, potest etiam addi octaua differentia, scilicet libidinosus coitus coniugalis, qui aliquando prouenit ex fragilitate, aliquando ex impetuositate metas honestatis, & rationis transcendens. & ideo semper est mortale peccatum. quod fit quinque modis. Primus causa satiandæ libidinis, & hoc per meretricias blandicias. Secundus, quando fit contra naturalem vsum. Tertius, cũ fit in tẽpore prohibito. Quartus, cũ in loco prohibito. Quintus, cũ acceditur ad vicinam, vel quæ est in fluxu menstruo. Hæc sunt verba magistri Alexandri, de quib. omnibus confessor interrogando cautissime procedat, ne efficiatur eis causa mortis, quibus ostendere debuerat viam vitæ.

CAPVT II.

De septimo præcepto.

PARTICVLA XV.

CIRCA septimum pręceptũ quærat de quinque differentijs contrectationis rei alienæ, quæ sunt beneficij subtractio, rapina, furtum, vsura, simonia.

CAPVT II.

De octauo præcepto.

PARTICVLA XVI.

CIRCA octauum præceptum quærat de octo generibus mendacij, quorum quinque sunt mortalia, & tria venialia. & continentur in his versibus:

Peruersus doctor, detractor, testis, iniquus,
Mentirique libens, & qui mentitur adulans,
Res, corpus, florem si quis fallendo tuetur.
Hæc tria sunt venia, sunt mortis cetera quinque.

CAPVT II.

De nono præcepto.

PARTICVLA XVII.

CIRCA nonum præceptum quærat, si libenter aliquando habuisset rem proximi, etiam iniuste, sed sine conatu exteriori auferendi: vel aliquando cum conatu exteriori, sed sine effectu.

CAPVT II.

De decimo præcepto.

PARTICVLA XVIII.

CIRCA decimum præceptum quærat, si morosas cogitationes luxuriæ voluebat in corde, & sine consensu operis, vel aliquando cum consensu, sed sine conatu exteriori directe, vel indirecte signis, nutibus, gestibus, per se, vel per alios, personas aliquas sollicitando: vel etiam si concupisci voluit cum conatu exteriori, vel sine vt prius. Hic similiter exprime diuersos conatus, quibus tam mulieres quam viri prouocant personas, à quibus desiderant concupisci.

CAPVT II.

De nouem modis currendi cum fure.

PARTICVLA XIX.

QVÆRAT etiam de nouem modis currendi cum fure, quos ad multa alia præcepta poterit adaptare, qui continentur in his versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Mutus, participans, non obstans, non manifestans.

Ista possunt applicari ad eos, qui tenent Iudæos, meretrices, lusores in domibus, & ad multa alia peccata.

CAPVT II.

De circumstantiis.

PARTICVLA XX.

QVÆRAT etiam de circumstantiis peccatorum, quæ continentur in hoc versu:

Quis, quid, vbi, per quos, quotiens, cur, quomodo, quando.

De quibus circumstantiis loquitur Augustinus, in libro de vera & falsa pœnitentia, cap. 10. & ponuntur de pœnitentia distinct. 5. Consideret. & in 4. libro sententiarum dist. 16. circa princ. Post igitur illa tria, quæ præ omnibus conuenit quæri, scilicet si fidem sanctam firmiter teneat, extra. de pœnit. & remiss. Deus qui Ecclesiam. in fi. Si orationem Dominicam sciat. Si omnes homines in Ecclesia diligat. ac de prædictis circumstantiis taliter quærat. Primo quis ipse fuerit, cum peccauit, cuius scilicet conditionis, cuius gradus. eodem enim genere peccati peccat grauius sacerdos quam diaconus, diaconus quam subdiaconus, subdiaconus quam acolytus, acolytus quã laicus, religiosus quam sæcularis. Quærat etiam quid fecit, scilicet periurium, fraudem, & huiusmodi. Quærat vbi peccauit, in loco sacro, vel publico. Quærat etiam cum quo, vel per quos, non de personis, sed de conditionibus personarum, vtrum scilicet fuerint coniugatæ vel solutæ, cognatæ vel affines, clerici vel laici. Quærat etiam quotiens, vt si sciat numerum peccatorum dicat secundum veritatem, vel saltem secundum æstimationem. Dicat etiam cum quot, & quamdiu in peccato permanserint. Quærat etiam cur, quia si grauiter Deum offenderit, qui ex timore, vel coactione peccauit; grauius tamen, qui ex crassa vel supina ignorantia; grauissime, qui ex pura malitia. Item si multum peccauit, qui ab aliis cogitur, multo plus, qui se cogit peccare, vt quidam luxuriosi, gulosi, malitiosi, desperati. Quærat etiam quomodo, vtrum tali vel tali modo. Hanc tamen circumstantiam non quærat de peccato luxuriæ, nisi à remotis, vt prædixi. Quærat etiam quando, vtrum in tempore festiuo, vel non festiuo. Item cum quæritur quis fuerit, potest quærere de circumstantiis sui officij. Verbi gratia: Si est regularis, interrogetur de inobediētia, de proprietate, incontinentia, de simonia, & aliis pertinentibus ad obseruantiam regularem. Si est clericus de simonia in ordinibus, & beneficiis, & huiusmodi multis. Præmissæ etiam circumstantiæ, & quædam aliæ continentur in præscriptis:

Aggrauat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa.
Et modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Super omnia autem attendat confessor, vt confitentem peccato faciat abrenunciare, non tamen iuramento propter periculum periurij, nisi in casibus expressis in iure. Primus quando quis excommunicatus pro enormi crimine veniam postulat. 11. quæst. vlt. Cum aliquis. & extra. de sentent. excom. Ex tenore. Secundus, quando ab hæretico reuertente requirit iuramentū. 1. quæst. 7. Quotiens. Tertius ab incendiario, vt 23. quæst. vlt. Pessimam. Similiter in quolibet horrendo crimine, iurabit pœnitens se nunquam simile commissurum, 11. quæst. 2. De viro. Non tamen id faciendum est de quolibet mortali, nec etiam de quolibet enormi, cum periculum timetur periurij. Arg. Extra. de cohabit. cler. & mulie. Clericos.

Quærat etiam de quinque sensibus, & affectionibus septem, quæ sunt, spes, timor, gaudium, mœror, & amor, & pudor, & odium.

Poterit etiam quærere cum opportunum fuerit, de viginti quatuor peccatis linguæ, quæ sunt hæc, blasphemia, peccatum murmuris, peccati defensio, periurium, mendacium, detractio, adulatio, maledictio, conuitium, cōtentio, bonorum derisio, prauum consilium, peccatum seminantium discordias, peccatum bilinguium, tumor, secreti reuelatio, iactantia, indiscreta comminatio, promissio, otiosum verbum, multiloquium, turpiloquium, scurrilitas, indiscreta taciturnitas. Attende tamen, quod non omnia quæ dicta sunt de quolibet confitente sunt inquirenda, sed variis varias morbis debes dare curas. iuxta doctrinam Hieronymi in glossa super verba Marci: Hoc genus in nullo potest eiici nisi in oratione & ieiunio, vbi ait: Medicina cuiuslibet vulneris, adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneum, ieiunio passiones corporis, oratione sanantur pestes mētis. Hæc glossa.

Peccata linguæ.

DE POENITENTIIS INIVNGENDIS SECVNDVM CANONES POENITENTIALES.

CAPVT III. CONTINENS PARTICVLAS LIX.

Quod pœnitentiæ sint arbitrariæ, & vtrum sacerdos teneatur scire Canones pœnitentiales.

PARTICVLA I.

CIRCA pœnitentias iniungēdas hoc teneas, quod omnes pœnitentiæ arbitrariæ sunt, & arbitrio pœnitentialis iudicis relinquuntur. Et hoc probat Leo Papa 26. q. 7. Tempora. & Nicolaus Papa ead. De his vero. & concilium Carthag. ea. Pœnitentibus. & Hieronymus de pœn. d. 1. Mensuram. Et hanc opinionem approbat consuetudo, quia generaliter hoc seruatur. Nec obstat quod dicit Greg. de pœnit. dist. 5. Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum Patrum, pro qualitate criminis imponuntur: quia hoc verum est, nisi ex causa consideratis circumstantiis, pœnitētia temperetur. Nec illud Gregorij: Quod prolixior debeat esse pœnitentia quam fuerit culpa. de pœniten. dist. 3. Productior: quia hoc intelligendum est de interiori pœnitētia: vel potest intelligi de pœna, quam patimur propter peccatum primi parentis. Quamuis autē pœnitentiæ sint arbitrariæ, semper tamen pro quolibet mortali peccato, septennis pœnitentia est imponenda, 33. q. 2. Hoc ipsum, & §. seq. 22. q. 1. Prædicandum, nisi maior vel minor inueniatur à canone expressa. In quo quidem casu, si crimē publicum sit, publica non minor vel maior quam scripta sit, pœnitentia est imponenda, Extra. de pœnitent. & remiss. Qui sunt. Si occultum, tunc indistincte arbitrariæ imponuntur, sicut probant concordantiæ iam signatæ. Certum est etiam, quod maior causa dispensandi in pœnitentia requiritur in publico, quam in occulto. In vtroque tamen, ex causa minor pœnitentia potest imponi consideratis criminis quantitate, & qualitate, & personæ dignitate, conditione, sexu, officio, paupertate, debilitate, consuetudine, complexione, societate, contritione, loci, religionis, & temporis qualitate, causa, animo, voluntate & aliis circumstantiis, quas ponit Augustinus in libro de vera & falsa pœnitentia, & introducitur de pœnit. dist. 5. cap. 1. Supradictis igitur consideratis, alleuiabit, vel aggrauabit sacerdos discretus pœnas peccantium. de pœnitent. distinct. 1. In actione. & cap. Iudicet. quia apud Deum plus valet mortificatio vitiorum, quam abstinentia ciborum, vt in præallegato cap. Mensuram. Vt autem sacerdos circa pœnitentias dispensando cautius arbitretur, nota casus in quibus per canones certæ pœnæ seu pœnitentię imponuntur. Nam canones pœnitentiales

De hac materia legendus est Auctor in 4. d. 20. q. 3.

c. 10. to. 4.

tentiales tenetur scire sacerdos, 38. dist. Cælestinus Papa omnibus orthodoxis episcopis: Nulli sacerdoti liceat canones ignorare, &c. & ca. sequenti, Augustinus. Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est, sacramentorum liber, hoc est Missale, lectionarius, antiphonarius baptisterium, computus, canones pœnitentiales, psalterium, homeliæ per circulum anni diebus Dominicis & singulis festiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus si vnum defuerit, sacerdotis nomē vix in eo constare poterit, quia valde periculosæ Euangelicæ minæ sunt, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

CAPVT III.

De pœnitentia presbyteri fornicantis.

PARTICVLA II.

PRIMVS Canon ex concilio Gangren. 82. dist. *Presbyter si fornicationem fecerit quamquam secundum canones Apostolorum debeat deponi; tamen iuxta auctoritatem beati Siluestri Papæ, si non in vitio perduret, si sua sponte confessus adiecit, vt resurgeret, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus quidem mensibus priuato loco à ceteris remotus pane, & aqua à vespera in vesperam vtatur: tantum autem diebus Dominicis & præcipuis festis, modica vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne, & sagimine, & ouis, & caseo, & sacco indutus, humo adhæreat, die ac nocte iugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet sacerdos publice pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper resumptis viribus, annum vnum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis diebus, & præcipuis festiuitatibus, in quibus vino, & sagimine, ouis, & caseo, iuxta canonicam mensuram vti poterit. Finito primo anno, & dimidio, corporis & sanguinis Domini nostri, ne indurescat, particeps fiat, & ad pacem veniat, psalmos cum fratribus vltimus in choro canat, ad cornu altaris non accedat, iuxta beati Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde vero vsque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis tribus paschalibus diebus, tres* a *legitimas ferias in vnaquaque hebdomada, in pane, & aqua ieiunet. Expleto anni septimi circulo, si fratres apud quos pœnituit eius condignā pœnitentiam laudauerint, Episcopus in pristinum honorem, iuxta beati Calixti Papæ auctoritatem, eum poterit reuocare. Sane sciendum est, quod secundam feriam vnum psalterium canendo, aut vnum denarium pauperibus dando si opus est, redimere potest. Finitis septem annis deinde vsque ad finem decimi anni, sextam feriam nulla interueniente redemptione obseruet, in pane & aqua. Eadem quoque pœnitentia erit sacerdoti de omnibus aliis peccatis, & criminibus, quæ eum in depositionem adducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum, si sacerdos post lapsum digne vt supradictum est, pœnitens ad pristinos redeat honores.* Hæc canon. a *Legitimas*, scilicet secunda, quarta, & sexta feria. De secunda feria 11. q. 3. De illis. De quarta, & sexta feria, de consec. dist. 3. Ieiuna.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis fornicantis cum filia spirituali.

PARTICVLA III.

SECVNDVS canon est Cælestini Papæ 30. q. 1. *Si quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse. Idcirco femina, si laica est, omnia relinquat, & res suas pauperibus tribuat, & conuersa in monasterio, iugi pœnitentia Deo vsque ad mortem seruiat. Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando quindecim annis pœniteat, postea vero ad monasterium vadat, ibique diebus omnibus vita sua Deo seruiat.* Hæc canon. Idem: *Non debet Episcopus, aut presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua confessæ fuerint peccata. Si forte, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali. Episcopus quindecim annis, presbyter duodecim annis, & deponatur, si tamen in conscientia populi deuenerit.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui peccauit contra naturam.

PARTICVLA IV.

TERTIVS canon est Concilij Lateranensis, extra. de excess. prælator. Clerici. & infra. *Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque ciuitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, deijciantur à clero, vel ad agendam pœnitentiam in monasteriis detrudantur. Si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium sint, vel fiant penitus alieni.* Hæc canon. Hoc autem vitium maius est, quam si matrem quis cognosceret, 32. qu. 7. Adulterium.

Ephes. 5. b

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotum clandestinas desponsationes non prohibentium, aut eisdem interesse præsumentium.

PARTICVLA V.

QVARTVS canon est Innocentij Tertij, in Concilio generali, extra. de clandest. despon. *Cum inhibitio copulæ coniugalis sit in vltimis tribus gradibus reuocata, eam in aliis volumus districte seruari. Vnde prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem,* a *ad alia generaliter prorogando statuimus, vt cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, vt infra illum qui voluerit, & valuerit legitimum impedimentum opponat, & ipsi presbyteri nihilominus inuestigent, vtrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quod fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Si quis vero huiusmodi clandestina, vel interdicta coniugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint. Sane si parochialis sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauius puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. Sed his, qui taliter præsumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia iniungatur. Si quis autem ad impediendā legitimam copulam, malitiose impedimentum obiecerit, canonicam non effugiet vltionem.* Hæc canon. a *Ad alia*, scilicet loca.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui post votum simplex contrahit.

PARTICVLA VI.

QVINTVS canon est Theodori 27. distinct. *Si vir simplex votum virginitatis habens, adiungitur vxori, postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat.*

Theodo. in pœnitentiali.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotum in excommunicatione celebrantium.

PARTICVLA VII.

SEXTVS canon est Ioannis octaui 11. q. 3. *De illis presbyteris, qui tempore sanctiss. prædecessoris nostri, domini Papæ Nicolai, excommunicati sacrum mysterium contingere præsumpserunt, ipsi in se damnationis, sicut sacri canones statuerunt, sententiam intulerunt. tamen quia miseratio Apostolica, veniam solet præstare correctis, ob multitudinem misericordiæ,*

illis hanc indulgentiam exhibemus, vt sancta communione a saginati, studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secunda, quarta, & sexta feria à vino & à carne penitus ieiunare, & vltra lugenda nequaquam committere. Hæc canon. a *Saginati*. Ap. id est. refecti.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui accusat alium ad mortem.

PARTICVLA VIII.

SEPTIMVS canon ex Burchardo. li. 44. ext. de accus. *Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi a pro pace hoc feceris, quadraginta dies in pane & aqua, quod carina vocatur, cum septem sequentibus annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam b debilitatus est, per tres debes quadragesimas pœnitere.* Hæc canon. a *Pro pace*, scilicet vt boni quiete viuant. b *Debilitatus est*, id est mutilatus.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui filiam suam spiritualem carnali filio tradit.

PARTICVLA IX.

OCTAVVS canon Zachariæ & Deus dedit, 30. q. 3. *Non oportet filiam, quam de sacro fonte susceperit, aliquando filio suo in matrimonium tradere, quia in diuina sententia, germani esse inueniuntur. Si quis tali facinore commixtus, minime restrinxerit frena luxuriæ, ab Ecclesia catholica abominabitur. Sed si conuersus fuerit, post separationem septem annis pœnitentiam gerat. Consciis simul cum auctore sit ista conditio, id est, simul cum cooperatoribus, & consentientibus pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui contrahit cum sponsa alterius.

PARTICVLA X.

NONVS canon extra de sponsa duorum. ex Burchardo lib. 30. *Accepisti illam in vxorem tibi, quam alter habuerat sibi desponsatam, illam dimitte: quia nunquam potest tibi legitima fieri, & quadraginta dies in pane & aqua, quod carinam vocant, cum septem sequentibus annis pœniteas.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia patris & filij, vel duorum fratrum cum vna muliere concumbentium, aut si quis cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus concubuerit.

PARTICVLA XI.

DECIMVS canon est ex concilio Chalcedon. 30. q. 4. *Si pater & filius, aut duo fratres cum vna muliere, aut si cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cũ duabus commatribus aliquis concubuerit, secundum antiquã & humaniorem diffinitionem, octo annis pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis homicidæ.

PARTICVLA XII.

VNDECIMVS canon. 50. dist. Ioann. VIII. *Miror minus doctam scientiam tuam sacerdotem putare, post perpetratum homicidium, posse in sacerdotio ministrare, immo quod est ineptius, nobis suadere velle, vt ipsi tali præsumptioni praberemus assensum. Quis enim tam demens, tamque peruersi sensus, tale quid existimaret, vel post quantamcunque pœnitentiam concedendam, cum omni sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet ergo sacerdotio priuatus, lachrymarum fonte, flagitium tam immane diluere, vt talibus saltem remediis curatus, salutis possit inuenire suffragium.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia mulieris, quæ occidit ancillam, & de pœnitentia homicidæ voluntarij.

PARTICVLA XIII.

DVODECIMVS canon. 50. d. ex concilio Eliberitano. *Si qua femina furore zeli accensa, flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt infra tertium diem, cum cruciatu animam emittat, eo quod incertum sit an voluntate, an casu occiderit: si voluntate, post septem annos, si casu, post quinque annorum tempora acta pœnitentia legitima, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta, fuerit infirmata, accipiat communionem.* Hæc canon. De eodem capitulo seq. ex capitulis Martini Bracharen. c. 78. *Si quis voluntate homicidium commiserit, ad ianuam catholicæ Ecclesiæ semper iaceat, & communionem in exitu vitæ suæ suscipiat. Si autem non voluntate, sed casu aliquo homicidium fecerit, prior canon septem annis pœnitentiam agere iussit, secundus canon quinque mandauit.* Hæc canon.

Eliber. concil. cap. 5.

CAPVT III.

De pœnitentia pro homicidio necessitatis euitabilis, & de pœnitentia eius, qui occidit latronem, & de pœnitentia intuitu disciplinæ occidentis, vel ligatum latronem interficientis.

PARTICVLA XIV.

TErtiusdecimus canon. 50. dist. ex Ilerdensi concil. *De his clericis, qui in obsidionis necessitate positi fuerint id statutum est, vt qui altario seruiunt vel ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine etiam hostili se abstineant. Quod si in hoc inciderint, tam officio quam communione corporis Domini duobus annis priuentur, ita vt his duobus annis, ieiuniis, vigiliis, orationibus, & eleemosynis, pro viribus, quas Dominus donauerit, expientur, & ita demum officio & communioni reddantur: ea tamen ratione, ne vlterius ad officia potiora promoueantur. Quod si indefinito tempore negligentiores circa suam salutem extiterint, protelanda ipsius pœnitentiæ tempus, in potestate sacerdotis maneat.* Hæc canon. Sed si esset ineuitabilis necessitas, in nullo imputaretur, 50. dist. Quia te. Quod verum est, quo ad peccatum, sed quo ad cautelam, & innocentiam suam Ecclesiæ ostendendam, bonum est pœnitere, Extra. de homic. ca. 2. ex pœnitentiali Rom. *Interfecisti furem, aut latronem vbi comprehendi poterat absque occisione, quia ad imaginem Dei creatus est, quadraginta dies non intres ecclesiam, & lanea veste indutus, ab escis & potibus, qui a interdicti sunt, & à thoro, & gladio, & equitatu, illos supradictos dies abstineas. In tertia autem & quinta feria & sabbato, aliquo genere leguminum, vel oleribus pomis, & paruis pisciculis, cum mediocri ceruisia, vtere temperate. Si autem sine odij meditatione, te, tuaque liberando, huiusmodi diaboli membra interfecisti, secundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei, si aliquid ieiunare potueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter. Si presbyter eadem fecerit, non deponatur, tamen quamdiu viuit, pœnitentiam agat.* Hæc canon. a *Interdicti sunt*. 4. distinct. Denique, id est, à carnibus, & ab omnibus, quæ sementinam trahunt originem carnis, lacte videlicet, & caseo, & ouis, quia vt dicit sapiens quidam: Ouum est liquida carnis substantia, lac autem sanguis colore mutato, caseus autem lac coagulatum. Si quis autem per insaniam committit homicidium, non imputatur, 3. q. 9. Indicas. Qui vero etiam intuitu disciplinæ, incaute percutiendo occidit, deponatur. extra. de homicidio presbyterorum. Item qui ligatum latronem interfecit, deponatur. extra. de homic. Suscepimus.

Conc. Ilerd. c. 1.

CAPVT III.

De pœnitentia matricidæ.

PARTICVLA XV.

QVartusdecimus canon. 33. quæst. 2. Nicolaus Papa. *Latorem præsentium matricidam esse cognouimus, cui*

præcipimus, vt sub iugo pœnitentiæ permaneat, ita vt per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans, deprecans Deum, perseueret, qualiter tanto expiætur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi Ecclesiam licentiam habeat, tamen a inter audientes stet, & nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, sacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis, atque temporibus, carnem non manducet, & nec vinum bibere præsumat, exceptis festiuis dieb. atque Dominicis, & à Pascha vsque Pentecosten, & quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedib. proficiscatur, arma non sumat nisi contra paganos. Ieiunet autem tribus diebus per hebdomadam, vsque ad vesperam. A propria ac legitima coniuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod ne fiat optamus. Si autem ante annorum trium cursum, finis vitæ illius appropinquauerit, corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fiat Sin autem, vt supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conseruationem & lacrymarum fontem, in omnib. videritis floridis actionib. & bonis operib. pullulare; humanius circa eum sollicitudo peruigil appareat, mitiusque omnib. demonstretur. Hæc canon. a *Inter audientes*, i.e. inter laicos.

CAPVT III.

De pœnitentia vxoricidæ.

PARTICVLA XVI.

STEPHANVS Papa V. Astulpho. 33. quæst. 2. *Admonere te cum lacrymis, & multo gemitu cordis curauimus fili Astulphe, sed non filius dici debes, qui tam crudeliter infœlix homicidium perpetrasti. Nam occidisti vxorem tuam, partem corporis tui, legitimo tibi matrimonio sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquomodo vitæ tuæ. Non inuenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed concitatus à diabolo, impio furore inflammatus, more latronum atrocius eam gladio tuo, crudelior omni bestia interemisti, & nunc post mortem eius, addis iniquitatem super iniquitatem filiorum tuorum improbe prædo, qui non pepercisti matri, & filios tuos orphanos fecisti, inducere vis super eam causam mortis post mortem per vnum hominem homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam. Quoniam nec Euangelium, nec vlla diuina, & humana lex, vnius testimonio etiam idoneo, quempiam condemnat, vel iustificat: quanto magis per istum flagitiosissimum, & scelestum, nec illa viua debuit condemnari, nec à te post mortem eius accusari? Prius causa criminis subtiliter inuestiganda erat, & tunc si ita fuisset inuenta, secundum legum tramitem debuis vindictam accipere vltionis. Nam si verum, quod absit, fuisset, sicut adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur ad pœnitentiam & viuat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum, & facias hoc, quod melius & leuius videri tibi potest. Miserere animæ tuæ, vt non sis tu tibimet ipsi homicida. Relinque, quapropter te rogamus, hoc malum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati sinus. Ingredere monasterium, humiliare sub manu abbatis, multorum fratrum precibus adiutus, obserua cuncta simplici animo, quæ tibi fuerint imperata, si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, & refrigeret animam tuam, priusquam crucieris perpetuis flammis. Hoc melius, & leuius tibi esse certissime scias. Sin autem publicam pœnitentiam permanens in domo tua, vel in hoc mundo vis agere, quod tibi peius, & grauius esse non dubites; ita vt agere debeas exhortamur. Omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum & siceram non bibes, carnem numquam comedas vllo tempore, præterquam in Pascha, & in die Natalis Domini, in pane & aqua & sale pœnitentiam age, in vigilijs, & ieiunijs, orationibus, eleemosynis omni tempore perseuera, armis numquam cingere, nec in loco quolibet litigare præsumas; vxorem numquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas, in balneo numquam laueris, in conuiuijs lætantium numquam te misceas, in Ecclesia segregatus ab alijs Christianis, post ostium & postes humiliter te repone, ingredientium, & egredientium suppliciter orationibus commenda te, & communione corporis & sanguinis Domini, cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes, in vltimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris, pro viatico, si sit qui tibi tribuat, tantummodo venialiter vt accipias tibi concedimus. Sunt & alia multa quæ tibi nimis durius, & satis acrius erant iuxta magnum pondus peccati, ô infœlix adijcienda. Sed si hæc omnia, quæ tibi misericorditer supradicta sunt, perfecto corde, Domino auxiliante feceris, & custodieris, confidimus de immensa Dei clementia, remissionem tuorum te habiturum peccatorum, & secundum dictum iusti, bonique pastoris, resoluet te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, vt per ipsius gratiam qui eam sanguine suo acquisiuit, solutus sis in cælis. Si autem aliter feceris, & sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem admonitionem despexeris, ipse sis tibi iudex, & in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis, sanguis tuus super caput tuum. Nos alieni à consortio tuo, pro aliorum Dei filiorum salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, & Domini misericordiam quotidie attentius implorare.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eorum, qui occidunt filios.

PARTICVLA XVII.

HVIVS sceleris pœna secundum leges hæc est, vt parricida virgis sanguineis verberatus, in culeo, i.e. in sacco corii insuatur, cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in profundum maris iactetur, vel in amnem, vt & cælum superstiti, & terra mortuo auferatur, sicut in institutis de publicis iudiciis. §. Alia deinde lex. Sed secundum canones non sic, sed imponitur pœna inclusionis in monasterium, Extra. de iis qui fil. occiderunt, quod est Alexandri III. *Veniens ad nos M. mulier lacrymabili nobis confessione monstrauit, quod cum de quodam filium genuisset, & iste sibi sæpe turgido vultu improperasset, quod filius eius non esset, ipsa iracundiæ calore ducta, eumdem filium interfecit,* & infra: *Mandamus quatenus eam labores inducere, vt ad aliquod monasterium transeat, in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem repugnante carnis suæ fragilitate, ad hoc induci noluerit, ei licentiam in Domino nubendi tribuas: quia tutius nobis videtur, vt in Domino nubat vni soli, quam inhoneste multos admittat.* Hæc canon. Hanc tamen pœnitentiam iniungendam intelligas, si is qui filium occidit, coniugem & filios alios non habet, alias secus, vt in proximo capitulo sequenti. Cum vero in lectis parentum filii inueniuntur oppressi, pœnitentia imponatur, quæ continetur in eodem titulo cap. vlt. cuius verba sunt hæc: *De infantibus autem, qui mortui reperiuntur, cum patre & matre, & non apparet, vtrum à patre, vel matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna: sed tamen consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas sed euentus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se grauiter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum indicant esse debere, quorum vnum peragant in pane & aqua.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia periuri.

PARTICVLA XVIII.

SEXTA quæstione prima, Fabianus Papa: *Quicumque sciens periurauerit quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & numquam sit sine pœnitentia, & numquam in testimonium recipiatur, communionem tamen post hæc recipiat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui per capillum Dei iurauerit, vel huiusmodi.

PARTICVLA XIX.

VIGESIMASECVNDA quæst. 1. Pius Papa. *Si quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio modo blasphemia contra Deum vsus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur, si laicus anathematizetur, & si quis per creaturam iurauerit acerrime castigetur, & iuxta hoc, quod synodus diiudicauerit pœniteat. Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium, quin diuina condemnatione coerceatur, & si Episcopus ista emendare neglexerit acerrime corripiatur.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia pro falsa mensura.

PARTICVLA XX.

EXTRA. de empt. & vendit. ex concilio Moguntinen. *Vt mensuræ & pondera iusta fiant,* & infra: *Si quis iustas mensuras, & iusta pondera, causa lucri mutare præsumpserit, triginta dies in pane & aqua pœniteat.* Hæc canon. Tales etiam variis pœnis puniuntur secundum leges. Nam aliquando interdicitur negotiatio, interdum relegantur, & humiliores ad opus publicum dantur, & insuper lege Cornelia de falsis puniri debent, in tit. de ordinariis criminibus, Annonam, circa finem.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui post solemnem pœnitentiam ad vomitum redit.

PARTICVLA XXI.

Concil. Nicæ. can. 11.

DE pœnitentia distinct. 5. ex Nicæno concilio. *Si qui vero per Dei gratiam vocati, primo quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiæ cingulo, post hæc autem ad proprium vomitum sunt reuersi, vt & a pecunias darent, & ambirent redire rursus ad militiam; isti decem annis sint inter pœnitentes, post primum triennium, quo fuerint inter audientes extra Ecclesiam. Ab omnibus vero illud præcipue obseruetur, vt animus eorum & fructus pœnitentiæ attendatur. Quicumque enim cum omni timore, & lacrymis perseuerantibus, & operibus bonis conuersionem suam non verbis solum, sed opere, & veritate demonstrant, cum tempus statutum ab his fuerit impletum, & orationibus iam cœperint communicare, licebit & Episcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare. Qui vero indifferenter habuerint lapsum, & sufficere sibi quod Ecclesiam introierint, arbitrantur, isti omnimodo statuta tempora implebunt.* Hæc canon. a *Pecunias darent*, ad negotiationem, vel ad vsuram.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui deuotam seu monialem cognoscit.

PARTICVLA XXII.

VIgesimaseptima q. 1. ex conc. Martini Brachar. c. 30. *De filia Episcopi vel presbyteri, siue diaconi, si deuota fuerit, & maritum duxerit, si eam pater, vel mater in a affectum receperint, a communione habeantur alieni. Pater vero in concilio b causas se nouerit præstaturum. Mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem viuente eo secesserit, & pœnitentiam egerit, & petierit communionem, in vltimo fine vitæ suæ deficiens eam accipiat.* Hæc canon. Item c. sequenti. ex concilio Toletano 1. c *Deuotam peccantem non recipiendam esse in Ecclesia, nisi peccare desierit, & si desinens egerit pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Prius autem quam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Christiana mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, & hæc quæ eam acceperit, d habeatur in absentia, corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi aut viuente marito, viuere caste cœperit, aut postquam ipse decesserit.* Hæc canon. a *In affectum receperint*, supple, fouendo eam in errore. b *Causas*, id est pœnas. c *Deuotam peccantem*, id est fornicantem. d *Habeatur in absentia*, id est excommunicata minori excommunicatione.

Conc. Tole. 1. can. 16.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui cantat Missam & non communicat.

PARTICVLA XXIII.

Conc. Tolet. 12. ca. 5.

DE consecr. distinct. 2. ex concilio Toletano 12. *Relatum nobis est quosdam de sacerdotibus, non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in vno die videntur offerre. Sed si in vno die plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à communione suspendant, & in sola tantum extrema sacrificij oblatione, communionis sanctæ gratiam sumant, quasi non sit totiens, illi vero & singulari sacrificio participandum, quotiens corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum, deinceps diuina altaria sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia communionis, anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans, particeps esse dignoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescumque sacrificans corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi in altari immolat, totiens perceptionis corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi participem se præbeat.* Hæc canon.

1. Cor. 10.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis, qui mortuum clericum inuoluit in palla altaris.

PARTICVLA XXIV.

DE consecratione distinct. prima. Clemens Papa: *Nemo a per ignorantiam clericum mortuum credat obuoluendum, aut eius scapulas operire velit palla, quæ fuit in altari, aut certe quæ diacono data est in mensa Domini. Qui hæc fecerit, vel leuiter, vel quasi nihil, & negligenter habuerit, diaconus triennio sexque mensibus à Dominico erit remotus altari, graui percussus anathemate, eo quod clericum non admonuerit, Presbyter decem annis & quinque mensibus excommunicatus sit, propter quod de Dominicis sacramentis, b subiecta sibi non admonuerit ministeria, & postea cum grandi humilitate, matri reconcilietur Ecclesiæ.* Hæc canon. a *Per ignorantiam*, scilicet iuris. b *Subiecta sibi*, id est subiectos ministros.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui committit sacrilegium violando Ecclesiam, vel aliquid enormiter committendo in Ecclesia.

DVodecima quæstione secunda, Nicolaus Papa: *De viro nefando Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se laqueis irretire non dubitauit, atque gentilium more, a per abrupta itinera & b compita, insidians vobis, in vestra Ecclesia villa, vna cum clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi, vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile salutis propriæ desiderium habentibus, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare,*

collectis

collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias inuasiones, ac deprædationes violentas inferre, dæmoniaco ausu præsumpsit, & vt epistola vestra textus eloquitur, sacrũ altare, sacraque Dominici corporis & sanguinis vasa, insuper & sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia, & ad vsum communem apta præsumpsit, dilectio nos vestra consuluit, si ipse vel qui cum eo in tam impio & iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia attracti diuina, venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus, si tamen ita est, iubemus cum ad pœnitentiam accelerauerint, vno anno extra Ecclesiam Dei consistere; cuius sanctissima vasa extra ritum fidei Christianæ diripiendo, auferre non dubitauerunt. Secundo vero anno, ante fores Ecclesiæ sine communione maneant. Tertio vero anno, Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter c *audientes astent sine oblatione; non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis & Resurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, si his prioribus tribus eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes, talia se vlterius numquam facturos corpus & sanguinem Domini suscipere mereantur, & vsque ad septimum annum, tribus in hebdomada diebus, sine esu carnium, & vini potione pœnitentes maneant.* Hæc canon. a *Per abrupta*, id est, occulta. b *Compita*, id est, concursus viarum. c *Audientes*, id est, laicos.

CAPVT III.

De pœnitentia parentum, qui frangunt sponsalia filiorum post septem annos.

PARTICVLA XXVI.

c. 54. TRigesima prima quæst. 3. ex Elibertano concilio: *Si* a *qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, trienni tempore à communione abstineant. Si vero idem sponsus vel sponsa, in illo graui crimine* b *non fuerint deprehensi,* c *excusati erunt parentes. Si vero in eodem vitio fuerint, & polluerint se consentiendo, superior sententia seruetur.* Hæc canon.

a *Si qui parentes*, Apparatus, *fregerint*: non copulando eos, sicut iurauerunt de consensu filiorum. b *Non fuerint*: Appar. quia copulari volunt inter se, non obstante voluntate parentum. *Excusati*, c Appar. quo ad pœnam Ecclesiæ, non quo ad reatum, ex quo operam dederunt, ne filij copularentur, peccauerunt mortaliter. Hæc Appar.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui ducit in matrimonium quam polluit per adulterium.

PARTICVLA XXVII.

c. 72. TRigesima prima quæst. 1. ex concilio Elibertano: *Si qua vidua fuerit mœchata, & eumdem postea habuerit maritum, post quinquennij tempus acta legitima pœnitentia, placuit eam ad communionem reconciliari.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia maledici.

PARTICVLA XXVIII.

EXTRA. de maledicis. Gregorius Nonus. *Statuimus, vt si quis contra Deum vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime beatam Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœnæ subdatur inferius annotatæ, vt videlicet septem diebus Dominicis, pro foribus Ecclesiæ in manifesto, dum aguntur Missarum sollemnia blasphemus existens, vltimo illorum die Dominico, pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis, ieiunet in pane & aqua, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum, tres si potest alioquin duos reficiat pauperes, siue vnum, & si nec ad hoc facultates eius suppetant, id in pœnam commutetur aliam; cui etiam, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura, per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit, Episcopi diœcesani adhibita contra eum. Blasphemus, si diues fuerit, quadraginta solidorum, alioqui triginta, siue viginti, & si ad id non sufficiat quinque solidorum vsualis monetæ, pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis reuelantis confessionem.

PARTICVLA XXIX.

DE pœnitentia distinctione 6. Gregorius Papa: *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui confitentur ei peccata sua alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui compulsus conditionaliter periurat.

PARTICVLA XXX.

VIgesima secunda quæstione quinta, Pius Papa: *Qui compulsus à domino sciens periurat, vterque periuri, & dominus & miles: dominus, quia præcepit; miles, quia plus dominum, quam animam dilexit. Si liber est, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, & septem sequentes annos; si seruus eiusdem, tres quadragesimas, & legitimas ferias pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui periurat in manibus Episcopi, vel in cruce sacrata.

PARTICVLA XXXI.

VIGESIMASECVNDA quæst. quinta: *Qui periurat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata, tres annos pœniteat. Qui autem coactus fuerit, & ignorans se periurauerit, & postea cognoscit, tres quadragesimas pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui coactus periurat pro vita redimenda.

PARTICVLA XXXII.

CApitulo sequenti, ex pœnitentiali Theodori: *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, vel necessitate periurat, quia plus corpus quam animam dilexit, tres quadragesimas pœniteat, alij iudicant tres annos, vnum ex his in pane & aqua.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui scienter falsum iurat, vel alium iurare compellit.

PARTICVLA XXXIII.

VIGESIMASECVNDA quæstione quinta: *Si quis conuictus fuerit, alios ad falsa* a *testimonia, vel ad periuria attraxisse, vel quacumque corruptione solicitasse, ipse quidem vsque ad exitum vitæ non communicet. Hi vero, qui ei in periurio consensisse probantur, postea ab omni* a *testimonio sunt remouendi, & secundum legem infamia notabuntur.* Hæc canon. a *Testimonio.* Appar. etiam post pœnitẽtiam priuatam, secundum quosdam. 6. quæst. 1. Quicumque.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui in dicendis horis vel officiis diuinis à metropolitana consuetudine discrepat Ecclesiæ.

PARTICVLA XXXIV.

c. 3. Eph. 4. b

DVODECIMA distinct. ex Concilio Toletano II. *De his, qui contra voluntatem Apostoli circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic sancto concilio, vt metropolitanæ sedis auctoritate coacti, vniuscuiusque prouinciæ ciues, rectoresq; Ecclesiarum, vnum, eundemque in psallendo teneāt modum, quem in metropolitana sede cognouerint institutum, nec aliqua diuersitate cuiusque ordinis vel officij à metropolitana sede patiantur se disiungi. Sic enim iustum est, vt inde vnusquisque sumat regulas magisterij, vnde honoris consecrationem accipit, vt iuxta maiorum decreta, sedes, quæ vnicuique sacerdotalis dignitatis est mater, ecclesiasticæ dignitatis vel rationis sit magistra. Abbatibus sane indultis officiis, quæ iuxta voluntatem sui Episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera officia* a *publica, id est, vesperas, matutinas, siue Missam, aliter quam in principali Ecclesia celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus à communione priuatus apud metropolitanum sub pœnitentia censura maneat corrigendus, quatenus apud illum & præterita transgressionis culpam lacrymis diluat, & necessariam officiorum doctrinam studiose addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solum metropolitanus totius prouinciæ suæ pontifices vel sacerdotes astringat, sed etiam ceteri Episcopi subiectos sibi Ecclesiarum rectores obtemperare his institutionibus cogant.* Hæc canon. a *Publica*, Appa. clericorum sæcularium, quorum officia publica sunt.

CAPVT III.

De pœnitentia Episcopi, qui correctionem de simoniaca venditione dissimulat.

PARTICVLA XXXV.

c. 8.

PRIMA quæst. prima, ex concilio Toletano II. *Quidquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, numquam quæstibus, vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet, dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date;* Mat. 10. a *& ideo quicumque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, præmia qualibet vel pretia, nisi voluntarie oblata, pro huiusmodi ambitione susceperit, equidem si sciente loci Episcopo, tale quodcumque à subditis perpetratum fuerit, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat, pro eo quod scita mala contexit, & correctionem necessariam non adhibuit. Si autem suorum quispiam, eodem nesciente pro supradictis quodcumque capitulu accipiendum sibi esse crediderit, si presbyter est, quattuor mensium excommunicatione plectatur, si diaconus trium: subdiaconus vero vel clericus his cupiditatibus seruiens, competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus est.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia Episcopi, qui ordinat clericum inuitum.

PARTICVLA XXXVI.

Conc. Aur. 3. c. 7.

SEptuagesimaquarta distinct. ex concil. Aurelianens. *Episcopus qui a inuitum, aut reclamantem ordinarie præsumpserit, annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat.* Hæc canon. a *Inuitum*, Appa. aliquo indicio alio, quam voce, voluntatem ostendentem.

CAPVT III.

De pœnitentia sortilegorum.

PARTICVLA XXXVII.

EXTRA. de Sortileg. ex pœnitentiali Theodori. *In tabulis vel codicibus, aut aliis, sorte furta, non sunt requirenda, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus quis obseruare præsumat. Qui autem contra fecerit, quadraginta dies pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius qui videt in astrolabio.

PARTICVLA XXXVIII.

EXTRA. de sortileg. Alex. III. Granden. Patriarchæ. *Ex tuarum tenore litterarum accepimus, quod V. presbyter cum quodam infami ad priuatum locum non accessit non ea intentione, vt inuocaret dæmonium, sed vt inspectione astrolabij, furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo, & simplicitate se fecisse proponat, id tamen grauissimum fuit, & non modicam inde peccati maculam contraxit. Et infra: Mandamus, quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quod per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eū ab altaris ministerio præcipias abstinere, & ex tunc* a *liberum sit ei exercere officium sacerdotii.* Hæc canon. a *Liberum*, Appa. hoc intellige dictum ex dispensatione, nam de iure communi, debuit remanere priuatus, & Episcopus iure contra illum processit. 26. q. 5. Non oportet. Si quis Episcopus.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, cui per negligentiam aliquid de sanguine distillauerit.

PARTICVLA XXXIX.

DE consecrat. distinct. 2. ex decreto Pij Papæ. *Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur, si fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corrodetur, & igne consumetur, & cinis intra altare recondetur, & sacerdos quadraginta diebus* a *pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, tribus diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat; & linteamina quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice subterposito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.* Hæc canon. a *Pœniteat*, Appa. hæc pœnitentia erit, vt tot diebus ieiunet, & tot diebus abstineat à perceptione sacramentorum. Arg. 45. dist. Quidam enim de Episcopis.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui sacrificium euomit.

PARTICVLA XL.

DE consecrat. d. 2. Ex pœnitentiali Bedæ presbyteri: *Si per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, si laicus est. Clerici vel monachi, seu diaconi, & presbyteri, septuaginta diebus pœniteant, Episcopi nonaginta. Si pro infirmitatis causa euomuerit, septem diebus pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui presbyterum interfecit.

PARTICVLA XLI.

EXTRA. de pœn. & remiss. ex concil. Moguntino: *Qui presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia ei secundum canones imponatur.* & infra: *Conuictus vsque ad vltimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia beneficiati ab Ecclesia, qui rectorem, vel clericum alium ipsius Ecclesiæ interficit.

PARTICVLA XLII.

EXTRA. de pœnis. Innoc. III. in concilio generali; hæc decretalis secundū quosdam incipit ibi: *In quibusdam*

busdam. & pro vna computatur. *Sacri nihilominus concilij approbatione statuimus, quatenus si patroni, vel aduocati, seu feudatarij, seu vicedomini, aut alij beneficiati alicuius Ecclesiæ rectorem, vel clericum alium ipsius Ecclesiæ, per se, vel per al os occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint, patroni ius patronatus, aduocati aduocatiam, feudatarij feudum, vicedomini vicedominatum, & beneficiati beneficium prorsus amittant, & ne minus vindictæ quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil perueniat ad hæredes, sed etiam vsque ad quartam generationem, posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in domibus regularibus, alicuius prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer* a *dispensatum*. Hæc canon.

a *Dispensatum*, Appar. ab Episcopo, licet honestum esset, quod fieret de licentia Papæ.

CAPVT III.

De pœnitentia incendiariorum.

PARTICVLA XLIII.

EXTRA. de iniuriis, ex pœnitentiali Romano: *Si quis domum vel aream cuiusque voluntarie incenderit, sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.* Hæc canon.

c. 18. Itē alius canon de eod. 23. q. 8. Inn. II. in vniuersali cōc. *Pessimam siquidem & depopulatricem, & horrendam incendiariorum malitiam, auctoritate Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli omnino detestamur & interdicimus. Si quis igitur post huius nostræ prohibitionis promulgationem, malo studio, siue pro odio, siue pro vindicta, ignem apposuerit, vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur; & si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura; nec absoluatur, nisi prius damno, cui intulerit, secundum facultatem suam resarcito: & iuret se ignem de cetero non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, vt Hierosolymis, aut in Hispania in seruitio Dei, per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus hoc relaxauerit, damnum restituat, & per annum ab Episcopali officio abstineat. Sane regibus, & principibus, faciendæ iustitiæ facultatem, consultis Archiepiscopis, & Episcopis non negamus.* Hæc canon.

Hodie postquam publicati sunt, non possunt absolui citra sedem Apostolicam, extra. de sent. excom. Tua nos. Appar. quia hæc non distinguitur, de omnibus intelligas. Tamen non credo, quod omnes incendiarij generaliter sunt ipso iure excommunicati, nisi de incendiariis Ecclesiarum, cum de aliis non inueniam; & per hanc decretalem probatur, quod ipso iure sunt excommunicati; sed illis primo excommunicatus ab Episcopis subsecuta publicatione & denunciatione, Papa per hanc decretalem, sibi reseruat eorum absolutionem ad terrorem. Hęc Appar. Raymundus, & Redonen. tantum intelligunt de incendiariis sacrorum locorum. Ganfredus dicit, quod Episcopus potest incendiariū excommunicare, sed non absoluere, postquam fuerit denunciatus, cum quo concordat textus. Hæc decretalis & Apparatus, & copiose, & ideo magis ei credo.

CAPVT III.

De pœnitentia communicantis cum hæretico.

PARTICVLA XLIV.

VIgesimaquarta quæstione prima, Iulius Papa: *Si quis dederit, vel acceperit communionem de manu hæretici, & nescit quod Ecclesia catholica contradicit, postea intelligens, annum integrum pœniteat. Si autem scit, & neglexit; & postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat. Alij iudicant septem, & quidem humanius, vt quinque annos pœniteat. Si quis permiserit hæreticum Missam suam celebrare in Ecclesia catholica, &* a *nescit, quadraginta dies pœniteat. si pro reuerentia eius, annum integrum pœniteat. Si pro damnatione Ecclesiæ catholicæ & consuetudinis Romanorum, pro iiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam: si habuerit pœnitentiam, decem annis pœniteat. Si recesserit ab Ecclesia catholica in congregatione hæreticorum, & alios persuaserit, & postea pœnitentiam egerit, duodecim annis pœniteat, tres extra Ecclesiam, septem* b *inter audientes, & duos adhuc extra communionem. De his ita in canone dicitur, vt duodecimo anno, communionem sine oblatione percipiant.* Hæc canon.

a *Nescit*, Appar. ignorantia iuris, vel ignorantia facti, crassa. b *Inter audientes*, Appar. catechumenos, qui olim audiebant Missam, vsque ad secretam Missæ, & postea expellebantur, de consecrat. distin. 1. Episcopus nullum.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, amitam, vel neptem.

PARTICVLA XLV.

TRigesimasecunda q. 7. ex Moguntinen. concilio: *Si quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre & filio, si quis relictam fratris, si quis nouercam aut neptem, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam auunculi, aut eius relictam, aut priuignam polluerit, eos disiungi, & vlterius numquam coniugio copulari præcipimus.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui cum brutis coierit, vbi nota rationem septennis pœnitentiæ.

PARTICVLA XLVI.

TRigesimatertia q. 2. Isidorus ad Massonem Episc. *Hoc ipsum, quod canonum censura, post septem annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcipit, non electione proprij arbitrij sancti patres, sed potius ex sententia diuini iudicij sanxerunt. Nam legitur, quod Maria soror Aaron prophetissa, dum detractionis aduersus Moysem incurrisset delictum, illico stigmate lepræ percussa est. Cumque peteret Moyses vt emundaretur, præcepit eam Dominus extra castra septem diebus egredi, & post emundationem rursus eam in castra admitti. Maria vero soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimis cogitationum maculatur contagiis, extra castra, septem diebus, id est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ septem annis proiicitur, vbi post emendationem vitiorum, loci, vel pristinæ dignitatis recipiat meritum.* Et post pauca: *In fine autem epistolæ hoc adiiciendum putaui, vt quotiescumque in gestis conciliorum discors sententia inuenitur, illius magis sententia teneatur, cuius antiquior, & potior extat auctoritas.* Hæc canon. (Num. 12.)

Hoc quamquam de sacerdotibus videatur specialiter dictum, generaliter tamen de omnibus pœnitentibus oportet intelligi. Ad imitationem namque illius diuinæ sententiæ Dauid de adulterio, & homicidio reprehensus, vnius hebdomadæ ieiunium in satisfactionem admissi sceleris, Deo legitur obtulisse. Hinc etiam ecclesiastica consuetudine est vsurpatum, vt maiorum criminum pœnitentia septem annorum spatio concludatur, nisi vel officij excellentia, vel criminum magnitudo, vulgarem consuetudinem excedens, veluti dum contra naturam humanæ societatis, parentibus vel liberis, vel aliis eiusmodi personis impudice adhæremus: vel dum relicto naturali vsu contra naturam, more Sodomitico, fornicamur, vel vsque ad coitum brutorum animalium prolabimur, præmissum spacium transcendere cogat. Hæc Gratianus. (*Hæc quæ sequuntur, sunt verba Gratiani.* 2. Reg. 12.)

CAPVT III.

De pœnitentia patroni, qui dilapidat res Ecclesiæ.

PARTICVLA XLVII.

SEdecima quæst. 7. *Filiis vel nepotibus ac honestioribus propinquis eius, qui construxit vel ditauit Ecclesiam* (Cōc. Tolet. 9. c. 1.)

licitum

licitum sit, hanc habere solertiam, vt si sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus defraudare præuiderint, aut commonitionis honestæ conuentione compescant, aut Episcopo vel iudici corrigenda denuncient. Quod si Episcopus talia agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi proprij iuris potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcumque præsumere, sed hoc solum in salutarem solicitudinem adhibere, quod aut nullam noxam operatio nocens attingat, aut multam, vel aliquam partem salutaris mercedis assumat. Si quis vero deinceps hæc monita temerare præsumpserit, & male rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit. Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui domum suam cum magicis & incantationibus lustrat.

PARTICVLA XLVIII.

VIgesimasexta quæstio. 5. ex Ancirano concilio: *Qui diuinationes expetunt, etiam morem gentilium subsequuntur, vel* a *in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut* b *expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant, secundum gradus pœnitentiæ diffinitos.* Hæc canon.

c. 23. al. 24.

a *In domos suas*, Appa. secundum leges isti concremantur, sed ille in cuius domo hæc fiunt, post publicationem bonorum in exilium mittitur, vt de maleficis. Nullus.

b *Expiandi*, Appar. Infirmitatis purgandæ.

CAPVT III.

De pœnitentia Episcopi, vel clerici magos vel aruspices consulentis.

PARTICVLA XLIX.

VIgesimasexta q. 5. ex concilio Toletano 4. cap. 30. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruspices, aut incantatores, aut ariolos, aut certe augures, vel sortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse deprehensus fuerit, ab honore dignitatis suæ suspensus, monasterij curam suscipiat, ibiq; pœnitentiæ perpetuæ deditus, scelus admissum sacrilegij soluat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis, cuius negligentia sacrificium à bruto comeditur.

PARTICVLA L.

DE consecratione distin. 2. ex concilio Aurelianen. *Qui bene non custodierit sacrificium, & mus vel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta dies pœniteat.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia sacerdotis, qui incaute Eucharistiam dimisit.

PARTICVLA LI.

EXTRA. de cust. Euchar. Innoc. III. in conc. generali: *Statuimus vt in cunctis Ecclesiis chrisma, & Eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, & si per eius incuriam aliquid nefandi inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia iurantis non facere pacem cum proximo.

PARTICVLA LII.

VIgesimasecunda quæst. 4. ex concilio Ilerdensi: *Qui sacramento se obligauerit, vt litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro periurio, vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit ieiuniis absoluat, ad charitatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum celeriter venire festinet.* Hæc canon.

can. 7.

1. Pet. 4.

CAPVT III.

De pœnitentia scienter rebaptizati, & bis confirmati.

PARTICVLA LIII.

EXTRA. de apostatis. Alexander Tertius: *Ex litterarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus, insano sortilegarum mulierum credens consilio, vt sanaretur, per iterationem fecit iniuriam baptismatis sacramento.* Et infra: *Quia ergo nos tua duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat acolytus, quem minor ætas, & intentio fraternæ salutis excusare videtur, discretioni tuæ præsentibus litteris respondemus, quod ad superiores ordines promoueri, si publicum est, quod proponitur, non valebit, nisi ad religionem transire voluerit, vt fauore religionis ipsius, circa eum valeat dispensari. Si vero occultum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.* Hæc canon.

Item de eod. de conse. d. 5. ex concil. Tarraconen. ca. 6. *Dictum est nobis, quod quidam de plebe bis, vel ter, vel eo amplius Episcopis ignorantibus, tamen ab eisdem Episcopis confirmentur. Vnde nobis visum est, eandem confirmationem, sicut nec baptismum iterare minime debere: quia bis, vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos, non sæculo, sed Deo soli, sub habitu regulari, vel clericali religiosissime famulari decretum est.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia raptoris.

PARTICVLA LIV.

EXTRA. de raptoribus, Eugenius Tertius: *Statuimus, vt quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, siue in Ecclesiarum violatione manifeste deprehensus fuerit, nisi prius ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si vero vsque ad obitum, in contumacia sua durauerit, & in extremis positus remedium pœnitentiæ humiliter postulauerit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia, & Ecclesiastica sepultura concedantur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendauerit, & in morte securitatem præstare nequiuerit, sollemnitas pœnitentiæ parum prodesse videtur, sicut credimus. Sed de peccato contrito viaticum non negetur, ita tamen vt nullus clericorum sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam accipere præsumat. Quod si qui presbyterorum, vel clericorum, contra hoc in vita, vel in morte pœnitentias dare, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant.* Hæc canon.

Secundum Raymundum dicere potes, quod hæc decretalis, est localis, vel quando illi non pœnituerant. Videtur enim, quod si aliquis esset etiam pro huiusmodi criminibus excommunicatus, & dum in extremis ageret pœnitentiam, iuxta formam Ecclesiæ absolutus, non debet ei cœmeterium, vel alia Ecclesiæ suffragia denegari, sed eius hæredes, & propinqui, ad quos bona peruene-

peruenerint ipsius, vt pro eo satisfaciant, sunt censura ecclesiastica compellendi. Extra. de sepulturis Parochianos. §. Parum prodesse. Appa. quantum ad pœnam temporalem.

CAPVT III.

De pœnitentia propter necessitatem famis furtum committentis.

PARTICVLA LV.

EXTRA. de furtis. ex pœnitentiali Theodori: *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres. Et si reddiderit, non cogatur ieiunare.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia eius, qui stuprauit virginem.

PARTICVLA LVI.

EXTRA. de adulteriis. Gregorius. *Peruenit ad nos, quod Felix quandam virginem decepit stupro. Quod si verum est, quamuis esset de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiam mollientes, hoc modo disponimus, vt, aut quam stuprauit vxorem habeat, aut si renuendum putauerit, corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur; de quo nulla sit ei egrediendi sine præceptione licentia.* Hæc canon.

CAPVT III.

De pœnitentia adulteri vel adulteræ.

PARTICVLA LVII.

EXTRA. de adulteriis. Alexander Tertius: *Significasti nobis, quendam presbyterũ cum alterius coniuge intra Ecclesiam dormiuisse, quæ se & illum cuidã sacerdoti huiusmodi delictum confessos fuisse publice tibi detexit; & hoc ipsum idem sacerdos nomẽ adulteri celans in tua præsentia dixit. Super quo quid fieri debeat, cum, negante adultero, mulier in confessione persistat, consilium requisisti. Ideoque mandamus, quatenus condignam pœnitentiam præfata imponens adulteræ Ecclesiam per aspersionem aquæ benedictæ reconciliare procures. Prædicto autem sacerdoti, ne contra Apostolum, infirmorum corda, malâ fama ipsius percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque presbyteri securiores existentes, in peccatum licentius prolabantur, cum vicinis presbyteris, quos se peierare nolle cognoueris, iuxta arbitrium tuum, purgationem indicas, quem si purgare poterit, in officio suo ministrare permittas, alioquin ipsum ab officio suo suspendere non postponas.* Hæc canon.

1. Cor. 8. c
2. Cor. 6. a

Pœna autem pro adulterio imponitur mortis, quasi pro sacrilegio. Nam sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet, vt C. de adulteriis. l. Quàmuis. Fœmina autem, iure authenticorum, verberata in monasterium retruditur, quam intra biennium viro recipere licet, biennio transacto, vel viro mortuo, antequam vxorem de monasterio educat, adultera tonsa, monastico habitu suscepto, ibi, dum viuit, permaneat, duabus partibus propriæ substantiæ liberis applicandis, tertia monasterio. Si liberos non habeat, parentibus extantibus huiusmodi iniquitati non consentientibus, tertia pars applicatur, duæ monasterio; quibus prædictis non extantibus, tota substantia monasterio quæritur, pactis dotalium instrumentorum omni casu seruandis, vt in auth. Vt nulli iudicum. Hæc sunt verba Ganfredi.

CAPVT III.

De pœnitentia medicorum corporum, medicos animarum non vocantium.

PARTICVLA LVIII.

EXTRA. de pœnitent. & remiss. Innocent. Tertius: *Cum infirmitas corporalis nonnunquam proueniat ex peccato, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; præsenti decreto statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes, cum eis à medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum huius nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Ceterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Hæc canon.

Ioan. 5. b

CAPVT III.

De pœnitentia & pœna negligentium confessionem & communionem, & peccata in confessione detecta reuelantium.

PARTICVLA LIX.

EXTRA. de pœnitent. & remiss. Innocent. Tertius: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam, propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprij sacerdotis consilio, ob aliquã rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinẽdum. Alioquin viuens, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus & cautus, vt more periti medici, superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo, ad sanandum ægrotum. Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Hæc canon.

Luc. 10. f

DE VSV CLAVIVM.
CAPVT IV. CONTINENS PARTICVLAS III.

De quatuor casibus, in quibus sacerdos non potest absoluere, & quod sex modis falsa pœnitẽtia dicitur, & proprius sacerdos sex modis dicitur.

PARTICVLA I.

Quattuor modis dicitur quis non vere contritus.

PRIMVS casus, in quo sacerdos non potest confitentem absoluere, est, cum quis non est vere contritus. Talis enim nec à summo Pontifice, posset absolui à peccatis. Quattuor autem modis dicitur, & est aliquis non vere contritus, sed falsè, qui notantur de pœnitentia distinct. 5. & sunt verba Gregorij: Fallas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem sanctorum patrum pro qualitate criminum imponuntur, Ideoq; quicumque miles, vel negociator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si grauioribus culpis irretitus ad pœnitentiã venerit, vel qui bona alterius iniuste detinet, vel qui odiũ in corde gerit, recognoscat seueram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad vitam æternam valeat peruenire; nisi negotiationem relinquat, vel officium deserat, bona quidem, quæ iniuste abstulit, restituat, & odium ex corde dimittat, arma deponat, vlteriusq; non ferat, nisi consilio religiosorum Episcoporum, pro defendenda iustitia. Quintus modus, notatur eadem dist. ex verbis Inno. I. Fratres nostros Episcopos & presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorũ animas decipi, & in infernũ pertrahi patiantur; falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. Vnde scriptum est: Qui totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim, si peccatis omnibus esset inuolutus, ita & si in vno tantum maneat, vitæ æternæ ianuam non intrabit. Falsa est etiam pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccatis agi nullatenus præualet, aut si odium in corde gesserit, aut si offenso cuilibet nõ satisfacit, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam ferat. Hæc canon.

Greg. VII. in syn. Romæ celebrata an. 1078. c. 6.

Iacob. 2. b

Ex his duobus capitulis colligitur, quod quinq; modis falsa pœnitentia dicitur. Primus est, si confitens ex contemptu & sine rationabili causa, pœnitentias secundum auctoritatem Patrum taxatas, subire noluerit. Secundus, si officium, de quo viuit, non iustificauerit, vel si sine peccato exerceri non possit, non dimiserit. Tertius, si odium in corde tenuerit. Quartus, si ablata non restituerit. Quintus, si in voluntate peccandi remanserit. Sextus addi potest, si de peccatis præteritis sufficienter non doluerit; & hic sextus modus tangitur ab Augustino, cuius verba sunt hæc: Continue enim dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere; quapropter pœnitentia talium dicitur attritio, non contritio. Secundus casus est, quando tam grauia quis commisit peccata, quod ad superiorem debeat confitens transmitti, quæ autem sint illa, postea differetur. Tertius, si maiori excommunicatione sit confitens innodatus, à qua non potest absolui, nisi per proprium Sacerdotem. Quartus si confitens non est subditus confessoris, & confessor non sit eius sacerdos proprius. Quia vt dicit canon. 6. quæst. 3. Scriptum ex Deuteronomio 23. Nemo debet falcem in messem alterius mittere. Et 9. q. 2. Nullus Parochianum alterius iudicare præsumat. & de pœn. d. 6. c. fin. dicitur Vrbanus Secundus: Qui contra hæc statuta facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit. & vt dicit Calixtus Papa. 9. quæst. 2. cap. 1. Talis iudicatio nullas habet vires, quoniam nullius alterius iudicis nisi sui sententia tenebit. Si autem cogitas, quia tota die contrarium fieri videmus. Respondeo, tanto peius; & qui hos canones non seruant, grauissime peccant.

Pœnitentia falsa sex modis dicitur.

Aug. lib. de vera & falsa pœnit. c. 18. to. 4.

Sacerdos proprius sex modis dicitur.

Sciendum tamen, quod proprius sacerdos alicuius sex modis efficitur. Vno modo per determinationem superioris, prout determinantur pastores, vel vicarij ab illis, quibus licet habere vicarios ex dispensatione superioris. Secundo modo per priuilegium aliquorum, vt quidam religiosi sunt. Sed talibus confessi, nisi legitimum impedimentum habeant, debent iterum sacerdoti proprio confiteri. Tertio per licentiam proprij sacerdotis, cum mittit subditos ad aliquos discretos. Illa tamen licentia non debet fieri generaliter ad omnes, sed ad illos, vel ad illum, quem scit esse discretum & notum. Quarto cum quis est vagabundus, & peruenit ad sacerdotem discretum, & notum. Quinto, cum quis est in articulo extremæ necessitatis. In illa enim potest quilibet sacerdos quemlibet verum contritum absoluere ab omni excommunicatione, & ab omni peccato, quantumcumque sit graue. Vnde Iulius Papa. 26. quæst. 6. Si presbyter abnegauerit pœnitentiam morientibus, reus est animarum. Sexto propter nimium defectum sacerdotis.

Quinque autem faciunt nimium defectum in sacerdotibus. Vnum est, si sunt cõfessionis proditores: per hoc enim non solum damnantur æternaliter, sed, vt dicitur in canone, etiam in præsenti puniuntur, per beatum Gregorium depositione, & perpetua peregrinatione, de pœniten. distin. 6. Sacerdos. Per Innoc. III. non solum depositione, sed insuper arcta monasterij intrusione. Extra. de pœniten. & remiss. Omnis vtriusque sexus. Item alius canon 5. quæst. 6. Delatori, aut lingua capuletur, aut conuicto caput damnetur, vel amputetur. Hæc canon. Capuletur, id est suspendatur caput, scilicet ciuile, non naturale, quod dicitur status hominis. Instit. de capit. deminut. Secundum si sunt notorij iuris, & vt credo facti fornicatores. Tertium, si sunt iudicij confessionis peruersores, eo quod sunt de quibus dicit Isaias: Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Quartum, si sunt aliquarum personarum sollicitatores. Quintum, si grauem & cæcam patiuntur ignorantiam, ne si cæcus cęcum ducat, &c. Nam vt dicitur in sentent. lib. 4. dist. 21. cap. vlt. & de pœniten. distin. 6. Quod autem dicitur: aliud est fauore, vel odio, sacerdotem proprium contemnere, quod canones prohibent: aliud cæcum vitare, quod Vrbanus facere monet. Ne si cæcus cæcum, &c. Et in illis casibus tunc efficitur subito alius sacerdos proprius, non quilibet tamen, sed discretus, & notus ex ordine, vel persona. Dico autem notos, ne detur occasio declinandi ad hæreticos. Si vero prædictorum quattuor nihil impediat, potest confessor confitentem ab omnibus absoluere, cum distinctione prædicta, videlicet, quod confitens sit bene contritus, quod non sit grauioribus criminibus irretitus, quod non maiori excommunicatione innodatus, quod confessoris subditus vno prædictorum sex modorum.

Isa. 5. f

CAPVT IV.

Quibus sacerdos possit, vel non possit iniungere pœnitentias vtiles ad salutem, & de pœnitentia sollemnis.

PARTICVLA II.

ATTENDENDVM igitur, cum sint tria genera confitentium, quod secundum omnes doctores primis nulla potest iniungi pœnitentia vtilis ad salutem, nec per maiorem videlicet, nec per minorem. Horũ autem sunt sex genera. Primi raptores, secundi vsurarij, tertij incendiarij, quarti fures, quinti simoniaci, sexti dolosi circumuentores, vt sunt peruersi iudices, aduocati iniqui, testes falsi, negociatores fraudulenti, & huiusmodi, quibus omnibus, non potest alia à quocumque iniungi pœnitentia, nisi illa Euangelica: Redde quod debes: & illa Apostolica: Reddite omnibus debita: & illud Ecclesiastici: Redde debitum tuum. Quod si hanc acceptare noluerit

Mat. 18. d
Rom. 13. d
Eccl. 4. a

confitens

confitens, nulla alia iniungi potest, quæ sibi valeat ad salutem. Quia, vt dicit Augustinus in Epistola ad Macedonium 14. q. 6. Si res aliena, propter quam peccatum est, possit reddi, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si vero pœnitentia veraciter agitur, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Septimi sunt quibus etiam à nullo iniungi potest pœnitentia, quicumq; mortale peccatum dimittere nolunt, de quibus tactum est supra, potest tamen eis dari consilium beati Gregorij dicentis de pœnit. dist. 5. Falsas pœnitentias dicimus, &c. Nec tamen desperet, sed faciat interim quidquid boni potest, vt Dominus illuminet cor eius ad pœnitentiam.

Augu. epist. 54. ad Maced. tom. 2.

Greg. VII. in Synod. Rom. celebrata anno 1078. c. 6.

Secundi vero sunt, quibus tantum à maiore iniungi potest pœnitentia, quorum sunt quinq; genera. Primi, quibus sollemnis pœnitentia est iniungenda, non dico publica, sed sollemnis, quæ fit in capite Quadragesimæ, cum sollemnitate illa, quæ traditur dist. 50. In capite. & est decretum illud Agathen. concilij, cuius verba sunt hæc: In capite Quadragesimæ, omnes pœnitentes, qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est archipresbyteri parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ, pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. Post hoc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni clero, septem pœnitentiæ Psalmos in terra Pontifex prostratus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc surgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspirijs denunciet eis, quòd sicut Adam proiectus est à Paradiso, ita & ipsi pro peccatis ab Ecclesia abijciuntur. Postea iubeat ministris, quòd eos extra ianuam Ecclesiæ expellant, clerus vero prosequatur eos cum responsorio: In sudore vultus tui, &c. vt videntes sanctam Ecclesiam, pro facinoribus suis tremefactam, atq; commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum decanis, & eorum presbyteris, Ecclesiæ liminibus repræsententur. Hæc canon.

Gen. 3. d

Secundi, quando quis est excommunicatus à iure, vel à iudice, qui non debet absolui, nisi à maiore, salua distinctione iuris.

Tertij, quando quis est in quacumq; irregularitate, quia propter illam debet pœnitentem mittere ad Episcopum, vel ad alium qui possit dispensare.

Quarti, sunt incendiarij satisfacere volentes, de quibus 23. q. vlt. Eutichianus Papa. c. Si quis. & Inno. II. c. seq. Pessimam. Nam talia maioribus reseruantur, propter quorundam sacerdotum simplicitatem, iuxta verbum quod elici potest ex Glossa Bedæ super illud: Confitemini alterutrum, &c. Maiora maioribus, minora minoribus confitenda sunt.

Iacob. 5. d

Quintus casus, si sit consuetudo in aliquo Episcopatu, quòd aliqua certa, & grauia crimina ad Episcopum deferantur, quæ sibi singulariter reseruauit, puta in quibusdam Ecclesijs homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam notorie facta, peccata falsariorum, & huiusmodi talia, si sit consuetudinis, vt maioribus reseruentur. Pro omnibus alijs potest iniungi pœnitentia vere contrito etiam à minori, cum distinctione prædicta.

CAPVT IV.

De quattuor regulis obseruandis in pœnitentijs iniungendis.

PARTICVLA. III.

POst hoc, notandæ sunt quattuor regulæ, in iniunctione pœnitentiæ strictissime obseruandæ.

Prima est, vt secundum qualitatem culpæ, imponat qualitatem pœnitentiæ, videlicet pro occultis peccatis occultam, pro manifestis vero manifestam iniungat pœnitentiam, vt ait super Mar. 6. magna Glossa Bedæ, quæ sic incipit: Christus tres mortuos. Notandum quoq;, quòd publica noxa publico eget medicamento, leuia autem & secreta, possunt deleri pœnitentia leui & secreta. Hæc Glossa. Augustinus: Qui enim multos offendit peccando, multos oportet placare satisfaciendo. a Item in homilia de pœnitentia. 2. q. 1. Si peccauerit, vbi contingit malum, ibi moriatur.

Aug. lib. de vera & falsa pœnit. c. 11. tom. 4.
a Idem serm. 16. de ver. Dom. to. 10.

Secunda regula, vt secundum quantitatem peccati, maior vel minor pœnitentia iniungatur, consideratis tamen diuersis statibus personarum, & circumstantijs, de quibus tactum est in c. 3. partic. 1. Sic enim præcipit Dominus: Iuxta mensuram peccati, erit & modus plagarum, ita tamen quòd quadragenarium numerum non excedat, id est vices pœnitentis. Status enim pœnitentiæ per quadragenarium numerum figuratur. Item: In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicauit eam, scilicet culpam. Attendendum tamen, quòd si minorem condigno iniungat sacerdos pœnitentiam, non est propter hoc pœnitens à pœna absolutus, sed quidquid purgandum remanserit, si decedit, proculdubio in igne purgatorij purgabitur, quia dicit Gregorius de pœnitentia dist. 1. c. Si peccatum Dauid: Aut Deus punit, aut homo. Et infra: Nequaquam igitur peccatori parcitur, quia nullatenus sine vindicta culpa laxatur. Hæc canon. Qualiter autem se habere debeat sacerdos circa infirmos, docetur in pœnitentiali à Theodoro Episcopo Cantuariensi 26. q. 7. c. 1. & Ab infirmis & Libro sententiarum 4. dist. 20. c. Solet quæri. Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est peccatorum confessio inquirenda, non tamen illis est imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studijs, pondus pœnitentiæ subleuandum, si forte migrauerint, ne obligati, & communione, & consortio veniæ fiant alieni. A quo periculo si diuinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à sacerdote sibi impositum, diligenter obseruet. Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus ecclesiasticis, sacra olei inunctione inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum communione viatici recitantur. Hæc canon.

Deut. 25. a

Isa. 27. b

Greg. lib. 9. Mor. c. 10.

Tertia regula est, vt iniungat toto tempore vitæ suæ, de peccatis præteritis pœnitere, & propositum habeat in futuris semper abstinendi. Quia quamuis pœnitentia exterior iniungatur alicui ad tempus, debet tamen vsque ad finem vitæ suæ dolere, secundum quod dicit Augustinus in libro de vera & falsa pœnitentia, & introducitur de pœnitentia distinct. 3. cap. 4. & superius tactum est. Continue dolendum est de peccato, quod declarat etiam ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse se dolet, vbi dolor finitur, deficit & pœnitentia. Hæc canon.

c. 19. tom. 4.

Quarta regula est, vt sibi iniungat illud quod ait ipse Saluator: Vade, & amplius noli peccare. Vnde Augustinus: Non dixit, Nec pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod, quomodo seruabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur? Sic igitur semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat. Hæc Augustinus. Qui ergo in vno, vel in pluribus offendere vult, non debet tali siue sano siue infirmo, siue litterato, siue illitterato, religioso, vel sæculari veniam peccatorũ sacerdos promittere, nec corpus Domini aliquatenus dare, vel licentiare, nisi semper de cetero desistere voluerit ab omni mortali, etiam si sit sacerdos, & instet festum quodcumq;, etiam si vestitus missalibus indumentis, etiam si expectaret Papa, & Imperator, & totus mundus sacerdotem sic indutum, etiam si post annum peccare vellet, & tibi confiteretur. Talis enim confessio est istorum, qualis erat confessio presbyterorum, de quibus legitur, quòd adinuicem confessi sunt

Ioan. 8. b
Aug. de vera & falsa pœn. c. 13. to. 4.

Dan. 13. b

sunt concupiscentiam suam de Susanna, & quia tamen desistere noluerũt, propter iniquitatem suam perierunt. Similiter & isti peribunt in voluntate peccandi permanentes, quia vt Apostolus ait: Voluntarie nobis peccantibus, iam non relinquitur hostia pro peccato, Glossa: In voluntate peccandi permanentibus. Quotiescumq; autem sacerdos, in voluntate peccandi mortaliter permanentibus licentiat corpus Christi, peccat mortaliter: quia Christum cum Iuda tradit, vt secundario crucifigatur. Immo dicit Augustinus in glossa super illud Psalmi: Et dederunt in escam meam fel, quòd grauius peccat, qui contemnit regnantem in cælo, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terrà. Hoc quidam pestiferi & idiotæ non attendentes, dant largam licentiam communicandi, luxuriosis exactoribus, vsurarijs, concubinarijs, & huiusmodi monstruosis, ira, & odio plenis. O magna & infelix præsumptio, licentiare alijs tam ingens flagitium, quod sibi nullus hominum licentiare posset. Magna vero præsumptio simplicis sacerdotis, licentiare alijs, quod nec Papa, nec Angelus, nec Petrus, nec omnes Angelorum exercitus possent licentiare. Cum sententiam iudicis Paulus voce præconia proclamauerit: Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus est corporis & sanguinis Domini. Glossa: Indignus est, qui aliter celebrat mysterium Eucharistiæ, quàm à Christo traditum est, & qui non deuota mente accedit ad Eucharistiam, vel in voluntate peccandi manens, & iste talis est reus corporis & sanguinis Domini, id est mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur. Hæc glossa. continua: Tam graue peccatum est, Christum indignis licentiando tradere, vt ipse iudex per se clamet: Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Glossa: Multo melius esset omnino nõ esse, quàm male esse. Ac si aperte dicat: Melius esset tali homini, quòd Christus numquam fuisset incarnatus, numquam natus, numquam passus, numquam à morte resuscitatus, licet per hoc multos liberauerit, infernum spoliauerit, cælos ditauerit: quia omnia hæc talia non proficiunt ad salutem, sed ad acerbiorem damnationem, quia grauius peccant, qui contemnunt regnantem in cælo, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terra, vt dictum est. Vnde in nullo casu, sanis, nec infirmis, nec sacerdotibus, nec alijs peccare volentibus, debet sacerdos corpus Christi licentiare vel indulgere, quia præcipit Dominus: Nolite sanctum dare canibus, id est ad vomitum peccatorum redire volentibus. Sciat ergo confessor studiosus, quòd si discrete in omnibus prædictis, se circa confitentem habuerit, non tantum saluat ipsum confitentem, sed etiam seipsum. Insuper & operit multitudinem peccatorum, ac ampliora gaudia vitæ cælestis sibi conquirit. Sicut beatus Iacobus dicit: qui cum disseruisset de sacerdotibus, & confessione, statim subintulit dicens: Scire debet, quoniam qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Heb. 10. e — *Psal. 68. c* — *1. Cor. 11. d* — *Matt. 26. b* — *Matt. 7. c* — *Iac. 5. d*

DE IRREGVLARITATIBVS, ET DISPENSATIONIBVS. CAP. V. continens Particulas LIIX.

PARTICVLA. I.

Summa irregularitatum ipso iure iniunctarum.

QVi adultus causa mortis baptizatur, non debet promoueri, vt distinct. 57. Si quis. Potest tamen Episcopus dispensare cum eo, propter raritatem clericorum, si meruerit eius vita, vt d. c. Si quis.

PARTICVLA. II.

QVi scienter bis baptizatur. de consec. dist. 4. Qui bis. Vel bis confirmatur, de consec. dist. 5. Dictum. & dist. 50. Presbyteros. Cum his non dispensatur. Si vero ignoranter, Episcopus potest dispensare, vt in d. c. Qui bis. & 1. q. 4. Placuit.

PARTICVLA. III.

QVi sine baptismo ordinatur, talem potest Episcopus baptizare, & iterum ordinare. Extra eod. de presbytero non baptizato. Si quis. & cap. Veniens.

PARTICVLA. IIII.

QVi bis ordinatur. 1. quæst. 7. Saluberrimum. Cum hoc dispensat Episcopus, si ignoranter, vt ibidem Alexander Papa.

PARTICVLA. V.

QVi per saltum ascendit ad ordinem prætermisso aliquo, potest ab Episcopo ordinari, interim ab executione suspensus, donec prætermissum suscipiat. dist. 48. Sicut. & dist. 52. Sollicitudo. Extra. de clerico per saltum promoto. c. vnico.

PARTICVLA. VI.

QVi furtiue ab Episcopo suo ordinem recepit. Extra eod. Veniens. Cum H. Lator. Si talis intrauerit religionem, Episcopus vel prælatus suus potest cum eo dispensare. Hoc intellige, si sententia excommunicationis lata non fuit, vt in dictis capp. & in App.

PARTICVLA. VII.

QVi ab alieno Episcopo, præter sui Episcopi licentiam ordinatur. 7. q. 1. Episcopus in diœc. Cum hoc potest Episcopus dispensare. 9. q. 2. Lugdunensis.

PARTICVLA. VIII.

QVi extra tempora statuta ordinatur. Extra. de temporibus ordin. Cum quidam. Cum hoc solus Papa dispensat, vt dicitur ibid.

PARTICVLA. IX.

QVi ab Episcopo, qui cessit loco & ordini ordinatur. Extra. de ordinatis ab Episcopo, qui resignauit Episcopatui, vel excommunicato, Requisiuit. Sed si ignoranter ad maiores ordines à tali promouetur, Episcopus suus cum eo poterit dispensare, nisi crassa fuerit ignorantia, vt in dicto. c. Requisiuit. Apparatus tamen dicit, quòd etiam si probabilis sit ignorantia, necessaria est dispensatio.

PARTICVLA. X.

QVi ab excommunicato vel suspenso ordinatur. Extra. de ordinatis ab Episcopo, qui resignauit Episcopatui, vel excommunicato. Cum clericis. Sed Episcopus, vel archiepiscopus potest cum eo dispensare, vt ibidem dicitur, si ignoranter recepit, quia si scienter non dispensaretur cum eo. 9. quæst. 1. Ordinationes.

PARTICVLA. XI.

QVi suspensus vel excommunicatus ordinem recipit. Arg. Extra. de ætate & qualitate ordinandorum. Cum bonæ. Extra. de clerico excommunicato ministrante. Postulasti. Cum hoc solus Papa dispensat. Extra eod. Clerici. in Appa.

PARTICVLA. XII.

QVi reijcit religionis habitum, & in sæculo in apostasia fuerit ordinatus. Extra eod. Consultationi. Cum hoc solum Papa dispensat, vt ibidem dicitur. Vbi nota quosdam speciales casus, in quibus Papa dispensat in Apparat.

PARTICVLA. XIII.

QVi in quolibet mortali ordinatur. Arg. Extra. de cohabitatione clericorum & mulier. Qui sint dist. 25. Primum. & 9. quæst. 2. Audi. Et licet talis indigeat dispensatione, secundum Raymũdum Rodonen. tamen dicit hęc verba: Non credo quòd indigeat dispensatione post pœnitentiam, si sit occultum. Arg. Extra. de temp. ord. Qui sint. cui cõcordat Bernardus in Appar. ibidem. Item Rodonen. dicit, quòd talis large dicitur suspensus, nõ per modum sententiæ, sed per modum simplicis pro-

hibitionis

hibitionis, contra quam prohibitionem, qui celebrat, non incurrit irregularitatem, ſicut incurrit, qui celebrat ſuſpenſus per ſententiam. De hac materia multa inuenies in ſumma Raymundi titulo de lapſis, &c. ls. §. contra prædictas tres regulas.

PARTICVLA. XIV.

QVi duos ſacros ordines, vel minores cum ſubdiaconatu, aut diaconatu recipit vna die. Extra. de temporibus ordin. Litteras. Extra. eod. c. Dilectus. Extra. de eo, qui furtiue ſuſcepit ordines. Cum H. Lator. Innotuit. Cum huiuſmodi poteſt Epiſcopus diſpenſare in minoribus, & maioribus, ſi intrauerit religionem, vel prælatus ſuus poteſt, vt in dicta decretali Innotuit.

PARTICVLA. XV.

QVi non habens ordines, diuinum exercet officium, vel habens aliquem ordinem, & alterius ordinis, quem non habet, officium exercet, hic per diſpenſationem Papæ in ordine, quem habet, toleratur, ſed ad alium non promouebitur, vt 14. quæſt. 3. Priuilegium. 25. quæſt. 2. Sic decet. Extra eo. Si quis. & c. Ex litteris.

PARTICVLA. XVI.

QVi excommunicatus, vel ſuſpenſus celebrat, vt extra. de cleri. excommunic. miniſtrante. Clerici. & cap. Latores. & cap. ſequen. &, Fraternitati, & Apoſtolicæ. Si minori.

PARTICVLA. XVII.

QVi in loco interdicto celebrauit. Extra. de cleri. excomm. min. Poſtulaſti. In hoc caſu & in præcedenti diſpenſat Papa, vt dicitur in capp. dictis. maxime c. Clerici. vbi hoc ſatis dicitur in Appa.

PARTICVLA. XVIII.

QVi in hæreſim lapſus, ab ea reuertitur. 1. quæſt. 7. Saluberrimum, &. c. Conuenientibus. Hic ad maiores ordines non promouetur, ſed in ſuſceptis poteſt Epiſcopus diſpenſare cum eo, vt in dicto cap. Saluberrimum.

PARTICVLA. XIX.

QVi hæreticis Eccleſiaſtica ſacramenta diſtribuerit, vel eos ſepulturæ tradiderit, vel oblationes eorum receperit. Extra. eod. Excommunicamus, 1. §. Si vero clericus. Cum his diſpenſat ſolus Papa, vt ibidem dicitur.

PARTICVLA. XX.

QVi hæreticis credentibus, fautoribus, & defenſoribus eorum in aliquo præſtiterit auxilium, conſilium, & fauorem, & qui eis in cauſis, vel factis, vel alijs litigationibus, ſub eorum examinatione patrocinium præbuerit, & pro eis publica inſtrumenta, vel ſcripta fecerit, perpetuo eſt ab officio ſuſpenſus. Extra. eod. Si aduerſus nos.

PARTICVLA. XXI.

QVi duas vxores ſimul, vel ſucceſſiue habuit, diſt. 34. Chriſtiano. 30. quæſt. 1. Quomodo. Extra. de diuort. Gaudemus.

PARTICVLA. XXII.

QVi contrahit cum corrupta, vel vidua. diſt. 32. Separatim, & diſt. 34. Curandum. & cap. Præcipimus. & extra. de bigamis. c. 1. & 2. Secundum Raymundum non poteſt Epiſcopus cum bigamo diſpenſare. Extra. de bigamis. Nuper. Ad idem facit extra. de bigam. Super eo. diſtinct. 50. Si quis viduam. Sed hoc non tenet illud. c. diſt. 34. Lector. niſi forte quoad minores ordines, in quibus credo, quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare propter neceſſitatem, arg. diſt. 34. Subdiaconus. & in d. c. Lector. & diſt. 50. Placuit. Si tamen clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, qui nullam ante ſuſceptionem ordinum habuit vxorem, contraheret de facto matrimonium, & poſtea tranſiret ad religionem, in qua conuerſaretur honeſte poſſet ſuus Epiſcopus diſpenſare. Extra. Qui clerici vel vo. hucuſq; Raymun.

PARTICVLA. XXIII.

QVi duxit viduam à primo viro intactam, vel qui duas vxores habuit prima incognita, ſi mortua fuerit, non eſt bigamus. Extra eodem. cap. Debitum. & diſt. 34. cap. vltimo.

PARTICVLA. XXIV.

QVi cum virgine contraxit, ſed poſtea alterum cognouit. 34. diſt. Si cuius vxorem, &, c. ſeq.

PARTICVLA. XXV.

QVi infra ſacros ordines conſiſtens, de facto contraxit. Extra. de bigamis, A nobis fuit.

PARTICVLA. XXVI.

QVi poſt votum caſtitatis emiſſum, profeſſione regulari contempta, de facto contraxit matrimonium. 27. quæſt. 1. Quotquot. In iſtis caſibus quinq; bigamiæ, poteſt Epiſcopus diſpenſare in minoribus tantum propter neceſſitatem. Arg. 34. diſtinct. Lector. & cap. Subdiaconus. & diſtinct. 50. Placuit.

PARTICVLA. XXVII.

QVi clauſtra egrediens, phyſicam vel leges audit. Extra. Ne cler. vel mon. Super ſpecula. Cum hoc ſolus Papa diſpenſat, vt dicitur ibid.

PARTICVLA. XXVIII.

QVi duxit leuem perſonam, vt puta ancillam ioculatricem, licet virginem, à promotione repellitur. 34. diſt. Si quis viduam.

PARTICVLA. XXIX.

QVi in duello pugnauit. Extra eod. Porro. Cum hoc Epiſcopus diſpenſat, ſi mors, vel deciſio membrorum non ſit ſecuta, vt in d. c. Porro.

PARTICVLA. XXX.

QVi ſollemnem egit pœnitentiam. diſt. 50. Ex pœnitentibus. 32. diſt. Illitteratos. Extra. de bigamis. cap. primo. Cum his diſpenſat Epiſcopus, tantum in minoribus propter neceſſitatem Eccleſiæ, vel vtilitatem diſtinct. 50. Placuit, Extra. de ſent. excommunicationis. Nuper.

PARTICVLA. XXXI.

QVi illegitime natus eſt. Extra. de fil. presbyter. c. 1. Extra. de elect. Innotuit. Extra. Qui fil. ſint legit. Per venerabilem. Si intrauerit religionem, poterit promoueri, quia religio tollit hanc irregularitatem ad omnes ordines. Si remanſerit in ſæculo, poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare ad omnes ordines. Extra eod. Veniens. Solus autem Papa diſpenſat, vt habeat curam animarum, vel prælationem habeat. Extra eodem. Nimis in prouincia tua, vbi de hoc plene dicit in Apparat.

PARTICVLA. XXXII.

QVi contempto eccleſiaſtico iudicio in caſu non licito, vadit ad ſæcularem iudicem. 3. quæſt. 5. Si quis Epiſcopus. 11. quæſt. 1. Continuam in auth. Quomodo Apoſtolus. §. Non aliter.

PARTICVLA. XXXIII.

QVi mutilatus eſt ſponte ſine cauſa, vel iuſta cauſa, vel magno, vel paruo membro repellitur à promotione, & deijcitur iam promotus. Extra. de corpore vitia. Significauit & diſt. 15. Si quis abſcidit partem. & diſt. 33. Maritum.

PARTICVLA. XXXIV.

QVi iuſta cauſa, vel propter lepræ periculum, amputare facit virilia, vel aliud paruum membrum non repellitur, vel reijcitur. Idem intelligitur, ſi ſit caſu fortuito mutilatus, vel in infantia ſectus niſi fuerit magnum mem-

membrum, quod deformitatem generet, vel scandalum. dist. 55. Si quis à medicis. & Si quis per ægritudinem. & Lator. Extra eodem. Ex parte M. & Ex parte B.

PARTICVLA. XXXV.

SI membrum amisit, quod generet deformitatem, vel si amisit oculum, non potest sine dispensatione Papæ promoueri.

PARTICVLA. XXXVI.

DEbilitatus si sine baculo stare non poterit, ab altari repellitur. Arg. de consecr. dist. 1. Nullus. 44. distinct. Disciplina. Si manum aridam habet. Si maculam in oculo, quæ generet deformitatem. Extra eod. Quoniam tua. Si leprosus efficitur. Extra. de clerico ægrotante. De rectoribus. & cap. Tua nos. Si morbum caducum patiatur. 7. quæst. 1. Illud. & quæst. 2. Nuper. & distinct. 33. Maritum. & cap. Communiter. & cap. Clerici. Idem est de furiosis, vt cap. Maritum. Tales non ad administrationem, vel ordinem admittuntur, & suspensi sunt sine culpa, sed non sine causa, tamen à beneficio non remouentur. distinct. 55. Si ecclesiastica. 7. quæst. 1. Cum percussio.

PARTICVLA. XXXVII.

QVi homicidium fecerit sine causa iusta, cum hoc non dispensatur. Si causa iustitiæ, cum hoc non dispensatur, vt possit promoueri: sed si sit promotus in ipsis ordinibus, cum ipso potest per Papam dispensari. distinct. 51. Aliquantas. Aliàs si sponte fecerit homicidium, sine spe recuperationis, & dispensationis deponatur distinct. 50. Clerici. & cap. Si quis viduam. Si necessitate euitabili, similiter ad superiores ordines non potest ascendere, sed in susceptis, cum eo potest dispensari, licet non facile dispensatur, & per Papam. Si ineuitabili, datur consilium vt non ministret homicida, etiam in susceptis ordinibus. dist. 50. De his clericis. non tamen deponitur, sed in suo ordine toleratur, de iure absq; dispensatione, secundum L. & Raymundum, extra de homicidio. c. 2. & secundum Bernardum in Appar. super illud cap. extra eod. Sicut dignum. Si casu, cum culpa, & negligentia, ab ordine suscepto perpetuo cessabat, dist. 50. Hi qui arborem. & extra eod. Presbyterum. Episcopus tamen potest in minoribus, & in subdiaconatu iam suscepto dispensare. Extra eod. Continebatur. Si diaconus vel sacerdos fuerit, ad Papam pertinet, vt in ipsis ordinibus, vel ministret, vel promoueatur ad ipsos, vt in dicto cap. Continetur. & cap. Lator præsentium. Secundum Raymundum tamen non potest dispensare Episcopus dist. 50. Miror, quòd intelligunt quidam indistincte, scilicet tam de voluntario, quàm de casuali. alij de homicida voluntario. Hæc Raymundus. Si sine culpa, & negligentia, in ordine suscepto poterit ministrare, & ad maiores promoueri. Extra eod. Litteris significasti. cap. Dilectus. cap. Ex litteris. Et dicunt quidam, quòd non oportet cum eo dispensari, vt in dictis capitulis apparet. Sed securius, & tutius est, vt vel saltem Episcopus cum eo dispenset. distinct. 50. Clerico.

PARTICVLA. XXXVIII.

SVnt & alij casus, in quibus tenetur reatu sanguinis, licet non occidat, vtpote qui homini, vel mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non possit generare, vel concipere, vel nasci soboles.

PARTICVLA. XXXIX.

QVi hominem ceperit, vel capi fecerit, vel consilium dederit, vel in pressionem miserit, si ex pressione, vel captione mors subsecuta fuerit. Extra eodem. Sicut dignum.

PARTICVLA. XL.

QVi consilium, vel mandatum, vel studium dederit, vt homo occidatur. Extra eod. Significasti, 2. dist. 50. Si quis viduam. de pœnit. dist. 1. Periculosè.

PARTICVLA. XLI.

QVicumq; in causa sanguinis est iudex, assessor, procurator, aduocatus, officialis, testis, notarius scribens sententiam, vel dictans, distinct. 51. Aliquantas, & cap. Clericis.

PARTICVLA. XLII.

QVi chirurgiæ curam adhibuerit, vel potionem dederit, vnde mors fuerit secuta, si per cupiditatem fecit, & in arte eadem expertus non extitit, nec diligentiam, quam debuit, adhibuit, tenetur, vt de casuali homicidio, cum culpa, & negligentia. Extra eodem. Tua nos.

PARTICVLA. XLIII.

QVi interest vbi vindicta sanguinis exercetur. Extra. Ne clerici, vel monachi. Sententiam sanguinis. Bernardus in Appara. Si tantum interest, propter hoc non videtur irregularis effici, vel debere deponi, sed aliàs debet puniri, quia interfuit contra præceptum dicti canonis.

PARTICVLA. XLIV.

SI hi qui retinent beneficium, vel feudum de ecclesia, ipsi ecclesiæ personam occiderint, filij eorum vsq; in quartam generationem in clericos non debent promoueri. Extra. de pœnis, In quibusdam. Bernardus in Appara. dicit secundum Ioannem, quòd Episcopus potest cum talibus dispensare, honestum tamen esset, quòd nullus Episcopus in hoc casu dispensaret, vt supra dictum est.

PARTICVLA. XLV.

QVi pro ordinatione sua, promissum, vel iuramentum fecerit, ordinatori, vel præsentatori, quòd eos super prouisione sua non inquietabit, cum eo non dispensat, nisi Papa. Extra. de simonia, Si quis ordinauit.

PARTICVLA. XLVI.

QVi à simoniaco ordinatur Episcopo, siue tunc sciat esse simoniacum, siue non. 1. quæst. 1. Si qui à simoniacis. Sed in primo casu sine misericordia deponitur. 1. quæst. 1. De cetero, nisi violenter attrahatur. 1. quæst. 1. Constat. In secundo casu dispensatio toleratur, vt in cap. Si qui à simoniacis.

PARTICVLA. XLVII.

QVi ordinem vel beneficium aliquod spirituale aliquo dato, vel promisso, vel retento, vel in pactionem deducto, vel precibus carnalibus, vel alienis receperit. 1. quæst. 1. Ordinationes. Sunt nonnulli. Statuimus decretum. Si qui à simoniacis.

PARTICVLA. XLVIII.

NOta quòd simoniacus in ordine, siue sit occultum, siue manifestum, suspensus est, quo ad se, & quo ad alios. Similiter simoniacus in beneficio dando, vel recipiendo, vel in ordine confirmando, vel conferendo si sit notorium. Extra eod. Tanta. Si occultum, quoad se tantum. Extra eod. Ex tuæ fraternitatis. De hoc dicitur in Appa. extra eod. supra illud c. Accusatum. Tales sine spe dispensationis oportet renunciare ordini & beneficio sic suscepto. 1. quæst. 1. Erga simoniacos. Extra eod. Ex tuæ fraternitatis. & c. Matthæus. Potest tamen Papa cum eis ex plenitudine potestatis dispensare, quamuis non sit in iure expressum. Episcopus vero dispensare non potest, nisi in casu, scilicet si crimen nescientibus ordinato, & ordinatore commissum sit, & postquam simpliciter renunciauit ordini, vel beneficio sic suscepto. Extra eod. De simoniace ordinatis.

PARTICVLA. XLIX.

QVi Decanatum, vel Archidiaconatum, vel aliquam iurisdictionem ad agendas vices Episcoporum, sub annuo censu receperit, vt simoniacus est suspensus

prima quæst. tertia. Ex multis, extra. eodem. Ne prælati vices suas sub annuo censu, c. Quoniam in quibusdam.

PARTICVLA. L.

SVnt & alij casus, in quibus suspenditur aliquis ipso iure, sed ipso facto non efficitur irregularis. Monitione competenti non præmissa, prælatus excommunicans aliquem, suspenditur ipso iure per vnum mensem ab introitu Ecclesiæ extra. de sententia excommunicationis. Sacro approbante, & in noua constitutione. Cum medicinalis. Quando dicitur monitio competens, intelligitur trina, 24. quæst. tertia. De illicita.

PARTICVLA. LI.

REctor ecclesiæ, qui pro alienis debitis grauat ecclesiam sibi commissam, vel litteras alicui concedit, vel sigilla quibus ecclesia possit obligari, suspenditur ipso iure, donec cum ipso dispensetur, extra. de solutionibus. Si quorundam.

PARTICVLA. LII.

ADulter manifestus, fornicator, vel testis falsus, si crimina ipsa sint notoria, suspensi sunt quousque pœnitentiam egerint: extra. de temporibus ordi. & qualitate ordin. Quæsitum est de sacerdotibus: extra. de cohabitatione clericorum. Quæsitum.

PARTICVLA. LIII.

SI ordinator ab ordinato acceperit iuramentum, vel promissionem, quòd super prouisione eum non inquietet à collatione ordinum, per triennium est suspensus. Extra. de simoniacis. Si quis ordinauerit.

PARTICVLA. LIV.

VSurarium manifestum, & in hoc decedentem, qui tradiderit sepulturæ Ecclesiasticæ, vel receperit oblationes eius, suspensus est vsq; ad arbitrium Episcopi. Extra. de vsuris, Quia in omnibus.

PARTICVLA. LV.

QVi eligunt in Episcopum personam patientem defectum in natalibus, ætate, & scientia, id est illegitime natam, & infra trigesimum annum ætatis, vel non competentis litteraturæ, triennio à beneficijs suspenduntur. Extra de electiõn.

PARTICVLA. LVI.

NOta quòd capitulum quandoq; dispensat secundum Raymundum extra. de simon. Ex insinuatione. Extra. de præben. Cum non ignores, vbi Bernar. in Appar. videtur sentire contrarium.

PARTICVLA. LVII.

AD pleniorem autem intelligentiam, omnium in hoc vltimo capitulo prædictorum, nota verba Augustini scribentis ad Bonifacium, quæ introducuntur 50. d. c. Vt constitueretur, & sunt hæc: Vt constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat; non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioqui contra claues Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo. Sed ne forte etiam de criminibus ceteris, spe honoris Ecclesiastici, animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, seuerissime placuit, vt post actam pœnitentiam de damnabili crimine, nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis, medicina maior, & verior esset humilitatis. Nam & sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore suo perstitit, & beatum Petrum quando amarissimas lacrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo putanda est superuacua posteriorum diligentia, qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati addiderunt aliquid, quo salus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in huiusmodi causis vbi per graues dissensionum scissuras non huius, aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat. Hæc Augustinus.

August. epist. 50. post medium. to. 2.

Matt. 18. c

PARTICVLA. LVIII.

EX his verbis Augustini colliguntur tres regulæ. Prima, qui peccauit post baptismum, non potest promoueri.

Secunda est, promotus qui mortale crimen committit, deijcitur.

Tertia est, qui ab ordine deponitur, non potest restitui, vbicumq; mitius agitur, dispensatio est.

Contra prædictas tres regulas potest Papa dispensare in omni casu ex plenitudine potestatis, licet plures casus sint in quibus nullo modo dispensat, vt in homicidio voluntario. dist. 50. Miror, in quattuor casibus, qui continentur in his versibus:

Siue bis ordo datur, siue baptismus repetatur,
Siue, vt euertatur fidei status, ordo petatur,
Vel si præstetur, vt vtrinq; Simon operetur,
Vt dispensetur spes irrita prorsus habetur.

Baptismus repetatur, siue ignoranter, siue scienter. Secus tamen est, si aliquis ad cautelam sub conditione se faciat baptizari, quia talis non incurrit irregularitatem. *Euertatur,* quando scilicet aliquis cum possit ordinari à catholico Episcopo, se facit ab hæretico ordinari. *Vtrinque Simon,* id est si simonia interueniat ex parte ordinati, & ordinatoris. Sed circa Episcopos inferiores duplex est sollemnis opinio. Vna dicit, quòd Episcopus potest dispensare contra duas regulas primas in adulterio, & minoribus criminibus, in maioribus adulterio nequaquã, nisi in casibus à iure expressis, quòd in eis possit Episcopus dispensare. Alia opinio dicit, quòd potest Episcopus dispensare in omni crimine contra duas regulas primas, nisi expesse sibi prohibeatur à iure. Hoc probatur 82. dist. Presbyter. & de pœnit. dist. 6. c. 1. in fine. ver. Itaq; Pontifex iustus atque discretus, non cogitur sacerdotes suos semper abijcere, nec mox restituere, nisi à Romano Pontifice fuerit statutum. Hanc secundum opinionem tenent Laurentius, Vincentius, Tancred, Ioannes, Raymundus, & Bernardus, vt notatur in Appar. illius c. Extra. de iudic. At si clerici. Quibus, consentiendo dicatur, quòd Episcopus contra primas regulas duas, nisi expresse sibi prohibeatur à iure, potest in omni crimine dispẽsare.

Vnde sciendum, quòd Episcopis in vigintiquinq; casibus dispensare prohibetur.

Primus de homicidio, distinct. 50. Miror, quod intelligunt quidam indistinctè, tam de voluntario, quàm de casuali, quod etiam generali Ecclesiæ consuetudine roboratur. Alij de homicida voluntario.

Secundus casus de simoniaco, cum distinctionibus, quas require supra c. eod. partic. 48.

Tertius casus de eo, qui excommunicatus maior i excommunicatione, vel per iudicium suspensus ab officio, celebrat officiando. 7. quæst. 1. Si quis presbyter. 11. quæst. 3. Si quis Episcopus, primo. Extra. de sententia excommunicationis, Cum illorum absolutio. Quidam dicunt contrarium in hoc casu, scilicet, quòd posset Episcopus dispensare. Arg. 2. quæst. 4. Quæ de causa. Sed non tutum, nec consuetum, nisi in casu, scilicet si eos redderet ignorantia facti probabiliter excusatos. Extra. de clerico excommunicato minist. Apostolicæ.

Quartus casus est de clerico excommunicato in concilio, qui accedit ad iudicium principis in casu non concesso, contempto iudice ecclesiastico. 26. quæst. 5 Siquis Episcopus.

Quintus casus est, de bigamo. Extra. de bigamis. Super eo. Nuper. & require supra c. eod. de bigamis.

Sextus casus est, de duobus presbyteris, vt præsint vni ecclesiæ æqualiter. 21. q. 2. c. pen.

Septimus casus est de habendis duobus vel pluribus beneficijs curam animarum habentibus. Extra. de cler. Dudum.

Octauus casus est, de eo, qui constitutus est infra vigesimumquintum annum, quia non potest cum eo Episcopus dispensare, vt promoueatur ad honores. Extra. de elect. Cum in cunctis. Extra. de ætate, & qualitate ordin. Eam te. vbi præcipit Papa, quòd nullus promoueatur, nisi sit ætatis legitimæ. Extra. de elect. Nihil est.

Nonus casus est de illegitime nato, cum quo nõ potest Episcopus dispensare, vt promoueatur ad honores. Extra. de filijs presbyt. c. pen. & vlt. vbi dicit, quòd cum illegitime natis solus Papa dispensat. Quod autem tales prohibentur ab honoribus, dicitur in concilio Pictauien. Extra. de filijs presbyteror. cap. 1.

Decimus casus est, de eo, qui recipit ordinem scienter ab Episcopo, qui resignauit episcopatui, cum quo non dispensatur nisi à Papa.

Vndecimus casus est, de eo, qui recipit ordinem scienter ab Episcopo excommunicato. Extra. eod. c. 2.

Duodecimus casus est, de tertia regula supradicta, contra quam non potest Episcopus, nec aliquis alius à Papa dispensare. dist. 50. cap. 1. & 2. & 2. quæst. 6. Ideo, 1. & 2. Et intelligas hoc de sollemniter degradato. Bernardus in Appar. illius cap. Extra. de clerico excommunicato ministrante, Clerici, dicit, quòd si Episcopus cum alijs Episcopis ipsum sacerdotio tantum deposuit, potest eum recipere in inferioribus ordinibus & sic de alijs ordinibus. Arg. 15. quæst. 8. Qui admiserit, & cap. Si quis presbyter. Si vero depositus est ab omni ordine, tunc solus Papa restituit. Hæc Appar. & sunt verba hęc. Quidam tamen dicunt, & male, quòd Episcopus potest depositum restituere. pro eis est. 11. quæst. 3. Episcopus, presbyter, sed illud potest intelligi, cum constabat depositionem nullam esse. Item pro eis esse videtur distinct. 46. Clericus maledicus. Sed ibi expone, degradetur, id est, suspendatur.

Tredecimus, & Decimusquartus, Decimusquintus, & Decimussextus, continentur in his versibus:

Siue bis ordo datur, siue baptismus repetatur,
Siue, vt euertatur fidei status, ordo petatur,
Vel si præstetur, vt vtrinq; Simon operetur,
Vt dispensetur, &c.

De primo require huius capituli particulam 4. De secundo require eod. partic. 2. De tertio, habes 1. quæst. 7. Conuenientibus. §. Item Tharasius patriarcha. vers. Constantinus Episcopus dixit. De quarto require eiusdem cap. partic. 46. & 48.

Decimusseptimus casus est, de eo qui extra tempora statuta ordinatur, de quo require huius c. partic. 8.

Decimumoctauum casum require particula 8.
Decimumnonum require particula 11.
Vigesimum require particula 12.
Vigesimumprimum require particula 15.
Vigesimumsecundum require particula 17.
Vigesimumtertium require particula 19.
Vigesimumquartum require particula 27.
Vigesimumquintum require particula 35. Fortassis apparebunt & alij casus, sed de istis dixisse sufficiat, qui ad præsens memoriæ occurrerunt. Et quoniam.

Rebus in humanis, nihil omni parte beatum.
Quod Deus vnus habet, cui subiacet omne creatum.
Plura quidem dicta, cum reor, esse relicta.
Hac quoq; cognosco, merito veniam mihi posco.
Christe reum purga, fac dignum vera Sophia.
Lux, dux, vita, via fer opem prece virgo Maria.
Fac precibus gratum culpa soluendo reatum.
Fac cruce damnatum quondam, nunc clarificatum.
Virgo tuum natum, sine fine videre beatum.
Quem dilexisti, molli gremio tenuisti.
Vbere nutristi, cui lac sacrum tribuisti.
Fac faciem Christi cognoscere, quem genuisti.

De qua facie loquitur Apostolus, cum dicit: Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Hæc facies summe luminosa est finis omnium studiorum, summe gratiosa finis omnium desideriorum, summè virtuosa finis omnium sacramentorum. Sufficiẽtissimè copiosa est finis omnium laborum & dolorum. De hac facie Augustinus ait: Facies Dei, manifestatio eius intelligenda est. Hanc optabat cognoscere ille mitissimus Moses, dicens: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te. Ad hanc faciem peruenire est finis sine fine. Ad quam finem omnia finientem, nos perducat bonitas infinita, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus Beata Trinitas vnus Deus. Qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 13. d
August. lib. 22. de ciu. Dei c. 29. circa med.
Exod. 33. c

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur, *DE PRÆPARATIONE AD Missam.*

Argumentum in duo Opuscula, quæ proximè sequuntur.

Opusculum hoc, & proxime sequens in eodem argumenti genere versantur, vt inscriptiones quoq; eorum manifestum faciunt. Nam alterum, De præparatione ad Missam, *alterum,* De instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandum Missam, *inscribitur. Vtrumq; dignum sane est, vt à sacerdotibus & teratur manibus, & animo volutetur. Hi quippe quam singulari pietate, ac religione ad Missæ sacrificium, in quo illa Deo Patri placens hostia Iesus Christus in odorem suauitatis offertur, accedere debeant, ex documentis hic à S. Bonauentura traditis plane intelligent. Documenta vero hæc innituntur auctoritati Apostoli 1. Cor. 11. dicentis: Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat, quam probationem & examinationem iuxta quattuor fieri debere in hoc opusculo docet: nempe, si cum qua fide, quali proposito, quanta charitate, propter quid ad sacrificium altaris accedit, omni affectu sacerdos perpendit. In sequenti vero iuxta se considerationes, quæ sunt: rationis discretio, mentis deuotio, animi reuerentia, amor & desiderium cordis, pro se & alijs affectuosa deprecatio, totius hominis diligentia. Hæc omnia fusius prosequitur in his Opusculis Auctor deuotis quoq; & piis adhibitis orationibus, & meditationibus. Id tamen obseruandum est circa locum Auctoris, c. 4. huius Opusculi, vbi loquens de prauis sacerdotibus, qui polluti peccatis Sacrificium altaris offerunt, ait:* Verum si horum Sacrificium suscipit Deus, &c. *intelligendum videlicet esse, quantum est ex parte similium sacerdotum, iuxta dictum Hieronymi ad c. 1. Malac. vt ref. d. 49. c. fin. Sacerdotes, inquit, nomen Domini despiciunt, & quantum ad se panem pollutum offerunt, qui ad altare indigne accedunt.*

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

Et

CAPVT I.

Quomodo se probare debeat sacerdos Missam celebraturus.

AD honorem gloriosę, & indiuiduę Trinitatis, & ad honorem excellentissimi Sacramenti, scilicet pretiosi corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, describam tibi formam, per quam potes leuiter manuduci ad cõtemplationem tanti mysterij, ac congrue disponi ad eius perceptionem: quam non raptim strepitu verborum legere, sed eius sensum efficaciter cordi imprimere debes, & ex intimo affectu singula quæq; in toto, vel in parte, prout sonant, solicite ruminare.

Primo igitur accessurus ad mensam cælestis conuiuij, iuxta Apostolum, Proba teipsum, & diligenter examina, cum qua fide, quali proposito, quanta charitate, propter quid, aut propter quam causam accedis, vt sic accedendo ad mensam cælestis conuiuij, iuxta Apostolum, probes teipsum diligenter examinando. (1. Cor. 11. d)

Attende igitur ista quattuor singula per se, & vide primo, quam fidem habere debes, circa veritatem, & essentiam huius sacramenti. Credere enim firmiter debes, & nullatenus dubitare, secundum quod docet Ecclesia catholica, & prædicat, quòd in hora expressionis verborum Christi, panis materialis, atq; visibilis, aduenienti viuifico & cælesti pani, velut vero creatori honorem deferens, locum suum, scilicet visibilem speciem accidentium pro ministerio, & sacramentali seruitio relinquit, quo desinente esse, miro & ineffabili modo, in eodem instantia ista sequentia sub illis accidentibus veraciter existunt. (Qua fide ad Eucharistiam accedendum.)

Primo illa purissima Christi caro, & sacrum corpus, quod, fabricante Spiritu sancto, tractum fuit de vtero gloriosæ virginis Mariæ, appensum in cruce, positum in sepulchro, glorificatum in cælo. (Realis existẽtia Christi in sacramento Eucharistiæ.)

Secundo, quia caro non viuit sine sanguine, ideo necessario est ibi sanguis ille pretiosus, qui feliciter manauit pro mundi salute in cruce.

Tertio, cum non sit verus homo absque anima rationali, propterea est ibi anima gloriosa Christi excedens in gratia omnem virtutem & gloriam, & potestatẽ, in qua re positi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. (Coloss. 2. a)

Quarto, quia Christus est verus Deus, & verus homo, ideo consequenter est ibi Deus gloriosus in maiestate sua. Hæc omnia quattuor simul, & singula tota simul, sub speciebus panis & vini, perfecte continentur, non minus in calice, quam in hostia, nec minus in hostia, quàm in calice, nec in vno defectus suppletur alterius, cum nullus sit, sed in ambobus integrum continetur, propter mysterium, de quo grandis est sermo. Sufficit enim credere Deum, verum & hominem sub vtraque contineri specie; cui assistunt Angelorum frequentia, & Sanctorum præsentia.

CAPVT II.

Quare Christus tantum continetur sub istis duabus speciebus.

SEd vide, quàm pulchre Christus sub his tantum duabus speciebus continetur. Primo, quia panis & vinum optimum sunt nutrimentum totius hominis: nam panis nutrit carnem, & vinum transit in sanguinem, qui est sedes animæ. Secundo, quia eorum vsus est homini principalior, & communior est, & mundior, & minus fastidiosus habetur; ideo puritas spiritualis refectionis opportune per ista significatur. Tertio, quia optime figurant passionem Christi, quæ quotidie per hoc sacramentum memoratur: nam panis significat corpus illud trituratum, molitum, pistum in passione, decoctum & assum igne diuini amoris, in camino, id est ara crucis. Vinum vero significat sanguinem, qui de vua, scilicet Christi corpore, in torculari crucis à calcantibus Iudæis expressus est. Quarto pulchre significat corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesiam collectam ex multis fidelibus prædestinatis ad vitam, tamquam panis, vinum ex multis granis & racemis.

Cum ergo accedis, caue ne dubitando vacilles, & tamquam cæcus manu tentans innitaris baculo arundineo, scilicet argumentis naturalibus, & rationibus humanis, quærendo quomodo ista fieri possunt, sicut quondam Iudæi litigabant, & quidam discipuli scandalizati abierunt retrorsum. Sed subijce teipsum Deo, & captiua mentem tuam sub iugo fidei, quam tantis testibus roboratam vides. Quid enim dubitationis de hoc sacramento remanet, quod à Christo tam expresse traditum, ab Apostolis prædicatum, à sanctis Patribus orthodoxis tot centenarijs annorum præfiguratum, tantisque cærimonijs, tot miraculis, & prodigijs, & obseruantijs, quasi testimonijs palpabilibus, vides confirmatum? Tolle hoc sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error & infidelitas? & populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, & idololatriæ deditus, sicut expresse patet in ceteris infidelibus. Sed per hoc stat Ecclesia, roboratur fides, viret vel viget Christiana religio, & diuinus cultus. Vnde inquit Christus: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi. (Accedens ad Eucharistiam captiuet intellectum sub iugo fidei. Ioan. 6. f. g. Mat. vlt. d)

CAPVT III.

Quare Christus corpus suum dare voluerit velatum.

POst etiam notare debes, quòd sic decuit Christum corpus suum velatum nobis dare. Quid enim valeret fides tua, si Christus in propria forma visibilis tibi appareret? certe & coacte eum adorares. Aut quomodo carnales oculi tantam gloriam ferre possent? Quis vero, nisi insipiens, dicat, vt carnem crudam, & hominis cruorem in propria forma sua comedere & bibere debeas? Recedat ergo omnis dubitatio, quia sicut olim diuinitas in vtero virginali latuit, & Filius Dei sub humanæ carnis velamine visibilis mundo apparuit; sic & glorificata humanitas, diuinitati coniuncta sub forma panis & vini latet, vt nobis mortalibus competere posset.

CAPVT IV.

De discussione conscientiæ ante communionem sacram. Et cum quali proposito, seu dispositione accedendum sit.

SEcundo proba teipsum, cum quali proposito, & dispositione accedis. Ideo discute & reuolue conscientiæ domum, & vide ne forte sit intus aliqua turpitudo in mente, vel macula extra in carne, qua offendi possunt oculi illius, qui est sanctus sanctorum. Primo ergo rediens introrsus ad iniquitatem tuæ mentis, quanta mala ab ineunte ætate commisisti, quanta bona neglexisti, quàm breuis vita, quàm incerta mors, quã lubrica & periculosa via huius temporis rumina: ne forte, quod absit, post præceden- (Munditia animæ ad cõmunionem requiritur.)

cedentem confessionem, & pœnitentiam aliquod in te sit mortale peccatum, vel peccandi propositum. vnde mortua sit tua misera anima, ac per hoc à radice Christi & Ecclesiæ abscissa: quia ille viuificus panis, & diuinus non præstat influxum vitæ, nec nutrimentum membris abscissis, & mortuis, teste Scriptura, quæ dicit: In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Vnde à talibus sumitur sacramentum, & non res sacramenti, id est Christi gratia, & vnitas charitatis eius: comeditur gustu, sed non reficit spiritum: vadit ad ventrem, sed non reficit mentem: deglutitur sicut abrotanum sine sui læsione, & non viuificat animam, nec incorporat eam sibi, neq; vnit, sed potius, nausea compellente, talem Christus euomit, velut cadauer putridum bestijs deuorandum & auibus, cum scilicet infelicem animam tradit satanę cruciandam, sicut de Iuda scriptum est: Quoniam post bucellam introiuit in eum satanas. Quapropter si talibus laqueatus es, caue ne pro aliqua causa, vel necessitate, absq; debita contritione, ac proposito pœnitendi, ac confessione præmissa, accedere ad altare præsumas: quia horrendum est incidere in manus Dei viuentis.

Sap. 1. a

Indigna sumptio sacramenti nociua est.

Ioan. 13. e

Heb. 10. f

Sed heu, quot sunt hodie sacerdotes miseri, & suæ salutis improuidi, qui corpus Christi in altari velut carnes pecudum manducat, & inuoluti & contaminati abominationibus, de quibus fas non est dicere, sceleratis manibus, & pollutis labijs contingere non verentur & osculari Filium Dei, & Mariæ Virginis vnigenitum? Verum si horum sacrificium suscipit Deus, audeo dicere, mendax est, & socius peccatorum. Insuper, quod deterius est, ad tantam quidem peruenerunt istis diebus peruersitatem & stultitiam, vt putent infelicissimi sua scelera & immunditias peccatorum, quæ quotidie reiterare proponunt, absq; pœnitentia, & confessione, per sacram communionem quotidie celebrantes expiare. Tales non sunt sacerdotes, sed sacrilegi: non Christiani, sed hæretici, profecto si fidem rectam haberent, aut peccate timerent, aut celebrare cessarent.

Secundo, non tantum cordis, sed & corporis attendenda est munditia: ideo caue ne immundus accedas, non tantum dico de immunditia voluntaria, quæ mortalis, sed etiam nocturnali, siue casuali macula, quæ impedit celebrationem, vbi non est magna necessitas, vel iussio præceptorum. Vbi ergo dicta interueniunt, & dictæ maculæ non dederis occasionem vel causam per precedentem concupiscentiam, vel inordinatam crapulam, nec secuta est notabilis mentis inquinatio per reminiscentiam, vel illusionem phantasticam carnalium, credo quòd accedere posses, saluo meliori iudicio, maxime si singularis deuotio ratione sollemnitatis vel alterius similis causę te traheret ad celebrandum. Custodire etiam debes pudicitiam manuum quantum potes, & omnium membrorum tuorum puritatem. Vnde tibi consulo, vt prę ceteris hominibus omni tempore maxime dum Missam celebraturus es, caueas ab omni tactu non solum turpi & immundo qui fit cum peccato, sed etiam à quolibet indecenti, & coinquinato, & totum te recolligas, vt nec actus, nec cogitatio ad aliquod aliud dispergatur. Et insuper curam habeas diligenter, de munditia & nitore paramentorum altaris, & sacrorum vasorum, vt cum honore, & omni diligentia tractetur ille, qui est Angelis & Archangelis tremebundus.

Munditia corporis quomodo ad Eucharistiam suscipiendam requiratur.

CAPVT V.

Ex quanta charitate, quantoq; feruore accedendum sit communicaturo.

Tertio proba teipsum ex quanta charitate, & quali feruore accedis, non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata, per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitę & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum & indispositum, & ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulueres & stipulæ venialium, per afflatum spiritus, & flammam charitatis ventilentur, & consumantur ex ardescente igne cordis & ex consideratione propriæ vilitatis. Ideo caue ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus: quia indigne sumis, si non accedis reuerenter, circumspecte, & considerate. Vnde Apostolus: Iudicium sibi manducat & bibit, quod apertius insinuat cum subdit, dicens: Ideo inter vos multi imbecilles, scilicet per fidei inconstantiam, & infirmi, id est graui peccato sauciati, & dormiunt multi, scilicet per torporem & desidiam. O quàm graues angustiæ, ô quantæ angustiæ me vndiq; affligentes. Accedere indigne horrendum est iudicium: non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa. Beda. Nam cum sacerdos est absq; peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & nō ex reuerentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantum in ipso est, priuat Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Quia sicut ait Ambrosius: Si quotiescumq; effunditur sanguis Christi, toties in remissionem effunditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam. Item priuat se omnibus talibus prouenientibus ex sacra communione, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi & corporis eius mystici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei eleuatio charitatis excitatio, deuotionis augmentatio, & Angelorum conuiuatio. Item non complet sibi iniunctum magnę dignitatis obsequiū nec officium exercet debitæ seruitutis Dei, & tamen scriptum est: Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Item contemnit Christi præceptum de obseruantia huius sacramenti, ideo Christus comminatur: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. Item abijcit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Vltimo, quantum in se est, euacuat diuinum cultum & latriam, creatori debitam, ingratus de beneficijs. Vnde dicitur in Numeris: Si quis mundus est, scilicet à peccato mortali, & in itinere nō fuerit, scilicet aliter impeditus, & non fecerit phase, anima illa de populo suo exterminabitur: quia sacrificium non obtulit Deo domino, tempore suo. Ergo quantum potes, toto conatu per exercitium boni operis lacrymarum contritionem, & deuotionis flammam, expelle à te omnem teporem, & negligentiam, ne inueniaris respuere tantorum charismatum dona.

Peccata etiam venialia celebranti vitanda.

1. Cor. 11. d

Amb. lib. 4. de sacra. c. vlt. tom. 4. ref. de consf. dist. 2. c. si quotiescumque.

Hier. 48. b

Ioan. 6. f

Num. 9. b

CAPVT VI.

Qualiter & per quæ homo ad celebrandum accenditur.

SI vis accendi ad amorem, considera tota mente ista duo. Primo illius summæ charitatis incendium, quo summa bonitas, & benignitas, pro te vermiculo fœtido, tam pœnosæ sustinuit crucis opprobrium. Secundo illius nobilissimi corporis cibationem dulcissimamq; sanguinis potionem. Primo attendas illam beatissimam mortem discutiens causam. Causa autem alia non fuit, nisi necessitas nostræ redemptionis. Omnis autem lex pro læsæ maiestatis offensione, offendentem iudicat, reum mortis. Huius rei causa, cum peccatis exigentibus essemus rei mortis, pro recompensatione tanti debiti, miserans Deus humanæ miseræ, & parcens nostræ morti, prouidit & concessit prioribus pro morte hominum, cædem fieri animalium, & offerri sibi hostias & sacrificia placationis; vt quoties quis peccaret, toties esset pro eo

necessa-

necessarium hostias immolari. Quæ omnia figuræ erant & vmbræ, donec Christus caput humani generis mitteretur, viua & rationabilis hostia absq; peccato, qui pro omnibus hominibus seipsum ex amore offerret ad mortem pro nostræ mortis redemptione. Sed quia non debuit pluries mori, eo quòd illa vna mors satisfecit pro peccatis omnibus factis & fiendis; ideo sufficit, quòd illam vnam hostiam corporis sui, quondam pro nobis semel immolatam, moriens relinqueret; quotidie à nobis pro residuis delictorum, mystice offerendam Deo patri, pro commutatione nostræ mortis, cui quotidie sumus obnoxij per peccatum. Vnde Augustinus; Iteratur quotidie hęc oblatio, licet semel Christus passus sit, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mystice immolatur. Hæc ille. Propter hoc quidquid agitur in Missa, & omnis ornatus, & cærimonia, nihil aliud repræsentat, nisi Christi passionem. Ob hoc super omnia est necessaria Christi mortis memoria in Missa. Vnde Ipse Christus ait: Hoc facite in meam commemorationem. Et eius Apostolus: Quotiescumq; manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat; scilicet ad iudicium. Dum ergo accedis, dic ex toto corde.

Ref. de cons. d. 2. c vtrum ex August. sunt tamen verba Paschasii de corpore & sang. Dom. cap. 9.

Luc. 22. b

1. Cor. 11. d

Ecce cælestis pater, recolens mortem illam vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea & totius mundi salute. Ecce ad altare tuæ maiestatis transmitto oblationem viuam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis immolandam pro nobis. Recordare ergo illius sacrosancti sudoris, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis & alapis cæsam, liuoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam clauis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas, quæ Filium tuum traxit & vicit, vt in statera crucis totius mundi peccata librares, ipsa te cogat Pater misereri nobis miseris. Respice obsecro non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in iustificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum.

Ad sacrum faciendum præuia oblatio.

Secundo si vis ad amorem accendi, & inflammari, considera illius sacri corporis cibationem dulcissimam, & vide quàm bonus, & suauis est spiritus eius in nobis, quàmq; congrua, & vtilia prouidit nobis Pater noster cælestis viuificantia alimenta.

CAPVT VII.

Quare necesse sit anima nostra recipere sacramentum.

QVia enim rationalis creatura ad hoc facta est, vt sit capax & particeps bonitatis Dei, ex qua participatione viuere, & ad beatum esse peruenire debet, sine qua ex se ad nihilum tendit & ad mortem sempiternam, nisi per cibum viuificantem iugiter vegetetur, ex participatione diuinæ virtutis, & gloriæ. Quam participationem ideo comestionem voco, quia sicut corpus animale per cibum viuificatur, calefit, & impinguatur: sic anima rationalis per spiritum Christi, quo frui debet, pleno affectu & intellectu nutritur, & inflammatur. Et sicut Angeli in patria pleno haustu bibunt de spiritu perenni, & viuo fonte luminis, ac satiantur ab vbertate domus eius: sic sapientia ante præuidit, vt rationales animas hominum, quas tam care redemit, & per gratiam magnificauit, ac effecit similes Angelis Dei, cibaret illo pane, quo Angeli nutriuntur, sine quo nec illi nec isti viuere possunt, & hoc per aliquem modum conuenientem nobis paruulis: quia impossibile est nobis comedere cum isto mortali corpore illum panem vitæ in soliditate propriæ formæ, scilicet diuinitatis. Ideo vt nobis comestibilem cibum præberet sub forma conuenientiori scilicet panis & vini corporalis dandum, propter conuenientem similitudinem panis ad panem, & refectionis ad refectioné; vt sicut Angelos viuentes spiritus cibat verbo increato; sic mortales homines viuentes cibat verbo incarnato, in sacraméto suscepto. Vnde dictum est: Panem Angelorum manducabit homo, &c. Et: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, &c. Item nota, quòd sicut cura est Deo de corpore animalis cuiuscumq; prouidere illi cibum conuenientem; sic cura est eidem de nutrimento nobilissimi sui corporis mystici, quod est Ecclesia, cuius Christus Filius Dei est caput, nec aliunde debet vegetari & viuere, quàm à capite suo, vt omnia membra, scilicet viri iusti vnita & sibi inuicem cohærentia, in Christo capite, ipsius spiritu & amore nutriantur per hoc sacramentum vnitatis, & pacis; ac per hoc sicut non est vita corpori absq; incorporatione cibi conuenientis ei, sic animæ rationali non est vita spiritualis, sine incorporatione & inuisceratione huius cibi spiritualis sibi conuenientis. Vnde inquit Christus: Qui manducat me, viuit propter me. Hæc autem est differentia inter comestionem corporalem, & spiritualem: quia ibi cibus comestus transit in substantiam & nutrimentum comedentis; hic vero comedens incorporatur Christo, & transit in amorem, & vnitatem spiritus Christi. Ideo dictum fuit beato Augustino; Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me, id est in mei similitudinem: scilicet bonitatem, sanctitatem, &c. sicut ignis, ferrũ sibi in similitudinem conuertit.

Rationalis creatura ad quid creata.

Eucharistia Angelis & hominibus communis

Psal. 77. c

Ioan. 6. e

Ibidem. f

August. lib. 7. conf. c. 10. tom. 1.

CAPVT VIII.

Propter quod, & propter quam causam communicandum.

QVarto, & vltimo proba te ipsum, propter quid aut propter quam causam accedis. Et hic dirige aciem mentis ad duo præcipue, scilicet ad purum affectum, & desiderium sanctum. Secundo ad debitam intentionem, & propositum necessarium.

Primo vide, quid desideres, ne propter auaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut consuetudinem, aut alicuius mundanæ complacentiæ, aut temporalis fauoris causa accedas: sicut multi diebus istis abutuntur ad sui perditionem, quod est datum ad salutem. Væ, væ, væ Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt, & diuina mysteria accipiunt, non cælestem panem, sed terrenum quærentes; non spiritum sed lucrum: non Dei honorem sed suam ambitionem: non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum: non Christo seruire mundo corde & corpore in sacris mysterijs, sed delitiari, ditari, superbire, & luxuriari de patrimonio Christi & de eleemosynis pauperum, ac ecclesiasticas dignitates ambiendo multis litigijs, & simonijs potius rapiunt, quam assequantur, non vocati à Deo, sed impulsi à diabolo tamquam Datan & Abiron. Tu autem homo Dei, dirige vota tua & desideria ad Deum, & vide quibus affectionibus & desiderijs trahi debeas ad sacra mysteria celebranda.

Contra eos qui prauo intuitu ad sacros ordines accedunt.

Num. 16.

Quo animo ad sacra altaris mysteria accedendum.

Primo te trahet conscientia & remorsus delictorum sperans per eum quasi per hostiam oblationis ab omni peccato purgari.

Secundo tuæ infirmitatis intuitus & consideratio vt eum quasi medicinam ad te voces, per quam ab omni infirmitate tuearis.

Tertio pressura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia potest, ab omni aduersitate citius libereris, & protegaris.

Quarto, desiderium alicuius gratiæ vel spiritualis beneficij impetrandi, vt per eum, cui Pater nihil negare potest, obtineas.

Quinto, gratiarum actio pro omnibus beneficijs temporalibus & spiritualibus, tibi, & alijs impensis, cum nihil habeamus Deo retribuere, pro omnibus, quæ retribuit nobis, aliud, quàm calicem salutaris accipere, & sacrificare hostiam laudis, id est Iesum Christum.

Sexto, charitas, & compassio proximorum, cum pro salute viuorum, & requie defunctorum, nihil efficacius

eius interpellet, quàm Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum.

Septimo, laus Dei & Sanctorum, cum nihil habeamus, quo possimus Deum & Sanctos pro sua dignitate laudare, quàm Christum sacramentaliter Deo patri offerre & immolare.

Octauo, Dei amor & dilectio, vt eum inuites ad te, ac per inuiscerationem spiritualis refectionis, in te ipso eum delectabiliter amplexeris.

Nono, sitis & desiderium augendæ gratiæ, quia hoc sacramentum fontem continet gratiarum, & sanctificationum, & auctorem continet salutis, Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo dicitur Eucharistia, id est bona gratia. Cetera vero sacramenta fluenta sunt, & riuuli gratiarum, quibus sanctificamur.

Eucharistiç Etymon.

Decimo, ardor, & suspirium, quo totis visceribus virtute huius excessiuę charitatis, & dulcissimæ refectionis, cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis, & spiritus, & eripi ab omnibus periculis & tentationibus, ac inseparabiliter vniri Christo Saluatori, & conseruari in suo amore. Vnde inquit Christus: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, illi sint mecum, vt sit vnum, sicut nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.

Ioan. 17. d

CAPVT IX.

De latria quæ soli Deo debetur.

SEcundo dirige mentem tuam ad debitam intentionem & propositum, circa ea quæ agere debes. Tria autem sunt, quæ celebraturus intendere debes, scilicet Deum per latriam colere, Christi mortem memorari, & totam Ecclesiam iuuare. Primo intendas Deum per latriam colere. Cultus autem latriæ, est honor soli Deo impensus, summo creatori ex debito seruitutis, quo obligamur non solum nostra, sed nosipsos impendere pro suo honore, & pro eo mori si expedierit, ad recognitionem beneficiorum suorum, & suæ immensæ bonitatis nobis ostensæ, & hoc contrito corde & spiritu humiliato, & toto affectu, actu, & habitu, gestibus & signis prosternentes nos ante oculos suæ maiestatis, & sacrificijs, ac muneribus eum venerantes, referamus ad ipsum omnem spem nostram, & desiderium nostrum tamquam in finem vltimum, & in eum à quo omnia sperantes, propter quæ omnia expectantes, ab eo meritum, & retributionem bonorum nostrorum, & malorum, secundum retributionem iustitiæ suæ, suiq; beneplaciti.

Latria quid

CAPVT X.

De dulia.

ALijs quoq; Sanctis exhibetur honor & deuotio, quæ dicitur dulia, quę non est cultus nec adoratio, sed subrogatio, & inuocatio, vt sint apud Deum aduocati pro nobis, & omnis reuerentia, quę eis impeditur, propter Deum, cui sunt coniuncti, exhibetur. Deus autem debet à nobis in immensum timeri, & honorari, & amari. Primo ex consideratione suæ omnipotentiæ, & iustitiæ, qui nos plenissimo iure damnare potest & saluare. Est etiam summe timendus. Ex hoc enim timore oritur dolor de peccatis, pudor, suspiria, lacrymæ tunsiones pectorum, supplicationes, ieiunia, disciplinę, peregrinationes, & huiusmodi. Secundo ex consideratione suæ sapientiæ & maiestatis, summe est honorandus. Ex hoc namq; oritur veneratio & reuerentia, genuflexiones, & incuruationes, prostrationes, orationes, purificationes, consecrationes, munditia sacrorum vasorum, paramentorum ornatus, & decor, festiuitates, celebritates & sollemnitates luminarium, cantus, psalmodię hymnorum, lectionum, & huiusmodi. Tertio ex consideratione bonitatis, & clementiæ est infinite amandus. Ex hoc autem amore oriuntur gratiarum actiones, laudes, hymni, benedictiones, vota sancta, & incensationes, & huiusmodi.

Quare Deus à nobis in immensum timendus, honorandus & amãdus sit.

CAPVT XI.

De intentione celebrantis Missarum sollemnia.

INtendere debes, vt ex frequentatione diuini cultus nomen Dei in nobis sanctificetur, vt à nobis per sanctitatem vitæ glorificetur in mundo, vt crescat in orbe cultus & honor Dei, vt cognoscat totus mundus, nos esse clericos vnius veri Dei, & Saluatoris Iesu Christi. Intendere debes, & memorari Christi mortem. Et de hoc dictum est supra. Intendere debes totam Ecclesiam iuuare, vt scilicet proponas Deum orare pro Papa, Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, Rectoribus, Sacerdotibus, Clericis, Monachis, Religiosis, Monasterijs, & omnibus Christo famulantibus, pro Regibus, Ducibus, Principibus, & ceteris nobilibus, pro virginibus, viduis, orphanis, peregrinis, afflictis, captiuis, debilibus, infirmis, & pro omni populo Dei. Etiam pro paganis, schismaticis, & hæreticis, vt conuertantur ad Deum verum, & sanctæ Ecclesiæ vnitatem. Item in speciali orare debes pro aliquibus causis, charis scilicet parentibus, consanguineis, & amicis deuotis, & tibi recommendatis, ac in tua oratione sperantibus. Item singularissime pro te ipso, & si aliquem prædictorum fidelium, pręcipue propter odium vel rancorem, excludis, vt non sit particeps tanti beneficij, mortaliter peccas, agens cum odio diuina mysteria.

CAPVT XII.

De confessione çelebrantis facienda.

HIs præmissis, postquam ex ruminatione prædictorum in meditatione tua exardescit ignis in corde tuo, euome & purga feces peccatorum tuorum spiritu contrito, & humiliato, memorans quanta commisisti cogitatione, verbo, & opere, quanta bona omisisti, quæ facere debuisti, & potuisti, & veniens ad spiritualem medicum, & patrem, dic peccata non communi & generali confessione, vt quidam duri corde faciunt, palliantes folijs verborum in generali confessione sua enormia peccata, & absq; verecundia & dolore taliter proferentes, vt etiam in plateis possent taliter absq; rubore confiteri. Hæc non est confessio, sed deceptio, & derisio. Sed si vis sanari, aperi vulnera tua, & de profundo corde enarra clare, & aperte, quæ post præcedentem confessionem egisti, non solum opera, sed & cogitationes peruersas, quarum delectatio mentem maculat: non solum mortalia, sed etiam venialia grauiora, quæ conscientiam lædunt, & mordent. Cetera per modum generalem breuiter & clare exprime. Deinde peracta pœnitentia tibi iniuncta, decanta illos quinque Psalmos: Quàm dilecta; Benedixisti; Inclina; Credidi, & De profundis, cum suis versiculis & orationibus. Dic etiam, si tempus suppetit, illam orationem, Summe Sacerdos: quæ valde efficax est & deuota. Postea procedens ad altare recordare Christum euntem ad crucem, & fige cor ad ea, quæ in passione gesta sunt, legas clare & distincte ea, quæ legenda sunt, non multiplicando collectas nimias, nec alia legendo ex deuotione vel arbitrio proprio, quàm quod à sanctis Patribus institutum est.

Venialia grauiora cõfitenda.

CAPVT XIII.

Quomodo sacerdos celebrans habere se debeat infra sacrum canonem.

CVm autem perueneris ad sacrum canonem recollige mentem, ne per diuersa vagetur, appone diligentiam magnam in signis & actibus, maiorem in verbis, maximam in intentione. Primo propter continen-

tiam

etiam diuinitatis immensæ, in Memento, tam pro viuis, quàm pro defunctis, non fiat cum voce & verbis commendatio, sed tantum mente discurre per quasdam personas magis intimas, ceterasq; collige sub compendio, referens intentionem ad omnes, pro quibus antea orasti, siue orare promisisti. Dum autem perueneris ad, *Qui pridie*, dirige mentem & intentionem tuam ad faciendum id, quod intellexit Christus in sua cœna, & quod intendit sancta Mater Ecclesia. In communione autem pausa paulisper: & dic non lingua vel labijs, sed corde.

In cōsecratione quo modo intētio dirigēda.

Deuota cōmunicantium oratio.

DOmine mi quis es tu, & quis sum ego, vt præsumam te mittere in latrinam fœtidam corporis mei, & animæ meæ? Vt quid me fecisti, vt tibi iniuriam hanc execrandam facerem? Mille enim lacrymarum anni non sufficerent, ad tam nobile sacramentum semel digne accipiendum, quanto magis ego miser indignus sum, qui quotidie pecco, & incorrigibilis perseuero, & in peccatis accedo, sed in infinitum maior est misericordia tua, quàm miseria mea: vnde confisus de tua pietate præsumo te sumere.

Hæc enim duo maxime requiruntur ad congruam perceptionem sacramenti, scilicet profunda humilitas, cum annihilatione sui, & compassio mortis Christi.

CAPVT XIV.

Quomodo se habeat sacerdos post communionem sacram.

POst communionem si non sentis aliquam spiritualem refectionem, signum est spiritualis infirmitatis, vel mortis. Ignem posuisti in sinum, & non sentis calorem, mel in ore, & non sentis dulcedinem. Si vero consolationem sentis aliquam, non tibi tribuas, sed suæ bonitati immensæ, quæ etiam & malos & indignos consolatur, & dicas in corde tuo:

AD meam miseriam detestandam me conuicit beneficijs suis. Si mihi peccatori alia fecit, quid faceret si vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me mutare, & sibi semper adhærere.

Hoc autem non repures te posse tuis viribus, sed auxilio gratiæ eius. Quod ipse omnibus nobis præstare dignetur. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum:

DE INSTRVCTIONE SACERDOTIS ad se præparandum ad celebrandam Missam.

Ad sacrum faciēdum, sex in celebrante requiruntur.

AD Missam celebrandam sex consideranda sunt. Primum est rationis discretio respectu veritatis, vt scilicet sciat quis. quid recipere debeat. Quid, quia verum Deum, qui fecit cælum, & terram, & verum hominem, qui pro nobis pependit in ligno. Quis, quia homo, non bestia propter peccatum. Vnde præ ceteris repellat à se sacerdos bestialitatem peccati.

Secundum mentis deuotio ratione eius sanctitatis. Debet enim considerare, quòd quem recipimus, sanctus sanctorum est, & omnis sanctitatis origo: & ideo quantum potest sancte, & deuote accedat ad ipsum, à se expellens omnem peccati rubiginem per lacrymarum compunctionem, & omnem mentis amaritudinem, per orationis dulcedinem deuotionemq;.

Tertium est animi reuerentia respectu maiestatis, vt scilicet ad tam excellentem Dominum vereatur accedere tam vilissima creatura. Si enim ante Imperatorem non esset dignus ste homo infectus putredine, quanto magis Dominum recipere in sacramento altaris indignus, & miser homo, cuius omnes iustitiæ sunt sicut pannus menstruatæ? & si iustitiæ sunt tales, qualia sunt peccata? equidem indignissimus est ad hoc omnis homo. Consideret tamen, quòd maior dignatio sua, quàm dignitas nostra, sua benignitas, quàm miseria nostra.

Isa. 46. b

Quartum est amor, & desiderium cordis ratione suæ bonitatis. Vnde multum cauere debet homo, ne cum tædio, aut corporis torpore ad illud sacramentum accedat, in quo continetur summa bonitas, & infinita iucunditas. Vnde mirum videtur, quomodo in ista receptor homo non liquescat amore, caloreq;, & quomodo non absorbeatur suauitatis dulcore. Consideret ibi corpus Domini sui, si vult ad amorem accendi; & illius nobilissimi corporis & sanguinis cibationem, si vult desiderium prouocare, & tandem refici prouocatus.

Quintum est pro se & alijs affectuosa deprecatio, & humilis in sermone, ratione suæ clementiæ. Ab ipso enim secure potest petere, qui dixit: Petite, & accipietis: quærite & inuenientis. Et ad hoc credo maxime istud sacramentum esse, vt postuletur venia, & gratia impetretur in oblatione istius excellentissimi holocausti.

Luc. 11. b

Sextum est totius hominis diligentia, respectu suæ immensæ nobilitatis siue nobilissimæ immensitatis. Si enim cum diligentia magna quis seruit alicui principi singulari: tanto maiori diligentia debet sacerdos Domino suo ministrare, & omni vigilantia pertractare illud dignissimum sacramentum, ac si nihil faciendum esset, aut numquā aliud facere deberet. Ecce ibi debet esse attentio tota, probatio sufficiens & distincta, vt nil confusum aut diminutū fiat. Debet etiam nihilominus contractatio fieri prouida, & discreta, ac omni honestate ornata vt sic ibi omnia cum summa diligētia operetur sacerdos.

Ad hoc consulo cuilibet sacerdoti, vt præ ceteris hominibus se omni tempore ab omnibus, quæ aliquo modo cor suum habitaculum regis sui polluere possunt siue parum siue multum, tam occasionaliter, quàm actualiter elonget se quantum potest. Tunc autem præcipue, cum ad Missam vadit celebrandam, à cunctis se abstineat, quantum potest, & se totum recolligat in seipso: vt nec sensus, nec cogitatio ad illud diffundatur: suam conscientiam discutiat diligenter, & quod inuenerit lauandum, lauet abūdantia lacrymarum, vadat ad confessorem suū, & extra euomat omnia venenata: & immediate peracta pœnitentia, si tunc facere poterit, iterum recolligat semetipsum, & ad diuinam maiestatem eleuet mentem suam, & consideret diuinam magnificentiam, & ad propriam miseriā vergat, vt sic videat, quàm magnus est Dominus, & quàm paruus est seruus, immo vanus & inutilis. Intret quantum potest in Deum, & in se ipso, inquantum potest, ad nihilum redigatur, & cum fuerit abstractus, & diuinus effectus, quasi nihil aliud videat, nihil aliud sentiat, nisi Deum, & propter Deum omnia reputet vanitatem, tunc cogitet qualis fuit erga nos dilectio Dei nostri, qui sic pro vili re, immo pro tam detestabili voluit sic vnire sibi vilem, & in ea vilissima & abominabilissima tam turpia voluit sustinere. Tunc ruminet illam magnificentiā charitatis, & illo inæstimabili ardore inflammetur: & cū ignitus fuerit charitate circa dilectū, adaperiat viscera pietatis pro se vilificato, afflicto, & lethaliter vulnerato compatiatur, intra se omnia ista vulnera transformet, ac si ipsemet esset lethaliter vulneratus, & magna Christi vulnera, & nunc quantum in isto vulnere, quantum in illo passus sit, meditetur, nunc quanta fuerint illa flagella extimet diligenter. Et cum sic in ista meditatione cum Christo fuerit crucifixus, quia in isto exigitur maxime sacramento: tunc cogitet, quòd illam nobilem carnem in crucis ara immolatam pro nobis dignatus est dare in cibum & sanguinem eius effusum pro redemptione humani generis de latere suo in potum. Numquam credas quòd sanguis ille, quem recipimus in altari, sit extra corpus eius: sed tamē & effusum pro nobis in passione recipere debemus sub illa intentione. Tūc eius dilectione

Conscientia discutienda, & cor à creaturis omnibus, ad creatorem conuertendum.

Passio Christi meditāda & ex passione charitas.

circa nos consideret, & ruminet illius magnificentiam sacramenti, & hoc quantum potest: quia vix potest aliquam inuestigare scintillam tam immensi amoris Domini in hoc magnifico sacramento. Et cum bene ruminabit istud magnificum sacramentum Saluatoris, iam quadam dulcedine cęlesti inductus humiliter, & reuerenter accedat ad hoc sacramentum, & cum omni diligentia prosequatur, adhibitis & alijs circumstantijs, quas in principio huius tractatus tractaui. Cum autem recipere debuerit, aliqua poterit præmeditari, sic placet, vt posset dicat in corde suo.

Alia communicãtis meditatio.

Ad illud tam nobile sacramentum recipiendum, non sufficerent mille anni ad præparationem condignam: quanto magis ego miser & indignus sum, qui quotidie pecco, incorrigibilis perseuero, & impræparatus accedo. Quare Domine me fecisti, vt tibi execrandam iniuriam facerem, quòd te pono in latrina peccatorum animæ meæ? quoniam non est cloaca magis fœtida, quàm peccatrix anima mea. Vtinam hanc immundam animam liquis fluuius compunctionis discurrisset, vt ibi non fuisset tanta peccatorum sanies congregata. Domine, quid est hoc? numquid ibi te ponere debeo? sed in infinitum maior est misericordia tua, quàm nostra miseria: & ideò de tua benignitate confidens te præsumo sumere, vt sic infirmus accedam ad medicum dulcissimum, vt tua liberer medicina. Quanto enim plus infirmus sum, tanto plus indigeo Deus meus, & in liberatione mea magis apparebit tuæ immensitas pietatis. Accedam ad Deum meum confidenter, quia infinitæ sunt misericordiæ eius, & secum fruar bonorum delitijs. Ingrediar ergo sponsa ad sponsum, secumq; volo inseparabiliter commorari. Nolo amplius alteri adhærere, vt cum ipso solo gaudium habeam sine fine.

Hæc & alia, quæ dicere voluerit, corde dicat, non ore, quia non credo expedire ibi proferre alia, quàm illa, quæ in canone continentur.

Ad efficacẽ Eucharistiæ sumptionem, compassio Christi, & sui humiliatio requiritur.

Et nota quòd secundum meum videre, ad efficaciter recipiendum valet compassio Christi, & vilificatio & annihilatio sui, quantum potest vilis fiat, & indignus in oculis suis, qui recipere debet. Cùm autem sacramentum expletum fuerit, cogitet in corde suo, post tam nobilem cibum nolo stercora degustare, & cum ipse sit summa iucunditas, nolo de cetero affici circa aliquam creaturam. Si autem affectionem ibi nullam habuit, recogitet signum esse infirmitatis vel mortis. Ignem enim posuit in sinu, & calorem non sentit, mel posuit in ore, & dulcedinem non percipit. Et ideo talis miseriam suam recognoscat, & mutet in melius vitam suam. Si vero refectionem ibi recipit, non sibi attribuat, sed infinitæ diuinæ maiestatis bonitati, quæ se ad bonos & malos extendit, & dicat in corde.

Meditatio post cõmunionem.

In me Dominus operatur mirabilia, ad detestationem miseriæ meæ, & ad conuincendum beneficijs iniquitatem meam magnam. Nam me mortuum fecit sentire, & vermem vilissimum cælestia degustare. Si mihi peccatori talia fecit Dominus, quid faciet si correxero vitam meam, & continue voluero in melius, promouere, & cælestibus dedicare meditationibus, & sibi soli de cetero adhærere? Quod tamen facere potuit auxilio Domini, non propria virtute, & sicut cogitat, sic opere adimpleat.

ORATIO.

Alia deuota oratio post cõmunionem dicenda.

DOmine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura, nam fœtidissimus sum, horribilis sum, stercus vermisq; nequissimus, & vanissimus homo. Tu autem Deus deorum, Dominus dominãtium, omne bonum, honestum, & pulchrum, omnis vtilitas, omnis amœnitas, omnis suauitas, fons splendoris, fons melodiæ, fons odoris, fons dulcoris, fons amoris & intimus dilectionis amplexus, & tu rogas me & ego fugio: de me es solicitus, de te non curo: mihi semper seruis, & ego te semper offendo: te mihi tribuis, & ego te contemno. Me ergo vanitatem & nihil diligis, & te infinitum & inenarrabile bonum sperno, fœtorẽm, horrorem, mortalem dolorẽ tibi ô beatissime benignissime, amantissime spõse præpono. Plus me allicit creatura, quàm Creator: vanitas, quàm æternitas, detestabilissima miseria, quàm summa felicitas. Plus me inclinant sordes, quàm eleuet pulchritudo, seruitus quàm magnitudo, amaritudo, quàm dulcedo. Nam meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulẽta oscula inimici, & tamẽ plus approbo hoc affectu fraudulenta oscula, quàm vulnera diligentis. Sed ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum, sed pietatis tuæ viscera, & dolorem tuorum vulnerum, nõ quod ego sed quod tu pro me sustinuisti, considera. Si me, vt ostendis, diligis, cur me relinquis? cur fatigari permittis? Me ergo amantissime tene timore, restringe amore, quieta dulcore. Dulcissime spõse nequeo, nescio, tibi volo seruire, tibi adhęrere toto corde, immo vix pericula amare, hoc operari in me tu potes, tu scis, tu vis, & à me exigis. Quid ergo deficiã in beneplacito meo, vel tu in tuo? Obsecro, vt non præualeat homo, sed Deus, nolo in hac contrarietate deficere, nolo succumbere, sed succurre festinanter. Viuendo luxuriose, & me nimis, & tuas creaturas lasciue amando, totam meam substantiã dissipaui, nunc recognoscentem miseriam, & penuriam meã famelico appetitu ad paternę misericordiæ viscera redeuntẽ me oculis tuæ pietatis agnosce, & dignare me radijs tuæ gratiæ lætabundis occurrere, & cum amplexibus pacis, & quietis largiaris oscula.

Prou. 27. a *Tob. 3. a* *Luc. 15. c*

En recognosco quòd in cælum & in totam curiam cælestem, & Ecclesiam Romanã, immo in omnem creaturam tuam & coram te, te contempto, peccaui, & malum coram te feci, & certe non sum dignus vocari filius tuus, nec mercenarius etiam seruus, aut aliqua vilissima creatura, sed miserere mei, & dele iniquitatem meam, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris: quia dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo eius.

Ibidem. d *Psal. 50. a* *Psal. 3. a*

Obsecro, iube, vt detur mihi charitatis stola, fidei feruentis annulus in calceamentis, & eleuantis, & confirmantis spei protegantur pedes, vt sic ebrius tuo sanguine, totus in te resoluar amore.

Intret dolor tuus intima mea, & omnem amorem excipiet alienum, sim tecum crucifixus mundo, vt sic mortuus, vita mea sit tecum abscondita in Deo. O vita mea, vita felix, quæ abscondita est ipsi mundo, & sociata ipsi Christo, in Deo centro suo quietatur, vnum est mihi necessarium, & solum vnum quæro. Abscedat ergo phantasmatum multitudo, vnus est dilectus meus, vnus est amor meus Iesus Christus. Deus meus, sponsus meus. Nihil ergo sapiat, nihil delectet, nihil alliciat, nisi Iesus Christus, totus sit meus, totus sim suus, & fiat cor meum vnum cum ipso, nihil me iudicans scire vel amare, vel affectare nisi Dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Ferueus amãtis animę in Christum resignatio. *1. Cor. 2. a*

Ergo bone Iesu recollige me visceribus, refice vberibus, & inebria me vulneribus. Euigila ergo anima mea ad viscera compassionum, quibus plorauit in infantia, Super Hierusalem, super Lazarum, & in cruce, immo in illis super te, & egrediatur fluuius de loco voluptatis ad rigandum Paradisum, qui est in quattuor capita diuisus. Si enim egrediebatur fluuius lacrymarum de loco voluptatis, & omnium delitiarum, quanto magis, debet egredi de loco omnium spurcitiarum? Ergo bone Iesu summis delitijs plenus plorasti. Euigila etiam anima mea ad verba instructionum, & exhortationum, & promissionum, quia de verbo vitæ æternæ habes. Euigila ad exprobrationes, vulnera, illusiones, & occisiones, ad dolores passionis, & compassionis. Attendite, inquit, & videte, si est dolor, sicut dolor meus, immo Domine accedam, & videbo, si est amor sicut amor tuus. Et ideo nihil nisi te propter te volo amare. Tu Domine me iniquum, pessimum, & contemptorem tuum, vilissimum fœtorem stercorum, & horrorem vermium amasti tantum, vt tanta pro me dignareris pati, & sustinere, & ego te infinitum bonum, patrem pijssimum, sponsum dulcissimum omnis pulchritudinis & suauitatis fontale principium, non tantum diligam vt saltem moriar

Luca 19. f *Ioan. 11. e* *Gen. 2. b* *Thren. 1. d*

riar per te, pro te mundo, immò moriar & mihi, vt totus tecum affixus ligno, nihil sentiam nisi te, vt viuam iam non ego, viuat autem in me Christus. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Sic ergo calix continuus in corpore saltem superabundantis gratiæ radicetur in corde, melos diuinæ laudis diffundatur, quare continue ac indesinenter in ore laudabo Deum meum, in vita mea psallã Deo meo, quamdiu fuero. Iucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino, leuabo, & ostendam ei faciem mentis, & in auribus ab ore meo resonabit immensa gratiarum actio, & magnificentia suæ laudis. Recedant ergo de cetero omnia vetera de ore meo, & de anima mea: quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes, & voces. Arcum fortium superabo, & induar virtute ex alto. Gaudens gaudebo in Domino solum, & implebitur cor meum iubilo, & omnia ossa mea exultabunt in Deo meo, quia totum me offeram Saluatori meo. Quiescet cor meum in dulcedine bonitatis immensæ. Laudabo excellentiam gloriæ summæ, & sequar vestigia passionis acerbæ. Corpus conculcetur, cor eleuetur, laude vero repleatur os meum, vt die ac nocte Dei magnitudine tantæ vitæ irremissibiliter quiescant. Abscedat vanitas, accedat diuinitas, transformet charitas, & fiam totus diuinus, aperiatur cor meum aperiantur vulnera, iungantur intima, & fiant vnum cum Christo. Amen.

Gal. 2. d
Psal. 115. a
Psal. 145. a
Psal. 103. d
1. Reg. 2. a

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur:

EXPOSITIO MISSÆ.

Breuis hæc est Missæ expositio, sed plena ac referta doctrina mirabili, & eruditione non vulgari. Nam sanctus hic Doctor vel hoc solo Opusculo testatũ facit, quantum sacrorum rituum cognitione, sollemniumq; Ecclesiæ cæremoniarum obseruatione excelluerit. Igitur sacra Missæ mysteria dum breuiter exponit, & dilucide explicat, ad huius aurei Opusculi frequentem lectionem, præcipue sacerdotes inuitat, qui in eius, quod offerunt, tam sancti sacrificij meditatione iugi & assidua potissimum versari debent. Pro commoditate vero legentium, capitibus quattuor distinctus est denuo tractatus iste, vt mox infra patebit.

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

CAPVT I.

De sacerdotalibus indumentis, & eorum significatione.

Heb. 9. e

CHRISTVS assistens Pontifex. Apostolus ad Hebræos dicit illa verba de Domino Iesu, & vero Pontifice. Iste namque Pontifex tantæ dignitatis est, quod etiam pontifices, & sacerdotes nostri in omnibus, quæ in Missa faciunt, ipsum repræsentant. Vnde cum maiori reuerentia & deuotione sacrosancta Missarum sollemnia audire velitis, quid Missa significet, & quomodo Christum tam Missa quam sacerdos repræsentet, compendiose dicere volo.

Sciendum igitur, quod sacerdos primo capiti amictũ superponit, quod humerale dicitur, quod vsq; ad humeros descendit, & inter consecratas vestes cõputatur, postea albam induit, & cingulo se cingit, postea manipulum in læua manu sumit, postea stolam longam collo superponit, & eam cancellatam in pectore ad modum crucis iuxta vtrumque latus cingulotenus ligamentis applicat, postea casulam induit, & sic ad altare procedit. Si quis ex his indumentis per obliuionem aliquid omitteret, grauiter peccaret.

Quocumque indumento ex his omisso per obliuionem, celebrans grauiter peccaret.

Quid autem hæc significent, breuiter videamus.

Humerale caput cooperiens signat, quod Christus, qui est caput Ecclesiæ, diuinitatem in humanitate abscondit.

Alba munda & longa magnam Christi munditiam significat, quia Petrus dicit, quod Christus peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hanc munditiam Christus in baptismo nobis tribuit. Linea enim alba per aquam dealbatur, & Ecclesia per baptismum Christi candidatur.

1. Pet. 2. d
Singulorũ sacerdotalium indumentorum significatio.

Cingulus designat virginitatem Christi, & suæ castissimæ matris, quam nos habere docuit, dicens: Sint lumbi vestri præcincti, &c.

Luc. 12. e

Manipulus in læua est humilitas Christi in hac vita, vel manipulus in læua designat pugnam Christi pro iustitia; ipse enim pro iustitia pugnauit, mundum superauit, & diaboli potestatem deiecit, & idcirco manipulus in læua clypeum, vel pugnam pro iustitia designat. Ad hanc nos hortatur Christus, dicens: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.

Matt. 5. a

Stola longa supra collum ante cor, & vsque ad pedes dependens signat obedientiam Christi & voluntariam seruitutem pro nobis. Ipse enim pro salute nostra factus est patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, & hoc designat cancellata stola in pectore ad modum crucis. Designat etiam crux in pectore passionem Christi, quam circumferre peruigili meditatione debemus, vna cum sacerdote in corde & corpore per mortificationem terrenæ delectationis. Designat etiam crux ante pectus sacerdotis cancellata, populum Iudaicum in sinistram partem transire, qui Christum occidit, & in ipsum credere noluit. Populus autem gentilis in Christum credidit, & se in dexteram partem per fidem collocauit. Quod expressum est in Genesi, quando Iacob nepotibus suis videlicet Manasse, & Ephraim benedicens cancellatis manibus dexteram supra iuniorem, scilicet Ephraim, læuam vero supra seniorem, scilicet Manassen posuit, & ait: Benedicat Deus pueris illis.

Phil. 2. a, b
Gen. 48. c

Casula, id est, parua casa vel domus, signat cœlum & terram, quæ Christus sua maiestate implet, sicut ipse dicit per Prophetam: Cœlum & terram ego impleo. Casula etiam designat charitatem, qua diligere debemus amicos in Deo, & inimicos propter Deum, sicut Christus nos docuit verbo, & exemplo. Per anteriorem partem casulæ designantur amici, per posteriorem inimici. Vnde Christus dixit in S. Matthæo: Diligite inimicos vestros, &c.

Hier. 23. e

CAPVT II.

Missa vnde dicta, & de ingressu sacerdotis ad altare vsque ad offertorium.

DICITVR autem Missa à mittendo & repræsentat legationem inter homines, & Deum; Deus enim mittit Filium suum Christum in altari, & iterum mittit Ecclesia fidelis eundem Christum ad patrem, vt pro peccatoribus intercedat.

Item ante inceptionẽ Missæ sacerdos dicit confessionem, quia licet sit nuncius & legatus fidelium, tamen se scire de-

scire debet peccatorem esse, accusans se de peccatis suis, sicut scriptum est: Iustus in principio accusator est sui. Signat etiam confessio ante Missam, quod Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo patri, & ipse Christus in persona peccatorum dicit in Psalmo: Longe à salute mea verba delictorum meorum; quasi dicat, peccata populi mei non permittunt me viuere, sed oportet vt pro peccatoribus moriar, & sic eos patri meo reconciliando offeram.

Prou. 18. c *1. Pet. 3. d* *Psal. 21. a*

Item post confessionem sacerdos accedens altare illud osculatur, signans per incarnationem, & passionem Christi salutem & pacem Iudæis & gentibus ad fidem Christi conuersis esse nunciatam. In dextro enim cornu altaris Iudæi, in sinistro vero Gentiles designati sunt. Vnde & Missa in dextro cornu inchoatur, quia ex stirpe Iudæorum Christus humanitatem assumpsit. Beata enim virgo Maria de Regia stirpe Dauid originem duxit, quæ de Spiritu sancto Christum Dominum nostrum concepit.

Introitus Missæ.

Tandem chorus vel sacerdos introitum Missę incipit, quem omnes astantes clerici concorditer cantare debēt. Chorus namq; Græce, concordia dicitur Latine. Quod autem introitus bis cantatur, per hoc desiderium antiquorum Patrum designatur, in quorum persona Esaias dixit de incarnatione Christi, quā Prophetæ & Patriarchæ desiderabant: Vtinā disrumperes cœlos, & descenderes, quorum tandem audiens clamorem Dominus venit in mundum, sicut ipse per Psalmistam dicit: Propter miseriam inopum & gemitum pauperū nunc exurgam, dicit Dominus. Item quod introitus bis cantatur, designat, quod qui venturus erat Deus & homo in vna persona existeret. Item quod introitus bis cātatur, & in medio sancta Trinitas per Gloria Patri collaudatur, signat, quod Christus de Virgine natus, introiuit in hunc mundum, & fidem Trinitatis nobis insinuans, iterum ascendendo introiuit in cœlum: quem multi sanctorū imitati sunt, qui licet hunc mundum per natiuitatem & per propagationem carnis introierunt, & carnaliter de parentibus nati sunt; tamen per fidem Sanctæ Trinitatis in baptismo, vel effusionem sanguinis pro Christo sunt renati, & sic Angelicis choris associati.

Isa. 64. a *Psal. 11. b*

Vnde & *Kyrie eleison*, nouies decantatur, quia drachma decima scilicet humana natura, quæ perdita erat, inter nouem choros Angelorum per incarnationem Christi instauratur.

Et quia sancti Angeli de hac instauratione gratulantur, hymnus Angelorum, scilicet *Gloria in excelsis Deo*, quem ipsi in natiuitate Christi cantauerunt, per sacerdotem lætanter inchoatur, hoc signans, quod Christus propter humani generis restaurationem, incarnari dignatus est. Quæ autem in hoc hymno sequuntur, scilicet, *Laudamus te*, vsque ad finem, B. Telesphorus Papa post sanctum Apostolum Petrum numero octauus, apposuisse dicitur, licet quidam sanctum Hilarium Episcopum Pictauiensem, & doctorem præcipuum hæc apposuisse contendant.

Hymnus Angelicus à quo auctus.

Vnde sciendum, quod cum *Kyrie eleison*, cantamus, Domini Dei nostri misericordiam prouocamus, & vt nostri misereatur, inuocamus. *Kyrie eleison*, interpretatur, Domine Deus Pater miserere. *Christe eleison*, Domine Iesu Christe fili Dauid miserere. *Kyrie eleison*, Domine Spiritus sancte miserere; ymas enim Latine signat, nobis; quasi dicat Ecclesia catholica: Sancte Pater, qui Filium tuum misisti, vt ex virgine Maria nasceretur, miserere nobis, vt nouem choris Angelorum associemur. Christe Fili Dei viui, qui de virgine Maria nasci dignatus es, miserere nobis. Sancte Spiritus, qui Mariam virginem tua gratia implesti, quando Christum concepit, miserere nobis. Sic autem Trinitatem per *Kyrie eleison*, & *Christe eleison* inuocamus.

Et *Gloria in excelsis* subiungimus, vt ostendamus nos eundem Deum colere in terris, quem Angeli venerantur in cœlis.

Oratio cur collecta nuncupatur.

Post hoc sequitur Oratio, quæ collecta dicitur, eo quod omnes astantes Missæ se debeant deuote colligere, & cum sacerdote fideliter orare. Et huic orationi præmittitur salutatio, scilicet *Dominus vobiscum*, & hæc salutatio pertinet ad simplicem sacerdotem. Episcopi autem, qui sunt vicarij Christi, salutare solent populum ea salutatione, qua Christus salutauit suos discipulos, id est, *Pax vobis*; quasi dicat: Si digne sacris mysteriis interesse velitis, sitis filij pacis. De salutatione minorum sacerdotum, scilicet *Dominus vobiscum*, & responsione populi, *Et cum spiritu tuo*, sicut dicit beatus Hieronymus, cum spiritu hominis optat spiritus Dei esse, quia in spiritu rationali creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei. Hortatur autem omnes circumstantes, vt secum orent dicens: *Oremus*: Iam omnes vanitatem postponamus, detractiones, & susurrationes malas in Ecclesia abiiciamus, & deuotioni diligentissime intendamus, & orationi sacerdotis in Missa, eo quod ipse sacerdos suam, & omnium circumstantium orationem, & deuotionem, sua supplicatione colligat, & ad Deum preces fundat, quam cum concluserit, petit, vt exaudiri mereatur à Patre, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*.

Episcopi ad populum salutatio. *Ioan. 20. e.*

Vnde si exaudiri volumus, Dominum ad nos clamantem audiamus in Epistola, & eius præcepta impleamus, inquantum possumus. Epistola enim interdum ex veteri, interdum ex nouo testamento sumitur, quia vetus testamentum & nouum de Domino & eius præceptis loquuntur. Dicitur autem epistola ab epi, quod est supra, & stola, missio, quasi de supremis missa. Spiritu enim sancto inspirati prophetæ & Apostoli, locuti sunt omnes. Sciendum quod in quartis feriis quattuor temporum leguntur duæ lectiones, scilicet Prophetia, & Epistola, in quibus designatur quod omnes clerici, qui ordinandi sunt, & inuestiendi sacris ordinibus, in sequenti sabbato erudiri debent esse in veteri, & in nouo testamento, vel in duobus lectionibus designatur, quod in corpore & anima mundi debent esse. Ab hac enim quarta feria vsque ad sabbatum, clerici antiquitus examinabantur, & in sabbatho ordinandi Episcopo præsentabantur. In quo sabbatho quinque lectiones leguntur ad designandum, quod omnes, qui illo die ordines consequuntur, illuminatos debent habere sensus, vt populum sibi commissum eo melius regere valeant. Nam si cæcus cæcum ducit, &c.

Epistola. *2. Pet. 1. d* Duæ lectiones, quæ leguntur in quatuor temporibus, quid significent. *Mat. 15. b*

Debent ergo in mandatis Domini perseuerare fideliter, quæ eis in lectionibus & epistolis frequentius reiterantur, & ire de virtute in virtutem, quod Graduale designat. Dicitur enim à gradiendo. Vnde Dominus cuidam dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Graduale* autem in duobus versibus terminatur, quia in duobus præceptis charitatis, scilicet in dilectione Dei & proximi vniuersa lex pendet & prophetæ.

Graduale. *Mat. 19. c* *Mat. 22. d*

Per charitatem autem merebimur gaudia regni cœlestis, quod in Alleluia designatur. In cœlo enim sancti Deum laudant, & Alleluia interpretatur laudate Deum. Gaudium autem Sanctorum interminabile & ineffabile dicitur, quod per pneuma post Alleluia dulce & longum satis proprie declaratur. Solemus enim longam notam tonando post Alleluia super hanc litteram A, prolixius decantare, quasi dicat: Gaudium Sanctorum in cœlis interminabile & ineffabile est.

Alleluia quid significet.

Quod autem tempore mœroris Tractum pro Alleluia cantamus, in hoc mœrorem & tristitiam huius sæculi designamus.

Tractus mœrorem denotat.

Sequitur de sequentiis, *Sequentiæ* dicuntur à sequendo, quia antiquum cantum secutæ sunt. Fecit autem sequentias * Natherus Abbas sancti Galli. Quidam autem monachi Grisei sequentias non cantant, quia ipsi antiquum vsum non sequuntur in cantando. Multi etiā post Abbatem Natherū sequentias nouas fecerunt, sicut Hermannus contractus, qui fecit *Aue præclara*, & *Sancti spiritus*, & multi alij, quorum nomina longum esset dicere.

Sequētiæ, & earum auctores.

* Notgerus dicitur iste apud Trithemium, qui ex Abbate S. Galli factus est Episcopus Leodiēsis.

Quod autem dicitur ante Euangelium, sequentia sancti Euangelij, id est, sequentia quæ legi debent, sunt secundum Matthæum vel Ioannem dicta.

Sequitur

Sequitur videre, quare Euangelium in aquilonari parte legatur, & quid per hoc inſinuatur. Euangelium Græce dicitur bonum nuncians, ſiue bonum nuncium Latine. Et quid melius nuncians, quam quod filius miſſus à Patre, dicit: Venite benedicti patris mei. Quod autem Euangelium contra aquilonem legitur, hoc deſignat, quod Dominus Ieſus, qui pro nobis incarnari dignatus eſt, luciferum, & omnes aëreas poteſtates debellare venit. Ipſe enim lucifer dixit: Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ſimilis ero altiſſimo. Cui dictum eſt: Quomodo cecidiſti, &c. Igitur Euangelium legendum eſt, vt aquilo ſurgat, & auſter veniat, quod eſt dicere, vt diabolus fugiat, & Spiritus ſanctus adueniat.

Euangelium quid. — *Matt. 25. e* — *Iſa. 14. c* — *Ibidem.* — *Cant. 4. d*

Solet autem legens Euangelium populum ſalutare, & eis ſalutem Domini optare, quatenus corda circumſtantium aperiantur ad audienda & implenda verba ſancti Euangelij. Et reſpondet populus: *Gloria tibi Domine*: qui nos ad tuam doctrinam vocare, & tuo ſanguine redimere dignatus es.

Signant autem ſe fideles ſigno ſanctæ crucis in initio Euangelij, ſicut & legens Euangelium, vt ad intelligenda verba ſancti Euangelij ab inanibus cogitationibus mundentur, & à Domino audire mereantur, quod diſcipuli à Domino meruerunt audire: Iam vos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Debent etiam verba ſancti Euangelij ſtãdo, & denudato capite ab omnibus, & ſine baculo vel reclinatorio cum reuerentia & tremore audire, quia Dominus nudam & apertam veritatem in Euangelio prædicauit. Vnde male faciunt, qui eo tempore genua flectunt, vel in oratione procumbunt. Dominus enim Ieſus Chriſtus dulciſſima verba, & melliflua prædicauit, quæ etiam ab extraneis commendata ſunt. Vnde legitur in Euangelio Ioannis, quod quidam eius verba audientes dixerunt: Numquam locutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur: Et mirabantur de his, quæ procedebant de ore Dei. De mirabilibus autem & de ſignis, quæ in Euangeliis leguntur, ſtatim lecto Euangelio laicis aliquid eſſet dicendum.

Ioan. 15. a — *Ad Euangeliũ ſtandum eſt.* — *Ioan. 7. g* — *Luc. 4. d*

Poſt hoc ſequitur: *Credo in vnum Deum*, quia omnia quæ Chriſtus prædicauit, & Euangeliſtæ ſcripſerunt, firmiter credere debemus. Hanc fidem catholicam Græci Symbolum vocant. Eſt autem triplex Symbolum à ſanctis Patribus editum. Primum videlicet, Credo in Deum, quod ad horas ſolet dici. * Hoc Symbolum ſanctiſſimi Chriſti Apoſtoli per ſingulas particulas compoſuerunt, & hanc fidem Apoſtoli per totum orbem diuulgauerunt. Sed ſciendum, quod huic fidei catholicæ hæretici fortiſſime reſtiterunt impugnantes eam. Sanctiſſimi autem Epiſcopi 318. inter quos B. Nicolaus dicitur fuiſſe, concilio Nicæno habito poſt tempora Apoſtolorum anno 320. hanc fidem catholicam ab Apoſtolis editam diligentiſſime elucidare curauerunt, & ſymbolum hoc ſcilicet Credo in vnum Deum, quod in Miſſa canitur, ediderunt, & in Miſſa cantari ſtatuerunt. Quod ſtatutum in concilio Conſtantinopolitano à multis ſanctis Epiſcopis, inter quos dicitur fuiſſe B. Auguſtinus, valde approbatum & firmatum eſt. Tertium ſymbolum, quod ad horam primam dicitur, ſcilicet, Quicumque vult, B. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus dinoſcitur ediſſe. Et hæc dicta de ſymbolis ſufficiant.

Symbolũ triplex. — ** Legendus eſt Auctor de hac re ſerm. 8. in Hexaem. to. 1. & Cõtil. par. 3. ſect. 38. & Dieta ſalut. tit. 5. to. 6.*

CAPVT III.

De Offertorio, & aliis, vſque ad canonem Miſſæ.

SEQVITVR videre de Offertorio. Dicitur autem offertorium ab offerendo, eo quod populus oblationes ad altare deferens, deuotum & fidelem ſe eſſe Deo oſtendat. Nam ſicut ſacerdotes ſolent gaudere, ſi multi ad offerendum veniant: ſic Apoſtoli gaudebant, quando multi populi ſe Deo offerebant, & fidei catholicæ obediebant, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur. Solet autem ſacerdos ante offertorium populum per, Dominus vobiſcum, ſalutare, & ad orandum per Oremus inuitare: quia ordo conueniens eſt, vt poſt prædicationem Euangelij iam lecti, ſequatur in corde latus, in ore fructus, in opere fides. Præterea & offerẽda dicitur, quia Domino ſacrificium laudis offertur. Sacerdos enim acceptis oblationibus à populis calicem præparatum vino & aqua, & hoſtia à miniſtris, poſt hoc liber canonis, & præfationis ad ſiniſtrã partem defertur, iuxta quam partem & Euangelium legi ſolet, ſicut ſuperius dictum eſt: quia gentes doctrinam Chriſti & Apoſtolorum, quæ in ſiniſtro cornu altaris figuratæ ſunt à Iudæis, & deuotius quam Iudæi ſuſceperunt. Iudæi enim, exceptis paucis, doctrinam Chriſti repulerunt, & Apoſtolos de Iudæa eiecerunt. Ita, vt ipſi dicerent Iudæis: Vobis quidem verbum ſalutis miſſum eſt: ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Vnde ſi vnum lumen tantum ad Miſſam habeatur ante Euangelium, ad ſiniſtram partem altaris ponendum eſt: quia cereus fidem ſignat, quia in Chriſtum credimus nos, qui ex gentibus venimus.

Offertorium vnde dicatur. — *Act. 13. g*

His itaque peractis calix cum patena adaptatur, in quo vinum cum aqua limphatur, & cum oblata adhibita ſuper altare eleuatur.

Sciendum quod altare quadrangulum deſignat crucem Chriſti quadratam. Calix ſepulchrum Domini. Patena lapidem ſuperpoſitum. Corporale ſindonem mundam, in qua inuolutum eſt corpus Domini. Rotunditas hoſtiæ Trinitatem, & æternitatẽ Dei. Rotunditas enim fine caret & initio. Æternitas etiam caret initio, & fine non clauditur, quod in fine collectarum, quando *Per omnia ſæcula* dicitur, declaratur.

Altare, calix, patena, corporale, rotũditas hoſtiæ, quid ſignificet.

Altare quando ab Epiſcopo conſecratur, in quattuor cornibus ad modum crucis oleo perungitur. Et Eccleſia ſanguine Chriſti ſimiliter eſt peruncta. Vnde cantatur: *De crucis ſtipite, quem ſacer cruor perunxit*, &c. Item altare pannis albis & mundis cooperitur, & crux Chriſti humanitate eius in ea pendente decoratur. Item in altari ſanctorum reliquiæ abſconduntur, & in cruce Domini maxima myſteria reperiuntur, videlicet longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.

Altaris conſecratio.

Quod autem in calice aqua admiſcetur vino, nunc dicendum eſt: debet enim in modica quantitate vino admiſceri, videlicet vt aqua omnino abſorbeatur à vino. Si enim, quod abſit, multitudo aquæ in calice miſceretur, ita vt aqua vinum vinceret, & eius ſaporem tolleret, ſacerdos ſanguinem Chriſti nõ conſecraret, & negligentiam magnam committeret. Aqua enim deſignat populum: Vinum Chriſti Deitatem. Quando autem aqua admiſcetur, populus Chriſto adunatur. Vnde valde timendum eſt, ne aqua omittatur, & cauendum ne populus à Chriſto ſeparatur.

Mixtio aquæ cum vino in calice.

Hoſtia autem iuxta calicem locatur, quia Chriſtus pro Eccleſia immolatur. Hoſtia etiam de multis granis conficitur, & cum aqua adunatur, ſimiliter & vinum ex multis racemis liquatur; per quæ datur intelligi, quod Chriſtus cum multis membris per aquæ baptiſmum ſibi coniunctis, vnum corpus efficitur. Vnde dicit Apoſtolus ſuper hoc verbo: Et erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. In feſtis autem præcipuis, calix & hoſtia ſimul & altare, cum thuribulo incenſantur. Per quod ſignatur, quod fidelis populus vna cum ſacerdote orationes ſingulas, vel ſpeciales ad Sanctos facere debent, quorum ſolemnitatem ſpecialiter peragunt. Sacerdotes enim in ſollemnitatibus, collectas, præfationes, communicantes in canone, mutare ſolent: ſic & populi circumſtantes ſpeciales orationes Deo, & ſanctis mittere debent. De his dicitur in perſona Eccleſiæ: Dirigatur oratio mea, &c.

Epheſ. 5. g — *Pſal. 140. a*

Deinde præparato calice, & thurificato, ſacerdos ſe humiliare ſolet in oratione, & inclinare, poſtea ad populum ſe vertens, vt pro ſe oret, ſilenter petit. Quid autem hoc ſignificet, breuiter videamus. In Euangelio legitur, quod ad prædicationem Chriſti multi conuertebantur, ita vt Phariſæi dicerent: Ecce mundus totus poſt eum abiit; &

abiit; & propter resuscitationem Lazari collegerunt Pharisæi concilium, vt non solū Dominum Iesum Christum, sed etiam Lazarum interficerēt resuscitatum; propter quod quia Christi nondum aduenerat hora, scilicet vsque ad diem palmarum se occultabat, & secreto orabat, & docebat, quod silentium & inclinatio post offertorium significat. Item post diem palmarum discipulos orare hortatur, scilicet ante parasceue, ne intrent in tentationem: quod orare ante secretam sacerdotis ad populum se vertentis indicat.

Ioan.12.b
Ioan.11.g

Secreta autem occultam orationem significat, in qua sudor sanguineus de corpore eius distillabat. Item Dominus noster Iudæis obiecit, quod occiderunt prophetas, & ad se missos, cum monita sua spernerent, dixit ad eos: Dico vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus, qui venit in nomine Domini, &c. & sic ab eis recedens, vsque ad præfinitum tempus à patre se occultabat. In die autem palmarum, vt dictum est, se eis humiliter offerebat in asino sedens. Tunc adimpletum est, quod dixerat. Nam pueri Hebræorum cum multa turba, quæ conuenerat ad diem festum Paschæ, clamabant dicentes, Benedictus qui venit. Et Osanna, &c. quæ omnia sacerdos in Missa repræsentat, quando post secretam, *Per omnia sæcula* alta voce decantat, & præfationem, & *Sanctus*, vsque ad *Osanna in excelsis* in Ecclesia pronuntiat.

Mat.23.d
Mat.21.b

Præfatio.

Sciendum, quod in Præfatione tangitur prærogatiua non paruipendenda. Ecclesia enim militans in terris, petit admitti voces suas cum spiritibus & virtutibus Angelicis in cœlis. Quod vtique fit, si iuxta admonitionem sacerdotis corda sursum habemus ad Dominum, non ad terrenum desiderium: quia sine dubio ima summis coniunguntur; scriptum est enim: Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ, id est, Angeli. Cum quibus nostras voces cum spiritibus & virtutibus Angelicis, in cœlis admitti petimus sine fine dicentes ter: *Sanctus*, quia trinus & vnus est Deus. Et ideo tribus vocibus, *Sanctus* cantamus, quia Deum potentem in cœlo, in inferno, &, in terra pronunciamus, ita vt in nomine Domini omne genu flectatur, &c. vel ideo ter, *Sanctus*, cantamus, quasi dicat: Omnipotens Deus Sanctus es, fideles tuos in terra protegens. Sanctus es, Angelos in cœlis, & omnes sanctos inenarrabili gaudio replens, & hi exercitus tanguntur in hoc verbo Sabaoth, quod interpretatur exercitus. Benedictus ergo, qui venit in nomine Dei Patris, & pro salute nostra carnem assumere, & crucem subire dignatus est. *Osanna in excelsis*.

Mat.24.c

Sanctus quare ter replicemus.
Philip.2.b

Osanna interpretatur salua, & saluifica; quasi dicat Ecclesia: Qui potens es in excelsis, salua nos Christe existentes in terris. Quod autem Osanna bis cantatur, duplex stola vel gloria Sanctorum, scilicet corporis & animæ per hoc insinuatur. Hic est notandum, quod in tribus linguis nominatissimis Missa cantatur, scilicet Hebræa, Græca, & Latina, per hoc intelligi datur, quod omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris. Hebræa sunt Sabaoth, Osanna, Amen, Alleluia, & his similia. Græca sunt, Kyrie eleison. Latina, Euangelia & Epistolæ, & cætera. Titulus etiam crucis hoc repræsentat, scilicet: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, qui Græce, Hebraice, & Latine scriptus fuit.

Osanna vox Hebræa quid.
Phil.2.b
Ioan.19.d

Item ante canonem sacerdos digitos lauat, per quod intelligi datur, quod solummodo baptizati interesse debent consecrationi corporis Christi. Caueat autem sacerdos ne digitos lotos, postquam eos lauit & extersit, de cetero disiungat, excepto, quando facit signum crucis super sacrificium salutare, vel quando hostiam tangit. Non enim debet eisdem digitis quidquam nisi hostiam tangere, quousque eos in calice post sumptionem sacramenti lauet.

Quomodo seruandi mundi digiti, quibus Christi corpus contingimus.

CAPVT IV.

De totius Canonis Missæ explicatione.

SEQVITVR videre de canone Missæ, quem diuersi sancti composuerunt. Sed quidam scholasticus Romanæ Ecclesiæ ad petitionē Apostolici, regulariter eum ordinauit. Nam fortissimam & sanctissimam distinctionem, quam Christus edidit in medio canonis, sicut cor hominis in medio posuit. Cor enim hominis dicitur in medio corporis positum: sic & sacratissima verba, cum quibus sacerdos corpus Christi, & sanguinem conficit in medio canonis reperiuntur, quasi Rege diuino in medio existente, & sancto exercitio circumstante. Multi enim Sancti, scilicet Gelasius, Damasus, Gregorius, Leo, Sergius Papa, & ceteri multi diuersas clausulas apposuerunt. Sed Apostoli solummodo hanc clausulam: *Qui pridie*, cum Pater noster dixerunt, & sic Missam cantauerunt. Canon enim discrete & sub silentio legendus est. Discrete, vt verba canonis, nec nimis velociter syncopando, vel nimis protrahendo circumstantibus generet tædium. Vnde Ecclesia statuit, vt canon deuote, & sub silentio legatur, quod silentium humilitatem Christi in sua passione indicat, quia coram præside stans, diiudicatus nihil dicebat, & sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum.

Greg. Regi. li.7. epi.63. Scholastici auctor Canonis Missæ scribit.
Sacri canones Missæ auctores.
Silentium Missæ, Christi humilitatem refert.
Isa.53.c

Est autem initium canonis: *Te igitur clementissime Pater.* Vbi notandum est, quod hæc coniunctio *igitur*, ad Præfationem & ad *Sanctus* refertur, quæ ante canonem cantata sunt; quasi dicat sacerdos in persona Ecclesiæ: Quia admisisti omnipotens Deus, vt te cum sanctis Angelis laudaremus, & idem clamaremus: Ideo *Clementissime Pater te supplices rogamus ac petimus* per Iesum, *vti*, id est, vt *accepta habeas hæc dona*, id est, benedicas. Sciendum autem, quod diuina prouidentia factum est, vt canon ab hac littera T, inciperet, quæ sui forma signum crucis ostendit in figura. In plerisque sacramentariis, id est, canonum libris, imago crucifixi depingitur, vt non solum intellectus litteræ, verum & aspectus figuræ memoriā Dominicæ passionis inspiret. Littera namque T, mysterium crucis insinuat, dicente Domino per Prophetam: Signa Thau in frontibus virorum dolentium & gementium, ne ab Angelo percutiatur. Et quod in frontibus per confirmationem & vnctionem Dominicæ passionis deuotissime teneamus. Vnde statutum est à sanctis Patribus, ne quisquam sacerdotum in aliquo altari Missam celebraret, nisi ibi imago posita fuerit crucifixi. Quam sacerdos intuens, & brachia extensa in ea cernens pro populi delictis exorando, brachia sua ad eum extendere ad modum crucis nullatenus erubescat. Paulus namq; dicit: Mihi absit gloriari nisi in cruce, &c.

Missæ canon cur à littera T, exorditur.
Ezec.9.b
Corā crucifixi imagine sacrificiū peragatur.
Gal.6.d

Vnde quia de sancta cruce, vel de signis crucis hic mentio habita est, pauca de mysterio crucis hic inserantur. Ipsa namq; crux est imperium super humerum Saluatoris. O signum inæstimabile, & sacramentorū vbertate refertum. Crux est lignum vitæ in medio paradisi, quod quattuor Euangeliorum flumina rigant. Crux est charitas, id est, cubitus, in quo consummata est arca, id est, Ecclesia. Crux est ara, super quam Abraham immolauit Isaac filium, id est, pater cœlestis Dominum Iesum Christum. Crux est lignum, quod missum est in Marath, id est, in mundū, & dulcoratæ sunt aquæ legis, quia per crucem discimus inimicos diligere, quod vtiq; legi veteris testamenti contrarium est. Ipsa enim dicit, Odio habebis inimicum tuum, & oculum pro oculo, dentem pro dente. Crux est virga cum qua petra percussa est, id est, Christus, & egressa sunt flumina largissima sanguinis & aquæ, quibus animæ nostræ sanantur & lauantur. Crux est palus, in quo erecto serpēte æneo, id est, Christo omnes, qui eum fideliter aspiciunt, liberātur à morsibus serpentum ignitorum id est, diabolorum. Crux est cithara, in qua noster Dauid, id est, Christus psallebat, quando in ea pendebat, & malignorum spirituum impetus à Saule, id est, ab humano genere refrenabat. Crux est duo ligna, quæ colligebat vidua Sareptana, id est, Ecclesia, vt sibi & filio panem faceret, quia in cruce panis, id est, Christus Dominus decoctus est. Crux est lignum Elisæi, ad quod ferrum de profundo natauit, quia per lignū crucis de abysso mortis sumus extracti, & hoc ab Elisæo caluo habemus, id est, Christo in cruce denudato, vel

Sacræ crucis encomium atque figuræ.
Isa.9.b
Gen.2.b
Gen.6.c
Gen.22.
Exo.15.f
Exo.21.e
Exo.17.c
Num.21.b
1 Reg.16.d
3 Reg.17.b
4 Reg.6.b

in monte

in monte Caluariæ crucifixo. Crux est lignum, de quo dicunt Iudæi per Hieremiam prophetam: Venite, mittamus lignum in panem eius, id est, Christum in cruce interficiamus. Crux est palma quam Christus ascendit, & fructus eius apprehendit, id est, redemptionem nostram. Crux est clauis Dauid, quæ ianuam cœli aperuit, & nos intromisit.

Hier. 11. d
Cant. 7. c
Apoc. 3. b

Trina crucis signatio quid mysterij habeat.

Quod autem tres cruces supra calicem & hostiam per manus sacerdotis signantur, quid significent, videamus. Signant enim tres traditiones, quibus Filius Dei traditus est in mortem. Traditus enim est Filius à Deo patre, sicut dicit Apostolus, Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; hoc primum signum signat, vbi dicit, *Hæc dona*. Item tradidit Filius seipsum, de qua traditione dicit Isaias; Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est; & hæc traditio signatur, cum dicitur: *Hæc munera*. Deus enim hoc munus valde libenter acceptat. Item Christus traditus est à Iuda discipulo, & hoc in malo, de qua traditione dicit Matthæus in Euangelio: Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: Quemcumque osculatus, &c. & hæc traditio significatur in hoc verbo, *Hæc sancta sacrificia illiba a*. Quia enim Christus sine peccato natus est, & sine peccato vixit, & innocenter occisus est, ideo eius mors sancta est, licet eum Iudas mala intentione tradiderit. Quod additur, *Sacrificia illibata*, id est, prius non immolata, ad hoc respicit, quia sacerdos nouum sacrificium in altari posuit, quod adhuc consecrari debet, scilicet panem & vinum; vel *illibata*, id est, intacta, vel immaculata; & sic refertur ad ipsum Christum, quem peccatum non tetigit, nec fœdauit, sicut dicit Apostolus: Qui peccatum non fecit, &c.

Rom. 8. f
Isa. 53. d
Mat. 26. e
1. Pet. 2. d

Sequitur: *In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*. Vtile est valde pro sacrosancta matre Ecclesia orare. Nam qui libenter pro ea orat, omnibus bonis eius particeps fit. Orat autem sacerdos cum circumstantibus, & se petit exaudiri à Patre, per Iesum, id est, propter Iesum Christum Filium suum, vt dictum est; quasi dicat, Si nos propter peccata nostra exaudiri non meremur, saltem propter Filium tuum nos exaudire digneris, vt Ecclesiæ tuæ pacem tribuas, & eam custodias: quia nisi eam custodieris. frustra vigilat, &c. & pacem non habebit. Digneris etiam eam adunare, quia omne regnum in se diuisum desolabitur, & si tu eam non rexeris, per multa schismata turbabitur.

Psa. 126. a
Luc. 11. c

Sequitur: *Vna cum famulo tuo Papa nostro*. Hic est notandum, quod in omni Missa Apostolici memoria habenda est: quia hoc est in conciliis statutum. Debet autem sacerdos non nominare nomen Apostolici, sed per memoriam nominare.

Concil. Vasen. tempore Leon. I. c. 4. & 5. Burchard. 1. lib. Decretal. c. 230.

Sequitur: *Et Antistite nostro*, id est, Episcopo.

Sequitur: *Et Rege nostro*, scilicet Romanorum, similiter cordetenus cogitabit. Ecce quam fideliter sacerdos coniunctus Deo in Missa pro Ecclesia catholica, pro iudicio spirituali & sæculari orat.

Sequitur: *Et omnibus orthodoxis, atque catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus*. Ista clausula intelligitur de omnibus Cardinalibus, Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & ceteris Ecclesiæ præpositis, vel sacerdotibus, & eorum subditis, pro quibus in Missa orandum est.

Sequitur: *Memento Domine*, &c. Hic attendendum est, quod in hoc loco sacerdos tenetur orare pro omnibus, qui ei aliqua beneficia impenderunt.

Sequitur: *Et omnium circumstantium*. Ecce hic sacerdos orat pro circumstantibus, & eos Deo recommendat, quasi dicat: O Deus, tu eorum fidem & deuotionem melius nosti, quam ego: ergo corrige in eis, quidquid corrigendum in eis inueneris.

Sequitur: *Qui tibi offerunt*, vsque *Deo viuo*, quasi dicat sacerdos: Omnipotens Deus hoc sacrificium laudis offerunt tibi circumstantes, & pro quibus orauimus, *Pro se suisq; omnibus*, vsque, *Deo viuo, & vero*, & *reddunt vota sua*. Nota, quod Patrem Domini nostri Iesu Christi vna cum Spiritu sancto, Deum viuum & verum appellamus, ad differentiam deorum non viuorum, nec verorum, sed idolorum, quibus gentes sacrificabant. Vnde Psalmista: Simulachra gentium, argentum, &c. & iterum: Os habent & non loquentur; & ideo qui non vident, nec audiunt, quomodo alios exaudire possunt? minime.

Psal. 113. b
ibidem.

Sequitur: *Communicantes*, vsque, *Iesu Christi*. Hic extra vnitatem Ecclesiæ non est locus offerendi sacrificium, & ideo memoriæ Sanctorum communicamus, quatenus in communione Sanctorum sacrificia offeramus; quasi dicat: Ecclesia militans in terris, & si nos propter peccata nostra non meremur exaudiri, communione, id est, cœtu Sanctorum, scilicet beatæ Virginis, & Apostolorum, Martyrum, & Sanctorum omnium exaudiri mereamur. Inuocamus enim illos, repellere eos non potes, & quia exauditione digni sunt, & nos vna cum ipsis exaudire digneris. Quare autem commemoratio Confessorum non fit in canone sicut Martyrum, duplex est ratio. Primo, quia martyr Græcè dicitur, testis Latine. Martyres autem solummodo in canone positi sunt, quia testes passionis existunt, & pro Christo martyrium pertulerunt. Secunda ratio est, quia canon à beato Gelasio Papa, vel à quodam scholastico, sicut dictum est, editus fuit antequam festa Confessorum celebrarentur. Potest enim sacerdos Missam cantare de confessore, sed oretenus non nominet eum in canone. Tandem subiungat: *Et omnium Sanctorum tuorum*, &c. quod vbique sacerdos in canone facere potest. Et quoniam multæ filiæ, id est, animæ Sanctorum congregauerunt diuitias sanctitatis, beata virgo Maria supergressa est vniuersas. Ideo prima in canone ponitur.

Cur non fiat in canone Missæ confessorũ commemoratio.

Prou. 31. d

Sequitur: *Quorum meritis*, &c. Sicut & Moyses orauit dicens: Memento Domine Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti, &c. ac si dicat, facilius me exaudies, quia sanctorum memoriam me facere iubes. Ecce quomodo in Missa ima summis coniunguntur, & terrestres quodammodo efficiuntur cœlestes, quia militantes in terris, triumphantibus Sanctis in cœlis per orationem canonis vniuntur. Vnde sequitur: *Hanc igitur oblationem*, vsque ibi: *Diesque nostros in tua pace disponas*, quæ beatus Gregorius dicitur apposuisse; & vere verba satis plana sunt: ideo dimittantur.

Exo. 32. e

Sequitur: *Quam oblationem*, &c. Hic videndum est, quare quinq; signa crucis fiant super calicem & hostiam. Sed sciendũ est, quod per diuersa & multiplicata signa, quæ in canone sunt, diuersa genera tormentorum, quæ pro nobis sustinuit Christus, designantur. Hæc igitur signa significant, quod Christus in sensibus secundum carnem passus est, vt sensus nostros illuminaret. Passus est enim in visu per velationem, in auditu per derisionem, in gustu per fellis & aceti potationem, in odoratu per fœtentium corporum, quando passus est in loco Caluariæ, corruptionem, in tactu per clauorũ confixionem. Item in tribus signis, quæ in hoc loco communiter super calicem & hostiam fiunt, possunt designari tria genera hominum, quibus Christus venditus est à Iuda, scilicet Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi. Isti enim Christum emerunt, & eum quasi maledictum & proscriptum tractauerunt. Sed Sacerdos econtrario dicit, Christum esse oblationem, *Benedictam*, quia benedictus fructus ventris Mariæ: *Ascriptam*, quia Iesus in scripturis vocibus prophetarum præsignatus, assistit pro nobis faciei diuinæ: *Ratam*, quia regnum eius durat sine fine. Quod autem duæ cruces specialiter super calicẽ & hostiam fiunt, signat, quod Iudas venditor & quidam emptores, qui ad fidem per pœnitentiam non redierunt, propter hoc corpus & animam perdiderunt.

Crucis signa cur quinq; super calicẽ & hostiã fiant.

In hac autem clausula subsequitur: *Rationabilem, acceptabilem facere digneris*; quasi sacerdos dicat: Iudæi in veteri testamento obtulerunt oblationem irrationabilem, id est, iumenta muta & ratione carentia: sed tu sanctissime, & clementissime Pater facere digneris oblationem nostram rationabilem, vt apud te pro nobis rationem reddat. *Acceptabilem*, quatenus tibi placeat, & nos tibi ac-

tibi acceptabiles efficiat. Ita vt panis in altari positus fiat nobis *corpus*, quod corpora nostra viuificet, ne æternaliter moriamur, & vinum *sanguis*, qui animas nostras sanctificet, ne perpetue damnemur, & hoc dilecti filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui, scilicet Christus, corpus & animam saluare potest.

Sequitur: *Qui pridie, quam pateretur*, hoc est, quinta feria ante parasceuem, *accepit panem in sanctas*, vsque, *Benedixit*. Nota quod in hoc loco signum crucis cum verbo sonat. Sciendum autem quod Sancta Trinitas in hoc loco, cum sacerdote panem, & vinum mirabili & occulta, & inestabili benedictione, his verbis prolatis, *Hoc est corpus*, &c. *Hic est calix*, &c. veraciter benedicit panem & vinum in verum corpus & sanguinem Christi mutando.

Sequitur: *Simili modo*, Postquam autem sacerdos hæc omnia peragit manus ad modum crucis ad vtraque cornua altaris extendit passionem Domini repræsentans, & nihilominus per hoc insinuans, quod Christus Dominus pro Iudæis & Gentibus passus est, qui in vtrisque cornibus altaris designati sunt, vt dictum est, ita vt ipsi ad viam veritatis redeant, & fidem catholicam imitentur.

Multis de causis corpus Christi in Missa eleuatur.

Nunc autem videndum est, quare in Missa sacerdos corpus Dominicum in altum leuat, & fidelibus astantibus ostendit. Corpus Domini nostri Iesu Christi multis de causis eleuatur à sacerdote in Missa. Quarum prima & præcipua est ad gratiam Dei patris, quam peccatis nostris perdimus, obtinendam. Solo enim peccato offenditur & irritatur, sicut dicit Psalmista: Irritauerunt Deũ in adinuentionibus suis. *Psal.105.c* Sacerdos igitur eleuat in altari corpus Christi; quasi dicat: O pater cœlestis peccauimus, & te ad iracundiam prouocauimus. Sed nunc respice in faciem Christi filij tui, quem tibi præsentamus, & te ab ira ad misericordiam prouocamus. Ne ergo auertas faciem tuam à puero tuo, scilicet à filio tuo, sed memento quod dixeris de eodem filio tuo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Mat. 3.d 17.a* Corrige ergo in nobis misericorditer propter eum quidquid inueneris corrigendum, & conuerte nos ad te, & auerte iram tuam à nobis.

Secunda causa, quare eleuatur, est ad impetrandum & obtinendum omne bonum, quo in præsenti vita & futura necessarij sumus. Bonum igitur, quod in hac vita indigemus, est pax peccatoris, quam nemo nisi à peccato mortali solutus habere potest. Hæc est pax, de qua Christus dixit discipulis: Pacem meam do vobis. *Ioan.14.d* Secundum bonum est charitas, & hæc virtus valet ad præsentem & ad futuram vitam. Charitas namque in hac vita hominem dirigit, & ad vitam æternam perducit. Vnde Ioannes dicit: Qui manet in charitate, in Deo manet. *1 Ioan.4.c* Eleuat ergo sacerdos corpus Christi; quasi dicat circumstantibus: Si obtinere vultis, quod cupitis, pacem inter vos habete, & charitate mutua diligite, quia Christus per mortem suam nos Deo & Angelis pacificauit, & per charitatem nobis æterna gaudia comparauit.

Tertio eleuatur corpus Christi, ad remunerandum ius nostrum, quod habemus in cœlo iam in spe, sed tandem habituri sumus in re. Ius nostrum, quod in cœlo habemus, est vita æterna. Vnde Ioannes in suo Euangelio ponit verba Christi, sic dicentis: Ego veni in mundum, vt omnes imitatores mei, scilicet, vitam habeant in præsenti, & habeant abundantius in futuro. *Ioan.10.b* Vnde hoc ius nostrum scriptum est in priuilegio nostro, id est, in Christo, & hoc stylo ferreo, quia lancea latus eius apertum est, & pedes & manus clauis confixæ. Vnde eleuat sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat: O vos Angelici spiritus, qui hic præsentes assistitis, testes sitis, quod vita æterna nostri iuris est, & ad hoc confirmandum eleuamus priuilegium nostrum, id est, Christum pro nobis passum.

Quarta ratio est, quia eleuatur corpus Christi ad ostendendam potentiam Dei. Magna enim est potentia Dei, quia ad prolationem istorum verborum: *Hoc est corpus meum*, panis in corpus Christi transsubstantiatur; *Luc.22.c* hæc est mutatio dexteræ excelsi, & transcendit omnem sensum. Eleuat ergo sacerdos corpus Christi; quasi dicat, Prius vidistis panem in altari, sed modo consectatione peracta, videte verum corpus Christi. Si ergo Deus tam potenter potuit talem mutationem facere, potens est, & nos mutare de culpa ad gratiam, & postmodum ad gloriam.

Quinta ratio, quia eleuatur corpus ad declarandam sapientiam Dei. Mira enim & inenarrabili sapientia se ostendit Christus nobis inuolutum, de qua inuolutione dicit nobis Isaias: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator. *Isa.45.a*

Vt quid Dominus in sacramẽto sub speciebus lateat.

Sciendum in hoc loco, quod Deus & Dominus noster Iesus Christus multis de causis in forma panis se abscondit. Nam si in altari sic appareret sicut est, vel sicut in cruce corpus eius distensum est, multi eum sumere terrerentur, & irent retrorsum, iuxta quod in Euangelio dictum est: Multi enim discipulorum, nouorum Christianorum, cum audissent, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, ex hoc territi abierunt retrorsum, & iam cum illo non ambulabant. *Ioan.6.g* Putabant enim, quod deberent eum per membra secando discerpere, & sic manducare, quod vtiq; humanæ fragilitati fuisset horribile. Sed ipse in cœna corpus & sanguinem suum sub visibili specie velauit, & populis manducandum tradidit. Aliæ adhuc sunt rationes, quare velatur, quas prætermitto.

Sexto eleuatur corpus Christi in altari, ad ostendendam eius largitatem. Quæ enim maior largitas, quam vt homo manducet panẽ Angelorum? Eleuat ergo sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat: O fideles Christi gaudete, & aspicite. Hæc est enim cœlestis præbenda Angelorum, quam nobis transmisit largissimus Rex cœlorum, vt omni gratia & benedictione repleamini, & hoc tangitur ibi, *Vt quotquot ex hac altaris participatione*, vsq; ibi, *Omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Sed væ illi, qui corpus Domini, hanc scilicet sacratissimam præbendam, sumere non curat, & se ab eo alienat, de quo dicit Elisæus propheta in libro Regum: Videbis, & non gustabis. *4.Reg.7.a* Multi namque vident corpus Christi, sed heu non gustant, & se per peccata grauia ab eo alienant.

Septimo eleuatur corpus Christi, ad ostendendã bonitatem Christi. Quæ enim maior bonitas, quam quod Christus dignatur captiuus esse in altari? Vnde de ipso dicit in persona Hieremiæ Prophetæ: Ecce ego in manibus vestris sum, quod bonum & rectum est in oculis vestris facite mihi. *Hier.26.d* Nota, quod dum aliquis dux propter suos captiuus tenetur, non dimittitur nisi det magnam pecuniam: sic nec nos Christum captiuum dimittere debemus, nisi remissionem peccatorum nobis tribuat, & regnum cœleste ab eo accipiamus. Eleuat ergo sacerdos corpus Christi in altari, quasi dicat: Ecce quem totus mundus capere non potest, captiuus noster est, ergo eum non dimittamus, nisi quod petimus, prius obtineamus.

Octauo eleuatur corpus Christi ad lætificandam Ecclesiam sanctam per vexillũ exercitus. Vnde omnes, qui sub vexillo illo militant, gaudium & fortitudinem accipiant. In pugna enim & militia omnes sumus. Vnde Iob: Militia est vita hominis. *Iob 7.a* Eleuat ergo Sacerdos corpus Christi in altari, quasi electis dicat: Nolite timere, secure pugnate. Ecce vexillum nostrũ, quod propter nos in cruce rubricatum est & depictum. Ecce Dominus Iesus in medio nostri est.

Nono eleuatur, ad Christum imitãdum & sequendũ. Vnde vt peccatores eum sequi velint, & non desperent de spe veniæ, Christus filius Dei, patri latus præsentat, vt vulnerum cicatrices ostendant. Vnde Bernardus: Securum habemus ad Deum accessum, filius ostẽdit vulnera, mater vbera, &c. Eleuat ergo Sacerdos corpus Christi, ac si peccatoribus & ceteris Christianis dicat: Ecce filius Dei, qui pro nobis extensus, & eleuatus est in patibulo crucis sequimini eum, vt saltem aliquid pro eo patiamini, qui tanta pro nobis passus est. Vnde Petrus in epistola: Christus pro nobis passus est. *1.Pet.2.d* Ergo à nobis compa-

compatiendum est ei, ita vt passionis eius beneficium numquam obliuiscamur.

Propter quod in canone subditur: *Vnde & memores*, vsque, *Beatæ passionis*. In hoc loco recolitur memoria Dominicæ passionis, Resurrectionis, & Ascensionis. Nam per quinq; signa, quæ hic fiunt, designantur quinq; vulnera Christi, scilicet duo in manibus, duo in pedibus, & vnum in latere. Quod autem tria signa super calicem & hostiam communiter fiunt; in hoc intelligi datur, quia passio Christi vulnerat charitatem, Resurrectio roborat fidem, Ascensio lætificat spem. Hæc in littera tanguntur, quando dicitur: *Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis*. Duo autem signa sequentia, quæ super corpus Christi, & sanguinem fiunt, designant iustorum corporis & animæ immortalitatem. Sancti namq; & iusti, qui in vulneribus Christi nidificant; efficiuntur puri, siue immaculati, & vitam æternam possidentes, & salutem perpetuam corporis & animæ consequentes. Nam & hæc in verbis canonis tanguntur, quæ de Christo sic pronunciantur: *Hostiam puram*, quo ad primum. *Hostiam sanctam*, quo ad secundum. *Hostiam immaculatam*, quo ad tertium, *Panem sanctum vitæ æternæ*, quo ad quartum. *Et calicem salutis perpetuæ*. quo ad quintum. Est enim Christus hostia pura, electos suos purificans, hostia sancta, dilectos suos sanctificans, hostia immaculata, maculas nostras purgans, panis vitæ æternæ, Angelos, & homines reficiens, & calice sui præclari sanguinis inebrians, & perfundens.

Sequitur, *Supraque propitio*, vsque, *Immaculatam hostiam*. Nota, quod in hoc loco tres Sancti veteris testamenti nominantur, Abel, Abraham, Melchisedech, qui figuram passionis Christi, immo & cœnæ eius sanctissimæ proprie repræsentant. Abel enim obtulit munera de primogenitis gregum, & Christus primogenitum obtulit in multis fratribus, agnum immaculatum Deo patri, de quo agno dixit Ioannes Baptista: Ecce agnus Dei, &c. Item Abel à fratre suo Cain innocenter occiditur, & Christus à fratribus suis Iudæis, scilicet malis perimitur, & necatur. Abraham obediuit Deo ad immolandum filium, Christus factus est obediens Patri vsque ad mortem, & in manus Patris tradidit spiritum. Melchisedech obtulit panem & vinum. Erat enim sacerdos Dei altissimi: Et Christus in altari sub specie panis & vini, corpus & sanguinem suum offert Deo Patri pro nobis, ipsum nobis pacificans. Nam Melchisedech fuit rex Salem, id est pacis. Christus autem dicitur in hoc loco Abel, ratione innocentiæ, Abraham, ratione obedientiæ. Melchisedech, ratione clementiæ, & sanctitatis eximiæ.

Trium Patriarcharum, cur hic mentio fiat. *Gen.4.a* *Ioan.1.d* *Gen.4.b* *Gen.22.a* *Gen.14.d*

Vnde sequitur: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Hæc verba Leo Papa canoni addidisse legitur: *Supplices te rogamus*. In hoc loco inclinatio Sacerdotis signat inclinationem Christi, quando inclinato capite tradidit spiritum. Deberent ergo fideles in hoc loco cum sacerdote fidelissime se humiliare, & Deo animas suas per intima suspiria commendare. Nam in hac clausula, quam Leo Papa magnus composuit, vsque ad *Memento*, tam profunda & inscrutabilia posita sunt verba, vt de eis beatus Gregorius, quasi de re ineffabili penitus locutus sit. Dicit enim sic: *Iube hæc perferri, &c.* Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, Angelorum choros interesse, ima summis sociari, terrena cælestibus iungi, vnumque ex visibilibus & inuisibilibus fieri? Item alibi: Vno eodemque tempore ac momento, & in cælum rapitur ministerio Angelorum ad associandum corpus Christi, & ante oculos sacerdotis in altari videtur. Hucusque Gregorius Magnus. Saluo tamen occulto cælestis oraculi Ecclesiæ sacramento, possunt hæc verba simplicius intelligi, *Iube hæc*, id est vota fidelium, supplicationes, & preces *perferri per manum sancti Angeli tui. &c.* Si enim Tobia orante Angelus preces eius obtulit Deo, quanto magis quando Christus cum sacerdote orat, & preces & oblationes populi offeruntur in cælum, immo ipse Christus magni consilii Angelus preces Ecclesiæ in Missa Deo Patri offert, & gratiam refert. Vnde Ambrosius: Non dubites, inquit, assistere Angelos, quando Christus assistit immolatus.

Greg lib.4. Dial.ca.58. *Habentur hæc paucis mutatis, de consecr. dist. 2. ca. Quid sit sang. quæ verba Alcuin. lib. de diuin. offic. citat. ex Greg.* *Tob.12.a* *Ambr. lib. 1. in Luc.c.1. longe ante med to.3.*

Sequitur: *In sublime altare tuum*, hoc intelligitur esse sancta Trinitas, de quo legitur: Non ascendes per gradus ad altare meum, quod est dicere: Æqualitatem Trinitatis crede, non descensionem, vel ascensionem, sicut fit in gradu. Quidam hæretici putant Patrem maiorem Filio, & hi conantur ascendere ad altare, sed repelluntur à Filio, qui dicit: Ego & Pater vnum sumus. Quidam etiam hæretici de hoc altari conantur descendere, putantes Spiritum sanctum minorem esse Filio, & Patre, & hi reuerberantur à Patre, & Filio in sacra scriptura, quæ dicit: Spiritus vbi vult spirat. Et Ioannes dicit: Spiritus est Deus: & idem dicitur in Symbolo Athanasii: Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Exo.20.b *Ioan.10.d* *Ioan.4.d*

In conspectu diuinæ maiestatis tuæ. Altare Sanctæ Trinitatis dicitur sublime, id est inaccessibile puro homini, vel incomprehensibile. Sed sacrificium altaris scilicet hostia salutaris Dominus noster Iesus Christus per mortem ad hoc altare coæternus Patri, introiuit semel æterna redemptione inuenta, sicut dicit Apostolus, & apparuit vultui Dei pro nobis in conspectu diuinæ maiestatis ipsius Patris. *Vt*, id est, quatenus, vel vt qui, *Ex hac altaris participatione*, ô sancte Pater, *sacrosanctum filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus*, digni sicut decet communicando, *omni benedictione cælesti, & gratia repleamur per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.* In his tribus signis intelligi datur, quod necesse habemus, vt Dominus Deus distribuat corporibus castitatẽ, quod in primo signo intelligitur, vbi dicitur, *& sanguinem sumpserimus.* Iustus enim, vt Habacuc ait, ex fide viuit, & anima hominis in sanguine est, sicut dicit Moyses. Item necesse habemus, vt Deus tribuat nobis cognitionem puram, quod in tertio signo intelligitur, quia facienenus sup caput & pect⁹ imprimitur, vbi cogitationũ sedes est. Ergo si seruauerimus & amauerim⁹ corporis castitatẽ, animarũ puritatẽ, benedictione & gratia in cœlis merebimur repleri. Item inclinatio sacerdotis in hoc loco inclinationem capitis Christi in morte signat vt dictum est. Inclinato enim capite tradidit spiritum, & tale fecit testamentum secundum Ambrosium qui dicit, quod auctor pietatis in cruce pendens, in singularibus negotiis pietatis officia diuidebat, persecutionem Apostolis, pacem discipulis, corpus Iudæis, Patri spiritum, virgini paranymphum, latroni Paradisum, Christianis pœnitentibus crucem commendat. Ergo tollamus crucem eius, quod in duobus signis, quæ super corpus & sanguinem fiunt, intelligitur, quia per mortem eius à duplici morte, scilicet corporis & animæ liberamur: si tamen confessionem eius in mente seruamus, quod in tertio signo exprimitur. Nam si compatimur, & conregnabimus, sicut dicit Paulus. Item in tribus signis quæ in hoc loco fiunt, quidam diuersas passiones Christi intelligi volunt corporis, & per flagelli dissecationem quo ad primum, sanguinis effusionem quo ad secundum, faciei velationem quo ad tertium. Vnde sicut Christus per passionem suam de hoc mundo transiturus, patri spiritum commendauit, sic & nos spiritus fidelium defunctorum de hoc mundo per mortem migrantium, & in fide catholica decedentium, omnipotenti Deo commendamus, propter quod subditur.

Heb.9.c *Haba.2.a* *Leui.17.d* *Ioha.19.f* *1.Tim.2.d*

Memento Domine, &c. Attendendum est, quod pia mater Ecclesia non solum pro viuis, sed etiam pro defunctis in persona sacerdotis fideliter intercedit, certissime credens, quod pretiosus sanguis Christi non solum pro viuis, sed etiam pro mortuis ad redemptionem prosit & liberationem à pœnis illis dumtaxat. *Qui nos præcesserunt cum signo fidei*, id est, charitate. In quo fideles ab infidelibus discernuntur. De hac liberatione dicit Propheta ad Christum: Et tu in sanguine testamenti tui, extraxisti vinctos tuos de lacu inferiori, in quo non erat

Zach.9.c

Pro dãnatis orandum non eſt.

Aug. ſimile quid habet lib. 21. de ciui. Dei cap. 24. ante medium to. 5.

aqua, ſcilicet de inferno ſuperiori. Non eſt autem orandum pro eis, qui ſunt in inferno inferiori, quia ibi nulla eſt redemptio, & quos pro certo damnatos ſcimus, quia vt dicit Auguſtinus: Si ſcirem patrem meum eſſe in inferno, vbi nulla eſt redemptio, non plus orarem pro eo quam pro diabolo. Orandum eſt ergo pro fidelibus defunctis, *Qui dormiunt in ſomno pacis*, id eſt nulla hæreſi vel diſcordia, vel impœnitentia, ab vnitate Eccleſiæ ſegregati, licet forte aliqua cremabilia vel correctione digna, detulerint de hoc mundo. Et ſacerdos debet primo orare pro patre & matre, poſtea pro ſibi commiſſis, non tamen nominetenus, ſicut ſupra dictum eſt, ſed memoriter, &c.

Pro parentibus primo orandum eſt.

A

Sequitur: *Omnibus in Chriſto quieſcentibus, &c.* Illi enim mortui in Chriſto requieſcunt, qui in Chriſto moriuntur, ſicut in Apocalypſi legitur.

Apoc. 14. c

B

Sequitur: *Locum refrigerij*, in quo Lazarus Euangelicus habitabat, *lucis*, ſcilicet Chriſti, qui eſt lux mundi. Ipſe enim eſt lumen viuentium. Vnde Pſalmiſta: Vt placeam coram Deo in lumine viuentium, *& pacis*, de qua pace dixit Simeon: Nunc dimittis, vſque in pace, *vt indulgeas per Chriſtum Dominum noſtrum.* Qui enim indulgentiam, & miſericordiam quærit, iudicem placat & vincit.

Pſal. 55. c

Luc. 2. c

Sequitur: *Nobis quoque peccatoribus*, quaſi dicat: Sicut dixit Ioannes Apoſtolus: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Et: Non eſt homo, qui non peccet, licet infans vnius diei ſuper terram. Multi namque ex miſericordia Dei ſine peccatis mortalibus viuere poſſunt, ſed ſine venialibus raro.

1. Ioan. 1. c

Iob 14. a ſec. LXX.

Sine mortalib. viuere poteſt homo ſine veniali. minime.

C

Sequitur: *De multitudine miſerationũ tuarum ſperantibus.* Si enim latro in cruce pendens contritus & confitens veniam meruit, quare non merebitur Chriſtianus miſericordiam, & veniam peccatorum, contritus & confeſſus? Vnde & vocis expreſſio, & cordis tunſio manu dextera contritionem & confeſſionem latronis in cruce pendentis ad dexterum latus Chriſti deſignat. Ipſe enim contrito corde confeſſus eſt, & ſocio ſuo in ſiniſtro latere pendenti dixit: Nos quidem digna factis recipimus, &c. Et reſpondit Dominus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Luc. 23. f

Ibidem.

Vnde ſequitur: *Partem aliquam & ſocietatem, &c.* Ioannes Chryſoſtomus dicit, quod latro qui in cruce Deum confeſſus eſt, omnes ſanctos in regno præuenit. Nec mirum, ipſe enim Dominum in cælo regnare confitebatur, qui ab Apoſtolo Petro in terra negabatur, per quod intelligi datur, quod feruenter pœnitentes interdum tepidos Sanctos in regno præueniunt. Beata Virgo & Apoſtoli adhuc in terra fuerunt. Sanctus Ioannes Baptiſta, & alii Patriarchæ & Prophetæ adhuc in limbo detinebantur, quando dictum eſt latroni: Hodie mecum eris in Paradiſo, & id eſt eris in gaudio, quia vbi Chriſtus eſt, ibi gaudium eſt, & Paradiſus, & lux, & pax, & iucunditas. Ipſe enim Chriſtus eſt lux vera, &c. Chriſtus etiam cælum illuminat ſicut de ſuperna Hieruſalem dicitur in Apocalypſi: Ipſe enim Agnus, id eſt Chriſtus, illuminat eam, & Sanctis gaudium infundit. Vnde: Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, quia ſequuntur Agnum quocumque ierit. De hac ſocietate in hoc loco dicitur: *Societatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus.* Quidam dicunt hic intelligi Ioannem Baptiſtam. Expoſitores autem Ioannem Euangeliſtam. Licet enim in principio canonis ſit cum ceteris Apoſtolis nominatus, nominatur tamen hic, quia duplici priuilegio gaudet, ſcilicet, Apoſtolatus veſtigio, & virginitatis. Amoris Chriſti priuilegio, merito ſecundum locum ſortitur in canone, & cum Stephano qui etiam virgo & martyr fuit. In veteri enim teſtamento Iacob Patriarcha dilexit Ioſeph plus ceteris filiis, eique duplicem hæreditatem tribuit quam tulit in arcu, & gladio de Amorrhæorum populo. Et Chriſtus huic diſcipulo & chariſſimo filio duplicem hereditatem, & honorem tribuit vt ſupra. Notandum,

Chryſ. hõ. de latrone, & hom. ſeq. de cruce & latrone to. 6.

D

Luc. 23. f

Apoc. 21. g

E

Stephanus virgo fuit.

Gen. 48. d

quod ſancta Fœlicitas vidua martyr, in hoc loco canonis, ſanctis virginibus anteponitur & præfertur. Et licet hoc forte ratione antiquitatis ſit factum, ita vt priuilegio virginitatis non derogetur: tamen ſecundum Auguſtinum, in hoc loco datur intelligi quod feruentes, & vere pœnitentes virgines, tædioſas, & acedioſas exercitiis diuinis præire conantur. Vnde ſequitur: *Intra quorum conſortium, &c. per Chriſtum Dominum noſtrum.* Qui enim veniam deſiderat, iram iudicis placat, & miſericordiam prouocat: propter quod quidam pœnitens dixit: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Virginitas autem ſi humilitatem cuſtodiat, & feruorem deuotionis habeat, magna meretur priuilegia, & prærogatiuas gratiarum. Virginibus namque, & martyribus, & prædicatoribus fidei Chriſtianæ aureola in cæleſti patria reſeruatur. Hæc enim tria genera Sanctorum in hoc loco canonis inueniuntur: *Intra quorum*, vſque ad *Chriſtum Dominum noſtrum*, *per quem* ſcilicet Chriſtum, *hæc omnia*, ſcilicet Pater cæli, *bona creas.* Licet enim Deus Pater in principio, id eſt in Filio creauit cælum & terram, & omnem ornatum eorum, & cuncta quæ fecerat, erant valde bona; tamen ſemper eadem bona creat renouando, quo ad vinum & panem, quæ in altari offerri debent. Vnde non ſolum à ſacerdote, ſed etiam à ſancta Trinitate benedicuntur & conſecrantur, & in corpus Chriſti, & ſanguinem transſubſtantiando viuificantur, ſicut patet in verbis, quæ ſequuntur: *Sanctificas, viuificas, benedicis.* In his tribus ſignis notantur tres dies, quibus Dominus erat in ſepulchro, & requieuit ab omni opere ſuo, quod patrarat. Niſi enim granum frumenti, id eſt, Chriſtus Dominus noſter cadens in terram, &c. ſed quia granum mortuum eſt, & in terra ſepultum, denuo reuixit, & pullulauit, & fructum multum attulit in electis. Nam ſepultura terram ſanctificauit, à morte reſurgens mortuos viuificauit, & benedicendo panem cæleſtem viuis multiplicauit. Hæc in tribus verbis prædictis tanguntur, ſcilicet, *Sanctificas* quo ad primum, *Viuificas* quo ad ſecundum, *Benedicis* quo ad tertium. Vnde ſequitur: *Et præſtas nobis*, ſubintelligitur ſanctificationem, vt ſcilicet per corpus Filii tui ſanctificemur: hanc viuificationem, vt per ſanguinem ipſius viuificemur: hanc benedictionem, vt ea digne ſumendo à te benedicamur. Et ex hoc *eſt tibi Deo Patri omnipotenti, omnis honor & gloria in vnitate Spiritus ſancti.* Sciendum, quod in hoc loco in tribus ſignis notantur tria, propter quæ Chriſtus voluit tres eſſe dies ſuæ ſepulturæ, ſcilicet, quæ ſunt in cælo reſtauraturus, & quæ in terra reparaturus, & quæ apud inferos redempturus. Vel in tribus ſignis huius loci intelligitur ſancta Trinitas, ſicut patet in littera. In patre quidem notatur auctoritas. In Filio æqualitas. In Spiritu ſancto communitas.

Aug. de virginitate ſancta. cap. 45. to. 6.

Pſal. 50. a

Gen. 1.

Ioan. 12. d

Quod autem corpus Chriſti ſupra calicem in ipſa hora leuatur, & cum ipſo calix ſignatur, per hoc intelligi datur, quod mors à Chriſto ſuperatur, vita reparatur, & gloria datur, de hoc patet in verbis canonis: *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo.* Nota, quod in hoc loco Miſſa correſpondet omnibus horis canonicis, quia omnia quæ Chriſtus paſſus eſt in ea repræſentantur, & memorantur. Chriſtus namque in matutinis paſſus eſt traditionem, conſpuitionem, alaparum cæſiones, tandem à mortuis reſurrexit. Hora prima coram Pilato deriſiones, inſultationes. Hora tertia, &c. ſicut in Patris ſapientia plenius continetur. De iſtis ſeptem horis dicit Pſalmiſta: Septies in die laudem dixi tibi, &c. Iſte ſeptenarius numerus ſignari poteſt, in ſeptem ſignis crucis quæ in hoc loco ſunt, cum dicitur: *Sanctificas, viuificas, benedicis, per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, &c.* Nam qui Deum deuote laudant, ſeptem donis Spiritus ſancti replentur, & per Patrem, & Filium, ſanctificantur, viuificantur, & benedicuntur. Quod autem vltimum ſignum iuxta labium calicis fit, cum dicitur: *In vnitate Spiritus ſancti*, deſignat, quod qui adhæret Deo vnus Spiritus cum eo efficitur, ſicut dicit Apoſtolus.

Pſal. 118. x

1. Cor. 6. d

Sequitur: *Per omnia sæcula sæculorum*, quod alta voce pronunciatur, & corpus Domini super calicem, & cum calice leuatur, per quod intelligi datur, quod tristitia Apostolorum de passione Domini ab eorum cordibus ipso reuiuiscente fugabatur, & gaudium resurrectionis annunciabatur.

Sequitur: *Oremus*, vt sic adiuuante Domino à morte peccati resurgamus, in eadem iterum non cadamus, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. & idcirco peccatum non dominetur nobis. Nam qui facit peccatum, teste Apostolo, seruus est peccati, fugiamus ergo tam horribilem dominum, & ad misericordem Dominum, & pietatis & dulcedinis reuertamur. Nam & pater omnium non dedignatur appellari, quia pater misericordiarum, & Deus totius consolationis est, reuera enim vt Deum patrem nostrum nominare valeamus, diuina informati sumus institutione. Filius enim, qui dicitur coæqualis Patri, hoc nos docuit, & sic frater noster instituit. Ipse namque est Filius Dei per naturam, nos filii ipsius per gratiam. Ergo, Pater noster, qui es in cælis, &c. Petimus ergo panem nostrum, & respondent clerici circumstantes, Amen. quod secundum Hieronymum, Hebræum est, & sonat, vt vere, & fideliter fiat, quasi dicat Ecclesia astans sacerdoti in Missa: O reuerende sacerdos, quidquid in hac oratione petisti, & optasti, in te & in nobis, veraciter & fideliter fiat & compleatur.

Rom. 6. b
Ioan. 8. e
2. Cor. 1. a
Matt. 6. b
Hiero. epist. 137. ad Marcellã.

Sequitur: *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris*, vt tui auxilio & te miserante, præterita mala deleantur, præsentia vincantur, futura præcaueantur.

Et intercedente Beata & gloriosa Virgine semper Dei genitrice Maria, vsque, *Per eundem Dominum nostrum, &c.* In hoc loco canonis tertio fit commemoratio Sanctorum. In hac oratione omnes Sancti comprehenduntur, & includuntur, quando Beatæ Dei genitricis, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Andreæ nomina recitantur. Omnes enim Sancti, aut per castitatem, aut virtutum firmitatem, aut per humilitatem, aut per virilitatem pugnæ pro iustitia regna cælorum adepti sunt. Vnde in Beata Maria Virgine designatur castitas: in beato Petro, virtutum firmitas: in sancto Paulo, humilitas: in Andrea virilitas pugnæ pro iustitia vsque ad mortem.

Sequitur: *Da propitius pacem, &c.* Orat sacerdos cum collecta pro pace, & hoc ipsum beatus Paulus instituit fieri, sic dicendo: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Orat ergo Ecclesia pro pace temporali, ne impediatur, vel retrahatur à pace spirituali.

1. Tim. 2. a

Sequitur: *Vt ope misericordiæ tuæ adiuti*, quantum ad interiorem, & exteriorem religionem pertinet, *à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Perturbamur enim si peccatis mortalibus grauamur, & obcæcatur cor humanum: perturbamur quando nostro arbitrio relinquimur, & à nobis diuina gratia subtrahitur & elongatur, quod, ne fiat, sacerdos *per eumdem*, id est, propter eumdem *Dominum nostrum Iesum Christum* Patris Filium orat.

Sed antequam sacerdos in hoc loco *per eumdem Dominum* incipiat, calicem discooperit, & corpus Domini super calicem leuans, diuidit in tres partes, vnam partem in calicem mittens, duas extra reseruans, & antequam vnam partem in calicem mittat, alta voce: *Pax Domini* pronunciat. Tria quoque signa crucis, cum corpore Christi in calice signat. Et quid hoc significet breuiter videamus. Et primo quare hostia diuiditur in tres partes, quam causam Sergius Papa determinat, sic: Triforme est corpus Christi. Pars hostiæ in calicem missa, corpus Christi, quod à mortuis resurrexit & animæ vnitum est, monstrat. Pars comesta ambulans adhuc super terram. Pars in altari vsque ad finem remanens, membra Christi esse corpora Sanctorum, vsque ad finem mundi in sepulchris quiescentia designat. Diuiditur autem sub forma panis in altari corporis Christi species non essentia, deitate in sua vnione permanente, quæ diuidi non potest. Sed in qua re fiat corporis Christi diuisio, vel fractio ostendit Augustinus, dicens: Quando Christus manducatur, reficit non deficit. Nam & Christus carnalem sensum discipulorum redarguit, qui putabant eius carnem sicut aliam diuidendam in partes, & in morsus lacerandam. Diuiditur autem forma, vel species. Consecratione namque peracta corpus Christi sub accidentibus panis velatur, quæ accidentia sunt color, sapor, qualitas, quantitas, & forma. Substantia namque panis & vini in consecratione per verba Christi resecatur, sed accidentia remanent. Nam si accidentia auferrentur, sacerdos Missam non perficeret, sed terreretur. Vnde in hoc fragilitati humanæ consulitur. Possunt ergo in tribus partibus Eucharistiæ tres substantiæ in Christo signari, scilicet Deitas, corpus, & anima. Quod autem vna particula in calicem mittitur, per hoc intelligi datur, quod caro Christi in passione mortua est: & anima immortalis, & Deitas impassibilis, & hoc duæ particulæ extra calicem reseruatæ repræsentant.

De cons. d. 2. c. Triforme.
Referuntur hæc ex August. in ser. quodam de verb. Euã. de cons. dist. 2. cap. Inuitat.

Item in tribus partibus Eucharistiæ potest Sancta Trinitas designari. Quod igitur particula in calicem mittitur, duabus extra remanentibus, figurat, quod licet indiuisibilia sint opera Trinitatis: tamen secundum Augustinum ad solum Christum pertinet caro, ergo pars in calicem missa, incarnatum & passum solum Christum Dei filium designat. Duæ vero partes extra calicem seruatæ, immunitatem carnis, Patris & Spiritus sancti figurant. Non enim pater vel Spiritus sanctus est incarnatus vel passus, vt dicit Augustinus, sed incarnatio ad solum Christum pertinet. Quod autem indiuisibilia Sanctæ Trinitatis sint opera, sacerdos innuit, cum hostiam diuidit, dicens namque ad Patrem. *Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum*, vsq;, *qui tecum viuit & regnat*, vnam fractionem facit, ac si diceret, diuidere videor indiuisibilem, & si Christus mortuus est ex humilitate, viuit tamen ex virtute Diuinitatis, in quâ semper cum Patre existens numquam recessit à Patre. Cum vero dicit: *In vnitate Spiritus sancti*, hanc Eucharistiæ facit fractionem, ac si diceret, licet Spiritus sanctus obumbrasse virgini legatur in conceptione Filii, tamen à Patre æternaliter procedens Spiritus sanctus, Patrem & Filium numquam deseruit, sed sancta Trinitas indiuisa permanet. Per omnia sæcula sæculorum.

Aug. lib. de Ecclesiast. dogm. ca. 2.

Item Eucharistia in tres partes diuiditur, in hoc tres partes corporis Christi, quod est Ecclesia, figurantur, scilicet caput cum membris. Vna pars est ipsum caput, scilicet Christus primitiæ dormientium. Altera pars animæ Sanctorum in cælo triumphantium. Tertia pars in terra militantium. Quod autem duæ partes seorsum extra calicem seruantur, per hoc intelligi datur, quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra, &c. nec his qui cum ipso sunt sanctis. Vnde in Apocalypsi legitur: Non esurient neque sitient amplius, &c. Tertia vero pars in calicem ponitur, & signat eos qui adhuc in pugna, vel militia passionis huiusmodi existunt.

Rom. 6. b
Apoc. 7. d

Item Eucharistia in tres partes diuisa, tres ordines Ecclesiæ significat, scilicet virginum, viduarum, & coniugatorum. Duæ ergo partes extra calicem seruatæ, cælibatum & sanctimoniam virginum & viduarum repræsentant. Nam secundum Apostolum, Virgo & innupta cogitat, quæ Domini sunt. Tertia vero pars in calicem missa statum coniugatorum, & passionem designat. Vnde ipse Apostolus dicit: Quæ autem nupta est, cogitat q̃ sunt mundi, id est de passionib. diuersis coniugatorum, tam in rebus quam in aliis. Dicit enim: Tribulationem

1. Cor. 7. f
Ibidem.

autem

autem carnis habebunt huiuſmodi, id eſt coniugati. Offertur autem hoſtia Chriſti in altari, vt virgines & viduæ in ſanctimonia perſeuerent, & pro adiutorio coniugatorum, ne in tribulationibus huius mundi poſiti deſperent.

Item Euchariſtia in tres partes diuiditur & offertur ad tria deſignata in his verſibus.

Corporis in partes Chriſti diuiſio fit tres.
Tincta datur viuis, ſed pars non tincta ſupernis.
Eſt donanda reis, tertia pars iuſtificandis.

Iſti verſus ſic intelliguntur. Prima pars miſſa in calicem offertur pro viuis Chriſtianis, qui in miſeriis, & preſſuris huius mundi affliguntur & patiuntur, quatenus Deus mitigare dignetur afflictiones eorum. Altera pars extra calicem reſeruata, offertur ad laudem, & ad gloriam Sanctorum, qui iam triumphant in cælo in regno cælorum. Tertia pars offertur pro his, qui ſunt in purgatorio, vt à pœnis citius liberentur & abſoluantur, quatenus & ipſæ animæ in ſinu Abrahæ, hoc eſt, in gaudio & refrigerio aſſumantur, & gloria ſicut cæteri Sancti perfruantur.

Sequitur antequam tertiam particulam in calicem mittat, *Pax Domini* alta voce pronunciatum, per quod datur intelligi, quod Chriſtus à mortuis reſurgens triplicem pacem diſcipulis annunciauit ſcilicet pacem temporis, pectoris, & æternitatis. Hæc pacis tria genera deſignata ſunt in tribus ſignis crucis, quæ ſacerdos facit cum corpore Chriſti inter calicem, dicens: *Pax Domini ſit ſemper, &c.* & reſpondet chorus: *Et cum ſpiritu tuo*, quaſi dicat: Tu nobis pacem optas, & eadem pax cum ſpiritu tuo maneat, quatenus totus in ſpiritu myſteriis diuinis inſiſtas, & ſpirituali gaudio plenus fias. Hæc triplex pax in tribus oſculis deſignatur, quia ſacerdos altare tribus vicibus oſculatur, ſcilicet in principio Miſſæ, in medio, & in fine. Nam cum Chriſtus naſceretur, in principio temporis pacem ſecum attulit, vt ad edictum vnius hominis deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc pax deſignatur in primo oſculo, quod in initio Miſſæ ſacerdos altari imprimit. Secunda pax eſt pectoris, & ſignatur in ſecundo oſculo, quod ſacerdos facit in canone, quando dicit: *Supplices te rogamus.* Chriſtus namque cum mortem pro nobis pertulit, nos Deo, & Angelis pacificauit, & pacem pectoris nobis donauit. Et ad hanc pacem confirmandam, pectus & latus cum lancea aperiri voluit, & ad pacem ſui cordis nos intromiſit. Tertia pax æternitatis figurata eſt in vltimo oſculo altaris. Chriſtus namq; conſummatis omnibus, quæ de eo ſcripta fuerunt in lege & prophetis, poſt in cælum aſcendens, Patri nos reconciliauit, ſic & Miſſa peracta pacem æternitatis nobis parauit.

> Pax Domini, &c. triplicem pacem, quã Chriſtus diſcipulis annunciauit, ſignificat.

Sed notandum, quod à dominica oratione vſque ad finem Miſſę interdum ſilentium celebratur, & interdum à ſacerdote cantus, vel à clero alta voce inchoatur, per hoc intelligi datur, quod Chriſtus reſurgens ex mortuis, interdum ſilentium mœroris à cordibus diſcipulorum per ſuam dulciſſimam apparitionem, & ſalutationem fugauit: aliquando vero corporalem præſentiam ab eis auferens, ſe & quando voluit occultauit. Legitur etiam, Chriſtum infra quadraginta dies apparuiſſe decies poſt reſurrectionem, & interim quoties voluit ſe occultaſſe. Nam in ipſa die Reſurrectionis quinquies; in Aſcenſione bis: vt Chriſtus ſuam reſurrectionẽ cordibus diſcipulorum, & aſcenſionis gloriam eorum mentibus imprimeret, & vt ipſi diſcipuli quæ ſurſum ſunt ſaperent, non quæ ſuper terram. Ceteræ autem apparitiones, intra quadraginta dies factæ ſunt. Hanc autem viciſſitudinem ſacerdos in Miſſa ab oratione Dominica vſq; ad finem Miſſæ, vt dictum eſt ſubtilius iam cantando, pulcherrime repræſentat.

> Quædam alta voce quædam in ſilentio à ſacerdote cur dicuntur.
> Chriſtus decies poſt reſurrectionẽ apparuiſſe legitur.
> Col. 3. a

Sequitur *Agnus Dei*, quod Sergius Papa inſtituit, vt cum fractione corporis Domini deuotiſſime cantetur. Dicitur autem agnus ab agnoſcendo, quia matrem ſuam in magno grege per balatum agnoſcit. Sic Chriſtus in cruce poſitus, Patrem agnouit per obedientiam: quia factus eſt ei obediens vſque ad mortem &c. Item agnouit matrem per debitam reuerentiam, quia eam dulciſſimo diſcipulo ſuo Ioanni commendauit in morte. Chriſtus eſt agnus propter innocentiam, quia innocenter occiſus eſt, ideo plangendus eſt. Ideo canit Eccleſia: Plangent eum quaſi vnigenitum, quia innocens Deus occiſus eſt.

> Sergius Papa vt Agnus Dei cantaretur inſtituit.
> Philip. 2. a
> Ex Zach. 12. c

Cantamus ergo ter agnus Dei, quaſi dicamus, *Agnus Dei*, qui agnouiſti Patrem per obedientiam, matrem per reuerentiam, *miſerere nobis*: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* per innocentiam, *dona nobis pacem.* Item *Agnus Dei* ter cantamus, vt liberemur à malis præteritis, præſentibus, & futuris. Poſt hoc, oſculum amicis porrigimus antequam communicemus, quod Innocentius Papa inſtituit. In hoc ſignatur, quod omnis amaritudo corporis à nobis ſeparanda eſt, quia ſi ab inuicem diſcordamus, in Chriſti corpore non manemus, ſicut dicit Apoſtolus, & Euangeliſta Ioannes: Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, & ſcimus, quod omnis, qui odit fratrem, non habet partem in regno Dei. Teneamus ergo pacem temporis cum proximis, pacem pectoris cum nobiſmetipſis, ſcilicet omnes homines in Chriſto ſinceriter diligendo, vt pacem æternitatis conſequamur in cælis adiuuante Domino noſtro Ieſu, &c.

> 1. Ioh. 3. c

Poſtea mittit ſacerdos partem hoſtiæ in calicem, dicens: *Fiat hæc commixtio.* Quid autem hoc ſignificet, ſuperius pertractatum eſt, niſi quod ſacerdos in hac clauſula, ſalutem mentis & corporis ſibi, & omnibus ſumentibus corpus Domini exoptat, & ad vitam æternam promerendam, & capeſcendam præparatio ſalutaris fiat. Hæc enim valde neceſſaria ſunt corpus Chriſti ſumere volentibus, vt ſalutem mentis, vt puritatem cordis habeant, & mundam conſcientiam ad vitam promerendam.

Deinde ſequitur oratio: *Domine Ieſu Chriſte.* In qua oratione petuntur tria, à peccatis liberatio, præceptorum Dei obeditio, & à Deo numquam ſeparatio, ſicut patet in littera.

Poſt hanc orationem, memoria Dominicæ paſſionis breuiter, & memoriter cum omni deuotione habenda eſt, contrito corde & conſcientia non ficta. Hic attendendum eſt, quod à ſacerdote poſt hanc orationem, dicendum eſt ſub ſilentio, *Amen*, quod alibi non fit in canone, niſi poſt Pater noſter, & in hoc loco. Sacerdos enim canonem tacite legit, & ideo nemo ei reſpondet, *Amen*, nec ipſe ſacerdos in quocumque loco canens, ſubiungere debet, *Amen*, excepto quando canonem finit poſt hanc orationem, Domine Ieſu Chriſte, &c. *Amen.*

Finito canone ſacerdos ſe applicat ad ſuſceptionem ſacroſanctæ hoſtiæ. Quidam enim ſacerdotes de manu, quidam de patena ſumunt. Hi qui de patena corpus Chriſti ſumunt in latitudine charitatis, quæ in patena figurata eſt. Interim cantatur, *communio*, hoc eſt, quod diſcipuli gaudium Reſurrectionis, mutuo ſibi nunciauerunt.

Poſt hoc ſequitur oratio, & ſignatur quod vndecim diſcipuli in Galilæa videntes Dominum adorauerunt. Item ſignatur, quod in cælis pro nobis orat, repræſentatione ſuæ paſſionis & vulnerum, & quod poſtea iterum ſe oſtendet.

> Chriſtus in cælis pro nobis orat ſua vulnera patri repræſentando.

Et poſt hoc dicit: *Ite Miſſa eſt*, & populum benedicit. Quod ſignat, quod veniet in iudicio, & ſe nobis oſtendet, & fidelibus ſuis dabit benedictionem ſuam, & tunc læti vadent ad manſiones ſuas, de quibus dicitur in Ioanne: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ad quas manſiones nos perducat ipſe Pontifex, & Sacerdos, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat, Amen.

> Ioh. 14. a

S. Bona-

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur, DE SEX ALIS SERAPHIM.

In hoc Opusculo S. Bonauentura Ecclesiæ prælatos instruit ad regimen subditorum, quibus præsunt, & veluti Seraphim sex alis ornari Isaias cap. 6. vidit, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes, duabus denique volabant: sic etiam spiritualis seraph, hoc est, Prælatus Ecclesiæ Domino sedenti super solium excelsum, & eleuatum sex virtutibus, quasi alis sex ornatus assistere debet; quarum duas scilicet Zelum iustitiæ, & pietatem siue compassionem fraternam super caput eleuet, medijs duabus, patientia & vita exemplari, corpus & pedes contegat: vltimis vero duabus, circumspectione, & deuotionis studio, in latum & in altum volet. Vnde his præcipue virtutibus pollere debet, qui Ecclesiæ regimini præest, Zelo iustitiæ, pietate, patientia, exemplo vitæ, discretione circumspecta, & deuotione ad Deum. De quibus Auctor mirifice tractat in hoc Opusculo.

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

PROLOGVS.

Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia, ait sapiens: Cum igitur ex leui sæpe occasione, sapiens materiam sumat altioris sapientiæ, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior, præsens scriptum potest nouis, & nondum in officio regiminis ad plenum exercitatis, ad perfectam discretionem boni & mali aliqualem dare occasionem vlterius cogitandi, & ex defectibus, quos hic considerat diligentius requirendi altiora, siue vtiliora, & etiam plura, quam hic ponantur necessaria religioso ad regimen subditorum: quia legimus aliquando sapientes etiam ex naturali quadam brutorum animalium solertia, sumpsisse considerationis industriam, ad aliquas artificiales peritis excogitandas. *Prou. 9. c*

CAPVT I.

Quod incipientes propter multa magistro indigent.

Hæc tibi scribo, vt scias quomodo oporteat te in domo Domini conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, ait Paulus discipulo suo Timotheo, quem præfecerat ecclesiæ Ephesi Episcopum. *1. Tim. 3. d.* Scribit duabus epistolis, dicens, quomodo conuersari debeat in officio regiminis commissi, vt qui iam ab eo didicerat sancte viuere per se, sciret etiam, qualiter deberet & alijs vtiliter & meritorie præesse. Magna enim differentia est inter scire humiliter subesse, & pacifice coesse, & vtiliter præesse. Bernardus: Multos cernis sub magisterio quiete viuere, quos A si iugo absoluas, videbis non posse quiescere, nec a qualibet re innoxios se seruare. Rursum quosdam inuenies, cum omnibus quantum in se est, pacifice viuere, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. Quadam siquidem bona mediocritate contenti sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est. Socialiter enim inter fratres sciunt & pacifice viuere, super fratres vero positi, non solum inutiliter præsunt, sed & insipienter & nequiter. Vtrisque ergo prioribus meliores existunt, qui superiores esse sciunt. Vnde non passim quemlibet de populo docetur Moses ceteris præficere, sed eligere ex omni populo viros gnaros & idoneos, qui iudicent populum omni tempore. *Exo. 18. d* Qui enim suscipit officium, vt alios bonos faciat, oportet, vt hanc bonitatis disciplinam prius in se studiose exercendo didicerit, & ex B frequenti vsu in habitum verterit. Vnde Dominus prius legitur fecisse, quæ post erat verbo docturus, iuxta illud Actorum: Cœpit Iesus facere, & docere. *Act. 1. a* Incipientes indigent magistro vt doceantur, quæ ignorant scilicet, saluti suę & profectui necessaria & vtilia, quid vitare debeant, quod sapere, quid facere, quid sperare, quid timere, & inter minus vel magis bona vel mala discernere, dicente Paulo: Indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. *Heb. 5. d* Item, vt exerceantur in operibus virtutum, quia non sufficit scire bonum nisi etiam opere exerceatur. Sicut qui audit medicinæ scientiam, & postea practicando exercet eam, quia exercitium operis plenius imprimit menti cuiuslibet disciplinæ peritiam, quam solus auditus. Et quia imperfecti C segniter se in virtutum studiis exercere solent, expedit, vt ab alio ad hoc aliquando compellantur. Ideo magistri solent discipulos suos, quos perfectos cupiunt fieri, in diuersis virtutum exercitiis occupare, modo in operibus humilitatis, modo fraternæ charitatis, modo sobrietatis, modo deuotionis, modo patientiæ, castitatis, taciturnitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum, vt & ipsæ virtutes sic exerceantur, & vsitentur, & vitia his contraria expugnentur: quia quanto magis virtus proficit, tanto plus vitium oppositum debilitatur, teste Apostolo, qui ait: Educate illos in disciplina, &c. *Eph. 6. a* Item, vt custodiantur, ne aut in peccatum labantur, aut minus discrete in virtutum operibus exerceantur. Teneræ enim mentes & a peccati affectu nondum plene detersæ, sæpe magis timore humano, quam diuino a voragine D peccati detinentur. Ideo talibus expedit, superiorum magisterio subiici, per quos a periculis retrahantur, sicut paruuli a matre comminante ab aquæ mersione, & luporum morsibus, defenduntur. Nam ait Sapiens: Seruabit te, vt eruaris de via mala, & ab hominibus qui peruersa loquuntur. *Prou. 2. c* Item, vt corrigantur, quia peccatum trahit semper ad deterius, sicut vna febris præbet sæpe incentiuum alteri grauiori, & vulnus aliquando generat fistulam, nisi medicorum præcaueatur solertia. Ita, qui labitur in culpam, difficulter per se corrigitur, nisi fortioris auxilio fulciatur. Propter hoc enim vult Deus minoribus maiores præesse, vt si ciderint in peccatum, vel in aliquo negligentes fuerint & incauti, per eorum admonitiones, correptiones, coercitiones & castigationes emendentur: quia si arbitrio suo relinquerentur, forte E nec reatum suum agnoscerent, vel torpentes diutius in cœno volutarentur, vel profundius mergerentur, iuxta illud Iudæ: Hos quidem arguite iudicatos, &c. *Iudæ. d* Necesse ergo est, eos magistro humiliter esse subditos: quia nisi quis medico obedienter obtemperet, non poterit, ab infirmitate sanari. Infirmitates in homine sunt passiones vitiorum, dicente Luca: Dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. *Luc. 9. a*

CAPVT II.

Qui sunt, qui magistro non indigent.

QVI autem pro se magistro non indigent, debent ita esse scientia illuminati, quod nihil errent in his, quæ scire necessario eos oportet, & qui decipi non possint ab homine vel dæmone, vel à proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum diuinitus adepti, iuxta illud: Vbiq; & in omnibus institutus sum. Debent etiam feruore deuotionis ita esse repleti, quod sine alterius impulsu, nouerint seipsos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout semper fuerit optimum, teste Paulo, qui ait: Quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ priora sunt extendens me ipsum, &c. Debent quoque amore boni sic esse affecti, vt quasi naturaliter omne malum horreant & omne scandalum studiose declinent, & sine offensa quiete cum omnibus conuersentur. Sine offensione, inquit Apostolus, estote Iudæis & gentibus. Debent etiam ita esse humiles in omnibus, vt nec de bonis habitis extollantur, nec malis omnino carere præsumant, vt omnes excessus cogitationis, locutionis & omissionis in se subtiliter diiudicent, & districte castigando emendent. Et in his omnib. sint ita stabiles, quod nec leuitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu, à statu suo valeant immutari. Vnde Apostolus ait: Quis nos separabit à charitate Christi? &c. Quia vero tales difficile est reperiri; ideo paucis conuenit viuere absque obedientiæ iugo. Ideo, & qui aliis præsunt, vt melius & cautius agant, necesse habent aliis subesse, à quibus regantur vsque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi caput est totius Ecclesiæ militantis. Qui ergo aliis præesse debent, vtiliter oportet eos variis esse præditos virtutibus, & alias habere ad se, quibus irreprehensibiliter viuant, alias ad suos superiores, quibus humiliter eis, in quibus debent, obediant & alias ad subditos, quibus eos meritorie regant, & ad meliora promoueant. Licet autem omnes virtutes eminenter habere debeat, qui ex officio habet omnes virtutes docere; tamen quia numerus senarii est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans ex suis partibus aliquotis: ideo bonus animarum rector, maxime religiosus, inter ceteras, debet singularibus virtutibus præfulgere, sicut Isaias scribit, dicens: Seraphim, quæ sunt præeminentiora cælestium spirituum agmina, sex alis ornata. Et fortasse ideo in tali similitudine, sanctissimo patri nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum passionis suæ stigmatibus insigniuit, vt ostenderet, sic alatos spiritualiter esse debere, qui eius familiæ vtiliter præesse deberent. Sic & quattuor animalia singula, vt dicitur in Apocalypsi, habebant alas senas.

Philip. 4. c — *Ibidē 3. c* — *1. Cor. 10. g* — *Rom. 8. f* — *Isa. 6. a* — *Apoc. 4. c*

CAPVT III.

Quod prima ala Prælatorum esse debet Zelus iustitiæ.

PRIMA ala rectoris animarum est zelus iustitiæ, qua non potest aliquid iniustum, sine cordis murmure, in se & in aliis sustinere. Tantum enim quisque bonus æstimandus est, quanto plus & purius odit malum. Quantum enim res diligitur, tantum de eius destructione doletur. Vnde notandum, quod sunt quattuor genera hominum in religione, vel in Ecclesia, quos bonos dicere solemus.

Quattuor genera hominum dici solent boni.

Primi sunt, qui malum non faciunt, nec tamen in bonis operibus se studiose exercent, vt qui quiete & pacifice cum aliis viuunt, nullum offendentes, nec prauo opere scandalizantes, vt habetur in primo Regum: Homines isti satis boni fuerunt & non molesti, &c. Nam in vsu habemus, tales dicere bonos esse, qui mites sunt moribus, & socialiter se cum omnibus habentes, licet alias quo ad virtutum exercitia, aliquatenus desides videantur. Pueri etiam baptizati eodem modo boni iudicantur.

1. Reg. 26. c

Secundi sunt meliores, qui mala nulla faciunt, insuper in bonis operibus se frequenter exercent, in sobrietate, castitate, humilitate, dilectione proximi, & orationis instantia, & similibus, quæ intelligunt esse bona. Sed hoc habent proprium, quod sicut nihil negligunt ex his, quæ possunt & sciunt, ita etiam videtur eis sufficere bonum, quod faciunt, nec ad ampliora, & perfectiora sanctitatis desideria incalescunt. Sufficit eis tantum vigilare, tantum orare, tantum pro Deo dare, vel ieiunare, vel laborare & huiusmodi, & his contenti quiescunt, altiora aliis relinquentes. Vnde Ecclesiastes dicit: Deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius.

Eccles. 3. c

Tertii sunt adhuc his meliores, qui malum detestantur & fugiunt, & bona quæ possunt studiose exercent, & cum omnia fecerint, quæ valent, parum se fecisse reputant, respectu eorum quæ desiderant, scientes, quod corporalis exercitatio ad modicum vtilis ab Apostolo perhibetur. Et ideo viri mentales, & internæ deuotionis saporem, & Dei familiarem notitiam, & amoris eius experientiam suspirando desiderant, nihil se esse, vel habere iudicantes, nec aliquam consolationem de temporalibus vel spiritualibus recipientes, quamdiu pro voto prædictis virtutum exercitiis, & deuotionis dulcedine non fruuntur, nec tamen contra aliorum vitia, & peccatorum pericula zelo feruoris inflammantur, cupientes omnes esse bonos & beatos; sed vbi hoc non inueniunt, nullo doloris vulnere sauciantur, sibimet intenti & Deo. Tales ad aliorum regimen vocati, minus in hac parte sunt idonei, quia proprie quieti curam illorum postponunt. Iuxta illud Iudicum: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire vt inter cetera ligna promouear?

1. Tim. 4. c — *Iudic. 9. b*

Quarti sunt optimi, qui cum prioribus bonis innocentiæ & virtutum, zelo iustitiæ & animarum calent, qui non recipiunt consolationem de propriæ salutis profectibus, nisi alios secum trahant ad Deum, exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exiuit assumpta forma serui, multos filios in gloriam secum adducere opere & doctrina. Zelus enim iustitiæ quasi coccus bis tinctus duplici charitatis colore rutilat, amoris nempe Dei, & proximi. Amor Dei non tantum desiderat eius dulcedine frui, & ei adhærere, sed etiam diligit eius beneplacitum impleri, eius cultum ampliari, & honorem sublimari. Vult enim eum ab omnibus agnosci, ab omnibus amari, ab omnibus ei seruiri, & super omnia honorari. Amor proximi desiderat non tantum eius corporalem sospitatem, & temporalem prosperitatem; sed magis eius æternam salutem. Vbi ergo charitas ista perfectior, ibi feruentius desiderium ista promouendi, & instantius studium & purius gaudium, vbi hæc inuenit. Charitas enim, teste Paulo, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei sunt. Quantum vero diligis Deum & quæ Dei sunt, purius desideras, tantum doles de offensa Dei, vbi vides eum non agnosci, & ideo inhonorari, vbi vides eum non amari, & ei non obediri, & eius cultum destrui, & aduersarios multiplicari, & lætificari. Et quantum diligis salutem proximi, tantum affligeris de perditione eius & nocumento profectus eius. Et licet hęc charitas requiratur in omnibus amicis Dei, maxime tamen in Vicariis Dei, qui secundum cor Dei moueri debent amore iustitiæ, & odio iniquitatis, iuxta illud Psalmistæ: Dilexisti iustitiam, &c. Iustitia potest hic dici obseruantia omnium, quæ saluti vel profectui animarum necessaria sunt. Horum quædam procedunt à lege æterna, vt puræ virtutes, humilitas, castitas, charitas, misericordia, & similes, sine quibus nullus quocumque tempore poterit saluari, ad quæ etiam præcepta Dei in veteri, ac noua lege maxime ordinantur. Sicut Dominus dicit ad dilectionē Dei & ꝓximi totam legem & prophetas spectare, iuxta illud Matthæi: In his duobus mandatis, &c.

1. Cor. 13. b — *Psal. 44. b* — *Mat. 22. d*

Quædam

Quædam procedunt ab humana vice Dei institutione, vt quæ per Ecclesiam pro communi vtilitate canonice sunt præcepta, sicut ritus sacramentorum, & aliorum ad iuris positiui præcepta pertinentium, extra Canonum statuta, ab omnibus obseruentur, ita, vt quilibet obseruet illa, quæ conueniunt suo statui & communiter omnibus imperata, laicis vel clericis. Quædam ex voto proprio proueniunt, vt ea ad quæ nemo cogitur. Sed qui ea sponte vouerit, iam velut ex præcepto Dei compellitur obseruare, vt continentia religiosorum & obedientia, & abdicatio proprij in monasterio, & alia quæ per regulam vel cuiusq; ordinis diffinitiones eius professoribus imponuntur. Vnde dicitur in Deuteronomio: Cum votum voueris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Deus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. Quædam procedunt ex quadam habilitatione profectus spiritualis, quamuis alias non forent necessaria saluti, vt omnis disciplina diuini officij & singulorum officiorum in religione, & officiorum & temporum, in silentio, victu & habitu, labore, vigilijs & ceteris spiritualibus disciplinis, in quibus singularum religionum obseruantiæ variantur, sicut cuique visum fuerit expedire. Quamuis autem in his non tanta vis salutis existat, quasi sine eis non sit salus; tamen transgressio eorum deformat religionis decorem, & profectum spiritualem, & aliorum ædificationem solet impedire. Sicut enim amor iustitiæ, studiose ista in se & in alijs promouet, & congaudet, vbi videt ista sollicite obseruari, ita econtrario dolet, & vritur, & accenditur pro transgressione illorum cum Psalmista, qui ait: Nonne, qui oderunt te, &c. Quodam vero intimo sapore discernit, vt magis doleat de grauioribus transgressionibus, & de leuioribus minus. Sapiens enim qualq; res ponderat, prout sunt, tam bonas quàm malas. Insipiens autem quandoq; magna pro paruis reputat, & leuia quasi maxima ponderat, trabem festucam iudicat, aliquando culicem, deglutiendo camelum. Decimatis mentam & rutam & relinquitis quæ grauiora sunt, ait Saluator. Tales zelo proprio feruntur, & non spiritu Dei in hac parte aguntur. Sicut quidam pro vna inclinatione in choro neglecta, plus accenduntur puniendo, quam pro longa detractione de alio religioso excitata. Grauius indignantur pro versiculo & rubricula neglecta, quam pro magna perturbatione cum scandalo procurata.

Deut.23.d *Psal.138.d* *Luc.11.f*

Principaliter igitur cauenda & dolenda est transgressio præceptorum Dei, deinde inuiolabilium præceptorum sanctæ Ecclesiæ, deinde illorum quæ sub voto voluntario sibimet quisq; fecit necessaria, vt regulares obseruantiæ, maxime quæ sub præcepto sunt statutæ, deinde omnia scandala speciem mali quamcumq; habentia, nempe auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, gastrimargiæ, iracundiæ, suspectæ familiaritatis, inobedientiæ, & similium vitiorum, quæ odorem famæ religiosorum quo alij fideles debent ab eis ædificari, & ab eis discere quid cauere debeant & facere, fœtere faciunt, vt magis per eos inficiantur scandalo, quàm reficiantur virtutis exemplo, dicente Apostolo: Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Facilius autem grauius peccatum occultum curatur, quàm tale scandalum, quia illud per secretam potest sanari pœnitentiam, scandalum autem vix auellitur à cordibus omnium, ad quos forte peruenit.

Rom.2.d

Deinde cauenda est perturbatio studij deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera religo, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida est omnis religio, quæ non oleo isto saginatur. Instabilis est bonorum operum structura, quæ deuotæ orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine cæmento. In omni religione vbi deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ. Lampades fatuarum virginum sine oleo extinguuntur, vt ait Matthæus.

Matt.25.a

Deinde cauenda est negligentia exterioris disciplinæ, quæ pro decore religionis & habilitationis profectus spiritualis statuta est, cuius desertio signum est neglectæ conscientiæ, & interioris leuitatis. Talis autem disciplinæ obseruantia non ita mandatur, quasi aliter non liceat viuere, sed quia sic magis conuenit propter honestatis côformitatem, & vniformem fratrum conuersationem, ne pro libito quisq; viuat, & faciat, vnde forte alij turbentur. In talibus autem obseruantijs, quæ in se indifferêtes sunt, sed propter aliud statutæ, vt dictum est, maior est habenda diligentia, vt bene seruentur, quàm scrupulose timendum, si ex aliqua surreptione quandoq; transgrediantur; nisi forte consuetudo generaret deformitatem, & dissimulatio negligentiam nutriret, tunc propter aliud malum consequens præcauendum, zelus disciplinæ dormire non debet.

Verus igitur iustitiæ zelator primo cauet, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat. Secundo ne licentiet, vel concedat quacumq; importunitate seu circumuentione mollitus. Tertio ne faueat vel diligat fieri, etiam si eo irrequisito fiat, vel absente. Quarto ne dissimulet & taceat quasi nesciens, cum ad eum pertineat arguere, & ostendere quantum malum sit, & deterrere, ne vlterius audeant similia attentare. Quinto ne inultum esse patiatur, quia aliquod bonum parit peccati castigatio, scilicet quòd ipse qui fecit, prohibetur vltra peccare dicente Domino: Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Item, quia purgatur a peccato, ne à Deo postea durius puniatur, ait enim scriptura: Tu virga percuties illum, & animam illius de inferno liberabis. Item, quia per hoc alij erudiuntur, vt caueant similia perpetrare, iuxta illud: Pestilente flagellato, sapientior erit paruulus, id est, tenellus & nouus cautior esse discet. Item, ipse prælatus, vicarius superni iudicis, liberat animam suam à peccato negligentiæ, officium suum sic implendo. Quod quia Heli sacerdos non fecit, mortis sententiam cum filijs peccantibus excepit: vt habetur in 1. Regum. In hoc enim differunt laudabiles religiones & iam dilapsæ non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, & peccandi aditus studiose præcludantur, & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foueantur & diligantur, vt perseuerent, & in melius semper proficiant. Nam cum in conuentu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit prauitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogatiuam, quòd peccatum in eo non sit? quia & si plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. Vos mundi estis, sed non omnes; ait Dominus. Bonis enim quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint maioris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, à quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur, quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tanto fierent etiam minora, dicente Paulo: Quæ enim seminauerit homo hæc & metet. Nec tamen diligendi sunt mali seu fouendi, sed tolerandi: maxime quorum occulta sunt mala, & alios non inficiunt, & est spes de correctione ipsorum. Vbi vero ista defecerint, ibi sine graui detrimento sustineri non possunt: & ideo eliminandi sunt, ne putetur eorum prauitas bonis placere. Interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correctionum, confusionum, & castigationum, vngendi etiam fomentis exhortationum, consolationum, & orationum & promissionum, si forte conualescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est ei via peccandi,

Ioan.5.c *Prou.23.b* *Prou.18.d* *1.Reg.4.d* *Ioan.13.b* *Gal.6.b*

& tentationis aditus obstruendi, quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. Prælatus enim vicarius Dei, cui data est potestas à Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & iam exortas roborari & dilatari, si videt regulares obseruantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obuiat tam præsentibus malis, quàm imminentibus triplicem Deo reddet rationem.

Primo pro sua negligentia, quando non fecit ad quod officio tenebatur, nam ait Sapiens: Cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet, &c.

Sap. 6. a

Secundo quòd omnia peccata subditorum quæ poterat & debuerat correxisse & præcauisse, imputantur ei. Vnde dicitur Ezechieli: Si non fueris locutus, vt custodiat se impius à sua via, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

Ezec. 33. b

Tertio, pro abusione honoris, & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. Tollite ab eo talentum, ait Christus, & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ostendat ergo bonus zelator, quantum diligat Deum, in eo quod beneplacitum eius in se & in alijs promoueat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, ne labore lassetur, nec consilijs flectatur, nec astutijs circumueniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ prauæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur.

Matt. 25. c

CAPVT IV.

Quòd secunda ala prælatorum, est Pietas.

Secunda ala huius Ecclesiastici Seraph est pietas, siue fraterna compassio, vt sicut eum charitas Dei ad zelum iustitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam & si vitijs debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente Propheta: Virga tua & baculus tuus, &c. & Paulo: In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semiuiui relicti, infudit vinum zeli feruentis, & oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis, & vtraq; indiget compassione.

Psal. 22. a *1. Cor. 4. d*

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel in acutis, vel in alijs infirmitatibus grauibus laborantes. Alij sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoq; deambulantes, & tamen sæpe grauibus doloribus afflicti, vt calculosi, infistulati, ponderosi & similes. Tertij determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, vt senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali languore ad tempus attriti. His est triplici pietate subueniendum, scilicet remedijs medicinalibus, si congrue potest fieri. Item relaxatione rigoris, in victu, vestitu, vigilijs, & huiusmodi. Item exemptione laboris, in officijs, seruitijs, discursibus, & huiusmodi, prout cuiusque necessitas exquirat: ita quòd primis de primo, secundis de secundo, tertijs de tertio, iuxta singulorum indigentiam speciali succurratur. Omnis humanitas est infirmis & debilibus exhibenda, quia flagellati sunt à Domino: si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad patrem misericordiarum contra illos, qui eos tribulant conquerendo, dicente Dauid: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, &c. Infirmus enim, qui afflictus sibimet subuenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his quibus deberet, non consolatur, non à labore releuatur, non subuenitur indigenti, nec habet sibi compatientem, iuxta illud propheticum: In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel exprobrationis, & in siti mea potauerunt me aceto obiurgationis. Fiant ergo eis, quæ sequuntur, &c. Bonus autem Prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos vt iumenta sua, vel seruos emptionis; sed vt filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, similiter indigeret. Sed fortes & sani non sentiunt, quod sentit æger, ideo nesciūt eis compati, scient autem postea, cum dolebunt. Quod si obijciant, quia sæpe fingunt se qui dam debiliores, quàm sint, numquid propter hoc omnes sunt hypocritæ iudicandi? cum econtrario pro paucis iustis, vt habetur in Genesi, multis malis Dominus voluerit pepercisse.

Psal. 68. c *Psal. 68. c* *Gen. 18. d*

Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis, quam sani & robusti, primo propter sustentationem vitæ, quia seipsos non valent procurare, si tunc etiam ab alijs non procurantur, coguntur deficere, & non possunt subsistere, iuxta illud: Ne penitus pereat, qui abiectus est. Secundo propter restaurationem sanitatis & virium, quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus & fortis solus indigeat sustentamento, vt quod habet, conseruet, æger & debilis indiget duplici refectione, ne pereat, & perdat, quod adhuc habet, & reparet quod amisit, dicente Domino: Ab eo qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur. Tertio, propter cōsolationis releuamen, quia cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cum vident alios sibi compati, & ad reparationis suæ studium fideliter cooperari; & dicunt cum Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.

2. Reg. 14. c *Luc. 19. d* *1. Reg. 23. c*

Sed dicunt aliqui: Illis debilibus digne subuenitur, de quibus est spes conualescentiæ, in illis vero de quibus non præsumitur, quòd aliquando conualescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc rectè diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ vtilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subuenit, vt cum sanatus fuerit, benefactum illud seruando retribuat, merito charitatis se priuat. Vbi enim maior miseria, ibi clarior misericordia apparet, & purior charitas. Expedit ergo Prælatum, quandoque experiri infirmitates ceterorum, vt discat compati, iuxta illud: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, &c.

Heb. 4. d

Infirmorum mente etiam sunt tria genera. Primi, qui ex deuotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala & peccata, ex facili occasione vacillantes, & ad lapsum procliues, vt ait Apostolus: Inter vos multi infirmi & imbeciles, &c.

Infirmorū mente tria genera. *1. Cor. 11. g*

Secundi, qui licet bonæ voluntatis sint, & deuoti; tamen ex leui correptione, vel inuectiua obiurgatione effecti pusillanimes, aut coincidunt in quandam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in grauem commotionis impatientiam, vnde postmodum dolent, & ceteri quandoque turbantur. Vnde Paulus: Debemus nos firmiores imbecillitates, &c.

Rom. 15. a

Tertij sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diuersis virtutum studijs sæpe vacillant, & varijs passionum febribus sentiunt se interdum, etiam reluctantes, pulsari, modo elationis, modo iræ, modo acediæ, & inuidiæ, concupiscentiæ, gulæ, & aliorum vitiorum tam carnalium, quàm spiritualium, qui dicere debent cum Psalmista: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, &c. Remedia his infirmitatibus adhibenda sunt, vt subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, ne videant vnde infirmentur, vel audiant, & ne

Psal. 6. a

sæpe

Gen. 34. a | sæpe permittantur extra domum vagari: Dina enim, vt ait Scriptura, egressa domum corrupta est: & per exhortationes crebras exemplis patientiæ confortentur, & à duris increpationibus, donec conualescant de infirmitate, parcatur eis & alijs offensis, quibus perturbentur. Col. 3. d | Vnde Apostolus: Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Qui enim amplius commouet satis per se commotum, quasi prouocat contra se canem latrantem, vt mordeat eum. Item æquanimiter mores, & imperfectiones eorum supportentur: nam dicit Sapiens: Non omnes omnia possunt. Eccl. 17. d in sensu. | Sicut autem rudibus, & minus peritis solent doctores eorum imperite ignoscere, cum minus recte sentiant, ita & virtuosi benigne supportant aliorum defectus, scientes, quòd non omnes possunt æqualiter esse perfecti, & quasi paruulis & teneris in Christo grauiora, quam valeant portare, onera non imponunt, nec ab eis exigunt ea, quæ vires ipsorum excedunt. Hinc in Genesi: Nosti, quòd paruulos habeam teneros & oues & boues fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Gen. 33. c | Hoc est: Qui paruulos imperfectos, & aliquam bonam habentes voluntatem, quasi fœtus in vtero, plus vrget in exercitio virtutis, quàm secundum gratiam, quam acceperunt; etiam illud quod iam habent, supra vires agitando extinguit in eis, quod præuidens Paulus ait: Facti sumus paruuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos, quòd ita humiliter & pie blanditus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini & imperfectioni. 1. Thes. 2. b | Quo contra de duris, & non compassiuis pastoribus conqueritur Dominus dicens: Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, & quod fractum non alligastis, & quod perierat non quæsistis: Sed cum austeritate imperastis eis, & cum potentia, &c. Ezec. 34. a | & Bernardus: Vt quid grauatis iugum vestrum, cum cernitis discipulorum, quorum vos potius iugum portare debetis? Bern. ser. 23. in Cant. ante med. paucis mutatis. | Ponite onera, producite vbera, pecora lactate, quiescant. Et si interdum seueritate opus sit, paterna sit, non tyrannica, iuxta illud: Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram pro qua iuraui, &c. Num. 11. c

CAPVT V.

Quòd tertia Prælatorum ala, est Patientia.

Tertia ala Ecclesiastici Seraph est patientia & constans longanimitas. Sicut enim tectum tabernaculi, vt interiora munda manerent & nitida, excepit in se pulueres, & imbres, & ventorum impulsus; ita superiores qui fideliter subditos suos defendunt è turbine peccati, necesse est, sæpe diuersarum excipere tempestates aduersitatum, sicut gallina pro pullis se obijcit miluo, vt eos defendat.

Patientia in tribus necessaria prælato. | Tria verò sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maxime videtur. Primo propter multiplices labores & curas, & occupationes diuersimode emergentes. Cura enim continua vrget eum, tam de spiritualis prouidentia disciplinæ, quam de corporalis subsidij prouisione. Vnde & Apostoli non solum de spiritualibus, sed & de temporalibus fidelium necessitatibus, maxime pauperum, soliciti erant, iuxta illud: Iacobus & Ioannes & Cephas dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem, scilicet Euangelij prædicationem extenderent, tantum vt pauperum Christi memores essemus; quod etiam solicitus fui, hoc ipsum facere, &c. Gal. 2. b | Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pauit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cum aliunde non haberent, refecit. Mar. 6. f & 8. a | Occupationes quoque variæ tam ex domesticis curis, quam extraneis causis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, & quomodo se de illis expediat, anxiari. Ex his etiam labores plurimi crescent discursuum, vigiliarum, tractatuum, & aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est, ita, vt Moyses mitissimus & Deo familiarissimus, propter hoc in plures onus gubernationis populi sit partitus, quasi non valens tot negotia sustinere, sicut scriptum est: Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus ac iurgia; date è vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio probata sit in tribubus vestris, & ponam vobis eos principes, &c. Deut. 1. c

Secundo est ei patientia necessaria, pro tardo profectu illorum, in quibus continue fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere, videt post, quia per multos conatus suos ea, quæ multo labore in modico iam emendari cœperant, ex facili iterum dilabuntur, & propter plures difficultates, & obstacula profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui, sicut qui multa seminauit, & pauca conspicit oriri, videt etiam quandoque, quæ personaliter iubet & ordinat, negligenter impleri & seruari, & sæpe sub specie boni latenter malum subintrare, ita quòd non audet aperte vt malum redarguere, cum bonum in superficie appareat, & tamen in fine per hoc maius bonum destruitur, & apertioribus malis aditus aperitur, verbi gratia, vt multi saluentur, plures, quàm opportune tenere possumus, recipimus. Sed ipsa tandem multiplicatio, erit paupertatis nostræ obfuscatio, dum plures velint pluribus gaudere, non carere: inde sequitur frequentior discursus pro acquirendo necessaria, exquiruntur viæ insolitæ in petendo, incautius agitur contra regulam; vel recipiendo, quies deuotionis extinguitur, mores religiosi in dissuetudinem vertuntur, consuescunt fratres libenter euagari, & diuersa carnis commoda foris venari, familiaritates, in regula prohibitas, contrahere, munera à confitentibus quærere, ædificationes animarum pro quæstu vendere, diuitibus adulari, areas dilatare, sumptuosa Palatia exaltare, scandala non curare; & Dei honor, qui ex nostra sancta conuersatione, & aliorum exinde ædificatione prouenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur. Idem est de præpropera promotione iuuenum, & nondum probatorum ad ordines, & officia confessionis, prædicationis, & prælationis. Idem de pluribus quæ coram hominibus sunt, alicuius apparentiæ, sed religionis puritatem interius coram Deo obscurant; & rudes in religione, qui interna non sapiunt, putantes in his exterioribus honestatibus, totam vim spiritualis conuersationis constare, magno zelo eas defendunt, & de veris virtutibus, & spiritualibus non curant. Hæc & alia plurima videns spiritualis prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, & vritur, & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur, & dicit cum Propheta: Tabescere me fecit zelus meus, zelus domus tuæ comedit me, &c. Psal. 118. f & Ps. 68. b

Tertio necessaria est ei patientia, pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, scilicet quòd vix vmquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quòd aliter posset eis & melius facere si vellet, quòd sæpe perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere, & acquiescere in omnibus quæ cupiunt, vel rigide tenere quod credit esse magis expediens, iuxta illud Pauli: Quid eligam ignoro, coarctor enim, &c. Phil. 1. d | Item quòd inuertunt ei plurima quæ facit, & interpretantur ad deterius, & super his visitant eum, & murmurant, & accusant, & detrahunt ei, & sumunt inde materiam scandali, vnde putabat se Deo & ipsis obsequium præstitisse, ita, quòd vix in aliquo potest inueniri remedium, in hoc quod ordinat aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat & turbentur. Item, quòd etiam in faciem quidam resistunt ei, vel literis arguunt eum & despiciunt & concitant alios, vt se ei opponant, vel astute impediunt, ne possit perficere quæ debet. His & alijs aduersis quibus diuersimode impetitur, triplici patientiæ scuto studeat se opponere.

Primo vt modeste & mature & benigne ad singula respondeat, & impetum feruoris reprimat, ne in voce aut vultu seu moribus impatientiam ostendat. Tunc

enim magis proficit per patientiam; & tandem deuincit, quos impetuose agendo amplius prouocaret. Sic Gedeon modeste respondens viris Ephraim contra se iurgantibus, compescuit spiritum eorum, quo tumebant. Nam teste Sapiente: Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Vix enim commotio commotione sedatur, & vitium vitio non sanatur. Impatientia enim prælati confundit, quæ promouere poterat bona. His modis alios scandalizat iuxta illud: Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam, scilicet alijs pandendo. Reddit eum subditis & alijs contemptibilem, vt dicitur in Prouerbijs: Qui vanus, & excors est, patebit contemptui. Facit eum exosum & horrendum, iuxta illud Ecclesiastici: Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit. Prouocat alios ad impatientiam, dicente Scriptura: Vir iracundus prouocat rixas, qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Non audent ei subditi necessitatem suam aperire, iuxta illud Iob: Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Replet domum murmure, & rancore, vt patet in Prouerbijs: Qui conturbat domum suam, possidebit ventos, scilicet conspirationum. Teneros mente fugat, & pusillanimes facit, sicut dicit Salomon: Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere? Nemo audet eum monere de his, quæ forent emendanda, vt patet in primo Regum: Ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui.

Iudic. 8. a *Prou. 15. a* *Prou. 14. d* *Prou. 12. b* *Eccli. 9. d* *Prou. 15. c* *Iob. 4. a* *Prou. 11. d* *Prou. 18. c* *1. Reg. 25. c*

Secundo studeat esse pacificus, vt nec vindicet se de illatis iniurijs, nec in corde oderit illos, nec curam segnius agat, nec quærat eos à se remouere, immo lubentius teneat eos, vt per hoc & illos & alios ædificet benefaciendo ingratis, & vt per se virtutis exercitium in eis habeat, exemplo Summi pastoris, qui ait: Eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Cum enim sit proprie officium pastoris docere virtutes, si vitiosos remouet à se, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis tyro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? Inde est, quòd inter alios tot sanctificati sunt Episcopi, & Prælati, quia tam agendo bona, quàm patiendo aduersa, & alios ædificando, ad alta perfectionis culmina officij sui occasione peruenerunt, dicente Paulo: Qui Episcopatum desiderat, &c.

Luc. 6. e *1. Tim. 3. a*

Tertio si patiens non minus sit voluntarius, & studiosus ad exequenda ea quæ officij sui solicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectus, vel importunitates subditorum, vel alia grauamina, quia sic ad alta merita peruenitur, iuxta illud: Vos ergo confortamini, & non dissoluantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro. Istæ manus Prælati sunt instantia in agendo, & patientia in sufferendo, quod grauat: quæ si non dissoluantur per desidiam seu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur. Per has namq; aduersitates rector à peccatorum puluere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis surreptione. In multis enim offendimus omnes, etiam in pluribus negotijs plures negligentiæ sæpe fiunt, à quibus purgari necesse habent hic Prælati, ne illic durius puniantur, iuxta illud: Si inique aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum.

2. Par. 15. b *Iac. 3. a* *2. Reg. 7. b*

Item per has, dum deprimitur, à tumore superbiæ custoditur, quæ potentibus periculosius insidiatur, dum & sublimitas officij, & libertatis licentia, & boni operis placentia facile mentem eius extollerent, nisi aduersitatis iugum collum præsumptionis eius humiliaret, & sic à superbiæ voragine defensaret. Nam in Iob legitur: Erudiens instruit disciplina, vt auertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum desuper eruens animam eius à corruptione, & vitam illius, vt non transeat in gladium. Increpat quoq; per dolorem in lecto, &c. Custos enim salutis, & profectus boni rectoris est humiliatio aduersitatis, sine qua, eum successus prosperitatis cito releuasset in ventum præsumptionis. Vnde Dauid secundum cor Dei electus, quando premebatur aduersis, deuotissimus fuit & humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis, ipso attestante cum dicit: Bonum mihi quia humiliasti me, &c.

Iob. 33. b *Psal. 118. i*

Item, vt dictum est, meritum eius exinde multiplicatur, dum non solum pro bonis, quæ in se & alijs promouet, gloriam acquirit, sed & pro aduersis, quæ patitur magnifice coronatur, sicut aurum quod per ignem probatum fit pulchrius & pretiosius, sicut scriptum est: Tamquam aurum in fornace probauit, &c. Sæpe autem spiritualis profectus crescit, dum non sentitur: & roboratur, cum magis infirmari putatur, iuxta illud: Sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet, & crescat dum nescit ille, &c. Non autem mirum, si omnes conatus rectoris non proficiunt in omnibus, cum nec Dei operatio in omnibus proficiat ad salutem ipsorum, & multi sint vocati, & pauci electi. Omnia enim quæ seminantur, non conualescunt, & qui thesauros effodiunt lubenter multam terram eruperant, vt modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni rectoris, quantum foret detrimentum si non esset, sicut lux tantum est bonum, quantum eius absentia malum. Animare etiam debet rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minus meretur in illis, qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quam in his qui maxime proficiunt. Non enim dicit Apostolus: Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum profectum, sed secundum suum laborem. Dei enim est incrementum dare, plus enim laborat doctor in indocili, quàm in docili discipulo: & ideo apud iustum æstimatorem laboris, plus meretur. In terra sterili & saxosa agricola plus laborat, & si fructus paucior, sed pretium maius. Et quæ difficilius elaborantur, sæpe carius venduntur.

Sap. 3. b *Mar. 4. c* *Matt. 22. b* *1. Cor. 3. b*

CAPVT VI.

Quarta Prælatorum ala est, quòd sit exemplaris in vita.

QVarta ala est, vt sit exemplaris in vita. Ipse namq; debet ceteris esse norma viuendi, vt quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui Geometriam docet, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, vt quod dicit, melius capiatur: nam dicitur in Actis: Cœpit Iesus facere, & docere, & alibi: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, & vos ita faciatis. Gedeon ait suis: Quod me facere videritis, hoc facite. Quamuis igitur non solum in præfatis, sed in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos, specialiter tamen in his tribus, scilicet in communis obseruantiæ conformitate, in mansuetudinis humilitate, & in maturitatis honestate. Vnde Apostolus: In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & in grauitate. Communem vitam cum ceteris obseruet in victu, vestitu, & labore, vt non vacet conuiuijs & potationibus, cum alij sobrio cibo & potu vtantur, nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec à labore ceterorum se subtrahat, qui illos iubet in eisdem laboribus exerceri. Pastor si se à grege segregat, oues insidijs luporum exponit. Sanus sit sanis, & infirmus infirmis, velut alter Paulus, qui dicebat: Factus sum infirmis infirmus, scilicet exemplar, vt infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Nam si sanus debiliter viuat, facit eos exemplo suo carnales. Si vero infirmus recusat infirmorum remedia, facit eos pusillanimes: innuens, quòd aut velit eos similiter facere, aut non cupiat eis, vt melius fiat illis. Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Vnde in Actis dicitur: In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsq; ad diem, qua assumptus est à no-

Act. 1. a *Ioan. 13. b* *Iudic. 7. c* *Tit. 2. b* *1. Cor. 9. d* *Act. 1. d*

st à nobis, &c. hoc est, à primo tempore, quo cœpit habere discipulos post baptismum, vsque quo ascendit ad Patrem, semper exemplo suo erudiuit nos; intrans, familiariter cum discipulis viuendo; & exiens, vtiliter cum turbis, prout congruebat, conuersando.

Sit etiam humilis moribus, vt mores eius ostendant eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem, sed timere & coactum tenere, & magis desiderare subesse, & eos quibus præest, meliores se iudicare, & eorum potius se seruum, quàm magistrum vel dominum reputare. Qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est sicut ministrator, ait Dominus. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat &c. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Rectorem te posuerunt, &c.

Luc. 22. c
Eccli. 32. a

Sit etiam humilis affabilitate, vt subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant; & patienter eos audiat, & benigne eis satisfaciat, & studiose instruat, & alacriter exhortetur, studeat magis amari quàm timeri, quia lubentius obeditur ei, qui diligitur, quàm qui timetur. Obedientia dilectionis propriæ est voluntaria, timoris autem magis est coacta. Quanto ergo illa habet de voluntario, tanto sublimior est in merito, finis autem officij regiminis est commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad similia virtutum merita fideliter promouere.

Sit etiam humilis in vsu rerum temporalium, vt nihil habeat pomposum vel diligat, sed omnia quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstrent & humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectulus, vtensilia, mensa, pallia, & huiusmodi, vt nihil in omnibus appareat, quod notam iactantiæ vel curiositatis habeat, nec talia fieri ab alijs patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis cordis indicium curiosa quærere, pretiosa affectare, & excelsa ambire. Nam scriptum est: Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.

Iob. 41. b

Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scilicet, si nõ sit leuis in moribus, videlicet in verbis, & iocis scurrilibus, & irreligiosis, quæ licet in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reuerendum faciunt, & verendum. Gregorius enim dicit: Non facile eius prædicatio recipitur, si leuis in moribus videtur. Nam & si prælatus magis diligendus sit, expedit tamen, vt ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suauior sentitur cum reuerentia mixtus. Quod patet in amore summi conditoris; cuius quo maiestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidius amatur, sicut dicit Propheta: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit, &c.

Greg. hom. 3. in Ezec. ante med.
Psal. 24. b

Item, si non sit leuis in affectu per priuatos amores notabiles, tam ad feminas, quàm ad quaslibet leues personas. Licet enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint, in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, vt nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, se quilibet se ab eo diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat, ne alicui indignatio & inuidia in alijs nutriatur, sicut fratres Ioseph qui oderunt eum, pro eo quòd à patre singularius amaretur, vt dicitur in Genesi.

Gen. 37.

Item si non est leuis in proposito, & inconstans in consilio, vt quod iam placet mox displiceat, modo velit, vnum, modo contrarium, vbi rationabilis causa non apparet. Quis enim eius iudicio credat, vel eius voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? Ideo eius subiecti non possunt eius reuereri prudentiam, nec sciunt se parare ad voluntatis eius obedientiam, & in vtroque non potest esse modicum nocumentum. Propterea dicit Paulus; Omnia probate, quod bonum est tenete, & facite sine hæsitatione, & retractationibus, quæcumque facitis. Vbi tamen causa rationabilis subest iustæ necessitatis vel piæ vtilitatis, vt aliter & aliter aliquid fieri expediat, non est hoc leuitatis sed maturitatis: quia sicut stultum esset melius mutare in deterius, sic etiam stolida est obstinatio, tam pertinaciter inhærere conceptis, vt pro maiori bono, & aperto ab eis flecti non possit, iuxta illud: Nec putetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt reipublicæ poscit vtilitas ferre sententiam. Vnde & Apostolus excusat se, cum promiserit Corinthijs se venturum, quòd non leuitate hoc promiserit, sed pro eorum vtilitate, cum dicit: Volui prius venire ad vos &c. & in Ecclesiastico: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

1. Thes. 5. d
Esth. 16. b
2. Cor. 1. c
Eccli. 10. a

Boni magistri bonos discipulos facere consueuerunt vt frequentius, multi fierent meliores in religionibus & in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla à suis doctoribus proponerentur. Negligentia vero huiusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districte in iudicio requiretur. Nam Dominus dicit: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum & inualidum. Ipsi liniebant parietem absque temperamento, dic eis, quod casurus sit. De correctis exemplaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenacius inhæret doctrina operum, quàm verborum. Nam cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Rector enim præcipue ad hoc studere debet, vt sibi commissos faciat Christiformes, id est, vt formam vitæ ad doctrinam Christi eis imprimat, vt non solum mente eum attendant, sed & moribus imitentur. Vnde Apostolus ad Ephesios dicit: Estote imitatores Dei sicut filij, &c. & ad Galatas: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed cum ex verborum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam eius visibilem in se ipsis ostendere, vt eis profundius imprimatur, dicentes cum Apostolo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. quasi dicat: Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate. Et ad Galatas: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Vicarius enim Christi, vicem Christi debet gerere, in beneplaciti eius promotione, in potestatis eius auctoritate, & in similitudinis eius repræsentatione, scilicet vt ea quæ vult, promoueat in subditis, & eius auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, & eum se imitabilem illis moribus, & vita demonstret, idem dicente Apostolo alibi: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum. Ille vero seipsum, & non Christum prædicat, qui gloriam propriam quærit dicendo, & qui malis exemplis, se potius quàm Christum ingerit subditis imitandum. Nam dicit Apostolus: Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini, hoc est, non bono zelo præsunt vobis, qui per sua praua exempla excludunt vos ab imitatione Christi, vt mores eorum discatis, & exempla sequamini.

Ezec. 34. c
Ezec. 13. b
Ephes. 5. a
Gal. 4. c
1. Cor. 11. a
Gal. 2. d
2. Cor. 4. b
Gal. 4. c

CAPVT VII.

Quòd quinta ala Prælatorum, est circumspecta discretio.

QVinta ala ecclesiastici huius Seraph, est circumspecta discretio, & prouida faciendorum consideratio. Quæ quàm necessaria sit rectori animarum, Salomon ostendit: qui habens à Deo postulandi, quæ vellet optionem, prætermissis omnibus, petiuit sapientiam, sine qua asseruit, non posse populum bene regi. Dabis ergo Domine cor seruo tuo docile, vt iudicare possit populum tuum, & discernere inter bonum, & malum, & alibi dicit: Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excedatis. Et Psalmista: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Rector enim est dux gregis sibi commissi, & si ipse errauerit, grex in dispersione confusus,

3. Reg. 3. b
Sap. 6. a
Psal. 2. b

fusus, incedit. Sicut oculus est lux totius corporis, A ita pastor gregis commissi, iuxta illud: Vos estis lux mundi, &c. Secundum quòd oculus est clarus, & obscurus, sic etiam corpus ab eo regitur directè, vel per deuia.

Matt. 5. b

Duplex ergo circumspectio rectori necessaria est, vt sciat, quid agendum sit, & qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi bene fiat, id est sicut decet. Bernardus: Tolle discretionem, & virtus vitium erit. Sine ipsa zelus præcipitat, teste Apostolo, qui ait: Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Item compassio condescendit vsquequaque sub specie pietatis, sicut dicitur in Prouerbijs: Qui parcit virgæ, odit filium, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit, animam eius ad interitum mittit. Item pa- B tientia sine discretione remissum in regiminis vigore facit, cum sub specie humilitatis rebelles non reprimit. Vnde scriptum est, quòd Roboam erat rudis, & corde pauido, nec poterat resistere eis, scilicet qui se Domino & sibi opposuerant. Item sine discretione qualecumq; bonum exemplum inefficax fit ad ædificandum alios, sicut bonus cibus non est delectabilis, sine condimento salis: ait Leuiticus: In omni oblatione tua offeres sal, & Apostolus dicit: Rationabile obsequium vestrum. Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: hoc est, bona facere non sufficit, nisi discrete, qualiter, quando, vbi, quare agendum fuerit, videatur.

Duplex circumspectio Rectoris necessaria. Bern. super Cant. serm. 49. cir. med. Rom. 10. a Prou. 13. d 2. Par. 13. b Leuit. 2. c Rom. 12. a Gen. 4. a sec. LXX.

Quamuis autem plurima sint, circa quæ oportet rectorem esse circumspectum, quæ non possunt breuiter poni, tamen quattuor videntur præcipua, in quibus debet eius prouidentia vigilare. Vnde dicitur in Exodo: C Iubetur pontifex ingrediens sanctuarium, vt ministret Domino, inter alia ornamenta semper in pectore rationale iudicium deferre, & in ipso quattuor ordines gemmarum, ita quòd quilibet ordo tres lapides contineat pretiosos, auro inclusos, &c. Pontifex Domino ministrans, sanctuarium ingreditur, cum prælatus curam animarum suscipit, vt in earum saluatione Deo gratissimum præstet obsequium. Nullum enim Deo gratius sacrificium, quam zelus animarum. Qui inter alia virtutum insignia, semper debet rationis iudicio quattuor ad officium suum spectantia, in pectore versare. Primum est, quomodo in statu debito commissos sibi gubernet, vt boni sui proficiant, & persistant. Secundum, quomodo lapsos, & deuios corrigat, & emendet. Ter- D tium, exteriora negotia, quæ requiruntur ab eo congruè disponat. Quartum, quomodo se in his custodiat, & gerat. Tres lapides in singulis versibus, sunt tria ad singula eorum quattuor pertinentia. Ad statum debitum tenendum conuenit, vt rector omnium subditorum, mores, conscientias, & vires perspicuè agnoscat, vt secundum quod vnicuiq; expedit, onus obseruantiæ regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt æqualiter, & vnus quasi proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Vnde in libro Numerorum dicitur: Aaron, & filij eius intrabunt, ipsi quoq; disponent onera singulorum, & diuident quid portare quis debeat. Aaron & filij eius sunt Prælati maiores, & minores, qui debent intrare idest interiora cuiusque agnoscere, & secundum quod conuenit singulis onus religiosæ conuersationis E imponere, & propter triplicem obseruantię qualitatem, quæ sunt tres lapides pretiosi, in primo versu quattuor ordinum prædicatorum.

Rector circumspectus quattuor sit circumspectus. Exod. 28. c Num. 4. c

Prima obseruantia consistit in illis, quæ sunt iuxta cuiusq; professionis formam de necessitate salutis, quæ ita annexa sunt ordini & regulæ, vt eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum, vt est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas, & alia præceptorie imperata, in quibus locum non habet dispensatio magistri, cum & ipse sit ad ea seruanda ligatus. Hæc necesse est Prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere, ab omnibus studiose seruari, & nolentes cogere ad seruandum, & pro nulla causa permittere, quantum in se fuerit, aliquem contraire, etiam si magna propter hoc sibi, & fratribus tribulatio seu dispendium immineret. Quis nos separabit à charitate Christi, ait Paulus, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? quasi dicat: Non debet. Hoc est contra illos qui dicunt, Si sic, vel sic non acquireretur, necessitas fratribus, ne possent hic aliquatenus sustentari. Cum talis forma conquirendi est contra regulam, & in scandalum, & religionis deformitatem; melius est ibi non esse religiosos, vbi non possunt, vel non volunt viuere vt religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alij de ipsis scandalizantur, dicente Domino: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei, vt &c. Quid ergo qui multos & magnos scandalizat? Ista consideratio prima debet esse gemma lucens in pectore Pontificis, idest præ omnibus curanda.

Rom. 8. f Matt. 18. a

Secunda versatur circa illa, quæ spectant exercitium altioris perfectionis scilicet singularis, patientiæ admirandæ, humilitatis stupendæ, charitatis arduæ, sobrietatis eximiæ paupertatis & sublimis deuotionis, & similium virtutum, ad quas debet rector commissos, exhortationibus, monitis, & exemplis efficacibus afficere, & attrahere magis, quàm inuitos cogere. Consilia enim perfectionis suadentur, non imperantur: præter ea, quæ in voti emissione exprimuntur, vt continentia. Pręcipua tamen causa monasticæ institutionis fuit, vt esset schola palæstralis, exercitij perfectionis. Palæstra, vt dicitur, fuit ludus nude luctantium, qui se oleo perungebant, ne à colluctantibus teneri possent, & ita ad terram deijci. Et apte similatur à Paulo luctamini religiosorum, cum dicit: Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Rector igitur & hanc gemmam ferat in pectore, vt sectatores suos doceat, & prouocet, non solum viam tenere, qua saluentur, sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in cælo gloriam assequantur.

Palæstra. 1. Cor. 9. d

Tertia consistit in illis, quæ nec sunt de pura necessitate salutis, nec de eminentia perfectionis, sed tamen ad vtriusq; acquisitionem, & conseruationem à sanctis patribus apte statuta sunt, ad exercitium bonorum operum & decorem ipsius religionis, & ad ædificationem intuentium, vt sunt ieiunia, silentium, solemnitas diuinorum officiorum, & exteriores corporalium exercitationum honestates, quæ iuxta Apostolum tam vtiles sunt, sicut instrumenta pro artificiis quæ possent & aliter peragi à peritis, cum prius fuerint artes quàm talia instrumenta. Vnde discretus Prælatus, cum necessitas exigit, vel maior vtilitas requirit, dispensat in causa pro talibus pro loco, & tempore, sine difficultate, cum viderit expedire. Vbi autem maior vtilitas, vel necessitas non exigit, studiose faciat ea seruare. In hoc indiget Prælatus non modica discretione, vt sciat inter rigorem & remissionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus, & ipse minus erit dilectus fratribus, & illi minus erunt voluntarij ad alia quæ vtiliora, & necessariora forent. Rursum si fuerit plusquam conuenit remissus in talibus cito maior dissolutio subsequetur. Qui spernit modica, paulatim decidet, ait Sapiens.

1. Tim. 4. b Eccli. 19. a

Circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet. Hic est ordo secundus, tres gemmas continens, quia triplex continentia ad hoc est necessaria, sicut sunt tria genera delinquentium. Quidam enim cum deliquerunt, mox aut intus moti à spiritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. His cum clementiæ fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis sic temperata debet adhibere, quibus & satisfaciant Deo de offensis, & proximo de scandalo, vt ceteri peccare magis timeant, & tamen propter leuitatem remedij ipsos non pœniteat, se pœnitentiæ submisisse, nam dicit Paulus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis, subaudi, medici, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, &c. idest talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium

Gal. 6. a

compati.

compati, si tali peccato delinqueres. Et hæc est vna gemma secundi ordinis, discretio talis. Alij cum delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, & virus interius latet. Et licet rector ex certis indicijs deprehendat ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpet exterius, nec per euidens testimonium, nec per voluntariam confessionem, quod possit opportune ferro apertæ correctionis secare. Si corripit non proficit, & videtur magis vitiorum diffamator, quàm vitiosorum corrector: sed mouetur & dissimulat, vritur & anxiatur tam pro anima fratris quàm pro se, quia non corrigit delinquentem. Cum ergo aliud congrue facere non possit, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat; & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere, vt aut Deus citius demum corrigat, aut latentem eius malitiam detegat, vt aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Iudam proditorem diu tacite tolerauit, quòd eum aperte non corripuit, donec in tantum eius iniquitas creuit, quòd per se patenter erupit. Quæ quamdiu latuit, licet in se lethaliter ægrotaret, tamen alijs non nocuit, & ideo irreprehensibiliter potuit tacite tolerari, nam dicit Dominus in Matthæo: Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem, idest zizania cum tritico, & in Apocalypsi dicitur: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Debet tamen talibus, vbi potest, caute caueri ab occasione peccandi, & in communi moneri debent, vt resipiscant, iuxta illud: Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Sed cum ad tam singulare facinus non potuisset Iudas subito proruisse, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus, apparet eum à Domino in malo statu diu occulte toleratum. Ego tacens, & quasi non videns. Talis ergo dissimulatio in corde rectoris multa discretione indiget, vt in neutro deuiet à iusto. Et hæc est gemma secundi ordinis secunda in pectore sacerdotis. Tertij offendunt grauiter aperte, & non recipiunt debitam correctionem, vel ficte recipiunt, quia non emendantur, & alij ex eis fiunt deteriores, vel scandalizantur de ipsis, vel imitari eos incipiunt, si vident eos impune peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Vbicumq; ergo quattuor illa conueniunt, scilicet, grauiter, aperte, peccare, & non esse spem correctionis propter obstinationem, seu inueteratam mali consuetudinem, & alios infici per eius exemplum, vel scandalizari, quia talia tolerantur; quid restat, nisi vt ouis morbida abijciatur, & membrum putridum præcidatur, ne sana inde inficiantur, & corrumpantur? Vnde dicit Apostolus: Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant, & ad Corinthios: Auferte malum ex vobismetipsis. Quòd si infidelis discedit, discedat. Et Lucas dicit: Succide ergo illam, scilicet, ficum infructuosam, vt quid etiam terram occupat? & Matthæus: Omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in Numeris: Præcipe filijs Israel, vt eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq; est super mortuo ne contaminent ea, cum habitauerint vobiscum, &c. Ad ista tamen non debent impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, & spiritum Dei & donum consilij habentium. Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis, & in Matthæo: Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: hoc est, cuius vita in habitu religionis magis scandalizat simplices, quàm ædificet, expedit, vt foris missus, solus damnetur, quàm per eum sacra religio contaminetur.

Matt. 13. d — *Apoc. vlt. c* — *Matt. 26. c* — *Isa. 57. c* — *Gal. 5. b* — *1. Cor. 5. d* — *1. Cor. 7. c* — *Luc. 13. b* — *Matt. 3. b* — *Num. 5. a* — *Eccli. 32. d* — *Matt. 18. a*

Tertius ordo versatur circa negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda, quorum alia expedit, vt alijs disponenda committat, alia per seipsum disponat, alia præcidat, & remoueat, quantum valet. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, vt Iudæ loculos, sibimet retinuit prædicationis & curationis officium, vt patet in Luca. Requisitus enim vt inter fratres quosdam hereditatem diuideret, respondit: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos? Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia, si per seipsum voluerit actu disponere, impeditur ab interiorum & meliorum prouisione, quia sparsus ex se mentis oculus minus videt interiora, & necessaria saluti. Vnde in Exodo dicitur: Esto tu populo in his quæ sunt ad Deum, & leuius feres partito in alios onere, scilicet leuitorum, & in Actis: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, &c. Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret, potius deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quàm ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi qui sciens Iudam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare, iuxta illud: Fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat. Hoc est contra illos, qui facilius inueniunt, quibus curam animarum committant, quàm rerum suarum temporalium: cum incomparabiliter maius sit dispendium periclitari animas, quàm res perire. Spiritualia vero & quæ ad salutem necessaria sunt, & profectum virtutum, principaliter debet animarũ custos & rector sibimet curanda retinere, cum hæc sint de substantia officij pastoralis, & de his maxime sit in iudicio rationem Domino redditurus. Hæc sunt, qualiter regula studiose seruetur, & alia statuta, & ordinis disciplina. Item, quòd pax & dilectio sit inter fratres. Item, ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, de quibuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum prouidere & præcauere, monere fratres vt proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quò & fratribus, prout conuenit, sufficiant, & conscientiam non offendant. Vbi vero non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa Dei, ibi seruetur ad Deum obedientia, & ad homines patientia, & dicamus cum Petro: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Exod. 18. c — *Act. 6. a* — *Ioan. 12. a* — *Act. 5. e*

Prælatus vero gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, vt cum alia membra debita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidendo prouideat, quasi omnium sensuum capax, & omnia regens & sensum & motum omnibus transmittens per iussiones vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam compaginatione neruorum: vnde & caput singulari actione non occupatur, vt vacet omnium membrorum prouisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat & loquitur. Sic & Prælatos sibi commissis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus redditurí, ait Apostolus.

Heb. 13. c

Superflua vero & non necessaria saluti, vel profectui animarum negotia, expedit præcidere, & tam à se quàm à fratribus quantum oportune poterit remouere. Cum enim propter temporis breuitatem, & diei malitiam vix necessarijs sufficimus disponendis, si superuacuis vel alienis volumus occupari negotijs, negligimus vtiliora & meliora, cum distractus animus ad plura, fit minor ad singula prouide peragenda. Inde fit aliquotiens, cum Prælati & religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant, ædificiorum, librorum, causarum, & aliorum, quibus fructuosius carerent, vt non solum meliora interim neligant, sed etiam conscientiam sæpius inquinent, & ex vsu exteriorum tenebrescat oculus mentis ad contemplationem spiritualium & internorum, & tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxij affluunt, vbi fuerit in corpore læsio, nisi caute remoueantur, ne fiat ibi tumor vel vlcus; ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui se eis acquieuerit occupari. Ideo discretio Prælati debet prouide prospicere, quid ex quolibet euentu possit consequi, & quæ negotia admittere, vel quantum expediat ea exequi, circumspecte timari. Ait enim Sapiens: Fili ne in multis sint actus tui. Qui sarcinam satis grauem portat, imprudens est, si ad huc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportune carere.

Eccli. 11. b

Super omnia vero debet semetipsum rector circumspicere, ne alijs prouidens seipsum negligat: ne alios

Luc. 12. b

Matt. 16. b saluans, seipsum in periculum demergat. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Hic est quartus ordo gemmarum triplici circumspectione, quasi pretiosorum trium lapidum ornatu complendus, ait enim Ioannes: 2. Ioan. c Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, supple, in alijs: sed vt mercedem plenam suscipiatis.

Vna circumspectio sui versatur circa conscientiæ serenitatem, vt illa semper secura sit & munda. Secura sit, vt nihil velit, agat, iubeat, vel permittat illicitum & indecens, professioniq; suæ contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur. Munda, vt de bonis quæ fecit, vel promouet, gloriam ab hominibus non captet, nec sibimet exinde immoderate placeat, solius Dei beneplacitum in omnibus quærens, vt quæ pro eo facit, idest vice Dei, etiam pure faciat propter eum & ipsius amorem. Matt. 6. c Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, hoc est, si intuitus intentionis purus fuerit charitate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ. Si autem nequam fuerit, &c. Scrutetur ergo conscientiam suam, solicite dijudicans quid egerit, quod omiserit de agendis, & quo fine bona fecerit, & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat & caueat, de bonis vero non in se, sed in Domino glorietur cum Apostolo; qui ait: 1. Cor. 11. g Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur. Qui puluerem ab alijs detergit, vix potest transire, nisi & ipse puluere respergatur, quem etiam in se detergere necesse habet, iuxta illud: Luc. 4. d Medice cura teipsum. De bonis vero quæ facit sic lætetur, vt inde non extollatur, æstimans quòd non propter se, sed propter alios quibus præest, Deus dederit ei benefacere vel dicere vel sentire.

Alia circumspectio sui versatur circa exteriores motes & verba, quibus oportet eum alijs magis quàm sibimet deseruire. Qui enim pluribus cogitur viuere ad exemplum, & satisfacere singulis & omnibus placere, multa indiget discretione, vt medium valeat tenere, ne sit nimis tristis vel hilaris, nimis seuerus vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus, nimis dure loquens vel blande, nimis rigidus vel remissus, nimis sæpe cum hospitibus vel raro, nimis laute reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum obseruans vel dissimulans, nimis fouens aliquos vel alios paruipendens, & similia. Cum ergo non possit semper teneri, quod de omnibus placeat; minus tamen deuiat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quem ei libentius obtemperant, & audacius ad eum recurrunt, in quibus indigent, & alacrius imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis, & si huic iungitur austeritatis seueritas pauidis fit mentibus onerosa. Ezec. 34. a Vos autem cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ, dicit Dominus. Et in Ecclesiastico: Eccli. 4. d Noli esse quasi leo in domo tua, subuertens domesticos tuos. Hinc est, quòd ipse summus princeps pastorum Dominus Iesus tantam nobis benignitatis charitatem exhibuit, vt se nobis faceret amabilem & ita imitabilem, vt per amorem suæ humanitatis traheret ad amorem & cognitionem suæ diuinitatis, vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur. Sic & vicarius Christi Prælatus, ad hoc maxime studeat à subditis diligi, vt sic facilius trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundum veritatis iudicium virtuti charitatis & humilitatis, & professæ puritati magis consonat, & Euangelicæ perfectioni.

Vltimo etiam ipsa discretio, quæ cetera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, ne ei contingat vt oculo corporis, qui cum alia videat, non videt seipsum: videlicet ne plus sapiat quàm oportet sapere, ne sibi plus credat quàm expedit, ne sit sapiens in oculis suis, quia teste Beato Gregorio: Greg. in sen. su. lib. 25. Sicut subditorum tentatio est, reprehendere in prælatis quòd in multis non recte agant, ita prælatorum tentatio est, quòd se ceteris sapientiores æstimant. Mor. c. 14. circ. fin. Vnde dicitur: Prou. 26. b Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus. Stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium à sapientibus ne decipiatur. Ille autem dum de se plus quàm debet præsumit, etiam vbi errat, recte se plerumq; sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuiq; Christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum & solum reputat iustum quod ipse senserit, astuto aduersario ad varias seductiones sub specie boni librum aditum pandit. Ait enim Psalmista: Psal. 9. c Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Ibi enim libentius insidiatur, vbi maiores meritorum diuitias cernit inquiri, vt ibi innocentem inquirat & occidat, vbi se Deo magis obsequium præstare sperabat. Vnde cautum est semper rectori, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex humilitas consistit. Primo, si alij idem sentiunt quod & ipse, securior est quòd non decipiatur. Secundo, quidquid fecerit cum prudentium consilio, si aliquid inde euenerit contrarij, minus ei poterit imputari, quàm si de suo tantum sensu id fecisset. Tertio, quòd sæpe in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se vel alium, quod ante non intellexit. Exod. 18. c Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Ietro soceri sui gratum habuit & seruauit. Gal. 2. a Hinc Apostolus Paulus Spiritu sancto repletus, Euangelium quod per reuelationem Iesu Christi didicerat, ipsius instinctu ascendens Hierusalem, cum Petro & Ioanne & Iacobo coapostolis suis contulit, vt esset securior in prædicando, cum ab eis non discordaret, & exemplum per hoc daret fidelibus prælatis consilium requirendi. Eccli. 32. d Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis, ait Scriptura. Aliqui vero cum ad officium regiminis assurgunt, ita se continuo repletos spiritu scientiæ reputant, vt omnia antecessorum suorum facta stulta iudicent & peruersa: alij vero econtrario cum ab eodem absoluuntur officio, quæcumq; successores eorum faciunt, simili modo condemnant, non attendentes, quòd sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum facta alij possunt despicere, huic dicit Isaias: Isa. 33. a Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? Nullorum enim facta tam studiose solent ab alijs obseruando notari sicut illorum, qui aliorum facta seuere dijudicant, si forte in quo ipsi alios arguunt reprehensibiles, reprehendantur.

Sunt enim duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facile debet recipere, scilicet adulatores & detractores. Primi istorum seducunt eum, vt magis de se quàm expedit, præsumat: iuxta illud: Isa. 3. c Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant, ne de te vera sentias humilitate propriæ cognitionis. Secundi inducunt eum vt peius, quàm habet, de alijs suspicando sentiat, & sæpe innocentes condemnet, & priusquam veritatem rei plene cognoscat, dicente scriptura: Esth. 16. a Aures principum simplices, & ex sui natura aliud æstimantes, callida fraude decipiuntur, & malis quorumdam suggestionibus regum studia deprauantur, vt eos qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subuertere, &c. Cum autem tribus de causis soleat requiri consilium, scilicet propter emendationem, vt discatur de quo dubitatur, propter auctoritatem vt magis habeat vigoris quod per tales consultum fuerit, & propter pacem, ne habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam, consulendi sunt prudentiores, propter secundam nominatiores, & propter tertiam omnes ad quos negotium pertinet videtur. Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria, non potest dari certa & communis regula, quæ valeat pro omnibus.

CAPVT VIII.

Quòd sexta prælatorum ala est deuotio ad Deum.

SExta & vltima ala, sine qua reliquæ perfici non valent, maxime est necessaria, vt sit deuotus ad Deum, per quem zelus iustitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est vnctio spiritus, docens de omnibus, quæ expediunt saluti. Vnde dicit Ioannes: Vos vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nostis omnia, & non necesse habetis, vt aliquis vos doceat: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. (1. Ioan. 2. d) Deuotio mentem illuminat ad cognoscendum quid sit melius. Vnde Dominus dicit: Docebit vos omnia, & suggeret, &c. (Ioan. 14. d) Inflammat ad appetendum bonum. Vnde & in Ecclesiastico dicitur: Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, &c. (Eccli. 24. c) Roborat ad perficiendum. Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. (Philip. 2. c) Facit horrere peccata, dicente Psalmista: Iniquitatem odio habui, (Psal. 118. x) & in Apocalypsi, liber comestus dulcis gustu, amaricat ventrem. (Apoc. 10. d) Actiones ordinat ad virtutes; sicut dicitur in Canticis: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. (Cant. 2. a) Mores exterius componit & verba, sicut dicit Tobias: Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum ijs qui in leuitate ambulant. (Tob. 3. c) Scientiam fidei dulcem reddit. Sapientia enim secundum nomen suum est, idest, sapida scientia. Spem in fiduciam erigit. Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium nobis, quòd sumus filij Dei. (Rom. 8. c) Amorem Dei accendit, nam dicit: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. (Rom. 5. a) Deo familiarem efficit iuxta illud: Loquebatur Dominus cum Moyse, sicut homo loqui solet ad amicum suum. (Exod. 33. b) Dat fiduciam impetrandi petita, sicut habebat Ioannes cum dicebat: Fiduciam habemus ad Deum, & quodcumque petierimus, accipiemus. (1. Ioan. 3. d) Orationem impinguat. Psalmus: Holocaustum tuum pingue fiat, (Psal. 19. a) & in Ecclesiastico, ait enim: Impingua oblationem. (Eccli. 38. b) Pium & affectuosum facit, iuxta illud: Suauis, humanus, & benignus est spiritus sapientiæ. (Sap. 7. d) Cor humiliat, vt ait Isaias: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem? &c. (Isa. 66. a) Oleum spiritum premit in olla feruente. Contra aduersa constantiam præstat. Vnde dicit Psalmista: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo. (Psal. 26. a) Et Apostolus: Quis nos separabit à charitate Christi? (Rom. 8. g) Omnia opera bona delectabilia facit, iuxta illud: Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium, sed lætitiam & gaudium. (Sap. 8. c) Mentem in superna eleuat: Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum eius & flatum ad se traher. Mundum vilescere facit, dicente Ecclesiaste: Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, & ecce omnia vanitas. (Eccle. 1. c) Desiderare cælestia cogit. Hinc Apostolus dicit: Coarctor è duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. (Philip. 1. c) Peccata delet, & pœnas peccati. Vnde ait Dominus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. (Luca 7. g) Merita sublimat, teste Sapiente, qui ait: Si diuitiæ appetuntur, quid sapientia locupletius, quæ omnia operatur? (Sap. 8. a) Proximos maxime ædificat. Vnde dicitur: Offerte illi incensum dignum in odorem suauitatis. (Eccl. 45. c) Et Christi bonus odor sumus. (2. Cor. 2. d) Dæmones fugat. Nam fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. (Tob. 6. b) Angelos inuitat & Sanctos: ait enim Psalmista: Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, (Psal. 67. c) & Tobias: Quando orabas cum lacrymis, &c. (Tob. 12. c) Hæc & multa alia deuotionis gratia confert. Ideo præcipue rector animarum studiosus esse debet eam habere, per quam semper informetur quid faciat, adiuuetur vt possit, conseruetur ne deuiet. Non enim solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine diuino auxilio custodire. Nam, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. (Psal. 126. a) Est enim Prælatus mediator A inter Deum & subditos, vt sicut negotium Dei gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promouere, placando, gratiam impetrando, & conseruando à malo. Vnde scriptum est: Ego sequester & medius fui inter Deum & vos. (Deut. 5. a)

(Triplex deuotio.) Alia autem deuotio communis, alia specialis, alia assidua. Communis in diuinis officijs, specialis in orationibus, assidua in omnibus agendis. Circa diuina triplicem debet habere diligentiam deuotionis, scilicet vt omnia fiant ordinate, & non confuse, & sine erroris hæsitatione: vt quisque deputatum ministerium, congrue exequatur. Vnde Paulus dicit: Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis: (2. Cor. 14. g) nam dicitur in Paralipomenis: (1. Pa. 25. a) B Dauid & omnis exercitus segregauerunt in ministerium Domini, qui prophetauerunt in citharis, psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio seruientes. Item vt strenue & non pigre seu desidiose opus Domini, scilicet diuini cultus officium peragatur. Quia ait Hieremias: Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, &c. (Hier. 48. b) Item, vt deuote, & reuerenter sine aliqua dissolutione, & strepitu distincte & attente diuina officia persoluantur, sicut in conspectu Angelorum, & in præsentia Dei, sicut dicitur in Ecclesiastico: In omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini. (Eccli. 39. d)

Officium enim diuinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinauit fieri quinq; de causis. Primo propter imitationem cælestis concentus, quo Sancti & Angeli in cælo assidue in præsentia Dei eius laudibus sunt intenti. C Vnde dicit Psalmista: Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. (Psal. 83. a) Cum enim secundum promissionem suam dicat Dominus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi, (Matt. 28. d) hic dignetur Christus nobiscum esse veraciter, tam sacramentaliter, quàm spiritualiter; dignum est, nos ei pro modulo nostro aliqualem exhibere reuerentiã honoris & laudis, iuxta exemplar similitudinis cælestis, vt ei & si non continue, sicut illi cæli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo, alacriter assistamus imitantes illam quæ sursum est, Hierusalem matrem nostram, vt ait Paulus. (Gal. 4. d)

Secundo, vt beneficiorum Dei memores, certis horis gratias pro his laudando & orando, ei iugiter referamus, D qui natus in nocte ex Maria Virgine, mane iudici passurus assistitur, diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur, & post, Spiritum sanctum misit Apostolis, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere cœnans, corporis & sanguinis sui nobis sacramenta tradidit, & completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantum eius nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed & præsentiæ suę gratiam exhibet, & sub forma sacramenti nos seipso spiritualiter pascit. Si ergo iustum est, nos horum numquam obliuisci, ita expedit, ea semper recolere certis horis. Vnde Isaias ait: Miserationum Domini recordabor, laudem eius super omnibus quæ reddidit nobis. (Isa. 63. b)

Tertio, vt nosmetipsos sic assidue ad deuotionem excitemus, & ignem amoris Dei per hoc nobis, ne per desidiam, seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus, E sicut iussit Dominus Moysi dicens: Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet, quem nutriet sacerdos in altari, subijciens mane ligna. (Leu. 6. a) Ignis est deuotionis feruor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos deuotus semper, subijciendo ligna diuinæ laudis, debet nutrire, ne aliquando extinguatur. Vnde dicit Psalmista: Benedicam Dominum in omni tempore, &c. (Psal. 33. a)

Quarto, vt simplices fideles qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, vt saltem tunc ad Ecclesiam oraturi conueniant, quando ibidem diuinæ laudis officia persoluuntur, & vt minus afficiantur tædio ibi persistendi, quam diu coram se vident clericos celebrare diuina. Vn-

Luc. 1. a

de in Luca dicitur: Omnis multitudo populi erat foris hora incensi. Multi enim rudes vix vnquam se orationi offerrent, si foris non certis temporibus in ecclesiam ex consuetudine, ad diuinorum celebrationem, & verbi Dei recitationem, ordinarie vocarentur.

Quinto, propter decorem religionis Christianæ: quia decens est & congruum, vt si Iudæi & Gentiles & quidam hæretici quandoq; conuenticula sua faciunt, & sua profana ibi commercia celebrant, & ritus suæ perfidiæ obseruant, multo dignius qui vera & sacrosancta habent sacramentorum mysteria, ad ea celebranda & veneranda sæpe conueniant, & debita conditori suo laudum sollemnia persoluant, quibus & gratiam Dei ampliorem mereantur, & vitam æternam, & quibus alliciantur simplices ad religionis sanctæ reuerentiam & amorem. Propter quod scriptum est: Dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora, &c. Inter omnes ergo exteriores obseruantias maior debet diligentia diuino officio adhiberi, vt sicut dictum est, ordinate fiat, strenue & deuote. Alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo, & intendimus Deo, & alloquimur eum & nos ipsi, simul & pro nostris necessitatibus eius auxilium postulamus.

Eccli. 47. b

Specialis deuotio consistit in orationibus priuatis, in familiaribus vocalium orationum recitationibus, veluti Psalmorum, lætaniarum, & aliarum orationum quas in secreto quisq; per se extra ordinarie ruminando persoluit. Nam dicit Dominus: Cum oratis, dicite: Pater noster. Item in sacris meiditationibus, cum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria, & miserias, & futura supplicia, vel beneficia Dei generalia, seu specialia, & passionem Christi, & bonitatis eius dulcedinem, & præmia repromissa, vt ex his concipiat deuotionis affectum, timoris, vel amoris Dei, desiderij, mœroris vel gaudij spiritualis, iuxta illud: Meditatus sum nocte cum corde meo, &c. Item in pijs erga Deum affectibus, & lacrymis, & suspirijs, & sanctis desiderijs amoris, & alijs internis & ineffabilibus motibus cordis, in iubilis, excessibus, & raptu, & absorptione spiritus in Deum, quo adhærens Deo, vnus fit spiritus cum eo per puræ intelligentiæ lucem, & cognitionem Dei, & amoris eius ardorem, & glutinosam fruendi inhæsionem. Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Matt. 6. b

Psal. 76. b

1. Cor. 6. d

Rom. 8. c

Quòd si prælatus præpeditur varijs curarum distractionibus, speciali deuotioni sæpius intendere; saltem interdum, cum opportune videlicet, quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne indissuetudinem orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia diuinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Vnde Moyses cum per populi negotia exterius vexaretur, crebro in tabernaculum fœderis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur. Dominus quoq; diebus prædicans turbis, noctibus in orationibus solus pernoctauit. Et licet parua detur mora prælato orandi, tamen quia pro alijs debet ex officio orare, datur ei quandoq; propter alios copiosior orandi gratia, vt quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse, tantum non negligat quærere, nec abijciat cum offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur, assidua deuotio semper ei debet adesse, sicut & quibuslibet proficere volentibus in religionis virtute. Et ipsa triplex est. Vna est iugis memoria Dei ante oculos cordis. Vnde dicitur: Prouidebam Deum in conspectu meo semper, & alibi: Oculi mei semper ad Dominum. In omni loco & tempore semper debet homo studere Deo intendere, quasi sit coram eo per mentis intuitum. Vnde solebant dicere Elias, & Eliseus: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto. Sicut enim Angeli quocumq; mittantur, tamen à diuina contemplatione non recedunt: ita homo, virtutis pro suo posse, semper Dei memoriam à suo corde non remoueat. Vnde si aliquando contigerit, semetipsum inde redarguat. Nam dicit Bernardus: Omne tempus quo de Deo non cogitas, puta te perdidisse. Nam & si profunde non possis cogitationem tuam semper in ipsum defigere meditando, saltem memorando cordis intuitum in eum dirige, & cum datur opportunitas, ipsa memoria in meditationem seu orationem formetur, sicut qui materiam formandæ imaginis secum circumfert, vt cum habuerit opportunitatem, aliquid in ea sculpendo operetur.

Luc. 6. b

Psal. 15. b

Psal. 41. c

3. Reg. 18. c

Bernar. lib. Meditationum cap. 6. post med.

Alia est continuum studium Deo placendi, in omni actione, vel locutione, vt semper quasi in eius præsentia caueat, vnde ei displiceat, & doleat si forte fecerit, & studeat in quo & qualiter ei possit magis placere, dicebat enim Apostolus: Contendimus siue absentes siue præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Semper enim debet religiosus se gerere, quasi in proximo sit tribunali summi iudicis præsentandus. Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet, dicebat Dominus discipulis suis. Omnia nostra videt, quæ facimus, & sicut non obliuiscitur bonorum operum ad præmiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum, nisi per pœnitentiam diluantur. Vnde peccator, contemnens animam suam, dicit, in Ecclesiastico: Nemo circumspicit me, quem verear? delictorum meorum non memorabitur altissimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus eius, &c.

Secunda deuotio.

2. Cor. 5. b

Luc. 12. e

Eccl. 23. c

Tertia est, omnia agenda oratione saltem mentali præuenire, ad omnes euentus oratione se præmunire, & omnia beneficia gratiarum actione prosequi, ac laude diuina, agenda petat à Domino sibi salubriter inspirari, euentum dirigi ad salutis profectum, beneficia augeri, & conseruari. Sicut enim nauta prouidens tempestatem, festinat sæpius ingredi portum securum, ita religiosus ad orationis portum continue confugiat, vbi omnes periculorum collisiones euadat & in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quàm propriæ industriæ, vel labori. Vnde scriptum est: Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt ad te oculos nostros dirigamus, videlicet in oratione, & Psalmista: Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, &c.

Tertia deuotio.

2. Par. 20. c

Psal. 122. a

His igitur & alijs pennis ecclesiasticus seraph idest prælatus spiritualis, Domino sedenti super solium excelsum & eleuatum, ornatus assistat: quarum primas duas super caput eleuet, medijs duabus corpus & pedes contegat, vltimis duabus in latum & altum volet: vt zelum eius non humanæ laudis feruor deprimat, nec compassionem eius carnalis inclinet affectus; sed sursum recta intentio sustollat, & fraternæ charitatis pietas in altum erigat, propter retributionem supernam, iuxta illud Psalmistæ: Inclinaui cor meum ad faciendas, &c. Patientia vero, & vita exemplaris contegant eum à perturbationum iaculis, & à nuditate inopiæ meritorum, quibus quasi armis defendatur & quasi sacris vestibus adornetur. Vnde ait Isaias: Induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ. Circumspectione vero vbique circumuolet, videndo quid & qualiter sit agendum, & deuotionis studio quę sursum sunt, quærat, vbi Christus est in dextera Dei sedens sublimi volatu ad ipsum accedens. Licet autem omnes, qui præsunt animabus, has virtutes non possint omnes æqualiter habere, tamen omnino necessarium est eis, aliquatenus non carere tam pro fructu ædificationis illorum, quibus præsunt, quàm propriæ salutis profectu. Quilibet etiam reliogiosus, qui seipsum habet regere, & de suiipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his alis & pennis, quantum sibimet indiget, oportet adornari, & in superna subleuari, vt sit feruens in iustitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in aduersis, bono exemplo alios ædificans, circumspectus in omnibus, & super omnia Deo per orationis studium familiariter adhærens, qui eum in omnibus protegat, dirigat, & promoueat, & tandem

Psal. 118. c

Isa. 52. a

Coloss. 3. a

ad

ad cælestia euolare faciat. Quod nobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur:

COLLATIO DE CONTEMPTV sæculi.

Mirifice hic nos ad mundi contemptum hortatur Sanctus Bonauentura, septem propositis, quæ si optime perpenduntur, facile nos inducunt ad sæculi fugam, & ad æterni, & incommutabilis boni prosecutionem. Hæc autem sunt Labor amatores mundi fatigans, Negligentia melioris boni ex amore mundi, Vanitas rerum temporalium, Fugacitas gloriæ mundanæ, Periculum, in quo versantur mundani, Mutabilitas rerum temporalium, Vulnus occultum peccati, quod infligunt suis amatoribus bona mundi, quæ omnia mira breuitate prosequitur Auctor. Bona vero pars huius collationis ex diuersis locis S. Gregorij constat, vt alicubi in margine annotatur.

SEPTEM sunt in mundo, quæ si homo bene perpenderet, & attente consideraret, facile mundum contemneret, vinceret, & fugeret, & ad seruiendum Deo se conferret. Deo enim seruire, est seruitium perdere.

Primum est labor, amatores mundi fatigans. Quis enim in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse poterit? Vnde damnati in fine dicent: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles. [Sap. 5. a] Reprobi hic fatigantur in desiderijs, postea cruciantur in tormentis. Magna est proinde securitas cordis, nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena adipiscenda inhiat, securum, tranquillumq; nullatenus esse potest: quia aut non habita concupiscit, vt habeat, aut adepta metuit ne perdat. Nolite ergo charissimi diligere mundum neq; ea quæ in mundo sunt, scilicet delicias, & diuitias. Beatus homo, qui scit Christum Iesum, etiam si alia nescit. Infelix qui scit omnia alia, illum autem nescit. Vnde versus:

Hoc est nescire, sine Christo plurima scire.
Si Christum bene scis, satis est si cetera nescis.

Secundum est negligentia melioris boni, ex amore mundi. Amatores enim mundi adeo intenti, & diligentes sunt circa bona terrena acquirenda, quòd omnes negligunt æterna. Amator enim mundi huius, quanto amplius Dei obliuiscitur, tanto plus à Deo derelinquitur, & mens ipsius obdurescit. Quanto quis malis adhæret, tanto minus intelligit bona quæ perdit. Contemnentes etiam Deum minime sentiunt, quantum sit mali, quod sic agunt. Sancti etenim viri, quia nihil huius mundi diligunt, sed cælestem gratiam appetunt magna tranquillitate viuunt. Huius autem mundi felicitas magna est infelicitas. O quàm felix est cui datum est mundum contemnere, & Christo seruire, omni libertate melior est seruitus Christi.

Tertium quod nos excitare debet ad contemptum mundi & rerum temporalium, est vanitas ipsarum. [Vanitas temporalium.] Lætitia sæculi vanitas est. Cum magna expectatione speratur vt veniat, & non potest teneri cum venerit, & transeunt omnia, & euolant omnia, & sicut fumus euanescunt, & væ qui amant talia. Vnde quidam:

Præterit ista dies, nescitur origo secundi.
An labor an requies sit, transit gloria mundi.

Ecce mundus transit & concupiscentia eius. Quid ergo vis, an amare temporalia, & transire cum tempore, an Christum amare, & in æternum viuere? Vnde perfecti viri indesinenter breuitatem præsentis vitæ respiciunt, quasi quotidie morientes viuunt, & tanto solicitius ad ventura se præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. [Ex B. Gregorio lib. 7. Mor. c. 14. post med.] Immensum est quod sine termino sequitur, & parum est quidquid finitur. Et quo verius summa cognoscunt eo subtilius terrena despiciunt, qui illuminatæ mentis oculos considerationis in æterna figunt. Et ideo gaudia præsentis vitæ, quæ iniusti æstimant magna, ipsi deputant vt stercora: & ea quæ sæculi amatoribus chara sunt, ipsi velut aduersam rem fugiunt. [Ex eodem ibidem lib. 15. cap. 5.] Alienos enim sciunt esse à Deo, quibus hoc sæculum ad omne commodum prosperatur. O gens sine consilio, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Saperent, damnatorum multitudinem, saluandorum paucitatem, & temporalium rerum vanitatem. Intelligerent tria, scilicet peccatorum multitudinem, bonorum omissionem, & temporis amissionem. Prouiderent tria, scilicet mortis periculum, extremum iudicium, & æternũ supplicium. Mors quasi ad oculum demonstrat esse contemnenda quæcumq; in hoc mundo ab impijs quæruntur, scilicet diuitias, delitias, & honores. Labor quærentium diuitias vanus ostenditur, cum homo nudus in terra reuertitur. Et labor delitiarum inutilis probatur, quia corpus nutritum delitijs, vermibus esca paratur. Ambitio honoris infructuosa cognoscitur, quia homo sub terra conditur, & homines & iumenta vadunt super eum. Augustinus: Nolite ergo charissimi diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt. [1. Ioan. 2. c] Dimittamus hæc vana & inania. Conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. Vita hæc misera est, mors incerta subito obrepit, & post hæc negligenti supplicia luenda sunt. Redite ergo præuaricatores ad cor, & adhærete illi qui vos fecit. [Isa. 46. c] State cum illo & stabitis, fallax & vanus est mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, & pœna infinibilis.

Quartum nos ad mundi contemptum solicitans, est fugacitas gloriæ mundanæ. [Fugit gloria mundi.] Dum enim libenter ac iucundissime moratur homo in mundo, diuq; victurum se arbitratus, subito rapitur à morte & anima segregatur à corpore, pergitque miserijs plena, tremens ac dolens, in regionem penitus ignotam, occursantibus sibi dæmonibus, &c. Vbi sunt amatores huius sæculi, qui ante paucos dies nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende diligenter, qui sunt vel fuerunt. Homines fuerunt sicut & tu, comederunt & biberunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto descenderunt ad infernum. Hic caro vermibus, illic anima sempiternis deputatur incendijs. Nolite ergo fratres diligere mundum, sed sequimini Christum, qui dixit: Regnum meum non est de hoc mundo. [Ioan. 18. f] Ad cælestem patriam toto mentis desiderio suspirate, vt ipsam finaliter consequamini. Non sunt hic vera solatia, sed ibi potius est vera vita, vbi numquam mors timebitur.

Quintum, quod nos ab amore mundi retrahere debet, est periculum, in quo sunt homines existentes in mundo. [Periculum in mundo.] Quid enim faciunt homines sæculares secundum sæculum viuentes, quàm quòd implicant se peccatis, & confodiunt animas suas, magnis vulneribus suorum peccatorum, intantum quòd non possunt ea sentire. Adulteria, fraudes, furta, mendacia, & cũcta mala diffusa sunt. A maximo vsque ad minimum omnes sequuntur auaritiam. [Ier. 8. c] Vnusquisque ad vxorem proximi sui inhiabat. [Ier. 5. b] Quilibet quomodo substantiam suam faciat ampliorem excogitat. Nullus vel pauci qualiter animam suam saluent. O quantum exultat nũc diabolus. Omnes in procliuo vitiorum sunt. Nullus vel pauci conuertuntur, cuncta nobis superflua sunt expensa, terrenis inhiamus, terrena sapimus, Deum & eius mandata contemnimus, terribilia iudicia audientes non obstupescimus. Nolite ergo charissimi diligere mundũ

neque

neque ea quæ in mundo sunt, quia iacula diaboli sunt, A sed seruiamus Christo, nihil est melius & vtilius bona vita.

Mutabilitas rerum temporalium.

Sextum nos solicitans ad fugiendum de mundo est mutabilitas rerum temporalium. Vnde legitur quendam Philosophum dixisse: Quando cogito de pace, & quiete, quæ est in corde puro, & de delectatione quæ est in intellectu Deum contemplante, de securitate & de spe, quæ est in corde Deum diligente; tunc iudico, quòd talibus intendere nihil aliud est, quàm Deiformiter viuere. Cæcus est, qui alijs deditus est, quia deificum est omne quod creatum est. Quæ est ista vita nostra, nisi cursus ad mortem, & quid est viuere, nisi diu torqueri? Si enim sublimiter pensetur, omne quod agitur pœna est, miseria est. O amatores mundi B ad quem laboratis finem. Cur vosmetipsos affligitis circa nihil, cum creatorem omnium possidere valeatis? Quid amplius quæritis? Quid homini sufficit cui conditor ipse non sufficit? O filij hominum vsque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Quicumq; ergo vult ad terram promissionis peruenire, id est gloriam supernæ patriæ obtinere, necesse est, vt per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Ægypto intrans desertum vitam delitiosam, & tenebras peccatorum deserens, assumat vitam laboriosam, & moriatur cum Christo in cruce pœnitentiæ, vt sic in hora mortis suæ mereatur audire illud dulce verbum, quod dictum est latroni: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. C

Psal. 4. a

1. Ioan. 2.

Luc. 23. f

Vulnus occultũ peccati.

Septimum & vltimum, quod nos debet compescere ab amore rerum mundialium, est occultum vulnus peccati, quod bona mundi suis amatoribus infligunt. Difficile enim est, vt inter vanitates sæculi quis positus à vitijs maneat illibatus: proximus periculo diu tutus non eris. Felix est ergo illa anima, quæ huiusmodi delectationibus oblectatur, vbi turpitudine nulla inquinatur, sed veritatis securitate purgatur, quam ita delectat lex Dei, vt omnes delectationis lasciuiæ vincat. Cui ergo sapit Christus, amarus est illi mundus, quia gustato spiritu Christi, desipit omnis caro. Vnde beatus Augustinus ad Dominum: Peto, vt omnia mihi amarescant, vt tu solus dulcis animæ meæ appareas, qui es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua dulcedo, Laurentio craticulam dulcem fecit. Pro tua D dulcedine, ibant Apostoli gaudentes in cõspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ibat Andreas securus & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Pro hoc emenda, pellem propriam Bartholomæus dedit. Pro hac gustanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potauit. Hanc vt gustauit Petrus omnium inferiorum oblitus, clamauit quasi ebrius dicens: Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Hic moremur & contemplemur. quia nullo alio indigemus. Vnam scintillam dulcedinis iste gustauit, & omnem aliam dulcedinem fastidiuit. Quid putas dixisset, si magnam illam dulcedinis multitudinem diuinitatis gustasset, quam abscondisti timentibus te? Hanc dulcedinem tuam ineffabilem & illa gustauerat virgo Agatha, de qua legimus, E quòd lætissima & gratulanter ibat ad carcerem, quasi ad epulas inuitata. Hanc, vt reor, & ipse gustauerat qui dicebat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Et iterum: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Hæc Augustinus. Qui ergo nihil de ista dulcedine Dei gustat, sordidari terrenis desiderijs non euitat. Magnum donum Dei est, vitia & delitias huius mũdi abdicasse. Vlulate ergo miseri dilectores huius mundi, qui corpus ante tempus destruitis, & animam interficitis. Vnde infirmitates multæ, & mors tam repentina nisi ex ciborum nimia copia, & frequenti mulierum vsu. Dum dulciter creditis, certe deluditis vosmetipsos, pro corpore obliuiscimini animam, & ecce corpus simul cum anima ante tempus destruitis. Epulamini & inebriamini, non enim post mortem amplius facietis. Seminate corruptionem, & de corruptione colligetis diuinam sententiam, quàm iustus ille iudex dabit in magno iudicio Dei dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Heu cor lapideum, si cum talem tibi cogitas ob huius mundi parua solatia imminere sententiam non formidas. Sed forte quis dicat, quòd vir qui in peccatis vixit toto tempore vitæ suæ, in mortis articulo accepta pœnitentia à Deo veniam obtinebit, heu quàm vana suspicatio, & falsa meditatio. Raro accidit vt in morte mereatur diuinam obtinere indulgentiam, qui dum sanus est & validus, Deum offendere non formidat. Hoc teneo, hoc verum puto, quòd ei non bonus est finis, cui semper fuit mala vita. Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, ait Psalmista: Mors vero peccatorum pessima, nolite ergo charissimi diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, sed fugite de medio Babylonis. Exite de Vr Chaldæorum, incendio scilicet vitiorum. Fugite & saluate animas vestras. Conuolate ad vrbes refugij, ad loca videlicet religiosa, vbi possitis de præteritis agere pœnitentiam, in præsenti obtinere gratiam, & fiducialiter futuram gloriam præstolari.

Aug. lib. Soliloq. c. 22. tom. 9.

Act. 5. g

Matt. 17. a

Psal. 30. d

Psal. 33. b

Matt. 25. d

Psal. 115. d

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum:

DE SEPTEM GRADIBVS CONTEMPLATIONIS.

Omnis perfectionis initiũ, profectum & statum subtili narratione Auctor in hoc opusculo docet, simulq; ad hæc viam commonstrans veluti per gradus ducit: qui quidem gradus ab eodem septem connumerantur, videlicet: Ignis, vnctio, ecstasis, speculatio, gustus, quies, gloria. De his vero singulis breuem sermonem scribit, sed mirabili doctrina refertum.

CONTEMPLATIVORVM aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans septem gradus eo gloriosissimos, quo scientia experientiæ probatissimos in medium censui deducendos, reseratione quorum odorifera confido, quòd tam intellectui splendoris copia, quàm affectui deifici dulcoris affluentia pijssimæ matris thearchicæ exhalabit. Primum igitur dicamus ignem, secundum vnctionem, tertium ecstasim, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Primo enim anima ignitur: ignita vngitur: vncta rapitur: rapta speculatur vel contemplatur: contemplans gustat: gustans quiescit. Hæc in via possunt acquiri, non tamen subito sed gradatim. Citius autem hæc experitur, qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur abundantius, ijs qui se in præcedentibus gradibus exercuerunt.

Ignis quid sit.

Ignis est vehemens diuini caloris vel amoris feruor, ex camino supersplendentis Hierusalem flabellatus. Huius ignis calor contemplatiui siue sancti actiui viri animam, cum se ad orandum Deum effuderit in conspectu Dei subito eam valde perlucido splendore irradians, quamplurimum ignit & arentes motus affectionesq; accendit, malosque concremat & exufflat, teporem inflammat, & torporem expergisci facit, atque ipsam totam animam velut vespertinum quoddam & pinguissimum holocaustum diuino conspectui repræsentat

sentat, intuetur tunc & gaudet. Deus adest & pauet illa, ille immissum ignem auget vt magis caleat, illa ortas affectiones colligens nutrit, vt eo amplius magis reddatur incendium, quo abundantius subministratur materia accendendi. Super hunc gradum pedem fixit, qui potest dicere cum Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Et iterum: Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.

Psal. 38. a *Psal. 72. c*

Vnctio quid. Vnctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundens ipsam erudit, corroborat & confortat, disponens eam suauiter ad veritatis luculentias suscipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cælica vnctione perlinitus fuerat, qui dicebat: Vnxit me vnctione misericordiæ suæ. De qua rursum dicit Dauid: Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Hermon interpretatur lumen exaltatum. Habet autem signare infinitissimam Iesu bonitatem. Ipse etenim de se dicit: Ego sum lux mundi. Quæ quidem lux de terra in crucem, de cruce vero fuit super pulchritudinem cælorum omnium exaltata, ita vt licet semper potuerit, nunc autem conuenientius propter suç humanitatis superpulchrificam claritatem adiectam, dici queat supersplendens candor, & supercandens splendor illius æternæ & fœlicissimæ regionis. Ros igitur montis huius descendit in montem Sion, i. e. contemplatiui viri mentem, ipsius præcordia tam irrigando fœcundans, quam fœcundando irrigans, & calorem scilicet primi gradus leniter temperans, ne plus ardeat, quam oportet. Quod enim purificat ignis concremando, hoc vnctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, vt capicilior sit diuinorum & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissime emanantium, quibus quidem salubriter perlustrata, ita secundum Apostolum docetur de omnibus vt nequaquam quisquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, vbi fulgeat copia tam gloriosi luminis.

Psal. 132. a *Ioh. 8. b* *1. Ioh. 2. d*

Ecstasis quid. Ecstasis, est deserto exteriore homine, sui ipsius supra se voluptuosa quædam eleuatio, ad superintellectualem diuini amoris fontem, mediantibus sursum actiuis virtutibus pro viribus se extendens. Virtutes sursum actiuas voco humilitatem & puritatem. Humilitate etenim fit exterioris hominis desertio; puritate vero interioris hominis sursum actio, quem quidem ad fontalem perducens radium, ibidem haurit sanctas thearchici amoris & insolitas influitiones: quarum gratia posteriorum oblitus, ad anteriora empyrei & superlucidissimi tabernaculi se extendit. Est enim ecstasim faciens amor diuinus non dimittens suiipsorum amatores esse, sed amandorum, vt testatur secretorum Dei conscius Dionysius. Igitur si in vera & non ficta Dei charitate sumus & amore, in sancta ecstasi sumus, interiorem hominem ad interiora extendente, exterioris vero sicut posterioris obliuisci faciente.

Dionys. lib. de diui. no. c. 4. post me.

Speculatio quid. Speculatio, est beatorum & supercælestium, & soli Deo scibilium diuitiarum, intellectualis & affectualis pia inuestigatio. Contemplantur autem hi duo, scilicet intellectus, & affectus: sed intellectus longe dissimiliter ab affectu. Cum enim animus contemplatiuus sensibus spiritualibus suspensis, synderesim in specula æterna extendit, apex intelligentiæ & principalis affectio pariter feruntur mutuo in diuina se promouentes, & æqualiter ascendentes, illa speculando, hæc vero desiderando. Præcurrente autem intelligentia nec ingredi queunte, vtpote per speculum videns, foris remanet. Affectio vero quæ nescia est speculi, intrans vnitur, secundum illud: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Ingressoque intellectu, qui ante conatu suo ingredi non poterat, à superessentiali, & superintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipsa. Susceptamque superferuide ipsam desiderantem, & se sursum pro viribus impingentem ipsam in se profundius trahens, tam intelligentiæ superclarorum radiorum pulchrificans claritatem fontani splendoris, quam affectioni thearchici & superimmensi saporis suauiter sanctum desiderium nutriens suauitatem superlucidissimam elargitur. Postea illis sic gustantibus, illam magis desiderantibus magis seipsam diuina bonitas immittit, & abundantius superfulget, quoniam multum diligunt illam summam veritatem, hoc summum bonum. Fœlix nimis qui huius gradus collem attingit: hic plane Angelificatus in præsenti, futuram iam inchoauit vitam. Ex quibus fuerat, qui dicebat: Nos autem reuelata facie gloriam DEI speculantes, in eandem transformamur imaginem à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. Vbi potissime diuinus ille Apostolus vtilitatem expressit contemplationis. Quid enim est reuelata facie gloriam Domini speculari, nisi remota omni impuritate faciem nostræ intelligentiæ velante, gloriam DEI, id est tam super ignotam, & simplicissimam & supersplendentem çternitatis claritatem, quam superineffabilem & humanis mentibus non capiscilem omnino supercælestium substantiarum supertranquillissimam pacem, pie, pure, deuoteque rimari? Quid vero est taliter speculantes in eandem imaginem transformari, nisi quia causa superactiuæ suauitatis sunt hæc eadem, quæ imaginati sumus, vt nos à nobis abstractos & in seipsa absorptos, ita torrente voluptatis nos potant, vt necesse sit de terrenis in cælestes, de carnalibus in spirituales, de hominibus in quodammodo Angelos transformari? Sic ergo intelligo verbum, In eandem imaginem transformari, id est in eadem imaginata. Bene autem dicitur, A claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu, quia ab ipso Domini spiritu manuducti supersanctissimis diuinis splendoribus adimplemur, & per hoc de cognitione in cognitionem proficimus, sicut per prophetam dicitur: In lumine tuo videbimus lumen. Hæc contemplatio vel inuestigatio quasi nihil habet periculi vel laboris, in animo pio, puro & vacante, habet vtilitatem inæstimabilem, etiam si nihil inuestiget.

1. Cor. 6. d *2. Cor. 3. d* *Psal. 35. b*

Gustus. Gustus autem est superinæstimabilis diuinæ dulcedinis persuauis quædam & insolita prælibatio, ex cellario sancti Spiritus in sanctorum contemplatiuorum animas distillata. Prælibatio dico, quoniam permodicum valde est, quod nobis ex ista tam supermagna multitudine diuinæ dulcedinis tribuitur, quod prouisiue & superineffabili thearchica bonitate fieri, non est dubium. Dum enim stillatim æternis & supersuauibus illis influitionibus recreamur, frequentius nosipsos orationibus extendimus, atque ad cumulos omnimodæ plenitudinis anhelamus. Quamuis autem vtrumque faciunt, tamen plus alliciunt, quam reficiunt diuinæ illæ prælibationes, efficiunt enim esuriem, non saturitatem pariunt. Beneficio huius gradus cognitio experientiæ tribuitur, per quam supercælestium substantiarum cognitioni conformamur. Quidquid enim diuinæ mentes nouerunt, hoc illius experientia probauerunt. Quia sicut sol terris, sic ipsa simplici cognitioni prælata est. Gloriosi & fœlices illi, qui super verticem huius gradus eleuati sunt. Eructant plane hi abundantiam suauitatum æternarum nuptiarum, vacant & vident, quam suauis est Dominus.

Quies. Quies est totius animæ mira quædam & suauis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde spiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur etiam ipsas supercælestes substantias contemplando transcendere. Superignota enim bonitas, ipsis familiaris, seipsam eis immittit, & ipsi tota virtute dilatato sinu sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctorum contemplatiuorum animabus, tam insueto nutrimento ditissime adimpletis splendescit ipsorum ratio, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione quorum deificam illam quietem non ambigimus emanare. Hic gradus gloriosior & pretiosior est, quo vltimo modo, gradui, qui solum patriæ est, appropinquat.

Gloria.

2. Cor. 12.

De septimo tutius tacendum censui, quam loquendum, quoniam nulli viatorum ascensus siue visio huius gradus patere potuit, nisi illi cælesti Paulo, qui se raptum vsque ad huiusmodi per sacram Scripturam asserit. Fœlix certe superdulcissimæ & gloriosissimæ Virginis Mariæ anima, cui hoc datum est in via, quod nulli sanctorum aliquando possederunt, portauit ergo illam gloriam à qua portantur ceteri, ascendit illa gradum hunc, per fidei cognitionem, descendit ille ad eam, per carnis assumptionem. Quid hunc gradum, hanc gloriam censeam dicis: Nihil aliud quam ipsum quem peperit, quem lacte virgineo educauit, manibus eburneis contrectauit, dulcissimo gremio fouit, pudicissimo vultu blandiebatur, castissimo amplexu complexa est, Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

EXERCITIA QVÆDAM Spiritualia.

In hoc Opusculo tredecim spiritualia exercitia proponit Auctor, & post vltimum exercitium adiungit breuem quandam formulam ex Bernardo desumptam, qua ab exterioribus ad interiora, & ab his ad superiora conscendamus. Quæ quidem omnia, quo breuius ab Auctore proponuntur, eo frequentius à nobis exerceri debent.

VT in virtutib. conserueris, oportet te habere exercitia spiritualia quib. animum tuum occupes, quia nisi sic non poteris in virtutibus perseuerare.

PRIMO igitur exercebis te in oratione, tali modo & temporibus istis feruenter.

Quid meditandū singulis diebus.

Ante cuiuslibet operis vel facti inceptionem, Dominum inuocabis & modicum orabis cum tali oratiuncula, Deus in adiutorium meum intende: Miserere mei Deus, vel huiusmodi. Item quandocumq; audis campanam sonare, orabis, vel quando audis pulsare horas, has orationes feruenter ad intra facias, & ita facias, quod si iuxta alios fueris, illi non considerent, quod ores.

SECVNDVM tuum exercitium erit istud, videlicet vt feruenter proponas quandocumq; audis sonare campanam, generaliter te emendare, breuiter cum oratione per morulam vnius Pater noster.

Antequam notabile opus facias, breuiter cogitabis, qualiter proposuisti te habere in priori proposito.

Item de mane semper proponas, qualiter te per totam diem velis habere, & hoc antequam facis facta tua extrinseca, & quando facis factum aliquod cogitabis breuiter, qualiter proposuisti.

Item ter vel quater in die, propones feruenter contra superbiam.

TERTIVM exercitium erit de aliquo bono cogitatio, quando tempus vacauerit. Habebis enim qualibet die vnam memoriam specialem, de qua cogitabis sæpe, & ad quam cursum habeas.

Habebis enim Dominica die de regno cælorum.
Feria secunda de extremo iudicio.
Feria tertia, de beneficiis Dei.
Feria quarta, de morte.
Feria quinta, de pœnis inferni.
Feria sexta, de passione Domini.

Sabbato de Domina nostra, & peccatis propriis. Passionem tamen Domini in qualibet die cum materia diei, & cum beneficiis Dei habebis. Et in qualibet hora matutina, primæ, tertiæ, &c. de passione illius horæ, cum pauco de materia illius diei cogitabis. Sic igitur cogitando, & tua facta faciendo, spero quod tempus competenter expendes.

QVARTVM exercitium erit, vt quotidie te exerceas in operib. humilibus & despectis, semper eligere locum vilissimum, & teipsum ex toto corde despicere, nulliusq; laudis dignum te reputare, sed totum ascribere Deo, siue lauderis, siue vitupereris non curabis. Esto considerans teipsum & inuenies, quod non es aliqua laude dignus, sed omni opprobrio dignissimus. Cum enim es iuxta alios habebis te taciturne, verecunde, & mansuete, tamen sicut decet.

QVINTVM exercitium erit, vt omnia signa superbiæ deuites, scilicet clamorem in loquendo, & sic de aliis.

SEXTVM exercitium erit, vt sæpe consideres in quibus te male habeas, vbicumque fueris, & non permittas aliquod paruum vitium transire non iudicatum: quia qui parua non reputat, in maiora sæpe cadit.

SEPTIMVM exercitium erit, vt præcipue vbicumque fueris, oculos tuos custodias, quia ex incustodia oculorum infinita mala eueniunt: ergo præcipue custodi oculos.

OCTAVVM exercitium est considerare aliorum bona, & non mala. Cum enim videris aliquem peccantem, cogitabis quod si ipse haberet tantam gratiam à Deo sicut tu ipse, multum feruentius emendaret se quam tu. Si autem videris aliquem aliquid boni facere, cogitabis qualiter posses illud imitari.

NONVM exercitium erit, vt omnia quæ videris & audieris ab hominibus, ad bonum trahas, & sic non suspicaberis.

DECIMVM exercitium erit, vt semper vbicumque fueris, habeas te morigerate, & composite ab extra, ne aliis exhibeas malum exemplum: quia exterior incompositio est signum indeuotæ mentis.

VNDECIMVM exercitium erit, vt semper vbicumque fueris, videas, vt illud non facias cum quo alicui possis præbere malum exemplum, vel vnde alius posset suspicari: quia valde periculosum est aliis præbere malum exemplum.

DVODECIMVM erit, viriliter tentationibus resistere, & à carnalibus te abstinere & abstrahere, quia in illis salus non est.

VLTIMVM erit, vt semper stes in timore & habeas te verecunde, & ita custodi te solus, sicut quando es cum aliis. Nam Deus omnia videt, quæ facis. Hæc exercitia in communi inquantum potes, facere studebis, & Dominum diligenter rogabis, vt velit tibi dare gratiam ad faciendum ea, quia sine ipso nihil potes facere, & cetera.

Multa ex his à Bern. mutuata lib. medit. cap. 1. & 2.

Redeam ab exterioribus ad interiora, ab interioribus ad superiora conscendam, vt possim cognoscere, vnde venio, aut quo vado. Quid sum, & vnde sum, vt ita ex cognitione mei, valeam peruenire ad cognitionem Dei. Quanto namque in propria cognitione proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo. Vnde venio, secundum exteriorem hominem de parentibus illis, qui me fecerunt, ante damnatum quam natum, peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, & de peccato nutrierunt. Quid sum ego? homo de humore liquido. Sum enim in momento conceptionis, de humano semine conceptus: deinde spuma illa coagulata modicum crescendo caro facta est: postea plorans, & eiulans, traditus sum huius mundi exilio, & ecce iam maior plenus iniquitatibus. Iamiam præsentabor ante districtum iudicem.

Tunc dicetur de me: Ecce homo & opera eius. Cogita hæc profundius.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Fascicularius, in quo de exercitijs spiritualibus agitur.

Auctor in hoc Opusculo nonnulla ad meditandum proponit, quibus deuoti, vt vel timore perterreantur, vel amore accendantur, frequenter sese spiritualiter exerceant. Hæc autem sunt, memoria peccatorum, memoria mortis, memoria extremi examinis, memoria pœnarum inferni, memoria æternæ gloriæ, & memoria beneficiorum Dei, beneficij Incarnationis præsertim. De quibus omnibus generalia quædam affert, & in vnum ad modum fasciculi colligit, vnde quis plura elicere valeat.

SVMMA CAPITVM HVIVS OPVSCVLI.

PRÆFATIO.

SCIRE debes, quod quamuis omnia quæ in diuina scriptura reperiuntur, immo cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, de Deo loquantur & instruant, non tamen omnia conueniunt, ad vtiliter meditandum: sed ea debes potius ad meditandum suscipere, vnde amplius timore conciteris, vel accendaris ad amorem. Sunt autem quædam generalia, circa quæ frequentius exercitia deuoti versantur, videlicet memoria peccatorum, qua compunguntur ad compunctionem vel dolorem. Memoria mortis, qua vt omnia huius mundi oblectamenta, gloriam, & honorem, altum statum vilipendant, accenduntur. Memoria extremi examinis, qua inflammantur ad bona opera peragenda, vt tunc cum iustis mereantur accipere præmium meritorum. Memoria pœnarum infernalium, qua omnia illicita licet dubia, respuent timore tormentorum. Memoria cælestis gloriç, vt hic quiescant & exultent in spe, ac vt illic sint digni gloria, nitantur se veris virtutibus adornare. Memoria beneficiorum Dei, & maxime beneficii incarnationis, ne gratiæ largitori inueniantur ingrati. Vt autem de his cogitare eo promptius ad manum valeas, habeas aliqua generalia, vnde tu valeas plura elicere. De vnoquoque præmissorum hic inseruntur, vt data occasione sapienti sapientior fiat, & ex paucis plura eliciat, sicut ipsi congruit cogitanti. Esto igitur animal mundum, ruminans & reuoluens ea, & ipsis similia in corde tuo, vt ita, inutilia, & vana possis è memoria remouere.

CAPVT I.

Qualiter fiat memoria peccatorum.

VT tibi de memoria tuorum peccatorum nascatur compunctio, talibus stimulis te concute meditando. Cogita, & vt sentire valeas diligenter stude, quantum vnumquodque peccatum Deo displiceat. Reuolue, quod superbia eiecit Luciferum de cælo: Inobedientia Adam de Paradiso proiecit. Luxuria subuertit Sodomam & Gomorrham, & pæne totum mundum in diluuio submisit, Christus pro peccato mortem sustinuit amarissimam, & ne peccatum inultum remaneret, & suæ iustitiæ non satisfieret. Cogita secundo quod Deus aliter iudicare non poterit, quam opera nostra merentur. Est enim Deus æquitas quædam intelligibilis, inconuertibilis, atque indeclinabilis, non minus malorum pœna, quam beatorum gloria. Igitur tibi reddet iuxta opera tua. Non igitur palliemus, vt blandiamur nobis, quia non est ita durum, & Deus est misericors. Cogita de peccatis tuis præteritis ante conuersionem, cogita, quam multa sunt in locutione, opere, & consensu. In cogitatione tot sunt, quot nequeas numerare. Cogita, quam turpia præcipue ad carnalia, in quibus tamen minus immoreris, ne delectatio subrepat. Cogita, quam grauia, quibus Deum offendisti, & rursum Christum quodammodo crucifixisti. Cogita de peccatis post conuersionem tuam, quod semper tam negligens, tam tepidus tot annis sine profectu fuisti, & vide de singulis tuis criminibus, numera ea si potes in conspectu Domini, & pete veniam de præteritis, adiutorium de præsentibus, & cautelam contra futura. Deinde cogita inquanto satisfecisti pro istis, certus, quod quidquid hic non reddideris, in futuro à te exigetur vsque ad minimum quadrantem. Nullum enim malum impunitum erit, sicut nec aliquod bonum irremuneratum. Demum cogita, quod iudicia Dei sunt inscrutabilia, nescis si in gratia, nescis si vere conuersus, quid in te lateat quod Deum non latet, sed offendit, nescis si perseueraturus. Hæc rumina, hæc cogita, & si bene sentis ea, non altum sapies de teipso. Caue tamen desperationem si profundius huiusmodi meditationibus te immerseris, atque ita huiusmodi meditationes digere, vt non absorbearis tristitia nimia & deiectione: sed vt instigeris ad vitæ emendationem, & tolerantiam omnium tribulationum.

CAPVT II.

Generalis modus ad formandum meditationes de morte.

DE morte tua ita poteris formare meditationes tuas. Primo, vt horam mortis semper suspectam habeas. Cogita quod improuisè mors veniet, quia sicut fur, quando minime putabis, quando minime disposuisti, quando adhuc diutius viuere sperabas, & tamen adhuc multa agere cogitasti, prout experientia quotidiana te satis sufficienter docet, & docuit de pluribus tibi notis. Reuolue deinde ordinem, quo ad mortem deuenitur, & habe te nonnumquam sicut si statim esses moriturus, & melius senties quæ sequuntur. Cogita igitur qualiter præcedit mortem grauissima infirmitas, cuius aliæ infirmitates non sunt nisi sicut præcones, vide grauitatem huius infirmitatis. Cogita horrorem naturalis inclinationis appetentis permanere. Cogita deinde cum iam homo sentit, se hinc transiturum, siue medicis hoc dicentibus, siue si ipse per se senserit, quantus tunc erit clamor conscientiæ, quantus remorsus in eo qui se non disposuit, tunc enim ipsa peccata ad memoriam confluūt. Et cogita de singulis peccatis tuis, & passionib. propriis singulariter, quantum tunc de eis dolebis, quia non vicisti. Cogita si tali articulo mortis esses constrictus, & vitiis & concupiscentiis ligatus, quanto desiderio desiderares vnam horam, vel annum sanitatis pro emendatione.

Cogita homo cum ad illam horam veneris, & hinc transibis, & tempus præteritum comparaueris ad æternitatem ad quam transibis, quam breue tibi videbitur, tota vita tua apparebit tibi breue somnium, & ita tibi erit totum tempus ac vita, ac si per modicum spatium, puta iter mediæ leucæ perrexisses. Cogita etiam quantus erit dolor ille, cum vides, quod propter tam paruam delectationem, illa sempiterna gaudia amisisti. Cogita, quam amara erit separatio, cum ab his, quæ vitiose dilexisti separeris, puta ab honore tuo, qui hic in alto statu totis viribus honorem quæsiuisti, & à voluptatibus, & sic de aliis. Considera dispositionem morientis, quomodo totum corpus nigrescit & rigescit, oculi contabescunt. Cogita quomodo dæmones sint ibi, tamquam rugientes parati ad escam expectantes. Deinde imaginare, quomodo anima in egressu à corpore suo, cum incipit considerare regionem ignotam, quod tot dæmones eam expectent, quam inuite exiret, quam libenter rediret ad corpus suum, sed non potest, quia clausæ sunt fenestræ sensuum, & aditus vitales. Cogita quomodo tunc singuli spiritus vitiorum ad eam occurrent, quærentes sua in eis: spiritus superbiæ, superbiam, spiritus luxuriæ quærit luxuriam, quilibet quæ sua sunt, & sic de aliis. Vltimo aduerte quomodo anima egressa de corpore statim statuitur ante tribunal iudicis, & refertur sententia, quæ ex hoc tunc vsque in æternum non reuocabitur. Et vbicumque tunc lignum ceciderit, ibi manebit. Demum cogita, quod tandem corpus traditur sepulturæ, & perpetuæ obliuioni, hospes hic fuit vnius noctis, & abiit, & memoria eius recessit à terra. Poteris autem modum hunc contrarium sumere de morte iustorum, nam iusti videntes se de hoc mundo migraturos, gaudent in testimonio conscientiæ, exultant quod liberantur de istis miseriis, quia hic non fuerant ligati concupiscentiis, non dolent hinc exire, & sic de aliis.

Eccl. 11. a

Sap. 5. e

CAPVT III.

Generales modi ad formandum meditationes de pœnis infernalibus.

De pœnis infernalibus, imaginare ipsum infernum secundum quasdam similitudines à sanctis super hoc positas. Aspice igitur chaos horribilissimum, lacum subterraneum, puteum profundissimum, & totum ignitum. Item imaginare ciuitatem magnam & horribilem, & penitus tenebrosam, obscurissimis & terribilissimis flammis succensam, clamantib. vlulantib. & plangentib. vniuersis præ inexplicabilibus doloribus, & similes similitudines poteris cogitare. Cogita de pœnarum acerbitate. Dicitur enim ignis ille ad ignem nostrum tanti esse caloris, quanti noster ignis est ad depictum. Et ita cogita de frigore, & fœtore. Huius pœnalitatis acerbitas patet ex stridore dentium, ex gemitu, & planctu, & blasphemia, & sic de aliis. Cogita de pœnarũ multiplicitate. Ibi enim est ignis inextinguibilis obscurissimus, frigus intolerabile, fœtor horribilis. tenebræ palpabiles. Ibi erit pœna in omni sensu. In visu. per horribiles visus & aspectus dæmoniorum. In auditu, per lamentabiles gemitus, & clamores de miserabili societate, & crudelitate tortorũ, sine omni misericordia, in torquendo non fatigantur, nec ad misericordiam commouentur. Insultabunt dicentes, vbi nunc gloria? vbi nunc altus status? vbi superbia? Cogita quomodo nunc ibi per membra quibus quis peccauit eisdem puniatur, & omnibus membris malus pœnam sustinebit. Cogita etiam de pœna interiori. videlicet remorsu interiori conscientiæ, & vermis eorum qui non morietur. Quis potest sufficienter cogitare quantum doleant, quod illam pœnam modicis laboribus & breui tempore non euaserunt. Item internæ passiones maxime regnabunt in eis: erunt enim maxime iracundi & inuidi, & erunt ita simul sicut canes rabidi. Item recordabuntur priorum delectationum ad augmentum pœnæ. Vnde ibi lamentabuntur, dicentes: Quid nobis profuit superbia? Cogita de duratione pœnarum, quod scilicet numquam sit finem habitura. Non potest mille millia annorum, immo non potest tot annos, quot anni possunt in millibus numerari, quia nulla ibi redemptio, nullus ibi finis.

Isa. 66. g

Sap. 5. b

CAPVT IV.

Generales modi meditandi circa extremum iudicium.

De extremo examine, cogita quantus tunc fiat terror. Ipsa enim angelica tuba, mirabilia, terrenda, scilicet fulgura, coruscationes percutient corda hominum, & pauere facient. Cogita, si potes, magnitudinem iræ iusti iudicis, venientis contra eos qui eum offenderunt. Et quantum mali terrebuntur. Imaginare quomodo & quam amara fiet ibi diuisio. Ponentur omnes iusti, humiles, mites ad dexteram: superbi, inuidi, luxuriosi, &c. ad sinistram, amodo non coniungendi. Nunc sunt duo in mola vna, &c. & vnus assumetur, & vnus relinquetur. Cogita quid timoris, & quid horroris, quid admirationis erit superbis, elatis huius mundi cum se abiectos viderint: & pauperes, viles, & despectos, quos insanos putabant ad dexteram Christi in gloria viderint assistentes. Tunc pœnitentiam intra se agentes dicent: Ecce hi quos habuimus in derisum aliquando. Econtra, iusti stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Cogita quomodo omnium operum ibi, & cogitationum fiet redditio. Hierusalem scrutabitur in lucernis, id est hi qui apparebunt velut sancti, inuestigabuntur ibi, & quidquid in eis occultum fuerit ad lumen veniet. Testes erunt diabolus, qui ostendet nobis omnia quæ fecimus vbi, & quando, &c. Item proprium scelus, & totus mundus dabit testimonium contra peccatores. Cogita quomodo Christus exhibebit passionis suæ insignia, & quomodo per illam Christus exprobrabit quod eam contempsimus. Cogita de illo horribili tonitruo, & irreuocabili sententia, Ite maledicti, &c. Cogita de dulcissima inuitatione iustorum ad sempiternam cœnã per illam vocem. Venite, &c. Cogita quam magna sint opera misericordiæ, & pietatis, cũ ea solũ Christus ad iudiciũ suũ adducere videatur. Cogita quod iusti ibunt in vitam æternam, iniusti in supplicium sempiternum. Et hæc duo loca per chaos magnum diuisa semper permanebunt.

Luc. 17. g

Sap. 5. a

Ibidem.

Soph. 1. c

Mat. 25. d

Ibidem.

CAPVT V.

Generales meditationes de gloria cælesti.

De gaudiis supercælestibus, imaginare locum illum, per imaginarias similitudines à sanctis pro nostra capacitate inuentas. Est enim ciuitas ex auro purissimo, gemmisq; pretiosis mirabiliter constructa, singulæ portæ ex singulis margaritis, & campus spaciosissimus ac speciosissimus omnium florum pulchritudine decoratus. Ibi æstatis amœnitas, ibi odoris suauitas, &c. Cogita quãtum potes, quantum erit gaudium ex visione sanctissimæ Trinitatis, in qua relucet exemplar omnis pulchritudinis, omnis bonitatis, omnis suauitatis, quam videndo omnia scienda scies, & quidquid volueris habebis in illa. In illa enim visione beatificaberis. Cogita de visione humanitatis Christi, qui hic fuit propter nos pauper & vilis homo, ibi sublimis DEVS & homo. Cogita de gaudio quod habebis ibi ex societate gloriosæ Virginis, omnium sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & de cuiuslibet gaudio gaudebis & tu. Cogita de dotibus quas ibi corpus tuum recipiet, quæ sunt immortalitas, impassibilitas, summa agilitas, & maxima speciositas. Cogita de dotibus animæ quibus ipsa anima replebitur, quæ sunt plenitudo scientiæ & lætitiæ. Cogita de istis dotibus quam multa alia consequeris, videlicet securitatem, qua non timebis eiici, non timebis à tentatione vinci, inde tibi libertas summa, inde sanitas, inde voluptas, inde amicitia inde honor, inde concordia. Et breuiter, habebis ibi quid-

Apoc. 21.

quid volueris, & quidquid nolueris non habebis.

CAPVT VI.

Breuis modus meditandi circa beneficia Dei.

VT circa beneficia Dei innumera, aliquem modum habeas meditandi, & memoriam tuam reformandi: scias, quod in his triplici consideratione potes tuas meditationes variare, & dilatare, vt nunc tua quidem meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa teipsum cui benefecit, nunc circa ipsa beneficia quæ tibi multipliciter elargitur. Considera, quod ipse benefactor tuus Dominus Deus, ita tibi benefacit, vt nihil à te repetat, nec te nec aliqua creatura indiget. Considera, quod sit infinitæ potentię, cuius potentiam declarat vniuersitas, & multitudo creaturarum suarum. Considera quod sit immensæ sapientiæ, & hoc attende ex pulchritudine, & ordine totius vniuersi. Attende igitur quantæ sit bonitatis, si hic talis tantusq; Dominus modicum enceniolum tibi tribuit, immo quantæ bonitatis, quod tantus de tantillo dignetur cogitare. Considera quam sollicita sit tanta maiestas circa te, in tribuendo beneficia. Modo quo tibi magis expedit, ab æterno disposuit tibi ea dare, ab æterno, & semper actualissime cogitauit, & talia tibi beneficia præordinauit. Ita sollicitus circa te sicut circa integrum orbem, vel vniuersitatem creaturarum. Ita enim hic magnus Rex tibi, & circa te intendit, ac si vacaret singulis. Et hoc affectum tuum non modicum ad gratitudinem, & amorem accenderet, si singula beneficia diuina toti generi humano collata, ita tibi attraheres, & ita te ex eis ad gratitudinem intelligeres obnoxium, ac si tibi soli fuissent collata, verbi gratia, ac si pro te solo crucifixus, factus homo, &c. propter te solum creasset cælum, & terram, & hoc docet nos Chrysostomus. Affectu etiam tanto beneficia illa dat, quod si etiam quid minimum daret, gratissimum merito deberet esse. Perpetua, inquit, charitate dilexi te, & ex perpetua, & maxima charitate donat sua beneficia. Attende quam sis vilis, quam plenus malitiis, & concupiscentiis, sicut tibi superius satis est ostensum, cum diceretur de discussione tui, & propria cognitione, & de memoria peccatorum.

Circa beneficia forma dupliciter meditationes. Primo circa hoc, quod mala tua benigne tibi remisit. Secundo, quod innumerabilia tibi contulit dona, & munera, dimisit enim tot mala quot fecisti, de quibus supra dictum est: immo dimisit tot quot facere potuisti, à quibus te præseruauit. Attende quam longanimiter te expectauit in peccatis, & non occidit sicut meruisti. Circa beneficia autem, quæ dedit tibi, cogita quam multa, quam bona, quam vtilia, quam magna, quis enumerabit ea? quis intelliget? quis loquetur? Attamen vt hic habeas modum cogitandi, cogita quomodo dedit tibi dona naturæ, dona gratiæ, dona superexcellentiæ. Percurre aliqua de singulis, nam in quolibet sunt multa bona valde. De dono naturę est, quod creauit te in tempore, & quod ab æterno te disposuit creandum, non creauit te pecus, sed hominem: dedit visum auditum, &c. & singulis creauit sensibus, ea quæ sibi congruunt oblectamenta. Item dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, qua omnia materialia potest intelligere. Dedit mentem, vel intellectum, qua immateriales Spiritus Deum, & Angelum intelligeret, propter te omnia in terra creauit, omnia elementa ad tuam vitam, omnia animantia ad tuum nutrimentum. Dona gratiæ. Primo quod voluntatem tuam ab eo auersam ad se reuocauit, & ei gratiam suæ iustificationis infudit, quę solum ab eo descendit, dedit voluntatem, vt velles te emendare, tum & locum ordinauit, vt possis. Ad donum superexcellentiæ spectat, quod propter te fecit Filium suum incarnari, vt esset amicus tuus, frater tuus, qui & propter te mortuus est, & crucifixus, & seipsum dedit in altaris sacramento. Misit tibi Spiritum sanctum, & hoc in signaculum acceptationis, in priuilegium amoris, in annulum desponsationis. Cogita quam multa ab initio egit mirifica cum genere humano, propter genus hominum locutus est cum patribus, apparuit in figuris, loquebatur in prophetis, eduxit de Ægypto, induxit in terram promissionis, & infinita mirabilia. Vt quid autem hæc omnia fecit, nisi vt per figuras, & per prophetas intellectum tuum in cognitione veri illuminaret, & affectum tuum detraheret ad amorem boni?

CAPVT VII.

De cœna Domini, & præparatione ad susceptionem corporis Christi.

SED super omnia quotidie, & maxime Dominici corporis sacramenta sumpturus memoriam facias illius deuotissimi mysterii, quod in cœna Domini primitus erat institutum. Siquidem postquam agnum paschalem typicum cũ suis discipulis Dominus Iesus comedit more Iudæorum, tunc verum agnum paschalem comedendum dedit. Consecrauit enim corpus suum atque discipulis suis tradidit ad manducandum, quibus, & potestatem tradidit idipsum consecrandi, & aliis tribuendi. O vere magna munificentia, ô inaudita largitas, ô charitas superexcellens, qui seipsum dat, quid poterit negare? quid vltra faceret? omnia quæ potuit pro nobis fecit, omnia quæ habuit nobis dedit, dedit regnum suum, dedit & seipsum, ideoq; in hac cœna dicebat: Hæc quotiescumque feceritis, in mei commemorationem facite. In memoriam, scilicet eorũ quæ pro te in carne gessi, quod propter te derisus, illusus, crucifixus sum. In mei, inquit, memoriam hoc sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum ægrotis est medicina, peregrinantib. dieta, debilesq; confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem seruat, fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Aduerte tamen, quod effectus sacramentorum solet esse secundum dispositionem, & præparationem suscipientium. Neque enim Iudas præmissa dona suscepit, qui corpus Domini suscepit, si tamen suscepit. Ideoque tibi summopere studendum est, vt quantum potueris ante susceptionem digne te præpares. Qui enim corpus & sanguinem Domini indigne sumit, iudicium sibi manducat, & bibit. Tria autem sunt, quæ exigit à te huius sacramenti digna susceptio, scilicet corporalem munditiam, puritatem conscientiæ, & actualem deuotionem. Corporalis autem munditia aliquando ex decenti, aliquando ex necessario requisita. Puritas autem conscientiæ, præsertim à criminibus, ipsa est necessaria. Ideo vide, vt ante susceptionem huius sacramenti contritionem habeas, atque si fieri potest, ante conspectum Domini humiliter lacrymas fundas, quibus te laues à peccatis tuis quæ fecisti, & quæ omisisti, & quæ facere potuisti corde, ore, & opere. Actualem autem deuotionem in te faciunt timor, & amor. Timor incutit reuerentiam: amor autem desiderium, & affectum. Habeas reuerentiam & timorem: terribilis enim est hæc mensa, ad quam cum debita reuerentia, & congrua vigilantia necesse est accedas. Siquidem in hac sacerdotali mensa, nunc præsens est Christus, & qui vltimam cœnam cum Apostolis cœnauit, ipse istam quoque consecrauit. Non enim homo est qui proposita, scilicet panem, & vinum, corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus, sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute & gratia proposita consecrantur. Quomodo tu igitur ad illam mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum Dei filii intrepidus audes accedere, quem Ioannes Baptista tangere contremiscit? Petrus Apostolorum princeps à se præ formidine repulit, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Cogita quod iste quem tu sumis, erit iudex tuus. Time igitur, ne si indigne sumpseris, & sine reuerentia, post mortem in-

Marginalia: Mat. 26. c; Mar. 14. c; Luc. 22. b; 1. Cor. 11. f; 1. Cor. 11. f; Tria requiruntur in eo, qui Eucharistiam suscepturus est. Mat. 3. c. d; Luc. 5. b

uenias iratum, cum ad eius tribunal præsentatus fueris iudicandus, quem tremunt Potestates, adorant Dominationes. Deniq; cogita, quod licet mille millibus annorum te ad hoc sacramentum per puras orationes, sanctissimas præparationes præparaueris, nihil esset ad condignam susceptionem, etiam si haberes merita omnium sanctorum, quanto magis tu qui sine deuotione, sine præparatione accedis. Item attende propriam vilitatem modo superius dicto, & reputabis te indignum, & acquires reuerentiam congruam, & hoc valet maxime pro huius Sacramenti susceptione, vt quantum poteris, sis vilis in oculis tuis. Habet etiam desiderium ad huius reuerendi Sacramenti susceptionem. Panis enim ille, vt dicit Augustinus, esuriem quærit hominis interioris. Diuersi autem diuersimode affectum ad susceptionem huius sibi formant sacramenti. Aliqui enim trahuntur amore vnionis Christi, vt dilectum in se sæpius amplexentur; aliqui trahuntur desiderio sanationis passionum suarum, & malorum desideriorum, vt eum quasi medicum aduocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos trahit conscientia delictorum, eo quod hoc sacramentum institutum est in remissionem peccatorum, aliquos trahit amor, & compassio proximi, vt succurrant per hanc hostiam viuis simul & defunctis. Vt autem desiderium tuum accendatur, cogita, quod CHRISTVS omnium ad se accedentium dolores tulit, & omnes infirmitates nostras ipse portauit.

Matt.9.c *Luc.7.f* *Matt.15.c* *Mar.1.c,d* *Mar.2.b* *Luc.6.e*

Mulier accedens retro sanata est: peccatrix pedes osculans est mundata: Chananæa dum importune sequitur, est exaudita: Leprosi accedentes curati sunt, dæmoniaci, paralytici, & cuncta naturæ monstra dum accedunt, & credunt, salutem consequuntur. Nam virtus ex illo exibat, & sanabat omnes. Publicani & peccatores accedentes, veniam merentur, nec eorum conuiuia despexit. Igitur cum feceris quod in te est, accede in fide, & fiducia, sperans de infinita Dei pietate. Debes etiam præcipue ante huius Sacramenti susceptionem, deuotissime Christi passionem percurrere, nam specialiter in memoriam passionis hoc Sacramentum legitur institutum. Si autem quæris, quo te affectu magis debeas excolere timoris, scilicet & reuerentiæ, an amoris & desiderii, an debeas, vt multi, cum importuna desiderii festinantia anhelare, an vt nonnulli reuerentiæ, & timoris magnitudine, magnitudinem Sacramenti attendens, & propriam infirmitatem considerans, magis debeas affectu retrahi & elongari? Ad hoc sancti responderunt vtrumque affectum commendantes, vniuscuiusq; conscientiæ, quid ei melius visum fuerit, relinquentes.

Luc.19.a *Matt.8.a*

Festinauit siquidem Zachæus, vt Dominum gaudens in domum suam susciperet. Centurio propriæ infirmitatis conscius, repulit eum, dicens: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Vnum tamen est quod omnibus generaliter tutum videtur, vt scilicet ex reuerentia timentes spem & desiderium non relinquamus, vt ex spe & fiducia non amittamus timorem, & reuerentiam; sed semper inter hæc vtraque confidentes, & timidi fluctuemus. Ait enim Sanctus Gregorius: Nihil nobis securius, quam sub spe timere. Simpliciter tamen loquendo dubium non est, quin melior sit affectus amoris, quam timoris, sed quod est simpliciter melius, in casu est sæpe peius, & pluribus periculosius.

CAPVT VIII.

De generali materia exercendi in passione Domini.

CIRCA passionem Dominicam, in qua te præ ceteris exercitiis ardentius, & deuotius exercebis, vt ea quæ in sacris Euangeliis legeris, ad tuam deuotionem melius scias reflectere, & dirigere ad propriam vtilitatem: scire debes, quod tria sunt, in quibus tua consideratio circa mortem Saluatoris nostri speciosissime speculatur.

Circa Passione Domini tria consideranda.

Sunt autem hæc tria, opus, modus, & causa. Opus, vt ipsam passionem, sicut facta à sanctis Euangelistis narratur, studiosa, & deuota mente pertractes, & inuenies Christi mirabilem patientiam, & excitaberis tu ad compassionem. Cum autem Sacramentum, diuinæ scilicet passionis historiam in mente tua reuoluis, vt ad litteram materiam nostræ redemptionis contempleris, diligenter debes ad hoc niti, vt quoties audis Iesum vel Christum hoc fecisse, vel sustinuisse, per nomen Iesus, in mente tua repræsentetur, nec solum Deus, nec solum homo, nec sola deitas, vel humanitas, sed in mente formabis conceptum personæ vnius, quæ simul est Deus & homo, & in qua deitas, & humanitas sine essentiarum permixtione, in vno supposito conuenerunt. Itaque Christus, vel Iesus cum dicitur, Deus & homo & persona deitatis, & humanitatis designatur. Ita quidquid Deus fecisse dicitur, hominem fecisse firmiter fide catholica retinem⁹, quidquid homo sustinuit, Deum credamus, & cogitemus sustinuisse, verbi gratia, cum legis Christum fleuisse super Lazarum, vel Hierusalem, in mente concipies non nudum hominem, quoniam tunc minus mirabile est hominem fleuisse: sic cum audies Christum in cruce pependisse, non hominem solum in mente cogita, sed hominem Deum, & amplius miraberis, & multo plus ad deuotionem accenderis, & moueberis ad compassionem. Et quidem omnibus fidelibus Iesus, vel Christus Deum hominem repræsentat: sed quanto illud lucidius, & clarius attendere poteris, tanto eris deuotior in Christi vita, morte, miraculis & factis.

Ioha.11.e *& Luc.19.f*

Secundo circa opus passionis Christi, vt magis accendaris ad compassionem, debes diligenter aduertere quotiescunque legeris, aut in passione Christi aliquas pœnalitates Christo inflictas, eodem genere pœnalitatis seu eodem genere pœnarum Christum in passione sua vltra omnem æstimationem fuisse afflictum, quod ex multis causis poteris considerare, quæ te vt passionis Christi amaritudinem sentias, multum mouebunt. Si bene consideras, vnusquisque homo in eodem gradu pœnalitatis plus minusue patitur, quanto pœnam plus minusue senserit, vt notum est. Tanto enim quisque pœnam facilius, & acrius sentit, quanto natura fuerit viuacior, & sensus eius facilius percipit. Sed Christus erat viuacissimus, ideo quælibet pœna ei inflicta erat ei grauissima. Cogita ergo si illa crucifixio, & illa clauatio manuum & pedum, de qua Propheta ait: Foderunt manus meas, &c. alteri fuisset homini intolerabilis, quam grauior & acerbior Christo in sua natura delicatissima, nobilissima, & viuacissima. Item erat pœna eo grauior, quo à peculiari suo populo inflicta, cui merito dicere poterat, Popule meus quid facere debui tibi, & non feci? Tu autem quid peius mihi retribuere poteras quam fecisti. Item pœna Christi erat in omni sensu, & in omni membro, sicut inuenies si bene opus passionis in mente tractaueris. Item deuote imaginare interiorem Christi pœnalitatem, quæ forte exteriori pœna non erat minor, immo forsitan multo maior, quæ interiora pœna causabatur in eo ex zeli feruore pro humano genere, in quo tamen quo ad maiorem partem, videbat passionem suam fore inutilem. Item hæc interior pœna surrexit ex magna compassione suæ dilectissimæ matris: item ex nostra cæcitate, & ingratitudine. Cum igitur legeris, vel in mente reuolueris quomodo CHRISTVS fuit flagellatus, derisus, illusus, consputus, crucifixus, &c. noli solum cogitare de pœna exteriori, sed ita Dominum IESVM respice in talibus pœnis, quasi hominem DEVM exterius summa pœnalitate afflictum, & etiam vltra quam humana mens comprehendere potest, interius tribulatum, & dolorosum. Et vere si ita respicis CHRISTVM in quauis afflictione constitutum, si non condoles, valde mirandum est. Cum te vera si perfecte comprehenderes animal brutum ita inexplicabili pœna affligi, humanitatis aspectu compatereris, quanto magis Domino Deo. Et hæc de opere.

Psal.21.c

Circa modum autem patiendi si diligens fueris, & deuote rimaris, inuenies præcipue humilitatem, mititatem, & generaliter omnium virtutum exemplar imitandum. Vt autem modum patiendi in Christo in te melius sentias, debes in omnibus, quæ de passione Christi legis vel cogitas, semper in mente tua reuoluere, quomodo Christus se habuit in verbis, in responsionibus, in factis, in pœnis, quomodo se habuit tam interius, quam exterius, & quomodo illa prout loco, & personis congruebat, optimo modo formabat, & hoc poteris in Euangelio inuenire, vel certe si ibi non est expressum, ex teipso forma. Nam nullus Christianus ignorat, quin in omnibus optimo modo se habuit. Igitur de modo ita debes cogitare, cum verbi gratia, legis: Stetit Iesus ante Pilatum præsidem, &c. (Mat. 27. b) Cogita primo modum stationis, quam humilis fuit, forte inclinato capite, demissis oculis. Deinde de modo prolationis verborum, quam leni & dulci voce deprompsit, ita vt te delectaret audire aliquem hominem ita loquentem. Nam vox eius non minus, quam facies decora. Deinde cogita quomodo se habuit, & planum est, quod stetit cum summa humilitate, non habens inuidiam contra Pilatum, & Iudæos, sed compassionem. Sic cogita quando Iudæi clamauerunt, Crucifige, &c. (Luc. 23. c) quomodo Christus ea audiuit, certe summo dolore, & ex compassione, & zelo tamen exterius humiliter se habuit, & sic omnia pertractans, imitare modum Christi se habendi secundum locum & tempora, & inuenies omnem virtutem in Christo, & optimum modum quo se habere potuit. Maxime autem diligenter attende modum, quo interius se habuit compassione, & zelo.

Circa tertiam scilicet causam, ita semper lege & cogita de passione Redemptoris tui, vt scias, quia tu es causa. Passus est enim propter tuam redemptionem, illuminationem, iustificationem, & glorificationem; ita semper attrahe tibi & hoc beneficium, quasi sit pro te solo passus, vt supra dictum est. Ita cogita semper, vt quidquid legeris vel cogitaueris, quasi dicat Christus, hoc feci, vt sequaris vestigia mea, te humilies, patiens sis, tollas crucem tuam & sequaris me: (Matt. 10. c) quia non est seruus super Dominum suum.

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur,

PASSIO CHRISTI BREVITER COLLECTA ad modum fasciculorum.

Deuotus & omni pietate plenus est iste tractatus: in quo fasciculus Myrrhæ sponsæ vberibus interponitur, vt virtutum studium, & ad Christi vulnera compassionis affectus augeatur. In antiquis impressis non erat hoc opusculum à superiori distinctum: tamen visum est in hac editione sub peculiari titulo præcedenti annectere, cum solum in eo de passione Christi ad modum fasciculorum sermone Auctor scribat. Itidemque factum est de eo opusculo, quod supra pagina 26. inscribitur, De pugna spirituali contra septem vitia capitalia, quod post hoc sine vllo titulo in antiquis impressis continebatur. Ibi enim aptius visum fuit apponere post illud, cui titulus est, Formula aurea de gradibus virtutum.

Primus fasciculus, Dominica die, de oratione in horto, & captione.

FASCICVLVS myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, (Cant. 1. b) loquitur anima deuota, designans Christi amaritudinem se simul collectam iugiter in suo pectore circumferre. Vt autem tu etiam quicumque memoriam tuam per meditationem mortis Christi reformare desideras, in promptu habeas fasciculos, qui in memoria tua commorentur, passionem Christi hic tactam solummodo ordine Euangeliorum inseruimus compendiose, vt ex illis paucis secundum illa tria, quæ dicta sunt, opus, modum, & causam, habeas materiam copiose meditandi, & de paucis plurima colligas. Cogita igitur quomodo sollemni illa cœna, de qua supra dictum est, celebrata, & hymno dicto, Christus Deus & homo videns appropinquare tempus suum, surrexit vt iret ad montem, hoc est, opus quod fecit. Cogita igitur, vt supra dictum est, de modo, quomodo se habuit intus, & extra. Eundo, fugam discipulorum prædixit: Petrum asserit ter se negaturũ, & alia quæ loquebatur; & hoc iterum opus attende. Cogita etiam quomodo exteriori verba illa deprompsit, & quali interiori protulit affectu, sic facias vbique nec opus semper est repetere. Assumpto Petro, Iacobo, & Ioanne ait: (Mat. 26. d) Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Relictis illis solus orat in monte. Finita tertia vice oratione, ex imaginatione mortis, & interno dolore, & timore, factus est sudor eius sicut sanguis, (Luc. 22. d) innuens ineffabilem pœnam per hoc; nam de nullo tale aliquid legimus. Tunc Angelus vnus suum Dominum confortauit. Cogita quomodo Christus inimicis suis obuiauit, & sponte se obtulit, & verbo suo eos in terram prostrauit. Deinde à Iuda osculatur, à Iudæis capitur, trahitur, vincitur, & ad domum Annæ deducitur: & omnes discipuli fugerunt; & hic sit tibi fasciculus vnus memoriæ commendandus. Et hic si placet, potes aspicere Christum, qui sit iste qui ista patitur, & te subdas ei per rationis assensum. Crede igitur & cogita ipsum esse veraciter Dei filium, omniũ principium, Saluatorem omnium, & retributorem omnium.

Fasciculus secundus, de illusione coram Anna, & Caipha, & negatione Petri.

IN domo Annæ confessus veritatem, à seruo nequam percutitur. Cogita hic opus, modum & causam, vel saltem aliquod eorum sicut tibi congruit. Deinde in domo Caiphæ, vbi Scribæ & Pharisæi expectabant, adducitur, illuditur, & percutitur tamquam blasphemus. Falsum testimonium quæritur, & non inuenitur. A Pontifice adiuratur, à Petro ter negatur, sed Christus respiciens Petrum, exire, & flere amarissime compulit. Mane facto ad Pilatum vinctus ducitur. Cogita modum, quo ipsi eum ducebant, quia pessime tamquam latronem & maleficum, &c. Iudas videns, quod parabant Christum ad mortem, tantum in seipso doluit, quod tam dulcem hominem tradidit, vt se laqueo suspenderet, & retulit pecuniam, cum qua emptus est ager, sicut prædixit Hieremias: (Zach. 11. c) Coram Pilato multipliciter innocenter accusatur, mittitur ad Herodem, ab eo vt fatuus illuditur, & irridetur. Hic diligentissime considera, qualis est qui patitur, & ei configurare, vt compatiaris innocentissimo, mitissimo, amantissimo, & nobilissimo. Et hic sit fasciculus secundus.

Fasciculus tertius, de coronatione, & crucifixione.

POst hoc petentibus Iudæis dimittit Pilatus Barabbam, & tradidit Iesum ad crucifigendum victus importunitate Iudæorũ, & timore Cæsaris. Tunc Iesus more & schemate regis multipliciter illuditur, chlamyde induitur, spinis coronatur, arundine percutitur, vt Rex in derisum adoratur. Hic homo cogita modum, attende causam, quomodo scilicet Christus se habuit, & quomodo Iudæi se habuerunt, causam quare tanta sustulit, vadens vt crucifigatur, proprium portat patibulum, populus sequebatur, & mulieres flentes, quibus ait: Nolite flere super me, &c. (Luc. 23. d) In monte Caluariæ crucifigitur. Et hic diligenter pertracta modum crucifixionis. Aut enim primo crucem erexerunt, & Christus ascendit ad crucem, aut certe crucem posuerunt in terram, & ibi

eum clauis affixerunt. Nam alius modus non apparet. Et hic tertio specialius conuenit considerare, quantus est iste qui tanta patitur, vt ad ipsum possis egredi per admirationis aspectum, quia immensus est potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. Admirare igitur maiestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori. Et hic tertius fasciculus.

Fasciculus quartus, de his quæ facta sunt dum Christus penderet in cruce, & de emissione spiritus.

PEndens Christus in cruce, sitit. Cogita opus quomodo Christus pendet, cogita modum, & causam, cogita, quod sitit, orat pro crucifixoribus, blasphematur in cruce, irridetur à prætereuntibus, à principibus, à latrone, titulus verissimus & indelebilis, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, scribitur. [*Ioan. 19. d*] Stat mater Iesu dolorosa sub cruce, quam respexit, & Ioanni commisit; fiunt tenebræ. Designans tandem quanta sua esset pœna, & quod humanitas fuit deserta, in eo, quod nulla fuit redundantia superiorum virium, in quibus fruebatur, ad inferiores, quibus patiebatur, clamabat: Eli, Eli, lamma sabacthani? [*Mat. 27. e*] Accepto aceto, consummatis iam omnibus, cum nihil restabat agendum, clamans alta voce tradidit spiritum, innuens: quod quamdiu vellet, tamdiu viueret, & quod nullus animam suam à se tolleret, sed quod ipse sponte eam poneret. Et hic debes considerare, quali forma passus est, assimilationis amictu. Passus est enim sicut verus agnus liberalissime respectu sui, obedientissime respectu patris, prudentissime respectu aduersarij. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem modi se habendi, scilicet benignitatis, seueritatis, humilitatis, & perspicacitatis. Et hic sit fasciculus quartus.

Fasciculus quintus, de his quæ facta sunt Christo pendente in cruce post mortem.

LAtronum ossa confringuntur, Christi os non comminuitur, ne figura de hoc euacuetur. Latus eius aperitur, vnde profluunt Ecclesiæ sacramenta, velum scinditur, sepulchra mortuorũ aperiuntur, vt inde mortui in die resurrectionis cum Christo resurgerent. Hic considera, quantus pro te passus est, & crucem amplectere per passionis desiderium, vt sicut ipse passus est iniuriam, conuitia, ludibria, supplicia, sic tu passionem Christi imitando, amplectere pro eo omnem passionem plenam iniuriis, conuitiis, ludibriis, & suppliciis. Et hic fasciculus quintus.

Fasciculus sextus, de septem signaculis in passione Christi reseratis.

PAssio Christi non solum reformat memoriam per deuotam meditationem, nec solum inflammat desiderium ad deuotionem, quinimmo præcipue illustrat intellectum, & ducit ad cognitionem veritatis. Siquidem in vniuersitatis cognitione, septem erant clausa ante Christi passionem, quæ sunt in eius passione reserata. De quibus intelligi potest illud Apocalypsis: Aperta sunt signacula septem. [*Apoc. 5.*] Primum signaculum fuit Deus admirabilis, qui per crucem manifestatus est esse summa sapientia, in eo, quod diabolum decepit, summa iustitia, in quantum quæsiuit redemptionis præmium, summa misericordia, quia tradidit pro nobis filium. Secundum signaculum fuit spiritus intelligibilis, qui manifestatus est per passionem, quantæ sit benignitatis, quantum ad Angelos, qui permiserunt Christum crucifigi, quantæ dignitatis quoad homines, nam propter eos Christus est crucifixus, quantæ crudelitatis quo ad dæmones, qui Dominum Deum suum fecerant crucifigi. Tertium signaculum est mundus sensibilis, qui in morte Christi probatur esse locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram non cognouit, in quo regnat sterilitas, quia Christum infructuosum reputauit, impietas, quia innocentem condemnauit. Quartum signaculum fuit paradisus, qui per crucem apparet esse locus gloriæ, lætitiæ, & opulentiæ in eo, quod Christus propter eius restitutionem factus est vilis, pauper, & miser. Quinto per mortem Christi infernus manifestatus est esse plenus omni egestate, vilitate, & paupertate, quia si hæc passus est propter peccati deletionem, multo magis damnati hæc patientur propter iustam operum retributionem. Sextum signaculum fuit virtus laudabilis, quæ per crucem Christi probatur esse pretiosa, speciosa, & fructuosa. Pretiosa, quia Christus ante voluit vitam corporalem perdere, quam contrariari virtuti. Speciosa, quia in contumeliis relucebat. Fructuosa, quia vnus perfectus actus Christi virtutis infernum spoliauit, cœlum aperuit, perditum restaurauit. Septimum signaculum per crucem apertum est, & in eo, quod apparuit reatus culpabilis, quam detestabilis sit, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento.

Fasciculus septimus, de Resurrectione, Ascensione, & missione Spiritus sancti.

TErtia autem die Christus victor mortis resurrexit, & nos resurrecturos monstrauit. Si igitur Christo passo fuisti compassus, nunc resurgenti congaude. Cogita deuote, qualiter anima Christi ad infernum descendit, quid ibi egit, & de gaudio sanctorum patrum, & tristitia dæmoniorum. Cogita de timore custodum. Cogita de custodia Angelorum circa sepulchrum, quomodo nunc refertur vnus solus sedere, nunc stare supra lapidem, nunc in sepulchro, nunc duo, & hi diuersimode, per quod ostenditur multitudo Angelorum circa sepulchrum, & varia visitatio mulierum. Cogita quomodo amor & desiderium Magdalenam, & alias feminas frequenter cogebat currere, & sepulchrum Domini visitare. Cogita de variis Christi apparitionibus. Cogita de dulcibus eius colloquiis cum discipulis. Cogita, cur Christus voluit in Galilæa apparere, nisi vt debeas à vitiis transmigrare; vnde Pascha transitus. Sed in Galilæa, id est, transmigratione, & mutatione corporum nostrorum, in regno cœlorum Christum videbimus post generalem resurrectionem. Post quadraginta dies resurrectionis ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem sanctorum patrum. Meditare de gloriosa processione ascendentium cum Christo, nam sancti sequebantur, Angeli venientes obuiabant, & tunc inter se quæstiones illas formabant, de quibus Isaias ait: Quis iste est qui venit, &c. [*Isa. 63. a*] Cogita de tristitia Apostolorum, & Angelorum gaudio. Cogita de Angelis redeuntibus & Apostolos consolantibus. Disce tu ascendere ad Christum, sed per ascensiones prius dictas, vt relinquas hic vitium: quia nullum vitium ascendit cum Saluatore, vt dicit Augustinus. [*Aug. ser. 1. in festo Ascen. qui est de tep. 175. in prin. to. 10.*] Deinde de cœlo Dominus in linguis igneis misit Spiritum sanctum. Vide quomodo deinde Apostoli fuerunt confortati, & in charitate fundati. Meditare cur Spiritus sanctus in igne, cur in linguis, cur in vtrisque simul, & cur in aliis creaturis apparuit: & stude proprietates rerum talium in te habere. Cogita effectus & dona Spiritus sancti, & multa similia circa Spiritus sancti missionem, signaque militantis sub gula, scilicet somnum, cordis duritiam, otiositatem, risus procacitatem, contradictionem, & insensibilitatem.

S. BONA-

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Soliloquium.

DE QVATTVOR MENTALIBVS EXERcitiis, quod dicitur Imago vitæ: & Dialogus eiusdem Auctoris.

Hoc opusculum, quod non minori eruditione, quam deuotione plenum est, contemplationis lumen, & charitatis ignem fouere volenti copiosissimam materiam præbet. Nam animam & hominem se inuicem interrogando & respondendo Auctor inducit, & plerisque Sanctorum Patrum sententiis in medium allatis (de quibus, vt idem ait, tractatum hunc compilauit) hoc ait, vt vnumquemque facile doceat, quomodo per mentale exercitium oculum contemplationis in interiora sua, in exteriora, inferiora & superiora conuertens, spreto commutabili bono, incommutabile & æternum toto animi affectu prosequatur. Habet vero hoc soliloquium multa desumpta ex illo Hugonis de S. Victore de arrha animæ, cui est valde simile.

SVMMA CAPITVM HVIVS OPVSCVLI.

PROLOGVS.

Ephes. 3. b

FLECTO genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, Christum per fidem habitare in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinē Dei. Apostolus Paulus vas æternæ electionis, sacrarium diuinæ Sanctificationis, speculum & exemplar supernæ contemplationis in verbis præmissis ostendit nobis mentalis exercitationis ortum, obiectum, & fructum. Mentalis enim exercitatio, si debet esse pia & salutifera, oportet quod habeat potentiam supernaturaliter confortantem, sapientiam regulantem, & clementiā consolantem. Flectat igitur anima deuota diuinæ contemplationis amore accensa, genua mentis ante thronum beatissimæ & incomprehensibilis Trinitatis: pulset humiliter, & postulet sapienter Dei patris confortatricem potentiam, ne labore depressa succumbat: Dei

Ortus exercitationis mentalis.

A filij regulatricem sapientiam, ne errore seducta à veritate deuiet: Dei Spiritus sancti consolatricem pietatē, & clementiam, ne tædio victa deficiat. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum; & secundum Augustinum: Omne bonum nostrum aut Deus est, aut à Deo est. Vnde non immerito in omni boni operis initio, ille est inuocandus, à quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, & ad quem omne bonum finaliter reducitur. Hæc est illa ineffabilis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit: *Flecto genua mea*, &c. vsque ibi, *vt possitis*.

Iac. 1. b *Aug. lib. de natura boni cont. Manich. cap. 11 to. 6. in sensu.* *Ephe. 3. b*

Secundo ostendit istius salutiferæ mentalis exercitationis obiectum. Obiectum vero exercitationis deuotæ B mentis, dicuntur esse interiora & exteriora, inferiora, & superiora. Debet enim anima deuota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad interiora sua, vt videat qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam. Secundo debet conuertere radium contemplationis ad exteriora, vt cognoscat, quam instabilis sit mundana opulentia; quam mutabilis mundana excellentia, & quā miserabilis mundana magnificentia. Debet etiam tertio radiū contemplationis conuertere ad inferiora, vt intelligat humanæ mortis ineuitabilem necessitatem, iudicij finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem. Debet quarto conuertere radiū contemplationis ad superiora, vt cognoscat & sapiat cœlestis gaudij inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem delitiositatem, & interminabilem æternitatem. Hæc est illa C crux beata, quattuor finibus terminata, in qua ô anima deuota, cum tuo dulcissimo sponso Iesu Christo debes iugiter meditando pendere. Hic est ille currus igneus, quattuor rotis consummatus, in quo debes post tuum fidelissimū amicum assidue contemplando cœli palatium conscendere. Hæc est illa quadruplex regio Orientalis, Aquilonaris, Occidentalis, & Meridionalis, quam tu ô anima quotidie debes peregrinando intrare, & tuum dilectum specialissimum in ea speculando quærere, & inuestigare, vt possis dicere cum sponsa: In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea. Hæc quattuor tangit Apostolus cum subiungit: *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum.* Fructus illius salutiferæ exercitatio- D nis si digne & laudabiliter exequatur, est felicitas æterna, quæ est quid optimum, & pulcherrimū, & per se sufficientissimū, nullo extra se indigens. In qua videbimus, & amabimus, vocabimus, & laudabimus in æternum, & vltra eum qui est benedictus in sæcula. Hunc fructum promittit Apostolus, quando sermonem concludit, dicens: *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hanc plenitudinem tunc inueniemus, quando Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriæ cōtinuatio æternitatis. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, cum à ratione omnis error, à voluntate omnis dolor, & à memoria omnis timor recesserit, & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, diuina iucunditas, æterna securitas. Hunc tractatum instigante conscientia, propter simpliciores quosque simplicibus verbis de San- E ctorum dictis compilaui, per modum cuiusdam dialogi: in quo anima deuota veritatis æternæ discipula meditando interrogat, & homo interior mentaliter loquēdo respondet. Vt autem ad inæstimabilē contemplationem istius mentalis exercitationis perueniamus, ab exordio incipiamus, & Patrem luminum humiliter inuocando accedamus: genua cordis deuote flectamus ante thronum æternæ Maiestatis, & ante solium indiuiduæ Trinitatis lachrymis & gemitibus incessanter clamemus, vt Deus Pater per suum benedictum Filium donet in Spiritu sancto nobis gratiam exercitandi mentaliter, vt possimus cognoscere, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, vt per hanc pertingamus ad eum, qui est omnis desiderij finis & complementum. Amen.

Obiectū mentalis exercitationis. *4. Reg. 2. d* *Cant. 3. a* *Fructus mentalis exercitationis.* *1 Cor. 15. d*

CAPVT

CAPVT I.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, vt videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, & reformata per gratiam.

ANIMA.

DIc quæso ô homo, si post deuotam inuocationem diuinæ magnificentiæ, & post humilẽ implorationem æternę sapientiæ, & demum post flebilem supplicationem supernæ pietatis & clementiæ, gratiam exercitandi mentaliter circa quadruplicem materiam videlicet longitudinis, latitudinis, sublimitatis, & profunditatis obtinerem, quo ordine inchoarem, ne meritum huius exercitationis amitterem, si indebito ordine ignoranter procederem: Ordinis enim ignorantia secundum Ambrosium perturbat formam meritorum: nec reputatur, secundum eundem, perfecta rei cognitio in nobis existere cum scimus quid faciendum, & ignoramus quo ordine sit procedendum.

Amb. in ps. 118. Octonar. 4. ver. 3. to. 2. Ber. lib. 2. de cōsid. ad Euge. Pap. cap. 3. Idem li. Meditation. c. 1. in princ.

HOMO. O anima, secundum Bernardum, à te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris ad aliena, te neglecta. Idem. Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt, alios inspiciunt & seipsos deserunt, Deum quærentes per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus ad interiora redeam, & ab interioribus ad superiora conscendam: vt possim cognoscere, vnde veni, aut quo vadam; vnde sim, & quid sim: & ita per cognitionem mei ascendam ad cognitionem Dei. Item Chrysostomus super Matthæū dicit: Non minima pars philosophiæ est cognitio sui. Item Ambrosius in hexaëmeron: Cognosce te ô homo quantus sis, attende tibi vt consideres, quid in te intret in cogitatione, quid exeat in sermone. Vitam ergo tuam ô anima quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, quantum deficias, qualis sis in moribus, qualis sis in affectionibus, quam similis sis Deo, & quam dissimilis, quam prope & quam longe. Illud semper agnosce, quam multo laudabilior & melior es, si te cognoscis, quam si te neglecto cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium cognosceres, scientiam omnium cœlestium, & terrestrium haberes. Redde ergo te tibi, & si non semper saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. Igitur anima tene consilia sanctorum, & primo radium contemplationis conuerte ad regionem orientalem, hoc est, ad considerationem tuæ condonationis. Diligenter igitur considera, quam generose à summo artifice sis facta per naturam, quam vitiose à tua voluntate deformata sis per culpam, quam gratiose à diuina bonitate sæpe reformata sis per gratiam.

Amb. lib. 6. in Hexaem. c. 8 in medio, t. 1. Ex Ber. in Meditatio. c. 5.

Primo ergo considera, quam generose formata sis per naturam. Generositas tua naturalis cōsistit in hoc, vt existimo, quia ibi naturaliter ad tui decorem impressa est imago Beatissimæ Trinitatis. Vnde Anselmus in prologio: Fateor Domine, & gratias ago, quia me creasti ad tuam imaginem, vt tui memor sim, te cogitem, te diligam. Bernardus: Secundum interiorem hominem tria in me inuenio, per quæ Deum recolo, conspicio, & concupisco. Hæc tria sunt memoria, intelligentia, & voluntas. Cum enim Dei reminiscor, in ipso condelector. Memoria enim eius super vnum. Cum intelligentia ipsum intueor, quantum in se sit incomprehensibilis, quia principium, & finis. In Angelis desiderabilis, quia desiderant in eum prospicere. In sanctis omnibus delectabilis, in quantum in eo assidue felices lætantur. In creaturis omnibus admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat. Cum hęc intueor, ipsum concupisco. Cum Deum per voluntatem diligo, me in ipsum transformo. Hæc est enim virtus amoris, vt talem te esse oporteat, quale est illud quod amas. Hæc Bernardus. Recognosce ergo ô anima mea, quam mira & inæstimabilis dignitas est, esse non solum vestigium creatoris, quod est commune omnibus creaturis, sed etiam esse imaginem, quod est proprium creaturæ rationalis. Lauda igitur anima mea Dominum, lauda Deum tuū Sion. Expergiscere & lauda, exulta & gaude, quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps rationis, capax æternæ beatitudinis. Sed quia hæc modica non immerito forte iudicarentur, si morte finirentur, exulta & lauda, quia cum prædictis dedit tibi naturam immortalem, substantiam incorruptibilem, durationem interminabilem, vitam perpetuam. Imago enim æternæ Trinitatis non esses, si termino mortis præcludi posses. Augustinus de ciuitate Dei: O anima aduerte, quod creator tuus post illud esse, dedit tibi perpetuum esse, post hoc dedit tibi viuere, sentire, discernere, sensibus te decorauit, sapientia illustrauit. Tuam igitur pulchritudinem attende, vt intelligas, qualem debeas in te pulchritudinem diligere. Quod si temetipsam, vt expedit, contemplari non sufficis, cur saltem quid de te æstimare debeas, ex iudicio alieno non perpendis? Sponsum habes de cuius pulchritudine, si nō dubitares, scires, quod tam pulcher, tam formosus, tam vnicus Dei filius, tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor & vltra ceteros admirandus non traxisset. Hæc Augustinus. Sed hæc fortasse, ô anima nimis ingrata, tibi videntur modica, propterea audi tertio dignitatem admirabilem: quod tantæ es simplicitatis, quod nihil potest domum mentis tuæ inhabitare, nihil potest in ea mansionem facere, nisi simplicitas & puritas Trinitatis æternæ. Ecce quid dicit sponsus tuus: Ego, inquit, & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et alibi in Euangelio: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Illabi enim menti illi soli possibile est, qui eam creauit. Ipse enim est, qui intimior intimo tuo ei se perhibet, vt dicit Augustinus. Gaude igitur ô felix anima quod potes esse tanti hospitis hospita. Bernardus: O felix anima, quæ quotidie cor suum mundat, vt inhabitantem Deum suscipiat, cuius hospes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum in se habet. O quam beata anima apud quam Deus sibi requiem inuenit, quæ dicere potest: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Negare siquidem ei cœli requiem non poterit, qui sibi in hac vita requiem præparauit. Hæc Bernardus. O anima nimis es auara, si nō sufficit tibi tanti hospitis præsentia: quia scio, quod tam liberalis est, quod communicabit tibi de bonis suis: quod tam pius est, quod ditabit te de donis suis. Nullo enim modo deceret tantum principem, si hospitam suam permitteret indigentem. Adorna igitur thalamum tuum, & suscipe regem factorem tuum, de cuius præsentia exultabit, & lætabitur tota familia tua. O vere mira & multum admirabilis sententia! Rex cuius pulchritudinem sol & luna mirantur, cuius magnitudinē cœlum & terra reuerentur, de cuius sapientia cœlestium spirituum agmina illuminantur, de cuius clementia omnium beatorum collegia satiantur, talis tuum, ô anima desiderat hospitium, tuum cœnaculum, plus quam cœleste palatium appetit, & exoptat. Deliciæ enim suæ sunt esse cum filiis hominum. Sed si hæc adhuc te non mouent ad laudandum creatorem tuum, conuerte contemplationis radium ad quartum beneficium, & cognosce, quod tantæ capacitatis est palatium tuum, quod nulla creatura sufficit satiare tuum desiderium. Hugo de S. Victore: Omnis iucunditas, omnis suauitas, omnis potentia, omnis opulentia rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest. Anselmus: Omnis creatura, quæ Deus meus non est, mihi inopia est. Et quare? Reuera secundum Gregorium in moralibus: Anima humana, quæ ad Deum appetendum facta est, quidquid infra Deum appetit, minus est; ideoque iure ei non sufficit, quod Deus non est.

Ansel. in prosolog. c. 1. in fin. Ber. in Meditation. c. 1. non longe à princ. 1. Pet. 1. c Ps. 147. a Ioan. 14. c Luc. 19. a Aug. lib. 3. conf. c. 6. in fin. tom. 1. Ber. in Meditation. c. 1. Eccl. 24. a Prou. 8. d Greg. li. 26. Mor. c. 28. cir. med.

Iam, vt æstimo, anima sufficienter vidisti tuam nobilitatem, quæ est valde laudabilis: conuerte nunc radium contemplationis ad tuam super ceteras creaturas potestatem, quam reuera est admirabilis. Hugo de arrha

Hug. de S. Vict. de Arrha animæ longe ante med.

animæ: O anima mea, quid dedit tibi sponsus tuus? Respice mundum istum; omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, vt tuis vtilitatibus deseruiat, tuisq; oblectamentis secundum distributionem temporum indesinenter occurrat. Vide iam anima mea, & diligenter considera, quod creator tuus sponsus & amicus, totam machinam mundialem ad tuum ordinauit ministerium. Ecce Angeli purgant & inflammant tuum affectum, illuminant & informant tuum intellectum, perficiunt, & custodiunt tuum subiectum. Magna dignitas est habere tales doctores consolatores, & tales cōseruatores. O anima si videre posses, quanto gaudio, quātoq; tripudio assistunt orantibus, intersunt meditantibus, quanto studio nos in bono conseruant, quanto desiderio nos & salutem nostram æternā expectant! Cœlum tibi deseruit per suum motum, luminaria cœli per suum influxum, Sol causat tibi diem, luna illuminat tibi noctē, ignis temperat aëris frigiditatem, aer tibi mitigat ignis internam caliditatem, aqua tibi mundat fœtorem, mitigat tibi sitis ardorem, & fœcundat terræ vigorem. Terra vero te sustentat sua soliditate, recreat sua fertilitate, delectat sua amœnitate. Ecce anima breuiter discurristi per singula, ab inferioribus ad superiora, & inuenisti, quod omnis creatura ad hunc finem ex diuina ordinatione cursum suum dirigit, quatenus tuis vtilitatibus deseruiat, tuisq; oblectamentis indesinenter occurrat. Sed caue anima mea, ne non sponsa sed adultera dicaris, si munera dantis plus quam affectum amantis diligis. Augustinus in libro confessionum: Væ tibi, si oberras in vestigiis suis, si nutus suos pro eo amas, & non aduertis, purgatæ mentis intelligentia, quid innuat lux illa beatissima, cuius nutus & vestigia sunt omnium creaturarum decus & forma. Adhuc si forte ignoras te ô pulcherrima mulierū, egredere, & abi post vestigia gregum, id est, irrationabilium creaturarum, quæ sunt vestigium creatoris tui, tu vero speculum Beatissimæ Trinitatis. Ergo omnibus dignior & excellentior comprobaris. Et pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastoris, id est, conuerte cogitationes tuas ad choros Angelorum, quibus quodammodo similis es in natura, & conciuis eris in gloria.

Cant. 1. a

Ibidem. c

ANIMA. Iam satis fili, diu tacui, iam nunc cum verecundia & rubore compellor confiteri & dicere, quod hanc dignitatem modicum aduerti. Amorem meū heu ego infelix, & misera nimis indigne prostitui, factorem meum non pro his omnibus glorificaui, Deum meum propter dona sua non benedixi, & non adoraui eum toto tempore vitæ meæ, nimis indigne & irreuerenter, vane & negligenter vixi. Et, vt verum fatear secundum Bernardum, quanto perfectius dignitatem meam aspicio, tanto magis vitam degenerem me duxisse confundor & erubesco. Timeo etenim, quod tanto grauior sit culpa, quanto dignior & nobilior sit natura. Formido quod tanto grauior sit offensa, quanto maior est illius qui offenditur excellentia. Pertimesco quod tanto peior est iniuria, quanto maiora fuerunt illius, cui iniuriam irrogaui, beneficia. Heu, heu Domine Deus meus, ex dignitate substantiæ iam perpendo vilitatem malitiæ, ex speciositate naturæ cognosco deformitatem culpę, ex recordatione beneficiorum acceptorum, intelligo ingratitudinem factorum meorum. Væ mihi miseræ, iam video, iam cognosco, quod quidquid à summo datore accepi ad vsum vitæ, miserabiliter inflexi ad abusum prauitatis & culpæ. Tranquillitatem humanæ pacis ad vsum conuerti vanæ securitatis: peregrinationem terræ, pro inhabitatione dilexi patriæ: salutem & pulchritudinē corporis redegi in seruitutem voluptatis: vbertatis abundantiam, non ad necessitatem corporis, sed ad superfluitatem expendi miseræ cupiditatis: tempora serena & blandimenta aeris, ad amorem mihi seruire coegi terrenæ delectationis. Timeo heu & valde pertimesco, vt simul me ferire puniendo debeant, quæ vitiis meis male subiecta seruiebant.

HOMO. O anima aliqualiter iam perpendo, quod bona est tua cognitio. Ex verbis enim tuis sentio, quod non fuit frustra mea admonitio. Videtur mihi quod numine diuino sis aliqualiter illustrata, & tactu veri luminis mota. Quia secundum Gregorium in Moralibus: Vnusquisque dum tactu veri luminis illustratur, sibi ipsi ostenditur, vt vnde cognoscit quid est iustitia, inde erudiatur, quid est culpa, qua excæcatur. Vnde sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eis in se ipsis latebat, inueniunt. Hæc Gregorius. Igitur anima si luce veritatis tactā dignitatem tuam, quam hactenus non attendisti, cognoscis, si culpam qua Creatorem tuum offendisti intelligis, & vidisti, quam gratiose formata sis per naturam, vide nunc quam vitiose deformata sis per culpam. Anselmus: Reduc anima ærumnosa & misera, ad memoriam enorme delictum, & perduc in cœlum vsque rugitum, & lamentum. Cogita anima perfida Dei, adultera Christi, quid feceris. Dereliquisti in cœlo castum amorem tuum, contempsisti factorem tuum, repudiasti sponsum tuum, turbasti Deum tuū irreuerenter tractasti sanctum Angelū custodem tuum. Eras templum Dei, sponsa Christi, sacrarium Spiritus Sancti. Quæ est ista subita conuersio & repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanæ? De sponsa Christi, scortum execrabile diaboli? Hæc Anselmus. Recordare ô anima propter quid vendideris decorem tuum, propter quid abieceris honorem tuum, pro quo tam turpiter fœdaueris vultum tuum, quæ tanta bona pro tam vili pretio vendidisti. O anima quare te tot bonis spoliasti? quare frustra tantis tē honoribus priuasti? quare tot bona opera neglexisti, tot annos, tot dies, tot horas sine fructu vixisti?

Greg. li. 32. Mor. c. 1. in princ.

Anima per culpā nimis fit deformis.

ANIMA. Recognosce ô homo, quod verum loqueris, & nō immerito me de tanta transgressione reprehendis. Bernardus: O Domine Deus meus quot tempora effluxerūt in quibus sine fructu, vt aspicio, vixi corā te. quomodo subsistam? quomodo ad te leuare potero faciē meam, in illo magno & terribili examine, quando enumerari iusseris omnes dies meos, quærens fructum in eis? O Domine Deus, cur intermisi te vllo tempore versari in corde meo, te tota mente amplecti, in tua dulcedine delectari? Omnia interiora mea vbi tunc erant, quando tecum non erant, cum à te habeat omnis creatura quidquid habet desiderabile, laudabile, delectabile? Hæc Bernardus. Heu Domine, nunc intelligo, sed confiteri erubesco: species & decor creaturarum decepit oculum meum, & non aduerti, quia speciosior omnibus creaturis tu es, quibus tantummodo vnam guttam tuæ inæstimabilis pulchritudinis communicasti. Quis enim ornauit cœlum sideribus, aerem volucribus, aquam piscibus, terram plantis & floribus, homines in corpore diuersis coloribus, in mente variis virtutibus? Nonne clementissime Pater, per te illa cœlestium spirituum agmina, variis donis sunt ornata? Nonne per te Seraphim ardent dilectione, Cherubim lucent cognitione, de tuis donis iudicant Throni, de tuis muneribus dominantur Dominationes inclytæ, ex tua virtute præsunt Principatus, ex tua potestate Potestates, dæmonum malitias arcent, & ex tua profunda potentia miracula faciunt Virtutes, ex tuo præcepto Archangeli magnis nunciant maiora, Angeli vero minoribus significant minora? Sed quid sunt hæc omnia, nisi tuæ pulchritudinis modica scintilla? O bone Iesu fons vniuersæ pulchritudinis, ignosce mihi animæ miseræ, quod tuam pulchritudinem tam sero cognoui, tam tarde amaui, propterea miserabiliter oberraui. Dulcedo etiam creaturarum decepit gustum meum, & non aduerti quod melle dulcior es. Tu enim melli & omni creaturæ dulcedinē suam, immo tuā commodasti, & non est aliud in creatura dulcedo vel delectatio, nisi tuæ dulcedinis, quam abscondisti timentibus te, modica demonstratio. Vnde dulcedo omnium creaturarum, si quis iuste aduertat, nihil aliud facit, nisi quod ad tuam dulcedinem æternā inuitat. O Iesu fons vniuersæ dulcedinis & pietatis, ignosce mihi quod tuā inæstimabilem, & mellifluam dulcedinem in creatura non cognoui, nec internæ

Pia recognitio animæ de suo peccato.

Psal. 30. c

internæ mentis amore degustaui, propterea miserabiliter oberraui, & animam meam vsque modo siliquis porcorum saturaui. Sed heu numquam, vt timeo, de pane filiorum tuorum manducaui, ideo semper in deliciis mundi ieiuna & famelica permansi. Gregorius: Quia intus gustare nolumus paratam dulcedinem, propterea ieiuni, & famelici, amamus miseri famem nostram. O dulcissime Iesu modo video, modo agnosco, quod omnis dulcedo tibi contraria, fuit mihi afflictio & magna miseria. Augustinus in libro confessionum: Tu enim misericordissime Deus etiam in peccatis meis semper mihi aderas, piissime sustinens omnes iniquas delectationes meas, & malas, amarissimis respergens amaritudinibus, docens per flagella, si vellem sine amaritudine delectari, nō possem nisi in te Domine. Hæc Augustinus. Sed heu hanc doctrinam non intellexi, propterea oberraui, semper tamen in deliciis meis iniquis timui proditorem, timui accusatorem, timui reprehensorem, formidaui aliquotiens conscientiam, expaui multotiens infamiam, nonnumquam abhorrui gehennam, & tamen heu ego misera inter tot tormenta, nó mutaui voluntatem propriam. Decepit etiam odor creaturæ olfactum meum, & ignoraui, quod odor tuus. O bone Iesu, redolet super omnia aromata. O bone Iesu fons odoris, cuius suauitas fecit indesinenter post te currere, & infatigabiliter laborare. Ignosce mihi, quod tam sero te cognoui, tam tarde in odore vnguentorum tuorum post te cucurri. Puto tamen & per hoc me non excuso, quod odor illius cœlestis apothecæ huic terreno fœtori, quo infecta eram, non miscetur. Decepit etiam sonus falsus, siue fallax creaturarum auditum meum, & nesciui nec sensi, quam dulcia faucibus electorum tuorum eloquia tua, quam suauia auribus amicorum tuorum consilia tua, quam leuia manibus sanctorum tuorum mandata tua. O Iesu fons sapientiæ, auctor scientiæ, consiliator casti consilij, fac me vel saltem modo audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Cum quanta amaritudine recogito, quod fefellit me illa vox miserrima cantantium, & dicentium: Venite, fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis antequam marcescant, & non prætereat nos flos temporis. Vino pretioso, & vnguentis optimis nos impleamus, vbique relinquamus signa lætitiæ. Hanc vocem audiui, & non intellexi, nec aduerti, quoniã omnia vana sunt, & risu digna. Omnia enim hæc & his similia cito pertrãsierunt, & velut vmbra euanuerunt. Quid enim vana hæc omnia amatoribus suis contulerunt? Quem enim fructum tunc habuerunt in illis, in quibus nunc confunduntur & erubescunt? O Domine Deus meus, lumen cordis mei, panis animæ meæ, virtus amaricans mentem meam, non te amabam, & fornicabar abs te, & fornicãti mihi sonabát euge euge. Amicitia huius mundi, fornicatio est abs te. O quid miserius misero non miserante super seipsum? Sed inter hæc omnia tu amantissime Deus mihi semper aderas, vocem tuam frequenter audiui, inspirationem tuam salutiferam sensi, sed non consensi, O quotiens mihi illud salutiferum consilium inspirasti? Peccasti, quiesce, desine, & erubesce. Ad quæ ego misera morem secuta beati Augustini in libris confessionum verba somnolenta aliquando respondi: Domine expecta me modicum, sine paululum, modo à vanitate quiescam, modo de malignitate erubescam, omnia vana & mundana derelinquam. Sed heu illud modicum, & modo, non habebat modicum & modum, & paululum in longum ibat. Item, Augustinus: Ipsa segnities est res, quæ multos æternaliter occidit, & finaliter in peccatis detinet, qui se ad vocem Domini non corrigunt. Vocem quidem occultæ inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt, dicentes: Cras, cras, & subito ostium clauditur, remanetque peccator foras extra aream cœlestis patriæ cum voce coruina, quia pro peccatis gemere noluit cum columba. Gregorius: Heu quam multos in peccatis peius sua felicitas prostrauit, multos diuturna pax inertes reddidit: eoque illos mox malignus hostis grauius percutit, quo longius quietis vsu negligentes inuenit.

Greg. hom. 36. in Euãgel. non longe à prin.
Aug. in sensu li. 2. conf. c. 2. cir. fin. tom. 1.
Cant. 4. c
Cant. 1. a
Psal. 118.
Sap. 2. b.
Rom. 6. d
Ex Aug. li. 8. conf. c. 13. tom. 1.
Ex Aug. li. conf. c. 10. cir. fin. to. 1.
... de verbis Domini ... 16. post ... to. 10.
Greg. lib. 31. Mor. c. 17. cir. med.

Item Gregorius: Quos enim Deus vt conuertantur diutius tolerat, non conuersos durius damnat. Sed ô homo, vt tibi meæ infelicitatis historiam perfectius manifeste profiteor, quod hæc omnia meæ infelicitati non sufficiebant, sed ad cumulum damnationis heu mundana mollities tactum meum nimis miserabiliter decipiebat, & ignoraui, quod tam suauis ô bone Iesu esset tuus amplexus, tã honestus attractus tuus, tam delitiosus conuictus tuus. *Cum enim te amauero, munda sum, cum tetigero casta sum, cum accepero virgo sum. Tuus ô dulcissime Iesu amplexus non maculat, sed mundat, tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Iesu fons vniuersæ dulcedinis & suauitatis, ignosce mihi, quod tam sero credidi, quantum habet deliciositatis, quantum honestatis, quantum iucunditatis quando læua tuę æternæ sapientiæ & cognitionis est sub capite meo, id est, ratione, & dextera tuæ diuinæ clementiæ, & dilectionis amplexabitur me, id est, voluntatem. Heu me miseram, quid vmquam tam dulce, tam suaue, tam delitiosum, & salutiferum potest experiri, quã inter brachia tanti sponsi quiescere, inter oscula tanti Regis & amici feliciter obdormire? Hanc dulcedinem senserat anima deuota, quando optabat, dicens: Osculetur me osculo oris sui, &c. Numquid has delicias anima deuota erat experta, quando orabat ardens, & iam pene deficiens præ dilecti sui concupiscentia, dicens in Canticis: Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te solum foras, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam te in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & ex musto malo granatorum meorum. Quis enarrare sufficeret, nisi qui mente gustasset, quantum habet hoc verbum dulcedinis, & deuotionis, quando bene ponderatur, & recte cibatur deuota mente? Vnde expositionem deuotæ menti relinquo. Sed ô Domine Deus, si hæc tam dulcia sunt cogitanti, quam dulcia esse possunt degustanti? Si tam suauia sunt legenti, quam consolatoria erunt per affectum sentienti? Augustinus: Fac me dulcissime Iesu intus gustare per amorem, quod extra gusto per cogitationem: fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum. Hæc Augustinus. Eia dulcissime Iesu transfige saluberrimo vulnere amoris tui, medullas animæ meæ, vt vere ardeat, langueat, & liquefiat, & solo tuo desiderio deficiat, cupiat dissolui & esse tecum. Te solum semper esuriat panem vitæ cœlestis, qui de cœlo descendisti. Te sitiat fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem veræ voluptatis. Te semper ambiat, te quærat, teq; inueniat, in te dulciter requiescat. Sed quæ vesania, quæ infernalis furia, tanto tempore à me prohibuit talia, & tanta mentis meæ solatia, tam diuina gaudia, & melliflua conuiuia? Dic quæso ô homo, quæ est tanti mali causa, quæ tanti periculi ratio, quæ tanti damni occasio?

HOMO. Video ô anima, quod iam fatigata laboribus, iam vexata doloribus, vltra inuenire non valeas, cui tantum damnum illatum ascribas. Peto igitur, vt cum patiẽtia audias, si tibi tanti mali causam demonstrauero, si tibi tanti damni inimicum ostendero. Iam pro parte hostem tetigisti aliqualiter, tamen forte prę dolore mentis non aduertisti. Habes ô anima mea inimicum domesticum, hostem amicum, aduersarium propinquum, qui tibi malũ pro bono reddidit, & sub specie amicitiæ crudelior existens inimicus, his omnibus & aliis infinitis bonis te priuauit. Hic hostis, salua tua reuerentia, est caro infelix & misera, multum tamen tibi dulcis & dilecta. Hanc cum pauisti, inimicum pessimum contra te erexisti. Hanc cum honorasti, hostem crudelissimũ contra te armasti. Hanc cum foris variis & pretiosis indumentis decorasti, omnibus interioribus ornamentis te spoliasti, nesciens quod dicit beatus Gregorius in homiliis: Vnde, inquit, caro ad tempus suauiter viuit, inde spiritus in æternum torquebitur & ingemiscet. Et contra, quo plus caro premitur, eo plus de spe cœlesti animus lætatur. Vnde pro tanta iniuria nobis per te illata, continere amplius

Ex Amb. de S. Agn. ep. 34. non longe à prin. tom. 1.
Cant. 2. a
Cant. 1. a
Cant. 8. a
Hæc habet Anselmus de meditatione redemptionis humanæ.
Hostis pessimus animæ, caro est.

plius me non valeo, quia tantum malum hucusque sub silentio periculose pertransitum reprehendam. Scio, inquit Bernardus, ô anima quendam, qui per plures annos tecum vixit, ad mensam tecum sedit, cibum de manu tua sumpsit, & in sinu tuo dormiuit, cum voluit tecum colloquium habuit, hic iure hæreditario seruus tuus est. Sed quia delicate nimis enutristi eũ, & virgæ pepercisti, leuauit calcaneum suum super caput tuum, & te in seruitutem redegit. Et subdit: O anima miserabilis & misera, quis te liberabit de vinculo improperij huius? Exurgat Deus & cadat armatus, & cõteratur inimicus. Inimicus, inquam, contemptor Dei, amicus mundi, cultor diaboli. Quid tibi videtur de illo? Si recte sentis, puto quod mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere, crucifige, crucifige eum. Sed in qua cruce? In cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio nostra. Recole igitur ô anima primordia tua, attende quod es insignita Dei imagine, decorata eius similitudine, desponsata fide, dotata spe, prælecta charitate, redempta sanguine, particeps gratiæ, capax beatitudinis, quid tibi cum carne, vnde ista pateris? Si diligenter conditiones eius aduertis, numquam vilius sterquilinium vidisti. Si eius miserias enumerare velis, quam onusta sit peccatis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, confusione plena, ignominia repleta, quid de ea habes aliud, quam cogitationes fœdas & immundas? Hæc Bernardus. Idem: O anima diuina erubesce in similitudinem porci commutari, erubesce volutari in cœno, quæ es de cœlo. Idem super Cantica: O anima donec in carne es, inter spinas versaris, & necesse est, vt tentationum tribulationes, & impugnationum aculeos grauiter patiaris. Vnde dicitur tibi in Canticis: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Vide ergo quomodo caute ambules inter spinas. Caro & mundus pleni sunt spinis: conuersari in his, & non lædi, diuinæ potentiæ est, & non virtutis humanæ. Hæc Bernardus.

Bernardus in meditationibus. c. 17.

Idem ibid. c. 3.

Idem ser. 48. sup. cãt. in princ.

Cant. 2. a

2. Hostis crudelis animæ, diabolus.

Ex Leone ser. 7. de natiuit. circa med.

Est & alius inimicus fortis, & crudelis, qui mira calliditate omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi semper quærit causas nocendi, vbi quemquam viderit studiosius occupari. Nouit enim hic hostis antiquus, ab initio humani generis inimicus, cui ipse illecebras gulæ ingerat, cui virus inuidiæ infundat, cui blandimenta luxuriæ obiiciat, cui vana superbiæ incitamenta promittat, nouit quẽ metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione seducat. Habet etiam aliquos sibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingeniis vtitur, & linguis. O anima fragilis ad resistendum, facilis ad cadendum, difficilis ad surgendum, qualiter istius crudelis aduersarij laqueos euadere poteris, quem tantis subtilitatibus præditum agnoscis? Hæc Leo Papa.

Citatur hic locus ex Anselm. de Simil. sup. to. 6. Phar. lib. 2. cap. 5. tamẽ ibi nõ reperitur apud Ans.

ANIMA. Nunc video, iam primitus recognosco, quod sicut dicit Anselmus, consuetudo peccati est, quod non facile cognoscitur ab eo qui ipse premitur: sed mox cum incœperit se quis ab illo alienare, tunc demum cognoscit in quanta fœditate iacuerit. Igitur quia iam aliqualiter me ipsam à peccato alienare incipio, & per hoc me, & peccatum meum agnosco, me amplius à planctu continere non valeo. O Domine Deus meus, tu impressisti mihi amabilem imaginem tuam, & ego superinduxi odibilem imaginẽ diabolicã. Heu, heu miser homuncio, quod dæmonis imaginẽ superimpressi, super imaginem Dei. Cur non odi eius imitationem, cuius abhorreo nomen? Ille sponte cecidit, ego volens corrui. Ille nuda præcedente vindicta peccauit superbiens, ego visa eius pœna peccaui contemnens. Ille semel innocentia est institutus, ego multotiens sum restituta. Ille se erexit contra eum qui se fecit, ego me erexi contra eum qui me refecit. Ille Deum dereliquit permittentem, ego fugi Deum persequentem. Ille perstat in malitia Deo reprobante, ego curro à Deo misericorditer reuocante. Et si ambo contra Deum, ille tamen contra non requirentem se, ego vero contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, cum in multis me inueniam horribiliorem.

HOMO. Fuge, fuge à me ô horribilis substantia, fuge te ipsam, exterrita à te ipsa. Ne igitur sine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoscis; non est hæc fortitudo, sed mentis hebetudo: non est sanitas, sed obdurata iniquitas.

ANIMA. Si me video, est horror intollerabilis: si nõ video, est mors ineuitabilis. O quam infelix, qui sibi est horribilis: sed tamẽ multo infelicior, cui mors æterna est sensibilis. Anselmus in orationibus: O pater patientissime, ô Rex clementissime, tegere non valeo, excusare nequeo, & tamen confiteri non modicum erubesco. Iam causam tantorum malorum inuenio, iam quod prius male latuit agnosco. Bernardus in meditationibus: Cor enim meum miserum, dum futurum non curauit gaudium, nec diuinum quæsiuit consiliũ, à seipso fuit elongatum, & in amore terrestrium occupatum, dumq; elapsum fuit ab illis, & inuolutum in istis, vanitas ipsum decepit, luxuria polluit, curiositas abduxit, cruciabatur inuidia, torquebatur iracundia, diuidebatur auaritia, anxiabatur acedia, sicque immergebatur omnibus vitiis: quia vnum bonũ, quod sibi sufficere potuit, dereliquit. Hæc Bernardus. Abeant ergo mitissime Deus in obliuionem coram te omnia male consumpta mea tempora, & concede, vt hoc temporis mei residuum forte nimis breue, & momentaneum, sit tibi honorificum, mihi fructuosum, & proximo ædificatorium. Iam piissime Deus propter magnitudinem damni, quod infelix, & misera miserabiliter incurri, video & recognosco, quod meipsam & peccatum meum sufficienter, vt merui deplangere non valeo, si tanta debeat, esse non immerito peccati detestatio, quanta fuerit in misera voluntate delectatio.

Bern. Meditation. c. 9. in sensu, verbis non nihil immutatis.

HOMO. O anima si per te, vt asseris, non potes, nec sufficis delictum tuum deplangere, necesse habes te ad aliquem Sanctorum conuertere. An ignoras, quod secundum Bernardum, securũ habes accessum ad Deum, vbi matrem habes ante filium, filium ante patrem? Mater pro te ostendit filio pectus, & vbera, filius patri latus & vulnera. Putas quod vlla poterit ibi esse repulsa, vbi tot sunt charitatis indicia? In periculis ergo & in angustiis ac in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat à corde tuo, non discedat ab ore tuo. Ipsam sequens, non deuias: ipsam rogans, non desperas: ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia ad veniam peruenis. Hæc Bernardus. Anselmus: Dic igitur ô anima cũ magna mentis fiducia: O Domina si tuus filius per te factus est frater noster, nonne tu per ipsum facta es mater nostra? Exultabo igitur & lætabor, quia quidquid iudicabitur de me, pendet ex sententia matris & fratris mei. Hæc Anselmus.

Bern. hom. 2. super Miss. est circ. fin.

ANIMA. Cum peccaui in filium, irritaui matrem. Matrem offendere non potui sine iniuria filij. Quid ergo ô homo faciam? quis reconciliabit me filio, inimica matre? quis mihi placabit matrem, irato filio?

HOMO. Anselmus: O anima non dubites, & si ambo sint offensi, ambo tamen sunt clementes, ambo piissimi. Fugiat ergo reus iram iusti Dei ad piam matrem, refugiat reus iram offensæ matris ad benignum filium, & dicat: Deus qui factus es filius feminæ propter nostram miseriam, fœmina quæ facta est mater Dei propter misericordiam, aut miseremini mihi impiæ peccatrici, aut ostendite mihi magis misericordem, ad quem ego misera confugere valeam. Hæc Anselmus.

Ans. in inuocatione matris Virgin. Mar simul & filij eius cir. fin.

ANIMA. O homo quam sanum consilium tuum, quam consolatorium est mihi miseræ verbum tuum! quia quando peccatum meum recte aspicio, tunc inuenio, tunc agnosco, quod elementa per peccata mea pollui, cœlos inquinaui, astra cœli obfuscaui, damnatos in inferno cruciaui, Sanctos in cœlo perturbaui, angelos mihi ad custodiam deputatos irreuerenter pertractaui. Vnde ab omnibus his auxilium petere pertimesco. Et quia iusti iuste mihi indignati sunt, ad ipsos confugere non præsumo.

Anima peccando omnes creaturas post Deũ offendit.

Homo. O anima nimia est trepidatio tua, quamuis placita sit humiliatio tua. An ignoras, quod multi de Sanctis peccauerunt, qui qualiter nobis peccantibus misereri debeant, in suis magnis peccatis didicerunt? Cogita Moysen Prophetam eximium, de diuina potentia desperantem. Cogita Dauid regem sanctissimum, contra diuinam legem adulterio, & homicidio peccantem. Agnosce Salomonem sapientissimum, idola vana, & pessima adorantem. Cognosce Manassem regem iniquissimum, qui plusquam omnes reges Israel peccauerat, qui dicebat: Peccaui super numerum arenæ maris, & nõ sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ; hos semper cogita veniam impetrantes. Sed quid plura de sanctis veteris testamenti? Cogita nunc & adtende paucos de sanctis noui testamẽti. Vide Matthæũ sedentem ad telonium, peccatorem publicanum, & assumptum in discipulum. Vide Paulum lapidantem Stephanum, & electum in Apostolum. Vide Petrum, Christum abnegantem, & mox veniam impetrantem. Vide militem Christum crucifigentem, & tamen de diuina misericordia præsumentem. Vide latronem in cruce pendentem, & veniam impetrantem. Postremo cogita ô anima, quod illa famosa & immunda peccatrix Maria Magdalena facta est tam singularis & specialis Christi amatrix. Omnes enim quotquot modo cum Deo regnant, vel olim sicut nos peccauerunt, vel saltem peccasse potuissent, si eos diuina clementia à peccato non præseruasset. Quia cuicumque donatum est, vt peccare penitus non potuerit, non est hoc naturæ, sed cœlestis gratiæ.

Exod. 4. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. 4. Reg. 21. In oratione Manass. Matt. 9. b. Act. 7. g & 9. Luc. 22. f g. Luc. 23. f g. Luc. 7. f g.

Anima. Iam nunc secure prophetas & Reges imploro: iam nunc audacter Apostolos & Martyres inuocabo: Confessores, Virgines, & Viduas, constanter interpello. Sed tamen præ omnibus his Sacratissimam Dei genitricem Virginem Mariam confidentius adorabo. Scio enim quod tam pia, dulcis, & suauis est Maria, quod nec nominari potest quin accendat, nec cogitari quin recreet affectum diligentium se. Hæc est enim illa quæ salutem omnibus impetrauit, & totius mundi reparationem obtinuit. Hæc Bernardus. Anselmus. O femina mirabiliter singularis, & singulariter admirabilis, per quam elementa renouantur, infirmi medicantur, homines saluantur, & Angeli reintegrãtur. O femina gratia plena, de cuius plenitudinis abundantia respersa reuiuiscit omnis creatura. Bernardus: O benedicta genitrix vitæ, inuentrix gratiæ, mater salutis, per te accessum habemus ad filium tuum, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpã corruptionis nostræ, humilitas tua Deo grata, ô beatissima, veniam impetret vanitati nostræ. O benedicta, per gratiã, quam inuenisti, per prærogatiuã quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, fac vt qui mediante te dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te intercedente nos faciat participes gloriæ suæ. Hæc Bernardus.

Bern. in deprec. & laude ad Virg. Mar. post med. & ser. 4. in Assumptio. eiusd. cir. fin.

Ber. de aduen. Dom. ser. 2. prope fin.

Homo. Iam nunc, vt æstimo, ô anima mea aliqualiter meritorie conuertisti radium contemplationis ad videndum qualiter formata sis per naturam, & quomodo deformata per culpam: conuerte nunc radium tuũ, iam vt spero per contritionem depurata, ad intuendum qualiter sis reformata per gratiam. Scire tamen debes, quod quanto perfectius per cõtritionis lauacrum, caligo mentis detergitur, tanto lucidius diuinæ reparationis beneficium speculatur. Peccatum enim secundũ Augustinum est tenebra, quia intellectus obtunditur, & interior homo totus obtenebratur. Vnde necesse est, vt tanto sollicitius mentales oculi à peccati tenebra per compunctionis lacrymas continue expurgentur, quanto amplius per hanc, contemplationis radius obtenebratur. Hæc Augustinus. Iam igitur ô anima in affectionibus serenata, dirige radium contemplationis, ad intuendum, quam profunda Dei clementia, quam alta Dei sapientia, quam mira Dei potentia sis per gratiam reformata. Considera primo qualiter per beneficium redemptionis, te à peccato originali liberauit. An ignoras, quod per peccatum originale eras bonis naturalibus & spiritualibus spoliata, potestati principis tenebrarum subiugata, à patria tua repulsa & alienata? Sed secundum Bernardum: Singularis illa maiestas mori voluit, vt viueremus, seruire vt regnaremus, exultare vt repatriaremus, & ad vilissima opera inclinatus est, vt nos constitueret super omnia opera sua. Venit enim Filius hominis quærere & saluũ facere, quod perierat. Venit, inquam, vt te superbum humiliaret. Gregorius in registro: Ad hoc vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc inuisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormẽta tolerauit, vt superbum non debere esse hominẽ doceret humilis Deus. Augustinus: Omnia bona terrena cõtempsit Deus, vt contemnenda nostra monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, vt sustinenda doceret, vt nec in illis quæreretur felicitas, neq; in istis timeretur aduersitas. Venit secundo, vt te patri reconciliaret. Augustinus: Cũ inimicus esses patri, ego reconciliaui te: cum longe esses, ego veni vt reducerem te: cum inter montes, & siluas errares, quæsiui te: inter lapides & ligna inueni te, in humeris meis portaui te, patri meo reddidi te, laboraui, sudaui, caput meum spinis exposui, manus meas clauis obieci, lancea latus meum aperire permisi, sanguinem meum pro te fudi, totq; non dicam iniuriis, sed asperitatibus laceratus sum propter te, sed heu propter peccatum tuum te diuidis à me. Venit tertio, vt venditum repararet. Augustinus: Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniã per Redemptoris nostri mortem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, de corruptione ad incorruptionem, de miseria ad gloriam, de luctu ad gaudium, vocati sumus. Gregorius Nazianzenus. O mira & inaudita permixtio, qui creator est fit creatura, qui immensus est, capitur, qui diues est in homines pauper efficitur. Suscepit imaginem carnis meę, vt imaginem quam fecerat, repararet, vt carnẽ mortalem immortalitate dotaret. Expergiscere nũc ô anima mea, respice in faciem Christi tui. Vide faciem illã quondam splendore nimio luminosam, propter te velatã contra charitatem: decore speciosam, inflatã contra speciositatem: dulcore gratiosam, consputam contra gratiositatem: amore desiderabilem, abominabilem contra desiderabilitatẽ. Vide nunc ô anima mea, & diligenter considera mira & inaudita prodigia, quæ fecit Dominus super terram. Deus illuditur, vt honoreris, innocens flagellatur vt consoleris, iustus crucifigitur vt libereris, agnus immaculatus occiditur vt epuleris, sanguis & aqua de latere lanceati emittuntur vt poteris. Respice igitur in pretiũ redemptionis placans offensam præuaricationis: inspice exemplum informationis, præstans adminiculum sanctificationis: aspice auxilium protectionis, reserãs ianuam incarcerationis: suscipe præmium retributionis, conferens gratiã iustificationis. Aspice ô anima delicata contemplando assidue, & fac imitando perfecte secundum exemplar consummatæ iustitiæ, quod tibi in mõte monstratum est, hoc est, in Christi victoriosissima passione. An nõ consideras, quod delitiis corporalibus æstuas, & Christus Dominus tuus, rex tuus, spõsus tuus, magister & amicus tuus, affligitur omni genere pœnarũ, in omni parte sensuum, ab omni statu hominum? Rex illusit, Pręses iudicauit, Discipulus vendidit, Apostoli reliquerunt, Pontifices, scribæ & Pharisæi tradiderunt, gentiles flagellauerunt, turbæ condemnauerunt, ac milites crucifixerunt. Bernardus: Caput illud Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum sputis Iudæorum deturpatur: oculi lucidiores sole caligant in morte: aures quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os quod docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum scabellum adoratur, quoniam Sanctum est, cruci clauo affiguntur: manus quæ formauerunt cœlos, sunt in cruce extensæ & clauis affixæ: corpus verberatur, latus lancea perforatur. Et quid plura? non remansit in eo aliquid liberum nisi sola lingua, vt pro peccatoribus exoraret, & matrem discipulo commendaret. Hæc Bernardus. Et quid

Bern. ser. 3. de Ascens. Dom. non longe à prin. Luc. 19. b. Habetur apud Greg. li. 34. Mor. c. 18. longe post med. Aug. lib. de Catechiz. rudib. c. 22. to. 4. Aug. oratione cõtra quinque hæres. ca. 6. cir. med. to. 6. Greg. Naz. orat. 38. Contemplatio passionis Domini.

plura?

plura? ô fidelis anima Saluator noster nullis aduersantium hostium tentamentis potuit à nostræ salutis cura reuocari. Sed quo magis eius ostenditur æmulatio, eo grauior nos, si hanc spernimus, sequitur damnatio.

ANIMA. O homo iamdiu tacui, quia quæ proposuisti, cum gaudio pariter, & luctu, deuota mente recepi. Gaudens igitur gaudebo in Domino, quia me tantum dilexit, quod vnigenito filio suo propter me non pepercit. O inæstimabilis dilectio charitatis, vt ancillam, immo nec nomine ancillæ dignam, redimeres, filium tradidisti. O Domine Iesu Christe, qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, & mentem meā tuo sanguine ita inebria; vt quocumq; me vertam, semper te videam crucifixum, & quidquid inspexero, mihi appareat tuo sanguine rubricatum: vt sic totus in te tendens, nil valeam præter te inuenire, nil nisi tua vulnera intueri. Hæc mihi consolatio sit, tecum mi Domine crucifigi, & mihi sit intima afflictio aliquid præter te meditari. Hugo de Sancto Victore: Nulla dilectio maior, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior; mortuus est pro me innocēs, nihil in me inueniens quod amaret. Sed heu quoties hanc miram circa nos diuinæ pietatis dignationem aduerto, de nimia ingratitudine mea non modicum confundor, & erubesco.

Hug. de arrha animæ post medium sparsim.

HOMO. Hugo de arrha animæ: O anima dereliquisti sponsum tuum, prostituisti amorem tuum, & pro tantis beneficiis gratias non egisti: quia vt reuelaret te illuc vnde cecideras, ipse descendere dignatus est, & pie pati quod tolerabas. Cogita ergo quantū diligat te, qui non nisi moriendo à morte voluit liberare te. Hæc Hugo. Vnde anima mea, quanto beneficia Redemptoris recognoscis digniora, tanto peccata ingratitudinis sunt deteriora. Vide ergo ne sis ingrata, cui tanta beneficia sunt collata; magnum enim est peccatum ingratitudinis, quia secundum Bernardum: Ingratitudo est quasi ventus vrens, exsiccans riuulos diuinæ misericordiæ, fontem clementiæ & fluenta gratiæ. Attende igitur ô anima mea, frequēter volue & reuolue in mēte illud horribile verbum, quod contra ingratos profertur, in persona Saluatoris, dicentis: O anima vide quanta pro te patior, ad tē clamo qui pro tē morior. Vide pœnas quibus afficior, vide clauos quibus confodior, audi improperia quibus confundor. Sed cum sit tantus dolor exterior, cruciatus tamen interior est grauior, cum tam ingratū te experior. Et alibi Bernardus contra ingratos in persona CHRISTI inuehitur dicens: Popule meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi, responde mihi? quid causæ est quod inimico meo magis libet seruire, quam mihi? Attēde quod ego sum qui creaui te: ego omnibus bonis ditaui te; si hæc modica videntur ingratis, ego pretiosissimo sanguine meo redemi te. Eia anima mea, non recedant hæc à corde tuo, non discedant ab ore, semper gratias age, nunquam cessa vnigenitum Dei filium pro tantis donis benedicere & magnificare. Sit tibi dilectus pro his omnibus aliquando fasciculus myrrhæ in corde tuo, aliquando iubilus in mente, laus in ore, melos in aure.

Idem ibid. paulo ante

Bern. serm 51. in Cant. post med.

Mich. 6. a

ANIMA. Iam diutius me continere non valeo. Dic quæso: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

HOMO. O anima, sicut dicit Bernardus in meditationibus: Totam vitam tuam debes huic, non immerito, qui vitam suam pro te posuit; & cruciatus duros sustinuit, ne & tu æternos cruciatus sustineres. Quid tibi, vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille speciosus in forma Dei pro te voluit crucifigi? O quam indebita miseratio, ô quā gratuita dignatio, quam inopinata dilectio, quam stupenda dulcedo, regem gloriæ pro despectissimo vermiculo mori & crucifigi. O quam dulcis amicus, ô quam fortis auxiliator, ô quam prudens consiliator.

Ex Bern. ser. de quadruplici debito cir med.

ANIMA. O homo fateor & vere recognosco, si essent in me omnes vitæ filiorū Adam, omnes dies sæculi, & labores omniū hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, nihil esset ad comparationē illius, quod sponsus meus pro me sustinuit, quod pro peccatis meis filius Dei tolerauit. Cum ergo donauero ei quidquid sum, & quidquid possum, nonne erit sicut stella ad solem, sicut stella ad fluuium, & sicut puluis ad montem? Hæc Bernardus.

Dei beneficia nequimus persoluere.

HOMO. O anima quia iam considero, quod depurato contemplationis oculo gratiam diuinæ redemptionis, qua te à peccato originali sponsus tuus liberauit, agnoscis, adhuc modicum pro Deo loqui incipiam, & tibi ad cumulum diuinæ miserationis, qualitèr per ipsam à peccato actuali libera sis, ostendam. Conuerte igitur radium contemplationis ad beneficium iustificationis, & considera Domini tui gratiam, quam paterne per occultam inspirationem te à peccato reuocauit, quam dulciter, & quam amicabiliter alloquendo per interiorē allocutionem reuocauit, dicens: Reuertere, reuertere Sunamitis, id est, anima per peccatū misera effecta, vel captiuata, vel mortificata. Reuertere, inquit, ô anima ad me, ego sum creator tuus: reuertere, ego sum redēptor tuus: reuertere, ego sum consolator tuus. Et si hæc modica videntur, reuertere vltimo, quia ego sum tam liberalis remunerator tuus. Reuertere igitur ad me, ego sum, qui te tam nobiliter creaui. Reuertere, ego sum qui te tam misericorditer per mortem meam amarissimam, de morte æterna liberaui. Reuertere ad me, ego sum, qui te bonis spiritualibus & corporalibus tam multipliciter ditaui. Reuertere vltimo ad me ô anima, ego sum qui te iam per præparatam felicitatem tam liberaliter remuneraui. Reuertere, inquit, à peccato cogitationis, reuertere à peccato locutionis, reuertere à peccato actionis, reuertere à peccato assuefactionis. Reuertere ad me ô anima, te sancti cum magno desiderio expectant, & ad tuum aduentum Angeli exultant. Reuertere vocat te expansis in cruce manibus Iesus Christus. Reuertere, tuum reditū præstolatur totius Trinitatis abyssus. O anima hæc fuit vox, si bene recolis, dilecti inuitantis! Aduerte nunc, quæ fuerit longanimitas expectantis. O quanto tempore tuū aduentum expectauit, heu quanto tempore te in peccatis tuis tolerauit. O quot & quanto ante tuam conuersionem in peccatis damnauit, & te semper peccantem misericorditer expectauit. Reuertere adhuc ô anima, Christus in cruce te expectans habet caput inclinatum, ad te peccatricem, & immundam deosculandam, habet brachia extensa, ad amplexandam: manus apertas, ad remittendum: corpus extensum, ad se totum impendendum: pedes affixos, ad tecum commanēdum: latus apertum, ad te in illud intromittendum. Esto ergo ô anima iam columba nidificans in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. peruola manus, peruola pedes, inuola lateri, ibi tua requies, ibi secura quies. Hæc Bernardus. Hugo de Sancto Victore: O anima si digne cogitare posses, quot & quales in tui comparatione abiecti sunt, qui tibi datam gratiam consequi non meruerunt. Elegit ergo & præelegit te sponsus tuus, elegit te in omnibus, assumpsit ex omnibus, amauit præ omnibus. An ignoras, quam fœda prius fuisti, quam polluta, & dissoluta prius extitisti? Ipse te lauauit lauacro regenerationis, pauit cibo dulcissimi corporis. Ipse tibi dedit vestimenta virtutum, quibus nuditatem tuam tegeres & te adornares. Ipse contulit aromata bonorum operum, quibus fœtorem peccati effugares: dedit speculum scripturæ, in quo faciem tuam agnosceres. Hæc Hugo. O anima vidisti longanimitatem expectantis, iam nunc conuerte radium contemplationis ad benignitatem iustificantis. Cogita diligenter, vnde tibi post hæc omnia tā inæstimabilis gratia, vt eius merearis esse sponsa, in quem desiderant Angeli prospicere. Bernardus: Quid ergo retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Tribuit enim tibi per gratiam vt sis socia mensæ, socia regni, socia thalami. Vide quibus brachiis à te sit amplexandus, quibus labiis deosculandus, qui te tanti æstimauit, vt te suo sanguine mundaret, & propter te somnium mortis acciperet.

Iustificatio magnū est Dei beneficium.

Cant. 6. d

Hug. de arrha animæ post med.

ANIMA. Fateor iam & recognosco, experior & intelligo, me multo plura his à Deo meo recepisse, sed pro his omnibus nihil dignum beneficiis tantis Deo retribuisse,

Bern. serm. de septem misericordiis, qui est secūdus in Dominica 6. post Pentecost.

buisse, vnde ait Bernardus: Misericordias Domini in æternum cantabo, quia septem in me misericordias factas considero, per quas suam inæstimabilem pietatem euidentissime recognosco. Primo, quod à multis peccatis me conseruauit. Secundo, quod me peccantem non statim damnauit, sed me prolõgante iniquitatem, ipse prolongauit pietatem. Tertio, quod cor meum immutauit, vt fierent ei dulcia, quæ prius erant amara. Quarto, quod me pœnitentem misericorditer recepit. Quinto, quod continendi & emendandi mihi virtutem præstitit. Sexto, quod dedit mihi gratiam promerẽdi. Septimo, quod mihi tribuit spem obtinendi. Dic mihi iam ô homo propter diuinam clementiam, quid pro his omnibus Domino meo tribuam, ne fiam indigna percipiendis, si ingrata fuero inuenta de perceptis? Augustinus: Quid ergo retribuam Domino, nisi quod diligam & gratias agam, confitear & laudem dicam nomini suo æterno & benedicto? Quoniam tam paratus est mihi dimittere mala, & tam inæstimabilia conferre bona. Gratiæ eius deputo, quod peccata mea quasi glaciem soluit, gratiæ eius deputo quæcumque mala non feci, & ideo omnia mihi reputo dimissa, quæcumque à me, ipso duce, non sunt commissa. Hæc Augustinus in libro Confessionum.

Aug. conf. li. 3. c. 7. to. 1.

Homo. O anima scito quod quidquid tibi dilectus tuus contulit, quidquid propter te sustinuit, totũ in charitate perpetua, qua te dilexit, consummauit. Vnde, sicut æstimo, nec melius, nec decentius, quam per dilectionem retribuitur, quod ex sola dilectione condonatur.

Anima. Eia mi Domine Deus meus, si hæc ita se habent, quantum ego infelix & misera diligere deberem Deum meum, qui me creauit cum non eram, redemit cum perieram, & de multis periculis liberauit me: quando errabam reduxit me, quando ignorabam docuit me, quando peccabam corripuit me, quando contristabar, consolatus est me, quando steti tenuit me, quando cecidi erexit me, quando iui duxit me, quando veni suscepit me. Hæc & multa alia fecit mihi Deus, de quibus dulce mihi erit semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, vtinam pro omnibus beneficiis suis possem eum laudare & amare. Cum enim, secundum auctorem de spiritu & anima, cunctis præsidens, singulos implens, vbique præsens cunctorũ curam agens, & tam singulis quam omnibus præuidens; ita tamen totum ad custodiã meam occupatum video, quasi omnium oblitus fuerit, & mihi solum intendere velit. Sic enim præsentem se mihi exhibet, semper se paratum offert, si me paratum inuenerit, vt quocumque me verto, non me deserat, nisi ego prius deseram eum. Nec pro his omnibus quod illi retribuam habeo, nisi tantum, vt diligam. Hæc auctor de spiritu & anima. Bernardus: O bone Iesu, quoties post immensas & innumerabiles lacrymas, quoties post varios singultus & gemitus, me sauciatam & iam penè desperantem vnxisti vnctione misericordiæ tuæ, & omnino pene deficientem excepisti gaudentem, nec dereliquisti de venia præsumentem. Sed super hæc omnia mihi te bone Iesu amabilem non immerito reddit calix passionis, quem bibisti, opus nostræ redemptionis quod suscepisti. Hoc enim est, quod totum amorẽ meum vendicat tibi, hoc est, quod meam deuotionem blandius allicit, & iustius stringit, & vehementius afficit. Etenim vbi te humiliasti, vbi te naturalibus radiis exuisti, ibi charitas plus effulsit, & gratia amplius radiauit. Hæc Bernardus. Adiuro vos, inquit anima in Canticis, filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectũ, vt nuncietis ei, quia amore langueo. Bernardus: Non operit anima quem diligit, quia præsentem omnibus credit, qui de corde suo non recedit. Augustinus: Amore Domine, & impatiens est amor, nec lacrymis sedatur, donec amori detur quod amatur. Nihil eius mœstitiam consolatur, quousque non aspicitur quod desideratur.

Ex Aug. li. Solil. c. 13. to. 9. & lib. de Dilig. Deo c. 9. to. eod.

Auct. de Spir. & ani. c. 17. apud Aug. to. 3.

Cant. 5. c

Aug. aliqua ex his lib. 2. sol. c. 1 in princ. tom. 1.

Anima. Sed numquid ô homo ille tenetur Deum diligere, qui se gaudet talia, qualia ego commisi, minime commisisse?

Homo. O anima non te quisquam irrideat, ab eo ægram sanari oportet, à quo sibi præstitum est vt non ægrotaret, vel forsan vt maiores labores cautius euitaret. Et ideo Deum tantumdem, immo re vera amplius diligat: quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis doloribus non implicari. Hæc Augustinus in libro Confessionum. Hieronymus: Sine amore charitatis quamuis quisq; recte credat, ad beatitudinem tamen venire non potest: quia tanta est charitas, vt etiam prophetia & martyrium sine illa nihil esse credantur, nullum præmium charitati compensatur. Charitas enim omnium virtutum obtinet principatũ. Augustinus: Da mihi te Deus meus, redde te mihi, amo te, & si parũ est, amem validius. Non possum metiri, vt sciam quantũ desit mihi amoris tui, ad id quod satis est, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abscõdatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quod quale mihi est præter te, & omnis copia quæ Deus meus nõ est, mihi egestas est. Hæc Augustinus:

Aug. lib. 13. conf. c. 8. tom. 1.

Quãtum & quomodo Deus sit diligendus.

Anima. Nunc ergo ô homo, quia pro his omnibus dilectum dilectorem meum, vt dixisti, diligere debeo, dic quæso quantum aut quomodo ipsum diligam, quatenus sibi vicissitudinem tantæ dilectionis rependam?

Bern. de dilig. Deo in princ.

Homo. O anima, quamuis secundum Bernardum, causa diligendi Deum, Deus sit; modus vero diligendi eum, si sine modo diligere; possumus tamen modum aliquem ex ipsis sacræ scripturæ locis inuestigare. Ipse etenim qui tibi dilectionem tribuit, modũ diligendi ostendit, quando dixit: Diliges Dominũ Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Dilige igitur anima amore singulari Deum patrem, qui te tam nobiliter ex nihilo creauit, Deum filium, qui te tam inæstimabiliter pro te moriendo reformauit, Deum Spiritũ sanctum, qui te tam misericorditer & tã dulciter sæpius consolãdo à peccato conseruauit, & in bono confortauit. Dilige igitur Deũ patrem fortiter, vt nullo alieno amore periculose vincaris, dilige Deum filium sapienter, vt nullo alieno amore dolose seducaris, dilige Deum Spiritum sanctum dulciter, vt nullo alieno amore venenose inficiaris. Vel aliter secundum Bernardum: Disce à Christo ô anima Christiana, quemadmodum debeas diligere Christum. Dilige dulciter, prudenter, & fortiter. Dulciter, vt amore illius omnis amor alius tibi vilescat, & ipse solus sit tibi mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Dilige prudenter, vt amor tuus in eo solo, & in nullo alio continue inardescat. Dilige fortiter, vt tua fragilitas omnia dura & aspera gaudenter pro ipso sustineat, vt dicas: Labor meus vix est vnius horæ, & si amplius est, non sentio præ amore. Hæc Bernardus: Hieronymus: Ita Christianus per amorem in Christum iugiter intendat, vt omnia libenter propter ipsum sustineat, donec ad ipsum perueniat. Hæc Hieronymus: Amemus Christum, & eius semper quæramus inhærere amplexibus, & facile videbitur omne quod est difficile. Ambrosius: O anima semper in mente tua pertracta, quam dulciter Christus te dilexit in incarnatione, quam prudenter in conuersatione, & quam fortiter in passione. Hugo: Nulla dilectio maior, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior; mortuus est pro te innocens, nihil in te inueniens quod amaret. Hæc Hugo de Sancto Victore.

Matt. 22.

Bern. serm. 20. sup. Cãt. circ. med.

Hieronym. epist. 22. ad Eustoch. vers. fin. to. 1.

Hugo de arrha ani. post med.

Anima. Dic quæso ô homo, salua reuerentia tua, non ex curiositate, sed ex humilitate, nõ ex præsumptione, sed potius ex deuotione interrogo: Et quid est quod amo, cum Deum meum amo?

Homo. O anima, si tua quæstio esset præsumptuosa, tunc nimis esset vitiosa: sed quia ex deuotione originatur, deuotam responsionem meretur. Audi ergo quid dicit ille magnus amator Dei Augustinus in libro Confessionum. Cum Deum, inquit, amo, non amo speciem, aut decus, non tempus, non candorem lucis istius amicum oculis, non dulces melodias, non vnguenta suauiter redolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexib' acceptabilia, nõ hæc amo cũ Deum amo. Sed quid amo? Amo lucem quamdam, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdã cibum, quemdã amplexum

Aug. conf. lib. 10. ca. 6. to. 1.

interioris hominis mei. Vbi fulget animæ, quod non capit locus: vbi sonat, quod non capit tempus: vbi redolet, quod non spargit flatus: vbi sapit, quod non minuit edacitas: vbi hæret, quod non diuellit satietas.

ANIMA. Dic quæso ô homo, vel paululum de charitatis virtute, qua cognita ad diligendum Deum fortius animus inardescat.

HOMO. Re vera ô anima charitatis fructus magnus est, sed occultus. Ipsa enim, secundum Augustinum, in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus est fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate liberalissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Ipsa est inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans. Hæc Augustinus de laude charitatis. Bernardus: O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operũ, fœcunditas virtutum, dignitas meritorum, sublimitas præmiorũ & honorum. O dulcedo amoris, ô felix amor dulcedinis, comedat te cor meum, & nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. Hæc Bernardus. Idem: O anima quam dulcis est cibus charitatis, qui fessos alleuat, debiles roborat, mœstos lætificat. Iugum namque veritatis facit suaue, & onus eius leue Idem: Fateor domine, non sustinui pondus diei & æstus, sed iugum suaue & onus leue porto. Opus enim meum vix est vnius horæ, & si plus est non sentio præ amore. Sed quid plura? Hugo de Sancto Victore: O anima tanta est vis amoris, vt talem te necesse sit esse, quale est illud quod amas. Et cui per affectum coniungeris, in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. Hæc Hugo.

Aug. tract. de laude charit. to. 9. *Bern. de 12. grad. humil. lõge ali quantulũ à prin. Idem serm. 14. super Can. ante med.*

CAPVT II.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis conuertere ad exteriora, vt cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, & quam miserabilis mundana magnificentia.

ANIMA.

IAm video, quoniam miser est omnis animus iunctus amicitia, rebus temporalibus, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittũtur. Sed beatus est qui amat te Domine, & inimicum propter te & amicum in te: solus enim nullum charum amittit, cui omnes in te chari sunt: te vero nemo amittit, nisi qui te dimittit, qui autem te dimittit quo vadit, nisi à te placido ad iratum? Hæc Augustinus. Idem: O charitas quæ semper ardes, & numquam extingueris, Charitas Deus meus accende me. Iubes vt amem te, da quod iubes; & iube quod vis. Iubes certe quod contineam à concupiscentia carnis, à concupiscentia oculorum, & ambitione sæculi. Augustinus: Minus te domine amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Hieronymus: O homo, amemus Christum, & eius semper inhærere quæramus amplexibus, & facile videbitur omne difficile.

Ex Aug. li. 4. confes. c. 6. & c. 9. tom. 1. *Idem li. 10. conf. c. 29. & 30. tom. eod. Ibid. c. 29.* *Hierony. ep. 22. ad Eustoch. vers. fin. to. 1.*

HOMO. O anima iam, vt video, recognoscis quam felix & quam beatus est, qui in solo æternitatis desiderio per amorem figitur, qui nec prosperitate extollitur, nec aduersitate quassatur, & dum nihil habet in mũdo quod diligat, nihil est in mundo quod pertimescat. Hæc Gregorius in moralibus. Conuerte igitur ô anima nunc radium contemplationis ad ea, quæ sunt iuxta te, hoc est mundum istum sensibilem, vt ipsum & ea quæ sunt in ipso despicias, & eo despecto amplius in amore sponsi inardescas. Minus enim eum amas, si aliquid cum eo appetis, quod propter ipsum & in ipso non diligas. Tanto enim secundum Gregorium quis ab illo superno amore disiungitur, quãto inferius delectatur, & citius ad Deum conuertitur, qui non habet in hoc sæculo, vnde delectetur. Et secundum glossam super Exodum, Tanto quis ab inferiorum amore disiungitur, quanto ad sola æterna amanda subleuatur. Cetera igitur creatura tibi vilescat, vt creator tuus in corde solus dulcescat. Augustinus: Volue igitur semper & reuolue, non tantum ex auditis, sed etiam ex expertis, non tantum ex dictis, sed etiam ex factis, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, quam falsa & mirabilis mundana gloria. Omne enim secundum Gregorium, quod hic eminet, multo plus mœrore efficitur, quam honore gaudeat. Bernardus: Ecce huius mundi amatores nundinas huius sæculi perambulant, alij diuitias, alij honores, alij gloriam quærentes. Sed quid de diuitiis dicam, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Quid de honore referam? In loco sublimi positus es, numquid non eris iudicandus ab omnibus, lacerandus ab omnibus? Numquid in honore sine dolo, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis poterit? Quid de gloria dicam? Nihil aliud est nisi quædam vana aurium inflatio Numquid & ipsa est sine iudicio? Respice quos antecedis, & cogita quia in omnibus inuidiæ semina præbes. Toties angelo apostatæ similis esse volo, quoties præesse desidero. Hæc Bernardus. Hieronymus: Nihil namque sæculo rebusque sæculi fugacius est, quas, cum tenere cupimus, amittimus. Vidisti Imperatores, vidisti præfectos, vidisti exercitus, victorias & triumphos: heri fuerunt, hodie non sunt, heri, quasi flos apparuerunt, hodie quasi fœnum aruerunt. Nihil itaque bonum est, nisi quod perpetuum est. Hæc Hieronymus.

Ex Greg. lib. 10. Mor. c. 11. circa fin. *Greg. hom. 30. in Euang. ante med.* *Ber. in ser. de quinque negotiatiõ. & quinq. regio. paulò ante med.*

ANIMA. O homo si hæc ita se habent, quid est quod miseri homines quærunt, dum mundi vanitates appetunt? O quantum excæcati sunt, qui mundi gloriã quærunt. Gregorius: Nonnulli dum quorumdam gloriam cernunt, magnum aliquid existimant, atque vt talia mereantur, exoptant. Cum vero eos morientes aspiciunt, eorum quam vana sit gloria cum gemitu fatentur, & dicunt: Ecce quam nihil est homo. Hæc Gregorius.

HOMO. O anima charissima, & quid sunt mundana omnia, nisi quædam vana somnia? Et quid profuit superbia aut diuitiarũ iactantia amatoribus suis. Transierunt enim omnia tamquam vmbra, & tamquam nauis, quæ pertransiit fluctuantem aquam, cuius non est inuenire vestigium. In malignitate enim sua consumpti sunt. Heu quam plurimi etiam nullum signum reliquerunt. Vbi sunt principes gentium, & qui dominati sunt super bestias, quæ sunt super terram? Qui argentum thesaurizauerunt, & aurum congregauerunt, qui ciuitates & castra extruxerunt, reges & regna bellando deuicerunt. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi inquisitor huius sæculi? Vbi Salomon sapientissimus? vbi Alexander potentissimus? vbi Samson fortissimus? vbi Absalom speciosissimus? vbi Assuerus gloriosissimus? vbi Cæsares potentissimi? vbi reges, vbi principes inclyti? Quid profuit eis inanis gloria, breuis lætitia, mundi potentia, magna familia, carnis voluptas, diuitiarum falsitas, concupiscentiæ suauitas? vbi risus? vbi lætitia? vbi iactantia? vbi arrogantia? Ecce generositas sanguinis, pulchritudo corporis, forma elegans, iuuenilis decor, prædia, palatia immensa, suppellex, adde & mundi sapientiam, de mundo sunt hæc omnia, & mundus quod suum est, diligit, & tamen cum mundo non diu subsistunt. Transibit enim mundus & concupiscentia eius. Bernardus: Tu ergo si recte sapis, si tecum lumen oculorum est, desine sequi quæ consequi miserum est, quæ possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciant. Tu ergo relinque hæc omnia propter eum, qui est super omnia. Hæc Bernardus. Fuge ergo, & confuge ô anima ad vrbem refugij, hoc est, ad vitam religiosam, vbi possis de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & feliciter præstolari futuram gloriam. Non te retardet peccatorum conscientia, quia vbi superabundauit iniquitas, superabundare consueuit & gratia. Non pœnitentiarum austeritas ipsa te deterreat. Nõ enim condignæ sunt passiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præsen-

Sap. 5. a *1. Cor. 1. c* *Ber. epist. 103.* *Ex Bern. ser. de conuers. ad cleric. c. 30.*

tem gratiam, quæ immittitur, & ad futuram gloriam, quæ promittitur. Hæc Bernardus.

ANIMA. Iam falsitatem & instabilitatem mundi agnosco, sed nescio quo vinculo detenta adhuc auertere mentem nequeo.

HOMO. Certe si diligenter ô anima & prudenter periculum tuum, quod de mundo incurris, aduerteres, proculdubio animum à sæculi vanitatibus cohiberes. Grauis enim & nimis periculosa est mundana conuersatio, quia secundum Bernardum, Periclitatur castitas in delitiis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo. O anima debilis & infirma, quæ tam facilis es ad decipiendũ, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum. An ignoras, quod sicut difficile est, arborem iuxta viam positam fructus pulcherrimos vsq; ad maturitatem seruare, sic difficile est hominem iuxta sæculum viuentem, iustitiam immaculatã vsq; in finem conseruare? Hæc Chrysostomus. Item Augustinus in epistola quadam: Vincula huius mundi habent asperitatem verã, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriam, nullam beatitudinem, & inanem spem. O anima, si hoc in mente portares, mundum & ea quæ in mundo sunt, contemneres. Et quid est charissima quod diligis? quid est quod appetis? quid est quod in mũdo quæris? Si prælationem diligis, quid aliud facis, nisi quod vitam tuam confundis? An ignoras, quod monstruosa res est gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua, & manus ociosa: sermo multus & fructus nullus, vultus grauis & actus leuis, ingens auctoritas & nutans instabilitas. Hæc Bernardus. Sed forte diceres, prælationem quidem appeto, sed in ipsa bene & sancte viuere intendo. Laudo, sed raro, quod laudare valeam, inuenio. Vnde semper timeo quod dicit Gregorius in registro: Ita sibi regentiũ & subditorum merita connectuntur, vt sæpe ex culpa præsidentium fiat deterior vita subditorum. Et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. Si sapientiam mundi quæris, ô quanto periculo te committis. Bernardus: Heu quot & quantos mundi maledicta sapientia supplantauit, & conceptum in eis diuinum extinxit spiritum, quem vehementius Dominus accendi voluit. An ignoras, quod sapientia mundi terrena est, animalis & diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ & mater cupiditatis? Hæc Bernardus. Augustinus: Qui sine Saluatore salutem vult quærere, & sine vera sapientia æstimat se prudentẽ fieri posse, non sanus, sed æger est, non prudens, sed stultus est, & in ægritudine laborat assidue. Qui enim crescit in scientia & nõ in bona vita, elongatur à Deo, sicut dicit Algazel. Tu ergo si sapiens esse desideras, discas in terris, quorũ scientia perseueret tecum in cœlis. Hæc Hieronymus. Hic studeas, qualiter ad ipsum peruenias, quẽ semel vidisse est omnia didicisse. Hæc est illa æterna veritas, sine qua omne sapere desipere est, quam solam cognoscere perfectum scire est. Augustinus: Infelix homo qui scit omnia alia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiam si aliena nesciat. Si autem te & alia nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus. Anselmus: Sed fortasse diuitias mundiales, pompas sæculares, & delitias carnales ô anima mea diligis, & propter hoc mundum inuite derelinquis. Sed attende quod caduca & fragilia sunt hæc. Dic vbi reges? vbi principes? vbi omnium prædictorum dilectores? Timeo quod multi ex ipsis heu exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Quid nunc eis prodest superbia? quid diuitiarum iactantia? Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam continentiam, sequitur diabolum, & ibit cum eo ad æternum suppliciũ. Augustinus: Qui florent felicitate sæculi, pereunt virtute Dei: florent ad tempus, pereunt in æternum: florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. Idem: Si in hoc sæculo aliquid nos habere delectat, Deum qui possidet omnia expedita mẽte possideamus, & in ipso habebimus quidquid feliciter & sancte desideramus. Gregorius. Nec diuiti obsunt opes si eis bene vtatur, nec pauperem egestas commendabilẽ facit, si inter inopias sordes peccati non caueat. Sed adhuc ô anima inuenies quod obiicias, dicens: Mundum despicio, sed amicos, parentes, & cognatos derelinquere non valeo. Friuola ô anima est hæc obiectio. Bernardus: Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Si impium est contemnere patrem vel matrem, propter Christum piissimum est. O dirum patrem, ô sæuam matrem, immo non parentes, sed peremptores, qui te malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Hieronymus: Licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater, ostendat licet in limine pater iaceat, per contemptam matrem, per calcatum patrem perge siccis oculis, & ad vexillũ crucis euola. Solum pietatis genus est in his fuisse crudelem. Chrysostomus: An ignoras ô anima, quod qui habet Iesum, habet patrẽ, & matrem, & omnẽ amicum? Quid sequeris mortuos? sequere viuũ, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Bern. ibid.

Chry. oper. imper. homil. 39. ante med. to. 2.

Ex Bern. li. 2. de consid. ad Eugen. c. 7.

Greg. Reg. lib. 6. c. 17. post med. & lib. 25. Mor. c. 14.

Aug. lib. 5. conf. c. 4. 10. 1.

Sap. 5. b

Bern. ep. 104. ad Magist. Galterum de Cal no mõte in fin.

Hieron. ep. 1. ad Heliod. non longe à princ.

ANIMA. Iam ex verbis tuis ô homo perpendo, & ex multis experimentis cognosco, quod etiam mundus in seipso aruit. Sed adhuc heu in multorum cordibus floret, qui amaritudines mundi diligunt, fugientem sequuntur, labentem amplectuntur, dic quæ est tantæ cæcitatis ratio.

HOMO. O anima an ignoras, quod tam delicata & tam nobilis es à sponso tuo auctore omnium condita, quod sine dilectione esse non potes? Hieronymus: Difficile est humanam animam nõ amare, necesse est enim, vt mens nostra ad quoscumque trahatur affectus. Vnde secundum Bernardum etiam oportet, quod aut in summis aut in infimis delecteris. Igitur secundum Gregorium in moralibus, Quia sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, dum transitoria appetunt, & æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dolorem non sentiunt, dum vulnerati sunt. Vnde heu se miseri in bonis esse putant, exilium quasi patriam diligunt, & in cæcitate quasi luminis claritate exultant. Econtra electorum mentes, dum cuncta transitoria quasi nulla conspiciunt, ad quid sunt conditæ, requirunt. Cumq; eorum affectui nihil extra Deum sufficiat, in sola contemplatione conditoris quiescunt, supernis interesse ciuibus appetunt, & adhuc in mundo positi extra mundum surgunt. Hæc Gregorius. Idem super Ezechielem: Dulcedo videtur esse in rebus humanis, sed eis qui nullam de cœlestibus dulcedinem experti sunt. Quia dum mens humana minus æterna intelligit, tanto dulcius in temporalibus requiescit. Sed si quis iam cordis lingua gustauerit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, huic quanto dulcius fit, quod intus videt, tanto magis in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet.

Hieron. ep. 22. ad Eustoch. longe ante med.

Greg. lib. 1. Mor. c. 10.

Greg. hom. 10. in Ezechie. longe post med.

ANIMA. Ne quæso ô homo procrastines, mihi aliquid de mundano & cœlesti gaudio edissere, quatenus vtriusq; natura perfectius cognita, vnũ verius despiciam, & ad alterum assequendum studiosius me extendam: quia puto quod sicut bonum non amatur, nisi cognoscatur, ita malum non deuitatur, nisi intelligatur.

HOMO. O anima æstimo, quod mundanum gaudium (si tamen potest dici gaudium, & non potius flagellum incognitum) numquam perfecte cognoscitur, nisi cum perfecte despicitur. Vnde sicut à perfectis mundi contemptoribus traditur, mundanum gaudium potissime propter quinque contemptibile est habendum. Primo, quod habet vilitatem in obiecto. Quid enim est sæculi lætitia? Respondet Augustinus, impunita nequitia, id est, luxuriari, inebriari, comessationibus vacare, vanitatibus intendere, & pro his in hac vita nihil mali sustinere. Putant enim mali se esse in delitiis, cum non corriguntur pro suis nequitiis. Et ignorant, quod sicut dicit Augustinus, nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis infirmitas nutritur, & mala voluntas roboratur. Secundo habet impuritatem in subiecto. Anima enim peccatis deformata, est subiectum mundani gaudij, quæ lætatur cũ male fecerit, & exultat in rebus pessimis. Vnde

Aug. serm. 37. de ver. Dom. post med. to. 10.

Prou. 2. 6

bene di-

bene dicit Beatus Hieronymus, quod ridere & gaudere cum hoc sæculo, non est factũ hominis sensati, sed phreneticí. Reuera ô anima cor mundum non cum hoc sæculo immundo, sed cum Deo & in Deo lætum est & iucundum. Tertio habet breuitatem in seipso, quia gaudium hypocritæ ad instar puncti. Hypocrita est hic mundus, cuius gaudium est ad instar puncti, quod nec latum, nec longum, nec altum est, nec profundum. Augustinus super Ioannem: Lætitia seculi vanitas est, cum magno desiderio speratur, vt veniat, & non potest teneri cum venerit. O anima quam breuis, quam fragilis, & quam caduca est mundana lætitia. Breues enim dies hominis sunt, vt dicit Iob. Quarto habent tristitiam in termino, quia ducunt heu miseri in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Extrema enim talis gaudij luctus occupat. Immo ô anima si vales discernere, tale gaudium habet semper tristitiam admixtam in actu suo, quia semper necesse est quod præsumat sæua, perturbata conscientia. An ignoras ô anima, quod non diutius perdurat lætitia quæ est in comedendo & bibendo, quam durat tristitia quæ est esuriendo & sitiendo? sic est de omnibus aliis. Quinto habet miseriam magnam in affectu proprio, quia est spiritualis gaudij impedimentum. O anima agnosce quam miser est hic mundus, & quam miserrimi qui sequuntur ipsum. Semper enim mundana gaudia excluserunt homines à beata vita. Bernardus: O quam vilis est, quam inutilis est mundana consolatio, & quod plus est metuendum, quia veræ ac sanctæ consolationis est impedimentum. Renuas igitur ô anima mea in mundo delectari, si vis de Dei memoria consolari. Hæc Bernardus. Augustinus: Cetera creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.

Iob 10. a
Iob 14. a
Iob 21. b
Prou. 14. b
Bern. ser. 4. in vigil. Natal. Dom. statim post prin.

ANIMA. Iam mundum despicio, iam falsam lætitiã, veram tristitiam, falsam dulcedinem, & veram mundi amaritudinem agnosco; & ob hoc non immerito hæc omnia secundum tuum consilium contemno. Sed quia sicut asseris, sine dilectione esse nõ valeo, dic quæso quid agam? quo me conuertam? vbi dilectionem conuenientem inueniam?

HOMO. O anima si te ipsam perfecte cognosceres, ex tui cognitione mũdum & omnia quæ in mundo sunt, contemneres, & discere posses, quam consolationem in tua dilectione affectare non immerito deberes. O anima si te naturam cœlestem intelligeres, proculdubio terrenam consolationem abhorreres. Erubesce igitur consolari in cœno, quæ es de cœlo. Erubesce in imis delectari, quæ non potes nisi in summo satiari. Natura es, vt puto, cœlestis, & cœlestem consolationem, sicut æstimo, naturaliter, si carnalis insania permitteret, appetis, & requiris. Bernardus: O quam dulce & delectabile esset, adiuncto diuini amoris condimento, secundum naturam viuere, si carnalis insania nos permitteret, qua sanata statim naturalibus natura arridet.

ANIMA. Et quid est proprie secundum naturam viuere?

HOMO. Propriissime secundum naturam viuere, est in terris cœlestem vitam ducere, ab exterioribus ad interiora redire, ab interioribus ad superna ascendere, & facere omnia secundum nobilissimum quod in homine præcellens, hoc est secundum intellectum. Hæc Philosophus 4. Ethic.

ANIMA. Potest ne aliquis in terris, & in hac lacrymarum valle cœlestem vitam ducere?

HOMO. O anima si de meis verbis tanquam hominis peccatoris dubitas & miraris, audi Augustinum & Apostolum Paulum. Ecce quid dicit Augustinus: Cum æternum aliquid per cognitionem & amorem capimus mente, iam non in hoc mundo sumus. Vnde est quod dicit Apostolus: Nostra conuersatio in cœlis est. O anima mea puto igitur, quod verius es vbi amas, quam vbi animas: quia quidquid diligis ipsa dilectionis vi in eius similitudinem transformaris. Si ergo cœlestia contemplaris, si cœlestia diligis, quomodo iam non in cœlis commoraris, quæ cœlestibus spiritibus in vita assimilaris?

Philip. 3

ANIMA. Heu, heu iam me infelicem & miseram, miserabiliter multo iam tempore excæcatam sentio, quæ tanto tempore per cognitionem in temporalibus & terrenis rebus oberraui, mundanis & vilibus me per amorem alligaui, de quibus paucam consolationem, multam vero amaritudinem & desolationem, modicam & valde exilem lætitiam, sed variam & sæpe magnam cordis tristitiam sumpsi. Dic ergo iam quæso ô homo, quæ est cœlestis consolatio, & si quo modo possem ad ipsam pertingere in hac valle lacrymarum & miseriæ? Quid est quod in Deo meo inuenio, cum tam libenter & tam faciliter omnia propter ipsum contemno, cum dico intra meipsum cum gaudio, Deus cordis mei, Deus pars mea in æternum? Quid est quod in illa breuissima hora in dilecto meo degusto, cum omnia dura & amara & aspera gaudenter & hilariter, propter ipsum sustinere totis viribus concupisco, & dico: Mihi adhærere Deo bonum est. Et, Quis me separabit à charitate Christi?

Psal. 72. d
Rom. 8.

HOMO. Secundum Bernardum, ô anima hæc consolatio nihil aliud est, quã gratia quædam deuotionis, procedens de spe veniæ, & gustus boni licet exiguus, & suauissima quædam delectatio, qua benignus Deus afflictã recreat animam, qua anima ad Deum requirendum inuitatur, & ad diuinum amorem accenditur vehementer. Hugo de Sancto Victore. O anima quid putas est tã dulce & tam suaue, quod in recordatione dilecti deuotas animas solet tangere, & tam suauiter afficere, vt iam totaliter à seipsis alienari incipiant? Exhilaratur consciẽtia, & in obliuionem venit omnium dolorũ memoria: exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, affectus iucundatur. Iã nesciunt vbi se esse conspiciunt, & quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent, & nesciũt quid sit, & tamen totis viribus tenere concupiscũt. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quasi in eo finem omnium desideriorum inuenerit. Hæc Hugo. Bernardus: Nonnunquam quasi clausis oculis bone Iesu ad te inhianti, mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, quæ si perficeretur in me, nihil vltra quærerem. Nonne hic est iubilus cordis. Gregorius: Iubilus dicitur ineffabile mentis gaudium, quod non abscondi, non sermonibus aperiri potest. Sed tamen quibusdam motibus aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur. Vnde Psalmus: Beatus populus qui scit iubilationem. Non dicit, qui loquitur, sed qui scit: quia iubilus quidem sciri potest intellectu, sed dicto seu verbo exprimi non potest. Bernardus: Istum autem gustum cum accipio, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu aduertere me finis quid sit, cum accepero & ruminare volo, & diiudicare eius saporẽ, statim transit dulcor eius, deglutio quidem illud quidquid est in spe vitæ æternæ, sed operationis eius virtutem diu ruminando, omnibus animæ venis & medullis quasi vitalẽ quendam succum optabam infundere, vt ab omnibus aliis affectibus desiperet, & illud solũ saperet, sed festinat transire, & cum de inquisitione vel acceptione eius vel visu, formata quædam lineamẽta memoriæ gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto iuuare, experimento cogor dicere id Euãgelicum: Nescis vnde veniat, aut quo vadat. Hæc Bernardus. Quæ putas ô anima est tam dulcis tamque suauis delectatio? certe hæc est consolatio diuina.

Bern. ser. in festo ... nium ... post med.
Bern. de amore Dei c. 9. cir. med.
Greg. li. 24. Mor. c. 5. n lõge à prin.
Psal. 88. b
Ioan. 3. a

ANIMA. O homo quis mihi hoc tribuat, vt hæc tam inexperta consolatio in cor meum perueniat, vt malorũ meorum obliuiscar, ac mundanam consolationem despiciam, & à me ipsa feliciter alienari incipiam?

HOMO. O anima, magnum est quod desideras, inæstimabile donum est quod exoptas. Vnde, vt æstimo, humano studio non potest obtineri, humano merito vix potest promereri, sed à Deo humillibus precibus, & à digne dispositis ex sola diuinæ pietatis condescẽdentia vix potest impetrari. Omne enim aurum in comparatione illius arena est exigua, & argentum illi comparatum tanquam nihilum reputatur.

Sap. 7. c

Anima. O homo dic rogo, qualis debet esse dispositio, qua ordinari debet ad impetrandum orantis affectio?

Homo. De hac materia multum posset dici ab expertis, sed quia inexpertum me esse recognosco, etiam pauca me dicere erubesco. Vnde timeo, ne dicatur contra me: Quare tu enarras, quod non degustas? quare tanquam indignus laudas quod ignoras?

Anima. O homo, noli timere, cum reuerentia & humilitate quę audisti & legisti deuote proponere. Multi enim de rebus magnis & arduis aliis vtiliter proposuerunt, quod non de propria experientia, sed aliorum scientia didicerunt.

Homo. Iam cum aliqua audacia loquar. Nam vires quas imperitia denegat, charitas subministrat. Vnde sicut sentio, sic refero. Puto, saluo meliori iudicio, si vis te ad hanc cælestem dulcedinem degustandam præparare, debes esse depurata, exercitata, & eleuata. In primo hæc cælestis dulcedo odoratur, in secundo degustatur, & in tertio aliquando vsque ad ebrietatem sumitur & potatur. Primo dico quod debes esse depurata à peccatis, ab affectionibus inordinatis, à temporali consolatione, & à creaturarum inordinata dilectione, quia secundum Bernardum, Errat omnino si quis illam cælestem dulcedinē huic cineri, diuinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti, huius sęculi illecebris misceri posse arbitratur. Sed postquam à talibus anima fuerit purgata, lacrymosis gemitibus depurata, & candidata dolorosis fletibus, quia dignum est, sicut dicit Augustinus, quod mens illa semper in se dolores inueniat, quæ derelicto creatore semper in se & in creatura gaudia quærebat. Pulchre igitur Gregorius in moralibus super illo verbo Iob: Antequam comedam suspiro, dicit. Comedere animæ est, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia qui se in hoc exilio per desideriorum cælestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo ieiuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Secundo debet mens esse exercitata in bonorum perpetratione, & in malorum perpessione. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia quos amor veritatis afficit, refectio consolationis pascit. Bernardus: O bone Iesu, quoties post innumerabiles lacrymas & gemitus sauciatam animam meam vnxisti vnctione misericordiæ tuæ, & nonnunquam pene desperantem excepisti, consolatam & de venia præsumentem dereliquisti? Ecce quo modo pretium rerum honestarum in ipsis est. Vnde reuera quamuis in initio arcta sit via quæ ducit ad vitam, processu tamen temporis inæstimabilis dilectionis ducedine dilatatur. O igitur quam beata consolatio, quæ diuinitus infunditur laborantibus pro Christo. Tertium in quo anima inebriatur hac dulcedine, est mentis eleuatio, quando feliciter animus à terrenis abstrahitur, & miro quodam modo supra seipsum, supra mundum, immo super omnem creaturam eleuatur, vt iam dicere possit anima: Introduxit me rex in cellaria sua. Hæc est illa cella vinaria, in qua introducitur anima, vbi bibit de vino condito inæstimabilis deitatis, & de lacte albissimo incontaminabilis humanitatis. O anima hinc bibunt amici, sed inebriantur charissimi. O felix ebrietas, quam sequitur mentis & corporis tam casta & sancta sobrietas. Hinc efficitur anima more ebrij gaudēs & lætabunda in aduersis, fortis & secura in periculis, prudens & discreta in prosperis, liberalis & pia in condonādis iniuriis, & tandem quieta & somnolenta recumbens in amplexibus diuinis, cum læua sponsi sponsam sub capite amicabiliter sustentat, & dextera dilecti dilectam familiariter amplexatur.

Bern. ser. 6. in Ascens. Dom. post med. — *Greg. lib. 5. Mor. c. 7. in princ.* — *Matth. 5.* — *Matt. 7. b* — *Cant. 2. a* — *Cant. 5. a* — *Cant. 2. a*

Anima. O homo confiteor cum humilitate & cum reuerentia, quod accidit mihi aliquando, licet heu perraro, quod cum magna violentia circa conuersionis meæ primordia, animum à terrenis abstraxi, & ad cælestia contemplanda cum conatu nimio eleuaui. Intraui cum tremore, circumspexi cum rubore, vidi choros Angelorum, palatia & gaudia Patriarcharum & Prophetarum, Apostolorum aspexi tabernacula, & Martyrum conuiuia, Virginum & Confessorum solatia. eleemosynam videlicet alicuius consolationis à singulis petij, micas decidentes de mensa dominorum desideraui, nec obtinui. Sed, quod auditu lamentabile est, mox ab omnibus vt peregrina & incognita repulsa fui. Quid ergo profuit mihi laboriosa mentis eleuatio, quam nulla secuta fuit consolatio?

Homo. O anima non fuit sine causa repulsio hæc tam desolatoria. Puto quod hæc fuit causa, quia voluisti esse socia consolationis, antequam fuisti socia passionis. voluisti esse particeps remunerationis, antequam imitatrix virtutis. Satage ergo primo esse socia Angelorum per puritatem & innocentiam, socia Patriarcharum & Prophetarum per humilitatem & fidei confidentiam, stude esse filia Apostolorum & Martyrum per charitatem & patientiam, Confessorum & Virginum per pietatem & continentiam, & tunc audacter in hoc exilio saltem cum filio prodigo, pij patris eleemosynam obtinebis.

Anima. O homo iam quam vana & insipida sunt omnia transitoria agnosco, & ob hoc mundum despicio, consolationem sæculi vilipendo, mundana quoque gaudia sicut venena mortifera fugio & contemno, vitam etiam præteritam quasi mortuam plango, & mentem meā miseram gemitibus & fletibus abluo, & repurgo, & si aliquando inter lacrymas & gemitus odorem diuinę suauitatis vel modicum sentio, adhuc tamen cibum angelorum & vinum amicorum infelix & misera ieiuna & sitibunda non degusto. Bernardus: Non accessit adhuc Domine Deus meus cor meum ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Foris enim eius odore vtcunque sustentor, quod est mihi super odorem balsami, cunctique generis suauia odoramenta. O Domine Deus, si tam nobilis est odor, quam dulcis est tuæ dulcedinis sapor? Si tantę virtutis est modica degustatio, quantum iucunditatis habet felix inebriatio? O quis mihi det vt venias in cor meum, & inebries illud vino tuo, & amplectar te Deus meus?

Homo. Secundum Augustinum, ô anima deuota, loquar salua reuerentia, nimis estis auara, & vtinam non præsumptuosa. Vires vestras perpendite, merita cōsiderate, virtutes discutite, & tunc si placet, sufficiat vobis magis in odore diuinorum vnguētorum cum adolescentulis humiliter currere, quam præsumptuose super merita postulare.

Anima. O homo, quam durus & onerosus es mihi miseræ animæ consolator, quam parcus, si fas est dicere, diuinæ bonitatis es dispensator. Audacter dico, tacere non valeo, mihi odor non sufficit, modicus gustus plene non reficit, sed afficit, ebrietatem affectus meus appetit & requirit. Scio qui dicit: Bibite amici, & inebriamini charissimi, si deprimit indignitas petentis, spem tamen erigit pietas promittentis. O homo quomodo dubitare valeo, quin paratus sit dare bona sua qui pro me non dedignatus est pati mala mea? An ignoras qui multos de Dei pietate docuisti, quod de Beato Augustino didicisti, sic dicente: Erubescat humana pigritia, plus vult Deus dare, quam audeat homo postulare? Idem de vera religione. Deus dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus eius dulcedinem, & degustemus ipsum fontem vitæ, in quo sobria ebrietate irrigemur, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarū. Chrysostomus: Nil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit eos, qui sperant in eo. nam Deo per spem innixum animum, nulla fraus, nulla illecebra, poterit vel stantem deiicere, vel durantem superare. Erubescat nunc humana desperatio, & maledicta sit pusillanimitatis trepidatio, quæ diuitem & nimis liberalem in omnes qui inuocant illum, æstimat illis qui spem perfectam ponunt in illum, sua posse beneficia denegare. Nunquid non pater æternus, apud quem nulla est transmutatio, ex sola liberalitatis immensitate filium suum misit, in quo dedit totū quod habuit, totum quod

Luc. 15. a — *Cant. 5. a* — *Psal. 1. a* — *Rom. 10. c* — *Luc. 1. c*

potuit, totum quod ille fuit? Si vero sua liberalitas suam infinitam bonitatem modo diminueret, forsan non immerito nostra infirmitas trepidaret. Sed quia ex seipso, non ex accidenti bono bonus est, ex suæ bonitatis communicatione non diminuitur, ex alienæ bonitatis additione non augetur.

HOMO Anima, magna est fides tua, valde fortis es in spe & confidentia. Et quamuis spes quæ procedit ex meritis propriis & diuinæ clementiæ confidentia, meritoria sit, laudabilis & sancta, consulo tamen sane antequam ad quærendam ebrietatem supra te ascendas, prius per tui considerationem salubriter infra te descendas, vt discas tuum sponsum reuerenter timere, antequam incipias tuum secretum cubiculum introire: quem non solum timere debes cum irascitur, verum etiam cum suauissime & delicatissime blanditur.

CAPVT III.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis conuertere ad inferiora, vt intelligat humanæ mortis ineuitabilem necessitatem, iudicij finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem.

ANIMA.

DIC quæso ô homo breuiter, quæ sint illa inferiora, ad quæ mea consideratio est conuertenda? Ascendere festino, ebrietatem diuinæ consolationis quæro, in inferioribus diu morari non valeo. Iam dilecta tabernacula tua Domine virtutum desidero, habitare in atriis Domini totis viribus concupisco. *Psal. 83. a*

HOMO. Hæc inferiora sunt ô anima mea, vt te conuertas, & videas mortis ineuitabilem necessitatem, & ingemiscas diuini iudicij infallibilem æquitatem siue veritatem, & contremiscas pœnarum infernalium intolerabilem asperitatem, & expauescas. Considera igitur frequenter, volue, & reuolue diligenter, quod mors non potest declinari, quod hora mortis non potest inuestigari, quod tempus à Deo præordinatum non potest immutari. Isidorus: In rebus humanis nihil certius morte; nihil incertius hora mortis. Non miseretur inopiæ, non reueretur potentiam, non respicit morum aut generis excellentiam, non parcit iuuentuti vel ætati, senibus est in ianuis, iuuenibus in insidiis.

Mors semper meditanda.

Est apud Bern. serm. de conuersione ad Cleric. c. 14. & citatur ex Bern. Pha. lib. 3. c. 48. super to. 6.

ANIMA. Audio quod nostrum viuere nihil aliud est, quam ad mortem transire. Cur temporalia diliguntur, quæ tam incerto tempore possidentur? Cur tanto tempore vitam istam desideramus, in qua quanto amplius viuimus, tanto plus peccamus, quanto vita longior tanto culpa numerosior? Quotidie namque crescunt mala, & subtrahuntur bona. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona negligimus? Grauis siquidem culpa est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed mentem per inania & inutilia vagari permittimus.

HOMO. Sicut dicit Gregorius: Carnales mentes ô anima idcirco temporalia diligunt, quia vita carnis quam fugitiua sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperitatem modice duraturam minime amarent. Idem: Vita mea nauiganti similis est, siue dormiam siue vigilem, semper vado festinus ad mortem. O vita præsens quam multos decipis, quæ dum fugis nihil es, dum videris vmbra es, dum exaltaris fumus es, dulcis es stultis, amara sapientibus, qui te amant, non te cognoscunt, qui te fugiunt ipsi te intelligunt. Aliis te promittis longam vt decipias, aliis breuem, vt in desperationem inducas. Auctor de spiritu & anima: Iugi meditatione animum nostrum exerceamus, & miserias nostras consideramus. Cum dolore vitam istam intrauimus, cum labore viuimus, cum timore exituri sumus. Bernardus: Quotquot degimus in hac regione vmbræ mortis, in infirmitate corporis, in conflictu & in loco tentationis, si diligenter aduertimus, triplici incommodo miserabiliter laboramus. Faciles enim sumus ad seducendum, debiles ad resistendum, & fragiles ad operandum.

Greg. lib. 8. Mor. cap. 6. cir. fin.

Idem Reg. lib. 6. ind. 15. c. 190.

Auct. de sp. & an. c. 49. apud Aug. to. 3.

Bern. de Aduentu Dom. ser. 7.

ANIMA. Iam video quod inutiliter in hoc tempore viuitur, nisi festinetur ad comparandum meritum quo in æternitate viuatur. Ideo non esset curandum quamdiu esset viuendum, sed potius quam bene in hac vita operandum. Quia & si alicui quod bene viuat, condonetur, tamen vt diu viuat certum est, quod nulli conceditur. Bernardus: Est igitur vita secura, vbi conscientia pura, vbi mors sine formidine expectatur, cum dulcedine adesse optatur, & cum deuotione acceptatur.

Non multum curandum, quamdiu, sed quam bene viuatur.

Ber. inser. ad milites templi, c. 1.

HOMO. O anima si hæc ita se habere intelligis, audi consilium meum, & in hac vita quamdiu durat, compara tibi vitam illam quæ semper durat. Dum viuis in carne morere mundo, vt post Deo viuere incipias. Bernardus: Intellige, quod venientem mortem nullus lætus & hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam dum viueret bonis operibus præparauit. Attende quod secundum Senecam: Insipiens, id est, peccator & criminosus, moriendo mortem incipit; sed sapiens & virtuosus moriendo mortem vincit.

Sententia est Senecæ epist. 30. post med.

ANIMA. O homo video quod bonorum mors est beata, mors vero peccatorum infelix & misera.

HOMO. O anima secundum Bernardum, Bona est iusti mors propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima, & bene pessima, mala in mundi amissione, peior in carnis separatione, sed pessima in duplici vermis & ignis contritione, & quod omnium pessimum est, in diuinæ contemplationis priuatione.

Bern. epist. 105. ad Roman. Subdiac.

ANIMA Iam satis de morte dixisti, sic modo de statu finalis iudicij.

HOMO. O anima facio, quod hortaris, sed rogo audi cum patientia. Scire debes quod quamuis de morte meditari sit horribile, de statu finalis iudicij cogitare, vt æstimo, non minus est formidabile: quia nullus tunc poterit fallere sapientiam, flectere iustitiam, inclinare clementiam, declinare vltionis & iustæ retributionis sententiam. Bernardus: Considera igitur anima mea cum tremore, quid erit de te in die nouissimo, quando contra te de cogitationibus loquetur conscientia, quando te de tuis actionibus omnibus accusabunt elementa, quando contra te crux Christi portabitur in testimonium, quando verbera ipsius contra te clamabunt, vulnera eius allegabunt, claui loquentur, cicatrices conquerentur. O angustiæ, hinc erunt peccata accusantia, inde terrens iustitia, intus vrens conscientia, subtus horrendum chaos inferni, supra Iudex iratus iusti iudicij, foris mundus ardens, intus iustitia iudicantis terrens. Et si iustus vix tunc saluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? in quam partem se prement? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Anselmus in meditationibus: O anima peccatrix, lignum inutile & aridum, æternis ignibus deputatum, quid respondebis in illa die, quando exigetur à te vsque ad ictum oculi omne tempus tibi impensum, qualiter sit à te expensum? Eia, eia anima mea, quid tunc erit de cogitationibus vanis & otiosis, de verbis leuibus iocosis & ridiculosis, de operibus inutilibus & infructuosis. Ambrosius super Lucam: Væ mihi si peccata mea non defleuero: væ mihi si media nocte ad confitendum tibi non surrexero. Iam securis ad arborem posita est, faciat fructum qui potest, fructum quidem pœnitentiæ. O anima siue vigiles siue dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet: Surgite mortui, venite ad iudicium. O anima nunquam excidat à tua memoria: Ite maledicti in ignem æternum. Venite benedicti, percipite regnum. O quid potest lamentabilius & terribilius cogitari, quam, Ite? & quid delectabilius exprimi, quam, Venite? Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius vna, & nihil iucundius altera poterit audiri. O anima separa te modo à mundo, vt tunc possis manere cum Christo. Fuge modo mundum, vt sequaris Deum

De finali iudicio.

Hæc ex Bern. de interiori domo. c. 38.

1. Petr. 4. d

Ansel li. de miseria hom. cir. med.

Amb. in Luc. li. 2. 6. 3. to. 3.

Matt. 25. c, d

Declina

Declina modo prauorum societates & consortia, vt tunc valeas sequi beatorum agmina. Post hæc omnia, conuerte radium contemplationis ad reproborum tormenta, vide quam sint varia quam aspera, quam intolerabilia. Bernardus ad Eugenium: Ego horreo vermem mordacem, & mortem viuacem. O gehennalis regio fugienda, vbi est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, & mallei percutientes, vmbræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies dæmonum. Augustinus in quodam sermone: Væ illis quibus præparabitur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine potu, fletus & stridor dentium, lacrymæ oculorum, vbi mors optatur, sed non dabitur, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quis putas tunc erit mæror? quæ tristitia? quis luctus? quando separabuntur iniqui à consortio iustorum, & tradentur potestati dæmonum, & ibunt cum eis in supplicium æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu, planctu, & gemitu, procul à gaudiis Paradisi, nunquam refrigerium suscepturi, sed per multa millia annorum cruciandi, nunquam tamen heu miseri liberādi? ibi torquens & puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur nunquam morietur. Sic enim ignis ille consumet, vt vitam tamen semper seruet: sic vetera tormenta patientur, vt semper innouentur: sic sine spe veniæ, & misericordiæ semper viuent, vt tamen moriantur: sic morientur, vt tamen nunquam consumantur.

De infernali pœna.

Hæc ex Bern ser. de quinque negotiationi. & quinque region. post med.

Hæc ex Ber. in med. c. 3.

Anima. O homo quare in inferno, vt dicis, mors quæritur & non inuenitur. Et quare punitur æternaliter, quod committitur temporaliter?

Homo. Quia secundum Gregorium,[a] quibus in hoc sæculo vita offertur & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt inuenire. [b] Idem. Iniqui libenter voluissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Hieronymus: O mors quam dulcis esses quibus tam amara fuisti, te solummodo desiderant, qui te tam vehementer odiebant. O anima si hæc prædicta videntur tibi terribilia, audi quæ sunt his omnibus grauiora. Chrysostomus super Matthæum: Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo sicut ab illius gloriosæ societatis iucunditate expelli, & exosum fieri creatori. O anima terribilis est gehenna, sed terribilior facies iudicis irata. sed quod omnium vincit terrorem est, à beatissimæ & iucundissimæ Trinitatis contemplatione elongatio æterna. Chrysostomus: Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his quæ præparauit Deus diligentibus se, tantum generat cruciatum, vt si exterius nulla pœna torqueret, hæc sola sufficeret, & melius esset mille millia flammarum sustinere, quam Christi faciem mansuetissimam iratam videre, & ab ipsa æternaliter discedere. O si Deus sic egit cum Angelo superbiente, quid de te erit terra & cinere. Ille superbiuit in cœlesti palatio, ego autem in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam quam in paupere asserit? Væ mihi si tam dure & potenter est punita superbia in angelo, qualiter in me misera & paupercula est iudicanda? O pie Iesu propter nomen tuum fac mecum misericordiam, & obliuiscere superbum prouocantem, respice miserum humiliter inuocantem, & recognosce benignissime quod est tuum, absterge quod est alienum. Miserere Domine dū est tempus miserendi, ne damnes in tempore iudicandi. Verum est, quod conscientia mea meruit damnationem, pœnitentia non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quod tua misericordia omnem superat offensionem. Hæc Anselmus in meditationibus. Augustinus in meditationibus: Noli Domine sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine si ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles. Gregorius in homilia: Si homo intelligere posset, quid admirationis habet, Ecce sponsus venit? quid dulcedinis, Quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis, Et clausa est ianua? O anima quid plura? Prosper de vita contemplatiua: Cogita quantum sit malum à facie Christi separari, ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate priuari, mori vitæ æternæ, & viuere morti sempiternæ, profundo fluctuantis gehennæ immergi, edacissimis vermibus in æternum dilaniari, nec finiri tribulationes, incendij fluctuantis strepitus pati, barathri fumigantis amara caligine oculos obcæcari, nō sentire quod illuminat, sed sentire quod cruciat. Hæc Prosper. Augustinus: Tanta erit in inferno vis doloris, vt se non ferat alias intentio cogitationis.

[a] Habetur hac apud Aug. ser. 252. de tēp. cir. med. to. 10. & ex Aug. citatur sup. to. 6. Pharetra lib. 3. c. 30.

[b] Greg. li. 4. Dial. c. 44. an med.

Carentia visionis diuinæ excedit alias pœnas inferni.

Aug li. Medit. ca. 39. to. 9.

Greg. ho. 12. in Euang. cir. med.

Prosp. de vit. contēp. l. 3. ca. 12. post med.

Anima. Iam timore contremisco, iam horrore deficio, dic quæso ô homo ad quid valet tam lamentabilis meditatio?

Homo. O anima puto, quod prædictorum continua & deuota meditatio est peccatorum medela, & ad quæque bona agenda & mala sustinenda salutifera excitatio. Bernardus in Epistola quadam: Vigilias times, manuumque tuarum labores: sed leuia sunt hæc meditanti flammas perpetuas. Recordatio tenebrarum facit non horrere solitudinem, si futuram de verbis otiosis cogitas discussionem, non displicebit silentium: fletus ille & stridor dentium ante oculos mentis sæpe reducti, pares tibi reddunt mattam & culcitram. Augustinus in quodam sermone: Mens humana mundi huius illecebris, & concupiscentiis deuicta, fugit laborem, expetit voluptates, & vix ad hoc ducitur, vt à se consuetudines vitæ prioris excludat. Sed cum cœperit cogitare futuri iudicij necessitatem, & pœnarum æternalium crudelitatem, voluntarium bellum indicit passionibus, mota vel spe præmij, vel timore supplicij, vim facit pristinis desideriis, violenter vincere seipsam & contendit. Hæc Augustinus. Vnde versus:

Bern. ep. 1. ad Robert. nepot. post med.

O felix mortale genus, si semper haberet
Æternum præ mente bonum, finemq́ue timeret.

CAPVT IV.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis conuertere ad superiora, vt cognoscat & sapiat cœlestis gaudij inæstimabilem preciositatem, ineffabilem delitiositatem, & interminabilem æternitatem.

Anima.

IAm nunc ô homo me miseram in hac lacrymarū valle proiectam satis terruisti, licet nō infructuose docuisti. Miserere etiam nunc mihi miseræ, & faciam sicut dudum promisisti. Propone paulułum de felicitate perpetua, si forte valeam ex hoc capere aliqua mentis solatia, quia alternis vti delectabile est, quia secundum Augustinum siue plectendo, siue ignoscendo, siue deterrendo, siue consolando semper bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Attende homo, quam generosus est animus hominis, sæpe facilius ducitur leuibus, & blandis, quam terribilibus & aduersis, sæpe magis allicitur promissis & consolatoriis, quam cogatur minis & terroribus. Vnde soror nostra sponsa trahi cupiebat odore cœlestium vnguentorum, sapore diuinorum charismatum, & sic cum sponso currere, & viam mandatorum iam nō ex timore, sed amore delectabiliter adimplere.

De cœlesti gaudio.

Cant. 1.

Homo. O anima verum esse profiteor, quod loqueris, sed heu multi sunt, qui Deum nolunt imitari in prosperis. Vnde necesse est eos deterreri in aduersis. Multi enim sunt, qui diuina charismata, vel propter cæcitatem non intelligunt, vel propter negligentiam vanis occupationibus perdunt. Vnde, vt æstimo, Deus ex suæ infinitæ bonitatis immensitate semper paratus esset magis consolationibus fouere, quam asperitatibus terrere, si homines æque dispositi essent, vt suam diuinam consolationem reciperent. Quæ adeo pretiosa & delicata est, quod

quod nullo modo decet vel expedit, vt indifferenter omnibus tribuatur. Tu ergo si post hæc tibi proposita ad hanc aspiras, vide quod habeas purgatum intellectum, & bene dispositum affectum: quia, secundum Augustinum, summum bonum non nisi purgatissimis mentibus cernitur: & puto quod multo minus, non nisi valde bene dispositis affectibus degustetur. A multis enim in hac vita valde limpide speculatur, à quibus etiam minime degustatur. Vnde idem Augustinus: Fac me Domine precor degustare per affectum, quod intelligo per intellectum: fac me sentire per amorem, quod sentio per agnitionem.

Habentur hæc apud Anselmum de meditatione redemption humanæ.7.

ANIMA. Dic quæso ô homo, quæ debent dispositiones in affectu & intellectu præcedere, vt vel saltem ad modicam mentis ebrietatem valeam cœlestem dulcedinem contemplando degustare? Iam enim dudum in speculatione mentem exercitaui, & heu ad huc nunquam, vt timeo, vel modicam stillam illius cœlestis dulcedinis sensi. Multa de sanctorum vita & conuersatione legi, multa de natura, de operationibus, & ordinibus Angelorum, nonnulla etiam legi de inæstimabili diuinitatis vnitate, de incomprehensibili diuinitatis Trinitate, plura de beatorum omnium inæstimabili felicitate: & quando prædictis toto studio mentem occupaui, heu adhuc ieiuna & famelica permansi, & semper cum beato Augustino clamaui: Fac me, clementissime pater, gustare per affectum, quod sentio per intellectum: & tamen non profeci. Sæpius etiam longo studio fatigata, & mihimet ipsi irata clamaui cum Propheta, expectando micas quæ cadunt de mensa dominorum, in aula cœlica: Vsquequo Domine obliuisceris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me? Quia & si me indignam ad manducandum filiorum panem iudicaui, manducare saltem micas minutissimas decidentes cum magno desiderio expectaui. Sed heu, vt frequentius aperto ore inhians in vacuum laboraui.

ibid. ex Ansel.

Psal. 12.a

HOMO. O anima, prædicta, quæ lamentabiliter es conquesta, accidunt ex duplici causa. Aliquando ex valde pia & salutifera diuinæ bonitatis dispensatione. Vnde Gregorius in moralibus: Differre solet pater pius voces petentium ad tempus, vt desideria crescant, & eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Item in homilia: Sancta desideria ex dilatione crescunt, si autem ex dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Deus enim quamuis per pietatem est clementissimus, tamen aliquando contingit, vt hoc quod libentissime tribuit, protrahat, vt discas magna multum & ardenter desiderare, & adepta solicitius cum gratiarum actione conseruare. Aliquando etiam beneficium protrahit ex postulantis inordinata dispositione. Bernardus: Errat omnino si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, diuinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti huius sæculi illecebris misceri arbitratur. Sed iam ô anima ne diutius te protraham, nec amplius te per expectationem affligam, purga intellectum à vanis & inutilibus phantasiis, à naturalibus & curiosis rationibus, ab extraneis & scientificis occupationibus. Purga etiam affectum à culpa, à culpæ sequela, à culpæ occasione vel causa. Erige rationem, dilata & expande affectionem, intra in gaudium Domini, quod nec oculus in hac vita perfecte vidit, nec auris audit, nec in cor hominis ascendit. Exardesce igitur ô anima amore, & desiderio supernæ vitæ sanctorum, vbi est actio non operosa, requies non desidiosa, vbi vita sine defectione, laus diuina sine cessatione. Hæc Augustinus. Bernardus: Gaude igitur & exulta, ac mercedem laboris tui considera, quæ reuera est tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa quod non potest æstimari, tam copiosa quod non potest terminari.

Greg. li. 10. Mor. c. 22. cir. fin. Idem hom. 25. in Euang. longe ante med.

Bern. ser. 6. de Ascens. Dom. post med.

1. Cor. 2. c Mat. 25. b

ANIMA. O homo multa iam dixisti in genere, dic quæso per singula in specie, quia magis intelligimus quæ specialiter distinguuntur, quam quæ generaliter exprimuntur.

HOMO. O anima quid dicere valeo? cum futurum gaudium aspicio. Iam pene præ admiratione deficio, quia gaudium erit intus & extra, subtus & supra, circum & circa. Gaudebis igitur in omnibus, gaudebis de omnibus. Gaudium tuum, vt puto, præfiguratum est in Apocalypsi per illam mulierem beatam, quæ amicta fuit Sole, & Luna sub pedibus eius, & corona duodecim stellarum in capite eius. Mulier ista, vt æstimo, est anima beata, æterni regis filia sponsa & regina. Filia per naturæ creationem, sponsa per gratiæ adoptionem, regina per gloriæ collationem. Hæc bene dicitur amicta sole, quia decorata splendore claritatis deificæ, coronata dignitate felicitatis æternæ. In qua felicitate ob specialem decorem sunt duodecim gaudia, per duodecim stellas figurata, per quæ decoratur, & ornatur felicitas superna. Hæc gaudia debes tu ô anima quotidie deuota mente transcurrere, & nullam præsentis miseriæ, & incolatus consolationem quærere, & spe illius gaudij omnem tribulationem vitæ præsentis patienter, & gaudenter sustinere. Beda: O anima non turberis, si mali in hoc mundo florent, & tu pateris, ipsi gaudent, tu perturbaris. Mali heu nihil habent in cœlesti gaudio: nec cures tu, si nihil habueris in hoc sæculo. Sed spe illius gaudij quo tendis, quidquid in via aduersitatis occurrit, affectus tuus gaudenter, & patienter sustineat. Hæc Beda. Bernardus: O anima si te aliquando delectant mundana gaudia, falsa huius sæculi gloria, breuis & caduca potentia, illuc mentem euoca, & omnia reputabis vt stercora. Hieronymus: Curre igitur ô anima non passibus corporis, sed affectibus & desideriis, quoniam non solum Angeli & Beati, sed & Angelorum & beatorum Dominus & magister te expectat. Expectat te Deus pater tanquam filiam delectissimam, Deus filius tanquam sponsam dulcissimam, Deus Spiritus sanctus tanquam amicam sibi gratissimam. Expectat te Deus pater, vt heredem vniuersorum bonorum te constituat, Deus filius vt te fructum suæ natiuitatis, & pretium sui pretiosissimi sanguinis Deo patri offerat, Deus Spiritus sanctus, vt suæ æternæ beatitudinis & dulcedinis participem te faciat. Expectat te illa beatissima omnium cœlestium spirituum æterni regis familia, vt te in suum collegium suscipiat. Tu ergo ipsorum societatem super omnia desidera. Cum magna verecundia illuc venires, si eam in hac lacrymarum valle non amasses. Quoties ergo te vana huius sæculi delectat ambitio, quoties videris in hoc mundo aliquem gloriosum, statim ad cœlum mente transgredere, & esse incipe, quod futura es. Reuera æstimo ô anima si hæc cœlestia gaudia iugiter in mente teneres, de hoc exilio quoddam suburbium cœlestis regni construeres, in quo illam æternam dulcedinem quotidie spiritualiter prælibando degustares. Quia cum aliquid æternum mente capimus, iam non in hoc mundo, sed in cœlo habitamus. Augustinus: Tanta est ô anima vis tuæ dilectionis, quod ibi verius habitas, vbi per contemplationem amas, quam vbi per essentiam amas. Bernardus: Hoc est charissima anima regnum Dei, quod intra nos est, quod heu miserabiliter negligimus, cum foris ad inania & vana fusi sumus. Gregorius: Fusi sumus foras, de regno Dei quod intra nos est nihil curantes, foris quærimus consolationem de rebus vanis & insaniis falsis, ita quod iam religionis antiquæ deuotionem amisimus, adeo quod nec speciem ipsius retinemus. Tu ergo ô anima æterni regis filia, audi mente deuota, & inclina autem tuam ad sancta, & salutifera consilia. Vide per contemplationem cœlestis regni consolationem, obliuiscere per contemptum & detestationem populum tuum, & domum patris tui, hoc est mundum, diabolum, teipsam, & omnem vanam ambitionem. Vide igitur & deuota mente pertracta qualiter illi diuini, & cœlestes spiritus, qui præsentis vitæ & miseriæ periculum euaserunt, quamuis ab illius æterni solis splendore se nunquam possint auertere, aliquando tamen radium suæ contemplationis conuertunt ad inferiora, aliquando ad superiora, aliquando ad interiora, aliquando ad

Ex Ansel. lib. de simil. c. 71.

Apoc. 12. a

Hæc habet Bernar. in med. c. …

Hæc habetur apud Bernard in Apolog. ad Gulielmũ Abb. longe post med.

Beati de euasione periculorum gaudent.

exteriora. Conuertunt, inquam, ad inferiora, & gaudent ex triplici causa. Primo quod tam impios, horribiles & crudeles hostes per diuinam potentiam superauerunt. Secundo quod omnes defectus & peccata, vel per diuinam sapientiam vitauerunt, vel iam dudum commissa correxerunt. Tertio quod tam lamentabiles & interminabiles cruciatus æternos, per diuinam clementiam euaserunt. O anima quanto putas gaudent quotidie gaudio, quando tot vident à carne, & mundo, & diabolo superari, tot tam diuersis peccatis, de quibus nunquam merentur veniam, inquinari, tot æternaliter sine fine damnari? Reuera tunc puto quod de morte transisse ad vitam, vitæ duplicat gaudium. O Domine Deus si nunc tam graue periculum est in bello, quantum tunc erit gaudium de triumpho, cum post deuictum triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone & exercitu eius in mari rubro, tenent omnes electi tympanum, cum Maria psallentes & cantantes, laudantes & benedicentes Dominum, vna voce dicentes: Cantemus Domino, gloriose enim, & cetera. Tunc constituentur duo Cherubin, hoc est duo chori electorum, scilicet innocentes & pœnitentes, clamantes alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. Sanctus Deus pater, qui nos à mundo, à carne & diabolo tam potenter liberauit. Sanctus Deus filius, qui nos à pœna & à culpa tam sapienter iustificauit. Sanctus Deus spiritus sanctus, qui nos tam clementer ab æternis tormentis præseruauit. Plena est omnis terra gloria eius, qui nos de mundi miseria ad cœlestis regni gaudia euocauit. O anima qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris assumpta, & cum omne tormentum tibi, si pie vixeris, si patienter sustinueris, conuertetur in æternum iubilum? Tunc de omnibus his laudabis Dominum Deum tuum labiis exultationis, dicens: Misericordias Domini in æternum cantabo. Quo cantico secundum Augustinum de ciuitate Dei, quod cantatur in laudem gloriæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit iucundius illi ciuitati, & nihil dulcius. Tu ergo cum tentationibus probaris, cum persecutionibus impugnaris, cumque in hoc sæculo variis tribulationibus infestaris, tunc mente in cœlum euola, & cogita quod hoc non est aliud nisi æterni gaudij materia. Et tunc secundum Gregorium consideratio præmij minuit vim flagelli. Gregorius: Si consideremus quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ sunt in terris; & reuera non tantum bona quæ delectabiliter possidemus, verum etiam mala quæ lamentabiliter sustinemus. Bernardus: Non sunt condignę passiones huius temporis ad præteritam culpam quæ dimittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, & ad futuram gloriam quæ promittitur; quam tu tunc ô anima cum gaudio possidebis, quando perfecte intelliges, quod in mundo cum tanto periculo quo plerique opprimuntur vixisti: quod dæmonis fallaces astutias, quibus multi decipiuntur, vicisti: quod cruciatus æternos, quibus innumerabiles affliguntur, euasisti.

Exo. 15. a — *Isa. 6. b* — *Psal. 88. a* — *Aug. li. 22. de Ciu. Dei c. 30. to. 5.* — *Greg. hom. 37. in Euang. in princ.* — *Bern. ser. de conuers. ad Cleric. t. 30.*

ANIMA. O homo quam sana & salutifera est hæc tua consolatio: quia cum hæc, quæ proposuisti, aduerto, consolationem ex spe non modicam recipio. Sed ô Domine Deus, quid putas tunc erit, cum hoc quod modo spero veraciter possidebo?

Gaudium est beatis de his quę iuxta se sunt.

HOMO. O anima modica sunt hæc, quæ audisti, immo comparatiue quasi nulla sunt quæ mente percepisti: sed parumper oculos mentales erige, & quanta sint gaudia quæ de his percipias, quæ iuxta te sunt deuota mente frequentius volue, & reuolue. Attende igitur & considera locum speciosum, quem tibi diuina sapientia ædificauit. Attende & victum deliciosum, ornatum curiosum, thesaurum pretiosum, quem tibi æterna potentia congregauit. Attende etiam collegium famosum, cum quo de diuina clementia mens tua æternaliter exultabit. O anima attende quam gloriosa, quam famosa, quam gaudiosa est ista domus Dei, ciuitas cœlestis, mansio secura, patria continens totum quod delectat. Bernardus: Attende quam clara, quam luminosa, quam splendida est ciuitas, quæ non indiget Sole neque Luna vt luceant in ea, sed ipse Dominus Sol iustitiæ, candor lucis æternæ, lux eius est, & lucerna eius agnus. O anima attende quam alta, & quam spatiosa, quam pulchra & speciosa, quam decora & famosa est ciuitas illa, quam ornat per seipsam Trinitas beatissima. O quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius. O anima illic contemplare tabernacula Patriarcharum, & Prophetarum: habitacula Apostolorum, & Martyrum: cœnacula Confessorum, & Virginum: palatium cœlestium spirituum: thronum illum beatissimæ Trinitatis speciosissimum. O anima hic licet sis corpore, illic esto mente. O anima transuola omnia, scrutare omnia, visita omnia, ingredere cuncta per ordinem ostia, quousque peruenias ad summi regis palatia, ibi sit mens, & hic erit requies. Augustinus: O anima in illa sancta ciuitate libenter studeas morari, libenter conuersari, quia ibi est vita sine morte, iuuentus sine senectute, lux sine tenebris, pax imperturbabilis. Sedebit enim populus meus in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta dicit Dominus. Secundo attende victum deliciosum, ornatum curiosum, & thesaurum pretiosum. Et quis erit ibi noster cibus, nisi ille agnus beatissimus, ille mundus & immaculatus Iesus Dei patris & Mariæ virginis filius, de quo sanctis spiritibus ministrabuntur ad omnem sufficientiam fercula nobilissima? Nobilia quidem de ipsius candidissima humanitate, sed nobilissima de ipsius superbeatissima diuinitate. Tunc enim anima ingredietur ad degustandum diuinitatem, egredietur ad prælibandum humanitatem, & pascua inueniet ad omnem sufficientiam, & satietatem. O quam beati sunt qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati sunt. Ibi etiam beata vita in suo fonte bibitur. Vnde huic humanæ vitæ aliquando aliquid aspergitur, vnde in tentationibus fortiter, iuste, temperanter, & prudenter viuatur. Ibi semper adhæret sitis atque satietas: sed miro quodam modo longe aberit à siti necessitas, longe à satietate fastidium. Inebriabuntur enim ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos secundum Prophetam.

Psal. 86. a — *Baruch. 3.* — *Isa. 32. d* — *Psal. 35. b*

ANIMA. Et quando hoc?

HOMO. Æstimo, quod non prius, nisi quando ille deliciosus pincerna summi regis, splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, figura diuinæ substantiæ, speculum sine macula claritatis Deificæ, in quem desiderant omnes illi cœlestes spiritus prospicere, quando talis & tantus præcinget se, & faciet illos discumbere, & personaliter transiens ministrabit illis. O anima hic deuota mente pertracta, quantum gaudium tunc illi boni spiritus concipiant ex tam stupenda dignitate ministrantis, ex tam miranda charitate cuiuslibet sodalis conuiuantis, ex ferculorum deliciosa opulentia, ex ministrorum numerosa frequentia, ex musicorum instrumentorum, & aliorum psallentium, cantantium, & laudantium regem gloriæ, Deum Dei filium dulcisona resonantia. In hoc cœlesti magno stupendoque conuiuio audies Angelos iubilantes, Virgines chorizantes, Apostolos psallentes, Martyres tripudiantes, Confessores laudantes, Patriarchas, & Prophetas iucundantes, omnes sanctos & electos Dei vnanimiter Patrem & Filium & Spiritum sanctum collaudantes, & vna voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amicti stolis albis, sequuntur agnum quocunque ierit. O anima quomodo poterit ibi esse alicuius boni carentia, cum tam varia sit exultanti materia? Tunc enim aperientur omnes illi thesauri æterni Dei, vbi sunt omnes diuitiæ, omnes delitiæ absconditæ, & dabuntur à Patre æterno vnicuique varia, & pretiosa munera secundum sua merita. Sed si adhuc non sufficiunt ista, attende tertio iuxta te omne sanctorum collegium, quod ad beatitudinis tuæ

Isa. 6. b — *Apoc. 7. c*

cumulum

cumulum diuinæ clementia congregauit. Quia nullius boni sine socio iucunda est possessio, sicut dicit Seneca. * Vide igitur quæ lingua, vel quis intellectus capere sufficiat, illius supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris semper assistere, & ab illorum beatissima societate numquam discedere, sed continue cum ipsis & & de ipsorum gaudio in perpetuum exultare. Anselmus: Ibi enim à singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis conditus sit. Ibi enim erit tam beata & perfecta charitas iustorum, quòd vnusquisque intantum diliget proximum suum, quantum seipsum. Ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quòd ita vnusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio. Proinde cum inenarrabilis sit numerus electorum, quis putas narrare sufficiat gaudium beatorum? Hæc gaudia Hieronymus in fine epistolæ ad Eustochium describens, ait: Egredere quæso ô anima paulisper de papilione corporis, vt in ostio stans, videas Dei gloriam pertrāsire, & præsentis laboris ante oculos pinge mercedem. Qualis tibi erit dies illa, cum Maria mater Domini tibi occurret choris comitata virgineis, cum & ipse sponsus tibi cum omnibus sanctis occurret, dicens: Surge veni, propera amica mea, formosa mea, columba mea, iam hiems transijt, imber abijt & recessit. Tunc Angeli admirabuntur de tua gloria, dicentes: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum, videbunt te filiæ Sion & laudabunt. Tunc illa centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni, & seniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum nouum. Tunc secura in amplexus sponsi euolabis, cum iubilo, dicens: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Hæc Hieronymus. Tunc filij septem illius magni Iob, qui est magnus super omnes qui morātur in illa beata orientalium regione, facient conuiuia singuli in die suo, & inuitabunt sororem suam, te consortem suam. Et dicent tibi singuli: Bibe nunc, & accumbe cum iucunditate; quia inuenisti gratiam coram summo principe. Et tu respondebis cum gaudio, dicens: Bibam & hilarior fiam, quia magnificata est hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ. O vere inaudita magnificentia, ô læta & iucunda excellentia, qualis numquam in hoc sæculo est audita. Puto quòd omnis huius mundi pompa, in comparatione illius esset vix modica gutta.

* Ex Greg. hom. 37. in Euang. statim à prin.

Ansel. lib. de simil. cap. 19.

Hier. epist. 22. ad Eustoch. cir. fin.

Cant. 2. 6

Ibid. 8. a

Apoc. 14. a

Iob. 1. a

Iudic. 12. d

Ibidem.

A

B

C

D

Anima. O homo iam diu tacui, iam satis silui, quia quæ proposuisti cum delectatione & admiratione nimia audiui, ne quæso procrastines, quin specialius, & perfectius mihi aliqua de hoc cælestium spirituum conuiuio exponas: quia iam prius aliquid de hoc tetigisti, sed nimis citò pertransisti.

Homo. O anima malim iterum quod petis sub silentio pertransire, quàm vel modicum de hoc cælesti secreto mysterio ore polluto proferre, vel etiam mente concipere: quia qui adhuc mundialibus & superuacuis rebus heu sæpius implicor, qui adhuc heu, heu siliquis porcorum cum ceteris mundanis pascor, de tam familiaribus diuinorum spirituum operationibus loqui erubesco nimium, & confundor. Quia tamen pijs votis tuis contraire non valeo, proponam breuiter quod aliquando spiritu instigante, licet indignus, mente pertracto. Quamuis enim in illa cælesti aula, vbi plenitudo omnis boni in omnibus illis perfecte est, quamuis ibi pro differentia meritorum, quædam data sint excellenter, nihil tamen ibi ex inæstimabilis diuinæ pietatis immensitate secundum Gregorium, possidetur singulariter. Omnia enim sunt omnibus communia, propter eum qui in omnibus est omnia. Ibi enim virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito, ibi vidua exultabit de castæ virginitatis priuilegio, ibi confessor de martyris iucundabitur triumpho, ibi martyr tripudiabit de confessorum brauio, ibi propheta laudabit de Patriarcharum pia conuersatione, ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide & speculatione, ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum, ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria, & corona superiorum. Ex illius enim sanctæ & perfectæ charitatis vinculo fiet, vt vnusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio.

E

Anima. O homo nec adhuc ista sufficiunt mentem meam quietare, vnde quæso ne pertranseas, mihi aliqua de dicto conuiuio sigillatim & distincte explicare.

Homo. O anima nosti quòd balbutiendo, vt possumus, excelsa Dei resonamus. Nec mirum, quia cum simus minus idonei ad intelligendum, quomodo possumus esse sufficientes ad loquendum, cum illa quæ sapientibus oculis contemplamur, verius sint quàm intelliguntur, & verius intelliguntur, quàm exprimantur vocibus? Ne te tamen diutius protraham, audi quid imaginatur intellectus, licet adhuc modicum degustet affectus. Puto quòd illi septem filij de quibus supra memorauimus, sunt omnes Sancti & electi Dei spiritus, altissimi Patris heredes & filij. Hi conuiuia vnusquisque in die suo faciunt, quando se inuicem cælestibus gaudijs pascunt. In quo de meritis sui singuli iuxta datam sibi gloriam fercula delitiosissima propinant. Primo igitur die primogenitus, hoc est ille cælestium Angelorum numerus, qui non immerito nomine primogeniti censetur, quia priores sunt creatione & conuersatione ad Deum, à quo numquam recesserunt per peccatum, sed semper immobili charitate summo Patri adhæserunt, & illam hereditatem beatam cælestis regni priores omnibus feliciter possederunt. Isti tibi ô anima in suo conuiuio, diuersa fercula deliciosa, & pretiosa propinant, cum vnusquisque ordo de eo quod excellentius recipit in munere gaudia specialia administrat. Iam cogita ô anima quale tibi ferculum propinant illi summi spiritus Seraphici ordinis, qui adeo vicini illi æterno Patri sunt, quòd inter ipsos, & hunc, nulli alij spiritus intersint, qui ipsum immediatius contemplentur, & suis bonis æternis perfectius perfruantur. Quale putas hi propinant gaudium de naturæ nobilitate? quale de contemplationis claritate? quale de dilectionis sinceritate? Hi ergo, hoc est illi qui Seraphin nominantur, istud conuiuium ornant ardore diuinæ charitatis: Cherubin splendore æternæ claritatis: Throni æquitate diuinæ maiestatis. Hoc etiam conuiuium glorificant Dominationes, de dominandi super alios, excellentia: Principatus de præcipiendi inferioribus magnificentia: Potestates de auctoritate malignos spiritus coercendi. Hoc etiam conuiuium honorificant Virtutes, de potestate miracula faciendi: Archangeli de dignitate superiora nunciandi: Angeli de agilitate minora diuinæ scientiæ secreta reuelandi. Ecce vides qualiter singuli mentes beatorum cælestibus gaudijs pascunt, de his quæ ab illa super cælesti aula specialius in munere receperunt. Nec est mirandum, quòd hæc prædicta, & multa alia nobis adhuc occultiora illi spiritus in nostrum gaudium nobis propinant, qui tam fideliter, tam dulciter, tamq; amicabiliter in hac lacrymarum valle nos custodiunt, & nos ad illam æternæ beatitudinis patriam perducere totis viribus concupiscunt. Bernardus: O si quis cognosceret quemadmodum præueniunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum, videret itaque qua cura, quoue tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, præsunt procurantibus. O anima ieiuna & famelica, si vel vnam micam quæ cadit de mensa dominorum in hoc conuiuio, aperto mentis ore, sumpsisses, puto quòd hanc peregrinationem ex tunc impatienter tolerares. Puto si vnam guttam de vino potus eius degustasses, omnem huius sæculi dulcedinem, fastidires. Gregorius in moralibus: Si cor semel in cælestibus, per degustationem subaudi, figitur, quàm abiecta sint mox cernitur, quæ prius alta videbantur. O anima

Septem ordines beatorum cōuiuia spiritualia ad inuicem in cælo faciūt vnusquisq; in die suo.

Bern. li. medit. c. 6. ante med.

Psal. 67. c

mea dilecta de conuiuio Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum qui per alios sex filios non immerito præfigurantur, quid dicam? Vnusquisq; enim horum tot in conuiuio suo proponet fercula, quot habuit in hac vita virtutum opera. Et quis enarrare sufficiat, quantum gaudium quælibet anima suscipiat de sanctorum Patriarcharum humilitate perfectissima, de Prophetarum credulitate certissima, de Apostolorum charitate ardentissima, de Martyrum stabilitate, & patientia, de Confessorum pietate, & clementia, de virginum castitate, & continentia? & idem Gregorius, in homilia super Lucam ait: Reuera vox & lingua deficit, quia intellectus capere non sufficit, quantum sit gaudium, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, de incorruptionis perpetuæ munere lætari. O quàm felix tibi erit hæc dies, cum fueris ad hereditatem patrum tuorum reuersa, & quando ab his omnibus cum inæstimabili gaudio fueris assumpta, & ad thalamum summi regis feliciter introducta. Iam nunc expergiscere ô anima mea, & cum illa famosa Regina Sabba, cum aromatibus virtutum, cum thesauris bonorum operum, cum magno apparatu cælestium desideriorum, ascende in illam Hierusalem supernam, & contemplare diligenter singula, & vide quòd veritas vincit famam, gloria exuperat omnem loquelam; si forte posses ex admirationis magnitudine extra humanum spiritum rapi, & miro quodam modo in diuinum spiritum transformari, vt dicere inciperes cum Petro in magno cordis iubilo: Domine bonum est nos hic esse, hic pater, hic soror, hic frater, hic patria. O Domine permitte nos hic esse, & ab hinc numquam discedere. Ambrosius: Fugiamus ô anima in patriam verissimam, quia illic est patria ad quam conditi sumus, pater à quo creati sumus, ibi est Hierusalem ciuitas superna, quæ est mater nostra. Anselmus: O anima tantus debet esse in hac vita mortali amor & desiderium perueniendi ad illud ad quod facta es, & dolor, quia nondum ibi es, & timor ne forte non peruenias: vt nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his quæ tibi, aut auxilium aut spem conferunt perueniendi.

Greg. hom. 73. in Euang. non longe à prin.

Matt. 17. a

Ans. lib. 1. cur Deus homo cap. 20.

ANIMA. O homo dum hæc aliquando cogito, dum hæc tacita mente mecum pertracto, quid est quod tunc interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco, & ardesco? Augustinus Intromittor aliquando mentaliter in affectum multum inusitatum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficeretur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recidiuo onerosis ponderibus, & resorbeor solitis curis. Hic esse valeo, nec volo, illic esse volo, nec valeo, miser vtrobique. Hæc Augustinus.

Augu. conf. lib. 10. cap. 40. tom. 1.

HOMO. O Anima puto quod hæc cœlestia sine prælibatione dulcedinis, non possunt à digne dispositis cogitari. Sed nescio quid tunc erit, cum perfecte in te sine ænigmate poterunt degustari. Vnde non est mirandum si prælibatio talium tibi incutit huius exilij tædium: quia nihil est magis amarum, quàm postquam anima consueuit talium prægustatione consolari, si rursum incœperit mundialibus & transitorijs implicari. Hinc est, quod anima laborat, luctatur & anxiatur, illic semper esse cupit, nec sufficit: hic esse compellitur, sed illic post hoc, quod prægustatum est, ascendere conatur. Iam enim gustato spiritu desipit omnis caro. Vidisti gaudium beatorum de his quæ sunt infra te, & de his quæ sunt iuxta te; vide modo, si potes, quale gaudium futurum sit de his quæ sunt intra te. Homo enim remunerabitur in corpore & in mente, & istorum æterna & inseparabili vnione. Corpus enim nostrum ex quattuor elementis est compositum, vnde quattuor dotibus erit remunerandum. Terra tunc habebit æternam immortalitatem, aqua omnimodam impassibilitatem, aer maximam agilitatem, & ignis splendidissimã claritatem. Tunc fulgebunt iusti sicut Sol, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Abstergent enim Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neq; luctus neq; clamor, neq; dolor, sed sempiterna pax & lætitia. In sempiterna patria corda beatorum sibi inuicem in claritate lucent, & puritate translucent, ibi vniuscuiusque vultus aspicitur, & conscientia penetratur, ibi vniuscuiusq; mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit. Etiam mox vbicumq; voluerit animus, statim aderit corpus. Augustinus: Sicut enim tunc animus perfectissime obedit Creatori, ita corpus promptissime obtemperabit suo motori. Tam potentem tunc faciet Deus animam, vt ex eius beatitudine plenissima redundabit in corpus, ex qua redundantia habebit vigorem impassibilitatis, splendorem claritatis, aptitudinem subtilitatis, promptitudinem agilitatis. Ibi erunt omnes sensus in actibus suis. Ibi enim oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sentiet saporem dulcissimum, olfactus odorabit odorem suauissimum, tactus amplexabitur obiectum delitiosissimum, auditus immutabitur per sonum iucundissimum. Ibi enim cum mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis eleuatur.

Gaudium est beatis de his quæ sunt intra se.

Sap. 3. b

Apoc. 21. b

In cælo omnes sensus corporis erit in actibus suis.

ANIMA. O homo audiui iam dudum mirabilia, & cum vera sint hæc omnia, quid aliud est hæc præsens vita, nisi quædam mortis vmbra.

HOMO. O Anima bene dixisti, quia temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? Ergo sancti viri, quia huius vitæ breuitatem indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes viuunt: & ideo se non mansuros sollicitius præparãt, quia hæc omnia nihil esse ex fine semper pensant. Sed carnales mẽtes, ideo præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiua sit minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperam minime amarent. Hæc Gregorius. Augustinus: Recedat ergo ô anima amor vitæ praesentis, & accedat ardor vitæ aduenientis, vbi nulla aduersitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat, & considera quanta sit felicitas futura, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus: Ibi enim nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur, ibi esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habebit errorem, amare nostrum nõ habebit offensionem. Ibi aberit omnis tarditas, omnis corruptio, omnis deformitas, omnis infirmitas. Ibi cælum nouum & terra noua. Ibi similes erimus Angelis Dei, & si non ætate, certe tamen felicitate. Augustinus: O anima mea illam vitam amplecti debueras, vbi vita sine morte, iuuentus sine senectute, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, lux sine tenebris & regnum expers commutationis. Secundo considera quantum gaudeat animus, cum receperit tale corpus quale iam audisti, non tale quale cum ingenti dolore sustinuisti, & cum magno certamine deuicisti, de quo sæpius tibimet impatiens patienter, & irascens clementer dixisti: Quis liberabit me de corpore mortis huius? Non certe tale, sed iam perfecte obediens & spirituale. Tale, inquam, tale quod tibi erit in contemplationis solatium, & in æternæ felicitatis augmentum.

Hæc ex Gregor. hom. 37. in Euang. fere in prin.

Ex Aug. lib. 12. de Ciu. Dei cap. 30.

Aug. serm. 40. ad frat. in ere. aut. med. tom. 10.

Rom. 7. d

ANIMA. Mirari super omnibus his non sufficio, & præ magnitudine admirationis in inquisitione deficio. Vnum tamen scire desidero, qualiter mens, quæ in præsenti vita à Dei contemplatione per corpus deprimitur, illic per ipsum in contemplatione adiuuetur?

HOMO. O anima scrupulosa est hæc quæstio, sed quia magis est curiosa quàm deuota, breuis erit responsio. Anima enim tunc virtute diuina alium habebit modum intelligendi quàm in via. Nec est mirandum, si pro loco & tempore mutat ordinem, & modum agendi creaturæ, qui est fabricator, & auctor vniuersalis naturæ

Anima in cælo iuncta corpori, alium habebit modum

naturæ. In rebus enim mutabilibus, tota ratio facti est potentia facientis. Certum est quod ipsa anima numquam resumptionem corporis appeteret, si resumptum etiam quantumcúq; gloriosum, diuinam contemplationem impediret. Nam secundum Augustini sententiam & doctrinam, ipsæ animæ sanctæ desiderant corporis resumptionem, & expectant iteratam vnionem ipsius, quia ipsarum sine eo non potest consummari felicitas, nec satiari iucunditas. Adeo enim vehementer anima corpus desiderat, quòd etiam aliqualiter eius contemplationem impedit, & retardat. Bernardus: O misera caro fœtida & fœda, vnde tibi hæc gloria, quod animæ sanctæ quas Deus insigniuit sua imagine, proprio redemit sanguine, te desiderant, te expectant, & ipsarum sine te non potest consummari felicitas, nec satiari iucunditas? Augustinus: Cum anima hoc corpus non animale iam, sed spirituale receperit, perfectum habebit suæ naturæ modum, obediens & imperans, viuificata & viuificans. Tunc ineffabili felicitate fiet, vt sit ei gloriæ quòd fuit sarcinæ. O anima cogita qualis tibi tunc erit gloria, cum induta fueris illa stola noua & splendida, ornata omni lapide pretioso, idest corpore glorificato. In quo tot fulgebunt gemmæ pretiosissimæ, quot sunt virtutes in mente. Tunc, vt puto, cantabis cum iubilo canticum nouum Domino dicens: Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimento salutis & indumento lætitiæ circumdedit me, & tamquam sponsam decorauit me corona. Adhuc vide tertio & diligenter considera, si tantum gaudium habitura sis quasi de alieno, quid hauries de proprio? Quis enim enarrare sufficeret, quantum gaudium, quam stupendam gloriam, quam incomprehensibilem laudem & magnificentiam habitura sis à Trinitate beatissima, à sanctorum omnium societate felicissima, pro eo quod corpus tuum proprium tam viriliter per clypeum castitatis & continentiæ superasti: pro eo, quod mundum tam potenter per gladium paupertatis & indigentiæ debellasti: pro eo quod diabolum pessimum tam fortiter per hastam humilitatis & obedientiæ effugasti: pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis moribus tam viriliter restitisti? Aduerte si potes, quantam laudem habitura sis ab his, quos verbo & exemplo ad meliora prouocasti. Et quid plura? pro singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis, specialem & æternalem laudem suscipies: & id quod tibi in te defuerit, illa cælestis & diuina beatorum societas, charitate mutua adimplebit. Quia vnusquisque habebit ibi in proximo, quod sibi deficit in merito proprio. O anima hæc cogita, hæc mente pertracta, cum tibi pie viuenti inferuntur aduersa, ad hæc mente euola, cum premit corpus, cum fremit mundus, cum insidiatur diabolus ad hæc recurre, his mentem delinire. Quia id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum & in sublimitate æternum gloriæ pondus in nobis operatur. Sed quia reuera id solum & verum gaudium est, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, cui omnis comparata aliunde iucunditas mœror est, omnis suauitas dolor est, & postremo omne quod delectari potest molestum est, secundum Bernardum. Igitur consulo ô anima, quod iam per præmissa tamquam excitata, disposita & inuitata, ad auctorem tuum te conuertas, & quantum gaudium ab eo illi beati spiritus recipiant diligenter consideres & aduertas: quia omne gaudium propositum vel est accidentale, & ob hoc non satiat, sed excitat, vt est illud quod beati spiritus de his quæ infra vel iuxta ipsos sunt, accipiunt: vel est consubstantiale, & ob hoc non sufficit & afficit, vt est illud quod de his quæ intra ipsos sunt, concipiunt. Hoc vero gaudium quod de superioribus hauriunt, solum substantiale vocatur: quia per hoc solum affectus rationalis creaturæ satiatur. Hugo de sancto Victore: Omnis iucunditas, omnis suauitas, omnis dulcedo rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest

Marginalia (left): intelligendi, quam in via. — Aug. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 35. tom. 3. — Bern. serm. 3. in festo omn. sanct. non longe à prin. Aug. ibid. vt supra proxime. — Isa. 61. d — Quod anima quando molestijs & tribulationibus in mortali vita afficitur ad cælestes delitias erigatur. 2. Cor. 4. d — Gaudium substantiale beatorū in contemplatione diuinæ essentiæ consistit.

ANIMA. Dic quæso ô homo quale & quantum sit istud gaudium? quia hoc solum desidero, hoc est quod præ omnibus concupisco, quia scio quod hæc omnia etiam si habentur sine illo, non solum non sufficiunt, sed etiam animam ieiunam, famelicam, & miseram derelinquunt.

HOMO. Anima tu quæris quale & quantum sit istud gaudium? Interrogaui omnia intima mea, & mihi narrare non sufficiunt. Anselmus: Si enim singula quæ prędicta sunt bona sunt & iucunda, cogita mente, quantum sit illud bonum delectabile, quod continet iucunditatem omnium bonorum in se, non qualem in rebus creatis experti sumus, sed tantum differentem, quantum differt creator à creatura. Qui tanto bono fruetur quidquid volet erit, & quidquid nolet non erit. Hæc Anselmus. Cæsarius: Beatam vitam facilius est consequi quam enarrare: cuius cursus sine termino, vsus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudijs semper noua iucunditas, & sine timore amittendi continuata felicitas. Hæc Cæsarius. Augustinus: Præmium virtutis est qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo nihil maius aut melius esse possit, repromisit. Quid enim aliud est quod per Prophetam dicitur, Ego ero illorum Deus, nisi ego ero, vnde satientur, ego ero quæcumque ab omnibus honeste desiderantur? Augustinus de ciuitate Dei: Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus, profecto erit omnia in omnibus. Hæc Augustinus: Puto tamen ne diutius te protraham, quamuis reuera inæstimabile sit illud gaudium & ineffabile: æstimo tamen quod de tribus proueniat, & triplex gaudium illos beatos spiritus lætificat & delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta & clarissima Diuinæ claritatis contemplatione: gaudent dulciter in mellislua & suauissima Diuinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima Diuinæ maiestatis tentione. Scis enim ô anima, quod tribus viribus naturalibus præemines in tua substantia: habes enim vim rationalē, quæ non perfecte illuminatur, nisi per primæ veritatis apertam cognitionem: & vim concupiscibilem, quæ non satiatur nisi per summæ bonitatis perfectam dilectionem: vim quoque irascibilem, quæ non quietatur nisi per æternæ maiestatis securam comprehensionem. De his tribus dicit beatus Bernardus, super Cantica: Qui replet in bonis desiderium tuum, ipse futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Quare tristis es ô anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi; cum omnis error à ratione, omnis dolor à voluntate, & à memoria omnis timor recesserit, & illa successerit, quam speramus, mira serenitas, plena suauitas, & æterna securitas. O anima quantum putas gaudent & lætantur, qui illud æternitatis speculum iugiter contemplantur, in quo omnia præterita, præsentia & futura, quæ summæ beatitudini competunt, apertissime speculantur? Augustinus: Dum ad illam supernam lucem Patris luminum venerimus, totum quod in creaturis esse potest, intelligimus. Anselmus: Tunc iusti scient cuncta quæ Deus fecit scienda. Et quid est quod nescire possunt, qui scientem omnia vident?

ANIMA. Et quomodo simplicitas hoc permittit?

HOMO. Fulgentius: Sicut per speculum vitreum trina nobis visio demonstratur, quia nosipsos, ipsum speculum, quicquid præsens est videmus; sic per speculum Diuinæ claritatis ipsum Deum, & quidquid præsens est, id est, nosipsos, & creaturas alias cognoscemus.

ANIMA. O beata veritas, iam video, quod sine te sapere, desipere est, te vero nosse perfectum scire est.

HOMO. O anima quæ naturaliter scire desideras, hoc speculum videre affecta, in illo studere & legere desidera: quia hoc semel vidisse, est omnia didicisse. Ibi reuera videbitur, & reputabitur stultitia. Platonis theoria, Aristotelis philosophia, Empedoclis theoremata,

Marginalia (right): Ansel. in prosologio cap. 24. — Aug. lib. 22. de ciu. Dei c. 30. tom. 5. — Ezech. 37. f — Idem ibid. — Gaudium ineffabile beatorum ex tribus prouenit, scilicet ex beatitudine trium potentiarum animæ. — Bern. serm. 11. in Cant. post med. — Habetur hic locus ex Fulgentio citatus in libro de triplici habitaculo c. 6. in princ. inter Aug. opera. tom. 9.

Hypocratis scrutinia, Ptolomæi astrologia, &c. Quia quidquid hic de veritate intelligimus, minima pars eorum est quæ ignoramus. Sed tunc ô anima videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.

ANIMA. Et quid videbo?

HOMO. Regem cæli in decore suo. Beda: Splendor æternæ pulchritudinis est tantæ suauitatis, tantæque dulcedinis, vt etiam ipsi Angeli qui Sole sunt incomparabiliter clariores, eo satiari non possint. Tunc ergo afflues delitijs in stupenda Diuinæ claritatis cognitione, miraberis in tuiipsius delitiosa consideratione, dilataberis in omnium creaturarum perfecta speculatione. O contemplatio stupenda & admirabilis! O consideratio delitiosa & delectabilis! O speculatio gaudiosa & ineffabilis! O quàm digne dictum est de te Domine Deus meus: Melior est dies vna in atrijs tuis, super millia. Quia secundum Augustinum: Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta est iucūditas lucis æternæ, vt etiam si non liceret amplius in ea delectari quā n vnius diei hora, propter hoc solum innumerabiles huius vitæ dies, pleni delitijs & circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoq; despicerentur. Tam pulchra enim est, & suauis, vt ea visa nihil amplius possit desiderari, & omnem exuperat concupiscentiam.

Psal. 83. c

ANIMA. Estne aliquid aliud cuius visio delectet? cuius contemplatio lætificet?

HOMO. O anima quamuis hæc sola sufficeret, si nulla alia adesset, est tamen adhuc vna, vt de aliorum omnium pene innumerabilium iucūda visione taceam, quæ mirabiliter omnium cælestium spirituum mentes lætificat, & miro quodam modo, nescio quo inæstimabili gaudio, omnem beatam creaturam inebriat: videre scilicet illius cælestis Reginæ Deificam claritatem, & suę beatissimæ prolis glorificatam humanitatem. Quis ô anima vel cogitare sufficiat, quantum gaudium generat, illam matrem misericordiæ, Reginam pietatis & clementiæ videre, iam non recumbentem cum paruulo vagiente in præsepio, iam non lacrymantem, circumeuntem, quærentem & dicentem: Numquid quem diligit anima mea vidistis? cum perdiderat dilectissimum infantulum in triduo, sed eum nunc inspicientem in sempiterno gaudio? Iam enim non conturbabitur, confugiens in Ægyptum à facie Herodis, quia ipse ascendit in cælum, Herodes autem in infernum. Iam non conturbatur circa plurima quæ fecerunt filio suo Iudæi, quia omnia subiecta sunt ei. Iam certe non euigilantem, vociferantem, clamantem & dicentem: Quis mihi det, vt ego moriar pro te fili mi Absalom? cum staret prope vnigenitum filium suum pendentem & morientem in patibulo. Iam non lamentantem lacrymabiliter, cum sibi daretur discipulus pro magistro, seruus pro Domino, creatura pro creatore, quasi alienus pro vnigenito & dulcissimo filio. Sed hanc quondam propter nos tam miserā tantis mœroribus plenā, nunc inæstimabiliter super omnem creaturam exaltatam, regnantem cū Christo in Trinitatis superbenedictæ palatio cantantem, iubilantem, & dicentem: Tenui illum nec dimittam. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et illud: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. O anima mea, mente deuota pertracta, quàm sit plenum omni suauitate gaudium, videre hominem hominis conditorem, feminam omnium conditoris genitricem, fratrem nostrum quondam perditum, abiectum & despectum, nunc inuentum, nunc reuersum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem. O quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te labiis deuotionis, amplectar te brachijs dilectionis, & iam me nemo despiciat, cum introduxero te in cubiculum cum dulcedine suauissimæ fruitionis? Hanc fruitionem desiderabat ille deuotus Anselmus in meditationibus, quando dicebat: O dulcissime puer quando te videbo? quando ante faciem tuam apparebo? quando satiabor pulchritudine tua? quando videbo vultum tuum desiderabilem, in quem desiderant Angeli prospicere? Væ animæ te non amanti, te non quærenti: quæ si mundum diligit peccatis seruit, numquam est quieta, numquam secura. Nihil quæso sine te mihi placeat, nihil dulcescat, nihil speciosum, nihil præter te arrideat pretiosum. Vilescant omnia præter te. Quod tibi est aduersum, mihi sit molestum: & tuum beneplacitum sit meum indeficiens desiderium. Tædeat gaudere sine te, delectet gaudere tecum, & flere tecum. O bone Iesu si tam dulce est flere de te, quàm dulce est gaudere de te. Hæc Anselmus.

Videre beatam Virginem super choros Angelorum exaltatam, magna est beatis materia gaudij.

Cant. 3. b

2. Reg. 18. d

Cant. 3. b
Matt. 11. d
Eccli. 24. c

Cant. 8. a

ANIMA. O homo iam amore videndi Dominum creatorem meum langueo, ardore cernendi Iesum fratrem meum, Redemptorem meum deficio. Iam desiderio intuendi illam virginem gloriosam, matrem Redemptoris mei vulnerata ingemisco. O bone Iesu quando videbo gaudium meū, quod desidero? ô quando apparebit gloria eius quam esurio? ô quando veniet consolator meus quem expecto? O si quando inebriabor ab vbertate domus eius ad quam suspiro? Iam grauis est mihi omnis creatura ad videndum: quia nimis incomparabiliter supereminet pulchritudo, à qua processerunt hæc omnia.

HOMO. O anima expecta cum patientia, vt crescant tua desideria: quia scriptum est, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.

Ioan. 16. b

ANIMA. O modicum longum, ô modicum nimis prolixum, quia etsi modica sunt merita, longa tamen sunt desideria.

HOMO. O anima si longa & magna videntur tibi tua desideria, quibus æstuas ad æternam gloriam & charitatem contemplandam: quanto putas desiderio æstuare debeas ad æternam bonitatem perfecte diligendam, & ad summam maiestatem æternaliter possidendam? Si enim hæc omnia summe non diligeres, quomodo de visione gauderes? Et si bene videres & intelligeres, & tamen secura mente non possideres: quomodo beata permaneres? Augustinus: Ibi igitur vacabimus & videbimus: videbimus & amabimus: amabimus & habebimus. Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione in æternum laudabitur. Vna enim ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa felicitas æternaliter habere quod amas. Ibi beata vita in suo fonte plene perfecte bibitur, vnde miro quodam modo & delectabiliter impressa sitis simulatq; satietas alternatur. Sed longe à siti necessitas repellitur, longe à satietate fastidium amouetur. Hæc Augustinus. Sed ne te iam ô anima diutius protraham, audi quid de prædictis omnibus cælestibus gaudiis dicit ille deuotus Anselmus in fine prosologion: Excita te, inquit, nunc ô anima mea, & erige totum intellectum tuum, & quantum potes cogita attente, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum. Si iucunda est vita creata, quàm iucunda est creatrix essentia? Si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus quæ fecit omnia? Si amabilis est scientia de creaturis, quàm delectabilis est illa quæ de rebus increatis? *Et infra*: Cur ergo per multa vagaris, quærendo bona creata? Ama vnum, in quo sunt omnia. Si delectat pulchritudo, Fulgebunt iusti sicut Sol. Si libertas aut fortitudo, Similes erunt Angelis Dei in cælis. Si longa & salubris vita, est ibi sanitas æterna. Si satietas aut ebrietas. Satiabuntur de gloria, & inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia, ibi canunt Angeli. Si societas, & amicitia, ibi est beatorum societas, & omnium vna voluntas. Si honores & diuitiæ: Gloria & diuitiæ in domo eius. Si securitas & certitudo, ibi omnium temporum æterna longitudo. O cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immo obrutum ærumnis, quantum gauderes si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint tantum gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed si homo de tanta beatitudine vix capiet gaudiū proprium,

August. lib. 22. de ciu. Dei, cap. 30. tom. 5.

Ansel. in proslogio cap. 24.

Ibidem c. 25.
Matt. 13. f
Matt. 22. c

Psal. 35. b
Psal. 111. a

quomodo capax erit tantorum gaudiorum, quantus est numerus electorum, vbi vnusquisq; tantum diligit proximum suum quantum seipsum, & tantum de suo gaudio gaudet, quantum diligit? Ita etiam quisq; plus absque æstimatione, de Dei, quàm de sua & omnium electorum gaudet felicitate. Quia sicut Deum toto corde, tota anima, tota mente diligit: ita ad plenitudinem gaudij illius totum cor, tota anima, tota mens non sufficit, quia tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum videbunt. *Et infra*: Certe nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quantum te amabunt, & cognoscent sancti Dei. O-ro Deus meus, cognoscam te, amem te, vt æternaliter gaudeam de te. Et si non possum ad plenum in hac vita, crescat saltem hic notitia tui & amor, vt ibi sit plenum gaudium: hic sit in spe, & ibi sit in re. Domine pater per filium tuum hic iubes, immo consulis petere, & promittis accipere, vt gaudium nostrum plenum sit. Peto Domine quòd per admirabilem consiliarium tuum consulis petere, & promittis accipere, vt gaudium nostrum sit plenum, meditetur de hoc mens mea, sermocinetur os meum, loquatur inde lingua mea, esuriat anima mea, sitiat caro mea: donec intret in gaudium Dei mei, qui est trinus & vnus benedictus in sæcula. Amen.

1. Cor. 2. 6 Anf. ibid. cap. 26.

Ioan. 16. 6

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, cui titulus est:

ITINERARIVM MENTIS in Deum.

Hoc opusculum S. Bonauenturæ, Ioannes Gerso Cancellarius Pariensis prima parte opusculorum suorum in epistola de laudibus huius Sancti Doctoris, tantopere commendat, vt non opusculum sed opus immensum nominet, cuius laus superior est ore mortalium. Præterea idem Gerso parte secunda titulo de libro legis, inter alia S. Bonauenturæ opuscula, quibus & intellectus illuminatur & inflammatur affectus, breuiloquium notat, & itinerarium tanta arte compendij diuinitus composita, vt supra ipsa nihil. Sed omisso Breuiloquio, mirabile sane est huius opusculi artificium, in quo nec rerum multitudo, & magnitudo prolixum facit opus; nec operis breuitas multitudinem & magnitudinem rerum premit, quominus copiosè tractentur. Nam à creaturis ad creatorem per sex gradus scalares vsq; ad anagogicos excessus procedens, simulq; docens, & mouens totius naturalis & supernaturalis doctrinæ documenta non minus breuiter complectitur, quàm abunde explicat.

SVMMA CAPITVM HVIVS Opusculi.

PROLOGVS.

IN Principio primum principium à quo cunctæ illuminationes descendunt tamquam à patre luminum, à quo omne est datum optimum, & omne donum perfectum, Patrem scilicet æternum inuoco per Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercessione sanctissimæ Virginis Mariæ, genitricis eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, & Beati Francisci, ducis & patris nostri, det illuminatos oculos mentis nostræ, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis illius, quæ exuperat omnem sensum: quam pacem euangelizauit, & dedit Dominus noster Iesus Christus, cuius prædicationis repetitor fuit pater noster sanctus Franciscus, in omni sua prædicatione pacem in principio & fine annuncians, in omni salutatione pacem optans, in omni contemplatione ad ecstaticam pacem suspirans, tamquam ciuis illius Hierusalem, de qua dicit ille vir pacis, qui cum his qui oderunt pacem erat pacificus: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Sciebat enim quòd thronus Salomonis non erat nisi in pace, cum scriptum sit: In pace factus est locus eius, & habitatio eius in Sion. Cum igitur exemplo beatissimi patris nostri Francisci, hanc pacem anhelo spiritu quærere, ego peccator, qui loco illius patris beatissimi post eius transitum septimus in generali fratrum ministerio, per omnia indignus succedo, contigit vt, nutu diuino, anno post ipsius beati patris transitum trigesimoterito ad montem Aluernæ tanquam ad locum quietum, amore quærendi pacem spiritus declinarem, ibique existens dum mente tractarem aliquas mentales ascensiones in Deum, inter alia occurrit illud miraculum, quod in prædicto contigit loco ipsi beato Francisco, de visione videlicet Seraph alati instar crucifixi. In cuius consideratione statim visum est mihi, quòd visio illa prætenderet ipsius patris nostri suspensionem in contemplando, & viam per quam peruenitur ad eam. Nam per senas alas illas, rectè intelligi possunt sex illuminationum suspensiones, quibus anima quasi quibusdam gradibus & itineribus disponitur, vt transeat ad pacem, per ecstaticos excessus sapientiæ Christianæ. Via autem non est nisi per ardentissimum amorem crucifici, qui adeo Paulum ad tertium cælum raptum transformauit in Christum, vt diceret: Christo confixus sum cruci. Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Christus. Qui etiam adeo mentem Francisci absorbuit, quod mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortem per biennium deportauit. Effigies igitur sex alarum seraphicarum, insinuat sex illuminationes scalares, quæ à creaturis incipiunt, & perducunt vsque ad Deum, ad quem nemo intrat rectè nisi per Crucifixum. Nam qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Si quis vero per ostium introierit, ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Propter quod dicit Ioannes in Apocalypsi: Beati, qui lauant vestimenta sua in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas ingrediantur ciuitatem. Quasi diceret, quòd per contemplationem ingredi non potest Hierusalem supernam, nisi per sanguinem agni intret tamquam per portam. Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes diuinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit vir desideriorum. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit à gemitu cordis; & per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime & intentissime se conuertit. Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cuius sanguinem purgamur à sordibus vitiorum, primum quidem lectorem inuito, ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine vnctione, speculatio sine deuotione, inuestigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia,

Iacob. 1. c

Psal. 119. b Psal. 121. a Psal. 75. a

S. Bonauēt. septimus generalis à B. Francisco.

2. Cor. 12. a Gal. 2. d

Ioan. 10. a

Apoc. 22. c

Dan. 9. f

Heb. 1. a

ſcientia ſine charitate, intelligentia ſine humilitate, ſtudium abſque diuina gratia, ſpeculum abſque ſapientia diuinitus inſpirata. Præuentis igitur diuina gratia humilibus & pijs, compunctis & deuotis, vnctis oleo diuinæ lætitiæ, & amatoribus diuinæ ſapientiæ, & eius deſiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, amandum & etiam deguſtandum, ſpeculationes ſubiectas propono, inſinuans quòd parum aut nihil eſt ſpeculum exterius propoſitum, niſi ſpeculum mentis noſtræ terſum fuerit & politum. Exerce igitur te homo Dei prius ad ſtimulum conſcientiæ remordentem, antequam oculos eleues ad radios ſapientiæ in eius ſpeculo relucentes, ne forte ex ipſa ſpeculatione radiorum, in grauiorem incidas foueam tenebrarum. Placuit autem diſtinguere tractatum in ſeptem capitula, præmittendo titulos ad faciliorem intelligentiam dicendorum. Rogo igitur, quòd magis penſetur intentio ſcribentis quàm opus; magis dictorum ſenſus, quàm ſermo incultus; magis veritas, quàm ſermonum venuſtas: magis exercitatio affectus, quàm eruditio intellectus. Quod vt fiat, non eſt harum ſpeculationum progreſſus perfunctorie tranſcurrendus; ſed moroſiſſime ruminandus.

CAPVT I.

De gradibus aſcenſionis in Deum, & de ſpeculatione ipſius per veſtigia eius in vniuerſo.

Pſal. 83. b

Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Cum beatitudo nihil aliud ſit, quàm ſummi boni fruitio, & ſummum bonum ſit ſupra nos; nullus poteſt effici beatus, niſi ſupra ſeipſum aſcendat, non aſcenſu corporali, ſed aſcenſu cordiali. Sed ſupra nos leuari non poſſumus, niſi per virtutem ſuperiorem nos eleuantem. Quantumcumque enim gradus interiores diſponantur, nihil fit niſi diuinum auxilium comitetur. Diuinum autem auxilium comitatur eos, qui petunt ex corde humiliter & deuote, & hoc eſt ad ipſum ſuſpirare in hac lacrymarum valle, quod fit per feruentem orationem. Oratio igitur, mater & origo eſt ſurſum actionis in Deum. Ideo Dionyſius in libro de myſtica Theologia, volens nos inſtruere ad exceſſus mentales primo præmittit orationem. Oremus igitur & dicamus ad Dominum Deum noſtrum: Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. In hac oratione orando illuminamur ad cognoſcendum diuinæ aſcenſionis gradus. Cum enim ſecundum ſtatum conditionis noſtræ ipſa rerum vniuerſitas ſit ſcala ad aſcendendum in Deum, & in rebus quædam ſint veſtigium, quædam imago, quædam corporalia, quædam ſpiritualia, quædam temporalia, quædam æuiterna ac per hoc quædam extra nos, quædam intra nos; ad hoc quod perueniamus ad primum principium conſiderandum, quod eſt ſpiritualiſſimum & æternum, & ſupra nos, oportet nos tranſire per veſtigium, quod eſt corporale & temporale & extra nos, & hoc eſt deduci in via Dei. Oportet etiam nos intrare ad mentem noſtram, quæ eſt imago Dei æuiterna, & ſpiritualis, & intra nos, & hoc eſt ingredi in veritatem Dei. Oportet etiam nos tranſcendere ad æternum ſpiritualiſſimum, & ſupra nos, aſpiciendo ad primum principium, & hoc eſt lætari in Dei notitia & reuerentia maieſtatis. Hæc eſt igitur via trium dierum in ſolitudine. Hæc eſt triplex illuminatio vnius diei, & prima eſt ſicut veſpera, ſecunda ſicut mane, tertia ſicut meridies. Hæc reſpicit triplicem rerum exiſtentiam, ſcilicet in materia, in intelligentia, & in arte diuina, ſecundum quam dictum eſt, fiat, fecit, & factum eſt. Hæc etiam reſpicit triplicem ſubſtantiam in Chriſto, qui eſt ſcala noſtra ſcilicet corporalem, ſpiritualem & diuinam.

Secundum hunc triplicem progreſſum, mens noſtra tres habet aſpectus principales. Vnus eſt ad corporalia exteriora, ſecundum quem vocatur animalitas ſeu ſenſualitas. Alius intra ſe & in ſe, ſecundum quem dicitur ſpiritus. Tertius eſt ſupra ſe, ſecundum quem dicitur mens. Ex quibus omnibus diſponere ſe debet ad conſcendendum in Deum, vt ipſum diligat ex tota mente, ex toto corde, & ex tota anima, in quo conſiſtit perfecta legis obſeruatio, & ſimul cum hoc ſapientia Chriſtiana.

Quoniam autem quilibet prædictorum modorum geminatur, ſecundum quod contingit conſiderare Deũ vt α, & ω: ſeu in quantum contingit videre Deum in vnoquoque prædictorum modorum, vt per ſpeculum, & vt in ſpeculo, ſeu quia vnaquæque iſtarum conſiderationum habet commiſceri alteri ſibi coniunctæ, & habet conſiderari in ſua puritate: hinc eſt, quòd neceſſe eſt, hos tres gradus principales aſcendere ad ſenarium, vt ſicut Deus ſex diebus perfecit vniuerſum mundum, & in ſeptimo requieuit, ſic minor mundus ſex gradibus illuminationum ſibi ſuccedentium ad quietem contemplationis ordinatiſſime perducatur. In cuius rei figura ſex gradibus aſcendebatur ad thronum Salomonis. Seraphin, quæ vidit Iſaias ſenas alas habebant. Poſt ſex dies vocauit Deus Moyſen de medio caliginis. Et Chriſtus poſt ſex dies vt dicitur in Matthæo, Duxit diſcipulos in montem, & transfiguratus eſt ante eos.

Iuxta igitur ſex gradus aſcenſionis in Deum, ſex ſunt gradus potentiarum animæ, per quos aſcendimus ab imis ad ſumma, ab exterioribus ab intima, à temporalibus ad æterna, ſcilicet ſenſus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, apex mentis, ſeu ſynderesis ſcintilla. Hos gradus habemus in nobis plantatos per naturam, deformatos per culpam, reformatos per gratiam, purgandos per iuſtitiam, exercendos per ſcientiam, perficiendos per ſapientiam. Secundum etiam primam naturæ inſtitutionem, creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, & ideo poſuit eum Deus in paradiſo deliciarum. Sed auertens ſe à vero lumine ad commutabile bonum, incuruatus eſt ipſe per culpam propriam, & totum genus ſuum per originale peccatum; quod dupliciter infecit humanam naturam, ſcilicet ignorantia mentem, & concupiſcentia carnem: ita quod excæcatus homo & incuruatus in tenebris ſedet, & cæli lumen non videt, niſi ſibi ſuccurrat gratia cum iuſtitia contra concupiſcentiam, & ſcientia cum ſapientia contra ignorantiam, quod totũ fit per Ieſum Chriſtum, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio. Qui cum ſit Dei virtus & ſapientia, cum ſit verbum incarnatum plenum gratiæ & veritatis, gratiam & veritatem fecit: gratiam, ſcilicet charitatis infudit, quæ cum ſit de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, totam animam rectificat, ſecundum triplicem ipſius aſpectum ſupradictum. Scientiam veritatis edocuit ſecundum triplicem modum Theologiæ, ſcilicet ſymbolicæ, propriæ, & myſticæ: vt per ſymbolicam recte vtamur ſenſibilibus, per propriam recte intelligibilibus, per myſticam rapiamur ad ſupermentales exceſſus.

Quicumq; ergo vult in Deum aſcendere, neceſſe eſt, vt vitata culpa deformante naturam, naturales potentias ſupradictas exerceat, ad gratiam reformantem, & hoc per orationem: ad iuſtitiam purificantem, & hoc in conuerſatione: ad ſcientiam illuminantem, & hoc in meditatione: ad ſapientiam perficientem, & hoc in contemplatione. Sicut igitur ad ſapientiam, nemo venit niſi per gratiam, iuſtitiam & ſcientiam; ſic ad contemplationem nemo venit niſi per meditationem perſpicuam, conuerſationem ſanctam, & orationem deuotam. Sicut igitur gratia fundamentum eſt rectitudinis voluntatis, & illuſtrationis perſpicuæ rationis; ſic primo orandum eſt nobis, deinde ſancte viuendum, tertio ſpectaculis veritatis intendendum, & intendendo gradatim aſcendendum, quouſq; veniatur ad montem excelſum, vbi videatur Deus Deorum in Sion.

Quoniam igitur prius eſt aſcendere, quàm deſcendere

Marginalia: Beatitudo quid. — Dionyſ. de myſt. Theo. cap. 1. — Pſal. 85. c — Exod. 3. f — Mens noſtra vocatur animalitas, ſpiritus, & mẽs. — 3. Reg. 10. c — Iſa. 6. a — Exod. 24. b — Matt. 17. a — Gen. 2. b — Originale peccatum humanam naturam dupliciter infecit. — 1. Cor. 1. d — 1. Tim. 1. b — Volenti ad Deum aſcendere quid præſtandum. — Pſal. 83. c

dete in scala Iacob, primum gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tamquam speculum, per quod transeamus ad Deum opificem summum, vt simus veri Hebræi transeuntes de Ægypto ad terram patribus repromissam, simus & Christiani, cum Christo transeuntes ex hoc mundo ad patrem, simus & sapientiæ amatores, quæ vocat & dicit: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum creator videri. Relucet autem Creatoris summa potentia, sapientia, & beneuolentia in rebus creatis, secundum quod hoc tripliciter nunciat sensus carnis sensui interiori. Sensus enim carnis aut deseruit intellectui rationabiliter inuestiganti, aut fideliter credenti, aut intellectualiter contemplanti. Contemplans considerat rerum existentiam actualem, credens rerum decursum habitualem, ratiocinans rerum præcellentiam potentialem.

Eccli. 24. c Sap. 13. a

Primo modo aspectus contemplantis res in se ipsis cõsiderans, videt in eis pondus, numerum, & mensuram. Pondus quoad situm vbi inclinantur, numerum quo distinguuntur, & mensuram qua limitatur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem, & ordinem. nec non substantiam, virtutem, & operationem: ex quibus consurgere potest sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam & bonitatem Creatoris immensam.

Secundo modo aspectus fidelis considerans hunc mundum, attendit originem, decursum, & terminum. Nam fide credimus, aptata esse sæcula verbo vitæ. Fide credimus trium legum tempora, scilicet naturæ, scripturæ, & gratiæ sibi succedere, & ordinatissime decurrisse. Fide credimus mundum per finale iudicium terminandum fore. In primo potentiam, in secundo prouidentiam, in tertio iustitiam summi principii aduertentes.

Heb. 11. a

Tertio modo aspectus ratiocinantis inuestigans, videt quædam tantum esse, quædam tantum esse & viuere, quædam vero esse, viuere, & discernere. Et prima quidem esse minora, secunda media, tertia meliora. Videt iterum quædam tantum esse corporalia, quædam partim corporalia, partim spiritualia, ex quo aduertit aliqua esse mere spiritualia tamquam vtriusque meliora & digniora. Videt nihilominus quædam esse mutabilia & corruptibilia, vt terrestria, quædam mutabilia & incorruptibilia, vt cælestia, ex quo aduertit quædam esse immutabilia & incorruptibilia, vt supercælestia. Ex his ergo visibilibus consurgit ad considerandum Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem, vt entem, viuentem, & intelligentem: mere spiritualem & incorruptibilem & intransmutabilem. Hæc autem consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quę est diuinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, testimonium septiforme: si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, & operatio, & ordo. Origo namque rerum secundum creationem, distinctionem, & ornatum, quantum ad opera sex dierum, diuinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem, sapientiam cuncta lucide distinguentem, & bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum secundum molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, secundum excellentiam virtutis longe lateq; & profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis secundum efficaciam operationis intimæ, continuæ, & diffusæ, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam, & essentiam incircumscriptus existit. Multitudo vero rerum secundum diuersitatem generalem, specialem, & indiuidualem, in substantia, in forma seu figura, & efficacia vltra omnem humanam æstimationem, manifeste trium prædictarum conditionum in Deo immensitatem insinuat & ostendit. Pulchritudo autem rerum secundum varietatem luminum, figurarum, & colorum, in corporibus simplicibus, mixtis, & etiam complexionatis, sicut in corporibus cælestibus, & mineralibus, sicut lapidibus & metallis, plantis, & animalibus, tria prædicta euidenter proclamat. Plenitudo autem rerum secundum quod materia est plena formis, secundum rationes seminales: forma est plena virtute, secundum actiuam potentiam: virtus est plena effectibus, secundum efficientiam, idipsum manifeste declarat. Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis, & bonitatis, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi, & ordo viuendi. Ordo autem secundum rationem durationis, situationis, & influentiæ, scilicet per prius, & posterius, superius, & inferius, nobilius, & ignobilius, in libro creaturæ insinuat manifeste primi principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ. Ordo vero diuinarum legum, præceptorum, & iudiciorum, in libro scripturæ immensitatem sapientiæ. Ordo autem diuinorum sacramentorum, beneficiorum, & retributionum in corpore Ecclesiæ immensitatem bonitatis, ita quod ipse ordo nos in primum & summum potentissimum, & sapientissimum, & optimum euidentissime manu ducit. Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est: qui tantis clamoribus non euigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est: qui ex tantis indiciis primum principium non aduertit, stultus est.

Aperi ergo oculos, aures spirituales admoue, labia tua solue, & cor tuum appone, vt in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas & colas, magnifices & honores, ne forte contra te vniuersus orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc pugnabit orbis terrarum contra insensatos, & econtra sensatis erit materia gloriæ, qui secundum Prophetam possunt dicere: Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Psal. 91. a

CAPVT II.

De speculatione Dei in vestigijs suis in hoc sensibili mundo.

SED quoniam circa speculum sensibilium, non solum contingit contemplari DEVM per ipsa tamquam per vestigia, verumetiam in ipsis inquantum est in eis per essentiam, potentiam, & præsentiam, & hoc considerare est altius quam præcedens, ideo huiusmodi consideratio secundum tenet locum, tamquam secundus contemplationis gradus, quo debemus manu duci, ad contemplandum Deum in cunctis creaturis, quæ ad mentem nostram intrant per corporales sensus.

Notandum igitur, quod iste mundus sensibilis, qui dicitur macrocosmus, id est longus mundus, intrat ad animam nostram, quæ dicitur microcosmus, id est minor mundus, per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem, & diiudicationem. Quod patet sic. Nam in eo quædam sunt generantia, quædam generata, & quædam regentia hæc & illa. Generantia sunt corpora simplicia, scilicet corpora cælestia, & quattuor elementa. Nam ex elementis per virtutem lucis recõciliantis contrarietatem elementorum in mixtis, habent generari & produci quæcumque generantur, & producuntur per operationem virtutis naturalis. Generata vero, sunt corpora ex elementis composita, sicut mineralia, vegetabilia, sensibilia, & corpora humana. Regentia hæc & illa, sunt substantiæ spirituales, siue omnino coniunctæ, vt sunt animæ brutales, siue coniunctæ separabiliter, vt sunt animæ rationales, siue omnino separatæ, vt sunt spiritus cælestes quos philosophi Intelligẽtias, nos Angelos appellamus. Quibus secundũ philosophos competit mouere corpo-

ra cæleſtia, ac per hoc eis attribuitur adminiſtratio vniuerſi, ſuſcipiendo à prima cauſa, ſcilicet Deo, virtutis influentiam, quam refundunt ſecundum opus gubernationis, quod reſpicit rerum conſiſtentiam naturalem. Secundum autem Theologos, attribuitur eiſdem regimen vniuerſi, ſecundum imperium ſummi Dei, quantum ad opera reparationis, ſecundum quæ dicuntur administratorij ſpiritus, miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.

Heb. 1. d

Homo minor mundus.

Homo igitur, qui dicitur minor mundus, habet quinque ſenſus quaſi quinq; portas, per quas intrat cognitio omnium, quæ ſunt in mundo ſenſibili in animam ipſius. Nam per viſum intrant corpora ſublimia & luminoſa, & cetera colorata: per tactum vero corpora ſolida & terreſtria: per tres vero ſenſus intermedios, intrant intermedia, vt per guſtum aquea, per auditum aerea, per odoratum vaporabilia, quæ aliquid habent de natura humida, aliquid de aerea; aliquid de ignea ſeu calida, ſicut patet in fumo ex aromatibus reſoluto. Intrant igitur per has portas tam corpora ſimplicia, quàm etiam compoſita ex his mixta. Quia vero ſenſu percipimus non ſolum hæc ſenſibilia particularia, quæ ſunt, lux, ſonus, odor, ſapor, & quattuor primariæ qualitates quas apprehendit tactus; verum etiam ſenſibilia communia, quæ ſunt, numerus, magnitudo, figura, quies, & motus. & omne quod mouetur ab alio mouetur, & quædam ſeipſis mouentur & quieſcunt, vt ſunt animalia, dum per hos quinq; ſenſus motus corporum apprehendimus, manu ducimur ad cognitionem motorum ſpiritualium, tamquam per effectum in cognitionem cauſarum.

Senſibilia particularia, & communia.

Intrat igitur quantum ad tria rerum genera in animam humanam per apprehenſionem totus mundus iſte ſenſibilis. Hæc autem ſenſibilia exteriora ſunt, quæ primo ingrediuntur ad animam, per portas quinq; ſenſuũ. Intrant, inquam, non per ſubſtantias ſuas, ſed per ſimilitudines ſuas, primo generatas in medio, & de medio in organo exteriori, & de organo exteriori in interiori, & de hoc in potentia apprehenſiua, & ſic generatio ſpeciei in medio, & de medio, in organo, & conuerſio potentiæ apprehenſiuæ ſuper illam facit apprehenſionem omnium eorum, quæ exterius anima apprehendit.

Delectatio in re conueniente ſequitur apprehenſionem.

Ad hanc apprehenſionem ſi ſit rei conuenientis, ſequitur oblectatio. Delectatur autem ſenſus in obiecto per ſimilitudinem abſtractam percepto, vel ratione ſpecioſitatis ſicut in viſu, vel ratione ſuauitatis, ſicut in odoratu & auditu, vel ratione ſalubritatis, ſicut in guſtu & tactu appropriate loquendo. Omnis autem delectat o eſt ratione proportionalitatis. Sed quoniam ſpecies tenet rationem formæ, virtutis, & operationis, ſecundum quòd habet rectum ad principium à quo manat, ad medium ad quod tranſit, & ad terminum in quem agit; ideo proportionalitas aut attenditur in ſimilitudine, ſecundum quod tenet rationem ſpeciei ſeu formæ, & ſic dicitur ſpecioſitas, quia pulchritudo nihil eſt aliud quàm æqualitas numeroſa, ſeu quidam partium ſitus cum coloris ſuauitate. Aut attenditur proportionalitas inquantum tenet rationem potentiæ ſeu virtutis, & ſic dicitur ſuauitas, cum virtus agens non improportionaliter excedit recipientem, quia ſenſus triſtatur in extremis, & in medijs delectatur. Aut attenditur proportionalitas in quantum tenet rationem efficaciæ & impreſſionis, quæ tunc eſt proportionalis, quando agens imprimendo replet indigentiam patientis, & hoc eſt ſaluare & nutrire ipſum, quòd maxime apparet in guſtu & tactu. Et ſic apparet, quomodo per oblectationem delectabilia exteriora, ſecundum triplicem rationem delectandi, per ſimilitudinem intrant in animam.

Pulchritudo quid.

Dijudicatio apprehenſionem, & delectationem ſequitur.

Poſt hanc apprehenſionem & delectationem fit dijudicatio, qua non ſolum dijudicatur vtrum hoc ſit album vel nigrum, quia hoc ſolum pertinet ad ſenſum exteriorem, non ſolum vtrum ſit ſalubre vel nociuum, quia hoc pertinet ad ſenſum interiorem; verum etiam qua dijudicatur & ratio redditur, quare hoc delectat. Et in hoc actu inquiritur de ratione delectationis, quæ in ſenſu percipitur ab obiecto. Hoc eſt autem cum quæritur ratio pulchri, ſuauis, & ſalubris, & inuenitur, quia hæc eſt proportio æqualitatis. Ratio autem æqualitatis eſt eadem in magnis & paruis, nec extenditur dimenſionibus, nec ſuccedit ſeu tranſit cum tranſeuntibus, nec motibus alteratur. Abſtrahit igitur à loco, tempore, & motu, at per hoc eſt incommutabilis, incircumſcriptibilis, interminabilis, & omnino ſpiritualis. Dijudicatio igitur eſt actio, quæ ſpeciem ſenſibilem ſenſibiliter per ſenſus acceptam, introire facit, depurando, & abſtrahendo in potentiam intellectiuam. Et ſic totus iſte mundus introire habet in animam humanam per portas quinque ſenſuum, ſecundum tres operationes prædictas.

Dijudicatio quid.

Hæc autem omnia ſunt veſtigia, in quibus ſpeculari poſſumus Deum noſtrum. Nam cum ſpecies apprehenſa ſit ſimilitudo in medio genita, & deinde ipſi organo impreſſa, & per illam impreſſionem in ſuum principium, ſcilicet in obiectum cognoſcendum deducat, manifeſte inſinuat, quòd illa lux æterna generat ex ſe ſimilitudinem, ſeu ſplendorem coæqualem, conſubſtantialem & coæternalem. Et quòd ille qui eſt imago & ſimilitudo inuiſibilis Dei, & ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, qui vbiq; eſt per primam ſui generationem, ſicut obiectum in toto medio ſuam generat ſimilitudinem, per gratiam vnionis vnitur, ſicut ſpecies corporali organo, indiuiduo rationalis naturæ, vt per illam vnionem nos reduceret ad Patrem, ſicut ad fontale principium & obiectum. Si ergo omnia cognoſcibilia habent ſui ſpeciem generare, manifeſte proclamant, quòd in illis tamquam in ſpeculis videri poteſt æterna generatio Verbi, imaginis & Filij, à Deo Patre æternaliter emanantis.

Heb. 1. a

Secundum hunc modum ſpecies delectans vt ſpecioſa, ſuauis, & ſalubris inſinuat, quòd in illa prima ſpecie eſt prima ſpecioſitas, ſuauitas, & ſalubritas, in qua eſt ſumma proportionalitas, & æqualitas ad generantem, in qua eſt virtus, non per phantaſma, ſed per veritatem apprehenſionis illabens: in qua eſt impreſſio ſaluans, & ſufficiens, & omnem apprehendentis indigentiam expellens. Si ergo delectatio eſt coniunctio conuenientis cum conueniente, & ſolius Dei ſimilitudo tenet rationem ſummè ſpecioſi, ſuauis, & ſalubris, & vnitur ſecundùm veritatem, & ſecundum intimitatem, & ſecundum plenitudinem replentem omnem capacitatem: manifeſte videri poteſt, quòd in ſolo Deo eſt fontalis, & vera delectatio, & quòd ad ipſam ex omnibus delectationibus manu ducimur requirendam.

Delectatio vero in ſolo Deo.

Excellentiori autem modo & immediatiori, dijudicatio ducit nos in æternam veritatem certius ſpeculandam. Si enim dijudicatio habet fieri per rationem abſtrahentem à loco, tempore, & mutabilitate, ac per hoc à dimenſione, ſucceſſione, & tranſmutatione, per rationem immutabilem, & incircumſcriptibilem, & interminabilem, nihil autem eſt omnino immutabile, incircumſcriptibile, & interminabile, niſi quod eſt æternum, omne autem quod eſt æternum, eſt Deus, vel in Deo. Si ergo omnia quæcumq; certius dijudicamus, per huiuſmodi rationem dijudicamus, patet quòd ipſe eſt ratio omnium rerum, & regula infallibilis, & lux veritatis, in qua cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indijudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indiuiſibiliter, & intellectualiter, & ideo leges illæ per quas iudicamus certitudinaliter de omnibus ſenſibilibus, in noſtram conſiderationem venientibus, cum ſint infallibiles, & indubitabiles intellectui apprehendentis, ſint indelebiles à memoria recolentis tamquam ſemper præſentes, ſint irrefragabiles & indijudicabiles intellectui iudicantis, quia, vt dicit Auguſtinus, nullus de eis iudicat, ſed per illas neceſſe eſt, eas eſſe incommutabiles, & incorruptibiles tamquam neceſſarias, incoarctabiles, & tamquam incircumſcriptas, & interminabiles, tamquã æternas, ac per hoc indiuiſibiles, tamquam intellectuales & incorporeas, non factas ſed increatas, æternaliter exiſtentes

Aug. lib. de vera relig. c. 31. tom. 1.

istentes in arte æterna, à qua, per quam, & secundum quam formantur speciosa omnia vel formosa, & ideo nec certitudinaliter iudicari possunt, nisi per illam, quæ non tantum fuit forma cuncta producens, verumetiam cuncta conseruans & distinguens, tamquam ens in omnibus formam tenens, & regula dirigens, & per quam diiudicat mens nostra, cuncta, quæ per sensus intrant in ipsam.

Hæc autem speculatio dilatatur secundum considerationem septem differentiarum numerorum, quibus quasi septem gradibus conscenditur in Deum, secundum quod ostendit Augustinus in libro de vera religione, & in sexto musicæ, vbi assignat differentias numerorum gradatim conscendentium ab his sensibilibus, vsque ad opificem omnium, vt in omnibus videatur Deus. Dicit B enim numeros esse in corporibus, & maxime in sonis & vocibus, & hos vocat sonantes. Numeros ab his abstractos, & in sensibus nostris receptos, & hoc vocat occursores. Numeros ab anima procedentes in corpus, sicut patet in gesticulationibus & saltationibus, & hos vocat progressores. Numeros in delectationibus sensuum, & conuersione intentionis super speciem receptam, & hos vocat sensuales. Numeros in memoria retentos, & hos vocat memoriales. Numeros etiam per quos de his omnibus iudicamus, & hos vocat iudiciales, qui, vt dictum est, necessario sunt supra mentem, tamquam infallibiles, & indiiudicabiles. Ab his autem imprimuntur mentibus nostris numeri artificiales, quos tamen inter illos gradus nō enumerat Augustinus, quia connexi sunt iudicialibus, & ab his manant numeri progressores, ex C quibus creantur numerosæ formæ artificiatorum, vt à summis per media ordinatus fiat descensus ad infima. Ad hos etiam gradatim ascendamus à numeris sonantibus, mediantibus occursoribus, sensualibus, & memorialibus.

Cum ergo omnia sint pulchra, & quodam modo delectabilia, & pulchritudo, & delectatio non sint absque proportione, & proportio primo sit in numeris, necesse est omnia esse numerosa, ac per hoc numerus est præcipuum in animo conditoris exemplar, & in rebus præcipuum vestigium ducens in sapientiam. Quod cum sit omnibus euidentissimum, & Deo propinquissimum, propinquissime quasi per septem differentias ducit in Deū, & facit eum cognosci in cunctis corporalibus, & sensibilibus, dumq; numerosa apprehendimus, numerosis pro- D portionibus delectamur, & per numerosarum proportionum leges irrefragabiliter iudicamus.

Ex his duobus gradibus primis, quibus manuducimur ad speculandum Deum in vestigijs, quasi ad modum duarum alarum descendentium circa pedes, colligere possumus, quòd omnes creaturæ istius sensibilis mundi, animum contemplantis & sapientis ducunt in Deum æternum, pro eo quòd illius primi principij potentissimi, sapientissimi, optimi illius æternæ originis, lucis, & plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis, & ordinantis, sunt vmbræ, resonantiæ, & picturæ, sunt vestigia, simulachra, & spectacula nobis ad contuendum Deum proposita, & signa diuinitus data. Quæ, inquam, sunt sicut exemplaria vel potius exempla, pro posita mentibus adhuc rudibus & sensibilibus, vt per E sensibilia quæ vident, transferantur ad intelligibilia quæ non vident, tamquam per signa ad signata. Significant autem huiusmodi creaturæ huius mūdi sensibilis inuisibilia Dei, partim quia Deus est omnis creaturæ origo, exemplar, & finis, & omnis effectus est signum causæ & exemplatum exemplaris, & via finis ad quem ducit: partim ex propria repræsentatione, partim ex prophetica præfiguratione, partim ex angelica operatione, & partim ex superaddita institutione. Omnis enim creatura ex natura, est illius æternæ sapientiæ quædā effigies & similitudo: sed specialiter illa, quæ in libro scripturæ per spiritum prophetię assumpta est ad spiritualium præfigurationem. Specialius autem illæ creaturæ, in quarum effigie Deus angelico ministerio voluit apparere. Specialissime vero ea, quam voluit ad signandum instituere, quæ tenet nō solum rationem signi secundum nomen commune, verumetiam sacramenti. Ex quibus omnibus colligitur, quòd inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quę facta sunt intellecta conspiciuntur: ita q; qui nolunt ista aduertere, & Deum in his omnibus cognoscere, benedicere, & amare, inexcusabiles sint: dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei. Deo autem gratias per Iesum Christum Dominum nostrum, qui nos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, dum per hęc lumina exterius data, ad speculum mentis nostræ, in quo relucent diuina, disponimur ad reintrandum.

Rom. 1. c

CAPVT III.

De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentijs insignitam.

QVoniam autem duo gradus prædicti, ducendo nos in Deum per vestigia sua, per quæ in cunctis creaturis relucet, manu duxerunt nos vsque ad hoc, vt ad nos reintraremus, in mentem scilicet nostram, in qua diuina relucet imago: hinc est, quòd iam tertio loco ad nosmetipsos intrantes, & quasi atrium forinsecus relinquentes, in sanctis, scilicet anteriori parte tabernaculi, conari debemus per speculum videre Deum: vbi ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostrę mentis, in qua scilicet resplendet imago beatissimę Trinitatis.

Intra igitur ad te, & vide quoniam mens tua amat feruentissime semetipsam: nec se posset amare, nisi se nosceret: nec se nosceret, nisi sui meminisset, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit præsens apud nostram memoriam. Et ex hoc aduertis animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes & habitudines, & videre poteris Deum per te tamquam per imaginem, quod est videre per speculum, & in ænigmate.

1. Cor. 13. c

Memoriæ operatio.

Operatio autem memoriæ est retentio & repræsentatio, non solum præsentium, corporalium, & temporalium, verumetiam succedentium, simplicium, & sempiternalium. Retinet namque memoria præterita per recordationem, præsentia per susceptionem, futura per præuisionem. Retinet etiam simplicia, sicut principia quantitatum continuarum & discretarum, vt punctum instans, & vnitatem, sine quibus impossibile est meminisse, aut cogitare ea, quæ principiantur per hæc. Retinet nihilominus scientiarum principia & dignitates, vt sempiternalia & sempiternaliter, quia numquam potest sic obliuisci eorum, dummodo ratione vtatur, quin ea audita approbet, & eis assentiat, non tamquam de nouo percipiat, sed tamquā sibi innata & familiaria recognoscat. Sicut patet si proponatur alicui. De quolibet affirmatio vel negatio: vel, Omne totum est maius sua parte, vel quæcumq; alia dignitas, cui non est contradicere, admittitur ratione. Ex prima igitur retentione actuali omnium temporalium, præteritorum, scilicet, præsentiū & futurorum, habet effigiem æternitatis, cuius præsens indiuisibile ad omnia tempora se extendit. Ex secunda apparet, quòd ipsa non solum habet ab exteriori formari per phantasmata, verumetiam à superiori suscipiendo & in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum & sensibilium phantasias. Ex tertia habetur, quod ipsa habet lucem incommutabilem sibi præsentem: in qua meminit inuariabilium veritatum. Et sic per operationes memoriæ apparet, quòd ipsa anima est imago Dei & similitudo adeo sibi præsens & eum habens præsentem, quòd eum actu capit, & per potentiam capax eius est, & particeps esse potest.

Intellectus operatio.

Operatio autem virtutis intellectiuæ est in perceptione intellectus terminorum, propositionum, & illationum. Capit autem intellectus terminorum significata, cum comprehendit, quid est vnumquodque per diffinitionem. Sed diffinitio habet fieri per superiora, & illa

per superiora diffiniri habent, vsquequo veniatur ad superna & generalissima, quibus ignoratis non possunt intelligi diffinitiue inferiora. Nisi igitur cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri diffinitio alicuius specialis substantiæ. Nec ens per se cognosci potest, nisi cognoscatur cum suis conditionibus quæ sunt vnum, verum, bonum. Ens autem cum possit cogitari vt diminutum, & vt completum, vt imperfectum, & vt perfectum, vt ens in potentia, & vt ens in actu, vt ens secundum quid, & vt ens simpliciter, vt ens in parte, & vt ens totaliter, vt ens transiens, & vt ens manens, vt ens per illud, & vt ens per se, vt ens permixtum non enti, & vt ens purum, vt ens dependens, & vt ens absolutum, vt ens posterius, & vt ens prius, vt ens mutabile, & vt ens immutabile, vt ens simplex, & vt ens compositum: cum priuationes & defectus nullatenus possint cognosci nisi per positiones, non venit intellectus noster vt plene resoluens intellectum alicuius entium creatorum, nisi iuuetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi, completissimi, & absoluti: quod est simpliciter & æternum ens, in quo sunt rationes omnium in sua puritate. Quomodo autem sciret intellectus hoc esse ens defectiuum & incompletum, si nullã haberet cognitionem entis absq; omni defectu? Et sic de alijs conditionibus prælibatis. Intellectum autem propositionum, tunc intellectus noster dicitur veraciter comprehendere, cum certitudinaliter scit illas veras esse, & hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illa comprehensione. Scit enim, quòd veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem. Sed cum ipsa mens nostra sit commutabilis, illam sic incommutabiliter relucentem non potest videre, nisi per aliquam aliam lucem omnino incommutabiliter radiantem, quàm impossibile est esse creaturam mutabilem. Scit igitur in illa luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ est lux vera, & verbum in principio apud Deum. Intellectum autem illationis tunc veraciter percipit noster intellectus, quando videt quòd conclusio necessario sequitur ex præmissis, quod non solum videt in terminis necessarijs, verum etiam in contingentibus, vt si homo currit, homo mouetur. Hanc autem necessariam habitudinem percipit non solum in rebus entibus: verumetiam in non entibus. Sicut enim in homine existente sequitur: Si homo currit, homo mouetur; sic etiam non existente. Huiusmodi igitur illationis necessitas non venit ab existentia rei in materia, quia est contingens, nec ab existentia rei in anima, quia tunc esset fictio, si non esset in re. Venit igitur ab exemplaritate in arte æterna, secundum quam res habent aptitudinem & habitudinem adinuicem, ad illius æternæ artis repræsentationem. Omnis igitur, vt dicit Augustinus in libro de vera religione, vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate, & ad ipsam peruenire. Ex quo manifeste apparet, quòd coniunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati: dum nisi per illam docentem nihil verum potest certitudinaliter capere. Videre igitur per te potes veritatem, quæ te docet, si te concupiscentiæ & phantasmata non impediant: & se tamquam nubes inter te & veritatis radium non interponant.

Ens multis modis consideratum.

Ioan. 1.

Aug. lib. de vera relig. c. 39. tom. 1.

Electiuæ virtutis operatio.

Operatio autem virtutis electiuæ attenditur in consilio, iudicio, & desiderio. Consilium autem est, in inquirendo quid sit melius, hoc an illud. Sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum. Accessus autem est secundum maiorem assimilationem. Nullus igitur scit, vtrum hoc sit illo melius, nisi sciat illud optimo magis assimilari. Nullus autem scit, aliquid alij magis assimilari, nisi illud cognoscat. Non enim scio hunc similem esse Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum. Omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi boni. Iudicium autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter iudicat per legem, nisi certus sit, quòd illa lex recta sit, & quòd ipsam iudicare non debet. Sed mens nostra iudicat de seipsa. Cum igitur non possit iudicare de lege per quam iudicat, lex illa superior est mente nostra, & per hanc iudicat, secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille qui fecit eam. Igitur in iudicando, deliberatiua nostra pertingit ad diuinas leges, si plena resolutione dissoluat. Desiderium autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum mouet. Maxime autem mouet, quod maxime amatur. Maxime autem amatur esse beatum. Beatum autem esse non habetur, nisi per optimum & finem vltimum. Nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum: vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius. Tanta est vis summi boni, vt nihil nisi per illius desiderium à creatura possit amari. Quæ tunc fallitur & errat, cum effigiem & simulachrum pro veritate acceptat.

Summi boni vis.

Vide ergo quomodo anima Deo est propinqua, & quomodo memoria in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiua potentia ducit in bonitatem summam secundum operationes suas. Secundum autem harum potentiarum ordinem, originem, & habitudinem, ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. Nam ex memoria oritur intelligentia, vt ipsius proles: quia tunc intelligimus cum similitudo quæ est in memoria resultat in acie intellectus, quæ nihil aliud est quàm verbum. Ex memoria & intelligentia spiratur amor, tamquam nexus amborum. Hæc tria, scilicet mens generans, verbum, & amor, sunt in anima quo ad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt consubstantiales coæquales & coæuæ, se inuicem circumincedentes. Si igitur Deus perfectus est spiritus, habet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, habet & verbum genitum, & amorem spiratum, qui necessario distinguuntur, cum vnus ab altero producatur, non essentialiter, non accidentaliter: ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat per se tamquam per speculum, consurgit ad speculandam Trinitatem beatam, Patris, Verbi, & Amoris, trium personarum coæternarum, coæqualium, & consubstantialium, ita quòd quilibet trium in quolibet est aliorum, vnus tamen non est alius: sed ipsi tres sunt vnus Deus.

Ad hanc speculationem quam habet anima de suo principio trino & vno, per trinitatem suarum potentiarũ, per quas est imago Dei, iuuatur per lumina scientiarum, quæ ipsam perficiunt & informant, & Trinitatem beatissimam tripliciter repræsentant. Nam omnis philosophia, aut est naturalis, aut rationalis, aut moralis. Prima agit de causa essendi, & ideo ducit in potentiam Patris: secunda de ratione intelligendi, & ideo ducit in sapientiam Verbi: tertia de ordine viuendi, & ideo ducit in bonitatem Spiritus sancti. Rursus prima diuiditur in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam. Et prima est de rerum essentijs, secunda de numeris & figuris, tertia de naturis, virtutibus, & operationibus diffusiuis. Et ideo prima in primum principium Patrem, secunda in eius imaginem Filium, tertia ducit in Spiritus sancti donum. Secunda diuiditur in Grammaticam, quæ facit potentes ad exprimendum: Logicam, quæ facit perspicaces ad arguendum: Rhetoricam, quæ facit habiles ad persuadendum siue monendum. Et hæc similiter insinuat mysterium beatissimæ Trinitatis. Tertia diuiditur in monasticam œconomicam, & politicam. Et prima insinuat primi principij innascibilitatem, secunda Filij familiaritatem, tertia Spiritus sancti liberalitatem. Omnes autem istæ scientiæ habent regulas certas & infallibiles, tamquam lumina, & radios descendentes à lege æterna in mentem nostram. Et ideo mens nostra tantis splendoribus irradiata & superfusa, nisi sit cæca, manu duci potest per seipsam, ad contemplandam illam lucem æternam. Huius autem lucis irradiatio & consideratio sapientes suspendit in admirationem, & è contra insipientes, qui non credunt vt intelligant, ducit in perturbationem, vt impleatur illud propheticum:

Philosophia triplex.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

Psal. 75.

CAPVT IV.

De speculatione Dei in sua imagine, donis gratuitis reformata.

SEd quoniam non solum per nos transeundo, verumetiam in nobis contingit contemplari primum principium, & hoc maius est quàm præcedens: ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit, quòd Deus ita propinquus sit mentibus nostris, quòd tam paucorum est, in seipsis primum principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per intelligentiam, concupiscentijs illecta, nequaquam reuertitur ad seipsam per desiderium suauitatis internæ & lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus iacens, non potest ad se tamquam ad Dei imaginem reintrare.

Et quoniam vbi quis ceciderit, necesse habet ibidem recumbere, nisi apponat quis & adijciat vt resurgat, non potuit anima nostra perfecte ab his sensibilibus releuari ad contuitum sui, & æternæ veritatis in seipsa, nisi veritas, assumpta forma humana in Christo, fieret sibi scala reparans priorem scalam, quæ facta fuerat in Adam. Vnde quantumcumq; sit illuminatus quis lumine naturæ, & scientiæ acquisitæ, non potest intrare in se, vt in seipso delectetur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus, & amemus. Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem veritatis, tamquam ad paradisum, quòd ingrediamur per fidem, spem, & charitatem mediatoris Dei & hominum Iesu Christi, qui est tamquam lignum vitæ in medio paradisi.

Ioan. 10. b — *Gen. 2. b* — Tribus virtutib. theologicis superuestienda mens nostra.

Superuestienda est igitur imago mentis nostræ tribus virtutibus theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur, & perficitur, & sic imago reformatur, reficitur, & conformis supernæ Hierusalem efficitur, & pars Ecclesię militantis, quę est proles, secundum Apostolum, Ierusalem cælestis. Ait enim: Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Anima igitur credes, sperans, & amans Iesum Christum, qui est verbum Patris incarnatum, increatum, & inspiratum, scilicet via, veritas, & vita: dum per fidem credit in Christum, tamquam in verbum increatum, quod est verbum & splendor Patris, recuperat spiritualem auditum & visum, auditum ad suscipiendum Christi sermones, visum ad considerandum ipsius lucis splendores. Dum autem spe suspirat ad suscipiendum verbum inspiratum, per desiderium & affectum recuperat spiritualem olfactum. Dum charitate complectitur verbum incarnatum, vt suscipiens ab ipso delectationem, & vt transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat gustum & tactum. Quibus sensibus recuperatis, dum sponsum suum videt & audit, odoratur, gustat, & amplexatur, decantare potest, tamquam sponsa, Canticum Canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis secundum hunc quartum gradum, quem nemo capit, nisi qui accipit, quia magis est in experientia affectuali, quàm in consideratione rationali. In hoc namq; gradu recuperatis sensibus interioribus, ad videndum summe pulchrũ, ad audiendum summe harmoniacũ, ad odorandum summe odoriferum, ad degustandum summe suaue, ad apprehendendum summe delectabile, disponitur anima ad mentales excessus, scilicet per deuotionem, admirationem, & exultationem, secundum illas tres exclamationes, quæ fiunt in Canticis Canticorum. Quarum prima fit per superabundantiam deuotionis, per quam fit anima sicuti virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Secunda per excellentiam admirationis, per quam fit anima sicut aurora, luna, & sol, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum sponsum consideratum. Tertia per superabundantiam exultationis, per quam fit anima suauissimæ delectationis delicijs affluens, innixa totaliter super dilectum suum. Quibus adeptis, efficitur spiritus noster hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Hierusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Ioannes in Apocalypsi sua. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes Theologicas, & per oblectationes spiritualium sensuum, & suspensiones excessuum, efficitur spiritus noster hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus, & perfectus. Sic etiam gradibus nouem ordinum insignitur, dum ordinate in eo interius disponitur nunciatio, dictatio, ductio, ordinatio, roboratio, imperatio, susceptio, reuelatio, & vnitio, quæ gradatim correspondent nouem ordinibus angelorum, ita quòd trium primo dictorum gradus, respiciunt in mente humana naturam, tres sequentes industriam, & tres postremi gratiam. Quibus habitis anima intrando in seipsam, intrat in supernam Hierusalem, vbi ordines Angelorum considerans, videt in eis Deum, qui habitans in eis, omnes eorum operatur operationes. Vnde dicit Bernardus ad Eugenium, quòd Deus in Seraphin amat vt charitas, in Cherubin nouit vt veritas, in Thronis sedet vt æquitas, in Dominationibus dominatur vt maiestas, in Principatibus regit vt principium, in Potestatibus tuetur vt salus, in Virtutibus operatur vt virtus, in Archangelis reuelat vt lux, in Angelis assistit vt pietas. Ex quibus omnibus videtur Deus omnia in omnibus per contemplationem ipsius, in mentibus, in quibus habitat per dona affluentissimæ charitatis.

Gal. 4. d — *Cant. 3. c* — *Cant. 8 b.* — *Apoc. 21. g* — *Bern. de consider lib. 5. c. 5. in fi.* — *1. Cor. 15. d*

Ad huius autem speculationis gradum, specialiter & præcipue adminiculatur cõsideratio sacræ Scripturæ diuinitus immissæ, sicut philosophia ad præcedentem. Sacra enim Scriptura principaliter est de operibus reparationis. Vnde & ipsa præcipue agit de fide, spe, & charitate: per quas virtutes habet anima reformari, & specialissime de charitate. De qua dicit Apostolus quòd est finis præcepti, secundum quòd est de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Ipsa est plenitudo legis, vt dicit idem. Et Saluator noster asserit, totã legem, Prophetasq; pendere in duobus præceptis eiusdẽ, scilicet in dilectione Dei & proximi: quæ duo innuuntur, in vno spõso Ecclesiæ Iesu Christo, qui simul est proximus & Deus, simul frater & Dominus, simul etiam rex & amicus, simul verbum increatum & incarnatum, formator noster & reformator, α, & ω. Qui etiam summus hierarcha est, purgans, illuminans, & perficiens sponsam, scilicet totam Ecclesiam, & quamlibet animam sanctam. De hoc igitur hierarcha & ecclesiastica hierarchia, est tota sacra Scriptura: per quam docemur purgari, illuminari, & perfici, & hoc secundum triplicem legem in ea traditam, scilicet naturæ, scripturæ, & gratiæ. Vel potius secundum triplicem partem eius principalem, scilicet legem Mosaicam purgantem, reuelationem propheticam illustrantem, & eruditionem Euangelicam perficientem. Vel potissimũ secundum triplicem eius intelligentiam spiritualem, scilicet tropologicam, quæ purgat ad honestatem vitæ: allegoricam, quæ illuminat ad claritatem intelligentiæ: & anagogicam, quę perficit per excessus mentales, & sapientiæ perceptiones suauissimas: secundum tres virtutes prædictas Theologicas, & sensus spirituales reformatos, & excessus tres supradictos, & actus mentis hierarchicos, quibus ad interiora regreditur mens nostra, vt ibidẽ speculetur Deũ in splendoribus sanctorũ: & in eisdem tamquã in cubilibus dormiat in pace & requiescat, spõso adiurante quòd nõ excitetur donec de eius volũtate procedat.

Sacræ Scripturæ consideratio. — *1. Tim. 1. b* — *Rom. 13. c* — *Matt. 22. d* — *Cant. 2. b*

Ex his autem duobus gradibus medijs, per quos ingredimur ad contemplandum Deum intra nos, tamquã in speculis imaginum creatarum, & hoc quasi ad modum alarum expansarum ad volandum, quæ tenebant medium locum: intelligere possumus, quòd in diuina

manu

manu ducimur per ipsius animæ rationalis potentias, naturaliter insitas, quantum ad earum operationes, habitudines, & habitus scientiales: secundum quod apparet ex tertio gradu. Manu ducimur etiam per ipsius animæ potentias reformatas, & hoc gratuitis virtutibus, sensibus spiritualibus, & mentalibus excessibus: sicut patet ex quarto. Manu ducimur nihilominus per hierarchicas operationes, scilicet purgationis, illuminationis, & perfectionis, mentium humanarum: per hierarchicas reuelationes sacrarum scripturarum nobis per Angelos datarum: secundum illud Apostoli, quòd lex data est per Angelos in manu mediatoris. Et tãdem manu ducimur per hierarchias, & hierarchicos ordines, qui in mente nostra disponi habent instar supernę Hierusalẽ. Quibus omnibus luminibus intellectualibus mẽs nostra repleta à diuina sapientia, tamquam domus Dei inhabitatur, effecta Dei filia, spõsa, & amica: effecta Christi capitis membrũ, soror, & coheres: effecta nihilominus Spiritus sancti templum, fundatum per fidem, eleuatum per spem, & Deo dicatum per mentis & corporis sanctitatem. Quod totum facit sincerissima charitas Christi, quæ diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sine quo spiritu scire non possumus secreta Dei. Sicut enim quæ sunt hominis, nemo scire potest, nisi spiritus hominis qui est in illo: ita & quæ sunt Dei, nemo scit nisi spiritus Dei. In charitate igitur radicemur & fundemur, vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo æternitatis, quæ latitudo liberalitatis, quæ sublimitas maiestatis, & quod profundum sapientiæ iudicantis.

Gal. 3. c; Rom. 5. a; 1. Cor. 2. c

CAPVT V.

De speculatione diuinæ vnitatis, per eius nomen primarium, quod est esse.

QVoniam autem contingit contemplari Deum, non solum extra nos, & intra nos, verumetiam supra nos: extra nos per vestigium, intra nos per imaginem, & supra nos per lumen, quod est signatum supra mentem nostram, quod est lumen veritatis æternæ, cum ipsa mens nostra immediate ab ipsa veritate formetur: qui exercitati sunt in primo modo, intrauerunt iam in atrium ante tabernaculum: qui vero in secundo, intrauerunt in sancta: qui autem in tertio, intrant cum summo Pontifice in sancta Sanctorum: vbi supra arcam sunt Cherubim gloriæ, obumbrãtia propitiatorium, per quæ intelligimus duos modos, seu gradus contemplandi Dei inuisibilia & æterna, quorum vnus versatur, circa Dei essentialia, alius vero circa propria personarum. Primus modus primo & principaliter defigit aspectum in ipsum esse, dicens quòd qui est, est primum nomen Dei. Secundus modus defigit aspectum in ipsum bonum, dicens, hoc esse primum nomen Dei. Primum spectat potissime ad vetus testamentum, quod maxime prædicat diuinæ essentiæ vnitatem. Vnde dictum est Moysi: Ego sum, qui sum. Secundum ad nouum quod determinat personarum pluralitatem, baptizando in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ideo magister noster Christus volens adolescentem, qui seruauerat legem, ad Euangelicam leuare perfectionem; nomen bonitatis Deo principaliter & præcise attribuit. Nemo, inquit, bonus, nisi solus Deus. Damascenus igitur sequens Moysen dicit, quòd qui est, est primum nomen Dei. Dionysius sequens Christum dicit, quòd bonum, est primum nomen Dei.

Exod. 27. b; Exod. 25. b; Exod. 3. d; Mar. 10. c; Damasc. lib. 1. de fi. orthod. cap. 12. Dionys. de diu. nom. cap. 4.

Volens igitur contemplari Dei inuisibilia, quo ad essentiæ vnitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse: & videat ipsum esse adeo in se certissimum, quòd non potest cogitari non esse, quia ipsum est purissimum, non occurrit nisi in plena fuga non esse: sicut & nihil in plena fuga esse. Sicut igitur omnino nihil, nihil habet de esse, nec de eius conditionibus: sic è contra, ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum æstimationem nostram. Cum autem non esse priuatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per esse: esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur vt nõ ens, aut vt ens in potentia, aut vt ens in actu. Si igitur non ens nõ potest intelligi nisi per ens, & ens in potentia non nisi per ens in actu, & esse nominat ipsum purum actum entis: esse igitur est quod primo cadit in intellectu, & illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia, nec esse analogum, quia minime habet de actu, eo quòd minime est. Restat igitur quòd illud esse, est esse diuinum. Mira igitur est cæcitas intellectus, qui non considerat illud quod prius videt, & sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicuti oculus intentus in varias colorum differentias, lucem per quam videt cetera, non videt, & si videt, non tamen aduertit: sic oculus mentis nostræ intentus in ista entia particularia, & vniuersalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti, & per ipsum alia, tamen non aduertit. Vnde verissime apparet, quòd sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem: ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ. Quia assuefactus ad tenebras entium & phantasmata sensibilium, cũ ipsam lucem summi esse intuetur, videtur sibi nihil videre: nõ intelligens, q ipsa caligo summa est mẽtis nostrę illuminatio; sicut quãdo videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre.

Arist. lib. 2. Metap. c. 1.

Vide igitur ipsum purissimum esse si potes, & occurret tibi, quòd ipsum non potest cogitari, vt ab alio acceptum: ac per hoc necessario cogitatur, vt omnimode primum: quod nec de nihilo, nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se, à se: Occurret etiam tibi, vt carens omnino non esse, ac per hoc vt numquam incipiens, numquam desinens, sed æternum. Occurret etiam tibi, vt nullo modo in se habens nisi quod est ipsum esse, ac per hoc vt cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam, vt nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse: ac per hoc vt summe actualissimum. Occurret vt nihil habens defectibilitatis, ac per hoc vt perfectissimum. Occurret postremo, vt nihil habens diuersificationis: ac per hoc vt summe vnum.

Esse igitur quod est esse purum, & esse simpliciter, & esse absolutum, est esse primarium, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, & summe vnum. Et sunt hæc ita certa, quòd non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum, & vnũ horum necessario infert aliud. Nam quia simpliciter est esse, ideo simpliciter primum: quia simpliciter primum, ideo non est ab alio factum, nec à seipso potuit, ergo æternum. Item quia primum & æternũ, ideo non ex alijs, ergo simplicissimum. Item quia primum, æternum, & simplicissimum, ideo nihil est in eo possibilitatis cum actu permixtum, & ideo actualissimum. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimum: ideo perfectissimum. Tali omnino nihil deficit, nec aliqua potest fieri additio. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimũ, perfectissimum: ideo summe vnum. Quod enim per omnimodam superabundantiam dicitur, dicitur respectu omnium. Quod etiam simpliciter per superabundãtiam dicitur, impossibile est vt conueniat nisi vni soli. Vnde si Deus nominat esse primarium, æternum, simplicissimũ, actualissimum, perfectissimũ, impossibile est ipsum cogitari non esse, nec esse nisi vnum solum. Audi igitur Israel, Deus tuus, Deus vnus est. Si hæc vides in pura mentis simplicitate, aliqualiter perfunderis æternæ lucis illustratione. Sed habes vnde subleueris in admirationem. Nam ipsum esse est primum & nouissimum, est æternũ, & præsentissimum, est simplicissimum, & maximum, est actualissimum, & immutabilissimũ, est perfectissimum, & immensum, est summe vnum, & tamen omnimodũ. Si hæc pura mẽte miraris, maiore luce perfunderis, dum vlterius vides, quia ideo est nouissimum, quia primum. Quia enim est primũ, omnia operatur propter seipsum:

Esse quomodo intelligi debeat.; Deut. 6. a

&ideo

& ideo necesse est quod sit finis vltimus, initium, & consummatio, α, & ω. Ideo est præsentissimum. quia æternũ. Quia enim æternum non initur ab alio, nec deficit à seipso, nec decurrit ab vno in aliud, ergo nec habet præteritum, nec futurum, sed esse præsens tantum. Ideo maximum, quia simplicissimum. Quia enim simplicissimũ in essentia, ideo maximum in virtute, qua virtus quanto plus est vnita, tanto plus est infinita. Ideo immutabilissimum, quia actualissimũ. Quia enim actualissimum est, ideo est actus purus. Et quod tale est, nihil noui acquirit nihil habitum perdit, ac per hoc non potest mutari. Ideo immensum, quia perfectissimum. Quia enim perfectissimum, ideo nihil potest cogitari vltra ipsum melius, nobilius, nec dignus, ac per hoc nihil maius, & omne tale est immensum. Ideo omnimodum, quia summe vnum. Quia enim summe vnum, ideo est omnis multitudinis vniuersale principium. Ac per hoc ipsum est vniuersalis omnium causa efficiens, exemplans, & terminans sicut causa essendi, ratio intelligendi, & ordo viuendi. Est igitur omnimodum non sicut omnium essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima, & vniuersalissima, & sufficientissima causa. Cuius virtus, quia summe vnita in essentia, ideo summe infinitissima, & multiplicissima in efficacia.

Deus præsens est omnibus.

Deus immutabilis.

Deus causa omnium.

Rursus reuertentes dicamus, quia igitur esse purissimum, & absolutum, quod est simpliciter esse, est primarium, & nouissimum, ideo est omnium origo, & finis consummans. Quia æternum, & præsentissimum, ideo omnes durationes ambit, & intrat, quasi simul existens earum centrum, & circumferentia. Quia simplicissimum & maximum, ideo totum intra omnia, & totum extra omnia. ac per hoc est sphæra intelligibilis, cuius centrum est vbique, & circumferentia nusquam. Quia actualissimum, & immutabilissimum, ideo stabile manens. moueri dat vniuersa. Quia perfectissimum, & immensum, ideo est intra omnia, non inclusum, extra omnia, non exclusum, supra omnia, non elatum, infra omnia, non prostratum. Quia vero est summe vnum, & omnimodum, ideo est omnia in omnibus: quamuis omnia sint multa, & ipsum non sit nisi vnum, & hoc quia per simplicissimã vnitatem, serenissimam veritatem, & sincerissimam bonitatem, est in eo omnis virtuositas, omnis exemplaritas, & omnis communicabilitas. ac per hoc ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et hoc quia omnipotens omniſciens, & omnimode bonum, quod perfecte videre est esse beatum, sicut dictum est Moysi: Ego ostendam tibi omne bonum.

Deus est sphæra, cuius cẽtrum est vbique, & circumferẽtia nusquam.

Rom. 11. d

Exod. 33. d

CAPVT VI.

De speculatione beatissimæ Trinitatis in eius nomine quod est bonum.

POst considerationem essentialium, eleuandus est oculus intelligentiæ ad contuitionem beatissimæ Trinitatis, vt alter Cherub iuxta alterum statuatur. Sicut autem visionis essentialium ipsum esse est principium radicale, & nomen per quod cetera innotescunt: sic contemplationis emanationum, ipsum bonum est principalissimum fundamentum. Vide igitur, & attẽde, quoniam optimum quod simpliciter est, quo nihil melius cogitari potest: & hoc tale, sic est, quod non potest cogitari non esse, quia omnino melius est esse quam non esse, sic est quod non potest recte cogitari, quin cogitetur trinum, & vnum. Nam bonum dicitur diffusiuum sui. Summum igitur bonum summe diffusiuum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis, & intrinseca, substantialis, & hypostatica, naturalis, & voluntaria, liberalis, & necessaria, indeficiens, & perfecta. Nisi igitur in summo bono æternaliter esset productio actualis, & cõsubstãtialis, & hypostaticalis æque nobilis, sicut est producens per modum generationis, & spirationis, ita quod sit æternalis principij æternaliter conprincipiantis. ita quod esset dilectus, & condilectus genitus, scilicet, & spiratus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura, non est nisi centralis vel punctalis respectu immensitatis bonitatis æternæ. Vnde, & non potest aliqua diffusio cogitari maior illa, ea videlicet in qua diffundens communicat alteri totam substantiam, & naturam. Non igitur summum bonum esset, si re vel intellectu illa carere posset. Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quæ est actus purus principij charitatiue diligentis amore gratuito, & debito, & ex vtroque permixto, qui est diffusio plenissima per modum naturæ & voluntatis. quę est diffusio per modum verbi, in quo omnia dicuntur, & per modum doni, in quo cetera dona donantur, potes videre per summam boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In quibus necesse est propter summam bonitatem, esse summam communicabilitatem, & ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, & ex summa consubstantialitate summam configuralitatem, & ex his summam coæqualitatem, ac per hoc summam coæternitatem, atque ex omnibus prædictis summam cointimitatem, qua vnus est in altero necessario per summam circumincessionem, & vnus operatur cum alio, per omnimodam indiuisionem substantiæ, & virtutis, & operationis, ipsius beatissimæ Trinitatis.

Summũ bonũ cogitari non potest sine emanatione personarum.

Sed cum hæc contemplaris vide ne te existimes comprehendere incomprehensibilem. habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare, quod vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostræ. Nam ibi est summa communicabilitas cum personarum proprietate, summa consubstantialitas cum hypostasum pluralitate, summa configuralitas cum discreta personalitate, summa coæqualitas cum ordine summa coæternitas cum emanatione, summa cointimitas cũ emissione. Quis ad tantorum mirabilium aspectum, non consurgat in admirationem? Sed hæc omnia certissime intelligimus esse in beatissima Trinitate, si leuamus oculos ad superexcellentissimam bonitatem. Si enim ibi est summa communicatio, & vera diffusio, vera est ibi origo & vera distinctio. Et quia totum communicatur non pars. idem ipsum datur quod habetur, & totum. Igitur emanans, & producens & distinguuntur proprietatibus, & sunt essentialiter vnum. Quia igitur distinguuntur proprietatibus, ideo habent personarum proprietates, & hypostasum pluralitatem, & originis emanationem, & ordinem non posterioritatis, sed originis, & emissionem non localis mutationis, sed gratuitæ inspirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. Quia vero sunt vnum substantialiter, ideo oportet. quod sit vnitas in essentia, & forma, & dignitate. & æternitate, & existentia, & incircumscriptibilitate. Dum ergo hæc per se sigillatim consideras, habes vnde veritatem contempleris. Dum hæc adinuicem confers habes vnde in admirationem altissimam suspendaris. Et ideo vt mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, hæc simul sunt consideranda. Nam & Cherubim hoc designant, quæ se mutuo aspiciebant. Nec hoc vacat à mysterio, quod respiciebant se versis vultibus in propitiatorium, vt verificetur illud quod dicit Dominus in Ioanne: Hæc est vita æterna. vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Nam admirari debemus non solum conditiones Dei essentiales, & personales in se, verumetiam per comparationem ad supermirabilem vnionem Dei, & hominis in vnitate personæ Christi.

Exo. 25. b

Ioan. 17. a

Si enim Cherub es, essentialia Dei contemplando, & miraris quia simul est diuinum esse primum, & nouissimum, æternum, & præsentissimum, simplicissimum, & maximum seu incircumscriptum totum vbique, & nusquam comprehensum, actualissimum, & numquam motum, perfectissimum, & nihil habens superfluum, nec diminutum, & tamen immensum, & sine termino infinitum,

infinitum, summe vnum, & tamen omnimodum, vt omnia in se habens, vt omnis virtus, vt omnis veritas, vt omne bonum: respice ad propitiatorium, & mirare, quod in ipso principium primum iunctum est cum postremo, Deus cum homine sexto die formato, æternum iunctum est cum homine temporali, in plenitudine temporum de Virgine nato, simplicissimum cum summo composito. actualissimum cum summe passo, & mortuo, perfectissimum, & immensum cum modico, summe vnum, & omnimodum cum indiuiduo composito, & à ceteris distincto, homine, scilicet IESV CHRISTO.

Multa mirabilia in vnione duarum naturarum in Christo.

Si autem alter Cherub es, personarum propria contemplando, & miraris communicabilitatem esse cum proprietate, & consubstantialitatem cum pluralitate, configurabilitatem cum personalitate, coæqualitatem cum ordine æternitatem cum productione, cointimitatem cum emissione, quia Filius missus est à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: qui tamen semper est cum eis, & nunquam recedit ab eis: respice in propitiatorium, & mirare, quia in Christo stat personalis vnio cum Trinitate substantiarum, & naturarum dualitate: stat omnimoda consensio cum pluralitate voluntatum, stat Dei, & hominis compraedicatio cum pluralitate proprietatum, stat coadoratio cum pluritate nobilitatum, stat coexaltatio super omnia cum pluralitate dignitatum, stat condominatio cum pluralitate potestatum. In hac autem consideratione est perfectio illuminationis mentis, dum quasi in sexta die videt hominem factum ad imaginem Dei. Si enim imago est similitudo expressiua. dum mens nostra contemplatur in Christo filio Dei (qui est imago Dei inuisibilis per naturam) humanitatem nostram tam mirabiliter exaltatum, tam ineffabiliter vnitam: videndo simul in vnum primum, & vltimum, summum, & imum, circumferentiam, & centrum, α, & ω, causatum, & causam, Creatorem, & creaturam, librum scilicet scriptũ intus, & extra: iam peruenit ad quãdam rem perfectam, cum Deo ad perfectionem suarum illuminationum, in sexto gradu quasi in sexta die perueniat: nec aliquidiam amplius restet nisi dies requiei, in qua per mentis excessum requiescat humanæ mentis perspicacitas, ab omni opere quod patrarat.

CAPVT VII.

De excessu mentali, & mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

3. Reg. 10. c

HIS igitur sex considerationibus excursis, tamquam sex gradibus throni veri Salomonis, quibus peruenitur ad pacem: vbi verus pacificus in mente pacifica tãquam in interiori Hierosolyma requiescit: tamquam etiam sex alis Cherub, quibus mens veri contemplatiui, plena illustratione supernæ sapientiæ valeat sursum agi tamquam etiam sex diebus primis in quibus mens exercitari habet, vt tandem perueniat ad sabbatismum quietis. Postquam mens nostra contuita est, Deum extra se per vestigia, & in vestigiis: intra se per imaginem, & in imagine: supra se per diuinæ lucis similitudinem super nos relucentem, & in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum vię, & exercitium mentis nostrę: cum tandem in sexto gradu ad hoc peruenerit, vt speculetur in principio primo, & summo, & mediatore Dei, & hominum IESV Christo ea, quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, & quæ omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt: restat vt hæc speculãdo transcendat, & transeat, non solum mundum istum sensibilem, verumetiam semetipsam: in quo transitu Christus est via, & ostium. Christus est scala, & vehiculũ, tamquam propitiatorium super arcam Dei collocatum: & sacramentum à sæculis absconditum. Ad quod propitiatorium qui aspicit, plena conuersione vultus aspiciẽdo ad eum in cruce suspensum, per fidem, spem, & charitatem, deuotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem, & iubilationem: pascha, hoc est transitum cum eo facit: vt per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Ægypto intrans desertum: vbi gustet manna absconditum, & cum Christo requiescat in tumulo, quasi exterius mortuus, sentiens tamen quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo: Hodie mecum eris in paradiso. Quod etiam ostensum est beato Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso (vbi hæc, quæ scripta sunt mente tractaui) apparuit Seraph, sex alarum in cruce confixus: vt ibidem à socio eius (qui tunc cum eo fuit) ego, & plures alij audiuimus, vbi in Deum transiit per contemplationis excessum: & positus est in exẽplum perfectæ contemplationis, sicut prius fuerat actionis, tamquam alter Iacob mutatus in Israel, vt omnes viros vere spirituales Deus per eum inuitaret ad huiusmodi transitum, & mentis excessum, magis exemplo quam verbo. In hoc autem trãsitu si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes & apex affectus totus transferatur, & transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum, & secretissimum, quod nemo nouit nisi qui accipit: nec accipit nisi qui desiderat: nec desiderat nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus, hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum sanctum reuelatum. Quoniam igitur ad hoc nil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, & multum vnctioni: parum dandum est linguæ, & plurimum internæ lætitiæ: parum dandum est verbo, & scripto, & totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto: parum aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici essentiæ, Patri, & Filio & Spiritui sancto, dicendo cum Dionysio ad Deum Trinitatem: Trinitas superessẽtialis, & superdeus, & superoptime Christianorum inspector theosophiæ, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum, & superlucentem, & supersublimissimum verticem: vbi noua, & absoluta, & inconuertibilia, & incommutabilia, Theologiæ mysteria, secundum superlucentem absconditam occulte docentis silentij caliginem, in obscurissimo, quod est supermanifestissimũ, supersplendentem, & in qua omne relucet, & inuisibilium superbeatorum splẽdoribus, superimplentem inuisibiles intellectus. Hoc ad Deum. Ad amicum autem cui hæc scribuntur, dicatur cum eodem: Tu autem ô amice circa mysticas visiones corroborato itinere, & sensus desere, & intellectuales operationes & sensibilia, & inuisibilia: & omne non ens, & ens, & ad vnitatem (vt possibile est) inscius restituere ipsius, qui est super omnẽ essentiam, & scientiam. Etenim te ipso, & omnibus immensurabili, & absoluto puræ mentis excessu, ad superessentialem diuinarum tenebrarum radium, omnia deserens, & ab omnib. absolutus ascendens. Si autem quæris quomodo hæc fiant? interroga gratiam, non doctrinam: desiderium, non intellectum: gemitum orationis, non studium lectionis: sponsum, non magistrum; Deum, non hominem: caliginem, non claritatem: non lucem, sed ignem totaliter inflammantem, & in Deum excessiuis vnctionibus, & ardentissimis affectionibus transferentẽ. Qui quidem ignis Deus est, & huius caminus est in Hierusalem, & Christus homo hunc accendit in feruore suæ ardentissimæ passionis, quem solus ille vere percipit, qui dicit: Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Quam mortem qui diligit, videre potest Deum, quia indubitanter verum est: Non videbit me homo, & viuet. Moriamur ergo, & ingrediamur in caliginem, imponamus silentium sollicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus, transeamus cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, vt ostenso nobis Patre dicamus cum Philippo: Sufficit nobis. Audiamus cum Paulo: Sufficit tibi gratia mea. Exultemus cum Dauid, dicentes: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Benedictus Dominus in æternum, & dicat omnis populus: Fiat, fiat.

Exo. 25. b
Ephes. 3. b
Exo. 14. e
Apoc. 2. d
Luc. 23. f
Beato Francisco in excessu contemplationis apparuit Seraph.
Gen. 35. b
1. Cor. 2. b
Dionys. de myst. Theol. 1 in prin.
Iob 7. c
Exo. 33. d
Ioan. 14. a
2. Cor. 12. c
Psal. 72. g

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur:

DE SEPTEM ITINERIBVS Æternitatis.

In prologo summatim explicat Auctor, quis sit eius scopus, & argumentum circa quod versatur iste tractatus, doctrina, & eruditione plenus: qui deuotas mentes dirigit per itinera septem ad ingrediendum intrinsecum secretum & æternum, quod est animæ patria. Hoc autem opusculum suo pristino splendori restitutum est ex Codice manuscripto, cuius liberalissime copiam fecit Reuerendissimus D.F. Augustinus Fiuizianus ordinis Eremitarum S. Augustini S.D.N. CLEMENTIS VIII. Sacrista, & Archihospitalis S. Spiritus in Saxia, eiusq; ordinis Generalis Commendatarius. Nam multa quæ decrant, quæq; deprauata legebantur, huius M.S. Codicis beneficio expleta sunt, & restituta, ita vt opusculum hoc auctius nūc & integrius, quā antea in lucem prodeat.

PROLOGVS.

EVM, qui venit ad me, non eijciam foras, inquit Saluator. S. Augustinus de cognitione veræ vitæ dicit in principio: Cum Christus veritas, & vita dicat: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum solum; constat profectò, naturam rationalem ad hoc solum esse factam, vt factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo qui est æterna vita æternaliter permaneat, & beate viuat. Ex quo concludit dicens: Diuinitatis ergo essentiam rationabiliter inuestigare, vt est possibile, est ad vitam æternam festinare. Hanc ergo negligēdo ignorare, est vtiq; ad mortem indeficientem damnabiliter properare. In his verbis ostendit B. Augustinus, generaliter æternitatis esse duo maneria. Vnum quod est vita æterna. Alterum quod est mors amarissima. Innuit etiam Augustinus hic in his verbis, istorum æternorum maneriorum duo itinera: quia ad primum peruenitur per rationabilem inuestigationem cum amore; ad secundum per damnabilem omissionem cum dolore. Dominus autem Iesus Christus, qui est via, in qua imus, veritas ad quam peruenimus, & vita in qua permanebimus, in verbis propositis ostendit specialiter & principaliter vtrumq; manerium, & eorum itinera. Vnum intrinsecum, & quasi secretum, & æternum in se: quia ipse est animæ patriæ & habitatio, vt dicitur in libro de spiritu, & anima. Aliud ostendit manerium extrinsecum & extra se, quod est æternum animæ exilium, in quo, secundum Matthæum, est fletus, & stridor dentium. Itinera autem ad primum manerium & intrinsecum, dicit Dominus, esse secundum multiplicem accessum ad se. Itinera vero ad secundum manerium, & extrinsecum, dicit secundum multiplicem recessum à se. Vnde Augustinus in libro Soliloquiorū primo dicit: Deus est, à quo auerti est cadere, in quem conuerti est surgere, in quo manere est consistere. De isto ergo intrinseco secreto & æternali manerio, primò videndum est, postea de itineribus, quibus acceditur ad illud.

Ioan. 6. a
Aug. de cogni. ve. vi. cap. 1. tom. 9.
Ioan. 17. a
Auct. de sp. & an. c. 60. apud Aug. tom. 3.
Matt. 8. b & 13. f
August. lib. 1. Soliloq. c. 1. ante med. tom. 1.

DE INTRINSECO SECRETO, ET æternali manerio in Christo.

CIRCA primum igitur scilicet circa intrinsecum secretum, & æternale manerium sunt septem per ordinem notanda, quæ sunt necessaria ad dicendorum cognitionem.

Notandum est igitur primò, quid illud intrinsecum secretum in Christo dicatur.

Secundò qualiter in illo intrinseco secreto variæ mansiones distinguantur.

Tertiò secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur.

Quartò quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur.

Quintò qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur.

Sextò qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabilitur & perpetuatur.

Septimò quæ & quot sunt itinera, per quæ ad illud intrinsecum peruenitur & intratur.

DISTINCTIO I.

Quid intrinsecum secretum in Christo dicatur.

PRimò notandum est, quid sit illud intrinsecum secretum, & æternale manerium in Christo. De quo sciendum, quòd cum in Christo sit duplex natura, humana & diuina; diuina autem sit omni creaturæ maxime intrinseca, vt ait Augustinus, & Hugo. Ideo intrinsecum illud in Christo est diuina persona in humanitate eius abscondita, ita quòd Christi humanitas est via ad diuinitatem. Vnde Augustinus exponens illud Ioannis: Ego sum via, dicit: Verbum assumens humanitatem, factum est via. Ambula per hominem si vis venire ad humanitatem, & peruenies ad Deum, scilicet personam verbi, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Proculdubio si non esset aliquod intrinsecum in Christo secretum, ad quod intrandum inuitaret nos, non dixisset ipse: Ego sum ostium, &c. vsq; , inueniet. Ego sum ostium sensui, per corporale obiectum. Videte, inquit, manus meas, & pedes meos: quia ego ipse sum. Ego sum ostium intellectui, per fidem reseratum. Vnde in Isaia dicitur: Nisi credideritis, non intelligetis. Ego sum ostium voluntatis, per charitatem apertum. Charitas non vult scire medium inter se & dilectum, immo, vt dicit Hugo, Amor siue charitas suo acumine omnia penetrat, donec ad dilectum veniat. Per me ergo ostium si quis introierit per fidem & charitatem, ad meam intrinsecam & absconditam diuinitatem, saluabitur. Quia siue ingrediatur ad meam diuinitatem contemplandam, siue egrediatur ad meam humanitatem imitandam, pascua vtrobiq; inueniet æternæ viriditatis & salutis. Et de pascuis humanitatis, intratur ad pascua diuinitatis. Quod ostendit Hugo bene in prologo suo super Angelicam hierarchiam, vbi dicit sic: Propterea Iesus carnem assumptam in edulium nobis proposuit, vt per cibum carnis, inuitaret nos ad gustum diuinitatis. In his pascuis sponsa constituta dixit: Comedi fauum cum melle meo. Fauus, sicut dicit Origenes, est cera virginea, loculis vel cellulis distincta, quæ sunt melle repletæ. Quid ergo aliud est, Comedi fauum meum cum melle meo, nisi gustaui dulcissimam diuinitatem in cera virgineæ humanitatis absconditam cum ipso absconso? De isto intrinseco Augustinus loquens super Ioannem, quasi admirando exclamat dicens: O magnum penetrale, & secretum dulce! O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpolatione tentationum & dolorum. Hoc est gaudium, de quo dicit Saluator: Intra in gaudium Domini tui. Hæc Augustinus. Et sic patet intrinsecum Domini Iesu Christi.

Hugo sup. 7 Angel Hierarc. lib. 6. post. med.
August. de verb. Dom. serm. 55. cir. fin. tom. 10.
Ioan. 10. b
Luc. 24. f.
Isa. 7. b. sec. LXX.
Hugo vbi supra prox ante med.
Hug. lib. 2. in 1. cap. Angel. Hier. versus fin.
Cant. 5. a
Aug. tract. 25. in Ioan post medium tom. 9.
Matt. 25 b

DISTINCTIO II.

Qualiter in intrinseco Christi secreto variæ mansiones distinguantur.

SEcundò videndum est, qualiter in illo intrinseco Christi variæ mansiones, vel maneria distinguantur.

infinitum, summe vnum, & tamen omnimodum, vt omnia in se habens, vt omnis virtus, vt omnis veritas, vt omne bonum: respice ad propitiatorium, & mirare, quod in ipso principium primum iunctum est cum postremo, Deus cum homine sexto die formato, æternum iunctum est cum homine temporali, in plenitudine temporum de Virgine nato, simplicissimum cum summe composito, actualissimum cum summe passo, & mortuo, perfectissimum, & immensum cum modico, summe vnum, & omnimodum cum indiuiduo composito, & à ceteris distincto, homine, scilicet IESV CHRISTO.

Multa mirabilia in vnione duarum naturarum in Christo.

Si autem alter Cherub es, personarum propria contemplando, & miraris communicabilitatem esse cum proprietate, & consubstantialitatem cum pluralitate, configurabilitatem cum personalitate, coæqualitatem cum ordine æternitatem cum productione, cointimitatem cum emissione, quia Filius missus est à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: qui tamen semper est cum eis, & nunquam recedit ab eis: respice in propitiatorium, & mirare, quia in Christo stat personalis vnio cum Trinitate substantiarum, & naturarum dualitate: stat omnimoda consensio cum pluralitate voluntatum, stat Dei, & hominis compraedicatio cum pluralitate proprietatum, stat coadoratio cum pluritate nobilitatum, stat coexaltatio super omnia cum pluralitate dignitatum, stat condominatio cum pluralitate potestatum. In hac autem consideratione est perfectio illuminationis mentis, dum quasi in sexta die videt hominem factum ad imaginem Dei. Si enim imago est similitudo expressiua, dum mens nostra contemplatur in Christo filio Dei (qui est imago Dei inuisibilis per naturam) humanitatem nostram tam mirabiliter exaltatum, tam ineffabiliter vnitam: videndo simul in vnum primum, & vltimum, summum, & imum, circumferentiam, & centrum, α, & ω, causatum, & causam, Creatorem, & creaturam, librum scilicet scriptũ intus, & extra: iam peruenit ad quãdam rem perfectam, cum Deo ad perfectionem suarum illuminationum, in sexto gradu quasi in sexta die perueniat: nec aliquidiam amplius restet nisi dies requiei, in qua per mentis excessum requiescat humanæ mentis perspicacitas, ab omni opere quod patrarat.

CAPVT VII.

De excessu mentali, & mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

3. Reg. 10. c

HIs igitur sex considerationibus excursis, tamquam sex gradibus throni veri Salomonis, quibus peruenitur ad pacem: vbi verus pacificus in mente pacifica tãquam in interiori Hierosolyma requiescit: tamquam etiam sex alis Cherub, quibus mens veri contemplatiui, plena illustratione supernæ sapientiæ valeat sursum agi tamquam etiam sex diebus primis in quibus mens exercitari habet, vt tandem perueniat ad sabbatismum quietis. Postquam mens nostra contuita est, Deum extra se per vestigia, & in vestigiis: intra se per imaginem, & in imagine: supra se per diuinæ lucis similitudinem super nos relucentem, & in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum viæ, & exercitium mentis nostræ: cum tandem in sexto gradu ad hoc peruenerit, vt speculetur in principio primo, & summo, & mediatore Dei, & hominum IESV Christo ea, quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, & quæ omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt: restat vt hæc speculãdo transcendat, & transeat, non solum mundum istum sensibilem, verumetiam semetipsam: in quo transitu Christus est via, & ostium. Christus est scala, & vehiculũ, tamquam propitiatorium super arcam Dei collocatum: & sacramentum à sæculis absconditum. Ad quod propitiatorium qui aspicit, plena conuersione vultus aspiciẽdo ad eum in cruce suspensum, per fidem, spem, & charitatem, deuotionem, admirationem, exultationem, appreciationem, laudem, & iubilationem: pascha, hoc est transitum cum eo facit: vt per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Ægypto intrans desertum: vbi gustet manna absconditum, & cum Christo requiescat in tumulo, quasi exterius mortuus, sentiens tamen quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo: Hodie mecum eris in paradiso. Quod etiam ostensum est beato Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso (vbi hæc, quæ scripta sunt mente tractaui) apparuit Seraph, sex alarum in cruce confixus: vt ibidem à socio eius (qui tunc cum eo fuit) ego, & plures alij audiuimus, vbi in Deum transiit per contemplationis excessum: & positus est in exemplum perfectæ contemplationis, sicut prius fuerat actionis, tamquam alter Iacob mutatus in Israel, vt omnes viros vere spirituales Deus per eum inuitaret ad huiusmodi transitum, & mentis excessum, magis exemplo quam verbo. In hoc autem trãsitu si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes & apex affectus totus transferatur, & transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum, & secretissimum, quod nemo nouit nisi qui accipit: nec accipit nisi qui desiderat: nec desiderat nisi quem ignis Spiritus sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus, hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum sanctum reuelatum. Quoniam igitur ad hoc nil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, & multum vnctioni: parum dandum est linguæ, & plurimum internæ lætitiæ: parum dandum est verbo, & scripto, & totum Dei dono, scilicet Spiritui sancto: parum aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici essentiæ, Patri, & Filio & Spiritui sancto, dicendo cum Dionysio ad Deum Trinitatem: Trinitas superessentialis, & superdeus, & superoptime Christianorum inspector theosophiæ, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum, & superlucentem, & supersublimissimum verticem: vbi noua, & absoluta, & inconuersibilia, & incommutabilia, Theologiæ mysteria, secundum superlucentem absconditam occulte docentis silentij caliginem, in obscurissimo, quod est supermanifestissimũ, supersplendentem, & in qua omne relucet, & inuisibilium superbeatorum splẽdoribus, superimplentem inuisibiles intellectus. Hoc ad Deum. Ad amicum autem cui hæc scribuntur, dicatur cum eodem: Tu autem ô amice circa mysticas visiones corroborato itinere, & sensus desere, & intellectuales operationes & sensibilia, & inuisibilia: & omne non ens, & ens, & ad vnitatem (vt possibile est) inscius restituere ipsius, qui est super omnẽ essentiam, & scientiam. Etenim te ipso, & omnibus immensurabili, & absoluto puræ mentis excessu, ad superessentialem diuinarum tenebrarum radium, omnia deserens, & ab omnib. absolutus ascendens. Si autem quæris quomodo hæc fiant? interroga gratiam, non doctrinam: desiderium, non intellectum: gemitum orationis, non studium lectionis: sponsum, non magistrum; Deum, non hominem: caliginem, non claritatem: non lucem, sed ignem totaliter inflammantem, & in Deum excessiuis vnctionibus, & ardentissimis affectionibus transferentẽ. Qui quidem ignis Deus est, & huius caminus est in Hierusalem, & Christus homo hunc accendit in feruore suæ ardentissimæ passionis, quem solus ille vere percipit, qui dicit: Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Quam mortem qui diligit, videre potest Deum, quia indubitanter verum est: Non videbit me homo, & viuet. Moriamur ergo, & ingrediamur in caliginem, imponamus silentium solicitudinibus, concupiscentiis, & phantasmatibus, transeamus cum Christo crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, vt ostenso nobis Patre dicamus cum Philippo: Sufficit nobis. Audiamus cum Paulo: Sufficit tibi gratia mea. Exultemus cum Dauid, dicentes: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Benedictus Dominus in æternum, & dicat omnis populus: Fiat, fiat.

Exo. 25. b; Ephes. 3. b; Exo. 14. e; Apoc. 2. d; Luc. 23. f; Beato Francisco in excessu contemplationis apparuit Seraph.; Gen. 35. b; 1. Cor. 2. b; Dionys. de myst. Theol. 1 in prin.; Iob 7. c; Exo. 33. d; Ioan. 14. a; 2. Cor. 12. c; Psal. 18. g

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur:

DE SEPTEM ITINERIBVS Æternitatis.

In prologo summatim explicat Auctor, quis sit eius scopus, & argumentum circa quod versatur iste tractatus, doctrina, & eruditione plenus: qui deuotas mentes dirigit per itinera septem ad ingrediendum intrinsecum secretum & æternum, quod est animæ patria. Hoc autem opusculum suo pristino splendori restitutum est ex Codice manuscripto, cuius liberalissime copiam fecit Reuerendissimus D.F. Augustinus Fiuizianus ordinis Eremitarum S. Augustini S.D.N. CLEMENTIS VIII. Sacrista, & Archihospitalis S. Spiritus in Saxia, eiusq; ordinis Generalis Commendatarius. Nam multa quæ deerant, quæq; deprauata legebantur, huius M.S. Codicis beneficio expleta sunt, & restituta, ita vt opusculum hoc auctius nūc & integrius, quā antea in lucem prodeat.

PROLOGVS.

CVM, qui venit ad me, non eijciam foras, inquit Saluator. S. Augustinus de cognitione veræ vitæ dicit in principio: Cum Christus veritas, & vita dicat: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum solum; constat profectò, naturam rationalem ad hoc solum esse factam, vt factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo qui est æterna vita æternaliter permaneat, & beate viuat. Ex quo concludit dicens: Diuinitatis ergo essentiam rationabiliter inuestigare, vt est possibile, est ad vitam æternam festinare. Hanc ergo negligēdo ignorare, est vtiq; ad mortem indeficientem damnabiliter properare. In his verbis ostendit B. Augustinus, generaliter æternitatis esse duo maneria. Vnum quod est vita æterna. Alterum quod est mors amarissima. Innuit etiam Augustinus hic in his verbis, istorum æternorum maneriorum duo itinera: quia ad primum peruenitur per rationabilem inuestigationem cum amore; ad secundum per damnabilem omissionem cum dolore. Dominus autem Iesus Christus, qui est via, in qua imus, veritas ad quam peruenimus, & vita in qua permanebimus, in verbis propositis ostendit specialiter & principaliter vtrumq; manerium, & eorum itinera. Vnum intrinsecum, & quasi secretum, & æternum in se: quia ipse est animæ patriæ & habitatio, vt dicitur in libro de spiritu, & anima. Aliud ostendit manerium extrinsecum & extra se, quod est æternum animæ exilium, in quo, secundum Matthæum, est fletus, & stridor dentium. Itinera autem ad primum manerium & intrinsecum, dicit Dominus, esse secundum multiplicem accessum ad se. Itinera vero ad secundum manerium, & extrinsecum, dicit secundum multiplicem recessum à se. Vnde Augustinus in libro Soliloquiorū primo dicit: Deus est, à quo auerti est cadere, in quem conuerti est surgere, in quo manere est consistere. De isto ergo intrinseco secreto & æternali manerio, primò videndum est, postea de itineribus, quibus acceditur ad illud.

Ioan. 6. a. August. de cogni. ve. vi. cap. 1. tom. 9. Ioan. 17. a. Auct. de sp. & an. c. 60. apud Aug. tom. 3. Matt. 8. b & 13. c. August. lib. 1. Soliloq. c. 1. ante med. tom. 1.

DE INTRINSECO SECRETO, ET æternali manerio in Christo.

CIRCA primum igitur scilicet circa intrinsecum secretum, & æternale manerium sunt septem per ordinem notanda, quæ sunt necessaria ad dicendorum cognitionem.

Notandum est igitur primò, quid illud intrinsecum secretum in Christo dicatur.

Secundò qualiter in illo intrinseco secreto variæ mansiones distinguantur.

Tertiò secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur.

Quartò quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur.

Quintò qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur.

Sextò qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabilitur & perpetuatur.

Septimò quæ & quot sunt itinera, per quæ ad illud intrinsecum peruenitur & intratur.

DISTINCTIO I.

Quid intrinsecum secretum in Christo dicatur.

PRimò notandum est, quid sit illud intrinsecum secretum, & æternale manerium in Christo. De quo sciendum, quòd cum in Christo sit duplex natura, humana & diuina; diuina autem sit omni creaturæ maxime intrinseca, vt ait Augustinus, & Hugo. Ideo intrinsecum illud in Christo est diuina persona in humanitate eius abscondita, ita quòd Christi humanitas est via ad diuinitatem. Vnde Augustinus exponens illud Ioannis: Ego sum via, dicit: Verbum assumens humanitatem, factum est via. Ambula per hominem si vis venire ad humanitatem, & peruenies ad Deum, scilicet personam verbi, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Proculdubio si non esset aliquod intrinsecum in Christo secretum, ad quod intrandum inuitaret nos, non dixisset ipse: Ego sum ostium, &c. vsq; , inueniet. Ego sum ostium sensui, per corporale obiectum. Videte, inquit, manus meas, & pedes meos: quia ego ipse sum. Ego sum ostium intellectui, per fidem reseratum. Vnde in Isaia dicitur: Nisi credideritis, non intelligetis. Ego sum ostium voluntatis, per charitatem apertum. Charitas non vult scire medium inter se & dilectum, immo, vt dicit Hugo, Amor siue charitas suo acumine omnia penetrat, donec ad dilectum veniat. Per me ergo ostium si quis introierit per fidem & charitatem, ad meam intrinsecam & absconditam diuinitatem, saluabitur. Quia siue ingrediatur ad meam diuinitatem contemplandam, siue egrediatur ad meam humanitatem imitandam, pascua vtrobiq; inueniet æternæ viriditatis & salutis. Et de pascuis humanitatis, intratur ad pascua diuinitatis. Quod ostendit Hugo bene in prologo suo super Angelicam hierarchiam, vbi dicit sic: Propterea Iesus carnem assumptam in edulium nobis proposuit, vt per cibum carnis, inuitaret nos ad gustum diuinitatis. In his pascuis sponsa constituta dixit: Comedi fauum cum melle meo. Fauus, sicut dicit Origenes, est cera virginea, loculis vel cellulis distincta, quæ sunt melle repletæ. Quid ergo aliud est, Comedi fauum meum cum melle meo, nisi gustaui dulcissimam diuinitatem in cera virgineæ humanitatis absconditam cum ipso absconso? De isto intrinseco Augustinus loquens super Ioannem, quasi admirando exclamat dicens: O magnum penetrale, & secretum dulce! O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpolatione tentationum & dolorum. Hoc est gaudium, de quo dicit Saluator: Intra in gaudium Domini tui. Hæc Augustinus. Et sic patet intrinsecum Domini Iesu Christi.

Hugo sup. 7 Angel. Hierarc. lib. 6. post. med. August. de verb. Dom. serm. 55. cir. fin. tom. 10. Ioan. 10. b. Luc. 24. f. Isa. 7. b. sec. LXX. Hugo vbi supra prox ante med. Hug. lib. 2. in 1. cap. Angel. Hier. versus fin. Cant. 5. a. Aug. tract. 25. in Ioan post medium tom. 9. Matt. 25. b

DISTINCTIO II.

Qualiter in intrinseco Christi secreto variæ mansiones distinguantur.

SEcundò videndum est, qualiter in illo intrinseco Christi variæ mansiones, vel maneria distinguantur.

De quo notandum est, quòd per ostium intrantes ad interiora domus, non omnes æqualiter locantur, sed secundum maiora merita vel minora personarum. Vnde Bernardus in Cantica ducit, Vnaquæque anima deuota inueniet sibi secretum cum sponso, vt dicat illud Isaiæ: Secretum meum mihi, secretum meum mihi: quia non omnibus vno loco datur frui gratia, & secreta sponsi præsentia, sed vt cuiq; paratum est à Patre. Non enim nos ipsum elegimus, sed ipse nos elegit, & posuit nos, & vbi à Deo vnusquisque positus est, ibi est. Hæc Bernardus. Vnde notandum, quòd quidam ex ingredientibus in trinsecum secretum Domini Iesu, recipiuntur in domum sanctæ compunctionis, vt Maria Magdalena in domo Simonis. In palatium continuæ meditationis, vt Dauid qui dicit: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. In mensam dulcis refectionis, vt Petrus, qui dicit: Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus. In cubiculum solitariæ contemplationis, vt Ioannes quiescens in pectore Domini. In amplexus amorosæ vnionis, vt de sponso dicitur: Læua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me, spiritus tamen sponsæ iam omnes istas mansiones visitauerat. Sed Bernardus aliter distinguit istas mansiones, dicens: Deniq; vna mul er compuncta secus pedes Domini Iesu sortita est locum huius secreti; sed altera suæ deuotionis fructum siue secretum ad caput inuenit, si tamen altera. Porro Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu patris, Paulus in tertio cælo secreti huius gratiam sunt assecuti. *Et sequitur:* Prior mulier strauit sibi in tuto humilitatis, posterior in solido spei, Thomas in solido fidei, Ioannes in la[illegible] charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in verita[illegible] luce: & sic apud sponsum mansiones multæ sunt. Hæc sunt verba S. Bernardi. Sed Gregorius in Euangelio, *Erant appropinquantes ad Iesum*, & Hugo de sancto Victore lib. 4. de claustro animæ cap. 26. videtur has mansiones distinguere, quasi ad modum distinctionis Angelicarum mansionum. Vnde super primum Angelicæ hierarchiæ dicit Hugo: Secundum illam namque proportionem, qua nunc dona gratiarum differenter percipimus; meritò postea vel hic per mentis contemplationem, vel illic per retributionem, in numerum, idest in mansiones, transimus Angelorum, & etiam secundum differentiam progressionum, & incrementa illuminationum, & secundum gradus spiritualium profectuum in nobis differenter transimus in numerum Angelorum. Et tam Gregorius, quàm Hugo hæc explicant, dicentes: Oportet & in hac vita manentes, conformare se cælestibus mansionibus per aliquam imitationem, qui volunt ascendere ad illas. Vnde dicit vterq.: Sunt nonnulli, qui parua capiunt, sed tamen illa pie fratribus nunciare non desistunt. Illi itaq; in numerum, idest mansiones Angelorum currunt. Et sunt nonnulli, qui diuina largitate refecti, secretorum cælestium summa capere valent, & nunciare, quo ergo isti nisi inter Archangelorum mansiones deputantur? Et sunt alij, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti nisi ad supernarum Virtutum sortem & mansionem congruunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus dæmones fugant, & virtute orationis eijciunt, itaq; isti mansionem suam inter Potestates sortiuntur. Et sunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt, ideo electis fratribus principantur, vbi ergo isti nisi in mansionibus Principatuum sortem accipiunt? Et sunt nonnulli, qui sic in seipsis, cunctis vitijs, & desiderijs dominantur, vt ex vitæ munditia dij inter homines vocentur, quo isti nisi inter Dominationes currunt? Et sunt nonnulli, qui dum sibimetipsis vigilanter dominantur, & se discutiunt, semper inhærentes, hoc in munere accipiunt, vt recte alios iudicent, in his veluti throno Deus residens cuncta mirabiliter examinat & dispensat. Quid ergo isti nisi Throni Conditoris sui sunt, & ad supernorum sedilium mansiones ascribuntur? Et sunt nonnulli, qui plenitudinem scientiæ accipiunt, vt Cherubim iure nominentur, qui dilectione Dei, & proximi pleni sunt. Hi sortem mansionis suæ inter Cherubim percipiunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi in solo Conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mundo sapiunt, sed solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent atque in suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo alios accendunt, & quos loquendo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, & quo nisi inter Seraphim mansionis suæ sortem accipiunt? *Sequitur.* Ad hos ergo vicos, vt in eis sine fine permaneant, venient, qui modum quem prædiximus in hoc sæculo pro posse suo tenent. Hæc ille. Et his concordat Hieronymus, qui dicit: Paratæ sunt in cælo diuersæ mansiones diuersis virtutibus, quia non personæ acceptantur, sed opera, &c.

Bern. ser. 25. sup Canti. post med. — Isa. 24. c — Luc. 7. f — Psal. 18. c — 1. Pet. 2. a — Ioan. 13. c — Cant. 2. b — Bernar. vbi sup. prox. — Hug lib. 1. in 1. cap Angel Hierarc post med. — Gregor. homil. 34. in Euang post med. — Hug. lib. 4 de claustro ani. c. 26. — Apud Hug. ibid. in fin. cap. — Hieron. in Matth. c. 3. tom. 6.

DISTINCTIO III.

Secundum quid homo ad illud intrinsecum secretum admittatur.

Tertiò videndum est, secundum quid homo in illud intrinsecum & secretum Domini admittatur & introducatur, vel intromittatur. Circa quod notandum, quòd cum in homine sit corpus, & anima, & spiritus, vt dicit Origenes super Cantica; oportet videre, secundum quid istorum trium, homo ad illud intrinsecum admittatur & introducatur. De quo sciendum, quòd cum Christus dicat, Spiritus est Deus, & qui adorat eum in spiritu, & veritate, idest in deuotione & cognitione, oportet adorare; hæc autem conueniunt spiritui humano, ergo secundum spiritum oportet adorare, & intrare. Item cũ Deo maxime assimilemur secundum spiritũ, secundum quẽ etiam sumus ad imaginem, & similitudinẽ Dei, & secũdum hoc sumus capaces Dei, vt dicit Augustinus lib. 14. de Trinitate, ergo secundum spiritũ ingredimur, qui est supremum, & optimum in homine. Item secundum corpus non possumus ingredi illud intrinsecum, cum corpus non possit locari nisi in loco corporali. Item cum anima, vt corpus animet, necessario insit ei vt forma, nec sic possit se extendere extra corpus ad æterna, cum Apostolus dicat, Nostra conuersatio in cælis est, non secundum corpus, sed secundum mentem, nec secundum animam vt animat corpus, vt patet ex Glossa, ideo necesse est, vt per spiritum nostrum tamquam optimum in nobis, accedamus ad illud speciale intrinsecum secretum Domini Iesu: quia ipse misit spiritum suum, vt spiritum nostrum leuaret post ipsum, vt ait Richardus. Et quia ipse Richardus alibi dicit, oportet antequam introire liceat in illud intimum secretum quietis, & supremæ tranquillitatis arcanum, vt fiat ista valde mirabilis diuisio, non corporis, & animæ dissolutio, sed alia ac multo mirabilior, multoque gloriosior diuisio, videlicet animæ, & spiritus, quam in nobis operari solet, sicut testatur Apostolus, dicens: Viuus est sermo Dei & efficax, & omni gladio ancipiti penetrabilior, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Hæc ille. Ex quo oportet videre, qualiter iste spiritus ab anima diuiditur, vt ab omnibus exoneratus, ascendat ad illud intrinsecum & secretum quietis. De quo notat Richardus, & Auctor libri de spiritu & anima, vbi vterque exponens prædictum verbum Apostoli dicentis, quòd sermo Dei pertingit vsque ad diuisionem spiritus & animæ, concordant per omnia, dicentes sic: Nihil in creaturis hac diuisione mirabilius cernitur, vbi illud, quod essentialiter vnum est atque indiuiduum in se ipso, quandam diuisionem patiatur; neque enim in homine vno alia est essentia eius spiritus, atque eius animæ, sed vna eademque substantia simplicis naturæ. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur: sed cum ad

Ioan. 4. c — August. lib. 14. de Trin. c. 19. tom. 3. — Phil. 3. d — Richard. in prologo lib. de Trinit. circa med. Idem in lib. de extermin. natione mali, tract. 3. c. vlt. — Heb. 4. c — Richar. vbi sup. proxim. & Auct. de spir. & ani. c. 34. circa med. apud Aug. tom. 3.

distinctionem ponitur gemina nominatio eiusdem essentiæ, vna superior per spiritum, alia inferior designatur, & hæc per animam. *Sequitur*. In hac itaq; diuisione, anima & quod animale est in imo remanet. Spiritus autem, & quod spirituale est ad suprema euolat, & ab infimis diuiditur, vt ad suprema eleuetur ab anima scinditur, vt Domino iungatur. Quoniam qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum illo. O quam felix diuisio, & mirabilis separatio, vbi, quod corpulentum est, & fæculentum, deorsum remanet, quod spirituale, & subtile est, vsq; ad speculationem diuinæ gloriæ sublimatur, & in eandem imaginem transformatur, pars inferior componitur ad summam pacem & tranquillitatem, dum pars superior sublimatur ad gloriam & iucunditatem. Hoc vtrerq; ponit. Ex quo apparere potest, quòd quanto spiritus noster ab omnibus temporalibus, & etiam ab ipsa anima, vel etiam à seipso diuiditur, quòd tanto facilius & perfectius illud spirituale intrinsecum, & æterna le manerium perfectius accedit, & ingreditur. Et ideo notandum est, quòd spiritus noster aliquando in tantum à corpore, & anima diuiditur: vt spiritus in spiritu esse asseratur, & quandoq; vt spiritus supra spiritum esse dicatur, & quandoq; spiritus sine spiritu credatur. Primò dico, quòd spiritus humanus quandoq; à corpore in tantum alienatur, & ab anima distrahitur, vel diuiditur, vt spiritus merito in spiritu esse dicatur. Quod ostendit Richardus loquens de Ioanne Euangelista, vbi dicit sic: Nonne spiritus in spiritu esse tunc rectè asseritur, quando exteriorum omnium obliuiscitur, pariter & ignarus est omnium eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, & illa solum intelligit per memoriam vel intellectum, quæ in spiritu & circa spiritum actitantur? Quare Ioannes in Apocalypsi bene dicit: Fui in spiritu in Dominico die. Vel sicut ibidem Richardus dicit, An hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intrare, & intra semetipsum totum colligere, & ea, quæ circa carnem seu etiam in carne geruntur interim penitus ignorare? Sed Haymo super Apocalypsim, sic exponit, dicens: Ioannes sic fuit in spiritu, quod tamen ipsam carnem funditus non deseruit, sed spiritui æternitatis adhæsit mens eius, & à spiritu docente assumptus fuit spiritus docendus, ideo tam mirabilia & profunda vidit. Secundò dico quòd spiritus humanus quandoque in tantum amoris feruore supra se rapitur, vt meritò spiritus supra spiritum esse dicatur. Vnde Hugo dicit: Acumen amoris est, cum omnia transcendendo despicit. Superferuidum autem amoris est, cum etiam semetipsum contemnendo relinquit, & in comparatione dilecti se despicit, & modo miro fit, vt per dilectionis ignem in illum sustollatur, qui est supra se, & per vim amoris expellatur vt exeat etiam à se, nec se cogitet, dum Deum solum amat. Hæc ille. Hoc modo Petrus fertur raptus fuisse supra se, quare in Actibus dicitur, & Petrus ad se reuersus dixit, &c. Quod Richardus exponens, dixit: Hoc sane non imprudenter dicitur, quod Petrus longè super hominem fuit, quia longe à semetipso, & supra semetipsum recessit, & alioquin nō erat à quo ad se reuerteretur. Tertiò dico, quòd spiritus humanus in tantum à seipso quasi diuiditur, vt spiritus sine spiritu esse dicatur. Vnde in libro Regum legitur, quòd videns regina Sabba sapientiam Salomonis, & domum, & habitacula, & cetera, non habebat vltra spiritum. Quod exponens Richardus dicit: Nonne rectè dicitur, spiritum semetipsum non habere, quando incipit à semetipso omnino deficere, & à suo esse in supermundanum quendam, & vere plusquam mundanum, vel humanum statum transire, & mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videtur in diuinum deficere, ita vt ipse iam non ipse, eo duntaxat tempore quo incipit Domino altius inhærere? Qui autem adhæret Deo vnus spiritus est, & sic totus illud diuinitatis arcanum intrat, clamans cum Psalmista: Defecit in salutare tuum anima mea.

Hæc ille.

1. Cor. 6. d

Nota de diuisione humani spiritus à corpore & anima.

Rich. lib. 5. de contempl. c. 12. cir. fi.

Apoc. 1. c

Hug. super 7. Angel. hierarc. lib. 6. cir. med.

Act. 12. b

Rich. lib. 5. de contempl. c. 13. cir. fi.

3. Reg. 10.

Richar. vbi supra c. 12. in fin.

Psal. 118. f

DISTINCTIO IV.

Quibus pedibus spiritus noster illud intrinsecum secretum ingrediatur.

QVartò videndum est, quibus pedibus & gressibus spiritus noster in illud intrinsecum secretum, & spirituale manerium ingrediatur. De quo notandum, quòd sicut dicit Vercellensis super Cantica: Pedes nostri spiritus, sunt intellectus & affectus, quibus frequenter anima deuota carpit itinera æternitatis. Ratio autem huius est, quòd spiritus noster per intellectum & affectum se ad æterna extendit, & eo attingit aliqualiter. Vnde Hugo libro primo de arca Noe dicit: Hoc est ad Deum tendere, & ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quærere, per cogitationem inuenire, & per gustum tangere. & Commentator Hugo super septimum Angelicæ hierarchiæ dicit: Mentes cælestes siue spiritus rationales ad interiora mentis cognitione & dilectione accedunt, & proximi fiunt secundum excellentissimam collocationem, quam habent iuxta Deum, vbi est intrinsecum spiritus nostri, vt supra dictum est. Sed notandum, quod pedes spiritus nostri oportet esse mundos, & puros, quia nihil inquinatum intrabit intra secretum Domini IESV. Et cum pedes spiritus humani quandoque tangant terram mediante sensualitate, & etiam ne puluis terrenus eis adhæreat: ideo indigent frequenti lotione, & mundatione, vt ostendit Dominus quando dixit: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, idest qui sine peccato mortali est, non indiget capitis lotione. Cuius ratio est, quia caput nostri spiritus est intelligentia, quæ in viris sanctis immediate coniungitur Deo, vt dicit B. Augustinus in suo libro de spiritu & anima. ideo lotione non indiget. Nec tales indigent lotione manuum, quia opera eorum munda sunt, propter munditiam capitis, ea in Deum ordinantis, sed indigent lotione pedum. Cuius ratio est secundum Augustinum, & Origenem, quia impossibile est, hominē aliquando nō peccare venialiter, & non habere aliquā inordinationem in sua sensualitate, propter continuam conuersationem in terris, ex qua contrahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ex hoc ruga obscuritatis in intellectu. Vnde Origenes dicit: Ego impossibile puto, non contaminari extrema animæ & infima eius, quamquam quis perfectus quo ad homines reputetur, ideo charissimi discipuli Domini sunt, qui solum pedum indigent lotione. Hos pedes bene lotos timuit coinquinari sponsa, quando dixit: Laui pedes meos, Glossa, idest cogitationes meas, quibus aliquando terram tangere solebam, quos secretis fletibus compunctionis ablui, vt intrare marear cælestem patriam. Quomodo ergo iterum coinquinabo illos Vercellensis dicit; Quomodo coinquinabo illos iterum vmbris & imaginibus temporalium, cum etiam intellectuales operationes, & formæ in hoc loco, in superintellectuali exercitio reputentur maculæ & offendicula? Hæc ille.

Secundò notandum est, quòd quia multa offendicula & diuersa in istis itineribus æternitatis sunt, quibus spiritus noster impeditur, & retardatur ab ingressu illius intrinseci secreti, ideo oportet vt spiritus noster non solum habeat pedes ab immunditijs lotos, sed etiam ad ambulandum exercitatos, & agilitate veloces. Vnde Dionysius dicit, quòd pedes in scriptura significant virtutem motiuam, acute penetrantem, & velocem, idest semper tendentem in diuina. *Et sequitur*: Propter quod alatos Theologia figurauit pedes sanctorum intellectuum, quòd significat reductiuam velocitatem, & supernis inuectiuam ab omni terrestri deprimentem. Hæc Dionysius. Horum pedum velocem agilitatem habuit propheta Dauid, cum dixit: Qui perfecit pedes meos quasi ceruorum. Quod Gregorius exponens dicit: Ceruus cum iuga montium ascendit, quæq; aspera & obiecta transgreditur, donec ad superiora eleuetur, non so-

Pedes nostri spiritus sunt intellectus, & affectus.

Hug. de arca Noe lib. 1. c. 4. cir. med. Idem sup. 7. Ang. hier. lib. 7. post med.

Ioan. 13. b

August. de spi. & an. c. 11. tom. 3.

Aug. tract. 56. & seq. in Io. tom. 9.

Cant. 5. b

Dionys. de Ang. hier. c. 15. ante med.

Psal. 17. e Greg. lib. 26. Mor. cap 1.

lum currit, sed etiam saltat; ita etiam electorum mentes quæcumq; sibi obuia respiciunt, contemplationis saltu transcendunt, donec se ad superna euehant.

Tertiò notandum, quòd oportet, quòd pedes spiritus nostri non solum ad ambulandum sint expediti, sed etiam per amorem ad penetrandum acuti, vt spiritus potenter omnia transire possit, dicens cum Psalmista: In Deo meo transgrediar murum. Quod Gregorius exponens, vbi supra, dicit: Murus est omne quod itineri nostro obijcitur, cum ad dilectum transitur: quem transgredimur, cum præ amore supernæ patriæ, omnia huius mundi obiecta calcamus. Hæc ille. Et sicut dicit Augustinus: Ire ad Deum tanto nobis melius est, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus præsentiorem, quantò amorem, quo in eum tendimus, habebimus puriorem. Hæc Augustinus. Gressus ergo mentales, & pedes spiritus non sunt corporales, sed spirituales. Et ideo Gregorius dicit: Ad se quippe venire præcipit Deus, non gressibus corporis, sed profectibus amoris & spiritus, veritate dicente: Venite ad me omnes, qui laboratis. Et Augustinus: Iter tuum voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis: stans in terra in cælo es, si diligis Deum. Et sic patet de passibus spiritualibus.

Psal. 17. e
Greg. ibid.
August. ad Macedon. ep. 52 post med. tom. 2
Greg lib. 22. Moral c. 4. ante med.
Matt. 11. d
Aug. in Ps. 75 tom. 8.

DISTINCTIO V.

Qualiter spiritus noster in illo intrinseco multipliciter esse dicatur.

QVinto videndum est, qualiter spiritus noster in illo intrinseco manerio multipliciter esse dicatur. Circa quod notandum est, quòd cum Apostolus dicat, quòd in Domino Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, quis potest inuestigare & enarrare magnitudinem & multitudinem diuitiarum & deliciarum istius intrinseci secreti cubiculi, nisi quantum quilibet per fidem illuminatus, & per charitatem inflammatus, in illo habitare consueuerit & per aliqualem experientiam didicerit? Vnde dicit Bernardus: In hoc arcanum, in hoc sanctuarium Dei, si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, vt nemo eum auocet, aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amouentur, irreuerentia imaginū corporalium phantasmata, poterit quidem hic cum ad nos reducitur gloriari, dicens: Introduxit me rex in cubiculum suum. Et ibidem quasi admirando exclamat dicens: O verè quietus locus est, quem non immeritò nomine cubiculi censuerim, in quo Deus non turbatus ira, nec velut distractus cura prospicitur, sed probatur voluntas eius bona, & beneplacens, & perfecta. Visio ista non terret, sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sedat: nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic verè quietus Dominus quiescit, Deus trãquillus qui trãquillat omnia, & quietū aspicere quiescere est. Hæc Bernardus. Hi, qui secreta istius cubiculi ingrediūtur, siue gazophylacij secretum inhabitant, per veram fidem & charitatem, magni sunt: quia magna audiunt, & percipiunt magna, introducti in plenitudinem æternorum & diuinorum thesaurorum in illo abscōditorum. Et ideo Bernardus dicit quòd hi, qui magni sunt fide & charitate, digni inueniuntur, vt inducantur in omnem plenitudinem Dei, nec est omnino in omnibus apothecis sapientiæ aliquid, à quo Deus scientiarum Dominus, arcendos censeat cupidos veritatis, non conscios vanitatis. Et infra sic dicit: Istiusmodi sapientibus spiritibus magnus occurrit sponsus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam, & veritatem suam, eosque adducens, & deducens in montem sanctum suum, in tabernacula sua. Regem in decore suo videbunt, præeuntem se ad speciosa deserti, & ad flores rosarum, ad lilia conuallium, ad amœna hortorum, ad irrigua fontium, ad delicias cellariorum, ad odoramenta aromatum, postremò ad ipsa secreta cubiculi. Isti sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, absconditi penes sponsum. Hæc sunt pascua vitæ, præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Hæc Bernardus. Sed proculdubio si spiritus humanus quasi ab anima diuisus, & corpore, quandoq; illud intrinsecum lucis manerium ingrediatur solus, & intus recipiatur, rediens de regione lucis illius intrinseci ad animam & corpus, ipse enarret quales diuitias acceperit, qualia verba audiuerit, & quales delicias gustauerit, si tamen enarrare potest, quia Gregorius dicit: Sæpe amantis animus tantæ contemplationis munere impletur, vt videre valeat, quod omnino loqui non valeat. Si autem enarrare non poterit, saltem vt alter Moyses descendens à consortio Domini in anima & corpore aliqua signa, & testimonia secum ferat, testificantia quod in regione lucis fuerat. Dicit enim Hugo: Ecce dum de illo diuino internæ contemplationis secreto reuertimur, quid nobiscum afferre poterimus nisi lucem? Lucem de regione lucis venientes portamus. Hoc enim decens & necessarium est, vt cum à lucis regione venimus ad fugandas nostras tenebras, nobiscum lucem apportemus. Et quis scire poterit, quòd ibi fuerimus, si illuminati non redimus? Sed si vidimus Patris potentiam, apportemus lucem diuini timoris. Si vidimus Filij sapientiam, apportemus lucem veritatis. Si vidimus Spiritus sancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia torpentes excitet ad timorem. Sapientia ignorantiæ tenebris excæcatos illuminet. Clementia calore charitatis frigidos inflammet. Hæc ille.

Coloss. 2. a
Bernar. in Canti. serm. 23. cir. fin.
Ibid. paulo ante.
Ibid. serm. 31. post medium.
Psal. 125. a
Psal. 42. a
Psal. 126. a
Greg. lib. 11 Mor. cap. 17.
Hug. in lib. de tribus dietis circa fin.

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus noster in illo intrinseco stabilitur, & perpetuatur.

SExtò videndum est, qualiter spiritus noster cum in illud intrinsecum manerium æternale fuerit introductus, in illo stabiliatur & perpetuetur, ita tamen quod ad imperium, regis egrediatur, & ingrediatur ad naturam humanam imitandam, & contemplandam diuinam. De quo sciendum est, quod spiritus noster in illo arcano secreto per veram fidem collocatur & stabilitur, & per sanctam charitatem in eodem perpetuatur. De fidei collocatione & stabilitione dicit Dionysius: Quod circa veritatem vere existentem & non errantem, versatur fides diuina quæ est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, & firmans simplicem veritatem in transmutabili identitate in ipsis credentibus, habentibus cognitionem veritatis, & ideo credentem in veritate, teste Scriptura, nihil mouebit à lætitia, quæ est secundum veram fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis & intransmutabilis identitatis. *Sequitur.* Qui enim veritati vnitus est, ex ipsa vnione bene nouit quod bene sentit. Quamuis multi corripiant ipsum, tanquam mentis excessum passum, siue furiosum: ipse tamen bene nouit seipsum non furentem, vt errantes ei imponunt, sed per simplicem veritatem semper eandem, & eodem modo se habentem, liberatum ab instabili & variabili diuisione contra errorem. Hæc Dionysius. Ex his apparere potest, quomodo fides spiritum nostrum in illo intrinseco manerio Iesu collocat & stabilitat. Vnde dicit Isaias: Si non credideritis, non permanebitis, scilicet in Deo. Et Eusebius in glossa super illud Lucæ: Vbi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit, dicit sic. Qui mentem applicauerat ad cælestia, ibi mentem habebit, vt videatur solo corpore cum hominibus conuersari, animo verò iam sit aggressus mansiones cælestes. Hæc ille. De charitatis autem perpetuatione, id est qualiter spiritus noster in intrinseco Domini Iesu perpetuetur, notandum, quòd cum Ioannes dicat: Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, ergo quamdiu spiritus manet in charitate, tamdiu manet

Dionys. de diuinis nom. c. 7. cir. fin.
Rom. 8. f
Isa. 7. b
Luc. 12. e
1. Ioan. 4. e

in Deo

in Deo ſiue in intrinſeco Domini Ieſu, ſed ſpiritus noſter in æternum poteſt in charitate manere cum adiutorio Dei. ergo in æternum poteſt manere in Deo. Vnde in libro de ſpiritu & anima dicitur, quod anima habet in ſe amorē, quo ſemper poteſt ſtare cum Deo. Quòd autē ſpiritus noſter in æternum poſſit ſtare cū Deo, & manere in charitate, oſtēdit Apoſtolus ad Romanos, vbi dicit: Quis poteſt nos ſeparare à charitate Chriſti? quaſi dicat: Nemo, immo nulla creatura, ſicut ipſe poſtea ꝓbat. Ergo nulla creatura poteſt nos eijcere ab illo intrinſeco, nec ipſe Deus vult eijcere, vt ipſe dicit in Ioanne. Quamdiu enim ſumus charitate veſtiti, licet nosipſos per peccatum eijcere poſſimus, non tamen diſtantia locali, cum Deus ſit vbique, ſed diſtantia diſſimilitudinis. Dicit enim Auguſtinus: Non locorum interuallis, ſed ſimilitudine acceditur ad Deum, & diſſimilitudine diſceditur ab eo. Quòd autem nulla creatura poſſit nos ſeparare à charitate Dei, quæ nobis in Chriſto datur, oſtendit Apoſtolus ibidem, dicens: Certus ſum quòd neque mors, ſcilicet quam minantur, ſeparabit nos a charitate Dei. Cuius rationem aſſignat Auguſtinus de moribus Eccleſiæ, dicens: Licet corpus noſtrū poſſit mori, tamen ip'um quo diligimus Deum, ſcilicet anima mori non poteſt, niſi dum diligit Deum: cui mors eſt non diligere Deum, quod nihil aliud eſt, quàm ei in diligendo aliquid præponere. Alia eſt ratio ſecundum Ambroſium: Quia mors erat ſanctis occaſio eundi ad præmium promiſſum, & quaſi ianua: ergo mors non poteſt nos ſeparare à charitate Chriſti, ergo non poteſt abiicere ab eo.

Aucť. de ſp. & an. cap. 36. apud Aug. tom. 3. — *Rom. 8. c* — *Ioan. 6. d* — *Auguſt. de morib. Eccleſ. lib. 1. c. 11. tom. 1.* — *Ambroſ. in ep. ad Rom. c. 8. tom. 3.*

Secundo neque vita, inquit Apoſtolus, ſcilicet promiſſa, poteſt nos ſeparare à charitate. Cuius rationem aſſignat Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ, dicens: Quia Deus fons vitæ, ſicut ergo nemo ſeparat à fonte aquæ promittendo aquam: ita nemo ſeparat à fonte vitæ promittendo vitam. Vnde Dominus dicit in Ioanne: Qui credit in me, habebit vitam æternam.

Ioan. 5. d

Tertio, inquit Apoſtolus: Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inferiores, neque medij, neque ſuperiores poterunt nos ſeparare à charitate Dei. cuius ratio eſt ſecundum Auguſtinum, quia Angeli, cum inhæremus Deo, non ſunt mente noſtra potentiores, immo toto mundo ſuperior eſt mens inhærens Deo, vt ait Auguſtinus de moribus Eccleſiæ. Quomodo ergo ſeparabunt nos à charitate Chriſti, ad quam nos etiam hortantur, ergo nec nos eijcient.

Auguſt. de laud. char. cir. fi. tom. 9.

Quartò, inquit Apoſtolus: Neque inſtantia, ideſt inſtantes moleſtiæ nos à Deo ſeparabunt. Quia eo ipſo eas leuiores ſentimus, quo ei à quo nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus: charitas enim omnia ſuſtinet, & eſt vita morientium, ait Auguſtinus de laude charitatis, ergo non ſeparat, ſed vnit.

Quintò, inquit Apoſtolus: Neque futura, id eſt promiſſio futurorum nos à charitate ſeparabunt. Cuius ratio eſt ſecundum Auguſtinum de moribus Eccleſiæ, quia quidquid boni futurorum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius, qui perfecte inhærentibus ſibi iam præſens eſt, ergo nec talia ſeparant à charitate, ergo nec eijciunt à Deo.

Sextò, inquit Apoſtolus: Neque fortitudo, ideſt violentia alicuius poterit nos ſeparare à charitate Dei, neque altitudo, ideſt proſperitas, neque profundum, ideſt aduerſitas poterunt nos ſeparare à charitate Chriſti, neque alia creatura. Cuius rationem innuit Apoſtolus in eodem capite dicens: Quia bonis omnia cooperantur in bonum, ergo non ſeparant niſi nos velimus. Per charitatem ergo quæ, vt dicit Apoſtolus, omnia poteſt, omnia ſuſtinet, & numquam excidit, ſpiritus noſter in illo intrinſeco vbi eſt fons vitæ & charitas poteſt manere ſemper, maxime cum charitas voluntates noſtras ad Deum, quaſi ad centrum ſuum proprium inclinet, & nos ſibi incorporet, & voluntas per fecte concordet, quæ maxime amantium refectionem conſummant & perpetuant. Vnde dicit Dominus: Eum qui venit ad me, non eijciam foras. Quod Auguſtinus exponit, dicens: Veniamus ad Deum, intremus ad Deum, & incorporemur ei, vt nos non faciamus voluntatem noſtram, ſed voluntatem Dei, & non eijciet nos foras, ſcilicet in exilium tenebrarum æternarum, ſed ſiue ingrediamur, ſiue egrediamur, paſcua inueniemus noſtram nutrientia charitatem, quæ nos perpetuat in Chriſto. Quia qui manet in charitate, in Deo manet, ſicut dicit Ioannes.

1. Cor. 13. b — *Ioan. 6. d* — *1. Ioan. 4. c*

DISTINCTIO VII.

Quæ & quot ſunt itinera, per quæ ad illud intrinſecum peruenitur & intratur.

Septimò poſtquam viſum eſt, quid ſit illud intrinſecum ſecretum, & æternale manerium in Chriſto, & qualiter in illo intrinſeco variæ manſiones diſtinguuntur, & ſecundum quid homo in illud intromittatur. Viſo etiam quid ſpiritus in homine dicatur, & quibus pedibus illud intrinſecum ingrediatur, & qualiter humanus ſpiritus in illo dicatur, ſtabilitur, & perpetuatur. Videndum eſt, quæ & quot ſunt itinera, per quæ ad illud intrinſecum ſecretum & æternale manerium, ſpiritus humanus accedat & ingrediatur. Circa quod ſciendum eſt, quòd, ſicut dicitur in libro de ſpiritu & anima, duo ſunt loca, inter quæ ſpiritus humanus exiſtens, ad vtrumque ſe mouere poteſt, ſiue itinerare. Deus enim eſt in ſummo, mundus vero in imo. Ille, ſcilicet Deus in eodem ſtatu æternitatis ſuæ immobilis exiſtit, ideo ipſe ſolus eſt æternitate menſurabilis. Cuius ratio eſt, quia ſicut Boetius in libro de conſolatione dicit: Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, quæ nulli creaturæ conuenit, ſed ſoli Deo, vt patet conſideranti huius diffinitionis partes. Iſte autem mundus curſu mutabilitatis ſuæ ſemper inſtabilis fuit, & ideo tempore menſuratur, quia tempus eſt menſura motus mutabilium rerum, non permanentium, ſed ſuccedentium vt fit, & ideo talia dicuntur temporalia. Rationalis autem ſpiritus quaſi in quodam medio eſt conſtitutus, ſed medium oportet participare naturam extremorum, propter connexionem vniuerſi: & ideo oportet, quòd ſpiritus noſter in aliquo conueniat cum æternis, & in aliquo cum temporalibus. Cum æternis conuenit in hoc, quòd ſecundum ſubſtantiam omnino eſt ſtabilis perpetuo, in æternum manens, & ideo quoad hoc non menſuratur tempore tranſeunte, quo illa corruptibilia menſurantur, nec menſuratur æternitate, quia illa ſoli Deo conuenit: ergo neceſſario menſuratur menſura media, ſcilicet æuo, quod eſt quædam participatio æternitatis. Vnde Dionyſius de diuinis nominibus dicit, quòd æuum dicitur quieta & tota ſimul vita. Damaſcenus dicit, quòd æuum non eſt tempus nec pars temporis, ſed quòd ſimul protenditur cum æternis, ſcilicet ſecundum perpetuationem. Idem dicit Auguſtinus libro 12. confeſſionum. Vnde in libro de ſpiritu & anima dicitur: Spiritus humanus quadam conditionis ſuæ excellentia, huic mutabilitati quæ deorſum eſt, ſupereminet, quaſi creatus in orizonte æternitatis, & ideo ad illam, quæ eſt apud Deum immutabilitatem, nondū peruenit, quamuis pertingere poſſit cum Angelis. Spiritus enim noſter conuenit cum temporalibus in hoc, quòd ſecundum operationes aliquas eſt mutabilis, & in eis ſucceſſiones patitur. Vnde in libro de ſpiritu & anima dicitur: Si ſpiritus noſter in his qui deorſum tranſeunt ſe per cupiditatē immerſerit, ſtatim per infinitas diſtractiones ſiue itinera rapietur, & ſeipſo quodammodo diuiſus diſſipabitur, & ideo quoad iſtas operationes, temporalis efficitur, quia tempore menſuratur.

Aucť. de ſp. & an. c. 46. in fi. apud Aug. tom. 3. — *Boet. lib. 5. de conſolat. phil. proſa. 6.* — Triplex menſura entium, ſcilicet tēpus, æuum, & æternū. — *Dion. de diuinis nom. c. 5. & 10.* — *Dam. lib. 2. fid orthod. cap. 1.* — *Aug. lib. 12 conf. cap. 11. tom. 1.* — *Aucť. de ſp. & an. c. 47. in princip. apud Auguſt tom. 3.* — *ibidem.*

De hac inſtabilitate & mutabilitate dicit Hugo de arca Noe ſic: Dum cor noſtrum, ſiue ſpiritus noſter per deſideria fluere cœperit, quaſi in tot diuiſum eſt, quot ſunt ea quæ concupiſcit. Hinc naſcitur motus ſine ſtabilitate, labor ſine requie, curſus ſine peruentione, ita vt

Hug. lib. 1. de arca morali in prologo cir. fin.

semper sit inquietus spiritus noster, donec illic inhærere cœperit, vbi desiderio suo nihil deesse gaudeat, & ea quæ diligit, semper mansura confidat & credat. Hæc ille. Ex quo concluditur, quòd necesse est, quòd spiritus humanus habeat aliquas operationes, quæ maneant secundũ suam substantiam, licet vna alteri succedat. Quod accidit, vbi sunt operationes intrinsecæ intellectus & affectus, maxime quando in æternis figuntur, quas operationes exercere posset spiritus humanus, etiam si cælum staret, vel si nullum esset tempus, vt patet per Augustinum, nec mirum cum sit spiritus humanus supra tempus, existens, in carne temporali. Dicit enim Gregorius in Moralibus: Subleuata mens, idest spiritus, extra terminos temporum ducitur, etiam cũ à carne in tempore tenetur, & in libro de spiritu & anima: Si spiritus humanus ab hac infima distractione quæ deorsum est, erexerit se, & hæc infima deserens, atq; paulatim se in vnum colligens, secũ esse didicerit, tanto amplius in vnũ colligetur, quantò magis desiderio & cognitione sursum eleuabitur, donec tandem omnino immutabilis sit, & ad illam veram & vnicam, quæ apud Deum est, immutabilitatem perueniat, vt perpetuò sine omni mutabilitatis vicissitudine requiescat? iam in intrinseco Domini perfectè collocatur. Hæc ille. Ex his patet, quod sicut spiritus humanus ex inordinato amore temporalium aggrauatus, descendit ab æternis per aliqua itinera iniquitatis deorsum ad temporalia? sic spiritus humanus ex ordinato amore æternorum alleuiatus ascendit sursum, per itinera rectæ æquitatis ad æterna. Et sicut ille per septem itinera obliqua descendit ad temporalia: ita iste per septem itinera recta ascendit ad æterna, propter quod itinera æternitatis nuncupantur.

Aug. 12. confess. cap. 11. tom. 1.

Aug. de sp. & ani. vbi sup. proxi.

Septem itinera.

Itinera ergo æternitatis ducentia ad intrinsecum secretum, & æternale manerium Domini sunt, hæc scilicet æternorum recta intentio, æternorum studiosa meditatio, æternorum limpida contemplatio, æternorum charitatiua affectio, æternorum secreta reuelatio, æternorum experimentalis prægustatio, æternorum Deiformis operatio.

Ad itinerandum autem in his septem itineribus æternitatis, Dominus amorose inuitat spiritum humanum, ostendens & promittens ei septem adminicula, cooperantia ad ambulandum in itineribus æternitatis. Istam autem inuitationem mens humana diligenter aduertat. Quia sicut dicit Vercellensis super Cantica: Nihil est quod ad continuos sponsæ profectus eam promoueat efficacius, quàm Deum imitari, & ab eo inuitari effectiue. Hoc quidem exercitio continuo vniformiter proficiunt cælestes substantiæ, quæ non cessant post sponsum ingredi. Totus enim cursus amoris in assidua & continua huiusmodi inuitatione consistit, vt in fine libri Canticorum patet, dicit ergo: Surge, propera amica mea, & columba mea, formosa mea & veni. Amica, quia amans & amata. Ego enim diligo diligẽtes me. Columba mea, quia spiritu simplificata, sicut scriptũ est in Mathæo: Estote simplices sicut columbæ. Formosa mea, quia ad imaginem & similitudinem Dei facta, vt dicitur in Genesi. Surge igitur à temporalibus ad æterna tendendo, & propera, æterna inuestigando, & veni, æternitatem meam ingrediendo. Huius petitionis reddit causam, dicens: Surge, propera amica mea & veni, quia iam est itinerandi opportunitas temporanea, quia iam hiems transijt peccati infrigidantis, & itinera ambulantium obliquantis. Quia iam est itinerum optata facilitas, quia iam imber abijt & recessit, curæ distrahentis & itinerantes impedientis. Quia iam est itinerantium amœna iucunditas, quia iam flores apparuerunt in terra nostra. Quia iam tempus vernale venit, ex præsentia diuini solis in terra nostræ carnis. Quia iam est perambulantium alleuiata agilitas, quia iam tempus putationis aduenit, quo spiritus noster exoneratur ab omnibus superfluis & vanis. Quia iam est viarum reuelata veritas, quia vox turturis audita est in terra nostra verbi incarnati, omnem veritatem docentis. Quia iam est viatici desiderati satietas, quia ficus protulit grossos suos, scilicet Pater fons dulcedinis, Filium panem omnis suauitatis, & Spiritum sanctum potum sobriæ ebrietatis. Quia iam est medij odorifera suauitas: quia vineæ florentes odorem suum dederunt, idest potentiæ fœcundæ dederunt odorem bonæ famæ ex operibus odoriferis, quia bonus odor Christi sunt. Igitur surge, propera amica mea & veni. Vnde dicit Origenes: Quis iam non surget? quis non properet? aut quis non veniet vbi tot vtilitatum insignia concurrunt? Singula istorum adminiculorum applicabuntur singulis itineribus, vt patebit infra, & hęc itinera abscondita sunt à sapientibus & prudentibus huius mundi, & reuelata sunt paruulis, idest humilibus. Vnde dicit Hebacuc: Incuruati sunt colles mundi, idest sapientes, ab itineribus æternitatis eius, idest obliquati sunt à vijs rectis æterni Dei: quia qui à recta via declinant, quantò plus vadunt, tantò plus à termino rectæ viæ recedunt, & quantò plus se sapientes mundi ab æterna veritate auertunt, tantò plus stulti facti in temporalibus, euanuerunt; dicentes illud Sapientiæ: Sol intelligentiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis, viam Domini ignorauimus. Cum ergo Augustinus 14. & 15. de Trinitate dicit, quòd spiritus noster ad imaginem & similitudinem Dei æterni sit, & ex hoc æternitatis capax sit, & ex hoc sortiatur quandam iam participationem, dum etiam secundum substantiam, & secundum aliquas operationes intrinsecas sit supra tempus: quia in æuo quod est quædam æternitatis participatio, vt supra dictum est; ideo spiritus noster humiliatus & contritus, & à Deo amorose inuitatus ad veniendum per itinera æternitatis, ad suum intrinsecum secretum, & æternale manerium, secure & gaudens cum Psalmista petat, dicens: Deduc me Domine in via æterna.

Cant. 2. c

Prou. 8. b

Matt. 10. b

Gen. 1.

2. Cor. 2. d

Habac. 3. a

Sap. 5. a

Psal. 138. d

DE ITINERIBVS, QVIBVS AD ILlud intrinsecum secretum, & æternale manerium in Christo acceditur.

De primo itinere æternitatis.

PRIMVM igitur iter æternitatis, quod est æternorum recta intentio, spiritus humanus desiderio æternorum ab omnibus alleuiatus, & ad perambulandum incitatus & expeditus, primò aggrediatur vnum æternum intendendo, vnum æternum attendendo, vnum æternum ingrediendo, in vno æterno permanendo, propter vnum æternum quod est optimum & vnum necessarium, & finis quietans, & consummans multitudinem omnium desideriorum in vnum, quod non auferetur ab eo in æternum, vt patet in Luca. Sed quia nemo caute itinerat, qui vias itineris ignorat, ideo ad cognitionem istius viæ siue itineris, quod est æternorum recta intentio, oportet sex considerare per ordinem.

Luc. 10. g

Primum est, quæ sit necessitas istius itineris, & quare alijs itineribus præmittatur.

Secundum est, quid sit intentio, & à qua potentia animæ oriatur.

Tertium est, qualiter intentio nostra rectificetur, & Deiformis, & æterna efficiatur.

Quartum est, per quæ signa intentio recta simplex & perfecta cognoscatur.

Quintum est, qualiter per intentionem rectam spiritus humanus ad intrinsecum & æternale manerium Domini Iesu accedat & ingrediatur.

Sextum, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter illud, ad intrinsecum æternum IESV dulciter & amanter ab eo inuitatur.

DISTINCTIO I.

Quæ sit necessitas istius itineris, & quare alijs itineribus præmittatur.

PRimò igitur videndum est, quæ sit necessitas istius itineris, quod est æternorum recta intentio, & quare alia itinera præcedat. Circa quod notandum est, quod cum intentio finem actionis, & itineris nobis præostendat, vt dicit Gregorius 28. Moral. vbi sic dicit: Intentio priusquam se in actione exerceat, hociam quod appetit, contemplatur. Item cum intentio actionem dirigat nostram in operatione, vt dicit Gregorius ibidem, vna quæq; actio intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur. Item cum intentio operi nostro, quasi fundamentum finale præstituatur, vt dicit Gregorius 28. Moral. vbi dicit: Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus fulciuntur, ita vita nostra virtutibus, virtutes vero intima intentione subsistunt. Ideo rationabiliter iter intentionis alia itinera præcedere debet. Vnde Gregorius ibidem dicit: Vigilanti cura per cuncta opera intentio nostra nobis pensanda est, vt nihil temporale in his, quæ agit, appetat: sed totum se in soliditatem æternitatis figat: ne si extra fundamentum nostræ actionis fabrica ponatur, totum opus in nihilum soluatur: quia etiam summa opera inaniter fiunt, si intentiones cordium extra æternitatis rectitudinem deflectuntur. Hæc ille. Et ibidem dicit: Si recta intentio in operatione non tenetur, totum opus amittitur & deturpatur: Si autem recte intendimus, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum extra videatur. Plane ergo patere potest istius itineris necessitas in ordine respectu aliorum.

Greg. 28. Moral. c. 6. post med. *Ibidem.* *Ibid. paulo post.*

DISTINCTIO II.

Quid sit intentio, & à qua potentia animæ oriatur.

SEcundò videndum est, quid sit intentio, & à qua potentia animæ oriatur. De quo notandum est, quod sicut dicit Anselmus lib. de concordia præscientiæ, & liberi arbitrij. Voluntas est instrumentum seipsum mouens, & omnia alia instrumenta, quibus sponte vtimur, & quæ sunt in nobis, vt manū, linguam, visum & cetera huiusmodi, & quæ sunt extra nos, vt stylum, securim, & cetera huiusmodi, & facit omnes voluntarios motus: ipsa vero se suis affectionibus mouet in finem desideratum, & ideo sola voluntas elicit actum intentionis proprię dictæ & principaliter, sed à ratione siue intellectu dirigente siue dictante. Et nota, quòd hæc intentio non fit sine amoris desiderio: quia quantò maior est amor finis, tantò vehementior est motus intentionis in finem, ita quòd amor mouet in finem desideratum, sed intentio omnia per quæ amor potest consequi hunc finem desideratum, ordinat, & disponit ad illius finis consecutionem. Vnde Glossa super illud Psalmi: In laqueo isto quem absconderunt, dicit, quòd pes animæ est amor, & eo mouetur anima ad locum, quasi ad terminum ad quem tendit, idest ad dilectionem bonam vel malam, quo se peruenisse ad amorem lætatur, amor autem est actus voluntatis.

Psal. 9. d

Ex quo patet, quòd intentio proprie & principaliter, est actus voluntatis, vt elicientis, & libere ordinantis, & mouentis in finem, & à ratione directus. Et nota, quòd ista intentio vt est à voluntate per gratiam formata, non solum actualis, sed & habitualis facit actum & opus meritorium. Cuius ratio est, quia præter naturalem bonitatem, quæ est in actu voluntatis eo ipso quo est ens, tota alia bonitas ipsius est ex eius sufficienti ordine intentionis ad debitum finem. Tunc autem debiti finis est sufficiens ordo, quando ex parte agentis per intentionem bonam, fit ordinatio actus sui in debitum finem, & quādo ex parte actus est, quòd sit ordinabilis ad illum finem, vt per ipsum possit finis acquiri, idest quòd actus sit de genere bonorum, talis enim ordo includit bonitatem esse in actu, quæ sibi debetur ex obiecto debito, & ex forma debita, quæ est charitas, & ex circumstantia, & ex debito fine. Deficiente autem altero istorum, actus vitiosus est. Ex quo patet, quòd etiam actus indifferens per ordinationem debitam in debitum finem fit meritorius: quia intentio recta si sit actualiter à voluntate elicita mediante gratia, addit aliquam bonitatem supra habitum, cui debetur præmium substantiale. Per actus enim voluntatis elicitos ex gratia meremur vitam æternam. Ex his etiam patet, quòd intentio actualis est perfectior & magis meritoria habituali, quia addit aliquam bonitatem supra habitualem. Vnde Gregorius 28. Moral dicit: Sicut lucerna corporis est oculus carnalis lucens toti corpori, ita per radium intentionis illustrantur itinera actionis. Nam dicit Dominus: Intentio sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Intentionis descriptio. *Intentio actualis maioris est meriti, quā habitualis.* *Gregor. 28. Moral. c. 6. post med.* *Luc. 11. e*

DISTINCTIO III.

Qualiter intentio nostra rectificetur, & ex hoc Deiformis, & æterna efficiatur.

TErtiò videndum est, qualiter intentio rectificetur, & ex hoc Deiformis & quasi æterna efficiatur. De quo notandum est, quòd sicut dicit Hugo libro 1. de arca Noe: Cor hominis quod prius amore diuino stabile & fixum in æternitate perstitit, quia vnum amando vnum permansit, postquam per desideria terrena defluere cœpit, quasi in tot diuisum est, quot ea sunt quæ concupiscit, ergo secundum diuersitatem concupiscentiæ siue amoris erit diuersitas intentionis. Vnde Bernardus super Cantica ostendit, quòd si amans turpia appetit, etiam intentio turpis erit, & fœdans faciem animæ vel spiritus, & si honesta, etiam intentio honesta erit. Vnde Bernardus ibidem describit diuersas intentiones, secundum diuersas affectiones.

Hugo lib. 1. de arca Noe in prologo. *Bernar. in Cant. Ser. 40.* *Diuersificantur intentiones iuxta diuersitatem affectionū*

Primò ergo secundum Bernardum, est quædam intentio peruersa & iniqua: vt illa quæ procedit ex voluntate affectata carnaliter, siue ex amore carnali tendens ad finem, qui contrarius est vltimo fini & æterno, vt est intentio illorum, qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est, qui intendunt, gulæ, vt magis possint exercere actus luxuriæ. Talis intentio est obstinatorum in temporalium amore. Vnde Bernardus ibidem dicit: Tendere non in Deum, sed in sæculum sæcularis animæ est, vt dictum est, & habet talis faciem fœdissimam fœtore peccati.

Phil. 3. d

Secundò est intentio quædam ficta & falsa, vt quæ procedit ex voluntate affectata mendaciter tendens in Deum apparenter & false & non vere, quia propter fauorem hominum, de qua dicit Bernardus ibidem: Tendere quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ plane animæ est, omnem decorem animæ exterminantis, & totam illam fœdantis propter turpitudinem hypocrisis.

Tertiò intentio quædam est obliqua & mercenaria, vt quæ procedit ex voluntate affectata pusillanimiter tendens in Deum non propter Deum, sed propter præsentis vitæ necessaria, ex qua recuruatur ad se. Vnde mercenaria est, quia veris filijs non conuenit, vt patet per Ambrosium, qui dicit in Glossa Luc. 15. sic: Filius, qui habet sancti Spiritus pignus, in corde sæcularis mercedis lucra non quærit, sed seruat ius heredis. De hac intentione dicit Bernardus ibidem: Si autem intentio solum vel maxime ob vitæ præsentis necessaria, se ad Deum conuertit, non quidem fæce hypocrisis fætidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus obscuram & minus acceptam eo quòd nō quærit Deum propter se, ideo prędicta tria itinera sunt obliqua & temporalia, non æterna.

Amb. lib. 7. in Luc. cap. 15. tom. 3. Bern. ibid. vbi supra prox.

Quartò quædam intentio est recta, quæ est & propter Deum principaliter, & propter ipsum directa quæ est actuum bonorum, & hæc procedit ex voluntate affectata spiritualiter, idest æstu diuini amoris calefacta. Quæ

voluntas

voluntas sic æstuans, intentionem ad consecutionem æterni finis desiderati operando impellit, liquefaciendo in Deum dirigit, nec eam sistere nisi in Deo æterno finit. Vnde Origenes super Cantica dicit: Qui sancto desiderio intus æstuat, ad quodlibet opus bonum habilis inuenitur, quia nihil duri in corde, idest in intentione portat, quod non feruore æstuantis desiderij in Deum liquescat. Hæc Origenes. Hæc tamen intentio perfectum decorem non habet per omnia, quia adhuc circa multa est occupata, licet propter Deum. Vnde Bernardus vbi supra dicit: Porro in aliud tendere quàm in Deum, & tamen propter Deum, non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem, vt quæ huiusmodi est, quidquam dixerim illam habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmauerim peruenisse decoris; quippe, quia adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non aspergi; quem tamen facile citoq; deterget in hora sanctæ deuotionis, vel dormitionis casta intentio, & bonæ conscientiæ interrogatio ad Deũ. Hæc Bernardus super Cantica.

Quintò intentio quædam est recta, simplex, & magis immediata, & odore finis æterni dulciter allecta, quæ est contemplatiuorum, & illa procedit ex voluntate finis æterni affectiua experimentaliter. Experimentalis enim odor vltimi finis, omnia alia aliquo modo contemnere facit, ex quo intentionem in nullo alio fine quiescere facit, sed eam quantum potest vltimo fini immediate vnit. Dicit enim Hugo, quod experientia est mater vel magistra intelligentiæ, & quod ille optime veritatem nouit, qui eam non audiendo solum, sed etiam gustando & faciendo didicit. In tali enim experientia intentio non ambulat, sed quasi currit. In odorem, inquit Sponsa, curremus vnguentorum tuorum. Hæc intentio tendit in Dominum solum immediate quantum potest, & propter ipsum; sed vt pluries non totaliter propter ipsum solum, sed etiam quærit propter se delectari, & consolari, retinens adhuc aliquid de proprio, vt dicit Bernardus: & ideo talis intentio diuisa est. Talis clamat cum Petro: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Et cum Psalmista: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Quam tamen intentionem Dominus non reprehendit, quia non principaliter quærebat mercedem, sed Domini voluntatem, cum multi tales sint in æterna domo Patris.

Hug. super 7. Angel. hierarc. lib. 7. post med. — *Cant. 1. a* — *Matt. 19. d* — *Psal. 118. o* — *Luc. 15. d*

Sextò intentio quædam est immediata, simplificata, & Deificata, & amore finis æterni totaliter attracta. Et hæc est beatorum in patria, & inde intentio fit intentio æterna, & elicitur à voluntate affectata Deiformiter. Deificatio autem, vt dicit Bernardus, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium sed totum per intentionem dirigit in Deum. Vnde dicit ibidem sic: O pura & defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior, & purior, quo in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur, eo suauior, & dulcior, quo totum diuinum est quod sentitur. Sic affici Deificari est, sic omnem tunc in sanctis qui sunt in patria, humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse est quiescere, & à semetipsa liquescere, atq; in Dei penitus transformari voluntatẽ. alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine aliquid de homine superest? manebit quidem substantia, sed in alia forma, in alia gloria, aliaq; potentia. Et videtur sentire Bernardus hoc impossibile fieri, nisi post resumptionem corporum, cum beati adhuc ante resumptionem corporum, desiderio naturali appetant vnionem corporum suorum. Hæc Bernardus. Idem sentit Augustinus de appetitu corporum, vt patet lib. 12. super Genesim.

Bern. lib. de diligendo Deo post medium. — *Aug. lib. 12. super Gen. c. 35. tom. 3.*

DISTINCTIO IV.

Per quæ signa, recta & simplex intentio cognoscatur.

QVartò videndum est, per quæ signa recta & simplex intentio cognoscatur. Circa quod notandum est, quòd huius intentionis aliqua signa sunt quasi exteriora, & quoad homines, & quædam interiora, & quoad conscientiam. Signa ergo exteriora rectæ & simplicis intentionis, secundum Origenem exponens illud: Quàm pulchri sunt gressus tui, &c. sunt quinq;. Loquens ergo de multa pulchritudine gressuum intentionalium dicit: Sponsa calceata pulcherrime incedit, quasi rectissima intentione. Post sanctorum exempla incedit calceata, sed hypocrita nudo pede incedit, quia Deũ sequitur corrupta intentione, caret enim exemplari pelle, vterq; tamen ex fructibus suis cognoscitur. Et ponit ibi quinq; signa rectæ & simplicis intentionis, per quæ illi ab istis distinguuntur.

Cant. 7. a

Primum signum est humanæ laudis detestatio, & Dei glorificatio. Vnde Saluator: Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. De hoc dicit Chrysostomus: Tuba est omnis actus, per quem operis iactantia demonstratur.

Matt. 6. a — *Chrys. homil. 13. in Matth. paulo ante medium.*

Secundum signum, est sobria tristitia, & exultatio mentis. Vnde Christus dicit: Cum ieiunatis, nolite fieri, &c. vbi Origenes dicit: Non inueni verius signum boni cordis, quàm si erumpat foras dulcedine mentis, & frequentia sobriæ exultationis & tristitiæ.

Matt. 6. b

Tertium signum est ordo correctionis, vt primò à teipso incipias, & post, alios corripias. Vnde in Matthæo dicitur: Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Et Origenes ibidem: Nisi fallar nihil aliud appetis, nisi apparere iustus, dum me corripis & te negligis; aut si me & te corripis, quare à me incipis & non à te?

Matt. 7. a

Quartum signum est benignitas compassionis. Vnde Saluator dicit: Væ vobis scribæ hypocritæ, qui alijs clauditis regnum cælorum, & imponitis eis grauia onera, &c. Gregorius: Qui bonus est corde, benignus est compassione.

Matt. 23. b

Quintum signum est immobilitas mentis, tam in aduersis, quàm in prosperis, quæ vt alter Iob omnia æqualiter acceptat, dicens: Si bona accepimus de manu Domini, cur non similiter & mala? Vnde Gregorius exponens illud Iob. 1. Erat simplex & rectus, dicit: Simplex & rectus est ille, qui in aduersis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur vel incuruatur, qui ad superiora totus erigitur, qui Domini voluntati humiliter subijcitur. Hæc Gregorius. Hæc Origenes breuiter enumerat dicens: Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamento tuo filia principis. Si in operibus, quæ agis laudem humanam vitas, si sobrie exultas, si primo te corripias, si alijs benignitatem exhibeas, si patientiam in aduersis ostendas. Hæc sunt signa exteriora.

Iob. 1. a

Post hæc primò videndum est de signis interioribus rectæ & simplicis intentionis. De hoc nota, quòd Bernardus libro de præcepto, & dispensatione, dicit sic: Vt interior oculus intentionis veræ sit simplex, duo arbitror illi necessaria esse, scilicet charitatem in intentione, & veritatem in electione. Primò necessaria est charitas in intentione. Cuius ratio est, quia charitas intentione ad omnia, quæ ad finem sunt principaliter intenta, dirigit & extendit, & per hoc arctius vnit, cum in omnibus vnum intendit, & ad vnum tendit, & omnia quantum potest cum illo vnire quærit. Vnde Gregorius in pastorali dicit: Charitas diuisa vnire consueuit, & cor iusti non diuidi per multa compellit: quod tantò arctius in Deo colligit, quantò illud latius per sancta desideria spargit.

Bernar. de præcep. & dispens. c. 17.

Secundò ad hoc quòd oculus intentionis sit rectus, & vere simplex, requiritur veritas in electione, quia illa non sinit errare circa finem intentum. Vnde Bernardus ibidem dicit: Quomodo deniq; simplex erit oculus intentionalis, cum ignorantia veritatis etiam qui bonum diligit, & malũ nescius agit? Sed illius nõ immeritò oculum simplicem duxerim, cui neutrum bonum desit, quia ista duo, oculum intentionis faciunt simplicem, scilicet amor boni, & cognitio veri. Hæc Bernardus. Sic igitur nec charitas intentionem sinit ante finem intentum

Bern. ibid.

Bern. ser. 6. in Ascens. Dom. post. med. Psal. 50. b

tentum stare, nec veritas finit eam circa finem errare. Veritas enim non amat angulos, nec ei diuersoria placent, ait Bernardus. Igitur opus per intentionem bonam agitur, quando illa charitate & veritate munitur. Spiritum igitur rectum innoua in visceribus meis.

DISTINCTIO V.

Qualiter per intentionem rectam & simplificatam spiritus humanus ad intrinsecum, & æternale manerium Domini Iesu accedat, & ingrediatur.

QVinto videndum est, qualiter per intentionem rectam & simplificatam, spiritus humanus ad intrinsecum & æternale manerium Domini IESV accedat, & ingrediatur. De hoc nota, quod cum recta & simplex intentio sit quædam tendentia recta sine obliquitate, & simplex sine admixtione, in æternitatem à voluntate desideratam, & à ratione dictatam, consequens est, quod intentionis tendentia continua est æternitatis considerata approximatio, & attingentia continua. Vnde Hugo libro 1. de arca Noe dicit sic: Hoc est ad Deum tendere, semper eum per desiderium quærere, per cognitionem inuenire, & per gustum tangere. Intentio charitate & veritate munita, omnia temporalia derelinquat, & ad æterna redeat donec intentio tentio fiat, vt dicere possit Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittã, donec eum introducam in omnes mentis capacitates, tam communes quam singulares, vbi intentio omnibus inferioribus superfertur, extra mundum constituitur, in æternis collocatur & quietatur. Vnde Gregorius 25. moral. dicit sic: Si semel in appetitione cælestis patriæ forti stabilitate animus pro intentione figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe exterioribus motibus eandem intentionẽ suã quasi quẽdam secretũ secessum petit, ibique incõmutabili inhærens & mutabilia cuncta transcendens, iam ipsa trãquillitate quietis suæ in domo, scilicet in mundo, extra mũdum est. Excedit quippe omnia ima, intẽtione summorum, & cunctis rebus quas non appetit, libertate quadã superesse se sentit, nec tempestatem rerum temporalium intus sustinet, quam intuetur foris: quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, despecta subitus iacent. Vnde per prophetam dicitur: Statue tibi speculam, quia dum quisque speculatur summa, supereminet infimis. Hæc Gregorius. Si igitur spiritus noster in se bene ordinatus, cum omnibus actionibus in vnum se colligat, sursum ad æterna tendat, & licet quoad aliqua instabilis permaneat, intentione tamen in æternitate stabilis persistit quæ nõ nisi in æternis stabilitur. Dicit Gregorius. & Hugo libro 4. de arca Noe. Quamdiu homo ordinem suæ naturæ tenuit, quamuis per actionem variaretur, interius tamen per intentionem & amorem stabilis permansit; quia vnum intendebat, & propter vnum omnia faciebat, vnum diligebat. & omnium voluntatũ atque actionum suarum finem ad vnum referebat creatorem suum, qui solus sufficiebat. Hæc ille. Et Basilius exponens illud Luc. Porro vnum est necessarium dicit: Vniformis est vita Christiana, ad vnam tendens intentionem, scilicet gloriam Dei: multiformis vero & varia est vita eorum quæ deforis sunt, pro libitu suo variata.

Hugo lib. 2. de arc. morali cap. 4. circa med. — Cant. 3. b — Hier. 31. d — Hug. lib. 4. de ar. mor. ca. 3. statim à pri. — Luc. 10. g

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus ad veniendum per iter rectæ & simplicis intentionis ad æternum intrinsecum Domini IESV dulciter ab eo inuitatur.

SExto videndum est, qualiter spiritus ad veniendum per iter rectæ & simplicis intentionis ad æternum intrinsecum Domini IESV, dulciter ab eo inuitatur, dicente sponso in Canticis: O amica mea propter intentionis tuæ simplicitatem, tam in quiete interioris contemplationis, quam in exercitio exterioris actionis & in consolatione Angelicæ allocutionis me solum intendebas, cum me in lectulo quæsisti, ciuitates circuisti, vicos perambulasti, custodes Angelicos sustinuisti, quare pertransitis his omnibus singularis me singulariter inuenisti & tenuisti? Surge, si enim amica mea es, surgendum est tibi, per tuæ intentionis stabilitatem ad me incessanter tendendo, quia & si me vt amicum inuenisti, nondum tamen ad plenum cognouisti. Quære ergo faciem meam semper cum Psalmista. Quia qui sine fine est amandus, sine fine est quærẽdus, ait Augustinus in glossa. O columba mea propter intentionis simplicitatem & vnitatem. Vna enim est columba mea, quæ vt dicit Vercellensis ibidem vnica simplicem habens intuitum. vnde signat puram intelligentiam contemplans diuinam simplicem essentiam, ex quo simplificata magis fuit, sicut scriptum est: Estote simplices sicut columbæ. Propera propter intentionis tuæ agilitatem mihi continue approximando, quia per continuam desiderati finis intentionem, consequeris continuam approximationem ad me, qui sum principium & finis. Principium te liberaliter creans, finis te finaliter quietans. O formosa mea, propter intentionis tuæ Deiformitatem. Ipsa enim intentio ait Dominus, quasi lucerna fulgoris illuminabit te, vt iam mihi proprium in te relinquens, quod in me amorose non ordinaueris, propter quod pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni igitur ad meam diuinitatem, quia intentionis tuæ tendentia non quiescit nisi in mea æternitate, quæ est secretum meum intrinsecum & æternale manerium. Veni autem, quia iam est itinerandi temporanea opportunitas. quia iam hiems transiit. Quod Vercellensis exponens ait: Hiems multiplici intemperie itinerantes præpedit. Vnde Dominus ait; Orate, ne fuga vestra fiat hieme vel sabbato. Hiemis igitur nomine, inquit Vercellensis, intelliguntur quælibet impedimenta, vel offendicula itinerum æternitatis. Horum autem itinerum offendicula, sunt concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, cum omnibus familijs suis, sed hæc omnia iam sunt diminuta, quia iam hiems transiit. Hæc ille Et æstas solis æterni incarnati Verbi, iam in terra nostra apparuit, & ideo iam temporanea itinerandi est opportunitas, ideo dicit Vercellensis: Hæc itinera sibi carpit Sponsa per totam seriem Canticorum Sponso vocante, illuminante, adiuuante, supportante, & amplexante, cælestibus peranymphis obsequia sua impendentibus. Hæc ille. Veni ergo ô amica mea quia iam hiems peccati intentionis tuæ ascensum retrahentis transiit. Veni columba mea, quia iam hiems peccati intentionis tuæ agilitatem retardantis, abijt. Veni formosa mea, quia iam hiems peccati intentionem pulchritudinis tuæ deturpantis recessit. Veni autem amica mea, per intentionis tuæ singularitatem, vt me æternaliter amplexeris. Veni columba mea, per intentionis tuæ Deiformitatem, vt me æternaliter fruaris. Ego enim perpetua dilectione dilexi te. Ad quam fruitionem æternam nos perducat, qui in æternum regnat æternus Deus in æternum benedictus. Amen.

Cant. 2. c — Cant. 3. a — Psal. 26. c — Cant. 6. c — Mat. 10. b — Apoc. 21. c — Luc. 11. e — Mat. 24. b — Hier. 24. b

DE SECVNDO ITINERE

Æternitatis.

SECVNDVM iter æternitatis per quod spiritus humanus tendit ad intrinsecum secretum, & æternale manerium Domini IESV, id est, ad æternam eius diuinitatem, est æternorum studiosa meditatio. De quo itinere sunt septem per ordinem notanda.

Primum est, qualiter iter studiosæ meditationis immediate iter rectæ intentionis sequatur.

Secundum est, quid sit meditatio, & qualiter à cogitatione distinguatur.

Tertiũ est, qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum illuminet, & confabuletur.

Quartum

Quartum est, qualiter spiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

Quintum est qualiter allocutio diuina intrinseca à nostra meditatione distinguatur.

Sextum est, qualiter spiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini Iesu ingrediatur.

Septimum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter meditationis, ad æternitatem à Iesu inuitatur.

DISTINCTIO I.

Qualiter iter studiosæ meditationis iter rectæ intentionis sequatur, & de necessitate huius itineris.

PRimo igitur notandum est, qualiter iter studiosæ meditationis, iter rectæ intentionis sequatur, & quæ istius itineris sit necessitas. De quo notandum est, quod cum radius rectæ & simplicis intentionis, spiritu humano æternum & beatificum finem omnis consolationis vel cōsummationis, quasi speculatiue præostendat, quod necessarium est, quia nisi spiritus humanus finem illū aliqualiter præcognosceret, nesciret quo tenderet, vel vbi qu esceret, & nisi illum finem aliqualiter desideraret & inueniret, nunquam quærere curaret, sed vagus & profugus super terram, vt alter Cain à facie Domini proiectus, nunquam stabilis permaneret, vt dicit Hugo libro 1. de arca Noe, meditatio studiosa per omnia discurrendo ad hunc finem intentū inuestigando, quasi practice quærat, & inueniat, & spiritum ad illum cum animi ratione, & exultatione non desistat adducere; ideo rationabiliter immo necessario iter meditationis immediate sequitur iter intentionis. Vnde Richardus dicit: Meditationis studium est semper quouis industriæ labore, qualibet animi difficultate, ardua quæque apprehendere obscura irrumpere, occulta penetrare, donec veritatem diu quæsitam inueniat, & animum siue spiritum ad veritatis contemplationem, cum admiratione & exultatione adducat. Hæc ille. Hæc etiam duo itinera mutuo se iuuant. Intētioni duo sunt necessaria scilicet amor boni, & cognitio veri, vt supra dictum est: sed meditatio hæc duo augmentat, & confortat suo feruore, quia secundum Psalmistam: In meditatione mea exardescet ignis, quia intētionem ad cognitionem veri illuminat, & quoad desiderium boni finis inflammat, ex quo intentio meditationē in finem intentum & desideratum rectius dirigit, & vehementer impellit. Item intentio finem itineris ostēdit, meditatio vero viam ad summa & æterna pandit, & quæ sint necessaria itineri prouide disponit. ait Bernardus. Ex his patet, quare iter meditationis sequatur iter intentionis & eius necessitas.

Gen. 4. b
Hug. lib. 1. de ar. mor in prologo.
Richar. de arca myst. li. 1. c. 4.
Psal. 38. A
Bern. in 1. serm de S. Andr. in fi.

DISTINCTIO II.

Quid sit meditatio, & qualiter à cogitatione distinguatur.

SEcundo videndum est, quid sit cogitatio, ne spiritus humanus per viam cogitationis, pro via meditationis iter arripiat. Oportet scire quid sit cogitatio, & quid sit meditatio, & qualiter inter se distinguantur. De quo nota quod Richardus dicit sic: Sciendum, quod vnam, eandemque materiam habentia, aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur. Multum enim à seinuicem differunt hæc, quamuis quandoque in materia conueniant. Et ideo dicit Richardus ibidem: quod cogitatio est ipsius animi aspectus, ad euagationē pronus. Ipsa enim singulis pene momentis consueuit se ad inepta & friuola ralaxare & sine vllo discretionis freno ad omnia se in gerere, vel præcipitem dare. Meditatio vero vt dicit idem, est studiosa mentis intentio, ad inuestigandum diligenter intendens; & est prouidus animi intuitus, ad veritatis inquisitionem vehementer occupatus. Ex his patet multiplex istorum differentia, vt ostendit Richardus ibidem dicens: Prius differunt, quia cogitatio per diuersa quæque lento pede graditur, sine respectu peruentionis, passim huc illucque vagatur. Meditatio vero sæpe per ardua, & aspera ad directionis finē cum magna animi industria peruenire nititur. Secundo differunt, quia cogitatio serpit: meditatio incedit & vt plurimum currit. Tertio differunt, quia cogitatio est sine labore, & fructu: meditatio vero cum labore, & fructu. Quarto differunt, quia cogitatio semper vagis motibus de vno in aliud transit: meditatio autem sem per circa vnum aliquod incessanter incedit. Quinto differunt, quia cogitatio oritur ex imaginatione, & ideo quandoque est sine ratione. Ad cuius intellectum nota, quod sicut dicit Richardus, duplex est imaginatio. Vna est bestialis, alia rationalis. bestialis sine vtilitate, & deliberatione huc illucque discurrit, quod & bestia facere potest. Rationalis autem, est illa qua imaginamur diuersa, componendo vel diuidendo prout volumus, quod bruta non possunt sic facere. Meditatio enim oritur ex ratione: vnde quandoque transit in contemplationem per admirationem, & exultationem. Hæc ille. Et sic apparet, quid sit cogitatio, & quid meditatio, & qualiter inter se differunt & conueniūt. vnum tamen pro altero frequenter ponitur. quia cogitatio in meditationem conuertitur, vt dicit Richardus.

Rich. de arca mystica lib. 1. c. 3.
Rich. in lib. Beniam. mi. nor. c. 16.
Rich. lib. 1. Beniam. maior. de contempl. c. 4.

DISTINCTIO III.

Qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum illuminet, & alloquatur.

TErtio quia allocutio diuina illuminans mirabiliter à montibus æternis, mentem hominum ad ambulandum ad æterna inducit, & alleuiat viam: ideo notandum est, qualiter in itinere meditationis Deus spiritum humanum alloquatur, & de æternis quandoque quasi confabuletur, ne sicut dicit Bernardus, itineratis laboribus fatigentur, sermonibus delectati. Dicit namque Bernardus super Cantica sic: Deus quasi viator quispiam itinerantibus sese associans, iucundis confabulationibus suis, à labore viæ omnem hominem releuat & commutat, ita vt eo discedente loquantur: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Hæc ille.

Primo ergo videndum est, qualiter Deus in meditationibus nostris cum spiritu nostro loquatur & cōfabuletur. De quo notandū est, quod Dionysius in principio Angelicæ hierarchiæ dicit: Pater æternus lumen generat simplicissimum in essentia, & ipsum vniuersale lumen ab ipso Patre prodiens, ad communicandum sui cognitionem & participationem, non solum admittit cælestes mentes, sed & ad nos per distributionem bonitatis suæ venit, vt nos ab infimis separatos, suscitet ad sui desiderium & cognitionem, & remota mentis distractione, conuertit nos ad congregantis Patris visionem æternam. Hæc ille. Et hoc est lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum in se est: sed diuina illuminatio, est inspirata Dei locutio. Vnde Gregorius 2. Moralium dicit: Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Et Augustinus de triplici habitaculo dicit sic: Dei locutio est occulta inspiratio, qua mētibus suam voluntatem, & suam veritatem ostendit visibiliter. Sic & Gregorius 2. Moral. ostendit, quod Deus nos alloquitur per inspirationem mentis intrinsecam. Vnde & 35. Moral. dicit sic: Loquitur quippe Deus intrinsecus silenter, sonans inuisibili lingua compunctionis, & quanto plenius intus auditur, tanto ab exteriorum desideriorum strepitu perfectius audiens auertitur, vt cum Propheta Dauid dicat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, &c. In his qui conuertuntur ad cor, id est, mentem, in qua Deus tanquam in imagine sua habitare dignatur. Quomodo autem ibi habitaret æternus, & non loqueretur de æternis?

Bernar. in Cant. ser. 31
Luc. 24. c
Ioan. 1. A
Greg. lib. 2. Moral. c. 4. ante med.
Aug. de tripl. hab c. 3. ante med. 10
9. Grego. vbi sup proxi & lib. 35. Mor. c. 3 Greg. lib. 27. Mor. c. 13. post med in sensu.
Psal. 84. c

Secundo nota quis diuinam allocutionem audiat. Ad hoc respōdit Dominus dicens: Qui habet aures audiendi audiat.

Matt. 11. b

Apoc. 2. audiat. Et in Apocalypsi: Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs. Quod exponens Richardus ibidem dicit: Aures audiendi habet ille, qui spiritum habet intelligendi, & affectum diligendi, & pro merendi ea quæ dicũtur vel promittũtur. Vnde Dominus loquens Iudæis surdis quantũ ad auditũ interiorẽ, siue sensum spiritualẽ, dixit, quare non cognoscitis loquelam meam? quia non potestis audire sermonẽ meũ. quia ex Deo non estis, sed ex patre diabolo estis, qui in veritate nõ stetit, & ideo mẽdax est. sed qui ex Deo est, verba Dei audit, & si quis sermonem meum seruauerit, mortem nõ gustabit in æternum. sed qui viuit habet sensus interiores spirituales viuaces, sed tamen non omnes habent eos exercitatos, & apertos ad audiendum verbum Dei. Nisi enim sensus auditus interior excitetur, & à Iesu aperiatur, spiritus noster surdus, & mutus ad audiendum efficitur, vt de talibus dicatur illud Psalmi: Aures habent, & & non audient Deum intus loquentem, nec enim est spiritus in ore ipsorum ad Deum alloquendum. His concordat Gregorius 27. Moral. vbi dicit sic: Vox Domini auditur, cum gratiæ eius aspiratio mente concipitur, cum sensualitas occultæ nostræ surditatis rumpitur, tunc auditus reparatur. De hoc nota infra in sexto itinere dist. 4.

Psal. 113. b — *Greg. 27. Mor. c. 13. paulo post prin.*

Sed qualiter sensus interiores reparantur, & excitantur, docet Apostolus ad Romanos, vbi dicit: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis, scilicet secundum spiritum. Qui autem secundum spiritum viuunt, quę spiritus sunt, sentiunt, id est, spiritualia eius sapiunt. Cuius ratio est, quia viuificato spiritu viuificatur & sensus spiritus, vt in spiritualibus exercitentur, & delectentur in eis, scilicet in spiritualibus. quod non solum verum est de sensu interiori auditus, sed etiam de omnibus sensibus interioribus. Quod etiam probatur in libro de spiritu, & anima, vbi dicitur sic: Cum exterior sensus carnis bono suo vtitur, interior sensus quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui iucunditate exteriorum bonorum capitur. Nam qui in carne viuit, in carne sentit, & dolores carnis fugit quantum potest, & consolationes quærit carnis, sed talis vulnera animæ prorsus ignorat: ideo nec medicinam quærit eis. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vadit in carne, nunc viuificari incipiet sensus interior, quo sentit semetipsum, & tunc sciet dolores suos spiritus, & sentire incipiet sua vulnera, & etiam oblectamenta sua, & tanto perfectius, quanto intimius. Hæc ille. Tales ergo cum iam habent interiorem auditum apertum, audiunt Deum in se loquentem, vt dicant illud Psalmi: Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud: & de hoc infra in 6. itinere dist. 3.

Rom. 8. c — *Auct. de sp. & ani. c. 9. in fin. apud Aug. to. 3.* — *Psal. 118. f*

Tertio etiam nota quod sicut patet per Gregorium 2. Moral. Deus non omnes æqualiter alloquitur in meditationibus suis. nec vnumquemque hominem omni tempore æqualiter alloquitur, sed prout vnicuique opus est. Quare & dominus discipulis dixit: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Greg. 2. Mor. 4. — *Ioan. 16. b*

Item sciendum est, quod Dominus multipliciter loquitur nobis, primo aliquando acriter arguendo, dicens: Quos amo, arguo, & castigo. Quod Richardus, & Haymo exponentes dicunt: Vt ad illud quod Dominus suadet, nos perducat, proponit arguere & castigare quos amat. ideo libenter toleranda sunt eius verba & verbera. Secundo terribiliter comminando, dicit: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & in ignem mittetur & ardet. Tertio, prudenter docendo, dicit: Vos dixi amicos. Quare: quia omnia, quæ a Patre meo audiui, nota feci vobis. scilicet quæ necessaria ad salutem fuerunt, ait Chrysostomus. In Matthæo, Aperiens os suum docebat eos. dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quarto, vtiliter suadendo, dicens: Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, vel locuples fias. Per aurum, vt dicit Richardus ibidem, signatur charitas, quæ vt aurum fulget, quæ dilectione feruet, quæ in tribulatione fornacem examinationis sustinet. Hæc ille. Quinto, veraciter promittẽdo. Vnde ait Dominus: Qui diligit me, sermonẽ meũ seruabit & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hic tria promittit, scilicet, dilectionem, visitationem, & mansionem. Quid maius his? Sexto, dulciter consolando dicens: Comedite amici mei, & inebriamini charissimi. Comedite corpus meum, bibite sanguinem meum, & inebriamini diuinitate mea. Verbum caro factum est, vt cibus angelorum fieret cibus hominum, ait Gregorius. Septimo, familiariter susurrando. vnde in Iob dicitur: Porro dictum est ad me verbum absconditum, & quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius. Quod Gregorius exponens 5. Moral. dicit: quod per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligitur, quæ mentem siue spiritum contingens subleuat, & temporales cogitationes deprimens, hanc æternis desiderijs inflammat, vt nihil nisi superna cogitare libeat, & cuncta inferiora contemnat. Absconditum igitur verbum audire, est locutiones sancti Spiritus in corde concipere, quem mundus audire non potest, quia Spiritum sanctum accipere non potest, qui ad diligenda inuisibilia non assurgit. Hæc Gregorius. *Sequitur.* Et quasi furtiue suscepit auris mea venas susurri eius, vbi dicit Gregorius: Susurrium occulti verbi est ipsa locutio aspirationis internæ. Venæ autem susurrij, dicuntur earum cogitationes, quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Venas igitur superni susurrij auris cordis furtiue suscipit, quando subtilitatem locutionis intime afflata mens raptim, & occulte cognoscit. Nisi enim ab exterioribus desiderijs se abscondat, interna non penetrat, & occultatur vt audiat, & audit vt occultetur. Hæc ille. Verba huius diuini susurrij quandoque sic sunt abscondita & occulta, vt in intimis audita, extra dici non possint. Vnde dicit Gregorius 25. Moral. Riuuli spiritualium donorum, in amantis mente, ita de cælestibus subtiliter currunt, vt per os carnis explicari non possint. Hæc ergo nemo scit, nisi qui accipit, ait Dominus in Apocalypsi, vbi dicit Haymo, qui ad hoc prædestinatus est, vel vt dicit Augustinus ibidem, qui acceperit per experientiam, vel per reuelationem. Et huius allocutionis habuit experientiam, qui dixit: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Sic igitur apparet, qualiter Deus spiritum nostrũ in meditationibus alloquatur.

Apoc. 3. d — *Ioan. 15. a* — *Ioan. 15. c* — *Chrys. homil. 76 in Ioan. ante med to. 3.* — *Mat. 5. a* — *Apoc. 3. d* — *Ioan. 14. b* — *Cant. 5. a* — *Greg. lib. 5. Mor. c. 16. statim à pri.* — *Ibid. c. 20.* — *Greg. lib. 25. Mor. c. 10.* — *Apoc. 2. c* — *Cant. 5. b.*

DISTINCTIO IIII.

Qualiter spiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

QVarto videndum est, qualiter spiritus noster, siue mens nostra, in meditationibus suis Deum se alloquentem alloquatur. Cum enim Deus, vt iam supra dictum est, spiritum siue mentem nostram in meditationibus quandoque tam amicabiliter & dulciter alloquatur, vt spiritus noster quasi admirando eum Propheta clamet: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo: condecens & necesse est, vt spiritus noster Deum alloquentem se, humiliter & dulciter cum reuerentia, & cum gratiarum actione alloquatur, dicens cum Psalmista: Si immaculatus ero: erunt, vt complaceant, eloquia oris mei quantum ad allocutionem exteriorem: Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper quantum ad allocutionem interiorem. De hac allocutione dicit Bern. Sicut quondam Moyses quasi amicus ad amicũ cum Domino loquebatur, & Dominus respondebat, ita & tunc inter verbum & animã, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur allocutio. Nec mirum, ex vno enim fonte amoris vnicuique influit diligere inuicem, & confoueri pariter. Dulciora ergo melle volant hincinde, totius in se verba suauitatis & mutui feruntur aspectus, sancti indices amoris, cum dicat alter in Canticis: Ecce tu pulchra es amica mea. & statim altera dicat: Ecce tu pulcher es dilecte mi. ibidem Lectulus noster floridus. Hæc ille.

Psal. 118. n — *Psal. 18. c* — *Bern. super Cant. ser. 45. in prin.* — *Cant. 1. d*

Primo igitur de ista allocutione notandum est, quod Deus summe affabilis, vt spiritum siue animam ad hanc allocutionem animet & incitet, ipse prior alloquitur eã, dulciter inuitando ad se alloquendum, dicens: Sonet vox tua in auribus meis, id est, desiderium tuum. Et reddit illius rationem, dicẽs: Vox enim tua dulcis; quia procedit à fonte dulcedinis inspiratæ charitatis, & ex fonte candidæ & sapidæ veritatis, ideo in spiritu & veritate sonent in auribus meis. Et quia verba tua exteriora dulcescunt ex dulcedine verborum interiorum, ideo fauus distillans sunt labia tua, quantum ad verba exteriora, quia, mel dulcis charitatis, & lac candentis veritatis sub lingua tua abscondita sunt quantum ad verba interiora. ideo dicit: Eloquium tuum dulce.

Cant. 2. d

Cant. 4. c

Cant. 4. b

Secundo de ista allocutione nota, quid sit os animæ vel spiritus: & quid lingua quibus Deum alloquimur, Gregorius 15. Moral dicit, quod os cordis, id est, animæ, est meditatio siue cogitatio, alias Propheta non diceret: Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Ex abundantia enim cordis loquitur, tam spirituale, quam corporale, siue bonum, siue malum. Lingua vero spiritus siue animæ quid sit, ostendit Bern. dicens: Verbũ Dei est spiritus & anima est spiritus, & habent linguas suas, quibus sibi se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Et verbi diuini lingua, est fauor dignationis. Animæ vero lingua, est feruor deuotionis. *Et sequitur ibidem.* Elinguis est anima atque infans, quæ hanc non habet & nullatenus potest illi esse sermocinatio cum verbo Dei. Ideo cum verbum huiusmodi linguam mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non scire, vel sentire eius sermonem. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem spiritus & animæ. Et rursum cum sua verba mouet anima, verbum Dei multominus potest latere, non propter hoc quia vbique præsens, sed magis propter hoc quod nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minime ad loquendum moueretur. Hæc omnia Bernardus, & Gregorius.

Greg lib. 15. Moral. c. 5. post med.

Psal. 11. a

Bern super Cant. ser. 45. post med.

Heb. 4. c

Tertio necessarium puto, circa istam allocutionem spiritualem scire, quid sint verba spiritus, & animæ & qualiter diuersimode Deum alloquitur anima. De hoc dicit Gregorius, 2. Moral. sic. Animarum verba sunt ipsa desideria. Nam si desiderium sermo non esset, propheta non diceret: Desiderium cordis eorum audiuit auris tua. Magnum desiderium est magnus clamor. Tanto ergo minus clamat quis, quanto minus desiderat, & tanto maiorem vocem in aure circumscripti spiritus exprimit, quanto se in eius desiderio plenius fundit. Inde dicit Augustinus 10. lib. confess. quod nihil corporale in spirituali allocutione imaginandum est. Vnde Bernardus dicit: Quoties legis vel audis verbum æternum & animam pariter colloqui, & seinuicem inuicem intueri, noli imaginari corporeas voces, vel apparere corporeas imagines, quia hæc locutio verbi est infusio doni, & responsio animæ est admiratio cum gratiarum actione. Hæc Bernardus. Sed Gregorius 2. Moralium dicit: Vox animæ per distincta verba se explicat, dum se per innumeros modos admirationis format. Ideo notandum est, quod anima siue spiritus humanus secundum diuersa desideria, & diuersos modos admirationis, diuersimode Deum alloquitur in suis meditationibus. Qui licet sint infiniti, tamen ad septem reducuntur. Quandoque enim eum animus alloquitur, vt Deum fideliter adorando, vt quando in meditationibus suis desideria sua in vera fide & sincera charitate soli Deo exhibet, quod soli Deo debetur, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Veri adoratores sunt, qui eum in spiritu & veritate adorant. Ita quod concordat cultus exterior interiori. Soli autem Deo seruitur, cum totus homo in Deũ per intentionem ordinatur.

Greg. lib. 2. Moral. c. 4. ante med.

Psal. 9. d

Aug. 10. confess. c. 2. in sensu 10. 1. Bern. vbi sup. prox.

Greg. 2. Moral. c. 4. ante med.

Anima in oratione multipliciter loquitur cũ Deo.

Mat. 5. b

Ioan. 4. c

Secundo, vt Creatorem vehementer admirando, vt quando cum stupore mentis diuinorum operum & factorum magnitudinem rimamur, per gradus admirationis ascendendo vsque ad mentis excessum, ait Richardus libro 2. cap. 1. vt clamet cum Apostolo: O altitudo diuitiarum sapientię, & scientię Dei, &c. Et Psalmista: Quam magnificata sunt opera tua, Domine.

Rich. lib. 2. de contempl. c. 1 in prin.

Rom. 11. d

Psal. 103. d

Tertio, vt Patrem confidenter deprecando, vt quando desideria filialis necessitatis ad paternam clementiam humiliter clamant, dicendo: Pater noster, qui es in cælis, &c. In quo omnes petitiones nobis necessariæ includũtur. Gregorius 22. Moral. dicit: Vera postulatio non est in vocibus oris, sed in cogitationibus cordis. Valentiores voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria petitoria.

Greg. lib. 22. Mor. c. 13. ante med.

Quarto vt Dominum humiliter honorando, vt quando se inutilem reputans seruum, nihil boni sibi ascribit, sed omnia à Domino largitore omnium, se gratis recipere cognoscit. Vnde Gregorius 16. Moral. dicit sic recitans illud Psalmi: Dixi Domino; Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges, & dicit. Talis vere nobis Dominus est, qui bono serui non indiget, sed bona confert.

Greg lib. 16. Mor. c. 1.

Psal. 15. a

Quinto, vt iudicem horribiliter timendo, vt quando trepidis desiderijs reatum & infirmitatem propriam cũ confidentia infinitæ misericordiæ insinuat, dicens illud Iob: Loquar in amaritudine animæ meæ, vbi dicit Gregorius, Amaritudo præsentis pœnitentiæ extinguit supplicia sequentis irę quare confidenter dicit: Noli me cõdemnare. Si autem dicis, non condemnabo te, ergo indica mihi cur me ita iudices. Respondet dicens per Apostolum: Cum à Domino iudicamur, corripimur, vt non cum hoc sæculo damnemur.

Iob. 10. a

Greg lib. 9. Mor. c. 24. statim à pri.

1. Cor. 11. g

Sexto, vt socium familiariter confabulando, vt quando anima diuina allocutione refecta, è conuerso seipsam cum gratiarum actione in feruore desideriorum socialiter se exhibet, & familiariter se alloquentem alloquitur. Quod autem societas possit esse inter Deum, & animam, dicit Apostolus: Fides est per quam vocati estis in societatem filij eius. Et Ioannes: Si in luce ambulamus, sicut & ipse in luce est, societatem habebimus adinuicem. Quod autem mutuo se & socialiter alloquantur, patet supra, vbi dicitur, quod Deus quasi viator itinerantibus sese associat, & iucundissimis confabulationibus suis à labore viæ releuat omnem hominem, & commutat, &c.

1. Cor. 1. b

1. Ioan. 1. c

Sup. dist. 4. huius itinerarij.

Septimo, vt sponsum dulciter susurrando, vt quando præ magnitudine amoris occulta, & intima desideria nec ad plenum formare valet, nec plene exprimere. Cum enim Dominus Deus cum anima susurret, vt supra dictum est, necesse est, vt anima cum Deo susurret. Susurrium autem diuinum, vt ait Gregorius 5. Moral. est cum animam tam intima inspiratione alloquitur, vt per os carnis exprimi non possit. Sic & susurriũ animæ est, vt cum ad intima sua reducta fuerit per diuinum susurrium, concipiat verba, quæ per os carnis exprimere non potest. Hoc autem susurrium non fit, nisi in silentio & in solitudine. Ideo dicit Dominus per prophetam Oseam: Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Ducit autem in solitudinem, vocando eam ad sua intima, vt sola cum solo loquatur, in nullo impedita. Vnde Canticorum vltimo dicit: Fac me audire vocem tuam, ac si dicat: Ego intimus menti sum, tu autem exterius adhuc quasi longe distas, ait Vercellensis: & ideo vox tua quasi exterior minus audibilis tanquam frigida, & adeo minus gratiosa: & ideo fac me audire vocem tuam in intimis ardentissimorum desideriorum. Vnde Vercellensis exponens idem verbum dicit: Sponsus trahens se ad interiora supernarum allocutionum, vt animam ad interiora desideriorum prouocet, & eo feruentiora desideria in ea suscitet, dicit; Fac me audire vocem tuam in intimis tuis. Non enim est sponso vox audibilior, quam feruẽs desiderium sui. Hæc ille. Ex quo patet, ait Vercellensis, quod Dominus ostendit nihil nobis esse salubrius, nihil in nobis esse Deo iucundius, nihil in portione Mariæ esse perfectius, quam in feruore desideriorum ecstaticorum, in diuinum radium extentorum incessanter exerceri semper in

Supra dist. prox. præcedenti

Greg. lib. 5. Moral. c. 19. & 20.

Osee. 2. c

supernis

supernis, iucundandis in intima Dei allocutione. Ibi audit verba arcana, quæ non licet homini loqui, ait Hugo super Angel. hierarchiam.

Hug. sup. 7 Ang. hier. lib. 6. ante med.

DISTINCTIO V.

Qualiter locutio diuina à nostra meditatione distinguatur.

QVinto, quia similima sunt cogitata nostræ mentis sermonibus veritatis, ideo necesse est, vt arbitror scire, qualiter allocutio diuina à nostra meditatione distinguatur. De quo notandum est, quod cum secundum Augustinum de triplici habitaculo: Allocutio Dei sit diuina inspiratio, qua mentibus nostris suam voluntatem & suam veritatem inuisibiliter ostendit: Meditatio autem humana sit studiosa mentis intentio ad inuestigandum veritatem, diligenter insistens cum labore, ait Richardus planum est, quod meditatio humana ab allocutione diuina multipliciter distinguatur.

Aug. de triplici habit. c. 5 statim à prin. to. 9.

Rich. de contempl. lib. 2. c. 3.

Primo distinguuntur in hoc, quia allocutio diuina præcedit, & inchoat meditationem humanam. Dicit enim Apostolus, quod non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, quanto minus sumus sufficientes aliquid meditari ex nobis, tanquam ex nobis? cum meditatio perfectior sit cogitatione, sicut dicit Richardus libro 1. cap. 3. Sufficientia autem nostra ex Deo est. Vnde Sapiens: Cor hominis phantasias patitur, nisi ab Omnipotente iuuetur & illustretur. Cui concordat Bernardus ser. 46. super Cantica, vbi loquens de spirituali locutione, quæ fit in meditatione dicit: Lingua animæ est feruor deuotionis. Et elinguis est anima, & infans, quæ hanc non habet, & non potest illi esse sermocinatio cum verbo, & nisi ipso verbo diuino stimulante deuotionis lingua nunquam ad loquendum mouetur. Nisi ergo allocutio diuina, siue inspiratio, mentem ad meditandum excitet, & inspiret spiritui quid, qualiter, & quando de diuinis sit meditandum, humana meditatio vana & inutilis remanet, quia in ea non exardescit ignis deuotionis, sed ignis vanitatis, & cupiditatis.

2. Cor. 3. b

Rich. ibid.

Eccli. 34. b

Bern. ser. 45. sup. Cantic. post med.

Secundo distinguitur, quia allocutio diuina meditationem humanam instruit, & verificat. Allocutio enim diuina ex inspiratione diuina procedit à veritate ineffabili, docens loqui, & meditari cælestia, & supernaturalia ostendit, vt supra dictum est. Meditatio autem oritur ex ratione humana, vt dicit Richardus libro 1. c. 3. Qualiter ergo ratio meditationem de cælestibus instruet vel verificabit, cum ipsa sine inspiratione & vnctione, quæ de omnibus docet, vt dicit Ioannes non possit se extendere ad supernaturales veritates? & ideo circa talia cæca, & muta est. Qui enim de terra est, de terra loquitur. Super quibus verbis dicit Augustinus, quod homini secundum se considerato non conuenit loqui nisi terrena. Talis enim ex proprijs loquitur, & animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Talis iniquitatem meditatus est in cubili suo, ait Psalmista, id est, in corde suo, de quo exeunt furta, homicidia, &c. diuina autem allocutione adueniente & audita, in interiori inspiratione tota meditatio instruitur & verificatur. In inspiratione enim idem est dicere & illuminare, audire, & videre. Quia sicut dicit Gregorius 2. Moral. Quasi audiri dicitur, quod videntibus inspiratur. Loquendo veritas docetur, illuminando veritas videtur. Hæc ille. Experientia prædictorum patet, quia cum ex abundantia cordis os loquatur, tam cordis quam corporis: de corde sic inspirato non exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, & cetera talia, sed meditationes odoriferæ, verba dulcia, vt talis anima dicere possit illud Canticorum: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera commorabitur. Dilectus, inter vbera, id est, in mea memoria, ait Glossa commoratur per continuam meditationem, vt fasciculus myrrhæ quæ corpora à putredine conseruat, & vermes mortificat, ait Vercellensis: & ideo fasciculus myrrhæ signat suauissimam fragrantiam sanctarum meditationum de Deo, quæ mentem à putredine & corruptione mortalium præseruat, & vermes, id est, offendicula meditationum mortificat. Talis meditationis eloquium est dulce.

1. Io. 2. d

Io. 3. d

August. tr. 14 Ioan. ante med. to. 9.

Ps. 35. a

Mt. 15. b

Greg. lib. 2. Moral. c. 4. ante med.

Cant. 1. c

Cant. 4. b

Tertio patet distinctio inter allocutionem diuinam & meditationem, quia allocutio diuina meditationem humanam perficit & consummat. Dicit namque Dionysius, quod bona naturalia perficiuntur per bona supernaturalia. De bonis autem naturalibus animæ dicit Glossa super principium Canticorum sic: Omnes animæ motiones vniuersitatis conditor creauit ad bonum, scilicet æternum, ad quod tantum per se peruenire non poterant, nisi supernaturalibus bonis supernaturaliter perficerentur. Vnde dicitur ibidem: Disce motus animæ tuæ & naturalis amoris incendium ad meliores transferre, scilicet ad supernaturales perfectiones. Motus enim animæ tam intellectuales quam affectuales, inter Deum, & animam, in meditationibus quasi quidam nuncij discurrunt, qui inutiles, & indigni erunt in conspectu Dei nisi lumine veritatis, & feruore charitatis per diuinum alloquium præueniantur, alioquin si homo ex propriis loquatur, mendax inuenitur. Hæc enim dona supernaturalia faciunt motus mentis, tam intellectuales, quam affectuales, dignos, & acceptos in conspectu Dei, tanquam filias Iudæ, & Hierusalem regem suum in decore suo videntes. De istis nunciis loquens Richardus dicit sic: Quotidie, ni fallor, qui meditationi, & locutioni insistitis, Dei nuncios suscipitis. Quoties enim ex abditis scripturæ recessibus, nouos intellectus eruimus, quid aliud quam quosdam dilecti nostri nuncios recipimus? Huic sane negotio subseruit omnis sacra lectio, sagaxque meditatio. Alij namque legentibus, alij meditantibus, diuinorum secretorum internuncij occurrunt, qui dilecti nostri ad nos mandata perferunt, & de singulis instruunt. † Non enim decet amantes, mutua studia, mutuaque in alterutrum desideria nescire, neque sufficit æstuanti animæ ardentique desideria semel audire dilectum. Obsecro ergo manda, remanda. Nuncius medius inter nos discurrat, qui me de singulis instruat, doceat me non solum super statum meum, sed & de statu tuo, doceat quomodo apud te sit, vel quid tibi de mea placuerit. Hæc ille.

Dionys. de Ang. Hier. in 1.

Rich. de contempl. li. 4. c. 14. an. med.

† Idem ibid. c. 13. ante med.

Qualiter cognosci possit an aliqua motio sit à Deo, vel à dæmone.

Sed qualis differentia inter nuncios veros, & falsos sit, & quomodo cognoscamus, docet. Richardus dicens sic: Diuinus nuncius proculdubio est, per quem diuinæ voluntatis beneplacitum cognoscimus, per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad æternorum desiderium inflammamur. Hæc ille. Ex quo patet istorum nunciorum differentia. Nunciantes enim nobis quæ sunt contra Dei voluntatem, vel de mundanis, vel de his quæ sunt carnis, sunt falsi nuncij, quæ carnis sunt sentientes, quia caro, & sanguis reuelauit eis. Alij vero sapiunt quæ Dei sunt, quia Pater reuelauit eis, ergo ex fructibus eorum cognoscetis eos. Aqua frigida animæ sitienti, bonus nuncius de terra longinqua.

Rich vbi sup. lib. 5. c 13. ante med.

Mat. 7. c

Prou. 25. d

Sed Bernardus aliter distinguit inter allocutionem diuinam, & meditationem humanam, dicens: Sunt quędam verba nostri sponsi ad nos, nostræ meditationes de ipso & de eius gloria, elegantia, potentia, & maiestate. & non solum hæc, sed & cum versamus auida mente testimonia eius, & iudicia oris eius, & in lege eius meditamur die ac nocte, sciamus pro certo adesse sponsum, atque alloqui nos, vt non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Tu ergo cum tibi talia volui animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit: Ego qui loquor iustitiam. *Sequitur.* Similia enim sunt cogitata nostræ mentis sermonibus veritatis in nobis loquentis. nec facile quis discernit, quid intus cor suum portat, quidve intus audiat, nisi qui prudenter aduertit Dominum in Euangelio loquentem: Quia de corde exeunt cogitationes malæ. & illud: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? & : Loquitur mendacium, qui de proprijs loquitur.

Bern. in Cāt. ser. 32. ante med.

Isa. 42. c

Matt. 15. b

Mat. 9. a

Ioan.8.f
2.Cor.3.b

Apostolus autem: Non sumus sufficiẽtes, inquit, cogitare aliquid ex nobis tanquã ex nobis, subaudi, bonũ, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Sequitur.* Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, sermo Dei est. Illa cor nostrũ dicit, hæc audit si bona sunt. Audiã, ait Propheta, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Ceterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, & his similia de corde exeunt, nec illa audimus, sed ea dicimus. *Sequitur.* Fiunt tamen quandoque in cordibus immissiones per angelos malos, vt in cor Iudæ misit diabolus, &c. nec talia de corde exeunt, sed ei immittuntur. Quid autem in his tribuatur cordi, vel quid hosti, & quando, incertum est mihi, sed hoc quidem sine periculo est. *Sequitur.* Sed sane aliud est vbi periculose, immo damnabiliter erratur, atque vbi certa regula præfigitur, ne quod Dei est in nobis, demus nobis, putantes verbi visitationem, nostram cogitationem. Quantum ergo distat bonum à malo, tantum distant ista duo à se: quoniam nec de verbo malum, nec de corde exit bonum, nisi forte quod prius de verbo concepit. Sciant enim inimici gratiæ, absque gratia nec ad cogitandum bonum, sufficere cor humanum, sed sufficientia eius ex Deo est. Et sciant qui cogitant bonum, vocem Dei esse, non cordis prolem existere. Vide autem quoniam verbum Dei quod egreditur de ore Dei, non reuertatur ad vacuum, sed prosperatur, & facit omnia ad quæ misit illud, vt dicere possis & tu: Gratia Dei in me vacua non fuit. *Sequitur.* Felix mens cui indiuiduus comes vbique se affabilem præbet, cuius indesinenter oblectata suauitate facundiæ, à carnis molestijs, & vitijs sese vendicat, omni hora redimendo tempus à diebus malis, quoniam talis non conturbabitur, sicut dicit Scriptura, quidquid acciderit ei. Hæc omnia Bernardus.

Psal.84.c
Psal.77.c
Ioan.13.a
2.Cor.3.b
1.Cor.15.b
Prou.12.c

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini ingrediatur.

Vt anima ad perfectionem perueniat contemplationis temporalia fugere debet.
Exod.3.a
Phil.3.d
Psal.54.b
Bern. sup. Cant. ser. 52. cir. med.

SExto videndum est, qualiter spiritus noster in itinere studiosæ meditationis intrinsecum secretum, æternum manerium Domini IESV ingredi conatur. Circa quod notandum est, quod cum verbum æternum se spiritui nostro in meditatione sua quasi quendam viatorem, iucundissimis confabulationibus associet ipsum de temporalibus abstrahendo, de æternis instruendo, ad æterna inuitando, vt ex prædictis patere potest, ideo necesse est, vt spiritus noster temporalia fugiat, quia ex hoc æternis appropinquat, & ad interiora deserti cum Moyse intrat, vt de æternis audiat, in solitudine meditationis assidue permaneat, in æterna introeat, & cum Apostolo Paulo conuersationem in cælis habeat, vt cum Psalmista dicere possit: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Quod verbum exponens Bernardus super Cantica dicit sic: Non fuit contentus exire, nisi & longe se faceret, vt quiescere posset. Et si transilisti carnis oblectamenta, vt minime iam obedias concupiscentiis eius, nec tenearis illecebris, & curis, perfecisti & separasti te, sed nondum te elongasti, nisi & irruentia vndique phantasmata corporearum similitudinum, transuolare mentis puritate præualeas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si circa te inuenire æstimas locum secretum quietis, & solitudinis, secretum luminis, & habitaculum pacis. Hæc Bernardus.

Greg. lib.4. Mor. c.28. cir. med.

Sed nota, quod hæc solitudo meditationis in mente est humana, vt dicit Gregorius 4. Moralium, dicit enim: In solitudine manere est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & in vna intentione æternæ patriæ, amorem intimæ quietis anhelare. *Sequitur.* A tumultu rerum temporalium magnum quendam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto verius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inueniret. Hæc ille. Vnde Psalmista manens in solitudine illa, ait: Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate. In quibus verbis dicit Propheta se à duobus malis liberatum in solitudine, quæ consueuerunt impedire ambulantes in tenebris æternitatis, scilicet à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Primum est interius, secundum exterius. Primum, scilicet pusillanimitas est ex defectu fidei, ex quo omnia interiora impedimenta oriuntur, quia spiritus sine fide infirmus est vsque ad mortem. Ab hac pusillanimitate in solitudine tantum saluatus fuit, vt dicat: Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Quod Gregorius exponens 26. Moralium dicit: Murus est omne quod itineri nostro obijcitur ne ad Deum, quẽ diligimus, transeamus: sed murum transgredimur, cum præ amore illius omnia mundi delectamenta calcamus.

Psal.54.b
Greg. lib.26. Moral. c.10.
Psal.17.e

Secundum, scilicet tempestas est ex defectu caritatis, ex quo oriuntur impedimenta itinerantium ab exteriori, quia omnis tempestas exterior frequenter generat interiorem, nisi adsit charitas, quæ omnia suffert. Ab hac tempestate in solitudine Psalmista tantum liberatus fuit, vt diceret, quoniam in solitudine expectabat, perfecit pedes meos tanquam ceruorum. Quod Gregorius 26. Moral. exponens dicit: Electorum mentes cerui dicuntur, dum quæque, quæ in hoc mundo obuiãtia obsistere sibi conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum despectis terrenarum rerum sentibus, in superna, id est, æterna se euehunt. Hæc ille. Igitur in hac meditatione solitaria, sola cum solo secure manet à temporalibus abscondita, æternis veritatibus meditatione fidei, & charitatis feruore viuificata & stabilita. Quod etiam Hugo lib. 2. de arca Noe, ostendit, dicens: Si per studium meditationis assidue cor nostrum inhabitare cœperimus, iam quodammodo temporales esse desistimus, & quasi mortui mundo facti, intus cum Deo viuimus. tunc quidquid fortuna extra molitur, facile contemnimus, quia ibi fixum est nostrum desiderium, vbi mutabilitati non subiacemus. Ecce iam studiosa mẽtis meditatio intantum se exercuit & perfecit, quod in contemplationem transiuit. Et hoc est, quod dicit Richardus: Veritatem per meditationem diu quæsitam, tandem inuentam, mens solet cum auiditate suscipere, mirarique cum exultatione, eiusdem quoque admirationi diutius inhærere, & hoc est iam meditando meditationem excedere, & per meditationem in contemplationem transire, sicut etiam cogitatio quandoque in meditationem transit. Hæc ille. Ex his apparere potest, quomodo spiritus humanus per meditationẽ æternorũ à tẽporalibus recedit, & æternis inhæret, vt dicat cũ Apostolo: Nostra conuersatio in cęlis est. & cum Psalmista: Trãsiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Ibidem.
Greg. ibid.
Hug. lib.2. de Noe. cir. med.
Rich. vbi sup. lib.1. c.4.
Phil.3.
Psal.65.

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter meditationis ad æternitatem à IESV inuitatur.

Cant.2.

SEptimo videndum est qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter studiosæ meditationis, ad intrinsecum & æternum Domini Iesu secretum, ab ipso dulciter inuitatur, dicens Sponsæ in Canticis: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Cuius inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Veni, quia iam est itinerandi optata facilitas. Iam enim imber curæ temporalis distrahentis & impedientis ambulantes in itinere meditationis abijt & recessit. & quia pluuia æstiualis descendit, & venit in vellus virgineum, colligendo dispersiones meditationum ad congregantis Patris vnitatem, & simplificatam æternitatem. Dicit ergo animam inuitando: O amica mea, propter meditationis tuæ amorosam assiduitatem, quæ est incentiua amoris, quia

Psal. 38. a
Hugo lib. 4. de ar. Noe c. 4. post med.
Cant. 1. c

in ea exardescit ignis, ait Psalmista. Quod Hugo libro 4. de arca Noe exponẽs dicit: Sicut ligna ignẽ nutriũt, sic cogitationes siue meditationes desideria pascũt. Quare in cãticis dixit Sponsa meditatrix ęternorũ: Fasciculus myrrhę, dilectus meus mihi inter vbera mea cõm orabitur, id est, in memoria mea, ait Glossa, siue meditationũ. surge per meditationis tuæ extensionem à temporalibus in æternitatem, vt primo egrediaris cum Isaac in agrum ad meditandum. Secundo extendas te in cęlum cum Apostolo ad conuersandum. O columba mea propter meditationis tuę columbinam simplicitatem: ait Isaias: Meditabor vt columba. Vercellensis dicit, quod colũba habet simplicem intuitum, & signat puram & simplicem intelligentiam. Ex pura autem & simplici intelligentia oriuntur puræ, & simplices meditationes, quæ sunt Deo gratissimæ: Propera per meditationis tuæ agilitatem, quam agilitatẽ desiderabat, qui dixit: Quis dabit mihi pẽnas sicut columbę, & volabo, & requiescã? Quã agilitatẽ obtinuit, cum dixit: Si ascendero in cælum, tu illuc es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, &c. O formosa mea, propter meditationis tuæ pulchrificatam puritatem. Meditationis enim sedula exercitatio circa æterna mentem purificat à temporalibus abstrahendo, & eam pulchrificat, & formosam facit, ad æterna extendendo, vt cum Psalmista dicat: Meditatus sum in nocte, scilicet temporalium: exercitabar, me ad æterna extendendo: & scopebam spiritum meum, non solum à temporalibus fugiẽdo, sed etiam vmbram temporalium similitudinum, & imaginum omnino abstergendo. De hac extensione ad æternitatem, dicit Augustinus: Mens quanto magis se extendit ad illud quod æternum est, tanto magis se extendit ad illud quod formatur ad imaginem Dei, & ideo quærenda est facies Dei semper, vt imago magis reformetur, donec, secundum Apostolum, in eandem imaginem trãsformetur, vt dicat illi Deus illud Canticorum: Quam pulchra es, &c. Veni igitur ad meum intrinsecum, & intra in gaudium Domini tui, veni iã ingressa, vt amplius ingrediaris, quia post me ingredi non cessabis. Et huius amorosæ inuitationis subiungit amorosum allectiuum, dicens: Surge velociter & veni, quia imber abiit, & recessit. Quod Vercellensis exponens dicit: Imber est aqua hiemalis à cælo fugiens, & in terrã corruens, frigefaciens, & in multas guttas se diuidens, lutũ generans, & itinerãtes impediens & signat affectũ curæ temporalis, quia lubricũ, & deorsum trahit, & quasi iusta necessitate mentem retrahit à suspendio spirituali in æterna spectacula: & ad sollicite tractanda negotia terrena: vehementer vrget. Vnde spiritualis mentis feruorem, sæpe tepefacit, vel etiam totaliter extinguit: licet quidam perfectissimi inter maiores exemplo Angelico præcedant, & incedant erecti, inferius agunt sursum erecti, scilicet per rectam, & deuotam intentionem. Iste imber est vitandus in vsu & intẽtione. Hæc ille. Sed quia iste imber siue aqua hiemalis abijt & recessit, & imber æstiualis siue aqua sapientiæ salutaris aduenit, quæ iter meditationis nostræ ab ęternis non impedit, sed promouet, dirigit, & perficit, ideo veni. Nam hæc aqua æstiualis spiritum tuum in meditationibus ad veniendum ad meam æternitatem sursum erigit, ad meam æternitatem salire facit, ad meam ęternitatem introducit. Vnde dicit Iesus sol æstiuus: A qua quam ego do, fiet in eo fons aquę salientis in vitam æternam. In his verbis veritas innuit, quod aqua æstiualis à fonte vitæ oritur, quia apud Deum est fons vitæ, vt ait Psalmista, & ideo meditationem nostram sursum trahit per desiderium æternorum, quare Psalmista dicit: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Secundo innuit, quod aqua æstiualis spiritui nostro ad velociter veniendum per meditationem multipliciter cooperatur, tum quia sitim spiritus itinerantis ad æterna, quoad temporalia extinguit: quia aqua illa fiet in eo fons aquæ fluentis, per omnes valles animæ qui autem intra se habet fontem, sitire non potest. ait Chrysostomus: Item spiritui itineranti ad æterna vigorem tribuit, quia est aqua saltare faciens. Tertio aqua hæc æstiualis spiritum itinerantem reformat, & perficit, quia ad vitam æternam introducit, quia non saltat ad temporalia, sed salit in vitam æternam, vt dicitur hic. Ad quam vitam nos perducat Pater & Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus benedictus in sæcula seculorum. Amen.

Gen. 24. g
Phil. 3. d
Isa. 38. d
Psal. 54. b
Psal. 38. b
Psal. 76. b
Aug. lib. 1. de Trin. c. 13.
2. Cor. 3. d
Cant. 4. a
Cant. 2. c
Imber quid spiritualiter significat.
Leu. 26.
Ioan. 4. b
Psal. 35. b
Psal. 41. a
Chrys. homil. 31. in Ioan. ante med to. 3.

DE TERTIO ITINERE *Æternitatis.*

TERTIVM iter æternitatis per quod spiritus humanus venit ad intrinsecum & ęternum manerium Iesu est æternorum limpida contemplatio. Ad cuius itineris maiorem notitiam septem per ordinem sunt notanda.

Primum quæ sit istius itineris necessitas, & quare iter meditationis immediate sequitur.

Secundum est, quid sit contemplatio, & qualiter descriptio eius intelligatur.

Tertium est, qualiter contemplatio à cogitatione, meditatione, speculatione, & intuitiua visione distinguatur.

Quartum est, qualiter contemplatio secundum diuersos gradus diuersimode à diuersis diuidatur.

Quintum est, quantum iucunditatem spiritus humanus in itinere contemplationis experiatur.

Sextum est, qualiter per iter contemplationis spiritus æternum manerium Iesu ingrediatur.

Septimum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis, ad secretum Iesu inuitatur.

DISTINCTIO I.

Quæ sit necessitas itineris contemplationis, & quare immediate sequatur iter meditationis.

PRimo igitur videndum est, quæ sit necessitas istius itineris, scilicet contemplationis æternorum, & quare immediate iter meditationis sequatur. De quo sciendum, quod cum meditatio æternorum sit quædam inuestigatio, & inquisitio cum magna animi industria veritatis æternorum, nec ab inquisitione desistat, donec quod quærit, inueniat quantum potest: planum est, quod spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur, quod per meditationem quærebatur. Sed quam cito quæsitum inuenitur, & spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cæperit, tam cito meditatio esse desinit, & in contemplationem transit, ait Richardus. Per meditationem veritatem diu quæsitam tandemque inuentam, mens solet cum auiditate suscipere, mirari cum exultatione, eiusdem quoque admirationi diutius inhærere. & hoc est iam meditationem meditando excedere, & per meditationem in contemplationem transire. Proprium est enim contemplationi, iucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere. Meditationi vero proprium est, sua promotione semper in vlterio ra tendere. Hæc ille. Ex his igitur patere potest istius itineris necessitas, quia motus meditationis imperfectus & minus vtilis permaneret sine termino & quiete contemplationis, cum meditatio terminetur & transeat in contemplationem, tanquam in illud quod perfectius est. Ex his etiam patet ordo istius itineris contemplationis ad iter meditationis, ex quo studio meditationis spiritus humanus surgit in iter contemplationis, vt ait Richardus: & per veritatis contemplationem homo conuertitur ad iustitiam ad gloriam, & sic patet primum.

Contemplatio, finis est meditationis.
Rich. lib. 1. de arca my stica c. 4.

)?(

DISTINCTIO II.

Quid sit contemplatio, & qualiter descriptio eius intelligatur.

Contéplationis diffinitio.

SEcundo videndum est, quid est cōtemplatio, & qualiter descriptio eius intelligatur. De quo notandum est, quod contemplatio secundum potissimum statum, est actus intellectus non impediti, gratia sanati in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi. Sic videtur Richardus contemplationem describere, dicens sic: Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa.

Rich. vbi supra.

Cōtéplantibus quatuor sunt necessaria.

In hac descriptione innuuntur quattuor, quæ contemplantibus sunt necessaria. Primum est liber contemplationis motus, ab omnibus exoneratus, & in nullo impeditus, vt Richardus ibidem dicit: Contemplatio libero quodam motu, & secundum spontaneum nutū huc, illucq; circūfertur, & nullo difficultatis obstaculo à discursionis suæ impetu impeditur, quin contemplāda cōtempletur quantū potest. Ex hoc apparet, quod spiritus contemplatiuus debet esse sine peccato, quia qui peccat seruus est peccati, & vinculis eius ligatur ne sursum feratur. Debet etiam esse liber à desiderio & cura temporalium, quæ sunt iuga duræ seruitutis. Liber autem spiritus dimittitur, quando calcatis terrenis desiderijs, ab appetitione temporalium in securitate mentis exoneratur. Hæc Gregorius 3. Moral.

Secundum, quod necessarium est contemplantibus, quod hic ponitur in descriptione, est quod oculus contemplationis sit perspicax, id est, gratia sanatus. Dicit enim Hugo cōmētator super Angelicam hierarchiam, quod triplex est oculus. Est enim oculus carnis, quo videt homo ea, quæ sunt extra se, & oculus rationis, quo videt homo ea, quæ sunt intra se, & oculus contéplationis, quo videt homo ea, quæ sunt supra se. Oculus carnis apertus est, oculus rationis lippus & oculus contemplationis clausus est. Hęc ille. Igitur necesse est, vt oculus cōtemplationis perspieax sit, & sanetur. Oportet igitur scire quattuor. Primo quid oculus contemplationis dicatur, secundo qualiter oculus sanatur, tertio quid sit aspectus eius, quarto quid sit visio eius. Hæc quattuor dicit Auctor de spiritu & anima, omni animæ necessaria esse, & ostendit quodlibet eorum dicens: Spiritus dicitur mens rationalis, vbi est quædam scintilla tanquam oculus animæ, ad quam pertinet imago, & cognitio Dei. *Sequitur.* Oculus ergo animæ est mens, & hæc ab omni labe corporis debet esse pura, & tunc est sana. Mentis autem aspectus est ratio, intellectus vero visio. Hæc omni animæ necessaria sunt, id est, vt oculos habeat, & sanos, vt aspiciat, & vt videat. *Sequitur.* Sanos oculos habet, cum ab amore talium cupiditatum purgata est, atque remota, scilicet ab imaginibus. Aspicit, cum in Dei lumine oculos figit, sed videt, cum in ista contemplatione conspicit, quanta sint gaudia, quanta lætitia, quanta serenitas, quanta iucunditas. Sanitas facit illam securam, aspectus rectam, visio beatam, quę est finis aspectus. Hęc ille. Iste est oculus contemplationis, de quo dicit Sponsus: Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, id est, tua intelligentia simplificata penetrasti omnia pertingendo ad cor meum, & propter te vulneratum fuit ex amore intimo quo dilexi te.

Hugo in 7. Ang. Hier. li. 3. post. med.

Auctor de spir. & ani. c. 10. apud Aug. to. 3.

Cant. 4. c

Tertium quod ponitur in descriptione contemplationis est, quod oculus contemplationis in spectacula sapientiæ æternæ sit directus, quod notatur per hoc quod dicitur, in sapiētiæ spectacula. Ex hoc autem patet quod Richardus hic non accipit contemplationem, vt est actus intellectus præcise, sed etiam vt saporosam dilectionem includit. Nam sapientia à sapore dicitur, vt dicit Bernardus, & obiectum sapientiæ principale & primarium est ipse Deus, sub ratione qua verum est excitatiuū voluntatis, ad eius saporosam dilectionem, & actus sapientię est contemplari Deum: non quocunque modo, A sed ex dilectione, cum quadam experimentali suauitate in affectu. Igitur spectacula sapientiæ sunt cognitio veri, & amor siue sapor boni. Dicit enim Linconiensis, quod sapientia oritur ex amore, quæ prorumpit in lumen cognitionis & saporem gustationis sicut ex calore prorumpit lux & flamma. Hæc ille. Actus igitur contemplationis duo includit, scilicet cognitionem, & saporosam dilectionem, & dilectio adiuuat cognitionem. Vnde secundum mensuram dilectionis, dispensatur & modus manifestationis, ait Richardus.

Bern. de passione Domini c. 45. cir. med.

Quartum, quod ponitur in descriptione contemplationis est mentalis suspensio ex admiratione causata, & notatur in hoc quod dicit, admiratione suspensa. De B hac admiratione dicit Richardus libro 5. de arca mystica. cap. 9. Ex nouitate rei quæ est supra spem & nostram æstimationem oritur admiratio, ex admiratione autem accrescit attentio, & ex attētione cognitio, & ex his mētis suspensio, quia sicut dicit ibidem: Dum humana intelligentia diuino lumine irradiata intelligibilium contemplatione suspēditur, dum in eorum admiratione ad modum auroræ, distenditur, quanto semper ad altiora vel ad mirabiliora ducitur, tanto amplius, tantoque copiosius ad modum auroræ dilatatur. Vnde quanto ab infimis fit remotior, tanto semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Ex quo sequitur, quod tanto in superioribus diutius suspenditur, quanto à retrahentibus dilatatur & elongatur. De hoc suspendio dicit Iob: C Suspendium elegit anima mea. Quod Vercellensis exponens, dicit sic: Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, vt cum fieri potest nunquam ex intētione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis, acies mentis inde flectatur, vt dicit Psalmista: Oculi mei semper ad Dominum.

Rich. lib. 5. de contempl. c. 9. Hi enim libri Beniamin. maioris, vel de contemplatione, vel de arca mystica inscribuntur.

Iob. 7. c

Psal. 24. c

DISTINCTIO III.

Qualiter contemplatio differat à cogitatione, meditatione, speculatione, & ab intuitiua visione.

TErtio videndum est qualiter contemplatio differt à cogitatione, meditatione, speculatione, & ab intuitiua cognitione. Hæc enim quendam ordinem, & gradum habent inter se. Nam cogitatio, quæ oritur ex imaginatione, transit & terminatur in meditationem. Meditatio, quæ oritur ex ratione, transit & terminatur in speculationem. Speculatio, quia partim oritur ex ratione, & partim ex intelligentia, transit, & terminatur in contemplationem. Contemplatio autem, quæ oritur ex intelligentia, transit & consummatur in intuitiuam cognitionem. Hæc enim omnia in hoc conueniunt cum fuerint ordinata, quod dirigunt in diuinum aspectum, sed tamen differenter: & hæc differentia prædictorum quattuor à contemplatione, potest cognosci per quattuor: quæ in contemplationis diffinitione ponuntur, E quam Richardus ponit in libro 1. cap. 4.

Rich. lib. 1. de contempl. c. 4. in prin.

Primo differt contemplatio à cogitatione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, quod sit libera. Vnde Richardus libro 1. de arca mystica, cap. 3. dicit sic: Contemplatio libero volatu quocunque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio autem per deuia quæque lento pede, sine respectu peruentionis passim huc illuc vagatur. Et quia cogitatio ex imaginatione oritur, ideo quandoq; sine ratione mouetur, vt dicit Richardus: & ideo minus libera est, quam contemplatio, quæ ex intelligentia procedit, & oritur, immo cogitatio rationi subiicitur, quæ est infra intelligentiam, & per eam regitur. Vnde Gregorius libro 1. Moral. sic dicit: Cogitationes ad modum ancillarum rationi subiiciuntur, quia si à domo mentis ad mometum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat: vt autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillæ ad iniunctum opus se tacite reprimunt, dum cogitationes protinus se causis propriis ad vtilitatem subdunt. Hæc Gregorius. Et sicut

Ibid. c. 3.

Greg. lib. 1. Mor. c. 11.

Richardus

Richardus libro 1. ca. 4. dicit: Si cogitatio quandoque ratione moueatur, vt ad cognoscendum aliquid ambiat, & ad hoc vehementer & fortiter insistat, iam non est cogitatio, sed modum cogitationis cogitando excedit, & cogitatio in meditationem transit.

Secundo igitur sciendum est, quod contemplatio etiam differt à meditatione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, quod ipsa est mentis perspicacia. De quo sciendum est, quod perspicacia est actus intelligentiæ. Intelligentia autem, vt dicit Auctor libri de spiritu, & anima, est ea vis animæ, quæ supponitur Deo immediate, qua de diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. Sed, sicut dicit Richardus, ex intelligentia oritur contemplatio, ex ratione autem oritur meditatio, & ex hoc ipse ostendit, quantum contemplatio excedat meditationem, ex quo patet etiam differentia eorum. Vnde Richardus dicit sic: Ecce tria, imaginatio, ratio, intelligentia. Inter hæc intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimum, ratio medium, & omnia quæ subiacent sensui inferiori, necesse est ea subiacere sensui superiori, sed non è conuerso. Vnde constat, quod cuncta quæ imaginatio vel ratio comprehendit, sub intelligentia cadunt, & etiam illa, quæ nec imaginatio vel ratio comprehendit. *Sequitur*: Vide quam late contemplationis radius se expandat, qui omnia illustrat, & quomodo contemplatio sub vno visionis radio, ad innumera se extendit. *Sequitur*. Per intelligentiam siquidem sinus mentis in immensum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, vt capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda. Hæc ille. Et propter hoc dicit Richardus ibidem, quod meditatio in contemplationem transit, tamquam in illud quod perfectius est, idest, in aliquem gradum contemplationis, qui dicitur speculatio, qui non est perfectus gradus contemplationis, licet vnum pro alio ponatur, vt patet.

Auct. de sp. & an. cap. 11. apud Aug. tom 3.
Rich de arca mystica li. 1. cap. 3.

Tertio sciendum est, quod contemplatio differt à speculatione per hoc, quia in descriptione contemplationis ponitur quod fertur in sapientiæ spectacula. De quo nota, quod secundum Augustinum libro 15. de Trinitate. Speculatio dicitur, cum aliquid non in se, sed per imaginationem suam videtur, & in ænigmate, id est, obscure. Richardus libro 5. de arca mystica dicit: Quamuis contemplatio, & speculatio pro inuicem soleant poni, & in hoc sæpe scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent, & inuoluant: aptius tamen, & expressius speculationem dicimus, quando per speculum cernimus: contemplationem vero quando veritatem sine aliquo inuolucro, vmbrarumque velamine in sui puritate videmus. Vnde Hugo in septimum Angelicæ Hierarchiæ dicit: Dionysius vocat simplices fulgores, puras illuminationes deuenientes ad primas contemplationes. Pura illuminatio est, quando veritas per se ipsam concipitur. Pura contemplatio est, quando veritas in seipsa non per subiectam imaginem videtur. Hæc ille. Ex quo apparet, quod contemplatio in speculationem sapientiæ, clariorem aspectum habet, quam speculatio, & gustum sapidiorem. Vnde Richardus ibidem exponens illud: Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium, dicit: Colles ad agnorum similitudinem exultant, quando immensa illa intimæ solemnitatis tripudia, eos vsque supra semetipsos leuat, vt cælestium secretorum arcana, saltem per speculum in ænigmate videre valeant: montes vero quasi ad instar arietum exultant, quando maiores in iucunditatis suæ excessibus, in pura, & in simplici veritate vident, & minores, vt iam dictum est, vix per speculum in ænigmate videre valent. Hæc ille. Expedit etiam scire, quod Linconiensis commentator Dionysij, loquens de speculis spiritualibus super 3. Angelicæ Hierarchiæ dicit, quod specula spiritualia pura, clara, & plana, spiritualiter primo recipiunt radios solares, sibi incidentes immediate à fonte luminis, & tale dicitur lumen contemplationis, contemperatum tamen in oculo contemplantis, vt infra patebit: & secundario lumen receptum specula refundunt in eos, qui luminis sunt capaces, non tamen secundum claritatem illam qua ipsi recipiunt, sed secundum cuiuslibet capacitatem, & hoc dicitur lumen speculationis, quia mediante speculo spirituali recipitur, vel per scripturam, vel doctrinam, vel per exempla ab illuminatis speculis procedentia. quemadmodum speculum materiale primo à lucido suscipit radios sibi incidẽtes, quos reflectit in oculos conspicientis, quos oculus tamquam sibi iam mediante speculo proportionatos recipit, quos tamen in fonte luminis propter nimiam refulgentiam oculus debilis immediate videre non potuit, vt patet ad sensum. Nec lumen speculare ita efficaciter repræsentat lucidum oculo videntis, sicut lumen immediate receptũ à lucido, vt patet in perspectiua, & in epistola Iacobi vbi dicitur, quod considerans vultum suum in speculo, statim oblitus est, &c.

Aug. 15 li. de Trin. c. 3. cir. fin. in sensu tom. 3. Rich. lib. 5. de arca mystica c. 14. cir fin.
Hugo in 7. Ang. Hierar. lib. 7. longe post mediũ.
Psal. 113. a
Iac. 1. d

Quarto sciendum est, quod contemplatio differt ab intuitiua cognitione per hoc, quod in descriptione contemplationis ponitur, admiratione suspensa. Suspensio enim dicit quasi quandam violẽtam eleuationem, dum anima naturæ suæ possibilitatis supergreditur terminos. Vnde Richardus dicit: Proculdubio, cum anima sancta de interno quodam tripudij sui applausu à semetipsa excutitur, dum supra semetipsam ire mentis alienatione vrgetur, dum in cælestibus tota suspenditur, dum angelicis spectaculis tota immergitur, natiuæ possibilitatis terminos supergressa videtur, propter quod anima contẽplatiua frequẽter ad inferiora dilabitur. Vnde sequitur ibidem: Nonne velut terra à terra suspenditur, quando homo super hominem ducitur? cui per exprobrationem à Domino dicitur: Terra es, & in terram ibis. *Sequitur*. Terra recte dici potest, quamdiu luteas inhabitat domos, & terrenum habet fundamentum. Sed Gregorius 10. Moralium dicit: Anima, à contemplatiua infirmitatis suæ pondere victa lassatur, & tanto celerius labitur quanto carnis claustra transgrediens, supra semetipsam ire conatur. Sed anima intuitiue cognoscens Deum, nũquam ad inferiora relabitur, sed sine intermissione, & fatigatione Deum in æternum dulciter intuetur, quod in corpore corruptibili fieri non potest. De quo plenius notatur in quinto itinere. Vnde dicit Dionysius in 2. Angelicæ Hierarchiæ secundum commentatorem: Deus quia semper vniformiter, & æqualiter bonus, & pulcher est, & quia habet in se simplicissime omnem speciem desiderabilem, & secundum omnia est totus desiderabilis, ideo plenarie, intime, & irreuocabiliter in se trahit omnium suorum comprehensorum desideria. Hæc ille. Omnes igitur istæ differentiæ sunt secundũ clariorem, & minus clarum aspectum ad Deum, & quodlibet prædictorum terminatur in sequens se, tamquam in perfectius eo, sic etiam contemplatio proficiẽdo terminatur in intuitiuam cognitionem, tamquam in suam perfectionẽ. Vnde Glossa Lucæ 10. dicit, Vita contemplatiua hic incipit, & in cælesti patria perficitur, quia amor est ignis qui hic ardere incipit, sed cum ipsum quem amat, videbit, amplius in amore ignescit. Et Gregorius in Moralib exponẽs illud Lucæ: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea, dicit: Actiuæ vitæ opera, cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem vitæ gaudia, melius ex fine conualescunt. Et sic patet differentia prædictorum.

Rich. de arca myst. li. 5. ca 14. cir. med.
Gen. 3. d
Greg. lib. 10. Mor. cap. 11 versus fin.
Greg lib. 6. Mor. cap. vlt. ante med.

DISTINCTIO IV.

ARTICVLVS I.

Qualiter contemplatio secundum diuersos gradus diuersimode à multis diuidatur.

QVARTO videndum est, qualiter contemplationis iter per diuersos gradus vel modos secundum varias considerationes sanctorum, & diuersas traditiones doctorum distinguatur, vt per hoc verius, breuius, & securius iter contemplationis eligamus, & per hoc ad æternum intrinsecum Domini IESV verius perueniamus.

Sed ad intellectum istorum, hoc prenotandum est, quod aliud sunt gradus contemplationis, & aliud sunt gradus perueniendi per diuersas dispositiones ad contemplationem. Gradus contemplationis sunt quidam progressus, & profectus intellectualis cognitionis, & saporosæ dilectionis, ad contemplandum Deum sub ratione veri, & boni. Vnde Gregorius 22. Moralium dicit: Gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum. Tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles. Gradus autem ad contemplationem disponentes, sunt illa quæ adiuuant, & disponunt gradatim intellectum, & affectum ad contemplandum, & sic omnis creatura est quasi quædam scala, per quam gradatim ascenditur, ad contemplandũ Deum, cum creaturæ sint creatæ propter electos. Loquendo tamen secundum consuetum modum, gradus contemplationis dicuntur illa incrementa contemplationis, & illæ dispositiones quæ magis intellectum, & affectũ coadiuuant ad contemplandum, & quæ distincta sunt, & tradita à sanctis doctoribus. Vnde Gregorius 22. Moralium dicit: Gradus vocantur incrementa virtutum, distincte tradita à Sanctis. Necessitatẽ autem istorũ graduũ contemplationis, ostendit Greg. 22. Moralium dicens sic: Nemo infima deserens, repẽte fit summus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet, vt mens quotidie in altum quasi quibusdam ascensionis gradib. perueniat. Vnde, & recte Psalmista dicit: Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion. Et idem: Deus in gradibus eius cognoscetur, scilicet contemplationis, cum suscipiet eam contemplator. Similiter Linconiensis super Angelicam Hierarchiam ostendit necessitatem istorum graduum per exemplum, dicẽs sic: Sicut oculi carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum, & magis coloribus superfusum, deinde magis confortati, suscipiunt illud à coloratis mediis coloribus, & postea visu roborato, plus suscipiunt illud superfulgidum coloribus albis, deinde vero plus aucta sanitate, suscipiunt illud fulgentibus coloribus superfusum vt speculis, tandem oculis perfecte sanatis suscipiũt solarem radium, non autem alicui superfusum, sed in se purum ipsum solem in ipso puro solari lumine irreuerberate conspicientes: sic etiam oportet, mentis oculum infirmiorem prius assuefieri ad conspiciendum lumen solis, intelligentia in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tandem ex ipsa luminis datione multis multipliciter superfusa, extendamur, & restituamur in simplicem ipsius radium. Hæc ille.

Greg lib. 22. Mor. ca. 14. ante med.

Greg. ibid. cir. fin.

Ibidem vbi vbi supra ante med.

Psal. 83. b

Psal. 47. a sec. LXX.

Ex prædictis apparet, quod tam in radioso lumine cõtemplationis speculatiuæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim, & gradatim, proficiendo ascendere, & ascendendo clarius cognoscẽte Deum: quia sicut dicit Hugo super Angelicam Hierarchiam: Quanto magis crescit ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur, & affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, vt totus homo exterior, & interior in Deum ordinetur, & hoc verius, & perfectius videtur fieri, per gradus illos, qui mentẽ ad similitudinẽ cælestis Hierarchiæ purgãt, illuminant & perficiũt. Ait enim Hugo cõmentator super 3. Angel. Hierarchiæ: Et oportet, quod mens quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, postea illuminetur, & deinde perficiatur, quia nisi præcederet purgatio, non sequeretur illuminatio; & nisi esset illuminatio, non veniret cõsummatio siue perfectio, & tales quanto magis ascendunt, tanto magis appropinquant diuinitati. Quanto autem magis appropinquant, tanto verius contemplantur. Tales autem gradus Dionysius in Angelica Hierarchia dicit esse tam in mente Angelica, quam in mente humana bene ordinata. Vnde secundum commentatorem Linconiensem, & Hugonem, & Vercellensem, dicit Dionysius: Addam ego, & ex abundanti non inconuenienter, quod vnaquæque mens Angelica, vel humana bene ordinata, habet in sua singulari persona primas, medias, & vltimas ordinationes, & virtutes, & sursum actiones, hierarchiarum illuminationes manifeste distinctas. Hæc Dionysius. Hæc verba exponens commentator Vercellensis dicit sic: Qualiter in singulis mentib. hierarchicis disponantur tres hierarchiæ, & in singulis earum tres ordines iuxta Angelicam dispositionem, videlicet in infima Angeli, Archangeli, & Principatus, vi dendum est. Per hos enim mens bene ordinatur ad exteriora, vel respectu exteriorum. In media autem mentis hierarchia sunt Potestates, Virtutes, & Dominationes. per hos ordinatur respectu interiorum. In summa mentis hierarchia, sunt Throni, Cherubin, & Seraphin, per hos ordinatur respectu superiorum. Et has nouem ordinationes vocat Vercellensis nouem gradus contemplationis, quibus reducimur in diuinam monadem. Et prosequitur ibi de singulis gradibus, præmittens, quod infima mentis hierarchia consistit in eius natura, media in industria, tertia in gratia, quæ incomparabiliter excedit vtramque. In prima operatur natura, in summa sola gratia, in media industria, & gratia. *Et sequitur.* Infimus ordo infimæ hierarchiæ qui dicitur Angelicus, continet primas, & simplices apprehensiones naturales, tam intellectus, quam affectus, sine aliqua dictatione commodi vel incommodi, quæ tamquam Angeli, scilicet nuncij aliquid simpliciter annuntiant.

Hug. in tom. Ang. Hier. li. 9. par. 2. circa fin.

Hugo in 3. Ang. Hier. li. 3 post med.

Vercell super Isa c 7. & in prolo go super Cant.

In contemplationem tres possũt distingui hierarchiæ, & in qualibet tres gradus instar cælestis hierar.

Ecce Vercellensis subtiliter incipit ab infimo gradu intellectualis operationis, & affectionis, quæ sunt primæ & simplices apprehensiones, & ascendit paulatim, & gradatim per cacumina collium æternorum, vsque ad summos apices intellectus & affectus, vt patebit infra.

Medius ordo infimæ hierarchiæ continet naturales dictationes apprehensorum, vtrum videantur commoda vel incommoda. ex his fit annuntiatio principalior, quam sit prima.

Tertius ordo vel gradus infimæ hierarchiæ continet appetitus, vel fugas apprehensorum secundum dictationes commodi vel incommodi. Fuga autem est mali, & appetitus boni, & ita iste ordo præbet ducatum inferioribus in diuina, quod signatur nomine Principatuum. Hæc Vercellensis. Ecce per hos tres ordines, & gradus infimæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus respectu exteriorum, dum primi, & infimi gradus intellectus & affectus fuerint bene ordinati. quod fit, dum sibi obiecta simpliciter apprehendunt, discretiuè discernũt, sincere bona appetunt, & mala fugiunt. Vnde Bernardus super Cantica dicit: Beata mens, quam totam sibi vendicant sapor boni, & odium mali, hoc est reformari ad sapientiam.

Quartus ordo vel gradus, qui est infimus in media hierarchia mentis, continet voluntarios motus intellectus & affectus, à libero arbitrio iam accepta distantia boni & mali cum deliberatione rationis, examinantis, & ordinantis mentem, quantum est in ipsis, per diffinitiuam sententiam, ad petendum, & quærendum totis viribus intellectus, & affectus summum bonum, & ad repellendum omnia obstacula. Nomen autem Potestatis signat ordinem secundum Dionysium.

Quintus ordo, qui est medius medię hierarchiæ mentis, continet robora virtutum valida naturalium & gratuitarum, ad exequendum fortiter, quod à Potestatibus recte decretum est, quod notatur nomine Virtutum.

Sextus ordo, qui summus est in media hierarchia mẽtis, continet authentica imperia liberi arbitrij. quib. apices intellectus, & affectus tota virtute suspenduntur, ad suscipiendum diuinos superaduentus, quantum possibile est libero arbitrio adiuto à gratia. Et huiusmodi suspendij, & imperij ac libertatis sublimitas, vocatur nomine Dominationum. In isto autem ordine mens adhuc sobria, extenditur ad radium superiorem vsque summos naturæ terminos. *Et infra.* Mens itaque contemplatiua decursis seriatim quinq; gradibus contemplationis prædictis, in culmine sexti aciem figens in ordine Dominationum mentis nititur in theoricos excessus cupiens in ordinem Thronorum mentis assumi. Hæc Vercellensis.

Ecce

Ecce per hos tres gradus mediæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus respectu interiorum, idest, ad seipsum, ita vt totum regnum animæ pacificetur, dum primo per gradum infimum potestate ordinata, viriliter repelluntur omnia offendicula mentis bene ordinatæ, & Deo cōformiter operante, vt sine vlla ordinis confusione, & perturbatione, tendat ad finem vltimum, ad quem creata est, & dum secundo per gradum medium mens in virtute valida & inconcussa exequitur omnes operationes intellectus, & voluntatis siue affectus, Deo conformiter operante ad Deum seu finem intentum consequendum, quantum potest, iuxta gratiam & virtutes à Deo acceptas: & dum tertio per gradum summum mediæ hierarchiæ plena libertate & in nullo impedita, & Deo conformiter operante, vt possibile est, intellectus & affectus cum omni familia sua liberi, in æterna extenduntur. ergo ordinatio interioris hominis est necessaria, quia sicut dicit Hugo: Sicut sine gratia operari vanum est, ita præter ordinem operari, ac contra ordinem peruersum est. Et quia sicut dicit Linconiensis ibidem: Ordo dicitur potestas à Deo tradita, ad disponendum sacra omnia potestati suæ subiecta, ideo homo interior ordinatus per istos tres gradus, fit etiam ordinatus respectu interiorum.

Hug. super 3. Ang. hierarc. lib. 4. ante med.

Septimus ordo, qui est infimus in suprema vel summa hierarchia mentis, per mentis excessus susceptiuus est diuini superaduentus. Vnde Thronorum nomine censetur, & quot sunt sinus mentis, siue capacitates illius supersubstantialis solaris radij, supersimplicis in essentia, & multiplicis in efficacia, tot sunt throni mentis. Throni autem inconcussi collocantur stabiliter. & sunt susceptiui diuini superaduētus, & sunt deiformis, & familiariter aperti ad Deum in se suscipiendum. Hæc Vercellensis. Hugo vero idem dicit: Subsellia Dei, id est, sedilia subleuantur per dignitatem, collocantur per stabilitatem, Deum aduenientem in se suscipiunt, & ferunt, quia fiūt ad susceptiones aperti. Hæc ille.

Hugo in 7. Ang. Hier. lib. 7. longe ante med.

Octauus ordo siue gradus, qui est medius in summa hierarchia mentis, sicut dicit Vercellensis, continet omnimodam cognitionem intellectus, & affectus, intellectus attracti diuina dignatione, quo non valet ascendere per se, & attracti affectus, affectionem tamen & summitatem intellectus attracti non extendentis, simul enim attrahuntur, & quasi coambulant ipse affectus & intellectus, vsque ad nouissimum defectum intellectus, qui est in summitate huius ordinis Cherubim, quem intellectuales etiam attractus non excedunt, sed ibi habet suę cognitionis, & sui luminis consummationem. Vnde ordo siue gradus ille Cherubim vocatur. Hęc ille. & iterum dicit sic, quod manifestatio interpretationis huius nominis Cherubim, signat, quod substantiæ huius ordinis siue gradus habent virtutem excellenter cognitiuam, & diuinorum mysteriorum inspectiuam, & supremæ influitionis luminum diuinorum post Seraphim susceptiuam principaliter, contemplatiuam diuinæ pulchritudinis quam etiam communicant inferioribus.

Vercell. super Angel. hierar. c. 7.

Nonus ordo siue gradus, qui est summus in summa hierarchia mentis continet principaliter in Deum pura suspiria, superintellectuales extensiones & immissiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores, ad quorum omnium sublimes excessus, & excedentes sublimitates, intelligentia trahi non potest, sed solus affectus principalis Deo vnibilis. *Sequitur.* In hoc ordine offeruntur Deo orationes castissimæ, quibus Deo assimulamur. Iste ordo sponsum amplexatur & sponsi amplexibus admittitur, speculum nescit, Mariæ partem percepit, quæ non auferetur ab ea. De isto ordine siue gradu contemplatiuo in inferiores ordines, & gradus seriatim, id est, ordinate fluit diuini luminis inundatio. Hæc ille. Ecce per hos tres gradus supernæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo creatus & bene ordinatus respectu supernorum, scilicet respectu Dei: dum primo per gradum infimum omnes Throni siue mentis capacitates Deo aperiuntur, & ab ipso inhabitantur: & dum secundo per medium gradum omnes intellectuales actiones ad Deum contemplandum intime, quantum possibile est, & veraciter diriguntur: & dum tertio per supremum gradum, omnis voluntatis affectiones ad Deum diligendum totaliter, & finaliter reducuntur, vt Deum in omnibus, & omnia in Deo ordinate diligant. In hoc gradu fuit anima contemplatiua constituta, quando dixit ipsa: Ordinauit in me charitatem. Quod exponens Vercellensis dicit: Per ordinem Seraphicum omnes inferiores ordines siue gradus participant lumina diuina, & hierarchiæ disponuntur, idest inferiora, & exteriora, per media inferiora reducuntur ad superiora, scilicet in Deum ordinata charitate. Vnde bene dicit: Ordinauit in me charitatem.

Luc. 10. d

Cant. 2. d

ARTICVLVS II.

De gradibus contemplationis secundum Richardum.

Richardus autem ponit sex gradus, vel species contemplationis, quasi quasdam dispositiones & itinera ad æternitatem. Et sicut commentator Dionysij infimum gradum contemplationis ab infimo gradu intellectualis & affectualis operationis, quæ sunt simplices apprehensiones, incipit & instituit, & ascendere gradatim docet, per cacumina collium æternorum, vsque ad summos apices intellectus, & affectus, vt supra patuit: ita Richardus ponendo sex gradus cōtēplationis, instituit primū gradū & infimū in imaginatione, quæ nō est aliquis gradus intellectualis operationis, sed longe inferior est intellectu & affectu, & ab illa ascendit gradatim vsque ad cognitionem increatæ veritatis, omnem humanū intellectum excedentis, & etiam vsq; ad excessum humanæ mentis. Vnde idem Richardus dicit: Nos debemus à nouissimis incipere, & scientiæ nostræ promotionem paulatim subleuare, & per exteriorum notitiam ad inuisibilium cognitionem ascendere. Cum enim exteriorum scientiam apprehenderis, & in eorum doctrina exercitatos sensus habueris, debes ad altiora ascendere, & spiritualium creaturarum scientiam comparare. Hæc ille.

Rich. de contempl. lib. 1. ca. 6.

Sex sunt gradus contemplationis.

Richar. vbi sup. lib. 4. c. 5.

Primum ergo gradū siue infimum Richardus dicit esse imaginationem, & secundum solam imaginationem. Vnde dicit: Tunc contemplatio nostra in gradu imaginationis versatur, & secundum solam imaginationem formatur, quando nihil arguendo quærimus, & ratiocinando inuestigamus, sed libere mens nostra huc illueque discurrit, quo eam in hoc genere speculationis admiratio rapit, quæ oritur ex his, quæ sensu corporeo hauriuntur, dum imaginamur, quam sunt multa & varia, & pulchra, & iucunda: talium enim forma, & imaginatio in considerationem adducta, inferunt stuporem & admirationem. Sed necessarium est, hoc scire quod duplex est imaginatio, vt supra dictum est. Dicit namque Richardus, quod imaginatio alia est bestialis. vt illa quando circa ea, quæ ante vidimus, vel fecimus, sine vtilitate, & absque omni deliberatione, huc illucque vaga mente discurrimus. Vtique hæc bestialis est, & ideo ad contemplationē non pertinet. Alia est imaginatio rationalis, vt quando aliqua imaginamur rationabiliter ex his, quæ videmus, & illis sæpe vtimur in contemplatione. Hæc ille. Et licet imaginatio non sit aliquis gradus intellectus, est tamen ordinata dispositio ad intellectum, quia sicut dicit Richardus imaginatio rationi famulatur, & ideo aliqualiter gradus contemplationis dicitur.

Rich. li. 1. de contemp. c. 6.

Rich. in lib. Beniamin mino cap. 16

Imaginatio alia bestialis, alia rationalis.

Secundus gradus contemplationis secundum Richardum est, qui in imaginatione consistit, tamen secundum rationem formatur, atque procedit, ratiocinando circa ea, quæ imaginationi præsentantur, quod fit, quando ea, quæ in imaginatione versamus, & ad primum gradum contemplationis pertinent, ratione quærimus, & inuenimus, & inuenta in considerationem cum admiratione adducimus. In primo itaque gradu res istas imaginamur. In secundo autem gradu rerum vtilitatem, rationem,

Rich lib. 1 de contem ca. 6.

& ordinem, & ceteras conditiones rimamur, speculamur, & miramur. Hæc itaque contemplatio in imaginatione consistit secundum talem rationem, quia circa ea ratiocinando procedit. Hæc ille. Hic gradus est superior præcedenti gradu, eo quod ratio in eo operatur, licet cũ imaginatione quæ rationi subiicitur. Dicitur enim in libro de spiritu, & anima: Et imaginatio ad rationem non ascendit, sed infra remanens eam aliqualiter deducere potest, & quasi à longe quædam ostendit, ad quæ non potest peruenire. & ideo bene ponitur gradus contemplationis, quia per ipsum spiritus humanus magis appropinquat, & ascendit ad cognitionem veræ contemplationis, quam præcedens gradus. Multa enim ratio cõcludit ex imaginatione, occasione assumpta, quæ continue assistit rationi famulando, etiam sensu absente, siue quiescente.

Aut. de sp. & an. ca. 12. apud Aug. tom. 3.

Tertius gradus contemplationis, vt dicit Richardus, est, qui in ratione secundum imaginationem formatur. Isto autem gradu contemplationis tũc veraciter vtimur, vt inquit Richardus, quando rerum visibilium similitudine multifaria in rerum inuisibilium speculationẽ subleuamur. *Sequitur.* Hæc vero speculatio in ratione consistit, quia in his solum, quæ imaginationem excedunt, per intuitionem, & inuestigationem insistit, vt quæ sunt inuisibilia. Dicitur autem secundum imaginationem formari, quia ex rerum visibilium imaginatione in hac speculatione similitudo trahitur, vnde in rerum inuisibilium inuestigatione animus adiuuetur. Et hic gradus perfectior est præcedentibus, ex eo, quod iste se extendit ad contemplationem inuisibilium, & spiritualium, licet ex imaginatione visibilium similitudinem trahat in sui adiutorium. Vnde Richardus dicit: Cum scriptum sit, quia inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: manifeste ex hoc colligi potest, quod ad inuisibilium cognitionem, numquam ratio consurgit, nisi ei ancilla sua, videlicet imaginatio, rationi visibilium formam repræsentaret. Per rerum enim visibilium speciem, surgit ratio ad inuisibilium cognitionem quotiens his adiuta, illa trahit ad quandam similitudinem Sed constat, quia sine imaginatione, corporea nesciret, sine quorum cognitione ad cęlestium cognitionem, vel contemplationem non ascenderet.

Rich. lib. 1. de cõtempl. c. 6.

Richar. lib. Beniamin Min. cap. 5. Rom. 1. c

Quartus gradus secundum Richardum est, qui in ratione, & secundum rationem formatur, quod vtrique fit, cum semoto omni officio imaginationis, solum illis animus intendit, quæ imaginatio non nouit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehendit. Tali enim speculationi tunc insistimus, quando inuisibilia nostra, quæ per experientiam nouimus, & ex intelligentia capimus, in considerationem ducimus, & ex eorum consideratione in cælestium animorum, & supermundanorum intellectuum contemplationem assurgimus *Sequitur.* Hæc autem contemplatio in ratione consistit, quia sensibilibus semotis, solum intelligibilibus intendit. Et hæc quidem contemplatio ab illis vtique inuisibilibus nostris videtur initium sumere, & fundamẽtum capere, quæ humanum animum constat per experientiam intellectualem nosse, & per communem intelligentiam comprehendere. Sed tamen pro hac parte hæc contemplatio etiam in ratione recte dicitur consistere, quia ipsa inuisibilia nostra à ratione comprehenduntur, & in eo ipso ratiocinationis modum minime supergraditur. Hæc ille. Hic gradus contemplationis perfectior est præcedentibus, eo quod tam à corporalibus, quam à temporalibus magis elongatur, & spiritus magis in eo purificatur, & æternis vnitur. Vnde Richardus ibidem dicit, quod in hac contemplatione animus humanus primum pura intelligentia vtitur, quæ semoto omnis imaginationis officio, ipsa intelligentia nostra in hoc primum negotio seipsam ingerere videtur. Hæc enim per seipsam operatur, & quasi per speciem contemplatur. Hæc ille.

Rich. lib. 1. de cõtempl. c. 6.

Quintus gradus contemplationis esse dicitur, qui est supra rationem, sed non præter rationem. In hanc autem contemplationis speculationem, mentis subleuatione ascendimus, quando ex diuina reuelatione cognoscimus, quæ nulla ratione humana plene comprehendere valemus, & nulla ratiocinatione nostra intelligere, & inuestigare sufficimus. Talia sunt illa, quæ de diuinitatis natura in illa simplici essentia credimus, & scripturarum diuinarum auctoritate probamus. *Sequitur.* Ergo contemplatio nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis subleuationem credit, quod humanæ capacitatis metas transcendit, & supra rationem, nec tamen præter rationem censenda est, quãdo ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest: quin potius facile acquiescit, & sua attestatione alludit. Hæc ille. Et hic gradus est perfectior, & sublimior præcedentibus gradibus eo quod ista cõtemplatio est supra rationem. Circa quod nota, quod sicut dicit idem Richardus: Quædam sunt infra rationem, vt quæ sensu corporeo percipimus: quædam secundum solam rationem sunt, vt quæ ratione inuestigamus: quædam supra rationem sunt, vt quæ vel per reuelationem, vel quæ nullus sensus corporeus potest attingere, & nulla ratio humana penetrare, sed tamen veraciter ea esse credimus, licet nec experimẽto, nec intellectu comprehendere possimus.

Rich. vbi sup. prox.

Rich. de contempl. lib. 4. cap. 2.

Sextus gradus contemplationis est, quæ in his versatur, quæ sunt supra rationem, & videntur esse præter rationem, seu etiam contra rationem. In hac vtique supprema omnique dignissima contemplationis specula, tunc animus veraciter exultat, atque tripudiat, quando illa ex diuini luminis irradiatione cognoscit, atque considerat, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt pene omnia, quæ de personarum Trinitate credere iubemur, de quibus cum humana ratio consulitur, nihil aliud quã contraire videtur. Iste gradus contemplationis perfectior est omnibus præcedentibus, eo quod in eo pura intelligentia operatur, quæ ad contemplationem diuinæ maiestatis admittitur. Vnde idem Richardus dicit: Quãtum quæso est, quod intelligentia humana quotidie ad illos supercælestium animorum theoricos excessus nititur, & quandoque etiam pro diuinæ dignationis beneplacito, ad illa summę maiestatis magnalia contemplando subleuatur? Hæc autem subleuatio quæ quandoque extenditur vsque ad mentis eleuationem, fit ex tribus, quandoque ex magnitudine deuotionis, quandoque ex magnitudine admirationis, quandoque ex magnitudine exultationis, vt semetipsam omnino non capiat, sed supra semetipsam eleuata in alienationem transeat. Magnitudine deuotionis mens supra semetipsam eleuatur, quando tanto cælestis desiderij igne succenditur, vt amoris intimi flamma vltra humanum modum excrescat, quæ animam humanã ad ceræ similitudinem liquefactam, à pristino statu penitus resoluat, & ad instar fumi attenuatam in superna eleuet, & ad summa emittat. Magnitudine admirationis anima humana supra semetipsam ducitur, quando diuino lumine irradiata, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, vt à suo statu funditus concutiatur, & in modum fulgoris coruscãtis quanto profundius ex despectu sui ad ima deiicitur, tanto sublimius, & celerius per summorum desiderium reuerberata, & supra semetipsam rapta in sublimia eleuatur. Magnitudine vero exultationis, & iucunditatis mens humana supra semetipsam rapitur, & à se alienatur, quando intima illa æternæ suauitatis abundantia potata, immo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscitur, & in alienationis excessum tripudij sui nimietate traducitur, & in supermundanum affectum quendam sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Hi sunt igitur gradus contemplationis secundum Richardum.

Rich. lib. 5. de contempl. ca. 5.

* * *

ARTICVLVS III.

De gradibus contemplationis secundum Auctorem de spiritu, & anima.

SEd auctor libri de spiritu & anima considerans, quod etiam Dionysius dicit in epistola ad Titum, quod homo ex duabus naturis constat, anima scilicet & corpore: anima rationali quæ simplex est in essentia, & ex corpore composito, vt iuxta vtriusque naturæ proprietatem illuminetur diuinis cognitionibus: & vt mens eius puras & simplices & intimas sensibilium signorum intelligentias, segregata ab ipsis signis conspiciat, & vt sensualitas eiusdem per naturæ proprietatem cooperetur mentali cognitioni, vt sic ad diuina extendatur, & ideo in cõtemplatione oportet vti sensibilibus formis, in quibus diuina inuisibilia immundis, idest carnalibus abscondantur, & spiritualibus manifestentur. Ideo auctor prædictus primum gradum ascendendi in Deum, dicit esse in sensuũ operatione per quam concipiuntur res corporales. Secundum in imaginatione, per quam concipiuntur corporalium similitudines. Tertium in ratione, per quam percipiuntur rerũ naturæ siue rationes. Quartum in intellectu, per quem percipiuntur spiritus creati. Quintum in intelligentia, per quam percipitur spiritus increatus. Sextum in sapientia, per quam aperitur spiritualis gustus. Et auctor prædictus addit ibidem: Quidquid sensus percipit, imaginatio repræsentat, ratio inuestigat, intellectus iudicat, memoria seruat, intelligentia comprehendit, & ad contemplationem adducit, sed sapientia gustare facit. *Sequitur.* Sic fit ascensus ab inferioribus ad superiora, & à summis dependent ima. Et cum ab inferioribus ad superiora, idest temporalibus ad æterna ascendere volumus, prius occurrit nobis sensus, tanquam primum iter, deinde imaginatio, postea ratio, intellectus, intelligentia, & in summo est sapientia. Et statim subdit diffinitiones prædictorum, dicens: Sensus est ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas percipit formas præsentes, quæ variæ & multipliciter ostendunt suum Creatorem. Vnde Bernardus super Cantica dicit: Quid est, quod hic est tanta formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, nisi quidam radij diuinitatis, monstrantes quidem quia vere est, à quo sunt, non tamen quid sit prorsus diffinientes? Itaque de ipso vero verum vides, sed non ipsum verum. Vnde hoc genus videndi commune est, in promptu enim est, iuxta Apostolum, omni vtenti ratione, inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicere. Hęc ille. Et hęc est à temporalibus ad æterna ingressio, ait Augustinus de vera religione.

Auct. de sp. & ani. ca. 11. apud Augu. tom. 3.

Sensus quid.

Bernar. in Cant. ser. 31. ante mediũ.

Rom. 1. 6

Aug. de vera relig. cap. 29. tom. 1.

Secundum gradum dicit esse imaginationem. Est autem imaginatio secundum eum, ea vis animæ quæ rerum corporearum in corporeas recipit formas absentium, præsentium, præteritorum, & futurorum, quandoque vt sic ipsa inter sensum & rationem, quasi ancilla inter dominum, & seruum discurrat, & quidquid exterius haurit per sensum carnis, intellectui repræsentet ad obsequium rationis. Ex hoc apparet, quod imaginatio simplicior est, & nobilior potentiis sensitiuis, cum ipsa sola similitudines obiectorum omnium sensuum in se recolligat, & quoad aliquid quasi ab hoc loco, & hoc tempore abstrahat, vt patet per Richardum quare imaginatio animam magis facit appropinquare æternis, quam sensus exteriores. Vnde Richardus dicit, quod ratio ad inuisibilium cognitionem numquam assurgeret, nisi ei ancilla sua imaginatio visibilium formas repræsentaret, sine quarum cognitione, ad cœlestium contemplationem nunquam ascenderet. Merito ergo gradus contemplationis potest dici, dispositiue saltem.

Imaginatio quid.

Rich. lib. de Patriarch. c. 5. qui liber Beniamin minor vulgo inscribitur.

Ratio quid.

Tertius gradus ascendendi ad Deum, siue contemplandi, dicitur esse in ratione. Ratio autem secundum eũ est ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, & propria accidentia percipit, omnia incorporea, sed non extra corpora. Abstrahit enim à corporalibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione Natura nempe ipsius corporis, secundum quam omne corpus est, nullum corpus est. Hæc ratio sensum mentis acuit, veraque à falsis distinguit, & imaginem Dei in se conseruat. Hæc ille. Ex quo apparet, quod ratio sensum, & imaginationem incomparabiliter excellit dignitate, & excedit opere. Vnde anima per rationem non solum Deum esse cognoscit, sed etiam eius capax fit, vt patet per Augustinum 14. & 15. de Trinitate. Nam per rationem anima de Deo meditatur, meditando contemplatur, Deus contemplatus amatur, & vere amatus habetur, immo sicut dicit Augustinus in originali: Hæc est vis naturæ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti, non omnino ac penitus possit abscondi, vnde est vere gradus contemplationis ratio.

Quartus gradus secundum eum, est in intellectu. Intellectus autem secundum eum, est ea vis animæ, quæ inuisibilia percipit, sicut Angelos, animam, & omnẽ creatum spiritum, & sic intellectus acceptus ad contemplationem cooperatur, quia importat quandam intimam contemplationem. Dicitur enim intellectus, quasi intus legens, penetrat enim vsque ad essentiam rei, quia obiectum intellectus est, quidquid est, quod etiam asserit Philosophus. Accipitur etiam intellectus quandoque, vt est virtus intellectualis, siue vt est habitus principiorum naturalium, quæ sub lumine sunt naturali, & sic intellectus ostendit veritatem infallibiliter. Dicitur namque in libro de spiritu, & anima, quod intellectuali visione nũquam fallitur anima, aut enim tantum intelligit, & verum est, aut si verum non est, non intelligit, & ideo intellectus sic acceptus dicit aspectum manifestum, & infallibilem circa principia, & sic acceptus intellectus etiam cooperatur ad contemplationem. Accipitur enim aliquando intellectus, vt est donum Spiritus sancti, & sic intellectus est habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, & sic nominant quandam excellentiam cognitionis, penetrandi ad intima cognoscibilium. Vnde Gregorius libro 1. Moralium dicit: Intellectus in die suo conuiuium parat in mente, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat. Nam lumen intellectus sic acceptum, ita se habet ad principia, quæ nobis naturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale, ad ea principia, quæ primordialiter cognoscimus. Sed sicut lumẽ naturale infallibiliter veritates principiorum naturales ostendit: ita, & donum intellectus supernaturales veritates infallibiliter ostendit. Vnde intellectus sic acceptus, est verus, & necessarius contemplationis gradus.

Intellectus quid.

Arist. 3. de ani. tex. 37.

Auct. lib. de spir. & ani. c. 23. apud Aug. tom. 3.

Greg. lib. 1. Mor. cap. 16

Quintus gradus ascendendi ad æterna, siue contemplandi secundum eum est intelligentia. Est autem intelligentia, vt ibidem dicitur, ea vis animæ, quæ immediate supponitur Deo, cernit quippe ipsum supremum verum & incommutabile. Et infra dicit sic: Intelligentia est vis animæ, qua de diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur ad cælestia arcana penetranda, quæ vt dicit Boetius, paucorum est hominum. Ex quo patet quod intelligentia excellit intellectum in sua actione, & ab ea differt, & quod est perfectior gradus contemplationis. Quod etiam Richardus videtur sentire, dicens: Per intelligentiam siquidem sinus mentis in immensum extenditur, & contemplantis animi acies acuitur, vt capax sit ad intelligibilia comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda. Et numquam contemplatio potest esse sine viuacitate intelligentiæ. *Sequitur.* Etiam quotiẽs contemplantis animus dilatatur ad ima, quotiens eleuatur ad summa, quotiens acuitur ad inscrutabilia, quotiẽs agilitate mira, & pene absque timore rapitur per innumera, ex quadam vi intelligentiæ hoc esse, non dubitatur. Hæc ille.

De spir. & ani. cap. 11. Intelligentia quid. ibid. c. 37.

Rich. de contempl. lib. 1. cap. 3.

Sextus gradus cõtẽplationis siue ascendendi ad ęterna, secundum prædictum, est in sapientia, quæ sequitur

intelli-

ntelligentiam, quia sicut dicit idem: Vt visio mentis est ntelligentia, sic mentis gustus est sapientia. Illa contemplatur, ista gustat, & delectatur. Sed hic primo notandum est, quod sapientia quædam est, quæ acquisita est per studium humanum, quæ est virtus intellectualis. De qua loquitur Philosophus in Metaphysica sua. Et hæc per rationis inuestigationem inquirit rectum iudiciũ de diuinis, & actus intellectuales, & omnes operationes animæ perficit, secundum eum, quantum potest. Quia sicut dicit Seneca: Sapiens ad omnem incursum munitus, & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus & contra illa ibit, & inter illa. *Et infra*: Sapiens plenus est gaudio & inconcussus, cum diis ex pari viuit. Hæc ille. Ideo potest dici aliquis gradus contemplationis. Alia est sapientia quæ desursum est infusa. Et hoc est donum Spiritus sancti. Et ad istam non solum pertinet secundum iudicium rectum contemplare diuina, sed gustare, & regulare humanos actus, excellentiori modo quam sapientia, quæ est virtus intellectualis, vt pote magis de propinquo Deum attingens, & experiens per quãdam vnionem spiritus, & animæ ad ipsum, vt directa per regulas legis æternæ. De ista sapientia loquens Bernardus libro de amore Dei, dicit sic: Sapientia à sapore dicitur, sapor autem iste, in gustu quodam est. Gustum autẽ illum nemo exprimere potest, nec ille, qui meretur gustare, sed dicere potest: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus: Hoc gustu, secundum Apostolum, gustatur Dei verbum, gustantur etiam diuitiæ sæculi venturi. *Et sequitur*. Hic gustus si defuerit solus, omnes alij sensus scilicet spirituales quattuor languescunt. Gustum autem sequitur quædam saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, quodam modo singulari quæ suscipit cuncta discernit, & diiudicat, seque, & omnes sensus vegetat, & confirmat, scilicet interiores. Hi sunt gradus contemplationis secundum illum.

Sen. in ep. 59. circ. medium. — *Iac. 3. d* — *Bern. li. de natura & dignitate diuini amoris. c. 10. in princ. fere.* — *Psal. 33. b* — *1. Pet. 2. a*

ARTICVLVS IV.

De gradibus contemplationis secundum Origenem.

AD hos gradus siue species contemplationis supra dictorum Doctorum, quasi omnium aliorum doctorum gradus, & species contemplationis mediate vel immediate possunt reduci, vt patet de sex gradibus contemplationis Origenis, quos declarat, dicens: Contemplatorem verum, & iubilatorem certum te iudico, si primo perficiat te actio. Hic Origenes subtiliter considerat, quod vbi vita actiua terminatur, & perficitur, ibi vita cõtemplatiua ordinate inchoatur, & gradatim sursum tendit, & proficit, donec in visionem intuitiuam consummatur. Vnde proprie loquendo de cõtemplatione, perfectio actionis non est gradus contemplationis, sed potest dici status quidam resultans à summa perfectione vitæ actiuæ, quæ necessario præcedit, tamquam disponens potentias contemplatiuas ad actus suos non impeditos, sed perfectos. Gregor. 6. Moralium dicit sic: Qui arcem contemplationis ascendere desiderant prius necesse est, vt in opere actionis perfecte se exerceant. Et pro tanto dicitur gradus contemplationis.

Orig. super Cant. ca. 2. — *Greg. lib 6. Mor. cap. 17. post med.*

Secundo secundum Origenem verus contemplator es si in te est sensuum exteriorum retentio, siue retractio ad interiora, & collectio eorum in vnum. Hoc enim, iuxta Vercellensem, est greges, id est, sensus bestiales, minare ad interiora deserti per itinera æternitatis. Hoc fit, quando inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, & sempiterna virtus eius, & diuinitas. Hæc est, sicut dicit Augustinus libro de vera religione, à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in nouum hominem reformatio, vt supra patuit.

Rom. 1. c — *Aug. de vera relig. ca. 29.*

Tertio, verus contemplator es, quando est in te omnium imaginabilium transitus, quando mente omnia imaginabilia transcendis. Talis contemplator, sicut dicit Bernardus, fuit qui dixit: Elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Non enim fuit contentus exire, nisi longe se faceret, vt posset quiescere. *Sequitur*. Transilisti carnis oblectamenta, vt minime iam obedias concupiscẽtiis eius, nec tenearis illecebris, perfecisti, & superasti te, sed nondum elongasti, nisi, & irruentia vndique phantasmata, corporearum similitudinum, transuolare mentis puritate præualeas. Hæc ille. De quo vide supra dist. 6.

Bern. super Cant. ser. 52. post med.

Quartò verus contemplator es, si transcendisti omnia rationalia propter phantasmata, & alia impedimenta retardantia animam ad superiora properantem. De hoc dicit Richardus: Contemplatio nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis subleuationem cernit, quod humanæ capacitatis metas transcendit, vt sunt illa, quæ de diuinitatis natura, & de simplici eius essentia credimus. Et licet illa contemplatio supra rationem sit, non tamen præter rationem censenda est, quando ei, quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non potest, quin potius ei facile acquiescit, & sua attestatione alludit. Hæc ille.

Rich. de contempl. li. 1. ca. 6. cir. fin.

Quinto verus contemplator es, si sursum tractus es super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus contẽplationis est de quo loquitur Dionysius, dicens: Ad huc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyses separatur ab his, qui locum Dei secum viderant, & subtrahitur illis visis, & intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehensibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ vere est omniũ clarissima, & in se claudit, & secretissime celat omnes cognitiones comprehẽsiuas tamquam in causa prima omnium & per eam omnis vnitus Deo, qui est supra omnia, constituitur in excellentia, quam neque ratio inuestigat, nec intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à seipso segregatur, & per vnionem dilectionis, quæ affectiua est veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori, quam sit cognitio intellectualis, in eo quod intellectualem cognitionem dereliquit, & super intellectum, & mentem Deum cognoscit. Hæc Dionysius, secundum commentatorem Vercellensem dicit. hæc require plenius supra.

Dionys. de myst. Theo. ca. 1. — *Exo. 24. d*

Sexto verus contemplator es, si in te est vniformis fixio intelligentiæ puræ, & ab omnibus omnino denudatæ, & conformis affectio volitiuæ potentiæ per omnia, in nullo impeditæ, in vno fontali principio cælestium gaudiorum, quod est Deus trinus, & vnus. Vnde Origenes ibidem prædicta in vnum recolligens, dicit: Contemplatorem verum, & iubilatorem certum te iudico, si primum te perficiat actio, si sensum ab exterioribus reuoces, si imaginabilia felici motu pertranseas si rationabilia celeri motu percurras, si intelligibilia felici, & illuminata fide cognoscas, si in primo vero, & in summo bono intelligentiam, & voluntatem tuam ponas sugens, vnde teneritudinem tuam nutrias, bibas, vnde gaudeas, haurias vnde numquam deficias. Hi sunt gradus contemplationis secundum Origenem.

DISTINCTIO V.

Quantam vtilitatem spiritus humanus in itinere vitæ contemplatiua experiatur.

QVinto videndum est, quantam iucunditatem, & vtilitatem spiritus humanus in itinere vitæ contemplatiuæ experiatur. Nam Deo per totum illud iter associatur continue. Primo ergo videamus, qualiter spiritus in hoc itinere dulciter à Domino consolatur. De quo illud Lucæ de vita duarum mulierum, scilicet Marthæ, & Mariæ, de quibus dicit Gregorius libro 6. Moralium: Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi actiua vita figuratur? Quæ stetit, quia sic dicit Glossa: Vita actiua in laborioso desudat certamine, quæ & querulabatur de sorore, quia turbata circa plurima

Vitæ contemplatiuæ vtilitates. — *Luc. 10. g* — *Greg. lib 6. Mor. ca. 18. ante med.*

vitæ

Bernar. in Cant. ser. 40. cir. med.

vitæ actiuæ. Vnde Bernardus dicit: Cum anima in actione sua in aliud tendit, quam in Deum, quamuis hoc faciat propter Deum, tamen non hoc est Mariæ otium, sed Marthæ negotium, quæ adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui puluere non respergi, quem tamen cito facileque deterget in hora sanctæ deuotionis vel dormitionis casta intentio, quæ est intendere & quærere solum Deũ propter ipsum solum, quod proprium est sponsæ, &c. vt dictum est supra in primo itinere distinct. tertia.

Ex quo patet, quod itinerantes in vita actiua frequenter turbantur, sed spiritus ambulans in itineribus vitæ contemplatiuæ, à Deo dulciter consolatur post actiuam. Vnde Gregorius libro 6. Moralium dicit: Quid per Mariam, quæ ad pedes Domini residebat, audiens verbum Domini, nisi vita contemplatiua exprimitur, quæ ex hoc à Domino commendata fuit, quia optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea? Quæ autem illa optima pars fuit, quærit Richardus dicens: Quæ est pars optima, quam elegit Maria, nisi vacare, & videre quam suauis est Dominus? Nam Maria sedens secus pedes Domini, audiuit verbum illius. Summam itaque sapientiam Dei in carne latitantem, quæ oculus carnis videre non poterat, audiendo intelligebat, & intelligendo videbat, quia credebat: & in hunc modum sedendo, & audiendo, summæ veritatis contemplationi vacabat. *Sequitur.* Hæc est pars, quæ electis, & perfectis numquam aufertur, & sane est negotium, quod nullo fine terminatur. Nam veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura vita iugi perpetuitate celebratur. Per veritatis sane contemplationem homo eruditur ad iustitiam, & consummatur ad gloriam. Hæc ille.

Greg. ibidem vbi supra prox.

Rich. de contempl. li. 1. ca. 1. post med.

Secundo videamus qualiter humanus spiritus ambulans per itinera vitæ contemplatiuæ, Deo familiari amicitia vnitur. In Ioanne enim legitur, quod Dominus dixit Petro: Sic volo eum manere donec veniam. Tu me sequere. Vbi dicit Augustinus, quod per hos duos Apostolos signantur duæ vitæ. Vna actiua per Petrum, altera cõtemplatiua, quæ signatur per Ioannem Euangelistam. De Petro, per quem significatur actiua vita, dixit Dominus: Tu me sequere per imitationem, perferendo mala temporalia. Vita igitur actiua Petri est in labore: altera, scilicet contemplatiua Ioannis, in requie. Vna est in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Prima agitur dum facit bonum, & declinat à malo, quæ tamen finitur: altera vero fruitur bono, quod non finitur, Christi scilicet gloria. De Ioanne vero dixit Dominus: Sic eum volo manere, donec veniam. Vbi dicit Glossa, Nolo eum per martyrium consummare, sed expectabit placidam absolutionem carnis suæ, quando ego veniens, recipiam eum in æternam beatitudinem. Vnde hæc vita contemplatiua hic inchoatur, & in futura vita consummatur. Hanc vitam Dominus in Ioanne inchoauit, quando volentem nubere, sibi familiariter associauit, quam multis familiaribus signis amicitiæ continuauit, donec eum inuitando dulciter in æterna beatitudine consummauit. Hæc vita contemplatiua est summum beneficium, quod conferri potest animæ. Habet enim sibi annexas perfectissimas, & supremas, & vltimas delectationes, consequentes virtutes, dona, beatitudines, & fructus, magnificatiuas, & contentiuas, & vnitiuas spiritus creati rationalis, & Dei increati, tanto felicius, quanto immediatius, sicut dicit Origenes super Cantica. Signa familiaritatis patent in Euangelio.

Vita contẽplatiua Deo vnitur.

Ioan. vlt. d Augu tract. 124. in Ioan. post medium tom. 9.

De quiete vitæ contẽplatiuæ.

Tertio videamus, qualiter spiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplatiuæ vigili somno quietatur, & illuminatur post luctam vitæ actiuæ, sicut patet de Iacob, qui post luctam, & somnum contemplationis, didicit videre spiritualia, vt diceret: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Vnde Hugo dicit: Tunc ex Iacob fit Israel, quando post sudationes bonæ operationis, peruenitur ad lucem contemplationis. Tunc exultabit Iacob, & lætabitur Israel. Igitur per Iacob luctantem, signatur vita actiua, quæ contra vitia luctatur. In quo luctamine, & si spiritus non mortificatur, vt plurimum tamen infirmatur, & fatigatur, vt clamet cum Psalmista: Afflictus sum, & humiliatus sum nimis. Per Israel vero videntem, signatur vita contemplatiua, quia in via dormiens, cælestia contemplatur. Quid namque est dormire in via, ait Glossa, nisi in præsentis vitæ transitu à rerum temporalium amore labentium, oculos mentis claudere? Hos oculos concupiscentiæ aperuit diabolus, quos innocentia clausos tenuit. Hæc Glossa. Iste somnus tantum placet Deo, vt cum contestatione iuramenti prohibeat tales excitari à somno tali, & pausatione, dicens contemplatiua: Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne excitetis, neque euigilare, &c. Quod exponens Origenes dicit: Coniurationem tuam audiui Domine, quam, ni fallor, sponsæ tuæ actus, & status causabat, status optimus actus precellentissimus tibi incumbens sine medio te videns sine nubilo, in te quiescens sine tædio, de te hilarescens sine modo, à te permanentiam accipiens sine termino. Hæc ille.

Gen. 32. g Hug. lib. 4. de claustro animæ. 12. in fin.

Psalm. 13. a

Psalm. 37. b

Cant. 5. c

Quinto videndum est, qualiter spiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplatiuæ facie pulchrificatur & visu clarificatur. Richardus dicit, Duas vt legimus, vxores Iacob habuisse cogebatur. Vna Lia, altera Rachel vocabatur. Lia fuit fecundior, Rachel fuit formosior. Lia fecunda, sed lippa, Rachel sterilis, sed formosa singularis. Per Liam signatur vita actiua, per Rachel vita contemplatiua. Ad Liã pertinet flere, dolere, gemere, & suspirare: & ideo recte talis vxor Lia, hoc est, laboriosa, vocatur, & minus videns. Sed ad Rachel, quæ interpretatur visum principium, vel otium, pertinet meditari & contemplari, discernere, & intelligere. *Sequitur.* Sed quid dulcius, quidue iucundius potest esse, quam oculum mentis ad summæ contemplationem sapientiæ erigere? Ad hanc itaque contemplationem cum ratio dilatatur, merito Rachel nomine honoratur. Hæc ille. Ex hac autem contemplatione summæ sapientiæ facies mentis pulchrificatur. Exemplum habemus de Moyse, cuius facies splendida fuit facta ex consortio sermonis Domini, vt Iudæi non possent intendere in eam. Similiter ex hac contemplatione visus mentis clarificatur. Exemplum de S. Benedicto, de quo narrat B. Gregorius libro 2. Dialogorum quod cum in oratione constitutus, quendam radium diuini solis aspiceret, totus mundus ante oculos suos adductus videbatur, vbi vidit etiam animam Germani Episcopi Capuani, in sphæra ignea in cœlum ferri ab Angelis. Et Gregorius dicit ibidem: Quid mirum, quod mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine, & contemplatione extra mundum fuit? Hæc ille. Spiritus igitur in itinere contemplationis facie pulchrificatur, visu clarificatur. De hac contemplatione pulchrificante dicit Hugo: Contemplatio est deifica similitudo, quia dum per eam illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt. Hæc ille. Et Gregorius libro 6. Moralium: Vita contemplatiua speciosa est in anima contemplantis. Propter quod dicitur animæ contemplatiuæ: Tota pulchra es amica mea.

Rich. li. de 12 Patriarchis siue Beniamin min. c. 1.

Exo. 34. d

Greg. lib. 2. Mor. ca. 35.

Hug. super 7 Ang. Hierar. li. 7. an med. Greg. hoc dicit lib. 2 in Ezech. hom 4. post medium.

Cant. 4. b

Quinto spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplatiuæ, dulciter, & multipliciter reficitur. Nam cibatur primo vt fortificetur. Comedere autem panem spirituale est, supernæ lucis contemplationibus pasci ait Gregorius 5. Moralium. De hac refectione dicit Gregorius super Ezechielem: Contemplatiua vita amabilis valde dulcedo est, quæ supra semetipsam animam rapit, cælestia aperit, terrena autem debere esse contempta ostendit, spiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abscondit, vt talis contemplatrix dicat illud Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Vigilanti enim corde dormit, per hoc, quod dum interius contemplando proficit, ab inquieto corporis opere foris quiescit. neque adhuc tamen præsens Deus in sua claritate conspicitur, sed quædam sub ipsa speculatur anima, vnde refecta proficiat, & post ad visionis gloriam pertingat. Hæc ille. Hanc refectionem anima cõtemplatiua gloriatur se esse expertam

Anima contemplatiua multipliciter reficitur.

Greg. lib. 5 Moral. ca. 6. in prin.

Greg. super Ezech hom 15. post medium.

Cant. 5. a

Cant. 2. a

experta dicens: Fructus eius dulcis gutturi meo. Vbi Origenes sic dicit: Da mihi Domine fructū dulcem, fructū vitæ animæ meæ. altus es, attolle desideriū: benedictus es, sanctifica obsequium: imputribilis es, purifica affectum: suauis es, lætifica animam. Item in hoc itinere vitæ contemplatiuæ spiritus reficitur potu inebriantis gratiæ. Vnde anima contemplatiua in Canticis ostendit, se hanc potationem inebriantem expertam esse, cum dixit, Introduxit me rex in cellam vinariam, vbi Glossa dicit: Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ eius attingit, ita me recreatam spiritu, & ab amore terreno rum in superna translatam sentio, ac si in cellam vinariam introducta, nouo suo meri odore, & poculo inebriata sim. Sed hanc refectionem spiritus ambulans in ijs vitæ actiuæ vix, & raro experitur. Vnde Augustinus in epistola ad Hebræos dicit: Contemplatiui, non actiui amare, & gustare possunt sincerum bonum, ad quod gustandum, necesse est cessare à tumultu mundi, propter quod esuriunt, & sitiunt modo actiui, quia non habent gustus sensum exercitatum.

Cant. 1. a

Anima contemplatiua à labore viæ releuatur.

Sexto spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplatiuæ, à labore viæ releuatur per diuinam allocutionem. Vnde in Luca dicitur: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Quod exponens Gregorius dicit sic. Ex audito sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, audire libet præcepta cœlestia, & quod mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur. Et idem Gregorius libro 2. Moralium dicit: Cum in itinere comes iungitur, via quidem non subtrahitur, sed de societate comitis labor itineris leuatur. Item, cum spiritu illo in itinere ambulante quandoque: Deus confabulatur, vt supra patuit, vbi dicit Bernardus, Deus quasi viator quispiam itinerantibus sese associans iucundissimis confabulationibus suis à labore viæ omnem releuat comitem. quam plura ibi de hoc. Item, cum spiritu ambulante in hoc itinere contemplationis Deus habet dulcia susurria. Vnde Origenes exponens illud Canticorum: Vox dilecti, & cetera dicit sic: Quando ad cor reduco, quod cum contemplantibus sua susurria habet Deus, quibus tanto fortius clamat, quanto efficacius susurrat, non sine admiratione commendatam te habeo, quod hanc vocem, & tenuisti mente, & commendasti ore, dicens: Vox dilecti, &c. vbi dicit Glossa: Gaudeo consolatoriam vocem eius audiens, & dum eius faciem nondum video, tamen subleuato ad cœlum animo, aliquam suauitatem futuræ beatitudinis prægusto. Tali igitur allocutione spiritus à labore viæ sic releuatur.

Luc. 24. c
Greg hom. 30. in Euan. post med.
Sup. tit. in 2 dist 3.
Bernar. in Cant. ser. 31.
Cant. 2. b

Anima contemplatiua à terrenis eleuata in cælo commoratur.
Hugo li. 3. de claustro animæ cap. 1. in prin.

Septimo spiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplatiuæ, vltra omnia inferiora mentaliter eleuatur, & in sancta trinitate ineffabiliter iucundatur. Vnde Hugo dicit: Contemplatio claustrum animæ dicitur in cuius sinu dum se recepit animus, sola cœlestia meditatur, à terrenis separatur, à turba carnalium cogitationum longe ponitur, dulces carnis refugit affectus, vagos sensuum astringit motus, in Domino delectatur, Angelica dulcedine fruitur, legit in libro vitæ, pro silentio pacem tenet, in choro virtutum seruat concordiam morum, summi patris potentiam considerat, sapientiam Filij inuestigat, Spiritus sancti benignitatem amat. Dum hæc tria contemplatur, tribus modis consolatur. Hæc ille. Hos autem tres modos consolandi potest experiri pro vero, qui in itinere contemplationis ambulans, experitur in memoria Patrem admonentem, & trahentem ad Verbum suum Iesum Christum audiendum. Quia sicut dicitur in Ioanne: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum per internam inspirationem. Item consolatur, qui experitur in intelligentia, Filium Patris illuminantem, ad Patrem suum cognoscendum, quia, sicut dicitur in Matthæo: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare Item consolatur, qui experitur in voluntate Spiritum sanctum afficientem, & ad Patrem, & Filium amplexandum, & tenendum. Quare in amore qui appropriatur Spiritui sancto, Pater, & Filius tenentur, & amplexantur? quod ostendit Augustinus. Spiritus ambulans in itineribus vitæ actiuæ, sæpe ab huiusmodi consolationibus impeditur, & amaritudinibus repletur. Vnde Origenes super Cantica dicit: Qui terrenis inhæret, inuenire non potest, nisi quod in terrenis latet, scilicet amaritudinem, & dissipationem. Sunt, & aliæ multæ vtilitates contemplationis.

Ioan. 6. e
Matt. 11. d
Augu. de trinit. lib. 6. c. 5. tom. 3.

DISTINCTIO VI.

Qualiter per iter contemplationis spiritus æternum manerium Christi ingrediatur.

Sexto videndum est, quomodo per iter contemplationis spiritus noster ad intrinsecum secretum Domini IESV ingrediatur, & ab exterioribus abscondatur. Et quamuis ex prædictis gradibus contemplationis satis patere posset, qualiter spiritus humanus contemplando ingrediatur in æternum manerium IESV: cum Hugo super primum Angelicæ Hierarchiæ dicat, quod quanto magis crescit à seipso ascensio, tanto magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur, & affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, & totus in Deo quietetur, & in istum ascensum doceant prædicti gradus contemplationis: planum est, quod per eos potest cognosci, qualiter spiritus contemplatiuus in illud secretum intrinsecum Domini IESV ingrediatur, & abscondatur: tamē propter istius manerij vtilitatem notandum, quod cum Dominus dicat: Non videbit me homo, & viuet, necesse est, vt spiritus contemplatiuus mundo prius moriatur, & mundus sibi moriatur, & extunc in æterna ingrediatur, & in eis abscōdatur. Quid est autem spiritum per contemplationem illud intrinsecum secretum intrare, nisi ab omnibus temporalibus absolui, & elongari, & in æterna extendi, & in eis abscondi continuis profectibus, donec totus homo exterior, & interior in Deum ordinetur, prout possibile est statui viæ? Vnde Gregorius libro 14. Moralium dicit: Contemplationis penna nos subleuat, atque à nobis ad illum erigimur intuendum raptim, & intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo à nobis imus in ipsum, & hoc ire, est requiescere. dissimiliter tamen requiei diuinæ assimilamur, & imitamur requiem Dei. Nam sequitur ibidem: Namque vt beati simus, & æterni, æternum imitabimur in æternum, & magna nobis est æternitas, imitatio æternitatis, nec expertes sumus eius quam imitari possumus. Hæc Gregorius. Oportet enim verum contemplatorem mori mundo, vt mundus sibi moriatur, vt in nullo contemplatio eius impediatur. Dicit enim Gregorius libro 18. Moralium: Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam amore eius teneatur. Talis fuit ille verus contemplator Paulus, quando dixit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Quod Gregorius exponens libro 5. Moralium, dicit: Mundus quidem ei crucifixus fuerat: quia hunc cordi suo iam mortuum non amabat. Sed seipsum mundo crucifixerat: quia talem se exhibere studuit, vt ab eo quasi mortuus concupisci non posset. *Et sequitur.* Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, à tumultu inutilium curarum, à clamore perstrepentium turbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis absconduntur. Vnde recte per Psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito vultus tui, à perturbatione hominum. Quod quamuis perfecte postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur cum à temporalibus tumultibus, & eorum delectatione in interiora rapiuntur: vt mens eorum dum in amore Dei tota tenditur, nulla mundi perturbatione laceretur. Hinc est, quod Paulus contemplatione mortuos quasi in sepulchro absconditos, discipulos viderat, quibus dicebat: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Hæc ille.

Spiritus cōtemplatiuus debet prius mundo mori, vt Deum in oratione videre possit.
Exo. 33. d
Greg. lib. 18. Mor. cap. vlt. ante med.
Gal. 6. d
Greg. lib. 5. Moral. ca. 3. cir. med.
Ibidem ca. 5. post med.
Psal. 30. d
Coloss. 3. a

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis ad secretum IESV inuitatur.

SEptimò videndum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter iucundæ contemplationis ad intrinsecum secretum Domini Iesu, ab eo inuitetur, Sponso in Canticis dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Cuius inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Veni quia iam est itinerandi amœna iucunditas, quia flores apparuerunt in terra nostra. Iam enim tempus vernale aduenit, ex præsentia diuini solis incarnati. Vnde Origenes super Cantica dicit: Ipso sole iustitiæ oriente, hiems transijt, & ver fidei calore Spiritus sancti terram soluit, & flores virtutum producit. Ergo ô amica mea, propter contemplationis tuæ amorosum affectum, vulnerasti cor meum Sponsa mea, penetrando dulcifluam dulcedinem in vno oculorum tuorum, sicut exponit Vercellensis, idest intelligentia tua attracta. & simplificata in contemplatione pulchritudinis meæ. Surge mentaliter per amorosæ contemplationis sursum actionem. vt sicut dicit Glossa super illud Matthæi: Respicite volatilia cœli, Sola contemplatione iam in cœlo degas quasi auis cœlica, non terrena. O columba mea, propter contemplationis tuæ radiosum aspectum, quia oculi tui columbarum, vbi dicit Glossa: Sensus tui spirituales contemplatione spiritualium rerum excellentes reuerendi sunt, & simplificati, ideo magis confortati, propterea ait Isaias: Assument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient. Aquila, sicut dicit Hugo, super 15. Angelicæ Hierarchiæ, auis est altifera, & cito volans, & significat agilitatem spiritus, &c. O formosa mea, propter contemplationis tuæ speciosum obiectum. Ex pulchritudine enim obiecti beatifici, mentes contemplatrices beatificantur, & pulchrificantur. Vnde Dionysius in Angelica Hierarchia dicit: Deus pulchros facit suos contemplatores, & amatores, iuxta illud ad Corinthios: Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformabimur, &c. Tali contemplatrici dicitur: Ostende mihi faciem tuam. Facies enim tua decora, non decore corporali, sed decore vero, & spirituali, & interiori. Veni ergo de labore ad requiem, de dolore ad consolationem, de languore ad impassibilitatem. Veni ad interiores theorias vnitiuæ contemplationis, tanquam ad interiora deserti, vbi iam apparent flores, idest splendores cœlestis sapientiæ, qui ibi apparent in contemplatione clara, qui prius te latebant in prima desideriorum extensione. Vnde in Iob dicitur: Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Veni, aperta sunt prata, apparuerunt herbæ florentes, varios flores, & odoriferos, & spirituales in Ecclesia producentes. Vnde Gregorius exponens illud Genesis: Odor filij mei, sicut odor agri pleni, dicit: Aliter redolet flos vuæ, per quem signantur prædicatores doctrinis inebriati. Aliter flos olei, id est misericordes, qui lucent, & refouent debiles. Aliter flos rosæ, idest, martyres exemplis fragrantes. Aliter flos lilij, idest, virgines candidam famam spirantes. Aliter flos violæ, idest, humiles purpuram cælestis vitæ seruantes. Aliter spica nardi, idest, perfecti. & maturi, opera bona fructificantes, dicit Gregorius. Et Origenes: Quis iam non surgat, quis non properet, aut quis non veniat vbi tot vtilitatis insignia concurrunt? Per illud iter floridæ contemplationis fideliter, & amorose ambulare tribuat nobis, qui est æternorum via, veritas, & vita. Amen.

Inuitant spiritus humanos ad iucunditatem contẽplationis. Cant. 2. — Cant. 4. c — Matt. 6. c — Cant. 1. d — Isa. 40 g — Hug. in 15. Ang. Hier. li. 10 post med. — Dionys. 2. Ang. Hier. — 2. Cor. 3. d — Cant. 2. d — Iob 42. a — Prou. 27. d — Greg. hom. 6. in Ezech. ante med. — Gen. 27. c

DE QVARTO ITINERE æternitatis.

QVARTVM iter æternitatis est, per quod spiritus humanus venit ad intrinsecum secretum, & æternum manerium IESV, est æternorum charitatiua affectio. Ad cuius itineris maiorem cognitionem, septem sunt notanda.

Primò, quare iter charitatiuę affectionis, iter contemplationis immediate sequatur.

Secundo, quid sit charitatiua affectio, & quomodo sit iter ad æterna, vt verius cognoscatur.

Tertio, qualiter charitatiua affectio à naturali affectione, vel acquisita dilectione distinguatur.

Quarto, quibus signis & coniecturis charitatiua affectio qualitercumque manifestetur.

Quinto, qualiter charitatiua affectio à sanctis Doctoribus per gradus diuidatur.

Sexto, qualiter spiritus noster per iter charitatiuę affectionis, æternum manerium ingrediatur.

Septimo, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter charitatiuæ affectionis ad æterna à Domino inuitatur.

DISTINCTIO I.

Quare iter charitatiuæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur.

PRimo igitur videndum est, qualiter iter charitatiuæ affectionis iter contemplationis immediate sequatur. De hoc nota, quod quia affectio charitatiua tanquam posterior perficit contemplationem, dicit enim Augustinus, quod quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius, sereniusque eum videmus: ideo charitatiua affectio debet immediate sequi contemplationem tanquam excellentior, & perfectior, & perficiens intellectum contemplatiuum. Voluntas enim tanquam posterior in ordine, aperit intellectui suam perfectionem. Cuius signum est, quia voluntas imperat intellectui quærere, & inuenire notitiam quæ est perfectio intellectus, & partus mentis, sicut ostendit Augustinus. Et Hugo super septimum Angelicæ Hierarchiæ dicit: Dilectio supereminet scientiæ, & maior est quam intelligentia. Plus enim diligitur Deus, quam intelligatur, & dilectio intrat, & appropinquat, vbi scientia foris stat. Et istius dicti reddit rationem dicens: Nec mirum, quia dilectio semper amplius præsumit, & confidit, semper acutum habet penetrans omnia, & sequens impetum ardentis desiderij, nec dissimulare valet, donec ad amatũ perueniat. Hæc ille. His concordat Gilbertus Porretanus, vbi dicit: Scientia inflat, charitas perflat. charitas intimior est, quam scientia, & ad secretiora pertingit. Omnia enim interiora perflat spiritus amoris, quo, & scrutatur profunda Dei. Hæc ille. Nullum etiam bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur, sicut Augustinus dicit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabit corda vestra. Rationabiliter igitur charitatiua affectio sequitur contemplationem, tamquam perficiens eam, quamuis incogni ta amari omnino non possint, secundum Augustinum.

Amor sequitur contemplationem. — Aug. lib. 8 de Trinit. c. pen. tom. 3. — Aug. vbi sup. li. 9. c. vlt. Hugo in 7. Ang. Hier. li. 6. ante med. — Gilb. super Cant. ser. 39. cir. fi. inter Bernar op. tom. 2. — Augu. lib. 83. quæstionum, q. 35. tom. 4. — Eccl. 2. b

DISTINCTIO II.

Quid sit charitatiua affectio, & quomodo sit iter ad æterna, vt verius cognoscatur.

SEcundo videndum est, quid sit charitatiua affectio, vt ex hoc spiritus cognoscat, qualiter ipsa sit iter ad æterna. De quo primo sciẽdum est, quod amor, dilectio, & charitas, in scriptura frequenter pro eodem accipiuntur, vt dicit Dionysius quarto de diuinis nominibus, vbi dicit:

Charitas quid sit.

dicit: Communiter, & vniformiter vtendum est in diuinis nomine amoris, nomine dilectionis, siue etiam charitatis. Et Augustinus octauo de Trinitate dicit, quod nihil aliud est charitas, nisi amor boni. Est igitur sciendum, sicut dicit Dionysius vbi supra, quod vnus est amor increatus, qui sua supersubstantiali, & vniuersali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus rebus; qui amor creatus, est quædam inclinatio, & coordinatio amantis ad bonum amatum, & ideo Dionysius distinguit ibidem diuersos amores, secundum diuersas inclinationes ad bonum appetibile, dicens: Quando amorem nominamus, siue diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, designamus nomine amoris, quandam virtutem vnitiuã, vbi dicit commentator: Amor est connexio, & vinculum, quo omnium rerum vniuersitas ineffabili amicitia, insolubilique vnione copulatur. Et commentator exponit, & declarat istos amores ibidem. Ex quibus magis quid amor siue charitas sit, apparebit. Amorem naturalem vocant inclinationem ad bonum, quæ non præsupponit cognitionem aliquam, quæ inest omnibus rebus à Creatore indita, qua inclinentur ad conseruationem sui esse quod est bonum eis. Vnde dicitur in Iob: Frumentum desiderat nubes, idest, naturalem habet inclinationem ad hoc bonum. Amorem animalem vocat inclinationem ad bonum, quæ præsupponit cognitionem sensitiuam, & hic tantum est in his, in quibus est sensibilis appetitus, vt in homine, & in brutis. Amorem intellectualem vocat inclinationem ad bonum, quæ præsupponit cognitionem rationis, vt commentator ait, quæ est in homine. & hic amor distinguitur: quia quædam est inclinatio ad bonum, quæ non præsupponit nisi naturalem cognitionem boni absolute, & est à voluntate non deliberata: quædam est inclinatio in bonum, quæ præsupponit cognitionem deliberatam respectu boni relati ad aliud vt ad finem, vel circumstantias, vel ad aliquid aliud, tunc est amor electiuus, qui proprie dicitur dilectio. Si autem ille amor fit per aliquem habitum supernaturalem, per quem homo fit acceptus Deo, & dignus remunerari in æterna vita, amor charitatis est siue gratuitus, & hic necessarius est, vt sicut intellectus per fidem, quod est lumen supernaturale, eleuatur ad beatifici obiecti supernaturalem cognitionem; ita, & affectus siue voluntas per supernaturalem habitum charitatis eleuatur ad beatifici obiecti supernaturalem affectionem, vt infra patebit.

Aug. lib. 8. de Trin. ca. 10. tom. 3.

Diuersi modi amores.

Amor naturalis.

Iob 37. b

Amorem autem Angelicum vocat inclinationem in bonum, in qua præsupponit altiorem cognitionem, quã sit cognitio humana: & ideo Angelus fortius inclinatur in bonum cognitum, & perfectius. Vnde Linconiensis commentator super quintum Angelicæ Hierarchiæ dicit: Angeli ex rationis abundantia scientes, id quod appetunt esse vere desiderabile, & vehementissime, & intime, & totis viribus desiderandum, & amandum amore puro, & non in aliud tendente; illud intendunt, ita fortiter, & inauertibiliter, quod illa intentio à nulla potestate, & potẽtia intercipi potest, vel impediri, & sic amor intellectualium tendit in eis in visum bonum, quod est verum, & summum bonum. Hæc ille.

Amorem vero diuinum Dionysius vbi supra ponit, præexistentem supersubstantialiter in bono ad existentium emanantem, qui, & rursus ad bonum conuertitur, in quo diuinus amor monstratur, sicut quidam æternus circulus, habens finis interminabilitatem, & principij carentiam, circumambulantis propter bonum ex bono, & in bonum, per quandam circulationem non errantem, & ipse amor in eodem, & secundum idem procedens, semper in se manet, & ad se restituitur. Hæc ille. De isto amore dicit idem sic: Audeo autem pro vero dicere, quia ipse Deus omnium tam pulchro, & bono amore omnium per abundantiam amatiuæ bonitatis, quasi extra seipsum fit, prouidendo omnibus existentibus, & per amorem, & bonitatem trahitur, & ex eo, quod est super omnia, ad id, quod est in omnibus deducitur secundum virtutem supersubstantialem facientem ecstasim, sed à se inegressibilem. Propter quod Deum zelotem vocant, tamquam abundanter amantem existentia, & excitantem mentes ad feruens desiderium ipsius: vnde amabilis, & diligibilis dicitur, inquantum est plenitudo bonitatis, & pulchritudinis cunctis appetentibus. Dicitur Deus amor, & dilectio inquantum ipse est virtus mouẽs, & quasi sursum agens omnia, ad se naturaliter appetendum: quemadmodum adamas quiescens, facit ferrum moueri. Hæc Dionysius. Ex his omnibus concludit, dicens: Quando ergo amorem nominamus siue Diuinum, siue Angelicum, siue intellectualem, siue animalem, siue naturalem, designamus nomine amoris quandam virtutem vnitiuam, & concretiuam, mouentem superiora ad prouidẽtiam inferiorum, & coordinatam ad cõtinuam, & mutuam habitudinem inferiorum, ad conuersionem ad superiora. Ex quibus omnibus apparere potest, quod amor est virtus vnitiua amantis cum amato.

Amor quid.

DISTINCTIO III.

Qualiter charitatiua affectio à naturali affectione, vel acquisita dilectione distinguatur.

Tertio ne spiritus humanus arripiat iter naturalis affectionis, vel acquisitæ dilectionis, pro itinere charitatiuæ affectionis; expedit videre, qualiter affectio charitatiua siue gratuita à naturali affectione & acquisita dilectione, vel amore differat, vel distinguatur. De quo notandum est, quod sicut dicit Hugo de sancto Victore in libro, qui incipit, Accipe frater charissime. affectus est spontanea quædam ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia, sicut ipse dicit ibidem, secundum variam inclinationem affectionum, & motuum variantur nostri amores, ideo vt de omnibus affectionibus, & motibus, quibus amor noster multipliciter variatur, quis illorum maxime sequendus sit, & quantum, & qualiter, vt competenter fiat, & quis respuendus sit, vel etiam reprimendus, subtilius est inquirendum. Per hoc patebit in quo amores isti conueniunt, & differunt.

Affectio charitatiua qualiter ab affectione naturali, & acquisita differat.

Sunt autem, sicut ipse ostendit, ibidem quinque amores, & affectiones, quibus inclinamur ad aliquem vel aliquid.

Primus est affectus naturalis, de quo dicit Hugo ibidem sic: Naturalis affectus est cuiuslibet ad carnem suam, nemo enim carnem suam odio habuit. Item matris ad filium, non enim potest mater obliuisci infantem vteri sui. Item hominis ad domesticum suum. Qui enim curam domesticorum non habet, fidem negauit, & est deterior infideli. Hunc sane affectum sicut non admittere impossibile est, ita non sequi summæ virtutis est, nisi ratione reguletur. Semper enim iste affectus mollia suggerit, & suaue, & iucundum, quod terrenum, quod voluptuosum, & quod delicatum libenter amplectitur: quod vero asperum, quod voluntati contrarium omni horrore refugit. quocirca huius affectionis executio amor peruersus est. Hic amor à Saluatore interdicitur, cum dicit: Qui amat animam suam, perdet eam. Proinde Sanctus Augustinus dicit: Si male amas, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. *Sequitur.* Qui enim amat secundum talem affectum vtique odit, quia qui diligit iniquitatem odit animam suam: qui vero odit secundum illum affectum, secundum rationem diligit. Naturale quidem est, quod homo erga se, & suos affectum habeat, sed amorem secundum affectum habere non debet. Hæc ille. Quod in isto affectu naturali affectio charitatiua differat, patet, quia ista cum homine nascitur, illa vero à Deo inducitur, dicit idem Hugo.

Hugo vbi sup prox. Ephes. 5. f. Isa. 49. d. 1. Tim. 5. b

Ioan. 12. d. Aug. tract. 51. in Ioann. post medium tom. 9.

Secundus est affectus carnalis, de quo dicit idem sic: Carnalis affectus duplex est. Plerumque enim neque virtus, neque vitium est, sed est quędam exterioris hominis habitudo, animum intuentis sibi inclinans facile. Quippe cum alicuius forma est elegantior, & sermo suauior, venustus aspectus, etiã ignorantis qualis ipse sit, prouocat, & perstringit ipsum affectũ. Hoc in puero Moyse

apparuit,

apparuit, quod propter elegantem formam tribus mensibus contra præceptum Pharaonis abscondebatur, & à filia ipsiusPharaonis in filium fuit adoptatus. Porro & qui ad noxiam voluptatem in qualibet specie suauitatis male blanda compungit, motum carnalis affectus nemo sani capitis dubitauit. Hic carnalis affectus fuit qui Dauid ad speciem Bethsabee præuenit incautum, præuentum dissoluit, dissolutum obruit. Hic affectus sapiētiam Salomonis absorbuit, & carnali libidine dissolutum, in spiritualis fornicationis barathrum, & nefandissimam idolorum culturam deiecit. Hæc ille. Talis affectus non meretur habere nomen amoris veri sed, vt dicit Dionysius, est longinquum idolum veri amoris, & plenus anxietate. Affectio autem charitatiua plena est iucunditate. Vnde Richardus de Trinitate: *Sicut charitate nihil est melius, ita, & nihil est iucundius.*

2. Reg. 11. 3. Reg. 11. a

Dionys. de Ang. Hier. c. 2. & de diu. nomi. c. 4.

Tertius affectus est officialis, de quo Hugo sic dicit: Officialem affectum dicimus, qui meritorum vel obsequiorum exhibitorum quorundam animos inclinat, qui quamuis sit periculosus, tamen admittendus est, ne sis ignarus vel ingratus in officio, cauendum est ne tam homini impertiatur, quam vitio. Quid magis cauendū est, quam ne obsequiis vel muneribus illectus aut foueas vitia aut vitiosa? Proinde in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna habenda est discretio. Et attendendum est ad personæ dignitatem, vt si forte tanti meriti sit, vt affectus officialis transeat in rationalem, vt quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus, & retributio secundum rationem nō secundum affectum impendatur, sed & desiderium quo amati præsentia desideratur, vel actus quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequatur non affectum. Iste quoque affectus, qui hominem sine alterius causæ respectu sponte complectitur, per omnia temperetur. Ab isto affectu multum differt affectio charitatiua, quia ista quærit quæ sua sunt, per charitatem autem singula sunt omnium, & omnia singulorum, quia non quærit quæ sua sunt, vt ait Gregorius in Moralibus.

Richar. de Trin. lib. 3. c. 3. statim post prin.

1 Cor. 13. Greg. li. 10. Moral. c. 4. vers fin.

Quartus est affectus rationalis de quo Hugo sic dicit: Rationalis affectus hic est, qui ex consideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis nostris, cuiuslibet virtus, vel sanctitas explorata, vel fama diuulgata, mentem nostram dulcedinis suauitate perfundit. *Sequitur.* Hic est affectus qui nos audita triumphali martyrū passione, suauissima compungit deuotione, ac memorabiles actus præcedentium quasi sub oculis delectabili meditatione depingit, & ad proximi dilectionem contemplantis eius virtutibus accendit, propter quod constat, hunc affectum esse perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium est ipse amor virtutis, ex quo ad actum virtutis excitabitur. Hæc ille. Ab isto affectu differt affectio charitatiua, quia ista ratione mediante ab exemplis exterioribus oritur & exercitatur. Affectio vero charitatiua à Spiritu sancto ad amandum etiam peccatores inflammatur, & bonorum exemplis multo dulcius afficitur, vt patet per Apostolum, vel per alios Sanctos.

Quintus est affectus spiritualis, sic dictus, quia vel à spiritu immittitur, vel à spiritu oritur, vel à spiritu inspiratur. Et hic affectus est triplex, quia quandoque immittitur à spiritu maligno: quandoque oritur à spiritu humano: & quandoq; inspiratur à spiritu diuino, & sancto. A spiritu maligno affectus immittitur, vt dicit Hugo, quando inclinat aliquem ad vitia. Illo affectu maligno, filius Dauid improbe in sororis exarsit amplexus. Istumque affectum misit in cor Iudæ, vt Dominum traderet. Illo affectu inclinat ad quæque turpia. Vnde Osee, Spiritus (inquit) fornicationis decepit eos. Quod autem affectio charitatiua differat ab illo planum est: quia illi contrariatur. A spiritu autem humano tam ex innata ingenuitate, quam ex studiosa, & exercitata exquisitione, oriuntur quandoque affectus amorosi ad summum bonum diligendum, quod est summe appetibile, & sunt simillimi affectioni charitatiuæ siue gratuitæ. Nam si accipiatur gradus maximæ charitatis, qui, testante veritate in Euangelio, est, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, similem gradum ex puris naturalibus inueniuntur multi ascendisse. Vnde Augustinus narrat, quod multi vtilitatem Reipublicæ propriæ vitæ præponebant. Et exemplificat de hoc. Et Tullius de officiis dicit, quod duo erant præcepta Platonis volentibus Reipublicæ prodesse. Primum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcumque agant ad eam referant, obliti commodorū suorum. Secundum præceptum fuit, vt totum corpus Reipublicæ curent principaliter: ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deserant. A Spiritu autem diuino affectus charitatis infunditur, vt patebit, qui licet in multis differat à prædictis, in multis tamen conuenit cum eis, propter quod difficile est distinguere inter istas affectiones, scilicet charitatiuam, naturalem, & acquisitam, propter similitudinem actuum suorum.

Affectus triplex.

2. Reg. 13. a Ioan. 13. a Osee 4. c

Ioan. 15. b Aug. de ciui. Dei lib. 5. c. 18. Cic lib. 1. offic.

Et tamen isti habitus differunt, quod certum est, primo, quantum ad originem, quia charitas gratuita à solo Deo supernaturaliter infunditur. Vnde dicit Apostolus: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitātem Spiritum sanctum. Illa autem scilicet naturalis per naturam cum homine nascitur, & altera per exercitium acquiritur. Secundo differunt quantum ad substantialitatem, quia charitas gratuita est viuificatiua, purior, & feruentior, quia numquam est sine Spiritu sancto, qui datur in ea, neutra autem aliarum viuificat. Tertio differūt quantum ad formalitatem, quia charitas gratuita alias virtutes, vel habitus informat, & perficit: vt dicit Ambrosius. Vtrique autem illorum manent informes, & imperfecti sine ista. Quarto differunt quantum ad finis capacitatem, quia charitas gratuita spiritum humanum à culpa ducit, in gratiam conducit, & Deo vnit, & gaudio perenni & iubilatione, consummat & perficit. Vnde Rabanus in quodam sermone dicit sic: Charitas siue amor diuinus est ignis in meditatione, mentem purificans à sordibus vitiorum. Lux est in oratione mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans, dulcedine diuinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione, mentem inebrians iucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine, mētem clarificans, serenissimo lumine, & suauissimo calore, exhilarans ineffabili gaudio, in perenni iubilatione. Hæc ille. Nullum istorum potest perficere sine charitate, nec naturalis amor, nec acquisita dilectio. Bernardus super Cantica sermone 50. sic distinguit, dicens: Est affectio, quam caro, siue natura gignit: est affectio, quam studiosa exercitatio acquirit, siue quam ratio regit: & affectio, quam sapientia condit. Hæc vltima primam illuminat, secundam remunerat. prima quidem est dulcis, sed turpis: secunda est sicca, sed fortis: tertia suauis, & pinguis, quæ gustat, quoniam suauis est Dominus. Hæc ille. Certa tamen differentia in his non potest haberi.

Charitas gratuita ab aliis affectibus dilectionis vt differt. Rom. 5. a

Ber. ser. 50. in Cant. ante med.

DISTINCTIO IV.

Quibus signis, & coniecturis charitatiua affectio qualitercumque manifestatur.

ARTICVLVS I.

De signis charitatis iam genitæ.

QVarto igitur videndum est, quibus signis vel coniecturis charitatiua affectio, vt à Deo inspirata est, qualitercumque cognoscatur. Circa quod sciendum, quod quamuis Magister in Sententiis notificare nitatur habitum charitatis, dicens: Charitas est virtus gratuita, voluntatem in esse secundo perficiens, in ordine ad actū diligendi, prompte, & faciliter, propter se, & supra omnia summum bonum: & licet habitus notificentur per eorum actus: tamen, vt supra patuit, quia actus charitatis, & actus amoris naturalis, & acquisitæ dilectionis sunt simillimi, ideo non possumus certitudinaliter scire, vtrum

Quibus cōiecturis cognosci potest qui nō sit in gratia.

habeamus habitum charitatiuæ affectionis: quod non absque rationabili causa à Deo ordinatum est. & ideo oportet nos esse contentos aliquibus signis, & coniecturis, & quibus aliqualiter confidimus nos habere charitatem gratuitam. Et quia ista signa, & coniecturæ oriuntur ex actibus charitatis, quorum aliqui ex ipsa charitate eliciuntur, aliqui ex ipsa imperantur, & horum aliqui sunt charitatis incipientium, & alij charitatis proficientium, & alij charitatis perfectorum, propter quod Sancti & Doctores aliqui dicunt, aliqua signa esse charitatis genitæ, aliqua roboratæ, & aliqua esse charitatis signa iam perfectæ. Et signa charitatis iam genitæ siue infusæ, sicut dicit Bernardus sunt quattuor, quæ ibi numerat, dicens sic:

Bernar. in ser. de omnibus Sanctis.

Primum signum charitatis genitæ siue infusæ, est dolor de culpa præterita. Ratio huius est, Charitas & culpa mortalis opponuntur, & ideo simul stare non possunt in eadem voluntate, ideo quando charitas est in voluntate, expellit culpam per dolorem contritionis. Vnde Augustinus dicit sic: Radix omnium bonorum est charitas, & radix omnium malorum est cupiditas, & simul ambæ non possunt esse, quia nisi vna radicitus euulsa fuerit, alia plantari non potest. Ergo dolor contritionis signum est habitæ charitatis, cum vtraque simul in voluntate esse possit.

In lib. 50. homil. hom. 8. cir. prin. t. 10.

Secundum signum charitatis genitæ secundum Bernardum, est firmum propositum cauendi futura peccata cum effectu. Cuius ratio est, quia habere propositum cauendi omnia peccata mortalia cum effectu, nec per amorem naturalem, nec per acquisitam dilectionem, potest diu quis habere sine gratia, siue charitate adiuuante. Vnde Augustinus dicit, quod voluntas ipsa nisi gratia Dei liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet per gratiam adiuuetur recte, pieque viui à mortalibus non potest. licet enim propter libertatem posset vitare quodlibet peccatum mortale signatum, non tamen propter infirmitatem potest diu omnia in communi vitare, quin in aliquod incidat. ergo diu esse sine mortali peccato, signum est charitatis iam habitæ, sine mortali, idest sine conscientia mortalis.

Aug. lib. 1. Retract. c. 9. cir. med. tom. 1.

Tertium signum charitatis genitæ, secundum Bernardum, est delectatio in auditu diuini sermonis. Ratio huius est, quia amantes delectantur in sermonibus mutuis, siue sint sermones inspirati, siue scripti, siue exterius auditi, vt ex illis capiant experimentum mutuorum affectuum, quos charitas silentio tegere non potest. Mos enim amantium est, ait Chrysostomus, vt amorem suum silentio tegere non queant. Vnde, & Gilbertus Porretanus idem dicit: Ideo Charitas inspiratione, idest, interna locutione non est contenta, sed sacri sermonis institutiones, velut clypeos, vndique memoriter apprehendit, sed nec his contenta, quasi vociferando clamat: Nunciate dilecto, quia amore langueo, vbi dicit Glossa: Illis volentibus docere, ista flagrans amore prior alloquitur. Ex his apparet, quod delectatio in auditu verbi Dei, est signum charitatis genitæ.

Gilb. Porr. in Cantica ser. 26. post med.

Quartum signum charitatis genitæ est promptitudo boni operis. Ratio huius signi est, quia charitas maxime est operatiua, quia ipsa est amor finis, & ideo imperat omnem actum ordinatum, vel ordinabilem in hunc finem. Vnde Gregorius in homilia super Ioannem: Si quis diligit me, dicit: Numquam amor est otiosus: operatur enim magna si est, si autem operari renuerit, amor non est. Et ibidem, Probatio dilectionis est exhibitio operis. Et Bernardus super Cantica: Magna res est amor, si ad suum recurrit principium, si suo origini reducitur, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, vnde iugiter fluat. Igitur operatio bonorum operum, signum est charitatis habitæ.

Greg. ho. 30. in Ioan. non longe à prin. Ber. ser. 33 super Cant. cir. med.

Quintum signum charitatis iam genitæ ponit Anselmus in libro de similitudinibus, vbi dicit, quod quando aliquis de defectu alicuius tristatur spirituali, & de profectu aliorum spirituali lætatur, signũ est charitatis. Et Augustinus in vna epistola ad Hipponenses, dicens: Qui non dolet de malo proximi, non est in eo charitas Christi. Ratio huius signi est, quia cum secundum Dionysium charitatis ardor sit virtus vnitiua, ideo nititur omnia liquescere, & in vnum conflare, vt ipsa vniantur. Vnde Gregorius super Ezechielem dicit sic: Ecce qualis est charitas, quæ diuersitates mentium accendit, concremat, conflat, & quasi in vnam speciem auri reformat. Sed hãc conflationem vnitiuam defectus spiritualium impedit, & profectus perficit, ideo charitas facit de vno tristari, & de altero lætari. Vnde Apostolus dicit, quod charitas nõ congaudet iniquitati, sed magis congaudet veritati, igitur tristari de defectu spiritualium, & gaudere de eorum profectu, signum est charitatis.

Aug. epist. 137. non longe à prin. Greg. hom. 16 super Ezech. longe ante medi. 1. Cor. 13. b

ARTICVLVS II.

De signis charitatis iam roboratæ.

SEcundò quidam tradunt aliqua signa charitatis iam roboratæ, siue proficientis. Et licet multa sint signa istius charitatis, tamen quinque sufficiant magis vtiliora. Primum igitur signum iam roboratæ, & proficientis charitatis, est frequens, & iusta conscientiæ examinatio, non solum de peccatis mortalibus, sed etiam de venialibus. Ratio huius signi est. quia sicut charitas opponitur peccato mortali, ita feruor charitatis opponitur veniali, vt ipsum expellat ab anima, ne Spiritui sancto displiceat: qui omnes officinas mentis visitat, & mundat. Vnde Gregorius in Moralibus, & Bernardus in sermone de Pentecoste, dicunt: Spiritus sanctus profecto monet, mouet, & docet. Monet memoriam, mouet voluntatem, & docet rationem, nec minimam peccati paleam, infra cordis, quod possidet, habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit. Hæc ille. De quo igne Ambrosius super illud: Veni ignem mittere, dicit sic: Dicit ignem, quia aurea vasa Dominicæ domus meliorat, fenum vero consumit, & stipulam. Aurea vasa sunt animæ ad imaginem Dei factæ secundum tres potentias, secundum quas capaces Dei sunt, vt dicit Augustinus 14. & 15. de Trinitate, quas ignis charitatis innouat, & perficit, & peccata deformantia tam maiora, quam minora liquescendo consumit. Cum igitur frequens examinatio conscientiæ sit à Spiritu sancto per feruorem charitatis, planum est, quia ipsa est signum roboratæ charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.

Signa charitatis proficientis. Ber. ser. 1. de Pente. post med. Luc. 12. f Amb. lib. 7. commen. in Luc. k. 12. 13.

Secundum signum proficientis charitatis roboratæ, est concupiscentiæ diminutio. Ratio huius signi est, quia quanto charitas diligens Deum magis augmentatur, tanto magis homo à concupiscentia temporalium elongatur, ex quo ipsa concupiscentia intantum diminuitur. Vnde Augustinus in Enchiridio dicit, quod minuitur concupiscentia, crescente charitate, donec veniat ad magnitudinem, qua maior esse non possit. Vbi autem non est charitas, ibi regnat cupiditas: regnat autem cupiditas, quando desiderium veri, & boni expellit, & saporem.

Aug. in Enchir. cap. 121. tom. 3.

Tertium signum charitatis proficientis est sensuum interiorum, siue spiritualium vitalis exercitatio. Ratio istius signi est, quia sicut exercitatio sensuum corporalium signum est corporalis vitæ, ita exercitatio sensuum spiritualium, signum est spiritualis vitæ. Sunt namque quinque sensus interiores in mente, sicut sunt quinque sensus exteriores in corpore, sicut dicitur in libro de spiritu, & anima, & Gregorius in Moral. dicit: Habitare in corpore animam, probant vitales sensus: ita habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis. Illud ex visu & auditu dignoscitur, istud ex charitate & alijs virtutibus probatur. Bernardus sermone de Pascha dicit: Fidei vitam

Auctor de spir. & ani. cap. 49. apud Aug. tom. 3. Bernar. de

tam opera testantur. Sicut enim corporis vitam ex motu suo scimus: ita fidei vitam ex bonis operibus cognoscimus. Quia sicut vita corporis est anima, per quam mouetur, & sentit: ita vita fidei est charitas, per quam operatur actus virtutum, & Spiritus sancti. Igitur ex charitate siue dilectione, quæ est vita animæ, secundum Hugonem de arrha animæ, sensus interiores viuificantur & exercitantur. ideo profectus interioris siue spiritualis exercitationis, signum est augmentatæ dilectionis, quæ omnia exercet in finem, id est, ordinat.

Quartum signum charitatis est studiosa mandatorum Dei obseruatio. Ratio huius signi est, quia obseruatio mandatorum vera sine charitate fieri non potest. Vnde Dominus dicit sic: Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, &c. Quod exponens Gregorius in homilia dicit sic: In quorundam corda venit, & mansionem non facit, quia tempore tentationis ab eo recedunt. In quorundam corda venit & mansionem facit, quia sic amor siue charitas Dei eos penetrat, vt ab amore, tempore tentationis non recedant. Qualiter autem charitate non proficeret, qui fontem dilectionis in se haberet, & iam aliqualiter gustaret? Vnde Augustinus dicit: Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam promittitur, quæris, etiam hanc inter amarissimas vitæ huius molestias, suauem iucundamque gustabis, si eius, qui eam promisit, præcepta seruando, dilexeris. Et sic patet quartum signum charitatis proficientis.

Quintum signum charitatis proficientis est diuinarum veritatum manifestatio. Ratio huius signi est, quia amor est signum communicationis, & ideo amicus reuelat, & communicat amico suo secreta sua quasi non credens ea ponere extra se, sed in eo, qui est sicut ipse. Amicus enim meus est, quasi alter ego, ait quidam. Vnde Richardus dicit: Si vis noscere quia sublimitas diuinarum reuelationum fit manifestum diuinæ dilectionis indicium, audi: Iam non dicam vos seruos, inquit Dominus, sed amicos, quia omnia nota feci vobis, quæ audiui à Patre, quia ex magnitudine diuinæ dilectionis pendet modus diuinæ reuelationis. Et idem dicit sic: Certum igitur signum tibi sit, quod dilectum tuum minus diligis, & ab illo minus diligeris, si ad theoricos excessus, nondum vocantem, sequi merueris. Ex quo patet, quod crescente reuelatione, crescit & dilectio. Et signum quintum charitatis proficientis patet sic.

Resurrect. ser. ... prin. — *Ioan. 14. c* — *Greg. hom. 30. in Euan. non longe à prin.* — *Rich. de contempl. li. 4. c. 16. post med.* — *Ioan. 15. b* — *Rich. ibid.*

ARTICVLVS III.

De signis extrinsecis charitatis iam perfectæ.

Tertio quidam tradunt quædam signa charitatis iam perfectæ, prout potest perfici in via. Quia iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem, scilicet perfectæ charitatis. ideo sciendum est, quod in viatoribus duplex est perfectio charitatis. Vna est necessitatis & sufficientiæ, alia priuilegiatæ sanctitatis & excellentiæ. Has perfectiones tangit Prosper de vita contemplatiua, vbi dicit sic: In hac vita perfecti sunt illi, qui perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Deus, nullis peccatis quibus offenditur Deus, acquiescunt, & semper ad virtutes habendas se extendunt. Perfectionem necessitatis tangit, cum dicit: Qui volendo quod vult Deus. & hanc habet quicumque manet in charitate, & ad hanc perfectionem inuitat Dominus, dicens: Perfectus eris & absque macula, coram Domino Deo tuo. Absque macula scilicet criminali, vt ait Glossa. Perfectionem autem excellentiæ tangit Prosper, cum dicit: Semper ad virtutes habendas se extendunt. Vnde bene in epistola quadam dicitur sic: Indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem, reputatur perfectio. Sed quia Apostolus dicit: Velle mihi adiacet, perficere autem nō inuenio: ideo plena charitas qualis erit in patria, nullo modo in via haberi potest. Propter quod signa talis perfectæ charitatis, in his non quæruntur, sed signa perfectæ charitatis, prout in via haberi potest, quæruntur.

Prou. 4. c — *Charitatis perfectio duplex. Prosp. lib. 3. de vita contempl. c. 15. cir. fin.* — *Deu. 18. c* — *Rom. 7. c*

Est igitur notandum, quod signa charitatis perfectæ dupliciter considerari possunt: quia quædam habentur quasi ex actibus exterioribus, & quædam quasi ex actibus interioribus, & licet de vtrisque multa assignari possint, tamen de vtrisque ad præsens sufficiant.

Primum igitur signum extrinsecum charitatis perfectæ est, si quis pro salute proximi mori paratus est. Ratio istius signi est, quia sicut dicit Augustinus libro de gratia, & libero arbitrio: Parua charitas non sufficit ad implenda magna mandata, vt sunt mori pro Christo, vel pro fratribus, & cetera huiusmodi: sed requiritur ad hoc charitas magna, id est, perfecta. Vnde super epistolam Ioannis, dicit Augustinus. Perfecta charitas, hæc est, vt quis pro fratribus sit mori paratus, sicut & Origenes etiam exponit illud Canticorum: Ascendam ad palmam, dicens: Voluntas patiendi probauit, quia veraciter amauit, & tanto erat amor altior, quanto patiendi pro Ecclesia voluntas erat paratior. Hæc ille. Et Dominus dicit: Maiorem hac dilectionem, &c. Signum igitur perfectæ charitatis est, si aliquis paratus est mori pro salute proximi.

Aug. lib. de gratia & libero arb. c. 17. in prin. to. 7. — *Aug. tract. 5. in epist. Ioan. ante med. to. 9.* — *Cant. 7. b* — *Ioan. 15. b*

Secundum signum extrinsecum perfectæ charitatis est, si inimicos diligit, & eis propter Deum benefacit. Ratio huius signi est, quia sicut dicit Hugo de arrha animæ: Amor transformat amantem in similitudinem amati, inquantum potest: non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad operationes arduas & difficiles. Cum ergo Deus amatur ab eo, qui diligit inimicos & bene facit eis, sibi assimilatur, vt ipse ostendit, dicens: Diligite inimicos vestros, & benefacite eis, vt sitis perfecti, sicut & Pater vester perfectus est: & hoc non possit fieri per quamlibet dilectionem, sed per perfectam, quia dicit Augustinus in Enchiridio, quod talis dilectio perfectorum est, & Origenes super Cantica dicit: In exhibitione pietatis probatur magnitudo amoris: ideo illud verum est signum, diligere inimicos propter Deum dilectum.

Mat. 5. g — *Aug. in Enchir. c. 73. to. 3.*

Tertium signum charitatis perfectæ extrinsecum est, si omnia aduersantia gaudenter suscipit, & patienter sustinet. Ratio huius signi est, quia charitas perfectam mentem ab amore huius vitæ quasi totaliter auertit, & occidendo quasi insensibilem reddit, quia pœnas temporales, & mortem contemnere facit. Vnde Gregorius in homilia 9. dicit sic: Fortis est, vt mors dilectio quia sicut mors corpus interimit, sic charitas vitæ æternæ ab amore temporalium mentem auertit & occidit. Nam mentem, quam perfecta charitas absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit, neque Sanctus quilibet mori pro Domino potuisset in corpore, nisi prius à terrenis desiderijs in mente mortuus fuisset. Hæc ille. Charitas enim omnia sustinet, ait Apostolus. Vnde Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij, &c. Ex quo patet veritas istius signi.

Greg. hom. 11. in Euan. paulo post prin. — *1. Cor. 13. b* — *Act. 5. g*

Quartum signum perfectæ charitatis extrinsecum est, si omnibus renunciare paratus sit, & sequi Christum. Ratio huius signi est, quia perfecta charitas omnia renuit, quæ eius officium impediunt. Vnde Apostolus omnia arbitratus est vt stercus, vt dilectū lucrifaceret. Sed tēporalium cōcupiscentia maxime impedit officium charitatis. Dicit enim August. quod charitatis venenū, est spes adipiscendorū temporaliū: & nutrimentū charitatis, imminutio cupiditatis: perfectio vero charitatis est, vbi nulla est cupiditas. De hoc dicit Gregorius: Sunt nonnulli iustorum, qui ad contemplandum culmen perfectionis dū ad altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui rebus habitis se nudant, gloria honoris se expoliant, qui desideriorum internorum assiduitate se affligunt, de exterioribus habere consolationem nolunt. quibus Paulus dicit: Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Deo. Hæc ille. Et sic patet, quod renunciare omnibus, & sequi Christum, eius voluntatem faciendo, signum est perfectæ charitatis. Vnde Ioannes dicit:

Aug. in lib. 83 q. 36 in prin. to. 4. — *Greg. lib. 8. Mor. c. 25 sub initium.* — *Coloss. 3. a* — *1. Ioan. 2. a*

Qui seruat verbum Dei, vere in eo charitas Dei perfecta est.

Quintum signum perfectæ charitatis extrinsecum est, si nihil aliud quam solum Deum timuerit. Ratio huius signi est, quia sicut dicit Ioannes: Perfecta charitas foras mittit timorem. Quod exponens Gilbertus Porretanus sermone 18. dicit: Charitas proximi caret liuore, sed Charitas Christi caret timore. Hæc enim nihil pœnale habet, timor autem pœnam habet ergo in Christi charitate non erit timor nisi filialis. Quid enim timebit charitas veteres offensas? quia multitudinem peccatorum operit charitas. Quid infirmitatem propriæ conscientiæ timebit ne decidat? quia fortis vt mors dilectio. Quid temporales pro Christo timebit molestias finibiles, cum nec quidem si æternæ fuerint, defatigari aut nec euanescere poterit dilectio consummata, id est, perfecta? Non ideo amat charitas vt pereat, sed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quam priuari vsu amoris interni æternaliter. Hæc ille. Ex his patere potest, quod timorem expellit charitas perfecta. Quidam etiam ponunt signa istius amoris corporalia, vt faciei pallorem, corporis languorem, actionis torporem, & cetera huiusmodi. Sed illa sunt signa tam amoris carnalis, quam spiritualis, vt communiter patet.

Gil. Porr.

1. Petr. 4. b
Cant. 8. b

ARTICVLVS IIII.

De signis intrinsecis charitatis perfectæ.

VLtimo videndum est de signis intrinsecis charitatis perfectæ. Sunt enim quædam actiones charitatis perfectæ quasi intus manentes à charitate elicitæ vel imperatæ, & tanto sunt veriora, quanto interiora. Quanto enim charitas perfectior, tanto acutior, & ad intima pertingens, vt patet per Hugonem, ideo intimiores & perfectiores elicit actus.

Hug. in 7. Ang. Hier. lib. 7.

Primum igitur signum intrinsecum charitatis perfectæ, sunt profunda & intima suspiria mentis. Ratio huius signi potest esse talis, quia quando memoria rei amatæ intima mentis amantis tangit, statim suspiria amorosa quasi quosdam nuncios amoris expellit, donec eam præsentia dilecti visitet, & visu reficiat. Vnde Gregorius 5. libro Moralium adducens illud Iob: Antequam comedam suspiro, dicit: Mens ad inspirationem fulgoris intimi, suspirijs vegetata conualescit: quia eam amor veritatis afficit, & refectio contemplationis pascit. Tepidus autem amor hoc non facere potest, sed amor perfectus. Patet ergo, quod intima suspiria sunt signum charitatis perfectæ, vt idem & Richardus dicit.

Greg. lib. 5. Moral. c. 7. Iob. 3. d

Rich. tract. de gradib. char. violenta non longe à prin.

Secundum signum charitatis perfectæ, sunt alta desideria. Ratio istius signi est, quia Augustinus libro 13. confessionum, dicit, Omnia ponderibus suis aguntur, & loca sua petunt grauia deorsum vt lapis, sursum leuia, vt ignis. Hæc extra loca sua exeunt quasi inquieta, sed quod est pondus in corporalibus, est amor in spiritualibus. Vnde dicit idem: Amor meus pōdus meū, eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur. Ergo quanto amor magis accenditur, tanto desideria amorosa perfectius sursum feruntur, nec quiescūt, donec ad locum suum scilicet ad amatum Deum perueniant. *Vnde Sequitur.* Inardescimus, & imus, & ascendimus ascensiones in corde ad pacem in Hierusalem. Simile dicit Linconiensis super 3. Ang. Hierar. Et Gregorius libro 7. Moralium dicit sic: Sancti viri cum desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ se subleuant, vt audire iam quæ mundi sunt, graue sibi, ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æstimant, quidquid id non sonat, quod intus amant. *Sequitur infra*: Et multiplicata charitate maioribus desiderijs æstuant, & iam peruenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelant. Ex quo patet, quod alta desideria, quæ in summum desiderabile tendunt, signa perfectæ charitatis sunt. Idem dicit Richardus in tractatu de charitate.

Aug. lib. 13. Conf. c. 9. to. 1. Ibid.

Greg. lib. 2. Moral. c. 5. cir. fin.

Greg ibid. c. 7 statim à prin.

Tertium signum & intrinsecum perfectæ charitatis, sunt cogitationes languidæ. Ratio istius signi est ista. Fulgentius in quodam sermone dicit: Necesse est, vt quo præcessit dilectionis thesaurus, id est, amatum, illuc sequatur cogitationis affectus, id est, desiderium amorosum. Ideo veritas ait: Vbi enim thesaurus tuus est, ibi & cor tuum erit. *Sequitur.* Vt ergo cælestia thesaurizemus, cælestia diligamus. Vis ergo nosse vbi thesaurizas? attende quid amas, attende & quid cogitas, & ita fiet, vt thesaurum tuum ex tuo amore recognoscas, & amorem tuum iudicio tuæ cogitationis intelligas. Hæc ille. Si ergo cogitationis affectus est vbi est thesaurus amoris, id est, amatum, planum est, quod cogitatio fastidit omne aliud ab amato. Vnde Glossa super illud Canticorum: Adiuro vos filiæ Hierusalem, vt annuncietis dilecto, quia amore langueo: dicit sic. Præ magnitudine amoris, omnia temporalia sunt mihi fastidium, vnde langueo. Languor autem iste causatur ex amore perfecto. Vnde Origenes ibidem, distinguit inter amorem simplicem, & ardorem, & languorem. Amant, inquit, incipientes, ardent proficientes, languent perfecti: ergo cogitationes languidæ sunt signum amoris perfecti. Simile ostendit Richardus infra.

Fulg. serm. de Confessoribus longe post med. Mat. 6. A

Cant. 2. b

Quartum signum intrinsecum amoris perfecti, sunt expectationes tædiosæ: Ratio huius signi est, quia sicut dicit Linconiensis: Amore tendente in rem amatam, nihil velocius, nihil acutius, nihil subtilius, aut penetrabilius, quia sua natura non quiescit, donec substantialiter totam penetrauerit profunditatem, & pertransierit amabilis totalitatem quantum potest. Et idem: Quando cursus istius amoris impeditur, vel retardatur qualitercumque, tota mens turbatur, & expectatione attædiatur. Quia sicut dicit Richardus: Amanti omnis mora nimis longa videtur, expectatio onerosa, clamat cum sancto Iob: Tædet animam meam vitæ meæ. Quod exponens Gregorius 9. Moralium, dicit: Præsens vita vilescere, id est, tædere incipit, dum diuinus amor dulcescere cœpit, id est, perfici. Vnde amans perfecte, cum tædio quodam fastidit omne, quod cursum amoris impedit. Ideo Gilbertus Porretanus sermone 11. dicit sic: Amor terrenarum occupationum impatiens est, suis satis habet inseruire negotijs, otio gaudet, quiete fouetur, ad internam dilectionem libera tempora habere volens. *Sequitur.* O quam durum est amanti animum dimidiare cum Christo & mundo. Et quam durum est in dilectionis via peregrinas admittere curas, & cæleste secretum secularibus infestari turbis. *Sequitur.* Amor nihil magis vult quam amare. Hæc ille. Et sic patet quartum signum charitatis perfectæ.

Lincon. super 7. Ang. Hier.

Rich. de contempl. li. 4. c. 15. in prin. Iob. 10. a Greg. lib. 9. Mor. c. 23. in prin. Gilb. Porr. ser. 11. in Cantic. in prin. inter Bern. oper. to. 2.

Quintum signum intrinsecum perfectæ charitatis, sunt affectiones ecstaticæ. Ecstasis autem est excessus mentis, ait Papias: Ratio huius signi est, quia sicut dicit Dionysius: Amor in Deum tendens, est faciens ecstasim spiritus. Et reddit rationem ibidem, dicens: Quia amor non permittit amatores esse sui ipsorum per mentis sobrietatem, sed eorum qui amantur per mentis excessum sed illi, qui sunt aliorum, extra se sunt. Quia sicut dicit Bernardus: Non est præsentior noster spiritus vbi animat, quam vbi amat. Quod tamen intelligendum quantum ad conatum affectionis. Hunc autem excessum, non potest facere nisi charitas perfecta, quæ per fortem inclinationem, causat tendentiam vehementem in rem amatam, quod ostendit Dionysius ibidem per exemplum, dicens sic: Vnde beatus Paulus in amore Dei magnifice excellens dicit. Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus. *Sequitur.* Hoc autem dicit verus amator, & ecstasim passus, viuens Deo & non sibi. Hæc exponens Vercellensis dicit: Viuo ego vita naturali, iam non ego, per imitationem excessiuam æternitatis immensitatem, quasi absorpta & suo officio suspensa, dirigor, moueor, doceor, & regor vita supersubstantiali, cui vnior, qua repleor, viuit autem in me Christus, id est, sicut anima sobria me regit naturaliter & disponit ad omnem actum interiorem, sic virtus Christi cui vnior

Bern. de præcepto & dispensa. c. 17.

Gal. 2. d

Vercell. in prolo. super Cant.

gratuite,

gratuite, me viuificat & ad omnia disponit. *Sequitur.* Hæc dixit sicut verus amator. Verus amator est, qui in solum, & summe, & vere diligibile, & desiderabile, immediate, & propter ipsum, superintellectualiter tendit. Hæc ille. Et sic patet quintum signum charitatis perfectæ. Sunt tamen plura alia signa charitatis perfectæ, sed hæc propter breuitatem ad præsens sufficiant.

DISTINCTIO V.

Qualiter charitatiua affectio à sanctis Doctoribus per gradus diuidatur.

ARTICVLVS I.

De gradibus amoris gratuiti.

QVinto videndum est, qualiter charitatiua affectio à sanctis Doctoribus distinguatur per gradus. Dicit enim Augustinus sic: Nunquid mox vt nascitur charitas, iam prorsus perfecta est? immo vt perficiatur, nascitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, & cum ad perfectum venerit, dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Ex quo patet, quod in charitate sunt diuersi gradus. Et quia Augustinus alibi dicit: Tanto nobis melius, quanto magis ad Deum imus, quo nihil melius est: imus autem non ambulando, sed amando, quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eundem amorem quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Hæc ille. Et quoniam maior & minor puritas in gradibus inuenitur charitatis, ideo de gradibus eius videndum est, quomodo ab infimis ascendamus ad medios, & per medios veniamus ad summos: quia, vt ait Gregorius: Nemo repente fit summus, sed per gradus ad summum peruenitur.

Aug. super Canonic. Ioan. hom. 5 ante med. to. 9.

Aug. in ep. 52 ad Macedon. post me. to. 2.

Greg. li. 22. Mor. c. 14. nõ longe à prin.

Propter quod notandum est, quod quidam distinguendo gradus charitatis, siue amoris gratuiti, incipiunt ab infimo gradu amoris, ascendendo vsque ad gradus amoris violenti. Et quidam alij docent ascendere vltra per gradus amoris violenti, vsque ad gradus amoris Seraphici.

Primo igitur notandum, quod quidam doctor, scilicet Cantuariensis super Cantica incipit rationabiliter ab infimo gradu charitatis, siue amoris gratuiti, ascendẽdo per sex gradus, vsque ad gradus amoris violenti siue vehementis, dicens: Non omnis amor inducit languorem siue vulnerat, sed vehemens amor, qui habet sex gradus præcedentes, quos enumerat ibi dicens: Primus amoris gradus dicitur amor incomparabilis, & iste est communis omnium electorum. Secundus gradus, est amor incontaminabilis, & iste est mundi contemptorum & religiosorum. Tertius gradus, est amor infatigabilis, & iste amor est iugiter proficientium & Confessorũ. Quartus gradus, est amor inseparabilis, & iste est bonorum contemplatiuorum. Quintus gradus est amor insuperabilis, & iste est Christi martyrum, siue victorum. Sextus gradus. est amor insatiabilis, & iste est iugiter desiderantium, vt solitariorum.

Sex gradus amoris gratuiti.

His sex gradibus decursis, sequitur amor violenter induens languorem.

Primus gradus charitatis siue amoris & infimus, est amor atemporalis, qui est communis omnibus electis, qui est tantæ virtutis, quod omne peccatum mortale ab anima expellit, & Deum super omnem creaturam diligit. Et hic gradus est necessitatis, vt ostendit Dominus in Euangelio Matthæi vbi dicit: Qui diligit patrem, & matrem, &c non est me dignus. Ergo super omnia diligendus est Deus. Vnde Anselmus dicit, quod creatura rationalis, nihil debet diligere, nisi summam essentiam, aut propter illam. Ratio istius est, quia in quo est summa diligibilitas, summe debet diligi, hoc autem est Deus.

Mat. 10. d

Secundus gradus amoris charitatiui, est amor incontaminabilis, & hic gradus est mundi contemptorum, qui tantæ est virtutis, vt hominem à mundana conuersatione abstrahat, ne mens polluatur, & ne charitas ab opere impediatur. Vnde Ioannes dicit: Si quis diligit mũdum, non est charitas patris in eo, quoniam omne quod in mundo est aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Ratio istius est, quia ignis amoris, vt dicit Linconiensis in Angelica Hierarchia, separat heterogenea, & vnit homogenea: separat etiam omne inconueniens ab amato.

1. Ioan. 2

Tertius gradus charitatiui amoris, est amor infatigabilis, & iste est iugiter proficientium & Christi Confessorum, qui est tantæ virtutis, vt animam non sinat quiescere, donec inueniat quem diligit. Vnde in Canticis dicitur: In lectulo meo quæsiui per noctem, &c. Surgam circuibo per vicos & plateas, quærens quem diligit anima mea. Quod exponẽs Origenes dicit: Quærendus es Domine cum frequentia laboris, nunc in lectulo luminе veritatis, nunc per noctes feruore charitatis, abiecta super stitione naturalis rationis. *Sequitur.* Solus amor te inuenit, quia qui te amat, te habet vt amet, amat vt habeat, & ne te in æternum perdat. Hæc ille.

Cant. 3. a

Quartus gradus amoris charitatiui est amor inseparabilis, & hic est assidue contemplantium, & hic gradus tantæ virtutis est, vt continuis stimulis agitet mentem contemplatoris ad comprehendendum dilectum, donec tandem dicat: Inueni quem diligit anima mea. Et dicit Bernardus: Quis te non teneat Domine IESV, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseuerantia conducis, remuneratione perducis? Ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi & nunquam dimittam te, quia non benedicis nisi tenentem te. Istũ gradum videtur habuisse Apostolus, cum dixit: Quis separabit nos à charitate Christi? &c.

Bern. Ibid.

Rom. 8. f

Quintus gradus amoris gratuiti est amor insuperabilis, & hic est Christi martyrum, & aduersitatibus non cedentium, qui est tantæ fortitudinis, vt in libro de moribus Ecclesiæ dicat Augustinus: Nihil tam durum, atque ferreum, quod nõ igne amoris vincatur. Et Hieronymus in quodam sermone dicit: Nihil amantibus durum est, nullus labor difficilis. *Sequitur.* Amemus & nos Christũ, & facile videbitur esse omne difficile. Ratio huius est, quia sicut dicit Augustinus de sancta viduitate. Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectãt. sicut venantium, aucupantium & piscatium labores. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Amor autem reddit minus sensibilem, ait Augustinus.

Aug lib. de morib. Eccl. c 22. to 1.

Hieron epist. 22. ad Eustoch. vers fi

Aug de Viduitatis bono. c. 21 propé fin. to. 4.

Sextus gradus amoris gratuiti est amor insatiabilis, & hic est iugiter desideratium & solitariorum. Hic gradus tantæ fortitudinis est, vt nihil sibi sufficiat præter vnum solum quod amat, & ad ipsum semper amplius in hac vita sitit & desiderat. Ratio huius est, quia sicut dicit Richardus lib. de charitate: Charitas ista semper inuenit, quod adhuc cõcupiscere potest. quia quidquid agit, desiderium ardentis animæ non satiat. sitit & bibit, bibendo sitim non extinguit, sed quo amplius bibit, eo amplius sitit. Auida enim immo & insatiabilis animæ sitis vel esuries non sedatur, sed irritatur. *Sequitur:* Quid quæso amore molestius, quid ue acerbius, cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando possit extinguere? Hæc ille. Ecce quod iste gradus amoris, iam se extendit ad violentiam quandam amantis, vt clamet cum Psalmista: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Vnde Cantuariensis ibidem dicit: Istis sex gradibus decursis, sequitur amor inducens languorem, qui est gradus amoris violenti. Et ideo nunc de illo dicendum est.

Rich de 4. gradib. violentæ charitatis ante med.

Psal. 41. b

ARTICVLVS II.

De gradibus amoris violenti.

DE gradibus igitur amoris violenti, loquẽs Richard in tractatu de charitate dicit: Vis magna dilectionis magna virtus charitatis, multi gradus in ea, & in illis magna

Rich ibid statim à pri.

magna differentia, & quis eos distinguere vel saltē dinumerare sufficit? Et dinumeratis aliquibus gradibus, idē dicit: Supra tamen omnes gradus dilectionis est amor. Iste ardens & feruens, qui cor necessitat, & medullitus trāsfigit, vt veraciter dicat: Vulnerata charitate ego sum. *Et sequitur:* Cogitemus ergo, quæ sit supereminentia charitatis Christi, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis superat, affectum carnis transcendit vel extinguit, insuper & animam suam in odium vertit. O vehementia dilectionis, ô violentia charitatis Christi, ô excellentia & supereminentia charitatis Christi. Hoc est de quo loqui volumus, de vehementia charitatis, de supereminentia perfectæ æmulationis ascendendo ad opera violentæ charitatis: & inuenio quod charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectū inducit. Quid horum non violentum? quid horum non validum? Hæc omnia Richardus. Et post hoc prosequitur dicens:

Ibid paulo post. *Cant. 2. a* *ser. lxx.* *Richar. vbi sup. proxi. nō longe à prin.*

Primus igitur gradus violenti amoris est, quando mēs desiderio suo resistere non potest, quin vulneretur. Nonne tibi cor percussum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque transuerberat, intantum vt desiderium siue æstum cohibere animo non valeat, desiderio ardet, affectu feruet, æstuat, anhelat profunde ingemiscens, & longa suspiria trahens, vt dicat, Vulnerata charitate ego sum. Sed nota, quod amor violentus non solum vulnerat a matrices animas, sed etiam cælestes substantias, immo etiam ipsum fontem amoris Deum vulnerat. Vnde Vercellensis exponens illud Canticorum: Filij matris meæ pugnauerunt contra me, dicit: Filij sunt substantię supernæ ciuitatis, ex qua ipsa assidue spiritualia percipit alimenta, pugnauerunt contra me. Pugnantes corporaliter, spiculis acutis mutuo se feriunt & pungunt; sic mentes contemplatiuæ speculationes volatiles, feruentia desideria, subtilia & acute penetratiua immittunt, primo quidem in paranymphos. Prorsus eisdem pertransitis in sponsum dirigunt sagittas acutas volatiles, violenti scilicet amoris, vt dicat: Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, sicut dicitur in Canticis. *Et Sequitur:* Ex quo à diebus Ioannis regnum cælorum vim patitur. Ex tunc enim regnum cælorum quasi violenter rapitur ab his, qui stimulo violenti amoris aguntur. mentes enim cælestes ad similitudinem pugnantium, his speculationibus & desiderijs occurrentes luminibus feruidis & penetratiuis illos perfundunt, & ad sui ipsarum excessum, quasi ad quādam spiritualem mortem prouocant, quam eligunt ossa, vt viuant vita Sponsi. Hæc Vercellensis. De signo huius amoris Richardus vbi supra dicit: Hæc tibi animæ vulneratæ certa sunt signa, gemitus, & suspiria, vultus pallens, atque tabescens quæ omnia operatur amor vehemens. Sed post subiungit vtilitates istius gradus, dicens: In primo isto gradu spiritus iste intrat super mel dulcis ad animam, & inebriat eam in tantum, vt habere dicatur mel & lac sub lingua sua. Et parum post dicit sic: Hic est ille cibus cælestis, qui egredientes de Ægypto solet reficere, & per solitudinem ducere & pascere. hoc est illud manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, non per doctrinam, sed per experientiam, & hic est ille dulcor suauitatis spiritualis, & tenera suauitas, quæ solet lactare, & alere, & ad maturitatem paulatim perducere. *Et infra:* Hoc ergo, æst. mo, per dilectionis gradū agitur, vt dum mens sæpe visitatur, sæpe reficitur, sæpe inebriatur, quandoque ad maiora audienda prouocatur, & ad secundum gradum charitatis disponitur. Hæc ille.

Cant. 1. b *Cant. 3. c* *Mat. 11. b* *Apoc. 2. e*

Ibidem.

Secundum gradum amoris violenti, inquit Richardus, diximus illum qui ligat, sicut primum diximus, qui vulnerat. Nonne, inquit, sine omni contradictione animus ligatus est, quando omnium obliuiscitur, vt aliud meditari nō possit? quia quidquid agat, quidquid dicat, semper hoc mente reuoluit, perennique memoria retinet, hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora tractat. Vnde facile est perpendere, vt arbitror, quomodo hic gradus priorem gradum trāscendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam esse permittit. *Sequitur:* Recte itaque dictum est, quod prior gradus sit qui vulnerat, secundus sit iste qui liget. Licet ergo ligari minus sit quādoque, quam vulnerari, tamen maior violentia videtur esse si postquam aliquis percussus deijcitur, deiectus deprehenditur, deprehensus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur, atque ligatur, & iam omnino captiuus tenetur. Quid horū quæso maius & violentius? Ille liber est, iste autem à loco in quo detinetur, recedere non potest. Sic vtique qui à secundo gradu violentæ charitatis absorptus est, quidquid agat, quocūque se vertat, ab illa vna & intima solicitudinis suæ cura auelli non potest, quia ligatus est. Hæc ille. Sed quæ sunt vincula, quibus spiritus siue animus sic ligari potest? Respondet idem, dicens: Si vultis audire de charitate ligante, propheta Osea dicit: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Sed qui sunt isti funiculi Adam primi parētis nostri. nisi munera Dei? In magna enim gloria creatus fuit. Quid igitur sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia, bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ? Huius enim beneficentiæ vinculis debitores obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, & gloriā repromisit. Ecce funiculus triplex. Funiculus, autem triplex difficile rumpitur. Seneca dicit: Qui beneficium accipit, libertatem vendidit. *Sequitur.* Adiecit autē Dominus adhuc noua vincula charitatis, quæ manu valida multiplicat super nos, vt nos sibi arctius astringat, quæ enumerari non possunt. Hæc ille. Cum his concordat Vercellensis, qui exponens eandem auctoritatem dicit: In funiculis Adam traham eos, id est, in vinculis charitatis. Ipse siquidem Deus mētem mouet in se suo amore, adducitque suis participationibus, quibus solum cognoscitur; quantæ autem illæ sint quis nouit? Richardus igitur quasi concludendo dicit: Sicut in priori gradu degustata suauitas satiat animum trāsfigitque affectum: sic in hoc secundo gradu, inspecta claritas cogitationem ligat, vt illius obliuisci, vel aliud cogitare non possit. Vincula illius alligatura salutis dicitur in Ecclesiastico.

Oseæ 11. a *Eccles. 4. c* *Richar. ibid.* *Eccles. 6. d*

Ad tertium itaque gradum violenti amoris ascendit, quando omnem alium amorem excludit, quando nihil præter vnum, vel nisi propter vnum diligit. *Sequitur.* In hoc itaque tertio gradu violentæ charitatis, nihil omnino satisfacere potest, præter vnum, sicut & nihil sapere potest, nisi propter vnum. Vnum amat, vnum diligit, vnum sitit, vnum concupiscit, ad vnum anhelat: in vnum suspirat, & in vno inardescit, in vno requiescit, vnū solū est in quo reficitur, vnum solum ex quo satiatur, nil dulcescit, nil sapit, nisi hoc vno condiatur. *Sequitur.* Quidquid vltro se offerat, quidquid sponte occurrat, cito reijcitur, cito conculcatur, quod suo affectui nō militat, vel eius desiderio non deseruiat. Sed quis huius affectus tyrannidem digne describat? quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter opprimit, quod suæ concupiscentiæ deseruire non concupiscit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile immo intolerabile videtur, nisi in vnū su[illegible] desiderij finem concurrat. Cum autem frui potest e[illegible] quod diligit, omnia pariter se habere credit, sine illo a[illegible]tem horret omnia, corpore deficit, corde tabescit ac l[illegible]guescit, consilium non accipit, rationi non acquiescit, nullam consolationem admittit, sed clamat cum Sponsa: Nunciate dilecto, quia amore langueo. Vbi ait Glossa: Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. *Sequitur.*

Cant. 2. a

Tertius itaque gradus amoris est, quando mēs rapitur in Deum luminis abyssum ita vt humanus animus in hoc statu omnium exteriorum oblitus, penitus nesciat seipsum totusque transeat in Deum suum. In hoc itaque gradu, compescitur plene carnalium desideriorum turba, & fit in cælo silentium quasi dimidia hora. in hoc namque gradu dum mens à seipsa alienatur, dum in illud diuinum secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circumdatur, intime penetratur & in

Apoc. 8. a

flammatur,

flammatur, seipsum penitus exurit, & diuinum quędam affectum induit, & inspectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit. In hoc statu anima in illum quem diligit liquescit & in seipsa tota lãguescit, vt dicat: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Hæc ille.

Cant. 2. a

Sed nota, quod triplex est languor. Primus est defectus corporis, ex intensione feruoris, amoris, vel charitatis. Vnde Glossa dicit: Iam anima supradictis confortata, ita in amore Dei ardet, vt præ nimio ardore, languor carnis immineat. crescente enim virtute mentis, decrescit fortitudo corporis, ait Glossa super illud Genesis: Angelus Domini tetigit neruum, &c.

Gen. 32. g

Item est alius languor charitatis respectu temporaliũ. Vnde Glossa ibidem: Quanto, inquit, ad amorem Sponsi se accendit mens, tanto ab amore temporalium languescit.

B

Item est alius languor respectu tribulationum. habet enim amor plagas suas, secundum Augustinum, quæ quandoque amarissime infliguntur. De his tribus dicit Origenes: O si sic languescat seruus Christi in spe æternæ visionis, vt caro pressa non lasciuiat, mundus fallax non inuoluat, tribulatio vtilis eos custodiat, cum quo suis in tribulationibus est ipse Deus, vt dicit Psalmista: Cum ipso sum in tribulatione, &c. Et Richardus concludens in fine dicit: Sicut primus gradus affectum sauciat, sic secundus sauciatum ligat, sic tertius actionem implicat, vt animus circa aliqua occupari non possit, nisi quo eã voluntatis diuinę nutus trahit vel impellit. Et sic qui ad hũc tertium gradum amoris profecerunt, nil iam propria voluntate agunt, nihil omnino suo arbitrio relinquunt, sed diuinæ dispensationi omnia cõmittunt. Hæc ille. Sed hic caute intelligas, vt non cooperationem totaliter excludas creaturæ. Vnde Richardus ibidem addit dicens: Sicut artifex liquefactis metallis, formam quamcunque voluerit imprimit, sic anima in illo statu ad omnem diuinæ voluntatis nutum se facile applicat, immo spontaneo quodam desiderio ad omne eius arbitrium seipsam accõmodat, & iuxta diuini beneplaciti modum, omnem voluntatem suam informat, vt obediat cum Christo vsque ad mortem. Huic exemplari quilibet se debet conformare, qui vult summæ charitatis gradum attingere.

Psal. 90. d

C

Quartus gradus violentæ charitatis est, vt ait Richardus ibidem, quando æstuantis animi desiderio iam omnino nihil satisfacere potest, & ideo ad defectum ducit. *Sequitur.* Quis huius supremi gradus violentiam digne pensare sufficiat? quid quæso cor hominis profundius penetrat, vehementius exagitat, cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando extinguere possit? In hoc quarto gradu est amor insuperabilis, quia alij effectui etiam maiori non cedit. Inseparabilis est, quia à memoria nunquam recedit. Singularis est, quia socium non recipit. Insatiabilis est quia ei satisfieri non poterit. *Sequitur.* Quanta est excellentia ipsius amoris, qui omnem alium affectum excedit? quanta quæso vehementia, quæ mentem quiescere non sinit? quanta obsecro violentia charitatis, quæ omnem alium affectum violenter expellit? quanta supereminentia, cui omnino nihil sufficit? O excellentia amoris, ô violentia dilectionis, ô charitatis vehementia, ô æmulationis supereminentia. *Et infra dicit:* In primo gradu, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, eo quod insuperabilis sit. In secundo gradu, anima ponit dilectũ suũ super cor suũ sicut signaculũ eo quod illũ omnino obliuisci non potest. In tertio gradu, si dederit homo omnẽ substantiã suam pro dilectione, quasi nihil despiciat eã, eo quod in re alia delectari nõ possit. In quarto gradu, fortis est vt mors dilectio, & dura vt infernus, emulatio, eo quod ei sit dulce, quidquid pro Deo facere, vel sustinere possit: hic enim omnẽ alium affectũ expellit & vincit. Si enim ad aliquid affectum habemus, quod propter Deum nõ diligimus profecto adulterinus affectus est, qui summæ charitatis cõstãtiam frangit viresque eius minuit, inquantũ ad alien a

D

E

Cant. 8. b
Ibidem.
Ibid. c
Ibid. d

animam trahit vel impellit. *Sequitur.* In primo igitur gradu, diligitur Deus ex corde, in secundo ex toto corde, in tertio ex tota anima, in quarto autem ex tota virtute: *Et infra dicit:* Secundum aliquem modum anima in hoc gradu efficitur immortalis & impassibilis, immortalis, quia à vita separari non potest. Certus sum, inquit Apostolus, quod neque mors, neque vita, neque aliqua creatura, &c. Nonne impassibilis secundum aliquem modum non videtur, qui illa damna non sentit, qui in omni iniuria hilarescit, & quidquid infertur ei ad pœnam, totum præsumit ad gloriam, vt cum Apostolo dicat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. Et Apostoli ibant gaudentes, &c. Nonne hic gradus amoris violenti videtur animum hominis quasi in amẽtiam vel in sanctam insaniam vertere, dum nõ sinit eum in æmulatione modum vel mensuram tenere? Nonne summæ amentiæ videtur esse, veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, & omnipotentiæ resistere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus à Christo separari cupit? sicut ille, qui dixit: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, in quo me scripsisti. Nonne sapientiam arguere voluit vel docere, qui ad Deum loquitur, dicens: Absit à te Domine, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuũ facere. Nonne omnipotentiæ resistere tentauit, qui iram eius mitigare homo præsumpsit atque præualuit quando Dominus sententiam mutauit? Ecce in quantam præsumptionis audaciam, consummatio charitatis solet mẽtem hominis erigere. Hæc omnia Richardus, præpostere tamen.

Rom. 8. g
2. Cor. 12. b
Act. 5. g
Exod. 32. f
Gen. 18. c

ARTICVLVS III.

De gradibus amoris seraphici.

DE gradibus autem seraphici amoris nunc dicendum est, non quod nos similes actus amoris exercere in hac vita possimus: sed quod nos studeamus aliqualiter imitari eos, inquantum possumus in diuino amore.

Primo igitur videamus de amore Angelorum in communi. De quo sciendum est, quod sicut Dionysius dicit, secundum translationem Vercellensis: Amorem diuinum Angelorum intelligere oportet immaterialiter, qui est supra mentem & desiderium, indeclinabile in aliud. & irremissibile à proprio feruore contemplationis diuinæ, & per excessum omnis substantiæ in sol s Sponsi amplexus tendentis, & nulla anxietate afflictus, vt accidit in desiderijs carnalium voluptatum, quarum appetitus plenus est anxietate, & infra desideriũ non volens coerceri vel remitti propter sui fortitudinem ad id, quod appetit, & incorruptibilitatẽ ad id, quod nulla actione valet intercidere, propter hoc quod pure Deũ & simpliciter desiderant, & nihil est quod possit eos ab eius amore reuocare vel retardare. Et quia semper Deus est vniformis, & æqualiter bonus & pulcher, & quia ipse habet in se simplicissime omnẽ speciem desiderabilẽ, vt sapientiã bonitatem, pulchritudinem, æternitatẽ, omnipotẽtiam &c. & secundum omnia est totus desiderabilis, vt habetur in Canticis. Ideo trahit plenarie, intime, irreuocabiliter in se omnium suorum omnia desiderabilia comprehensorum. Hæc ille. Et cum hoc concordat Linconiensis commentator ibidem, dicens sic: Angeli ex rationis abundantia scientes illud, quod appetunt esse desiderabile, & vere, & vehementissime, & totis viribus desiderandum, & amandũ amore puro, & non in aliud tendente, illud intendunt ita fortiter & tam inuertibiliter, quod illa tentio à nulla potentia interdici potest vel impediri, & est ipse amor intentio & progressio ad aliud & amplexus illius adepti, nec aliqua ratione aut modo aliquo retinetur, aut auertitur, aut remittitur eorum tentio in illud, aut progressus, aut illud adeptũ amoris amplexu deseritur. Hæc ille. Ex his apparet, quantum amor Angelorum excedit amorem nostrum, saltem quantum ad

Vercell de Ang. Hier. c. 5.
Cant. 5. d

actum & operationem. Non inuen mus in scriptura sacra, gradus amoris Angelici distincte traditos, nisi Seraphim De quorum amore Dionysius loquens ponit quinque gradus, vel magis quinque proprietates, dicens: Congruum est, vt in supremis substātijs ordinetur prima Hierarchia, quæ super ceteras exaltatur, & circa Deum immediate collocatur, ad quam tanquam Deo proximam principalius deferuntur, primo Dei influitiones & perfectiones. Et illius Hierarchiæ ordo primus Seraphim, id est, calefacientes vel incendentes interpretantur. *Sequitur.* Interpretatio autē istius nominis Seraphim, incēdēres, vel calefacientes iuxta naturales proprietates ignis, qui incendit & calefacit, nobis significat æternam mobilitatem substantiarū illius odinis circa diuina, & incessabilitatem & caliditatem, & acutū, & superferuidum. Alia translatio habet, & excedentem feruorē sempiternę motionis eorū in Deum, quæ attentissima est & irremissibilis, & in aliud desiderabile nunquam declinans. Hæc verba occultissima sunt, ideo Linconiensis commentator exponens ea dicit sic: Ad hos deiformes habitus tam excelsos, & à nostra infirmitate longinquos, & visui nostro tam absconditos exponendos, omnino minores sumus. Verisimile est enim hoc esse de arcanis verbis, quæ Paulus in raptu suo audiuit, quæ homini non licet loqui. Hæc tamē Dionysio quasi specialissimo discipulo, & cęlesti eius conciui locutus est, quæ iste, vt exist mo non omnibus communiter, sed puritate intelligentiæ & diuinis illuminationibus & gratia priuilegiatis, ac per hoc super hominē eleuatis, decreuit communicare, de quorum numero ego non sum, tamen communicabo ea in quantum possum. Hæc ille. Similiter commentator Hugo, ostendit subtilitatem istorum verborum, & dicit sic: Si quod sentio dicam, primū hoc fateor; quia verba audiui, aut non homini dicta, aut non dicta ab homine Nā per hominem ea dici tam magnū mihi videtur, vt nihil amplius homini dari possit. Et quia forte verba ista ab illis verbis nata sunt, quæ audiri potuerunt, dici non debuerunt. Nā ille, qui hæc dicebat, vsque ad tertium cælū peruenerat, & intrauerat in Paradisum Dei, ibiq; verba quædā audierat de verbo secreta omnino & proxima silentio, vsq; ad quę auris humana non cōtingeret, quę nemo audiret, donec sciret. Intus enim audiebantur, vbi dicebantur, & non poterant exire foras, vbi erat homo. Proprerea ab eo, qui intus erat & valde intus, intus, & introrsum audiri potuerunt: sed his, qui foris erant dici nō debuerunt: ne tamen vel illi, qui foris erant, derelinquerentur, si ab eo, qui intus erāt nō vocarētur, nata sunt verba de verbis, sicut de verbo nata fuerant de verbis, quæ intus seruari debuerunt, verba quæ foras proferri potuerunt, de immēsis magna: de occultis obscura, de impenetrabilibus profunda: quæ à nobis audita sunt tanquā tonitrua, vtrū intellecta nescio. Et addit ibidē; Si hæc non gustantur, non amantur: si autē non amantur, non intelliguntur: & si non intelliguntur, vane audiuntur. In amore autē fit gustus, id est experientia, quæ est magistra intelligentię & nostra consummatio. Hæc ille. Igitur qui volunt hoc perfecte intelligere primo experiantur. Narrata autem difficultate istorum verborum prædictorum doctorum expositionem videamus virorumque.

Dionys. de Ang. Hier. c. 7.

2. Cor. 12. b

Hug. in 7. Ang Hier. li. 6. ante med.

Prima igitur proprietas seraphici amoris, siue supremus gradus secundū Dionysium est semper mobile. De quo Linconiensis, & commentator Hugo concorditer dicunt, quod auctor volēs ostendere proprietates amoris, quo feruent Seraphim, sicut ea significauit per ignē, sic eorum deiformes habitus significat per ignis proprietates. Ignis namque proprietates sunt, sempiterna non interrupta mobilitas, caliditas, acumē penetratiuum, & velociter acutum & superferuidum: quia interius, calidū ibi eorum, quæ contingit, est assimilatiuum. *Et infra sequitur:* Eadem ignis proprietas, quæ dicitur motio amorosa, vt æstimo, signat actionem & amationem non interruptam, nec finitam quiete, vel pausatione ab agendo. Quæ enim potest esse alia amoris motio, nisi eius actualis amatio, quæ non in illis cælestibus substantijs, sicut in nobis quādoque quiescit & finitur, sed sempiterne agit existens intenta, vt non desistat quandoque ab agendi motione: ac per hanc intentionem intermissibilis ab amandi intensione, & indeclinabilis & inflexibilis ab amādo ordinate amatū, & indeclinabilis ad aliquid aliud inordinate amandum. *Sequitur.* Huiusmodi ergo semper motione, prædicto modo, attēta, & per hoc irremissibilis & indeclinabilis semper mobilis circa diuina, primo docet manifestatiue cognominationē Seraphim. Hugo commentator addit hic, dicens, quod motio dilectionis quæ ad superiora est intenta, intima & inflexibilis dicitur: prout autem fit ad subiecta, id est, inferiora reductiuę & actiuæ exemplatiuum nominatur. Motus enim ille, qui in superiori est contēplatio, in inferiori est operatio. & ad superiora tendit, vt in eis requiescat, ad inferiora tendit, vt ea ad se reducat, sursum charitas mouetur, vt illic maneat, deorsum vt redeat. Præterea motio charitatis in superioribus quidem ad inferiores reductiua & actiua dicitur: reductiua in eo quod illos ad Creatorem suū eodem igne charitatis succendens conuertit: actiua vero, in eo quod illos accepta claritate illustrans, ad ipsius volūtatem cōponit. *Et infra:* Propter quod itaque dilectio illorum exemplum facta est in inferiorum ad superiora tendendi, & secūdum superiora incedendi tanquam recalificans ista, scilicet inferiora, & resuscitans in consimilem caliditatem, vt semper ardeant, sed non æqualiter. Mobile igitur amoris est, vt nō torpescat dilectio nostra, neque tepescat. Hæc Hugo ibidem.

Hug. lib. 7. Ang. Hier. li. 6 post. med.

Ibid. paulo post.

Secunda proprietas, vel gradus Seraphici amoris est incessibile, vel infinibile. Et hęc proprietas amoris differt à prima Et commentator Linconiensis reddit rationem differentiæ, dicens: Sicut hæc particula, semper mobile, tollit interruptionem motionis in amotione: sic hoc adiunctum incessabile vel infinibile, tollit terminationem durationis. Vel forte, inquit Linconiensis per hoc quod dicit Auctor, incessabile vel infinibile, intendit exprimere hanc proprietatem amoris, ad similitudinem proprietatis ignis, videlicet quod sicut ignis non habet terminū in agendo, dum inuenit materiam aptam in quam possit transire. Sic amor, & eius actio non habent terminum in agendo, dum inueniunt materiam aptam, in quam possunt transire. Deus autem infinitus est, quia infinitæ potentiæ sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, &c. De ipso igitur dictus amor in seipsum transiens, semper inuenit aptam materiam in quam naturaliter aptus natus est transire, & ignis qui est amor aptus natus accendi *Sequitur;* Amor igitur & amoris motio in diuina, terminum non habet in agendo. Signatur igitur per mobile semper, sempiternitas priuans interruptionem, & durationis interminationem; per incessabile vero vel infinibile, amoris & amotionis signatur augmentabilitas, priuans terminum augmentationis seu intensionis & magnitudinis. Vnde vetus & consuetus sermo, quo dicitur: Modus amandi Deum, est quod sit sine modo & mensura. Secundo idem declarat dicens: Si scibilia sunt infinita, saltem ex infinitate specierum, numerorum, & figurarum, & his per se accidentibus, & intellectus naturaliter amat omnia scibilia, scire, &c. Tertio idem declarat per reflexionem amoris super omnem suum actum, respectu omnium virtutum. Aduertendum est, quod per prædicta duo nomina, scilicet per mobile, & incessabile seu infinibile, ex vi sermonis non signatur actus, sed prætactos amoris actus naturalis aptitudo. Hæc omnia Linconiensis, & ibidem addit dicens: Motio igitur illorum spirituum summæ diuinitati appropinquantium, incessabilis dicitur & intenta per intima, & inflexbilis, quia à se per amoris desiderium in Deum tendēs, & mobilis semper est, & nunquam in se subsistit, & intenta vt in illum pergat, & intima vt ad exteriora non defluat. inflexibilis vt ad alia extra ipsum non diuertat. mobile ad inquisitionem excitat, incessabile ad perseuerantiam confirmat. Hæc ille.

Beda dili- gendo Deo in prin.

Tertia proprietas siue gradus seraphici amoris est calidum. De quo dicit Hugo in commento, quod hoc, tertio loco

Hugo vbi sup. proc. ante med.

tertio loco conuenienter ponitur, quia sicut mobile præcedit, vt inquisitionem excitet: & incessabile sequitur, vt ad perseuerantiam confirmet: ita calidum sequitur, vt sensum viuificet, & acutum sequitur, vt ad apprehendêdum penetret, & vltimo superferuidum sequitur, vt adhæsionem & amplexum quietum manifestet. Require plura ibi si vis. Linconiensis autem de calido loquens, dicit sic: Sicut prima actio põderosi vel leuis, est inclinatio ad naturalem locum, sic actio virtutis seu potentiæ amatiuæ est inclinatio ad naturale amabile. Hæc tamen actio non simpliciter est amatio, sicut inclinatio ponderosi & leuis nondum actualis est motio ad locum naturalem, cum frequenter sit inclinatio cum quiete rei inclinantis, altero prohibente actum motionis. Hanc igitur inclinationem virtutis amatiuæ, puto significari per calidum: motionem autem ad naturaliter amabile amplexãdum, existimo significari per acutum. *Ideo sequitur:* Ipsam autem rei amatæ amplexationem, semper tentionem, seu cum illa adhæsionem, & in illam quietationem manifestari per superferuidum. Caliditas enim, naturaliter est inclinatiua subiecti in dilatationem & diffusionem sui in omnem partem. Gaudium autem est animi diffusio: sed amor est res, quæ per se & sola est gaudiosa & dilatabilis. Est igitur res amor per se dilatationis, & diffusionis participatiua: quapropter & inclinatio ad actum amoris, est inclinatio ad actum dilatationis & diffusionis. Vnde conuenienter hæc inclinatio nomine calidi est expressa. Calor namque, qui intus est non videtur, & mouet virtutem incendij latentis, sed quod mouet videtur, & ex quo videtur, intelligimus vim magnam & violentiam fortem caloris, qui latet & non videtur. Calor iste sine tumultu & actione sensitiua ad amorem ingreditur, vt ingressus illius sibi assimilet, & tandem potenter à seipso eijciat, & tandẽ per calorem totus ignescat. De isto gaudioso amore dicit Richardus sic: Amor est dulcedo saporis intimi, & quanto ardentius amat, tanto suauius gustat. Et amor est gaudium spei, quia vbi amor, ibi spes, & vbi est spiritualis amor, ibi est spirituale gaudium.

Amor quid.

Quarta proprietas siue gradus seraphici amoris est acutum. Quod exponẽs commentator dicit sic: Acutum, significat quendam impetum amoris, & vehementiam desiderij ardentis & penetrantis, vt ibi sit vbi est ipsum amatum, cum ipso & in ipso, vt non solum ab ipso calidum sit, sed transeat acutum in ipsum. Poterat enim calidum esse, & quasi de longe calidum fieri, cui hoc satis esset, amare absentem, & præsentem non videre, vel præsentissimum possidere. Sed non erat iste amor perfectus, nisi acutum faceret sibi foramen, & transiret omnia, & penetraret donec ad dilectum perueniret, immo potius in dilectum iret. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, neque acutum habes dilectionis, & torpens diuisus es, manens extra, & alius à dilecto, & vnum non efficeris cum ipso. Amor autem te vult vnum facere cum ipso, & ideo penetrat omnia, & appropinquat quantum potest ad vnum ipsum. Vnde Propheta ait: Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Impetus acutum est. *Et infra dicit:* Acutum nõ quiescit, donec intret & penetret, & dicat: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Sed tamen ipsum ad te introductum, non quolibet modo, vt scilicet subsistat extra apud te, vel in partibus tuis, siue ante ostium domus tuæ, aut etiam solummodo in domo tua: quia hoc non esset signum magnę dilectionis, nisi vsque ad thalamum perueniat, & cubiculum ingrediantur, & vsque ad interiora penetret, & in intimis requiescat. Ipse autem ingreditur, vt & tu ingrediaris ad illũ. Hęc ille. Linconiensis illud verbũ exponit, dicens sic: Acutũ, dicitur tam quod subtile & penetratiuũ est, quam quod in motione velox est. Inhiatione autem tendẽte in rem amatã, nihil velocius. Vnde nihil acutius, nihil subtilius amore, aut penetrabilius: quia natura non quiescit donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantum potest. Hoc igitur existimo significari per acutum. Hæc ille.

Hug. ibid.

Ezech. 1. c

Cant. 3. b

Quinta proprietas siue gradus seraphici amoris est superferuidum. Quod Linconiensis exponit, primo ostendens quid sit feruidum, & quid sit superferuidum. Dicit ergo sic: Feruere dicuntur, qui impresso calore supra se sursum feruntur, & proprio pondere in se redeunt. huiusmodi super se leuationes, & in se relapsus vicissitudinarie, feruores dicuntur. Sancti itaque viri, qui exarserũt sancti Spiritus gratia; supra se efferuntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in se ab actuali supra se eleuatione. Hi vicissitudinantes, congrue dici possunt spiritu feruentes: & qui in hoc supereminent, superabundanter superferuidi dicuntur.

Sed oritur quæstio Angeli, quorum amor defixus in Deum non tepescit aut remittitur, aut aliquo modo declinat ab ipso, quomodo dici possunt feruentes? & si feruentes dici possunt, quomodo superferuidi dicuntur? Respondet Linconiensis quod potest dici, quod sicut Dei cognitio in se est sicut mane, & cognitio eius in creaturis est velut vespere, sic amor in se est eleuatior, & amor ipsius in creaturis depressior. Et in hoc vtroque ipsius amore sese naturaliter ad inuicem cõsequente, quasi quædam vicissitudo feruor est spiritualis, cuius supereminentia est esse in termino possibilis sibi intẽsionis. Vel quod forte, inquit Linconiensis: posset dici, amor quo Deum Angeli amplexantur, superferuidus est, qui est intensus ad summum, non lentescit nec remittitur, sed immobiliter præstat in intensionis suæ summitate. Si enim vis caloris sursum ferentis, partes liquide feruentis supra se posset eas portare, & sustinere in sua super se eleuatione, ita vt neque caloris remissione, neque proprio pondere relaberentur ad inferius: liquidum huiusmodi vsitato modo loquẽdi, non diceretur feruere, sed verissime diceretur superferuere, cum maioris virtutis esset id eleuare & quietare in sua eleuatione supra se, quam id solũ eleuare absque quietatione, & statim laberetur inferius. Et sic patet cognominatio Seraphim. Docet etiam hæc proprietas istius potentiæ amatiuæ primum actum, qui est inclinatio, & consequenter secundum actum, qui est motio animi ad naturaliter amatum, intendens ipsum penetrare, vt possibile est: & deinceps docet tertium & vltimum actum istius potentiæ amatiuæ, qui est cum amato iam adepto, adhæsio & quietatio. Intellige tamen prioritatem & posterioritatem naturæ, non temporis. Hæc ille. Hugo vero commentator exponens prædictũ verbum, scilicet superferuidum dicit: Admonet nos hæc res aliquid magis cogitare de superferuido, quam de calido & acuto. Nostis enim quomodo id, quod feruet, quadam caloris incendij sui violentia iactatur extra se, tollitur supra se & facit motionem magnam inuisibili ęstuatione. *Et infra:* Quod enim prius acutum fuit in dilectione, obsistentia omnia penetrans, superferuidum fit, iam bulliens in seipso stare non valens. Acutum enim amoris est cum omnia transcendendo despicit: superferuidum autem cum etiam seipsum contemnendo relinquit. Nam qui hoc solum appetit, quod amat, in illius comparatione, etiam seipsum contemnit & despicit. Neque enim vere hoc solum appeteret, si vel semetipsum cum illo amaret. non autem hoc facere potest, nisi magna & singularis dilectio, vt prę amore illius quod solum diligitur, ille etiam qui amat quodammodo à semetipso despiciatur. Sic ergo miro modo per dilectionis ignem sustollitur, qui etiam supra se per vim amoris expellitur, vt exeat etiam à se. Quomodo igitur feruet, & quomodo bullit corde, qui per conceptum amoris superni ignem, dum in illum solum, qui sursum est, appetendum fertur cogitatione, & desiderio extra se proijcitur, & supra se eleuatur, nec se cogitat, dum illum solum amat? Et in fine concludit, dicens: Ecce diximus mobile illius dilectionis incessabile, & calidum, & acutum, & superferuidum, & intensum, & intimum, & inflexibile, & exemplatiuum, & reductiuum, & actiuum, & recalificans, & resuscitans, vt ex istorum aliquali cogitatione imitemur, vt possumus in amando, cælestes substantias.

Hug in 7. Ang. Hier. li. 6. ante med.

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus noster per iter charitatiuæ affectionis æternum manerium ingrediatur.

SExto videndum est, qualiter spiritus noster per charitatiuam affectionem intrinsecum & æternum secretum Domini IESV ingrediatur. Circa quod notandum est, quod amare Deum, est accedere ad ipsum, & intrare & gustare, quoniam suauis est Dominus. Et hoc ostendit Gregorius 15. Moralium, dicens sic: Superiora amare, iam sursum est ire: dūque magno desiderio ad cælestia animus inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, hoc iā degustat. Et Gregor. super Ezechielem dicit: Quantum quisque amat, intantū ad ingressum regni appropinquat. Inquantum vero ingredi negligit, intantum recusat. Ratio istorum est, quia verus amor siue charitas, nullum patitur mediū inter se & obiectū quod est Deus, sed vehementer tendit in ipsum immediate: & ideo nunquam quiescit, donec omnia transeat, & ad ipsum & in ipsum veniat. Et Hugo dicit: Dilectio siue amor impetum sui ardentis desiderij sequens, amato appropinquat quantū potest, & eo amplius sitiens intrare ipsum cupit, & esse cum Christo, & tam prope, vt si fieri potest, hoc idē ipsum sit quod ipsum est: ideo super omnia verius, citius, perfectius peruenitur ad Deū gressibus affectionum, quam gressibus pedum. Vnde August. dicit: Ire ad Deum tanto nobis melius est, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando sed amando. quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eundem amorem quo in eum tēdimus, poterimus habere puriorem. Hæc enim charitas, vt dicit Auctor de spiritu & anima, est via Dei ad homines, & via hominum ad Deum. Per charitatē namque venit Deus ad homines, venit in homines. Per charitatē elegit Deus homines, & eligunt homines Deum, diligunt Deum, & ad Deum currunt, & ad Deum perueniunt. Sic familiaris est Deo charitas, vt mansionem habere nolit, vbi charitas non fuerit. Et ibidem dicitur sic: Anima namque, quam Dei pietas respicit, humilitas subijcit, pœnitentia ducit, iustitia deducit, obedientia conducit, perseuerantia perducit, deuotio introducit, puritas coniungit, & charitas vnit. *Sequitur*. Habet anima in se amorem. quo semper potest stare cum Deo. Si igitur charitatem habemus, & Deum habemus, & in eo manemus, quia Deus charitas est. De hac materia, require plus in hoc quarto itinere, quasi per totum.

Greg. li. 15. Mor. c. 27. in fin. — *Hug. super 7. Ang. Hier. li. 6. ante med.* — *August. ad Marcel. ep. 55. post med. to. 2.* — *Auct. de spir. & ani. ca. 16. in fin. apud Aug. to. 3.* — *Ibid. c. 26. cir. med.*

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus noster ad veniendum per iter charitatiuæ affectionis ad æterna à Domino inuitatur.

SEptimo videndum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter charitatiuę affectionis, ad intrinsecum & æternum secretum Domini ab ipso amicabiliter inuitatur, dicente Sponso in Canticis: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Et huius inuitationis allectiuum subiūgit, dicens: Veni, quia iam est ambulantium alleuiata agilitas, quia tempus putationis aduenit, id est, omnium superfluorum & grauantium depositio. Dicit ergo: Amica mea, propter tuam vnitiuā charitatem. Charitas enim, vt ait Apostolus, est fortissimum vinculum amicitiæ: quia ipsa est vinculum perfectionis. Immo fortis est, vt mors dilectio. Surge, propter dilecti tui attractiuam amabilitatem. Ego enim traho te mouendo sicut amatum & desideratum, & traho te in vinculis Adam, & in funiculis charitatis. id est, in vnitiuis attractionibus primæ dilectionis ait Vercellensis. O columba mea, propter charitatis tuæ sinceritatem. Charitas sincera est. ait Bernardus in libro de diligendo Deū, qua proximi bonum æque diligimus vt nostrum. Nam qui magis aut certe solum diligit suum bonum, conuincitur non caste diligere bonum, quod propter se diligit, non propter ipsum. Homo secundum Prophetam, confitebitur tibi cum benefeceris ei. Propterea, propter charitatis tuæ velocitatem. Nihil enim velocius est amore acuto tendente in rem amatam, ait Linconiensis super septimum Angelicæ Hierarchiæ, cui etiam hora breuis lōga videtur, vt supra. O formosa mea, propter charitatis tuæ pulchriformitatem. Quam pulchra es, & quam decora charissima in delitijs, ibidem dicit Origenes: Mirabilis laus tua nō ex tuo, sed ex eo qui diligit te. Fide enim polles, spe nites, charitate luces, iustitia splendes, fortitudine rutilas, prudentia fulges, & temperantia candes. Veni per iter charitatis non diuisę, sed integrę, quæ fit ex toto corde, id est, secundū Augustinum toto intellectu sine errore, ex tota anima, id est, ex tota voluntate sine contradictione, ex tota mente, id est, memoria sine obliuione. Si vnum illorum deest, integre non venis. Huius autem inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Veni, quia tempus putationis aduenit, id est, omnia aggrauantia, & impedientia spiritum itinerantem in itinere charitis, sunt amota, quia charitas operit multitudinem peccatorū non quærit, quæ sua sunt: & alleuiantia itinerantes collata sunt, scilicet palmites omnium habituū virtutum. Vercellensis exponens hæc verba dicit: In vite putātur, id est, resecantur sarmenta, quæ si in Vere manerent, fructum multiplicem sed minus nobilem proferret. Sic, inquit, in mente sunt virtutes & motus, qui apti sunt in vita actiua fructificare, sed illi fructus minus reputantur, respectu fructuum vitæ contemplatiuæ. Maria optimam partem elegit, quæ, &c. Similiter intellectus speculatiuus fructificat, in diuiniorum cognitione per creaturarum inuestigationem, sed ille fructus minus nobilis est, quia ænigmaticus est respectu cognitionis vnitiuæ. Nam dicit Dionysius: Est iterum diuinissima cognitio Dei, qua ipse cognoscitur, per ignorantiam, quando scilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligibilibus recedens, & tandem seipsam excedens, vnitur radijs æternæ sapiētiæ, inscrutabilis profunditatis. *Et sequitur*: Quoties ergo superintellectualiter exercemur ad diuinum radium, toties opus est, vt resecemus intellectuales operationes, vt docet Dionysius primo de mystica Theologia; & similiter creaturarum similitudines, vt innuitur in Exodo, vbi dictum fuit Moysi; Solue calceamenta de pedibus. Pedes sunt intellectus & affectus, quibus spiritus noster ad æternum Deum accedit, vt supra dictum est. Qui pedes mundani sunt ab omnibus pellibus, id est, creaturarum similitudinibus quos Sponsa dixit se lauasse in Canticis, vbi dicit Vercellensis; Pedes meos, id est, affectum & intellectum, quibus carpsi itinera æternitatis, laui, & purgaui vel purificaui; quomodo iterū inquinabo illos vmbris & imaginibus temporalium; cum etiam intellectuales operationes & formæ in hoc loco, id est, superintellectuali exercitio, reputentur vmbræ & offendicula? Hæc ille. Et hæc sufficiant pro quarto itinere æternitatis.

Cant. 2. c — *Coloss. 3. c* — *Cant. 8. b* — *Osee 11. a* — *Bern. li. de diligen. Deo longe post med.* — *Psal. 48. d* — *Cant. 7. b* — *1. Pet. 4. b* — *Luc. 10. g* — *Dionys. de diu. nom. c. 7. post med.* — *Exod. 3. b* — *Cant. 5. b*

DE QVINTO ITINERE *Æternitatis.*

QVINTVM igitur æternitatis, per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum, & æternum manerium Domini IESV, est æternorum occulta reuelatio. Reuelationes autem æternorum sunt studiosissime considerandæ, & assidue ruminandæ: quia sicut dicit Vercellensis; Assidua reuelationum spiritualium ruminatio, præbet assiduum cognitionum & exultationum mentis incrementum, & ex hoc excessum æternorum, & ingressum occultorum consequitur.

Sunt autem ad maiorem huius itineris cognitionem septem consideranda, per ordinem.

Primo, qualiter iter occultæ reuelationis æternorum, iter charitatiuæ affectionis sequatur.

Secundo, qualiter reuelatio æternorum, occulta dicatur, & qualiter distinguatur.

Tertio, qualiter per sensibilem reuelationem spiritus noster ad accessum æternorum mittatur.

Quarto qualiter per intellectualem reuelationem æternorum, spiritus noster ad æterna introducatur.

Quinto, qualiter per superintellectualem reuelationem æternorum, spiritus noster æternitati vniatur.

Sexto, qualiter superintellectualis reuelatio æternorum à nobis acquiratur.

Septimo, qualiter ad iter occultæ reuelationis æternorum spiritus noster à Domino inuitatur.

DISTINCTIO I.

Qualiter iter occultæ reuelationis æternorum, iter charitatiuæ affectionis sequatur.

PRimo igitur videndum est, qualiter iter occultæ reuelationis æternorum, iter charitatiuæ affectionis sequatur. De hoc potest assignari ratio talis. Cum secundum Augustinum lib. 13. confessionum: Charitas siue amor sit pōdus inclinans amantem ad amatum: & appropinquare facit amato, quantum potest, vt etiam trāsformet amantem in amatum secundum Dionysium: quanto ergo propinquius est amans amato, tanto verius, subtilius, & perfectius sibi reuelatur amatum. Vnde Hugo super 7. Angelicæ Hierarchiæ dicit: Constat, vt qui ardētius diligunt, profundius conspiciant, & subtilius discernant: & quia magis profunde prospiciunt, proculdubio euidentius cognoscunt. Ergo rectissime quanto æterna magis amantur, tanto perfectius cognoscuntur: Et sic verificatur verbum Richardi dicentis libro 4. de contempl. Ex magnitudine dilectionis pendet modus diuinæ reuelationis. ideo rationabiliter illud iter sequitur præcedens iter ex quo pendet modus diuinæ reuelationis.

Aug. lib. 13. confess. c. 9. to. 1.

DISTINCTIO II.

Qualiter reuelatio æternorum occulta dicatur, & qualiter distinguatur.

SEcundo videndum est, qualiter reuelatio æternorum dicatur occulta, & qualiter distinguatur. De primo notandum, quod reuelatio diuinorum dicitur occulta, quia non nisi in occulto percipitur. Siue enim reuelatio prout est occultorum manifestatio per exteriores figuras fiat, siue per sacras Scripturas, siue per illuminationes inspiratas, siue per collocutiones exterius expressas, semper fit in occulto, vt ostendit Hugo libro 4. de arca Noe, vbi dicit, quod in reuelationibus necessaria est secreta habitatio, & mentis collectio & vnio, vnde dicit sic: Scrutemur Scripturas, & inueniemus vix aut nunquam Deum fuisse locutum in multitudine, sed quotiescunque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus & populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, & à communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis & solitudinibus, & mōtibus & vallibus se manifestauit. Sic locutus est cum Noe, cū Abraham, cum Isaac, cum Iacob, & Mose, Samuele, Dauid, & omnibus prophetis. *Et sequitur*: Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? & quid quod cum paucis loquitur, nisi vt nos colligat siue vniat? Et dicit ibidem sic: Similis ratio est quare Deus obscure loquitur in Scripturis, vt veritas malis abscondatur, & bonis reueletur. Simile dicit Deus in Euangelio, ne margaritæ pedibus porcorum conculcentur. Simile dicit Dionysius in mystica theologia loquens ad Timotheum.

Hug. de ar. Noe li. 4. c. 4. in prin.

Mat. 7. a Dionys. de myst. Theo. cap. 1.

Ex his patere potest secundum, scilicet quomodo reuelationes distinguantur. Non enim omnes æqualiter à sensibilibus abstrahuntur, nec æqualiter in intellectu excitantur: nec æqualiter superintellectualiter sursum extenduntur: ideo necesse fuit, vt quibusdam fierent reuelationes sensibiliter, quibusdam intellectualiter, & quibusdam superintellectualiter. quas reuelationes legimus Moysi factas, quando exiuerat ex Ægypto temporali ad interiora deserti, vt illas nunciaret filijs Israel, de Ægypto exire desiderantibus, vt testabatur clamor eorum ad Dominum, vt pergerent iter trium dierum in solitudine: quæ possunt intelligi tres reuelationes.

Reuelationes diuinæ multipliciter fiunt.

Exod. 3. a

Prima reuelatio sensibilis, & simpliciter viuentibus fit de Ægypto huius mundi exire desiderantibus. Vnde quibusdam patribus fiebant sensibiles reuelationes, vt exemplificat Dionysius sicut pastoribus, & quibusdam alijs. Hæc reuelatio ad intrandum ad æterna allicit.

Dionys. de Ang. Hier. cap. 4.

Secunda reuelatio est intellectualis quæ fit intellectualiter viuentibus, in filijs Israel de Ægypto huius mūdi exeuntibus, iam intellectualiter ambulantibus. Et hęc reuelatio ad æterna introducit vt quarto capite patebit.

Tertia reuelatio est superintellectualis. Et hæc tātum fit vnitis mentibus, & egressis de Ægypto, & interioribus deserti existentibus, vt Mosi. Et hæc reuelatio æternitati vnit, vt patebit infra cap. 5. Istas reuelationes mens percipit, quæ in intimis, & imis stare consueuit, ait Richardus. Et sic patet secundum, scilicet qualiter reuelatio distinguatur.

DISTINCTIO III.

Qualiter per sensibilem reuelationem spiritus noster ad accessum æternorum alliciatur.

TErtio videndum est de qualibet istarum reuelationum. Et primo de sensibili, qualiter spiritus noster per eam ad excessum æternorum alliciatur. De qua notandum est, quod hæc reuelatio fit plebi simpliciter viuenti, de Ægypto temporali iam exire desideranti ad terram promissæ æternitatis. Et hæc reuelatio, vt dicit Richardus, scilicet sensibilis fit dupliciter. Fit enim quandoque per signa sensibilia, vt quando res videtur corporalibus sensibus extra absque significatione mystica, vt Pharaonis & huiusmodi, qui nullum sensum spiritualem vel mysticum intellexerunt. Et sic non fuit reuelatio facta illis, quia vltra sensum nihil manifestatum fuit. Est & alia reuelatio sensibilis siue visio corporalis, quæ fit sensibus exterioribus, vt quando res videntur in quibus latet significatio mystica, qualis facta fuit patribus veteris legis, & nouæ, vt dictum est, & patet per Dionysium: qui mysteria nouerunt, vt Abraham, Isaac, & Iacob, &c. Necessitas huius reuelationis fuit, vt dicit Dionysius in epistola ad Titum, vt homo qui constat ex duabus naturis, anima, scilicet rationali, quæ simplex est in essentia, & corpore composito iuxta vtriusque naturæ proprietatē illuminetur diuinis cognitionibus, vt & mens eius puras & simplices & intimas signorum sensibilium intelligentias segregate ab ipsis signis conspiciat, & sensualitas eiusdem per naturæ proprietatem coaptetur mentali cognitioni, & sic ad diuina extendatur. Hæc ille. Et secundum Augustinum de vera religione. Sic inuisibilia Dei à creatura mundi per ea; quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, & sempiterna eius virtus & diuinitas. Et hæc est à temporalibus ad æterna regressio, & ex vita veteris hominis in nouum hominem reformatio. Hæc ille. Quia iā sensualitas ordinate cooperatur cognitioni mentali. Hęc reuelatio sensibilis facta fuit Mosi, cum de rubo ardenti Dominus sibi sensibiliter apparuit, in subiecta creatura, & dixit filijs Israel, dicēs: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, hoc nomen mihi est in æternum. In hac reuelatione sensibili ostendit Dominus ignem Diuinitatis veniendum cum rubo humanitatis, in qua Verbum paternum ostendit suam sensibilem denominationem, in qua coniungit æterna cum temporalibus, spiritualia corporalibus, patriam exulibus, cum dicit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Ego, inquit, sum, quia esse meum æternum, & immutabile est. Quod etiam ostendit Dominus, dicens: Antequam Abraham fieret ego sum. Et dicit Hieronymus ad Marcellam: Deus, qui exordium naturæ non habet, vere nomen essentiæ tenuit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Deus autē sum viuorum non mor-

De reuelatione sensibili.

Rich. super Apoc. c. 1.

Dionys. de Ang. Hier. c. 4.

Rom. 1. c Aug. de vera rel. c. 29. to. 1.

Exod. 3. b

Ioan. 8. g

Mat. 22. d

non mortuorum. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. Ergo Abraham, Isaac, & Iacob viuunt, sed non viuunt in temporali mutabilitate, non exilij huius calamitate, sed æterna hæreditate, quia nomen hoc mihi in æternum est. Dicens ergo filijs Israel: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, eos alliciendo, vt ex Ægypto temporali, corruptibili, & peregrina egrediantur, ad terram hereditatis patribus promissam & datam, terram, inquã, æternæ stabilitatis & veritatis, terram æternæ beatitudinis & hereditatis. Nã, vt dicit Augustinus: Natus est nobis Christus in temporis mobilitate, vt nos perducat ad patris æternitatem. Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus. Veniat igitur modo non corporaliter, sed mentaliter memoria æterna cogitando, quia sicut Augustinus dicit: Cum æterna cogitamus, non sumus in hoc mundo, quem iam transcendimus. Veniat etiam intellectui æterna contemplando, quia Gregorius 18. Moral. dicit: In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem. Veniat etiam voluntati æterna amando, quia sicut dicit Gregorius 1. Moral. Vnusquisque electorum adhuc in mundo positus corpore, mente amante, etiam extra mũdum surgit. Et 15. dicit: Superiora amare iam sursum est ire, cumque magno desiderio ad cælestia inhiant, miro modo hoc ipsum quod accipere quærunt, iam degustãt. Sic igitur patet qualiter, sensibilis reuelatio æternorum ad æterna allicit.

Aug. ser. 9. de natiuit. Dõ. in prin. to. 10.

Aug lib. 4. de Trinit. c. 17.

Idem 15. lib. Mor. c. 27.

DISTINCTIO IIII.

Qualiter per intellectualem reuelationem æternorum, spiritus noster ad æterna introducatur.

QVarto videndum est, qualiter per intellectualem reuelationem æternorum: spiritus noster ad æterna introducatur, quę fit intellectualiter viuentibus, vt filijs Israel de Ægypto huius mundi mentaliter iam egredientibus, & ad æterna tendentibus. Et hæc reuelatio nõ fit oculis carnis, sed mentis, vt dicit Richardus: Et fit dupliciter, quia quandoque fit quando per Spiritum sanctum animus illuminatus, formabilibus rerum visibiliũ similitudinibus præmonstratis siue præsentatis, ad inuisibilium cognitionem ducitur: qualiter Ioannes vidit in Apocalypsi, & Ezechiel propheta, sicut dicit Glossa super primum prologum Apocalypsis, & in fine alterius prologi dicens, quod Ioannes imagines mente vidit, & tamen veritatem in eis intellexit. Hæc reuelatio ad æterna ducit, quia per eam intellectus in inuisibilium & æternorum cognitionem exsurgit & perducitur, vt dicit Richardus.

De reuelatione intellectuali.

Rich. in 1. c. Apocal.

Secundo modo fit hæc reuelatio æternorum siue visio intellectualis, vt dicit Richardus, quando spiritus humanus per internam inspirationem suauiter tactus, nullis mediantibus rebus visibilibus, ad cælestium cogitationem erigitur, sicut vidit propheta Dauid, qui vidit in spiritu, & Hugo super 7. Angelicæ Hierarchiæ, idem dicit. Et Haymo super Apocalypsim concordat, vbi dicit: Intellectualis visio siue reuelatio fit quandoque non per corporales res, nec per similes, sed ipsa veritas immediate manifestatur videntibus, quod proprie electorum est. Vnde Saluator dixit Petro: Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, per interiorem inspirationem ait Psalmista: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hæc occulta reuelatio æternorum, videtur innui per hoc quod dictum est Moysi, quando in interioribus deserti dictum est sibi: Dices filijs Israel: Qui est, misit me. Hic apparet quod hæc reuelatio fit intellectualiter viuentibus, quia filijs Israel. & in interioribus mentis, quia interiora deserti ingredientibus. Vnde Vercellensis dicit sic: Populo Israelitico mandatur nomen intellectuale, scilicet qui est, siue ens, quod est emanatio primæ existentiæ causa causalissima. Et Damascenus dicit, quod qui est, principalius est nomen omnibus nominibus Dei, quæ de Deo dicuntur. Totum enim in seipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum & interminatum. His concordat Augustinus libro 5. de Trinitate, cap. 2. Et quia illud verbum est, significat pręsens nunc ęternitatis, eo quod ambit omnes differentias temporis: prout de Deo dicitur; ideo mentem siue intellectum à temporalibus ad æterna, à sensibilibus ad intelligibilia ducit & pertrahit, vsque ad nunc æternitatis quod varietates temporis nescit, vt tales dicant illud Pauli: Nostra conuersatio in cælis est.

Ibidem.

Matt. 16. c

Psal. 84. c

Exod. 3. d

Vercell. in prolo. super Cant.

Dam. li. 1 fid. orthod. c. 12.

Phil. 3. d

Sed sciendum est, quod ista reuelatio intellectualis æternorum non fit nisi intelligentibus, & interiora ingredientibus, vbi omne velum remouetur ab eis. Nam reuelatio dicitur, quasi veli remotio ab oculis intellectualibus, quam remotionem petiuit Dauid, dicens: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. De hoc velamine dicit Apostolus: Vsque in hodiernum diẽ velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatũ, quod in Christo euacuatur. Nos autẽ reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eãdem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Velamen ergo à Christo euacuatur, vt nobis Pater manifestetur. Vnde ait ipse: Neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Christũ autem Spiritus sanctus clarificat, non in se sed in nobis, vt ipse dicit: Cum venerit Paracletus, ille me clarificabit, & docebit vos omnia: quia amor diuinus omne velum remouet, & omnem veritatem docet. Vnde Apostolus dicit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, quia omnia perscrutatur etiam profunda Dei. Et Ioannes: Vnctio docebit vos omnia, scilicet Spiritus sanctus.

Reuelatio vnde dicatur.

Psal. 118. c

2. Cor. 3. c

Matt. 11. d

Ioan. 16. b

1. Cor. 2. c

1. Ioan. 2. d

DISTINCTIO V.

Qualiter per superintellectualem reuelationem æternorum spiritus noster æternitati vniatur.

QVinto videndum est, qualiter per superintellectualem reuelationem æternorum spiritus noster æternitati vniatur.

Sed hic primo occurrit dubium, quod in reuelatione ista superintellectuali videtur includi oppositum in adiecto, quia, vt ait Papias: Reuelatio est manifestatio eorũ, quæ fuerunt abscondita; sed abscondita reuelantur cum intelliguntur, quæ autem intelliguntur non sunt superintellectualia; ergo nulla reuelatio dicitur superintellectualis.

Sed ad horum cognitionem habendam, est notandũ quod secundum sanctos Augustinum, Gregorium, Dionysium, & alios, homini à Deo donantur diuersi habitus supernaturales, ad suum finem, qui est supernaturalis, comprehendendum vel consequendũ. Donantur enim intellectui habitus supernaturales ad suum finem cognoscendũ, vt fides, & scientia diuinorum, &c. Donãtur etiam voluntati supernaturales habitus ad Deum diligendũ, vt charitas siue amor gratuitus, &c. Sed habitus charitatis excellit omnes habitus intellectus, vt fidem, & spem, & scientiã; &c. vt expresse ostendit Apostolus in epistola prima ad Corinthios, vbi primo enumeratis aliquibus actibus, & habitibus intellectus & voluntatis. Maior autem horum infert, est charitas. Et ostendit ibidẽ, quod nullus habitus, vel actus intellectus est meritorius, sine habitu voluntatis, qui est charitas; & quod habitus intellectus aliqualiter euacuabuntur, propter imperfectionem eorum, in patria. Habitus autem voluntatis propter suam perfectionem permanebunt in patria, sed perfectiores eliciũt actus, vt patet; & ideo actus dilectionis hic præfertur actui cognitionis, tãquam perfectior. Vnde in Matthæo dicitur, quod dilectio est primum & maximũ mandatum. Item actui dilectionis cõuenit vnire & trãsformare, vt dicit Dionysius de diuinis nominibus, vt visum est supra, hoc autẽ nullus attribuit intellectui proprie. Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. Inquantum autem eum excellit, intantum eum excedit attingẽdo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quẽ actus intellectualis extẽdi non potest

Habitus supernaturales nobis infunduntur.

1. Cor. 13. d

Matt. 22. d

Dionys. de diu. nom. c. 4.

poteſt, quia ſuperintellectualis eſt, ſaltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum ſicuti eſt, vt dicit Ioannes. Nec obſtat quod dicit Auguſtinus: Incognita nequaquam poſſunt amari, quia eſt notitia aliqua non intellectualis, ſed affectualis ſeu experimentalis, vt ſtatim patebit. Vnde Gregorius exponens illud Ioannis: Vos dixi amicos meos, &c. dicit: Quia cum affectus diſcipulorum imprimūtur diuino amori, fit in eis prælibatio quædam, & per conſequens quædam notitia experimentalis: quia amor notitia quędam eſt: ergo patet, quod non eſt oppoſitum in adiecto, cum illa notitia ſit alia ab intellectuali, vt dictum eſt. Cum prædictis concordat Hugo commētator Dionyſij dicens ſic: Intelligas quanta eſt vis veri amoris, & dilectionis: ſi tamen intelligi poteſt: quoniam dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentia. plus enim diligitur, quam intelligitur. Intrat dilectio & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat. Et reddit rationem: Quia amor, inquit, præſumens & confidens amato, ſuo acumine penetrat omnia, impetum ſequens ardentis deſiderij ſui, nec diſſimulari valens, donec ad amatum perueniat, & eo ipſo amplius adhuc ſitiens intrare ipſum, & eſſe cum ipſo, & eſſe tam prope, vt ſi fieri poſſit, hoc idem ipſum ſit quod ipſe. Ecce expreſſe dicit, quod verus amor Dei vnit Deo immediatius quā intellectio, & quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis eſt ſuperior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellenſis ſuper Cantic. dicens, quod affectus & intellectus ſimul coambulant, vſque ad nouiſſimum defectum intellectus vbi habet ſuę cognitionis, & ſui luminis conſummationē. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum ſuſpiria, ſuperintellectuales extenſiones, & immiſſiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores, ad quorum omnium ſublimes exceſſus & excedentes ſublimitates, intelligentia trahi non poteſt, ſed ſolum principalis affectus Deo vnibilis, & hoc idem poſt dicit: Tanta eſt virtus veri amoris & pulchri quod non ſolum facit homines & Angelos excedere propriam naturam, vt in Deum aſcēdant; ſed etiam Deum quaſi naturā propriam egredi, vt ad creaturas quaſi infra naturam ſuam procedendo condeſcendat. Et hoc vt dicit Dionyſius, audiendum eſt dicere pro veritate, cum tamen ſit ingreſſibilis à ſe. licet ipſe ſuam immenſitatem noſtræ capacitati contemperet eo immutato. Hæc reuelatio ſuperintellectualis æternorum fuit facta Moyſi in interioribus deſerti conſtituto, quærenti à Domino, quod ſibi nomen eſſet. Reſpondit Dominus in ſubiecta creatura, dicēs: Ego ſum qui ſum, vt dicit Vercellenſis, ego ſum, eſſe in ſe reflexum, vel entitas, quale nōmen non concipitur niſi ab apice principalis affectionis quæ æternitati vnitur. quaſi dicat, Me nemo poteſt cognoſcere, niſi per me ipſum. Vnde nomen quod quæris, eſt mirabile, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Niſi, ſcilicet qui acceperit per reuelationem vel experientiā. vt Auguſt. ait. vel ſicut dicit Haymo, qui ad hoc prædeſtinatus eſt, vt experimēto cognoſcat. Ex quo patet, quod reuelatio hæc non fit niſi mentibus ſeraphicis, in interioribus deſerti exiſtentibus, id eſt, in caligine occulti ſilentij, in qua reuelate & vere apparet Deus ſuperintellectualiter, vt dicit Linconiēſis.

1. Ioan. 3. a — *Ioan. 15.* — *Greg. hom. 27. in Euan. ante med.* — *Hugo in 7. Ang. Hier. lib. 6. cir. me.* — Dilectio intrat vbi ſcientia foris ſtat. — *Exod. 3. d* — *Apoc. 2. e*

DISTINCTIO VI.

Qualiter ſuperintellectualis reuelatio æternorum à nobis acquiratur.

SExto cum reuelatio æternorum iſta ſit ſuperintellectualis, & ideo nec cogitari nec dici poſſit, vt ſupra patuit. Ideo oportet videre, qualiter ſit attingenda & obtinenda.

Circa quod notandum eſt, quod Dionyſ. de myſtica Theol. volens Timotheo oſtendere acceſſum ad iſtā reuelationē ſuperintellectualem æternorū, docet eū derelinquere omnes reuelationes ſenſibiles, & omnes reuelationes intellectuales tā naturales, quam ſupernaturales, & omnia ſenſibilia, & intelligibilia, donec ingrediatur caliginem occulti ſilentij in qua reuelate & vere apparet Dominus ſuperintellectualiter. Vbi Dionyſius cap. 1. dicit ſecundū translationem Abbatis: Tu autē Timothee ad hoc quod capax fias myſticarū contemplationum ſiue reuelationum incorporare ſic radio diuino, derelinque ſenſus, & ſenſibilia exercitia, & intellectuales operationes, & omnia intelligibilia, & forti conatu hic cōprime te, & ſi eſt tibi poſſibile, conſurge ignote & ſuperintellectualiter ad vnionem Dei, quæ eſt ſuper omnem cognitionem. Iſtud verbum conſurge ignote, exponēs Linconienſis commentator dicit ſic: Surge & reſtitue te incognite, vt poſſibile eſt ad vnionem Dei, id eſt, eius qui ſuper omnem cognitionem eſt; quæ quidem reſtitutio vel reſurrectio fit per ipſius ſolius forte deſiderium, & amorem ſuperferuidū, quæ nulla ratiocinatiua inueſtigatione poteſt eſſe cognita. *Et infra dicit*: Ceſſans enim in iſta caligine ab operatione cognitionis, ſed æſtuans deſideriū ſolius Dei perfecte ab ipſo incogniti, ipſi ſoli vnitur, & cognoſcēs videt in iſta caligine ſuper intellectum: quia ad hoc cognoſcendū non poſſet intellectus humanus & inoculatus attingere, nō quod intellectus dicatur inoculatus à priuatione potentię viſiuæ, ſed à priuatione omnis actus viſiui, dum otiatur in illa caligine. *Sequitur.* Et hi ſunt gradus aſcenſionis in ſpiritualem caliginem, ſignati per ea quæ ſunt hiſtorice facta Moyſi. Et is eſt modus habendi ſe in caligine illa, donec diuinus radius vere incircumuelate appareat, & ſe reuelet dicto modo. Hæc Linconienſis.

Gradus igitur aſcenſionis iſtius ſunt, primo derelinquere omnia ſenſibilia: ſecundo omnia intelligibilia: tertio ingredi caliginem, vbi apparet Deus. Cum his concordat quaſi per omnia Vercellenſis commentator per eandem hiſtoriam Moyſi, oſtendens gradus aſcendendi caliginem myſticam, in qua ſe Deus incircumuelate reuelat. Vnde dicit, quod Moyſes, primo viſus eſt ſe purgare à multitudine ſenſibilium, & deinde à non puris ſeparari, & poſt omnem mūdationem audit ſonum buccinæ, & tonitrua videt, & fulgura micantia, & radios multos emittentia, & poſt ſeparatus à multitudine populari cum Aaron, & Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus in Iſrael tanquam rationalibus aſcendit, & tunc fuerunt ſibi reuelata intelligibilia ſcilicet æternæ architypiæ, ſiue rationes exemplares omnium creaturarum, quæ in Deo ſunt, quarum intellectuali inſpectione Deum cognoſcimus, quibus nihil diuinius oculis intellectualibus intuemur. Hæc ille.

Tertio dicit, Sed adhuc reſtat principalior Dei cognitiō, quæ figuratur in eo quod Moyſes poſt prædicta ſeparatur ab his, qui prædicta ſecum viderant, & ſubtrahitur illis viſis & intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehenſibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ omnium clariſſima eſt, & in ſe claudit & celat ſecretiſſime omnes cognitiones comprehēſiuas. Exēplum huius plane videtur in luce ſtellari, quomodo abſconditur in luce ſolari in meridie. *Sequitur*: Et omnis vnitus Deo per eum, qui eſt ſuper omnia, conſtituitur, in excellentia quam nec ratio inueſtigat, neque intellectus ſpeculatur, & quaſi ab omnibus talibus, & quaſi à ſeipſo ſegregatur & per vnitionem dilectionis quæ eſt effectiua veræ cognitionis vnitur Deo intellectualiter, tamen ignoto, & tamen cognitione multo meliori, quam ſit cognitio, in eo quod intellectualis eſt: quia in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit, ſuper intellectum & mentem Deum cognoſcit. Hæc ille.

Ex prædictis patere poteſt, quod reuelatio ſuperintellectualis non fit per intelligibilem cognitionem, ſed per ardētiſſimam immo ſuperferuidam dilectionem, & experimētalem notitiam. Ex his etiam apparet, ſicut dicit Linconiēſis, quod hæc reuelatio quæ fit incircumuelate & vere, abſque ſymbolis & imaginibus, ſecundum ſui nudam apparitionem, ſolum fit his, qui tranſcendunt immunda omnia, id eſt terrena omnia, quæ amore contracta maculant amantem mentem, & etiam pura, quæ non maculant mentem contingentem, & qui aſcendunt ſuper aſcenſionem omnium ſanctarum extremitatum, hoc eſt, aſcendunt ſuper omnes actus, omnis virtutis ap-

Exod. 19. c — *Exod. 24. d*

prehensiuæ agentis quantum possibile est intense, & derelinquunt omnia diuina lumina illustrantia, & introeunt in caliginem, hoc est actualem ignorantiam omnium. Vbi vere est, vt eloquia aiunt, qui est super omnia. solum enim ibi inuenitur & tenetur. Qualis ibi inuenitur nō est effabilis. Hæc ille. Cui talis reuelatio facta fuerit, dicat illud Matthęi: Cōfiteor tibi Pater Domine, &c. *Matt. 11.d*

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad iter occultæ reuelationis æternorum spiritus noster à Deo inuitatur.

SEptimò videndū est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter occultæ reuelationis, ad intrinsecum secretum Domini, ab ipso inuitatur dicente: Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni, & huius inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Quia iam ambulantibus reuelata est veritas, quia iam vox turturis audita est in terra nostra, id est, vox paterni verbi reuelantis omnem veritatem in terra humanitatis nostræ. Dicit ergo: O amica mea, propter secretorum reuelationem. Vnde Saluator dicit in Ioanne: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre nota feci vobis, notitia experimētali, dicit Gregorius in homilia. Surge ad reuelationum perfectionem à sensibili ad intellectualem, ab intelligibili ad superintellectualem, vt disponas: secundum Psalmistam, ascensiones in corde tuo in valle lacrymarum. O columba mea, propter reuelationum exercitationem. *Et sequitur*: Oculi tui sicut columbarum super riuos aquarum, id est, vt dicit Vercellensis, innitentes aquis sapientiæ, quæ deriuantur à fonte sapientiæ, in quibus mentes columbinæ tanquam in puro speculo contemplantur reuelationes, mentē simplificantes, & purificantes. Propera, propter reuelationum plenissimam effusionem. Vnde in Canticis, Columbæ, quæ resident in mentis suspendio, quietatę iuxta fluenta plenissima. Propter quod, vt dicit Vercellensis, quantum mortalibus conceditur ad plenissimas sapientiæ essentialis copias acceditur, quarum plenitudo nulla effusione diminuitur. Hęc Vercellensis. O formosa mea, propter reuelationum radiosam illuminationem. Vnde dicit in Isaia: Implebit Dominus splendoribus animam tuam, & eris quasi hortus irriguus cuius non deficiunt aquę. Exemplum de Moyse, cuius facies ex consortio Domini splendida facta est, vt videri non posset oculis corporalibus. Veni, propter diuinarum reuelationum certam directionem. Psalmista: Specie tua & pulchritudine tua, &c. quia vox iam turturis audita est in terra nostra, gemitu amoroso cantans: Ego sum via, veritas & vita: ego sum via per quam tutissime ibis: ego sum veritas, ad quam certissime ibis, quia iam finis ænigmatis est: ego sum vita, in qua æternaliter permanes. Qui enim inuenerit me, inueniet vitam. Ego veni, quia mens quasi auis turturea inuenit sibi nidum continuæ mansionis, ab æterno turture præparatum, vbi reponat pullos suos, id est, omnes castos & amorosos conceptus castæ mentis, à casto, & amoroso turture. id est, verbo paterno auditos conceptus, & gemitus. Vnde Glossa dicit: Turtur est Christus amator castitatis, cuius vox audita est in terra nostra, id est, in humanitate, in qua verbum paternum denunciat nobis amœnissimum aduenisse tempus veris, id est, tēpus gratiæ, & in quo nobis reuelauit omnia quæ audiuit à Patre. Dum, sicut dicit Gregorius: Affectus nostri imprimuntur diuino amori, cui nihil occultatur. Vnde Vercellēsis exponit illud verbum dicens sic: Turtur est soliuagus, & significat mentis virtutem vnitiuam & superintellectualem, quæ nidificat in amœnissimis locis virentibus, & assiduis contemplatiuis mentibus & pullos vt turtur fouet nocte in superlucenti caligine occulti silentij.

In quod nos perducat benedictus Deus. Amen.

Cant. 2.c · *Ioan. 15.c* · *Greg. hom. 37 in Euan. ante med.* · *Psal. 83. b* · *Cant. 5.c* · *Isa. 58.d* · *Psal. 44.a* · *Ioan. 8.d* · *Prou. 8.d* · *Ioan. 15.c*

DE SEXTO ITINERE *Æternitatis.*

SExtum iter ęternitatis per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum, & æternale menerium Domini Iesv, est æternorum experimentalis prægustatio, & notitia. Nisi enim esset in nobis æternorum quædam spiritualis prægustatio, non diceret Psalmista: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, &c. Ad maiorem huius itineris notitiam septem per ordinem sunt notanda. *Psal. 33.b*

Primo igitur videndum est, quod hæc experientia dicatur, & quare præcedentia itinera sequatur.

Secundo, quarum potentiarum ista experimentalis notitia dicatur.

Tertio, qualiter spirituales sensus potentiarum ab experimentali notitia impediantur.

Quarto, qualiter interiores sensus spirituales reparantur vel reformantur.

Quinto, qualiter per gustum interiorem spiritualem æterna prægustantur.

Sexto, qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur.

Septimo, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter experientiæ ad intrinsecum Domini inuitatur.

DISTINCTIO I.

Quid dicatur experimentalis prægustatio æternorum, & qualiter alia itinera sequatur.

PRimo igitur videndum est, quid hæc experientia dicatur, & qualiter alia itinera sequatur. De quo notādum est, sicut dicit Papias, quod experientia idem est quod notitia. Vnde experientia, videtur esse obiecti cuiuslibet potentiæ præsentialis actus & notitia. Actus enim vitales attingunt sua obiecta actiue vel passiuę, vel vtroque modo, secundum quosdam: alias potentia non fieret in actu. Vnde si omnes homines dicunt mihi hoc esse dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalē: de illo etiam quantumcunque probent per rationes, sed opinionem vel fidem, vel scientiam possem habere. Sed si gustus meus attinuit gustabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimētalem illius. Similiter est de gustu interiori, & alijs sensibus spiritualibus. Vnde si ego lego vel audio ab aliquo, quod dulcis sit Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc, nisi gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina, vt dicat cum Sponsa: Fructus eius est dulcis gutturi meo: Vbi loquitur de gustu spirituali & experimentali, vt patet in Glossa. Et ista notitia experimentalis perfectissimorum est. Vnde dicit Bernardus super Cantica: Quid quid de occultis tuis scimus ô Domine Iesv, aut Scriptura docente, aut te reuelante, aut certe quod perfectissimorum est, gustando didicimus, id est, experientia. Ex quo patere potest secundum, scilicet quod istud iter experimentalis notitiæ æternorum rationabiliter sequitur itinera præcedētia. Quid prodest namque multa cognoscere & intelligere, nec illa experiri, nec ad aliquem vsum illa habere? ergo experientiæ notitia quandoque est necessaria. Vnde Hugo dicit sic: Nō facit perfectum cognitio virtutis, nisi & habitus virtutis in experientia subsequatur. Magistra enim est intelligendi experientia, & illa optime iudicij veritatem cognouit. quia iam non audiēdo solum, sed gustando & faciendo didicit. *Sequitur*: In experientia namque & habitu virtutis, cognitio perficitur veritatis: quia in sola intelligendi illuminatione inchoatur. Hæc ille. Ad hanc experiētiam hortatur Petrus, dicēs: Si enim gustastis, quam dulcis est Dominus. Rationabiliter itaque iter experimentalis notitiæ æternorum sequitur præcedentia itinera tanquam illa perficiens.

Experiētia quid. · *Cant. 2.a* · *Hug. in 7. Aug. Hier. li. 7 post med.* · *1. Pet. 1.a*

Quarum

DISTINCTIO II.

Quarum potentiarum ista experimentalis notitia dicatur.

SEcundo videndum est, quarum potentiarum, & quorum sensuum experimentalis notitia esse dicatur. Circa quod notandum est, quod in libro de spiritu, & anima dicitur sic: Duo quidem in homine sunt sensus, vnus interior, & alius exterior, & vterque bonum suum habet in quo reficitur. Sensus exterior reficitur in contemplatione humanitatis, sensus interior in contemplatione Diuinitatis. Propterea enim Deus factus est homo, vt totum hominem beatificaret, & tota conuersio hominis esset ad ipsum, & tota dilectio esset in illo, cum à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mentis per Diuinitatis contemplationem. *Sequitur*: Hoc erat totum bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, pascua in suo factore inueniret. *Et infra dicit*: Cum homo constet ex carne, & anima, & in carne sint quinque sensus, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quos tamen non mouet absque animæ societate: ita anima similiter habet quinque sensus suo modo, quia spirituales res non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. *Et sequitur*: Vnde diuina vox in Deuteronomio ait: Videte quod ego sum Deus: ecce spiritualis visus. Et in Apocalypsi: Qui habet aures audiat, quid dicat spiritus Ecclesiis ecce spiritualis auditus. Et in Psalmo: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus: ecce spiritualis gustus. Et Apostolus: Bonus odor Christi sumus: ecce spiritualis olfactus. Et in Euangelio: Fide mulierem se tetigisse magis, quam corpore ostendit dicens: Quis me tetigit? ecce spiritualis tactus. *Et sequitur*: Sic modo cum omni cautela seruandum est, quid ad corporis sensus, & quid ad animę dignitatem pertineat. Hæc ille. Ex his plane patet quod sicut experientia corporalium fit sensibus corporalibus, ita experientia spiritualium fit in mente spiritualibus sensibus.

Auctor de spir. & ani. c. 9. apud Aug. tom. 3.
Ibid. cap. 49.
Deut. 32. c
Apocal. 2. & 3.
Psal. 33. b
2. Cor. 2. d
Mat. 5. d

DISTINCTIO III.

Qualiter spirituales sensus potentiarum ab experimentali notitia impediantur.

TErtio videndum est, qualiter sensus nostri interiores spirituales ab illa experimentali notitia impediuntur. De quo notandum, quod sensus spirituales dupliciter impediuntur ab experimentali notitia. Vnum impedimẽtum est ex natura corrupta, aliud est ex nostra negligentia. De primo impedimento Bernardus dicit sic: Saporem interiorem perdidimus ab ipso pene exordio generis nostri. Vnde ex quo cordis palatum sensu carnis præualente infecit virus serpentis antiqui, cœpit non sapere bonum, ac sapor noxius subintrat, & insipientia mulieris, idest, sensualitatis saporem boni excludit: quia serpentis malitia, & astutitia mulieris insipientia circumuenit. Hæc ille. Iste morsus serpentinus fecit sensus interiores languescere, & tabescere. Ex tunc enim visus interior spiritualis tenebrescit auditus surdescit, olfactus tabescit, gustus amarescit, & tactus crassescit, vt clamet Propheta: Oculos habent, & non videbunt, aures habẽt & non audient, &c. Tales manent in tenebris exterioribus carnis. De impedimento secundo, dicitur in libro de spiritu, & anima, sic: Hoc bonum magnum quod habuit ex duplici sensu, scilicet interiori, & exteriori bene ordinato, malum magnum secutum est: quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena quæ foris erant, & pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens in illis, non attendens homo boni sui interioris absentiam, eo quod consolationes suas quærit in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo foris vtitur, interior sensus quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui iucunditate bonorum exteriorum capitur. Nam qui in carnẽ viuit, in carne sentit, & dolores carnis fugit, quantum potest: vulnera autem animæ prorsus ignorat. Vnde non medicinam quærit. *Sequitur*: Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo viuit in carne, tunc viuificari incipiet sensus ille, quo intus sentit seipsum, scilicet scientia experimentali, & tunc sciet dolores suos, & sentire incipiet vulnera sua interiora tanto grauius, quãto propinquius. Magis enim nocet malum, quod magis intimum, & magis prodest bonum, & delectat, quod magis intimum est. Hæc ille. De hoc vide hic proximo membro plenius, qualiter vtrumque impedimentum tollitur, scilicet experimentalis notitiæ. Item in tertio itinere aliqua inuenies de eodem.

Bern. super Cant. ser. 85. cir. med.
Psal. 113. b
Auctor de sp. & ani. ca. 9. apud Augu. tom. 3.

DISTINCTIO IV.

Qualiter interiores sensus spirituales reparantur, vel reformantur.

QVarto videndum est, qualiter sensus interiores spirituales reformantur vel reparantur. Circa quod sciendum est, quod contra primum impedimentum, scilicet corruptionem naturæ, necesse est, vt à IESV qui est clauis Dauid, sensus nostri aperiantur, antequam æterna experiantur. Vnde Bernardus dicit: Dominus post suam resurrectionem loquens discipulis, ait Euangelista Lucas, aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas. Cum enim, inquit Bernardus Scripturarum interiorem sensum, & virtutem miraculorum, & sacramentorum Dei cœperimus non solum intelligere, sed etiam quadam, vt ita dicam, experientiæ manu palpare, & tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, & experientiæ disciplina intelligentis, & scientis bonitatem Dei, & virtutem, quam potenti bonitate, cum efficaci virtute in filiis gratiæ opus ipsius gratiæ operatur: tunc demum sapientia quod suum est, exequitur, tunc quos dignos iudicat, vnctione sua docet de omnibus, tunc apposito bonitatis Dei sigillo, omnia * pectora nostra vnctione illa, & * emollit, & imprimit, & * conformat: & si quę dura, si quę rigida inuenit, inculcat, & infringit, donec lætitia Dei salutaris accepta, & sapientiæ spiritu principali confirmata, anima læta, & sancta decantet ad Deum: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. & idem super Cantica, dicens: Sapientia assidua vincit malitiam, idest, concupiscentia in mentibus ad quas intrauerit, saporem mali quem illa inuexit sapore meliore exterminans. Intrans enim sapientia, dum sensum carnis infirmat, intellectum purificat, cordis palatum sanat, & reparat. sanato palato, iam sapit bonum. sapit, & ipsa sapientia, qua in bonis nihil est melius. Hæc ille. Contra impedimentum secundum, scilicet nostram negligentiam, necesse est vt sensus exteriores sopiantur, & à sua vagatione restringantur, quia tunc interiores sensus excitantur, & exercitantur. Vnde 30. lib. Moralium Gregorius dicit: Si exterior euagatione sensus clauditur, interior sensus aperitur. Cuius rationem reddit Hugo de arga Noë, vbi dicit: Mentes quas curæ carnales exagitant, non comprehendunt sapidam sapientiam, sed qui minoratur actu ipse inuenit eam: quia dum animus ab exterioribus ad interiora abstrahitur, ad seipsum colligitur, & robustior ad contemplanda cælestia eleuatur, & cum à delectatione exteriori abstrahitur, necesse est, vt aliquid spiritualis gaudij prægustare incipiat, ne si omnino à delectatione manserit alienus, quasi semen aridũ sine humore ad gramen sapientiæ non conualescat. *Sequitur*: Fit ergo diuina gratia inspirante, vt mens sic abstracta & terrenis desideriis exuta statim quadam insolita lętitia perfundatur, vt eo amplius amatum esse agnoscat quod deseruit, quo magis dulce sentit quod inuenit. *Sequitur*: Illas mentes internæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullus concupiscentiæ carnalis affectus religauit. Hæc ille.

* *
*

Bern. lib. de amore ca. 10. cir. fin.
Luc. 24. d
* al. peccata.
* al. emollita.
* al. confortat.
Psal. 4. a
Bern. super Cant. ser. 85. cir. med.
Greg. 30. lib. Moral. ca. 9. post med.
Hug. lib. 3 de arc. Noe ca. 1. & 2.
Eccli. 38. c

DISTINCTIO V.

Qualiter per gustum interiorem spiritualem æterna prægustantur.

QVinto videndum est, qualiter per interiorem gustum spiritualem æterna prægustantur. Circa quod sciendum, quod nisi gustus spiritualis esset in nobis, Psalmista non dixisset: Gustate, &c. & Dominus non diceret: Qui manducat hunc panem viuet in æternum. De gustu æternorum spirituali dicit Bernardus: Mens est quædam vis animæ, qua inhæremus Deo, & fruimur. Fruitio autem hæc in sapore quodam est diuino. Quare sapientia à sapore dicitur, sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum nemo potest digne exprimere, nec etiam qui meretur gustare, sed potest dicere: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Hæc Bernardus. Dicit etiam Gregorius: Suauitatem eius non cognoscitis si hanc minime gustastis. Ex quo ergo gustum illum nemo potest exprimere, sed solum per experientiam noscitur, ideo oportet viam quærere qualiter spiritus noster ad istam gustus experientiam possit pertingere.

Psal. 33. b *Ioan. 6 f* *Bern. lib. de amore Dei c. 10 paulo post prin.* *Greg. hom. 36. paulo post prin.*

De quo notandum est, quod IESVS qui est sapientia Patris sapida, quia in eo est sapor omnis suauitatis, & delectamenti, primum exiuit, vt dicit Hugo, per creaturam mundi, & manifestauit se in operibus suis, & cœpit videri visibiliter inuisibilis, per effectum suum visibilem. Et ille exitus sapientiæ causabat in sensibus nostris exterioribus, quandam notitiam æternorum scientialem, quia secundum Apostolum: Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & gloria, & diuinitas. Et licet illud lumen sapientiæ aliquem causet saporem in sensibus, vt patet per Psalmistam: Delectasti me Domine in factura tua, &c. tamen illa delectatio fit semper ex gustu sapientiali, oleo gratiæ condito, nec illa notitia est experimentalis, sed discursiua, vel naturalis.

Hug. in 1. ca. Angel. Hier. li. 1. an. med. *Rom. 1. c* *Psal. 91. a*

Secundo, vt dicit Hugo ibidē, exiuit sapientia Patris incarnata, & facta est lumen in testa, vt nos illuminaret, & ad Patrem reuocaret. Et ille exitus sapientiæ, siue manifestatio, causabat in sensibus nostris interioribus quandam notitiam æternorum credibilem, supernaturalem, & ideo nobilior est præcedente, quia supernaturalia dona perficiunt animam, vt dicit Dionysius. Sed nec illa notitia est experimentalis, quia experientia repugnat fidei, vt patet per Gregorium: Tamen ex notitia fidei firma, multiplex notitia, & consolatio habetur, vt patet per Dionysium, qui dicit sic: Fides diuina est stabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, confirmans simplicem veritatem intransmutabili identitate in ipsis credentibus. Et credentem in veritate, teste Scriptura, nihil mouebit à lætitia, quæ est secundum veram fidem, sed habebit in ea permanentiam immobilis, & intransmutabilis identitatis. Qui enim veritati vnitus est, ex ipsa vnione bene nouit, quando bene sentit, quamuis multi corripiant eum, tamquam mentis excessum passum.

Greg. ho. 26. in Euan statim post prin. Dion. de diuinis nom. c. 7. cir. fin. *Rom. 8. d*

Tertio, vt dicit Hugo, sapientia incarnata quæ semper inuisibilia manifestat, voluit ostendere, quomodo ipsa animorum cibus, & refectio est. Et ideo carnem assumptam nobis in edulium proposuit in sacramento, vt per cibum carnis ad gustum inuitaret diuinitatis. Hæc ille. Egressa est ergo sapientia Patris, & quasi iam panificata, vt iam dicat: Ego sum panis vitæ. & Pater dat vobis panem de cœlo verum, qui de cœlo descendit. Igitur IESVS in sacramento est verus cibus, & vere gustabilis, vt per gustum corporis eius perueniatur ad gustum diuinitatis eius, quia ipse est via secundum humanitatem ad eius diuinitatem, vt supra dictum est. Summe autem necessarium est, ad hoc vt ad gustum intimæ diuinitatis pertingatur per corpus eius in sacramento, quod sensus corporalis aliquo sensibili signo foueatur, & determinetur, & vt intellectus lumine supernaturali fidei confortetur, A & vt voluntas charitate inflammetur, & sic per spiritualem manducationem corporis Christi, ad gustum absconditæ diuinitatis pertingatur. Sed ecce hic IESVS dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & pascua inueniet. Ego sum ostium sensui corporali, per signa sensibilia monstratum. Ego sum ostium intellectui, per fidem perfectam reseratum. Ego sum ostium voluntati, per charitatem feruidam apertum, gustatum, & habitatum. Ego, inquam, sum ostium sensui, per signa sensibilia monstratum in sacramento, per sensibiles species sacramentales panis, & vini, quæ significant perfectam refectionem. Signa enim sensibilia, secundum Augustinum, sunt, quæ præter speciem, quam ingerunt sensibus aliquid aliud faciunt in cognitionem venire. Vnde Hugo, vbi supra dicit: Ne humana infirmitas contactum B carnis in assumptione abhorreret, ideo consueti edulij speciebus carnem velauit, vt sensus foueretur, dum consueta percipit, vt etiam intellectus credendo, & affectus diligēdo determinate dirigeretur ad cibum hunc, quem Pater signauit sensibilibus signis. Hinc Chrysostomus super illud: Hoc facite in meam commemorationem, dicit: Hoc fecit Christus sensibilibus signis vt nos duceret ad maius amicitiæ fœdus suam charitatem declarans erga nos præstitit se non solum videri desiderantibus, sed etiam palpari, comedi, & amplecti, & totum affectum explere. Hæc ille.

In sacramēto altaris, qualis gustus percipiatur. *Ioan. 6. d* *Ioan. 10. b* *Aug. lib. 2. de Doctrina Christi ca. 1. tom. 3.* *Hugo vbi sup prox.*

Item, inquit secundo, Ego sum ostium intellectui, per fidem perfectam reseratum. Vnde Chrysosto. in tract. de C symb. dicit: Fides est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Vnde dicit Isaias: Nisi credideritis, non intelligetis: ergo per fidem intratur ad veritatis cognitionem. Vnde Augustinus super Ioanne dicit: Noli intelligere vt credas, sed crede vt intelligas. Intelligere enim est merces fidei. Fides mundet te, vt intelligere repleat te. Hæc ille. Intellectus enim humanus sine radio fidei, circa diuina est quasi cæcus. Vnde impossibile est, quod intellectus attingat corpus Christi, vt existit sub speciebus sacramentalibus nisi lumine supernaturali certissimæ fidei illuminetur, & dirigatur, alias non videbit riuulos fluminis torrentis butyri, & mellis, vt dicit Iob. Quod exponens Gregorius 15. Moral. dicit: Butyrum nascitur ex carne, & significat Christi humanitatem, mel vero descendit ex aëre, & significat Christi diuinitatem. D Ex his duobus descendunt septem riuuli contemplationis humanitatis & septem diuinitatis, quos solum fideles in tanta plenitudine quandoque recipiunt, vt videāt quod dicere non valent. Attingit enim fides inaccessa, ait Bernardus, quia intellectus per fidem illuminatus, & confortatus, attingit hanc veritatem indubitanter, quod Christus vere est in sacramento, & diuinitas vere est in Christo.

Isa. 7. sec. LXX. *Augu. tract. 29 in Ioan. post medium tom. 9.* *Iob 10. c* *Greg lib 15. Mor. ca. 10.* *Bern. super Cant. ser. 76. cir. med.*

Item tertio inquit: Ego vere sum ostium voluntati, per charitatem feruidam, apertum, gustatum, & inhabitatum: quia qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Hæc autem manducatio fit spiritualiter. Manducare autem spiritualiter, est attingere ad rem huius sacramenti. Res autem huius E est duplex, vna contenta, & signata, & est Christus integer qui continetur sub speciebus panis, & vini. Alia est res signata, & non contenta, & hæc est corpus Christi mysticum. Ille ergo manducat spiritualiter, qui Christo coniungitur per fidem, & charitatem. Fides pertinet ad cognitionem, charitas ad refectionem, ideo etiam vnitur corpori Christi mystico, id est, Ecclesiæ. Ex ista enim manducatione oritur attingentia spiritualis, alias Christo non incorporaremur, dum carnem eius gustamus. De ista incorporatione Augustinus super Ioannem dicit: O sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis. Qui vult viuere accedat, credat, incorporetur, & viuificetur. Et Hugo dicit, quod ista manducatio dicitur vnifica, quia vnos secum efficit omnes, quibus se manducandam præbet. Dicat ergo manducans illud Canticorum: Comedi fauum cum melle meo. Fauus, sicut dicit Origenes, est cera virginea, cellulis distincta,

Ioan. 10. b *Res sacramenti duplex.* *Augu. tract. 25. in Ioan. post medium tom. 10.* *Hug. sup. 7. Ang Hier. li. 7. longe post med.* *Cant. 5. a*

melle

melle repletus. Quid ergo est aliud, Comedi fauum cum melle meo, nisi manducare corpus virgineæ carnis dulcissima diuinitate repletum? & sic per gustum humanitatis peruenitur ad gustum diuinitatis, & ideo ad prælibamen æternitatis.

DISTINCTIO VI.

Qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur.

SExto notandum est, qualiter quilibet sensus interior spiritualis æterna experiatur. De quo sciendum est, quod Bernardus dicit: Sicut corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ coniungitur, vita mediante, sic anima habet suos quinque sensus, quibus Deo, siue æternis coniungitur, mediante charitate. Quare Apostolus dicit: Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, id est, experimento sciatis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. *Sequitur*: Per sensus corporis veterascimus, & huic sæculo conformamur. Per sensus vero mentis, renouamur in agnitione Dei siue æternorum. *Et infra dicit*: Sicut omnes sensus corporales, scilicet, visus, auditus, odoratus, & tactus, sine sensu gustus infirmantur, & hebetantur in operationibus suis: sic ante aduentum IESV mediatoris, omnes sensus nostri spirituales languebant, propter absentiam gustus spiritualis vel sapientiæ quæ nondum fuit incarnata, nec quasi gustata, à cuius gustu quanto diutius abstinemus, tanto sensus interiores magis deficiunt, & infirmantur in actibus suis circa æterna. Vnde Gregorius 14. Moralium exponens illud Iob: Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas eius, sic dicit: Ex rationali anima habet homo, vt in perpetuum viuat, & tamen hominis iniqui robur attenuatur fame, quia anima eius nulla interni cibi refectione pascitur. Et inedia inuadit costas eius, quando spirituali refectione subtracta, sensus mentis deficiunt. Et tunc cogitationes suas nec regere, nec tueri possunt: quia fames interna sensus mentis extenuat, & ideo se foris extendunt ad temporalia spretis æternis, quæ eis non sapiunt. Adueniente autem gustu sapientiæ, ait Bernardus vbi supra, tunc sequitur quædam dulcedo saporis, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari, quæ suscepit cuncta discernit, & diiudicat, seq; & omnes sensus vegetat, & confirmat. Nam hic panis spiritualis est, de quo dicitur: Paratum panem dedisti eis de cœlo sine labore, omne delectamētum in se habentē, & omnis saporis suauitatem. Substantiā .n. tuam, & dulcedinē tuam quā in filios habebas, ostendisti, & deseruiēs vniuscuiusque voluntati, ad quod vnusquisque volebat, conuertebatur. Ac si diceret: O Pater substantiam tuam, idest, Filium tuum, cui totam substantiam tuam communicas, & dulcedinem tuam, idest, Spiritum sanctum, quem æternaliter spiras, nobis ostendis, & communicas in sacramento charitatis: ergo, & omnem saporem suauitatis. Et ideo iste panis sapientialis nobis in sacramento charitatis exhibitus maximæ attingentiæ est. Attingit enim omnes sensus interiores, intantum, vt in omnibus manducantibus eum, maneat, & ipsi in eo, vt non moriantur in æternum, sed in æternitate viuant, & maneant, vt dicit Saluator.

Diuinissima igitur Eucharistia in se habens delectamentum omnem sensum interiorem attingens, sensum visus spiritualis excitat ad experiendum æternorum contemplationem, sensum auditus spiritualis excitat ad experiendum æternorum auditionem, sensum olfactus excitat ad æternorum olfactionem, sensum tactus spiritualis excitat ad experiendum æternorum tentionem, sensum gustus spiritualis excitat ad experiendum æternorum prælibationem. Nisi istis sensibus interioribus æterna aliqualiter in hac vita experirentur, Gregorius quinto libro Moralium non diceret sic: Æternitas per inhiantem mentem sine specie cernitur, sine sono auditur, sine motu suscipitur, sine loco retinetur, sine corpore tangitur, & cum mens phantasmata imaginationum corporalium abiicit, iam aliquatenus æternam diuinitatem conspicit: quam si necdum quid sit apprehendit, agnouit tamen certe quid non sit.

Videamus ergo de singulis sensibus interioribus. Primo igitur IESVS, panis vitæ in sacramento manducatur, cum vere in se habeat delectamentum omnis suauitatis omnium sensuum spiritualium. Et cum ipse sit candor lucis æternæ, & speculum sine macula: attingens sensum visus interioris hominis iam aliqualiter exercitatum, ipsum excitat ad æternorum recipiendam contemplationem vel inspectionem. Vnde Gregorius 24. Moralium exponens illud Iob: Videbit faciem eius in iubilo, dicit sic: Plerique contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quam spolientur carne, hilarescunt, dum in iubilo faciem Dei conspiciunt: quod fit, cum aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit. Ibi lumen viuens videt: quia iam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo quem cernit ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconuersibilem speciem, dum recipit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur. Hæc Gregorius. Huius sensus experientiam habuit, qui dixit: Dilectus meus candidus, & rubicundus, &c. Experimentaliter loquebatur, ait Vercellensis.

Secundo IESVS panis sacramentalis, cum sit verbum Patris (verbum autem est notitia declaratiua cum amore, vt ait Augustinus libro 9. de Trinitate) attingens aures spirituales in sacramento, excitat eas ad experiendum allocutionem de æternis, quia quantum in se est, semper notificat æterna, & illuminabit omnem hominem. Anima autem nisi haberet aures spirituales habiles ad audiēdum æterna, IESVS non dixisset. Qui habet aures audiēdi audiat. Dominus autem, vt dicit Gregorius, non quærit aures corporis, sed mentis. Et in Apocalypsi dicit idem: Qui habet aures, &c. vbi dicit Richardus: Illa habet aures audiendi, qui habet sensum intelligendi, & affectum diligendi ea quæ promittuntur, & idem dicit Haymo: Auris carnis tantum ad audiendum cōsistit, auris vero cordis auditu simul, & intellectu viget. Has aures verbum Patris multipliciter alloquitur, vt supra dictum est in itinere meditationis. Et Augustinus super Genesim ad litteram dicit: Sapientia Filius Dei non cessat loqui occulta inspiratione ad intellectualem creaturam. Sed Gregorius 13. Moralium dicit: Vnde exterior auditus aperitur, inde interior obsurdescit. Huius allocutionis experientiam habuit, qui dixit: Vox dilecti mei. vbi dicit Glossa: Gaudeo consolatoriam eius vocem audiens, dum eius faciem nondum video, tamen subleuato ad cælum animo aliquam suauitatem prægusto futuræ beatitudinis, & hoc in præsenti sæculo. Hæc Glossa.

Tertio IESVS panis sacramentalis excitat olfactum ad æternorum odorem sentiendum. Cum sicut dicit Dionysius, existit fontana copiosa susceptionum diuinarum suauitatum, refundens de sua plenitudine diuinissimas fragrantias. Ideo olfactum interiorem spiritualem excitat, & aperit, ad experiendorum æternorum odorem, vt Ioannes Euangelista tamquam expertus diceret: Odor tuus Domine excitauit in nobis concupiscentias æternas Sed hic nota quid sit olfactus spiritualis in anima, & in Angelis. De hoc dicit Linconiensis commentator super Angelicam Hierarchiam sic: De olfactiua virtute discretiua odorum, quæ intus suscipiendo agit, dicit Dionysius, signare susceptiuum bene redolentis, hoc est, bene contemplantis gratiæ diuinæ. Et Dionysius 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit sic: Si sensibilium aromatum susceptio moderata, vim olfactiuam nostram sanam delectabiliter refouet, pariter, & intellectualem sensum nostrū spiritualis suauitatis discretiuū ab appetitu inordinato purgatū, susceptio diuini boni odoris sancta delecta-

Marginalia: Bern. lib. de amore Dei c. 6. circ. fin. — Rom. 12. A — ibidem. — Iob 18. C — Greg. lib. 14. Moral. ca. 6. post med. — Ber. vbi sup. prox. cap. 10. — Sap. 16. C — Ioan. 6. — Greg. lib. 5. Mor. cap. 26. non longe à prin. — De sensibus interiorib. — Sap. 7. A — Iob 33. d — Greg. lib. 24. Moral. ca. 7. post med. — Cant. 5. C — Aug. lib. 9 de Trin. ca. 9 & 10. — Matt. 13. A & Luc. 8. A — Greg. super Ezech. hom. 14. ant. med. — Apo. al. 2. per totum. — Can. 2. b — Dionys. 4. Eccl. Hier.

Cant.1.a *Bern. super Cant. hom. 22. non longè à prin.*

lectatione nos replebit. Huius odoris experientiam habuit, qui dixit: in odorem vnigenitorum tuorum curremus post te, vbi dicit Bernardus sic: Et si Dominus suauis odoris sit vniuersis, maxime tamen domesticis, & quanto quis sibi familiarius vitæ merito ac mentis puritate appropiat, tanto eum arbitror recentiorem aromatum, & vnctionis suauioris sentire fragrantiam. Porro in huiusmodi non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit. Hæc ille. Deo igitur gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, vt dicit Apostolus.

2.Cor.2.d

Quarto Iesus panis sacramentalis, cū sit summæ attingentiæ, quia ipse se dat in cibum, & manet in cibato, & cibatus in eo, vt dicitur in Ioanne, & hoc in maxima charitate, vbi fit verissima attingentia animæ, & Dei spiritualis. Sed notandum, quod Hugo in libro 1. de arca Noe, dicit sic: ad Deum attingere, est semper per desiderium eum quærere, & per cognitionem inuenire, & per gustum tangere. Ex quo patet, quod attingentia ista habet quosdam gradus, per quos Deus acceditur, & inuenitur, & attingitur, non accessu locali, nec tactu corporali, sed similitudine spirituali acceditur ad Deum, & dissimilitudine à Deo receditur, vt dicit Augustinus in libro sexto de trinitate.

Ioan.6.f *Hug. lib.1. de ar. mor. ca.4. cir. medium.*

Primus igitur gradus est, quo Deus attingitur, cum per desiderium quæritur: quamuis enim Deus vt desideratur, secundum aliquid vt præsens non habeatur, tamen necesse est, vt etiam secundum aliquid præsens habeatur, alias non desideraretur. Dicit enim Gregorius in homilia: Profecto, qui Deum desiderat, iam habet quem amat, & tamen habitus amplius quæritur: quia sine fine est quærendus, qui sine fine est diligendus, vt ait Augustinus exponens illud psalmi: Quærite faciem eius semper.

Psal.104.a *Aug. enarratione in Psal. 104. non longè à prin. t.8.*

Secundus gradus, quo Deus attingitur, est cum per cognitionem inuenitur. Cognitio enim est actus vitalis. Actus autem vitales attingunt sua obiecta, vt dictum est supra, alias dilectus non dixisset dilectæ: Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, intelligentia tua penetrante ait Vercellensis. Sed attingentia manet imperfecta, nisi id, quod præsens est cognitioni fiat præsens voluntati amantis. Quia Augustinus dicit, quod quidam Deum cognoscunt, qui tamen Deum propter hoc non habent, quia si eum vt Deum cognouerint, non tamen vt Deum glorificauerunt, vt ait Apostolus.

Cant.4.c *Aug. in Ep. 57. ad Dardanum paulo an. med. to.2.* *Rom.1.c*

Tertius gradus, quo Deus attingitur, est cum Deus per amorem tenetur, & amplexatur, & spiritualiter manducatur. Hi autem actus, & gradus sunt principaliter ipsius affectus, & voluntatis. Vnde Augustinus dicit quod voluntas habet vnum propriū actum, qui est actus tenendi siue amplexandi, & quasi possidendi, quos actus non potest habere intellectus. Nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis, sicut sanitas sani non est medici cognoscentis, sed sani eam habentis. Vnde & actum gustandi non habet intellectus, sed voluntas, quia gustus est in charitate, sicut dicit Richardus, sed charitas vel dilectio est actus voluntatis. Nā sicut dicit Richardus: Sicut Deus per memoriā auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur, & attingitur. Hunc tactum spiritualem experta fuit, quæ dixit: Læua eius sub capite meo. Læuæ nomine intelliguntur splendores intellectus speculatiui, qui ad gustum viatoris pertinent, dextræ nomine quæ patriam signat, intelligitur superintellectualis vnitio ad Deum, quæ speculum nescit, & quasi ad præmium inclinat tanquam arrha, & pignus nec auferetur. Quare dixit sponsa: Tenui eum, nec dimittam illum, post tam excessiuos amplexus, & ineffabiles. Hæc Vercellensis.

Aug. lib.9. de Trini. c.8. t.3. *Rich. li.4. de cōtemp. c.15.* *Cant.2.* *1.Cor.13.d* *Luc.10.g* *2.Cor.5.a* *Cant.3.b* *Matt.6.b.*

Quinto Iesus est panis supersubstantialis, sicut patet in Matthæo. Ideo gratissima, & sufficientissima refectio Angelorum, & hominum, vt dicitur in psalmo. Ideo attingens gustum interioris mentis, aperit eum ad æternorum dulcedinem gustandam. Vnde Vercellensis super Cantica dicit: Nihil est quod ita gratam mentibus præstet refectionem sicut panis supersubstantialis. Hæc enim refectio non fit per speculum, sed per diuinæ dulcedinis experientiam, iuxta quod gustus, & tactus non exercentur per speculum sicut visus. Et in hac Dei participatione fundatur portio Mariæ, quæ non auferetur ab ea. Sed hæc est principalis ruinæ antiquæ reparatio, quando in primo Adam spoliati fuimus, & vulnerati in naturalibus. Hæc ille. Quamuis autem iste panis habeat omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis, & sanet omnes infirmitates nostras, secundum Psalmistam, non tamē omnibus sapit æqualiter. Dicit namque Bernardus: Deus non vniformiter sapit omnibus. Oportet namque pro varijs animæ desiderijs diuinæ præsentiæ gustum variare, & infusum saporem diuinæ dulcedinis diuersa appetentis animæ aliter atque aliter oblectare palatum. Multum enim differenter sapit iste panis vitæ æternæ reprobis, & electis. Vnde Gregorius 11. Moralium exponens illud Iob: Auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem, dicit sic. Iob in his verbis aliquid de reprobis, & aliquid de electis innuere videtur, quia verba sapiētiæ, quæ reprobi audiunt tantum, electi non solum audiunt, sed etiam gustant, vt eis in corde sapiat, quod reproborum non mentibus, sed & solūmodo auribus sonat. Aliud namque est cibum nominatim audire solummodo, aliud vero est gustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, vt degustent: quia hoc quod audiunt ipsis per amorem medullitus sapit, reprobi vero qualiter sapiat, ignorant. Aliud enim est aliquid scire de Deo, & aliud quod cognoscitur faucibus intelligentiæ gustare. Illa enim dicta in sapientiæ radice solidata sunt, quæ per viuendi vsum, & actuū experimentum conualescunt. Hæc Gregorius. Sed, vt supra dictum est, oportet volentem gustare hunc panem supersubstantialem, habere sensus excitatos. Hos sensus interiores videtur beatus Augustinus habuisse, qui 10. libro Confessionum, ait sic: Quid amo cum Deum meum amo? certe non exteriora, sed quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem; & quendam cibum, & quendam amplexum interioris hominis mei, vbi fulget animæ meæ lumen, quod non capit locus, & vbi sonat verbum, quod non rapit tempus, vbi olet odor quem non spargit ventus, & vbi sapit cibus; quem non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellet satietas. Hæc amo cum Deum meum amo. Hæc Augustinus. Ex his patet, qualiter sensus interiores nostri æterna experiantur. Vnde & Richardus dicit: Non debet nobis sufficere illa æternorum notitia, quæ est per fidem solum, nisi & apprehendamus illam, quæ est per intelligentiam, si necdum sufficimus ad illam, quæ est per experientiam. Hæc ille.

Luc.10.g *Bern. super Cant. ser.31 post med.* *Iob 12.b* *Greg. lib.11 Moral. ca.4. ante med.* *Aug.10. lib confess. ca.6. tom.1.* *Rich. lib.1. de Trin. cap.3.*

DISTINCTIO VII.

Qualiter spiritus noster ad veniendum per iter experientiæ ad intrinsecum Domini inuitatur.

Septimo videndum est, qualiter spiritus noster ad veniendum per iter experimentalis prægustationis æternorum, ad intrinsecum Domini Iesv inuitatur ab ipso dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni. Et huius inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Quia ficus protulit grossos suos idest, quia iam est desiderati viatici optata suauitas. Tunc namque est itinerandi securitas, quando itinerans suauiter reficitur, & itinerantis virtus augmentatur, donec cum propheta ad montem Dei Oreb perueniatur. Dicit igitur, O amica mea, propter experimentalem mei manducationem, nonne comedisti fauum meum cum melle meo, idest dulcedinem diuinitatis cum corpore, & sanguine meæ humanitatis. Hoc enim proprium est amicis meis, vt comedant, & bibant, & inebrientur charissimi, vt corpus meum comedant, & sanguinem meum

Cant.1.b *3. Reg.19.b* *Cant.5.a*

bibant,& experientia intima, mea diuinitate inebrietur. Hoc enim proprium electorum est, dicit Haymo super Apocalypsim. Surge ad meam experimentalem cohabitationem, vt vbi sum ego,& tu sis, quia ex hac manducatione mei, tu manes in me,& ego maneo in te, tamquam mihi iam incorporata. Ego quidem in altissimis habito, & thronus meus in columna nubis. Ideo surge ô columba mea, propter experientiæ tuæ simplicem fruitionem, & singularem. Solum enim quæris experiendo frui præsentia mea: Vnde dixisti: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei,& delectatus sum. Quod exponens Gregorius 18. Moralium dicit sic: Quia temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari nequaquam possum, & tamen memoria Dei solum delectatus sum. Si igitur tantum delectatur in sola memoria Dei, dicat cum Bernardo, Super mel, & omnia eius dulcis præsentia. Propera propter experientiæ tuæ perfectionem,& delectationem. Quanto enim spirituales delitias plus experiris, tanto auidius appetis eas. propera igitur venire ad me fontem omnium delitiarum. Nam etiam celeritas in desiderio mora est, vt dicit Seneca. O formosa mea, propter experientiæ tuæ radiosam multiplicationem. Experiris enim me, te visitantem, post parietem stantem, per cancellos prospicientem, in montibus salientem. Item experiris me, te alloquentem, te odore meo semper attingentem, te reficientem, & amplexantem, &c. vt patet in Cantico amoris per totum. Vnde Bernardus dicit: Attendite Sponsæ deuotionem, atque solertiam siue experientiam, quod vigili vtique oculo, scilicet experientiæ, obseruat Sponsi aduentum,& deinceps omnia ipsius intuetur. Venit enim ille, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur,& nihil horum momentorum Sponsæ industriam fugit. Hæc ille. Veni igitur ad experientiæ tuæ consummationem, quia ficus protulit grossos suos. In quo ostendit suæ inuitationis duce allectiuum. Quid per ficum conuenientius intelligi potest producentem fructum dulcedinis, quam Pater æternus, principium omnis dulcoris, qui protulit nobis grossos infinitæ dulcedinis, & refectionis, scilicet verbum suum Spiritum sanctum, consubstantiales, & coæternos? Verbum suum infinitæ dulcedinis protulit incarnatum vt nobis esset in redemptionem,& panem supersubstantialem, vt esset nobis in refectionem, qui descendit de cœlo nobis præparatus, & habens in se omne delectamentum, & omnem saporē suauitatis, vt per ipsum dulciter reficiamur in via, ne deficiamus, sed ad æternum Patrem reducamur. Ecce dicit Hugo, Vnum ferculum proponitur in mensa Domini, sed noli contemnere. Cōtinet enim in se omne bonum. Sed hanc refectionem non omnes gustant. Ipsa enim vna est singularis, quia cum aliena, & extranea delectatione, & dulcedine non percipitur. Dicitur domestica, quia amicis,& familiaribus tantum præparatur. Dicitur vnifica, quia vnum secum efficit omnes, quibus se sumendam, & percipiendam præbet. Hæc ille. Ficus etiam paterna protulit nobis Spiritum sanctum consubstantialem,& coæternum, qui est fons infinitæ dulcedinis saliens in vitam æternam. Spiritus enim meus super mel dulcis. A quo omnis dulcedo emanat. Vnde Gregorius lib. 5. Moralium dicit, quod vnctio Spiritus sancti facit contemnere inferiora, & eleuat ad superiora, & quod dulcedo eius hic sentiri potest, non dici. Hunc grossum infinitæ dulcedinis Pater nobis protulit, dum nobis eum in sensibilibus signis misit,& quotidie inuisibiliter electis mittitur, qui itinerantes per septem dona quasi per septem dies,& per septem refectiones spirituales, nos ad conuiuium æternorum collium perducit. Vnde Gregorius libro 1. Moralium dicit, quod vnumquodque donum Spiritus sancti, diem spiritualem facit in mente per suam illuminationem; & in qualibet die conuiuium facit per suam dulcedinem. Intellectus in die suo conuiuium facit, & præparat, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illustrat. Sapientia in die suo conuiuium facit, quia mentem æternorum spe, & certitudine reficit. Consilium in die suo conuiuium exhibet, quia dum præcipitem esse prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo conuiuium facit, quia dum aduersa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die suo conuiuium præparat, quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium separat. Pietas in die suo conuiuiū exhibet, quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Timor in die suo conuiuium facit, quia dum premit mētem, ne de præsentibus superbiat, de futuro illam cibo spei confortat. Hæc ille. Et sic itinerans ad æternitatem confidenter,& velociter incedit. Et hæc dona sancti Spiritus sunt quædam perfectiones animæ, per quas redditur bene mobilis ad æterna consequendum, & exercitata ad experiendum, quia spiritualis omnia diiudicat. Ad cuius æternitatis plenam experientiam nos perducat æterna sapientia benedictus Deus. Amen.

Apoc. 6. f. — Eccl. 24. d. — Psal. 76. — Greg. li. 18. Mor. cap. 24. — Cant. 2. b — Bern. super Cant. ser. 57. in princ. — Hug. sup. 7. Ang. Hier. li. 7. longe post med. — Eccl. 24. c — Greg. lib. 5. Mor. c. 19. paulo post princ. in sensu. — Greg. lib. 1. Mor. ca. 16.

DE SEPTIMO ITINERE æternitatis.

SEPTIMVM iter æternitatis, per quod spiritus noster venit ad intrinsecum secretum, & æternale manerium Domini IESV est æternorum meritoria operatio, siue Deiformis, idest, diuinæ operationis conformis: nisi enim opera nostra essent iter ad æterna, Dominus non diceret se redditurum vnicuique secundum opera sua. Opera enim illorum sequuntur illos, sicut dicit Ioannes. Ad maiorem autem huius itineris notitiam habendam, septem sunt notanda.

Matt. 16. d — Apoc. 14. c

Primo, quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera subsequatur.

Secundo, quare natura rationalis ad hoc facta est, quod operetur, & æternum finem per hoc consequatur.

Tertio, quare homo secundum duplicem naturam corporalem, scilicet,& spiritualem operari teneatur.

Quarto, qualiter operatio vtriusque naturæ corporalis, scilicet,& spiritualis Deiformis efficiatur.

Quinto, qualiter diuersi gradus vtriusque operationis vel species distinguantur.

Sexto, qualiter spiritus per vtramque vitam, scilicet actiuam,& contemplatiuam ad æterna ingrediatur.

Septimo, qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis à Domino inuitetur.

DISTINCTIO I.

Quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera subsequatur.

PRimo, notandum est, quod cum aliquis in spiritualibus exercitatus fuerit ad æterna directus per rectam rationem vel intentionem, cum fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem, cum fuerit ad æterna directus per limpidam contemplationem, cum fuerit ad æterna inclinatus per feruidam dilectionem, cum fuerit de æternis instructus per multiplicem reuelationem, cum fuerit æterna expertus per dulcem prægustationem, vt de omnibus patuit supra, quid modo restat, nisi æterna ingrediatur per Deiformem, & meritoriam operationem? Quidnam prædicta omnia valerent, si ea Deiformis operatio non consummaret? Non enim perfectum facit cognitio veritatis, nisi subsequatur habitus virtutis in operatione, ait Hugo super 7. Angelicæ Hierarchiæ. Et in libro de tribus dictis dicit sic: Quid nobis prodest, si in Deo cognoscimus maiestatis celsitudinem, & nullam nobis inde colligimus vtilitatem? Si enim de illo intimo diuinæ contemplationis secreto reuertimur, quid nobiscum afferre poterimus nisi lumen exemplaris operationis,&c. vt supra in prologo distinct. 5. Quare iter meritoriæ operationis rationabiliter prædicta sequitur.

Hugo in 7. Ang. Hier. li. 7. paulo post med.

DISTINCTIO II.

Quare natura rationalis ad hoc facta est, quod operetur, & æternum finem per hoc consequatur.

SEcundo sciendum est, quod natura rationalis ad hoc facta est, vt operationes proprias operetur, & per hoc gratia mediante finem suum vltimum consequatur. Propter hunc enim finem conditus est homo, vt opus, propter quod factus est, operetur, & non solum ne à vita æterna siue à suo fine excludatur, sed etiam ne quasi naturali sua perfectione priuetur. Quod Linconiẽsis commentator super 3. Angelicæ Hierarchiæ sic ostendit, dicens: Facta est rationalis natura non solum propter inhęrere Deo per dilectionem Dei, sed etiam propter operari secundum sacras ordinationes bene ad proximum ex dilectione proximi. Et si prædicto modo non operatur, tũc fine, propter quem facta est, caret: cum neutra dilectio sine altera permaneat, ac per hoc cassa, & vana est, & idcirco indigna subsistere, etiam secundum existentiam naturalem ei diuinitus datam propter huiusmodi finem. Sicut enim, secundum Apostolum, qui non laborat, non manducet: sic omne quod propter opus factum est, si suæ negligentiæ vitio non facit, existentiæ suæ naturalis fulcimento priuari debet, vt videlicet plenitudinem integram, & integritatem plenam existentiæ naturalis non retineat. Sic primus Angelus, & primus homo, non operantes secundum sacras ordinationes gratiæ propriæ, recedentes voluntarie, & elongantes se à per se ente, & per se esse, deciderunt in corruptionem naturalis existentiæ, non quod ipsa caderent in penitus non esse, sed quod ipsa, vt prætactum est, à propriæ integritatis plenitudine deciderunt, & propter auersionem ab illo, qui solus per se est, & conuersionẽ ad aliud, quod per se nõ est aut deficienter est, dicũtur magis non existere quã existere. Hęc ille. Et ideo non licet otiari à bono opere. Otium .n. sine litteris mors est, ait Seneca, & viui hominis sepultura. Et Bernardus in sermone ad solitarios. Nihil pretiosius tẽpore, quia sicut capillus non peribit de capite, sic nec momentum peribit de tempore, quin oporteat reddere rationem. Igitur natura rationalis facta est vt operetur, & & per hoc finem suum consequatur.

2. Thess. 3. c

Sen. ep. 82. paulo post prin.

DISTINCTIO III.

Quare homo secundum duplicem naturam operari teneatur.

TErtio videndum est, quod cum homo constet ex duplici natura, corporali, scilicet, & spirituali: ideo duplices operationes debet operari, vt secundum vtramque naturam ad æterna passibus operationum dirigatur per intentionem rectam in finem vltimum, qui est Deus æternus, vt sic totus homo cum tota familia sua spirituali bene ordinetur, & pacificetur, & regnum efficiatur æterno Deo. Nisi enim Deus regnum suum in nobis habere posset, non dixisset regnum Dei intra vos est. Hoc autem regnum non est esca vel potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Iustitia iustificans iudicia cordis siue rationis, pax tranquillans imperia facultatis, gaudium adimplens desiderium volũtatis. Et Gregorius exponens illud verbum, dicit: Hæc sunt quasi imago, & arrha perẽnis lætitiæ futuri sæculi. Istarum operationum tam spiritualium, quam corporalium ordinem, & directionem in finem, scilicet Deum bene ostendit, & docet Auctor libri de spiritu, & anima, dicens: Nobilis est creatura anima, ciuitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quod ad imaginem, & similitudinẽ Dei facta est. Hæc ciuitas Hierusalem merito appellata est quia ad fruendum visione illius pacis summæ, quæ fecit vtraque vnum creata est. Mens eius paradisus est in qua dum cælestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patrisfamilias est anima, propter

Luc. 17. e

Rom. 14. c

Auct. de sp. & an. ca. 37. apud Aug. in prin. tom. 3.

A vnitatem morum. Sponsa Christi, propter dilectionem. Templum Spiritus sancti, propter sanctificationem. *Sequitur*: Ciuitas Regis æterni, propter concordiam ciuiũ. Et quia nulla est ciuitas absque populo, disposuit in ea Conditor noster populum triplicis gradus, idest, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum. Ciues huius ciuitatis, sunt naturales, & ingeniti animi vigores tamquam indigenæ, quorum distincti sunt gradus. Alij superiores, alij medij, alij inferiores, ad similitudinem Angelicæ Hierarchiæ. Superiores sunt quidem intellectuales sensus, medij rationales, infimi animales: quorum hæc differentia est. Animalis siue sensualis appetit sensibilia. Rationalis discernit, & discretionis oculo aspernatur ea. Intellectualis pertrahit ea ad diuina. *Sequitur*: Intellectuales B igitur sensus sunt tamquam animæ consiliarij dicentes ei: Deum time, & mandata eius obserua: propter hoc est enim omnis homo. Rationales sunt milites, qui hostes concupiscentiarum impugnant per arma iustitiæ. Animales siue sensuales sensus sunt tamquam rustici, & artifices mechanici, qui corporalibus rudimentis insistunt, & corpori necessaria ministrant. *Sequitur*: Hanc triplicem vim animę, scilicet sensualem, rationalem, & intellectualem, Philosophi partes animæ vocauerunt, non integrales sed virtuales, quia potentiæ eius sunt. Hæc omnia in libro prædicto. Tota igitur ista familia pacificata, & quęlibet ad suum officium, & opus ordinata, & directa, & C Regi suo plene subiecta, omnes extranei regnum animæ turbantes eiiciantur, & excludantur. Extranei autem sunt, vt dicit Richardus, omnes cogitatus tam vani, quã noxij, qui nulli nostræ vtilitati seruiunt, & similiter turba inordinatarum affectionum, & sollicitudinũ, quas omnes oportet eiicere, vt regis nostri legibus, & dilecti nostri amplexibus, quanto liberius tanto iucundius, liceat inhærere. Qui absterget omnem lacrymam ab oculis eorum. Ex his apparet, quod homo secundum vtramque naturam debet operari, cum secundum vtramque sit beatificabilis.

Eccl. 12.

Rich. li. 4. de contempl. ca. 15. non longe à prin.

Apoc. 21. b

DISTINCTIO IV.

Qualiter operatio vtriusque naturæ corporalis, scilicet, & spiritualis Deiformis efficiatur.

D QVarto videndum est, cum Dionysius dicat, quod ex Scriptura edocemur, quod iam in hac vita Deiformem vitam inchoamus, quam in cœlo consummabimus, qualiter vtraque nostra operatio, scilicet spiritualis & corporalis, Deiformis, idest, diuinæ operationi conformis efficiatur. Nisi enim aliqualiter possemus nos Deo patri nostro conformiter operari tamquam filij, Dominus non dixisset: Estote perfecti, sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est. Sicut enim imaginem Dei Patris nostri habemus in mente vel tenemus, ita etiam, vt Dei filij simus, debemus similitudinem tenere in operatione. Nam eius filij sumus, cuius opera facimus, dicit Dominus. Vnde Dionysius dicit: Vniuscuiusque hierarchiæ, idest, bene ordinatæ personæ perfectio, est ad Dei E imitationem secundum propriam operationem reductã esse, & fieri cooperatricem, quod efficacius omnibus diuinam ingignit conformitatem, & facit repræsentare diuinam operationem in seipso, secundum quod possibile est, iuxta illud Pauli: Dei enim adiutores sumus. Notandum igitur, quod Dionysius 5 Ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit. Ne illuminationes diuinarum operationum confusæ, & indistinctæ videantur, ideo tam Angelici, quam Ecclesiastici gradus sunt diuisi in primas, medias, & vltimas sanctas operationes, & ordines, secundum Hierarchicas discretiones, idest, ordinatas distinctiones. Et cap. 10. Angelicæ Hierarchiæ dicit, quod vnaquæque mens bene ordinata, tam Angelica, quam humana habet in se primas, medias, vltimas, siue infimas ordinationes, & virtutes, & sursum actiones, secundum quas vnusquisq; Angel⁹, & homo Hierarchicus, idest, bene ordinatus percipit secundum propriam capacitatem, Dei purgationẽ, illumi-

Dion. 7. Eccles. Hier.

Matt. 5. g

Ioan. 8. c

Dion. cap. 5. Eccl. Hier.

1. Cor. 3. b

illuminationem, & perfectionem, quæ sunt Deiformes operationes, nos Deo conformantes. Oportet igitur volentes Deiformes operationes operari esse Hierarchicos, idest, bene ordinatos ad similitudinem Angelicæ Hierarchiæ, vt videlicet secundum supremas operationes simus bene ordinati ad Deum, secundum medias ad nosmetipsos, secundum vltimas siue infimas, simus bene ordinati quantum ad exteriora. Et sic erimus totaliter ordinati, & operationes nostræ Deiformes, & Deo acceptæ erunt, quia per eas purgamur, illuminamur, & perficimur. Et ex tunc erimus idonei ad purgandum, illuminandum, & perficiendum alios dispositiue, quia sumus coadiutores Dei, qui solus hoc facit effectiue. De hoc vide supra itinere tertio distinct. 4.

Primo igitur, vt tamquam bene ordinati Deiformiter operemur quoad Deum, ad similitudinem supremæ Angelicæ Hierarchiæ, in qua, sicut dicit Bernardus libro 5. de consideratione, Deus in Seraphim amat vt charitas, in Cherubim noscit vt veritas, in Thronis sedet vt æquitas: oportet etiam vt nos, quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, vt summam veritatem cognoscamus, & vt summam æquitatem in nobis teneamus, & sic erimus bene ordinati quoad Deum per Deiformes operationes. Quia sicut dicit Linconiensis super Angelicam Hierarchiam: Intellectus humanus in suo supremo gradu ad intus habet vt ferueat amore cum Seraphim, luceat scientia cum Cherubim, spiritualis factus iudicet omnia cum Thronis.

Bern. lib. 5. de consid. in fi.

Secundo, vt tamquam bene ordinati circa nosmetipsos, Deiformes operationes operemur ad similitudinem mediæ Angelicæ Hierarchiæ, in qua, sicut dicit Bernardus vbi supra, Deus dominatur vt maiestas, operatur vt virtus, tuetur vt salus, oportet vt etiam nos omne impediens participationem diuinæ dominationis superemus, vt opera omnium virtutum secundum gratiam nobis datam studiose agamus, vt omnibus inordinatis motibus, & impulsionibus potenter resistamus, & illa, vt possumus, inferioribus communicemus, & sic erimus bene ordinati in nobis per Deiformes operationes, quia sicut dicit Linconiensis, vbi supra. In media Hierarchia nostra oportet, quod dominemur cum dominationibus, vt fortes simus cum virtutibus, vt ordinati simus cum potestatibus.

Tertio tamquam bene ordinati ad exteriora, operemur Deiformes operationes ad similitudinem infimæ Angelicæ Hierarchiæ, in qua Deus, sicut dicit Bernardus, vbi supra, regit vt principium, reuelat vt lux, & assistit vt pietas; oportet vt omnia exemplariter ad primum principium reuocemus, vt lumen veritatis verbis, & factis aliis ostendamus, vt opera pietatis omnibus deuote exhibeamus, & sic erimus ordinati quoad exteriora per Deiformes operationes: quia sicut dicit Linconiensis vbi supra. In vltima nostra Hierarchia oportet, vt principemur cum Principibus, scilicet media ad primum principium reducendo: vt reuelemus veritatem cum Archangelis, & pie assistamus indigenti cum Angelis. Vt igitur dicit Dionysius, Diuinitas cœlestes animos prius naturaliter mundat, postea illuminat, & illuminatos perficit, ad operationes perfectionis Deo conformes. Hæc ille.

DISTINCTIO V.

Qualiter diuersi gradus vtriusque operationis, vel species distinguantur.

QVinto videndum est qualiter in vtriusque operationibus diuersi gradus vel species distinguantur. Sed quia de operationibus spiritualibus, prout respiciūt vitam contemplatiuam, supra dictum est in tertio itinere, dist. 4. de gradibus contemplationis: ideo modo dicendum est de gradibus operationum, prout respiciunt vitam actiuam. Et primo dicendum est de gradibus operationum virtualium, prout ordinantur ad proximum; secundo vt ordinantur in proprium subiectum: & tertio prout ordinantur ad Deum.

Gradus operationum virtualium, prout modo loquor de virtutibus, consistunt in quattuor virtutibus Cardinalibus, quarum quælibet habet plures gradus, vt ostendit Macrobius libro 1. de quattuor virtutibus, vbi recitat dicta Platonis, qui distinguit quattuor genera virtutum, quarum quædam dicuntur politicæ, quædam purgatoriæ, quædam purgati animi, quædam exemplares. Primæ ordināt hominem, quoad proximum, secundæ quoad subiectum proprium, tertiæ quoad Deum, quartæ perficiunt alias. Politicæ sunt quibus boni viri reipublicæ consulunt, vrbem tuentur, parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt, ciues suos bene gubernant. Purgatoriæ virtutes sunt, inquantum ab his animum ad diuina trahunt. Purgati animi virtutes sunt, in quantum animum innixum diuinis expeditum tenēt. Exemplares, siue heroicæ sunt, quæ in solo Deo sunt, non vt in nobis, sed incomparabiliter excellentiori modo, à quibus omnes virtutes in nos influunt, operantur, & consistunt.

Macrob. li. 1. in somn. Scipionis cap. 8.

Quattuor genera virtutum.

Notandum est igitur, quod Macrobius ibidem quamlibet istarum virtutum distinguit, & diffinit, per quas diffinitiones patent earum gradus siue species, & proprietates.

Virtutum Cardinalium diffinitiones, & gradus.

Primo igitur diffiniens prudentiam primam virtutum Cardinalium, vt est virtus politica, dicit: Prudentia est ad rationis normam vniuersa dirigere. Secundo, vt est virtus purgatoria diffinit eam sic: Prudentia est mundum istum, & omnia, quæ in eo sunt diuinorum comparatione despicere. Tertio, vt est virtus purgati animi diffinit eam sic: Prudentia est diuina non quasi in electione aliis præferre, sed quasi nihil aliud sit intueri, quod perfectum est. Exemplaris autem prudentia, vt est in Deo, est ipsa mens diuina, vel diuinæ mentis regula, qua disponit vniuersa in cœlo, & in terra. Hæc ille Ex his apparere potest, quod primus gradus prudentiæ, vt est virtus politica, facit hominem in omnibus rationabiliter operari, & cum omnibus honeste conuersari. Secundus gradus prudentiæ, vt est virtus purgatoria, mentem altius erigit; quia dum mundana despicit, æterna siue cœlestia prudenter appetit. Tertius gradus prudentiæ, vt est virtus purgati animi, mentem plenius perficit, dum eam in æterna figit, quia sola æterna appetit. Exemplaris autem prudentia, quæ in solo Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit, & consummat: quia omnis prudentia vera à Deo est, vt patet.

Prudentia.

Eccl. 1. a

Secundo, Macrobius secundam virtutem Cardinalem, scilicet, fortitudinem diffinit, & primo, vt est virtus politica, dicens: Fortitudo est, quæ habet mentem super metum erigere, & nihil nisi turpia formidare. Secundo, vt est virtus purgatoria, diffinit eam sic: Fortitudo est animam non terreri corporis cruciatu, ductu philosophiæ præcedente. Tertio, vt est virtus purgati animi, est passiones non tantum vincere, sed omnino penitus ignorare. Exemplaris fortitudo quæ in Deo est, est quod semper idem est, nec vmquam mutatur. Ex his patere potest, quod primus gradus fortitudinis, vt est virtus politica, hominem facit omnem timorem pro vtilitate reipublicæ postponere, & turpia formidare. Secundus gradus fortitudinis, vt est virtus purgatoria, mentem magis confortat, vt nulla pœna temporalis eam terreat: quia ad sola æterna fortiter anhelat. Tertius gradus fortitudinis, vt est virtus purgati animi, mentem in æternis figit: quia cum omnia contraria vicerit, repugnare omnino, & confidenter contemnit. Exemplaris autem fortitudo, quæ in Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit, & consummat. Ipsa enim attingit à fine vsque ad finem fortiter, suauiter disponens omnia.

Ibidem.

Fortitudo.

Sap. 8. a

Tertio, Macrobius virtutem Cardinalem tertiam,

Ibidem.

scilicet temperantiam diffiniens primo, vt est virtus politica, dicit sic: Temperantia est virtus, quæ in nullo moderationis metam excedit. Secundo, vt est virtus purgatoria, diffinit sic: Temperantia est omnia relinquere, nisi quantum natura requirit. Tertio, temperantia vt est virtus purgati animi, est terrenas cupiditates non reprimere, sed obliuisci. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo est, sic est, quod in se perpetua intentione conuersa est. Ex his apparet, quod primus gradus temperantiæ, vt est virtus politica hominem ab excessu, & defectu custodit: quia ei mediũ virtutis in omni operatione ostẽdit. Secundus gradus temperantiæ, vt est virtus purgatoria mẽtem ad æterna perfecte dirigit: quia omnem superfluitatem rerum grauantium firmiter excludit. Tertius gradus temperantiæ, vt est virtus purgati animi mentem æternis infigit: quia concupiscentiam omnis inordinati concupiscibilis penitus extinguit. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo est, prædictos gradus temperantiæ inchoat, deducit, & perficit: quia omni creaturę numerum, pondus, & mensuram tribuit.

Temperantia.

Sap. 11. c

Quarto, Macrobius virtutem quartam Cardinalem, scilicet iustitiam, vt est virtus politica, diffinit, dicens: Iustitia est mundum istum despicere, & dare vnicuiq; quod suum est, scilicet sibiipsi, & proximo, & Deo. Secundo iustitia, vt est virtus purgatoria, est ad veram propositi viam consentire. Tertio iustitia, vt est virtus purgati animi, est cum diuina mẽte perpetuo fœdere sociari. Exemplaris iustitia, vt in Deo est, est quod perenni lege à superna sui operis continuatione non flectitur. Hæc ille. Ex his patet, quod primus gradus iustitię, vt est virtus politica hominem ab omni iniquitate custodit, & cùm omnibus pacifice conuersari docet. Secundus gradus iustitiæ, vt est virtus purgatiua, mentem ad æterna directe trahit: quia iusto ordini rectæ rationis perfecte consentit. Tertius gradus iustitiæ, vt est virtus purgati animi, mentem in æternis figit: quia illam cum Deo perpetuo sociat fœdere. Exemplaris autem iustitia, vt in Deo est, prædictos gradus inchoat, deducit, & perficit, quæ omnem creaturam perpetua, & inflexibili lege iuste regit. Ex his aliqualiter patet, quomodo gradus operationum virtualium differenter sunt in actiuis, & contemplatiuis, & qualiter per virtutes, vt sunt virtutes politicæ, homo ordinatur in operationibus suis quoad proximum: per virtutes, vt sunt purgatoriæ ordinatur quãtum ad seipsum: vt sunt virtutes purgati animi quantum ad Deum. Alias virtutes exemplares, quæ in Deo sunt solum, perficiunt secundum magis, & minus, prout operantes in fide, & charitate opera lucis, eas perfectius, vel minus perfecte participant, vel imitantur.

Ibidem. Iustitia.

DISTINCTIO VI.

Qualiter spiritus per vtramque vitam scilicet actiuam, & contemplatiuam ad æterna ingrediatur.

SExto videndum est, qualiter per vtrasque operationes, scilicet interiores, & exteriores hominis siue vitæ actiuæ, siue contemplatiuæ spiritus humanus ad intrinsecum, & æternale manerium IESV ingrediatur. De quo notandum est, quod sicut dicit Prosper in libro de vita contemplatiua, licet vita actiua, & contemplatiua itineribus disparibus incedant, ad eamdem patriam tamen tendunt. Actiua vita, ait Prosper, habet sollicitum cursum, contemplatiua vero habet gaudium sempiternum, quod non auferetur ab ea in æternum. Item in contemplatiua vita regnum percipitur, in actiua regnum acquiritur. Hæc scilicet actiua, facit te plurimum bonorum copia operum pulsare ianuam, illa, scilicet contemplatiua vocat consummandos in patriam In hac scilicet actiua contemnitur mundus in illa videtur Deus. Hæc ille. Cum his concordat Augustinus in sermone de dedicatione templi, dicens sic: Sicut malis operibus quasi quibusdam vectibus, & seris vitæ nobis ianua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur. Igitur non solum bonis operibus hominis interioris, sed etiam bonis operibus hominis exterioris peruenitur ad æterna, quia Deus reddit vnicuique secundum opera sua, iuxta illud: Opera enim illorum sequuntur illos. Qui bona opera facit, quid aliud, quam ad æterna quasi quibusdam passib. tendit? Et qui æternam vitam quærimus quid aliud, quã quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? ait Gregorius 22. Moralium. Quia quamuis in vsu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas.

Prosper de vi contempl. li. 1 cap. 12.

Aug. ser. 1. in anniuers. dedic. Eccl. vel alt. paulo post prin. de tẽp. 252. t. 10.

Apoc. 14. d

Greg. lib. 22. Mor. cap. 22. paulo post princ.

Et notandum, quod sicut per opera interioris hominis, vt per contemplationem, quandoque fit quædam prælibatio æternæ vitæ: ita, & per opera exterioris hominis fit in eo aliquando similitudo aliqua vel imago æternæ vitæ, sicut dicit Bernardus in libro de amore Dei, vbi dicit sic: Sicut in sanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione diuinitatis, iam futuræ vitę beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & imitati: sic etiam de corporum suorum glorificatione quam plene ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta illa gratia, quam habitantes in vnum seipsis in Deo, & Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis se sentiunt vicisse omnes contradictiones, vt vniuersa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam, & si ipsius miseriis, & infirmitatibus contabescunt, ex hoc ipso in interiori homine fortius conualescunt. Quando enim infirmor, tunc fortior sum, & potens, ait Apostolus. *Sequitur*: Sensus ipsi nouam percipiunt quandam, & prope spiritualem gratiam, oculi simplices, & aures obtemperantes, & aliquando in feruore orationis tanta odoris ignota quædam fragrantia inspirat, tanta gustus, & si non gustando suauitas, tanta per mutuum tactum spiritualis charitatis incentiuum fit, vt videantur sibi intra seipsos spiritualis gratiæ, cuiusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam, & totius corporis compositione vitæ, & morum, & actuum decore, mutuæ etiam seruitutis in illis deuotis exhibitionibus, & piis susceptionibus, cuiusdam gratiæ beneplacito sibi conueniunt inuicem, & conuiuunt, vt vere sit cor vnum, & anima vna. Nimirum corporum suorum gloriam iam hic inchoant vel incipiunt, & puritate conscientiæ, & intimæ conuersationis gratia perfecte habituri eam in futura, & perenni vita pronunciat. Hæc Bernardus. Et Origenes super 7. Canticorum dicit: Concordia hic inchoatur, quæ in futura gloria inter electos cœlestis patriæ semper datur. Hæc enim bonos confortat, in pugna superat, consolatione inebriat, Deo associat, amorem augmentat. Hæc inchoat, quod in cœlo consummatur. Hæc ille. Potest ergo humanus spiritus dicere: Ingrediar in locum tabernaculi tui.

Bern. de natura, & dignit. amor. Diu. c. 10 post med.

2. Cor. 12. d

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis à Domino spiritus humanus inuitatur.

SEptimo videndum est, qualiter spiritus humanus ad veniendum per iter Deiformis actionis, siue meritoriæ operationis ad intrinsecum, & æternum manerium Domini IESV, ab ipso amorose inuitatur dicente: Surge propera amica mea, formosa mea, columba mea, & veni. Dicit igitur: O amica mea, propter operationis meæ hierarchicam imitationẽ. Amica (inquit) mea, quia manus tuæ stillant myrrham. Quod exponens Vercellensis, dicit sic, quod per manus stillantes myrrham significantur operationes hierarchicæ ordinatæ. Nam sicut Deus stillat dona gratiarum, & perfectionem operationum primæ Angelicæ Hierarchiæ, & illa instillat mediæ, & mediæ vltimæ, vt patet per totam Angelicam Hierarchiam: ita anima in suo supremo à Deo recipiens perfectionem suarum operationum circa superiora. Et vt illa stillat in mediam perfectionem suarum operationum circa superiora, respectu interiorum: sic & illa stillat in vltimam mẽtis Hierarchicã perfectionem suarũ operationum respectu exteriorũ. Et hæc est stillatio gratuitæ myrrhæ,

Cant. 5. b

Ibidem.

rhæ, quæ operationes præseruat à putredine vanæ laudis, & fœtore humani fauoris. Surge propter operationis tuæ ostensionem rectam, vt Pater cœlestis honorificetur, & proximus ædificetur, quia opera tua sunt plena coram Deo meo, vt dicitur in Apocalypsi. Opera sunt plena coram Deo, vt Haymo ait, quando virtutes datæ vitiis non commaculantur, & exterius humana gloria non quæritur. Plenitudo enim legis est dilectio, ait Apostolus. O columba mea propter operum tuorum fecundam parturitionem. Quasi enim columba, quæ est auis fecunda, aquas steriles mundi fugiens, & ad meum intrinsecum, & æternum manerium quasi ad arcam salutis confugiés, portans ramum oliuæ virentibus foliis, idest, amorosam voluntatem plenam operibus bonis, ibi vt columba fecunda in foraminibus petræ nidificans, æterna secura parturis opera lucis. Vnde Bernardus super Cantica exponens illud verbum, dicit sic: O amica mea, si quietem desideras, si securitatem affectas, si fecunditatem amas, assume pennas sicut columba, & volans nidifica in vulneribus IESV Christi. Nusquam quies gratior, nusquam securitas tutior, nusquam fecunditas vberior. Vbi hauries, quod pullis ministres. Propera propter operationis tuæ spiritualem refectionem. Dicit enim Origenes super Cantica, De natura boni operis est, quod ipsius multiplicatione multiplicetur etiam dilectio, & delectatio, & quasi quoddam condimentum cibi spiritualis est hilaritas bene operatiua. Nam bonum operatum facit dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Et Gregorius 21. Moralium dicit: Comedere animæ est bonis operibus satiari. Ergo propera, ô formosa mea, propter operum tuorum Deiformem ordinationem. Deiformis autem ordinatio, vt dicit Linconiensis super 3. Angelicæ Hierarchiæ, est renouatio spiritus rationalis, & confortatio ipsius, prout possibile est secundum tria, scilicet amorem, scientiam, & operationem ad Deum, ad quod Deiforme attingit nostra possibilis assimilatio ad ipsum, vt amor referatur ad Spiritum, scientia ad Filium, operatio ad Patrem. *Sequitur*: Est enim in nobis primo amor boni in genere, deinde scientia bonorum in specie, de quibus procedit in operationem singularium bonorum scitorum, & amatorum. Et quasi concludit dicens, quod rationalis creatura debet, vt possibile est secundum amorem, scientiam & operationem Deo assimilari, & ad eius imitationem reduci Deiformiter. Et veni propter operationis tuę plenam remunerationem. Merces enim mea mecum est, dare vnicuique secundum opera sua.

Apoc. 3. a — *Rom. 13. c* — *Greg. lib. 21. Moral. ca. 8. paulo post princ.* — *Apoc. 22. c* — *Cant. 4. c*

Veni ergo ad me de Libano Sponsa mea, veni coronaberis. Hoc verbum exponens Vercellensis dicit, quod omnes tres Hierarchię Sponsæ candore lucis æternæ perfusæ sunt, quasi montes eleuati, & ideo in Libanum conuersæ sunt, qui interpretatur candidatio, quare ter dicitur veni.

Primo igitur dicitur, Veni Sponsa mea de infima Hierarchia tua, quæ perfusa est lumine virtutum politicarum, per quas charitate iam formatas, operaris ordinate circa omnia exteriora exemplo, & doctrina alios ad me reducendo.

Secundo, Veni de media tua Hierarchia, quæ perfusa est lumine virtutum, quæ dicuntur purgatoriæ, per quas operaris ordinate circa omnia tua interiora habitus virtutum, & donorum Deiformiter exercendo, & proficiendo, vt dictum est.

Tertio, Veni de suprema tua Hierarchia, quæ perfusa est lumine virtutum, quæ dicuntur purgati animi, per quas operaris ordinate circa superiora. Deum sinceriter contemplando, & fortiter amando & sursum tendendo, vt coroneris.

Pro operibus enim infimæ Hierarchiæ coronaberis corona gaudiosa. Vnde Sapiens dicit: Circa te corona fructuum quasi plantatio cedrorum in monte Libano, quia de omnibus per exemplum, & doctrinam tuam conseruis gaudebis.

Secundo pro operibus mediæ hierarchiæ coronaberis corona speciosa. Vnde in Apocalypsi dicitur in capite eius corona duodecim stellarum. Per duodenarium signatur vniuersitas perfectionis alicuius, vt patet per Augustinum in libro de ciuitate Dei.

Eccl. 50. b — *Apoc. 12. a* — *Aug. lib. 20. de ciu. Dei c. 5. tom. 5.*

Tertio pro operibus supremæ Hierarchiæ coronaberis corona gloriosa interminabilis æternitatis. Vnde in Prouerbiis: Corona tribuetur ei in generatione, & generationem, idest, sempiternum. Corona nec habet principium neque finem in figura, & significat æternitatem, quæ nec fine, nec principio clauditur.

Prou. 17. d

Veni igitur Sponsa mea, quia mihi, & tibi omnia communia sunt. Vnde Bernardus sermone 7. super Cantica dicit: Non sunt inuenta æque dulcia verba, quibus verbi animæque dulces adinuicem exprimunt affectus quemadmodum Sponsus, & Sponsa, quibus quippe omnia cómunia sunt, nihil proprium, nil à se diuisum habentibus. Vna vtriusque hereditas, vna domus, vna mensa, vnus thorus, vna caro, & secundum Apostolum, Deus, & anima vnus spiritus.

Ber. ser. 7. in Cant. non lõge à prin. — *1. Cor. 6. d*

Vltimo Dominus subiungit huius sanctæ imitationis dulce allectiuum, dicens: Veni, quia vineæ florétes odorem dederunt, qui odor istius itineris medium facit odoriferum, & fugat, & expellit venenata. Quid autem per vineas florentes, & odorem spargentes conuenientius intelligitur, quam fecundæ mentis potentiæ, & capacitates odoriferæ illius sapidæ partis, quæ est vera vitis, quam Pater cœlestis agricola in mentibus humanis, tamquam in horto vinearum sacris inspirationibus plantat, sacramentis vegetat, & bonis operibus maturat, prout gradatim ipsam vineam excolit, vt fructificet? Vnde Hugo libro 2. de arca Noë dicit: Hoc est vere lignum vitæ, verbum Patris, sapientia Dei, quæ in cordibus Sanctorum tamquam in Paradiso inuisibiliter primo per timorem seminatur, post per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per deuotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet, & extendit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam maturescit, per mortem carpitur, per contemplationem cibat. Hæc ille. Cum igitur, vt dicit Dionysius 4. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, IESVS qui est vera sapientia Patris, sit fontana copiosa susceptionum diuinarum suauitatum, & refundat de plenitudine sua diuinissimas fragrantias siue odores ad Deiformes intelligentias, in quibus mentes suauiter delectatæ, & sanctis, & odoriferis susceptionibus adimpletæ vtuntur intelligibili alimento, penetrante ad intimos suos intellectuales sinus secundum suam diuinam participationem bene olentium distributionum, planum est, quod hi, quos sapida sapientia inhabitat, sacris susceptionibus quasi vineæ florentes fecundantur habitibus virtutum, & fructibus bonorum operum perficiútur, & sic tot suaues odores aliis dant, quot exempla odoriferorum operum euaporant. Vnde Paulus dicit: Deo autem gratias, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Bonus enim odor Christi sumus, his, qui salui fiunt, qui bono odore recreantur, & his qui pereunt, qui bonum odorem abominantur, sicut bufones bonum odorem vineæ florentis. De hoc odore require supra itinere 6.

Hugo li. 2. de arc. Noe cap. vlt. — *2. Cor. 2. d*

Vineæ igitur florentes dicuntur fecundæ mentis potentiæ, & capacitates odoriferæ, quas cœlestis agricola inhabitans, & excolens, facit eas floridas, & odoriferas. Floridas per verbum veritatis, odoriferas per scriptum charitatis. Dionysius dicit, quod Filius, & Spiritus sanctus, quasi quædam pullulationes à Patre originem habent, & quasi quidam flores, & supersubstantialia lumina ab ipso lumine, vel patre luminum existunt. Vnde agricola cælestis dicit: Veni auster, perfla hortum meum vt fluant aromata illius. Quod verbum exponens Vercellensis dicit: Sponsa hic inuitatur ad perfectionem hierarchieæ operationis. Auster enim est ventus calidus, & purus, & per eum potest intelligi verbum quantum ad puritatem veritatis; & Spiritus sanctus quantum ad calorem charitatis. Dicit igitur agricola cœlestis: Veni

Dionys. de diui. nom. ca. 2. — *Cant. 4. d*

auster, persla hortum meum, idest, supremam Hierarchiam, quam speciali zelo tamquam hortum voluptatis fœcundam operibus veritatis, & odoriferis exemplis, vt producat vinum germinans virgines, & virgineas mentes; & aromata illius, & participationes luminum odoriferorum fragrantis mentis fluant hierarchicæ, idest, fluant de summa mentis hierarchia in mediam, & de media in infimam, vt sic mens exerceatur ad perfectionem hierarchicæ operationis, scilicet vt fortiter & incessanter extēdatur sursum ad Deum, ad hauriendum diuinum odoriferum lumen, quod vineam maxime fœcundat, & perficit: & secundo haustum lumen odoriferum firmiter in se custodiat, & exerceat: tertio illud lumen odoriferum aliis hominibus sine decremento luminis sui, veris doctrinis, & odoriferis exemplis communicet, vt dicere possit illud Ecclesiastici: Ego sicut vitis fructificaui odorem suauitatis.

Eccl. 24. c

Tota igitur Trinitas has vineas inhabitat, Pater in memoria, operarios ad laborandum excitās sacris inspirationibus: Filius in intelligentia operarios ad prudenter laborandum claris veritatibus illuminans: Spiritus sanctus in voluntate, operarios ad laborandum exe[illegible] plantei feruidis affectionibus inflammans. Vnde Origenes dicit sic, Delitiosus intuitus memoriæ per Patrem confortatæ, intelligentiæ per Filium illuminatæ, & voluntatis per Spiritum sanctum expeditæ ad operandum: quia Deo existente in vineis Engaddi, tanto ero remotior, quanto sterilitati propinquior. Et ibidem dicit: O amica mea conuertere in requiem tuam, idest, in Deum tuum, vt in te tamquam in speculo imaginem suam expressiuā repræsentet, in tē ineffabiliter delectetur, & familiariter congratuletur, te eleuet innouando, te innouet decorādo, te decoret amando, te amet inhabitando, te à casu futuro præueruet præcauendo, & te lætificet de conuersione gratias agendo. Hæc ille.

Orig. super Cant. c. 6.

Spiritus igitur noster ad veniendum, iam à Domino amorose inuitatus, & ex hoc ad ambulandū prædicta itinera æternitatis vigorose animatus, & amorose, & gratiose à Patre tractus, competenter petit dilectum inuitantem horum itinerum esse socium, ducem, ductorem, & conseruatorem quia ipse est via, veritas, & vita. Ipse est via per quam imus de qua Isaias dicit: Hęc est via, ambulate in ea. Et Augustinus super Ioannem dicit sic: Verbum assumendo hominem factum est via. ambula per hominem, & peruenies ad Deum. Ipse est veritas per quam perueniemus, quia veritas est finis ænigmatum. Vnde Ioannes ait: Videbimus eum sicuti est. Neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Ipse est vita, in qua permanebimus in æternum. Vnde dicitur in Prouerbiis: Qui me inuenerit, inueniet vitam, scilicet æternam.

Isa. 30. c
August. de verb. Dom. ser. 55. prope fin. tom. 10.
1. Ioan. 3. a
Prou. 8. d

Dicit igitur spiritus amans confidenter illud verbum Canticorum: Veni dilecte mi ad sitibundam æternorum intentionem, quantum ad iter primum, scilicet rectæ intentionis: ingrediamur in agrum per deuotam æternorum meditationem, quantum ad iter secundum: cōmoremur in vallibus per limpidam æternorum contemplationem, quantum ad iter tertium: mane surgamus ad veniendum per inebriantem æternorum dilectionem, quātum ad iter quartum: videamus si vinea floruit, per pullulantem æternorum reuelationem, quantum ad iter quintum: si flores fructum parturiunt, per experimentalem æternorum prægustationem, quantum ad iter sextū: floruerunt mala punica per collium æternorum Deiformem operationem, quantum ad iter septimum. Sic ibit homo in domum æternitatis suæ. In qua, sicut dicit Auctor de spiritu, & anima, erit manifesta visio, plena cognitio, vera dilectio, firma coniunctio, societas indiuidua, similitudo perfecta, vita beata in æternum, & vltra, in perpetuas æternitates. Odor autem, & dulcedo prælibatur prædictorum, & gustatur à spiritibus ambulantibus in prædictis itineribus, ex quo velocius currunt. Vnde Gregorius 15. Moralium dicit: Superiora amare iam sursum ire est, dumque magno desiderio ad cælestia homo inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit, iam degustat. Ex quo spiritus itinerans maxime cololatur, consolatus currendo calescit, calefactus deuotione mollescit, mollificatus amando liquescit, liquefactus feruendo sursum effluit, vt nusquam nisi in æternitate sistere, & quiescere velit. Vnde Origenes dicit sic, quasi admirando: Diuinæ consolationis dulcissimus affectus, vt audio, est liquefactio. Liquescit enim mens cum deuotione mollescit, vt Sponsus in ea suauiter cubet, & nihil ei duri obsistat. Liquescit dum deuotione calescit, vt dilectus in ea calorem diuini amoris inueniat, vt quasi quidam contactus spiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liquescit, quia dum deuotione supereffluit, vt Deus solum plenum dominium in ea obtineat, tunc omnes motus, omnes nisus, omnes impetus eius æternitate feliciter terminat. Hæc ille. Ad quam domum æternitatis nos perducat, conducat, & inducat, qui est trinus, & vnus Deus in æternum benedictus Amen.

Cant. 7. d
Eccles. 12. b
Greg. li. 15. Mor. cap. 27. [illegible] fin.
Orig. super Cant. cap. 2.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur,

INCENDIVM AMORIS.

Multis nominibus reperitur inscriptus liber hic in hactenus impressis. Nam Paruum bonum, Regimen conscientiæ, Itinerarium in seipsum, Fons vitæ, vel Incendium amoris appellari, opuscula S. Bonauenturæ Venetiis vltimo edita testantur. Trithemius autem Regimen conscientiæ, idest, paruum bonum inscribit, eiusque principiū esse ait: Ecce descripsi eam tibi, *& inter Opuscula S. Bonauenturæ connumerat. Libuit autem magis in hac Vaticana editione, Incendium amoris inscribere, ne confingeretur titulus alius ab eo, quem Auctor ipse libro suo tribuit. In fine enim prologi sequentis ita ait;* Istius libri titulus Incendium amoris dicatur. *Ex quibus verbis satis constat, quæ sit legitima huius Opusculi inscriptio, Intentionem vero suam in prologo itidem Auctor manifestat. Si quis vero seipsum cognoscere, & vitam secundum Deum instituere desiderat, hunc tractatum studeat memoria retinere, & opere exercere.*

CAPITA HVIVS OPVSCVLI.

PROLOGVS.

EVIGILANS vero, animam meam tamquam frigiditate tenebratam calescere conor, quam in deuotione desertam scio incendi, & ingenti nimirum desiderio super terrigenas eleuari. Non enim in otio aduenit mihi affluentia amoris æterni, neque dum corporaliter fueram nimis aggrauatus, & fatigatus præ itinere ardorem ipsum spiritualem potui sentire, aut etiam immoderate occupatus solatiis, vel vt cuidam vltimæ dispositioni deditus: immo me in talibus refrigescere deprehendi, donec iterum postpositis omnibus, quibus exterius possem

detiner

detineri, solummodo Saluatoris aspectibus assistere contenderem, in internisque odoribus immorare. Istum ergo librum offero intuendum non philosophis, non mūdi sapientibus, non magnis Theologis infinitis quæstionibus implicatis, sed rudibus, & indoctis, magis Deum diligere, quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem ea, quæ hic continentur, ab istis quæstionariis, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, nō posse intelligi: vnde nec eis scribere decreui, nisi postpositis, & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solis conditoris in ardescant desideriis mancipati. Primo quidem vt omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiæ, & vanam gloriam odiant: ac demum paupertati altissimæ se conformantes, orando, & meditando, diuinæ dilectioni iugiter assistant. Si nimirum apparebit eis interius igniculus quidam virtutis increatæ, & componens cor eorum ad capiendum calorē, quo cuncta caligo consumetur: eleuabit eos in ardorem amabilem, & amœnissimum, vt temporalia transcendāt, & thronum teneant in termino tranquillitatis. Quo enim scientiores sunt, eo aptiores sunt, vel essent ad amādum, si vere spernerent seipsos, & ab aliis sperni gauderēt. Proinde quia hic vniuersos excito ad amorem amorisq; superferuidum ac supernaturalem affectum, vtrumque ostendere conabor. Istius libri titulus, Incendium amoris dicatur.

CAPVT I.

De triplici modo se exercendi circa triplicem viam sapientiæ, & primo de meditatione.

Prou. 22. c

Ecce descripsi eam tibi tripliciter, ait Sapiens. Cum omnis scientia debeat gerere Trinitatis insigne, præcipue illa sciētia, quæ in sacra Scriptura docetur, debet in se repræsentare vestigium Trinitatis. Propter hoc Sapiēs eam tibi tripliciter descripsisse dicit, propter triplicem ipsius intellectum spiritualem, moralem, scilicet allegoricum, & anagogicum. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui hierarchico, scilicet purgationi, illuminationi, & perfectioni. Purgatio autem ad pacem ducit, illuminatio ad veritatem, perfectio ad charitatem. Quibus perfecte adeptis, anima beatificatur, & secundum hoc quod circa hæc versatur, suscipit meriti incrementum. In horum igitur trium cognitione, dependet scientia totius Theologiæ, & meritum vitæ æternæ.

Quidam alius liber habet sic: *Sciendū igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, & contemplando.

*Sciendum ergo est, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet legendo, meditando, & orando: lectio est diffusior, meditatio est breuior, oratio est compendiosior. Lectio enim huius triplicis viæ totam continet sacram Scripturam, immo fere omnem sanam doctrinam, sicut ostensum est supra, in tractatu de reductione omnium artium ad Theologiam. Primo meditationis formam breuiter libeat intueri. Sciendum ergo, quod tria sunt in nobis, secundum quorum vsum in hac triplici via exercemur, scilicet stimulus conscientiæ, radius intelligentiæ, & igniculus sapientiæ. Si ergo vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum: si illuminari, ad intelligentiæ radium: si perfici, ad sapientię igniculum secundum consilium B. Dionysij ad Titum: vbi eum hortatur, dicens: Verte te (inquit) ad radium, &c.

Ad stimulum conscientiæ debet homo exercere seipsum, hoc modo meditando in via purgatiua, scilicet vt primo seipsum exasperet, secundo exacuat, tertio dirigat. Nam exasperandus est recordatione peccati, exacuendus circūspectione sui, & rectificandus consideratione boni.

Peccatorū recordatio quomodo fieri debeat.

Peccati autem recordatio debet esse in hunc modum, vt arguat se animus, de multiplici negligentia, & concupiscentia, & nequitia. Fere enim omnia peccata, & mala nostra, siue cōtracta, siue acta, reduci possunt ad hæc tria. Circa negligentiam autem attende, quod primo debet recogitare homo, si in se fuerit negligentia scilicet cordis custodiendi, temporis expendendi, & finis intendendi. Hæc enim tria sunt ab omnibus summa cum diligentia obseruanda, scilicet vt cor bene custodiatur, tempus vtiliter expendatur, & finis debitus in omni opere præfigatur. Secundo debet homo cogitare si negligens fuerit in oratione, in lectione, & in boni operis executione. In his tribus debet vnusquisque diligenter ac solicite se exercere, & excolere, vt possit fructum bonum dare in tempore suo, eo quod vnum horum sine altero nequaquam sufficiat. Tertio debet cogitare solicite, si negligens fuerit ad pœnitendum, ad resistendum, & ad proficiendum. Debet enim vnusquisq; cum summa diligentia deflere culpam commissam, repellere tentationem diabolicam, proficere de vna virtute in aliam, vt sic possit peruenire ad terram promissam.

Circa concupiscentiam autem debet cogitare homo, si in eo viuat concupiscentia voluptatis, curiositatis, & vanitatis, quæ sunt radices totius mali. Primo igitur recogitanda est concupiscentia voluptatis, quæ tunc in homine viuit, si fuerit in eo appetitus dulcium, mollium, & carnalium. Hoc est si homo quærat cibaria saporosa, vestimenta delitiosa, & oblectamenta luxuriosa. Quæ omnia non solū reprehensibile est appetere cū consensu, sed etiā debet homo respuere primo motu. Secundo recogitanda est concupiscentia curiositatis, si viuat vel vixerit in homine. Hoc autem deprehenditur, cum quis appetit scire occulta, videre pulchra, & habere chara. In omnibus his est vitium auaritiæ, & curiositatis. Multum reprehensibile est hoc in homine. Tertio recogitanda est concupiscentia vanitatis, quę tunc viuit in homine, si in eo fuerit appetitus fauoris, laudis, & honoris. Quæ omnia vana sunt, & hominem vanum reddunt: & ita fugienda sunt sicut concupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia arguere cor humanum.

Circa nequitiam autem debet cogitare homo si in se vigeat, vel aliquando viguerit iracundia, inuidia, & acedia. Quæ faciunt hominem nequam. Primo cogitanda est iracundiæ nequitia, quæ consistit in animo, in signo, & in verbo, vel in corde, in facie, & in clamore, vel in affectu, affatu, & effectu. Secundo recogitanda est nequitia inuidiæ, quæ in aliena prosperitate tabescit, in aliena aduersitate hilarescit, & in aliena mendicitate refrigescit. Tertio recogitanda est nequitia acediæ, ex qua oriuntur suspiciones malæ, cogitationes blasphemæ, & detractiones malignæ. Omnis enim talis nequitia admodum detestanda est. Ex hac trifaria recordatione triplicata, debet exasperari stimulus conscientiæ, & amaricari anima, vt possit homo consequi salutem.

Tria sunt homini circa se consideranda.

Viso qualiter exasperari debeat stimulus conscientiæ in recordatione peccati, videndum est qualiter sit exacuendus stimulus in circumspectione sui. Tria autem debet homo circa se circumspicere, scilicet diem mortis imminentem, sanguinem Christi recentem, & faciem iudicis præsentem. In his tribus acuitur stimulus conscientiæ contra omne malum. Primo namque acuitur dum considerat homo diem mortis, quia est indeterminabilis, ineuitabilis, & irreuocabilis. Quem si diligenter inspiciat, diligentissime laborabit, vt dum tempus habet purgetur ab omni negligentia, & concupiscentia, & nequitia. Quis enim moraretur in culpa, qui non est certus de die crastina? Secundo acuitur dum considerat homo sanguinem Christi effusum pro humano corde excitando, pro eodem abluendo, & pro ipso mollificando. Vel effusum pro humana immunditia mundificanda, pro humana morte viuificanda, & pro humana ariditate fecūdanda. Quis enim tam hebes, vt permittat in se regnare culpam negligentiæ, concupiscentiæ, vel nequitiæ, qui cogitat se perfusum illo pretioso sanguine? Tertio acuitur dum considerat homo faciem iudicis, quæ est infallibilis, inflexibilis, & infugibilis. Nullus enim potest aliquo modo fallere eius sapientiam, flectere iustitiam, effugere vindictam. Quia ergo nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum: quis non acuetur ex hac consideratione contra omne malum?

Tria bona meditanda circa rectificationem stimuli conscientiæ.

Post hæc videndum est, quomodo stimulus conscientiæ sit rectificandus in consideratione boni. Tria autem sunt bona meditanda, in quorum acquisitione rectificatur stimulus conscientiæ, scilicet strenuitas contra negligentiam, seueritas contra concupiscentiam, & benignitas contra nequitiam. His enim tribus habitis, fit conscientia bona, munda, & recta. Et hoc est quod dicitur in Michæa: Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. In quibus verbis tanguntur illa tria prædicta. Similiter, & Dominus hæc eadem tangit in Luca dicens: Sint lumbi vestri præcincti.

Mich. 6. b

Luc. 12. b

Primo igitur inchoandum est à strenuitate, quæ viam præbet aliis. Licet autem eam sic describere: Strenuitas est quidam vigor animi, excutiens omnem negligẽtiam, & disponens animam ad faciendum bona opera, vigilanter, confidenter, & eleganter. Hæc est quæ viam præbet ad omnia bona sequentia. Secundo sequitur seueritas, quæ est quidam vigor animi restringens omnem cõcupiscentiam, & habilitans animam, ac feruentem reddens eam ad amorem asperitatis, paupertatis, & vilitatis. Tertio sequitur benignitas, quæ est quidam dulcor animæ, excludens omnem nequitiam, & habilitans animã, ad beneuolentiam, tolerãtiam, & ad internam lætitiam. Et hic est terminus purgationis secundum viam meditationis. Nam omnis conscientia munda læta est, & iucunda. Qui igitur vult purgari, vertat se modo prædicto ad stimulum conscientiæ. In prædicta tamen exercitatione à quolibet præmissorum potest inchoari nostra meditatio. Transeundum est etiam ab vno in aliud, & tamdiu immorandum, quousque tranquillitas, & serenitas acquiratur, & percipiatur, ex qua oritur spiritualis iucunditas. Qua adepta, promptus est animus vt sursum tendat. Incipit ergo via ista à stimulo conscientiæ, & terminatur in affectum spiritualis lætitiæ, exercetur in dolore, & consummatur in amore.

Strenuitas quid.

Seueritas quid.

Benignitas quid.

Via illuminatiua.

Secundo loco post viam purgatiuam, sequitur illuminatiua. In qua se debet homo exercere ad radium intelligentiæ hoc ordine. Nam radius intelligentiæ est primo protendendus ad mala dimissa, secundo dilatandus ad beneficia commissa, tertio reflectendus ad præmia promissa. Protenditur autem radius intelligentiæ ad mala dimissa, dum solicite pensantur mala, quæ Dominus indulsit: quæ tot sunt, quot sunt peccata quæ commisimus, & tam magna, quantis eramus malis astricti, & quãtis bonis priuati. Et hæc meditatio satis patet ex præcedenti. Nec hoc solum attendendum est quanta mala cõmisimus, sed etiam considerandum est, in quanta mala incidissemus, si Dominus permisisset. Et cum hæc diligenter pensantur, per radium intelligentiæ tenebræ nostræ illuminantur. Et talis illuminatio coniuncta debet esse gratitudini affectionis, alioquin non est illuminatio cœlestis, ad cuius splendorem videmus sequi calorem. Vnde gratiæ hic agendæ sunt pro dimissione malorum commissorum, vel possibilium committi, infirmitate, necessitate, & voluntatis peruersitate.

Secundo videndum est, qualiter iste radius intelligentiæ dilatetur in consideratione beneficiorum commissorum, quæ quidem sunt in triplici genere. Quædam enim spectant ad complementum naturæ, quædam ad adiutorium gratiæ, & quædam ad donum superabundantiæ. Ad complementum naturæ spectat, quod dedit Deus ex parte corporis, scilicet, membrorum integritatem, complexionis sanitatem, & sexus nobilitatem. Ex parte sensus, visum perspicuum dedit, auditum acutum, & sermonem discretum. Ex parte animæ, ingenium clarum, iudicium rectum, & animum bonum dedit. Ad adiutorium autem gratiæ, spectat primo, quod dedit gratiam baptismalem, qua deletur culpa, restituitur innocentia, & confertur iustitia. Et per hoc dignum facit vita æterna. Secundo, quod dedit gratiam pœnitentialem quantum ad animi voluntatem, temporis opportunitatem, & religionis sublimitatem. Tertio, quod dedit gratiam sacerdotalem per quam fecit dispensatores doctrinæ, dispensatores indulgentiæ, & dispensatores Eucharistiæ. In quibus omnibus secundum plus, & minus dispensantur verba vitæ. Ad donum autem superabundantiæ spectat, quod primo dedit totum mundum, scilicet inferiora ad obsequium, paria ad meritum, & superiora ad patrocinium. Secundo dedit Filium suum, & hoc in fratrem, & amicũ, in pretium nostrum, & in cibum quotidianum. Primum in incarnatione, secundum in passione, & tertium in altaris consecratione. Tertio dedit Spiritum sanctum: & hoc in signaculum acceptionis, in priuilegium adoptionis, & in annulum desponsationis. Et per hoc fecit animam christianam, vere suam amicam filiam, & sponsam. Hæc omnia sunt mira, & ineffabilia: & in eorum meditatione ad modum sponsæ anima debet esse Deo grata.

Tertio circa viam illuminatiuam, videndum est qualiter iste radius intelligentiæ per meditationem est reflectendus: vt ad fontem totius boni reuertatur, recogitando præmia promissa. Considerandum est ergo solicite, & frequenter pensandum: quod Deus, qui non mentitur, credentibus diligentibus se promisit veraciter amotionem omnium malorum, associationem omnium Sanctorum, & impletionem omnium desideriorum in seipso, qui origo est, & finis omnium bonorum. Qui est tantum bonum, quod excedit omnem petitionem omnem desiderij dilatationem, & omnem æstimationem. Et nos tanto bono dignos reputat, si diligimus, & appetimus eum super omnia, & propter se: & ideo cum omni desiderio, & affectu ac beneuolentia, debemus in ipsum tendere.

Postremo sequitur, qualiter nos exercere debemus ad igniculum sapientiæ. Hoc autem faciendum est hoc ordine. Quia iste igniculus sapientiæ sollicite ac diligenter est primo congregandus, secundo inflammandus, & tertio subleuandus. Congregatur autem, per reductionem affectionis ab omni amore creaturæ à cuius amore reuocari debet affectio. Quoniam amor creaturæ non proficit: & si proficit, non reficit & si reficit, non sufficit. Ideo omnis amor talis ab affectu: debet omnino elongari.

Secundo inflammandus est igniculus iste, & hoc ex conuersione affectionis super amorem Sponsi. Et hoc quidem fit, vel comparando ipsum amorem ad seipsum, vel ad affectum supernorum ciuium, vel ad ipsum Sponsum. Tunc autem hoc fit quando attendit, quod per hunc amorem potest in nobis suppleri omnis indigentia, & quod per amorem est in beatis omnis boni abundantia, & quod per amorem habetur ipsius summi desiderabilis præsentia. Hæc enim sunt, quæ affectum inflammant.

Tertio subleuandus est igniculus iste, & hoc suprà omne sensibile, imaginabile, & intelligibile, hoc ordine, vt homo immediate de ipso quem perfecte optat diligere, primo meditando discat, quod ille, quẽ diligit, non est visibilis, audibilis, nec odorabilis, gustabilis, tangibilis, aut sensibilis: immo totus desiderabilis. Secundo cogitet, quod ille, quem diligendo quærit, non est terminabilis, figurabilis numerabilis, circumscriptibilis, commutabilis, aut imaginabilis, sed totus desiderabilis. Tertio cogitet, quod ille, quem diligit, non est demonstrabilis, diffinibilis, opinabilis, æstimabilis, inuestigabilis, aut intelligibilis, sed totus desiderabilis.

Ex his autem liquide patet, qualiter ad sapientiam sacræ Scripturæ perueniri potest, meditando, scilicet circa viam purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam. Et non solum sacræ Scripturæ continentia, immo omnis meditatio nostra debet versari circa ista. Nam omnis meditatio sapientis, aut est circa opera humana, cogitando, scilicet quid homo fecerit, & quid debeat facere, & quæ sit ratio mouens: aut circa opera diuina, cogitando, scilicet quanta Deus homini commiserit, quod omnia fecit propter hominẽ, quanta dimiserit, & quanta repromiserit, & in hoc clauduntur opera creationis, reparationis, &

glorifi-

glorificationis: aut circa vtrorumque principia, quæ scilicet sunt Deus & anima, qualiter hæc ad inuicem sunt copulanda. Et in hoc debet stare omnis meditatio nostra, quia est finis omnis cognitionis, & operationis, & est sapientia vera, in qua est cognitio per veram experiētiam. In huiusmodi autem meditatione tota anima nostra debet esse intenta secundum vires suas scilicet secūdum rationem, & synderesim, conscientiam & voluntatem. Nam in huiusmodi meditatione, ratio percunctando affert propositionem, synderesis sentētiando profert diffinitionem, conscientia testificando infert conclusionem, & voluntas præeligendo defert solutionem. Verbi gratia. Si quis velit meditari circa viam purgatiuam, debet ratio quærere, quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violauit. Synderesis respondet, quod aut debet disperdi, aut lamentis pœnitentię purgari. Conscientia assumit: Tu es ille, ergo vel oportet te damnari, aut stimulis pœnitentiæ affligi. Deinde voluntas præelegit, scilicet quod recusat damnationem æternam, & assumit voluntarie pœnitentiæ lamenta. Iuxta hunc modum in vijs alijs incedendum est.

CAPVT II.

De oratione quomodo per eam veniatur ad sapientiam veram.

POstquam diximus, qualiter ad sapientiam verā peruenitur, legendo & meditando videndum est nunc, qualiter ad ipsam peruenitur orando. Sciendum autem est, quod in oratione sunt tres gradus, siue partes ipsam perficientes: quorum primus est, deploratio miseriæ: secundus, imploratio misericordiæ: & tertius, exhibitio latriæ. Latriæ autem cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab eo gratiam consequamur. Misericordiam vero Dei ad dandam gratiam nō possumus inflectere, nisi per deplorationem & expositionem nostræ miseriæ & indigentiæ. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes. Non enim sufficit vna sine altera, nec perducit ad metam perfectam, & ideo hæc tria sunt semper iungenda.

Orationis partes tres.

Deploratio autem miseriæ circa quamcunque miseriam fit, siue pro perpetratione culpæ, siue pro amissione gratiæ, siue pro dilatione gloriæ: hæc tria debet habere scilicet dolorē, pudorem, & timorem. Dolorem propter damnum, siue incommodum: pudorem, propter opprobrium siue inhonestum: timorem, propter periculum siue reatum. Ex memoria enim præteritorum oritur dolor dum recordatur, quid omisit, quia præcepta iustitiæ: quid commisit, quia prohibita culpæ: quid amisit, quia gratuita vitæ. Ex intelligentia præsentium oritur pudor, dum attendit, vbi sit, quia longe in imo, quæ fuerat prope in summo: qualis sit; quia fœda in luto, quæ fuerat pulchra imago: quæ sit, quia ancilla, quæ fuerat libera. Ex prouidentia futurorum oritur timor, dum præcogitat, quo tendat, quin ad inferos properat gressus eius: quid occurrat, quia iudicium ineuitabile, iustum tamen: quid assequatur, quia stipendium mortis æternæ.

Prou. 5.a

Imploratio autem misericordiæ circa quamcunque gratiam inuocetur, debet esse cum affluentia desiderij, quod habemus à Spiritu sancto, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: cū fiducia spei, quam habemus à Christo, quia mortuus est pro nobis omnibus: cū diligentia implorandi subsidij, quod quærimus à Sanctis omnibus. Quando enim hæc tria concurrunt, tunc imploratur efficaciter diuina misericordia. Affluentiam desiderij habemus à Spiritu sancto, quia per ipsum sumus à Patre in Filio prædestinati æternaliter: per ipsum sumus renati in baptismo spiritualiter: & quia per ipsum sumus congregati in Ecclesia vnanimiter. Confidentiā spei habemus à Christo Domino, quia pro nobis obtulit se in cruce in terra, quia pro nobis offertur à matre Ecclesia in sacramento altaris, in sui memoriam: & quia pro nobis apparet vultui Patris in cælo in gloria. Diligentiam implorandi subsidij à Sanctorum consortio, habemus ab Angelorum ministrantium patrocinijs, à beatorum triumphantium suffragijs, & à iustorum militantium meritis.

Rom. 8.e

1. Pet. 2.d

Exhibitio autem latriæ ex quacumque gratia Deus colatur, debet habere tria. Primo enim ob gratiam impetrandam, debet cor nostrum incuruari ad Dei reuerentiam, & adorationem. Secūdo debet dilatari ad beneuolentiā, & gratiarum actionem. Tertio debet eleuari ad cōplacentiam, & mutuam allocutionem, quæ est Sponsi & Sponsæ, quam docet Spiritus sanctus in Canticis. In qua si recto ordine fiat, mira est exultatio & iubilatio: ita vt ducatur homo in excessum, & faciat animam dicere: Bonum est nos hic esse. Et hic debet oratio nostra terminari. Nec ante debet homo desistere, donec ingrediatur in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei: vbi in voce exultationis est sonus epulantis. Vt autem incurueris ad reuerentiam, admirare immensitatem diuinam, & intuere modicitatem tuam. Vt dilateris ad beneuolentiam, attende benignitatem diuinam, & vide indignitatem tuam. Vt eleueris ad complacentiam, recogita charitatem diuinam, & considera tepiditatem tuam: vt ex huius collatione peruenias in excessum mentis.

Mat. 17.a

Psal. 41. b

Sciendum autem, quod reuerentiam debemus exhibere Deo tripliciter. Primo tanquam Patri, à quo formati, reformati, & educati. Secundo tanquam Domino, à quo eruti de ore inimici, redempti de carcere inferni, & conducti in vineam Domini pro munere Paradisi. Tertio debemus exhibere Deo reuerentiam, tanquam iudici, coram quo accusati, accusat enim clamor conscientię: coram quo conuicti, conuincit enim euidentia vitæ: & coram quo confessi, confitetur enim aspectus diuinæ sapientiæ, vnde contra nos de iure debeat sententia proferri. Et prima quidem reuerentia debet esse magna, secunda maior, tertia maxima. Vnde prima est admodum inclinationis, secunda admodum genuflexionis, & tertia admodum prostrationis. In prima nos subijcimus, in secunda nos deijcimus, in tertia nos abijcimus. In prima reputamus nos paruos, in secunda minimos, in tertia vero nullos.

Deo tripliciter exhibenda reuerentia.

Beneuolentiam autem debemus simili modo Deo tripliciter exhibere: scilicet magnam, maiorem & maximam. Magnam cōsideratione infirmitatis nostræ: maiorem consideratione magnitudinis gratiæ suæ: & maximam consideratione immensitatis misericordiæ suæ. Et magnam pro commissis, maiorem pro dimissis; & maximam pro promissis. Vel magnam pro complementis naturæ, maiorem pro indumentis gratiæ, & maximam pro donis supererogantiæ. In prima cor extenditur, in secūda aperitur, vt in Canticis dicitur: Aperi mihi soror mea: & in tertia effunditur, vt in Threnis dicitur: Effunde super aquam cor tuum ante conspectum Domini.

Deo tripliciter beneuolentia præstanda.

Cant. 5. b

Thren. 4. f

Complacentiam autem triplici modo debemus Deo exhibere toto corde. Primo, vt sic coaptetur complacentia nostra ad Deum, vt vnicuiq; placeat, quod solus Deus placeat sibi. Secundo, vt ei hoc placeat, quod ipse placeat soli Deo. Tertio, vt hoc ei placeat, quod in hac cōplacentia ceteri communicent. In prima est magna, in secunda maior, & in tertia maxima. In prima est amor gratuitus, in secunda est amor debitus, & in tertia est amor ex vtroque permixtus. In prima crucifigitur mundus homini, in secunda crucifigitur homo mundo, & in tertia crucifigitur homo pro mūdo, vt pro omnibus velit homo mori, vt & ipsi placeant Deo. Et hic est gradus & status perfectæ charitatis, ante cuius assecutionem nemo debet se æstimare perfectum. Tunc autem hanc perfectionem homo assequitur, quando cor suum inuenit non solum voluntarium, sed etiam auidissimum ad moriēdum pro salute proximorum, secundum quod Apostolus dicebat: Libentissime impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Ad hanc perfectam dilectionem proximi non peruenitur, nisi prius perueniatur ad perfectam dilectionē Dei, propter quem diligitur proximus, qui non est diligendus nisi propter Deum. Et propterea ad intelligendam perfectionem in dilectione Dei, sciendum est,

Complacētia tripliciter Deo exhibenda toto corde.

2. Cor. 12. e

dum est, quod sex sunt gradus, quibus paulatim & ordinate proceditur, vt ad perfectionem perueniatur. Quorum primus est suauitas secundus auiditas, tertius saturitas, quartus ebrietas, quintus securitas, sextus tranquillitas.

Primus itaque gradus est suauitas, vt homo addiscat gustare quam suauis est Dominus. Et hoc quidem fit vacando, & sabbatizando ei per sanctas meditationes, secundum quod dicitur in Psalmo: Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Quod quidem fit, quando meditationes circa amorem Dei, suauitatē pariunt in corde.

Psal. 75. b

Secundus gradus est auiditas, quādo scilicet anima assuefieri cœperit circa illam suauitatem, & nascitur in ea tanta esuries vt nihil eam possit reficere, nisi eum quem amat, possederit perfecte. Quod quia non potest in præsenti attingere, quia adhuc longe est, continue excedit & egreditur extra per amorem ecstaticum, clamās & dicens illud beati Iob: Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea Et illud Psalmi: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Iob. 7. c *Psal. 41. a*

Tertius gradus est saturitas, quę oritur ex ipsa auiditate. Qui enim vehementissime Deum desiderat, & sursum fertur, iam omne quod deorsum videt, vertitur ei in fastidium. Vnde quasi saturatus non potest refectionem inuenire in aliquo, citra ipsum dilectū. Et sicut saturatus si cibum sumat, incurrit potius abominationem quam refectionem, sic in hoc gradu charitas facit circa omne creatum. Vnde dicit Sapiens: Anima saturata calcabit fauum.

Prou. 27. a

Quartus gradus est ebrietas quæ oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit, quod quis tanto amore diligat Deum, vt iam non solum fastidiat solatium terrenum, sed etiam delectetur, & quærat tormentum pro solatio, & amore illius, quem diligit, delectetur in pœnis, opprobrijs & flagellis cum Apostolo. Vnde, sicut ebrius seipsum denudat sine pudore, & sustinet plagas sine dolore; sic in isto intelligendum est. Vnde: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.

2. Cor. 12. c *Act. 5. g*

Quintus gradus est securitas, quæ oritur ex ebrietate. Ex hoc enim quod anima sentit se tantum amare Deum, quod libenter sustinet, propter ipsum omne damnum, & omne opprobrium, iam foras mittitur timor, & tantū concipit anima spem de adiutorio Dei, vt nullo modo existimet se posse separari ab eo. In hoc gradu erat Apostolus, cum dicebat: Quis nos separabit à charitate? &c. Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita, & cetera, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro.

Rom. 8. g

Sextus gradus est vera & plena trāquillitas, per quam est tanta pax & requies in anima, vt quodam modo sit in silētio, & somno, & velut in arca Noe collocata, vt nullo modo perturbetur. Quis enim potest inquietare mētem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, & nullus timoris aculeus agitat? In ista mente pax est, & status vltimus, & quies. & ibi requiescit verus Salomon: Quoniam in pace factus est locus eius. Et ideo valde conuenienter isti gradus significantur per illos sex gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis. Et propter hoc dicitur in Canticis: Ascensum purpureum media charitate constrauit. Quia impossibile est ad istam tranquillitatem pertingere, nisi per charitatem. Hac autē acquisita, facillimum est homini facere omne, quod est perfectionis, siue agere, siue pati, siue viuere, siue mori. Studēdum est igitur ad profectum charitatis, cum profectus eius inducat perfectionem omnis boni, & complementum.

Psal. 75. a *3. Reg. 10. c* *2. Para. 9. d* *Cant. 3. d*

Vt igitur sint ad manum prædictæ differentiæ, nota, quod qui ad hāc perfectionem vult proficere, debet per meditationem stimulum conscientiæ primo exasperare, exacuere, & rectificare: & sic ad radiū intelligentiæ transire, ipsum protendendo, dilatando, & reflectendo: & sic ad igniculū sapientiæ transire, ipsum congregando, inflāmando, & subleuando: & sic per orationem primo debet deplorare miseriam suam, cum dolore propter damnum, cum pudore propter opprobrium, & cum timore propter periculum.

Secundo debet implorare diuinam misericordiam, cum vehementia desiderij per Spiritum sanctum, cum fiducia spei per Christum crucifixum, & cum assistentia patrocinij per Sanctorum suffragia.

Tertio debet exhibere latriam, exhibendo Deo reuerentiā, beneuolentiam, & complacentiam. Vt primo ex parte Dei procedat admiratio diuina, quasi maior propositio: secundo ex parte nostra sequatur consideratio, quasi assumptio: tertio fiat latriæ plena exhibitio, quasi conclusio. Qui autem sic excitauerit se continue & intente, proficiet in charitate secundum sex gradus prædictos, quibus peruenitur ad perfectionem tranquillitatis vbi est multitudo pacis, & quasi quidam finis quietis nostræ, quā Dominus reliquit Apostolis. Vnde nota, quod Apostolus in qualibet salutatione optabat gratiā & pacem; gratiam tāquam primordialem, pacem sicut complementum: ad Timotheum autem interponit misericordiam, quæ est vtriusque principium.

Nota, quod in Missa cogitandum est de negligentia circa corpus Christi. Nota de sacramento quod Dominus propter nos semper totus ibi est, & nos raro vel nunquam ibi toti sumus propter eū. Item quod ibi est pretiū redemptionis nostræ, & non liberamur & hoc restat per nos. Itē quod ibi vere est Deus, & non videmus eum, ad quem videndū creati sumus. Item quod ibi est paratior ad liberādum nos, quam nos à miseria liberari. Itē quod ipse ad salutem nostram instituit hoc sacramentum, & tā studiose: nos vero tepidi, immo toti frigidi hoc consecramus: Item quod ipse ibi est cū Angelorum frequētia, nos cum magna cordis irreuerentia. Item quod ipse ibi ardēs est pro nostra dilectione, nos ibi remissi in gratiarum actione. Item quod ipse ibi est cibus Angelorum ad nostram refectionē, & nos non gustamus eum propter nostrā corruptionē. Item quod quidquid dispergimus per culpam, ipse ibi congregat per gratiam, nec tamen grati sumus. Item quod ipse se ibi offert pretium redemptionis nostræ sine tædio, nec tamen liberamur omnino.

Pulchræ & vtiles meditationes in sra Missarū sollemnia.

Vis ergo scire, quæ & quanta, & quibus debeas? Primo Christo omnem vitam tuam ponere: quia ipse sua posuit pro tua, & cruciatus diros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Sed confer præmia omnis vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omniū hominū, qui fuerunt, sunt, & erunt, nihil erunt ad comparationē illius corporis, quod spectabile, & etiam stupendum est virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, & in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorū. Sicut igitur exaltātur cæli à terra, sic exaltata est vita illius à vita hominū, quę tamen posita est pro vita nostra. Sicut enim nihil ad aliquid nullam habet cōparationem, ita vita nostra ad vitæ illius proportionem. Cum illa nulla dignior sit, nostra nulla miserior potest esse. Cum ergo ei me deuouero, quid quæso sum, nonne sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem? Sed non huic soli debitor sum, cui nihil retribuere possum.

Quantum Christo Domino debeamus.

Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitam meam, vt faciam dignos fructus pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animę meæ. Sed ad hoc quis idoneus? Peccaui super numerum arenę maris & multa sunt peccata mea, & non sum dignus aspicere cælum, dixit Manasses in sua oratione &c Quid igitur sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo sufficiam, cum cogas reddere debitum vsque ad nouissimū quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Quantum pœniteam, quantumlibet me affligam & macerem propter nomen tuum, non propter pœnitentiæ meritum, propitiaberis Domine peccato meo, ait iustus, multum est enim.

Peccata præterita vitā præteritam ad pœnitentiā obligant.

Psal. 24. c

Cum igitur quidquid vis, quidquid sapis, quidquid

habes,

habes, quidquid potes huic vni rei dedicaueris, nunquid est, vel in aliquid computandum est.

Vitam nostrã gloria, quam speramus, sibi vendicat.

Sed & tertium debitorem ostendam tibi, qui non minus acriter, quam veraciter sibi vendicat vitam tuam. Puto enim quod possidere desideras gloriam illam, quã nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. regnum omnium sæculorum viuere in æternum, in perpetuas æternitates. Credo quod velis æqualis esse Angelis Dei, & in plateis supernæ Hierusalem melos Angelorum audire, & videre quidquid est illud vel erit, quando Deus erit omnia in omnibus. Nonne ad hoc totum te, & quantumcunque vndique trahere poteris, dare oportebit? Et cum omnia impleueris, non tamen credas condignas esse passiones huius temporis vel corporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

1. Cor. 2.

Creatori nostro totaliter quidquid sumus, debemus.

Quid dices, & si quartum debitorem adduxero in medium, qui sibi iure primatus tres superiores excedere velit? Ecce in ianuis est, qui fecit cælum & terram. Creator tuus, tu creatura. Tu seruus, ille Dominus. Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es ille debes: à quo totũ habes. Illi præcipue Domino, qui & fecit te, & bene fecit tibi qui & tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiẽ, iucunditatem terræ, fructuum vbertatem. Huic re vera totis medullis, totis visceribus seruiendum est: ne forte indignationis oculo te respiciat ac despiciat, & conterat te in æternum. Expone igitur mihi, cui horum quattuor proponis reddere quod debes, cum vnusquisque tam interius, quam exterius exactor sit, vt te singulariter possideat? Eia Domine, vim patior, responde pro me, quia horum quattuor quilibet de iure me tenere potest, & suffocare. In manus tuas commendo spiritum meum, tu persolue omnibus, tu ab omnibus me libera, quia tu es Deus & non homo, & quod apud hominem impossibile est, possibile est tibi Domine Deus noster.

CAPUT III.

De contemplatione, quomodo per eam perueniendum sit ad sapientiam veram.

Postquam autem diximus, qualiter ad sapientiam nos exercere debeamus per meditationem & orationem, nunc breuiter tangamus, qualiter contemplando ad veram sapientiam peruenitur. Per contemplationem namque transit mens nostra ad supernam Hierusalem: ad cuius instar, Ecclesia est formata, secundũ illud Exodi: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi monstratũ est in monte. Necesse est enim Ecclesiam militantem cõformari triumphanti, & merita præmijs, & viatores beatis secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio præmij, scilicet summæ pacis tentio, summæ veritatis visio, & summæ charitatis fruitio. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema Hierarchia cœlesti, scilicet Thronorũ, Cherubim, & Seraphim. Necesse est igitur, vt qui vult ad illam beatitudinem per merita peruenire, istorum trium similitudinem, secundum quod possibile est, in via sibi comparet, scilicet, vt habeat soporem pacis, splendorem veritatis, & dulcorem charitatis. In his enim tribus requiescit Deus, & habitat tanquam in solio proprio. Necesse est igitur, vnumquodque trium prædictorum, per tres gradus ascendendi distinguere secundum triplicem viam, nẽpe purgatiuã, quæ consistit in expulsione peccati; illuminatiuam, quæ consistit in imitatione Christi; & vnitiuam, quæ cõsistit in susceptione Spiritus sancti. Ita quod quælibet via habet gradus suos, per quos ascenditur ab imo, & tenditur vsque ad summum.

Exod. 25. d

Gradus autem perueniendi ad saporem pacis, sunt isti septem.

Primo occurrit pudor in recordatione flagitij, & hoc quantum ad quattuor, scilicet quantum ad magnitudinem, multitudinem, turpitudinem, & ingratitudinem.

Secundo occurrit timor in circumspectione iudicij & hoc quadruplicis, scilicet dissipationis operis, excæcationis rationis, obdurationis voluntatis, & condemnationis finalis.

Tertio occurrit dolor in æstimatione damni, & hoc secundum quattuor, scilicet quantum ad amissionem diuinæ amiciciæ, quantum ad perditionem innocentiæ, quantum ad vulnerationem naturæ, & quantum ad dissipationem vitæ præteritæ.

Quarto occurrit clamor in imploratione subsidij quadruplicis, scilicet Dei Patris, Filij Redemptoris, Virginis Matris, Ecclesiæ triumphantis.

Quinto occurrit rigor in extinctione fomitis, siue incentiui quadruplicis, scilicet ariditatis quæ est desidia, peruersitatis quæ est malitia, voluptatis, quæ est concupiscentia, & vanitatis quæ est superbia.

Sexto occurrit ardor in appetitu martyrij, & hoc propter quattuor, scilicet propter perfectionem remissionis offensæ, purgationis maculæ, satisfactionis pœnæ, & propter perfectionem * sanctificationis concupiscentiæ.

*al. exactionis.

Septimo loco occurrit sopor in obumbratione Christi, vbi est status & requies quando homo sentit se protegi sub vmbra alarum diuinarum, vt non vratur ardore concupiscentiæ nec timore pœnæ. Ad quod non potest perueniri, nisi per appetitum martyrij: nec ad appetitũ martyrij, nisi extinxerit incentiuum: nec ad extinctionem incentiui, nisi implorauerit subsidium: nec ad implorationem subsidij nisi deploret damnum: nec ad deplorationẽ damni, nisi timeat iudicium: nec ad timorem iudicij, nisi recordetur & erubescat flagitiũ. Qui ergo vult habere pacis soporẽ, procedat secũdum ordinem prædictum.

Gradus autem perueniendi ad splendorem veritatis, ad quem peruenitur imitatione Christi, sunt isti septem, scilicet assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus deuotionis, amictus assimilationis, amplexus crucis, & intuitus veritatis. In quibus hoc ordine progrediendum est.

Primo considera quis est, qui patitur, & ei subdere per rationis assensum, vt credas firmissime ipsum veraciter esse Dei filium, omnium rerum principium, Saluatorem hominum, & retributorem meritorum omnium.

Secundo considera qualis est, qui patitur, & ei configurare per compassionis affectum, scilicet vt cõpatiaris ei tanquam innocentissimo, mitissimo, nobilissimo, & amantissimo.

Tertio considera quantus est, qui patitur, & ad ipsum egredere, per admirationis aspectum: & attende, quod ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. Igitur admirare immensam potestatem adnihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quarto considera, qua de causa patitur, & teipsum obliuiscere per deuotionis excessum: quia patitur, scilicet pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione.

Quinto considera, quali forma patitur, & ipsum induere per assimulationis amictum. Passus est enim sicut verus agnus, libentissime respectu proximi, seuerissime respectu sui, obedientissime respectu Patris, & prudentissime respectu aduersarij. Stude igitur ad habendũ habitum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, seueritatis, humilitatis, & perspicacitatis.

Sexto considera quanta sint quæ patitur, & crucẽ amplectere per passionis desiderium, vt sicut Christus passus est vincula, vt impotens omnipotentia: conuitia, vt vilis bonitas: ludibria, vt stulta sapiẽtia: & supplicia, vt iniqua iustitia. Sic & tu considera passionem crucis, hoc est, passionem plenam iniurijs in rebus, contumelijs in verbis, ludibrijs in signis, & supplicijs in tormentis.

Septimo considera quid ex hoc consequitur, quod patitur, & veritatis radium intuere per contemplationis oculum. Quoniam ex hoc, quod agnus passus est, septẽ signacula libri aperta sunt. Liber iste est vniuersalis rerũ notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata scilicet Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mũdus sẽsibilis

Apoc. 5. a

paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

Primo enim Deus admirabilis, manifestatus est nobis per crucem esse summæ, & inscrutabilis sapientiæ, summæ & irreprehensibilis iustitiæ, summæ & inenarrabilis misericordiæ. Summa enim sua sapientia decepit diabolum. summa sua iustitia quæsiuit redemptionis pretium: summa sua misericordia pro nobis tradidit Filiũ suum. Quæ si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

Secundo spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem, secundum differentiam triplicem, scilicet quantę sit benignitatis quantũ ad Angelos quantę sit dignitatis quantum ad homines, & quantæ sit crudelitatis quantũ ad dæmones. Nam Angeli permiserũt crucifigi Dominũ suũ: Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertio mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus: in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram & summam non cognouit: regnat sterilitas, quoniam IESVM Christum tãquam infructuosum despexit: & regnat impietas, quoniam Deum, & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnauit, & interfecit.

Quarto paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, spectaculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Vnde Deus propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser, & pauper. In quo celsitudo abiectionem induit, iustitia reatum subijt, opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator accepit seruitutem abiectam, vt sublimaremur in gloriam. Iustissimus iudex subijt reatũ pœnalissimum, vt iustificaremur à culpa. Opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, vt locupletaremur in copia.

Quinto infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem, locus vtique plenus omni egestate & penuria vilitate, & ignominia, & omni calamitate, & miseria. Vnde si necesse fuit hæc Christum pati propter peccati deletionem, multo fortius oportet hæc pati damnatos, propter iustam meritorum suorum retributionem.

Sexto manifestata est nobis per crucem virtus laudabilis, quantum scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Vere pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contraire. Vere speciosa, quia in ipsis contumelijs relucebat. Et vere fructuosa, quia vnus actus perfectæ virtutis infernum spoliauit, cælum aperuit, & perdita restaurauit.

Septimo manifestatus est nobis per crucẽ reatus culpabilis, quãtum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in cruce omnia manifestantur, si bene ad hęc septem reducantur. Omnia enim ad hæc septem reducantur. Vnde ipsa crux vere beata, est clauis, porta, via, & splendor veritatis. Quam qui deuote sibi tollit, & sequitur Christum iuxta modum præassignatum, nõ ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Gradus autem perueniendi ad dulcorẽ charitatis, sunt isti septem, scilicet vigilantia sollicitans, confidentia cõfortans, concupiscentia inflammans, excedentia eleuãs, complacentia quietans, lætitia delectans, & adhærentia conglutinans. in quibus hoc ordine progredi debes, quis vis ad perfectionem charitatis, & amoris Spiritus sancti pertingere.

Primo ergo necesse est, vt vigilantia te sollicitet, propter Sponsi promptitudinem, adeo vt possis dicere illud Psalmi: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Et illud Sponsæ: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et illud Isaiæ: Anima mea desiderauit te in nocte, sed & Spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.

Psal. 62.a
Cant. 5.a
Isa. 26.b

Secundo, vt confidentia te confortet, propter Sponsi certitudinem, adeo vt vere possis dicere: In Domino confido. Et illud: In te Domine speraui. Et illud Iob: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.

Psal. 10.a
Psal. 30.a
Iob. 13.c

Tertio, vt concupiscentia te inflammet propter Sponsi dulcedinem, adeo vt possis dicere: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et illud Canticorum: Fortis est vt mors dilectio. Et illud: Quia amore langueo.

Psal. 41.a
Cant. 8.b
Cant. 2.a

Quarto, vt excedentia te eleuet, propter Sponsi celsitudinem, adeo vt possit dicere cum Psalmista: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Et illud Canticorum: Trahe me post te, &c. Et illud Iob: Suspendium elegit anima mea.

Psal. 83.a
Cant. 1.a
Iob. 7.c

Quinto vt complacentia te quietet, propter Sponsi pulchritudinem, adeo vt possis dicere illud Sponsæ: Dilectus meus mihi & ego illi. Et illud: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

Cant. 2.d
Cant. 5.c

Sexto, vt lætitia te delectet propter Sponsi plenitudinem, adeo vt possis dicere: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerũt animam meam. Et illud: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. Et illud Apostoli: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, &c.

Psal. 93.d
Psal. 30.c
2. Cor. 7.a

Septimo, vt adhærentia te conglutinet, propter amoris Sponsi fortitudinem, adeo vt possis dicere illud Psalmistæ: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Et illud Pauli: Quis nos separabit à charitate Christi? In his enim gradibus ordo est, nec status est ante vltimum, nec ad illum peruenitur nisi per gradus intermedios, & mutuo se pariunt. Et in primo viget consideratio, in ceteris vero sequentibus dominatur affectio. Vigilantia enim considerat, quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum. Et ex hoc quasi nata confidentia, parit concupiscentiam, & illa excedentiam, quousque perueniatur ad copulam, osculum, & amplexum dilecti, & amantissimi.

Psal. 72.d
Rom. 8.f

Gradus pertinentes ad purgationem, sic distinguuntur. Possunt autem dicti gradus aliter distingui, & quasi in idem redeunt, vt primo distinguantur gradus purgationum sic: Propter flagitium erubesce, propter iudicium contremisce, propter damnum, ingemisce, propter remedium implora subsidium, propter aduersarium extingue incendium, propter brauium anhela ad martyrium, & propter vmbraculum approxima ad Christum.

Gradus pertinentes ad illuminationem sic distinguũtur. Nota quis patitur, & credẽs captiuare: qualis qui patitur, & condolens amaricare: quantus qui patitur, & stupens admirare: qua de causa patitur, & confidens precare: quali forma patitur, & sequens assimilare: quanta quæ patitur, & ardens amplexare: & quid ad hoc consequitur? quod patitur, & intelligens contemplare.

Gradus viæ vnitiuæ sic distinguuntur: Te vigilantia sollicitet, propter Sponsi promptitudinem: confidentia corroboret, propter eius certitudinem: concupiscentia inflammet, propter eius dulcedinem: excedentia eleuet, propter eius celsitudinem: complacẽtia alliciat, propter eius pulchritudinem: lætitia inebriet, propter amoris eius plenitudinem: & adherentia conglutinet, propter eius fortitudinem, vt dicat semper deuota anima in corde suo ad Dominum, Te quæro, in te spero, te desidero, in te consurgo, te accepto, in te exulto, & tibi finaliter adhæreo.

Nota quod gradus proficiendi possunt etiam aliter distingui, secundum triplicem differentiam triplicatam, triplici hierarchiæ cõsonam. Nam cuilibet proficere volenti, necessaria sunt tria, scilicet amaritudo, gratitudo, & similitudo. Et hoc post lapsum. Si enim homo nõ peccasset, duo sufficerent scilicet gratitudo, & similitudo. Gratitudo videlicet propter gratiã, similitudo vero propter iustitiam. Sed nunc etiam necessaria est amaritudo, propter medicinam. Peccata enim per delectationẽ perpetrata, non possunt purgari aliquo modo, aut deleri, nisi econtrario per afflictionem, & amaritudinem.

In ipsa autem amaritudine debet esse ponderatio malorum

lorum commissorum, propter proprias nequitias: perpessio dolorum, propter Christi angustias: & postulatio remediorum, propter proximi miserias.

In gratitudine autem simili modo debet esse admiratio beneficiorum, propter creationem de nihilo: accumulatio meritorum, propter reparationem de peccato: & actio gratiarum, propter ereptionem de inferno. Fuit enim creatio ad imaginem, redeptio per proprium sanguinem, & ereptio vsque ad cæli altitudinem.

In similitudine etiam pari modo debet esse aspectus veritatis eleuatus ad superiora: affectus charitatis dilatatus ad exteriora: & actus virilitatis ordinatus ad interiora. Eleuatio ad superiora debet diligenter fieri per aspectum veritatis, & hoc per contemplationem Dei intelligentia: per circumspectionem vniuersorum scientia: & per captiuationem iudiciorum fide formata.

B Item dilatatio seu extensio circa exteriora, debet fieri diligenter per affectum charitatis, & hoc per appetitum delitiarum cælestium, sapientia: per amplexum rationabilium, amicitia: & per contemptum voluptatum carnalium, modestia.

Item ordinatio siue exercitatio circa interiora, debet fieri diligēter per actum virilitatis, & hoc per aggressum difficilium, strenuitate: per actum laudabilium, magnanimitate: & per amplexum humilium, humilitate.

Purgatio autem in amaritudine, in qua contritio respectu sui, debet esse dolorosa per tristitiam, propter mala prementia teipsum, Christum, & proximum.

Compassio respectu Christi, debet esse timorosa per reuerentiam, propter iudicia latentia: & tamen vera, licet incerta, sicut tempus, dies, & hora.

C Commiseratio respectu proximi, debet esse clamorosa per confidentiam, propter patrocinia semper parata per Deum, per Christum, & per suffragia Sanctorum. Illuminatio in similitudine, in qua est aspectus veritatis primæ, qui debet esse erectus ad incomprehensibilia, extētus ad intelligibilia, & exinanitus ad credibilia. In qua etiam est affectus charitatis, qui debet esse erectus ad Deum, extentus ad proximum, & exinanitus ad mundū. In qua etiam est actus virilitatis, qui debet esse erectus ad commendabilia, extētus ad communicabilia, & exinanitus ad contemptibilia.

Sequitur perfectio in gratitudine in qua est vigilantia exurgēs ad Canticum, propter beneficiorum vtilitatem: lætitia exultans ad iubilum, propter donorum pretiositatem: beneuolentia accedens ad amplexum, propter

D dantis liberalitatē. Nota quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia, & hæc sunt mysteria summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea, & hoc dupliciter, vel per positionem, vel per ablationē. Primum ponit Augustinus, secundum Dionysius.

Per positionē primo intelligimus in diuinis esse quædam vt communia, quædam vt propria, quædam vt appropriata, quædam sunt media inter hæc, & illa. Intellige ergo & contemplare si potes circa Deum communia, & vide quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata: quæ necessariam habent consequētiam. Iterum intende, & vide si potes, quoniā Deus est ęternitas præsens, simplicitas replens, & stabilitas mouens: quæ similiter consequentiam habent, & connexionem natura-

E lem. Postremo attende, & vide, quoniā Deus est lux inaccessibilis, mens inuariabilis, & pax incomprehensibilis: quæ non tantum essentiæ vnitatem, sed etiam includūt perfectissimam Trinitatem. Lux quidem tanquam parens generat splendorem, lux autem & splendor producunt calorem: ita quod calor procedit ab vtroque, licet non per modum prolis. Si ergo Deus vere lux est inaccessibilis, vbi splendor, & calor est substantia, ibi hypostasis vere in Deo est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quæ sunt propria diuinarum personarum. Mens etiam tanquā principium concipit, & producit à se verbum, à quibus emanat amoris donum. Et hoc in omni mente perfecta est reperire. Si ergo Deus est mens inuariabilis planum est in Deo esse principium primum, verbum æternum, & donum perfectum, quæ sunt propria diuinarum personarum. Pax etiam includit nexum plurimorum. Perfecte autem necti non possunt, nisi similes. Similes autem esse non possunt, nisi ambo à tertio, vel vnus ab altero. Sed in diuinis non possunt am bo esse à tertio eodem modo. Necesse est ergo, quod si in diuinis sit vera pax, quod ibi sit prima origo, eius imago, & vtriusque connexio.

Deinde in diuinis sunt appropriata secundum triplicem differētiam. Prima appropriata sunt vnitas, veritas, & bonitas. Attribuitur vnitas Patri, quia origo: veritas Filio, quia imago: bonitas Spiritui sancto, quia connexio.

Secunda appropriata sunt potestas, sapientia, & voluntas. Attribuitur potestas Patri, quia est principium: sapientia Filio, quia est verbum: voluntas Spiritui sancto, quia est donum.

Tertia appropriata sunt altitudo, pulchritudo, & dulcedo. Attribuitur altitudo Patri, propter vnitatem & potestatem. Nihil enim aliud est altitudo, quam singularis, & vnica potestas. Pulchritudo Filio, propter veritatem, & sapientiam. Nam sapientia multitudinem idearum, veritas autem æqualitatem includit. Pulchritudo autem nihil aliud est, quam æqualitas numerosa. Dulcedo Spiritui sancto, propter bonitatem & volūtatem. Vbi enim summa bonitas est iuncta cum voluntate, ibi est summa charitas, & summa dulcedo. Est igitur in Deo altitudo terribilis, & hic est status erectionis, pulchritudo mirabilis, & hic est status contemplationis: dulcedo desiderabilis, & hic est status glorificationis. Hæc est igitur erectio per viam affirmationis.

Sed alia est eminentior per viam negationis. Quoniā, vt dicit Dionysius: Affirmationes incompactæ sunt, Negationes vero, licet videantur minus dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium, ita quod in negationibus illis sit ordo, incipiendo ab inferioribus vsque ad superiora. Est etiam superemineentis positionis inclusio. Vt cum dicitur, Deus non est quid sensibile, sed supersensibile, nec imaginabile, sed superimaginabile, nec intelligibile, sed superintelligibile, nec existens hoc vel hoc, sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem, & altius eleuatur, & profundius egreditur pro eo quod excedit se & omne creatum. Et hic est nobilissimus eleuationis modus. Sed tamen ad hoc, quod sit perfectus, præexigit alium, sicut perfectio illuminationem, & sicut negatio affirmationem. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior: tanto fructuosior, quanto affectio proximior. Et ideo vtile valde est in illa exerceri.

Vt ergo in hac eleuatione veritatis aspectus se valeat exercere, nota, quod in prima hierarchia veritas est aduocanda per gemitum & orationem, & hoc est Angelorum. Audienda per studium, & deuotionem, & hoc Archangelorum. Annuncianda per exemplum, & prædicationem, & hoc est Principatuum.

In secunda hierarchia veritas est adeunda per refugiū & commissionem, & hoc est Potestatum. Apprehendenda per zelum & æmulationem, & hoc est Virtutum. Associanda per sui contemptum, & mortificationem, & hoc est Dominationum.

In tertia hierarchia veritas est adoranda per sacrificium & laudem, & hoc est Thronorum. Admiranda per excessum & contemplationem, & hoc est Cherubim. Amplexanda per osculum & dilectionem, & hoc est Seraphim. Nota diligenter prædicta, quoniam in illis est fons vitæ.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, CVIUS TITVLVS EST, *STIMVLVS AMORIS.*

Opusculum hoc in tres partes distributum anno Domini Millesimo, Quingentesimo, decimoseptimo, die septima mensis Iunij Parisiis impressum fuit, & à magistro Ioanne Quentin sacræ paginæ professore eximio, Canonico, & Pœnitentiario Parisiensi correctum & emendatum. Cuius editio longe copiosior, ac integrior est ea, quæ omnium vltima Venetijs prodijt, & magis concordat cum Trithemio, qui Opuscula Sancti Bonauenturæ connumerans, hoc, quod De passione Domini *inscribit, tribus libris constare affirmat, eiusque principium apponit, nempe,* Currite gentes vndique. *Propterea visum est exemplar huius antiquæ editionis sequi. Prologus vero longe diuersus est ab eo, qui habetur in prænominata editione Veneta. In ea enim loco Prooemij est deuota illa oratio Auctoris,* Transfige dulcissime Domine IESV, &c. *cuius magna pars habetur supra in Soliloquio cap. I. quæ etiam hic apposita est, post Prologum antiquæ editionis. Argumentū vero huius Opusculi, quod est in antiqua editione sic habet:*

LIBER iste, qui stimulus amoris in dulcissimum, & piissimum IESVM Saluatorem nostrum non incongrue potest dici, in tres diuiditur partes. In quarum prima de Christi gloriosissima passione agitur, videlicet quomodo homo ipsam passionem meditari debet, & quam sit vtilis eius meditatio: & qualiter, & quam libenter homo conuerti debet ad compatiendum Domino IESV crucifixo: & alia plura, quę circa ipsam passionem considerari possunt. In secunda vero parte, de his, quæ ad contemplationem disposita sunt, tractatur, videlicet qualiter homo possit amplius proficere, & magis Deo placere: qualiterque ordinatus esse debeat ad Deum, ad se, & ad proximum; & alia plura, quæ ad ipsam contemplationem dispositiua & inductiua sunt. Tertia vero & vltima parte de ipsa cōtemplationis quiete prosequitur, videlicet quæ sunt, quæ inducunt hominē ad contemplationis quietem, & quam gloriosissimum sit se mutare in Deum, qualiterque homo mutetur in Deum; & alia plura, quæ ad ipsius contemplationis quietem peruenire volentibus, perutilia, ac necessaria sunt. Qui vult habere saporem amoris in his, quæ sequuntur, debet cum humilitate & amore maiestatem & dignitatem Dei admirari, quantam humilitatē & passionem propter charitatē pro nobis moriendo in cruce sustinuit meditari, & ruminare cum amore, & cum ardentissimo desiderio; petitionis, quæ ibi continentur sibi petere, & pro certo proficere in Christi amore.

CAPITA HVIVS PRIMÆ PARTIS.

PROLOGVS.

AD te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubescam. (Psal. 24. a) Confisus de tua liberalissima pietate, allectus mira suauissimi amoris & odoris tui suauitate, attractus instringibili vinculo tuæ ardentissimæ charitatis, ad te, qui habitas in cælis, leuaui oculos meos, splendore solis iustitiæ illustratus, claritatis tuæ lumine prouocatus, auidissime requirens speciosissimū decorem amantissimi vultus tui: Solicitant me intima, quæ tibi in me placita habeas. Quid autem mihi indigno seruo acceptabilius, quam scire qualiter tanto Domino valeam famulari? Ad tuum igitur amorem erectus amici prece inductus, zelo interno coactus, qualiter quisque te studiose quærere debeat, qualiter inuenire valeat, qualiter possit ad te accedere, & strictis tenere amplexibus quibusdam meditationibus declamare pręsumam. In quibus, & si diuersæ chordæ tanguntur, ad vnum redactæ puris auribus faciunt melodiam. Quamuis enim diuersæ & plurimæ materiæ in diuersis capitulis describantur: tamen inde nihil resonat, nisi perfectio animi ad diuinum amorem. Si aliquid aliud inueneris, pie lector, legitime corrigas, & non rodas: quia malitia non est in causa, sed simplicitas. Diuersum namque modum inuenies in eis, vt diuersitate modi & materiæ, lectori fastidium temperetur, & eius anima ad cælestia cautius eleuetur variis illustrata radiis, cibis refecta diuersis, multiplicique varietate allecta. Tu autem frater mi Ioannes de ordine Fratrum Minorum, qui Eucharistius appellaris, accipe munusculum quod à me indigno sæpe tua humilitas postulauit, nec irrideas meam ignorantiam, sed potius mihi paruulo balbutiēti, & infantilibus artubus gestienti, sicut pia mater arride. Scio namque quod simplicitatem diligas, & fercula etiam rusticana sapide quodam famelico appetitu degustes. Insatiabile est enim desiderium tuum, & auide apprehendis oblata. Aperi ergo os tuum, & tibi quamuis rudis in corpora infrascripta. Ipsa enim præseruatiua sunt, & conseruatiua humidi radicalis: quia ea de ligno vitæ suscepi. Caue ergo ne lignum scientię retrahat ab hoc esu, & nudus apparere verearis coram Deo, insipidaque tibi sapida, & sapida tibi insipida

insipida videantur. Hic vero modum orandi, viuendi, & meditandi inueniet vir deuotus. In istis iustus ab infimis eripitur, ad intima tollitur, ad summa erigitur cum dulcore. Qui ergo voluerit vsque ad perfectum crescere, legat & impleat, quæ scribam gratia Crucifixi irrigante.

ALIVS PROLOGVS.

TRANSFIGE dulcissime Domine IESV medullas animæ meæ suauissimo ac saluberrimo vulnere amoris tui. Vulnera viscera animæ meæ, vera, & firma, & Apostolica charitate: vt vere ardeat, langueat & liquefiat anima mea solo semper amore, & desiderio tui. Concupiscat, & deficiat anima in atria tua, cupiat dissolui, & esse tecum. Da, vt anima mea te solum semper esuriat panem vitæ cælestis, qui de cælo descendisti, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, & supersubstantialem, habentem omnem saporem, & omnem dulcorem, & omne delectamentum suauitatis, in quem desiderant Angeli prospicere. Te semper esuriat, te comedat cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiat fontem vitæ æternæ, fontem sapientiæ, fontem scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis & vbertatis domus Dei. Te semper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, de te loquatur, & omnia operetur ad laudem, & gloriam nominis tui, cum omni humilitate, & discretione, omni dilectione, & delectatione, omni facilitate & affectu, omni patientia & pace perfecta, omni longanimitate, & perseuerantia vsque in finem. Vt tu solus semper sis mihi spes mea, gaudiũ meum, iucunditas mea, fiducia mea, diuitiæ meæ, dilectio mea, quies mea, trãquillitas mea, dulcedo mea, suauitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, sustentatio mea, expectatio mea, refugium meum, auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, responsio mea, locutio mea, meditatio mea, operatio mea, thesaurus meus, in quo solo fixa & firma, & immobiliter radicata sit semper mens mea, & cor meum. Amen.

CAPVT I.

Quomodo debet homo libenter Christi passionem meditari.

CVRRITE gentes vndique, & miramini erga vos charitatem Dei, & erga ipsum cæcitatem & malitiam vestram. Si enim Dei Filius voluit inseparabiliter coniungi naturæ humanæ, quanto magis anima vestra deberet sibi inseparabiliter copulari? Si enim Dei Filius voluit tanto charitatis feruore sic vilissimos cineres sibi vnire, quanto auidius deberet vnusquisque ad recipiendum ipsum deuotissime cor suum recipere? Quę vesania animæ, quod hoc negligit, & potius vult stercoribus adhærere? Non enim assumpsit Filius Dei carnem, vt homo carni adhæreat, sed sicut ipse in carne existens carnem affixit, & carnalia contempsit & anima eius semper Deo Patri adhæsit; sic homo carnem mortificet, & semper se erigat ad diuina. O mirabilis cæcitas hominis, qui cum ex anima & carne consistat, & anima sine comparatione melior sit, & nobilior ipsa carne, totum tempus expendit in prouisione carnis, nec in his, quæ caro requirit, & animam suam negligit, ac si nihil esset: nec ipsam pascere, nec ipsam nutrire nec in summo quietare studet Creatore: cum tamen hoc lenius, suauius, delectabilius, seu opportunius sine comparatione valeat impetrari. Vbique se enim offert homini Deus, & suippius nisi mortem Filij sui pretium non requirit. Corporalia autem semper fugiunt, nec etiam cum omni solicitudine & labore, ac anxietate possunt plene ab aliquo possideri in hoc mundo: nisi forte dicamus, quod plene omnia contemnit. Sed quod mirabile est, hoc sibi facit anima à carne aliquantulum inclinata, non tamen coacta. Nam voluntarie subdit se carni, & carnis beneplacita nititur adimplere. & Deo suo subdere cum omni exhortatione, beneficiorum collatione, interna inspiratione contemnit, & in proprio bono, id est, in propria vtilitate non vult Dei voluntatem facere. Certe si anima non esset peior omni animali, Deum, cui similis est, deberet super omnia diligere, & de ceteris non curare. Si ergo anima carnem diligis, nullam carnem, nisi carnem Christi ames. Hæc enim pro tua, & totius humani generis salute est super aram crucis oblata, cuius passionem in corde rumines quotidie. Huius enim passionis Christi meditatio continua mentem eleuabit, quid agendum, quid meditandum, quidque sciendum, & sentiendum sit, indicabit: te demum ad ardua inflammabit: te vilificari, & contemni, & affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit. O passio desiderabilis, ô mors admirabilis! Quid mirabilius quam quod mors viuificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi coniungat. Sed adhuc mirari nõ cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat. Sed vere mirabile est, quod Christus in cruce sitiens inebriat, nudus existens virtutum vestimentis ornat, sed & eius manus ligno conclauatæ nos soluunt, pedes confossi nos currere faciunt, emittens spiritum vitam inspirat, in ligno decedens ad cælestia vocat. O passio mirabilis, quæ suum meditatorem alienat & non solum reddit angelicum sed diuinum. Nam per meditationem commorans in Christi tormentis etiam seipsum non videt, semper intuetur Dominum suum passum, vult secum crucem baiulare, & pro ipso leuissime omne bonum, & malum vult portare, & ipse in corde portat, cælum & terram pugillo tenentem. Vult secum spinis coronari, & ipse spe gloriæ coronatur. Vult secum in ligno sine vestimentis frigescere, & nimio amoris ardore accenditur. Vult secum acetum gustare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult secum in cruce existens sibi illudi, & ipse ab Angelis honoratur, & à beata Virgine in Filium adoptatur. Secum volens tristari, lætatur; secum volens affligi, consolatur, & nimium iucundatur. Cum Christo vult in cruce pendere, & eum dulcissime Christus amplexatur. Secum vult faciem mortis pauore perfusam inclinare, & eius caput Christus eleuans suauissime osculatur. O mors amabilis, ô mors delectabilis! O cur crucis illius loco non fui, vt Christus fuisset manibus meis, & pedibus conclauatus! Certe illi Ioseph ab Arimathia dixissem, non auferas IESVM à me, sed me secum sepelias in sepulchro. Non enim volo amplius ab ipso separari. Sed si hoc modo facere non possum corpore, saltem hoc volo mente. Bonum est enim secum esse, & in ipso volo tria tabernacula facere, vnum in manibus, vnum in pedibus, sed aliud continuum in latere: vbi volo quiescere, dormire, videre, bibere, comedere legere, orare, & omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor eius, & ab ipso quod voluero, impetrabo. Sic faciens dulcissimæ matris vestigia sequar, cuius animam passionis Filij gladius pertrãsiuit. Secure de cetero ipsam alloquar vulneratus, & ipsam ad quod voluero, inclinabo. Et non solum apparebo cum Filio suo crucifixus, sed ad præsepe rediens ibi cum eo iacebo paruulus, vt ibidem cum suo Filio suis vberibus merear ablactari. Mi scebo igitur lac Matris cum sanguine Filij, & mihi faciam vnam dulcissimam potionem.

O amantissima vulnera Domini nostri IESV Christi! Nam cum in ea quadam vice oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicque nihil aliud videns cœpi ingredi, manu palpans, donec perueni ad intima viscera charitatis suæ, quibus post vndique circumplexus reuerti nequiui. Ideoque ibi inhabito, & quibus vescitur cibis, vescor, ac inebrior suo potu. Ibi tanta abũdo dulcedine, vt tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat pro peccatoribus in vtero virginali, tunc dignatur me seruum

Hominis cæcitas.

Passionis Christi meditatio quã vtilis.

Luc. 2. e

Raptus mirabilis sancti Bon.

me seruum suum intra viscera suæ comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus eius, & ab illis delitijs excidar, quibus fruor. Sed certe, & si me pepererit, debebit sicut mater me lactare vberibus, leuare manibus, portare brachijs, osculari labijs, foueri gremijs, aut certe quid faciam scio. Quantumcũque me pariat, scio, quod semper sua vulnera sunt aperta, & per ea in eius vterum iterum introibo & hoc totiens replicabo, quousque ero sibi inseparabiliter conglobatus. O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christo nesciunt introire! Supra suas vires laborant in vanum, & aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Quomodo insanitis, quia beatitudo Angelorum patet, & circumstans, aut paries eius confractus est, & vos introire negligitis? An forsã expectatis, quod prius resoluatur corpus vestrum, non credentes quod in Christo in præsenti anima valeat quietari? Sed crede mihi ô homo, quia si in ipsum per hæc angusta foramina intrare volueris non solum anima, sed etiam quietem ad dulcedinem mirabilem inueniet corpus tuum: & quod carnale est, & ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeo spirituale, vt ceteras præter eas, quas ibi sentit, delitias repute esse nihil. Immo fortasse aliquando anima propter aliquam obedientiam vel vtilitatem dictabit esse recedendum, & caro allecta illa dulcedine dicet ibi esse immorandum. Et si ita accidit de corpore quanta credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina coniungitur cordi Christi? Certe exprimere tibi nequeo, sed experire, & cito. Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena, & medicinalibus opulenta Per vulnerum ergo fenestras intra, & accipe medicinam sanatiuam, restauratiuam, præseruatiuam, & conseruatiuam. Ibi quascunque volueris species accipe. Ibi quæcumque delicata appetieris electuaria sume.

Si etiam suauitatis vnguentis volueris deliniri per illa intrare vulnera non postponas. Ecce aperta est ianua paradisi, & per lãceam militis gladius versatilis est amotus. Ecce lignum vitæ tam in ramis, quam in stipite perforatum, in quibus foraminibus nisi pedes, id est, affectus posueris, non poteris capere fructus eius. Ecce apertus est thesaurus diuinæ sapientiæ, & charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione delitias obtinebis. O quam beata lancea, & beati claui, qui apertionem huiusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: Hæc requies mea in sæculum sæculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam. O stulti, & tardi corde qui ad possidendum aliquod vanum per incerta foramina introitis, & inde etiam exire multotiens non potestis: sed ad possidendum Dei Filium summum bonum, candorem, & splendorem æternum per apertas vulnerum ianuas non introitis! O anima ad imaginem Dei facta, quomodo te potes amplius continere? Ecce Sponsus tuus dulcissimus pro te vulneratus iam factus gloriosus te cupit amplecti, & tibi dulcissima elargiri oscula, & ad ipsum negligis festinare? Nam præ nimio amore aperuit sibi latus, vt tibi tribuat cor suum: sibi etiam voluit pedes & manus perforari, vt cum ad ipsum perueneris, sic tuæ manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, vt sibi inseparabiliter coniungaris. Obsecro secundum Apostolum omnia proba, hoc experiri coneris, & si ibi bonũ tibi videtur, inde amplius ne discedas. & non dubito, quod si fueris expertus, omnia, præter ipsum, amaritudinem reputabis. Velles libenter tũc tibi illa vulnerum ostia, postquam intraueris, obserari, vt inde exire amplius non valeres. Admiraberis tũc valde tuam & aliorum super hoc habitam cæcitatem. Gaudebis nihilominus de tanta dulcedine, quam tu senties, & intantum etiam inflammabitur cor tuum, vt quasi nitens anima de corpore exire velit, & naturaliter in Christi vulneribus habitare. Et inebriabitur anima à tanta dulcedine & feruore, & vix poteris eam ad aliud inclinare. O vulnera corda saxea vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantina liquefacientia præ amore! O certe vita, dulcedo, & spes nostra! Si enim per meditationem istius passionis ad illam perueneris dulcedinem, de qua dixi, vel etiam ad maiorem, attende ne velis ipsam passionem meditari propter aliquam dulcedinem temporalem, sed vt tui Creatoris beneficium recognoscens in eius accendaris amore. Et hæc debet semper esse tua continua oratio.

Psal. 131. d

1. Thess. 5. c

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, propter tuam largitatem, & Filij tui, qui pro me sustinuit passionem & mortem: & Matris eius excellentissimam sanctitatem, atque beati Francisci, & omnium Sanctorum merita: concede mihi peccatori, & omni tuo beneficio indigno: vt te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continue in corde habeam, meam miseriam recognoscam, & ab omnibus conculcari, & contemni cupiam: nihil me contristet nisi culpa. Amen.

CAPVT II.

Qualiter debet homo niti ad compatiendum Christo crucifixo.

Ad compatiendum Domino IESV Christo, crucifixo, primo studeas quantum potes te vnire illi per feruentem amorem. Nam quanto feruẽtius diliges eum, tanto magis suæ compatieris passioni: & quanto plus ei compatieris, tanto plus erga eum tuus accendetur affectus. Vnde si mutuo se augebunt dilectio, & compassio, donec venias ad perfectum, nisi hoc remanserit propter aliquam tuam miseriam. Et præcipue studeas abijcere omnem præsumptionem, diffidentiam & negligentiam. Debet enim homo tam nobile opus aggredi humiliter, & confidenter, & instanter, & cum quanta potest munditia cordis. Et quamuis homo videatur sibi indignus, & nequam, nihilominus non desistat: quia ipse pro peccatoribus crucifixus est.

Instructio I. ad compatiendum Christo crucifixo.

Primo igitur sic sibi vniaris amore, vt cor tuum iam sibi non tibi videatur coniunctum. Quomodo enim tunc non senties eius vulnera, aut quas passiones habebit, quę non perfundant cor tuum? Studeas ergo quantum potes, vt cor tuũ intret in ipsum totaliter, & te extra ipsum repute esse nihil, & de te extra ipsum tanquam de nihilo curabis. Tota cura tua vertatur ad præsens circa Dominum tuum passum. Nam eius es quidquid es, nec debes alteri de te quidquid exhibere. Si ergo translatus in ipsum sic fueris, non possum credere, quin eius vulneribus vulnereris, & perfundaris eius contumelijs, illusionibus & opprobrijs. Tunc quantam iucunditatem & dulcedinem assequaris, Dominus per suam misericordiã te faciat experiri. Male enim scirem hoc tibi calamo declarare. Et si hæc tibi nimis alta videntur, nec adhæc bene pertingere potes, sicut velles; potes te adhuc exercere modo alio grossiori subsequenti.

Instructio II.

Debes enim cogitare quantam passionem sustineres si excoriareris sicut beatus Bartholomæus, vel assareris, vt beatus Laurentius, aut vsque ad ossa carnes tuæ dentibus ferreis lacerarentur, alias etiam cogita pœnas, quas volueris, & passiones. Et cum ita ista cogitando super te conceperis quendam horrorem nimiæ passionis, tunc cogita quod Dominus noster IESVS Christus pro te vilissimo peccatore multo grauiores, & intolerabiliores sustinuit in cruce dolores, quam tu sustineres in passionibus supradictis. Tunc ergo rumina in corde tuo, quantam sustinuit angustiam & afflictionem, & quantus amor ad hoc ipsum induxit, & sic meditando afficiatur cor tuum illis doloribus quantum potest, & quasi illos sustineres amarissimis lacrymis perfundaris: nec dubium quin in dulcedinem maximam conuertantur.

Instructio III.

Et si adhuc hoc tibi non valet, melius experire. Facias tibi vnum bonum flagellum multum afflictiuum, & non nimis læsiuum, & in abscondito egregie te flagella non parcens corpori, donec fuerit bene perfusum dolore. Et

re. Et tunc cum illos senties dolores, ad Christum passum dirige cogitatum tuum, & meditare, quod dulcis dilectus Sponsus tuus, amor tuus, desiderium animę tuę, Angelorum solatium, beatorum præmium; Dominus IESVS Christus pro te vilissimo stercore voluit in suo corpore quasi sine comparatione sustinere multo intensiores dolores. Et non dubites, quod vltimum istud remedium multum valet, quia per passiones addiscit homo compati patienti. Ad hæc omnia addas orationem, vt quasi continue depreceris Dominum IESVM Christum, vt suis vulneribus mentem tuam vulneret: vt per ipsas passiones & vulnera à sua largitate impetres, quod intendis.

Instructio IIII.

Et si hæc omnia non valent tibi propter duritiem cordis tui, te tanquam stercus abhorrens plores amare, & dicas: Vsquequo cordis mei nequitia prævalebit aduersus IESVM Dominum meum passum: cuius vulnera vicerunt diaboli potestatem, superauerũt primi parentis veneficia, confregerunt portas inferni, & aperuerunt portas paradisi, & intantum abundat malitia cordis mei, vt non deuincatur à tam excellentissima bonitate. Quid ergo me nequius, & quid maius malitia cordis mei? Heu mihi quid faciam, qui nimiũ infirmus à passione Domini mei IESV Christi nequeo recipere medicinam? Non cessent oculi mei à ploratu donec lacrymarũ abundantia demolliat duritiã cordis mei. Heu, heu, quo ibo à spiritu tuo? Quid faciam ex quo animæ meæ vitam nescio inuenire, & erga me summam diffusionem diuinæ clemẽtiæ non valeo degustare? Sedebo in sterquilinio & mentis meæ saniẽ testa radã, affligam me de cetero, nec aliquatenus mihi parcam, donec in afflictione inueniã Dominum meum afflictum. Mirum est certe quomodo homo habet patientiam in seipso: videns tantam nequitiã cordis sui, & non doleat. O cor pessimum immo diabolicũ vsquequo resistes largitati immensæ. Quare magis delectaris in vulneribus peccati, quam in vulneribus IESV Christi? Quare magis compateris paruæ puncturæ pedis tui, quam grauissimæ morti Domini tui, & intentissimo dolori capitis tui, vitæ animæ tuæ Christi? Vbi maior imbecillitas & insania? O homo, nonne tibi videtur quod illum plus diligis, cui plus compateris in dolore? Et nunquid ergo plus diligis pedem tuũ, quam Dominum tuũ, quia scilicet isti pedi plus compateris in parua afflictione, & in illum quasi cor tuum tendis, quam illi, scilicet Domino Deo tuo, in maxima angustia & dolore, & parum aut nihil inclinatur cor tuum ad ipsum? O cæcitas immensa! ô serpentibus deteriores, qui in afflictione cõpatiendo capiti, totum corpus suum exponunt flagella! Sed certe videtur quod tanquam membra putrida iam sumus excisi à capite nostro IESV Christo, quia ipso vulnerato, eius vulnera nõ sentimus. Heu, heu Domine mi, quare me fecisti, si nõ debeo tibi esse coniunctus? Aut si tibi sum coniunctus, quare non sum tecum pariter vulneratus? Pro me Domine, pro me vulneratus es, non pro te: & tu vulnera non portas, non ego. Quid est hoc? Ego debeo esse subiectum vulnerum, & non tu: quia ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: sed tu qui es innocens ouis, quid fecisti? Vertantur, obsecro vulnera hęc in me, & in domum patris mei. Redde nobis Domine, redde vulnera nostra, ne tu qui innocens es, nocens appareas, retinens vulnera aliena, aut saltem tecum vulnera corda nostra. En mori volo, nisi vulneres mentem meam. Abhorreo videre cor meum non vulneratum: cum videam te Saluatorem sic pro me vilissimo cruci affixum. Aut ergo Domine IESV me tecum conuulnera, aut certe da mihi licentiam transuerberandi meipsum materiali gladio. Nolo enim Domine sine vulnere viuere, quia te video vulneratum. Si hæc omnia non valuerint tibi, tam nobilissimo beneficio es indignus, & de cetero non repútes te hominem, sed bestiam, & cum veris sit habitatio tua, quia indignus es consortio aliorum. Forte tamen si multum te humiliaueris, ille, qui respexit humilitatem ancillæ suæ, respiciet humilitatem animæ tuæ, & dabit tibi cor nouum, vt cognoscas Dominum Deum tuum passum

Psal. 138. a
Iob. 2. b

Sed quando Domine IESV, quando hoc erit? Differre Domine, mors mihi est. Et si multum expectaueris, forte desiderio liquefiam, & postmodum in liquido vulnera permanentia imprimi non valebunt. Nam anima mea Domine incipit iã languere, & quasi ad nihilum redigor, desiderans tuis vulneribus consolari. O Domine IESV, vbi est sapientia tua? An ignoras, quod melius est te habere creaturam tuam vulneratam, quam ad nihilũ redactã? Nõ ergo me, quęso, differas vulnerare, ne multa dilatione amittas, quẽ tuo pretioso sanguine redemisti. Curre, curre Domine IESV, curre, & me vulnera, quia fortasse nihil de me inuenies, si expectas. Sed heu mihi, quam vilis factus sum: quia videtur etiam quod Deus qui inimicos diligit, me odiat. Nunquid ergo plusquam inimicus factus sũ? Nã, vt inimicos redimeret, voluit lethaliter vulnerari, & ego deficio, & non videtur curare. Nõ enim peto, vt pro me amplius vulneretur, sed vt mihi quasi iam mortuo applicet sua vulnera, & reuiuam.

Domine IESV ferrum, tuam creaturam insensibilem, voluisti tuum corpus vulnerando intrare, & me tuã creaturam rationalem intrare per iam facta vulnera non permittis. Quid est hoc? Nunquid cor meum est durius, & vilius omni ferro? An cogitas, quod crudelius est? Sed mea crudelitas non tibi oberit si intrauero, cum amodo sis impassibilis. Quantumcumque enim intrem per tua vulnera, & discurram, & tuas carnes comedam prę amore, semper impassibilis permanebis, & meus satiabitur appetitus, ita tamen quod amplius incendatur. Sed quid vociferabor amplius? Tardas, & non venis, & iam lassatus desiderio incipio insanire. Amor regit, & non ratio, & curro cum impetu quocunque me volueris inclinare. Nam qui me vident, derident, & quod tuo amore sim ebrius, nõ cognoscunt. Dicũt enim, quid iste insanus vociferatur in plateis? Et quantum sit desiderium non aduertunt. Ignorant, quod amor tuus incensus impedit vsum sensus, & quod qui te feruenter quærit, seipsum & omnia derelinquit, & qui te quærit puro corde, sic parũ de extrinsecis curat, vt etiam quid faciat multotiens non aduertat. Veni domine, bone IESV, & noli amplius tardare, ne præ nimio desiderio fiam simpliciter sine sensu. Sed forsitan hoc requiris, vt cum ab omnibus fuero abstractus, purius intrem per vulnera tua gloriosa, quibus tunc plenarie vulneres amãtem. Tunc clamabo, & dicã: Heu, heu mihi Domine mi IESV, quomodo te video crudeliter vulneratũ, quanto dolore te video aggrauatũ? Quis mihi hoc tribuat, vt pro te moriar dulcissime Domine IESV? Te videre viuere in tanto dolore sustinere non possum, te aspicere horreo supra modum, te etiam liberari mors mihi esset: & ideo angustiæ sunt mihi vndique, & quid eligam, ignoro, nisi tecum pariter crucifigi. Tuas angustias considerãs in meipso deficio, etiam exanimis efficior præ dolore, & ira, quod pro me sustines tãta mala. Quid fecisti Domine, quare pro me vilissimo ascendisti in crucem? Et quid sum ego vilissimus vermis, putredo detestabilis, pro quo tu Dominus omnium debeas sic affligi, cum tu sis sapientia Patris? Quare talem commutationem fecisti, vt dares vitam pro morte, veritatem pro vanitate, gratiam pro malitia, gloriam pro miseria? Quis, quare hoc tu potens feceris, poterit cogitare vel iudicare? Nimia fuit dilectio tua, & in hoc apparuit abyssus, tuæ scilicet immensitas pietatis. Non enim in te video causam mortis, nisi superabundantiam charitatis. Nonne melius erat bone IESV, vt non essem, quam vt factus te occiderẽ? Et cur carnes meas non lacero prę dolore, aut quomodo me omnis creatura non occidit, qui fui occasio tuæ mortis? Nonne mirabile videtur me cogitare te tam nobilissimum & benignissimum Dominũ pro me tam vilissimo mortuum, & non statim deficere præ nimia tristitia? Et quomodo, si non esset tuæ contrarium voluntati, me materiali gladio non occido præ dolore, qui fui occasio tuæ mortis? Cum patientia ergo magna me debeo sustinere, sicut sustinerem aliquem inimicum meum coram oculis meis, cum video quem toto corde occidere affectarem, quamuis non auderem ali-

aliqua ratione. Nonne & hoc nequissimum est, quod post tam admirabile & fructuosum tuae passionis beneficium non cesso peccare in conspectu oculorum tuorum, ac si tua passio nihil esset? Te mihi dedisti, & te renuo, tenebras effugasti, & ipsas incurro, mundum abiecisti, & ipsum eligo, vel elegi. An non vides patientissime Domine IESV, quod semper nitor facere tuae contrariū voluntati, & in facie tibi resisto aperte? Si dicis, Nolo vt hoc facias; dico, Volo. Si dicis, Volo vt hoc fiat; dico, Nolo. Scio te Dominum meum summum bonū esse, & nihil ego sum, & ad te ac si nihil esses, non aspicio, sed conuerto cordis & corporis mei faciem ad ea, quę vana sunt, & aliquando ad quę incongruum est, nominare, & sic eis cor meum amoris vinculo colligatur, vt ad te, cuius est, nequeat eleuari. & hoc certe detestabilis abusio est. Sed nunquid bone Domine IESV voluisti pro me frustra mori, qui quem sic care emisti, pro nihilo perdidisti? Me tecum occidas, & pariter transfigas, ne à te valeā amplius separari, vt tecum possim viuere in æternum. Amen.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine IESV Christe, cor meum tuis vulneribus saucia, & tuo sanguine inebria mentem meam, vt quocunque me vertam semper te videam crucifixum, & quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum: vt sic in te totus tendens, nihil præter te valeam inuenire, nihil nisi tua vulnera valeā intueri. Hæc mihi consolatio, tecū mi Domine vulnerari, hæc intima sit mihi afflictio subtes aliquid meditari. Non quiescat cor meum bone IESV, donec inueniat te centrum suum. Ibi cubet, ibi suum terminet appetitum. Amen.

CAPVT III.

Meditatio compassiua in parasceue doloris quem tunc habuit beata Virgo Maria.

Stabat iuxta crucem IESV Mater eius. O Domina mea, vbi stabas? Nunquid tantum iuxta crucem? Immo certe in cruce cum Filio ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat, quia ipse in corpore, tu autem in corde. Necnon & eius vulnera per corpus eius dispersa sunt in corde tuo vnita. Ibi Domina lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum, & contumelijs plenum, aceto & felle potatum. O Domina cur iuisti immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat Filij passio nobis, nisi crucifigeretur & mater? O cor amoris, cur conuersum es, in globum doloris? Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed myrrham, & absynthium, & fel video. Quærō matrem Dei, & ecce inuenio sputa, flagella, & vulnera: quia tota conuersa es in ista. O amaritudine plena quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas pœnalitatis? O Domina quare non es solitaria in camera tua? Quare iuisti ad Caluariæ locum? Non est tua consuetudo Domina ad talia spectacula properare. Cur te non retinuit pudor mulieris, cur te non retinuit horror facinoris? Cur te non retinuit verecundia virginitatis? Cur te non retinuit loci turpitudo, multitudo vulgi, detestatio mali? Cur te non retinuit clamoris vehementia, stultorum vesania, dæmoniacorum caterua? Hæc non considerasti Domina, quia cor tuum alienatum totum præ dolore non erat in te, sed in afflictione Filij, & in vulneribus vnici, & in morte dilecti. Non considerabat cor tuum vulgus, sed vulnus: non pressuram, sed fixuram: nō clamorem, sed liuorem: non horrorem, sed dolorem. Reuertere Domina ad locum pristinum, nec cū percussione pastoris, te etiam amittamus, vt non vna hora vtriusque priuemur regimine. Non est consuetudo Domina, mulieres tali morte condemnari, nec etiam contra te Domina sententia est promulgata. Sed, vt puto audire hęc non potes, quia amaritudine repleta es, totum cor tuum versum est Domina circa Filij tui passionem. O mira res, tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. Quomodo est hoc, quod continens sit in contento? O homo vulnera cor tuum, si vis hanc intelligere quæstionem. Aperi cor tuum clauis, & lancea, & veritas subintrabit. Non enim intrabit sol iustitiæ in cor clausum. Sed ô vulnerata Domina vulnera corda nostra, & in cordibus nostris tuam, & Filij tui renoua passionem. Cor tuum vulneratū coniunge cordi nostro, vt tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc tuum cor saltem Domina non habeo, vt quocumque pergam semper tuo Filio videam te confixam. O Domina si non vis mihi dare tuum Filium crucifixū, nec cor tuum vulneratum, saltem quæso mihi tribue Filij tui vulnera, contumeliasque & illusiones, ac opprobria, & illa, quæ in te sentis. Quæ enim mater est, quæ si posset & à se, & à suo Filio non auferret passiones, & in suo poneret seruo? Aut si sic inebriata es istis, quod nec ea vis à tuo corde, nec à tuo Filio separare, saltē Domina illis ignominijs, & vulneribus indignissimum me coniūge, vt tibi, & Filio tuo solatium sit habere socium pœnarum. O quam beatus essem, si possem vobis saltē in vulneribus sociari. Nam quid est maius hodie Domina, quā habere cor iunctum cordi tuo, & Filij tui corpori perforato? Nonne cor tuum plenum est gratię illius? Et si apertum est, gratia illa non decurrit in cor sibi iunctum? Et si Filius tuus gloria beatorum, quomodo si perforatum est corpus eius, non emanat illius dulcedo gloriæ in cor sibi iunctum? Non enim intelligo aliter posse esse, sed timeo ne simus aliquando longe, & credamus esse prope. O Domina quare mihi quod peto non tribuis? Si te offendi, pro iustitia cor meum vulnera. Si tibi seruiui, nunc pro mercede peto vulnera. Et vbi est Domina, vbi est pietas tua, vbi est immensa clementia tua? Quare facta es mihi crudelis, quæ semper fuisti benigna? Quare facta es mihi amara, quæ semper fuisti dulcis, & pia? Quare facta es mihi auara, quæ semper fuisti liberalis, & larga? Non peto à te Domina solem, neque sidera, sed peto vulnera. Quid est hoc si de istis vulneribus es auara? Aut à me Domina vitam auferas corporalem, aut cor meum vulnera. Verecundum enim & opprobriosum est mihi, videre Dominum meum IESVM vulneratum, & te conuulneratam Dominam, & me seruum vilissimum pertransire illæsum. Certe scio, quid faciam, vel tibi sine cessatione vel intermissione cū clamore, & lacrymis, tuis pedibus prouolutus postulabo, proclamabo, & ero nimium importunus, & hæc mihi tribues: aut si me percusseris, vt recedam, tamen stabo, & tua sustinebo flagella, donec ero vndique vulneratus, nec aliud à te nisi vulnera peto. Si autem sine percussione blandiri volueris, perseuerabo constans, & tua recipiam blandimenta, & ipsæ blanditiæ cor meum vulnerabunt amore. Si autem, nec quidquam dixeris, tunc cor meum vulnerabitur tristitia, & dolore, & sic sine dolore non recedam.

CAPVT IIII.

Circa passionem Domini sex sunt consideranda.

Circa passionem Domini IESV sic potest homo se habere, vt consideret eam, primo ad imitandum, secundo ad compatiendum, tertio ad admirandū, quartò ad exultandum, quinto ad resoluendum, sexto ad quiescendum.

Primo igitur eam consideret ad imitandum, hæc enim est summa & perfectissima Christiani imitatio. Hæc est summa, & perfectissima vita imitando Christū. Hęc est summa, & perfecta religio, & religiosa perfectio. Hæc est regula, & exemplar perfectionis omnis vitæ & virtutis, scilicet Christum imitari in passione & morte. Sit ergo regula nostra viuendi passio Saluatoris. & tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur: & tanto amplius desolemur, quanto ab hoc exemplari, & regula amplius elongamur. Semper ergo, quantū in nobis est, velimus ab omnibus conculcari, deijci, vilipendi, illudi, persequi, flagellari, & in diuiuis obsequijs ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum eo nudo, & nihil penitus cupiamus habere, immo habere

Passio Christi consideráda est ad imitādum.

aliquid, sit nobis grauissima pœna, & dolor immensus: nihil autem habere, plena exultatio. Abhorreamus dulcia, & delectabilia degustare, & potius velimus vilibus & amaris cibari, & desideremus quòd qualibet cibaria felleum nobis potius, quàm melleum ferant saporem: quia ipse Christus felle & aceto fuit potatus. Et, vt breuiter dicam, consideremus, quæ pro nobis sustinuit, qualiter in passionibus se habuit, & nos pro modulo nostro, quantum possumus, conformemus eidem.

Passio Christi consideranda est ad compatiendum.

Secundo deberet eam homo considerare ad compatiendum. Debemus enim considerare ipsius flagella, illusiones, & opprobria, & in corde nostro ruminare, & imaginari quanta ibi fuit deiectio, & contemptus erga Dominum nostrum Iesum Christum, quantus dolor, quantave afflictio in corde & corpore. Sic & ratione B passionis, & compassionis pro peccatis nostris fuit. Consideremus ergo, quanta tunc amaritudine repletus erat Angelorum dulcedo, quantumque aggrauabat eum non tantum pœnæ illatio, & nostra ingratitudo, sed & assistentis Matris afflictio, quam sic diligebat, & quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Ibi Filius crucifigebatur cum Matre, & propter mutuam & intensam dilectionem ex cōpassione mutua erat nimia afflictio vtriusque, & maxime cum pro inuicem paterentur. Sciebat Mater, quòd Filius patiebatur pro ipsa, sicut pro reliquis redimendis, sciebat Filius, & certissime scrutabatur, quòd suus gladius ex compassione, Matris animam pertransibat. Vnde passio Filij erat passio Matris. Eia ergo Christiane hæc verte, & conuerte in corde tuo, & totum cor tuum reple conuicijs illis, & pœnis videns C Dominum tuum, & Sponsum tuum pro te talia sustinere. Si enim ei per amorem bene vnitus fueris, tunc compatieris eidem. Si autem non sentis dolorem capitis, quomodo es vnum cum ipso? Et sicut plus compatiendum est capiti, quàm ceteris membris, sic magis sine cōparatione sibi compati debemus, plusquam quantumque dilecto Filio, vel amico, immo plusquam tibi ipsi, si omnia prædicta patereris. Nunc ergo charissimi felle & absynthio, atque myrrha inebriemur, & solum eius vulnera sentiamus, transfigant cordis nostri intima, eius conuicia, flagella, & vulnera, nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, & affligatur intense.

Passio Christi consideranda est ad admirandum.

Tertio consideremus eam ad admirandum. Si enim consideremus quis, quæ, pro quibus passus est, multum mirari debemus. Quis, scilicet Filius Dei verus, summe D potens, sapiens & bonus, & simpliciter quidquid nobilitatis ei attribueris, nihil est adhuc respectu magnitudinis suæ. Omnia quantumcumque bona sint & magna, sunt sicut quædam fauilla, immo quædam vanitas in comparatione ipsius. Quæ, scilicet peregrinationem, fugas, sitim, famem, calorem, frigus, tentationes, horrores, persecutiones, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones, & dolores, plagas, & vulnera. Conspuitur enim gloria, condemnatur iustitia, iudex iudicatur, inoffensus inculpatur, innocens infamatur, Deus blasphematur, Christus conculcatur, occiditur vita, obscuratur sol, luna denigratur, sidera disperguntur: & hæc omnia tolerat patienter vt agnus, cum solo nutu omnem creaturam demergere posset in profundum inferni. Sed pro quibus hæc patitur? Pro nequissimis mancipijs, pro E sceleratissimis inimicis, immo pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filijs, pro contemptoribus diuinæ maiestatis, & diuinæ bonitatis ingratis. Ergo talis & tantus, talia & tanta pro tam vilissimis, & abiectissimis passus est. Sed à quibus? à specialiter prædilectis, & alijs prælectis, quibus omnem benignitatem ostendit, à vilissimis maximus, à stultis sapientissimus: quia Dei verbum, & Dei sapientia, ab impijs summe pius, à sanie fœtidissima splendor æternus. In his ergo omnibus in diuinæ benignitatis, & largitatis admirationem eleuemur.

Passio Christi consideranda est ad exultandū.

Quarto consideremus eam ad exultandum. Exultare in ea debemus de redemptione humanâ, restauratione Angelica, & diuina clementia. De redemptione humana sine dubio nimis gaudere debemus facta per Christi A passionem & mortem. Quis, quæso, non exultet & gaudeat, cum cernit seipsum per hanc beatissimam passionem liberatum à damnatione æterna, à culpæ ignominia à potestate diabolica? Sed quis non exultet in immensum, cum cernit Deum ipsum in tantum diligere, vt tantæ vtilitati, & pœnalitati subiecerit semetipsum pro eo? Non quod gaudeat de eius vilitate & passione dico, sed de eius effectu, affectusq; & amoris manifestatione. Quis princeps in regno vel imperio alicuius Imperatoris, vel Regis, cernens se tantum à Rege, vel Imperatore diligi, vt paratus esset mori pro ipso, non gauderet & exultaret? Quanto magis nos vilissimi homines, & nefandissimi peccatores, & serui gaudere debemus & exultare, cum videmus Regem regum, & Dominū dominantium, & Creatorem nostrum Iesum nos ita continue diligere, vt immolauerit seipsum pro nobis in tam turpi & vilissima morte? Debemus etiā superextolli immensa exultatione. Plus enim sine comparatione me diligit, quam ego meipsum. Gaudeamus etiam & exultemus, quod per Christi passionem restaurata est Angelica ruina: Magna iucunditas debet nobis esse cum videmus per Christi mortem tam nobile collegium reparati de nobis, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor, & simus vnum in vno. In hoc enim debet tota cælestis curia & etiam militaris Ecclesia gratulari. O certe amabilis, & venerabilis passio salutaris, quæ sic disiuncta coniugis, & transequestrata conglutinas, & vnis firmissime insimul, stringisq; vinculo consummati amoris & felicitate gaudii sempiterni. Præcipue autem gaudere, & exultare debemus cernentes in supradictis omnibus summam clementiam Domini, Deiq; nostri Iesu Christi. Hæc puto summam esse gloriam bonorū tam hominum, quā etiam Angelorum, quanto intimius, & profundius contēplantur clementiam & beneuolentiam Dei, & immensitatem bonitatis eius, & hoc debet esse cuiuslibet contēplantis exultatio medullaris. Sed vbi, quęso, magis apparet diffusio bonitatis diuinæ, & benignissimæ clemētiæ dulcissimi, & amantissimi Patris & Domini nostri Iesu Christi, quam in passione sua, vbi talia, tanta, tam turpia & grauia sustinere voluit pro inimico suo liberando & glorificando, pro vanitate quadam digna morte æterna? In istud gaudium intret homo, & reficiatur magnificentia benignitatis diuinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde suo exaltetur excellentissima, & inenarrabilis clementia Christi passi, &c.

Passio Christi consideranda est ad trāsformationem in ipsum.

Quinto etiam consideremus beatissimam Christi passionem ad cordium nostrorum resolutionem, & etiam perfectam transformationem in ipsum, quod fit quando homo nō solum imitatur, compatitur, admiratur, & exultat, sed etiam totus homo conuertitur in eum, scilicet Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum, vt iam quasi vbique, & semper crucifixus sibi occurrat. Immo tunc ille vere in ipsum resoluitur homo, quando exiens ex se, & superpositus vniuersis, immo super se abstractus ab omnibus totus est cōuersus in Dominum suum passum, vt nihil videat, aut sentiat intra seipsum, nisi Christum crufixum, illusum, exprobratum, & passum pro nobis.

Passio Christi consideranda est ad interni dulcoris quietem.

Sextò cōsideremus eandem beatissimam Christi passionem ad quietem dulcoris interni, quod fit quādo resolutus homo, vt dixi, sitibūdus eandem passionem ruminare non cessat, & intrans secundum posse suum illum passionis thesaurum similiter & deuote, liquescit amore deuoto, & feruida deuotione vel dilectione deficit à se, & requiescit in Christo crucifixo. Sed quanto ei plus inhæret, & appropiat, tanto amplius deuotissimo amore in se deficit, & liquescit. & quanto plus deficit à se amore, & deuotione, tanto amplius eidem dilecto pro se mortuo inhęret: & plus requiescit in eo. Et sic mutuo se augent adhæsio amoris, & deuotio, donec tota Sponsa absorbeatur ab illo camino amoris passionis dilecti. Sic in amplexibus Sponsi corporata quiescit, qui clamat, & dicit: Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne euigileris, neq; suscitare faciatis dilectam, donec ipsa velit, &c. Sic ergo

Cant. 3.b.6

circa passionem Domini debet esse imitatio ad purgationem mentis & dilectionem, compassio ad vnionem & amorem, admiratio ad mentis eleuationem, gaudium, & exultatio ad cordis dilatationem, resolutio ad perfectam conformationem, quies, & pausatio ad deuotionis compositionem.

CAPVT V.

Qualiter passio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

SEd necdum ruminare cessemus Christi gloriosissimam passionem, vt per eam dirigamur in omni bona affectione, virtute, sapientia, cogitatione, locutione, & operatione. Sed primo de quatuor affectibus animi videamus, qui sunt gaudium, dolor, spes, & timor. In hac autem beatissima passione datur nobilissimi gaudii materia, & vehemens exultatio. Ibi est etiam omnis inutilis, & nociui gaudii resecatio. Vbi est maior materia gaudii & exultationis, quam circa Christi passionem, qua ab omni potestate diaboli liberamur, à culpa & pœna absoluimur, in Dei filios adoptamur, & Christo in matrimoniũ iungimur, quà etiam gratia largitur, cœlum aperitur, gloria offertur & datur? Vbi est maior & excellentior gaudii materia, quàm vt videamus nos à Deo in tantum diligi, vt talia voluerit pati pro nobis? Est etiam ibi inutilis & nociui gaudii resecatio. Considera Domini nostri passionem beatissimam, & videbis quomodo resecanda est omnis consolatio corporalis, & omne gaudium corporale, & omnis laus humana. Est etiam in hac beatissima passione materia immensi doloris. In dolore enim Domini nostri Iesu Christi, debemus intime sibi condolere, & compati. Debemus etiam ei condolere, & multum dolere quòd peccata nostra fuerunt sibi occasio tantæ abiectionis, & tam immensæ afflictionis. Est insuper ibi materia spei. Qui enim proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo, etiã cum illo non omnia nobis donauit? Est etiam ibi vehemens materia timoris. Si enim pro delictis nostris passus est homo Deus, in quo non potuit esse peccatum, quanto magis punientur peccatores? Si enim sic actum est in viridi, quid fiet in arido? Inuicem autem coniunge, scilicet gaudium & dolorem, spemq; ac timorem, ne desperationem incurras, vel præsumptionem. Et sic aliqualiter adaptatio de quatuor animi affectibus patet.

Rom. 8. f

Luc. 23. c

CAPVT VI.

Quomodo passio Domini adaptatur virtutibus, & primo fidei, & post de aliis.

NVnc aliquantulum de virtutibus videamus diuinis. Quid dicimus de fide? Dico, quòd hæc est rõbur & fundamentum totius Christianæ fidei, vel religionis. Peto an Deus erat iste, qui passus est, annon? Si sic, habeo propositum, quia ipsa passio veram humanitatẽ demonstrat, pa[illegible] ipsum esse verum Deum & hominem. Si autem dubitas; ostendo tibi ex ipsa passione ipsum fuisse Deum. Nam si non erat Deus, & dicebat se Deum esse, erat superbissimus hominum, immo & dæmonum: quia Lucifer nunquam dixit se esse Deum, licet quantum ad aliud voluerit esse similis Altissimo. Sed sic superbũ impossibile est, tantam deiectionem, illusionem passionẽ, & ignominiosam mortem subire, tam voluntarie, tam humiliter, tam pacifice, & velle cum peccatoribus reputari. Si enim non erat Deus, & volebat se ostendere Deũ, quidquid fuisset vilitatis, fragilitatis, & deiectionis, occultasset pro posse. Ideoq; nec famem, nec sitim, nec laborem, nec fatigationem, nec lacrymationem, nec timorem, nec vllum dolorẽ ostendisset, sed si habuisset libenter occultasset. Nec enim mul[illegible] curasset se ostendere hominem, & maxime passibil[illegible] mortalem, sed quod videretur esse apparentiæ sublimitatis, & magnificentiæ, vt posset aliqualiter credi Deus. Cum hæc simul credere sit difficillimum, & parum ad elationem superbi faceret reputari homo mortalis, quomodo obsecro dixisset, Tristis est anima mea, vsque ad mortem? Quomodo se dixisset Filium hominis? Si dicas quod non voluntarie, sed inuite passus est: hoc stare non potest, quia ipse dixerat: Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur, &c. Vnde prædixit omnia. Si dicas, quod hæc ad deceptionem fecit, hoc nihil est, quod scilicet aliquis se velit morti tradere propter aliquam deceptionem. Si dicas, quòd videbatur mori, sed non moriebatur: ad hoc dico, quòd nullo modo homo, quantumcunq; malitiosus, seu etiam diabolicus, nec etiam diabolus hoc fecisset: quia non erat ista via tradenda ad credendum aliquem non Deum esse Deum, sed potius contrariabatur. Quod patet, quia discipuli eius relicto eo abierunt, & vt dicitur in sola Virgine remansit fides Ecclesiæ. Stultissimum enim & incredibile est, nec etiam licet dicere, nec etiam cogitare, quòd homo quantumcunq; diabolicus procuret se ab omnibus pro Deo coli, tam ignominiosa morte, & vilissima deiectione, sed potius econtrario, cum passio Christi sit Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia. Ex qua gloriosissima passione arguitur, Iesum Christum non esse tantum verum hominem, sed etiam verum Deum, & omnium Dominum. Item si solam humanam laudem quæreret & appeteret, nonne descendisset de cruce, quando Iudæi dixerunt, Descendat nunc de cruce, & credemus ei? Hæc enim via passionis ignominiosæ, & si non esset expediens homini decipere volenti, vt ostensum est, tamen congruentissima fuit Deo saluare cupienti ratione suæ bonitatis, potentiæ, & sapientiæ, qui non procurabat nisi nostram redemptionem, & salutem, obediendo Patri vsque ad mortem.

Mat. 14. d

Luc. 18. f

Matt. 26. f

1. Cor. 1. c

Matt. 27. e

Est autẽ hæc gloriosissima passio, non solum fidei fundamentũ, sed & spei erectio, vbi seipsum donauit, & charitatis inflammatio, vbi se pro nobis immolauit. Et hæc sufficiant de Theologicis virtutibus, & etiam de Cardinalibus. De quibus tamen latius tam in præcedentibus, quam etiam in sequentibus patet.

Est nihilominus exemplum, & ratio perfectissimæ prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, & iustitiæ, sicut intelligentibus apparet manifestissime.

CAPVT VII.

De simplicis ascensu contemplationis in passione secundum septiformem gratiam Spiritus sancti.

IN hac etiam gloriosissima passione, gloriosissime lucet speculum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris. Sed qualiter ibi sit, & appareat summa sapientia, est sensus consummatus cogitare de ea, & quàm sapientissimus homo fiat in illa & de aliis donis pertractare per singula nimis est prolixũ. Adhuc tamen charissime frater potes in præclarissima passione; quam nominare sum indignus septem ascensus siue gradus contemplationis euidentissime speculari secundum septiformem gratiam Spiritus sancti, donum scilicet sapientiæ, & intellectus, &c.

Nam in illa beatissima passione crucifixus cum Christo ad acumen contemplationis ascendit per sapiẽtiæ donum hoc modo. Consideratio sapientialis est in hac beatissima passione, quando homo considerat potentissimũ pro nobis conculcari, sapientissimum ad modum stulti illudi, optimum amaritudine repleri, & tamquam pessimum turpissima morte damnari. Et ex hoc surgit mens in quandam admirationẽ tantæ dignationis diuinæ, & tantæ erga nos benignitatis indignos. Et tunc cum masticat illam passionem Domini sui Iesu, diligenter admirans in ea excellentissimam benignitatem Domini Dei nostri Iesu Christi erga nos seruulos suos, incipit mentis desiderium, & amoris ardor erga Dominũ nostrũ Iesum Christum intendi, & quadam auiditate hanc excellentissimã passionem & immensam Saluatoris clementiam ruminare.

Gradus primus per donum sapientiæ.

nare. incipit eius gustus animi quodam modo ineffabili dulcorari, amaritudine appetitus refici, & totus homo interior alienari à se, & quietari in Christo. O mira, & à sæculis res inaudita! In ineffabili amaritudine, dulcor indicibilis reperitur: & in hoc perficitur contemplatio speculantis, quia summam, & inenarrabilem dulcoris suauitatem, quam sentit in consideratione illius summæ clementiæ, qua dignatus est pro nobis mori, coniungit cum amaritudine inæstimabili, quam sentit compatiendo doloribus Domini nostri Iesu Christi passi. Amaritudo ncompassionis animũ recolligit, & vnit admiratio diuinæ clementiæ in eadem passione animum iam vnitum eleuat, & totum in Deum diffundit. O mira passio! O ineffabilis potatio! O confectio impretiabilis, commixtio ineffabilis, intimus dolor internæ compassionis cũ immensa exultatione diuinæ bonitatis. Et quia ibi inenarrabilis amaritudo cum inenarrabili dulcedine reperitur, ideo inter vtrunq; contẽplantis animus obstupescit, & quasi ebrius corruit totus in Deum. In compassione illius amaritudinis fit quasi aurum in fornace anima purissima. In consideratione vero illius clementiæ, & benignitatis, fit anima ab ipso sole iustitiæ splendidissima. Fit quidẽ illa amaritudine homo innocentissimus, fit illa benignitate doctissimus. Fit homo interior illa amaritudine abstractissimus, & fit illa clementiæ immensitate diuinissimus. Quid dicam? Ecstaticus fit aspectus interior, & ab illa ineffabili clemẽtia absorbetur, & tunc requiescit Sponsa cũ Sponso, & mira suauitate sopitur.

Gradus secundus per donum intellectus.

Est etiam ascensus in præamabili passione per donum intellect⁹ hoc modo. Eo enim quòd homo cogitat, quòd Filius Dei voluit pro ipso redimendo talia sustinere, recognoscit quantæ nobilitatis sit anima sua, pro qua redimẽda voluit Filius Dei mori: & hoc ipso ad nobiliora animatur. Et quia illum pretiosissimum sanguinem pro anima sua dealbanda effusum esse agnoscit, dedignatur se vilitatibus vitiorum inquinari. Quia cognoscit etiam per illam beatissimam passionem ruinam Angelorum de hominibus reparari: ideo reuocatur ad Angelice viuendum, & in cœlestib. conuersari. Et quia videt Christum in cruce totum pro nobis expositum tribulationi, iam sibi omnia leuia videntur, dum tamen possit illi soli viuere, & placere. Recogitat quomodo ab ipso Christo dilectus est, quem pro se sic videt ignominiose, & acerbe tractatum, & amore ipsius accensus illud latus beatissimum pro suo modulo nititur introire, quod pro se, ac sibi dignoscit esse apertum. Ardescit quasi ignis animus eius, & cum Christo toto corde desiderat crucifigi. Suspirat, anhelat, & anxiatur totaliter illa passione perfundi, & plenarie in suum Dominum crucifixum transformari. In seruitute & miseria se reputat esse, nisi conseruetur in sanguine Redemptoris. Non se reputat hominem, sed bestiam, & peius quam bestiam, nisi sit vestitus Dominica passione. Abhorret negligere tam nobilissimum Dei beneficium, & ideo semper, vel quasi, vult meditari de ipsa passione: Sicut enim vult semper redemptus manere, sic semper vult redemptionis pretium in corde portare. Suam vitam, & suas delitias reputat Christum passum, & ideo semper conuersatur cum illo. O quantus dolor, quantaque tristitia, si videat cor suum ad aliud inclinari! Inebriat se Christi cruore, & iam dedignatur perfrui alia re. Nam sanguis Christi ornat genas eius, vt Christi formis sit pura Christi Sponsa. Agnoscit enim quod apertione lateris eius copulata est in coniugium eius. Et ideo semper vult stare ad latus eius. Palpat & tractat Sponsum suum vulneratum, & totum vulneratur cor eius. Applicat cor suum vulneribus Sponsi, perligat, & signat indissolubili vinculo charitatis, & sic colligatur vulnerata Sponsa cum vulnerato Sponso, & vulnus vulneri copulatur. Emanat Sponsi sanguis in vulnera Sponsæ, & ipsa deficit dolore, amore liquescit, ibique requiescit.

Gradus tertius per donum consilii.

Tertius ascensus est in illa beatissima passione per donum consilii, hoc modo. Recogitat animus contemplantis, quod Dominus noster Iesus Christus crucifixus vsque ad crucis mortem fuit obediens Patri, omni vilitati, abiectioni, & derisui subiectus pro nobis, paternũm cum sua deiectione requirens honorem, vt sicut quantum ex parte nostra erat, peccatis nostris inhonoraueramus eum, sic seipsum inhonoraret ignominiose moriendo pro nobis. Recogitat etiam quod si Christus semper fuerit pauper in cruce, tamen pauperrimus fuit, cum expoliatus. nudus remansit pendens in ligno Recogitat etiam quod in cruce fuit amaritudine & doloribus plenus, qui Angelorum dulcedo & solatium erat. Elongata enim fuit ab eo omnis delectatio & consolatio temporalis. Ex his ergo consurgit animus ad similia facienda, etiam se abstrahere cupit ab omni appetitu honoris, & ab omni rerum possestione, ac ab omni corporali consolatione. Primo ergo intuens Christum Dominum suum abiectum & vilificatum, non iam temporalem honorem appetit, sed toto corde desiderat cum Domino suo omnem vilitatem, abiectionem, & derisionem subire: in quibus possit Domino suo aliqualiter conformari: honores tanquam vilissimum stercus abhorret. Iam non desiderat placere hominibus, sed potius quantum in se est, omnibus displicere, & ab omnibus abhorreri, semper tamen ad Dei honorem: & etiam si indifferenter esset vtrunque, vituperium potius appeteret quàm honorem. Sunt enim ei fœtidissimæ sanies laudes sui, id est, de seipso. vnde solum diuinas laudes requirit, ibique totus affluit, resoluitur, & liti inextinguibili inæstimabiliter in omnibus solum diuinum honorem requirit. Iam non ad se reflexus, nec ad alia obliquatus, sed totus rectissime tendens in Deum. Tunc maxime lætatur eius animus, quando vituperio suo honorificat Deum: quia ad vtrunque anhelat cor eius, & vtrunque respicit in Christo crucifixo fuisse. Sed quid dicam de paupertate? Semper vellet esse nudus cum nudo in cruce: dolor enim sibi est intimus aliquid habere, gaudium maximum non habere siue in proprio, siue in communi, siue quantum ad dominium, siue quantum ad vsum. Vsus enim paupertatis maxime ei placet. Sed quia necessitas, aut spiritualis vtilitas non permittit eum aliquorum vsibus non indigere. ideo secundum quòd ad honorem Dei videt esse, tenet ea, sed tamen quasi gladium acutum in corde. Et ideo paucioribus vtitur, quibus potest, alleuians se amplius quo potest, nec delectatur in multiplicando, sed gaudet in abiiciendo. Sed quid de corporeis consolationibus & delitiis dicam? Ab omni breuiter consolatione, quæ non est à Deo, vel secundum Deum, vel in Deo, se abstrahit quantum potest. Semper desiderat amaritudine & afflictione cum Christo repleri: quidquid complacet suo corpori, aut corporis sui oblectationi, corde abhorret. Non potest gaudere, non potest lætari, nisi videat se illis beatissimis vulneribus conformari. horret in consolationibus, in amaritudinibus & doloribus gaudet. Sic ergo egregius contemplator per donum consilii in passione Christi se ab omnibus abstrahens totus in Deum tendens super omnia eleuatur, à seipso abstractus, solum in Dei honore, in Christi vilificatione & afflictione, cor suum, & sua meditatio conuersatur. Iam solus cum solo conuersatur, & circa diuinos honores, circa æternas diuitias, circa immensas Dei delitias negotiatur in prædicta passione anima delicata. Ibi habitat, ibi requiescit, in Domino suo dulcoratur, cor liquescit, pectus, mens supra se eleuatur, inebriatur anima spiritualibus delitiis, & in eis sepelitur.

Gradus quartus per donum fortitudinis.

Quartus ascensus est per donum fortitudinis. per hunc modum in prædicta passione. Nam anima diligenter illam passionem Domini sui ruminans considerat Christi fortitudinem aggrediendo, tolerando, subiugando. In aggrediendo tam voluntarie tam opprobriosa certamina, offerendo se ad tam vilia, & acerbissima perferenda pro nobis idololatris & inimicissimis suis. In tolerando tã acerba & vilia pro creatura sua, quam in momento destruere posset, quasi mansuetissimus agnus, immo sine comparatione mansuetior in tolerando. In subiugando se in cruce diabolum superauit, & mortem moriendo destruxit. Sic & fortis Christi miles, & imitator Domini sui quanto res difficilior, quantoq; ignominiosior, tanto fer-

uentius & ardentius, atque libentius aggreditur eam, dũ tamen fit ad Dei honorem & laudem, aut aliorum salutem, vel propriæ animæ vtilitatem, quod totum ad honorem Domini est. Nam nihil ei difficile esse vel ignominiosum videtur, dum pro eo facit, qui pro ipso indigno talia est aggressus: immo omnia dulcia, omnia amabilia, omnia laudabilia, & desiderata iudicat. Quanto magis assimulatur illi ignominiosæ passioni, illã libentius astringit, amplectitur auidius. Hæc quærit, hæc recogitat, hæc scienti animo adimplere desiderat. Non dicit, Quare mihi impositum est hoc vel illud onus? sed dicit, Quare non subeo hoc, & illud grauissimum & vilissimũ opus? Ex hoc nititur etiam imitari Dominum suum Iesum in tolerantia passionum. Fit enim agnus & coram se tondentibus irridentibus & flagellantibus obmutescit penitus immo in omnibus his arridet cor eius, videns se Domino suo conformari, & pro meritis digna pati, & eo ipso Dominum honorari. Imitatur etiam Dominum in fortitudine dominandi. Subiugat enim sibi omnem animi sui appetitum, vt ad nihil nociuum, nihil superuacuum, & inutile extendatur. Quasi castrum fortissimum cor suum custodit, vt non solum nociua, sed etiam otiosa, vel infructuosa permittat ibi rogari. Omni custodia custodit cor suum, & semper vult diuina vel ad Deum suum tendentia ruminare. Et quia dum in hac vita sumus semper, vel quasi semper tritico paleæ admiscentur; ideo semper ventilabrum tenet in manu ad continuè perflandum & purgandum aream suam. In ostio cordis suiipsius statuit versatilem gladium, vt ipsum quasi Dei paradisum custodiat diligenter. Quique cogitatus in corde suo vesci voluerit ligno vitæ, hunc diligenter fouet & nutrit: qui vero ad lignum vetitum solum aspectum direxerit, illum statim à corde suo abscidit. Non ibi introitus colubri tortuosi, nec muliebris cogitatio reperitur. Et si inueniatur, cum vituperio, & cum impetu remouetur, solumque ibi virilia nutriuntur. Hic vere potest diuinæ contemplationi adhærere, qui purgato corde, & mundo corpore incedit. Non enim leuat oculos ad vana, aures ad inutilia vel nociua, non nares ad odorifera, non gustum ad dulcia, non tactum ad mollia: sed totaliter interius & exterius cum omni diligentia se custodit, & dominatur sui plenarie secundum quod potest assequi in hac vita: sicque propter sui puritatem aptissimus fit ad susceptionem diuinarum irradiationum. Libenter in tam puro habitaculo habitat sol iustitiæ, & fulget in quibuslibet angulis eius. In intimis eius resplendet claritas huius solis, quia nec impediens inuenit, nec resistens: splendet, & resplendet, donec illud cor purum absorbeatur diuina claritate. Tunc anima super se eleuata, diuinam caliginem intrat, tunc clamat & dicit: Et nox illuminatio mea in delicijs meis.

Matt. 3. c & Luc. 3. d

Gen. 3. d

Psal. 138. b

Gradus quintus per donum scientiæ.

Quintus gradus per donum scientiæ est in beatissima passione Domini nostri Iesu Christi. Et si velis accipere donum scientiæ in medio nationis prauæ & peruersæ prudenter conuersari; primo clarissimum speculum de hoc inuenies in hac beatissima passione. Possumus tamen præfatum donum scientiæ accipere, prout est inferiorum cognitio, prout ipsa sunt auxiliantia, & inducentia ad spiritualia, & supercælestia contemplanda, & hoc in passione Domini nostri Iesu Christi inuenire poterimus, maxime considerantes correspondentiam figurarũ. Et reperies ibi mirabilem thesaurum sub illis figuris absconditum, in quo mira deuotionis suauitas, & animarũ satietas fodienti cum diligentia elargitur. Videas ergo qualiter figuræ, & diuina Scriptura in Domini passione clarescunt, & inde postmodum altius eleuare ad admirãdam sapientiam & clementiam Dei Patris nostri, qui sic ad vtilitatem nostram omnia tam diligenter ordinauit. Omnia ergo inquantum possumus ad Christum crucifixum reducamus. Dicamus igitur: In principio creauit Deus cælum, & terram, idest in Filio sic crucifixo Angelicam, & humanam naturam restaurauit, humanam redimendo, Angelicam de hominibus reparãdo. Dixit Deus: Fiat lux. Ipse in cruce lux est expellens omnes peccatorum tenebras per sui præsentiam faciens diem, & per absentiam noctem. Fecit etiam firmamentum in medio aquarum in cruce, diuidens consolationes temporales ab æternis, vel diuidens aquas sapientiæ humanæ ab aquis sapientiæ diuinæ, vel diuidens aquas vitiorum ab aquis gratiarum, vel aquas tribulationum ab aquis diuinarum consolationum. Item in Christo existente in cruce congregatæ sunt aquæ sub cælo erant: quia Deus posuit in eo omnes iniquitates nostras, id est pœnas pro nostris iniquitatibus debitas. In eo vero facta est congregatio aquarum, quia in eo fuit diluuium passionum, amaritudinum, & opprobriorum: & ideo gratia sui terra apparuit arida. Qui enim pro peccatis nostris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati sumus merito passionis suæ. Vnde vere ipse fuit mare magnum, & spatiosum nimis, & profundum. Et sic discurre per Scripturas secundum quod Dominus tibi dabit: quia quasi infinita inuenies ibi, quæ pulcherrime Dominicam passionem designant. Nec tamen si multo plus sine comparatione essent, sufficerent ad ipsam plenarie declarandam. Et si quis bene & diligenter eas Scripturas recolligeret, & videret, in quo illa & illa Christi passionem ostendunt, videret in eis mirabilem correspondentiam, & audiret ibi mirabilem melodiam, quæ miro modo dulcoraret cor suum, & faceret eum ingredi in Sanctuarium Domini. Accipe vnam quantumque vis alienam figuram de passione Domini nostri Iesu Christi, & videbis quanta est ibi dulcedo, si bene cum diligentia ruminetur. Vide, obsecro, illam Abrahæ figuram de vitulo, quem tribus Angelis ad vescendum dedit, quantam dulcedinem continet contemplationis, quæ tamen in apparentia parum, vel parua apparet. Quantam ergo continet dulcedinem, quæ in ipso primo aspectu ipsam mentem dulcorat, sicut est illa ligni vitæ in medio paradisi, idest Christi in cruce in medio Ecclesiæ, siue in corde Virginis, quæ erat sicut paradisus, & de fonte egrediente de loco voluptatis, idest de latere Christi, &c. Quid est, obsecro, Abraham vitulum tenerrimum de armẽto dare ad vescendum tribus viris, nisi Deum Patrem, suum Filium vnigenitum innocentissimum, immo gratiæ & veritatis plenum pro nostris iniquitatibus tradere morti crucis? Et quid est tres viros vitulo vesci, nisi ex illa passione toti satisfieri Trinitati, quæ erat pro nostris iniquitatibus ad iustitiam famelica? In hoc apparet illius figuræ dulcedo, quòd per Abraham intelligitur Deus Pater, & per vitulum Filius, & per illos tres viros ipsa Trinitas, cum tamen non distinguantur Pater, & Filius ab ipsa Trinitate, nisi quia sunt de tribus personis duæ. In hoc dico apparet ineffabilis, & mira dulcedo cordi contemplantis: quia Deo ad iustitiam suã famescente in seipso propter nimiã benignitatem suam iudicium flexit. Alioquin deuorasset nos iustitiæ fames: quia non erat qui satisfacere posset illi appetitui, nisi iste vitulus tenerrimus. Deus ergo Pater tradidit Filium suum omni afflictioni, & derisui ad satisfaciendum sibi, & Filio, & Spiritui sancto pro iniuria eis illata à nobis. Quid est hoc? Numquid, quia offendimus eum, debuit seipsum iudicare? Nonne aliter potuit vindicare se, nisi adiret pœnam offensæ? Ipse Christus erat offensus à nobis, & iterum iudicatus fuit à nobis, & in nobis, & pro nobis, & hoc secundum diuersas naturas, tamen eadem persona fuit offensa, & iudicata. Comede ergo tu frater dulcissime de vitulo Abrahæ, si vis mirabilem refectionem habere. Attende etiam quidquid in figura sequitur: Filius Abrahæ promittitur de Sara post vituli comestionem, cum tamen essent ambo senes prouectæque ætatis. Quid est hoc? Numquid post mortem Christi nascitur denuo Christus, qui per Isaac intelligitur? Sic certe in cordibus nostris. Nam iste Abraham senex, est Deus Pater, qui antiquus dierum in Daniele vocatur propter principalitatem auctoritatis, quæ residere consueuit apud senes. Non enim in eo est durationis successio. Nam etsi propter immensitatem sit eius duratio interminabilis vitæ possessio, tamen propter nimiam simplicitatem est

Gen. 1. a

Ibidem.

Ibidem.

Psal. 103. c

Gen. 18. b

Dan. 7. c

tota

tota simul. Iste pater antiquus de Sara antiqua post vituli comestionem genuit Isaac, idest, vnicum filium, quē genuit, & generat ab æterno, idest, postquam pro nobis in cruce immolatus est, in mentes nostras omni malitia antiquatas misit non per loci mutationem, sed per mentium nostrarum irradiationes: & tunc ridere vere potuimus, quia dulce lumen, & delectabile oculis solem iustitiæ intueri potuimus. Et ideo vere Isaac dicitur risus noster. Sed numquid Domino mirabile fuit, quod antiquus de antiqua generaret? Item omni admiratione dignum, & gratiarum actione, quod ille, qui est summæ maiestatis & antiquus propter auctoritatis principalitatem, vilissimarum animarum, & idololatrarum, omniq; malitia antiquatarum voluerit recordari. Sed hoc maxime mirum videtur, quia post mortem vituli, idest, Filij: quia eo ipso digni eramus carentia eius, quia ipsum occideramus. Fecit ergo benignissimus Dominus antiquato tempore, & antiquata malitia, nobis bene, quia fecimus ei male. occidimus Filiū suum, & illa morte nobis ipsam damnauit. Vide, & attende mirabilia Dei. Sed nonne anxiaris in corde in nouissimis diebus, iam sene Sara? Quid si Sara mortua esset? quid si paululum expectasset, qui tanto distulit tempore? Nonne defecissemus in iniquitatibus nostris, nisi esset Isaac amplius risus noster: Sed quare plus modo, quam prius? Nonne quia abundauerunt iniquitates præ ceteris? Gratias tibi Domine IESV, gratias agimus: quia recordatus es nostri, repugnantibus meritis nostris.

Totum ergo me tibi debeo, immo in infinitum plusquam totum, si possem: quia nō solum me fecisti totum, sed immensa etiam benignitate tua me refecisti. Accedam ergo, & attendam ad te totus, & tibi totaliter adhærebo. Ibi requiescat cor meum, & de cetero per deuia nō discurrat. Si ergo in prędicta passione mens eleuari debet per scientiam figurarum correspondentium, & præfigurantium ipsam beatissimam passionem, debet enim eas cum summa diligentia ruminare, & in illos diuinæ bonitatis, & benignitatis thesauros per ipsarum considerationem introire, donec intantum eleuetur, vt tota mens in Christum suum Dominum vulneratum totaliter perfundatur, & eius amore absorbeatur cor eius. Hoc tamen donum Dei est, totumque ab ipso recognoscere debet, faciat tamen quod in se est.

Gradus sextus per donū pietatis. Sextus est etiam ibi ascensus per donum pietatis. Cum enim homo considerat illa intima pietatis viscera Domini nostri IESV Christi, quæ super nos effudit in cruce taliter moriendo pro nobis, mouetur, & aperitur cor eius erga proximū suum, vt libenter pro salute sua se totum ei impendat, pro quo videt suum Dominum crucifixum. Dilatatur cor eius ad sanguinem Christi Redemptoris, & sicut toto corde compatitur Domino suo IESV Christo in cruce pendenti, ita intime, & quasi sibimetipsi condolet proximo suo ab ipsis vulneribus recedenti, immo istum sanguinem conculcanti. Ideo vulneratur cor eius propter contemptum sui Domini vulnerati, & propter compassiones, scilicet proximi, beatam vitam in æternam mortem voluntarie commutantis. Dei videt contemptum, mortem Christi Filij Dei vnigeniti contemptam, eiusque pretiosissimum sanguinem conculcatum, nobilissimam creaturam Dei imagine insignitam voluntarie ire ad inferni suspendium. Et sicut malis condolet, ita bonis congaudet, videns eos recipientes effectum vulnerum IESV Christi. Cum omnibus intrat vulnera illa, & fit vnum cum illis. Cum gaudentibus de bono gaudet, & cum tristantib. de malo tristatur. Quemlibet proximū reputat seipsum, vidēs se, & proximum esse ab eodem creatos, consimili imagine insignitos, eodem sanguine redemptos, & ad idem præmium ordinatos. Et ex hoc præcipue ad proximum cor suum aperit, quia videt Dominum suū pro omnib. crucifixum: & ideo ipsum in omnibus requirit, in omnibus considerat, & in omnibus pro suo modulo intuetur, scilicet Christum suum contemplans totusq; est proximi: quia totus est crucifixi. O quantum cordis gaudium, quantumq; tripudium cū videt is proximum suum Dominum bonis operibus honorare! Non inuidet, non æmulatur, non detrahit, non retrahit, non impedit, non retardat signis, dictis, aut factis, causaliter, seu occasionaliter, sed totaliter sitit proximi profectum, & detestatur defectū, vtrumq; reputans suū. Et hoc maxime placet Domino nostro IESV Christo crucifixo: quia pro ipsarum salute, & paterno amore est ipse affixus in cruce. Animarum salus, honor diuinus, compassio proximi, inflammatio sui sunt proprie attendenda in vulneribus Christi, & per illius pietatis donum modo mirabili anima eleuatur in Deum suum. Quando enim homo inquantum potest, se nititur conformare illi diuinæ pietati, quam erga nos manifestauit in cruce: tunc anima præcipue complacet ipsi Christo. Et ideo sibi conformatam, sibi dilectam ad pietatem apertam, ad suos amplexus tamquam Sponsam electam adduxit, hanc amat, hanc diligit, hanc stringit quam videt secum idem sentire, sibi compatiendo: idem sapere, Deum honorando: idem zelare, animas sitiendo: in seipsum transformari nimio amore ardendo. Ideo pietas ad omnia vtilis est, *1. Tim. 4.c* quæ, & diuinum honorem appetit, & dolores ab animabus expellit, & animarum fructus sitit, & Christi sanguinem in anima sua requirit, & amorem erga Deum & proximum, erigit, & ignit, &c. Attendamus ergo charissimi, quia pro certo credo quod istud donum inter omnia, & forte præ aliis immo firmiter credo, quod præ aliis placet Domino Deo nostro IESV Christo. Faciamus ergo, obsecro, beneplacitum eius, & pietatem suam hauriamus de latere eius. Simus omnes vnum in Domino nostro crucifixo, & nihil nisi IESVM in proximo requiramus, & sic in proximum tendamus, vt super Christi vulneribus recurramus cum ipso. Non proximum nostrum aspiciamus, vt pulchrum, aut huiusmodi, quæ animam retrahere à Christo, vel eius amore possunt: sed vt Christi morte redemptum, sanguine Christi perfusum. Anima proximi cum sanguine Christi intret in cor nostrum, nihil nobis sit difficile, nihil videatur vile, etiam ignominiosa morte mori pro illo, pro quo Dominus noster est cum tanta ignominia crucifixus: immo omnes sitiamus pro animarum salute omnem afflictionem, omnem ignominiam, & mortem etiam turpissimam sustinere. Sit vnusquisque proximus sicut cor nostrum, pro quo fuit cor, vel corpus Domini nostri IESV Christi tot doloribus aggrauatum. Multiplicemus prædicationes, exercitationes, bona exempla, orationes, ieiunia, genuflexiones, vigilias, & vilificationes pro animarum salute. Hoc sit officium nostrum, hęc gloria, & consolatio nostra semper pro animabus aliquid Deo offerre. Non cesset lacrymarum fons ab oculis nostris pro nostris, & proximorum peccatis. Sufficiat nobis charissimi his doloribus in hac valle miseriæ satiari. Semper proximorum peccata, & nostra pendeant in oculis nostris, immo intrent, & penetrent intima cordis nostri, & semper vbique, & in omnibus Dominus noster IESVS Christus pro peccatis nostris crucifixus occurrat. Hæc pietatis ascensio totum emollit cor, & dilatat, & inter Christi amplexus collocat, & quietat.

Gradus septimus per donum timoris. Septimus gradus ac vltimus est per donum timoris, à quo omnis perfectio actionis, & contemplationis obseruatur, vel conseruatur dumtaxat vt seruitus excludatur. Et est iste ascensus per hunc modum in passione Domini nostri IESV Christi. Quando enim homo videt, quod Filius Dei Dominus Deus suus natura humana assumpta tanta pro peccatis nostris sustinuit, & tam grauissime peccatum nostrum in se iudice innocentissimo, immo Deo nostro piissimo vindicauit: considerat quanta pœna, quantis opprobriis atq; illusionibus, & flagellis dign⁹ est ipse, qui ipsam nequitiam perpetrauit. Cognoscit etiā ex hoc, quantum peccatum suum summæ maiestati displicuit, & quātū ipsum abhorruit, dum ad ipsum abluēdum suum Filium tradidit morti crucis. Sicut enim Deo displicet Filij contemptus, & occisio, sic suo modo ei nostrum displicet peccatum, pro quo facta est illa traditio, immo tantū peccatū nostrum abhorruit, vt potius mortem Filij, quam peccatū sustineat, magis sibi placuit Filiū

tradere cruci, quam dedecus peccati sustinere. Videat ergo homo, & cōsideret, quantum illam maiestatem offenderit, dum ipsum Deum etiam post tale iudicium contempsit, rursus quantum in se est Dei Filium crucifigens. Mirum est quomodo homo nimio timore non cōtinue tremit coram Deo, quem offendit, sicut tremit populeum folium cum à magno vento mouetur, & deberet quasi in cinere, & terra præ timore resolui. Recurramus ergo charissimi ad vanitatem, & nequitiam nostrā, & diuinam offensam, & coram ipso nos humiliemus quantumcumque poterimus: quia adhuc modicum est secundum quod congrueret nequitiæ nostræ, & maiestati suæ. Paueamus atque vereamur oculos nostros ad cælum leuare, & tendamus pectora more publicani, vt nobisipsis peccatoribus misereamur. Dicamus: Magnum est, si indignabitur aspicere nos, qui pro vilissimo stercore contempsimus ipsum. Timore reuerentiæ illius summæ maiestatis in nihilum, prout possumus, redigamur: & de cetero de nobis non nisi vilia sentiamus. Contra nostram prauam nequitiam animemur, & nosipsi nostri iudices simus, vindicemus in nobis iniuriam Domini nostri, & quantum possumus nos conculcemus, dicentes vnusquisq; intra se: Si pro peccatis meis Dominus meus ita vilificatus est, & afflictus: quomodo meæ vilitati, & afflictioni parcere potero, qui peccaui? Absit à me, vt de cetero præsumam de me, nisi detestabile, vilissimum, & abominabile stercus cuius fœtorem ego ipse sustinere nō possum. Ego ipse, qui contempsi Dominum Deum, & pro quo mortuus est Dominus meus IESVS. Iam horrent me vestimenta mea, & mirum videtur, quo modo me non detestatur omnis creatura, quia omnium Creatorem contempsi. Sic tamen timere debemus, vt semper de Dei infinita clementia confidamus: quia certe in infinitum sua bonitas excellit malitiam nostram. Et iste supradictus timor, & humilitatis, & reuerentiæ est miræ ascensionis occasio: quia tunc præcipue ducitur homo ad superabundantiam gratiæ. Sed ne tibi displiceat charissime frater, si huius timoris occasione aliquam digressionem fecero à Dominica passione. Intendo enim tandem reuerti ad illam. Vt plenius ergo huius timoris conceptum tibi exprimere valeam: iam mihi videtur, vt tota huius mundi machina post me, & contra me nefandum proclamet, & dicat: Iste est ille, qui Dominum Deum nostrum contempsit, & contemnit. Iste est vanissimus, & nequissimus, qui plus vanitatem quam Dominum dilexit. Iste est ille pessimus, & ingratissimus, qui plus diabolicis figmentis, quam diuinis beneficiis est tractus, plus sibi complacuit diabolica nequitia, quam diuina beneuolentia: magis eligit esse seruus diaboli, quam filius Dei. Iste est, qui in præsentia Dei ei iniuriari non timuit. Iste trahi non potuit diuinis blanditiis, nec terreri diuinis iudiciis. Iste certe est, qui diuinam potentiam, diuinam scientiam, diuinam sapientiam, diuinamque bonitatem suis maleficiis contempsit, & quantum in se fuit, irrisit. Plus timuit vni infirmissimo viro iniuriari, quam summę potentiæ Dei. Plus verecundabatur coram aliquo vilissimo rustico aliqua turpia peragere, quam coram summæ sapientiæ Deo nefandissima perpetrare. Plus amplexus est stercus fœtidissimum, quam summe bonum, & summe suauissimum, cum tamen id esset in prohibitione, istud in præcepto, & exhortatione. Iste est, qui Deum pro nihilo reputauit, & non pro Deo adorauit, & vanitatem supra Deum dilexit, conuertebat se ad abominalissimam saniem, & dorsum vertebat ad diuinam maiestatem. Quid dicam? Omnia abominabilia non timuit in Dei præsentia perpetrare: nec veritus est Creatorem suum. Clamant suo modo creaturæ, & dicunt: Iste est, qui nobis abusus est, & qui debuit in beneplacito Creatoris nos ordinare, fecit nos ad diaboli dolum seruire: dum nos supra Deum amauit, magnam nobis iniuriam fecit. Iste est nefandissimus homo, qui nos ad honorem Dei factas in iniuriam Dei conuertit: debuit nobis in beneplacito Dei vti, & voluit potius nobis in diabolica seruitute abuti. Erat anima eius ad imaginem Dei facta, & ipsam deturpans voluit omnium nostrum imagine insigniri. Terrenior enim fuit terra, fluxibilior aqua, vanior aëre, plus ardescens vel ardentior igne concupiscentia, durior saxis contra se, crudelior brutis contra alios, venenosior basiliscis. Quid dicam? Nec Deum timuit, nec homines reueritus est: suum venenum quantum in se fuit in multos diffudit, nunc oculis, nunc cogitationibus, nunc verbis, nunc gestibus, & factis. Non sufficit ei Deo iniuriari in se, sed, & alios ad Dei iniuriam, quasi inquantum potuit, prouocauit. Quid dicam? Seipsum quasi aliquid magnū non omnipotentē Deum existimauit, dum nec Dei voluntate, nec aliqua lege voluit regulari, sed pro libito contra Deum, & prout sibi placuit sua voluntate vagari, se pro suo posse supra Deum erexit. Si Deus suum non adimpleuit beneplacitum, & aliqua aduersa intulit, vel non semper suæ felicitati prouidit: contra ipsum Dominum Deū suum, quasi contra vnum suum famulum turbabatur. Non Deum dilexit propter Deum, sed propter seipsum, & Deum ordinans ad se, tamquam ad finem. In sua propria voluntate omnia ad se, tamquam finem, & Deum, & finem vltimum, prout potuit, ordinauit. Et si dimisit aliquando peccare, non dimisit propter odium, & detestationem mali, & dilectionem summi boni, sed quia aliquando timuit repelli. Vnde semper erat ad se reflexus, siue in dimittendo, siue in faciendo, & omnia propter se, vel dimisit, vel fecit. Tam de bonis, quam de malis voluit commendari, ac si Deus esset, à quo cuncta quæ sunt bona, & mala ordinantur in bonum. Quid vltra discurram? Superbior fuit Lucifero, præsumptuosior Adam eiecto de paradiso: quia illi claritate pleni habuerunt allectiuū aliquod, immo maximum ad præsumendum: iste autem plenus fœtidissimo stercore, tenebrositate, & miseria nō habuit nisi retrahentia. Clamant ergo contra me indignissimum dignissime omnes vel vniuersæ creaturæ, & dicunt: Venite, & disperdamus eum, qui totus fuit deditus iniuriæ Dei nostri. Vnde suo modo clamat, & dicit terra: Quare tam nequissimum sustineo? Aqua dicit: Quare eum non suffoco? Dicit aër: Quare non deficio? Ignis autem: Quare eum non comburo? Lapis: Quare eum non lapido? Infernus: Quare eum non deuoro, & crucio? Heu, heu miser, quid faciam, quo ibo, quia omnia contra me sunt armata? Ad quem recurram? Quo diuertam? Contra omnia feci, Deum contempsi, Angelos irritaui, Sanctos inhonoraui, homines viatores multipliciter offendi, abusus sum ceteris creaturis. Quid tantum discurro? Hoc ipso quod Deo Creatori omnium iniuriatus sum, cum ipso simul omnem creaturam offendi. Nescio ergo miser, quo me conuertam, qui omnium me cōstitui inimicum, nec superius, vel inferius, ante, vel retro, à dextris, vel à sinistris declinare possum, immo nec interius, nec exterius. Conscientia enim mea contra me pugnat, & totum diuisum est cor meum. Euigilabo ego miser, & oculis sine fine plorabo, dum sum in hac valle miseriæ, si forte dignetur me respicere piissimus Pater. Scio quid faciam, vel facere disposui. Proiiciam me in conspectu Domini Dei mei, & dicam ei:

Eia vere Domine, ego sum ille tuus pessimus inimicus, nequissimus seruus, nefandissima creatura, quæ feci detestabilissima in præsentia tua. Non sum dignus Domine creatura tua esse, etiam in quantacumque pœna constitutus. Si enim ego solus haberem illam pœnam infernalem, quam omnes dæmones, & omnes homines damnati habebunt, non sufficienter secundum peccata mea punirer. Expande Domine super hunc miserum, pallium immensæ clementiæ tuæ, & vincat nequitiam meam immensa bonitas tua. Recognosce in me imaginē tuam, quamuis deturpatam, & deduc me ouem quamuis errantem ad te pium pastorem. Gratuletur dulcissimus Pater de redeunte prodigo filio, pastor bonus de inuēta oue, & piissima mater de drachma reperta. O quam felix erit dies, & hora, quando super collum meum corrues, & oscula exhibebis! Et vt te quidem possim placare, scio quid faciam. Contra meipsum ego ipse armabor, & ero præ ceteris crudelior mihi, & seuerissimus iudex.

Afficiam me vndique pœnalitatibus, & angustiis, & me tamquam lutum fœtidissimum conculcabo, & abominabor me sicut stercus, & intolerabilis ero mihimetipsi. In mea confusione, & deiectione, & conculcatione siue à me, siue ab aliis illata lætabor, & exultabo cum apparuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari contra me vniuersum cœtum creaturarum congregabo, & à qualibet confundi, & puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem. Hic erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas, & opprobria aggregare, & eos intimo corde diligere, qui me adiuuerint in hoc facto. Omnem consolationem, & honorem vitæ præsentis horrebo, & velut valde hostes blandientes habebo. Credo firmiter, quod si sic fecero, vniuersa quamuis à me offensa ad mihi compatiendum potius, quam ad vindicandum inclinabo, & quæ prius contra me clamabant, nunc suo modo pro me Creatori suo intercedent. Aperietur super me indignum, & miserrimum diuinæ pietatis thesaurus, sed, & illustrabor in eum vel gloria sua. Exuar vestimentis viduitatis nimiæ, & clara veste fulgebo. Et certus sum, quod si sic me deiecero, sicut dixi. qui nunc sum omnib. creaturis abominabilis, & malo dignissimus, propter nimiam clementiam Dei mei ornabor monilibus, & in eius Sponsam assumar. Introibo secum in cubiculum eius, & tandem secum matrimonium consummabo. Resoluar in ipsum, & fiam vnus spiritus cum eo, & qui prius eram dæmoniacus, ero diuinus. O mira, & inenarrabilis immutatio dextræ tuæ Domine Deus me⁹! Ad quid ergo retardabo adimplere, quæ dixi? Quomodo capient somnum oculi mei, aut quietem cor meum, donec veniam ad diu desideratum Sponsum meum, & Dominum meum IESVM? Currant ergo vndique opprobria, & flagella, & me nequissimum introducant ad benignissimum Dominum meum IESVM. Omne honorificum, & delectabile sit procul à me, nec audiatur in finibus meis. Solus honor diuinus in omnibus nobis requiratur, & abiectio nostra. Scio etiam quid faciam, Domini mei IESV vulnera introibo, & in eius dolores, & opprobria quantum potero, transibo, vel trásformabor, & eius opprobriosissimam passionem induam tamquam vestimentum regale, & nihil requiram, nisi quæ sunt cóformia huic passioni, ceteraque abiiciam sicut stercus. Quæ creatura audebit de cetero post me conclamitare? Si fuero hac veste indutus, iam Christi passio pro me prout necessarie fuit contra omnia militabit. Non erit qui contra me militare audeat, si Christi stigmatibus fuero consignatus. Vbique, & semper habitabo in illis. vt sim quasi in castro securus ab omni impulsu maligno. Et impossibile erit charissime frater, quod si fuero bene in Christum crucifixum transformatus, quin sim illi conformis, & coheres in regno, vbi illi sunt dilectissimi Dei, qui sunt crucifixi cum Christo. Non enim potest se Deus negare sanguine Christi perfuso. Ornabo ergo genas meas Christi cruore, & ero amabilis Deo, mirabilis mundo, laudabilis consortio beatorum, qui clamabunt, & dicent: Quis est iste formosus in stola sua? Quis est iste, qui sic gloriose incedit laureatus in sanguine Christi? Certe omnes prædicabunt me beatum, qui oculum habebunt apertum. Vnde non dubites frater charissime, quod hoc est summum refugium ad omne malum vitandum, & ad omne bonum assequendum. Hic delitiarum paradisus, de cuius lateris medio abundantia omnis dulcoris & suauitatis emanat. Ibi inebriatur homo dulcedine indicibili, & mira amœnitate alienatur à se, & superexcedenti deuotione reparatur, & superfertur in Christo. Ibique requiescit inter amplexus dilecti. Hæc autem omnia charissime frater redigamus ad tria, ad quæ semper teneamur, vel conemur, scilicet ad honorem Dei, compassionem Christi, & proximi, & deiectionem nostri. Et hoc toto corde, & nihil aliud sitiamus. Quod nobis concedat qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

* * *

CAPVT VIII.

Quod Christus in sua passione beatitudines octo perfecte habuit.

Beatitudinum septem refulget clarissimus splendor in hac beatissima passione Domini nostri IESV Christi, immo proprie hic est fons, & origo earum, & etiam allectiuum, & directiuum exemplar. Quis enim pauper spiritu, nisi Christus in cruce nudus? Quis mitis, nisi, qui tamquam ouis ad occisionem ductus est, & coram tondente se non aperuit os suum? Quis lugens, nisi, qui cum clamore valido, & lacrymis preces, supplicationesque offerens pro suis crucifixoribus, & nobis peccatoribus, suisque inimicissimis? Quis excusabat apud Deum Patrem intercedendo, & dicebat: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Ipse enim plus peccata nostra lugebat, quam pœnam suam, plus compatiendo nobis quam sibi. Quis vero esuriuit, & sitiuit iustitiam, nisi Christus in cruce pro peccatis nostris, satisfaciendo iniuriæ Patris, esuriens, & sitiens animarum salutem? In cuius rei signum dicebat: Sitio? Quis vero misericors, nisi hic Samaritanus, qui transeunte sacerdote, & leuita, infundens vinum, & oleum vulnerato alligauit vulnera, & imposuit iumento suo, scilicet corpori proprio, nostras infirmitates assumens pro peccatis nostris? Quis patiens nisi, qui iustissimus, & innocentissimus pro peccatis, & iniustitiis nostris crucifixus vi amoris, & ardore charitatis iniquitates nostras portauit super lignum? Vbi relucet munditia cordis, nisi in eo, qui innocens immolatur, & ipse corda nostra suo sanguine pretioso mundauit, & lauit? Quis vero pacificus, nisi ille, qui est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & passione sua pacificauit nos Deo in sanguine suo? Quis vero persecutionem passus est propter iustitiam, quam habebat, faciebat, prædicabat, & sitiebat, nisi ille, qui est à Iudæis crucifixus? Vere hic est vere beatus, cui maledixerunt homines aduersus eum mẽtientes. Hæ sunt beatitudines, quas habere ipse Christus docuit, & in seipso qualiter sint adimplendæ suo exemplo monstrauit.

Luc. 23. c
Ioan. 19. f
Luc. 10. f
Ephe. 2. c

CAPVT IX.

Quod in cruce apparent duodecim fructus spiritus, quos enarrat Apostolus ad Galatas.

In hac etiam crucis arbore sunt illi suauissimi fructus, quos enarrat Apostolus ad Galatas, dicens: Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, lõganimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides: quia ibi est fundamentum fidei, & fulcimentum, & verum oblectamentum in ratione sui obiecti, & non subiecti, quia in Christo non fuit fides. Sequitur modestia, continentia, & castitas. Hæc omnia manifestissime relucent in passione Christi in cruce. Et ideo conuenientissime subdit Apostolus ibidem: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, scilicet vt manifestissime ostendat hos fructus pendere in arbore sanctæ crucis, quos capere possunt conformantes se ei affigentes seipsos cruci.

Gal. 5.

CAPVT X.

Quod in cruce speculari possumus pulcherrimum exemplar decem mandatorum decalogi.

Est etiam in hac beatissima passione regula, & exemplar, & executio mandatorum Dei, vt sicut ipse fuit Deo Patri obediens vsque ad mortem, sic, & tu obedias vsque ad mortem diuinis mandatis. Possumus autem ibi speculari exemplar pulcherrimum omnium mandatorum.

Quantum enim ad primũ mandatum, inquantũ ipse homo summus Dei cultor fuit offerens se Deo Patri in

ara crucis sacrificium medullatum, oblationem, & hostiam pacificam pro peccato.

Quantum ad secundum mandatum, non assumpsit nomen Dei in vanum, nec falsum iurauit, sed in passione crucis beatissima, quæ Patribus iurauerat, adimpleuit.

Quantum ad tertium mandatum, sabbato in sepulcro quieuit, & ibidem etiam nos debemus celebrare sabbata nostra non in trufis, vanitatibus, & discursibus, sed in quiete cum gratiarum actione.

Quantum ad primum præceptum secundæ tabulæ, Patri summam reuerentiam in cruce exhibuit, dum se ei vsque ad mortem crucis humiliauit, vt debitum honorem contra iniuriam à nobis illatam impenderet ei. Exhibuit etiam debitam reuerentiam Matri suæ, cui non solummodo fuit subiectus, immo in cruce pendens cum magna diligentia dilecto discipulo eam commendauit.

Quantum ad secundum non solum mortuos non occidit, sed etiam sua beatissima passione, & morte, mortem occidit, & mortuos viuificauit.

Quantum ad tertium contra mœchiam detestabilem, sibi in matrimonium copulauit Ecclesiam, Sponsus castissimus Sponsam castissimam eligendo non habentem maculam, neque rugam.

Quantum ad quartum, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. (*Phil. 2. a*) Vel dicimus quod furtum non fecit sed furtum recuperauit per mortem. Descendit enim ad inferos, & spoliauit infernum, & quos furtiua manus diaboli de bonis iniuste rapuerat, & iniuste detinebat, merito suæ passionis redemit, captiuamque ducens captiuitatem dedit dona hominibus.

Quantum ad quintum, non solum falsum testimonium non dixit sed pro veritate quam dicebat, & faciebat contra se falsos testes habuit dicentes contra eum blasphemiam, & nequitiam, propter quod etiam adiudicatus est morti.

Quantum ad sextum, & septimum non solum non aliena concupiuit, sed etiam semetipsum proximis in cruce donauit. Sic igitur manifestissime apparet, qualiter mandatorum obseruantia relucet in passione gloriosa Domini nostri IESV Christi.

CAPVT XI.

Quod à passione Domini omnia sacramenta ecclesiastica trahunt virtutem, & quod sine ea impossibile est intelligere sacram Scripturam.

AB hac etiam sacratissima passione omnia sacramenta Ecclesiastica trahunt virtutem, quæ sunt nobis contra omnem morbum spiritualem saluberrima medicina. Hæc etiam beatissima passio est nobis diuinarum Scripturarũ Dauidica clauis, quæ aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. (*Apoc. 3. b*) Sine hac enim impossibile est intelligere sacram Scripturã, & hac bene in mente impressa omnia in luce clarescunt. Incipias ab Adam, quomodo Eua de latere eius formata est, & de ligno vitæ in medio paradisi, de immolatione Abel, & morte eius: & sic per totam Scripturam discurre, si vis videre, quomodo veritas eius resplendet in speculo passionis.

CAPVT XII.

Quomodo in beatissima Domini passione relucent omnium Angelorum hierarchiarum officia.

EX prædictis manifestissime apparet, quomodo à passione Christi emanat omnis perfectio, & in ea relucet omnis pulchritudo Ecclesiasticæ, vel Euangelicæ Hierarchiæ. (*Hierarchia cælestis prima.*) Simili modo in ea resplendet & relucet omnis perfectio, pulchritudo, & decor Angelicæ Hierarchiæ. Nam in ea primo, & principaliter refulget ille Seraphicus ardor amoris, quia maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. (*Ioan. 15. b*) Non credo, quod omnes Angeli de paradiso possent suis intelligentiis capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noster IESVS voluit talia pati pro nobis vilissimis seruis, immo nequissimis inimicis eius. Refulget etiam Cherubim speculatio, & intelligentia veritatis. Nihil enim scio in hoc mundo, quod tantum veritatem Scripturæ elucidet, tantum ad cœlestia contemplanda eleuet, tantum ad Deum sapiendum illuminet, sicut passio IESV Christi. Hic vere inuenitur scientiæ plenitudo. Hic etiam maxime splendet erga maiestatem æternam Thronica reuerentia, & veneratio. Sicut enim illi cœlestes spiritus Throni dicuntur, quia in ipsis dicitur Deus tamquam in suo Throno quiescere propter nimiam venerationem, & reuerentiam, quam erga diuinam maiestatem habent, quia ipse quiescit super humiles, & timẽtes eius sermones: sic, & in hac beatissima passione Domini nostri IESV Christi, dicitur Dominus Deus tamquam in suo Throno quiescere, quia ibi fuit excellens humilitas, reuerentia, & veneratio summa erga maiestatem æternam, nullamque credo Angelorum reuerentiã huic posse comparari. Et ideo, vt per Anthropopathos loquar, spiritus Dei peccatis nostris irritatus, & inquietatus in hac beatissima passione pacificatus fuit, & quieuit. Naturaliter enim Dei Thronus potest appellari passio quia in ea, idest, in signis eius iudicaturus est mundum. Vnde etiam firmiter credo, quod ad mundum iudicandum de nequitia sua apparebit ibi lancea, corona spinea, claui, spongia, & huiusmodi, & Dominus IESVS cum stigmatibus suis, qui clamabit, dicens: Videte qualia à vobis, in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo pœnam, & ignominiam meam duxistis. Ite ergo maledicti in ignem æternum, &c. (*Mat. 25. d*) Et sic patet de prima Hierarchia.

In hac etiam beatissima passione relucet dominationum præcellentia. (*Hierarchia secunda.*) Humiliauit enim semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. (*Philip. 2. a*) Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Ibi etiam relucet vel resplendet Potestatum resistentia, quia illam diabolicam potestatem, de qua dicitur, quod non est potestas super terram quæ comparetur ei, (*Iob 41. d*) ipse IESVS victoriosissime sibi subiugauit per patibulum crucis, & mortem moriendo destruxit. Refulget etiam ibi Virtutum efficax operatio, & præcipue ibi fuit virtus cordium penetratiua, & attractiua. Vnde illud est: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. (*Ioan. 12. c*) Vnde quod nos credamus, & diligamus eum nullo modo nobis ipsis attribuamus, quia nemo venit nisi tractus. In quo notatur motus non voluntarius ex parte nostra, sed potius violentus. Et sic patet de secunda Hierarchia.

Clarescit etiam in hac beatissima passione Principatuum regimen, (*Hierarchia tertia.*) quia factus est principatus super humerum eius. (*Isa. 9. b*) Ibi etiam virescit Archangelorum resolutio, quia per hanc gloriosissimam passionem fit sufficiens leuatio ab omni culpa, & ab omni pœna. Ibi etiam lucescit Angelorum reuelatio, qua occulta Scripturæ abdita, vel abscondita, & diuinorum secretorum mysteria panduntur per apertionem lateris Christi. Et ideo merito in eius morte velum templi scissum est, vt apparent quæ erant in sacris Scripturis occulta. Et sic patet de tertia Hierarchia.

Ex his ergo omnibus patet manifestissime, quomodo non solum Ecclesiastica, sed etiam Angelica Hierarchia in passione Domini refulget. Et sicut est Angelorum purgare, illuminare, & perficere, sic immo multo magis in passione Christi reperitur aperte. Per has igitur conformitates, quas Christi passio cum ordinibus Angelorum habet, conuenientissimum fuit non solum redimere animas, sed etiam ad reparationem Angelicæ ruinæ conuenientissime disponere, & ordinare. Propter nimiam enim charitatem, quæ resplendebat in cruce incendium amoris erga Deum, & proximum in hominibus accendebatur. Et sic reddebantur, & adhuc redduntur apti ad supereminentem Seraphicum ordinem. Per veritatem etiam

etiam in hac beatissima passione expressam illuminantur homines contemplantes ipsam ad diuinæ veritatis cognitionem: & ideo aperti sunt ad cognitionem, & restaurationem Cherubim. Et per magnam humilitatem, & reuerentiam, & venerationem erga Dei maiestatem, quæ fuit in illa passione, prouocantur homines ad consimilem pro suo modulo humilitatem, & venerationem, ac reuerentiam, & honorem: & sic apti fiunt ad Thronorum reparationem. Exemplo etiam illius excellentissimæ Dominationis diuinæ per passionem habitæ, de qua dictum supra, propter quod, & Deus exaltauit illum, &c. homines prouocantur vt macerationibus, & afflictionibus corporalibus nitantur, vitiis, & concupiscentiis dominari, & omnem sibi animi appetitum subiugare, vt nihil otiosum, nihil inordinatum præsumant in ratione hominis dominari, sed omnia recto iudicio rationis huiusmodi appetituum genua flectantur, & sic apti fiant ad reparationem ordinis Dominationum. Et vt breuiter transeam, sic per reliquos ordines discurre, siue per ordinum perfectiones, secundum quod de istis dictum est: vt scilicet per resistentiam contra diabolicam tentationem, & fraudem ad Potestates. Per virtuosas operationes, & conuersationes ad Virtutes. Per diligens regimen omniũ sensuum suorum, & motuum internorum, & etiam aliorum hominum, si ad ipsum spectant, ad Principatus. Per reuelationem necessitatum, & diligentiarum proximorum ad Archangelos. Per prædicationem, & doctrinam ad Angelos. Vel si vis dicere, quod Archangelorum est maiora, Angelorum minora docere, sic doctores ad Archangelos, prædicatores ad Angelos ordina. Et hæc omnia ad passionem Christi ordina sicut de Seraphim, & aliis dictum est.

Potes etiam aliam breuem assignare rationem, quare passio Christi fuit idonea ad reparationem Angelorum, quia sicut illi per summam præsumptionem, & superbiã ceciderunt: ita per infimam exinanitionem, & humiliationem Christi crucifixi veri Dei, & hominis, debuerunt prædicti ordines ex hominibus in suis oculis abiectis, & humilibus raparari: vt quod superius dictum est, particulariter per restaurationem Thronorum, hoc pro omnibus vniuersaliter restaurandis ordinibus sumamus.

His autem eisdem rationibus, quibus videmus qualiter Angelorum decor, & perfectio in Christo crucifixo refulget, possumus videre, quomodo in eadem passione refulget gloria hominum beatorum. Quia illi claræ veritati, quæ est in illa passione beatissima, sicut supra dictum est, correspondet aperta visio patriæ quantum ad cognitionem rationalis. Illi profundissimæ humilitati, & reuerentiæ, qua passio Domini Thronus dicebatur superius correspondet firma intentio quantum ad irascibilem. Quia super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem, &c. Illi etiam superexcellentissimæ charitati Dominicæ passionis correspondet in patria ipsius concupiscibilis dilectio vere consummata. Illi Dominationi, de qua dictum est propter quod, & Deus exaltauit illum, &c. correspondet agilitas, quia subest ei cum voluerit posse. Illi resistentiæ potestatis, qua moriendo mortem destruxit, correspondet impassibilitas. Illi virtuositati, qua exaltatus à terra omnia traxit ad seipsum, correspondet subtilitas tamquam penetratiua virtus. Illi claritati, & nobilitati Principatus, de quo dicitur, Factus est principatus eius super humerum, &c. & de qua claritate potest illud adduci, Pater clarifica me, &c. correspondet dos claritatis. Officio autem Archangelorum, & Angelorum, quod bene repræsentatur in illa passione, vt præmonstratum est, correspondet in hominibus beatis decor aureolæ, quæ debetur doctoribus, & prædicatoribus.

Isa.36.a Phil.2.a Isa.9.b Ioan.17.a

Et sic patet qualiter in hac beatissima passione refulget tamquam in speculo præclarissimo, & mundissimo omnis gratiæ, & gloriæ plenitudo. Gloriæ dico quantum ad præmium substantiale, vt dotes corporis, & quantum ad præmium accidentale, vt decor aureolæ, quæ debetur prædicatoribus, siue doctoribus, martyribus, & virginibus. Nam in cathedra sanctæ Crucis docuit, & martyrum caput fuit, & Virgo virginum Virginem virgini commendauit. Non solum autem ipsorum sanctorum plenitudo gloriæ refulget in hac beatissima passione, sed etiam ab ipsa meritorie emanat. Et vt magis appropriate loquamur per apertionem lateris mittit Sanctis visionem apertam: per pedum, & manuum conclauationem, intentionem firmam: per gustationem aceti, & fellis inebriationem amoris, & hoc erat quod sitiebat: per coarctationem ligaminum meruit nobis agilitatem: per illusionem sputorum solis claritatem: per mortem impassibilitatem: per inclusionem in sepulcro subtilitatem: per coronam spineam non solum aureæ, sed etiam aureolæ venustatem, scilicet illis tribus generibus hominum, videlicet virginum, martyrum, & doctorum. Et quidquid dicamus, credo quod in hac beatissima passione est materia excellentissimæ gloriæ, & immensi gaudij tam Angelorum, quam hominum beatorum. Et hoc est, quod credo firmiter, & non dubito, quod tam Angeli, quam homines beati totaliter in Deum tendunt, & totis mentibus intime Deum diligunt, ita quod plus sine cõparatione Deum diligunt, quam seipsos: immo non credo quod seipsos diligant, nisi propter Deum. Et ideo sine comparatione plus exultant, & gaudent de Dei magnificentia, quam de propria gloria. Cum ergo in Christi passione sit excellentissima manifestatio summæ potentiæ, summæ sapientiæ, summæ clementiæ Dei, sicut postea aliqualiter declarabo: ideo prædicta passio est eis materia excellentissimi gaudij, & exultationis immensæ. Vnde quamuis gaudeant homines videntes se per illam passionem redemptos, & Angeli videntes se per eandem reparatos, & sic quodammodo ad seipsos reflectantur, quamuis hoc semper videant, & referant in Deum: tamen credo, quod sine comparatione plus exultent, & gaudeant, & totaliter in Deum excedant cognoscentes in ea tam potentiam, quam sapientiam, & inæstimabilem, & immensam clementiam Dei sui. Vnde sicut apparet hic summa, & immensa diffusio diuinæ bonitatis, ita credo quod in ea sit excellentissima, plenissima, & totaliter medullaris diffusio mentium in Deum ob nimiam iucunditatem, & gaudium. Sic ergo manifeste apparet quod passio Christi fons gratiæ, & gloriæ reperitur, & quod in ea refulget decor, & perfectio subcælestis hierarchiæ, & etiam cœlestis.

CAPVT XIII.

Quod summa potentia, sapientia, & clementia summa ibi relucent, & etiam circa hæc quædam excitatiua vel exercitatiua.

NVnc. Deo fauente, videre restat, qualiter supercœlestis hierarchia, quæ Deus est, in cruce splendet, vt scilicet aliqualiter videamus, qualiter in ea refulget summa potentia, summa sapientia, summa clementia Dei. Et quia infirmum de potentia, stultum de sapientia, prauũ de bonitate loqui, præsumptuosum est: ideo mihi velle subtilia, & quæ supra vires meas sunt, inuestigare non licet. Attamen ad maiorem prædictorum intelligentiam, & consolationem nostram aliqua communia videamus. Manifestatur autem in illa beatissima passione diuina, diuina potentia, & beneuolentia in tolerando, in liberando, in gratificando, in iustificando, in suscitando, in magnificando.

Dico primo, quod manifestatur in hac beatissima passione eius fortitudo, & clementia in tolerando. Quod autem ille, qui est Deus omnium, & omnia conseruat, sine cuius manu omnia reducuntur in nihilum sustineret patienter, effugari, qui vbique erat, ligari, qui immensus erat, flagellari, qui gloriosus existebat, alapari, qui mundum plasmauerat, conspui, splendor æternus, & speculum sine macula, blasphemari, pater immensæ bonitatis, diiudicari, iudex immensę potestatis, crucifigi,

Dominus immensæ libertatis, aceto, & felle potari, fons immensæ suauitatis, gaudium Angelorum affligi, vita viuentium occidi, spinis coronari gloriæ corona, latus aperiri, agnus immensæ clementiæ, in lapide sepeliri sol iustitiæ. Hæc omnia à nequissimo homine pro eo patienter sustinere, immo pro eis orare, fuit potestatis immensæ tolerantiæ bonitatis, & clementiæ. Sic ergo patet potestas seu potentia, & bonitas Christi in tolerando.

Signum etiam fuit huius immensæ bonitatis, & potentiæ in liberando. Quod enim Christus crucifixus potentissimum ligaret, mortem moriendo destrueret, & occideret, & sepultus infernum spoliaret, fuit immensæ potentiæ signum. Sed etiam hoc fuit immensæ, & excessiuæ clementiæ signum, quod pro suis nequissimis inimicis à morte liberandis dignatus est mori. Hoc enim inexcogitabile est, quod morte, quæ sibi inferebatur, liberaret inferentes à morte, cum propter hoc debuisset fortius, vel potius secundum humanum iudicium nos omnes æterna morte condemnare, hoc ipso quod à nobis, & occasione nostri fuisset tam vili, & crudeli morte occisus. Nec credo, quod Angeli de paradiso potuissent hanc summam clementiam cogitasse, antequam fuerit eis reuelatum.

Fuit autem immensæ potentiæ, & beneuolentiæ signum in iustificando. Si enim maius est iustificare impium, quam cœlum, & terram creare propter repugnantiam voluntatis: quantæ ergo clementiæ, quantæq; fuit potentiæ saluare, & iustificare impium summam impietatem perpetrantem, & Saluatorem, & iustificatorem occidentem? Et ideo illud immensæ clemētiæ fuit, quod effectu illius summæ impietatis voluerit nos ab omni impietate iustificare, cum secundum humanum iudiciū debuisset, si numquam alia interuenisset culpa, nos penitus reliquisse, & ad nihilum redegisse, quod idem est: quia si penitus nos relinqueret in nihilum redigeremur, aut illam nequitiam non in iustificationem, sed in pœnam ordinasset æternam. Hoc ergo summæ potentiæ & clementiæ fuit, quod nos iustificauit merito suæ passionis, quæ procreata est à nequitia nostra, & merito nequitiæ nostræ. Hæc omnia inaudita, & mirabilia sunt diligenter ruminanda, & omni admiratione digna, & deficit ibi omnis ratio, & intellectus, & non modicum succenditur affectus.

Apparuit etiam ibi summa potentia in resurgendo. Planum est enim, quod à mortuis resurgere, & maxime per se, vel mortuum resuscitare, vtrumque est infinitæ potentiæ, & vtrumque ibi fuit, quia resurrexit, & aliquos secum suscitauit, qui venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. *Matt. 27. f.* Sed, & hoc fuit immensæ clementiæ, quod dignatus est non statim resurgere, sed pro fide nostra aliquantulum differre, & pro nobis mortuus permanere, vt ipsum fuisse verum hominem crederemus fideliter. Nec nimis distulit, vt & ipsum esse Deum verum credamus, & alios suscitauit, vt ei redderent testimoniū. Et ipsemet per quadraginta dies adhuc apparens in multis argumentis, vt ei crederemus, distulit ad cœlum ascēdere cum omni dignatione, & feruenti dilectione nostram salutem operans, & procurans. Non enim sufficit ei mortalis, & passibilis conuersari nobiscum, sed, & gloriosus, & immortalis per quadraginta dies manifestissime apparere Apostolis, & eos de regno Dei docere. O amor quantum Deum nostrum IESVM signasti nobiscū, qui non videtur posse separari à nobis, & nos vilissimam saniem dignatur cum tanta ac tali diligentia sibi per fidem, & amorem vnire!

Manifestata est etiam ibi summa potentia in magnificando. Magnificauit enim eum in conspectu regum, & principum, qui tamen in conspectu Dei fuit semper magnus, & istud scilicet Christum crucifixum in conspectu hominum magnificare, & omnibus superextollere fuit summæ potentiæ. Quare? quia fuit contra sapientiam Græcorum, contra scandalum Iudæorū, contra idololatriam Romanorum, contra sæuitiam tyrannorum, contra omnem astutiam dæmoniorum, supra omnem rationem, & intellectum, scilicet credere hominem crucifixum esse Deum. Et istud fuit summæ clementiæ eius, quod nos fecerit sibi credere, immo etiam eum credere Deum contra omnem duritiam, & nequitiam nostram, nos ad se sua intima virtute trahendo. Et ideo summas grates, & gratias ei debemus: quia non fuit currentis, neque volentis, sed Dei miserentis. *Rom. 9. d.* Quid enim sibi fecimus, quod nos in eum plusquam reliqui crederemus: Fideliter ergo, & cum omni timore, & honore seruiamus ei, perfecto corde, & animo volenti, & iubilemus ei cum totis præcordiis nostris: quia nobis indignis luxit cum iucunditate admirabile lumen eius, & dulcissima, suauissima, & amabilissima claritas eius irradiat, intima mentis & tenebras conuertit in lucem, eleuat, coniungit, Deificat, & resoluit. Ex his ergo manifeste apparet, quod summa potentia, & summa clementia Dei refulget in passione Domini nostri IESV Christi.

Nunc restat videre qualiter summa sapientia relucet ibidem. Et quamuis non sufficiamus, neque sciamus omnia enarrare, tamen aliqua de multis ad consolationem nostram dicamus. Sapientia eius summa in hac passione apparet in gratissima correspondentia in omnibus mysteriis redemptionis à culpa. Nam sicut prima mulier de virginea carne sumpta, & facta seducta est, sic Christus de Virgine natus, crucifixus est. Et sicut illa accepit de ligno vetito, & dedit viro suo, de quo facta erat, sic Christus in ligno crucis est passus voluntarie, & hanc passionem Matri suæ, de qua natus fuerat, communicauit, cuius animam doloris gladibus pertransiuit. *Luc. 2. e.* Vsque enim hodie ignoraui, quare Dominus noster IESVS Christus voluerit illam dulcissimam Matrem suam sibi assistere, & secum tam immenso dolore affligi cum bene nobis sufficeret sua passio. Sed vt video hoc summa clementia, & summa eius sapiētia exigebat, quamuis essemus indigni. Et sicut Eua seducta est volendo esse sicut Deus, ita passus est homo Deus. *Gen. 3. a.* Et sicut illa de latere viri facta fuit principium nostræ damnationis, quia virum sibi consentire fecit: sic Christus latus aperuit vnde virtus sacramentorum emanauit. Et sicut illa vidit lignum, quod erat pulchrum visui, & ad vescendum suaue: sic Christus conspurus est in vultu, & amaritudine fellis gustatus. Et sicut illius pedes currunt ad lignum, & manus extenduntur ad fructum, sic Christus pedibus, & manibus est in cruce affixus. Illa ambitiosa, iste humillimus. Illa vero inobedientissima, iste vsque ad mortem obedientissimus. Contra appetitum scientiæ, Dei sapientia condemnatur. Illi erant ambo nudi cum peccauerunt, Christum vero nudum crucifixerunt. Ibi homines post culpam se abscōderunt à facie Dei, hic Christus Dominus Deus noster post mortem in sepulchro absconditur à facie hominū. Illi descenderunt ad imum ad laborandum, hic descendit ad infernum spoliandum. Sic apparet aperte, & manifeste, qualiter in hac beatissima passione gloriosissima summa Dei sapientia claret. Et in omnibus istis non solum Dei sapientia, sed etiam summa Dei dignatio, & clementia demonstratur, quod ipse voluerit pro comestione illius ligni lignum crucis ascendere, & pro extensis ad fructum manibus, manus suas eleuare in cruce, & huiusmodi, quæ superius dicta sunt. Hoc enim fuit summæ, & ineffabilis suæ clementiæ. Nec credo, quod tanta dignatio possit à creatura aliqua cōprehendi, sed credo quod in ipsa Angeli, & Sancti vere exceduntur, & superessundūtur ab illis immēsitate clemētiæ, vtpote sicut piscis in mari, & si non sit similitudo perfecta. Accedamus ergo charissimi ad cor altum, & in illa profunditate benignitatis immensæ totaliter immergamur. Accedamus cum fiducia ad Christi latus, & intremus ipsum. Accedamus charissimi, accedamus, & moriamur cum ipso. Accedamus obsecro, accedamus, quia ad amplexus eius brachia sunt extensa. O bone IESV, quid fecisti, quid me tantum amasti? Quare Domine, quare? Quare Domine IESV? *Matt. 8. a.* Quid sum ego? Non sum dignus vt intres sub tectum meū, quanto magis vt moriaris propter peccatum meū,

sed

sed tantum dic verbo,& sanabitur anima mea. Quare ad ipsam sanandam vis emittere animam tuam? Sufficit Domine, sufficit verbum tuum. Quare tam ignominiosa & crudeli morte effundis sanguinem tuum? Solo verbo Angelos, cœlos,& totum hunc mundum creasti. Quare tot dolorib. tam dura,& crudeli morte me nequissimum seruum redemisti? Sonet obsecro charissimi fratres in auribus vestris vox illa Domini nostri IESV Christi, immo sonet in intimis cordis vestri: Attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Penetrent charissimi etiam isti dolores intima nostra, & corda nostra istis doloribus gladientur. Accedamus ad latus eius, & sugamus sanguinem eius: quia hoc beneplacitum eius est. Non faciamus ipsum talia frustra pati: non permittamus hunc sanguinem effluere super terram. Fiant ergo corda nostra receptacula, & vasa sanguinis Domini nostri IESV Christi, & eius inebriati doloribus dicamus: Nobis autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi crucifixi. Quod nobis concedat, qui viuit,& regnat,&c.

Thren. 1. d

Gal. 6. c

CAPVT XIV.

Quod in passione Domini excitetur, & inflammetur cor hominis ad septem opera misericordiæ.

CVm iam per ea, quæ dicta sunt in passione Domini nostri IESV Christi multipliciter possit nostra contemplatio regulari,& perfici: nunc, qualiter in eadem ad actionem excitemur, & dirigamur, restat aliqualiter intueri. Et quia actiuæ vitæ inter alia opera misericordiæ,& pietatis amplius eloquia sacra commendarunt, & etiam quia de illa actione quæ ad veram afflictionem, & deiectionem spectat, satis est superius tractatum: ideo ad præsens, aliis prætermissis, videamus qualiter in illa passione Dominica est excitatio, inflammatio, exemplar, speculum illorum misericordiæ operum, de quibus in Matthæo Dominus noster dicit se in iudicio disceptaturum, & pro illis æternum præmium largiturum, siue redditurum. Venite, inquiens benedicti Patris mei,&c. Esuriui, &c. Abstergamus ergo charissimi caliginem ab oculis cordis nostri, & intueamur diligentissime illam beatissimam passionem,& videbimus clare, qualiter in ipsa, prædicta opera eleganter relucent. Sed primo videamus qualiter ad ipsa complenda allicimur; postea videre poterimus qualiter per ipsam in eisdem operibus regulamur. Si enim consideramus, qualiter Dominus noster esuriuit, & sitiuit, multum pro nobis, multum moueri debemus, vt esurientes, & sitientes pascamus, vt sibi in suis membris subueniamus. Et, vt omnia reducamus ad passionem Christi, audiamus in Euangelio ipsum IESVM clamantem in cruce, Sitio. Nam si beati sunt, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, cum ipse fuerit plenus omni gratia,& perfectione; ipse maxime in hac beatissima passione nostram iustitiam esuriuit, & sitiuit. quia quando moriebatur non pro ea solum esuriem, & sitim spiritualem habuit ipse in cruce; sed etiam valde probabiliter credo quod corporalem famem,& sitim ibi habuit: quia nocte præcedente multum laborauerat,& vigilauerat in oratione, & postmodum in capturæ anxietate, & demum diuersis flagellis,& laboribus fatigatus circa horam sextam, quando appetitus solet incitari, & incendi, fuit cruci affixus:& vsque ad nonam ieiunauit ibidem, & dixit, Sitio. Et ipsi ei propinauerunt acetum, quod cum accepisset inclinato capite, emisit spiritum. Nec est multum credibile, quod tunc virtute diuinitatis restiterit alicui necessitati, & indigentiæ corporali, sicut cum quadraginta diebus ieiunauit: quia ipsi passioni exposuerat se plene pro nobis in cruce. Sic ergo quia Dominus noster IESVS Christus esuriuit, & sitiuit pro nobis, multum allici debemus ad ipsum pascendum in membris suis. Peregrinus etiam fuit Dominus noster, quia dixit imminente illa morte beatissima: Regnum meum non est de hoc mundo. Etiam in cruce maxime peregrinus fuit,&

Matt. 25.

Ioan. 19. f

Ioan. 18. c

alienus reputatus pro nobis, quia amici, & proximi eius tunc longe recesserũt ab eo,& tamquam peregrinus, extraneusque factus est fratribus suis. Hunc ergo peregrinum, fratres charissimi, pro nobis factum, recolligamus in membris eius.

Psal. 68. b

Nudus etiam fuit Dominus noster in cruce pro nobis: ipsum obsecro induamus in membris eius. Ibi etiam apparuit vere infirmus doloribus, & angustiis plenus pro nobis: ipsum visitemus in membris eius. Captus est pro nobis,& captiuus ad crucem deductus, in ea suspensus,& conclauatus: ad membra sua captiua, & incarcerata eamus. Sic ergo apparet qualiter in præhabita passione fuit tamquam verum obiectum allectiuum, & excitatiuum ad prædicta opera complenda in membris eius.

Nunc videamus qualiter in prædicta passione fuit exemplar motiuum, & directiuum in operibus supradictis. Ipse enim eadem opera exercuit. Ipse enim latus suũ aperuit, & sanguinem suum fudit ad sitientes potandos. Carnem suam in ara crucis igne ardoris nimij amoris cõcremauit ad esurientes pascẽdos. Et ideo in cœna præcedenti sacramentum altaris ordinauit ad nos reficiendũ, quod quidem sacramentum est memoriale Dominicæ passionis. Nam caro sua vere est cibus,& sanguis eius vere est potus, sicut ipse Dominus testatur. Si ergo de seipso Dominus noster IESVS fecit cibum nobis, & potum, quanto magis nos alere debemus esurientes, & sitientes non solum de superfluis, sed etiam de necessariis nostris? Si enim Dominus noster dedit nobis carnem suam in cibum, quanto magis nos debemus dare ei in membro suo carnes bestiarum nostrarum? Si enim seipsum panem viuum, qui de cœlo descendit, dedit nobis ad manducandum, quanto magis dare ei debemus in membris eius panem mortuum, qui de terra exiuit? Si nobis dedit cibum spiritualem, panem scilicet Angelorum, qui nos sibi vnit & conuertit in seipsum, quanto magis nos ei in membris eius dare debemus vtrem vini, vel lactis vermium scilicet nutrimentum? Simus ergo, charissimi fratres, solliciti ad alendos pauperes Christi, immo ad alendum Christum in pauperibus suis.

Ioan. 6.

Opus etiam hospitalitatis exercuit in ipsa cruce. Nam ibi erat quidam peregrinus, qui iuerat viam longinquam, & à Christo hospitium petens, ait: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Quasi diceret: Digneris Domine IESV Christe peregrinum recognoscere,& in illo regni tui palatio recolligere. Mirum de Dei clementia. Iam oblitus esse videtur, quod alias dixit illi, qui de eius hospitio interrogabat eum: Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Sed quid? Non tantum non tardat ipsum hospitio recipere, non sub porticu, non in stabulo, sed in seipso, non cras, non post cras, sed hodie mecum eris in paradiso. O misera hominum nequitia! Dominus noster latronem recepit in hospitio,& in seipso,& nos in terrenis, & lutosis domib. etiã bonos recipere nolumus. sed excusamus nos, & dicimus forte ipsi sunt latrones. Memento miser homo, quod latronem Dominus ipse recepit. Et si forte non potes, quia,& tu pauper es, recolligere in materiali domo, recollige saltem eum in corde tuo, ei compatiendo.

Luc. 23. f

Matt. 8. c & Luc. 9. g

Luc. 23. f

Denudauit etiam se Dominus noster IESVS Christus ad nostra verenda operienda, & nudus pependit in cruce. Quanto magis personas nostras nudare debemus ad operiendum eum in pauperibus suis, aut, vt de nobis loquar, cellarum aut lectorum angulos à superfluis tunicis pro Christi pauperibus euacuare debemus? O quantum gaudium nobis esse deberet, cum nos exuere possemus pro Christo, vt non solum superflua, sed etiam nobis necessaria pauperibus largiremur. Ipse enim pro me nudatus est,& ego pro ipso nolo indigentiam illam pati? Absit à nobis hoc fratres charissimi, non solum nostra, sed nos proximis nostris, immo Christo in proximo largiamur: quia ipse se totum nobis dedit. Nam, & ipse nos infirmos visitauit,& in cruce infirmitates nostras, & cunctarum infirmitatum nostrarum angustias,& dolores super

se portauit. Sic charissimi fratres infirmos eius solicite visitemus,& eorum infirmitates in nos compatiendo in simul recipiamus,siue transformemus, vt dicamus cum Apostolo Paulo: Quis infirmatur, & ego non infirmor?

2. Cor. 11.

Ipse etiam Dominus noster IESVS in illo triduo captiuos inferni adiit. Quomodo ergo erit sic deterrimus,& profundissimus carcer, quin ibi visitemus captiuos, immo in captiuis Dominum nostrum IESVM? Totum enim reputat Dominus noster sibi fieri, quod amore ipsius facimus membris eius. Omnium autem istarum pietatum in Domino nostro compulsiua,conseruatiua,& confortatiua fuit illa pietas, qua pro suis crucifixoribus exorauit. Sic,& nos nostram pietatem,& misericordiam erga proximum conseruare debemus in hoc, vt non solum nos offendentibus parcamus, & erga illos tranquillum animum habeamus, verumetiam pro ipsis affectuosissimas ad Deum preces fundamus. Quod nobis concedat, qui in Trinitate, &c.

CAPVT XV.

Oratio valde deuota circa passionem Domini.

O Domine IESV Christe,ô vere amice,ô amantissime Sponse, fac lutum ex sputo, & lini oculos meos,vt qui cæcus sum videre valeam vulnera tua. Introduc me Domine IESV quamuis indignissimum famulum tuum in gazophylacium veri templi, vt intueri valeam,quid quantumque obtuleris Patri pro nobis. Fortassis anima mea quamuis à te vero Sponso multis iniquitatibus viduata sit,offerret tibi duo minuta. Recipe me quamuis filium prodigum ad comedendum tecum vitulum saginatum, assatum in cruce. O bone, & vere magister doce me thesauros sapientiæ beatissimæ mortis tuæ. Iterum atque iterum Domine IESV aperire digneris latus tuum mihi nequissimo famulo tuo, vt oculi mei, qui deprædati sunt animam meam in tuo latere inueniât prædam meam. O bone IESV nimis saxeum est cor meum, nisi emolliatur sanguine tuo: nimis distractum est cor meum,nisi recolligatur in latere tuo. O bone pastor, ego sum illa ouis, quæ periit, & errauit, pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ecce ego sum,agnosce eam introduc me caulas vulnerum tuorum. Tu autem Domine IESV Christe in tua passione me custodias diligenter. Nam sine tua morte morior,sine tuis vulneribus vulneror,sine tuis conuiciis conuicior, sine tuis flagellis virga non æquitatis,sed iniquitatis flagellor. Sed quia nesciui perseuerare in tua beatissima passione, sum quasi in nihilum redactus: quia ignominiam crucis dimisi, ignominiosus factus sum: quia stultitiam crucis reliqui, stultissimus,& vanissimus factus sum: quia infirmitatem tuę passionis neglexi, infirmus factus sum: quia à doloribus aculeorum tuorum recessi, spinis concupiscentiarum cõfixus sum. Quid dicam? Nisi cor meum doloribus tuis aperiatur, nefandissimis vitiis aperietur. Nisi sciat latitare in vulneribus tuis, à latronibus plagis impositis spoliabitur. Nam contra superuacuam,& vanam gloriam, auaritiam,& inuidiam odium,siue iram,& accidiam, gulã, & luxuriam perfectissima medicina, immo sine qua nulla alia medicina, est passio tua. Contra superbiam, eius humilitas: vanam gloriam, eius vilitas: auaritiam, eius nimia largitas: & sic de aliis. Ipsa est, quæ sepit aures, ne audiam vana vel praua: oculos claudit, ne aspiciam mortifera vel nociua; os obstruit, ne loquela vel gustu offendã: nares obturat, ne circa odorifera offendam: manus ligno affigit, ne extendantur ad tactus vel opera vitiosa: pedes conclauat cruci, ne inutiliter vel nociue discurrant. Ipsa fouet mutuam dilectionem, auget internam deuotionẽ, eleuat ad supernam contemplationem. Hanc ergo Domine acerbissimam passionem, & ignominiosam da mihi in Sponsam, & indiuisibili, & indissolubili vinculo ipsam mihi coniũge, super omnes mulieres, idest, delitias & consolationes temporales adamaui eam, & tamen sæpe alia superinducta repudiaui eam. Nunc modo venio, & requiro eam, ne quæso mecum agas iuris rigore, sed tuæ clementiæ dispensatione Hanc ergo da mihi Domine IESV, quia hanc amaui, hanc dilexi, hanc totis visceribus concupiui, ipsa sola mihi sufficit, ipsa sola me medullitus nutrit, & reficit in hac vita. Ipsa est vita mea, cõsolatio mea, & delitiæ meæ, ipsa lux, & sapientia mea. ipsa reducit, & deducit, sine ipsa deuio, & erro, sine ipsa à portu salutis declino.

O bone IESV nihil à te peto in hac vita, nisi vt perfectè sim tecum crucifixus in cruce. Certe dilectissime Domine IESV nolo viuere, nisi moriar tecum, aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo inprime tuam mortem. Heu mihi, quare natus sum, nisi Dominũ meum IESVM amplectar in cruce, & requiescam in vulneribus eius. Magis eligo ad præsens tecum crucifigi, quam tecum delitiis affluere. Hanc tuam beatissimam passionem volo, hanc peto, hanc totis internis concupisco medullis, omnibus pro ipsa abrenuncio, & etiam meipsum relinquo, ipsa sit mihi anima mea, & corpus meũ, & omnis consolatio mea. Nam sanguis tuus inebriat me, & dolores tui sciderunt cor meum. Domine IESV pro me fecisti cœlum, & solem, lunam, & stellas, ignem, aerem, aquam, & terram, aues, & pisces, bestias, & reptilia, arbores, & flores, herbas, & olera, aurum, & argentum, vniuersa metalla, colores diuersos, & lapides pretiosos. Sed quis de manibus tuis quæsiuit hæc? Sine petitione, sine instantia hæc omnia nobis dedisti, & tota die affligo animam meam petendo ignominiosam mortem tuam, & vix possum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine IESV, quia omnia visibilia mihi vilescunt, pro ipsa tibi vniuersa restituo, & da mihi vulnera tua. Hæc super cœlum habilitant cor meum, super sidera refulgent, & illuminant intellectum meum, super ignem accendunt affectum meum, super aerem fecũdant sermonem meũ, super aquam emolliũt animum meum, super terram stabiliunt, & fecũdant affectum meum. Hæc auibus, bestiis, & piscibus vtiliora, fructibus suauiora, arboribus, & floribus amœniora, argento, auro, & lapidib. pretiosis pretiosiora, immo certe hæc omnia non nisi vanitas est, vel sunt, respectu tuæ passionis beatissimæ. Hanc volo Domine IESV, hanc volo, tribue mihi in vxorem. Non peto pulchritudinem cœli, sed ignominiam tui, non mũdi delitias, sed tuas angustias. Cito mihi Domine IESV tribue eam, nolo secum Domine IESV sponsalia facere, sed matrimonium consummare. Consentiat in me Domine IESV, quia consentio in eam, & est matrimonium ratum. Intrent cor meum vulnera tua, & ipsa intrent animam meam, & erit matrimonium consummatum.

Sed quis sum ego Domine mi IESV, vt à te in Sponsam, illam audeam petere, quam solam tuis intimis amicis, & maximis pro omnibus amicitiis tuis coniungis? Sed quamuis nihil nisi vanitas, & detestanda sanies sim, præsumo tamen de immensa clementia tua. Et si non habeam puritatem, & sanctitatem matris tuæ, vt digne tibi compatiar, latronis tamen prauitatẽ habeo, vt secũ ad latus tuũ crucifigi debeam. Magis in hac vita desidero Domine IESV cum latrone tecum in crucem ascendere, quã cum Petro, Iacobo, & Ioanne in montem transfigurationis tuæ conscendere. Magis placet ad præsens oculo mẽtis videre te consputum, quam transfiguratum. Et si non sum tamquam velum nobilissimum in tẽplo, vt in morte tua scindar, sum tamen fœtidissimum monumentum, vt ad apertionem tui lateris aperiri debeam. Quid in me quæris dulcissime Domine IESV? Si in morte petræ scissæ sunt, & ego tamen durior sum petra. Si enim terra mota est, ego terrenissimus sum. Quid ergo iniquitatis deest in me, vt non indigeam tua morte? Et si cœlestis non sim in tibi compatiendo, nec queam cum sole obscurari, tamen infernalis conuersationis sum, vt in hoc triduo mortis tuæ à te debeam visitari. Non ergo Domine IESV te retrahat iniquitas mea, quin mihi hanc nobilissimam Sponsam ignominiosam scilicet mortem tuam inseparabiliter mihi eius desiderio æstuanti coniungas. Ipsa enim

est pul-

est pulcherrima omnium mulierum, idest, excellentissima omnium gratiarum. In ea fuit summus cultus Dei, summa Dei dignatio, summa Dei ad nos diffusio. Ipsa summa Dei sapientia, & prudentia percussit superbum, tua potentia animas de inferno transtulit in cœlum, sua potestate placauit, immo, & donauit Deum, cuius violeum colorem amplectuntur humiles, & confessores, lilij candorem innocentes, & virgines, roseum ruborem amplectuntur martyres in charitate feruentes, quia in ea fuit summa humilitas, innocentissima, virginitas, & excellentissima, & excessiua charitas. Eius purpureum, & coccineum colorem admirantur Angeli, ad eius fragrãtissimum odorem sentiunt, & suscitantur mortui ad eius suauissimum tactum roborantur infirmi, ad eius dulcissimum gustum reficiuntur, & conseruantur perfecti. Talis est filij Hierusalem, & filiæ, Sponsa mea, & amica mea, desiderium animæ meæ. Ipsa inimicum meum diabolum superat in me, à mundo me alienat, carnem meam bene castigat. Mihi ergo absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi per quem mihi mundus crucifixus, &c. Est ergo mihi quippe mi Domine IESV magna gloriatio, quod pro me cœlum, & sidera, & alias inferiores creaturas fecisti. Sed multo sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me dignatus es mortalis fieri. Magna quippe gloriatio, quod me fecisti ad imaginem, & similitudinem tuam, sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me formam serui accipiens, factus es similis mihi. Magna mihi gloriatio, quod tot beneficiis me gubernas, & nutris: sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me esuristi, sitisti, & fatigatus super fontem sedisti, & multa incommoda sustinuisti. Magna mihi gloriatio, quod cunctis animalibus me præposuisti, sed sine comparatione maior, quod pro me te Dominum omnium vni puellæ, & fabro subdidisti. Magna mihi gloriatio, quod me si amicus tuus fuero, honorificaturus es in cœlo tuo: sed sine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me adhuc pessimo inimico tuo conuiciatus, consputus, & multipliciter illusus es in medio terræ. Magna mihi gloriatio, quod me, si iustus fuero, ditaturus es in regno, sed multo magis est mihi magna gloriatio, quod pro me peccatore in extrema paupertate fuisti in ligno: quia quantum ad gustum, cum sitires, fel habuisti, & acetum: quantum ad operimentum, corpus habuisti nudum: quantum ad reclinatorium, non habuisti vbi reclinares caput tuum, immo corona spinea fuit puluinar tuum. Magna mihi gloriatio, quod si gratiam vsque ad finem habuero me delectatione es impleturus vniuersarum delitiarum paradisi: sed multo mihi maior gloriatio, quod pro me tuo contemptore, & pleno omni abominabili sanie, impletus es inæstimabilibus angustiis & doloribus morte turpissima condemnatus in Caluariæ loco. Magna mihi gloriatio, quod si Angelice vixero in terris, Angelis es me sociaturus in cœlis: sed multo maior mihi gloriatio, quod pro me diabolicam vitam ducente cum latronibus es Crucifixus in terris cum impiis, & iniquis associatus, & deputatus. Mihi ergo absit nisi in cruce IESV Christi gloriari. In quo debeo gloriari nisi in summo Dei mei honore, summa Dei mei erga me gratia, sine dilectione, & dignatione? Hæc autem sunt plene in cruce. Mihi ergo absit gloriari, &c. Si enim pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, quia patiuntur & moriuntur pro ipso, quanto magis debet esse gloriosa in conspectu nostro mors Domini nostri IESV Christi, cum ipse patiatur, & moriatur pro nobis? Igitur gloriari nos oportet in cruce Domini nostri IESV Christi. Sed heu, heu audi iterum clamantem IESVM, & dicentem, Longe fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi. Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria. Qui videbant me foras, fugerunt à me. Periit fuga à me, & non est qui requirat animam meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni. Nolite fratres charissimi, nolite fugere, nolite crucifixum in medio latronum solum relinquere. Redite obsecro, & eamus, & moriamur cum illo. Omnes fugerunt, sola Domina Mater remansit cum eo. Eamus cum Ioanne, & associemus Dominam nostram, & stemus iuxta crucem cum ea. Si enim Maria Cleophe, & Maria Magdalene associantur Virgini Matri, bene possumus nos associare Matri, & Discipulo. Credo firmiter, quod cum Ioanne dicetur nobis: Ecce Mater vestra de Domina nostra, & ei dicetur: Ecce filij tui. Simus charissimi cum Matre, si volumus Filium cum Matre lucrari. Non enim potest vnus sine altero impetrari. Ascendamus cum eis in palmam, & apprehendamus fructum eius: nam in ea cor Virginis cum Filio pendet. Nullus se excuset in quocumq; sit statu, quia nullus est, qui non inueniat in hac arbore suauissimum fructum, & sufficientissimum nutrimentum. Nam si peccator es illam acerbissimam, & ignominiosam passionẽ considera ad detestandum peccatum, & horrendum, quia ipse pro peccatis nostris mortuus est. Si incipiens, & pœnitens, es considera illam passionem ad exemplum pœnitentiæ, & satisfactionem habendam. Si es proficiens, considera illam passionem ad eius effectus rimandum, & ruminandum, in quo multum proficit homo. Si es perfectus, considera illam passionem ad Christo, & Matri eius intime compatiendum, & totum te in illam passionem transformandum. Si tu es in iustitia consummatus, considera illam passionem ad Dei dilectionem, & dignationem erga nos admirandum. Nullus ergo se excuset, quin hic inueniat suum pabulum, quin hic inueniat portum, domicilium, & centrum suum. Hos igitur quinque status, quinque Domini nostri plagas cum æstuanti desiderio apprehendite in curam, & sollicitudinem continuam cordis vestri. Quod nobis concedat IESVS Christus crucifixus benedictus in sæcula. Amen.

Gal. 6. c — Psal. 115. a — Psal. 87. d — Ibid. b — Psal. 30. c — Psal. 141. b — Psal. 68. b — Ibid. c

STIMVLI AMORIS

PARS SECVNDA.

CAPITA HVIVS SECVNDÆ Partis.

CAPVT I.

Qualiter homo possit amplius proficere, & magis Deo placere.

VT homo possit amplius proficere, & magis Deo placere, ista decem quæ sequuntur in se studeat habere.

Primo studeat, qualiter possit vel quantum potest se vilissimum reputare, & indignum omni beneficio Dei. Sibi displiceat, soli Deo placere cupiat. Ab aliis velit vilis, non humilis reputari. Et ex hoc summam Dei clementiam recognoscat, quod cum stercus sit vilissimum, in omnibus infidelissimum, ad immensæ maiestatis iniuriam tam promptissimum, dignatur in seruum sibi assumere, & quod maius est adoptare in filium. Non enim reputes magnum, quod Deo seruis, sed reputa maximum, quod ipse dignatur habere sic insufficientem, & miserum seruum.

Secundo, vt de nihilo, nisi de peccato, vel ad peccatum inducente, & à bono retrahente doleat, immo de quacumque tribulatione, iniuria, & afflictione gaudeat. Inferentes intime diligat, specialem orationem pro eis faciat Deo: inde copiosas laudes referat, & ad regratiandum ei de tanto beneficio insufficientem se recognoscat: quia quem diligit Deus corripit, & castigat, & ipsæ tribulationes ad Deum nos ire compellunt.

Prou. 3. b

Tertio, vt paupertatem, & omnem penuriam propter Christum diligat, de temporalibus nisi stricte ad necessitatem suam non requirat, aut quocumque modo appetat: sed Christo capiti in paupertate, & in omnis consolationis corporalis deiectione se studeat conformare. Et hoc debet maximum reputare, quod Rex regum, & Dominus dominantium Christus sic seruum vilissimum suis dignatur induere ornamentis vel vestimentis, & sibi lutum fœtidissimum similare. Ideoque quanto videt se ditiorem, & in pluribus corporis consolationibus abundare, tanto debet intimius, & profundius contristari cernens se eo magis à Christi similitudine elongatum.

Quarto, vt in bonis, & in indifferentibus alterius potius quam suam studeat adimplere voluntatem, immo semper suam in exterioribus actibus studeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere. Et si hoc circa omnes facere debeat, suorum tamen superiorum debet præcipue obedire beneplacitis, & totis viribus, & visceribus amplexari, quæcumque dixerint honesta esse, aut velle fieri. Si ergo aliqua intimauerint, debet pro posse suo cum magno desiderio effectui mancipare.

Quinto, vt nullum quantumcumque miserum despiciat: sed potius erga omnes materno moueatur affectu. & sic omnibus intime compatiatur, sicut mater vnico filio suo prædilecto: omnes eorum miserias reputet esse suas: & sicut sibimetipsi debet omnibus, si tamen potest, subuenire. Et quamuis erga omnes in compatiendo, & ministrando debeat maternaliter se habere, debet tamen omnes tamquam patres, & dominos revereri.

Sexto, vt nullum iudicet de peccato, cum ignoret quid diuina gratia in anima operetur. Sed si aliquem per signa aliqua manifesta compererit peccatorem, plus de peccato doleat, quàm si vulnus proprio corpori millesies inferretur. Recogitet etiam quod pretiosior est anima, quæ sic lethaliter vulneratur, quam omnia corpora vniuersi, scilicet tam hominum, quam cœlorum in quantum corpora. Et ideo sicut corpus meum amare vel custodire vellem: sic immo multo magis deberem proximum cum omni diligentia custodire, & à peccato retrahere oratione, exhortatione, & exemplo.

Septimo, vt bonum proximi sicut suum diligat, & sicut mater in bonis filij iucundatur, sic in bonis omnium viuentium debent iucundari, & maxime de his, quæ spiritualia sunt, & ad spiritualia inductiua, & sic ac si sua essent, debet aliorum bona procurare, & procurata sollicite promouere, & semper debet plura, & maiora, de proximo credere, quam valeat intueri, debet nihilominus de bonis temporalibus proximi non modicum congaudere.

Octauo, vt nihil præter Deum diligat, sed pure propter Deum, vt in omnibus solus Deus sinceriter diligatur sine socio: nec alliciat quantacumque sanctitas alicuius, aut beneficiorum immensitas: nec aliquem diligat amore singulari, sed amore communi, vt scilicet charitate omnes in Deum referens magis diligat meliorem. Potest tamen beneficia pro beneficiis rependere, & pro benefactoribus, & propinquis, & præcipue parentibus orationem Deo ad salutem animarum effundere specialem.

Nono, vt quidquid faciat, & quibuscumque negotiis implicetur, Deum tamen semper actu in corde habeat, & nihil aliud, quam honorem suum in omnibus actualiter, seu habitualiter intendat: ac ad hoc præcipue nitatur, vt sic semper præsentem Deum intelligat, ac si ipsum qui vbique est præsens in sua videret substantia, & essentia, sicque eum timeat, & reuereatur, & immenso amore in ipsum feratur, eoq; prout potest, in via fruatur, & in ipso, & non in alio requiescat.

Decimo, vt si prædicta assequi potest, esse magna Dei beneficia recognoscat. Debet tamen, & ceterorum beneficiorum innumerabilium secundum quod potest reminisci, & præcipue quod sua eum voluit imagine insigniri, eiusque naturam assumere, & se pro ipso morti tradere, in via sibi in cibum, in gloriã, in præmium tribuere semetipsum. Et quia nondum assecutus est eum in præmium, tandem in via aspiciat eum in patibulo, sicque sibi compatiatur, ac si omnia eius vulnera in suo corde sustineret. Et de hoc præcipue dolere debet, quod tot videt frustrari beneficio tam immenso. Cernat eum denique in altari exhibitum sibi in cibum, & potum omnis saporis suauitatem habentem, & in ipso toto affectu delectatus clamet, & dicat:

Oratio.

Domine IESV Christe, qui es panis vitæ, ita me de te satiare digneris, vt nihil præter te esuriam, ita me de te inebriare digneris, vt nihil præter te sitiam. Tene Domine mentem meam, ne interueniente vmbra terræ, à te vero sole iustitiæ separetur.

Matri autem Christi omnem quam poterit reuerentiam exhibeat, & dicat:

Oratio.

Dilectissime Domine IESV dignare me infirmum peccatorem Matri tuæ reuerentiam debitam exhibere. Et tu clementissima Domina impetra mihi, vt suæ, & tuę semper deditus sim seruituti, & tibi omni tempore obsequar pura mente, & corde, & corpore deuotis continue tuæ benignitati assistam. Amen.

CAPVT II.

Qualiter homo ad amorem Dei se debet excitare, & quantum potest cor suum vnire, vel ignire.

QVia cor contemplantis non cessat, siue cessare non debet inuestigare, quomodo sui creatoris amore amplius inardescat, proposui balbutiens ad hoc inducere aliquod inductiuum.

Primum ergo agnosce, ô homo quod nihil est, quod ad eius amorem tantum te inflammet, sicut beneficiorum eius immensa donatio. Hoc enim ipso, quod ipsum ad largiendum tibi ineffabilia liberum vel liberalem recogitas, ipsum te diligere nimium recogitare conuinceris. Quid est hodie, quod magis incitet, vel excitet ad amorem, quam diligi, & amari? Hoc enim faciunt, quantumcumque crudeles homines, quia diligentes se diligunt, quamuis hoc erga suum Creatorem instigante antiquo serpente negligant adimplere. Cogita quidquid velis, & inde Creatorem tuum habebis non modicam materiam diligendi. Accede ergo ad ipsum per hũc modum. Debes no ficte, sed veraciter recogitare te assistere coram Domino tuo. Ita enim est, vbi es, sicut est in cœlo em-

Prou. 8. b

lo empyreo: & te esse tuum, & non suum cogita, & non dubites, quod ab eo quidquid ad salutem pertinet non ad tuum damnum petieris, impetrabis. Hęc certe omnia sunt incentiua amoris. Quomodo diligis eum, cuius es, & qui paratus est omnia tibi dare? Nonne multum diligis eum qui aliquid tibi tribuit? Nonne ergo magis eum diligis, quia omnia immo etiam tibi tribuit semetipsum? Si ergo te diligis, quomodo ipsum, qui te fecit, non diligis? Tu te destruxisti, & adhuc destruis, & te amas; & ipsum, qui te construit & restruxit, & conseruat nō amas? Dic ergo Domino, Domine creatura tua sum, & mihi teipsum negare non potes. Sed antequam procedas, hæc quæ dixisti, meditare, & inflammare amore. Quis enim amplius se continere potest, quin statim omnibus oblitis in Deum se totum proijciat non per partes, dum cogitat Dominum suum summum bonum, delitias Angelorum, præmium beatorum, homini infirmo & corruptibili, cuius miseriam nemo posset exprimere, semetipsum negare non posse, & quantumcunque sit infirmus seu miserrimus & peccator, si ad ipsum se cōuerterit, & ab ipso petierit obtinebit, & hæc nos desiderat petere & largiri, cum dicit: Petite, & accipietis? *Matt. 7.c* Nescio quid amplius laboramus, cur quotidie nos affligimus circa nihil, cū possidere Creatorem omnium valeamus. Quid ergo amplius laboramus, & quærimus? Si enim omne bonum sic leuiter habere valeo, cur nitar plena miserijs possidere? O Domine Deus meus, quid tibi nisi iniuriam facimus, quod te nobis tribuis sic libenter? Si te habeamus, nihil tibi confert, & tamen sic nos diligis, quod te nobiscum esse delitias tuas dicis. Quare nos tantum diligis, vt libentius teipsum nobis tribuas, quam aliquid aliud quod petamus? Et certe hoc ego volo, de cetero aliud possidere, ex quo debita petitionę valeo possidere Deum meū. Ornabo me monilibus, & ipsum introducam in thalamum cordis mei, & ibi secum de cetero requiescam. Bene scio, quod nihil aliud petit, & quærit ipse: animam meam visitare & intrare desiderat, & diu est, quod pulsauit, doleo tamen quod tantum, & tamdiu carui tanto bono. Dic ergo ei: Scio, quod plusquam ego me diligis, de me igitur amplius non curabo, sed solum tuis delitijs inhærebo, & tu mei curam habeto. Non possum intendere mihi & tibi. Et ideo permutatim tu intende mihi, & meæ infirmitati, vt ipsam subleues: & ego intendam tuæ bonitati, vt in ipsa delecter. Et quamuis ego tecum lucrer nimis, & tu mecum nihil, scio tamen quod libentius mecum es, & me cōseruas & promoues, quam ego tecum, vt tua perfruar bonitate. Vnde hoc? Certe nisi quod ego me odi, & tu me diligis. Si autem Domine vellem discurrere per omnia tuæ dilectionis signa, deficerem: quia nec bona naturæ, nec bona fortunæ, nec bona gratiæ nec bona gloriæ, si hominum, & Angelorum linguis loquerer exprimere possem. Et ideo his tacitis in tuum Filium Pater æterne respirabo. O quāta fuit erga hominem Deus meus tua dilectio, qui eum tātum dilexisti, vt velles hominem esse Deum, & Deum hominem appellari. Quid dicam de sexu fragili? Ipsum tuum Filium de ipso nasci voluisti, & qui erat tuus vnigenitus & proprius, voluisti Filium Virginis nominari & esse. Multum quidem Domine secundum vtrumque sexum exaltasti genus humanum, qui tibi æqualem Filium voluisti hominem esse, & filium mulieris. Non hoc dilectionis signum voluisti circa Angelos demonstrare: Non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. *Heb. 2.d* Mirum est certe quomodo pro tuo amore corda fidelium vel filiorum hominum non scinduntur. Quid habuit Deus aliud facere, quam cum peccauimus in infernum profundum nos deijcere, & aliam nobiliorem creaturam, si voluisset, in instanti creare? Quanta fuit ista Dei dilectio, quod post lapsum dignatus est, nos quęrere tam benigne & post eius offensam nos amplius, quam prius exaltare. Quid fuit istud? Nunquid exaltationem meruit culpa nostra? Certe non, sed ne à te fugeremus amplius humanam naturam tibi inseparabiliter vnire voluisti. Mira videtur tua dilectio Deus meus, qui te odientes diligis, & exaltas. Si ergo nos, qui nihil sumus, tantum diligis, qui es summus: quomodo nos miseri te non diligimus, qui es omne bonum? O cor meditantis quomodo in tā excellenti dilectionis affectu nō deficis prę amore! Quid in hoc Deus voluit, nisi vt suo nos inebriaret amore? Quanta est hæc Creatoris nostri dignatio, quod nos tantum desiderat sibi per dilectionis vinculum colligari. Quomodo potest cor hominis aliud cogitare? Vt sic erga nos exaltares Deus noster, voluisti paruulus nasci: vt nos bestiales per peccatum cælestes faceres voluisti inter bestias in præsepio collocari. O mira bonitatis diuinæ diffusio! ô detestabilis nostrorum excæcatio oculorum! ô glacies, non cor, cur non liquescis ad hunc calorem? Heu mihi nescio per quam viam Deus amplius non requirat, ex quo per hanc nos non habet. Sed quid dicam? Christus, qui est receptaculum expulsorum voluit fugere in Ægyptum. Nunquid Domine IESV, qui vbique eras, fugere indigebas? Non certe, quia omnes inimicos tuos in tua potestate tenebas. Sed hoc facere voluisti, vt pro me patiens tuum mihi manifestares amorem, & ad te fugerem persecutus. O Deus meus bene video, quia totus es meus? & me vis totaliter possidere. Sed quid plura? Taceo vitæ tuæ processum, qui totus es dilectione plenus, & venio ad alapas, & consputa.

Certe hoc dilectionis signum cor hominis non sufficit cogitare. Si enim nihil amplius mihi vnquam fecisses, nec etiam facturus esses, nisi quod Deus æternus in mea natura sustinere voluisti hæc opprobria, deberem totaliter tuo igniri amore. Quid enim gratius Deo, & quid vilius peccatore? Et tamen tu Deus pro peccatoribus voluisti à peccatoribus conspicui, & illudi. O Deus meus, quid fuit istud, quoniam à creatura tua, quam in momento delere poteras, sic vilia tolerasti, & dicentibus te esse dæmoniacum benigne respondebas! O summa tuæ manifestatio charitatis, qui talia pro nobis à dæmoniacis audiebas! Quid tibi tantum curæ erat de nobis, quod de omni opprobrio supponebas? Sed tua nimia dilectione hoc sustinere voluisti placide. O cor plusquam lapideum, ô cor non cor, cur non accenderis ex amore? Lapis calore solutus in æs vertitur, *Iob. 28.d* & tu ad tantum calorem immutabilis perseueras. Vtinam ergo lapideum esses, non carneum. Et quid vero mirabilius, quam quod caro cordis lapide durior, & insensibilior inuenitur? Sed nonne dicit Dominus, quod auferet à nobis cor lapideum, & dabit nobis cor carneum? *Ezech. 11.c* Immo ex quo lapis citius immutatur, quam cor carneum, det lapideum cor, carneum auferendo. Ad verecundiam nostram dico: *1.Cor. 6.a* O cor nequissimum; ô cor inanissimum; ô cor infidelissimum, cur te sic odis? cur te sic laceras, & consumis? cur te sic fortiter diligentem non diligis? O cor crudelissimum, cur mortem plusquam vitam diligis? cur te quærentem non recipis? O lapides, & creaturæ insensibiles, flectite væsaniam cordis mei. Certe Domine IESV etiam si me odires, ex quo Deus meus es, & refugium meum, solus protector & gubernator meus te diligere deberem, quanto magis cum me tantum diligas, & me sequaris tuis beneficijs fugientem. Nam tantum me diligis, vt te pro me odire videaris. Nonne tu iudex omnium voluisti pro me iudicari, & mortem turpissimam & grauissimam sustinere? O Deus meus, quid mihi amplius facere debuisti? Certe si hoc mihi fecisset minimus rusticus, ipsum deberem diligere in æternum, & ego non te diligam Deum meum? Non dico, quod sanguinis effusio, quæ tota fuit plena charitate, sed plane solus tuus aspectus me inebriare deberet, quāto magis ergo passio tua grauissima, & ignominia plena? Certe me totum voluisti, qui mihi te totum tribuisti Et quis requirebat hoc de manu tua Domine mi? Cur tibi curæ fuit de tam vilissima creatura? Certe nihil aliud nisi tua maxima bonitas, & immensa dilectio hoc exegit. Nā si nos redimere volebas, aliter facere potuisti: sed sic facere dignatus es, vt nos tuo amplius inflammares amore. O amor & desiderium cordis, ô dulcedo, & suaui-

tas mentis, ô ardor, & inflammatio pectoris, ô lux, & claritas oculorum, ô aurium pulchra symphonia, ô hostia Deo Patri odorifera, ô mellisflua gustatio fluxus sanguinis, ô amantissima palpatio lateris, ô anima mea, ô vita mea, ô viscera cordis mei, ô medulla ossiũ, vegetatio carnium, sensificatio organorum, intellectus, inspiratio, & exultatio mea. Cur ego non sum conuersus totus in tuũ amorem? Quare aliquid est in me nisi amor? Quomodo possum aliquid aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? Quid amplius cupio? Cur ego nõ sum illo laqueatus, & captus? Vndique circumdat me amor tuus, & nescio quid sit amor. Sed heu mihi cur sic insensibilis maneo sine causa? Cur vanitas plusquam tu, qui es veritas, me allexit, & allicit? Cur iniquitas plusquam Saluatoris mei benignitas me attraxit? Cur stercorum odium plusquam mei Creatoris, & Redemptoris amorem nimium adamaui? O quantum dilexisti hominem Deus meus? Non solum in cruce pro ipso pati voluisti, sed etiam apud inferos ipsum visitasti, & tecum ad supernos reduxisti. Nonne potuisti Domine IESV pro ipso mittere aliquem Angelorum, nisi ipsum extraheres per teipsum? Cur vis hominem vbiq; sociare? Cur in omni loco vis cum homine habitare? Quid habet nisi vilia & mala ipse homo? Cur ipsum diligis sic immense? Postquam etiam surrexisti, voluisti adhuc quadraginta diebus homini apparere, sed & cum glorificatus esses, vesci voluisti, pacem donasti, & te ei palpabilem tribuisti. Sed Domine IESV nonne sufficiebat homini, quod pro ipso fueras crucifixus, nisi ipsum de inferni profundo, & infimo lacu extraheres? Videtur quod tantum hominẽ dilexeris, vt ab ipso nolueris abstinere. An ignorabas, quod de tam excellẽti passionis beneficio fueramus ingrati? Etiam quos speciales habueras increduli extiterunt. Quomodo ergo nos potuisti amplius intueri? O quam mirabilis est tua dilectio dulcissime Domine IESV, cum non possis ab hominibus separari. Nonne qui ascensurus eras ad dexteram Patris tui, potestatem homini dimisisti, vt te, cum velit, habeat in altari, hanc potestatem & antequam mori inciperes dimisisti, ne amittere te timeret. Sed cur hoc facere voluisti cum missurus esses Spiritum sanctum? Cur semper cum homine vis morari? Sed tuo corpori incorporare nos totaliter voluisti, & tuo nos potare sanguine, vt sic tuo inebriati amore tecum vnum cor, & vnam animam haberemus. Quid enim aliud est, tuum sanguinem bibere, qui sedes est animæ, quam nostram animam tuæ animæ inseparabiliter colligari. Hoc est certe, quod vis, hoc certe est, quod desideras Deus meus, hoc est Redemptor, & Domine mi, quod tanto tempore procurasti. Pro hoc enim ab infantia tua laborasti. Hoc nobis concedas, qui in æternum viuis, & regnas. Amen.

CAPVT III.

Qualiter homo debet libenter Deo dare cor suum.

O Domine mi IESV, tu te mihi dedisti, & à me cor meum petis, sed quantum est hoc Domine mi, qui ita excellens es? Si enim haberẽ cor vnum, quod solum maius esset, quam si simul essent omnia corda filiorum hominum, & omnes Angelorum effectus, & vt moraliter loquar, maius esset, & quod plura spiritualia & corporalia simul actu contineret, vel continere posset, quam cælum empyreum, ipsum totum & totaliter tibi tribuere deberem, & adhuc tanto Domino munusculum paruũ, immo quasi nihil esset: quanto magis ego illam paruam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponã. Hoc enim permaximum est mihi, quod cor meũ habere digneris. Nonne ergo stultus essem, si illud applicarem de cetero alicui creaturæ, cum Deus meus illud velit habere? Et iam in meipso nolo, quod remaneat amodo, sed volo vt totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te. Melius est, quod cor meum maneat in æterna iucunditate, in diuina maiestate, & immensa bonitate, quam in mea fragilitate: in tua scilicet deitate, quam in mea iniquitate. Si hoc habere contemplatiue cupis multũ corde desideres, & multum ore postules: & desiderium animæ tuæ tribuet tibi Deus, & voluntate tua non fraudaberis, sed mentem tuam eleuans in benedictionibus dulcedinis te præueniet, tanquam corona lapidis pretiosi semetipso mentem tuam circundabit. Nullus enim potest perfecte inuenire Deum, qui se perfecte non odit.

CAPVT IIII.

Qualiter homo ordinet cogitationes suas ad Deum, ita quod Deum semper habeat in corde.

O Homo vis cognoscere, quomodo ad Deum tuum dirigas cogitatum? Semper cogitare debes te esse in præsentia Dei tui, & ipsum semper habeas in tuo cogitatu. Super Christum autem pro te grauissime vulneratum, quasi semper dirigas cogitatum, & quod ipse sit Deus tuus, qui pro te talia passus est, cogitabis. Sæpe etiã ad Matrem Christi reuerenter, quæ est multorum solatium, festinabis, & quotiescunque ad ipsam tuum diriges cogitatum, ipsam cogita Matrem Dei: vt sic quocunque dirigas cogitatum, Deum tuum semper habeas in corde, & semper coram ipso existens, suamque admirans magnitudinem, & tuam misericordiam recognoscens, quantum poteris resilies in teipsum admirans non modicum, quod dignatur rem tam fœtidam coram suis oculis præsentare, & te ad momentum patitur in sua præsentia cõmorari. Hæc sic faciens de hoc dono, & de omnibus alijs referas Deo gratias. Et quod etiam ei regratiari possis, recogita magnum donum. Et hoc donũ scilicet quod in præsentia sua valeas commorari semper, & alia quæ tibi concesserit Dominus, debes cum omni vigilantia custodire semper, cum magna auiditate inhians ad maiora. Et si propter tuam miseriam aut aliquam occupationem exteriorem, cogitatum tuum à sua præsentia absentari perpenderis, vel respicis impeditum cũ magna anxietate reuerti studeas vbi eras, scilicet ad præsentiam Dei. Et hoc faciens qualiter processum habere debeas, cito te docebit. Hoc tamen pro certo in te habeas, quod quidquid sic de alijs, semper debes te ad nihilum redigere, quantum potes & omnium peccatorum te infimum reputare, & tam pro te, quam pro alijs à Deo tuo tibi præsente cum omni humilitate veniam postulare, & tuam considerationem super hoc diligere poteris per hunc modum. Nunquam cõsiderare vel cogitare debes, quod alij peccatores taliter à Deo sint elõgati: quin ipse, sæpe, & si non semper, ad Dominum se conuertant in corde, & quin Dominum suum tunc intimius recogitent, quantũ & clarius recognoscant, & quin reuerentia maiori coram ipso assistant, & maiorẽ suorũ habeant cõfusionem peccatorũ, & humilius se ei præsentẽt: quinetiam maiori, & ardentiori moueantur affectu in præsentia tanti boni. Et si hoc pleno corde nõ poteris cogitare, hoc ipso deberes te superbissimum reputare. Nec de cõgruo deberes huic tuæ superbiæ præponderare conscientias aliorum. Nullum etiam quantumcunque publicum peccatorem iudices, vel contemnas, quia nescis finem eius. Potens est enim Deus iustificare impium, & malignum. Te ergo, & non alios iudices in hoc mundo: quod si facere non potes, debes tunc firmiter prǽsumere, quod superbia sit illud vitium, in quo ceteros singulariter tu excedis, ex quo non potes tuam aspicere prauitatem. Et certe si hoc est verum, satis potes te infimum omnium reputare. Sed forsan tua superba cogitatio dicet tibi, Quomodo hoc de infidelibus cogitare possum, scilicet quod sim eis infimus, qui nec Deum etiam cognoscunt? Sed audi cæca superbia. An ignoras, quod si Deum recognoscis, ipsumque te redemisse credis suo sanguine pretioso, & contra eum eleuaris in superbiam, quod grauius peccas, quam si hæc omnia ignorasses? Nonne vbi cum peccato maior est cognitio, maior est contemptus? Et

nonne vbi maior est contemptus, maius est peccatum? Nullum ergo excipias, ô insania, sed pleno corde te humilians tuam miseriam recognosce. Et si tibi tunc subrepat cogitatio. Ergo tu à Deo reprobatus: hanc quam citius excludere debes, nec permittere aliquo modo tecum commorari. Timere tamen debes non modicum, & altissimi Dei superextollere pietatem, & confidere in Christi vulneribus, & in clementia Matris eius. Immensa est enim misericordia Dei nostri. Et si essent in te solo omnia peccata, quæ vnquam facta sunt, vel etiam possēt de cetero perpetrari, in infinitum superexcellit eius misericordia, & tibi hæc omnia, si ad se recurreres propter suam pietatem largissimam condonaret. Si etiam tunc tibi subrepat cogitatio, vtrum sis in charitate an non, timere proculdubio debes: sed caue ne determinate in partem aliquam inclineris, fideliter tamen age, & de diuina misericordia semper spera. Si enim hoc egeris, & tui consideratione reputaueris teipsum peccatorem nocte vndique obrutum, ac de tanta tenebrositate intense dolens ad fontem pietatis humiliter conuerteris mentem tuam, orietur in tenebris illis lux tua, & eleuaberis Dei nostri dulcissima pietate ad cælestia contemplanda, & ibi delitijs abundabis, & dices cũ Propheta: Et nox illuminatio mea in delitijs meis. Quod nobis præstare dignetur, &c.

Psal. 138. b

CAPVT V.

Qualiter homo opere mundo vel ad operandum plus in Deo ferueat.

SI attenderes ô homo, qualiter Deus ad imaginem suã te creare, & formare voluit, & pro te tot, & tam nobiles creaturas condidit & tuam assumens naturam tam chare te redemit, & nõ solum vt ipsum habeas in cibum in præsenti, sed etiam seipsum in futurum tibi in præmiũ repromisit, nunc naturam conseruat, gratiamque infundit, & hæc omnia ad suum facit honorem. Si etiam in ipsum tenderes, vt deberes, & eius honorem appeteres, vt quasi tui oblitus pro nihilo te supponeres, quidquid honoris consolationis aut tribulationis siue iniuriæ tibi cõtingeret, ac si nihil accideret, reputares, totum in laudem & gloriam referens Creatoris. Et quantumcunque: & quandocumque aliquid faceres ad Dei honorem, animæque salutem, vtrũ difficile esset, non iudicare deberes, sed cum impetu mentis immo amore feruenti deberes studere effectui mancipare. Si enim bene Creatoris tui esses succensus amore, ô homo nihil pro ipso iniuriosum, nihil difficile reputares, omnia tibi læuia: amabilia, omnia dulcia, & suauia apparerent, & tam libenter hæc omnia adimpleres, & cum omnia perfecisses, te tamen quasi nihil pro ipso fecisse crederes, immo potius defecisse: teq; ex hoc tãtum exosum haberes, vt teipsum vix posses aliquatenus tolerare, & cogitares sollicite quomodo posses maiora facere, aut saltem perfectius eadem adimplere, proponeresq; in corde tuo de factis & defectibus tuis grauiter flagellari. Nam erubesceres non modicum & dolores tam altissimo Domino tuo sic miserrime ministrare. Quid plura dicam? Quanto plus proficeres, tanto plus te deficere cogitares, & amplius erubesceres, & dolores, & maiori succensus ardore semper maiora reincipere conareris. Nunquã enim de his, quæ ad honorem Dei cerneres, tuus posset refici appetitus. Sẽper enim famelicus appareres. O mirabilis calor amoris, qui sic cito digeri omne molestũ facis, ac tandem conuertis in præmium sine fine. Non dubito, quin tunc nimio feruore ebulliret cor tuum summum, quod haberes exosum, & quidquid ad momentum te subtraheret à seruitio Dei tui. Semper tamen videreris tibi ad seruiendum Deo tuo piger, alijque serui Dei respectu tui viderentur tibi promptissimi, & feruentissimi apparerent, & eorum pronitas, seu promptitas tibi esset in magnum gaudium, sed tua pigritia in mærorem verteretur. Accede ergo ad cor altum, & in tuis actibus exaltabitur Deus tuus. Si enim habueris cor infirmum & terrenum, minima seruitia maxima reputabis, & quæ quasi nihil erunt, tibi difficilia apparebunt, & illa, quę pro te, aut pro vno amico tuo vilissimo libenter faceres, pro Deo tuo altissimo facere grauaberis, vltra modũ dulcia & amabilia reputabis, amara & amarissima dulcia iudicabis. Oculus infirmus irradiationes veri solis iustitiæ abhorrebit, & ambulare in tenebris affectabit. De spiritualibus viris triũphabis, & te triũphari à dæmonibus ignorabis. Sed heu, & væ tibi, quia iam bestijs non potes comparari. Vtinam iumentis similis factus esses, quę subeunt onera dominorum. Non poteris de culpa alios arguere, & te tuis intimis nequitijs adimplere Si ergo sic ad seruiendum Deo tuo habes manus ligatas, & pedes, non restat tibi, nisi vt in exteriores tenebras proijciaris. A quo nos ipse custodiat, cuius misericordia totus est plenus orbis. Amen.

CAPVT VI.

Qualiter homo se perfecte odiat, vt Deum perfecte diligat.

QVoniam ad dilectionem Dei habendam impedit dilectio sui, & quando vna intenditur, altera remittitur: ideo vt perfecte possimus Deum diligere, debemus nos perfecte odire. Tunc autem perfecte te odis, cum appetis ab hominibus pleno corde conculcari, vilissimum reputari, flagellari, deijci, & quasi ad nihilum redigi, & hæc omnia reputas esse pauca, in tuis iniurijs delectari, & in tuis tribulationibus consolari: & non solum vis tibi hæc ab omnibus inferri, sed etiam cupis eos credere, te istis iniurijs & tribulationibus esse dignum. Hoc dico ideo, quia multi appetunt sustinere aduersa, vt in eorum tolerantia ab hominibus commendentur. Tales autem nõ se odiunt, sed diligũt, & mercedem suam, proh dolor, iam recipiunt in hoc mundo. Tunc etiam perfecte te odis, quando non solum vis ab hominibus conculcari sed etiam teipsum tantum abhorres, vt vix teipsum valeas tolerare, & es tibi abominabilis nimis, & velles etiam à creaturis irrationalibus, & insensibilibus impugnari: & cum aliquid propter tuam necessitatem, licet non contra Deũ, delectabile tamen aut afflictiuum recipis, cõtra temetipsum turbaris, solum Deum quæris, & omnia renuis extra ipsum. Ad hoc donum permaximum peruenire valebis, si confidenter & ex corde sæpe petieris hoc à Deo. Ex parte tamen tua possunt esse aliqua inductiua & dispositiua ad donum istud.

Primo considerare debes, quod natus es in peccato, & ex quo ab illo lauacro regeneratus es, & purgatus, & lotus, postquam vsum liberi arbitrij habuisti, vsque ad hanc horam, quasi cõtinue immemor ablutionis patriæ, quæ deriuauit à latere Christi IESV, & diuinam non timens nec reuerens maiestatem, in cuius præsentia existebas, temetipsum offenderis plusquam aliquis crudelissimus inimicus. Quomodo si hæc cogitaueris, te non odibis? Et quid odimus nisi mala contraria & nocîua? Et quid peius, quam se opponere summo bono? Quid contrarius, quam sanguinis Christi euomere medicinam? Quid est nociuius, quam suæ animæ occisio? Et tu tibi talis fuisti etiam plusquam valeas cogitare. Debes etiam cogitare, quod quanto ab extrinsecis amplius molestaris, tanto magis tibi præcluditur via, ne vageris per deuia, & affectum amplifices creaturæ, sed vt in solo Deo altissimo requiescas. Quis ergo non odibit illius apertionem clausurę, vnde potest exire à Deo? Certe tunc aperitur, cum propria tribulatio non amatur, sed ab animo effugatur potius volendo requiescere in stercore, quam in Deo. Cogita ergo, quod soli Deo debetur reuerentia & honor, & ipse in se, & in suis creaturis solus est diligendus. Et ideo, si vere Deum diligis, debes, te honorari, & diligi ab omnibus, abhorrere. Quomodo non abhorrebo mihi attribui, quod est Dei? Immo oppositum potius affectabo, ne si medium tenere vellem, incurrerem extremum. O quam vtiles sunt istæ afflictiones extrinsecæ!

Certe

Certe per ipsas ad cognitionem miseriæ nostræ deuenimus. & per hanc cognitionem nostri peruenimus ad cognitionem Dei Nam quanto quis magis est suæ vilitatis cognitor, tanto magis est diuinæ maiestatis inspector. Quid ergo vtilius, quã per hoc humiliari, & ad cælestia exaltari? Quis ergo renuet, se odire, & ab omnibus conculcari? Certe nescio, nisi stultus. Si ergo times ô homo, quæ ab hominibus inferuntur, quanto magis timere deberes, quæ à Deo infliguntur? Sed si illa times, certe ista diliges, & amabis. Nã istę afflictiones sunt vię ad patriam, & materia magni boni. Consolationes vero sunt viæ ad pœnas, & materia magni casus. Istæ scilicet consolationes animam interficiunt, & deturpant. Hæ autem animã lauant à maculis, & purgant à scoria peccatorum, vt sic dealbata & mundata videat Deum suum. O Deus, quis non appetit hoc habere, nisi qui non appetit te videre, aut qui non appetit ad tuam gloriã euolare. Et quomodo probabitur aliquis esse verus tuus amicus, nisi qui pro te aduersa voluerit sustinere? Nunquid vera amicitia probatur in consolationibus, & honoribus huius mundi? Certe si sic pauci inuenirentur mali qui pauci sunt, & vix aliqui, qui non appetant consolari. Sed certe illi filij tui concernuntur, quos corrigere non desinis. Nam semper cum talibus commoraris Non ergo hoc renuat sed diligat, nisi qui non vult tanquam specialis amicus, immo tanquam charissimus filius cum Domino habitare. Et hæc nos semper stimulant, & faciunt currere ad maiora, faciuntque conscendere ad montana, & ad cælestia contemplanda. Hæc sunt certe, quæ ceteris patientibus membris compati instruunt. Quomodo enim proximo, iniurias, passiones, & damna patienti compatiar, qui ea nunquam probaui? Propterea dicit Apostolus ad Hebræos: Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris. Et hoc est, quia in suo corpore fuit eas expertus sicut ibidem innuit. Nam lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nunc si alijs non compatimur, quomodo cum illo conregnabimus? aut si membra mortua & insensibilia sumus, quid restat nisi vt de corpore excidamur? aut dicito mihi, quomodo tuo capiti, Christo pro te mortuo scies compati, qui non pateris? aut si Christo non compateris, quomodo poteris sibi cõformari? Sed certe si nihil aliud te moueret hoc solum deberet te facere auidum passionum. Quid peius, aut magis mortiferũ, aut pestiferum, quam passionibus Christi non compati, aut tanti beneficij ingratus existere? aut quid fructuosius, aut suauius, quam illius passionis ex corde compassionem plenam gerere? Quod bene nullus potest facere, nisi qui iniurias passus, vel expertus est. Aut dic mihi, quid nobilius est, quam assimulari Filio Dei? Quomodo si nunc ei dissimiles fuerimus per consolationes & honores, erimus sibi confratres in regno Dei? Minime. Quid enim abominabilius, quã videre pro me vilissimo stercore, Dei Filium in assumpta humanitate iniurias, & opprobria sustinere, mortem turpissimam & grauissimam tolerare, & ego velim ab hominibus honorari, & delitijs affluere? O homo, stercus, & plusquam stercus pro iniuria quam sibi feceras, ipse semetipsum ad talia iudicauit, ipse scilicet actor, & iudex super se reflexit iudicium amarissimum, & tu adhuc coram eo, qui sibi iniurias, vis pertransire immunis? Saltem coram oculis sic pro te afflicti prætende mœrorem, & corde te offer ad consimilia patienda, & certe non dubites, quod ex quo est sufficienter punitur, si hoc iterum sustinere volueris, & toto appetieris corde non sustinebis hoc: quia non vult, vt pro eadem iniuria bis passio inferatur. Sed quod credis iniurias esse, in honorem conuertet, & quod credis tribulationem esse, in consolationibus mutari videbis, & vbi credis esse damnum, reperies fructum multum. Et quanto iniuria maior, tanto honorabilior eris: & quanto tribulatio & afflictio intensior, tanto magis consolaberis: & si omnia propter ipsum amiseris, certe ipsum, qui est omnia, possidebis. Si autem honorem appetieris, deprimeris: si consolationes, tribulaberis: si temporalia, pauper eris.

Heb. 4. d

Isa. 53. a

Qui enim aliud præter Deum appetierit, se affliget: immo etiam si se indebite dilexerit, se occidet. Si autem se odiens, Deum dilexerit, ipsum plenarie possidebit. Vnde qui Deum diligit, ipsum tunc habet Deum, ita quod si solum Deum dilexit, ipsum plenarie possidebit. Vnde quanto perfectius Deum diligit, tanto perfectius ipsum habet. O stultissimi homines, quomodo hic oculos vestros nõ ponitis si vultis vos, & omnia abhorrere? Certe cum videritis vos possidere Creatorem omnium, & mẽs vestra in ipso quieta fuerit, omnia mũdanam vanitatem reputabitis, & corpora vestra dum adhuc sunt mortalia, tanquam stercora erunt vobis abominabilia. & sicut qui auferret stercus vel aliquid abominabile ab oculis vestris, sic qui vos vsque ad mortem affligeret: & sicut qui detestaretur quod abominaremini, gauderetis, sic qui vos detestando iniurias & opprobria vobis dixerint, & fecerint, exultabitis. Nam nihil poterit vobis euenire aduersi: quia consolationes & honores non poterũt vos decipere, eo quod de ipsis non curatis, sed eorũ contrarium appetitis. Aduersitates etiam non poteruntvos decipere, quia ipsas affectatis, immo quanto maior erit tribulatio, tanto maior erit consolatio: quia magis in hoc casu adimplebitur desiderium vestrum. Nõ certe sic deberet esse. Quis enim non deberet gaudere, si separaretur à vanitate, & coniungeretur veritati? Nonne hæc omnia sunt vanitas? Et quid est veritas? Nihil, nisi Deus. Et ideo omnia præter Deum, aut quæ in ipsum non tendunt, abhorrenda sunt. Si enim sic esses ô homo, quod in solo Deo velles affici, & suum sitires honorem, & te vt dictum est, non diligeres, sed odires, & ab alijs appeteres conculcari, viam diabolo obstrueres, vel obstruxisses, vt ad te penitus intrare non posset. In hoc enim concordant Doctores, quod omnis malitiæ causa est timor vel amor, immo etiam causa ipsius timoris est amor sui. Quomodo ergo ex timore peccare poteris, qui te desiderabis affligi, & contemni, & ab hominibus conculcari? Et quomodo amore tui peccare poteris, qui te perfecte odis, & Creatorem tuum diligis? Hæc certe si habueris, à fœditate separaberis, & ad perfectam innocentiam & sanctitatis consummationem pertinges, & qui aliquando fuisti seruus diaboli, eris permaximus in regno Dei. Quid ergo asseequi ista tardas? Quare negligimus hanc mẽtis perfectionem habere? Nunquid hoc donum excellentissimũ negabit nobis Deus, si ab ipso illud postulare voluerimus? Certe non de hoc te certifico, sicut possum, immo libentissime hoc tibi dabit. Nõ dico, quod tibi dabit pati, quia non omnibus concedit hoc, sed tribuet tibi velle pati. Et forte si dignus fueris, etiã istud dabit tibi. Et si dicis, Non possum tantum laborare, vt ad tantam sanctitatem veniem, vt non solum Deum diligerem, & me super omnia abhorrerem, & ab alijs vilipendi appeterem: & ego dico tibi, quod ad hoc non requiritur iste labor extrinsecus, aut corporis valetudo, sed potius sollicitudo cordis, & corporis quies: labor cordis, & quies mentis. Non requiritur dico multus labor extrinsecus, quia per illum destrueretur vel distraheretur homo interior. Labor tamen pietatis, & humilitatis ad hoc, & ad omnia vtilis est, dum tamen quietem mentis homo custodiat: nec requiritur valetudo corporis, quia repugnat valetudini spiritus. Requiritur autem labor cordis in surgendo, & totaliter se euellendo ab istis infimis, & ad cælestia ascendendo. Et dum ascenderis, requiritur quies mentis. Multum enim abhorret Deus, cum quis eum degustat, & ibi non quiescit, sed potius tanquam si Deus non esset ei sufficiens, redit ad amplexanda stercora, & sic inquinatus iterũ vult Dominum amplexari. sed hoc vni rustico facere non auderes: ergo ipsum Deum plus omni rustico vilipẽdimus. Et nihilominus volumus, quod in omnibus satisfaciat voluntati nostrę, sed non est ita. Sed si impetrare volueris sine repulsa tã hoc præcellens donũ, quam alia, ad ipsum reuerenter conscendas, ibique quiescas, & sollicite roga eũ, vt amplius non te permittat redire ad vomitũ. Et si sic feceris, non dubito quod ab illo splendore ęterno illuminatus tuas miserias recognosces, & super omnia te odibis,

dibis diuinam experieris bonitatem, & omnia tanquam stercora reputabis, & coniungeris amoris vinculo soli Deo. Quod ipse nobis concedat, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VII.

Qualiter homo debet in omni actione frui contemplatione.

SI homo bene inebriatus amore sui Creatoris esset, nihil in omnibus requireret, nisi quomodo suo Creatori posset diligētius & perfectius deseruire, & propriam penitus, quantum posset, voluntatem abscindens solum quæ magis crederet Deo placere, cum impetu animi assequi conaretur, & sic in omnibus, & per omnia, non quæ sua sunt, quæreret: sed quæ IESV Christi, obliuisceretur quodammodo sui, solius memor Dei. Hic talis & tantus præ feruore, & amoris magnitudine vel immensitate non multum, vt credo, distingueret inter gradum & gradum, vitam, & vitam, statum & statum, personam & personam, tempus & tempus, locum & locum: sed quo cumque modo, & quacunque hora discernere posset, quid amplius suo Creatori placeret, statim perficere co naretur, toto animi affectu tendens in Deum. Quanto enim creaturæ ad Deum magis reducuntur, tanto sibi vel inter sese mutuo amplius vniuntur. Omnino ergo communicans, id est, ad vnum commune omnia reducens, (quod facit quis, cū nihil requirit in omnibus, nisi honorificentiam Dei, ad quam facta sunt omnia, & ad hoc vniuersa ordinata,) & in vno Creatore coniungens, (quod verum est cum vniuersa in Deo collocat, & solum Deum in omnibus intuetur) & nihil in omnibus nisi Deum videre semper suspirans, semper anhelans, & ad seruiendū Deo suo in omnibus totus accensus, totus ignitus nō cōsideraret, quid sibi suauius, quid dulcius esset: sed in omnibus quid Deo suo amabilius. O felix talis, qui cū actiua contemplatiuam haberet: quia sic Domino ministraret, vt Martha: vt tamen à pedibus Domini non discederet cum Maria, sic se Angelicis spiritibus niteretur conformare, qui nobis ministrando à diuina contēplatione nō vacant. Quid enim est hoc, scilicet Domino ministrare, aliud, nisi cum ministrat sano, cum visitat infirmum, vel seruit infirmo, semper in eis Dominū intueri & frui Deo in proximo? Assistēdo seruit, manum porrigit proximo, & cor ad Deum. Proximo seruit, non vt homini, sed vt in homine Deo. Totū semper refert ad IESVM, qui dicit: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et ideo cū in lecto videt proximū infirmū, sibi videtur, ꝙ videat Christum suum, & per hoc nihil sibi difficile, nihil sibi abominabile, nihil ignominiosum ęstimat facere pro infirmis ac pro alijs desolatis: sed omnia dulcia, omnia suauia, omnia amabilia iudicabit, cum sic in proximo ministrat Christo. Credo sine præiudicio, quod qui sic, vt dictum est, feruenter & diligenter Christo in proximo ministraret, pure propter Christum tendens in Christum, quod plus mereretur & virtuosius moreretur, & à Deo amplius approbaretur, quam si proprio corpori Christi ministraret. Et hoc sic patere potest. Vnus enim pessimus homo si videret Christum esse in vno lecto, & cognosceret eum, non est dubium quod sibi feruenter, & diligen ter ministraret: sed sibi, id est, Christo in proximo cum tanto feruore & diligentia ministrare nō posset, nisi perfectus, vt credo, immo, vt ita loquar, & plusquam perfectus. Et ideo cum toto animi conamine hāc gratiam habere conemur. Quis de cetero abhorrebit leprosum, declinabit infirmum, negliget desolatum cum in eis intuemur Christum, & plus ibi possumus mereri, & Deo placere, vt probatum est, quam si etiam ministraremus ipsi Christo? Indicabo tibi Sponsa, quem diligit anima mea. Certe in infirmaria iacet, ibi angustiatur, ibi dolore grauatur, vel torquetur. Curre, & sibi ministra, sibique compatere infirmanti. Cur instas Sponsa quotidie, vt Sponsi osculo osculeris? Accede ad leprosum, & osculare eum, quia ibi iacet. Cur Sponsa misera præ Sponsi amore languescere te dicis, & ipsum quotidie nudum, discalceatū, & afflictum ante te vides transire, & negligis, & etiam nō compateris ei? Et si non possumus, fratres, omnibus præstare obsequia, quia multi sunt indigentes, saltem omnibus compassionem donemus, & in omnibus consideremus Christum. Credo firmiter, quod si Christum neglexerimus in cœno vel in terra, quod ipsum nō habebimus in cælo. Audi quid ipse dicit: Infirmus etiam, & non visitasti me, &c. Ite maledicti, &c. Et bene nostis, quod non sunt hæc verba mea, sed ineffabilis veritatis. Timeamus ergo fratres hanc sententiam, qui totiens neglex imus eū Non interrogemus eum de cetero, nec dicamus ei, Vbi iaces? vbi cubas in meridie, quia iam nouimus locum. Scimus enim eum in infirmaria iacere. Non autem restat, nisi præstare obsequium.

Audite, obsecro consilium meum, & nō aspiciatis ad factum meum. Qui enim vult, vt dixi, cum actiua contemplatiuam vitam habere, vt suum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi, quod hęc vita sit breuis & bona, videlicet, vt se totum recolligens intret ad cor suum, & intima cordis ingrediens, se resoluat in Deū: vt nihil nec videat, nec sentiat nisi Deum & tunc aliquo modo sic Deificatus & transformatus in Deum ad quodcunque se vertet, nihil nisi Deum considerabit, & quidquid operis faciat non homini, sed soli Deo facere existimabit. Et dum hanc formam habebit, vel tenebit in omnibus Deum videbit, & in labore actiuo contemplatiua fruetur. Et si contingat, immo quia cōtinget, ab hac nobili forma discedere ad ipsam statim nitatur homo redire, & hæc totiens faciat, quod quasi in habitum ducat, & hoc magis honore, & diuina largitate, quam aliqua industria impetrare credat. Et si hæc omnia nimis difficilia tibi videntur saltem ad hoc conare, vt semper & in omnibus quæras facere, quod sit magis honorificum Deo, conforme Christo, vtile tibi, & proximo, afflictiuum & ignominiosum corpori proprio. Quod ipse nobis cōcedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT VIII.

Quoddam delectabile & allectiuum.

ANima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, &c. O mira, & inæstimabilis virtus amoris! Deum inclinat ad terram mentem eleuat ad patriam, & Deum, & animam vel hominem simul conglutinat ad gloriam, Deū facit hominē, & hominem facit Deū, temporalē facit æternū, imortalem occidit, mortalē immortalem facit, & imum excelsum constituit, inimicum facit amicū, seruum facit filium, & abominabile facit gloriosum, frigida facit ignea, obscura facit clara, dura facit liquida. Nā anima mea liquefacta est, &c. O verbum admirabile! ô verbum nimium delectabile! Ego vilissimus, & nequissimus seruus tuus Domine Deus meus, qui etiam non sum dignus aliqua tua creatura vocari, nec esse quomodo sū, tibi tantę charitatis vinculo colligatus, vt ad verbum tuū præ amore fuerim liquefactus. O ardor amoris, qui intima mentis in Deum infundis! Nam adamantina erat anima mea, & eius intima nimium solidata, nunc amore liquescit, nunc extra se exit, & in Deum tota se diffundit proprium locum relinquit, & in Deum currit, absorbetur à Deo & obliuiscitur sui.

O amor quid tibi tribuam, qui me fecisti diuinum? Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. Inenarrabilis est virtus tua ô amor, qui lutū in Deum transfiguras. Quid ergo te potentius, quid dulcius, quid iucundius, quid & nobilius obsecro? Bone amor, qui terrena ponis in cælum, deficio tui memor, & facio me vniri dilecto. O felix amor, qui nos facis languidos. Sponsi nostri amplexibus sustētari. O desiderabilis amor, qui summis delitijs reples egētes! Sed si liquefacta es ad verbū eius, ô anima mea, quomodo sustines amplex⁹ eius, quomodo nō es cōsumpta ad oscula eius? Si liquefacta es ad

affatum

Marginalia: Phil. 2. c; Luc. 10.; Matt. 25. d; Cant. 1. b; Matt. 25. d; Cant. 1. b; Cant. 5. b; Gal. 2. d

affatum eius, quomodo non es absorpta cum intras per vulnera, & per venas ad cor eius? Sed ô mira dulcedo, & mira iucunditas, vt quod non meremur nominare, possimus masticare! Non mereor esse ancilla, & facta sum in delitijs charissima. Quis sufficit tanti amoris etiam scintillam modicã intueri? Quid est hoc? Nescio, capere nequeo, inquit, sed obstupesco admiratione, iucundor delectatione inebrior exultatione. Sed quid merui, quid feci, vt tãta mihi beneficia exhiberes? Te persecutus sum, & in te collocatus sum: tuam faciem conspui: & tu oscula mihi tribuisti: te vulneraui gladio, & tu me à morte liberasti. Te repleui dolore, & tu me gaudio & consolatione. Occidi te Deum meum, & mihi te felicem vitam tribuisti. O mira mutatio dextræ tuæ! Non ergo mirum si ad verbum tuum liquescit cor meum, immo de cetero totus accẽdar, & totaliter liquefiam, vt in te totaliter sim effusus, nihil præter te videam, nec in aliud cogitata, dicta, vel facta transeant vllo modo, immo mirum videtur quomodo non sumus sic intenti ad te, quod ignoramus omnia præter te. Si enim habemus te, quid amplius volumus? In te ergo dulcissime Domine IESV quiescat mens nostra, & à te, nec ad modicum separetur. Stultissimum quidem est etiam nobilissimo, & iucundissimo loco exire. Quomodo audemus nisi dulcissimum Sponsum inspicere ne subtrahatur à nobis? Quid quæso nos mouet aliud intueri? Nonne terrena sunt stercora, & hoc est summum bonum. Quomodo omnia non desipiunt, & despiciuntur? quomodo omnia non fœtent ad præsentiam tanti boni? O, ô, ô stultitia hominum impiorum! Redite præuaricatores ad cor. (Isa. 46.) In vobis est regnum Dei, & vos pro sanie fœtidissima insanitis, & diabolicam seruitutem subitis. In vobis est certe Deus noster, conuertimini super eum, & fruimini ipso: & eo quem prius contempsistis, nunc, & de cetero contenti sitis, & hæc sit portio vestra. Quod nobis concedat, qui viuit, & regnat. Amen.

CAPVT IX.

Quomodo sit homo bene ordinatus in cogitatione, locutione, & operatione.

SEruus Dei nunquam deberet nec aliud, nec aliter cogitare loqui & operari, quam si Deum facie ad faciem videret. Nec enim dubium est, quod sic est nobis presens Deus, & sic nos videt: sicut si essemus in cælo empyreo in sede beatæ Virginis: quamuis non sic influat hic, sicut ibi. Et ideo quamuis eum non videamus, ex quo scimus eum esse iuxta nos, & etiam in infimis cordis nostri: non propter hoc debemus plus vel minus, vel aliter loqui aut facere, quam si semper videremus eum. Tantum enim timeret seruus Imperatoris, si sciret, quod Imperator esset iuxta eum, & videret eum, & ipse Imperatorem videre nequiret, quantum timeret si Imperatorem videret, immo forsitan magis. Nullus enim seruus est, qui non timeat proprie quod videatur à Domino suo. Vnde si sciret seruus pro certo, quod Dominus suus non posset eum videre, nec etiam scire posse, quod seruus faceret, non timeret tum dominũ, vt credo. Sed si sciret se videri à domino, & dominum tamen videre non posset, tunc multum timeret. Quanto ergo magis Dominum nostrum timebimus: quia nobiscũ, & in nobis est, & omnia intuetur? Debemus semper moueri timore, reuerentia, deuotione, amore, & erubescẽtia peccatorum. Mirũ est certe, quomodo tam modica scintilla sicut est cor meum, non absorbetur totaliter ab immẽsa bonitate diuina, & quomodo seruus Dei amore Domini sui nõ semper inebriatus incedit. Hoc credo fieri, si illi bonitati immensæ vellet applicare cor suum. Vnde de hoc non dubitet aliquis, quod quanto magis illi bonitati diuinæ vellet applicare cor suum, tanto melior & perfectior esset. Et qui in summo bono cor applicare posset, vt penitus oblitus omniũ, præter ipsum, toto animi conamine in ipsum tenderet, ibique quiesceret, non statim à tanto bono resiliens, tunc credo, quod absorptus dulcedine consummaretur in statu. Tunc enim inter consolationes & tribulationes, vituperia & honores, blandimenta & opprobria, inseparabilis pertransiret, nihil sitiens nisi Deum suum, & solũ eius affectans honorem Tunc comprehensor dici posset, potius quam viator, beatus non miser, Angelus non homo, non peccator, sed sanctus. Etsi ad hoc pertingere cupis ô homo, hanc breuem regulam tene. Quicunque vult esse consummatus in statu debet de sua virtute totaliter desperare, & plenarie se conuertens & committens in manibus pietatis immensæ toto corde confidat de ipsa, nihilque quantum in se est, omittens de contingentibus, fideliter agat quidquid potest cernere ad sui pertinere honorem. Sed & hoc in præfata regula scriptum est donum Dei permaximum. Et quisquis hoc habuerit non à se, sed à Deo fideliter habuisse recognoscat sciens pro certo, quod ad hoc per se est impossibilis, sed pronus potius ad digna tormenta mortis æternę. A qua morte nos custodiat ille, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT X.

De ordinatione ad proximum.

DE proximo accipe hanc doctrinam: Vnumquemque hominem de mũdo, reputa teipsum. Et si hoc bene feceris, & in corde tuo bene impresseris: non est dubium, quin bonum suum, sicut tuum diliges, & quod ad salutem suam spectare videris, sicut pro te sollicite procurabis, oratione, exhortatione, & auxilio, & quocumque modo poteris: & cum ipsum videris bona dicere, vel facere, repleberis gaudio, sicut si tu diceres, vel faceres. Si autem sciueris ipsum esse in peccato, aut in aliquo speciali vel spirituali delicto, vel defectu nimium condolebis, & ipsum prout poteris à malo reuocabis, & induces ad bonum. De miserijs autem corporis sic compatieris sibi ac si illas in proprio corpore haberes, & sic libenter ac diligenter seruies ei, sicut faceres tibi, & etiam quia te debes odire, illum autem diligere. Et ideo si te offenderit dicto, vel facto, non plus curabis, quam si tu ipse hoc fecisses, vel dixisses, & eo amplius tibi placebit: quia ibi est maior merendi materia. Et si quid feceris boni vel dixeris, non plus eleuaberis, quam si alius fecisset vel dixisset. Et si aliquem defectum non culpabilem feceris coram eis, non plus curabis, quam si in priuato, vbi nullus vidisset, fecisses. Inde etiam sequitur, quod si vnumquemque reputaueris teipsum, quod nullum specialem habebis: & quia omnes tibi singulares erunt, nullum plus altero diliges, nisi quantum noueris ipsum meliorem esse, nõ quia tibi plus familiaris vel notus. Nec etiam circa quantumcunque bonum debemus affici, sed solummodo circa Deum siue in se absolute, siue etiam inquantum illi vel isti tanta dona largitur. Possumus tamen plus orare pro illis, quibus sumus magis obligati. Nec tamen sic orandum est pro illis, vt alios dimittamus. Hoc autem solum appropriabis tibi, scilicet tuam culpam & defectus tuos, & quod te viliorem omnibus reputes, & non solum tua, sed etiã aliena peccata repures esse tua, & pro ipsis veniã postulabis sicut & pro tuis. Et si dicas, quomodo possum omnes homines æstimare plus quam meipsum? Hoc te docet facere perfecta charitas, quæ te eis coniungens vnum cum eis facit. Hoc tamen clarius intuetur, & ad hoc faciendum facilius mouetur, qui cor suum in honorem Dei totaliter radicauit, nihil aliud nec in se, nec in alijs quærens. Vnde hæc est via optima, quod qui vult Deum & proximum diligere, solum Dei honorem sitiat, & cum magna auiditate quærat, nihil aliud intendens in omnibus. Quod nos concedat Deus æternus. Amen.

* * *

CAPVT XI.

Qualiter zelator animarum se ordinare, & habere debet.

SIc debet esse modus & forma præparandi & disponendi se, vt possit quis fructificare in proximo sine sui detrimento: quia contingit, & contingere aliquãdo potest, quod in procuranda aliorum salute, propria negligitur, immo propria suffocatur. Cum ergo vis pro proximo orare, ei prædicare, lectionem legere, vel eius confessionem audire, aut aliqua talia facere, primo faciem mentis ad æternum lumen conuerte, & ad eius splendorem: confortare spiritu, vt nõ præualeat caro: abstine ab exteriori homine, quantum potes, vt solum sis interior ad interiora conuersus. Tunc eundem interiorem hominem in proximo considera, de eius exteriori nisi inquantum ad interiorem ordinatur non curans. Tunc interior tuus homo ad interiorem proximi conuertatur, & vtriusque exterior in supradictis actibus tanquam vanitas negligatur, ne pro exteriori interior ad vana trahatur. Ipsum ergo exteriorem proximi hominem tanquam sacculũ stercorum relinquens, considera interiorem ad imaginem Dei factum, sanguine Christi redemptum, locum Spiritus sancti, habitaculum Christi, Dei virtutis & sapientiæ sedem, & ad æternam beatitudinem possibilem. Tunc honoris Domini tui sitibundus ingemisce, & plora, quia eius imaginem vides denigrari, pretiosissimum sanguinẽ conculcari, Spiritus sancti habitaculum pollui, Sponsam Christi prostitui, eius sedem deijci, & totam suam beatitudinem pro vilissimis stercoribus cõtemni. Mirum certe videtur, quomodo iusti oculi possunt à ploratu cessare videntes tantam vesaniam in proximo, immo etiam fuisse aliquando in seipso, & tantam iniuriam Deo suo fieri. Quis mihi queso dabit, vt cum Mardochæo indutus sacco pro tanta populi nece non imminente, vt illa Iudæorum, sed iam facta, quotidie plorem, immo continue vsque ad fores palatij, vlulando incedens? Si enim ille pro corporali morte Iudæorum tantum dolorem & tristitiam propter nimiam plenitudinem charitatis publice prætendebat, quomodo ego miser lacrymis impono quietem, qui infinitam stragem video animarum, & Deũ meum, pro nihilo reputari. Animetur ijs anima viri iusti, & Dei sui contemptũ non sustinens, animarũ mortẽ abhorrens conetur modis omnibus, quibus potest animas à peccatis liberare. Quomodo potest dicere se Deũ diligere, & eius amorẽ appetere, qui eius imaginem videt iacere in sterquilinio, & nõ curat. Aut quomodo sic cogitat quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus est, quomodo & ipse pro animabus mori nõ cupit? Et maxime cum videt, Christi sanguinem pedibus conculcari, quomodo quæso potest hanc sui Domini iniuriam sustinere? Quomodo se totum nõ fundit in oratione quotidie, clamat in prędicatione, aut proximos instruit lectione, vel eos audit in confessione, vt hunc sui Domini sanguinem recolligere possit, animas recolligẽdo, & conuertendo? Quid plura dicam? Credis ne te esse habitaculum Spiritus sancti, qui vides eius templum latrinam fieri, & non clamas, sed dissimulas, qui solum tuã quietem requiris. Absit. Quomodo ergo credis te Sponsi amicitiam habere, qui eius Sponsam ab adulterio non custodis, aut adulterantem non reprehendis, cum facultas non desit, aut eam festinanter ad Sponsum non reducis? Aut quomodo poteris æternaliter summo bono frui, quod vides adeo cõtemni, vt pro vilissima sanie cõmutetur, aut negligatur, immo potius blasphemetur, & tamen ab hoc contemptu negligis animas remouere & ad eius amorẽ conuertere? His auditis scindantur obsecro corda nostra, & nullo modo tãtam Dei iniuriam patiamur. Fateor, vt vos ad animarum zelum alliciam in corde meo iacere, quod si certissimus essem quod numquam deberem perfrui Deo meo, nihilominus ad honorem suum vellem libẽtissime pro qualibet anima peccatrice semel mori, ita quod tot mortes in præsenti sustinerem, quot sunt in mundo animæ peccatrices, vt ipsæ consequerentur gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, quanto magis si secũ deberem postmodum gloriari? Ista charissimi scilicet diuinus contemptus, & animarum interitus sunt, quæ deberent nos inflammare ad prædicationes, confessiones, orationes, & ad bonorũ exemplorũ exhibitiones, non vana gloria, non cordis iactantia, non complacentia humana, non aliqua vtilitas mũdana. Solum ab animabus IESVM Christum crucifixum quæramus: Emptæ sunt enim pretio magno, vt aut pretiũ reddant, aut in emptione permaneant. Inebriemus eas sanguine, non curiositate, vt sic Dominum nostrum crucifixum concupiscant. Dicat quilibet nostrum eis. Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi Dominum IESVM & hũc Crucifixum non certe Aristotelis, vel Platonis philosophiam. Illũ enim reputo hoc solũ verbum dicere posse, qui nihil è proximo nisi passionem Christi requirit, & in quolibet proximo sibi videtur, quod videat IESVM Christum passum. Vnde signãter dicit inter vos nihil me iudicaui scire, &c. Quid dicã? Non solum vestra non volo aut vobis placere cupio sed nec etiam vosipsos, aut aliquid aliud cognoscere me iudico, sed in omnibus solũ Dominum IESVM, & hunc Crucifixum. Et bene dicit non iudicaui, quia & si alia habitualiter sciã, sic tamen ad hoc, scilicet ad Christi passionem sum totaliter intentus, vt meum iudicium ad aliud non flectatur. Posset autem illud verbũ aliter ad animarum consolationem exponi, id est, tantum sum in hac passione in Deo inebriatus, vt quidquid aliud offeratur mihi, aut visui, vel gustui, seu auditui, siue alij sensui, & quidquid sit præter istud, totũ reputo esse nihil: quia iam nõ delector, iam non glorior, non morior nisi in sanguine Christi. Ad hunc totaliter sum conuersus. Non sunt oculi mei pleni adulterio sed Christi tormento. Non os meum plenum est detractione, sed Christi passione. Et sic de alijs prosequere sensibus, quicunque es, qui hoc dicere potes: quia longe est à me verbum istud. Et si in verbis istis non fuit hæc intentio Pauli, sit tamen intentio nostra, quia non intendo hic intentionem Pauli exponere, sed nostram deuotionem excitare. Quod nobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Est. 4.a

1. Cor. 6.d

1. Cor. 2.a

CAPVT XII.

Quod anima debet affici tantum amore Christi terrenorum vtilitate contempta.

ANima rationalis ad imaginem diuinam procreata inter Deum, & irrationales creaturas media constituta non ad infima per amorem se deberet inclinare: sed solum se erigere ad Deum eius inebriata amore, inferiorum vtilitate contempta. Et si ad aliquam contingeret se vertere creaturam etiam æqualem, vtpote aliũm hominum aut Angelorũ, statim deberet omnia ad amorem dilecti referre, solum ad suum Sponsum vnicum medullitus, & impetualiter tendens, nihil inueniẽs columbina Sponsa in quo nisi in Sponso requiescat, pes eius nec etiam appodietur aut adhæreat vllo modo. Nescit castissima Sponsa viuere nisi cum Sponso, sicut nec piscis nisi in aqua, vel infra aquã: ibi vacat, vel natat anima delicata, ibi delectatur, ibi reficitur inenarrabili & suauissimo nutrimẽto. Si quomodo exit, statim incipit palpitare, statimque ad igneum flumen, seu fluuium rapidumque redit, extra ipsum omnia suspicans mortem esse, tota liquescit, & resoluitur in dilectum. O amor quid facis? quid hoc amore nobilius? quid vtilius? quid suauius? Et tamen omnes aut quasi omnes negligunt hunc amorem. Nunc hic dici potest: Qui manet in Deo, manet & Deus in eo. Quod nobis concedat. &c.

1. Ioan. 4.c

***

CAPVT XIII.

Descriptio beatitudinis.

ACcipe frater sana verba, quæ de beatitudine dicam indignus. Nam sic puto eam posse describi, tu tamen corrige. Beatitudo est plena & intima in Deum resolutio. Beatitudo est summa exultatio de honorificētia Dei. Beatitudo est castissimis & æternis amplexib9 Sponsi cū Spōsa, vel Sponsæ cum Sponso matrimonij consummatio. Beatitudo est diuinæ dulcedinis inebriatio sine fine. Beatitudo est sol iustitiæ æternus. Beatitudo est cum immenso desiderio plena refectio. Ad quam nos perducat, qui viuit, & regnat per æterna sæcula IESVS Christus. Amen.

CAPVT XIIII.

Oratio deuotissima.

O Deus meus, ô amor meus, ô lux delectabilis, ô suauissima irradiatio, ô iucundissima contemplatio, ô nutrimentum Deificum, pabulum suauissimum, sapidissima degustatio, indicibilis refectio, ô mellifluum osculum, & amplexus felicissimus, ô indissolubilis coniunctio, cordialis diffusio, medullaris transformatio, ô accensio amantissima, inflammatio incentiua, ebriatio sobrijssima, & liquatio solidissima. O Spōsa mea, ô Deus meus, ô amor meus ô cordis iubilus, ô mentis ardor, ô amoris incēdium, ô dulcissimum solatium, ô verissimum gaudium. Irradia fulgoribus animam meam dulcissimæ castitatis tuæ transfixam iaculo & amoris facibus inflammatam sapidissimis affectionibus tuis, & amore languētibus desiderijs refice dulcoratam. Amen.

CAPVT XV.

Quædam notabilia.

SI enim aliquis princeps inuitasset aliquem pauperem & vilissimum hominem ad conuiuium abundans, & delicatum, in quo omnis sufficientia & suauitas reperiri posset, quæ reperiri posset in aliqua creatura: & ille vilissimus homo nausearet super illo nobilissimo conuiuio, & ad stercora potius inhiaret, deberet stultissimus reputari: sic immo sine comparatione magis stultus reputari debet quilibet homo, & præcipue sacerdos, qui cælestibus alimentis vescitur, si cor suum istis corruptibilibus applicatur. Et sicut sapiens & delitiosus homo fœtidissimam saniem non solum non appeteret, sed nec etiam videret, vel nominare, vel audire nominare abhorreret: sic omnis vir perfectus, & sacerdos præcipue abhorrere deberet quidquid illas internas delitias modo aliquo impediret, aut quidquid aliud Christi habitaculum modo aliquo macularet. Vnde omni custodia deberet custodire cor suum. O mira cæcitas omnium impiorum, qui magis eligunt pretio animæ suæ à diabolo emere vnam fœtidissimam cōsolationem, & vilissimam, quam summam, & excellentissimam consolationem à Deo gratis habere. Quis enim non putaret stultum illum, qui potius vellet ab vno tabernaculo vinum corruptum, & fœtidissimum emere pretio omnium bonorum suorum, & se totaliter omni bono pro tam vilissimo potu expoliare, quam ab vno alio dulcissima vina gratis habere, & ex hoc omnibus bonis repleri? Hanc stultitiam, & multo maiorem adimplet peccator. Sicut enim stultus reputari debet, & nunquam ad opulentiam perueniret ille mercator, qui in caterua mercantium loca, tempora, & modum mercandi notaret, & hæc etiam referret alijs, & in seipso sæpius hæc repeteret, & nunquam tamē mercationem bonam, vel vtilem faceret: sic qui tota die de regno cælorum scripta multiplicat, & ipsis vacat, & alijs etiam prædicatione denuntiat, & tamen nunquam aggreditur aliquam operationem bonam. Quid prodest ô stultissimi mercatores studere, & prædicare & opere non implere? Sicut sponsa delicata & nobilis, quæ haberet nobilissimum sponsum, & pulcherrimum, & sapientissimum, & optimum non inclinaretur ad afficiendum circa aliquem fœtidissimum leprosum: sic ergo multo magis affectus viri perfecti nullo modo non solum separari, sed nec etiam retardari deberet ab amore Dei sui propter amorem alicuius creati: nec vllo modo prout potest, deberet affici circa aliquam creaturam, sed potius deberet abhorrere, & abominari, sicut supradicta sponsa prædictum leprosum. Quod nobis concedat, &c.

CAPVT XVI.

Quædam alia notabilia.

SIc, pie, iuste, & caste debet viuere vnusquisque, ac si sciret proprie, & pro certo se eadem die vel statim migraturum vel moriturum. Vnde non est perfectionis, vt credo, quod communiter dicunt multi: Si scirem me moriturum infra breue tempus, ita bene me præpararem, & tam sanctè viuerem. Debet enim perfectus dicere non sic, sed sic: Si mille millia annorum viuerem, & hoc scirem pro certo, ita studiose tam iuste & sancte, ac sollicite volo Deo meo seruire, ac si hodie deberem de hoc mundo transire. Et in hoc filius, non mercenarius vel seruus, apparet. Sicut enim diligo Deum, & ipsi seruio propter se, cum æque bonus sit si multum vixero sicut si parum: ita debeo ei seruire, & eum diligere si multum vixero, sicut si parum.

CAPVT XVII.

Qualiter se debet habere sacerdos cum ad corpus Christi venit.

AD Missam celebrandam sex considero attendenda. Primum est rationis discretio, &c.

Quæ tractantur in hoc, & sequenti cap. eadem sunt cum ijs, quæ habentur supra hoc eodem tomo facie 71. in Opusculo de instructione sacerdotis ad se præparandum ad celebrandum Missam: nec re, nec verbis quidquam differunt. Quare lector eo recurre, ne hic eadem repetitis absque necessitate crescat volumen.

CAPVT XVIII.

Petitio ad excitandum cor in amorem dulcissimi IESV.

O Domine Deus meus, quomodo ausus sum te alloqui vilissima creatura? &c.

Require vt supra, facie 72. & 73.

STIMVLI AMORIS

PARS TERTIA.

CAPITA HVIVS TERtiæ Partis.

CAPVT I.

Quæ sunt quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem.

SI ad contemplationis quietem volueris peruenire, in te tria studeas radicare.

Primum est, vt quantum tuum Conditorem offenderis, & à te, & ab alijs quotidie offendatur, recognoscas, & de tuis sceleribus intime dolens, aliisque tanquam tibi compatiēs, abundanter, si potes, quotidie lacrymeris, & hæc cogitās magis tristari desideres, quam gaudere, cernens, quod non sumus in statu lætitiæ, sed mœroris. Magnum est enim si Deum nostrū sic grauiter offensum in nostris delictis, possumus toto tempore vitę nostræ plorando placare. Et hanc consolationem debemus eligere in præsenti pro posse semper nostras & proximorum miserias & nequitias deplorare & ipse benignissimus Dominus animę sic fideliter in amaritudine existēti, post lacrymarum fletum, exultationem infundet. Et sicut aqua in vite putrefacta cum solis calore decocta in vinum conuertitur: sic lacrymæ in perfecte contrito, feruore charitatis decoctæ in vinum lætitiæ conuertuntur. Nec enim decet Dominum tam nobilem in aliqua domo habitare, nisi mundissimam inuenerit, & cum omni diligentia lacrymis expiatam.

Secundum est, vt nitaris quantum potes Christi compati passioni, & vbique eum tecum circumferre in corde. Nisi enim compatiendo nouerimus pati secum, secum non poterimus iucūdari. Si enim bene passionem fueris meditatus, & multum intraueris latus eius, cito venies ad cor eius. O felix cor, quod sic cordi Christi dulciter colligatur, cuius læua sub capite eius, & dextera illud amplexatur! quia tunc recte cum Spōsa Sponsus collocatur & colligatur in cubiculo. Sed optimum cor mihi narra, obsecro, dulcedinem, quam tu sentis, quibus affluis delitiis non occultes. Sed vt bene video, non audis, quia cor tuum absorptum est præ dulcore. Iam tu interpretis tui existentis in carcere oblitus es. Cerno enim sic te amœnitate nimia esse captum, vt iam non sint amplius neque vox, neque sensus. Quicunque enim ad contemplationis quietem, & dulcedinem nisi per istud ostium voluerit intrare: furem se reputet & latronem.

Cant. 2.b

Tertium est, vt possidere non cupias, nisi Deum, & quidquid nisi Deum habueris, aut oblatum fuerit: vel videris aut nominare audieris, debes tanquam de tot folijs non curare: sed in Deo solo stabilias mentem tuam & solus soli sibi iungaris. Tunc in auribus tuis melos suæ eloquentiæ resonabit, thesauros suæ sapientiæ reuelabit, melliflua oscula exhibebit, teque præ delitiis non poteris sustinere, & suis te sustentans amplexibus, nimia dulcedine absorbeberis. O felix anima, quod abiisti, quod nos in tanta amaritudine reliquisti? Nuntia nobis, obsecro si tibi sufficit istud bonum, aut si vis, quod de nostris obsequijs tibi transmittamus. Sed, vt puto, vel credo, nō reputas nos xenijs, sed stercoribus abundare. Quid tibi offendimus, ô anima mea, iucunditate repleta, quod etiam maxima nostra aspicere non dignaris? Quare quæ sic ris, quia rapta es à dilecto. O amor ineffabilis, qui sic cor conglutinat suo fini! O mira benignitas Saluatoris, qui se singulariter diligentes tam dono visitat excellenti!

CAPVT II.

Quam gloriosum sit, & qualiter possit homo mutari in Deum.

O Mirabilis mutatio dexteræ excelsi! Sicut enim apud homines temporalia diligentes, mirabile esset, si quis vnum fœtidissimū stercus commutaret in omnes delitias & honores mūdi huius, scilicet vt pro vno fœtidissimo stercore haberet huius mundi plenā dominationē, & quantum ad temporalia ad modum Imperatoris, & quantum ad spiritualia ad modum Papæ, & nullam resistentiam habere posset: & insuper maligni spiritus obtemperarent ei, & non solum terra, sed etiam cæli, & sidera ad suum regerentur nutum: mortificare etiam posset, & mortuos suscitare, & infirmos curare: & etiam posset cursum naturæ in omnibus mutare & habere omnes diuitias: & delitias, quas citra Deum posset excogitare, immo quas Deus posset facere, dum tamen in Deum non ducerent: sic immo sine comparatione multo magis est admirabilis, laudabilis, & amabilis illa commutatio, quando quis commutat se in Deum. Nam maior est sine comparatione distantia inter hominem, & Deum, quam inter quamcunque vilissimam creaturam, & omnia quæ citra se Deus facere posset. Tunc autem homo seipsum commutat in Deum, quando eligit & diligit se odiri, & solum Deum diligere, & circa nihil aliud vult affici nisi solum circa Deum, & ille solus in suo iacet affectu, & de nihilo curat, nisi de ipso Deo, & totaliter sitit quomodo per se, vel per alios honorificetur Dominus Deus suus. O commutatio desiderabilis! Nam certe iste vulnera peccatorum in Christi vulnera cōmutauit, & mentis fœditatem in Dei bonitatem, suam vtilitatem in Dei maiestatem, suam nequitiam in Dei clementiam, amaritudinem cordis in dulcedinem Creatoris. Nam totus est in Deum vel Dei, & nihil nisi Deum requirit. Cor suum plenum est ipso Deo, se exuit, & Deū induit, zelo Dei sibimet guerram facit tāquam crudelissimo hosti. Si ergo talis est commutatio ista, cur serue nequam, infidele mācipiū, inutilis creatura hoc adimplere retardas? Caue etiam, ne hoc adimplere studeas cum torpore, vel tempore operis, grauamine cordis anxietate pectoris, insensibilitate mētis, sed potius cum animi auiditate, feruoris intētione amoris, immensitate, maxime cum nihil sit vtilius homini, nihil delectabilius, nihil nobilius. Si ergo teipsū exueris, & per hunc modum in Deum intraueris caue ne extra ipsū possis aliquo modo inueniri. Et si aliqua mētis infirmitate vel negligentia te exire cōtigerit, illuc statim recurre cum fletu, & deprecare suppliciter, vt tibi indulgeat, & dignetur te fugitiuum seruum recipere. Et tunc proponas firmiter in corde tuo, quod amplius inde non exeas. Non tamen dico, vt tale propositum facias, quod ad nouam culpam te obliget: quia fragiles sumus, & inconstantes. Et si millesies ab eo exieris, totiens ad ipsum recurras.

Regula istius capituli bona est, quod nullus cum Deo potest bene perfecte vniri, vel esse, qui alicui creaturæ affectum suum ligatum, siue inclinatum habet.

CAPVT III.

Quod admirabile est gustantem semel Deum, posse ab eo amplius separari.

MVltum mirari debemus, immo nos nō miramur, quomodo homo semel Deum degustans, & eius, dulcedinem, potest ab eo amplius aliquatenus separari, & quomodo non obliuiscitur omnia ex ebrietate nimia & come-

& comedere, & bibere ac dormire, & si quid aliud ante ipsum ponatur, quomodo potest ibi aliud, quam suum Dominum benignissimum intueri, & in eo summa dulcedine delectari: cum ipsum in omnibus sciat esse, & in omnibus illũ inuenire possit, ac in omnibus requiescat. O quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde! O quam dulcis, & suauis est spiritus eius in eis! O quanta amaritudine, quanta tristitia, quanta anxietate repleri deberet aliquis, qui etiam ad momentum ab illa sequestraretur dulcedine!

Psal. 72. A

CAPVT IIII.

Quod homo in breui potest esse perfectus.

QVicunque per contemplationem ad summitatem montis Dei vult peruenire, oportet quod nunquã quiescat, dum vigilat, sed semper per mentis eleuationẽ ascendat. Nam in isto ascensu nõ quiescere est quiescere: & qui quiescere vult, fatigatur, nec postea sic potest bene ascendere, immo contingit aliquando, quod cum quiescere vult, intantum fatigatur, vt amplius nullo modo ascẽdere possit. In ascensu enim montis materialis, quia caro infirma est, quietem interpositam requirit. In ascensu autem montis spiritualis, quia spiritualis promptus est, contrarium requiritur, vt scilicet non quiescat spiritus, sed dum fatigatur tunc ascendere debet velocius, currere fortius, & recentior fiet, & auidior erit ad maiora, & sibi leuius apparebit, & delectabilius, & suauius, & dulcius gradietur, non quiescere eligens pro quiete. Et ideo stulti sunt, & quid sit contemplatio inexperti, qui causa resumendi vires requiescunt. Tunc habeant pro certo, quia in illa quiete vires minime resumunt, sed potius disperdunt. Vnde si fortiter currit animus contemplantis, tunc suaue est, & si plane incedat incipit fatigari, si quiescit, vires disperdit. Et ideo non est aliud nisi cum Virgine ascendere in montana cum festinatione. Si quis hoc capere non potest, sed vult quiescere, & tamen ascẽsum in desiderio habet, hoc restat remedium, quamuis non valeat his, quæ dicta sunt, adæquari, scilicet vt saltẽ modũ ascendentium materialiter non deserat. Nam qui materialiter in montem ascendunt, & in medio fatigati quiescere volunt, non descendunt ad quiescendum in valle: quia sic ad summitatem nunquam venire possent, & stultissimi reputarentur ab omnibus hominibus. Sic sunt stulti reputandi, & nunquam ad cacumen contemplationis peruenient, qui hodie per contemplationem modicum vel multum ascendunt, & affecti tædio ad locum vnde veniunt siue ad statum, vnde recesserant, redeunt ad quiescẽdum, & in peccatorum siue vanitatum vallibus, seu imperfectionis planitie credunt ad ascẽsum effici fortiores, ignorantes quod vix poterunt ad locum siue statum, ad quem peruenerant, peruenire. Et ista est ratio, sicut credo, quare sic pauci homines contemplatiui attingunt supercilium montis. Vnde si homo ascenderet quantum posset, & ibi quiesceret, non inde recedens aliquo modo, & cras eleuaretur altius, & ibi etiam figeret pedẽ cordis, & postmodũ sic ascenderet sic faciendo semper, dico vobis, quod iste plus proficeret in vno mense, quam alius in quadraginta annis, qui retrocederet ad quiescendũ, & semper ad idẽ rediret. Et credo, quod iste in breui cõsummaretur in statu, & esset gloriosus coram Deo, & à tota cælesti curia prædilectus. Si autẽ in monte timueris aliquid, curras ad cauernas lateris Christi. Si vero non potes abstinere à valle, quia ibi nutritus es, nec vis adimplere, quæ dixi: hoc saltem fac, vt ad vallem tuæ miseriæ, & totius humani generis condescendas per humilitatem tui, & compassionem proximi, tam de tuis, quã de alienis dolendo peccatis, & pro eis veniam postulando à Deo. Quam ipse concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Luc. 1. d

Vnde hæc breuis regula hæc omnia in breui comprehendit. Qui voluerit per contẽplationem ad summitatẽ montis Domini peruenire, non quiescat, nec retrocedat, donec assecutus fuerit, quod intendit: nisi forte descẽdere velit ad suorum, & aliorum tristitiam peccatorum.

CAPVT V.

Quomodo anima inebriatur in contemplatione à Creatore suo.

O Altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quã incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Sed si quis ascendere voluerit, per quam viam cum inuestigabiles sint viæ eius? Audi dilectum tuum anima dilecta, & gaude, cum cuncta, quæ dicta sunt, cum omni diligentia studueris adimplere, & sic Deo appropinquaueris, vt nihil præter ipsum valeas cogitare, & cetera præter ipsum tibi sint in nimia amaritudine, & quasi libentius velles animam à corpore separari, quam animam tuam separare à cõtinua cogitatione Dei tui, vel quasi continua. Et quasi videretur tibi, quod teipsum non ames nisi te propter ipsum amaueris: quid tibi de dilecto tuo contingat ausculta, amore repleta, immo in amore conuersa. Iste dilectus tuus ô dilecta, à qua non potes aliquatenus separari, seipsum à cogitatu tuo continuo paulisper subtrahet, ita vt cor tuum circa aliquid aliud incipiet euagari, & tu vidẽs eum, quem fortiter diligis, abscessisse, nimia auiditate repleta quæres vndique, quomodo possis, quem sic fortiter diligis, inuenire, omnibusque creaturis breuiter nuntiabis, vt dicant vel indicent tibi, vbi est dilectus tuus: quia languida efficieris prę amore. Quanto tunc fletu, quanta lamentatione perfunderis, quãta anxietate post dilectum tuum discurres, tibi nescio enarrare. Sed ô mirabilis inebriatio amoris! Hoc ipso quod in ipsum tendis, cum ipso es, & ignoras. Sed quid faciet dilectus tuus, omni amore repleta? Nunquid poterit se amplius occultare? Sed dilectissimus Sponsus tuus, quantocyus se tibi præsentabit, & tu illum videns quem cum tãta auiditate quæsieras, nimio amore amplexaberis eum, semper tamen cum omni reuerentia & timore. Sed quanta ad hæc adsit tibi consolatio, tunc si sapiens fueris, poteris experiri. Sed audi ô amantissima Domini, cum te securam reddideris iterum se absentabit. Et tunc maiorem ardorem, quam prius, ipsum requirendo habebis. Quid tibi dicam? Iterum se absentabit, & iterum atque iterum, & breuiter totiens, à te se absentabit, donec sis sollicita custodire eum, vt te securam non audeas reddere, & omnia habeas iam suspecta. Sed ô felix anima audi, quid faciet tibi dilectus tuus? Cum secum incipies delectari vel quietari, vino dulcissimo incipiet te potare. Et tu eius illecta dulcedine amplius eum incipies affectare, & ipse largissimus amplius tibi dabit: & quãto pl' dabit amplius postulabis, & ipse benignissim' amplius tibi ministrabit. Quid dicã? Satiari non poteris, donec inebriata fueris, & vino iã vndiq; perfusa. Vtrum autem post frequentem & nimiam inebriationem, soporem aut raptum consequaris, sicut Dominus tibi concesserit, poteris experiri. Largissimus est enim, & plus sine comparatione, quam credi valeat, elargitur. Hoc tamen debes semper habere in corde tuo, quod tu sis vilissimus, & quod nullo modo ad hoc aptus sis: immo permaximũ tibi debet videri, si ipse deleat peccata tua, etiam cum quantumcũque pœnarum afflictione in hoc mundo: Qui est laudabilis, & gloriosus in sæcula. Amen.

Rom. 11. d
Psal. 23. a
Cant. 5. a

CAPVT VI.

Quod homo ante raptum diuersimode inebriatur.

QVoniam in pluribus locis supradictorum capitulorum diximus, hominem diuina influentia inebriari posse, vt mens tua amplius eleuetur, volo, vt ebrietatem illarum influentiarum diuinarum non ignores. Debes enim intelligere, quod vir cõtemplatiuus, quamuis multas consolationes habeat spirituales, antequam ad soporem & raptum perueniat, ad quod pauci attingunt, valet duplicem experiri ebrietatem.

Ebrietas mentis duplex.

Prima est quædam abundantia iucunditatis in corde, & vehemens iubilatio mentis, quæ post multum fluxum aut considerationem passionis Christi, aut per magnum feruorem amoris singularis in Deum venit ex quadam noua influentia, & diuina irradiatione in mentem. Et illa lætitia tantum abūdat in corde, vt etiam in membra corporis redundet, & illa faciet diuinæ clementiæ arridere, & præexultatione nimia ad modum ebrij præcipitanter graditur, quietem non sustinens, & creaturas, quas inuenit, sui Creatoris, amoris magnitudine amplexatur. Et bene potes credere, quod cor suum non multū applicat ad terrena, sed si aliquid occurrit, omnia reputat esse vana.

Est alia dulcedo siue ebrietas, quæ nimia dulcedine replet cor ex diuino consortio. hæc venit per contemplationis quietem, & intantum abundat hæc dulcedo in corde, vt redundet ad omnia membra abunde, adeo vt totus sibi tam interius, quam exterius mellifluus videatur. Et sicut prima ebrietas prę hilaritate quietem nō sustinebat, sic & ista præ nimia dulcedine quiescere facit. Et hæc nisi intantum incendat, vt soporem generet, non auferet totaliter particularium sensuum actus, sed ad modum ebrij esse liberos non permittit, & tunc quasi quidquid viderit, reputabit quadam diuina dulcedine abundare Et quamuis prima sit intensione lætitiæ, & ista intensione dulcedinis: tamen nō oportet dubitare, quin illa sentiat dulcedinem, & ista lætitia non priuetur. Et quamuis non sit necesse timere de prima, sed potius sit gaudendum: tamen de secunda, quæ consistit in quadā admirabili dulcedine cordis semper securum est dubitare, quia diabolus transfigurat se in Angelum lucis, & cōsueuit aliquādo similia procurare. Vellet enim, quod homo superbiret, & se aliquid reputaret, vt talibus delitijs frueretur, & ibidem quiesceret, vt sic auerteretur à Deo. Et si hoc bene permitteret Dominus euenire, quia aliqui contemplatiui aliquando de se nimis pręsumunt, aliosq; contemnunt, & credunt se Deo esse proximos: cum tamē sint per superbiam ab eo nimis elongati. Et ideo diabolus pater superbiæ hanc potestatem in eos accipit, vt talibus delitijs illos decipere possit. Et ideo cum summa diligentia attendendum est, vt quandocunque acciderit talis delectatio, aciem mentis in Deum dirigas, nec ab ipso cor tuum discedat. Et si delectari oporteat solum delecteris in Deum. Tunc si à Deo esset illa dulcedo deberet intendi, si à diabolo deberet priuari, aut saltem remitti. Quod si Deus in hoc te voluerit aliquando consolari, vt qui pro tuis, aliorumq; peccatis amaritudine repleris, aliquando delitijs perfruaris, regratiari sibi debes, vt potes, & adhuc tamen timere, ne præsumptionem incurras. Potes enim cogitare ad humiliandum cor tuum sub hac dulcedine, quod Dominus pro paruo aliquo bono, quod facis in præsenti, quod tu reputas esse magnum, fortasse vult tibi præmio dare illud, quia te præmijs æternis reputat esse indignū. Potes enim timere, ne istud dulcissimū vinum te adhuc spiritualiter febricitantem in periculum mortis inducat, id est, occasionaliter te faciat subire. Ideo pleno corde dum sumus in hac valle miseriæ constituti, debemus magis appetere cum Christo crucifixo affligi: quam periculosis delitijs afflui. Et sicut quotidie peccamus, immo quasi cōtinue: sic debemus pro eisdem peccatis velle pœnam continuam sustinere. Et sicut sumus vilissimi serui Dei, sic debet nobis placere, immo debemus appetere ab omnibus vilissimos reputari. Et sicut ad honorem Dei facti sumus, sic illud solum deberet in me, & in alijs placere mihi, quod ad suum tendit honorem, & illud solum displicere, quod in contrarium vergit. De indifferentibus autem nullo modo debemus curare, nisi quia omnia debemus ad laudem Dei referre. Quod nobis concedat, &c.

2. Cor. 11. d

CAPVT VII.

Quod contemplatiuus debet gaudere de bonis proximi, quod si non fecerit tria mala committet.

HÆc omnia etiam appetere debes ô contemplatiue cuilibet homini, & debes pro quolibet homine sollicite orare. Et quando vides aliquod bonum in proximo, mirabiliter gaudere debes, etiā si illud non videas in te. Quod si nō feceris sed potius dolueris, tria maxima mala in hoc committis. Primum est, quod honorem Dei, qui in bonis illius resultat, odire videris Secundum est, quod passionem Christi, qui ad hoc est passus, vt vtriusque abundet virtutibus, contemnis. Tertium est, quod charitatem, qua proximum sicut teipsum diligere debes, & eius bonum affectare sicut tuum, laceras, & diuidis. Multum ergo bonū proximi diligas & procures, & maxime spirituale, & etiam cum necessitas sę obtulerit, tēporale: & semper spiritualia tibi Dominus exhibebit, & tandem ad cęlestia te vocabit. Ad quæ nos perducat, qui pro nobis voluit crucis opprobria sustinere. Amen.

CAPVT VIII.

Quod contemplatiuus non iudicet alios propter defectus in ipsis apparentes.

DIabolus in malitia antiquatus viros contemplationis cernens in cælestibus conuersari, vnde propter superbiam est eiectus, nititur modo aliquo eos ad se trahere. Et quia videt eos non posse vincere in aperto, conatur saltem decipere eos in occulto. Sed quamuis diuersa mala diuersis temporibus suggerat, tamen ad hoc nititur, vt contemplatiuus de se præsumat, & alios iudicet vitiosos Apostolicæ inhærens sententię, Omnia iudicat spiritualis, & ipse à nemine iudicatur. Sed ô pestis mors grauissima & occulta! Hæc Deum fugat, præsumptionem pessimā inducit & abhorrendam, hæc vescentē in croceis facit stercora amplexari, hæc spirituali plenum lætitia ad accidiam ducit, hæc omnia ad honorē Dei referenda facit diabolice fraudari. Sed ô homo nunquid in altū contemplationis ascendisti, vt sic faciens aliosq; iudicans debeas magis præcipitium sustinere? Pone ergo te nouissimo loco in consideratione tuipsius, & cadere nō valebis, & Dei commendans opera omnia, commendaberis. Attende ergo ô homo in contemplatione constitutus, & cognoscere qualiter Deus propter suum honorē faciens creaturam diuersis diuersa voluit munerare elargiri, vt nō vno modo, sed multiformiter honoremur, atque sui thesauri manifestari sic queant & commendandi suam magnificentiā, materiam multipliciter habeamus. Debes ergo cogitare primo, quod Deus sicut bonus paterfamilias ordinans domū suam, pensat filiorum sapiētiam, potentiā & bonitatem, & secundum quod viderit, diuersa cōmittit officia, & tribuit dignitates. Cogita ergo primo tu, qui contēplationi vacas, quod Deus pater tuus benignissimus sciens te ad omnia imbecillē, noluit te in periculosis & difficilibus ac implicatis operibus ministrare, sed sua clementia tanquam infirmū per contēplationis, quietem te voluit consolari. Alios autem cernens in charitate feruētes & fortiter radicatos voluit super periculosa & difficilia ordinare, sibi nihilominus quietem tribuens post laborem & consolationem non modicam in labore. Si ergo videris te spiritualibus inhęrere, ceteros autem circa alia laborare, nō eos iudices, sed sapientiam, & bonitatem Dei in eis inspice. Te autem infirmum agnosce, aliosq; cōsidera esse fortes. Quomodo enim fortem te reputare potes, qui propter nimiam tui infirmitatem lecti mollitiem, id est, cōtemplationis dulcedinem sustinere non vales, sed ad modū arundinis omni vento moueris? Quid ergo faceres, si te oporteret vna manu ædificare, & alia hostes gladio effugare? Nempe solo pauore deficeres. Lauda ergo Dominum Deum tuum, qui

1. Cor. 2. d

Thren. 4. d

potentes in arduis posuit, & aduersis prudentes cautos fecit studijs, clementes bonorum temporalium fecit distributores. Te autem ne deficeres, voluit quiescere per contemplationis quietem: ne errares, noluit te subtilia & curiosa inuestigare, vt simplicitatem haberes: ne malus dispensator esses, voluit te omnia abnegare, vt pauper esses. Non ergo te de istis exaltes, & alios iudices, sed exaltes: nec ab eis excludas eos, quos videris otiosos. Debes enim cogitare, quod tanquam sapientes & probi thesaurum acquisitum abscondunt laborantes in occulto, & in publico quiescentes. Aut certe cogita, quod ille, qui dedit ventris pondus, permittit eos in istis minimis & manifestis deficere, ne de maximis, quæ sibi concedit in superbiam eleuentur. Et quamuis sic facere debeas de omnibus supradictis, tamen qui vides eos in periculo esse, debes tu, qui in quiete es, pro eis orare, vt sic possis eos allicere ad quietem. Debes secūdo omnia ad laudem Creatoris reducere. Quod facere poteris per hunc modum, & etiam melius si Dominus dignabitur tibi indicare. Cum etiam videris aliquos in prælatione temporali, vel spirituali, siue in dignitate aliqua cōstitutos, hoc esse factum ad commendandum magnificentiam & potentiam Dei cogitabis, & eum laudabis. Cum autem aliquis insistentes scientiæ videris, & non solum Creatoris, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes, & quemlibet versiculum curiosissime obseruantes, seu ordinātes, hoc esse ad manifestandum Dei sapientiam non ignores, & in eis diuinam sapientiam commendabis. Cum autem videris aliquos temporalibus negotijs insistentes, in ipsis laudabis Dei prouidentiam, per tales quiescentibus prouidentem. Si videris aliquos insistere operibus pietatis in ipsis laudabis diuinam bonitatem se ad omnia diffundentem. Si videas aliquos ceteros iudicare, Domini iudicium time. Si videas pœnam inferētes, diuinam recogita iustitiam. Si rigidos, diuinæ iustitiæ expauesce rigoré. Si reprehensores, & causarum discussores, futuri iudicij recordare. Si videris prelatos circa punitionem remissos, in eis diuinam misericordiam commendabis. Si calorem habueris, recogita Dei Patris erga nos nimiam charitatem, qui suum Filium voluit incarnari, & pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æstu miseriæ ad refrigerium anhelabis. Et sic omnia potes reducere ad laudem Conditoris. Non enim debet esse creatura quantumcúque tibi vilissima, ac infima videatur, in qua tuum non honorifices Creatorem. Hoc ipso enim omnis creatura digna est omni laude, quod à Deo condita est, & ab eo conseruatur in esse, & hoc ipso dicitur esse Dei, si suum mirabiliter commendat auctorem. Hæc pauca exempla posui, vt habeas mentem & viam ad maiora. Et istud est diuinum iudicium ad quod, te voluit Apostolus inuitare in auctoritate prædicta, quam tu pessime assumebas. Nō enim vult Apostolus innuere, quod spiritualis homo ceteros debeat contemnere, vel iudicare, cum alibi ipse dicat: Nolite ante tempus iudicare. Et alibi: Tu qui es, qui alienum seruū iudicas? Sed tu dices, quod hæc secreta diuinæ sapientiæ non percipit homo carnalis sed spirituali mente prÿditus, vt dixi, quod melius in creatura qualibet iudicabit, id est, discernet. Iudica ergo & tu omnia, id est, diuinam sapientiam & bonitatem in omni creatura discerne, vt verum omnium honorifices Cōditorem. Si autem aliquem certitudinaliter & probabiliter noueris peccatorem, caue diligēter, ne propter hoc ipsum condemnes, nec etiam ipsum commendes, sed vitium tibi displiceat & compatiaris inquantum poteris personæ. Laudabis etiam Dominum Deum tuum, qui nō permisit impium grauius cadere, nec te illud vitium perpetrare. Nullo enim modo dubites, quod si te nō custodiret à malo, grauissima & turpissima deduceres ad effectum. Deum etiam suppliciter exorabis vt ipsum, & quélibet peccatorem releuet à peccato, & te custodiat ab omni malo. Nisi enim noueris cōpati peccatis proximorū, ad bonū indurabitur cor tuum, & forte in malū corrues sine freno. Qui enim fideliter oratione vel exhortatione bonam proximi non procurat, cum facere potest, non dubito, quod ab ipso Domino elongatur. Sed quanto magis credis ab his Dominum elongari, qui arridendo detractoribus ac ceteris peccatoribus applaudendo, eis in sua malitia fauent & audaciam tribuunt iterum similia faciendi. Si ergo opportunitas se obtulerit, malum argue, aut si non expedierit, saltem tristitiam prætende faciei, vt aliqualiter cōfundatur peccato. Ne attendas magnitudinem alicuius, quia illum reputa esse magnum, qui approximat Deo, & tanto meliorem vel maiorem, quanto amplius approximabit. Quę enim peruersitas facit seruum diaboli timere, & magnum reputare, & Filiū Dei adoptiuum contemnere iam arrhā patrię possidentem? Vesania est nimis magna: à qua nos custodiat Christus, qui est benedictus Deus in sęcula sęculorum. Amen.

1. Cor. 4. a
Rom. 14. a

CAPVT IX.

Quod contemplatiuus non reputet alios impares sibi.

NOn cessans antiquus hostis, cum non potest virum contemplatiuum in hoc decipere, vt velit alios iudicare, saltem nititur eos ad hoc deducere, vt qui a vident se in multis operibus, quę ipsi faciunt, proficere, alios imperfectos esse iudicent: quia eisdem non vacant laboribus, aut certe quia eadem, qua ipsi, sollicitudine & quiete, siue vigilia & abstinentia non vtuntur, sed potius eos vident secundum suum iudicium otiosos, vel cernunt eos circa tēporalia implicatos, in quibus ipsi, qui sic mūdo proficiunt aliquando offendunt. Sed ô error pessime & occulte, qui secundum exteriorem conuersationé vult de interiori homine iudicare! Non enim requirit tātum laborem corporis, quantum laborem cordis ædificium spirituale. immo apud Deū primum sine secundo nō valet: secundum autem sic sine primo: & quod vni est nociuum, alij quandoque perutile erit. Et sicut facies hominum sunt diuersæ, sic & modi viuendi, & in bono proficiendi. Et ideo quando te vides laudabilibus operibus fulgere, & alios vides circa alia intentos & negligentes, cogitare debes, quod licet ista sint in aperto, in occulto tamen vel saltem in cordis cubiculo laborant opera delicata. Et quia Deus illos per cordis sanctitatem diligit specialiter, forte non curat eos exterioribus laboribus aggrauare, vt ne tam interius, quam exterius laborantes sustinere non possent.

Debes ergo ad istam tentationem expellendam primo in corde tuo cogitare, quod non est cōsuetudo quod filij regum quotidie ad lucrādum panem suum manualibus operibus se affligant, sed vt delicate & sine labore magno de regalibus delitijs nutriātur. Nam sic est ad litteram, quod oportebit multótiens vnum fratrem ad habendam vnam deuotionem, aut aliquam interiorem ordinationem, multum laborare, & illud idem vel melius habebit alius in sola mentis conuersione ad Deum.

Secundo cogitare debes, quod illud, quod habere laboras, & modo de nouo incipis degustare, sit iam in alijs inueteratum, & firmiter radicatum. Et fortassis ista est ratio vna, quare affici sicut tu exterius circa bona spiritualia non videtur, quia dulcedo spiritualis de nouo veniens mutationé inducit, sed non sic vt credo illum, qui iā diu est mutatus immutat, sed perficit & conseruat. Et quando vides te quodā modo liquefieri prę amore, alios vero minime, cogitare debes, quod ad calorem solis iustitiæ ad similitudinem solis materialis aliqui liquefiunt præ amoris feruore à Deo, vt sua membra valeant sustinere. Alij vero desiccantur non solum ab aquositate peccati, sed etiam ab humiditate reliquiarum peccati, & in bono ita consolidantur contra malum, vt nihil à charitate Dei valeat eos separare. Aliqui vero maturescunt ita, quod sibi tam interius, quam exterius dulcissimi videantur, & abolita iam omni mentis acerbitate iam potius in patria, quam in via habitare cernantur. Aliqui vero crescendo ad modum arborum, quamuis tales dulcedines non degustent, crescentes tamen de die in diē fiunt apud Deum maiores. Alij autem putrescunt, vt mali. Dum ergo ali-

go aliquos istorum effectuũ recipis, debes credere, quod ille idem effectus vel maior sit in fratre tuo. Et quamuis non sic cito liquefiat præ amore, sicut tu, fortassis consolidatur vel maturescit, vel crescit in bono, & huiusmodi sunt forsan meliores effectus. Et certe cum credis, te liquefieri, tu marcescis: & ideo alios non minus te propter talia perfectos iudices, sed potius time, ne sibi tu valeas comparari. Nam si cera cum liquescit ad solem, ceteris creaturis diceret nullum beneficium solis, aut non ita magnum percipitis, sicut ego stultum esset: quia & si nõ liquefiant ad solem sicut ipsa, tamen arbores potiora fructus percipiunt beneficia. Potes, & à te adhuc totaliter prædictam tentationem effugare. Debes namque cogitare, quod sicut quantum ad bona temporalia bonitatẽ Dei percipimus omnes, ita tamen quod secundum aliam rationem iste, & ille, & quot homines, immo quot creaturæ sunt, tot participandi Dei bonitatem differentes rationes recipiunt: ita simili modo credendum est, quantum ad spiritualia in rationalibus creaturis. Nam gratia naturam perficit. Et hanc diuersitatem in spiritualibus timuit Apostolus, cum dixisset: Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum: cum statim subdit: Sed vnusquisque proprium donum ex Deo habet, alius quidem sic, alius vero sic. Et ex aliis diuersis locis hanc veritatem habere potes. Si ergo ita est, quomodo non aliter spiritualiter viuet, & seruiet iste quam tu? Aliqui enim tendunt ad Deum per quietem, aliqui per laborem, alij sic, alij vero sic: & multotiens est melior, qui vilior reputatur. Non ergo aliquem imperfectiorem te iudices, si non facit omnia quæ tu facis.

1. Cor. 7. b

Cum etiam vides fratrem tuum cum aliquo, vel cum aliquibus commorari, & tu solitarius es, tunc cogitare debes, quod iste perfectus est in charitate, & propter magnam Dei dilectionem vbique sit cum eo siue cum fratribus sit, siue solus. Et quia tu in dilectione Dei es imperfectus, vix te potes ad proximum conuertere, quin offendas, vix autem aut numquam ad Deum potes bene te conuertere, quin oporteat te à proximo sequestrari, sed hoc certe imperfectionis est. Nam Angeli, qui sunt in charitate perfecti ita bene mouentur in Deum, cum sunt nobiscum, aut cum nobis ministrant, sicut cum sunt in cœlo empyreo. Hoc tamen non dico, quia credam sic totaliter posse in via fieri, siue dum viatores sumus, sed aliqualiter possumus eos sequi.

Adhuc etiam potes cogitare, quod sunt ab istis exterioribus retracti, & soli Deo vacant, & ita feruenter mouentur in ipsum, quod propter nimiam intentionem mentis corpus dissolui videatur, & ad nimiam redigatur debilitatem. Et ideo, vt vires resumant, ne penitus deficiant, & ne etiam sua sanctitas ab aliis aduertatur, se offerunt, vt seruos solatio proximorũ, semper tamen omnia ad honorem Dei facientes. Et ideo stultum est, fratrem suum iudicare pro qualibet trufa, vel imperfectum reputare. Sunt enim hodie multi honestissimi exterius, qui parum proficiunt interius. Et multi sunt dissoluti in gestibus, qui sunt in corde sanctissimi, aut amicissimi Dei. Aut, quod peius est, aliqui sunt odoriferi hominibus, & coram Deo sunt fœtidissimi, & suæ exterioris sanctitatis iam suam receperunt mercedem. Et aliqui apparent hominibus peccatores, & eorum conuersatio interior est in cœlis. Non dico tamen, quin multotiens conuersatio exterior correspondeat interiori. Et quia hoc, vel etiam cõtrariũ discernere non valemus, omnes esse Dei filios iudicemus, & nos inferiores omnibus: nisi tamẽ manifeste contrariũ videamus. Nam de bonis, & de sua eminentia sanctitatis incerti sumus, sed de nostra multiplici malitia sumus certi. Magna est enim præsumptio velle circa proximum meum limitare influentiam diuinæ bonitatis, quia mihi omnes mores sui non placent. Et quid insani? quam diuinam influentiam, vel complacentiam velle, secundum meam complacentiam regulare. Hoc autem tunc facio, cum illud, quod non mihi placet, suspicior nõ placere Deo. Cum etiam videam aliquos circa exteriora implicari, tũc cogitare debes, quod illa ad laudẽ sui Creatoris referant, & magis in illis circa Deum afficiantur, quam tu cum te recte conuertis ad Deum. Fortasse enim, quia sic Deum diligunt vehementer student ipsum quærere in omnib. creaturis, quia ipsum in omnib. nimis laudabilem, & desiderabilem esse credunt, & cognoscunt. Et hoc est magnum gaudium, & lætitia eorum, cum vident etiam in rebus vilissimis summam Dei potentiam, bonitatem, & sapientiam mirabiliter commendandam. Et ideo illa vilia forte sic libenter pertractant, ne assimilentur nobis, quibus omnia sunt nociua. Sed forte quando credis eos otiosos esse, inenarrabili tunc lætitia spirituali perfunduntur interius, quamuis hoc dissimulet, vt sapientes. Aut forte, quia se reputant ita viles, non præsumunt se diuinæ faciei continue præsentare, sed se vilibus adiungentes, nituntur reuerti ipsi in corde, ita tamen quod ipsum in veritate aliquando cõtemplantur. Et hæc potest esse ratio, quare sic semper cum aliis iucundantur, quia oritur eis lætitia, quod sic viles homines sicut se esse existimant, possit cum eis, quos filios Dei reputant consolari. Et si dicis propter aliquos, ergo deberent cum meliorib. conuersari. Dico, quod forte illos meliores reputant, qui minorem simulant sanctitatem. Aut forte esse cum illis non reputant se dignos, quia nimis conuersationi illorũ est dissimilis vita sua. Et ideo sufficere eis videtur, si valent esse cũ illis Dei filiis, quos possunt aliqualiter imitari. Sciunt enim, quod in habentibus symbolũ facilior est transitus. Aut forte nolũt esse cum magnis vel nimis perfectis, ne sua bona intentio cognoscatur. Potes etiam cogitare, quod forte hoc concessit eis Dominus vt circa ista extrinseca implicentur: & cum fratribus conuersantur, quia sic est Deum difficilius possidere, quam si solitarij permanerent, & quanto cum maiori pugna & labore Deum obtinent tanto est eis laudabilius. Quis dubitat, quod si homo implicitus vitæ actiuæ negotiis adeo perfecte possideret Deum, sicut ille, qui moratur solitarie, quin, & laudabilius esset? Et certe vbi est maior resistentia, ibi aliquando intenditur vis amoris, & per multiplicem intensionem actus, siue feruoris augetur substantia charitatis, & inde maius præmium assequuntur. Cum ergo eos credis perdere, ipsi lucrantur: & cum eos existimabis infimos inuenire in via, in patria super te inuenies exaltatos, si tamen ibi fueris. Multum enim timendum, ne sicut humilitas ipsos exaltat, ita nostra superbia, qua omnes alios volumus iudicare, nos deiiciat in infernũ. Aut cogita de eis, quod ipsi approbant, posse se Deo seruire perfecte in his, ad quæ se inueniunt paratos, magis quã accedere ad ardua, & deficere sicut facis. Multum enim reputant vel reputare debent incongrui aliquid tanto Domino agere imperfecte. Aut forte tam magna in occulto, quam parua in publico, tam terrena, quam cœlestia attentant facere, vt in omnibus his inimicus humani generis impugnetur, & ipsi in omnibus mereantur. Et quãuis sic imperfecti tibi videatur, forte plus in vno interiori motu mouentur, quam tu in multis. Immo forte plusquã tu in omnibus, & hoc ignorans minores te non iudices alios, sed lauda Dominum, qui dignus est te eis sociare, quorum forte meritis spiritualiter viuis, & si non viuis per eos forsitan viues. Hæc autem dixi ad reprimendum diabolicam tentationem. Et quamuis sit sic aliquando, aut sic esse possit, & sic de proximo sit credendũ: tamen simpliciter mihi magis placet, & credo, quod magis placeat Deo vita contemplatiua, quam actiua, & vita solitaria, quam domestica, & mihi magis placet honestas, quam dissolutio: & hanc credo magis esse eligendam, quam illa, quia, & si illa posset ordinari in Deum, & in sapientib. ordinetur: tamen semper quod est propinquius fini, magis est eligẽdum, & magis ipse finis, quam quod est ad finem. Et ideo licet ita se habeant ista, tamen non est dubium, quod personæ ista habentes se habent vt excedentia, & excessa. Nam aliqui actiui maioris sunt charitatis, & meriti, quam aliqui contemplatiui, & econuerso: & aliqui domestici, quam aliqui solitarij, & econuerso. Quidquid tamen habeamus, dummodo Deo placeamus, magnum erit: quia in tanta multi-

Matt. 6. a

tudine hominum pauci sunt Deo grati. Cuius rei causa, & pro nobis, & pro ipsis debemus quotidie lacrymari non modicum, & deprecari, vt dignetur nos facere sibi gratos, aut si sumus vsque in finem in gratia nos conseruet. Quod ipse nobis concedat, qui propter hoc voluit incarnari, & lethaliter vulnerari. Amen.

CAPVT X.

Contra superbos, & de se præsumentes.

O Superbe, ô Luciferi imitator immunde, numquid te cogitas Deum esse, an omnia esse à Deo ignoras? Si ergo à te aliquid esse protestaris certe Deum te esse fateris. Sed amplius vide, vt tua insania reprimatur. Nonne de alienis stultum est gloriari? Cum ergo cuncta sint à Deo si de aliquo gloriaris te comprobas esse stultum. Si autem hæc ignoras, te comprobas esse cæcum. Audi ergo insane. Si gloriari vis, & stultus apparere non vis, exclude quæ non sunt tua, & de reliquis glorieris. Sed certe si omnia non tua excluseris, in nihilum redigeris. Ergo de nihilo gloriare, si non vis incurrere vanitatem.

Sed specialius ad dona gratum facientia descendamus. De illis gloriari non potes, quia hæc te habere ignoras, immo si gloriaris non habes. Sed etiam, quod habeas supponamus, qualiter ea possideas videamus. Tibi proditori, & infideli seruo Domini tui iustitiam, quam habes noster benignissimus Dominus, tamquam pannum albissimum dedit, & tu eam stillare non cessas sanguine menstruato. Sed ô vesania plene, vtinam saltem frontem mulieris meretricis haberes. Quæso quæ sit meretrix sic corrupta, quæ de menstruo glorietur? immo quasi nullam inuenies meretricem, quæ de hoc non intime confundatur, nec etiã audet hoc sponsæ amantissimo sponso reuelare. Quid ergo ô stulte in malitia gloriaris? Si tantum in mense semel ad modum mulieris deficeres, haberes forte causam gloriandi. Sed erubesce, & dole, quia quotidianus, & quasi continuus est fluxus tuus. Si ergo à te solum est malum, & à Deo tantum est bonum, non in te, sed in Domino glorieris, & de tua turpitudine coram oculis diuinæ maiestatis continue erubescas, sicut deficere non desistis.

Sed dicis, In me nolo de cetero gloriari, sed tamen cupio ab omnibus commendari. Sed ô impie latro audi. Nonne stultum est largissimo Domino, qui omnia tribuit abundanter, furari, quod sibi charissimum est: maxime, vt videat, & sibi displiceat, & sustinere non valeat? Sic est stultus, qui ab hominibus laudem quærit. Ideoq; cum vniuersa propter semetipsum operatus sit Deus omnes laudes, omniaque laude digna ad honorem referas Dei tui, & in teipso cogita diligenter quod ad hoc creatus es, & redemptus, vt non tu, sed Deus in tuis operibus commendetur. Tu ergo Domini voluntatem fideliter exequaris, vt laudari abhorreas, Deum autem gaudeas ab omnibus exaltari. Et quanto magis ab aliquo commendatur, tanto in maius gaudium eleueris, & studeas quantum potes, mente, lingua, & opere Deum tuũ omni tempore adorare, semperque actu solam suam laudem intendas. Si enim bene diligeres Dominum Deum tuũ, eiusque honorem appeteres, vt deberes, malles amarissimis quibuscumque semper pasci, & ab omnibus stultus reputari, immo tamquam stercus abhorreri, quam quibuscumque delitiis abundare, & quantumcumq; ab omnibus eleuari, aut quantacumque corporali perfrui sospitate, si Deus tuus in te amplius non laudaretur. Et etiam posito, quod par esset præmium, vtrobique, hoc deberet gratissimum esse nobis, quod altissimus Deus noster à nobis, & de nobis aliquod laudis munusculum recipere dignaretur. Sed propter nostras miserias in contrarium nitimur tota die. O mira, ineffabilis, amabilisq; clementia Saluatoris, qui tam benignissime nostris condescendit miseriis! Quis illam poterit nuntiare? O homo totaliter te inuolue in misericordia, & mirare, & tam dulci Domino gratias agere non desistas! O mi Domine, quid tibi contuli, quod tam dulciter me superbum atque arrogantem pertractas, & foues? Quæ est ista gratia, quam inueni, quod ante te me sustines ad momentum? Certe hoc non merui, sed potius, cum feris habitare, immo bone IESV nec etiam creatura tua mereor nominari. Quid tibi pro his faciam ô immensitas bonitatis? Quid pro his tantis beneficiis potero tibi exhibere? Ego nescio tibi satisfacere pro delictis, nec etiam pro beneficiis laborare, nec tibi valeo aliquid dare nisi tuum. Scio quid faciam. Me tibi totaliter exhibebo, & meipsum in te totum proiiciam, & semper timore, & verecundia plenus tibi quantum potero reuerentiam exhibebo. Et si dignaberis, tibi fideliter continue ministrabo: & si hoc parum sit, quia quod potui, feci, non dubito, comprobabis. Sed hoc maximum mihi est, si dignaberis me tecum in area commorari. O quam dulcis tunc mihi esset tua præsentia summe bona! Accedam cum silentio, & discooperiam pedes tuos, vt me digneris aduenam in matrimonio copulare. Non quiescam certe donec tuis amplexibus gaudeam, & inenarrabili dulcedine consopitus in tuis brachiis conquiescam. Tunc delitiis affluam, & mirabitur, & dilatabitur cor meum, & mira suauitate potitus nihil nisi te potero cogitare. Attamen obsecro amabilis Domine, vt meo regimini nullo tempore me dimittas, quia sum animæ meæ lacerator, & lapidator impius. Omnia, quæ mihi volueris elargiri, sicut illa tribuis, tu conserua, & tibi soli sit honor, & gloria, &c.

Isa. 60. a

CAPVT XI.

De paucitate bene obedientium.

Hiere. 9. a

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis imbrem lacrymarum, vt plorare valeam perfectorum statum, quasi ad nihilum iam redactum? Nam terra culta diuinis consiliis, & Christi exemplis, spinas, & tribulos germinat pro frumento. Certe quanto res perdita est nobilior, tanto debet esse intensior dolor. Sed vt de multis aliqua videamus, de obedientia tamquam de religionis fundamento pertractemus.

Gen. 3. c

Heu curre, & discurre, vtrum possis in sua perfectione in aliquibus eam inuenire, & credo, quod vix aut nũquam in aliquo inuenies eam latitantem. Sed mirari potes, quod cũ religiones, & religiosi multiplicentur, quomodo obedientiæ perfectio sic in paucis, immo quasi in nullis valeat reperiri? Certe si multiplicata est gens, non est tamen magnificata lætitia spiritualis intensiue. Quæso, vt mihi dicas, quis est ille, qui velit habere prælatum ad præcipiendum, nonne potius ad seruiendum? Iam volumus prælatorum voluntatibus assentire? Certe non? sed volumus vt voluntates nostras debeant in omnibus adimplere. Et si aliquid deest, iam plus de ipsis, quam de scutiferis suis murmuramus, ipsis gladio linguæ non parcimus, & quod peius est, quod nobis ab alio esset gratum, hoc ipso quod fit à prælatis, est nobis odiosum. Iam non cogitamus, quomodo possumus eorum voluntatem plenius adimplere, ac nostram voluntatem perfectius abnegare, sed quomodo possimus eis in omnibus resistere, & ad faciendum quod cupimus eos coarctare, aut renuendum quod nobis iniungunt, excusare, & aliqua palliare: aut diligenter inuestigamus, quomodo non teneamur sibi in hoc, vel in alio aliquatenus obedire. Sed heu Luciferi imitator, qui præesse voluit potius quam subesse. Timeo ne secum habitaculum habeamus, & ad confusionem nostram appareat Christus passus, qui pro nobis Patri vsque ad mortem voluit obedire nihil sibi retinens de iis, quæ propria voluntas in omnibus appetere consueuit. Se enim exinaniuit ad plenum. Hunc imitati sunt patres nostri, qui cum prælati essent, se subditos faciebant. Hoc sibi dulce, hoc delectabile, hoc sibi erat peramabile. In his, quæ magis suæ voluntati contraria existebant, in his, quæ ad exterioris hominis confusionem, afflictionem, exinanitionem spectabant, sibi infimis obedire. Non enim curiose librabant an hoc melius illo, hoc securius, hoc laudabilius esset, sicut quidam faciunt causa fugæ: sed cuncta, quæ non essent contra Deum,

Isa. 9. a

Philip. 2. a

tra Deum, quantumcumque ardua, & vilia, dum cernerent esse secundum beneplacitum prælatorum, adimplebant auiditate maxima. Tanta enim in eis erat obedientiæ dilectio, vt ad implenda iussa non timerent discurrere super aquas, nec ire ad capiendas leænas cum iniungeretur eis, & multa alia, quæ non sufficio enarrare, faciebant. Nec enim iudicauit esse infructuosum, qui Abbati obediens quasi importabiliter voluit per annum lignum aridum adaquare. Ibi apparuit obedientiæ celsitudo, quia quod mortuum, & aridum fuerat, per obedientiæ meritum fructum fecit. Quid ergo de obedientia gloriamur, cur non potius de nostra superbia confundimur? Numquid viri contemplatiui possumus nominari? Timeo, quod nec etiam Christiani, sed potius imitatores Luciferi possumus, & dęmoniaci appellari. Quomodo enim Christianus dici potest, qui Christo contraria nititur adimplere? Numquid Christus cōsiderauit, quod ipse erat Deus, & secundū humanitatem omni gratia, & sciētia plenus, immo quantum ad animam iam beatus, qui beatę Virgini, & Ioseph erat subditus? In soluendo etiam didragma seruis dæmonum voluit obedire. Nos vero sumus sepulchra dealbata hypocrisi, plena ossibus mortuorum hominibus exterius mortui apparentes, & interius tumore superbiæ vegetamur. Iam obedire renuentes dicimus quod non sumus vocati in seruitutem, sed potius in libertatem. Ignoramus enim quod obedire, vel seruire Deo in hac obedientiæ seruitute regnare est. Quanto enim magis nosmetipsos subiicimus tanto maiori honore efficimur digniores. Non solum enim ipsa obedientia reges constituet in futuro, sed, & nunc si in sua perfectione existat facit, creaturis omnibus dominari. Ad statum reducit pristinum, & nihil contrarium, nisi ad profectum animæ fuerit, molestare permittit. Aduersa facit prospera, & hominem adhuc in mortali corpore facit Angelice se habere. Necnon, & sui Domini honorem appetere cum feruore, & omnibus postpositis laudem Dei facit quærere cum magna auiditate in qualibet creatura, nec momentum permittit pertransire à seruitio Dei. O virtus mirabilis, quæ sui facit hominem obliuisci, & in suum semper tendere Redemptorem, & in terris ambulantem facit in cœlestibus habitare! Quid ergo murmuras de obedientia ô superbe? Cum enim dicit Apostolus, quod in seruitutem non sumus vocati, innuit quod non debemus nec Deo, nec prælatis obedire timore seruili ad modum seruorum, sed timore filiali, & liberali admodum filiorum. ac si voluerit dicere, quod de cetero voluntatem nostrā propriam non faciamus. Cum enim Dominus IESVS Christus dicit. Qui vult venire post me non adiunxit beneplacitum suum, sequatur, sed abneget (inquit) semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, & tota sacra Scriptura tam vetus, quam noua obedientiam laudat. Si enim bonam superbiam haberes, non renueres Deo tam in se, quam in alio quocumque prælato vilissimo obedire, sed potius dedignareris animam tuam tam nobilem subiicere alicui alij creaturæ vilissimæ. Mirum est autem, quod dedignatur homo Deo seruire in prælato, & non dedignatur seruire vni homini libero, aut alicui alij creaturæ vilissimæ, sed totum tempus suum nititur expendere circa nihil. Ideoque pauper solitarius, si cerneret quod plus quam alius offenderit, & contra Dominum superbe egerit, suam voluntatem, in vindictam Dei, & sui niteretur in omnibus abnegare, & seipsum abhorrens vellet ab omnibus conculcari, semper tamen ad honorem Dei sui omnia referens. Quod facere ipse concedat nobis, qui volens Patri obedire, crucifixus est pro nobis redimendis.

Exemplum obedictiæ. — Luc. 2. g — Matt. 17. d — Gal. 5. b — Matt. 16. d

CAPVT XII.

Quod tentationes sunt vtiles seruis Dei.

O Miræ benignitatis Altissime, qui nos tentari permittis, non vt capiamur, sed vt timentes ad te portum tutissimum fugiamus. More bonæ matris facis ô Domine, quæ filium suum à se elongatum videre desiderans, & amplexari per terribile aliquod timorem inducit, & extendens brachia filium recipit fugientem, cum gaudio sibi arridet, & oscula dulcia elargitur, & ne alias à se recedat, hortatur, vt non accidat sibi malum, consolatur ad se stringens, & demum vbera subministrat. O felix tentatio, quæ ad diuinos amplexus fugere nos compellit! O dulcis Domine, qui nos permittis vndique effugari, & te semper tribuis refugium salutare, vt tecum omni tempore commoremur. Non ergo te tentationes habere mireris ô homo, sed ad Deum fugias expauescens, ibique, si tentari nolueris, residebis: sin autem, capi poteris, & damnari. Si autem à Deo tuo nimium te elongatum reperis, nec potes ad eum recurrere, pleno corde, ad Christum tibi proximum accelerabis, & in sui lateris puteo panno superposito absconderis, & ne timeas quod te inueniat inimicus.

Hoc semper pro regula generali habeas, quod quandocumque Deum volueris ad te profunde inclinare, in corde tuo vulnera Christi porta, & eius conspersus sanguine te Patri quasi vnigenitum præsentabit, & ipse tamquam pater dulcissimus tibi plenarie prouidebit. Accede ergo ad Christum, & eum suppliciter depreceris, vt ex quo non decet ipsum denuo vulnerari, dignetur in tuo corpore sua vulnera renouare, teque totaliter rubricare. Et sic indutus purpura poteris Regis palatium introire. O tentate, vulnera hæc meditare, & hæc semper tibi erunt refrigerium, & solamen. Ne dubites, quod si ea in corde tuo impresseris, nulli aditus tentationi patebit. Quis videns Dominum gloriæ, nostris sceleribus sic grauiter vulneratum, auderet iterum scelera perpetrare? Et sic pro ipsorum vulnerum reuerentia, atque compassione non desisteret à peccato, saltem quia videret quod sine comparatione grauior pœna deberetur peccatori in omnibus, quam innocens in peccato deberet timere, & etiam abstinere. Si autem contra te etiam propter tuas nequitias ipsum videris indignatum, ad spem peccatorum confugias, Matrem suam, & ipsi tamquam Matri Dei reuerentiam exhibebis, ac fusis lacrymis eius auxilium postulabis. Et si perseueraueris non quiescens, non dubites, quod ab ea quod volueris, impetrabis. Secum enim creuit miseratio, & sibi pro miseris satisfacere ex officio est commissum. Et cum magna diligentia hoc exerceas, quia quod communiter exercet erga omnes, tibi nō poterit denegare. Quod, & si nullo modo te videris consolari, noscas Deum te diligere, & hoc facit, vt peccatorum tuorum profunditates agnoscas, & tuam miseriam non ignores. Et hoc maximum Dei donum est. Non enim sibi placet præsumptio aliquorum, qui se iustos reputant, & ad ipsum Altissimum tamquam ad familiarem amicum accedunt. Vult enim vt quantumcumque quis sit magnus se miserum, & quasi nihil reputans, ad ipsum veniat cum peccatorum suorum confusione, & magna reuerentia, & timore. Et magnum immo maximum reputet quantumcumq; magnus, si ipsum immensus Deus noster dignatur saltem à longe intueri. Ideoque pleno corde Dei magnitudinem, & suam paruitatem confiteatur, & dicat: Domine non solum non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed nec vt tibi appropinquare valeam vllo modo. Sufficit enim mihi, vt tuæ pietatis oculis digneris me respicere à remotis. Dico quod si in hoc perseueraueris non quiescens non solum te videbit, sed ad sua secretissima te introducet. Quod ipse facere dignetur, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Iob 31. b — Matt. 8. a

CAPVT XIII.

Quod tentatio de prædestinatione reprimi debet.

SI de prædestinatione, aut præscientia Dei aliqua cogitatio tibi surrepat, sic responde diabolo talia propinanti: Quidquid sit de me, te certum est esse damnatum: sed si ego præscitus sum, & Deum non debeam habere post hanc vitā: totis tamen viribus laborabo, vt ipsum

psum saltem habeam in præsenti, & ipsum possideam, quantum possum: ne in vtroque statu caream tanto bono. Momentum ergo temporis de cetero non dimittam, quin secundum meum posse fruar ipso & semper in ipso summa iucunditate delecter, ex quo æternam miseriam assequi debeo in futuro. Nonne mihi summa vesania esset, si certum est, me æternalibus ignibus cruciandum, me inimico meo tradere in præsenti, & ex nunc incipere cum diabolo conuersari? Non sufficit illa miseria, nisi me nunc miserum faciam ante tempus? Immo certe plus prædestinanti me Deo meo, prout potero, totaliter exhibebo, vt nihil sit in me, nec cor, nec lingua, nec cetera membra, quin continue sint in seruitio Dei mei, vt saltem dum possum, & quantum possum habeam summum bonum. Sicut enim sæculares, qui in Quadragesima non debent comedere carnes, volunt in carnispriuio carnibus abundare: sic certe de Deo deberet facere, qui de sua præscientia esset certus. Et hoc præcipue faceret, qui quam suauis est Dominus degustaret, cetera vero delicata absynthium reputaret. Sed quantumcumque me Deus præsciuerit scientia, constat mihi, & scio, quod seipsum negare non potest. Eum ergo totis visceribus amplexabor, & ipsum stringens fortiter, etiam si aurora apparuerit, & non mihi benedixerit, non ipsum dimittam, quod si benedixerit mihi, nec etiam tunc dimittam, & sine me recedere non valebit. Licitum est enim mihi inferre sibi violentiam in hac parte, cum ipse commendet illos, qui regnum cœlorum rapiunt violenter. Aut certe scio quid faciam. In cauernis vulnerum suorum me abscondam, ibique quietus latitabo, nec extra se me inuenire poterit, & etiam expellere non decebit, qui dicit: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Et sic me damnare non poterit, nisi seipsum iudicare voluerit. Aut ad Matris suę pedes prouolutus stabo, & quod propter peccatores Mater Dei facta sit, allegabo: & vt mihi veniam impetret, implorabo. Nec repulsam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus prædicatur. Ipsa enim non misereri ignorat, & miseris non satisfacere numquam sciuit. Non credo, quod propter me nouam velit addiscere lectionem. Ideoque ex compassione maxima ante Filium suum mecum, si dici potest, misera apparebit, & mihi ad indulgentiam suum vnicum Filium inclinabit. Et sic triplex refugium habeo, quod quasi triplex funiculus difficile confringetur. Quod si prædestinatus sum, & æternam patriam debeam cum Angelis possidere: certe debeo ex nunc vitam Angelicam ducere non humanam. Totum me illi debeo, qui se mihi in præmium præparauit, & hac portione contentus nihil aliud amodo debeo affectare. Iustus est enim, & si aliud quam ipsum quærerem, contra me posset rationabiliter indignari, & quem visurus sum beneuolum, viderem statim iratum contra me sententiam inferentem. Igitur in fine diabolo sic conclude: Quidquid de me futurum sit, à seruitio Dei non desistam, & væ tibi, qui non potes tanto Domino ministrare, & eius dulci præsentia iucundari, &c.

Gen.32.f. Matt.11.b Ioan.6.d Eccl.4.c

CAPVT XIV.

Quæstio carnis ad Deum Patrem de Christo.

CArnem contra spiritum per contemplationem eleuatum, immo contra Christum, animam eleuantem ausculta. Inquit caro: Tibi Deo Patri iusto, ac misericordiæ infinitæ de tuo Filio conqueror, vt tua iustitia consideret violentiam mihi factam, & misericordia tua meæ miseriæ condescendat. Ille tuus Filius plenus scientia, & virtute me sua sapientia circumuenit, & sua virtute violentiam mihi fecit. Ille tuus Filius sua sapientia se sub carne mihi simili occultauit, & ad me, humilitate nimia & benignitate inenarrabili callide subintrauit. Omnibus fuit humilior, omnibus despectior, omnium necessitates assumpsit, omnium infirmitates portauit, pro omnibus crudelissime voluit crucifigi, tam compassione, quam grauissima passione voluit affligi, cordis amorem per apertionem lateris sui voluit demonstrare, indeque voluit in remedium emanare sacramenta. Quid plura? Suam carnem constituit in cibum, suum sanguinem in potum, & seipsum promisit in præmium, tua præcepta facientes matrem fratresque vocabat. Demũ non solum in via, sed etiam in patria promittebat, quod se succingeret, & eis ad mensam tuam comedentibus transiens ministraret. His omnibus, & aliis, quæ nec scio, nec valeo enarrare, animam mihi deputatam non modo allexit nimis, sed etiam intus intrans sua attraxit virtute intantum, & sic sibi ipsam suis blanditiis coniunxit, vt iam de me non curet, sed potius affligat, deiiciat, & conculcet, & ad nihilum redigat, & quod grauius videtur, hoc mihi inferentes diligat, & pro eo, vel eis orationem specialem faciat, & si non inferantur inferri appetat. Sicque mortificor, & non curat: in limo iaceo, & exultat. Sed quid dolorem dolori addit, & vt intense doleam cupit? Hæc sua gloria videtur esse mihi inferre iniuriam, contumeliam, & quidquid vilissimum credi potest. Sicque me desolatam, afflictamque relinquit, & ipsa semper vult tuo Filio commorari, semper sua carne cibari, suo sanguine inebriari, & vbicumque fuerit, vult semper secum commorari. Nunc autem secum apparet in præsepio parua, nunc secum brachiis Virginis amplexatur, Virginis brachiis deportatur, lacte Virginis fouetur. Nunc secum famescit, nunc secum sitit, nũc secum conspuitur, nunc secum vulneratur, nunc secum in cruce tristatur, nunc secum in cœlis apud te lætatur, consolatur, quocumque pertrexerit, secum vadit, sine ipso esse non requirit, ad nihil potest se vertere sine ipso. Quid tibi dicam Pater de tuo Filio, qui animam mihi deditam sic suo inebriauit amore, sic autem alienauit à me? Si rapinam commisit, iubeas restitui. Nec enim mihi parum videtur sic rapere vnam mentem. Cur enim mihi anima deputata solum Filium tuum diligit, cur me sic odit, cur cetera derelinquit? Tui Filij amore absorpta graditur sine sensu: iam nihil aliud audit, nihil aliud cogitat vel gustat, nihil aliud odorat, & semper vult inter sua brachia commorari. Ibi iucundatur, ibi lætatur, ibi delitiis abundat, ibi nimio amore inebriata cubat. Nec mirum si hæc anima mea tã tum Filio tuo adhæsit. Quia nisi esset lapide durior, & ferro insensibilior, ex quo sibi tanta Filius tuus fecit aliter facere non deberet. Et vbi est iste durus lapis, qui tanti amoris ardore non scinderetur, immo liquefieret sicut cera, si sibi fierent omnia supradicta. Et ideo non conqueror de ea tibi benignissime Pater, quia fecit quod debuit: sed de tuo Filio, qui eam nimis allexit beneficiis, ac me in tanta miseria dereliquit.

Matt.26.f Luc.12.e

CAPVT XV.

Responsio Patris ad carnem.

ATtende, & audi, quid respondeat Pater clementissimus carni. Quia creatura mea es, tibi iustitiam cum misericordia exhibebo. Nam cum ancilla animæ esses, semper tamen dominari voluisti, ac semper inordinate egisti, tibi non mihi eam seruire fecisti, ipsam ad omnia mala pronam reddidisti, & quod peius est, eam ad imaginem meam factam diabolicæ seruituti subdidisti. Eam bestiis peiorem fecisti, eam fœtidam, & abominabilem exhibuisti, eam super omnem caliginem denigrasti, & intantum eam alterasti, vt creaturam tam nobilem cognoscere non valerem. Oportuit ergo, quia eam, quæ in carne erat, nimis diligebam, meum Filium incarnari, vt eam alliceret ad suum, meumque amorem, & quia tibi carni anima adhærendo mortua erat, vt viuificaretur, meum volui Filium incarnatum pro ea occidi. Nec fuit Filij mei hic aliqua circumuentio vel deceptio, sed mea, suaque ineffabilis dignatio. Et quia tu caro à tuæ infusionis principio semper male egisti, meus vero Filius erga eã nimio exarsit amore, & se totum sibi exhibuit, non iustitia mea multa exigit, vt eam totam, & totaliter sibi dimittam, & ipsa te plusquam stercus abhorreat, & ab omnibus abhorreri cupiat? Sed quia nõ solum iustitiam, sed & misericordiam implorasti: volo vt aliquando etiam in

præsenti

præſenti dulcedine, quam in meo ſentit Filio, perfundaris: & inſuper in futuro nobiliſſime ac perfectiſſime te dotabo, & ſi bene animæ obedieris ex nunc nõ ſolũ à pœna eterna, ſed & à purgatorio te abſoluo. Qui viuo in ęternũ.

CAPVT XVI.

Meditatio ſuper Aue Maria.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum. Tibi Domine Deus gratias ago, quas poſſum ex intimis præcordiis meis, qui pro nobis indignis dignatus es noſtram aſſumere naturam, & virginali vtero baiulari, & ex ea Virgine naſcens, lacte nutriri, eius foueri gremio, & eius ſubiici imperio, qui omnia conſeruas, & regis. & me fœtidiſſimam ſaniem, & turpitudinem deteſtabilem, & abominatione plenum, & omni vita, immo eſſentia indignum, dignatus es tantum illuſtrare, vt ſciam te Matrẽ habere, & hoc mihi indigniſſimo conceſſiſti, vt ipſam poſſim, & audeam ſalutare. Non enim feciſti taliter omni nationi: & hoc ſummum beneficium non manifeſtaſti eis. *Pſal. 147. b* Vbi eſt Domine peculiaris ille populus, quem in manu potenti, & brachio extenſo, de terra Ægypti per deſertum in terram promiſſionis eduxiſti, tot ſignis, & prodigiis magnificentiæ tuæ? Nonne Domine iſte eſt populus, cui hoc beneficium promiſiſti? Cur igitur non ſibi tuis cultoribus, ſed nobis idololatris, & infidelib. hoc tuum ſummum, & maximum beneficium reſeruaſti? Quare nobis paucis, cum multi, & quaſi infiniti populi hoc ignorent? Nonne Domine vniuerſorum es Creator, & omnes ad imaginem tuam feciſti? Nonne Domine ſecreta conſueuerunt pandi amicis? Cur nunc Domine inimicis, & maxime mihi, qui à vertice capitis vſque ad plãtam pedis infectus ſum, & totus tẽdo ad ea, quæ tuæ ſunt contraria voluntati? Cur Domine tam nobile donum, tam excellentem theſaurum tuo infideliſſimo, & nequiſſimo ſeruo dediſti? Nonne Domine tibi videtur, quod non honorem, ſed derideam Matrem tuam, quando ſuperbus humilem, immo humillimam ſuperbiſſimus, castiſſimam immundiſſimus, cæleſtiſſimam immo diuiniſſimam vaniſſimus, & terreniſſimus, ſanctiſſimam impiiſſimus, Matrem Dei, filius diaboli ſalutare præſumo? Vbi eſt bone Domine nunc reuerentia Matris tuæ? Cur tales eam ſalutare permittis? Sed ô piiſſime IESV propter tuam erga nos nimiam charitatem non ſuffecit, te omni deriſui, & contemptui propter nos ſubiacere: ſed Matrẽ tuam iam ad dexteram tuam ſedentem permittis pollutis labiis tractari, vt poſſis corda noſtra tuo, & eius amore inflammare. Nec dubium eſt, quod indigniſſimi ſumus, & credo, firmiter quod nullus ſit cœleſtis Angelus, qui eam, vt digna eſt, valeat ſalutare, quanto magis ego immundiſſima creatura? Mirum videtur, quomodo miſer homo non tremit, & expaueſcit tantam Dominam ſalutare. Sed illud deteſtabile nimium eſt, ipſam nominare ore, & corde, vana, & inutilia immo nefanda tractare, ipſamque alloqui tergo verſo. Cum omni enim reuerentia, honore, & deuotione eſt Virgo beatiſſima ſalutanda: & ipſa tales quærit, qui ad eam deuote, & reuerenter accedant. Hos enim diligit, hos nutrit, hos in filios ſuos ſuſcipit. O beatus qui de tam nobili Matre lætatur, ipſam corde amplectitur, opere imitatur! O felix, qui Matri Dei ſecundum poſſe ſuum nititur conformari! Hic eſt certe, qui omni creatura contempta ſoli Deo ſingulari amore inhæret, & crucifixus cum Chriſto ſalutem animarum ſitit. O mirum vere quomodo non capitur exultatione cor talem Virginem ſalutantis! Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipſa factum hominem contemplatur: hic videt ima ſummis, & ſumma imis pro ſe vnitate coniungi. Quomodo, quæſo, non liqueſcit in hac ſalutatione mens noſtra, vbi Deum nos tantum dilexiſſe videmus, vt ex Virginali vtero dignatus ſit fieri frater noſter? Os enim noſtrum, & caro noſtra eſt. O mira, & ineffabilis diffuſio bonitatis diuinæ! Quanta, quæſo, erga talem Virginem deberet cor noſtrum deuotione diffundi, per quam talem ad nos meruimus diffuſionem diuinam, per quam certe meruimus Deo eſſe fratres, & coheredes in regno? Mira deberet dulcedine os noſtrum abundare, cum tam dulcem Dominam, & benignam ſalutamus, & eius benedicimus fructum. Suauiſſimus enim, & dulciſſimus eſt fructus eius, & in ore, & in corde ſapientis dulceſcit! ô quam mira eſt huius Virginis fecunditas, quæ dum ſalutatũr deuote, ad cor ſalutantis ſuauiſſimum fructum emanat. Quanto autem in eius fructu quis amplius iucundatur, tanto ab ea amplius impetrat: & niſi dicat, ſufficit, numquam ceſſabit. O mira Domina, mirum videtur, quomodo non tantum delectamur in te ſalutando, quod vel propter te, & fructum tuum cetera ignoremus! Quomodo, quæſo, non eſt ad te tantum intentus homo, propter tuã ſuauitatẽ nimiam, vt & ſemetipſum à ſe abſtractus ignoret? ô raptrix cordiũ! ô abſorptrix mẽtium! Cur nos Domina ingrauidas tuo affectu? Cur nos Deo noſtro imprægnas? Cur luto imples cœlos, & vaniſſimos, facis diuinos? Cur nos obſecro filij tui inebrias amore, cum nec ſibi aliquid impendere valeamus? Quid tibi prodeſt animarum amatrix, quod te, & Filium tuum nimio diligamus amore? Nonne tibi cæleſtia ſufficiunt? Cur terrena corda requiris, cum tamen ſint fœtidiſſima, & terrena? Accipe animarum venatrix, & refoue in ſinu gratiæ tuæ. Quis enim poteſt animarum venatrix effugere claritatis tuæ fulgorem, & tuæ radios pietatis? Nec enim eſt, qui à calore abſcondere ſe poſſit: quia beneficiis tuis pleni ſunt cœli, & terra. Quocumque enim pergamus, occurrit nobis diffuſio vteri Virginalis. Ecce ergo vndique nos tuis beneficiis irretiſti, & ſemper, & vbique tuæ benignitatis laqueos extendiſti, vt à te Matre dulciſſiſſima fugere rationabiliter nequeamus, ſed ſẽper in tuæ dulcedinis gremio quieſcamus. Currite ergo chariſſimi vndique, & tã nobilẽ, & ſuauẽ Virginẽ ſalutemus. Aue.

Patientiam habe Domina, quod Angelicam ſalutationem promo, & Angelice non viuo, ſed potius diabolice. Horrendus ſum, & te ſalutare præſumo. Cõfido certe dulciſſima de nimia bonitate tua, & tuo inflammatus amore, te quamuis indignus nimium non vereor ſalutare: Aue. Quid mihi Domina dulcius tuo Aue? O mirum Aue, quod quadam cęleſti dulcedine inebriat cor deuotum. Certe iam dicere poteſt deuote ſalutans: Liquefacta eſt anima mea, vt ſalutaui Dominam meam. Deficit cor meum, & caro mea, dum alloquor Dominam meam: Quis in te non deficiet Virgo ſacra, dum cernit hac ſalutatione præuia te Filio Dei imprægnatam? Quis homo non deficit, dum cernit Dei Filium tuo vtero baiulari, tuo lacte nutriri? Quid ergo libentius audis ô Domina, quam ſalutationem, qua recognoſceris Mater Dei? Sic in te vis homines iucundari, vt ſemper in eum, cuius Mater es, refundatur affectus. Non enim puto, vt velis aliter, niſi vt Mater Dei ſalutari, nec etiam cognoſci. Porta es criſtallina, & per te vis tuo Filio nos coniungi. Sed aue, & vere aue. Nam cor noſtrum aperuit tuum, aue. O mirabile, & ſuperadmirabile aue, ad quod dæmones effugantur, peccatores liberantur, filij delectantur: Angelus gratulatur, Verbum incarnatur, Virgo grauidatur. Certe aue, cuius fructu creaturæ renouantur, homines redimuntur, Angeli reparantur. Ergo tibi aue, vniuerſa creatura ſine fine promat. O dulciſſimum, & ſuauiſſimum aue, quo terreſtria lætantur, cæleſtia iucundantur! O aue, quod intellectum irradiat, affectum ſatiat, mentẽ ad cœleſtia leuat: quo animus illuſtratur pectus dulcoratur, caro maceratur. Igitur aue. O catenale Aue, quod cor conſtringis cum Virgine, & ſeparas à terrenis, cum miſericordiſſima miſerum, cum Domina ſeruum, cum Matre Filium firmiſſime ligas! O amabile Aue! Accedat, vt ſalutet, qui vult catenari amore: & cum ſalutauerit ex corde, amplius, fortiuſque conſtringetur: & quanto conſtringetur fortius, libentius ſalutabit. Sicq; amor, & aue, mutuo ſe augebunt, donec cor ſalutãtis deficiat prædulcore. O Virginis amor, diuinum reddis amantem, virgineum facis iam multa ſorde pollutum. Ergo aue Domina mea, Mater mea, immo cor meũ, & anima mea, Virgo Maria, & Maria mea, aue. O nomen ſuauiſſimum, nomẽ

iucun-

iucundissimum, nomen dulcissimum, nomen Mariæ! Quid feci, quid præsumpsi, quomodo excessi, quod nominare te audeo? Quis vnquam talia audiuit, vt perditionis Filius, peccatorum sacculus, dæmonum famulus, te nominare præsumat? O amor mei, nomen Matris Dei revereri nescit amor. mihi parce Domina, quod me amare dicam te. Etenim si non sum dignus, non es indigna amari. Quis ô Domina te amare desistet, cuius beneficiis gratiam; & gloriam impetramus? Per te Domina franguntur vincula, soluuntur debita, vincuntur vitia, solidantur confracta, reparantur perdita, renouantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incœpta promouentur, imperfecta perficiuntur, perfecta consummantur, cor purgatur, refulget mens, animus inflammatur, liquescit pectus, dulcescit gustus. decoratur aspectus, desponsatur peregrina, traducitur sponsa, & resoluitur anima. Omnia hæc per te Virgo Maria, ergo Aue Maria. Vere Maria stella maris, amarum mare, & Domina. Stella maris mundo totaliter in amaritudine posito, lucis æternæ radium emittendo. Amarum mare cor tuum in passione Filij tui in cruce pro nobis pēdentis totaliter transformando, Domina super omnes Angelorum choros, ad Filij dexteram ascendendo. Et stella maris es nos dirigendo, amarum mare compatiendo, & Domina protegendo. Stella maris es honestate, amarum mare pietate sed Domina potestate. O Domine Deus, quid tibi retribuemus pro omnibus. quæ dedisti nobis? Quid tibi faciemus, aut facere possumus, quod nobis in amaricatione amaritudinis positis, tenebris vndiq; circumseptis à portu salutis nimium elongatis, turbinibus. & procellis ad naufragium agitatis, immo tempestate nimia pene submersis, tam nobile solatium, tam dulce consortium, tam efficax auxilium, tam pium subsidium Virginem Mariam irradiantem stellam dedisti? O certe beata nox, & felix tenebra, & gloriosa caligo, quæ tali stella meruit irradiari! Certe hæc nox illuminatio mea in delitiis meis. O gloriosa Virgo, si es stella maris, semper volo in hac vita esse in mari vt sis semper mea stella, semper in mari sim perfectæ amaritudinis de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intime compatiēdo, proximorum miseriis, & vitiis condolendo. Semper volo in hoc triplici pelago nauigare, vt habeam huius stellæ ducatum. Væ illis, qui sunt in delitiis, & nolunt in hoc mare intrare: quia hac dulcissima stella carebūt. Currant vndiq; tribulationes, & sepiant amaritudinibus inauditis, non timebo, quoniam tu mecum es: immo tunc vere mihi refulges, cum vallatus angustiis, cum omni humano auxilio destitutus, cum intrauerit aqua vsque ad animam meam, cum abiectus fuero, & reprobatus ab omnibus creaturis. Me peccatorem nequissimum, & omni malo dignissimum impugnet, & stimulet, obsecro, tota mundi machina, vt mecum sit hæc stella maris Maria! ô felix cum fuero ab omnibus exprobratus, & conculcatus, & ab hac stella susceptus! Stella est maris, & in amaritudine positis ipsa relucet. O quam dulce, & delectabile oculis, videre hanc lucem! ô quam bona, & amabilis commutatio omnem mundi consolationem abhorrere, & longe à se irrecuperabiliter eiicere pro fulgenti stella maris! Plus enim valet vna sola illustratio illius stellæ, quam omnium mundanorum. Quis ergo omnis amaritudinis, & compassionis, & passionis mare non gaudenter intret, vbi refulget hæc stella? Non paueat cor perfectum, quia impossibile est naufragium fieri hac stella radiante, nec potest nubes aliqua interponi nisi volenti. ô Domina mea, tu in hoc mari es nobis nauis sustentans, & portans, anchora stabiliens, & firmans, gubernaculum dirigens. & rectificans, velum deducens, & obumbrans, stella refulgens, & salutis portum demonstrans, immo impetrans, & conseruans. Quis ergo non libenter hoc mare compunctionis, compassionis, & passionis intrabit, vbi tu in omnibus subuenis, & ministras? Immo, vt plus audeam dicere, tu es Maria amarum mare facta propter Filij tui passionem, & iniquitatum nostrarum compassionem. Non quod modo aliquid tristabile patiaris, sed considero mentem tuam, secundum quod in hac vita iuxta crucem viuebas. Hoc ergo duplex intretnus mare, scilicet tuo Filio cruc fixo, & tuo cordi sibi in fixo cōpatiendo, & de nostris iniquitatibus, quæ tantæ fuerunt necis occasio, intime contristando, si volumus cor tuum intrare, quod factum est mare magnum, & spatiosum nimis. Quis ergo non libenter intrabit hoc mare, vt possit cor Virginis introire? Certe hi bene intrant cor tuum, & sunt continue in corde tuo, qui Filij tui ruminant cōtinue passionem. Impossibile est enim Mater piissima, Filij tui intrare vulnera, & non intrare cor tuum: quia illa vulnera sunt in corde tuo perpetuo collocata. Sicut enim illa stigmata semper erunt in Filij tui corpore, sic semper in Matris mente. Quis ergo amplius tardabit, & pigritabit hoc nauigium introire? Dulce est de te audire, sed dulcius de te cogitare, & dulcissimum, & suauissimum per Christi vulnera cor tuum intrare. Non ergo recedat homo à Christi passione, contumelia, & vulnere, si non vult à corde tuo exire Ibi fit homo totus virgineus, totus sanctissimus, totus diuinus. Ibi obliuiscitur homo sui, recogitans, quæ sunt Matris, & Filij. Quod nobis concedat ille, qui benedictus viuit in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 103.

CAPVT XVII.

Meditatio humilis ac expositio super orationem Dominicam.

PAter noster qui es in cœlis, &c. ô immensa clementia! ô ineffabilis benignitas! ô mira dignatio! ô longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum charitatis diuinæ. Vilissimum lutum, detestabilis sanies, nequissima creatura se Dei Filium nuncupat, & Dominus dominorum, Rex regum, & Dominus dominantium se meum Patrem dicit. Cum oratis (inquit) dicite: Pater noster, qui es, &c. Et quod hoc dicit veritas verissimum est. Et scio quod plus sine comparatione me diligit, quam pater carnalis vel mater, immo quam me ego ipse. De tanto ergo Patre eleuabitur cor meum, vt aquila, & iam heres cœli omnia inferiora contemnam. Quid mihi vltra de terrenis honoribus, qui sum Filius Dei? Maius dedecus esset mihi, appetere quantumcumque honorem terrenum, quam filio Imperatoris latrinæ officium. Quid vltra mihi de terrenis diuitiis, qui regni æterni sum heres? Ignominiosius esset mihi, de quantumcumque magnis diuitiis terrenis curare, quam primogenitum Imperatoris de fimo equorum. Quid vltra de delitiis carnalibus, & ceteris quantumcumque magnis? Detestabilius mihi esset filio Imperatoris summi, affici in quantumcumque allectiua creatura, quam filium regis in sanie fœtidissima. Quid bonum, quid pulchrum, quid vtile, quid desiderabile me allicere potest, qui heres sum omnis boni? Fons omnis pulchri, & boni. Omnia enim respectu illius non sunt, nisi quædam similitudo, & vmbra. Accedam ergo ad Patrem meum, quia nihil aliud vult, nisi vt habeam ipsum. Numquid ergo negligens ero? Numquid ergo pausabo? Numquid aliis intentus ero? Certe cum impetu omnibus postpositis curram ad eum. Sufficit mihi, si habeam Patrem meum. Et ideo toto corde tendam ad eum Non aliud aspiciam, nec aliud videbo, nisi Dominum Deum meum: quia oculis mentis totus tendo ad eum, quia nimis allexit animum meum. *Pater noster, &c.* Mel, & fauū in ore meo cum te Deum meum Patrem inuoco meum. O dulcedo indicibilis! ô iucunditas inæstimabilis! ô iubilatio ineffabilis, cum audeam te Patrem meum vocare! ô exultatio! ô admiratio! ô medullaris modulatio, quia Pater meus es tu. Quid vltra procedam, quid vltra dicam, quid vltra petam? Pater meus es tu. Sed vbi es tu Pater mi, vbi es? Si vbiq; es, immo quia vbique es, quomodo sedes est tibi cœlum? Sed ideo benignissime vis, vt dicamus, Pater noster. qui es in cœlis, vt nos à terrenis ad cœlestia eleues, vbi maxime tua potentia, tua sapientia, & bonitas elucescit, vt ibi mi Pater sit semper tecum conuersatio nostra, vt à te cœlestia non terrestria, vel ter-

Matt. 6. b
Ps. 138. b
Psal. 22. b
Psal. 68. a

rena quæramus, & non petamus: aut certe vt nos spirituales cœli facti, in nobis sit habitatio tua. Quid ergo nos retardabit, quid nos retrahet, quid impedimenta præstabit, quin cælestem vitam nō terream ducamus, vt in nobis sit habitatio tua? ô digna admissio, mira dignatio, & dignatiua Christi habitatio in nobis! Ego fœtidissimus fimus, & abominabilis peccatorum latrina valeo esse ex immensa clementia Dei mei tabernaculum eius, & qui sum plenus sanie, & fœtore ero sanctum Dei templum, sapientiæ sedes, & habitaculum Spiritus sancti. ô felix dies ô beata hora, cum talem hospitem possidebo! Tenebo eum nec d mittam, donec introducam eum, immo ipse introducat me in domum illius, quæ sursum est Hierusalem matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, scilicet in intima contemplationis quiete, vbi cubant, vbi quiescunt animæ delicatæ.

Cant. 3. b

Gal. 4. d

Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. O quam bene sequitur, quam bene continuatur, prælegantissime ordinatur petitio ad prædicta, scilicet, sanctificetur nomen tuum ad Pater noster, qui es in cœlis, quasi filialis deuotio, cœlestis contemplatio totum animum reuerentis filij conuertit in Patrem cœlestem, vt clamet, & dicat: *Sanctificetur nomen tuum*, quasi dicat, Non terrenas diuitias, delitias, & honores peto: sed vt sim in te totus conuersus, & totus diuinus. Sanctificetur ergo nomē tuum, vt scilicet mea vis rationalis tua sapientia illustrata, & omni errore, ambiguitate, & tenebrositate propulsata purgatam habeam conscientiam, id est, purissimam notitiam tui.

Adueniat regnum tuum, vt mea vis irascibilis tua potentia roborata ad arduitatem regni tui conscendat.

Fiat voluntas tua, vt mea vis concupiscibilis, tua bonitate dulcorata, immo tua charitate perfecta plenissime tuo beneplacito acquiescat, vt ex vera dilectionis amicitia sit idem velle, idem nolle. Vel, Sanctificetur nomen tuum, quantum ad puram notitiam intellectus. Adueniat regnum tuum, quantum ad feruens desiderium affectus. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra, quantum ad perfectum obsequium effectus.

Sanctificetur ergo nomen tuum in nobis Domine, quod ab æterno sanctissimum est in se, vt quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus, & sentimus, totum ad sanctissimi nominis tui notitiam ordinemus, vt sit in nobis nomen tuum sanctum, idest, fine terra, & purum, vt excisi ab omni curiositate, & vanitate, & omni inutili phantasia, te solum in omnibus cognoscamus. Semper piissime, & sanctissime Pater mentis nostræ oculus ad te lumen æternum incessabiliter dirigatur, semper te qui in omnibus es, & à quo omnia sunt, in omnibus te intuear, in omnibus te cognoscam! O quam dulce lumen, & delectabile oculis à te sole iustitiæ numquam mentis intuitum amouere! ô quam dulcis, & amabilis, quam admirabilis oculis nostris tuorum claritas radiorum! Sanctificetur ergo nomen tuum.

Adueniat regnum tuum. Nunc regnum huius mundi occupauit totam animam meam, immo totam dissipauit animam meam, totam lacerauit, totam fœdauit, totam denigrauit sponsam tuam dilectam, animam meam. Totum cor meum, totum animum meū vanitas, immo fœditas huius mundi allexit. Ideo nūc quę mundi sunt, sentio, quæ carnis sunt, appeto, quæ terrena sunt, cogito, & affecto, factus sum ciuis huius mundi, & sub huius mundi principe sollicite studeo militare. Sed ô Domine, nōne creatura tua sum? Ergo adueniat regnum tuum, vt princeps huius mundi eiiciatur foras. Tu solus in me regnes, tu solus inhabites mentem meam, totum me occupet regnum tuum, totum sibi vendicet desiderium meū, solus reficias affectum meum. Quid quæro, quid desidero, quid volo, quo vagor, quo discurro, quo distrahor? Sufficit mihi Domine regnum tuum, sit ibi habitatio mea, sit ibi refectio mea, sit ibi tota conuersatio mea. Tu solus bonus, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus desiderabilis animarum amator. Tu solus me regas, tu solus me dirigas, tu solus me allicias, tu solus cor meum tecum habeas animarum zelator. In te solum quiescat cor meum, & pectus meum. In te solum nunc dulcoretur cor meum, tu solus repleas animum meum. Cum impetu ascendam ad te centrum meum, & regnum meum animarum redemptor. Ergo adueniat regnum tuum.

Ioan. 12. c

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Hoc volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, vt in me, & de me, ac per me, non mea, sed tua fiat voluntas. Totus sim, totus in tuum solum plaudam honorem. ad hoc factus sum, ad hoc natus sum, vt tuum solum honorem requiram. Iam non flectar ad meum appetitum, iam non requiram proprium commodum, iam non desiderem amicorum affectum, sed solum nitar tuum solum in omnib. beneplacitum adimplere. Non cogitem quid amarum, quid dulce, quid onerosum vel leue, quid asperum vel suaue, sed cum impetu, & desiderio feruenti, & cum anxietate curem perficere, quæ tuæ sunt beneplacita voluntati. Hoc solum mihi iucundum, hoc mihi sit suaue, hoc solum mihi sit leue, hoc delectabile, & amabile in quantumcumque asperis, vilibus, difficilibus, effusis, & amaris, tuam requirere, perficereq; voluntatem. O gaudium, & iucunditas, & exultatio medullaris, vtinam totū & totaliter, semper, & vbiq; exponerem me ad omnē tui honorē, quem possem modo aliquo effectui mācipare! O vtinam solus possem omnia tua mysteria mi Domine adimplere. Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus, & visceribus concupisco, me totum exponere, & impendere tuo honori, me de me tuæ satisfacere voluntati pro te, quam etiam quantumcumque cœlestibus, & diuinis delitiis iucundari. Si enim propter te mi Domine lacerarer, & passiones, & mortes quascumque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, & de his magis gauderem, quam de quacumque delectatione, quam etiam in patria possem habere, nisi forte illa delectatio tantum aut plus cederet ad tui honorem, & hoc etiam non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem. Non enim factus sum ad meam vanitatem consolandam, sed ad tuam magnificentiam honorandam. Quid mihi maius, quid mihi dulcius, quid mihi amabilius, quam me totum in tuum honorem resolui? O gaudium Domini, ô tripudium, ô mihi omne iubilare solatium, quod possim aliquid quacumque difficultate facere ad tuum honorem? Hoc Angelorum est gaudium, cœleste desiderium, posse tibi totaliter obsequi, totaliter te frui, tuæ voluntati plenarie conformari, & tuum honorem, & magnificentiam admirari. Non dubito, immo certus sum, quod plus gaudent Angeli, & animæ sanctæ de magnificentia honoris tui, quam de magnificentia gloriæ suæ. Et ideo fiat voluntas tua, sicut in cœlo, idest, in cælestibus spiritibus: & in terra, idest, in nobis hominibus. Et tuæ voluntati adeo libenter, & feruenter ac voluntarie obsequamur, vt ipsi secundum possibilitatem nostræ virtutis totaliter conformemur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. O quam bene ordinat, quam eleganter coniungit hæc verba præmissis, & quamuis de pane materiali, & etiam spirituali possit exponi, de sacramentali tamen pane maxime exponamus ad præsens. Et, vt dixi, in verbis Domini est egregius ordo. Quis enim adeo dignus, quis adeo est habilis ad susceptionem huius sacramenti ad offerendum Filium Deo Patri, vt ille, qui vt supra dictum est, se totaliter in Deum ordinauit, & quantum ad intellectum, affectum, & effectum, qui se totum Deo obtulit, totum se sacrificio consecrauit, qui in se annullatus est, & in Deum totus il latus est, qui non quæ sua sunt, quærit, sed quę IESV Christi? Ille enim in hoc sacrificio potest IESVM Christum recipere, IESVM Christum Deo Patri pro se, & aliis offerre: & ideo petitioni isti magister verus præposuit: *Sanctificetur nomen tuum*. Et optime coniungit ad illud verbum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Qui enim ex Ægypto peccatorum exiuit, in sanctificetur nomen tuū: & mare rubrum tentationum inundantium submersis

Philip. 2. d

Ægyptiis ſicco pede tranſiuit, in adueniat regnum tuum: & in deſerto contemplationis ſoli Deo intendit, & ſe totum Deo dedicauit, in fiat volũtas tua: iam in hoc deſerto eſuriens manna, ideſt, panem cœleſtem, à cœleſti Patre requirit, in panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Qui enim in Ægypto aliquando ſuper ollas carnium ſedit, nunc illis ſpretis ſolum panem viuum, qui de cœlo deſcendit, exquirit, poſtulat, & acquirit. O admirãda Chriſti dignatio, mira iubilatio mentis Deus meus, ſponſus meus, amor meus, factus eſt cibus meus. Sanctorum præmium, gaudium Angelorum, Dei Patris verbum eſt nutrimentum meum. Lux mundi, ſol cœli, ſapientia Dei eſt refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, cœlique gloria facta eſt cibatio mea. Quid vltra affecto, quid vltra me poteſt allicere? Abſit à me Domine, vt ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, quod circa aliquid, quod eſt in toto mundo afficiatur. Quomodo, obſecro, poſt tam nobiliſſimum cibum, ſufficientiſſimum, ſuauiſſimum, & dulciſſimum poteſt cor meum circa vana, turpia, & immunda delectari? Et ſi ſemper non poſſit ipſum ſacramentaliter ſumere, ſaltem cor meum ipſum ſpiritualiter non deſinat ruminare. In veritate mirum, & pluſquam mirum videtur, quomodo prædulcore, & nimio amoris feruore cor non deficit in hoc cibo. Tu ſolus bone IESV ſis cibus meus, & & refectio mea. te ſolum eſuriam, te ſolum auido, & inſatiabili appetitu comedam, & ſemper ſim famelicus tui. Quid te dulcius, quid ſuauius, quid amabilius bone IESV? Te ſolum volo comedere, te ſolum cupio maſticare. Tu mihi ſemper dulceſcis in corde. Si ſolus odor tuus deberet ſufficere toti mundo, quanto magis cibatio tua? Si in verbo, quod de ore tuo procedit reficimur, & viuimus, quid eſt te verbum æternum ore recipere, & cordis dentibus maſticare? Quomodo in te cordis penetralia non liqueſcunt? Quomodo non ſic cor meum delectatur in te, vt obliuiſcatur omnia præter te? Si aliquid terrenum, immo aliqua ſimilitudo terreni tantum cor meũ occupat aliquando, vt obliuiſcatur tui, quomodo tua veriſſima præſentia non me tantum reficit, & inebriat, vt omnis mundi obliuiſcar, & etiam mei? Hunc ergo Pater cœleſtis panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Da nobis hunc panem, vt ſemper in præſenti, & ſemper præſentialiter eum habeamus. Sit ſemper præſens ſpiritualiter hic cibus, & numquam ſciat præteritum vel futurũ. Sed hodie doces bone IESV, vt dicamus: Cur quæſo tantum feſtinas eſſe nobiſcum? Quare non differs vſq; ad cras? Quid enim in nobis vides? quid in nobis ſentis, quid in nobis agnoſcis, quod in tãtum noſtro es inebriatus amore? Quid nobiſcum lucraris, quid in nobis reperis, quem fructum de nobis habebis, quod neſcis tardare? Sed ſic amor noſtri te vrget, vt differre nequeas, quin ſtatim velis eſſe nobiſcum, cum quibus nullum habes lucrum? Nos autem, qui ſumus fœtidiſſima ſanies, & indigni etiam tua creatura, quantumcumque viliſſima, nominari, quomodo differimus ex quo tantum deſideras nos eſſe tecũ, quin te ſummum bonũ ſpeculum ſine macula impetremus? Tu ergo bone Domine differre nõ vis, vt oſtendis, nec nos differre volumus amplius, hodie ergo te repetimus, vt habeamus. Non enim tarda eſt inſtitutio, quod eſſet, ſi peteremus, & nõ impetraremus. Quia ergo te ſtatim petimus, & deſideramus, & hoc ipſum tu cupis, accede ad cor noſtrum, quia ad te aſcendit cor noſtrum. En inebriatus es noſtri, & nos tui amore. Te ergo ad nos, & nos ad te cum impetu iungit pondus amoris Et iam omni mora ſublata mutuus fit amplexus, & inter brachia tua deficit anima mea abſorpta amoris feruore. Cum enim ſenſi amplexũ tuum, excitaſti animum meũ, poſt cibaſti, deinde inebriaſti, tandem tuis amplexibus, & oſculis ſeparaſti animam meam, & in tuis brachiis quieſcit, non eam quamuis indignam abiicis, non eam refugis, ſed ad te ſtringens clamas, & dicis, non eam refugis, ſed ad te ſtringens clamas, & dicis: Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne euigiletis neque ſuſcitare faciatis dilectã, donec ipſa velit. Sed adiuro clementiam tuam bone IESV, quare dixiſti quotidianum? Nonne continue vis eſſe cibus noſter? Nonne ſufficit ſi per vnam diem in nobis habitas, & moraris nobiſcum? Quid fecimus tibi? Quid ergo dicam de beneuolentia tua? Neſcio: quia in illis theſauris clementiæ tuę deficit animus meus, ita vt non poſſit paruam conſiderare ſcintillã, tanta eſt abyſſus eius. Et ideo aliud neſcio dicere, niſi ex quo vis ſemper eſſe nobiſcum, nos omni tempore ſimus tecum, & nunquam à te Sponſo benigniſſimo, & ſpecioſo, cibo ſuauiſſimo recedamus. Ita enim Domine tuo amore, & deuotione nos conglutines tecum, vt non poſſimus à te recedere, nec velimus.

Cant. 2. b

Sic ergo, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hoc ſic ordina & coniunge prædictis. O bone IESV nobiliſſimum cœlum nobis indignis ſeruulis tuis benigniſſime, & inſtantiſſime obtuliſti. Sed quid? Timeo ad conuiuium Eſther, vt Aman inuitari. Et ſi illa bone IESV non ſit intentio tua, tamen timeo de iniuſtitia mea, quia agnoſco peccata mea. Quid ergo? Conuiuium opulentiſſimum paratum eſt, nuncij, ideſt, Angeli ſancti miniſtrant, eſuries me excitat, & compellit tamen: accedere non pręſumo, quia peccaui. Quid ergo faciam? Anguſtiæ ſunt mihi vndique. Sed certe quid eligam ſcio. Ibo enim ad Patrem meum cœleſtem, de quo ſupra dictũ eſt. *Pater noſter, &c.* & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis, ideſt, dimitte nobis debita noſtra. Sed ô felix recognitio culpæ, quæ promeretur Patris amplexus. Forte amoris feruore inter amplexus eius reſoluar, & mutabor in virum alterum, & aliquãtulum audebo comedere de vitulo ſaginato. Dimitte ergo nobis debita noſtra. O mira Dei noſtri dignatio! ergo nos ipſum contempſimus, & pro viliſſima ſanie commutauimus, & tamen nobis ſuadet vt veniã petamus. Quomodo vult nobis veniam dimittere cum offenſis, hoc autem non vult Angelis elargiri? Quomodo, quæſo bone Domine potes nos amplius aſpicere, qui ita turpiter à nobis abiicimus te? Ergo ex quo tu ipſe ſuades, *Dimitte nobis debita noſtra*, dimitte nobis: quia iam pro nobis ipſe debitum ſoluiſti, iam te ipſum pro nobis in ſacrificio obtuliſti. Tu es, qui nos doces, vt dicamus, Dimitte nobis, &c. Hoc facere potes. Nonne pax iam facta eſt? Nonne iam pacis cõuiuium celebratum eſt, aut quotidie celebratur. *Dimitte ergo nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris.* O beatum proximi debitum! ô felix offenſa, quam allegare coram Deo poſſumus in remiſſionem debiti noſtri! Non ergo chariſſimi fratres contriſtemur, ſi nos offendunt homines, ſi nobis iniuriantur, ſi nos affligunt, rapiunt, & accipiunt noſtra: ſed in his quantum eſt pro nobis exultemus, & gaudeamus, immo affectemus, & cupiamus: quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus dimiſſionem debiti noſtri. Non eſt dubium, quod magnæ virtutis, magnæque efficaciæ eſt allegatio iſta, quam ſummus aduocatus, & iudex noſter nos docet. Ergo dimittite, & dimittetur vobis.

Eſth. 7. a

Dan. 13. c

Luc. 15. c

Luc. 6. c

Dimitte ergo nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Quid enim Domine prodeſt baptizari, vel lauari à mortuo, ſi iterum tango mortuum? Non ſufficit mihi Domine, vt peccata commiſſa dimittas, niſi etiam mi Domine à culpis, & à peccatis imminentibus cuſtodias. Nam promptiſſimus ſum ad peccatum, & niſi me cuſtodias, ſine freno irruam in peccatum. Quid Domine profuit Aman, quod à rege Aſſuero ſuper omnes principes fuit elatus, cum poſtea inflatus ſuperbia fuit ſuſpẽſus in ligno? Quid enim mihi prodeſt, quidquid in præmiſſis petitur verbis, niſi me contra tentationes conſerues in bono? Ergo, *Et ne nos inducas in tentationem.* Vis bone IESV, vt ſic petamus, quia multotiens permittis nos tentationibus ſtimulari, vt ad te recurramus. Omnem modum, & viam, qua poſſis nos ad te trahere exerces, quia tecum nos cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos, fugiam, vt recipiat me fugientem, & timidum, & dicam ei:

Eccli. 34. d

Eſth. 3. a

Et ne nos inducas in tentationem. Hoc vult, hoc desiderat, hoc expectamus Pater, vt ad refugium curram, & auxilium, & sinum eius, vt totaliter de me diffidens solum de ipso confidam. Ergo, & ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo. Amen. Verum est Domine, quia sumus digni omni malo, quia contempsimus omne bonum, sed vide clementissime Pater infinitam misericordiam tuam, & omnino detestabilem nequitiam nostrã, & releua à nobis paruulis, nobis infimis importabile onus: à malo opprimente, destruente, & retardante à bono, libera famulos tuos, vt libere possimus dominatui tuo seruire, & vacare, & maxime ab illo terribili, & horribili malo æterno nos libera, ne tua desiderabili visione priuemur, quod horrent omnia ossa nostra. Quid enim mihi prodesset, tuam creaturam fuisse, nisi te habeam, & totus in te ferar, & totaliter in vita æterna? Quam nobis concedet ille, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

CAPVT XVIII.

Aliæ duæ breues expositiones super orationem Dominicam.

POssunt autem supradicta aliter explicari sic, vt Pater noster præmittatur, vt confidenter ad Christum accedamus. Qui es in cœlis, vt quæ sursum sunt, quęramus, non quę super terram. Sanctificetur nomen tuum, quantum ad fidei illustrationem. Adueniat regnum tuum, quantum ad spei firmitatem. Fiat voluntas tua, quantum ad charitatis conformitatem, & perfectionem. Panem nostrum quotidianum, quantum ad nutrimentum, & fulcimentum temperantiæ, quod maxime exhibetur in pane Eucharistiæ. Et dimitte nobis debita nostra, &c. Quantum ad correspondentiam, & meritum iustitię per hoc quod subditur: Sicut, & nos dimittimus, &c. Et ne nos inducas in tentationem, quantum ad actum prudentiæ, quæ est in præcauendis insidiis. Sed libera nos à malo, quantum ad actum fortitudinis, quæ est in tolerandis aduersis. Amen.

Colloss. 3. d

Alia expositio.

Possumus autem supradictas petitiones exponere pro his, quæ h bituri sumus in patria, vt sanctificetur nomen tuum, referatur ad apertam visionem, quasi diceretur quod nunc per speculum, & in ænigmate videmus, tunc pure & sine terra, & sine aliquo medio videamus. Adueniat regnum tuum, quantum ad firmam tentionem, vt in æternum regnemus. Fiat voluntas tua, quantum ad consummatam dilectionem, quæ plene amantem in amatum transformat. Et tunc exponendum est. Sicut in cœlo, & in terra, id est, sicut in Angelis, & in hominibus fiat. Panem nostrum quotidianum, &c. quantum ad suauissimam fruitionem. Et exponendum est quotidianum, id est, continuum, quia semper ibi est dies. Et exponendum est hodie, pro præsentia, quæ non habet præteritũ, & futurum, sed est tota simul, quod melius per præsens notatur. Et dimitte nobis, &c. In quo petitur aduentus anni iubilei, in quo omnia debita dimittuntur veris Iudæis, id est, pœnitentibus, & confessis, & homo homini, & Deus hominibus talibus vniuersa delicta dimittet. Et ne nos inducas, &c. In qua petitur illa pacis pulchritudo, de qua dicitur: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, vbi non est amplius satan, nec malus occursus. Sed libera nos à malo, quasi diceret, Duc nos ad illum statũ, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus, & in priuatione omnium malorum iucundus, vbi vere liberati erimus à malo. Hæc autem expositio vltima multam admirationem, & miram, vel nimiam deuotionem, medullarem exultationem, plenam laudis persolutionem requirit, & in ea satis sunt miri, & inenarrabiles contemplationes thesauri, sed non sufficio, nec sum dignus eos dispensare, nec ponere in os meum immundum, maxime cum regis Assueri aulam ingredi non valeam non vocatus, & ideo simplicitati nostræ sufficiant, quæ supra diximus foris in atrio existentes. Ipse autem Christus ad nos in clementiæ signum virgam auream extendat, vt possimus secure ad ipsum introire, secum in æternum regnare, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Isa. 32. d

Esth. 4. c

Esth. 5. a

CAPVT XIX.

Meditatio super Salue Regina.

AD salutandam beatam Virginem Mariam, primo debes eius magnitudinem considerare. Nec enim circa Filium eius potuit amplius eleuari, quam vt Mater Dei vocaretur. Exultans ergo, & admirans magnitudinem Matris nostræ deuote, & reuerenter ad ipsam accedens dicito, *Salue*. Hoc dicto, statim in tuam resilias paruitatem, & magnificentiam Matris Dei, & dic: Patientiam habe in me Domina, quod ego vilissimus hominum audeo assistere tantæ Dominæ, & salutare præsumo reginam cœlorum, Dominam Angelorum, & Matrem Dei mei. Sed de tua benignitate humili, & humilitate benigna confido, quod me indignissimum sustinebis. Et quãuis sis arca veteris testamenti, & ego multo ignobilior: tamen cum te tetigero corde, & salutauero ore, non credo percuti, sed tuo amore potius inflammari, & tua pietate largissima in omnibus exaudiri. Ergo *Salue Regina*. Sub tuo regimine Domina volo de cetero militare, & me totaliter tuæ dominationi committo, vt me plenarie regas, & gubernes. Non mihi me relinquas: quia sum mihiipsi contrarius nimis. Quidquid ergo mihi dimiseris, noueris miserrime deseruiendum. Sed cum plenus sim miseria, & à planta pedis vsque ad verticem putrefactus gerens horrorem fœtoris, quomodo me regere dignaberis tam nobilissima creatura? Certe, quia tu es regina misericordiæ. Et qui misericordiæ subditi sunt, nisi miseri? Sed regina misericordiæ es, & ego miserrimus peccatorũ. Quomodo ergo Domina nõ exercebis in memetipsum tuæ miserationis effectũ. Vere Domina regina es misericordiæ, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinauerit regimen. Certe Domina cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno. Nam pro miseriis Mater Dei facta es, misericordiam insuper genuisti, & demum tibi miserendi est officium commissum. Vndique solicita de miseris, vndique misericordia vallaris, solum misereri tu videris appetere. Multum solicita es, miseros hos in tuos filios adoptare, hos regere Domina voluisti, & ideo regina misericordiæ tu vocaris. Quid ergo de cetero formidamus, quid timemus, & quis à te, quod petierit non habebit? Certe nullus, nisi qui se miserum non recognoscit: quia non subest tuo regimini nisi miser. Aut etiam si se cognoscit miserum, de tua misericordia non cõfidit? Illi ergo paueant soli, qui se existimant esse iustos, & superbi præsumptuosi, qui tuo regimini non subsistunt, & illi miseri, qui tuam misericordiam non requirunt. Nos ergo miseri tecum de cetero consolemur, tecum amodo Domina habitemus, demum totis visceribus amplectamur: quia tu es vita. Vita vere, quæ mortem superbię vicisti: quæ nobis vitam gratiæ impetrasti, vitam gloriæ genuisti. Et non est dubium, quod vitam naturæ multis reddidisti. O vita mirabilis, quæ mortuos viuificare conaris! Per te ô Domina à priuatione est homo regressus ad habitum. ô vita mortem non timens, mortem expellens, mortales immortales constituens! ô certe vita amabilis, vita desiderabilis, vita delectabilis! ô vita non senescens, sed potius senes ad iuuentutem reducens! ô vita carnales vitas ad nihilum redigens, & abhorrens! ô vita, quæ nutris cœlestibus alimentis! ô vita certe contraria vitæ mundi! Qui enim vult te habere se affligat, delitias respuat, delicata quæque contemnat, & qui amplius mortificatus fuerit, amplius te possidebit. ô vita diuina fortificans potestate scilicet impetratione diuina, diuina sapientia regulans, & diuina vegetans bonitate. Si vita mea es, cur non semper in me es, cur non semper vegetas animam meam? Quis mihi tribuat, vt semper gaudeam beneficio huius vitæ? *Dulcedo*. Vera dulcedo, quæ amaritudinem peccati, veniã impetrando, expellis, quæ nobis

dulcedinem gratiæ, & vitæ acquiris, quæ ad suaues cœlestis patriæ contemplationes introducis. O dulcis Domina, cuius sola memoria affectum dulcorat, cuius meditatio magnificentiæ mentem eleuat, cuius pulchritudo oculum exhilarat, cuius amœnitatis immensitas cor meditantis inebriat! O Domina, quæ rapis corda dulcedine! Nonne cor meum Domina rapuisti, & vbi quæso posuisti illud, vt ipsum valeam inuenire? Numquid in sinu tuo, ne inueniam, collocasti? Numquid inter vbera tua posuisti illud? Fortasse ibi posuisti illud cor meum, vt quod friguerat tibi, calefiat. O raptrix cordium, quando mihi restitues cor meum? quare sic corda simplicium rapis? quare violentiam facis tuis amicis? Numquid semper vis ipsum tenere? Cum id à te postulo, mihi arrides, & statim tua dulcedine consopitus quiesco, & in me reuersus cum iterum postulo, me amplexaris dulcissima, & statim inebrior tui amore, & tunc cor meum non discerno, nec aliquid scio petere nisi tuū. Sed ex quo sic est cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, & in sanguine agni conserua, & in latere Filij colloca. Tunc assequar, quod intendo, tunc possidebo, quod spero, quia tu es spes nostra. Nonne Domina tu es regina, nonne tu es nostri Mater præmij, scilicet Christi, qui est præmium bonorum, & beatorum? Nonne tu es, quæ tantum nos exaltare desideras? Nonne plus sine comparatione nos diligis, ac bonum nostrum procuras amplius, quam mater carnalis? Si ergo nos vis facere gloriosos, immo quia vis, quis poterit te prohibere? Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domina. Certe qui sperant in te, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ, volabunt, & non deficient: current, & non laborabunt. Quis enim non sperabit in te, quæ etiam adiuuas desperantes? Et quis non sperabit in te, per quam exauditi sunt patrū preces, & eorū adimpleta sunt promissa? Quid potuerunt patriarchæ, & prophetæ desiderare, quod per te Domina non fuerint assecuti? Si antiqui hæc omnia habuerunt per te, quomodo nos, qui sumus vnici Filij tui sanguine redempti non habebimus, quod voluerimus postulare? Non dubito, quod si ad te venerimus, habebimus quod voluerimus. In te ergo speret, qui desperat, qui deficit ad te recurrat confidenter, ad te perueniat, qui vult aliquid impetrare, dicendo, *Salue.* Quid ergo de cetero à tui salutatione poterit nos prohibere, ex quo es vita dulcedo, & spes nostra? Quid ergo à tua reuerentia, ex quo es regina, nos poterit impedire? Et quid est, salutationem replicare, nisi tibi sine fine reuerētiam exhibere. Quid est salutare, & iterum salutare, nisi salutem, & salutis profectum à te Domina postulare? Quid salutamus, & iterum salutamus, nisi vt tam interius, quā exterius per te Domina salubriter custodiamur? Quid saluto, nisi quia vtrumque hominem tuæ reuerentiæ expono? Quare te salutaui, nisi vt te haberem? Quare iterum te salutaui, nisi vt per te Filium tuum possiderem? Quare te salutaui, nisi vt redderem te attentam ad vota mea? Et iterum quare te saluto, nisi vt bene suscipias, & perficias ipsa vota mea? Aut certe primo te volumus salutare, vt te commendemus, secundo vt post hanc miseriā, Filij tui gloria gaudeamus. Primo est Domina salutata, vt per te gratia impetretur. Secundo, vt per te ad gloriā perueniatur. *Ad te,* ad te vere, quia tu sola Dominum genuisti, tu sola interemisti vniuersam hæreticam prauitatem. Tu sola es Domina regni, tu sola es gubernatio præmij. Ad te matrem misericordiæ, matrem certe quæ lauas nos à fæcibus peccatorum, quæ nos consolaris in cunabulis vagientes paruulos esuriētes lactas, cuius brachijs sustentamur deficientes. Tu vere consolidas vulneratos, ad salutem perducis ægrotos. Et non solum mater, sed etiam medicina facta es miserorum, quæ es Domina Angelorum. Ad te certe, quæ non derelinquis delinquentes, quæ non respuis fugientes, quæ blandimentis nos allicis, delitiis nos foues, & nutris. *Ad te clamamus.* Quomodo non clamaremus, qui vulnera sustinemus, plagas sentimus: quia inimicis vndique circumdamur? Clamamus angustiati, miseriis infinitis oppressi, clamamus cordis anxietate, stomachi vacuitate, doloris acerbitate. Aut forte erga te amoris immensitate clamamus, ne somnolentia tibi erga nos inducatur. Quare enim obdormis Domina? Surge, & adiuua nos. Clamamus etiam, vt nostram tibi manifestemus miseriam: quia clamare necessitas nos compellit. Et etiam ad te clamamus, vt te ad compassionem amplius moneamus. Propter hunc clamorem raucæ factæ sunt fauces meæ. Quid ergo amplius moraris? Quid affligi nos permittis? Si ergo multum tardaueris, & vocem clamando amisero, ad te amplius clamare nequibo. Et heu mihi, quid tunc faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire? Quid faciam Domina, cum à te fuero penitus destitutus, cum tua vbera non poteris ministrare? Cito Domina subuenias clamanti, ne in manibus subiiciar inimici. Curre, festina Domina, & tuum nequissimum seruum ac infidelissimum ad te clamantem parcendo adiuua, & eripe de manibus inimici, & periculis tui hostis. Si aliud ô Domina te allicere non deberet, nisi quia tuus hostis audet tuos seruos fraudulenter inuadere, deberes ad nos quantocyus festinare. Curre, & libera nos Domina propter suam superbiam comprimēdam. Curre, ne inimici tui dominentur in nobis clientulis. Curre ne dicant, vbi est Deus eorum, de cuius clementia confidebant. Nec mireris Domina, si clamamus: quia sumus à te nimium elongati in regionem longinquam: dissipauimus partem nostram, quasi diceretur: Si prope essemus, planius possemus loqui: & ideo quia longe sumus, clamamus exules: exules à patria, exules à visione diuina: & vtinam non exules à gratia, exules à consolatione materna. O anima, cur non es potius separata à corpore, quam à tua Domina? Exaltata es à Christo capite, & quomodo potes misera sine capite ambulare? Nonne ambulare sine capite monstruosum est? Heu mihi, cur in tam longum exilium relegatus sum? Quomodo vel quando videbo Deū Saluatorem meum, aut quādo potero saltem Dominam meam intueri? Non dubito Domina, quod si ad te tamquam exules clamauerimus corde, te & tuum Filium plene possidebimus. Cur ergo volumus hic quiescere? Cur ad patriam non anhelamus? cur non affectamus matrem dulcissimam amplexari? Quare non desideramus secū cum Filio suo commorari? O Domina, dum hic sumus, exules constituas nos, ne etiam tamquam in patria confidentes quærere te, & Filium tuum desistamus. Sic tamen constituas exules in corpore, vt hic tecum simus ciues in mente. *Filij Euæ.* Vere filij Euæ, quia superbi, & præsumptuosi: vere filij Euæ, quia ambitiosi, & auari, saltem scientia, & vtinam non re aliena, gulosi, carnales, & inobedientes, & breuiter in omnibus ipsam Euam sequentes, & promptissimi ad malum, difficilesq; ad bonum. Et si contingat aliquem filiū bonorum operum generare, cum quadam cordis tristitia, & dolore parturimus, sed malum cum gaudio perpetramus. Nec nobis sufficiunt mala nostra, sed sicut Eua Adam, ita nos alios maculamus ad malum. Et etiam sicut ipsa excusabat se, ita, & nos in defectibus nostris excusamus, aut saltem si possumus in alios retorquemus. Tædet nos vesci ligno vitæ, & in cruce Dominum contemplari, & manus ad lignum prohibitum applicamus. Non curamus per contemplationē paradisi delitiis consolari, sed potius volumus in peccatorum fæcibus habitare. Plus enim placet nobis in multo labore, & sudore vilia agere, & acquirere, quam Dominum gloriæ degustare. Nisi enim Domina nos adiuuisses, fortasse iam ad inferni profundissima venissemus. Nec enim est, quod nos possit excusare, quia non te, sed Euam in omnibus imitamur. ac propter hoc Domina, *Ad te suspiramus.* Suspiramus autem de tam bonæ matris absentia, venire ad te Domina cupientes, suspiramus ad te, tuum Filium affectantes. Suspiramus ad te, tamquam paruuli ad tua vbera anhelātes, suspiramus ad te desiderio tui, suspiramus, & amore nostro. Nullus enim nisi tuus amor, quo erga te sumus Domina inebriati intrinsecus, cogit nos ad te Domina suspirare.

Psal. 9. b — Psal. 43. d — Psal. 68. a — Psalm. 78. c — Luc. 15. — Iob 19. d

suspirare. Quis enim non te diligit reparatricem omnium, amoris caminum, pulchriorem sole, dulciorem melle, bonitatis thesaurum, honestatis speculum, omnis sanctitatis exemplum? Omnibus es amabilis, omnibus es affabilis, omnibus delectabilis. Sedes es sapientiæ, fluuius clementiæ, radius Deitatis, nec est qui se abscondat à calore tuo. Quis ergo ad te non suspirabit? Amore etiam suspiramus, & dolore: vndique namque nos angustiæ premunt. Quomodo ergo nunc non suspiramus ad te, quæ solatium es miserorum, refugium expulsorum, liberatio captiuorum, medicina infirmorum, mater paruulorum, sponsa adultorum, regina bellatorum, Domina vniuersorum, & etiam inimicorum, nec est qui tuæ voluntati valeat obuiare? Sic afflicti, sic miseri ad te talem Dominam suspiramus, gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Tu Domina nonne vides quomodo, & qualiter sumus amaritudine pleni? Intus sumus gementes, & exterius flentes in loco lacrymoso iacentes. Onerati peccatis gemimus, aggrauati molestiis flemus, abundantes miseriis in valle lacrymarum sumus. Gemimus sauciati, flemus spoliati, in valle lacrymarum sumus destituti. Gemimus Solem iustitiæ non videntes, flemus inimicis nostris seruientes, in valle lacrymarum sumus tuum auxilium implorantes. Hæc est certe vallis lacrymarum, ad quam omnia lacrymabilia fluunt, gemebunda decurrunt, flebilia ruunt. Ad hanc vallem fluxerunt dæmones infernorum, peccatum protoplastorum, miseriæ antiquorum. Quid autem amplius dicam? Non sufficio, nec scio huius vallis detestabilia enarrare. *Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* O laudabilis clementia Creatoris, quæ sic afflictis tam nobile, & laudabile subsidium dignatur elargiri! O certe Dei nostri mira benignitas, qui suis reis te Dominam tribuit aduocatam, vt à Filio tuo inter nos, & ipsum iudicē cōstituta, quod volueris pro nobis valeas impetrare! Nec enim dubium est, quod nostra culpa iuste dānabat, quos conseruat tuæ aduocatio pietatis. O mirabilis erga nos misericordia Dei nostri, qui ne alias fugeremus pro sententia, non solum dignatus est communicare se nobis in iudicem, vt esset Deus, & homo IESVS Christus, à quo debet sentētia promulgari: sed voluit ipse sua viscera misericordiæ matrem suam Dominam gratiæ, nostram instituere aduocatam. Et ideo non timendum est, quin misercaris miseris, & ad illam partem inclines sententiam, quam defendis, & nobis exhibeas gloriam, quam causaris. Scio bene, quod post sententiam non est appellatio ad maiorem: quia, & si iudex sit homo tuus Filius, est tamen, & Deus Filius Dei Patris. Non enim video Domina, quomodo aliquid tibi valeat denegare, qui vult, vt per te cœlestem patriam habeamus. Hoc est enim quod cupit Deus noster, hoc est quod desiderat, hoc est pro quo te matrem constituit aduocatam. Non ergo restat Domina, nisi vt illos tuos misericordes oculos ad nos conuertas. *Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Non enim dubito, quod si nostras aspexeris miserias, non poterit tua miseratio suum retardare officium. Mirabiles, necnon, & amabiles tuorum radij oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam Domina salutem venenatos oculos eruis basilici. O Euæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, si vultis perfectam recipere medicinam! Nam suorum claritas oculorum vmbras expellit, effugat cateruas dæmonum purgat vitia mentium, corda congelata succendit, demum ad cęlestia trahit. O Domina, quā beati sunt, quos viderint oculi tui! Hos ergo oculos ad nos conuerte. *Et* IESVM *benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* O venter mirabilis, qui potuit capere Creatorem! O venter laudabilis, qui meruit recipere Redemptorem! ô venter desiderabilis qui emanauit desiderium mentium, gratiarum fluuium, gloriæ præmium! ô venter, non venter, sed cœlum empyreum. In hoc ventre fuit pretium perditorum, felicitas beatorum, Deus Angelorum! ô beatus venter! ô beata viscera! ô beata vbera! ô Domina nostra! ô fons pietatis, locus sanctitatis, flumen bonitatis, venter tuus Domina! ô felix venter, qui solem genuisti, mundum reparasti, patriam recuperasti! ô quam pretiosus venter, qui portauit medicinam infirmis, vitam mortuis, & paradisum iustis! O venter eburneus, & sedes sapientiæ! ô venter tornatilis, & celsitudo gloriæ! ô venter amabilis, & dulcedo animæ! ô eleuatio mentium, inebriatio cordium, suauitas peccatorum, fructus tuus Domina! hic est vere fructus beatus à principio sui ortus: hic est IESVS Filius Dei viui, hic est Saluator noster Dominus Deus noster. Hunc IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende benignum: vt ipsum videndo, ipsum habeamus: ipsum habendo, ipso perfruamur. ô clemens indigentibus! ô pia exorantibus! ô dulcis diligentibus! ô clemens pœnitentibus! ô pia proficientibus! ô dulcis contemplantibus! ô clemens laborando! ô pia largiendo! ô dulcis te donando! ô clemens consolando! ô pia blandiendo! ô dulcis osculando! O clemens in effectu! ô pia in affectu! ô dulcis in affatu! O clemens in conceptu! pia in aspectu, dulcis in amplexu, dulcis in amore rectis, clemens in subiectis, pia in correctis, & dulcis in dilectis. O clemens, ô pia, ô dulcis Maria. Amen.

CAPVT XX.

De statu beatorum in cœlesti Hierusalem.

AD contemplandum quietem omnium, de cælesti Hierusalem aliquid balbutiendo prorumpam. Nā locus est altissimus, splendidissimus, latissimus, & firmissimus. Societas est nobilissima, speciosissima, benignissima, purissima, incessabilissima idest, nunquā cessabit, nec remittetur. Ibi habebimus Dominum potentissimum, excellentissimum, iustissimum, & liberalissimum, Patrem nobilissimum. ditissimum, prouidentissimum, & piissimum, fratrem simillimum curialissimum, sapientissimum, & optimum, sponsum pulcherrimum, singulariter summum, suauissimum, & amore feruentissimum. Quantum ad nos, erit ibi aperta visio, firma tentio, consummata dilectio, continua laudatio, reuerentia profundissima, admiratio altissima, exultatio sanctissima, & deuotio intima: & in corpore erit agilitas, claritas, subtilitas, & impassibilitas. Ex prædictis omnibus consurget fruitio perfectissima, satietas sufficientissima, sobrietas sobriissima, voluptas pudicissima, cordialis diffusio, iucundissima amplexio, seu complexio, medullaris transformatio, centralis quietatio. omnis amœnitas, omnis suauitas, omnis securitas, & omnis libertas: quia liberi erimus ab omni iniuria, violentia, culpa, & miseria Et sic absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra: quia prima transierunt vt veritas in Apocalypsi testatur. Felices lacrymæ, quas manus Conditoris absterget. Et ideo veritas per Isaiam dicit: Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si mater blandiatur Filio, ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini. Et quoniam tantum gaudebimus de bono alterius, quantum diligimus eum: & ibi vere diligemus omnes alios, sicut, & nos, & Deum perfectissime plusquam nosmetipsos: ideo multiplicabitur gaudium nostrum secundum inæstimabilem numerum Angelorum, & sanctorum, de quorum gaudio gaudebimus sicut de nostro. Et plus sine comparatione gaudebimus de immensitate diuinæ potentiæ, sapientię, & bonitatis: quam de felicitate nostra. Et quia istud est excessiuum, sic absorbebimur gaudio de felicitate diuina, & intrabimus in gaudium Domini intus, & foris vndique absorpti, & circumdati gaudio excessiuo. Nec mirum. quia plus sine comparatione nos diligit Deus, quā nosipsi nos, & ideo sine comparatione plus dabit nobis gaudij & lætitiæ, quam sciremus aut possemus petere vel appetere. Sic ergo abundabimus, & superabundabimus gaudio: quia diligentes, & quia dilecti, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ pręparasti diligentibus te. Immo non solum cor hominis viatoris,

Psal. 18. b

Apoc. 7. d 21. b

Isa. 66. d

Isa. 64. a & 1. Cor. 2. c

viatoris, sed nec etiam comprehensoris, aut alicuius Angeli potest aut poterit illud bonum infinitum, & gaudiũ nobis paratum, & oblatum comprehendere. Sic ergo intrabimus in gaudium Domini nostri. Gaudens ergo gaudebo in Domino semper, & ei de tantis beneficiis gratias exhibebo. Gaudebunt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea quam sic nobiliter seipso redemit. Lauda ergo Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, immo laudent eum cœli, & terra, mare, & omnia quæ in eis sunt. Iam super omnes vicos Hierusalem halleluia dicamus. Lauda ergo anima mea Dominum, laudabo Deum meum in vita mea, & illum mecum laudet omnis creatura. Amen.

Psal. 70. d · *Psal. 147. a* · *Psal. 68. d* · *Tob. 13. d* · *Psal. 145. a*

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur, AMATORIVM.

Prologus huius Opusculi satis docet Auctoris scopum, qui propositis beneficiis, quibus homo à Deo est affectus, eumdem allicit ad Dei amorem: ideoque Amatorium hoc inscribitur opusculum. Quod quia ex variis Auctorum locis constituitur, non sine magno labore suo pristino nitori quantum fieri potuit, restitutum est, conquisitis locis eorum, qui citantur. Erant enim antea in eo multa perturbata, tum quia vni Auctori ascribebatur, quod alterius erat: id quod ex indiligentia prouenit impressorũ, qui appositos econtra in margine Auctores, vt se fecisse S. Bonauentura in prologo scribit, intra textum præpostere collocarunt. Tum quia marginales notationes ex incuria itidem in textum irrepserunt, quæ omnino sententiam peruertebant: quibus eliminatis, & Auctoribus econtra in margine debito loco appositis textus integer est redditus.

PROLOGVS.

PRÆSENS opusculum, qui legerit, intentionem esse sciat opificis, quasdam sanctorum auctoritates sub continuatione ordinare studuisse, eorundem nominib. econtra in margine intitulatis, quæ animum legentis vel audientis, ad amorem sui Conditoris efficacius debeant inclinare, sumpta primitus materia de excellentia primę conditionis, homini collata, consilio totius sanctæ Trinitatis, & opere Maiestatis diuinæ. Deinde hominem alloquitur solum, ostendens ei, & astruens, homines ceteros non tantum ac vniuersa ad obsequium ipsius, & solamen condita vel creata: immo, & amoris priuilegio singularis, speciali ei munere data. Prosequitur deinde consequenter, tam necessitatem, quam piam liberalitatem incarnationis Christi, & passionis pro homine: quæ duo potissimum ingratitudinem expellunt, & cor humanum efficacius ad amorem sui Conditoris inducunt. Ex quibus quatuor præmissis, dignitate videlicet primæ creationis, priuilegio singularis amoris, dignitate piæ redemptionis, peccator meditando in se reuersus, plerumque compungitur, & abiecto quidquid mundanum sapit, totus ad Christum conuertitur, quem sui totius non ignorat auctorem, & benefactorem, & omnium bonorum largitorem. Et fit, vt tanto plus per humilem satisfactionem Deo fiat propinquus, quanto per inobedientiam prius ab eo extitit alienus. Et hoc quidem fuit principale intentum in hoc opere, vt ex recognitione beneficiorum Dei circa homines, & amoris, alter ad alterum quasi confabulando degenerem se agnosceret, pro ingratitudine suá, filiali potius quam seruili contritione compunctus, tam pium patrem, tam ingratus filius se excitaret filialiter ad amandum. Ratio ergo intentionis opificis, hominem sui Creatoris prouocare satagens ad amorem, præsenti labori Amatorium nomen imponit.

AMATORIVM.

AD te sermo meus dirigitur, quisquis primæ conditionis tuæ dignitatem ignorans, tuæ reformationis laborem, & pretium non attendis: vt consideratione tantæ dignitatis, & dignationis tantæ, tam beneficum Deum, tam benignum Dominum, mutuo intuitu discamus pariter amare, cui pro vniuersis suis beneficiis semper hucusque indeuoti fuimus, & ingrati.

Anselmus. In primis igitur te admoneo, vt sine intermissione recorderis, quam dulcis, & quam bonus sit erga te Creator tuus, quanta bonitas eius fuit, quod te cum non esses, creauit, & quod te non pecus aut creaturam insensibilem, sed etiam creaturam fecit, qua eum posses intelligere, amare, & cum eo suam æternitatem, æterna, & felix possidere. Et quod intantum te dilexit vt cum multa cõtra suam voluntatem acturam sciret, voluit te tamen facere, & esse. Et quod tecum tanta mansuetudine, vt pius, & misericors adhuc patitur, expectans tuam emendationem, quia nullo modo te cupit perdere, sed adhuc te patitur viuere, adhuc tibi ea, quæ sunt necessaria ad sustentationem huius vitæ, non desinit ministrare. Et sicut rebus ipsis experiri potes peccatis tuis non potes eius bonitatem vincere, ne adhuc te velit sicut promeruisti, confundere, vel ex toto destruere. Certissimum est ergo illũ pium esse erga te, qui tanta bona tibi largitur, nec adhuc de tuis iniquitatibus se quærit vindicare. Prętcrea de eius benignitate adhuc cogita. Vt autem communia replicem: quot sunt membra in corpore, tot beneficia inuenies magna, & pro minimo membro plus debes amare Deum, quam multi amant eum, pro cunctis beneficiis, quæ ab eo recipiunt. Si quis amisisset oculum, quantum amaret eum, qui sibi illum restitueret? Et si quis meruisset amittere eum, quantum amaret illum, qui sibi oculũ conseruaret? Nec minus amandus, qui eum ab initio dedit, & qui datum conseruauit, cum multoties vtendo eũ contra Deum amittere meruit. Quod dixi de oculo, de ceteris membris cogita. Si vero tantum amandus est, qui dedit corpus, quantum amandus est, qui dedit animam, quæ in infinitum melior est corpore? Quæ si amisisset vsum rationis, quantum amares illum, qui illum restitueret? Quantum ergo amãdus est, qui tibi rationem dedit? Item. Quantum amandus est ille, qui mirabiliter corpus, & animam coniunxit, & hanc coniunctionem tibi seruauit, cum peccando mortem multoties meruisses?

Augustinus. Cogita igitur, & recogita, tantam erga tui Creatoris benignitatem, & erige te sicut erectus es, & omnes sensus tuos ad eius ineffabilem dilectionẽ. Nihil enim iustius, nihil salubrius, nihil vtilius, & dulcius, quam quod ex toto homo diligat, quem sui totius nouerit non solum auctorem, sed, & conseruatorem. Si vero naturaliter amat filius patrem, à quo habet corpus quanto magis Deũ amabit, qui corpus eius, & animam ex nihilo fecit?

Augustinus. Et si amandus est genitor, tamen præponendus est Creator.

Bern. de diligendo Deo ante med. Vt quid non amaret opus artificem, cum haberet vnde id posset? Et cur non quantum omnino posset, cum nihil omnino nisi eius munere posset?

Idem in Cãt. serm. 20. in princ. Valde igitur mihi amandus est, per quem sum, viuo, & sapio.

Idem in Ps. Qui habitat. ser. 14. statim à princ. Parum ne videtur tibi hoc? Cogita qualem te fecit. Nempe secundum corpus egregiam creaturam: secundum animam magis, imagine Creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis æternæ capacem. Porro cohærere sibi fecit artificio incomprehensibili, sapientia inuestigabili. Nec tamen ante promeruit, qui ante non fuit. Nec spes retributionis fuit, quoniam bonorum nostrorum non eget.

Idem ser. 51. sup. Cant. cir. med. Disce igitur in referendo gratiam, non esse tardus aut segnis. Disce ad singula dona gratias agere. Diligenter

considera

considera, quæ tibi apponuntur. nulla Dei dona gratiarũ actione frustrentur.

Aug. lib. de spir. & ani. c. 35. to. 3. Tanta namque dignitas conditionis humanæ esse cognoscitur, vt non solo iubentis sermone, vt alia sex dierum opera, sed consilia sanctæ Trinitatis, & opere Maiestatis diuinæ creatus sit homo: vt ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum suo Conditori deberet: dum tantum in conditione mox dignitatis priuilegium præstitit ei Conditor, vt tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo conditum esse intelligeret. *Gen. 1. d* Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Nec hoc solum, quod sanctæ Trinitatis consilio, sic ab excellentia Conditoris conditus est: sed etiam quod ad imaginem & similitudinem suam ipse Creator omnium, eum creauit, quod nulli alij ex creaturis donauit. Quæ imago diligentius est ex interioris hominis nobilitate consideranda. Primo siquidem vt sicuti Deus vnus semper vbique totus est omnia viuificans, mouens, & gubernans, quia in eo viuimus, mouemur: & sumus: *Act. 17. f* sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens & gubernans. Neque enim in maioribus sui corporis membris maior, & in minoribus minor, sed in minimis tota est, & in maximis tota. *Et infra eodem.* Et hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ etiam sanctæ Trinitatis quandam habet similitudinem. Primo in eo, quia sicut Deus est, viuit, & sapit: ita anima secundum suum modum est, viuit, & sapit. Est quoque in anima similitudo Trinitatis, in eo quod ad imaginem sui Conditoris perfectæ, scilicet & summæ Trinitatis, quæ est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, condita est. Et licet vnius naturæ sit illa, tres tamen dignitates habes, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam: sine quibus anima perfecta esse non potest. Quod idem, licet alijs verbis in Euangelio designatur, cum dicitur: *Matt. 22. d* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu tuo, & tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Imago est in substantia, similitudo in moribus. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus: ita per intellectum generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria, sicut facile à sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum triũ vnum aliquod quantum ad suam beatitudinem pertinet, sine alijs duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamẽ tres dij sunt, sed vnus habens tres personas: ita anima intellectus anima voluntas, anima memoria est: nec tres tamen animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates, atque in his tribus imaginem gerit eius mirabilem in sua natura noster interior homo. Ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Deum, vt inquantum intelligitur, diligatur: & inquantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit intellectus, nisi fiat voluntas in amore eius. Immo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mẽte intelligentis & diligentis maneat Deus, vt sicut nullũ potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate, & misericordia: ita nullum sit momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria. Et hæc habe de imagine. Nunc vero de similitudine aliqua intellige, quę in moribus credenda est. Vt sicut Deus qui hominem ad similitudinem suam creauit, charitas est, bonus & iustus, patiens & mitis, mundus & misericors, & cetera insignia virtutum suarum, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus esset & iustus, patiẽs ac mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quãto plus quisque in seipso habet, tanto propior est Deo, maiorem sui Conditoris similitudinem gerit. Si vero, quod absit, aliquis per deuia vitiorum & diuortia criminum, ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo, quod scriptum est: *Psal. 24. d* Homo cum in honore esset, non intellexit, &c. Quis maior honor potuit homini esse, quam quod ad similitudinem sui Factoris conderetur, & ijsdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & Conditor? Quod quidem nulli alij ex creaturis, nisi soli homini concessit. De quo legitur: *Psal. 92. a* Dominus regnauit, decorem indutus est, &c. id est, omnium splendore virtutum, & totius bonitatis decore ornatus. Vel, quod maius homini potest esse dedecus, vel infelicior miseria, quã, vt hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa, ad informẽ & irrationabilẽ brutorum animalium delabatur similitudinem? Quapropter ô homo diligentibus attende primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandam sanctæ Trinitatis imaginem in teipso cognosce, honoremq; similitudinis diuinæ, ad quam creatus es nobilitate morum, exercitio virtutum, & dignitate meritorum, habere contende: vt quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareas, qui te mirabiliter iam ad similitudinem suam in primo Adam condidit, & etiã mirabilius, vt infra patebit, in secũdo reformauit. In prima namque conditione gloria præuentus est & honore, in secunda pietate prosecutus est & amore, vt ingratitudinem tuam erubesceres, & ad Conditorem tuum amorem tuum totum conuerteres, qui tanto artificio vtebatur, vt nullum alium præter ipsum amares. In primo opere cõditionis tuæ de limo terrę plasmauit hominẽ Deus, *Gen. 1. d* & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Ecce qualis artifex, qualis vnitor rerum: ad cuius nutum sic conglutinantur sibi, limus terræ & spiritus vitæ. Limus quidem iã ante creatus erat, quando in principio Deus creauit cælum & terram. At spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari, quadam excellentia inspiratur.

Aug. de spir. & ani c. 14. cir. med. to. 3. Quem cum in hominem inspirasset, dedit ei sensum & intellectum, vt per sensum lutum sibi associatum viuificaret, & per intellectum regeret. Et vt per intellectum intus ingrederetur, & contemplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur, & cõtemplaretur opera sapientiæ: intellectu intus illustrauit, sensu foras decorauit, vt in vtroque refectionem inueniret, intus ad felicitatẽ, foris ad iucunditatem. Sed quia bona exteriora diu stare non possunt, iussus est homo ab exterioribus ad interiora redire, ab inferioribus ad superna ascendere. Tantæ siquidem dignitatis est humana conditio, vt nullum bonum præter summum ei sufficere possit.

Ber. ser. 2. in Natal Dom. non longe à prin sparsim. Agnosce igitur ô homo dignitatẽ tuam, agnosce gloriã conditionis tuæ. Est & tibi de mundo corpus, sed tibi sublimius est aliquid, nec omnino cõparandum ceteris creaturis. Cõpacta & confœderata sunt in te caro & anima, illa plasmata, hęc inspirata. Quis non videat, quantũ corpori præstat anima? Nunquid nõ truncus esset insensibilis, caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementũ, ab anima claritas visus, & sonus vocis. Deniq; sensus omnis ab anima est, & per sensus progreditur, ad corpus mouendum & viuificandum.

Aug. ibid vbi supra pro. ca. 9. Cuius duplex est vita, alia qua viuit in carne, alia qua viuit in Deo. Duo siquidem sunt sensus in homine, vnus interior, & alter exterior, & vterque bonum suum habet, in quo reficiatur. Sensus interior reficitur in cõtemplatione diuinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus homo factus est, vt totum hominem in se beatificaret, & tota conuersio hominis esset ad ipsum, & tota dilectio esset in illo: cũ à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mẽtis per diuinitatis contemplationẽ. Hoc erat totum bonum hominis, vt siue ingrederetur, siue egrederetur, pascua in factore suo inueniret. *Ioan. 10. b* Pascua foris in carne Saluatoris: pascua intus in diuinitate Creatoris. Sed heu hoc magnum bonum secutum est malum, quoniam perdito bono quod intus erat egressa est anima ad bona aliena, quę foris erant: & pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens super illas, non attendens absentiam boni sui interioris, eo quod consolationes suas cerneret in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo vtitur, interior sensus mentis quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui iucunditate

exteriorum bonorum capitur. Nam qui carne viuit, in carne sentit, & dolores carnis fugit, inquantum potest: vulnera autē animæ prorsus ignorat, nec medicinā quærit in eis. Cū autem mortuus fuerit sensus animæ, quo viuit in carne, tunc viuificari incipiet sensus ille, quo sentit semetipsum. Et tunc sciet dolores suos, & sentire incipiet vulnera sua, tanto grauius, quāto propius. Sic enim ad intellectum reuocata à corruptione carnalium affectionum se studet mūdare, & ad naturam propriam qua Deum suum, qui eum possedit, fecit, & creauit, agnosceret, seipsam incitare, intelligens, quod vita ipsius dilectio est.

Hug. de arrha ani. in prin. fere.

Vnde scire potes homo & intelligere, quod vita animæ tuæ dilectio est, & quod sine dilectione esse non potest, eo quod vita ipsius est.

Greg. li. 26. Mor. c. 28. cir. med.

Cum anima ad solum Deum appetendum sit creata, iure ei nihil sufficit, quod Deus non sit.

Hug. de arrha ani. non longe à prin sparsim.

Restat igitur, vt verum amorem tuum in melius mutare studeas, eo quod in temporalibus & mundanis verus & permanens amor non est: quibus animę palatus infatuatur, ne sentiat amorem per desiderium, nec suauitatem per dulcedinem Conditoris sui. Non enim dubito, quin multis iam experimentis didicisti, fallacem esse, & fugacem amorem huius sæculi, quem semper vel cū perit id quod tibi elegeris, perdere, vel cū aliud quod magis placet, superuenerit, cogeris mutare. Sic desiderijs intus fluctuas, dum nec sine amore esse potes nec verum amorem inuenis. Idcirco quasi in exilio erras, quia dum traheris per concupiscentias temporalium amorem non inuenis æternorum. O si teipsum suspiceres, ô si animam tuam videres: quæ specie sua omnium visibilium decorē & pulchritudinem vincit, agnosceres certe, quāta reprehensione dignus fueris, cum aliquid extra te amore tuo dignum existimabas. Ideo tibi iniuriam facis, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore tuo digna non sunt, in societatem dilectionis admittis. Nunc vero quia faciem tuam, & speciem vultus tui, quę in anima est, qualis sit contemplari non potes, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur, affectum dilectionis extēdis. Præsertim, quia amor nūquam solitarius esse patitur, quia & in hoc ipso iam quodammodo amor esse desinit, si in alterum parilitatis consortem, vim dilectionis non diffundit. Scire tamen debes, quod idcirco vis dilectionis non extinguitur, si à rebus abiectis & vilibus appetitus eius cohibeatur. Immo ille magis sibi iniuriam facit, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore suo digna non sunt, in societatem dilectionis admittit. Primum igitur necesse est, vt teipsum consideres, & cum cognoueris dignitatem tuam, quam proposui superius immo & illam, quæ patet inferius, ne iniuriam facias amori tuo, abiectiora te non ames. Nam & ea, quæ per se considerata pulchra sunt, pulchrioribus cōparata, vilescunt. Non vis habere amorem solitarium, nec enim potes, noli tamen habere prostitutum. Quæras ergo vnicum, quæras & vnice dilectū Scis enim quia amor ignis est, & ignis quidem fomētum quærit. Sed caue, ne inijcias quod fumū potius aut fœtorem ministrat. Ea vis amoris est, vt talem te esse necesse sit, quale est illud quod amas, & cui per affectum contigeris in ipsius similitudinem, ipsa quodammodo dilectionis societate transformeris. Similitudo namque causa est amoris. Tuæ igitur pulchritudinem animę attende & intelliges, qualem debeas pulchritudinem diligere. Sponsum habet, sed nescit: pulcherrimus est omnium, sed faciem eius nondum vidit. Ille eam vidit, quia nisi eā vidisset, non eam diligeret. Sed vidit, quia eam creauit, quæ ipsius amore digna foret: Noluit adhuc seipsum ei præsentare sed munera misit arrham dedit, pignus amoris signum dilectionis. Si cognoscere illum posset, speciē eius videret, nō amplius de sua pulchritudine dubitaret. Sciret enim quod tam pulcher, tam formosus, tam elegans tam vnicus in suo affectu captus non esset, nisi eum singularis decor, & vltra ceteros admirandus traheret Nunc videre illam non potest, qui absens est. & ideo nō timet, neque erubescit illi iniuriam facere, quia singularem eius amorem, & amorem conculcat. Si vero adhuc scire non potest qualis ille sit qui eam diligit, consideret saltem arrham, quam dedit. Fortassis in ipso munere eius quod penes eam est, poterit agnoscere quo affectu eum diligere, quo studio & diligentia, se illi debeat conseruare. Insignis est arrha eius, nobile donum eius, quia nec magnū, decuit, vt parua daret, nec pro paruo sapiens magna dedisset. Magnum ergo est quod illi dedit, sed maius est quod in ipsa diligit. Respice vniuersum mundum istum, & cōsidera si aliquid in eo sit, quod tibi ob causam amoris illius non seruiat. Omnia propterea facta sunt, vt seruiant homini. Omnis natura ad hunc finem cursum suū dirigit, vt obsequijs tuis famuletur, & vtilitati deseruiat, tuisque oblectamentis pariter & necessitatibus, secundū affluentiam indeficiētem occurrat. Hoc cælum, hoc terra, hoc aer, hoc maria, cum eis, quæ in eis sunt vniuersis, explere nō cessant. Hoc circuitus temporum, annuis innouationibus, & rediuiuis partubus, antiqua innouans, dilapsa reformans, cōsumpta restaurans, pastu perpetuo subministrat. Quis ergo putas hoc instituit, quis hæc naturæ præcepit, vt sic vno consensu tibi seruiat? Beneficiū accipis, & auctorem eius non cognoscis. Donum in manifesto est, largitor occultus. Et tamen ipsa te ratio dubitare non sinit, hoc tuum non esse debitum, sed beneficiū alienum. Multum igitur tibi contulit, qui hoc totum & tantum, & tibi dedit. Multo ergo diligendus est, qui tantum dare potuit: & qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum ergo diligens & tantum diligendus, dono suo demonstrat, vt quam stultum esse amorem tam potentis non vltro concupiscere, tam impium sit atque peruersum, tam diligentem nō amare. Vide ergo quid agis, cum in hoc mundo amari, & amare concupiscis. Totus mundus tibi subiectus est, & tu, non dico totum mundum, sed nescio quam aliam mundi portiunculam, quæ nec specie pulchra, nec vtilitate necessaria, nec quantitate magna, nec bonitate optima antecedat, in societatem tui amoris admittere non aspernaris. Certe si hæc diligis, vt subiecta dilige, vt famulantia dilige, vt munera amici, vt beneficia Domini. Sic tamen vt semper memineris, quid ibi debeas: nec ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum, & supra ista illum diligas.

Aug. de ciui. Dei.

Quia amor quo aliquis amat Deum propter temporalia, contumeliosus est Deo. Temporalia qui sic amant, præferūt ei Propter quod enim vnumquodque amatur, illud magis amatur. Vnde boni ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo. Mali autem ècontra, vt fruantur mūdo, vti volunt Deo. Vti namque est, quod in vsum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est: alias abuti est.

Hug. vbi sup. longe à prin.

Non ergo munera dantis, plus quam amantis affectum diligas. Maiorem charitati eius iniuriam facis, si dona illius accipis & tamen vicissitudinē dilectionis nō rependis. Aut dona illius si potes respue, vel si dona respuere non potes, vicissitudinem amoris repende. Dilige illū, dilige te propter illū, dilige dona illius propter illū. Dilige illum, vt fruaris illo, dilige te, vt diligaris ab illo.

August.

Ex hoc enim diliges te, quod diligis Deum ex toto te.

Hugo. ibid.

Dilige in donis illius, quod data sunt ab illo. Illum tibi, & te illi dilige: dona illius ab illo tibi, propter te.

Bernardus.

Anima temporalia amans quasi inquinata, indigna est Dei amore.

Aug. Soliloq. lib. 1. c. 13. statim à prin. to. 1.

Si alicuius pulchræ feminæ flagrares amore iure se tibi nō daret, si aliud quidquam præter se à te amari comperisset. Sic qui in bonis temporalibus amorem suum ponit, Dei amore indignus est.

Anselmus.

Amor illius nullam vitiorum patitur fœditatem nullam consentit secum esse carnalium desideriorum voluptatum. Dicis mihi forte.

Hug. vbi supra ante med.

Cum superius dixeris, non solum vnicum, sed vnice electum esse debere amorem, id est, in solum dilecto, & solum diligendo constitutum, eo quod perfecte laudabilis amor non sit, si vel alter cum solo diligitur, vel qui summe diligendus non solus amatur. Ecce ego vnice dilectum, & vnice electum diligo: sed hanc huius dilectionis meæ

nis meæ iniuriam patior, quod solus diligens, solus non amor. Nam hanc dilectionis eius arrham, quam mihi obijcis, quot sunt, vel certe quales sunt, cum quibus hæc mihi communis est, tu ipse agnoscis. Quomodo igitur de priuilegio singulari potero gloriari, qui hoc quod tam magnum asseris, non dicam cum bestialibus, sed & cum ipsis bestijs cõmune accepi? Quid mihi lux solis amplius confert, quam reptilibus & vermibus terræ? Omnia similiter viuũt, omnia spirant, idem pastus, idem potus omnium. Non ita satis congrue diligendum singulariter probas, si non & ipsum quoque vel in aliquo singulariter dilexisse demonstras. Ad quod respondeo. Tria quædam sunt, in quibus id, quod te mouet inuenis. Discerne, quæ dona à Deo tuo accepisti. Alia communiter, alia specialiter, alia singulariter data sunt. Communiter data sunt, quę omnibus propter te tecum seruiunt. Specialiter vero data sunt, quæ multis non tamen omnibus propter te tecum concessa sunt. Singulariter data sunt, quæ tibi soli sunt data. Nunquid ideo minus te diligit, quia quædam dona sua tecum simul cum omnibus concessa? Nunquid feliciorem te fecisset, si tibi soli mũdum dedisset? Astrueris homo, quod omnia propter te singulariter facta sunt, & singulariter tibi data sunt? Ecce nõ sint creati homines super terram, non sint bestiæ, solus mundi diuitias possides. Vbi igitur illa grata, & vtilis societas humanæ conuersationis? vbi solatia? vbi oblectamenta quibus iã frueris? Vide igitur, quia & in hoc tibi multum cõtulit, quod hæc ad solamen tecum creauit. Si mundus iste & hæc omnia tibi seruiunt, quomodo etiam omnia ad obsequiũ tuum facta non sunt? Nunquid paterfamilias solus panem suum comedit? nunquid solus poculum suum bibit? nunquid solus vestimentis suis induitur? nunquid solus calefit igne suo? nunquid solus habitat in domo sua? Totum tamen non immeritò eius dicitur, quidquid habẽt ij, qui ei vel per dilectionem, vel per subiectionem famulantur. Siue igitur illa, quæ tibi seruiunt, siue illa, quę tibi seruiẽtibus necessaria sunt, omnia tibi data sunt, omnia tibi obsequia impendunt. Dicis adhuc forte. Tuæ rationes hoc persuaserunt, vt illa quoque singulariter mihi donata crederem, quæ in vsum seruientium mihi communiter donata viderem. Hinc doceor omnia, quibus vita irrationalium fouetur, meæ potius ditioni esse assignanda, propterea quod illa quoque, quę in his aluntur, in vsum meum sunt deputata. Priuilegium tamen singularis amoris exinde non astruitur, quia hoc non solum mihi, sed cunctis similiter hominibus, & multis vero amplius subiecta esse noscuntur. Est namque specialis quidã amor ad homines, quo quidem ipsi homines alijs creaturis, non autem ad inuicẽ amplius gloriari habent. Nam quod in assertione singularis amoris dicis, etiãmihi inter cetera donatam esse societatem hominũ, cum tã mea illis quam illorũ mihi donata sint, nihil in hoc singulare reperire possum. In qua societate non solum me lędit amissa gloria singularitatis, sed vilitas participationis. Quot enim increduli sunt, quot scelesti, quot impuri sunt, qui in societate similiter gloriari possũt? Sed te turbare non debet, quod in vsu rerum temporalium, eadem bonis & malis cõditio concessa est, nec idcirco eos similiter à Deo amari existimes, quia his omnibus tecum similiter communicare vides. Nam sicut bestiæ non propter se, sed propter homines creatæ sunt: ita mali homines non propter se, sed propter bonos viuunt. Et sicut vita eorum vtilitati bonorum deseruit: sic omne quo vita eorum alitur, dubium non est, quin ad ditionem bonorũ referendum sit. Idcirco autem mali inter bonos viuere permittuntur, vt societas illorum, bonorum vitam exerceat, quos & felicitate sua admonent potiora his, & quæ mali communicare nõ possunt, bona quęrere, & iniquitate sua cogunt arctius virtutem amare. Postremo, vt dũ illos diuina gratia destitutos vident, per quælibet abrupta vitiorum ruere, discant quantas pro sua salute debeant Creatori gratias referre. Ratio siquidem diuinæ dispensationis ad nostræ salutis augmentum, & glorificationis documentum hoc exigebat, vt sicut in vita bestiarum dicimus summam felicitatem non esse his vtentia quoque in vita malorum hominum discamus, non esse summam felicitatem his dominari. Similiter ergo bonis & malis ista concedi debuerunt, quia aliter boni potiora sibi seruari non crederent, nisi ista tam bonis, quam malis communia esse viderẽt. Nihil igitur ô homo amplius de societate aut felicitate malorum conquераris; immo multum tibi placeat, & amandum Creatorem tuum arctius hoc te excitet, eo quot sunt flagella Patris misericordiarum, erudientis filium suum ex amore paterno.

Omnis namque malus, aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum boni exerceantur.

Aug enarr. in Psal. 54. to. 8. Hugo vbi sup. non longe à med.

Nec idcirco in priuilegium singularis amoris tecum ascribendos putes, quia in vsu eos & dominio rerum trãseuntium socios habueris: quia etiam in hoc, sicut iam dixi, salūti tuæ proficiunt, quod istis tecum non tantum vti, sed & dominari possunt. Quid autem de societate bonorum dicam? Dixi autem societatem hominum dono tibi Creatoris esse concessam, vt inde solamen vitæ accipias, ne quadam solitaria & inerti vita destitutus, cõtabescas. Sicut igitur vita malorum tibi est exercitium, sic solamen est vita bonorum: qui certe tales sunt quos nec felicitatis tuæ participes, nec amoris tui debeas aspernari consortes. Nam si vere bonos diligis, quidquid illis beneficij impenditur, inde charitas, quæ in te est, non quasi de alieno, sed quasi de proprio gloriatur. Licet igitur beatum esset, isto amore vel solũ perfrui, multo beatius in ipso cum multorum bonorum congratulatione delectati: quia cum in eos, qui etiam comparticipant affectus dilectionis, expanditur charitatis gaudium, & suauitas ampliatur. Spiritualis namque amor tunc melius cuique fit singularis, quando omnibus est communis, nec participatione plurium minuitur, cuius fructus vnus, & idem totus in singulis reperitur: ac per hoc etiam singulariter diligit te, quia nil diligit sine te. Sic igitur singulis adest quasi omnibus, quia nec alium nec maiorem dilectionis affectũ singulis impenderent, si absque cunctorum participatione singulos amaret. Nihil ergo de priuilegio singularis amoris tui societas bonorum præscribit, quia amator tuus in omnibus diligit te, quia nihil diligit sine te. Non autẽ timeas animũ illius in amore plurium quasi per affectum distrahi, & idcirco minorẽ esse ad singulos, quod partitus quodammodo & diuisus videatur in cunctos. Ergo omnes vnum vnice diligant, vt omnes ab vno vnice diligantur. Quia nec alius præter vnum, vnice ab omnibus diligendus est, nec alius præter vnum, vnice omnes diligere potest. Omnes autem in vno se quasi vnum diligant, vt vnius dilectione vnum fiant. Iste amor vnicus est, non tamen priuatus: solus, non tamen solitarius: participatus, nec diuisus: communis, & singularis: cunctorum singularis, & singulorum totus, nec participatione decrescens, nec vsu deficiens, nec tempore veterascens antiquus & nouus, affectu desiderabilis, experiẽtia dulcis, fructu ęternus, iucunditate plenus, reficiens & satians, nec vnquam fastidium generans. Vt autẽ tibi plenius satisfaciam, demonstrabo qualiter iste sponsus & amator castitatis, singulis quos diligit, quasi omnib. affectu & effectu adsit. In hoc quoq; prouidit tibi Deus, optimus amator tu⁹, ne nihil esset, in quo singulariter de ipso gloriari nõ posses: sed sicut cõmunia & specialia dedit, sic & singularia tribuit. Cõmunia quidẽ sunt ea q̃ in vsũ vniuersorũ veniũt, sicut est lux solis, spiramẽ aeris. Specialia vero, vt ea, quæ nõ omnibus, sed quasi cuidã societati cõcessa sunt, sicut est fides, sapiẽtia, & disciplina. Singularia autẽ, vt ea, quę vnicuiq; propria impartita sunt, sicut Petro principatus in Apostolis, Paulo Apostolatus in gẽtibus, Ioanni priuilegiũ amoris. Cõsidera ergo, quæ cõmunia cũ omnibus, quę specialia cum aliquibus, quę singularia solus acceperis. In omnibus his te dilexit, quę vel cõmuniter cum omnibus, vel specialiter quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum his omnibus rursum te dilexit, qui de participatione doni sui sociauit. Præ his omnib. te dilexit, quib⁹ singularis dono gratiæ te prętulit. In omni creatura dilectus es, cũ omnib. bonis dilectus es,

præ omni-

præ omnibus malis dilectus es. Et ne parum tibi videatur, quod præ omnibus malis dilectus es, quanti boni sunt, qui minus te acceperunt attende. Nec parum existimes vel in tantis, & cum tantis esse dilectum, nisi & bonos omnes habeas socios. malos vero & quæ cōdita sunt vniuersa subiectos. Vidisti ergo quanta sunt in quibus dilectus es, vidisti quales sunt cum quibus dilectus es. Nūc quod præ omnibus dilectus es, considera quantum potes. Tu enim nosti quid acceperis, & necesse habes adhuc melius nosse, ne incipias vel de his, quæ non accepisti præsumere, vel de his, quæ accepisti gratias non referre. Nam & ipse idcirco hęc tibi dedit, vt tu ea semper in memoria habeas, & nunquam ab eius amore obliuione tabescas. Primum cogita homo, quod aliquando non fueris, & vt esse inciperes, hoc eius dono acceperis. Donum ergo eius erat, vt fieres. Sed nunquid tu ei aliquid dederas priusquā fieres, quod tibi hoc ab eo redderetur, vt fieres? Nihil prorsus, nihil tu dederas, nihil dedisse poteras plusquam fieres, sed gratias accepisti, vt ab eo fieres. Cui ergo prælatus es, in eo quod factus es? Quis minus accipere potuit, quam qui vt fieret, accepit? Et tamen nisi hoc esset, aliquid accipere, non poterat, qui non erat, & nisi incipere esse quam nō esse melius esset, nihil ille, qui est, eo qui non est, amplius accepisset.

Bern. de diligendo Deo ante med.

Cur ergo homo totum ei te debere non attendis, quē tui totius non ignoras auctorem? Quid ergo tu qui Deū tuum tenes, non solum gratuitum vitæ tuæ largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conseruatorem, ditatorem, & glorificatorem? Dignus plane est morte, qui ei recusat viuere. Quid retribues Domino pro omnibus his?

Hugo ibi.

Sed quare fecit te Deus tuus, nisi quia esse magis quā non esse voluit te? Et plus dilexit te omnibus his, quæ accipere non meruerunt illud ab illo. Cum ergo Deus tuus esse tibi dedit, bonum, & magnum bonum, & pulchrum bonum dedit tibi. Et te cum hoc tibi daret, prætulit omnibus, quibus hoc tantum bonum suum dare noluit. A Deo nostro à quo facti sumus, qui non fuimus, omnibus qui facti non sunt, amplius accepimus. Qui vtique si amplius nihil dedisset pro eo ipso tamen semper à te laudandus & diligendus esset.

Augustinus. Hugo ibid.

Merito igitur totum exigit te, qui fecit te.

Nunc autem amplius dedit, quia dedit non solum esse, sed pulchrum esse, quoad animam dico, & formosum esse: quod quantum superat nihil per existentiam, tantū antecedit aliquid per formam: in quo multum placeat id, quod est, & amplius quod tale est. In quo omnibus te prælatum aspice, quos tale & tam excellens bonum existendi vides non accepisse. Sed nec hic terminari potuit munificentia largitoris optimi. Adhuc aliquid plus dedit, & magis nos ad similitudinem suam traxit. Voluit enim ad se trahere per similitudinem, quos ad se trahebat per dilectionē. Dedit ergo nobis esse, & pulchrum esse, & viuere, & vt præcellamus, & ijs, qui non sunt per essentiam, & ijs, quæ inordinata aut incomposita sunt per formam, & quæ inanimata per vitam. Magno ergo debito obligatus es. Multum accepisti, & nihil à te habuisti, & pro his omnibus non habes quid retribuas, nisi tantum vt diligas. Accepisti autem hoc totum per dilectionem.

Ber. ser. 83. sup. Cant. cir. med.

Amor per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium est sibi. Magna res amor. Solus ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus in quo potest creatura, & si non ex æquo, respondere auctori. Verbi gratia. Si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter redirascar? Non vtique sed pauebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, nec si me iudicabit, iudicabo ego eum: si dominatur, me oportet seruire: si impetrat, me oportet parere, & non vicissim à Domino vel seruitium exigere, vel obsequium. Nunc videas iam de amore quam aliter sit, nam cum amat Deus, nihil aliud vult, quam amari. Quippe non ad aliud amat, nisi vt ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amauerint. Magna igitur res est amor, sed si fuerit purus. Purus amor mercenarius non est, purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.

Hugo parum ante med. vbi sup. Bernard.

Scias igitur, quia quod per dilectionem datum est, nec melius nec decentius, quam per dilectionem rependi potest.

Quia non solum Deus hominem amare voluit, sed etiam ab eo vult amari. Nam cum ipse immensus sit, tamē amorem suum ponere voluit in hominem, qui est quasi putredo & vermis. Quanta dignatio, quanta dilectio?

Hugo ibid.

Et hoc cōsidera: Poterat autem etiam Deus alijs creaturis suis dedisse vitam, sed amplius in hoc dono dilexit te. Nec ideo plus dilexit te, quoniam plus diligendum inuenit in te: sed quia gratuito plus dilexit te. Talem fecit te, vt iam merito plus diligat te. Quid hæc omnia faciant diligenter considera, nisi inuenerint considerantis animum, ab omni penitus prauo vendicatum amore, & ad se mirabiliter rapiunt, & vehementer afficiunt?

Bern. de diligendo Deo ante med.

Vide ergo quomodo, immo quam sine modo à nobis Deus amari meruerit, qui prius dilexit nos, tantus & tantum, & gratis tantillos & tales. Modus idcirco diligendi Deum esse debet, sine modo diligere. Cum vero dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum, nam & immensus & infinitus est Deus, quis nam, quæso, debeat finis nostri esse, vel modus amoris?

Aug. lib. 10. conf. c. 29. to. 1. Hugo vbi sup. prox.

Modus tamen diligendi Deum est, vt ipse ametur super omnia, & propter se. Quia minus eum amat, qui cū eo aliquid amat, quod propter eum non amat.

Præterea post esse, post pulchrum esse, & post viuere, datum est sentire, datum est discernere: & per eandem dilectionem datum est: quæ nisi præcessisset, nihil à largiente datum, nihil ab indigente acceptum fuisset. Quā sublimis & quam decorus in anima factus es. Quid sibi iste ornatus tantus ac talis voluit, nisi quia idem ipse, qui induit consortem suo palatio, suæ gloriæ præparauit? Nouit ad quod opus te conderet, nouit qualis ornatus illud opus deceret, & ideo dedit quod decuit, & quod tantum decuit, vt & ipse diligeret hoc, qui dederit. Sensibus foris decorauit, intus sapientia illustrauit. Sensus dans, quasi interiorem ornatum, sapientiam quasi interiorem habitum. Sensus quasi quasdam gemmas fulgentes, appendens exterius: sapientiam quasi naturali pulchritudine, faciem vultus tui decorans intus. Ecce ornatus tuus omnium gemmarum vincit pulchritudinem. Ecce facies tua omnium formarum superat decorem. Talem te omnino esse decebat, qui ad cælestis palatium curiæ introducendus eras. Quantum dilectus es, & præ quantis dilectus es, quando talis factus es? Quam singulare donum, quod non omnibus concessum, non nisi dilectis, & diligentibus concedendū. Multum gloriari poteras, & multū custodire debueras, ne tale donū perderes, ne tale ornamentū fœdares, ne tantum decorem corrumperes, & eo amisso vel imminuto amplius miser fieres, quā eo non accepto, vel non perfecto miser fuisses: ne te cum damno amissæ pulchritudinis, simul torqueret confusio fœditatis, & abiectus vilior fieres, quam si receptus non fuisses. Istud custodiendum, & illud cauendum fuerat, vt istud custoditum persisteret, & illud cautū non eueniret. Sed vide quid fecisti. Dereliquisti Deū amatorem tuum, & cum alienis prostituisti amorē tuum, fœdasti pulchritudinem tuam, dispersisti ornatum tuum. Oblitus es Domini Creatoris tui, & pro tantis beneficijs cōdignas grates non egisti. Ideo vero ad maiorē confusionē tuam hæc dixi, vt eo magis odio dignum ostenderē, quo tantis beneficijs acceptis, & non custoditis ingratum cōprobarem, & vt magis de cetero illi fias obnoxius, qui te fecit cum non eras, & redemit cum perieras. Nam illud quoque in assertione amoris illius commemoraui, vt inde occasione accepta, tibi narrare incipiam, quantū amator tuus, qui tam excelsus apparuit cum te conderet humiliari dignatus est, cum repararet. Illic tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic, quam illic minus amabilis. Illic potenter tibi, magna contulit, hic misericordi-

ter pro te dura sustinuit. Vt enim te releuaret illic vnde A cecideras, ipse descendere dignatus est huc, vbi iacebas. Et vt tibi iuste redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est, pie pati quod tolerabas. In primis vero quod nullo modo poterat homo labore. pœna, vel merito, dignitatem quam peccando amiserat, promereri, ostendam tibi qua necessitate vel ratione Deus, cum sit omnipotens, humilitatem, & infirmitatem humanæ naturæ pro eiusdem restauratione assumpserit.

Ansel. li. 1. cur Deus homo c. 3.

Oportebat namque, vt sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intrauerat, ita per hominis obedientiam vita restitueretur. Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostræ damnationis initium habuit à femina: sic nostræ iustitiæ, & salutis auctor nasceretur de femina. Et vt diabolus, qui per ligni gustum, quem persuasit, hominem vicerat: ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur. B

Idem ibi. c. 5.

Sed ipsa hominis liberatio nec per aliam, quã per Dei personam fieri decuit, nec potuit: quia quæcumque persona alia hominem à morte æterna redimeret, eius seruus idem homo recte iudicaretur. Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quã habiturus erat, si non peccasset: cum ipse, qui non nisi seruus Dei, & æqualis Angelis bonis per omnia futurus erat, seruus esset eius, qui Deus non esset, & cuius Angeli serui non essent.

Idem ibid. c. 18. longe post med.

Quod vero homo per aliam, quam per Dei personam, liberari non potuit, manifeste verum esse attende. Constat Deum proposuisse, vt de hominibus Angelos, qui ceciderant, restauraret. Tales ergo oportet esse homines in illa ciuitate superna, qui pro Angelis in illã assumentur, quales illi futuri erant, pro quibus ibidem erunt, C idest tales, quales nunc sunt boni Angeli. Alioquin non erant restaurati, qui ceciderũt: & sequetur, quod Deus aut non poterit perficere bonum, quod incœpit, aut pœnitebit eum tãtum bonum incœpisse, quæ duo absurda sunt. Oportet ergo, vt æquales sint homines bonis Angelis. Cum ergo boni Angeli nunquam peccauerint, potes ne cogitare, quod homo, qui secundum quod homo aliquando peccauit, nec vnquam Deo pro peccato satisfecit, sed tantum impunitus dimittitur, æqualis sit Angelo, qui nunquã peccauit? Minime. Non ergo decet Deũ, hominem peccantem sine satisfactione, ad restaurationem Angelorum assumere perditorũ, quoniam veritas nõ patitur eum leuari ad æqualitatem beatorum. Considera etiam in solo homine, sine hoc quod debet Angelis æquari, D vtrum eum taliter Deus ad beatitudinem illam, vel talẽ qualem habebant antequam peccarent, debeat prouehere? Ponamus per exemplum, aliquem in manu tenere margaritam pretiosam, quam nulla vnquam pollutio tetigit, & quam nullus possit alius amouere de manu eius, nisi ipso permittente: & eam disponat recondere in thesaurũ suũ, vbi sunt charissima & pretiosissima, quę possidet. Quod si permittat ipse eandem margaritam ab aliquo inuido excuti de manu sua in cœnum, cum prohibere possit, ac postea eam de cœno sumẽs pollutam, & nõ lotam in aliquem mundum & charum locum, deinceps illam sic seruat, & recondit, putabis ne illum sapientem? Non, si recte sapis: An non similiter faceret Deus, qui hominem Angelis sociandum sine peccato quasi in manu sua tenebat in paradiso, & permisit vt accensus inuidia E diabolus eum in lutum peccati, quamuis consentientem deijceret. Si enim prohibere vellet diabolum, non posset tentare hominem. nonne inquam similiter faceret ac si hominem peccati sorde maculatũ, sine omni lauatione, id est, absq; omni satisfactione talem semper mansurum, saltem in paradisum, de quo eiectus fuerat, reduceret.

Exemplum.

Ibid. c. 19. in prin.

Tene igitur certissime, quia sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad tantam beatitudinem, vel talem qualem habebat antequam peccaret, peruenire.

Ibid. c. 20. in prin.

Firmiter igitur crede, ne dubites, quia secũdum mensuram peccati, oportet satisfactionem esse. Et tu quid solues pro peccatis? Forsitan dices pœnitentiam, cor contritum, & humiliatum, abstinentias, & multimodos labores corporis & misericordiam dandi, & dimittendi obedientiam. Quid in omnibus his das Deo? Vide & diligẽter considera, quia cum reddis Deo aliquid quod debes, & si non peccasti, non debes hoc computare pro debito. Omnia autem illa debes Deo, quę dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita amor, & ad quod pertinet oratio & desiderium perueniendi ad hoc, ad quod factus es, & dolor, quia ibi non es, & timor ne non peruenias: vt nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his, quæ tibi auxilium, aut spem dant perueniendi. Quid ergo das Deo, quod non debes, cui totum quod es, & quod habes, & quod potes, debes: ne pecces? Nihil igitur in omnibus das Deo, quod non debes. Quid ergo solues Deo pro peccato tuo, cum nihil habeas quod pro peccato soluas.

Ibid. c. 21. post med.

Et si grauiter peccamus quotiescunq; scienter aliquod, quamlibet paruum contra volũtatem Dei facimus, quid faciet miser homo peccator, quid Deo pro peccato soluet, qui tot & tanta non solũ grauia, sed & enormia sciẽs, & prudẽs commisit per longum tempus, immo fere tota vita sua, & quasi sus in volutabro luti delectabiliter in eisdem iacuit? Si secundum quantitatem peccati exigit Deus satisfactionem, nec satisfacis si non reddis aliquod maius, quam id pro quo peccatum facere non debueras, quia sic ratio exigit: quid facies, quid solues Deo tot malis obuolutus.

Ibid. c. 22. in prin.

Item homo in paradiso sine peccato factus, quasi positus est pro Deo inter Deum & diabolum, vt vinceret diabolum, non consentiendo suadenti peccatum ad honorem Dei, & ad confusionem diaboli, cum ille infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo suadente, qui fortior peccauit in cælo nullo suadente. Et cum hoc facere posset, nulla vi coactus, sed sola suasione sponte vinci permisit, ad volũtatem diaboli, & contra voluntatem Dei & honorem. Iudica ergo homo tu ipse, si non est cõtra honorem Dei, vt homo reconcilietur illi, cum calumnia huius contumeliæ Deo irrogatæ, nisi prius honorauerit Deum vincendo diabolum, sicut illum inhonorauit victus à diabolo. Victoria vero talis debet esse, vt sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo vt peccaret, vnde iuste incurrit pœnã mortalitatis: ita infirmus & mortalis, qualem ipse se fecit, per mortis difficultatem vincat diabolũ, vt nullo modo peccet, quod facere non potest quamdiu ex vulnere primi peccati concipitur, & nascitur in peccato. Adhuc accipe vnum, sine quo non reconciliatur homo, nec minus impossibile.

Ibid. c. 23. in prin.

Quid abstulit homo Deo, cum vinci se permisit à diabolo? Nonne abstulit Deo, quidquid de humana natura facere proposuerat? Intende industriam, & iustitiam, & iudica secundum illum, vtrum ad æqualitatem peccati homo satisfaciat Deo, nisi idipsum quod permittendo se vinci à diabolo, Deo abstulit, diabolum vincendo restituat: vt quemadmodum per hoc quod est victus, rapuit diabolus quod Dei erat, & Deus perdidit: ita per hoc quod vincat, perdat diabolus, & Deus recuperet. Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo à Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non reddit Deo totum quod illi abstulit, vt sicut per illum Deus perdidit, ita per illum recuperet. Quod non aliter fieri valet, nisi vt quemadmodum per victũ tota humana natura corrupta & quasi fermentata est peccato, cum quo nullum Deus assumit ad perficiendam illam ciuitatẽ cælestem, ita per vincentem iustificentur tot homines, quot illum numerum completuri erunt, ad quem complendum factus est homo. Et hoc facere nullatenus potest peccator homo, quia peccator peccatorem iustificare nequit. Nihil ergo iustius, nihil impossibilius.

Ibid. c. 24.

Attende adhuc. Si homo dicitur iniustus, qui homini non reddit quod debet, multo magis iniustus est, qui Deo quod debet, non reddit. Quod si reddere non potest, quomodo iniustus est? Audi. Forsitan si nulla est in illo causa impotentiæ, aliquatenus excusari potest. Sed si in ipso impotẽtia culpa est; sicut non leuat peccatum, ita

non ex-

non excusat non reddentem debitum. Nam quis iniungat opus aliquod seruo suo, & præcipiat illi, ne se deijciat in foueam, quam illi demonstrat, vnde nullatenus exire possit, & seruus ille contemnẽs mandatum & monitionem Domini sui, sponte in mõstratam se mittat foueam, vt nullatenus possit opus iniunctum facere, putas ne aliquatenus illi impotentiam illam ad excusationem valere, cum opus iniunctum non faciat? Non. Immo dupliciter peccauit, quia & quod iussus est facere, non fecit, & quod præceptum est, vt non faceret, fecit. Ita homo, qui se sponte obligauit illi debito, quod soluere non potest, & sua culpa deiecit se in hanc impotentiam, vt nec illud possit soluere quod debebat ante peccatũ, id est, ne peccaret, nec hoc quod debet, quia peccauit, inexcusabilis est. Ipsa namque impotentia culpa est, quia non debet eam habere, immo debet eam non habere. Nam sicut culpa est, non habere quod habere debet, ita culpa est, habere quod debet nõ habere. Sicut igitur culpa est homini non habere potestatem illam quam accepit, vt posset cauere peccatum: sic culpa est illi habere impotentiã, qua nec iustitiam tenere, & peccatum cauere, nec quod pro peccato debet reddere potest. Sponte namque fecit, vnde perdidit illam potestatem, & deuenit in hanc impotentiam. Illud enim est non habere potestatem, quam debet habere, & habere impotentiam, quam debet non habere. Quapropter impotentia reddendi Deo quod debet, quæ facit vt non reddat, non excusat hominem si non reddit, quoniam effectus peccati non excusat peccatum quod facit. Iniustus est ergo homo, qui non reddit Deo quod debet, & iniustus est, quia reddere nequit. Et nullus iniustus admittetur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia: sic nulli conuenit nisi in quo ita pura est iustitia, vt nulla sit iniustitia. Cum igitur videas peccatorem hominem, hoc debere Deo pro peccato quod vel reddere nequit, & nisi reddiderit, saluari nequit, instructus es ne forte desperes, qualiter Deus misericordia saluet hominem, cum peccatum non dimittat illi, nisi reddiderit propter quod illud debet.

Ibid. li. 2. c. 1. in prin. Rationalem naturam à Deo factam esse iustam, vt illo fruendo beata esset, dubitari non debet. Ideo namque rationalis est, vt discernat inter iustum & iniustum, inter bonum & malum, & inter magis bonum & minus bonũ. Simili ratione probat, quod ad hoc accepit potestatem discernendi, vt odisset, & vitaret malum, ac amaret & eligeret bonum, atque maius bonum magis amaret, & eligeret. Sed non conuenit, vt Deus potestatem tãtam frustra dederit. Ad hoc itaque factam esse rationalem creaturam, certum est, vt summum bonũ super omnia amaret & eligeret, non propter aliud, sed propter ipsum. Si enim propter aliud: non ipsum, sed aliud amat. Vt igitur frustra non sit rationalis, simul ad hoc rationalis & iusta facta est. Quapropter rationalis natura, iusta facta est, vt summo bono, id est, Deo fruendo beata esset. Homo ergo qui rationalis creatura est, factus est iustus ad hoc, vt Deo fruendo beatus esset.

Ibid. c. 2. Quod autem factus sit talis, vt necessitate non moreretur, hinc facile probatur, quia sapientiæ & iustitiæ Dei repugnat, vt cogeret mortem pati sine culpa, quem iustũ ad beatitudinem fecit. Sequitur ergo, quia si nunquam peccasset, nunquam moreretur.

Ibid. c. 3. Vnde aperte quandoque futura resurrectio mortuorum probatur. Quippe si homo perfecte restaurãdus est: est, talis debet restitui, qualis futurus erat, si nõ peccasset. Nihil ergo iustius, aut conuenientius intelligitur, quam vt sicut homo si perseuerasset in iustitia totus, id est, anima & corpore, æternæ beatus esset, ita si perseuerat in iniustitia, totus similiter miser sit.

Ibid. c. 4. Ex his enim facile est cognoscere, quoniam aut hoc de humana perficiet Deus natura, quod incepit, aut in vanũ fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum. Aut si nihil pretiosius cognoscitur Deus fecisse, quam rationalem creaturam, ad gaudendum de se: valde alienum est ab eo, vt illam rationalem creaturam penitus perire sinat. Necesse est ergo, vt de humana natura quod incœpit, perficiat. Hoc autẽ fieri, sicut dixi, nequit, nisi per integram peccati satisfactionem, quam nullus peccator facere potest.

Ibid. c. 5. Si vero intelligis necesse fuisse, vt Deus perficeret quod incœpit, forte cogitas dicens: Quam gratiam debeo pro eo, quod fecit me propter se? aut quomodo imputabo meã salutem eius gratiæ, si me saluat necessitate? Sed attende quod est necessitas, quæ benefacienti gratiam aufert aut minuit, & est necessitas, qua maior ex beneficio gratia debetur. Cũ enim aliquis ea necessitate, cui subiacet, inuitus benefacit, aut nulla, aut minor illi gratia debetur. Cũ vero ipse sponte necessitati benefaciẽdi se subdit, neque inuitus eã sustinet, tunc vtiq; maiorẽ beneficij gratiam meretur. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia: quia nullo cogẽte illam suscepit aut seruat, sed gratis. Quare multo magis si Deus facit bonum homini, quod incœpit, licet non deceat eũ à bono incœpto deficere, totũ gratiæ debemus imputare: quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens, incœpit. Non enim illum latuit, quid homo facturus erat, cũ illum fecit: & tãtum bonitate sua illum creando, sponte se, vt perficeret incœptum bonum, quasi obligauit. Denique Deus non facit necessitate, quia nullo modo cogitur, aut prohibetur facere aliquid. Et cum dicimus Deum aliquid facere quasi ex necessitate vitandi inhonestatem, quam vtique non timet, potius intelligẽdum est: quia hoc facit necessitate seruandæ honestatis. Quæ scilicet necessitas non est aliud, quam immutabilitas honestatis eius, quam à seipso & non ab alio habet: idcirco improprie dicitur necessitas. Dico tamẽ, quod necesse est, vt bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine, quod incœpit: quamuis totum sit gratia bonum quod facit.

Ibid. c. 6. Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui soluat pro peccato hominis aliquid maius, quam omne, quod Deus non est. Illum quoq;, qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne, quod sub Deo est, maiorẽ esse necesse est, quam omne, quod non est Deus. Nihil autem est super omne, quod Deus non est, nisi Deus. Non ergo potest hanc satisfactionem facere, nisi Deus. Sed nec facere illã debet, nisi homo. Si ergo, sicut constat, necesse est, vt de hominibus perficiatur illa superna ciuitas, neque hoc esse valet, nisi fiat supradicta satisfactio, quam neq; potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo: necesse est, vt faciat eam Deus homo. Inuestigandum nunc est, quomodo esse possit Deus homo.

Ibid. c. 7. Diuina enim natura & humana non possunt in inuicẽ mutari, vt diuina fiat humana aut humana diuina: nec ita misceri, vt quædã tertia fiat ex duabus, quæ nec diuina sit omnino, nec humana. Denique si fieri posset, vt altera in alterã conuerteretur, aut esset tantũ Deus, & non homo, aut solũ homo, & non Deus. Aut si miscerentur ita vt fieret ex duabus corruptis quędã tertia (quemadmodũ ex duobus indiuiduis animalibus diuersarũ specierum, masculo & femina nascitur tertiũ, quod nec patris integram, neque matris seruat naturã, sed ex vtraq; tertiam mixtam) non homo esset, nec Deus. Nõ igitur potest fieri homo Deus, que quærimus ex diuina & humana natura, aut cõuersione alterius in alterã, aut corruptiua cõmixtione naturę vtriusq; in tertiã, quia hoc fieri istę duę naturæ nequeunt: aut si fieri valerent, nihil ad hoc, quod quęrimus, valeret. Si autem ita quolibet modo coniungi debent hæ duæ integræ naturæ, vt tamen alius sit Deus, alius homo, & non idẽ sit Deus, qui & homo: impossibile est, vt ambo faciant, quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet, quod non debebit, & homo non faciet, quia non poterit. Vt ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum Deũ, & perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est, quoniam eam facere nõ potest, nisi verus Deus, nec debet nisi verus homo. Quoniã ergo seruata integritate vtriusque naturæ, necesse est inueniri Deũ hominem, non minus est necesse, has duas naturas integras conuenire in vnam personã, quemadmodum corpus & anima rationalis conueniunt

in vnum

in vnum hominem, quoniam nequit aliter fieri, vt idem ipse sit perfectus Deus, & perfectus homo.

Ibid. c. 8.

Restat nunc quærere, vnde & quomodo assumet Deus humanā naturam? Aut enim assumet eam de Adam, aut faciet nouum hominem, quemadmodum Adam fecit de nullo alio homine. Sed si nouum hominem facit non ex Adæ genere, non pertinebit ad humanum genus, quod natum est de Adam. Quare non debebit satisfacere pro eo, quia non erit de eo. Sicut enim rectum est, vt pro culpa omnis homo satisfaciat, ita necesse est, vt satisfaciens idem sit, qui peccator, aut eiusdem generis. Aliter namq; nec Adam, nec genus eius, satisfaciet per se. Ergo sicut de Adam & Eua peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullus nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, necesse est, vt de illis sit, qui hoc faciet. Amplius sicut Adam & totum genus eius per se stetisset sine sustentatione alterius creaturæ, si non peccasset: ita oportet, vt si idem genus resurgit post casum, per alium resurgat ac releuetur. Nam per quemcumque in statum suum restituatur, per illum itaque stabit, per quem statum suum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitus fecit in solo Adam, nec feminam, vt de vtroque sexu multiplicarentur homines, facere voluit, nisi de ipso, aperte monstrauit; se non nisi de Adamo voluisse facere, quod de natura humana facturus erat. Quapropter si genus Adæ per aliquem releuatur hominem, qui non sit de eodem genere, non illam dignitatem habebit, quam habiturus erat, si non peccasset Adam: & ideo non integre restaurabitur, & Dei propositum deficere videbitur. quæ duo inconuenientia sunt. Ergo necesse est, vt de Adam assumatur homo, per quem restaurandum est genus Adæ. Pinge igitur in animo non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem, & dic, quia valde conuenit, vt quemadmodum hominis peccatum, & causa nostræ perditionis principium sumpsit à femina, ita medicina peccati, & caussa nostræ saluationis nascatur à femina. Similiter & hoc: Si Virgo erat, quæ caussa fuit humano generi totius mali, multo magis decet, vt virgo sit, quæ caussa erit totius boni. Hoc quoque similiter: Si mulier, quam Deus fecit de viro sine femina, facta est de Virgine, conuenit valde vt vir quoque, qui fiet de femina sine viro, fiat de Virgine.

Ibid. c. 9.

Nunc tibi quoque dicendum est in qua persona Deus, qui est tres personæ, hominem assumat: plures enim personæ nequeunt vnum eundem hominem assumere in vnitate personæ. quare in vna persona tantum hoc fieri necesse est. Sed de hac vnitate personæ Dei & hominis, & in qua persona Dei, hoc magis fieri oporteat, breuiter tango, cur videlicet potius Filii persona debeat incarnari, quàm Patris, aut Spiritus sancti. Si quælibet alia persona incarnaretur, erunt duo Filii in Trinitate, Filius, scilicet Dei, qui & ante incarnationem Filius est, & ille, qui per incarnationem, Filius erit Virginis; & sic erit in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem natiuitatum. Digniorem namque natiuitatem habebit natus ex Deo, quàm natus de Virgine. Est & aliud cur magis conueniat Filio incarnari, quàm aliis personis; quia conuenientius [illegible]onat Filium supplicare Patri, quàm aliam personam a[illegible]. Item: Homo, pro quo erat oraturus, & diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei propria voluntate præsumpserant. Vnde quasi specialius aduersus personam Filii peccauerant, quia vera Patris similitudo creditur. Illi cui specialius fit iniuria, conuenientius attribuitur culpæ vindicta, aut indulgentia. Quapropter cum nos ratio ineuitabilis perduxerit ad hoc, vt necesse sit diuinam & humanam naturam in vnam conuenire personam, nec hoc fieri possit in pluribus personis Dei, & hoc conuenientius fieri pateat in persona Verbi, quàm in aliis; necesse est, Verbum, Deum, & hominem in vnam conuenire personam.

Leo ser. 7. in Nat. Dom. c. 1. & 2.

Igitur sempiterna & summa essentia, quæ se sic ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat esse, non destitit. Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod à Verbo in vnitatem personæ sit caro suscepta, in cuius vtique nomine homo totus accipitur.

Idem ser. 8. in nat. Domini non longe à prin.

Vnde vtrique naturæ in suis proprietatibus permanenti, tanta est vnitas facta & communio, vt quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctum, quidquid autem est hominis, non sit à diuinitate diuisum.

Ber. ser. 3. in vig. Natiui. Dom. post med.

Verbum enim & anima, & caro in vnam conuenere personam, & hæc tria vnum, & hoc vnum tria sunt, nō commixtione substantiæ, sed vnitate personæ.

Leo ser. 4. in Nat. Dom. c. 2.

Et in hoc homo considera, quod cum origo humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum seruili formę ipse se Deus coaptauit. Quamuis enim ex vna, eademque pietate fit, quidquid creaturæ Creator impendit; minus tamen mirum est hominem ad diuina proficere, quàm Deum ad humana descendere.

Idem ser. 1. de Passione Dom. c. 2.

Quis enim ab impietate ad iustitiam, à miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi & iustus ad impios, & beatus inclinaretur ad miseros?

Libet idcirco in huiusmodi consideratione aliquantulum immorari, eo quòd tam ipsius obstupenda dignatio, qua nostrum sibi associauit iumentum, quàm copiosa redemptio apud eum, qua humiliter crucis subiuit tormentum, meditandi materiam ministrat abundanter. Nescio namque si vlla esse possit efficacior, ac suauior morum ædificatio, quàm Verbi incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim hominem sic excitare potest ad amorem Dei, quàm præueniens amor Dei, tamque vehemens ad hominem, vt homo propter hominem velit fieri? Quid autem nutrit ita amorem proximi, quàm similitudo & natura proximi in humilitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitare posse maius aliquid existimo, quàm exinanitionem Dei in formam serui, & seruitutem plusquam serui.

Bern. ser. 1. in Aduentu Dom. sparsim.

Venit igitur Filius Dei de corde Patris, in vterum Virginis Matris. Venit à summo cœlo in inferiores partes terræ. O inæstimabilis dignatio & penitus inexcogitabilis, quod in carceris huius horrorem, fœtoremque nostræ mortalitatis, tanta dignata est descendere celsitudo. Mira quærentis Dei dignatio, mira dignitas hominis sic quæsiti, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam à semetipso, sed quod tanti fecerit eum.

Leo ser. 1. in Nat. Dom. circa fin.

Agnosce igitur ex his dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.

Bern. vbi sup. prox.

Omnes namq; diuitię, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam, immo nec aliquid in eius comparatione.

Guerricus Igniacensis ser. 3. in Annuncia. Dom. circa med.

Præterea non tam admiranda, quàm etiam obstupenda intueor in hac gloria. Nam cum humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic humilitate fere maximam existimo, quòd in vtero concipi, in vtero nouem mensibus maiestas illa incircumscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, vt quasi penitus à seipso defecisse visus sit. Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili maiestas, quæ clausa latet, proditur. Nam in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum fuit ipsius, statim fortius apparuit omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & exspirans inspirat Centurionem: quando horarius dolor passionis eius non solum compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In vtero sic est, quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternum sui silentio se premit.

Leo.

Exinaniuit igitur semetipsum formam serui accipiens,

& cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosiliit virginali.

Guerricus. Dependet Deus ad vbera, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis felices manus & sancta brachia per cunarum paruitatem expandit. Nulla ibi domus ambitio vbi reclinatorium in stabulo, Mater in fœno, Filius in præsepio. Tale elegit mundi fabricator hospitium, huiusmodi habuit delitias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix est obstetrix, & deuota dilectæ soboli ipsa exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit. Nullum domus arcta diuersorium occupabat, nec secreti recessus erant illius casulę incastraturam, tectum, & soli parietes per circuitum vestiebant. Nec ibi locus erat lauacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ iniuria Matrem Domini læserat, quæ sine tormento pepererat, quæ in conceptione caruit voluptate. Et quamuis in propria venerit, qui omnia continet, quidquid circa ipsum vel ipsius Genitricem impendebatur officii, non tantum pauperrimum extitit, sed etiam alienum.

Bernardus. Et de quo dicebatur, Quis Deus magnus sicut Deus noster? & magnitudinis eius non est finis: iam non prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis, sed paruus Dominus, & amabilis nimis. Alludit vt paruus, Virgini Matri arridet, & blandientes oculos in Mariā intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorū, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionē Dei, & natiuitatem pueri: & miratur, quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subuenire. Et certe cum totus sit dulcedo, & sic subuenire nobis voluit, dulciorem eum mihi facit teneritudo membrorum. Dulcedo hæc incomparabilis, & pietas ineffabilis, vt Deum qui creauit me, videam puerum creatum propter me, Deusq; maiestatis & gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate; sed etiā miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmæ. O duritia cordis mei!

Idem in Cāntic. ser. 64. circa fin. Quid hoc faciat? Amor certe dignitatis nescius, dignatione diues, effectu potens, suasu efficax. Quid amore violentius? Triumphat de Deo amor, quia semetipsum exinaniuit, & scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata, quod singularitas associata est.

Bernardus. Quid igitur ad hæc dormitat tua affectio, immo non dormitat, sed mortua est.

Guerricus ser. 3. de Nat. Dom. sparsim. Vt te lucrifaceret, vt me ad amorem suum traheret, omnem pulchritudinem diuinitatis in hominem transfudit. Transfusum Deum in hominem dico, quia non ad mensuram datum homini video, nec de omni plenitudine sua penes Deum aliquid resedit, quod in hominem, cui vnitus est, non effudit, dum omne, quod in diuinitatis thesauro pietatis inuentum fuit totum in vtero Virginis aggestū. Ita enim Deus funditur, Deus amatus in hominem effusus est, quod tanquam à sua propria virtute sit exinanitus, dum videlicet in ea humilitate, qua tibi consuluit, nō solum Patre, sed etiam seipso factus sit inferior. Quæ vero maior exinanitio in oculis videntium, quid efficacius ad Creatorem tuum reamandū, quam quod pro te splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ, formam præferat seruilem, & in ipsa non habens speciem neq; decorem? Qui enim quasi parum esset exinanitus si homo solum fieret, etiam humanæ carnis ita funditus in se formam & speciem vacuauit, sapiētiam infatuauit, virtutem infirmauit, minuitque magnitudinem, vt & in natiuitate minimum, & in passione se nouissimum virorum hominibus exhiberet. vnde nec reputauerunt eum. Obstupesce ergo homo tanta pro te mirabilia, tanta beneficia pro te exhibita. Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus est facere pro te. Considera diligenter Dominum Sabaoth, qui cœlum & terram implet, iacentem in præsepio infantulum, immo cuius maiestati angusta est omnis cœli latitudo, pannis inuolutum, & qui cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo Angelicæ potestates submittunt alas suas, vagientem; vt ipsius amoris ardore totus accensus, ad tanta beneficia, tua vsque huc ingratitudo erubescat, quia ipse tuam naturam diuinæ voluit associari in vna persona, numquam ab eo separandam, signum amoris, vt sic saltē eum amares, à quo te agnosceres sic amari.

Leo ser. 4. in Epipha. Dom. c. 4. Pro his semper gratus esto, indesinenter gratias age. Et caue ne indignū videri velis, vt credatur Deus Dei Filius femineis se inseruisse visceribus, & maiestatem suam huic contumeliæ subdidisse; vt naturæ carnis immixtus, in vero humanæ substantiæ corpore nasceretur: cum totum hoc opus non iniuria sit ipsius, sed potentia, non credenda pollutio, sed gloriosa dignatio. Si enim lux ista visibilis nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitorem, quem corpoream creaturam esse non dubium est, loca nulla sordentia vel cœnosa contaminant; quid illius supernæ, sempiternæ, & incorporeæ lucis essentiam potuit, qualibet sui qualitate polluere, quæ se ei, quàm ad imaginem suam condidit sociando creaturæ, purificationem præstitit, maculam non recepit, & sic sanauit vulnera infirmitatis, vt nulla pateretur damna virtutis?

Guer. ser. 3. de Nat. Domini non longe à princ. Quàm felix proinde, quàm amabilis natiuitas tua, puer Iesu, quæ natiuitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium soluit, chirographum damnatæ naturæ rescindit; vt si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci. *Et infra:* Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit, licet pariter misericordia & veritas in te obuiauerunt sibi. Vere, inquam, tu misericors puer natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæsisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, vt nos minoratione tua proueheres, humiliatione glorificares. Dulce certe, proinde dulce, & sapidum cogitare, & recogitare puerum Deum, quin etiam efficax, & operatorium ad medendum ac dulcorandum, si qua in nobis est, peccatorum amaritudinem, pœnitentiæ austeritatem. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit dulcissimam? Et inter hæc considerata, semper recurro ad hoc quod dulcius sapit, & familiarius adhæret, videlicet, quod ideo voluit in similitudinem hominum fieri, vt hominibus esset amabilior. Similitudo enim ad amorem efficacius operatur. Ideo non me capio præ lætitia, quod illa maiestas naturam suam natura meæ carnis, & sanguinis superuestit: & me miserum in diuitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includit: fit frater meus, Dominus meus, & timorem Domini fratris vincit affectus. Ideo Domine Iesu libenter audio te regnantem in cœlis, sed libentius nascentem in terris. Hæc enim meditatio rapit affectum meum, & huius memoria concalescit cor meum, viuentis & viuidæ potionis asperitate purgatum. Erat vtique Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ suæ admirabilis, illi mirabili creaturæ faciens mirabilia in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Ego autem in luto fæcis, & miseriæ obuolutus, miser & miserabilis, & omnem spem egrediendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria, admirabilis ille, ego miserabilis. Sanctum, & terribile nomen eius, quod vix audeat illud dignior nominare natura. Nomen illud clausum & integrum, quomodo capere poteram, quod vix Angelicus oculus prospicere, necdum perspicere potest, ille, qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cœlos, & fit consiliarius hominum. Maiestatiuum nomen, in precatiuum effunditur, & qui mirabilis est in cœlis, consulere venit in terris. Abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis, & ad lutum vbi iacebam, inclinatur, non mergitur. Et si audeo dicere, infixus sum in limo profundi. Operi manuum suarum porrigit dexteram, de profundis aquarū extraxit, extractum abluit, ablutū induit, indutum reparat, reparatū confirmat. Porrigit dexteram cum nascitur, cum loquitur extrahit, abluit cum moritur,

induit

induit cum resurgit, cum ascendit, reparat, confirmat cum Spiritum sanctum emittit de cœlis.

Ber. ser. 3. in vig. Natiuit. Dom. cir. med.

Et vt agnoscas plenius homo dignitatem tuam, agnoscas & gloriam conditionis tuæ, vel humanæ; tria opera, tres mixturas fecit omnipotẽs illa maiestas in assumptione carnis nostræ, ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint super terram. Coniuncta sunt quippe adinuicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diuersa adinuicem potuerunt coniungi. *Et infra:* Huic limo terreno vim vitalem miscuit, vt in arboribus, vnde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Adiecit etiam vim sensibilem limo nostro, vt in pecoribus, quæ non solum iam vitam habeant, sed & sentiant quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, vt in hominibus, qui iam non solum viuant, sentiant, sed & discernant inter commodum, & incommodum, inter bonum & malum, & inter verum & falsum. Voluit quodque adhuc infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se maiestas, vt quòd melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro cõiungeret: miscerentque seinuicem Deus & limus, maiestas, & infirmitas, tanta vilitas, & sublimitas tanta.

Aug. de spi. & ani. c. 14. to. 3.

Et vide, quòd si mirabilis fuit coniunctio prima, videlicet inter animam & corpus, sed mirabilior fuit secunda inter Deum & limum, nec minus mirabilis erit & tertia, cum homo, Angelus, & Deus, vnus & erit spiritus. Confundatur ergo superbia hominum, & ad humilitatẽm Dei nouerit se de humilia sapere lutum.

Ber. ser 3. in vig. Natiuit. Dom. post med.

Nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & ta men tanta dignatione descendit Deus in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, vt quidquid fecit Deus, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus pertulisse dicatur tam ineffabili, quàm incomprehensibili sacramento. *Et infra:* Aduerte ergo homo, quia limus es, & non sis superbus; quia Deo coniunctus es, & non sis ingratus.

Bern. super Cant. ser. 11. ante med.

Verum quoniam bona, quæ largiri mortalibus non cessat misericors & miserator Dominus, recolere, & recolligere omnia omni homini impossibile est, id saltem quod præcipuum est maximum opus, videlicet redemptionis, à memoria tua aliquatenus nõn recedat.

Aug. ser. 1. in feria 3. post Dom. Pal. de temp. 120. post med. to. 10.

Agnosce igitur quantum valeas, & quantum debeas, & dum pretium tui cogitas, tibi vilis esse desinas.

**Faustinus Aug. vbi sup. prox.*

* Perspice homo quantum valeas, vt tandem, inquam, vilis tibi esse desinas, vt per hoc erubescendis subiacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris, ac Reparatoris dignitate metiris.

Reus namq; eris, non parui pretii, sed sanguinis Christi, qui violas, & maculas animam, Christi sanguine mundatam, & passione redemptam.

Leo ser. 1. in Nat. Dom. cir. fin.

Memento cuius sis capitis, & cuius corporis membrum. Reminiscere, quia morte Christi, erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui veritate te iudicabit, qui misericordia te redemit.

Idem de passione Dom. ser. 13. c. 1.

Miserendi enim nostri Deus causam, nisi in sua bonitate, non habuit. Mirabilior est secunda hominum generatio, quàm prima conditio: quia plus est in nouissimis sæculis reparasse Deum, quod perierat, quàm à principio fecisse, quod non erat.

Bern. ser. 11. in Cant. cir. fin. & parsim.

Memento te, & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At vero per trigintatres annos, operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit sustinens carnis necessitates, & hostis tentationes. Quis vero inter cetera digna penset, quantum fuerit humilitatis, mansuetudinis, & dignationis, Dominum maiestatis indui carne, mulctari morte, turpari cruce? Numquid non valuit opus suum reparare absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis vltra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretq; gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo grauamine auctoris, vel labore. Siquidem dixit & factus sum, quemadmodum vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna, quod in verbi facilitate donauerit? Sic beneficium Creatoris attenuans humana impietas, in gratitudinis materiã inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat; idq; ad excusandas excusationes in peccatis. Sed luce clarius patet, quantum homo pro te factus dispendium fecit, de Domino seruus, de Dei Filio, hominis Filius fieri non despexit.

Bern de diligendo Deo ante med.

Et qui te semel tantum & solum dicendo fecit, in reficiendo profecto multa & gessit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiam indigna. Et ideo licet multum possit hominem incitare ad amandum Deum, quod ipse eum fecit, tamẽ multo amplius debet eum incitare, quòd ipse eum refecit, quia non tam facile refectus, quàm factus. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? *Et paulo ante:* Quid igitur magnum tanto recompensator amori, si puluis exiguus totum se ad re amandum collegerit, quem illa nimirum maiestas in amorem præueniens, tota in opus salutis eius intenta conspicitur?

Anselm. de med. redemp. hum. c. 7.

Ecce Domine, quia tu me fecisti, debeo meipsum amori tuo totum: quia me redemisti, debeo meipsum amori tuo totum: quia tanta promittis, debeo meipsum amori tuo totum. Immo & tantum debeo, plus quàm meipsum, quantum tu es maior me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum.

Bern. ser. 3. in Dom. 6. post Pente. cir. fin.

Et hæc tria considero, in quibus tota spes mea consistit. In charitate adoptionis, veritate promissionis, & potestate redẽptionis. Scio igitur cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, & quia potens in exhibitione.

Hugo de arrha animæ post med.

Cogita igitur quantum diligat te, qui tanta pertulit pro te, & tanta facere dignatus est propter te, & qui tanta tibi dare promittit. Primo namque pulcher factus fueras eius munere, postmodum vero fœdus factus es tua iniquitate. Sed iterum mundatus es, & formosus factus es eius pietate, operante tamen vtrobique charitate. Olim cum non esses, dilexit te, vt conderet te; postea cum fœdus factus esses dilexit te, vt pulchrum faceret, & vt ostenderet tibi quantum te diligeret: nõ nisi moriendo à morte te liberare voluit, vt non tantum pietatis impenderet beneficium, verumetiam charitatis ostenderet affectum. immo & tam sincera charitate diligit, ac si semper cum eo perstitisses, nec exprobrat tibi reatum, nec improperat tibi beneficium. Et si deinceps cum eo fideliter perseuerare, ipsumq; vt decet, amare, & tuum illi amorem incontaminatum seruare volueris, maiora prioribus se daturum promittit.

Ber. in Cant. ser 9 cir. med.

Quia gemina dulcedo suauitatis exuberat in pectore Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam vltionis à contemnente, vt quandoq; gratiam exhibeat remissionis in pœnitente. Non vult enim mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. De pœnitendi facilitate audi: Quacumque hora peccator ingemuerit, peccatũ suum remittetur ei. Et Dauid paucis comprehendit vtrumque. Longanimis, inquit, & misericors.

Ezec. 18 & Ibidem. *Psal. 102. b*

Idem lib de interiori domo c. 37.

Et ideo misericors est, quòd tardius videtur ei peccatori veniam dare, quàm ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet eum passio miseri, quàm ipsum miserum passio sua. Et vt hoc euidentius intelligas, attende.

Hugo vbi supra post med.

Abieras siquidem & perieras, & quia in peccatis tuis A vænumdatus eras, vltra se continere non potuit. Venit igitur ille post te vt redimeret te, & tantum dilexit te, vt sanguinis sui pretium appenderet pro te, talique pacto, & reduxit de exilio, & redemit de seruitio Nulla ergo dilectio maior, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior. Mortuus est pro te innocens, nihil quòd in te amaret inueniens. O cor induratum, cor plus quàm lapideum, eò quòd in morte amatoris tui, quam pro amore tuo sustinuit, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Cur non datum est mihi intelligere Deum Creatorem meum pro amore meo quasi infatuatum, & tamquam ad nihilum videre redactum?

Hugo ibid.

Quidnam inuenisti in me Domine Deus, quòd diligeres, & tantum diligeres, vt moreréris pro me? B

Bernardus.

Quod tale in me inuenisti, pro quo tanta & tam dura & dira sustinere voluisti? O bone Iesu, si mihi saperet etiam præter hæc, quàm dulciter cum hominibus conuersatus es, quàm magna etiam abundanter eis largitus es, dura & aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima & horrenda crucis tormenta. Flagellis cæsus, spinis coronatus, clauis cōfossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen immemor dolorum, ait: Pater ignosce illis. Expansis pro eis in cruce manibus, dedit risum malignantibus, & fletum fidelibus, factusque omnibus est derisui, qui solus potuit esse terrori. Quid igitur magis admirandum? quid amplius detestandum? quid grauius puniendum, quam quod videns Dei Filiū, summum in regno Angelorum, nouissimum in regno hominum, apponit se magnificare homo super terram? C Quid superbis terra & cinis?

Luc. 23. 8

Idem ser. 1. in Epipha. Dom ante med.

Quanto enim se minorem fecit in humilitate, tanto se maiorem ostendit in bonitate, & quanto pro te est vilior, tanto tibi debet esse carior.

Quæ maior iniquitas, quàm vt inde Creator à te contemnatur, vnde plus amari merebatur? Attēde amorem, quo se totum tibi impendit, nihil sibi retinens. Attende, & humilitatem qua seruiuit tibi, nihil sibi dominationis vendicans.

Bernardus.

Primo omnia sua tibi dedit, dehinc & seipsum exposuit vtilitatibus tuis, non parcens sibi propter te, in ieiuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti, etiam in frigore & nuditate.

Leo ser. 14. de Pass. Domini c. 4.

Nam omnes infirmitates nostras, quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit; vt & famis ac D sitis, somni & lassitudinis, mœroris ac fletus, affectionibus non careret, doloresq; sæuissimos, vsq; ad mortis extrema pateretur. Ministerium vero suum impleuit, humilians semetipsum & obediens factus Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis Sed parum tibi forte videtur, quòd cum esset Filius & coæqualis, tamquam seruus seruit Patri, si non & seruo suo, plusquam seruus seruiuit. Factus quidem erat homo, vt Creatori seruiret. Et quid iustius, quam vt seruias illi, à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut sublimius, quàm seruire illi, cui seruire regnare est? Non seruiā, inquit homo Creatori: ego igitur seruiam tibi Creator hominum, Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lauabo. Tu quiesce, ego languores tuos feram, & infirmitates tuas portabo. Vtere me vt libet in omni necessitate tua, non modo E vt seruo tuo, sed etiam vt iumento tuo, vt peculio tuo. Si fatigatus autem & oneratus es, ego te & onus tuum feram, vt legem meam primus impleam. O duritia cordis mei, ad dignationem tantam tam inopinatam! O detestabilem superbiam hominis seruire contemnentis. Dorsum etiam posuit ad flagella, & plagis vapulauit non paucis, nec paruis. Indicio sunt riuuli sanguinis, qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia, & tormento interrogatus fuit, veluti seruus aut latro. Subditur quæstioni, qua confessio extorquebatur criminis. Numquam igitur recedat à memoria tua, tam debita miseratio, tam probata dilectio.

Anselmus.

Scio namque Domine, quia licet multæ sint caussæ, multæ sint rationes, quare te deberemus diligere, nulla tamen maior caussa, nulla cogentior ratio, quàm nostræ redemptionis modus. Debemus diligere te, quia nos creasti, quia nutriuisti, quia pascis & vestis. Sed ideo maxime, quia redemisti nos tali modo, scilicet morte tua, & tali genere mortis, quod tunc temporis erat vilissimum genus mortis, quo puniebantur latrones, & qui magna scelera commiserant. Quanto enim abiectiora pro hominibus pati dignatus es, tanto magis ab hominibus honorari, & diligi dignus es. Quis enim tantæ duritiæ est & obstinationis, vt non possit animum suum inclinare ad te diligēdum, qui tantum dilexisti nos, vt nos lauares à peccatis nostris in sanguine tuo? Quis est, qui non possit feruentius & diligentius & dulcius diligere, quando recordatur, quod in cruce brachia tua expandisti, desiderans nos amplecti, & recipere omnes, qui ad te confugere volunt?

Bernar. in Cant ser. 61 ante med. Ibidem ser. 20. non longe à princ.

In nullo vero clarius, quàm vulneribus tuis eluxit, quòd tu Domine suauis es, & mitis, & multæ misericordiæ.

Idcirco super omnia reddit te amabilem mihi, ô bone Iesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ: Hoc omnino amorem nostrum vendicat facile totum sibi. Hoc, inquam est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quidem laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. In dictis suis sustinuit contradictores, in factis obseruatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores.

Idem in ser. de quadruplici debito sparsim.

Cum igitur deuoueris quidquid es, quidquid potes, nonne sic est quasi stella ad solem, quasi lapillus ad montem, & quasi gutta ad fluuium? Si perpenderes, quàm multa, & quàm multis debeas, videres, quàm nihil sit quod facis, quàm nec etiam inter minima computandum, ad comparationem debitorum tuorum. Quod si nescieris & scire volueris, respice mentali oculo, quanto remunerationis debito astringaris Domino patienti.

Bernardus.

Volue & reuolue Dominicum corpus, à latere vsque ad latus, à summo vsque deorsum & vbique inuenies dolorem. Respice sudorem sanguineum, alaparum contumeliam, flagellorum instantiam, spineam coronam, sputi ludibria, crucis angariam, patibuli suspendium, oculos languentes, oris pallorem, fellita cibaria, acida pocula, caput inclinatum, geniculationes irrisorias, titulum famosum, vestimenti sortem, & geminatum, Crucifige. Quid plura? Vilissimum mortis supplicium, & probra nefandissima. Vide Christum in cruce pendentem, capitis inclinationem ad osculum, brachiorum extensionem ad amplexum, lateris apertionem, & totius corporis confixionem ad effectum. Considera Filium Virginis illitum sputis, liuidum plagis, clauis confixum. Attēde rectorem cœli stantem in cruce, pallidum in morte, & carne deformem. Ne pertranseas Dominum Angelorum, virum percussum à Deo & humiliatum, virum quasi leprosum, & omnibus detrimentis expositum. Copiosa namque apud eum redemptio Et vere copiosa, quia per quinque partes de corpore eius vnda sanguinis emanauit, cum ad redemptionem totius orbis vna pretiosissimi sanguinis sui gutta sufficeret. Sed ideo data est copiosa, vt virtus dilectionis in beneficii redundatione claresceret.

Psal. 129. b

Idem ser. 3. in Nat. Do. post med.

Agnosce etiam, quàm grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si hæc omnia non essent ad mortem, mortemque sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

Hugo.

Hęc quanti valeant frequenter cogita, & in statera charitatis appende, & quidquid amoris impendendum habes, illi repende. Inspice diligenter vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis.

Bern vbi sup prox.

Et quia Filius Dei occidi iubetur, vt pretiosi sanguinis sui balsamo vulneribus tuis medeatur; numquam à corde tuo recedat, quatenus toto tibi figatur in corde, qui pro te totus fixus est in cruce.

In qua

In qua Christi fixione tria diligenter considera, vt illi arctius per amorem adhæreas, triplicem videlicet vtilitatem, triplicem asperitatem, & triplicem paupertatem. Prima vtilitas fuit alaparum, & colaphorum & arundinis percussio, tamquam in ribaldum. Secunda fuit maior, scilicet tamquam in buffonem, vel aliquod sordidum aut fœtens sputi exscreatio. Tertia fuit maxima, videlicet inter latrones matris turpissimæ condemnatio. De triplici autem asperitate vide diligenter. Prima asperitas fuit spinarum per medium cutis capitis, ad modum coronæ crudelis infixio. Secunda maior, totius videlicet corporis vsque ad sanguinis effusionem ligati & non potentis ire quo vellet, crudelior flagellatio. Tertia vero & maxima, omnium membrorum in cruce violentissima distensio, maxime cum talem distensionem comitata fuerit manuũ, & pedum crudelissima transfixio. Nam si ad se membra traheret, propria vulnera in loco sensibilissimo, vt ita dicam, propter neruorum sensibiliũ concursum, & caussam mortis augmentaret: si autem distenta permitteret, dolorem ex distensione, vel quasi dissociationem omnium iuncturarum sentiret. Nam non sunt veriti, membra eius intantum distendere, vt omnia ossa eius possent dinumerari. De paupertate vero considera. Prima paupertas fuit, quod tantum non habebat, quòd in propria domo suum caput reclinare posset. Secunda vero maior iuxta crucem, quòd vestes non habebat, quibus membra tegere posset. Tertia autem maxima, quod nec spatium pedis voluit in terra habere, vnde in aera ascendit, quando in cruce pro te pendere voluit.

Anselm. de meditatione redempt. humanæ. c. 3. 4. 5. & 6.

Tamen in his omnibus non est diuina natura humiliata, sed humana est exaltata: nec est imminuta, sed ista est misericorditer adiuta. Nec humana natura in illo homine passa est aliquid vlla necessitate, sed sola libera voluntate: nec vlla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi Pater, vt moreretur, cogens præcepit: sed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Nec eum ad hoc Pater potuit cogere, quod ab eo exigere non debuit. Sic itaque Patri obedientiam liberam exhibuit, cui hoc placiturũ sciuit, sponte facere voluit. Deniq; quando Pater hanc bonam illi voluntatem, quamuis liberam dedit, non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri vsque ad mortem; & sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit, & calicem, quem dedit illi Pater, bibit. Hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione, spontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios, cũ hoc, quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo pretio non semel tantum à culpis homo redimitur, sed etiã, quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur: quæ tamen pœnitentia peccanti non promittitur. Lætare igitur pro libertate tua, & esto semper gratus illi, qui sic gratis sua morte ad vitam te restaurauit. Sed ô tu Domine, tu qui vt ego viuerem mortem suscepisti, quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cum non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es, & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses: & si tu passus non esses, hæc mea bona non essent. Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quod tu sponte permisisti, nec tu passus es, nisi quia tu pie voluisti. Ergo tu peccator redemptus, illorum crudelitatem dimitte Dei iudicio, & tracta de his, quæ debes Saluatori tuo. Intuere necessitatem tuam & bonitatem eius, & vide quas gratias reddas, & quantum debeas amori eius.

Ioan. 14. d
Ioan. 18. b

Hugo de arrha animæ post med.

O si attenderes quot & quales in comparatione tui abiecti sunt, qui hanc, quæ tibi data est, gratiam per mortem videlicet Filii Dei consequi non potuerunt. Certe audisti ab initio vsq; in hanc diẽ, quàm multæ generationes hominũ perierũt, quæ etiam omnes sine cognitione Dei, & pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnib. illis Redemptor & amator tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiã largitus est, quã nullus hominũ percipere meruit. Et quid dices? Quare putas prælatus es omnib. illis? Numquid tu fortior illis? numquid tu sapientior? numquid nobilior? numquid ditior omnib. illis fuisti? quia hanc præ omnibus illis specialem gratiam sortiri meruisti? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot diuites ibi fuerunt, & tamẽ vniuersi relicti, & abiecti perierunt. Tu solus præ omnibus illis assumptus es, & quare hoc in te factum sit, nullam præter gratuitã Saluatoris tui charitatẽ caussam inuenire poteris. Elegit ergo, & prælegit te in omnibus, & assumpsit te ex omnib. & amauit te præ omnibus: Nomine suo vocauit te, vt memoriale eius semper esset apud te, voluit te participem esse in nomine, participem esse in nominis veritate, quoniã vnxit te illo quo & ipse erat vnctus oleo lætitiæ, vt ab vncto sis vnctus, qui à Christo diceris Christianus.

Adhuc diligentius ac plenius attende, quanta tibi contulit hic amator tuus, vt in omni statu, omni tempore, ipsius beneficia, atque circa te solicitudinem recognoscas.

Ibid. longe post med.

Semper cogita quantam tecum misericordiam fecit, & in hoc perpende quantum ab ipso diligeris, quòd eius beneficium numquam tibi defuisse cognoscis.

Aug. in lib. de diligendo Deo. c. 11. to. 9.

Non enim tibi inter cetera paruum æstimandũ est beneficium, quod bene vtens malo parentum tuorũ, creauit te de carne illorum, & inspirauit in te spiraculum vitę, discernens te ab illis, qui vel abortiui proiecti sunt ab vtero, vel qui inter materna viscera suffocati pœnæ videntur concepti non vitæ. *Et infra:* Quid etiam quod integra tibi, & sana membra creauit, ne esses parentibus tuis dolori, & opprobrio alienis? Magnum certe, & hoc. Sed cõsidera illud, quàm fuerit inæstimabilis bonitatis, quod eo tempore, & inter tales nasci voluit, per quos ad fidem suam, & sacramenta peruenires. Vnde innumerabilibus millibus hominum hoc negatum, quod tibi gratularis esse concessum, cum quibus tecum, cum vna esset, eademque conditio, illi derelicti per iustitiam, tu vero vocatus es per gratiam. Procede & adhuc intuendo munus eius fuisse, quod educatus à parentibus fuisti, quòd te flamma non læsit, quòd non absorbuit aqua, quod non vexatus à dæmone, quòd non percussus à bestiis, quòd præcipitio non necatus, quod vsque ad congruam ætatem in eius fide & tuitione nutritus.

Hugo ibid. vbi supra prox.

Ecce natus es, fons baptismi tibi positus est, & lauacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma & oleum, in cuius vnctione Spiritu sancto liniris. Post hæc delibutus & in vnctione perfusus ad mensam venis, & percipis ibi alimentum corporis & sanguinis Christi, quo interius saginatus & refectus, noxiam illam præteritorum ieiuniorum maciem depellis, & pristina pulchritudine atque fortitudine reparatus, rursus quodammodo iuuenescis. Deinde vestimenta bonorum operum induis, & cum ieiuniis, cum vigiliis, aliisque operibus misericordiæ, vel pietatis, quasi vario ornatu decoraris. Ad vltimum sequuntur aromata virtutum, quorum odor suaue spirans, omnem illum antiquorum sordium fœtorem fugat, ita vt quodammodo tibi totus mutari, & in alium transformari videaris, & magis lætus, magis alacris, magis sospes efficiaris. Datur etiam tibi speculum sancta Scriptura, vt ibi videas faciem tuam, vt neque minus neque aliter quàm deceat, habeat compositio ornatus tui. Quid dicis igitur homo? Scis vtrum ne aliquid horum perceperis? Certe in fonte ablutus fuisti, certe chrismatis vnctionem percepisti, certe de mensa Christi pretiosum cibum comedisti, sed forte iterum pollutus es, habes lacrymas, quibus te iterum abluas. Iterum vnctio emarcuit in te, per piam & bonam deuotionem iterum te vngas. Vide quam pia tibi dispensatione, vbique concurritur. Non habuisti, & datum est tibi; perdidisti &

& restauratur tibi; nusquam derelinqueris, vt scias quantum ille te diligat, à quo amaris. Non vult te perdere, & ideo tanta patientia te expectat, & concedit piè, negligenter toties amissa, iterum atque iterum si tu volueris reparare. O quot iam perierunt, qui ista tecum acceperũt sed amissa iterum recipere non meruerunt. Plus ergo omnibus dilectus es, quia tam benignè amissum redditur, quod illis perditum tam districtè negabatur. Numquid tibi gratia bene operandi nulla data est? Tamen voluntas bona ipso largiente negata non est. Si magna opera facis, misericorditer sublimaris: si non facis magna opera, fortassis salubriter humiliaris. Melius nouit ille, quid tibi expediat, quam tu: & ob hoc si vis de illo bene sentire, totum quod ab illo tibi fit, bene fieri intellige. Forte gratiam virtutũ non habes, sed dum vitiorum impulsu conteris, melius in humilitate solidaris. Suauius redolet Deo humilitas infirma, quàm virtus elata. Nihil ergo dispositioni eius præiudicare audeas, sed semper cum timore & reuerentia ora eum, vt quemadmodum ipse nouit, tibi subueniat, si qua adhuc in te mala permanserint, pie diluat, si qua inchoata sunt bona, benigne perficiat, & ea, qua ipse voluerit via te ad se perducat. Quid tibi amplius dicam? Est ne aliquid adhuc, quod dicere possim ad ostendendam dilectionem? Tibi loquor peccator. Quid dices? Si tua dicis, aliena non poteris. Si aliena & tua, non tamen omnia. Quis enim omnia dicere potest? Et tamen scimus, quia omnium origo est charitas. Ecce duo nati sunt, eadem vtrisque nobilitas generis, eadem hora natiuitatis. Alter in paupertate relinquitur, alter diuitiis sublimatur, & vtrumq; charitas operatur: quia & hunc paupertate humiliat, & illum abundantia consolatur. Iste debilis est, & ille fortis. Iste tenetur ne malum perficiat, ille roboratur vt ad bonum opus conualescat: vtrumq; charitas probat, nec reprobat. Alter per sapientiam illuminatur, alter in simplicitate sensus sui relinquitur. Iste vt seipsum despicere, ille vt Creatorem suum studeat agnoscere: vtrique tamen voluit charitas adesse. Talis est amor Dei in nobis ne quidquam omnino humana infirmitas toleret, quod ipse quantum in bonitate sua est, ad bonum nostrum non disponat. *Et infra*: Animaduerte igitur, sicut superius memoraui, & vide, quòd merito amor iste singularis Dei, qui cum se in multos diffundat, ita tamen vnice singulos amplexatur. Vere pulchrum & mirificum bonum, quod commune est omnium, & totum singulorum, cunctis præsidens, singulos implens, vbique præsens, omnium curam gerens, & tamen singulis quasi omnibus prouidens. Sic certe mihi videtur, cum eius miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, quodammodo nihil aliud faciat Deus, nisi vt saluti meæ prouideat, & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit. Semper præsentem exhibet, semper paratum se offert, quocumque vertero me non deserit, vbicumque fuero non recedit, quidquid egero pariter assistit. Et quòd tandem cunctis actionibus, siue cogitationibus meis perpetuus sit inspector, & quantum ad bonitatem suam pertinet indiuiduus cooperator assistit, ipso operis sui effectu patenter ostendit. Ex quo constat, sicut præmisi, quòd licet facies eius à nobis non possit videri, numquam tamen possit præsentia eius euitari. *Et paulo ante hæc*: Confiteor igitur tibi miserationes tuas, Domine Deus meus, quia non dereliquisti me. Quid retribuam tibi, pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Vis vt diligam te? Et quomodo diligam te? Et quantum diligam te? Et quis sum ego, vt diligam te? Quid faciemus Domino Deo nostro, à quo tot & tanta bona suscepimus? Neque enim contentus fuit ea, quæ & ceteris, bona nobis tribuere; sed in malis quoque nostris eum singularem dilectorem agnoscimus, vt eum tam de bonis, quàm de malis nostris omnibus singulariter diligamus. Tu dedisti mihi Domine, vt te cognoscam, & vt præ ceteris multis de tuis secretis reuelata intelligam. Alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquisti, & mihi præ illis lumen sapientiæ tuæ infudisti. Tu dedisti mihi verius cognoscere te, purius diligere te, sincerius credere in te, ardentius sequi te. Tu dedisti sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam laudabilem, efficaciam in opere, gratiam in conuersatione, profectum in studiis, effectum in conceptis, solamen in aduersis, cautelam in prosperis, fortitudinem in aduersis. & quocunque vertebam me, vbique gratia tua & misericordia præcessit me. Et sæpe cum mihi videbar consumptus, subito liberasti me.

Quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando peccabam, corripuisti me; quando contristabar, consolatus es me; quando desperabam, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me; quando iui, duxisti me; quando veni, suscepisti me. Hæc omnia & multa alia fecisti mihi Domine Deus meus, de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper loqui, semper gratias agere, vt te laudem, & amem pro omnibus beneficiis tuis Domine Deus meus. Amen.

Aug. lib. de dilig. Deo. c.9. to.9. & lib. Soliloq. c.13. eo.10. & li de spi. & ani. c.17. to.3.

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

Præsens Opusculum quadripartitum est: cuius prima pars agit de tribus primæ Hierarchiæ ordinibus: secunda de tribus ordinibus Hierarchiæ secundæ: tertia de tribus ordinibus Hierarchiæ tertiæ: quarta de cæli, & cælestium corporum proprietatibus. Continent autem singulæ partes singularem, & valde vtilem doctrinam iis præsertim, qui regimini præsunt, dum modum ostendit Auctor quo se superioribus spiritibus conformare debeant tam subditi quam prælati pro sua quique ratione. Lector tamen animaduertere debet præcedens Opusculum à S. Bonauentura hic in principio citatum, in quo se de rerum ordine & distinctione egisse ait, illud non esse quod in vltima editione Veneta de mystica Theologia inscriptum huic proxime præponitur, tum quod in eo de his non agit, tum quod an Bonauenturæ sit ab aliquibus in dubium reuocetur, tum denique quod in antiquis impressis non est is opusculorum ordo. Quare vel iniuria temporum tractatus ille non extat, vel fortasse breuiloquium est, in cuius secunda parte de productione, & distinctione rerum agitur. & si coniecturæ aliquis locus est, fortasse Auctor statim post breuiloquium, hoc scripsit.

Prima Pars huius Opusculi de tribus ordinibus primæ Hierarchiæ, cuius hæc sunt capita.

CAPUT I.

De nomine Angeli, & quòd eo varia in Scriptura significentur.

INVISIBILIA Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, vt ait Apostolus, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. A magnitudine enim speciei & creaturæ cogno-

Rom. 1

cognoscibiliter poterat Creator horum videri, ait Sapiens. Ex quo apparet manifeste, quòd humanus intellectus ad inuisibilium & intellectualium contemplationem ascendere non poterit, nisi per visibilium & sensibilium considerationem dirigatur. Impossibile namque est, vt dicit Dionysius, aliter nobis lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumuelatum. Ideo Theologia poeticis sacris informationibus vsa est, vt ex rerum visibilium similitudinibus allegoricæ locutiones & mystici intellectus transsumptiones formentur, & sic sensibilibus & visibilibus spiritualia & inuisibilia coaptentur. Huius rei gratia præsens opusculum, & si laboriosum mihi, tamen & aliis paruulis in Christo lac petentibus, vt spero, non infructuosum, offero ad ædificationem domus Domini, qui est sublimis & gloriosus in sæcula sæculorum. In quo agitur de proprietatibus rerum naturalium quas secundum paruitatem meam, nunc tropologice, nunc allegorice, necnon quandoque anagogice rebus spiritualibus comparaui, iunioribus relinquens materiam exercitii sensibilia insensibilibus, & carnalia spiritualibus coaptandi. Et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantias, secundum ipsarum distinctionem substantiarum & ordinem erit distinctio, & ordo proprietatum, quas in alio opusculo per se positas & distinctas, poteris per ordinem reperire.

Sap. 13.c *Dionys. de Ang. Hier. c. 1.*

Primo igitur de spirituali substantia actu & potentia à materia separata est agendum, cuius proprietates & differentias in præcedenti opusculo traditas, poteris diligentius intueri, sed quantum ad præsens spectat negotium, est notandum, quòd inter principalem & propriam significationem, Angelus metaphorice ad significandum diuersa in sacra Scriptura est transsumptus, quia, vt beatus ait Gregorius, nomine Angeli, nunc Christus, nunc iustus, nunc gratia seu virtus, figuraliter nuncupatur.

Greg. lib. 24 c. 1. & hom. 6. in Euang. in fine.

Christus igitur ratione assumptæ humanitatis, dicitur Angelus propter missionem. Angelus enim mittit & mittitur. sic Christus à Patre in mundum missus est. Vnde dicit Isaias: Quem mittam? & quis ibit nobis? & in Matthæo: Non sum missus, nisi ad oues domus Israel. Et in Ioanne: Honorifico eum, qui me misit. Et in Exodo: Mittam vobis Angelum præcursorem, vt eiiciam Amorrhæum, &c. Et ibidem: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in terram, &c. Vnde Christus sic missus more Angeli alios misit, iuxta illud Matthæi: Ecce ego mitto vos sicut oues. & Lucas: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios, &c. Ideo dicitur in libro Iudicum, Dixit Angelus Domini ad Gedonem: Vade & scito, quòd misero te, & liberabis Israel. & in Hieremia: Ad omnia quæcumque mittam e, &c.

Isa. 6.c *Mat. 15.c* *Ioan. 8.f* *Exo. 33.a* *Ibidem.* *Mat. 10.b* *Luc. 10.a* *Iudic. 6.c* *Hiere. 1.b*

Secundo propter illuminationem. Angelus enim illuminat, & illuminatur. sic Christus diuinitatis lumine repletus, ad illuminandum sedentes in tenebris & vmbra mortis mundo est datus, vt dicit Ioannes: Lux in tenebris lucet, &c. & Isaias: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus, &c. Et in Apocalypsi: Vidi Angelum alium descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius, &c. Est in Actibus: Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris. Nam vbi Christus est, tenebræ esse non potest.

Ioan. 1.a *Isa. 49.b* *Apoc. 18.a* *Act. 12.a*

Tertio propter purgationem; quia Angelus purgat & purgatur, & Christus in Matris vtero diuina virtute ab omni immunditia fomitis est purgatus, & actu & potentia ab omni corruptione vitii liberatus, & fide corda credentium purificat, & ad totius munditiæ puritatem nos informat. In cuius rei figura dixit Angelus ad Manue: Abstineat puer ab omni immundo; vinū & siceram, &c. Isaias: Volauit vnus ad me ex Seraphim, & dixit: Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & mundabitur peccatum tuum.

Iud. 13.c *Isa. 6.c*

Quarto propter perfectionem; quia Angelus perficit & perficitur, & Christus non solum est purgatus à malo, immo perfectus est in omni bono, & est causa totius nostræ perfectionis, iuxta illud Lucæ: Perfectus omnis erit, si fuerit sicut magister eius. Vnde in signum summæ perfectionis, omnia terrena fugere docuit. In cuius rei figuram dixit Angelus ad Iacob: Surge egredere de terra hac, reuertere in terram natiuitatis tuæ, &c. Hic Angelus est Christus, qui monet vt de terrenis fugiamus, & in terram viuentium ingredi festinemus.

Luc. 6.f *Gen. 31.a*

Quinto propter mediationem; nam Angelus inter Deū & homines est medius, & hoc congruit Christo, qui est Mediator Dei & hominum, mundum, scilicet Deo reconcilians, & ad patris amicitiam nos reducens, & pro nobis continue intercedens. Vnde dicit Ioannes: Aduocatum habemus apud Patrem Christum Iesum, qui interpellat pro nobis. Et Iob: Si fuerit pro eo Angelus loquens miserebitur eius, & dicet: Libera animam eius, ne descendat in corruptionem.

1. Ioan. 2.a *Iob 33.d*

Sexto propter mysticam refectionem; nam Angelus diuino alimento repletus, nos reficit, & Christus Patris complendo voluntatem, reficitur. Vnde Ioannes dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, &c. Et sic refectus, & spiritualiter & sacramentaliter nos reficere non destitit, iuxta illud Sapientiæ: Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti. Et 3. Regum: Tetigit eum Angelus, & dixit: Surge, & comede.

Ioan. 4.c *Sap. 16 c* *3. Reg. 19.b*

Septimo propter inferiorum regimen siue gubernationem; Angelorum enim regimini hæc inferiora deputantur, vt dicitur in Ecclesiastico: In vnamquamque gentem præposuit rectores, &c. & hoc Angelo magni consilii, idest Christo conuenit, qui omnium electorum mentes in sua custodia suscipit & tutela, vt dicitur in Ioanne: Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, &c. & in Ecclesiastico: Ne dicas, Coram Angelo non est prouidentia, &c. Et in Exodo: Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra filiorum Israel, abiit post illos, &c. quia Christus, qui omnes præcessit doctrina & exemplo, omnes sequitur custodiæ beneficio. ait enim Psalmista: Immittit Angelus Domini, &c. Bernardus: O quam desiderant ciues Angelici ciuitatis suæ ruinam restaurari, ò quàm soliciti vt veniant lapides viui. Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum, gemitus nostros portantes; non dedignantur nobis fieri socii, qui pro nobis iam sunt ministri. Expectat nos creata iam illa multitudo. Væ tibi quicunque es, qui redire iam desideras ad lutum, reuerti ad vomitum. In quouis diuersorio Angelo tuo reuerentiam age, ne audeas illo præsente, quòd me vidente non auderes.

Eccl. 17. b *Ioan. 17. b* *Eccli. 5. b* *Exo. 14.d* *Psal. 33. b* *Bernar. in medit. c. 6.*

Nomine Angeli iustus intelligitur, & præcipue vir spiritualis & religiosus, & omnis literatus, seu prælatus pro Angelo comparatur, sic Ioannes Baptista propter prædicationis excellentiam, & spiritualis vitę eminentiam, Angelus à Domino nuncupatur in Matthæo: Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Item Ioannes in Apocalypsi: Rectores septem Ecclesiarum Angelos vocat. & Paulus: Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Et alibi: An nescitis, quia Angelos iudicabimus. Et rursus: Mulier habeat velamen super caput suum, propter Angelos.

Angeli nomine iustus quandoque intelligitur. *Mat. 11. b* *Apoc. 1. 2. 3.* *1. Cor. 4. b* *1. Cor. 11. b* *Ibidem.*

Comparantur autem viri iusti Angelis propter septem. Primo propter munditiam cordis, & puritatem conuersationis. Nam Angelus ab omni corpulentia & conditione carnea est separatus. Spiritus enim carnem & ossa non habet. Sic vir iustus nihil habet in se admixtionis carnalis delectationis. immo sicut adeps ab omni carne separatur, vt dicitur in Ecclesiastico, & in Psalmo: Qui fecit Angelos suos spiritus, &c. Ideo legitur Angelus carnes consumpsisse. Extendit, inquit in libro Iudicum, Angelus Domini summitatem virgæ, & tetigit carnes, ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes consumpsit. Vir enim spiritualis, cum virga pœnitentiæ, quidquid in eo carnalitatis est, consumere solet, & per omnia abolere.

Iusti propter septem comparantur. *Luc. 24.f* *Eccli. 47. a* *Psal. 103. a* *Iudic. 6. d*

Item secundo propter limpiditatem diuinæ cognitionis. Angelus enim Deiformem habet intellectum. Vnde sicut eius intellectus Deo immediatè coniungitur, & in-

fluentia occulti luminis illustratur, sic vir iustus, suũ sensum, & intellectum Deo reddit conformem, & non de se præsumit, sed vt amplius mereatur per fidem illuminari, & perfectius diuinis instrui, se Deo subiicere non postponit. Ait enim Apostolus: Destruentes per arma spiritualia, omnem altitutinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Et ad Timotheum: Quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus.

2. Cor. 10. b — 1. Tim. 3. d

Item tertio propter humilitatem subiectionis. Nam inferior Angelus subest superiori, & obedit sine murmure & indignatione, quia superior præest sine tyrannica inferiorum oppressione. In quo notatur, quanta debeat conformitas esse inter imperium prælatorum, & obedientiam subditorum. Nam sicut prælatorum monere est cum mansuetudine, ita subditorum est humiliter iustis iussionibus obedire, sicut dicitur ad Hebræos: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant non gementes. Vnde in signum talis obediẽtiæ dicitur in Zacharia: Alius Angelus egrediebatur in occursum Angeli, qui loquebatur in me, & dixit: Curre, & loquere ad puerũ istum, &c. Ecce cum quanto moderamine maior præcipit, & cum quanta humilitate alter eius imperio acquiescit. Et Petrus in Canonica; Animas nostras castificantes in obediẽtia charitatis & fraternitatis amore, simplici ex corde.

Heb. vlt. c — Zach. 2. a — 1. Pet. 1. d

Item quarto propter rectitudinem intentionis. Nam Angelus, vt dicit Gregorius, in omni suo opere Deũ inspicit & nihil aliud, quam diuinę voluntatis regulam diligit vel requirit. Ita enim exteriora diuino nutu Angeli peragunt, quod mentis aciem ab ipso nõ deflectunt. Ideo dicitur in Matthæo: quod Angeli eorum semper vident faciem Patris. Gregorius: Semper videntis omnia faciẽ intuentur, qui nulla intentionis dissimilitudine ab ipsius præsentia remouentur. Et in 2. Regum: Tu Domine mi, quasi Angelus Dei es, fac quod beneplacitum est tibi: quia qui Deum vera intentione cordis diligit, ab ipsius voluntatis beneplacito non recedit.

Matt. 18. b — 2. Reg. 19. c

Item quinto propter sedulitatem & diligentiam administrationis. Angelus enim ad Sanctorum ministeriũ continue deputatur, & substantiæ suæ agilitate ad peragendum quælibet iniuncta subito concitatur. Omnes enim sunt administratorij spiritus missi, propter eos, qui capiunt hereditatem salutis. Sic absque dubio, viri Angelici Angelorum numero ascribuntur, qui pro aliorum salute laboris ministeria assumere non verentur. Ideo dicit Isaias: Ite Angeli veloces ad populum, &c. Vnde magnum obtinent Angelorum officium, qui docendo & inducendo vitæ exemplo, ad Deum errantes alliciunt & conuertunt. De quo Iacobus: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, animam eius saluabit à morte, &c. talis fuit Angelus, qui dixit ad Agar: Reuertere & humiliare sub manu dominæ tuæ, & noli timere, &c. Talis etiam fuit Angelus, de quo dicit Manue: Obsecro Domine, vt mittas Angelum, vt veniat iterum, & doceat nos, quid de puero, qui nasciturus est, facere debeamus.

Heb. 1. d — Isa. 18. a — Iac. 5. d — Gen. 16. c — Iudic. 13. b

Item sexto propter continuitatẽ dulcedinis contemplationis. Angelus enim sic administrando Deo seruit, quod propter hominum seruitium a contemplationibus intimis non recedit, vt dicit Gregorius: Nam quandocũque ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione nõ recedunt, quia illum semper aspiciũt, qui pręsens est quocumque vadunt. Sic vir spiritualis taliter circa exteriora se occupat, vt deuotionis spiritum non extinguat. Vnde quando extrinsecus per bonorum exercitationes operũ fatigatur in corpore, intrinsecus reficitur in mente. Vnde in Osea dicitur: In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum & confortatus est, fleuit & rogauit eum. Et in Genesi: Vidit Angelos descendentes, & ascendentes per scalam, &c. Scala, sicut ibi dicit Glossa, cuius cacumen tangebat cœlum, significat Christum, qui est via recta perducens ad Deum. per hãc scalam descendunt viri spirituales cum Angelis ministrãdo ascendunt & contemplando. Vnde dicitur in Daniele: Millia millium ministrabant, &c. Et Ioannes: Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super Filium hominis.

Greg. lib. 1. Mor. c. 2. in sensu. — Ose. 12. a — Gen. 28. c — Dan. 7. c — Ioan. 1. g

Item septimo, propter fixum & stabilem motum dilectionis, quo amor Angelicus tamquam ignis sine termino in Deum mouetur, ideo sæpius Angeli in specie ignis leguntur apparuisse, vt in Exodo apparuit Dominus, idest Angelus, in quo erat Dominus, in flamma ignis de medio rubi, & videbat quód rubus ardebat, & non comburebatur, &c. Rubus, est vir spiritualis spinis pœnitentiæ circumplexus. medium rubi est cor viri iusti, de cuius medio erumpere debet flamma inextinguibilis charitatis. Vnde dicitur in Canticis: Lampades eius Lampades ignis, atque flammarum. Et in Psalmo: Ministros suos facit flammam ignis. Hoc igne cor accensum ardet, & non cõburitur, quia nulla aduersitate frangitur, nullo etiam mortis metu ab illo, quem diligit, separatur. Vnde 2. Regum legitur: Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, qui nec benedictione, nec maledictione mouetur. Ideo dicitur in Actis: Angelus Domini apparuit Moysi in igne rubi. Et in libro Iudicum: Angelus Domini cum flamma pariter ascendit in cælum.

Exo. 3. a — Can. vlt. b — Psal. 103. a — 2. Reg. 14. d — Act. 7. d — Iud. 13. d

Item Angelus, dicitur gratia Dei, siue virtus. Hũc Angelum Dominus mittit, quando alicui gratiam infundit: ideo dicitur in Daniele: Angelus Domini descendit in fornacem, &c. Omnis enim æstus concupiscentiæ, ac fomitis incentiuum extinguitur, quãdo Angelus in fornacem mittitur, idest quando diuina gratia cordi infunditur, & virtus animæ inspiratur. Virtus enim dicitur quasi virum tuens, vel quasi virens intus: quoniam duplicem habet effectum, nam animã sua præsentia tuetur, ac conseruat, & ornat atque decorat, sicut Angelus hominem custodit, & seruat, animam etiam illuminat, perficit, & informat. Ideo dicitur in Actis: Viderũt vultum Stephani, quasi vultum Angeli. Et in libro Esther: Vidi te Domine, quasi Angelum Dei. Valde ei mirabilis es, & facies tua plena gratiarum, dicitur ergo gratia Angelus Dei, per quem mens humana perfectissime custodiatur, per quẽ peccatum expellitur, & potestas dæmonum in anima euacuatur. Vnde dicitur in Exodo: Angelus meus præcedet te, & custodiet te in via, & eiiciet Amorrhæum, Cananæum, &c. Septem nomina gentium ponit, per quæ septem principalia peccata intelligit, quæ superueniens gratia eiicit penitus & excludit. Et sunt nouẽ genera gratiarum, quæ comparationem habent ad nouem ordines Angelorum, & quarum vsu ad Angelorum æqualitatem peruenitur.

Angeli nomine gratia Dei siue virtus significatur. — Dan. 3. e — Act. 6. d — Esth. 15. d — Exo. 23. d

Prima igitur gratia, est gratia dilectionis siue charitatis, de qua Lucas: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quę est vobis gratia? Et Ioannes: Maiorem gratiam non habeo, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare. Ista gratia à Domino animæ immissa, ipsam inflammat, & per feruorem amoris, ordinis Seraphim ipsam assimilat, & conformat. Vnde in Luca dicitur: Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat? Et in Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis.

Luc. 6. d — 3. Ioan. 1. b — Luc. 12. f — Thren. 1. c.

Secunda gratia, est gratia sapientię, & diuinæ cognitionis, de qua in Prouerbiis: Inueniens gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Et in Ecclesiastico: In me omnis gratia vitæ & veritatis. Et in Prouerbiis: Super aurum & argentum est gratia bona. Et in Ecclesiastico: Vir sapiens amabilem se faciet, gratiæ autem futurorum effundentur: Hæc gratia mẽtem illuminat, & intuitum animæ ad Deum videndum per fidem habilitat, & informat: Vnde Psalmista: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Per hanc gratiam ordo Cherubim in anima collocatur, quando mens à sensu carnali abstracta, ad susceptionem diuini luminis per cognitionem veritatis præparatur. Et hoc intellexit Psalmista cum dixit: Ascendit super Cherubim, & volauit, &c. Et Ezechiel: Tu Cherubim plenus sapientia, & decore.

Prou. 3. a — Eccli. 24. c — Prou. 22. a — Eccli. 20. b — Psal. 18. c — Psal. 17. a — Ezech. 28. c

Tertia

Tertia gratia eſt contemplationis, ſiue ſpiritualis delectationis quæ ex plenitudine diuinæ dilectionis & cognitionis in anima generatur. De hac dicitur in Exodo: Domine ſi inueni gratiam coram te, oſtende mihi faciem tuam, &c. Et in Eccleſiaſtico: Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus, & ſuper hoc virides ſationes. Hęc gratia mentem quietat & pacificat, & velut ſedem quietiſſimam, ad diuini ſuperaduentus ſuſceptionem præparat & coaptat, & ſic Thronorum ordinem repræſentat. anima etiam iuſti ſedes ſapientiæ eſt Dicitur etiā in Eccleſiaſtico: Thronus meus in columna nubis. Columna nubis, eſt anima per contemplationem ſuſpenſa & eleuata, in qua Dei Filius tamquam in throno requieſcit.

Exo.33.c *Eccli.40.c* *Eccli.24.a*

Quarta gratia eſt benignæ ſeueritatis, ſiue ſeueræ liberalitatis, ad bene præſſendum. Magna enim gratia Dei eſt, quòd prælati ſic exequantur contra delinquentes iuſtitiam, vt benignitatem & miſericordiam non dimittant. Vnde dicitur in Eccleſiaſtico: Curam illorum habe, vt ornamentum gratiæ accipias, & coronam ac dignitatem conſequaris. Et alibi iterum: Retribuet gratiam, qui offert ſimilaginem, & qui facit miſericordiam offert ſacrificium. Et rurſum: Sunt homines miſericordiæ, intuentes gratiam in oculis omnis carnis, &c. Hæc gratia ordinat prælatos reſpectu ſuorum ſubditorum, vt ſciant qualiter ſe debeant inferioribus conformare, & ſine tyrannide dominari. Ideo dicitur adhuc in Eccleſiaſtico: Rectorem te poſuerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. & ſic configuratur ordini Dominationum. Apoſtolus etiam ad Coloſſenſes: Domini, quod iuſtum eſt, facite ſeruis veſtris, ſcientes, quia & vos Dominum habetis in cœlis. Et Petrus: Non vt dominantes in clero, ſed forma gregis facti ex animo, & cum venerit princeps paſtorum percipietis immarceſcibilem coronam gloriæ.

Eccli.32.a *Eccli.35.a* *Ibidem.* *Eccli.32.a.* *Coloſſ.4.a* *1.Pet.5.a*

Quinta gratia eſt humilitatis ad obediendum, de qua dicitur in Eccleſiaſtico: Quanto magnus es, tanto plus te humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna eſt potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur. Et Petrus: Humilibus dat gratiam. Hæc gratia ordinat ſubditos reſpectu ſuorum ſuperiorum, vt debitam reuerentiam eis impendant. Vnde dicitur in Eccleſiaſtico: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. & ſic per hanc gratiam ordini Principatuum anima conformatur. Magnus enim princeps eſt, cui propria voluntas non principatur. Ait Eccleſiaſticus: Principatus ſenſati ſtabilis erit. Et Iob: Senes aſſurgentes ſtabant, & principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo, &c. Et in Geneſi: Princeps Dei es apud nos. Et Pſalmiſta: Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus, &c.

Eccli.3.a *1.Pet.5.b* *Eccli.32.b* *Eccli.10.a* *Iob 29.b* *Gen.23.a* *Pſal.67.c*

Sexta gratia eſt patientiæ & longanimitatis, de qua Petrus: Hæc eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſte. Quæ enim gratia eſt, ſi peccantes ſuffertis? Et in Eccleſiaſtico: In dolore ſuſtine & in humilitate tua patientiam habe. Hæc gratia docet reſiſtere tentationibus, & aduerſas dæmonem coercere poteſtates. Vnde Eccleſiaſtes: Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, ne dimiſeris locum tuum Locum ſuum dimittit qui per impatientiam dæmoni cedit, cum dicat: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Vnde per patientiam conformatur homo ordini Poteſtatum. Maxima enim poteſtas eſt per patientiam ſeipſum, mundū, & diabolū ſuperare. Vnde in Prouerbiis: Melior eſt vir patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Et in libro Machabæorum: Accingimini viri potentes, &c. Et in Pſalmo: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

1.Pet.2.d *Eccli.2.a* *Eccli.10.a* *Iac.4.b* *Prou.16.d* *1.Mach.3.g* *Pſal.44.a*

Septima gratia eſt pudicitiæ & caſtitatis. Ait enim Sapiens: Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc Dei donum eſt. Gratia enim ſuper gratiam, eſt mulier ſancta & pudorata, vt dicitur in Eccleſiaſtico. item in Deuteronomio: Si non inueniet mulier gratiam coram viro ſuo propter aliquam fœditatem, abominabilis erit mulier huiuſmodi. Gratia enim Dei luxurioſo penitus denegatur. Hæc gratia hominem facit virtuoſum, vt viriliter omnes motus ſenſualitatis rebellantes conterat, & allidat. Vnde Pſalmiſta: Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: Et hæc virtus refertur ad ordinem virtutum; quorum eſt officium, naturam lapſam vel corruptam miraculoſe reparare. Non enim eſt maius miraculum, quàm in carne præter carnem viuere. hoc enim non eſt humanæ naturæ ſed Angelicæ, vt dicit Hieronymus. Et Pſalmiſta: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini, &c.

Sap.8.d *Eccli.26.c* *Deut.24.a* *Pſal.30.d* *Hieron. ad Demetria Epiſt. 8. poſt med.*

Octaua gratia eſt eloquentiæ ad docendum, de qua Pſalmiſta: Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. & habetur etiam in Prouerbiis: Propter gratiam labiorū, habebit amicum regem. Et in Eccleſiaſtico: In labiis ſenſati inuenietur gratia. Hæc gratia ordinat animam ad gradum Archangelorum, quorum eſt docere. Vnde in Daniele: Gabriel fac intelligere viſionem. Et alibi: Egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Et Malachias: Labia ſacerdotum cuſtodiunt ſcientiam, &c.

Pſal.44.a *Prou.22.b* *Eccli.21.c* *Dan.8.e* *Dan.9.f* *Mala.2.b*

Nona eſt gratia miſericordiæ & pietatis ad compatiendum, de qua in Eccleſiaſtico: Eleemoſyna gratiam hominis conſeruabit quaſi pupillam. Et alibi: Fatuo, id eſt, auaro non erit amicus. & non erit gratia in bonis illius. Hæc gratia conformat mentem ordini Angelorum, qui omnes ſuas gratias nobis communicant, qui bonis noſtris congratulantur. Vnde Lucas: Maius gaudium, &c. & noſtris miſeriis compatiuntur. Iſaias: Angeli pacis amare flebunt. Et in libro Iudicum: Aſcendit Angelus ad locum flentium.

Eccli.17.c *Eccli.20.b* *Luc.15.b* *Iſa.33.b* *Iudic.2.a*

Cum ſecundum Dionyſium: Hierarchia ſit ſacrarum, & rationalium rerum ordinata poteſtas debitum in ſubditis retinens principatum. manifeſtum eſt, triplicem eſſe hierarchiam, ſecundum triplicem ordinatam à Deo poteſtatem, ſcilicet diuinam, Angelicam, & humanam. Eſt itaque prima hierarchia ſupercœleſtis ſiue diuina, quæ conſiſtit in tribus increatis perſonis. Secunda eſt cœleſtis ſiue angelica, quæ completur in bonis Angelis & beatis. Tertia eſt ſubcœleſtis, ſcilicet humana, quæ in prædeſtinatis hominibus perficitur, & præcipue in prælatis Hæc autem hierarchia humana ad ſimilitudinem cœleſtis hierarchiæ ordinata eſt, & diſpoſita, & ſecundum maiorem vel minorem gratiæ ſiue poteſtatis perceptionem, in maiori vel minori, ſiue in excellentiori & inferiori gradu ordinatiſſime conſtituta. Vnde in Iob dicitur: Numquid noſti ordinem cœli? aut rationem eius pones in terra? &c. Noſſe cœli ordinem, eſt cognoſcere ſupernarum virtutum ordinatiſſimam diſpoſitionem; eius rationem in terra ponere, eſt vitam & officium hominum, quamdiu in terra ſunt, ſecundum ſimilitudinem cœleſtium ſpirituum ſancte & reuerenter ordinare. Vnde nouem ſunt ordines ordinandorum, ſicut nouem ſunt ſancti ordines Angelorum. Eſt enim ordo Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, acolytorum, exorciſtarum, lectorum, pſalmiſtarum, & oſtiariorum: ſicut Moyſi dictum eſt: Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Et in Sapientia dicitur: Dixiſti me ædificare templum & altare, ſecundum ſimilitudinem ſancti tabernaculi, quod præparaſti ab initio, &c. Et 1. Paralip. Omnia, inquit Dauid, euenerunt ad me ſcripta manu Domini, vt intelligerem opera exemplaris. Noſtra itaque exemplaria ſunt ſanctorum Angelorum agmina ordinata, vt ſcilicet ſecundum ipſorum ordinationem, diſtinctionem, & operationem noſtram, quantum poſſibile eſt, ordinemus conuerſationem. Vt igitur illa omittamus, ratione difficultatis, & prolixitatis, quæ dicit Dionyſius in Eccleſiaſtica hierarchia, hoc ſufficiat de hoc iſta vice, quòd Eccleſia militans in ſuis membris diſponitur, ſecundum ſimilitudinem Eccleſiæ triumphantis, & hoc quoad ordinationem, quoad ſcientiam, & quoad actionem. Eſt enim hierarchia, vt dicit Dionyſius, ordo diuinus, ſcientia, & actus, Deiforme ſimilans, & ad inditas ei diuinitus illuminationes proportionaliter aſcendens. In ordine notatur diſtinctio illorum. qui per ordinatum officium, à Domino maiorem vel minorem recipiunt poteſtatem.

Dionyſ. *Hierarchia triplex.* *Iob 38.d* *Exo.25.d* *Sap.9.b* *1.Par.28.c* *Dionyſ. de cœleſ. Hier. c.3.*

teritatem. In scientia, notatur discretio, in actione vero ministerium. Sine ordine enim præsumptio est actio: sine actione, negligentia est ordo; sine scientia & discretione, est actio reprehensibilis, & ordo inutilis. Et ideo tam in ordine, quàm scientia & actione, & hominum, & Angelorum potestas Dei vniformitatem imitatur, & secundum modum, & mensuram suæ illuminationis in ordine suo proficit, & recte discernendo, & bene operando, ad Dei conformitatem, quantum possibile est, ascendit, * tunc vero Angelorum hierarchiæ, quibus per imitationem, & vitæ conformationem, dum tres electorum hominum ordines secundum trinas conditiones siue differentias singulis appropriatas comparantur. Et hi tres saluandorum status significantur per illos tres, quos dicit Ezechiel liberandos. Si fuerint, inquit, in ciuitate hi tres viri, scilicet Daniel, Noe, & Iob, num liberabunt animas suas? Daniel, qui abstinentiæ merito obtinuit intelligentiam visionum, typum gerit claustralium & religiosorum, qui continue gratia & excellentia abstinentiæ, qua non solum abstinent ab illicitis, verum etiam àlicitis concessis, merentur amplius illuminari. Noe autem, qui arcam gubernauit, formam gerit prælatorum, per quorum scientiam, & regiminis industriam, electi in arca Ecclesiæ constituti, à diluuii, id est, peccati periculo merentur liberari. Per Iob vero, cœtus actiuorum, & coniugatorum numerus poterit designari, pietatis operibus & misericordiæ comprobatus. Iob enim fuit coniugatus.

Locus iste mutilus est. — *Ezec. 14. d*

Tres igitur sunt ordines electorum, scilicet religiosorum, siue contemplatiuorum, prælatorum, & actiuorum. De his dicitur in Luca: Duo erunt in lecto, in agro, & in mola. Nam illi, qui sunt contemplatiui, in cubiculo diuinæ suauitatis requiescunt: qui vero prælati sunt, in agro regiminis, correctionis, & prædicationis officio se exponunt. sed qui vere subditi sunt & actiui laborem molæ nõ renuunt, & à boni exercitio non desistunt, &c. Iste igitur triplex status saluandorum, per quandam appropriationẽ videtur esse cõparabilis triplici statui Angelorũ, inter quos, secundũ ordinũ differentiam, quidã sunt primi; quidam vero vltimi, & quidã intermedii. Primi quidem ordines hierarchici, debent esse tres ordines, scilicet Angeli de ordine Seraphim, qui amoris incendio præ ceteris feruent: Cherubim quoque, qui cognitionis priuilegio gaudent, & Throni, qui iustitiæ perpendiculo aliis præeminent. Angelis horum trium ordinum, qui officio & dignitate sunt ceteris sublimiores, comparabiles sunt viri summæ perfectionis, religiosi videlicet, & claustrales, qui tanto maioris meriti æstimantur, quanto ad altiorem vitæ perfectionem ex voti proposito obligantur. Et ideo nomen & officium Angelorum, qui Deo sunt viciniores, sibi vendicant, qui amoris incendio inflammati, ac sapientiæ dono præditi, diuinæ iustitiæ se conformant. Vnde dicuntur Seraphim, id est, ardentes vel incendentes, propter incensionem & feruorem charitatis; Cherubim, propter plenitudinem cœlestis sapientiæ, & cognitionem diuinæ veritatis: Throni vero propter amorem iustitiæ, & perpendiculum æquitatis.

Luc. 17. g

CAPVT II.

De Seraphim.

Dicuntur igitur primo Seraphim, quia Angeli illius ordinis, diuini amoris incendio præ ceteris inflammati aliorum sunt inflammatiui. Sic religiosi quasi ignei, illos ad amorem Dei & proximi inflammant, ad quorum corda, nunc verbo, nunc exemplo appropinquant. Dicitur enim in Ecclesiastico: Surrexit Helias sicut ignis, & sermo eius sicut facula ardebat. Et in Luca: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? &c. Et ideo Angeli ordinis Seraphim, non solum dicuntur calidi, immo superferuidi. Nam qui feruet caloris violentia, nunc extra se iactatur, nunc supra se tollitur. sic mens religiosa in Dei amore feruida, nunc supra se per deuotionẽ rapitur: infra etiam, vt quando suiipsius obliuiscitur; nunc ad proximum inflammandum diffunditur, & dilatatur, in se stare non valens; nunc volens alios attrahere, & sibi incorporare satagit, & conatur. Vnde dicitur in Iob: Feruens & fremens absorbebit terram. Et Psalmus: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Et in Apocalypsi: Vidi Angelum, cuius facies erat vt sol, & pedes eius vt columna ignis. Ideo dicitur in Isaia: Volauit ad me vnus ex Seraphim, & in manu eius calculus ignitus, quem tulerat de altari, & tetigit os meum, &c.

Seraphim sunt inflammatiui. — *Eccli. 48. a* — *Luc. 24. e* — *Iob 39. e* — *Psal. 103. a* — *Apoc. 10. a* — *Isa. 6. a*

Item secundo, quia in se mobiles aliorum sunt motiui. Vnde & volasse leguntur in Isaia: Sic religiosi spiritu diuinæ dilectionis moti, mobiles sunt iussis superiorum, sine moræ dispendio obtemperando, & aliis exemplum obedientię relinquendo, tales perficere imperata nõ procrastinant, sed velut volucres, ad omne, quod præcipitur aduolant, & festinant. Ideo de veloci talium obedientia dicitur in Isaia: Qui sunt isti, qui vt nubes volant? Et alibi: Ite Angeli veloces. Et in Sapientia: Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Et in Ezechiele: Quocumque ibat spiritus, rotæ leuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ, &c. Spiritus vitæ est charitas, quę vita est animę. Qui enim non diligit, manet in morte, vt dicit Ioannes. Spiritus quidem vitæ, principium est motus & operationis in corde. Vnde si fuerit spiritus vitæ in corde mobilem efficit hominem, & agilem ad quamlibet victoriosam actionem. de tali dicitur in Prouerbiis: Vidisti hominem velocem in opere suo? &c.

Seraphim sunt motiui. — *Ibidem.* — *Isa. 60. b* — *Isa. 18. a* — *Sap. 7. e* — *Ezech. 1. e* — *1. Ioan. 3. c* — *Prou. 22. d*

Item tertio acuti sunt & penetratiui: penetrant enim contemplando ad interiora velaminis, id est, ad secretissima Deitatis: sic contemplatiuorum affectus per desiderium semper in Deum tendit, & extra se non effluens, ad aliud præter ipsum, & extra ipsum non diuertit. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Gyrum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui. Et ad Corinthios: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et Iob: Omne pretiosum vidit oculus eius, profunda fluuiorum scrutatus, &c. Tam acutus & penetratiuus fuit Paulus, quòd in perscrutatione cœlestium arcanorum, vsq; ad cœlum tertium introiuit. Vnde in libro Sapientiæ dicitur inter alia, quòd spiritus sapientiæ est acutus.

Seraphim acuti & penetraui. — *Eccli. 24. a* — *1. Cor. 2. c* — *Iob 28. b* — *Sap. 7. c*

Item quarto sunt inferiorum & suppositorum reductiui: quia quos Seraphim igne charitatis accendunt, ad Deũ qui sursum est, deducunt, & conuertunt. Sic affectus viri spiritualis, igne charitatis succensus, nunc se extendit ad Deum per contemplationẽ, nunc vero ad proximum per compassionẽ. Ad Deum mouetur, vt in eo conquiescat; ad proximum, vt ipsum ad Deum reuocet & reducat. Vnde Iacobus: Si errauerit quis à veritate, & cõuerterit eum aliquis, scire debet, &c. Et in Exodo: Si errauerit bos vel asinus reduc eum, &c.

Seraphim inferiorum reductiui. — *Iac. vlt. d* — *Exo. 23. a*

Item quinto actiui & exemplificatiui, quia non solũ inferiores accendunt, verumetiam & ordinate diligẽdi formam tribuunt: quia Angelos inferiores informant qualiter per amorem perfectum redeant in Deum, & secũdum superiora proficiant & incedant. Et hoc proprie religiosis congruit, quos Dominus sæcularibus posuit in exemplũ, vt secundum ipsorum imitationem mores prauos corrigant, & contemptis terrenis, cœlestia appetant & acquirant. Sic & Isaias nudus & discalceatus, datus est in signũ & portentum Ægyptiis, & Æthiopibus, & quibusdam aliis. Vita itaque religiosorum exemplar est mundanorum. Similiter vita & conuersatio sancta prælatorum, forma est & reformatio vitæ subditorum. Vnde dicitur in Deuteronomio: Describet sibi Rex Deuteronomium legis, & accipiet exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, &c. Et Zacharias: Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et Ioannes dicit: Exemplum dedi vobis, &c. Et Paulus: Esto exemplum fidelium, in verbo, in fide, & in castitate. Mali autem sanctorum Angelorum omisso exemplo, se exhibent exemplar perditionis sicut Achaz, qui misit exemplar altaris Damasci in Hierusalem. Quod quidem videntur facere aliqui de modernis, qui hoc sæculo nequam se conformant, relictis, & abie-

Seraphim actiui & exemplificatiui. — *Isa. 20.* — *Deut. 17. d* — *Zach. 13. e* — *Ioan. 13. b* — *1. Tim. 4. a* — *4. Reg. 16. b*

ctis Pa-

ctis Patrum & regulæ institutis, vt dici possit illud Iob: Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplũ suum. Relinquunt aliis exemplum culpæ, erunt posteris exemplum pœnæ, sicut dicit Ezechiel: Eris opprobrium & blasphemia, & exemplum & stupor cunctis gentibus. Et Petrus: Ciuitatem Sodomorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens, &c. Et Canonica Iudæ: Ciuitates finitimæ simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

Iob 17.b
Ezech.5.d
2.Pet.2.b
Iud. in Canon.

Item sexto, Angeli ordinis Seraphim sunt holocausti purgatiui: quia non solum sunt purgati à corruptione mali, immo ab imperfectione omnis boni, in quibus nulla adest mali corruptio, nec deesse alicuius boni perfectio comprobatur. & hoc potissime congruit viris Angelicis & perfectis, qui se Domino medullatum holocaustum penitus obtulerunt, qui velut Angeli ignei, in se etiam leuioris culpæ maculam nõ admittunt: immo omnem mali speciem in se, & in aliis annihilant, & consumunt. Ideo dicit Malachias: Erit quasi ignis conflans, & sedebit, & purgabit filios Leui. Et in Ecclesiastico: De negligentia purga te cum paucis. Nec solum sunt puri, & immunes à corruptione mali, verumetiam ab imperfectione boni, vt dicitur in Deuteronomio: Perfectio tua & doctrina tua à viro sancto, &c. Sic etiam dictum est Abraham: Ambula coram me, & esto perfectus. Ideo dicunt Seraphim ad Isaiam: Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum purgabitur. in quo notatur purgatio omnis mali. Et sequitur in eodem capite: Adhuc erit decimatio, & conuertetur, & erit in ostensione sicut terebinthus, & sicut quercus expandens ramos suos, semen sanctum erit, quod steterit in ea. Ecce perfectio totius boni, quæ consequitur purgationem mali.

Seraphim purgatiui.
Mala.3.a
Eccli.7.d
Deut.33.b
Gen. 17.a
Isa. 6.c
Ibid. d

Item septimo sunt illuminatiui & omnis tenebrosæ obscuritatis fugatiui; luciformem enim & illuminatiuam habent proprietatem, vt dicit Dionysius. quod viris spiritualibus potissime conuenit, quos Deus velut luminaria in firmamento, id est, in Ecclesia collocauit, quibus dicitur: Vos estis lux mundi, & ideo omnes tenebras in se, & in aliis discutiunt, & lucis spirituales radios vndique circumspargunt, iuxta illud Iob: Per quam viam spargitur lux? Et ad Ephesios: Vt filii lucis ambulare in dilectione. Et ad Philippenses: Inter quos lucetis tamquam luminaria, &c. Et Daniel: Fulgebũt iusti, siue docti, sicut splendor firmamenti, &c. Nomine igitur Seraphim, qui Deo immediatius coniunguntur, & in diuinis laudibus voces frequentius emittere dignoscuntur, viri religiosi & spirituales non immerito intelliguntur, qui viciniores sunt Deo per contemplationem & laudis continuationem, sicut dicitur in Isaia: Clamabat alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. & propter charitatis incensionem, cuius excessus siue incensio plus exigitur in ipsis quàm in aliis, præsertim cum ipsi sint altare Domini, in quorũ corde & corpore iuge sacrificium Domino immolatur; & ideo ignis in hoc altari est continue accendendus, vt patet in Leuitico: Ignis, &c.

Seraphim illuminatiui.
Dion. de cœlesti Hier. c.7.
Matt. 5.b
Iob 38.c
Eph.5.b
Phil.2.b
Dan.12.a
Isa. 6.b
Leuit.6.b

De istis autem Angelis ordinis Seraphim, septem specialiter exprimuntur, scilicet quòd stabant, quòd duo erant quæ stabant, quòd bis sex alas habebant, quòd se velabant, quòd volabant, quòd clamando requiem non habebant, quòd tollentes lapidem ignitum de altari, labia Isaiæ emundabant. Ista omnia exiguntur in viris Angelicis & spiritualibus, quoad statum perfectionis. Quòd namque duo fuisse dicuntur, refertur ad mutuæ cohabitationis associationem, siue ad mutuam geminæ charitatis exhibitionem; quia inter pauciores, quàm inter duos, esse non potest ostensio charitatis. Ideo dicitur in Luca: Misit binos & binos, ante faciem suam, &c. Et Ecclesiastes: Melius est duos esse simul quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suæ, &c. Ideo duo Angeli missi sunt simul in Sodomam, vt habetur in Genesi, quorum vnus gentem peruersam subuerteret, alter vero iustum Lot cum sua familia liberaret. Ad vtrumque ministerium complendum vnus Angelus suffecisse potuisset, duos tamen simul misit Dominus, vt societatem mutuam in Angelis & hominibus commendaret, & ad augmentum & conseruationem charitatis societatem esse necessariam demonstraret. Ideo dicit Psalmista: Ecce quàm bonum, &c. Ideo dicuntur duo fuisse in agro, duo in lecto.

De Seraphim septem dicta Isaiæ explicantur.
Luc.10.a
Eccli.4.b
Gen.19.a
Psal.132.a
Luc.17.g

Quòd autem secundo super templum stabant, scilicet quòd non sedebant, non iacebant, sed fixi & erecti super vtrumque pedem stabant, refertur ad erectam affectionis & intentionis eleuationem ad cœlestia, & ad fixam ac immobilem æternorum contemplationem. Vnde dicitur in Psalmo: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Et in Hieremia: State super vias vestras, & videte, & interrogate, quæ sit via bona? Et in Psalmo. Mane astabo tibi, & videbo. Et in Habacuc: Super custodiam meam stabo, &c. Et in Sapientia: Cœlum attingebat stãns in terra. Ideo dicitur Angelum stetisse iuxta aram templi, &c. in Apoc.

Psal. 121.a
Hier.6.d
Psal.5.a
Haba.2.a
Sap.18.c
Apoc.8.a

Tertio bissenas alas habebãt, quia sex erant vni, sex alteri, & hoc habet referri ad plenitudinem operũ charitatis & misericordiæ, quæ necessario super obseruationem decalogi supererogantur, quib. viri spirituales, velut duodecim pennis siue alarũ fulcimentis, à terrenis ad cœlestia eleuantur. Sex itaque alæ vnius, sunt sex opera misericordiæ, quæ exhibentur proximo respectu corporis, scilicet reficere esurientem, potare sitientem, cooperire nudum vestimentum nõ habentem, visitare infirmantem, recolligere pauperem transeuntem hospitio, sepelire morientem. De quibus dicitur in Matthæo, & in Tobia. Sex vero alæ alterius, sunt sex opera spiritualia proximo exhibita ex parte mentis, scilicet conuertere errantem, instruere ignorantem, ad gratiam suscipere pœnitentem, diligere persequentem, arguere delinquentem, defendere innocentem. Talibus alis à dextris & à sinistris, electorũ mentes ad cœlestia eleuantur, sicut dicitur in Psalmo: Si sumpsero pennas meas diluculo, &c. Et Ezechiel: Pennæ eorum erant iunctæ alterius ad alterum, &c. Et in Apocalypsi: Datæ sunt ei alæ, vt volaret in desertum à facie draconis persequentis.

Matt.25.
Tob.1.&2.
Psal.138.b
Ezech.1.c
Apoc.12.d

Quòd autem Seraphim velabant faciem & pedes, refertur ad humilem religiosorũ intentionẽ. Non enim intendunt sua merita propter hominum laudem publicare, sicut faciunt hypocritæ, qui stant in angulis platearum orantes, vt videantur ab hominibus, vt dicitur in Matthæo; sed vt Deo placeant, qui videt in abscondito, student bona quæ faciunt occultare. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera, vt dicit idem Matthæus. Caput itaque corpus & pedes velant, & tegunt, qui nec in principio, nec in fine nec in medio, de bonis, quæ faciunt, laudari appetunt ab hominibus, vel requirunt.

Matt.6.a
Ibidem.

Seraphim quinto dicũtur volasse, & hoc refertur ad perfectionẽ iustorum, & meritorum multiplicationẽ. Nam auis volans per multiplicatũ aliarum motũ, & sæpius iteratum, aera petens, à terra se elongat: sic viri sancti nõ per otium & torporem, immo per bonorum operum exercitium & laborem, relictis terrenis, cœlestibus appropinquant. Psalmista: Quis mihi dabit pennas? &c.

Psal.54.b

Clamor sexto Seraphim iugem significat diuinæ laudis sine intermissione continuationem: sic continue prorumpunt electi ex desiderio videndi Deum. idem Psalmista: Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandũ in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cũ hæreditate tua. Clamabant autem Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ideo enim prorumpunt electi, præcipue religiosi, in triplicẽ laudem Dei; quia ipse Sanctus sanctorũ electos suos sanctificat, ab amore mundanorum separando; & separatos in via meritorum promouendo; & in fine iam sanctificatos, per sanctificationis consummationem in gloria præmiando. Est itaque iugiter laudandus quia efficit hominem sanctum & mundum in pœnitentia; sanctiorem in iustitia; sanctissimum vero in gloria sempiterna. De hac sanctificatione dicitur in Ioanne: Sanctifica eos in veritate, vt & ipsi sanctificati sint & consummati in vnum, sicut ego & tu vnum sumus.

Psal.105.a
Ioan.17.c

Quòd

Quòd vero septimo labia Isaiæ polluta cum calculo tangebant & mundabant, habet referri ad sanctorum & religiosorum misericordiam & compassionem, qua per gratiam ipsos sanctificantem in se purgati, sæcularibus etiam & aliis immundis peccatoribus compatientes, feruentissimis & deuotissimis orationum suffragiis, eorum sanctificationi cooperantur. Sic Moyses suis precibus Mariam leprosam & immundam, sanitati & munditiæ restituit. Et in Iob dicitur: Seruus meus Iob orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt vobis non imputetur stultitia. *Et sequitur:* Conuersus est Dominus ad pœnitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis, &c. Ex quo patet manifeste, quòd multum cooperantur bonorum suffragia ad peccatorum iustificationem & emendationem. Et hæc de ordine Seraphim dicta sufficiant.

Num. 12. d *Iob vlt. c*

CAPVT III.

De Cherubim.

SIcut viri perfecti configurantur ordini Seraphim propter excellentiam feruentissimæ dilectionis; ita assimilantur ordini Cherubim propter plenitudinem sapientiæ; & prærogatiuam limpidissimæ cognitionis, quæ in viris spiritualibus dignoscitur præ ceteris relucere. Cherubim quippe plenitudo sapientiæ interpretatur, quod absque dubio, viris spiritualibus conuenit, per quorum corda spiritus sapientiæ affluentissimæ se diffundit. Vnde Apostolus: Sapientiam loquimur inter perfectos, sed non sapientiam principum huius sæculi, quæ destruetur; sed loquimur sapientiam in mysterio absconditam, quàm nemo principum huius mundi cognouit, &c. Istius sapientiæ cælestis radius per Spiritum sanctum in cordibus virorum spiritualium diffunditur, sicut ibidem sequitur: Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctũ suum, quia spiritus scrutatur omnia, &c. Hæc sapientia non est mundana quæ inflat, sed illa, quæ ædificat. Prima enim est terrena, de qua dicitur in Luca: Prudentiores sunt filii huius sæculi filiis lucis. & hæc est in auaris & negotiosis. Præterea est animalis, de qua ad Romanos: Prudẽtia carnis mors est. hæc est in voluptuosis, quia vera sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium, vt dicit Iob. Est insuper diabolica, & hæc est in superbis, & in inuidis, de quibus Isaias: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, &c. Et in Hieremia: Sapientes sunt vt faciant mala, sed in maleuolam animam non introibit sapientia, vt dicitur in Sapientia. Ideo ad veram & permanentem sapientiam, quæ desursum est, recurrendum est. Hæc enim est pudica, pacifica, modesta, &c. vt dicit Iacobus. Nam mentẽ quam inhabitat, purificat, & pacificat, & quietat. Et ideo istius sapientiæ plenitudo, perfectorum mentes Angelis ordinis Cherubim pacificat & configurat. Ideo in Malachia: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Et in huius rei figuram dicitur in Exodo: Duos quoq; Cherubim facies ex vtraque parte oraculi, Cherub vnus erit in latere vno, & Cherub alter in latere altero, &c. Istud oraculum est cor humanum, in quo oportet Deum adorare in spiritu & veritate, sicut dicitur in Ioanne. In quo quasi à sinistris erigitur Cherub quoad scientiam in humanis, vt scilicet sciamus qualiter in medio huius prauæ & peruersæ nationis sapienter conuersemur: in alia vero parte debet esse Cherub quoad sapientiam necessariam in diuinis, vt scilicet secundum spiritum diuinæ sapientiæ nos cælestibus conformemur. Et sic Cherubim vocabulum in præsenti, & in futuro scientiam significat.

1. Cor. 2. b *Luc. 16. b* *Rom. 8. b* *Iob 28. b* *Isa. 5. e* *Hiere. 4. e* *Sap. 1. a* *Iac. 3. d* *Mala. 2. b* *Exo. 25. b* *Ioan. 4. c*

Cherubim dici possunt viri perfecti.

Possunt itaque viri perfecti dici Cherubim, propter multa, quæ secundum traditionem beati Dionysii, istis Angelis specialiter appropriantur, & primo propter Deificam visionem. Ideo enim Deiuidi dicuntur, quia diuini luminis influentia primo & principaliter irradiantur, qua in Dei visione sublimiori gloria extolluntur. Et hoc ideo, nam viri spirituales Angelis quidem Cherubim comparabiles, Deum vident per cognitionẽ, & per conscientiæ munditiã, sibi adhærent inseparabiliter per amorem, & sic de numero Cherub efficiuntur, ad quorũ æquiparantiam se deuenisse vitæ & gratiæ merito dignoscunt. Vnde dicitur in 1. Paralip. Aurum purissimum dedi, vt fieret ex eo similitudo Cherubim, secundum opera exemplaris, &c. Aurum purissimũ puram significat conscientiã, & mundam, quæ in viris spiritualib. potissime inuenitur, propter quam vita Angelica in ea similis potissime reperitur. Nam nulla creatura puritati Angelicæ in præsenti poterit adæquari, quæ ipsius Angelicam puritatem, quantum in se fuerit, contempserit imitari.

1. Par. 28. d

Item secundo propter singularem diuini luminis susceptionẽ, quia lux diuina super ipsos transfusa, ipsos singulariter illuminat, vt omnib. sub se constitutis ipsis mediantib. euidentissime se ostendat. Propter quod Cherubim plena fuisse oculis leguntur, quia viri Angelis Cherubim cõparati, circũspectionis gratia & prouidentiæ dono circumdati, sunt vndiq; luminosi, vt nõ solũ propria, verumetiã & aspiciãt vigilanti studio aliena. & ideo forsan facies Cherubim mutuo se leguntur respexisse, quia vnusquisq; alterius debet esse oculus, & alieno periculo velut proprio cum discretionis moderamine contraire.

Ezech. 1. e & 10. c, & Apoc. 4. c

Item tertio propter sibi infusæ sapientiæ communicationem. Nam occultum supremæ sapientiæ donũ siue lumen, quod diuinitus accipiunt, ad alios transfundunt. sic iusti talentũ quod ex Dei dispensatione recipiunt, nõ ponunt sub modio, sed super candelabrũ, quod omnib. quãtum in se est, cõmunicant ęqualiter & exponunt. Ideo dicit Sapiens: Sacramenta Dei nõ abscondã, sed ponã in lucem scientiam, & non pręteribo veritatẽ, &c. Verum erubescere possunt inuidi & æmuli, qui donum Dei nituntur sibi solũ vendicare. Contra quod est illud Numeri: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det singulis spiritum suum?

Matt. 5. b *Sap. 6. d* *Num. 11. f*

Item quarto propter diuinæ quietis præparationem. Vnde Dionysius, eos diuinæ quietis hospites siue receptores cognominat. Ex eo enim quòd lumen capiunt, locus luminis fiunt. Qui igitur per amorem & quietem conscientiæ Deo desuper venienti, in suo affectu locum præparant, Angelis Cherubim se conformant. Ideo forsan dicitur sedere super Cherubim, quia quos quietos, humiles, & mãsuetos inueniet, in ipsis familiarius requiescet, sicut dicit Isaias: Requiescet super eum, &c. Et Psalmista: In pace factus est locus eius, &c. Isaias: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super mansuetum, &c.

Dionys. de cœlest. Hier. c. 7. *Isa. 11. a* *Psal. 75. a* *Isa. 66. a*

Item quinto propter immediatam secretæ Dei sapientiæ circuitionem. Nam Angeli Cherubim immediate quidem Deo assistunt, per incommutabilitatem contemplationis & veritatis, circumeunt tamen semper admirando & laudando incomprehensibilem profunditatem diuinæ maiestatis. nam quãto contemplationis acie profundius diuinitatis secreta comprehendere satagunt, tanto se minus comprehendisse per omnia recognoscunt. sic reuera est de perfectis, qui nondum se comprehẽdisse arbitrantur, immo quanto videntur esse virtutibus & gratiis perfectiores, tanto se reputant omnibus inferiores, & cum aliqui reputant eos vsque ad Dei secretiora iam penetrasse, vix putant se adhuc talia inchoasse, iuxta illud Ecclesiastici: Cum consummauerit homo, tunc incipit. Et in Luca: Cum omnia bene feceritis, dicatis: Serui inutiles, &c.

Eccli. 18. a *Luc. 17. c*

Item sexto propter Deifici alimenti vnificam repletionem: quia non esset per omnia beatus Angelorum status, si multa de secretis Dei caperent intellectu, & tamen vacui remanerent in affectu. Ideo dicit, quòd multa quidem & inaudita de Dei secretis intelligunt, sed singuli summam repletionem spiritualem, qua Deo incorporantur, inueniunt, & per internam dulcedinem diuinæ voluntati vniti, ab ipso non recedunt. Sic viri spirituales multa capientes intellectu, vberius se & alios reficiunt, quanto profundiora de occultis diuinæ sapientiæ apprehendunt. ideo dicitur in Hieremia: Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, &c. Et in Isaia: Audite, &c.

Hier. 31. c *Isa. 55. a*

Istius

istius alimenti dulcedinem, tanto iusti perfectius recipiunt & sentiunt, quanto sensus corporis & affectiones cordis, purius custodiunt atque regunt. Ideo Abraham prius Angelorum pedes abluebat, quos temperato cibo reficere disponebat, vt dicitur in Genesi: Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, &c. Soli enim boni & mundi ad esum Angelicum admittuntur. Et Sapiens: Præparasti populo tuo escam Angelorum, &c.

Gen. 18. a | Sap. 16. e

Item septimo propter situs collocationem. Nam supernæ virtutes ex parte dexteræ collocantur, dæmones vero sinistram tenere videntur, iuxta illud Ezechielis: Cherubim stabant à dextris domus, &c. Et hoc est proprium electorum & perfectorum, vt sint filij dexteræ, sicut mundani filij sunt sinistræ. Nam oues à dextris, hœdi vero à sinistris in iudicio locabuntur, vt dicitur in Matthæo. In cuius rei figuram Abraham dexteram tenuit, Lot vero tenens sinistram in Sodomam declinauit, vt legitur in Genesi. Ideo etiam posuit Iacob manum dexteram super caput Ephraim, sinistram vero super caput Manasse, vt dicitur in Genesi. Manasse obliuio, Ephraim vero frugifer, vel fructificatio interpretatur. Qui hic gaudent bonis temporalibus, quibus applaudit mūdus, sunt Ephraim, & putant se dexteram felicitatis obtinere, iuxta illud Psalmi: Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Religiosi vero quos obliuiscitur, & abijcit mundus, sinistram habere partem à reprobis opinantur, dicente Sapientia: Hi sunt, quos aliquādo habuimus in derisum, &c. sed in fine cancellabuntur manus, quia mali sinistrā cum rubore obtinebunt, boni vero cum honore dexteram obtinuisse se gaudebunt, quando dicetur: Amice ascende superius, & erit tibi gloria coram simul discumbentibus, alijs incipientibus obtinere nouissimum locum cum rubore.

Ezech. 10. a | Matt. 25. c | Gen. 13. a | Gen. 48. e | Psal. 143. d | Sap. 5. a | Luc. 14. b

Item octauo, propter inferiorum excitationem. Nam Angeli ordinis Cherubim inferiores Angelos excitant in diuinæ contemplationis admirationem, & quod de Deo per cognitionis donum percipiunt, inferioribus innotescunt. Et hoc conuenit religiosis, & verbo & exemplo sæculares allicere ad laudem & cognitionem Creatoris. nam dicit Scriptura: Cum ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta ea, & cum eleuarent alas suas vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed iuxta erant, stantibus illis stabant, &c. Ex quo manifestum est, quod ex profectu vel defectu religiosorum & clericorū dependet profectus vel defectus laicorum, iuxta illud: Et nunc fratres, vos qui estis presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum.

Ezech. 10. c | Iudith. 8. c

Item nono, propter diuinæ voluntatis manifestationem. Nam mediantibus Angelis Cherubim diuina voluntas in superioribus innotescit. Ideo dicitur: Audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam inter duas alas Cherubim, inde & loquebatur ei. Sic religiosi & litterati viri sunt quasi interpretes Dei, ad aures simplicium laicorum, & ipsorum laicorum ad aures Dei. Moyses retulit verba Domini ad populum, & vice versa, populi ad Deum, vt dicitur in Exodo. Et sonus alarum Cherubim erat quasi sonus aquarum multarum; quasi vox sublimis Dei, vt dicitur in Ezechiele. Nam perfecti verba populorum referunt ad Deum in oratione & gratiarum actione, & verbum Dei annuntiant populo in prædicatione. Videant igitur, quod fideles sint interpretes non amore, non odio vel timore alicuius personæ, & diuinum consilium peccatoribus occultantes. Talis interpres fuit Paulus, qui dicit: Nihil subtraxi vobis vtilium, quin annuntiarem vobis, & docerem, publice testificans omnibus pœnitentiam & fidem, &c.

Num. 7. g | Exod. 19. | Ezech. 1. f | Act. 20. d

Item decimo propter specialem custodio paradisi deputationem. Nam Cherubim velut ianitoribus, custodia ianuæ paradisi fuit deputata, vt patet in Genesi: Collocauit Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Et hoc videtur esse proprium officium religiosorum & doctorum, & prælatorum, vt tam ex vitæ merito, quam ex officio, vitam arctam quæ ducit ad vitam in se custodiant, & alijs ostendere non desistant, vt dicere possint illud Hieremiæ: Hæc est via, ambulate in ea. sed non debet esse sine gladio versatili, & flammeo vir perfectus.

Gen. 3. d | Hier. 6. d

CAPVT IV.

De Thronis.

Tertius ordo primę Hierarchię, vocatur ordo Thronorum, in quibus diuina iustitia potissime requiescit, per quorum ministerium diuinæ æquitatis excellentia, benigne & sapienter iudicans, vniuersa hominibus innotescit, sicut dicit Psalmus: Sedes super Thronum, qui iudicas iustitiam. Et Ecclesiasticus: Vnus est Altissimus, Creator omnium, potens, & metuendus nimis, sedens super Thronum dominans Deus. Vnde hi Angeli, in quibus Deus residet, & cuncta subiecta ordinat & disponit, dicuntur Throni: quia sicut Thronus subijcitur residenti, sic Angeli illius ordinis diuinæ iustitiæ sunt subiecti: ex quo præsidentis auctoritas declaratur, & ipsorum subiectorum Thronorum, id est, Angelorum humilitas commendatur. Nam super humiles spiritu Dominus requiescit: & ideo viri spirituales & perfecti, siue sint religiosi, siue prælati, significantur per Thronos ratione iustitiæ, & humilitatis, sicut per Cherubim propter excellentiam sapientiæ, & sicut per Seraphim ratione charitatis. Nam illa quæ de Thronis per appropriationem dicuntur, in viris sanctis per imitationem diuinę iustitiæ inueniuntur.

Psal. 9. c | Eccli. 1. a | Isa. 66. a

De proprietatibus autem Thronorum dicit Dionysius, quod sunt sedes Dei Altissimi compactæ, id est, conuenienter coniunctæ, ab omni liberæ subiectione, diuini superaduentus susceptiuæ, Deiferæ, & ab omni extremitate remotæ, &c. Et hæ conditiones, quamuis proprie dicantur de Angelis tertij ordinis, conueniunt tamen per appropriationem viris sanctis, qui possunt dici viri ignei vel flammei, quoad perspicuitatem cognitionis, & feruorem charitatis, iuxta illud Danielis: Thronus eius flamma ignis. ibi glossa Origenis: Thronus Dei sunt monachi & heremitæ, & consimiles, qui in vno loco degentes, Deo militare student, nec per loca discurrunt, in quorum quietis cordibus quiescit Deus: qui bene flamma nuncupantur, quia dilectione Dei & proximi, & desiderio cælestis patriæ inflammantur.

Dionys. de cæles. Hier. c. 7. | Dan. 7. e

Dicuntur etiam Throni eburnei propter munditiam cordis, & candorem innocentiæ castitatis. Vnde significantur per Thronum eburneum, quem fecit Salomon de ebore grandem, vt patet in 2. Paralipomenon, & 3. Regum. Nam in cordibus eburneis, id est, mundis & castis Dominus requiescit, qui pascitur inter lilia, donec inclinetur vmbra, & aspiret dies. Et ideo in virginali vtero velut in Throno eburneo, diuinitas nouem mensibus requieuit, iuxta illud: Venter tuus eburneus, distinctus sapphiris. Ille inquam venter, de quo Lucas ait: Beatus venter qui te portauit, &c. Qui vtique fuit eburneus venter vel Thronus, quantum ad extinctionem fomitis & concupiscentiæ, tam originalis quam actualis, & quoad priuilegium continentiæ singularis.

2. Par. 9. d | 3. Reg. 10. c | Cant. 2. d & 4. b | Cant. 5. d | Luc. 11. d

Item sunt Throni gemmei, varijs scilicet gemmis & lapidibus pretiosis insigniti, quantum ad mentis constantiam & patientiæ firmitatem. Vnde dicitur in Ezechiele: Similitudo Throni quasi aspectus sapphiri. Et in Apocalypsi: Sedes erat posita in cælo, & super sedem sedens, & aspectus eius quasi aspectus lapidis smaragdi. Sapphirus est solidus lapis cælestis & aerei coloris, & significat illos qui firmi sunt, & stabiles contra extrinsecas mundi tribulationes, & hoc ob spem æternorum & bonorum cælestium futurorum, sicut fecit Eleazarus, qui dixit: Domine tu scis qui cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo cruciatus: secundum aliam

Ezech. 1. g | Apoc. 4. a | Sapphirus. | 2. Mac. 6. g

aliam vero translatione, Propter timorem tuum hæc libenter patior. [Smaragdus.] Smaragdus vero, qui lapis est mundus, & contra impetuosum sanguinis fluxum vtilis, significat illos qui in amore castitatis roborati, innatas reprimunt in se corporis passiones, sicut fecit Apostolus quando dixit: [1. Cor. 9. d] Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c. [Iaspis.] Iaspis vero, qui est gemma fugans phantasmata, illos significat, qui tentationes dæmonum superant, & ipsorum phantasticas vincunt illusiones & declinant, sicut Apostolus, qui dixit: [2. Cor. 2. c] Non ignoramus cogitationes eius, &c. Et talibus gemmis, id est, viris solidis in fide & opere virtuosis, præparat Dominus Thronum suum, sicut dicitur de Hierusalem cælesti: Thronus Dei, dicebatur in Matthæo. [Matt. 5. e] Et in Tobia: [Tob. 13. d] Ex saphiro & smaragdo ædificabitur, & ex lapide pretioso, &c.

Item Throni sunt nubei, per compassionnm & pietatem in quibus Dominus residens, velut de quibusdam nubibus pluens, per ipsas subuenit miserijs afflictorum. Vnde in Ecclesiastico: [Eccli. 35. d] Speciosa est Dei misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis Et in Prouerbijs: [Prou. 20. d] Misericordia & veritas custodiunt regem, & roborabitur clementia Thronus eius. De hoc Throno dicitur in Ecclesiastico: [Eccli. 24. a] Thronus meus in columna nubis.

Item iusti dicuntur Throni Domini, sed quasi aurei per incorruptibilem iustitiam, & inflexibilem æquitatem. nam aurum incorruptibile est & vix flexibile, sic iustitia, de qua in Sapientia: [Sap. 1. d] Iustitia perpetua est: & immortalis, &c. Et in eadem: [Ibid. 5. c] Iusti in perpetuum viuent. & ideo in eis velut in Throno aureo, firmo & solido, Dominus requiescit. sicut Assuerus qui in Throno aureo & in solio regni sui residebat. [Esth. 15. b] Et in Prouerbijs: [Prou. 25. a] Aufer iniquitatem & impietatem de vultu Regis, & firmabitur.

Possunt etiam dici iusti Throni siderei, siue stellei, & hoc per tranquillitatem conscientiæ, & perfectam cordis humilitatem. Nam quanto hominis conscientia humiliando se magis indignum reputat, tanto circa cælestia obtinenda amplius se coaptat, & ad Deum in se suscipiendum tanto est habilior, quanto in sui consideratione humilior iudicatur. Ideo dicit Psalmista: [Psal. 88. f] Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta, &c. Sol quidem & luna computantur inter sidera, quæ quamuis corporali dimensione & virtuali effectu & operatione sint maxima, tamen minima secundum sensus aspectum iudicantur. Et hoc humilibus congruit, qui quando in mundo minus reputantur, tanto sunt maiores, iuxta illud Sapientiæ: [Sap. 5. a] Habuimus eos in derisum, & in similitudinem improperij, & finem illorum sine honore, & ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, &c.

Sancti itaque viri, qui tam multiplici causa Dei dicuntur Throni, Angelis tertij ordinis comparantur, propter altissimæ paupertatis professionem. Nam illud reputamus altius, quod est à centro remotius. Tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cælorum: [Matt. 5. a] qui cum terrenis nihil commune possident, & ideo superiorem in cælestibus locum habent, sicut dicit Apostolus: [2. Cor. 8. a] Altissima eorum paupertas, abundauit in diuitias simplicitatis eorum, &c. Alta quidem est paupertas, quæ tollit superflua: altior quæ distribuit & licita & permissa: sed altissima sibi subtrahit etiã necessaria, Sicut illa vidua, quæ in gazophylacio de suis necessarijs duo dedit minuta. [Mat. 12. d] Altius est igitur pauper spiritu superflua abijciens, sicut Abraham, qui dixit: [Gen. 14. d] Iuro tibi, &c. Altior vero à licitis abstinẽs, sicut Dauid, qui abstinuit ab aqua quando sitiuit. [2. Reg. 23. c] Sed altissimus est, ea quæ videntur necessaria non admittens, iuxta illud Isaiæ: [Isa. 58. d] Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui, &c.

Item Throni Angeli sunt compacti, id est, conuenienter aptati & coniuncti, quia mutuæ charitatis iuncturam aliqua relaxante iniuriam non deserunt, sed secundum naturæ suæ & gratiæ capacitatem Deum superuenientem aptissime recipiunt, & receptum de se vlterius non repellunt. Et hoc conuenit sanctis viris & perfectis, vt sint compacti sicut Throni, per mutuæ charitatis & affectionis indissolubilem compaginationem, sed in omnibus se Deo coaptantes, sibi in suis affectibus immutabilem præparent mansionem. Vnde Paulus: [Ephes. 4. c] Crescamus in charitate, in illo qui est caput, ex quo totum corpus ipsi compactum est, & connexum per omnem iuncturam, &c. Nam in illis, qui sunt vniti, & compacti in charitate, sine omni scissura & affectionis superabilitate, Deus pacis requiescit, &c.

Item ab omni ignominiosa subiectione sunt liberi, quantum ad omnimodam seruitutis peccati euacuationem. Nam Throni quamuis Deo sint subditi, non tamen seruiliter sunt oppressi, & tanto magis sunt liberi, quanto ei magis sunt subiecti, cui seruire est regnare, &c. Seruitus itaque nimis ignominiosa & turpis est peccare. Nam qui facit peccatum, seruus est peccati, vt dicit Saluator. [Ioan. 8. d & Rom. 6. c] Deo vero subijci, & eius iussis obtemperare, summa est libertas, & iam cum Christo in spiritu conregnare. Et ad Romanos: [Ibidem.] Liberati à peccato: serui facti estis iustitiæ, &c. Veri ergo serui sunt, in quorum mentibus per malitiam regnat diabolus: sed vere liberi sunt, quorum corda per gratiam inhabitat Deus.

Item sunt Deiferi, per legis diuinæ voluntariam supportationem. nam tunc Deum ferre dicimur, quando fidei suæ præceptis voluntarie subijcimur. ideo ait Apostolus: [1. Cor. 6. d] Glorificate, & portate Deum in corde & corpore vestro. Tanquam ergo Throni Deum ferimus, quando præceptorum suorum onera comportamus. Vnde in Canticis: [Cant. 3. d] Ferculum fecit sibi Salomon, &c.

Item diuini superaduentus sunt susceptiui, & hoc per omnimodam voluntatis cum Deo conformationem. Nam ad illos Deus sine obstaculo peruenit, vbi contra dictionem voluntatis improbe non agnoscit, & ideo Thronum cordis oportet disponere, & aptare, si ipsum in nobis voluerimus habitare, quia legitur in libro Sapientiæ: [Sap. 1. a] Non habitabit in corpore subdito peccatis. & ideo sola domus cordis est præparanda & ornanda, ne forsitan ad nos declinans recedat, eo quod Thronum vel sedem paratam non inueniat. in figuram huius dicitur in 4. Regum: [4. Reg. 4. b] Vir Dei sanctus est iste qui transit per nos, faciamus ergo ei cœnaculum, & ponamus in eo lectulum, mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit, maneat apud nos, &c.

Item Throni Angelici ab omni extremitate sunt remoti, quia ei qui sine fine & principio est, in quo non est reperire extremitatem, immediate sunt coniuncti, & hoc refertur ad virtutis meditationem, siue virtutis existentis in medio electionem, quam viri sancti Angelorum exemplo eligunt, & ab extremitate virorum se subtrahentes, ad virtutis medium tendunt, & bonis æternis, quæ sine extremitate sunt, per virtutis opera se coniungunt. In medio se tenendo proficiunt, qui per fidem & charitatem mediatori Dei & hominum adhærendo, ab ipso per voluntatis discrepantiam non recedunt. In medio se tenent, qui omnibus indifferenter sine acceptione personæ, iustitiam exhibent. Dicitur enim in libro Paralipomenon: [2. Par. 19. b] Non est apud Deum iniquitas, neque personarum acceptio, neque cupido munierum, &c. Et in Prouerbijs: [Prou. 18. a] Accipere personam impij in iudicio, non est bonum, &c. Hi medium non tenent, sed ad extremitatem tendunt, & ideo Throni Dei non sunt. Et iterum: [Prou. 19. a] Multi colunt personam potentis, & amici sunt munera tribuentis. Et Isaias: [Isa. 59. c] Corruit in platea veritas, & causa pauperis non potuit ingredi ad eos. Boni vero & electi, ideo Throni Dei sunt, quia pauperibus sicut diuitibus æqualiter se exponunt. Vnde dicitur in Prouerbijs: [Prou. 29. b] Qui in veritate iudicat pauperes, Thronus eius in æternum firmabitur, &c.

Item Throni Angelici Deo præsidenti non coacte, sed spontanee sunt subiecti, & ideo eorum ministerium

potius

potius est felicitatis, quam necessitatis, & hoc refertur ad voluntariam electorum obedientiæ subiectionem. Coacta enim seruitia Deo non placent: Vnde Paulus: Non ex necessitate, sed ex hilaritate, &c. Et in Psalmo: Volūtarie sacrificabo tibi, &c. Et in Exodo: Obtulerunt mente promptissima & deuota primitias Domino, &c. In corde itaque deuoto, & ex deuotione ad obediendum prompto Dominus suauiter velut in Throno requiescit. In cuius rei figuram Spiritus sanctus sicut columba descendit, & requieuit super caput Domini, quando Ioanni voluntarie subditus ab ipso voluit baptizari. ait enim Ioannes: Vidi Spiritum quasi columbam, de cælo descendentem, & manentem super eum, &c. Patet itaque ex prædictis, quia in viris sanctis & religiosis ille triplex ordo cælestis per quandam assimilationem configuratur, ex quibus conuincitur, quod subsequentis hierarchiæ triplex ordo, in bonis rectoribus prælatis per quandam expressam similitudinem reperitur. Nam media hierarchia continet Dominationes, Virtutes, & Potestates secundum Dionysij ordinationem. Nam dominationes vsum dominandi edocent: Virtutes vigorem conformandi se Deo inferioribus viriliter exhibent: Potestates malitiam aduersariorum cohibent atque arcent. Istis tribus Angelorum ordinibus, quorum nomina sonant in dominium, virtutē, & potestatem, omnis prælationis auctoritas correspōdet. Nam omnis prælatio est propter tria principaliter à Domino ordinata, quia per ipsos vult Deus homines per fidem veritatis, & mores sanctitatis, ad Dei similitudinem reformare, vel lites rescindere, ac discordes ad concordiam reuocare, aut coercere rebelles, & malitiam reformare. Ad morum disciplinam & correctionem est instituta dignitas sacerdotalis: ad reformandam concordiam inter homines, & pacem conseruandam ordinata est auctoritas iudiciaria: ad malitiā coercendam, concessa est potestas sæcularis imperialis, scilicet & regalis. Prima auctoritas est pure spiritualis, tertia est pure temporalis, sed media est mediocris, scilicet partim spiritualis, partim temporalis. Illi igitur qui præeminent in ministerio Pontificali, siue sacerdotali, assimilantur ordini Dominationum: qui vero ex officio præcellunt in auctoritate iudiciali, conformitatem habent cum ordine Virtutū: sed qui alios, transcendunt in potentia sæculari, configurantur ordini Potestatum, de quibus per ordinem aliqua sunt breuiter in medium proferenda.

1. Cor. 9. b *Psal. 53. b* *Exod. 35. c* *Luc. 3. e* *Ioan. 1. d*

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.
PARS SECVNDA.

CAPVT I.
De Dominationibus.

DOMINATIONES itaque dicuntur Angeli primi ordinis mediæ hierarchiæ. Sic autem secundum Isidorum nuncupantur, quia inferioribus Angelis dominantes, eos instruunt & informant, qualiter in prælationis officio debeant subditos ad Deificam similitudinem reuocare, & sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare. Vnde dicit Dionysius: Nominatio Dominationum absolutam, & liberam anagogen absque vlla tyrannica dissimilitudine, liberaliter feueram, & ab omni subiectione ignominiosa remotam declarat, quasi dicat: Sicut per anagogen, id est, per excellētiam vniuersalem super alios Angelos sine subiectione eleuantur, ita per nullam tyrannidem ad depressionem aliorum inclinantur. Quorum dominatio & liberalis est & seuera: liberalis in benignitate: seuera in potestate. & hoc proprie conuenit prælatis, qui in spiritualibus singulariter dominantur, sicut sacerdotibus & Episcopis, qui in spirituali officio iudicantur omnibus digniores. Dicuntur itaque illi qui præsunt pure in spiritualibus dominationes: quia verum dominium est, quādo superantur vitia, ac virtuosa opera in regno animæ, siue Ecclesiæ dominantur. Non autem possunt extirpari mala, vt bona efficaciter dominentur, nisi per prælatorum ministerium quibus cælitus collata est auctoritas, vt per ipsorum officium & sacramentorum mysterium euacuentur vitia, & mores in hominibus corrigantur, & sic subditorum mentes per morum disciplinam ad Deiformem similitudinem reformētur. Et ideo apud prælatos animarum istius Dominationis auctoritas à Domino est relicta, vt ipsis cooperantibus, peccati seruitus penitus auferatur, & vera libertas spiritus, electis mentibus per ipsorum ministerium conferatur. Vnde dicitur in libro Sapientiæ: In sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta est, vt disponas orbem terræ in æquitate, & in directione cordis & in iustitia, &c. quasi dicat, ideo dominium homini super hominem contulisti, vt cor auersi hominis per iniustitiam, mediante iustitia, ad Deum iterato dirigatur. Recognoscant igitur Pontifices Christi ac sacerdotes, quod à Dominatore vniuersæ terræ receperunt supremum dominium, & à diebus sæculi, nō solum hominibus, immo & Angelicis spiritibus penitus inauditum. Quia, vt dicit Bern. nec regibus, nec sæculi huius potestatibus, legitur attributum, vt illud conficiat quotidie consecratus in sacerdotem in altari, quod Dei Filius diuinitatis virtute perfecit in cœna paschali, vbi fuit remunerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatum. Istud donum prælatis est collatum, non ad turpem quæstum extorquendum, nec ad superbiendum, vel subditos qualitercunque opprimendum, sed potius ad veræ libertatis statum, per sacerdotū officium & sacramentorum † mysterium reducendum. Et hoc dicit Zacharias: Sedebit, & dominabitur, & erit sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in templo Domini. Dicuntur igitur Christi sacerdotes Dominationes, non quia debēt dominari in clero, vt superbiant, sed vt formam gregi ex animo se ostendant, & ad Angelorum conformitatem, verbo & exemplo promoueant subditos, & adducant, iuxta illud Petri: Non vt dominantes in clero, &c.

Illi igitur qui plenam in spiritualibus à Domino receperunt auctoritatem, non immerito Dominationibus conformantur, & hoc præcipue propter illa, quæ appropriata de istis Angelis recitantur. Primo propter clericalis auctoritatis libertatem. nam in hoc istorum Angelorum dignitas consistit, quod nullius pedestris subiectionis oppressione oppressa sit, vt dicit Dionysius: & hoc quidē clero cōuenit, qui libertatem non modicam, laicis omnino & pedestribus incomparabilem, à Domino recipere meruit, vt dici possit illud Psalmi: Non fecit taliter omni nationi. Vnde omnium iumētorum, & reptilium, & etiam volatilium dominatio, est vniuersaliter clericis & viris spiritualibus attributa, vt dicitur in Genesi: Dominamini piscibus & volucribus, &c. Et in Deuteronomio: Dominaberis omnibus nationibus, & nullus tibi dominabitur.

Item secundo propter præsidendi modum, & dominandi qualitatem. nam Angeli illius ordinis sic inferioribus præsunt, quod nullam tyrannicam violentiam illis, qui sibi subiecti sunt, inferunt, sed simpliciter eis in omnibus condescendunt, quod vtique clericis conuenit, vt taliter se habeant circa laicos, quod eorum vita videatur habere conformitatem ad Angelos supradictos.

Item tertio propter ipsorum clericorum cælestem intentionem, siue intentionis puritatem. nam isti Angeli dicuntur à Dionysio sursum actiui, quia conuersi ex suo ordine, alios inferiores cōuertūt, & perfecti in se alios perficiunt, & alios ex suo lumine illuminare satagunt, & intendunt. & istud manifestum est esse Angelicum, vt illi, qui præsunt verbo & exemplo alliciant conuertendos, & perficiant perficiendos, vt sic cortina cortinam trahat, & qui au-

Isido. lib. 7. etymol. c. 5. *Dion. de cælesti Hier. c. 3.* *Sap. 9. a* *Bern. in ser. quodam, de cœna Dom. to 2.* *† forsan ministeriū.* *Zach. 6. d* *1. Pet. 5. a* *Episcopi quomodo Dominationibus conformentur.* *Dionys. de cæles. Hier. c. 8.* *Psal. 147. b* *Gen. 1. d* *Deut. 15. a* *Dion. ibid. vbi supra prox.*

Apoc. vlt. d qui audit, dicat, Veni, sicut dicitur in Apocalypsi, & in Eccli. 10. a Ecclesiastico: qualis est Dominus, vel rector ciuitatis, tales sunt qui habitant in ea, &c.

Item quarto propter officij clericalis necessariam liberalitatem. nam Angeli istius ordinis dicuntur liberales & seueri, quia benignitatem habent, & seueritatem in liberalitate: sic & prælati ordinis ecclesiastici liberales sunt in casu necessario, pariter & seueri. Liberales quidē & benigni circa humiles & prouidentes: duri vero circa reprobos & rebelles: quia quos non possunt censura Ecclesiastica reducere ad veritatem vitæ per benignitatem, nituntur reducere per seueritatem. Sic legitur Apostolus fecisse ad Titum, & ad Timotheum, cum dixit: Increpa, 2. Tim. 4. a obsecra, &c.

Item quinto propter quandam vitæ & morum sæcularium disparitatem: quia sicut dicūtur Angeli Dominationum, omni scilicet dissimilitudine segregati, quia nihil indecens, nihil inhonestum diuinæ similitudini contrarium in Angelis illius ordinis inuenitur, & hoc vtique Angelicæ puritati consonum est, vt qui alios tangunt, & alijs corrigendo dominantur, non subiaceant vitijs, quibus verborum morsibus aduersantur, sicut faciunt illi: Qui prædicant non furandum, furantur: & qui dicunt Rom. 2. c non mœchandum, mœchantur, vt dicit Apostolus. De Isa. 28. d quibus etiam Isaias: Audite illusores, qui dominamini super populum meum. Tales sunt hypocritæ, qui multa dicunt & imponunt alijs, & suum digitum non apponunt. Qui vtique illusores sunt, quia decipiunt, quibus adulantur, iuxta illud Isaiæ: Popule meus, qui te beatum Isa. 3. c dicunt, &c.

Item sexto propter status potestatum dominabilitatem. nam illi veri sunt Domini, qui ita dominantur alijs quod sunt etiam Domini propriæ voluntatis, sicut de istis Dionys. ibid. Angelis dicit Dionysius, quod sunt veram dominationē indesinenter desiderantes: quod vtique istis congruit, qui ita alijs præsunt, quod propriæ conscientiæ dominiū Prou. 16. d non omittunt, de quibus dicitur in Prouerbijs: Melior est patiēs, viro forti: & qui dominatur, &c. Nequaquam enim sunt reputandi dominatores hominum aliorum, Gen. 4. b qui serui sunt vitiorum. dicitur enim in Genesi: Sub te e- Gen. 3. c rit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Et alibi: Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.

Item septimo propter fixam & stabilem affectus immutabilitatem, sicut dicitur de Dominationibus, & ad nullum vane apparens, sed ad vere existens totaliter sunt conuersi, quia ad nullum inane, & transitorium se conuertunt, sed semper illum, qui verus est, Deum, scilicet aspiciunt, & sibi in omnibus placere concupiscunt. Non igitur clericis conuenit vanitates & insanias mundi falsas aspicere, qui Dominatori vero semper debent assistere, & dominatorum, vel dominationum nomen, vel officiū Tob. 4. c se æstimant obtinere. Ideo dicit Tobias: Nunquam in tuo sensu superbiam dominari permitte, &c.

Patet igitur, quod dignitas clericalis, quæ in sua radice considerata est, penitus spiritualis, merito est consona ordini Dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores ordines, quod illos illuminat, perficit, & purgat, & tamē ab illis nō illuminatur, nec perficitur, nec purgatur: quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quam sæcularis: & ideo bene sortitur nomē Dominationis. Vnde regalis potestas subiacet potestati, & auctoritati spirituali, sicut in prima Ca- 1. Pet. 2. b nonica Petri, dicitur: Vos estis gens sancta, regale sacerdotium, &c. Nam temporale regnum velut quoddam adiectum subiaceat sacerdotio in nouo testamento, sed in veteri testamento, sacerdotium subfuit regno. Vnde Exod. 19. a dicitur in Exodo: Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale regnum, &c. vbi regnum ponitur substantiue, sed sacerdotium adiectiue, & ideo reges tunc poterāt amouere ab officio summos sacerdotes, sicut Salomon a- 3. Reg. 2. d mouit Abiathar. Iam vero possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & reipublicæ necessitas sic requirit.

Summus vero pontifex penes quem prima in terris residet auctoritas, non à Rege, non à Principe sæculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur, Spiritualis enim homo iudicat omnia & à nemine, nisi à 1. Cor. 2. d solo Deo iudicatur. Sed vt possint tales personæ liberius spiritualibus vacare, vt nunc per verbi vitæ prędicationē; nunc vero per sacramentorū ministrationem populū sibi subditum ad Deiformem similitudinem reformare, necesse fuit, alios assumere in partem sollicitudinis, qui in diuersis negotijs & causis eis assisterent, & onus eorū supportarent. Tēporalia enim spiritualibus sunt annexa, & de facili spirituale officiū impedirēt, nisi causas & lites ex tēporalibus orientes, aliqui per iustitiam deciderēt, & definirēt. Ideo dixit Iethro ad Moysen: Vltra vires est ne- Exod. 18. c gotium: solus sustinere nō poteris, esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicūtur, ad Deū, ostendasq; cæremonias, & ritum colendi Deum, viāque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeāt. Prouide ergo viros potentes & timentes Deū, in quibus sit veritas & oderint auaritiam, & constitue ex eis, qui iudicēt populum in omni tempore, leuiusque tibi sit, partito in alios onere. Et tales sunt decani, præpositi, archidiaconi, & quicūque iudices, siue ordinarij, siue delegati, qui lites sopiunt, & decidentes causas, discordes ad cōcordiam reuocant, & reducunt, & tales sua officia prouide, & viriliter exequentes, conformitatem habent cū ordine Virtutum, qui sequitur ordinem Dominationum. nam sine virtute non potest tale expediri officium.

CAPVT II.

De Virtutibus.

Virtutes itaque dicuntur Angeli secundi ordinis mediæ Hierarchiæ, qui sic vocātur, vt dicit Dionysius, Dion. de cæles. Hier. c. 8. propter fortem & immutabilem virilitatē, ad susceptionem diuinarum illuminationum, nullatenus infirmam, sed viriliter in Dei imitationem reductam, Deiformem morum non derelinquentem, sed firmiter ferentem in superessentialem, & potentificam virtutem Deiformiter prouenientem. Hæc omnia figuratiue intellecta, sunt ad illos, qui iudicandi recipiunt potestatem, referenda. Nā vt pax & concordia in Christi Ecclesia habeatur, iustitia à Domino est ordinata. Iustitia enim & pax seinuicem concomitantur. nam dicit Psalmista: Suscipient montes Psal. 71. a pacem populo, & colles iustitiam: quia non esset pax in montibus, id est, in superbis hominibus: nisi esset iustitia in collibus, id est, in bonis, & humilibus prælatis ac iudicibus, in quibus virilitas siue virtuositas Angelica requiritur, vt nec benedictione, nec maledictione à rectitudine iustitiæ moueantur, sicut de Dauid, de quo in secundo Regū: Tu autem Domine mi rex es sicut Angelus Dei, 2. Reg. 14. d qui nec maledictione, nec benedictione mouetur. Fortis igitur, & virilis debet esse iudex, ne timore, odio, vel amore à vigore iustitiæ deflectatur. Ideo datur consilium in Ecclesiastico: Noli quærere fieri iudex, nisi virtute va- Eccli. 7. a leas irrumpere iniquitates, ne forte expauescas faciem potentis. Et in Sapientia: Audite reges & iudices, qui iu- Sap. 6. a dicatis terram, vobis data est virtus ab Altissimo, &c. Et iterum in Ecclesiastico: Homines diuites in virtute, pul- Eccli. 44. a chritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Sunt igitur Virtutes quoad virilem iustitiæ executionem, vt dicitur in Psalmo: Viriliter agite. Psal. 30. d

Item propter virtuosam iustitiæ defensionem. nam dicitur in Ecclesiastico. Pro iustitia agonizare, & vsque ad Eccli. 4. d mortem certa pro iustitia, &c. Nam quando subditi vident prælatos pusillanimes, & trepidos, de facili perterrētur, vt dicitur in Zacharia: Percutiā pastorem, &c. Hie- Zach. 13. c ronymus: Hūc scito nullū esse Christianum, qui nec metuit, nec concupiscit, ideo dicitur in Ezechiele: Vt ada- Ezech. 3. b mantem & silicem posui te, ne timeas eos, &c. In silice duro, & adamāte solido, & omnis ferri attractiuo, significatur iudicis cōstantia, & fortitudo, cui semper associāda est patientiæ mansuetudo, quę quandoq; attrahit etiā in malitia obstinatos. Viriliter igitur dicuntur viri An-

gelici Virtutum cælestium imitatores esse iustitiæ propugnatores, ne dici possit illud Ezechielis: Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis, vos, &c.

Ezech.13.a

Item Virtutibus cæli comparantur, propter diuinæ sapiētiæ imitationem. quam semper debent iudices in suis sententijs præ oculis retinere. Humana enim iustitia diuinam debet prout est possibile, imitari, & ne erret per ignorātiam diuino lumine illustrari, ideo dicitur in libro Sapientiæ: Diligite lumen sapientiæ qui præestis populis, &c. ne dicatur illud Hieremiæ: Forsitan pauperes & stulti ignorant viam Domini, & iudicium Dei sui. Ibo igitur, &c. Et Isaias: Nescierunt saturitatem, ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam. & ideo dicitur de Virtutibus, quod viriliter per susceptionem illuminationum reducuntur ad Dei imitationem. Nam qui à Deo illuminantur, sine offendiculo ipsius iustitiam exequuntur. & hoc est quod dicit Psalmista: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in iustitia tua exaltabuntur.

Sap.6.d Hier.5.a Isa.56.d Psal.88.c

Item propter celerem causæ pauperum determinationem. nam vera iustitia cum fuerit nota iudici, non est ab executione retardanda, immo statim definienda, & promulganda: & hoc præcipue in causis pauperum, quarum dilatio eis multipliciter est nociua, & ideo dicitur, quod virtutes Deiformem motum non derelinquūt, quia virtuosi iudices cognita causa pauperis iudicare non differunt, sicut nec Deus, de quo dicitur: Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam, &c. Nam sine moræ dispendio sunt innocentes absoluēdi, rei vero puniendi.

Eccli.35.d

Item per voluntariam auaritiæ fugam, & munerum declinationem. nam munerum cupiditas multum solet eneruare vires iudiciorum, ideo præcipitur in Exodo: Nō accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum. Et in Deuteronomio: Non accipies personam neque munera, quia excæcant, &c. & ideo eis congruit, quod dicitur de Virtutibus, quod ad potentificam & superessentialem virtutē perueniunt, id est, in suis motibus, & operibus, solū Deum & non proprium commodum attendunt: sic virtuosi iudices & prælati nihil faciunt propter lucrum, sed omnia peragunt propter Deum: quia non hominum est iudicium, sed diuinum, vt patet in 2. Paralipomenōn: Videte, inquit, quid faciatis. non enim hominum exercetis iudicium, sed Dei, &c.

Exo.23.b Deut.16.d 2.Par.19.b

Item propter celerem & virilem oppressorum liberationem. nam iudex virtuosus innocenter oppressos viriliter eripit, & facienti iniuriam, totis viribus se opponit Prælati enim & iudices Angeli sunt, & Angelorū officiū gerunt, quorum ministeriū est dæmones coercere à violentia, & ab obsessis corporibus viriliter remouere, iuxta illud Tobiæ: Apprehendit Raphael dæmonium, &c. Et in Daniele: Misit Deus Angelum suum, & concludit ora leonum, &c. Tanquam dæmones sunt crudeles, impij, tyranni, innocentum, & pauperum oppressores, de quibus Isaias: Dabo eos in manus dominorū crudelium, &c. Et Hieremias: Crudelis est, & non miserebitur. & ideo virtuosum est talium insolentiam reprimere, & vt oppressos per iustitiā liberare. Vnde in prouerbijs: Erue eos qui ducuntur ad mortem. Quod si dixeris: Vires mihi non suppetunt, &c. Et Iob: Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillū cui non erat adiutor, conterebam molas iniqui, & de faucibus illius, &c. Et in 1. Regū: Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de grege, & persequebar illos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum, &c. & ideo dicitur in Isaia: Iudicate pupillo, subuenite oppresso. Itē propter alienæ famæ, vel pecuniæ ablatæ & debitæ, vel subtractæ plenariam restitutionem, & in hoc assimilatur eorum officium ministerio Virtutum, quia per Angelos illius ordinis fiūt miracula & membra corporis à suis vsibus depauperata, & deprauata in statum pristinum restaurantur. Et hoc conuenit iudicibus & prælatis, famā proximi iniuste læsam, & possessionem, vel pecuniam vi ablatam, integre restaurare per sententiam, & ipsos læsores ad satisfactionem compellere, & emēdam. Et hoc figuratur in libro Regum: Eruit Dauid omnia quæ tulerant Amalechitæ, nec defuit quidquam de spolijs, sed omnia quæcunque rapuerant, retulit, & reduxit. Et alibi: Ouem reddet in quadruplum, &c. Sic Salomon, audita causa duarum mulierum super raptu pueri, reddidit infantem matri suæ. Et tantum de Ecclesiasticis.

Tob.8.a Dan.6.f Isa.19.a Hier.6.f Prou.24.a Iob.29.b 1.Reg.17.e Isa.1.e 1.Reg.30.e 2.Reg.12.b 3.Reg.3.d

CAPVT III.

De Potestatibus.

Sicut autem prælati spirituales, & iudices in suis officijs conformitatem habēt ad Dominationes, & Virtutes: sic Reges, & Principes sæculares cælestes debent imitari Potestates. Nam potestates dicuntur Angeli, quorum potentia speciali aduersæ potestates coercentur, ne tantū lædant, quātum desiderant. Vnde dicit Dionysius: Sanctarum Potestatū cognominatio, docet potentem, & bene ornatam & inconfusam circa diuinas susceptiones ordinationem, non tyrannice inferiora virtute potestatiua præcipitantē, sed potenter in diuina reducentem, & ad potentificam causalem potentiam, quantum fas est, assimilantem & ad Deū, qui princeps est omnis potestatis, secundū hierarchicam dispositionem inferiora conuertentem, diuinam, & lucentem potentiam in inferioribus resplendere facientem, &c. Vnde Angeli illius ordinis, refrenant, & coercent omnes, hierarchicam prælationis & subiectionis ordinationem impedientes. Vnde prælationis potestatem à subditis contemni non permittūt, & subditos per violentiā ab iniquis dominis opprimi nō sinunt: immo omni iniuriæ istorū, & illorum obuiant potentissime, & resistunt. In his omnino debent Reges & Principes sæculares, sanctas, & cælestes intueri Potestates, scilicet vt sapienter regant, ordinate viuant, & potenter malum reprimant & vindicent, innocentibus parcant, & iniuriam fieri personis miseris nō permittant, vt etiam de suscepta potestate non superbiant, sed potius humilibus condescendant. Istæ conditiones in habentibus potestatem requiruntur, quia huiusmodi Reges & Principes à Deo recepisse potestatem huiusmodi dignoscuntur.

Principes sæculares Potestatibus comparantur. Dion. de cælest. Hier. c.8.

Ordinata igitur erit Potestas sæcularis, & secundum similitudinem cælestiū Potestatum disposita, si in potestate constituti fuerint sapientes, scilicet non secundum voluntatis impetum, sed secundum rationis gubernaculum in singulis procedentes, sicut dicitur in Prouerbijs: Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Ideo Salomon in principio regni sui petiuit sapientiam, dicens: Domine Deus tu me fecisti regnare pro patre meo, & ego sum puer paruulus, ignorans egressum, & introitum meū. Da ergo seruo tuo cor docile, vt possit iudicare populū tuū, & discernere inter bonum & malum, &c. Sicut enim nec in spirituali iurisdictione, sic nec in temporali, sine sapientia, & discretione est agēdum. Ideo præcipitur in Deuteronomio: Cum sederit Rex in solio regni sui, faciet sibi describi Deuteronomij verba, & accipiat exēplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, &c. Ideo prouectæ ætatis homines & senes, solebant eligi in Principes & in Reges: quia non in pueris, sed in antiquis sapientia reperitur. Propter hoc Roboā perdidit regnū, quia iuuenis existens, derelicto consilio seniorum, iuuenum consilio acquieuit. Ideo dicit Ecclesiastes: Væ terræ cuius Rex est puer, &c.

Prou.1.a 3.Reg.3.b Deut.17.d Iob.12.b 3.Reg.12. Eccles.10.c

Item similes sunt Potestatibus cælestibus, si ornati moribus, vitam bonam & innocentem subditis ostendant. Nihil enim prodest vestiri purpura, diademate insigniri, gemmis lucentibus splendere, & moribus incompositis sordescere & fœtere. Ideo dicuntur Potestates bene ornatam & inconfusam accepisse à Domino potestatem. nam, sicut dicit Poeta:

Virtus non quæritur extra.
Non eget exterius, qui moribus intus abundat,
Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

Dominus itaque non attendit in potentibus mundi, vel carnis nobilitatem, siue corporis, siue habitus venustatem: sed nobilitatem morum, & conscientiæ puritatē. & hoc est, quod dicitur in 1. Regum: Non respicias vultum, ne-

1.Reg.16.b

tum, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, neque iuxta intuitum hominis ego video, &c.

Item potestatibus sunt similes, quia amore iustitiæ animati, omnem malitiam sunt in reprobis vindicantes, & pacem perturbantes publicam persequentes, sicut de Iuda dicitur: Persecutus est iniquos perscrutans eos, qui populū conturbabant, & succendit eos flammis. &c. Est enim potestas Regum, & Principum inter homines à Domino ordinata, vt ipsorum metu malorum audacia refrenetur, qui quidem tantum inualesceret, quod si non resisteret potestas publica, etiā humana societas penitus dissiparetur. Ideo dicitur: Omnis anima sublimioribus Potestatibus subdita sit, &c. Et in primo Machabęorum Accingimini & estote filij potentes, & estote parati, quia melius est mori, &c. Ideo etiam dicitur in Exodo: Elige de omni plebe viros potentes, &c. Et in Psalmis: Super femur tuum potentissime.

1. Mac. 3. a · Rom. 13. a · 1. Mac. 3. g · Exod. 18. d · Psal. 44. a

Item vere sunt Potestates, qui non tyrannica crudelitate, sed potius humana, immo Angelica benignitate subditos regunt, & custodiunt innocentes. Vnde dicitur in Esther: Cum pluribus gentibus imperarem, & vniuersum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed cum clementia, & lenitate gubernare subiectos, vt absque terrore vitam transigentes, optata pace fruerentur. & ideo de Potestatibus dicitur, quod nihil ab eis tyrannice perficitur, sed omnia cum mansuetudine peraguntur.

Esth. 13. a

Item Potestates sunt, qui seipsos considerant, & de suscepta potestate non superbiunt, immo quanto videntur alijs esse magis auctoritate, & potentia transcendentes, tanto abundantiori humilitate sunt alijs condescendentes, sicut dicitur in Ecclesiastico: Quanto maior es, tantō plus te humilia in omnibus, sicut ipse Dei Filius, qui omnibus præfuit, omnium potentissimus se in omnibus exhibuit infirmiorem, malens potius per humilitatis māsuetudinem, quam per potestatis fortitudinem, mundum miserum perducere ad salutem. Vnde dicitur in Psalmis: Non in fortitudine equi, &c. Ille igitur potētissimis, & supernis spiritibus est similior, qui alios benigne regēdo est humilior. sicut dicitur in Daniele: Cognoscant viuentes, quia dominabitur excelsus in regno hominum, & humillimū hominem constituet super eum. Et in Ecclesiastico: In manu Dei potestas terræ.

Eccli. 3. c · Psal. 146. b · Dan. 4. c · Eccli. 10. a

Item pacem generalis Ecclesiæ sunt potentissime procurantes, nam tanta subeunt mala hominum, quod nequaquam Dei Ecclesia in pace conquiescit, nisi potentia Regum & Principum prouidētia subueniret. Vnde 2. Machabęorū: Videbat sine prouidentia regali impossibile dari pacem rebus, nec Simonem posse cessare à stultitia sua, &c. Et ideo recognoscere debent Principes sæculares, quod idcirco gladium portant, vt per auctoritatem, & potestatem illis concessam, pax Ecclesiæ vniuersaliter tueatur, & humana audacia metu potentiæ Principum restringatur. Vnde Paulus: Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem.

2. Mac. 4. a · Rom. 13. a

Item lucentem Dei potentia sunt in istis inferioribus resplendere facientes, sicut de Potestatibus dicit Dionysius, quia sicut in eis relucet diuina bonitas, & veritas, & potestas, mediātibus Angelis superioribus ita Potestates Angelos inferiores reducūt ad cōsimiles gratiæ & gloriæ participationes. Tales vtiq; debent esse huius mundi Potestates, vt nunc per iustitiā & seueritatem, nunc vero per clementiā & benignitatē, populū simplicem ad Dei reducant cognitionem, & potētes ad inuiolabilem legum diuinæ iustitiæ obseruationem. Ideo dicitur in Ecclesiastico: Dominantes in potestatibus suis, homines magna virtute & prudentia præditi Et in Psalmis: Fecit Solem in potestatem diei, Lunam. & stellas in potestatem noctis, quasi dicat. Sicut Sol potestate illuminat & perficit diē, Luna vero decorat noctem: sic boni prælati ad modum Solis, per exempla benignitatis, & clementiæ alliciunt ad amorem, & per rigorem iustitiæ formidinem incutiunt & terrorem. Per timorem quidem à tenebrosis operibus reuocant, sed per clemētiam & amorem ad bonum prouocant, exhilarant, & confortant. Vnde dicitur in Prouerbijs: Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira, & sicut ros super herbam, ita hilaritas eius. Merito igitur nomine Potestatum, intelliguntur Reges, & Principes, siue Domini sæcularium & mundanorum, quibus est obediendum in his, quæ ad suum pertinent Principatum, vt patet per Apostolū Paulum, qui dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Et Petrus in 1. Canonica dicit: Serui, subditi estote in omni timore dominis, &c. Et in eodē: Siue Regi tanquā prǫcellenti, &c.

Dionysius. · Eccli. 44. a · Psal. 135. a · Prou. 19. b · Rom. 13. a · 1. Pet. 2. c

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.
PARS TERTIA.

CAPVT I.
De Principatibus.

Vltima Hierarchia secundum Dionysium, cōtinet Principatus, Archangelos, & Angelos: & hi tres ordines referuntur ad statum subiectionis, sicut præcedentes tres respiciunt statum prælationis. In subditis autem tria considerantur, scilicet obedientia respectu Dei & prælati, & vitæ innocentia respectu sui, & misericordia respectu proximi, vt sic viuant iusti quoad Deum, & prǽlatis eius exhibendo obedientiam debitam & reuerentiam: sobrie quoad se, innocenter viuendo, & conseruando vitæ munditiam: & pie quoad proximum, ei liberaliter subueniendo, & impartiendo misericordiam. Vnde qui maiorum suorum imperio humiliter acquiescunt, Principatibus configurantur, qui vero vitæ continentiam seruant, & innocenter viuunt Archangelis assimilantur: sed illi, qui operibus pietatis, & eleemosynæ sua peccata redimunt, & indigentibus liberaliter subueniunt, Angelos imitantur. Subditi igitur humiles & vere obedientes Principatibus, continentes siue innocentes Archangelis, misericordes & pœnitentes Angelis comparantur.

Dionys. de cæl. Hier. c. 8.

Principatus autem dicuntur Angeli, vt dicit Isidorus, qui præ ceteris possident donum reuerentiæ. Vnde eorum ministerium est docere homines, exhibere vnicuiq; reuerentiam secundum gradum suum: vt sicut Dominationum subsidio superiores in onere regiminis adiuuantur, ita subditi sanctorum Principatuū præsidio, ad obediendum suis superioribus prouocētur. De istis quidem dicit Dionysius Sancti Principatus ad principalem Principatum Deiformiter sunt motiui & inferiorum ordinatione sancta & conuenienti reductiui, & ad superprincipalem omnis Principatus principem totaliter conuersiui, & ordinationis eius manifeste ostēsiui, &c. Istis igitur Angelis similes sunt vere obedientes, per voluntariæ rei imperatæ adimpletionem, vt scilicet sicut desiderant sibi præesse sine tyrannide & oppressione, ita libēti animo pro bono obedientiæ sciant & velint subesse, sine rebellione animi & voluntatis contradictione. Nam sicut tyrannica superiorum oppressio prælationis iura violat: ita subditorum insolentia obedientiæ principatum destruit & eneruat. Qui ergo suis maioribus humiliter obtemperant, per donum reuerētiæ in se principatuum ordinem repræsentant. Vnde dicitur in libro Iudicum: Cor meum diligit principes Israel: qui voluntarie vos obtulistis discrimini, benedicite Domino, &c.

Isid. lib. 7. etym. c. 5. · Dionys. vbi supra. · Iud. 5. b

Item secundo per debitam reuerentiæ exhibitionem, quia cui honorem, honorem; cui timorem, timorem, vt dicit Apostolus, in flexione, in assurrectione. & vt dicitur in Leuitico: Coram cano capite surge, &c. De his omnibus dicitur in libro Iob: Senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebāt ori suo, vocem suam cohibebant Duces, &c.

Rom. 13. b · Leuit. 19. f · Iob. 29. b

Item tertio per humilem diuinæ potestatis recognitionem:

tionem: quia dum suis superioribus obediunt, Dei potestatem in illis quibus obtemperant, recognoscunt. Vnde homini non obediunt, sed potius Deo, quem in homine considerant, & attendunt. Vnde Alexander Macedo redargutus à suis Principibus, quod summum sacerdotem Iudæorum, sicut Principem adorasset, respondit: quia non hominem adorasset, sed Deum in homine, qui sibi in tali effigie in somnis apparuisset, & totius orbis principatum sibi promisisset. Et ideo non est attendendus homo, qui præcipit, & imperat: sed Deus, qui præcipientium corda inhabitat, & legem obedientiæ ipsis mediantibus præcipit, & demandat. Et Paulus: Serui, obedite per omnia dominis vestris, non ad oculum seruientes quasi placentes hominibus, sed in simplicitate cordis amantes Deū, quod facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non sicut hominibus. Et alibi: Non ego præcipio, sed in me Dominus. Et iterum: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Homo igitur non est nisi organum, per quod Deus loquitur, hoc patet in Exodo, vbi dicitur: Ego veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Et ideo non homini facit iniuriam, qui non obedit, sed Deo cuius ordinationi resistit, sicut dicit Apostolus. Si ergo Principatus mediantibus superioribus ordinibus, ad obediendum summo Principi, donū reuerentiæ recipiunt, & idem donum ad reducendos inferiores per obedientiæ legem eis communicant, & transfundunt: sic homines qui Principatibus sunt cōformes, mediantibus suis superioribus, ad superprincipem omnis Potestatis, scilicet ad Deum totaliter conuertuntur, & ipsius imperio humerum subiicientes, ad dignitatem Principatuum, & Angelorum consortium obedientiæ merito reducuntur. Vnde dicit Isaias: Factus est principatus super humerum eius, &c.

Ioseph. Antiq. Iudai. li. 11. c. 8. *Coloss. 3. d* *1. Cor. 7. b* *2. Cor. 13. a* *Exo. 19. b* *Rom. 13. a* *Isa. 9. b*

Item quarto propter libertatis veræ acquisitionem. nullus enim vere liber esse poterit, qui non secundum Principatuum assimilationem, obedientiæ legibus penitus se subiecerit. Nam qui vere obediens esset, omnem creaturam sibi subiicibilem inueniret. Omnis enim creatura, vt dicit Augustinus, homini obediret, si simpliciter Creatoris imperio obediret, immo ipse Deus nihil penitus subtraheret ab hominis obedientia, si se non subtraheret à diuina. Et hoc patet, quia quamdiu antiqui suis præceptis simpliciter, & præcise obediebant, etiam Deum obedire humanis iussionibus versa vicissitudine sentiebant, vt patet in Iosue. Non fuit post vel ante tam longa dies, obediente Deo voci hominis, & pugnante pro Israel. Vnde patet, quod qui vere est obediens, summum Principem Deum sibi subiicit, & habere conformitatem cum summis Principibus se ostendit.

Iosue 10. c

Item quinto, subditi & in subiectionis statu constituti, configurantur ordini Principatuum, propter suorum superiorum modestam supportationem: quia si subditi spiritu superbiæ inflati, prælatorum officio resisterent, modis omnibus spiritualem Ecclesiæ principatum impedirent. Et ideo in officio prælationis constitutis, non est leuiter derogandum, nec eis faciliter detrahendum, quia hoc omnino contrariatur officio Principatus: ideo dicitur in Exodo: Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Et in Prouerbiis: Verbosus dissipat Principes. Et ideo sicut non decet subditum obloqui prælato: sic non expedit ipsum maiorem, de facili adhibere fidem, quando sinistra vel detractoria dicuntur de subdito seu ministro. Dicitur enim in Prouerbiis: Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios, &c.

Exo. 22. d *Prou. 16. d* *Prou. 29. b*

Item sexto propter expressam diuinæ dilectionis ostensionem. de Principatibus enim dicitur, quod sunt supersubstantialis ordinationis manifeste ostensiui, idest, ordinatæ dilectionis. Nam superiores ordines, quibus mediantibus suas recipiunt illuminationes, singulari modo diligunt. & in signum amoris, inferiores Angelos ad superiorum conformitatem ordinatissime promouēt, & reducunt, & hoc conuenit bonis subditis, vt suis prælatis obediant, vt Domino Deo, & eisdem non ex timore, sed ex amore, reuerentiam, & honorem exhibeant, & impendant. Vnde Sapiens in Ecclesiastico: Filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio eorum obedientia, & dilectio. Et Apostolus: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, &c. Item Ecclesiasticus: Timor Domini, initium est dilectionis. Talis timor reuerentiæ debetur prælatis, & non seruis. De quo dicitur ab eodem Apostolo: Vis non timere potestatem, &c. Vnde tales, qui suos diligunt prælatos, à Domino versa vice singulariter diligi promerentur: sicut etiam patet in Ecclesiastico: Eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater. Et in libro Iudicum: Anima mea diligit Principes Israel, &c.

Eccli. 3. a *Heb. vlt. c* *Eccl. 25. b* *Rom. 13. a* *Eccli. 4. b* *Iudic. 5. b*

Item septimo propter voluntariam correctionis susceptionem. Nam qui Angelicis Principatibus in vita, & in moribus assimilantur, libenter sustinēt correctionem, & correcti, non ad iram vel odium prouocantur. Quidquid enim Dominationes, & Potestates Principatibus influunt, vel infundunt, hoc benigno affectu Principatus recipiunt, & admittunt. Nā habetur in Ecclesiastico: Quidquid tibi applicatū fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, &c. Nam correctio siue disciplina est animæ medicina: quæ, & si ad tempus vulnus mordeat, tamen sanat. Et ideo prudens non odit medentem, immo diligit, & sustinet corrigentem. Ideo dicitur in Prouerbiis: Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Et Iob: Increpationem Domini ne oderis, quia ipse vulnerat, & medetur, &c. Ex quo patet quod homines asperi, & amari, qui noluit corripi, non possunt sanari. Vnde dicitur iterūin Prouerbiis: Homini qui dura ceruice corripientem contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & sanitas eum non sequetur. Et Amos: Oderunt in porta corripientem, & perfecte loquentem abominati sunt, &c. Stulti sunt tales, qui obloquuntur, & murmurant contra disciplinam. Dicit enim Isaias: Stultus stulta loquetur, scilicet murmurando contra prælatos, & corripientibus se detrahendo. Et sequitur: Princeps vero, ea quæ digna sunt Principe cogitabit, &c. Quod vtiq; facit, qui cogitatum suum sic disponit, & ordinat, vt omnia velit sustinere patienter, & corrigenti non resistat. Talis princeps fuit Iob quando dixit: Hæc sit consolatio mea, vt affligens me dolore non parcat.

Eccli. 2. a *Prou. 28. d* *Iob 5. c* *Prou. 29. a* *Amos 5. c* *Isa. 32. a* *Iob 6. b*

CAPVT II.

De Archangelis.

IN subditis vero non solum exigitur obedientia respectu prælati, immo, & vitæ munditia, & innocentia respectu sui. Mundos enim, & immaculatos subditos & ministros requirit Dominus, similiter, & prælatus. Vnde Psalmista: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat, &c. Tales fuerunt pueri Dauid, vt patet in 1 Regum: Si mundi sunt pueri à mulieribus, manducent. Et respondit Dauid: Continuimus nos, & vasa puerorum sancta sunt. Exigitur autem in eis triplex munditia, scilicet munditia cordis. Nam beati mundo corde, &c. dicitur in Matthæo, & in Prouerbiis: Qui diligit cordis munditiam, &c. Item munditia oris in Iob: Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Ideo Angelus legitur mūdasse labia Isaiæ. Item munditia corporis, de qua Isaias: Mundamini qui fertis vasa Domini. Et Iob: Si mundus, & rectus incesseris. Et Paulus: Vt mundaret sibi populum acceptabilem &c. Et item: Mundemus nos ab inquinamēto carnis, & spiritus, perficientes sanctificationē. Sic sanctificati, & mundi assimilantur sanctis Archangelis, qui Principatibus immediatius sociantur, & Archangelus ad Virginem est transmissus, vt per hoc ostenderetur quod

Ps. 100. b *1. Reg. 21. a* *Matt. 5. a* *Prou. 22. b* *Iob 16. d* *Isa. 6. c* *Isa. 52. c* *Iob 8. b* *Tit. 2. d* *2. Cor. 7. a*

magna est conuenientia inter virgineam castitatem, & Archangelicam dignitatem.

Archangeli qui dicantur.

Dicuntur autem Archangeli qui ad nuncianda maiora, à summo Principe transmittuntur, qui inter Angelos inferioris ordinis Principatum habere dignoscuntur, qui à Principatibus accipiunt illuminationes, quas postea Angelis manifestant. Et ideo dicit Dionysius, quod ordo Angelorum communicat cum Principatibus, & ordinibus superioribus, quantum ad susceptionem illuminationum, & sui ad superprincipale principium conuersionem: communicat etiam cum inferioribus, per ipsorum ad Deum reductionem. Nam vniti Deo, mediantibus aliis ordinibus superioribus per amorem, Angelos inferioris ordinis, & homines, nituntur vnire Deo, quemadmodum, & ipsi sunt vniti, & ideo vnificam, & simplificam dicuntur habere virtutem. Vnde status continentiũ merito comparatur ordini Archangelorum, qui per vitæ munditiam, merentur obtinere illius ordinis dignitaté, sicut dicit Dominus: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.

Dion. de cœlesti Hier. cap 9.

Matt.22.c

Prelati quo modo Archangelis debeant cõformari.

Conformes igitur debent esse Archangelis, quantum ad conscientiæ puritatem, vt scilicet eorum mens, & cõsciẽtia ab imaginatione & appetitione carnalitatis sit remota, sicut natura Archangelica ab omni tali conditione esse dignoscitur aliena. Et ideo non solum expedit talibus à carnis passionibus abstinere, verumetiam illecebram carnis saltem in memoria non tenere. Dicitur enim in Luca: Spiritus carnem, & ossa non habet. Et in Psalmis: Qui facit Angelos suos spiritus. In cuius rei signum, præceptum est filiis Caath, quod mundarent altare à cinere, & inuoluerent illud purpureo vestimento, & ponerent cum vasis ministerij. Caath, dolens vel pœnitens interpretatur. Filij itaque Caath filij sunt pœnitentiæ, & doloris, qui altare proprij cordis debent emundare, non solum ab igne luxuriæ, immo etiam, & cinere, idest, à reliquiis immunditiæ, scilicet à memoria, & cogitatione, sicut dicitur in Genesi: Nec stes in omni circa regione, &c. & tunc digni erunt huiusmodi, cum vasis tabernaculi, & ignis receptaculis inuolui, idest, sanctorum Archangelorum societati adæquari, si videlicet fuerint in purpureo continentiæ vestimento vndique inuoluti.

Luc. vlt.f
Psal.103.a
Num.4.b
Gen.19.d

Item secundo, propter officij dignitatem, nam inter cœlestium spirituum ministeria, leguntur Archangeli habuisse in omnibus digniora, vt patet in Gabriele, qui virginitatis Filium prædixit de Virgine nasciturum. Similiter, & in Michaele, qui populum Israeliticum prædixit de captiuitate Babylonica exiturum. Similiter, & in Raphaele, qui missus est ad Tobiam curãdum, qui prædixit se dæmonium fugaturum. Fumus (inquit) eius extricat omne genus dæmoniorum, &c. Et in istis tribus officiis priuilegiatis, videntur habere continentes assimilationem cum Archangelis prætaxatis: nam continentia sanat à vulnere concupiscentiæ mentem, & spiritualem reparat in animo visionem, nam libido affectum corrũpit, & sauciat, intellectum vero obtenebrat, & excæcat, vt patet in Samsone, qui per libidinem, & vires corporis amisit, & exoculatus ab hostibus fuit. Idem etiam patet in illis senibus, de quibus dicitur: Exarserunt in concupiscentiam eius, & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Sic vir Archangelicus, continens scilicet, & mundus, Raphaelis consilio piscem arripit, & contra omnem spiritus infirmitatem cordis, & fellis particulam apponere non desistit. Piscis est Christus, sicut dicit Glossa super finem Ioannis vltimi. Piscis assus, est Christus passus. Cuius cordis particula, idest, dilectio in perforatione cordis nobis ostensa est, potissime ad fugam, & declinationem omnis malitiæ motiua. Fellica autem passionis eiusdem amaritudo, est omnis turpitudinis concupiscentiæ purgatiua, & cæcitatis ac caliginis spiritualis abstersiua. At tale collyriũ mittit Ioannes in Apocalypsi, dicens: Inũge oculos tuos collyrio, &c. Continentia etiam à Babylonica confusione liberauit, & libertati gloriæ filiorum Dei suos imitatores

Dan.10.e
Tob.6.a
Iud.16.c
Dan.13.a
Apoc.3.d

restituit vel restaurauit, & ideo Archangelus Michael qui populo captiuo præfuit annuntiaturus populi liberationem, Danieli in vestimentis lineis se ostendit, & auro mũdo cinctus fuit. In quo datur nobis intelligi, quod illi soli ab vltima corruptione naturæ, & gratiæ liberabuntur, qui hac duplici munditia, scilicet mentis, & corporis vestiuntur, ideo dicit Ecclesiastes: Omni tempore sint vestimenta tua candida, &c. Et Apocalypsis: Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Ad hoc etiam continentia diuinæ inhabitationi hominem præparat, quia Deus mentes castas inhabitat, & frequentat, & ideo Archangelus Gabriel mundissimus, ad Mariam mundissimam est specialiter destinatus, & aduentus auctoris totius munditiæ nuntiatus, & hoc vt omnis conscientia hic aduertat, quia mundus Deus, mentes immũditiæ subditas non subintrat, vt dicitur in libro Sapientiæ: Non habitabit, &c.

Dan. 10. a
Eccle.9.c
Apoc.16.c
Sap.1.a.

Item vita continentiæ assimilatur dignitati Archangelicæ, propter corporis assumpti qualitatem: nam Angelus cum sit incorporeus, nonnisi propter nostram instructionem, corporis assumit effigiem siue repræsentationem: & ideo Archangelus apparens secundum humanæ capacitatis apprehensionem, & castitatis commẽdationem mortalibus se ostendit, sicut patet in Prophetа Daniele, vbi de Michaele Iudæorum Principe, & Archangelo, secundum quod dicit Glossa super illud: Vir vestitus lineis, & cinctus auro obrizo apparuit, cuius corpus fuit quasi chrysolitus, & facies eius quasi species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & pedes sicut similitudo æris candẽtis. Hæc quidem de Archangelo Michaele sunt dicta, sicut expresse dicit Glossa, cuius ibidem commendatur corpus. Describitur etiã, & vestitus: nam vestis linea candida, & circa renes deaurata, corpus etiam fuit gemmeum, igneum, & æneum: in quo ostenditur, quod duplex est continentia, scilicet corporalis, quæ quidem cum difficultate acquiritur, difficilius retinetur, sed difficillime, immo impossibiliter vsq; in finem sine gratia custoditur. Vestis itaque linea siue candida, refertur ad castitatis honestatem, qua hominis animus mirabiliter decoratur: deaurata vero, ad eiusdem refertur continentiæ charitatem siue pretiositatem, cui omnis virtus inæstimabilis, vel incomparabilis reputatur, iuxta illud Ecclesiastici: Non est æqua ponderatio continentis animæ. Et Isaias: Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Quod fuit similis chrysolito lapidi, scilicet maris effigiem præferenti, igni siue fulguri, & æri candenti, omnimodam significat mentis puritatem, quæ quidem acquiritur per amaritudinem contritionis, & hoc chrysolito designatur: & per inflammationem delectationis, & hoc in igne vel fulgure figuratur: & per inuincibilem instantiam, & continuationem operationis, & hoc in ære candente demonstratur, &c. & hoc est quod dicitur in Ezechiele: Erat aspectus animalium, scintillæ quasi aspectus æris candentis, & sicut splendor ignis, & fulguris coruscantis, & quasi visio maris, &c.

Dan.10.a
Eccl.26.d
Isa.13.b
Ezech.1.b

Item comparantur continentes Archangelorum ordini, propter vnificam simplicitatem: nam vniti per gratiam, & amorem, alios nituntur inferiores ad diuinam reducere vnionem, vt dicit Dionysius. Et hoc propriè conuenit continentibus, qui diuinæ simplicitatis sequẽtes puritatem, diuisas carnalium affectiones nitũtur abstrahere ab illicitis, & reducere ad mentis, & corporis castitatem, quia cortina cortinam trahit, sicut dicitur in Apocalypsi, & in Ezechiele. Erant autem pennæ coniunctæ alterius ad alterum, &c. Ideo Angeli se mutuo exhortãtur ad sanctitatem, vt dicit Isaias: Clamabat alter ad alterum, dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et Paulus: Esto exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate.

Dion. de cœlesti Hier. ca.9.
Exo.26.a
Apo.vlt.d
Ezech.1.b
Isa.6.b
1.Tim.4.c

Item propter singularem quam habent cum Domino familiaritatem: nam Archangeli specialissime dicuntur Domino assistere, sicut sibi præ ceteris magis familiares, vt dicitur in Luca: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum,

Luc.1.b

&c. Et

&c. Et in Tobia: Ego sum Raphael, vnus ex septem, qui astant ante Deum. Et vtique continentibus conuenit, quia ratione vitæ incorruptæ Domino familiarius videntur adhærere, sicut de innocentibus dicitur: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. Ideo Ioannes virgo permanens maiorem familiaritatem cum Virginis Filio habuit, & contraxit, hoc est quod dicitur in libro Sapientiæ: Incorruptio facit propinquum Deo.

Tob.12.c Apoc.14.a Sap.6.c

CAPVT III.

De Angelis.

VLtimus ordo est Angelorum. Vnde Angeli sunt cœlestes spiritus vltimam hierarchiam perficientes, qui immediate se habent ad Ecclesiasticam hierarchiam, vt eam purgent, perficiant, & illuminent, vt ipsis mediantibus fit sursum ad Deum actio, conuersio, communicatio, & vnitio, dicit Dionysius. Est autem Angelus nomen officij non naturæ, semper enim spiritus sunt, sed cum mittuntur, Angeli vocantur. Vnde illuminationes quas ex superioribus accipiunt, ad nos deferunt, & secundum diuersos gradus vitam humanam ordinant, & disponunt, & ad diuinam cognitionem nos adducunt. Vnde sicut aliis ordinibus subsunt, ita hominibus præsunt, & ideo sursum se extendunt per dilectionem, deorsum progrediuntur per hominum gubernationem.

Dion. de cælesti Hier. c.9.

Et istis Angelis potissime assimilantur boni subditi, quoad exercitium misericordiæ, & compassionis: quia enim nos diligunt, ideo dona gratiarum, quæ à Deo recipiunt, nobiscum diuidunt, & diligunt quantum in eis est, laborant, vt ad diuinæ gratiæ participationem nos perducant. Et quamuis Deo assistant per contemplationem, mouentur tamen ad nos per dilectionem, & quæ in secreto contemplationis hauriunt, sanctis animabus communicant, & transfundunt. Sic viri spirituales Angelis se configurantes, operibus pietatis intendunt, & sua indigentibus distribuunt liberaliter, & impendunt. De quibus dicitur in Ecclesiastico: Isti sunt viri misericordię, &c. Hoc docuit Tobias, dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: & si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impartiri stude. Et in Prouerbiis: Per misericordiam, & fidem, &c. Et Lucas: Estote misericordes, &c. Talis fuit Iob, qui dixit: Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum. Et ille est vere misericors, qui totum suum cor impendit miseriis proximorum.

Subditi misericordes Angelis assimilantur. Eccli.44.b Tob.4.b Prou.15.d Luc.6.e Iob 31.b

Item Angelus, quia non dependet à materia corporali, transiens per materialia, & sensibilia, ab ipsis non coarctatur, nec in aliquo coinquinatur: sic boni actiui transeuntes per bona temporalia, nullam ab illis contrahunt infectionem: nam ipsorum corda non dependent à terra, ideo dicit Psalmista: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Non sic est de auaris, quorum affectus omnino dependet à terrenis, vt dicit idem Psalmista: Conglutinatus est in terra venter noster. Et Ioannes: Qui de terra est, de terra loquitur. Et Isaias: De terra mussitabit eloquium tuum. Et in Ecclesiastico: Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.

Psal.61.b Psal.43.d Ioan.3.d Isa.29.a Eccli.10.b

Item Angelus illis, qui magis ei sese conformant, & vicinius appropinquãt, plus se communicat, & ideo comparatur luci, in Genesi, in Luca, & in Actibus. Nam sicut lux transparentia, & diaphana manifestius illuminat, contracta autem, & terrestria, propter grossitudinem sibi resistentem, non penetrat, nec immutat: sic lux Angelica sibi appropinquantes perfectius illuminat, & illustrat, & ideo vbi obstaculum improbæ voluntatis inuenit per huiusmodi affectum terrenum, & grossum se nõ diffundit. Ideo dicitur in libro Sapientiæ: Spiritus disciplinæ effugiet fictum. In quo per spiritum Angelicum instruimur, quantum in nobis est, omnibus benefacere, sed præcipue domesticis fidei humanitatis obsequium propensius exhibere, & præcipue illis, qui nobiscum maiorem habent in virtuosis operibus conformitatem, iuxta illud Sapientis: Si benefeceris, scito cui benefeceris. Pauper enim iustus iniusto præponendus est, quamuis tempore necessitatis bonis, & malis sit Eleemosyna facienda, iuxta illud Lucæ: Omni petenti te tribue. Ideo etiam in figura ignea leguntur Angeli apparuisse in multis locis sacræ Scripturę: quia vis ignea omnia penetrat, & omnia purificat, & tamen perfectius illam immutat, quæ subtiliora sunt, & in sua substantia puriora, & ad susceptionem suæ impressionis sunt habiliora.

Gen.1.a Luc.2.b Act.12.a Sap.1.a Eccli.12.a Luc.6.d Ezech.1.b

Item Angeli velocitate sua naturali, subito, & in tempore inintelligibili operantur, ideo comparantur ventis. Similiter in multis locis, & maxime à Psalmista, qui dicit: Volauit super pennas ventorum. Nam ventus velociter agens non valet detineri, subito venit, & subito recedit, & causam motus non cognoscimus, & vbi se occultat non videmus, sic, & Angeli. In hoc etiam assimilantur viri misericordes Angelis, qui statim quando pauperis indigentiam percipiunt, manum adiutricem porrigunt, & tamquam venti, nunc occulte, nunc manifeste ad subueniendum pauperi se exponunt, sicut fecit B. Michael, qui subito, & occulte sicut ventus ad subleuationem inopiæ sui populi prosiliuit, iuxta illud Sapientis: Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustiãti in. Et Iob: Si expectare feci oculos viduæ. Vnde exẽplo Angelorum, instruimur festinanter, & occulte, siue in intelligibiliter pauperi subuenire. Et hoc est cõtra aliquos, qui pauperibus bene promittunt, sed promissum non perducunt ad effectum. Contra quod dicitur: Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.

Psal.17.a Eccli.4.a Iob 31.b Prou.3.d

Item virtus Angelica vniformiter est permanens, & indefessa, ideo semper depingitur in forma hominis iuuenis, & hoc propter viuificam Angelorum virtutem semper conualescentem, & numquam deficientem, vel ad antiquationem pertingentem. Et hoc congruit iustis, qui à bono proposito non deficiunt, sicut faciunt aliqui, qui liberales, & prodigi sunt in iuuentute, sed ad auaritiã se conuertunt in senectute, & tunc potissime in horrea congregant, & temporalia coadunant, quando morti vicinius appropinquant, sicut legitur fecisse diues ille stultus in Luca: Hac nocte repetent animam tuam, &c. Sed vir Angelicus numquam torpescit ab exercitio operum charitatis, immò tanto plus proficit in virtutibus, quanto procedit amplius in diebus: sicut de Aser dicitur in Deuteronomio: Sicut dies iuuentutis tuæ, ita, & senectus tua. Et in Psalmo: Senectus mea in misericordia vberi, sicut, & Caleb cum esset octogenarius, ita fortis fuit ad gradiendum, & pugnandum, sicut tempore iuuentutis. Et in Psalmo: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, &ç.

Luc.12.c Deut.33.d Psal.91.c Iosu.14.d Psal.102.a

Item Angeli habent virtutem motiuam semper in diuina procedentem, & ideo Angeli alati, & pennati describuntur. Alis enim, & pennis à terra volucres eleuantur: sic boni, & Angelici viri, alis geminæ charitatis, ab amore terrenorum, affectu, & voluntate separantur, & ad cœlestia mente ab omni cura terrenorum expedita, eleuantur. Istæ sunt duæ alæ, quæ datæ sunt mulieri, vt fugeret in desertum, vt dicitur in Apocalypsi, & Isaia: Assument pennas vt aquilæ. Et ideo describuntur Angeli in figura aquilæ, & significant sublimem ascensum Angelorum, & hominum in diuina, quando quæ sursum sunt, diligunt & non quæ super terram. Alas quidem non aquilæ, sed potius milui habent impij, raptores, & auari, pauperum oppressores, quibus non eleuantur ad cælum, sed potius deprimuntur ad infernum, vt dicit Zacharias: Datæ sunt ei alæ milui, & delata est in campum Sennar, quod interpretatur fœtor, & signat infernum, vbi deferuntur impij duplici ala adiuti, scilicet ala cupiditatis, & ala malignitatis. De quibus Hieremias: In alis tuis, inuentus est sanguis pauperum.

Ezec.1.b & Isa.6.a Apoc.12.d Isa.40.g Zach.5.c Hiere.2.g

Item Angeli tanta lege obedientiæ sunt astricti, quod numquam ad aliud deflectuntur, nisi ad illud solum, ad quod Dei ipsis præsidentis nutu, & imperio ducuntur, & ideo in figura equorum sæpius describuntur. Nam

sicut equus circumducitur freno: sic ipsi diuino imperio circumaguntur: ita viri sancti in statu subiectionis constituti, velut equi ad Dei laudem infrænati, ab obedientiæ legibus non recedunt: sed nunc se exhibent Deo, tamquam albos equos per vitæ munditiam, & castitatem, nunc etiam vt nigros per humilitatem, & nunc rubeos siue igneos per feruidam charitatem, nunc varios per multiplicis meriti diuersitatem. De his equis dicitur: Numquid præbebis equo fortitudinem? Et in Prouerbiis: Equus paratur ad bellum, &c. Et in Zacharia: Visitauit Dominus exercituum gregem suum, domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello Et in libro Machabæorum: Apparuerunt aduersarij de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, &c. & in his puritas conscientiæ, & ductilitas obedientiæ designantur, nam talibus frenis Dei iumenta refrenantur, quia à voluntatis propriæ impetu voluntarie coarctantur. Vnde Iacobus: Equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & omne corpus eorum circumferimus, &ç.

Iob 39.c; Prou.21.d; Zach.10.a; 2.Macha.10.f; Iac.3.a

Item Angeli quamuis ad diuersa, & contraria sint missi, tamen in se contrariis affectionibus, & animi motibus non afficiuntur, & ideo vestimenta varia, & aureis zonis constricta habuisse dicuntur. Nam Angelus habet virtutem seruandi firmiter, & coadunandi, & suas, & subditorum affectiones, vt singulæ, & vniuersæ in Deum iustificentur, & ad ipsum reducantur, sicut vestes ne decidant circa corpus zona colligantur. Et hoc proprium est existentibus in actiua vita, vt quamuis corpora circa diuersa sint distracta, corda tamen quoad intentionem finis semper in Domino sint vnita, sicut fuerunt corda discipulorum. De quibus dicitur: Erat omnibus cor vnum, & anima vna in Domino. Varia ipsa vestimenta, varia sunt virtutum opera, quæ zona charitatis quæ est vinculum perfectionis, ad finem vnicum vniuntur, iuxta illud Lucæ: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ, &c. Lumbi quidem cingulo castitatis, sed pectus zona aurea charitatis. Et in Ecclesiastico: Circumcinxit eum zona iustitiæ, &ç.

Zach.3.c; Apoc.1.c; Dan.10.a; Act.4.f; Luc.12.c; Eccl.45.a

Item quando ad exteriora mittuntur, orationes, & merita singulorum vel demerita, sub certo iustitiæ, pondere, & mensura, ad Deum reducere perhibentur, vt patet in libro Tobiæ. Ideo instrumenta mensurandi, & pōderandi in manibus gestare videntur, quibus sunt similes viri iusti, qui non solum propria, verum etiam aliena nituntur apud Deum in orationibus, & gratiarum actionibus habere recommendata. Eandem enim mensuram gratiæ, & gloriæ à iusta Dei prouidentia profuturam desiderant, quam ex proprio merito à summo iudice iam expectant. Vnde Paulus: De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &ç.

Tob.12.c; Ezec.40.a; Apoc.21.d; Amos 7.b; 2.Tim.4.b

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PARS QVARTA.

Quæ mutila, ac imperfecta est.

CAPVT I.

Cœli nomine varia in Scriptura significari, & quomodo nomine cœli significentur Angeli.

VOCAVIT Deus firmamentum cœlum, &c. Viso qualiter ordines Angelorum figuratiue possint adaptari diuersis ordinibus hominum electorum, nunc ad intuendas cœli, & cælestium corporum proprietates est breuiter transeundum. Et cum sit multiplex cœlum, ex consideratione proprietatum corporum cœlestium, multiplicem possumus elicere mysticum intellectum. Dicitur enim in Deuteronomio: En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cælorum, &c. Ibi dicit Glossa: Nonnulli dicunt septem esse cœlos. Primum aereum, secūdum ethereum, tertium olympium, quartum igneū, quintum firmamentum, sextum aqueum siue crystallinum, septimum empyreum. Nomine igitur cœlorum intelligere possumus statum, & dignitatem tam hominū, quam Angelorum electorum, quorum conuersatio in cœlis est.

Gen.1.a; Deut.10.c

Cœli itaque nomine, quandoque in Scriptura intelligitur puritas Angelorum, quandoque dignitas sanctorum, quandoque potestas siue auctoritas, quandoq; sublimis vita, & conuersatio iustorum, quandoque occultatio diuinorum iudiciorum. Cœlo igitur primo, scilicet empyreo puritas Angelica comparatur, de quo dicit Basilius: Cœlum primum est natura simplicissimum, de corpulentia habens naturam subtilissimam, & tamen solidissimam, primum mundi inferiorum contentiuum, ordinatiuum, & informatiuum: quod propter suam dignitatem est singularis Dei sedes, siue habitaculum nuncupatum. Hæc omnia beatissimis spiritibus congruunt, in quibus singulariter requiescit Deus per aptissimam, & ordinatissimam voluntatis conformitatem. Vnde dicit Isaias: Cœlū sedes mea est, &c. Et Psalmista: Dominus in cœlo sedes eius. Et iterum: Dominus in cœlo parauit sedem suam Et in Apocalypsi dicitur: Et ecce ostium apertum in cœlo. Et parum infra: Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens.

Cœli nomi ne varia in Scriptura significātur.; Basilius.; Isa.66.a; Psalm.10.b; Psal.102.d; Apoc.4.a

Dicuntur itaq; Angeli cœlum, propter omnimodam incorruptionem, & naturę suæ puritatem, nihil enim habent corpulentiæ, qui ab omnibus corporis passionibus sunt diuisi. Ideo dicitur in Exodo: Sub pedibus eius, quasi opus lapidis sapphiri, & quasi cœlum cum serenum est. Vnde sicut cœlum serenum, serena est, & pura natura Angelorum, cui nulla prorsus adhęret oppilatio carnaliū passionū, nulla attingit infectio motuum vel affectionū.

Exo.24.c

Item secundo subtilissimi sunt quantum ad intelligentiæ perspicacitatem, vnde dicit Psalmista: Qui fecit cœlos in intellectu. Quia quanto sunt Deo viciniores, tanto in secretis diuinis, & arcanis Dei sunt subtiliores, & ad videndum omnia in speculo aptiores. Dicit enim Ezechiel: Plenus sapientia, & perfectus decore, &ç.

Psal.135.a; Ezech.28.c

Item tertio solidissimi sunt quantum ad naturę incorruptæ perpetuitatem, & fixam ac stabilem in Deo voluntatem sicut dicit Iob: Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt, ibi Glossa: Angelici spiritus, qui in cælestibus sunt conditi, per cœlos exprimuntur, qui ab integritate etiam acceptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Ideo dicitur in Ezechiele: Et similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis. Crystallus firmam soliditatem habet, & radium solis in se recipiens ignem emittit, sic diuini spiritus soliditatem habent in constantia virtuosæ actionis, & perspicacitatem in perceptione diuinæ illuminationis. Vnde dicitur in Apocalypsi: Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ tamquam crystallum procedentem de sede Dei. Per fluuium crystallinum de sede procedentem, possumus intelligere abundantiam virtutis, & gratiæ, quam diuina virtus per Angelorum ministerium in nobis operatur.

Iob 37.c; Ezech.1.f; Apoc.22.a

Item quarto quantitate sunt maximi, non per dimensionem, sed per virtutem, & potestatem. Immensam enim habent altitudinem, quo ad diuinorum præceptorum * immensam latitudinem, quoad completissimam dilectionem: maximam profunditatem, quoad secretorum cognitionem. Vnde in Ecclesiastico: Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, &c. Et Isaias: Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Glossa: Vt diuina manus cœlestium spirituum potentiam ponderat, & eorum virtutes numerat, & mensurat.

* deest forsan impletionem, aut aliud simile.

Eccli. 43. a
Isa. 40. c

Item quinto qualitate sunt lucidi sicut cœli, per scientiæ, & sapientiæ claritatem. Nam cœlestes spiritus illuminantur à fonte primi luminis per sapientiæ receptionem, & alios illuminant per gratiæ susceptæ communicationem: iuxta illud Apocalypsis: Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius. Et Lucas: Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, &c. Et in Actibus: Angelus Domini astitit, & lumen refulsit, &c.

Apoc. 18. a
Luc. 2. b
Act. 12. a

Item sexto figuratione sunt sphærici per continuationis contemplationem, quia mens Angelica à fonte primi luminis primas recipit influitiones, quas postea ad alios diffundit, & diffundendo & communicando, illos quibus communicat, ad Deum reuocat, & reducit. Vnde affectus Angelicus circulariter mouetur, quia primo mouetur in Deum, & de Deo in proximum per dilectionem. & iterum à proximo mouetur in Deum per dilectionis extensionem, & continuationem. Vnde dicitur in Ezechiele: Ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. In quo notatur motus circularis in Angelica affectione. Fulgur enim, sicut ibi dicit Glossa, ab igne exit, & discurrens subito ad ignem tamquam ad matricem redit: sic spiritus Angelicus à Deo gratiæ influentiam per contemplationem recipit, & communicando aliis per gratiarum actionem ad Deum, qui est ignis consumens, redire non desistit, exit ministrando, redit laudando, & contemplando, iuxta illud Ecclesiastici: Gyrum cœli circuiui sola, &c. Et Psalmista: Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius, hostiam vociferationis, &c. Apocalypsis: Omnes Angeli stabant in circuitu Throni. Et Ezechiel: Splendor erat in circuitu eius.

Ezech. 1. d
Eccli. 24. a
Psal. 26. c
Apoc. 7. c
Ezec. 1. b

Item septimo situ sunt supremi, non per circumspectionem, sed per dignitatem, nam dignitate naturæ, & officio excellunt alias creaturas, sicut cœlum alia præexcellit elementa. Tanto enim sunt omnibus superiores, quanto Deo per familiaritatem, & gratiam sunt propinquiores. Vnde dicit Iob: Suspice cœlum, & intuere æthera, quod altior te sit. Ibi Glossa: In cœlo, & in æthere supernas accipere possumus potestates, quas iubemur vt intueamur, vt cum Angelicos spiritus longe à nobis distare conspicimus, ab ipso Creatore spirituum quantum differamus, cognoscamus.

Iob 35. a

Item octauo omnium inferiorum sunt contentiui, quantum ad charitatem. Nam ex affectu dilectionis, Angeli hominibus electis administrant, & in esse gratiæ detinent, & conseruãt, sicut dicitur in Psalmis: Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te, &c. Et iterum: Immittit Angelus Domini in circuitu, &c. Et Sapiens: Et hoc quod continet omnia, scientiã habet vocis. Et Esther ait: Tu fecisti cœlum, & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

Psal. 90. c
Psal. 33. b
Sap. 1. b
Esth. 13. c

Item nono omnium inferiorum ordinatiui: nam circuli cœli ordinate se intersecant, & hæc inferiora nunc calore, nunc frigore ordinant, & immutant: sic cœlestes spiritus in se ordinati aliorum sunt ordinatiui, dicente Iob: Numquid nosti ordinem cœli, aut rationem eius pones in terra? &c. Ordinem cœli noscere est dispositionem supernarum virtutum videre. Rationem eius ponit in terra, qui vitam suam disponit secundum cœlestia, & Angelorum patrocinio affectionem suam erigit ad æterna. Et Hieremias: Templum iuxta ordinem suum fundabitur, &c. ad Galatas dicitur: Ordinata est lex per Angelos in manu mediatoris. Ex his igitur nouem cœli proprietatibus, manifestum est Angelicam naturam in scriptura cœlum aptissime nuncupari.

Iob 38. d
Hier. 30. d
Gal. 3. c

CAPVT II.

Cœlorum nomine quomodo Apostoli sancti significentur.

CÆlorum etiam nomine Apostoli sancti possunt merito designari, de quibus Iob: Spiritus Domini ornauit cœlos, vbi dicit Gregorius: Nisi Apostoli Christi promissa Paracleti dona percepissent, nullo virtutis decore claruissent. Hæc vitam cœlestem, & conuersationem spiritualem aduocauit. Vnde Isaias dicit: Posui verba mea in ore tuo & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram. Hi sunt cœli, qui vbique enarrauerunt gloriam Dei, qui cœlos stabiliunt prudentia, cuius rore nubes concrescunt, vt dicitur in Prouerbiis. Nam sanctorum Apostolorum vita pariter, & doctrina, vniuersus mundus quasi rore quodam salutifero, medullitus irrigatur, vt dicitur in Deuteronomio: Caligabunt cœli rore. Ibi dicit Glossa: Tunc Apostoli fuerunt quasi cœli rore pleni, quando subtili, & suaui doctrina Christi cælitus sunt imbuti. Non enim fructificat quod huius roris perfusio non fœcundat. Ideo Isaias præsentiam Apostolorum desiderans, exclamat dicens: Rorate cœli desuper, & nubes pluant, &c. Fuerunt itaque Apostoli quasi cœli, sed aerei in ipsorum vocatione, quando, scilicet à terrena conuersatione eleuati diuinis laudibus, & proximorum profectibus à Domino sunt deputati. Nam aër à terra eleuatur, & substantiæ suæ subtilitate cœlo assimilatur: & propter conformitatem quam habet in cœlo, sæpius in Scripturis aeris interstitium cœlum nuncupatur, sicut Matthæus dicit: Venerunt volucres cœli, & comederunt ea. Et in Psalmis: Super ea volucres cœli habitabunt, ait etiam Iob: Volatilia cœli indicabunt tibi. Nam Apostoli doctores fidei virtutum pennis de terrenis eleuati, prædicationis discursu per mundum vniuersum circumuolauerunt, & velut cœli aerei nunc tonantes nimis, nunc pluentes doctrinis, nunc miraculis coruscantes, sopitorum corda in peccatis salubriter cõmouerunt, sicut scriptum est in Psalmis: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota est terra. Et in libro Iudicum: Terra mota est, cœlique ac nubes distillauerunt aquis. Item cœli, scilicet ætherei sunt facti in ipsorum perfectione, siue in perfecta vitæ Christi imitatione. Æther enim naturam ignis imitatur. Ignis est Christus qui est ignis consumens. Vnde in Deuteronomio: Dominus Deus tuus ignis consumens est, cuius puritatem tam in vita, quam in doctrina, Apostoli post eorum vocationem perfectissime sunt secuti. Vnde Iob: Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, &c. Quasi dicat, Considera ætheream, & cælestem conuersationem in Apostolis, qui exemplo Christi omnia contempserunt in terris, vt suo Regi essent similes, qui habitat in supernis. Vnde dicitur in Prouerbiis: Quando præparabat cœlos aderam, quando æthera firmabat sursum.

Iob 26. d
Greg. lib. 17. Mor. cap. 19. cir. fin.
Isa. 49. a
Psalm. 18. a
Prou. 3. c
Deut. 33. d
Isa. 45. a
Matt. 13. a
Psal. 103. b
Iob 12. b
Psal. 76. d
Iudic. 5. a
Deut. 4. d
Iob 35. a
Prou. 8. d

Item cœli ignei sunt effecti in Spiritus sancti missione, quando à Christo vocati, & ipsius vestigia plenissime imitati, igne cœlesti in aduentu Spiritus sancti sunt repleti, & quidquid in eis fuerat infirmitatis vel imperfectionis, in istius ignis præsentia penitus est consumptum, iuxta Sophoniam: In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra, &c. Et in Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis. idest, charitatis feruorem in Apostolis, per quorum igneam conuersationem vniuersalis Ecclesia amore Christi est vndique inflammata. Vnde dicit Zacharias: Ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno, & deuorabũt ad dexteram, & sinistram omnes populos, &c. Duces Iuda fuerunt Apostoli primitiui, qui dicuntur Ecclesiarũ Principes, & belli Christi triumphales duces, qui charitatis camino succensi,

Soph. 3. b
Thren. 1. c
Zach. 12. b

censi, quidquid fuit in se, & in aliis ligni, stipulæ, vel fœni omnino annihilauerunt, & populos credentes per fidem, & amorem Christo incorporantes, in igneam, & cœlestem conuersationem transtulerunt, iuxta illud Leuitici: Egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes qui erant super altare. Et in 3. Regum: Cecidit ignis Domini de cœlo, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides puluerem quoque, & aquā, quæ erat in aquæ ductu lambens, omnia enim peccata mortalia, & venialia, carnalia, & spiritualia, velut puluerem, & ligna spiritus ignitæ charitatis, per Apostolorum ministerium in hominibus consumebat, & in cœlestem ac igneam naturam conuertebat.

Leuit. 9. d
3. Reg. 18. f

Item quasi cœli siderei refulserunt in miraculorum perpetratione, quando, scilicet diuino Spiritu repleti, miraculis claruerunt, & veritatem fidei, quam docebāt, prodigiorum ostensione, & cœlestis virtutis approbatione, tam efficaciter affirmarunt, quod nec sapientes mundi, nec etiam tyrannorum gladij fulgorem fidei extinguere potuerunt. Habacuc ait: Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Nam fulgore miraculorum, quasi cū hasta Petrus, & Paulus Simonem magnum deiiciebant, & Neronem Romanorum Principem, virtuosis operibus deuincebant, iuxta illud Iudicum: De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo, &c. tot itaque sideribus refulserunt, quot miraculis, & virtuosis operibus claruerunt: ideo dicitur in Genesi, quod fecit Deus stellas, & posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent, &c. Et in eodem: Suspice cœlum, & numera stellas, sic erit semen tuum. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Species cœli, est gloria stellarum.

Habac. 3. c
Iudic. 5. c
Gen. 1. b
Gen. 15. b
Eccli. 43. b

Item crystallini effecti sunt cœli in ipsorum passione, quando nulla iniuria, nulla tormenti violentia potuerūt à fide Christi diuidi vel auelli, vt patet ad Romanos, vbi dicitur: Quis nos separabit à charitate Christi? Vnde fidem, quam dicebant, per passionis constantiam roborabant, & ad moriendum pro fide alios animabant. Vnde dicitur in Ezechiele: Similitudo firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis. Crystallus primo est aqueus, & fluidus, sed perflante vento, coadunatione partium fit solidus, atque durus. Aqueus, & fluidus fuit Petrus, quādo ad vocem ancillæ dum mori timuit, auctorem vitæ se noscere denegauit: sed per venti flatum, id est, per Spiritus sancti aduentum, fuit ipse in firmitatem crystallinā subito induratus, quando dixit in Actibus: Non enim possumus quæ audiuimus, & vidimus non loqui, per Ecclesiasticum: Gelauit crystallus ex aqua.

Rom. 8. f
Ezec. 1. f
Act. 4. d
Eccli. 43. c

Cœli vero empyrei facti sunt in eorum glorificatione: nam cœlum empyreum totum splendidum est, nihil habens tenebratum, quod sanctis glorificatis conuenit, quorum splendor cœli splēdorem superauit. Vnde Tobias: Luce splendida fulgebis. Et Ecclesiasticus: Vas castrorum in firmamento cœli resplendens. Et Daniel: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Sapiens: Et fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arūdineto discurrent. Et Isaias: Implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.

Tob. 13. c
Eccli. 43. a
Dan. 12. a
Sap. 3. b
Isa. 58. d

CAPVT III.

Cœlorum nomine auctoritas Iudicum, & Prælatorum designatur.

PAtet itaque, quod merito S. Apostoli dicti sunt cœli, quibus assimilari debent prælati ipsorum successores, nomine enim cœlorum intelligitur auctoritas iudicis, & prælatorum, qui sicut in officij dignitate, sic in merito, & vitæ sanctitate cœlestem Apostolorum conuersationem deberent in seipsis exhibere. Auctoritas enim Apostolica in cœlestibus sacramentis distribuendis, in verbi vitæ * ministeriis exponendis, in sopiendis litibus, & iudiciis faciendis, ad Ecclesiarum prælatos est ex ordinatione Dominica deriuata. Cœlestis igitur debent esse virtutis, & naturæ, qui se, & alios debent de cœlestibus expedire. In huius rei figuram Dominus manna de cœlo pluit, vt habetur in Exodo, De cœlo docuit. Et alibi: Vos vidistis, quod de cœlo locutus sum vobis, de cœlo etiam leges, & iudicia Hebræorum populo promulgauit, vt patet in Deuteronomio, & Exodo, vt sic cœli nomine nos patenter instrueret, quod officium conficiendi panem vitæ, docendi etiam, & iudicandi alios, nullus sibi assumeret, qui cœlestem naturam scientia, & moribus non haberet. Propter quod dicit Psalmista: Annuntiabunt cœli iustitiam eius. Non enim possunt annuntiare Dei iustitias homines impij, & terreni. Vnde Psalmographus: Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas? Sed cœli, idest, cœlestes viri, quorum conuersatio in cœlis est, ad cœleste officium sunt digni.

* f. mysteriis.
Exo. 16. c
Exo. 20. d
Deut. 5.
Exo. 20.
Psal. 21. d
Psal. 49. c

Dicuntur autem prælati cœli propter plura. Primo quia sunt luminosi, & luminis diffusiui sicut cœlum: quod bonis prælatis conuenit, qui sunt luminosi in se per conscientiæ puritatem, & lumen ad alios diffundūt per doctrinam, & sanctæ conuersationis claritatem, quibus dicit Dominus: Vos estis lux mundi. Et ibidem: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Et in Ecclesiastico: Species cœli, gloria stellarū mundum illuminans, &c. Sic lucidi fuerunt Apostoli, & alij patres primitiui, vt patet in Moyse, qui ex consortio Dei in monte, tantam contraxit claritatem in facie, quod eius vultum non poterant Iudæi intueri, vt patet in Exodo. Plurimi autem prælati moderni temporis hanc claritatem perdiderunt. Vnde dici potest illud Hieremiæ: Aspexi cœlos, & non erat lux in eis. Et Isaias: Stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum. Et Ezechiel: Et operiam cum extinctus fuerit cœlos, nigrescere faciam, & stellas eius. Et quia prælati nec in vita, nec in scientia sunt luminosi, ideo non est mirum si subditi fuerint tenebrosi, sicut Tobias, qui dixit: In tenebris sedeo, & lumen cœli non video. Et Amos: Tenebrescere faciam terram in die luminis, &c.

Matt. 5. b
Eccl. 43. b
Exo. 34. d
Hier. 4. c
Isa. 13. b
Ezech. 32. b
Tob. 5. b
Amos 8. c

Item secundo vniformiter sunt motiui, & in suo motu velocissimi. Cœlum enim est mobile, & inquietum, cuius motus est reuolubilis super medium, idest, super axem, in quo ostenditur bonorum prælatorum diligentia, & solicitudo circa curam, & salutem suorum subditorum, qui more cœli prædicando mouentur, iuxta illud Ecclesiastici: Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abissos, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur. Virtus enim motiua cœli rapit firmamentum ab Oriente in Occidentem, & iterum redit de Occidente ad Orientem: sic vir perfectus à quiete contemplationis procedit ad laborem prædicationis, & iterum peracto exercitio operis, procedit orādo, sicut fecit Moyses, qui postquam fregerat vitulum, & corripuerat populum, ait ad populum: Peccastis peccatum maximum, reuertar ad Dominum, si quo modo quiuero ipsum deprecari pro scelere isto. Reuersusque ad Dominum ait: Obsecro Domine, aut dimitte ei hāc noxam, &c. In Exodo: Sic autem obsecrantes libenter exaudit Deus. Et in Osea: In die illa ego exaudiam cœlos, & cœli exaudient terram. De hoc motu circulari dicitur in Ezechiele: Ibant & reuertebātur in similitudinem fulguris, &c. Et in Iob: Lustrant per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit. Et in Ecclesiaste: Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur, se mouendo, se, & circumeundo, cœlum semper voluitur circa axem, cui innitens medium numquam derelinquit. Axis est Christus, cui per intentionem, & amorem semper adhæret, & innititur vir perfectus, & talis medium virtutis non deserit, qui mediatori Dei, & hominum in omnibus suis operibus se coniungit.

Eccli. 16. c
Exo. 32. f
Ibidem.
Ose. 2. d
Ezech. 1. d
Iob 37. b
Eccl. 1. b

Item tertio cœlum continuatione sui motus est principium generationis, & corruptionis effectiuum, & hoc proprie conuenit prælatis, qui filios gratiæ per Euangelium Domino generant, & virtutum germina in subditorum cordibus radicantes, vitium extrahunt, & extirpant, & iure doctrinæ salutaris irrigant, & fecundant. Et Isaias: Quomodo descendit de cœlo imber, & nix, & inebriat

Isa. 55. c

inebriat terram, & infundit eam & germinare facit ipsam: sic verbũ quod procedit, &c. Et Zacharias: Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum. Si cæli tempore nostro essent rorifluι, id est, prelati essent dono cælestis sapientiæ repleti, tunc vtique populares & subditi fructiferi fierent & fecundi: sed quia prælati aridi sunt & duri, ideo non proficiunt subditi. Ideo dicitur in Deuteronomio: Sit cælum supra te æneum, & terra quam calcas ferrea. Et sequitur: De cælo descendat super te cinis.

Item quarto cælum est siderum errantium repressiuum: nam violentia sui motus planetas euagantes retrahit, & motu diuturno ab Oriente in Occidentem post se rapit. Stellæ errantes, subditi sunt peccantes, vt in Canonica Iudæ: Sidera sunt errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum. Et in Iob: Obtenebrẽtur stellæ caligine eius, &c. ibi ait Gregorius: Quos serpens tortuosus durus per malitiam ad necem percutit, fuisse latentes hypocritas velut stellas caliginosas ostẽdit, vt quales interius fuerint latenter in prosperis, euidenter pateat in aduersis. De his stellis ait Iob: Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Horum siderum motum inordinatum cæli, id est, iusti prælati cælestis legis iudicio reprimunt, quando talium excessus corrigunt, & correctos ad frugẽ melioris vitæ prouehunt & compellunt. Vnde Paulus: Corripite inquietos. Et Psalmista: Cæli distillauerunt à facie Dei Israel, &c. Tunc cælestes animi non furoris grãdinem, sed imbris dulcedinem stillant, quando diuinam clementiam circa peccatores intuentes, non cum seueritatis impetu, sed blandientis animi affectu, mentes corrigunt & castigant. Vnde Psalmista: Corripiet me vir iustus in misericordia, & increpabit me, &c. Et Hieremias: Corripe me, veruntamen in iudicio, & non in furore, ne forte, &c.

Item quinto cælum est inferiorum informatiuum. inferiora enim sunt in superioribus tanquam in proprijs formis vt dicit Philosophus, quia secundum varias corporum impressiones figurantur, & formantur species inferiores. Et hoc prælatis congruit, quorum vita vitæ subditorum debet in omnibus esse forma, sicut dicit Petrus in 1. Canonica: Forma facti gregis ex animo, &c. Et 2. ad Thessalonicenses: Ipsi scitis, qualiter oportet vos imitari nos, quoniam non inquieti fuimus, &c. Et sequitur: Non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos daremus vobis formam ad imitandum nos. Et ad Philippenses: Imitatores mei estote, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Forma enim debent esse subditorum in doctrina veritatis. Et ad Romanos: Confidis te esse ducem cæcorum, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Et ad Thessalonicenses: Forma facti estis omnibus credentibus in Macedonia.

Item in munditia castitatis, vt patet ad Timotheum: Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & in castitate.

Item in excellentia humilitatis, dicitur enim in Ecclesiastico: In brachio suo formabit lutũ, & ante pedes suos curuabit virtutem suam. Prima forma informat animam ex parte rationalis, secunda ex parte cõcupiscibilis, tertia ex parte irascibilis Sed ne aliquid in subditis relinquatur non formatum, informandi sunt à suis superioribus vltima forma scilicet forma perfectissimæ charitatis, de qua dicitur in Sapientia: Amator factus sum formæ illius. Illius formæ impressor fuit Paulus cum dixit: Imitatores Dei estote sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione. Ad tales informationes cælestes in subditis imprimendas, inuitauit Deus Moysen, cum dixit: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratũ est. Opera itaque prælatorum, velut quędam exemplaria cælestia obijcienda sunt oculis subditorum. Vnde Psalmista: Quoniam videbo cælos tuos, &c.

Item sexto cælum est omnium motuũ inferiorum dimensiuum: nam motus cæli est primum temporis subiectum, & omnium motuum inferiorum mensura. Vnde qui motum corporis cælestis non considerat, in computatione temporis multum errat. Sic auctoritas & iurisdictio prælatorum regula est & mensura subditorum: nam iuxta ordinatum motum voluntatis superiorum, moueri debent corda, & voluntates inferiorum. Ipsorum enim est officiũ, subiectorum corda discutere, & de singulorũ factis rationem & computum exigere: quia de factis subditorum reddituri sunt rationem, quando dicetur illud Hieremiæ: Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Et Ezechiel: De manu tua requiram Et 3. Regum: Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tuã pro anima illius. Et ad Hebręos: Ipsi peruigilãt, quasi reddituri rationem pro animabus vestri, ideo motus & affectiones oportet mensurare, & cognoscere merita singulorũ, sicut dicit Salomon; Diligenter cognosce vultum pecoris tui, ne scilicet contingat errare in reddendo rationem. Et Iob: Quis enarrabit rationẽ cælorũ? &c. Difficile vtique est enarrare, quam districtam requiret à prælatis de subditis rationem, quãdo dicet vnicuique: Redde rationem villicationis tuę. Et Isaias: Visitabit militiam cæli in excelso, & super reges qui sunt super terram.

Item septimo cælum aquarum superiorum & inferiorum discretiuum est, sicut dicitur in Genesi: Posuit firmamentum in medio aquarum, & diuisit aquas ab aquis. & signat prælatos Ecclesiæ, qui fidei firmitate, & fortitudinis robore, contẽplatiuos quasi superiores aquas sursum tenent, ne labantur ad inferiora, & sæcularibus negotijs se implicent, & sæcularibus implicitos quasi aquas mobiles sub se coercent, ne tranquillitatem contemplatiuorum perturbent. Discernunt etiam inter bonos, qui cælestem habent puritatem, & malos qui carnalem habent fluiditatem, spirituales scilicet sursum tenendo per consolationem, carnales deprimendo, & compellẽdo subire correctionem. Vita etiam prælatorum inter vitam contemplatiuam & actiuam, quasi in medio firmata est, & quasi ex vtraque compacta. eorum etiam diligetia se debet interponere mediam inter huius mũdi diuites & tyrannos, & inter pauperes ac infirmos, ne sinant violẽtiam diuitum transire in oppressionem pauperum, nec insolentiam pauperum in fraudem & contemptum potentium, siue suorum dominorũ. ideo in persona boni prælati dicitur de Ioseph in Ecclesiastico: Natus est homo princeps firmamentum gentis, stabilimentum populi &c. Proprie igitur nomine cælorum significatur in scripturis potestas prælatorum, qui auctoritate & potentiæ Christi Ecclesiam disponunt & gubernant, sicut cæli inferiora mundi elementa ordinant & immutant.

CAPVT IIII.

Cælorum nomine religiosi & contemplatiui significantur.

CÆlorum etiam nomine intelligitur sanctitas religiosorum, siue cælestis & sublimis conuersatio cõtemplatiuorum, in quorum mẽtibus pacificis & quietis, diuina virtus tanquam in cælis singulariter requiescit, iuxta illud Isaiæ: Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, &c. De his cælis dicis Psalmista: Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine. Hi cæli sunt claustrales & contemplatiui, qui ad cælestem vitam diuina gratia eleuati, in diuinæ laudis confessione continue perseuerant: quia sicut dicit Glossa, Ante suam conuersationem ad pœnitentiam, heri fuerant vorago ebrietatis, hodie ad Deum conuersi, effecti sunt ornamentum sobrietatis: heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ: heri blasphematores, hodie Dei laudatores: heri seruiebant creaturis, hodie effecti sunt serui Creatoris.

Dicuntur autem tales cæli propter plura. Primo propter remotissimam ab amore terrenorum elõgationem: nam cælum æquis spatijs à centro terræ est remotissimũ; sic contemplatores cælestium ab omni cura temporali abstracti, locum sibi vendicant superiorem, Deo scilicet & Angelis propiorem, sicut dicit anima contemplatiua in Ecclesiastico: Ego in altissimis habito, &c. Et in Prouerbijs: Cælum sursum, & terra deorsum, sic cor regum inscru-

inscrutabile, id est, imperscrutabilis est affectio illorum, qui bene se regunt. Non à carnalibus potest experiri, quid dulcedinis de Deo suo sentiunt, qui contéplationis volatu per cæleſtia se diffundunt: ideo via aquilæ in cælo à Salomone difficilis iudicatur in Prouerbijs, quia quod contemplatiuæ mentes in raptu contemplationis de diuina dulcedine hauriunt, à mundi amatoribus ignoratur, iuxta illud Eccleſiastici: Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit. De istius cæli altitudine iam multi corruerunt, qui cælestem gratiam paruipendentes, ad amorem terrenorum velut canes ad vomitum redierunt, & professionis suæ altitudinis, iam obliti, mundi huius immũditijs adhæserunt. Ideo dicit Isaias: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, &c. de hoc alias.

(*Prou. 30. c*) (*Eccli. 17. d*) (*Isa. 14. c*)

Secundo propter cęlestis munditię imitationem, nam propter subtilitatem suæ essentiæ cæli sunt purissimi, & ab omnis corruptionis immunditia alieni, sicut dicit Aristoteles, Corpus cæli non ingreditur corruptio nec generatio, &c. sic contemplatiui cælestem puritatem ęmulantur, & in omni cordis & corporis munditia puritati cælesti per confessionem continentiæ conformantur. Et ideo in castis & lucidis religiosorum mentibus specialiter requiescit, iuxta illud Psalmi: Ponam thronum eius sicut dies cæli. Et in Ezechiele: Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni. Sapphirus cælestem repræsentat puritatem pariter & colorem, & significat munditiam & castitatem, cuius gratia viri spirituales thronus Dei fieri promerentur, iuxta illud Psalmi: Dominus in cælo parauit sedem suam.

(*Arist. lib. 1. de cælo textu 20.*) (*Psal. 88. e*) (*Ezech. 1. g*) (*Psal. 102. d*)

Tertio propter ordinatam obedientiæ voluntariæ cõtinuationem: nam cælum cursum suum, ordine quieto & imperturbato peragit, & ab eodem puncto in idem continue se reuoluit: & hoc congruit religiosis, qui spiritu diuino commoti, sine tædio & murmure non cessant cursum iniunctæ obedientiæ pro viribus adimplere. Vnde Hieremias: Si defecerint leges cæli corã me, dicit Dominus, tunc semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus, &c. Hunc motum velut stellæ erraticæ quidam retardant, & obedientiæ legibus obuiantes, & voluntatis propriæ motibus innitentes, quietam claustri conuersationem dissipant, & perturbant, iuxta illud Apocalypsis: Factum est prælium magnũ in cælo, & draco pugnabat, &c. Dicitur, quod quando stellæ erraticæ mutuo conueniunt in capite vel cauda draconis, vel contrarie se aspiciunt, tunc cælum perturbatur, & frequẽter oriuntur tempestates, & eclipsis nunc lunæ, nunc solis in capite vel cauda draconis ex mutua coniunctione, vel directa oppositione procreatur. Stellæ euagantes, sunt peruersi claustrales à rectitudine regularis disciplinæ per cãpos licentiæ deuiantes, qui nunc conueniunt in dracone per fraudulentam conspirationem, nunc ex aduerso se aspiciunt, & mutuo se opponũt per mutuam defensionẽ, ex quorum lite & conspiratione turbationis non modicæ scandala plurima sæpius oriuntur, & ipsi religiosi qui per famam velut cæli relucere deberent, famæ suæ iacturam per talium insolentiam patiuntur. Vnde dicitur in Apocalypsi: Sol factus est niger tãquam saccus cilicinus, & stellæ ceciderunt de cælo, &c.

(*Hier. 31. g*) (*Apoc. 12. b*) (*Apoc. 6. d*)

Item quarto propter harmonicam circulorum cæli proportionem: nam in cælo quidam sunt circuli superiores, quidam inferiores, quidam autem dicuntur solstitiales, quidam æquinoctiales, quidam æstiuales, quidam hiemales. Sic in religiosorum collegio velut in cælo, quidam vicem gerunt prælationis, & hi sunt solstitiales, in quorum vita & conuersatione sol iustitiæ debet expressius relucere, iuxta illud Ecclesiastici: In vnamquamque gentem posuit rectorem, & pars Dei Israel facta est manifesta, & omnia opera illorum velut sol in conspectu Domini. Alij sunt æquinoctiales, illi, scilicet qui in statu subiectionis dies & noctes æquare & continuare in Dei laudibus nõ desistunt, qui scilicet in media nocte ad cõfitendum Domino surgunt, & in die media seu meridie laudes laudibus accumulant, & adiungunt. De quibus Isaias: Tota die & tota nocte non tacebunt. Et Psalmista: Vespere, & mane, & meridie narrabo & annũtiabo, &c. Et Isaias: Clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et Psalmista: Tota die laudem tuam. Circuli vero æstiuales, qui polo appropinquant, & versus verticem cæli plus se eleuant, sunt contemplatiui, qui ab omni solicitudine temporali se elongant, & in sublimitate cõtemplationis cælestibus se conformant. Dicitur enim in Iob: Excelsior cælo est, & supra stellarum virtutem sublimatur. Sed per circulos hiemales, qui terræ sunt viciniores, significantur boni actiui & officiati, qui officio administrationis intẽti temporalia procurant, & ea, quæ sunt alijs necessaria officiosissime administrant. Iterum dicit Iob: Præcipit hiemis pluuijs & imbribus fortitudinis suæ. Et in Genesi: Æstas & hiems, nox & dies non requiescent. Prælati igitur & subditi, actiui, & contemplatiui, velut quidam cælestes circuli, officiorum gradibus ad inuicẽ sunt distincti, nexu tamen indissolubilis charitatis pariter sunt coniuncti, sicut dicit Apostolus: Totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis &c.

(*Eccli. 17. b*) (*Isa. 62. c*) (*Psal. 54. c*) (*Isa. 6. b*) (*Psal. 34. d*) (*Iob. 22. b*) (*Iob. 37. b*) (*Gen. 8. d*) (*Ephes. 4. d*)

Item quinto propter omnimodam contrarietatis remotionem cælo nihil est contrarium, vt dicit Philosophus, maxime quia ex contrarijs partibus non componitur, & ideo non potest cælum aliqua corruptio subintrare: sic inter viros spirituales & cælestes nulla contrarietas in affectu, nulla disparitas in victu, nulla singularis diuersitas in vestitu debet inueniri. immo ipsorum concordia attestatur, quod tam in virtutibus, quam in moribus permanent incorrupti, iuxta illud Iob: Qui facit cõcordiam in sublimibus suis. Et in Ecclesiastico: Cõcordia fratrum amor proximorum, vir & mulier bene cõsentientes, &c. vbi ergo rixę & diuisiones, & cõtrarię partes sunt in claustris ibi summa est corruptela. Dicit enim in Osea: Diuisum est cor eorum, ideo nunc interibunt. Nam contrarietas est causa corruptionis, sicut vnitas siue simplicitas incorruptibilitatis Vnde dicitur in Actibus. Erat omnibus cor vnum, & anima vna in Domino. Et in Psalmis: Qui habitare facit vnius moris in domo. Et Sophonias: Vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno. Et in Osea: Congregabuntur filij Israel, & filij Iuda pariter, &c. Vnde discipuli congregati in vnum, Spiritum sanctum recipere meruerunt, vt dicitur in Actibus.

(*Arist. ibid.*) (*Iob. 25. a*) (*Eccli. 25. a*) (*Osee. 10. a*) (*Act. 4. f*) (*Psal. 67. b*) (*Soph. 3. b*) (*Osee. 1. d*) (*Act. 2. a*)

Item sexto propter ordinatam orbium cæli eleuationem & depressionem. Dicunt enim Philosophi, quod ex ordinato orbium motu, & eorum graui & acuto & intercisο processu, incredibilis harmonia procreatur: sic viri cælestes omnia ordinate facientes suauem reddunt melodiam, quando scilicet de contemplatione ad actionem, de lectione procedunt ad orationem; quando superiores iuste & benigne præsunt sine tyrannide, & iniusta subditorum oppressione, & inferiores mansuete subsunt sine murmure & contradictione: quando qui præsunt ad subditos condescendunt per compassionem & amorem, & illi, qui subsunt ordinate exhibent suis superioribus reuerentiam debitam & honorem, ex tali ordinato ascensu, & descensu, dulcis concentus generatur. Ideo dicit Iob: Concentum cæli quis dormire faciet? sed hic concentus iam minus in cæli orbibus, id est, claustralibus inuenitur, iuxta illud Apocalypsis: Factum est silẽtium in cælo, fere per dimidiam horam. Ecce in multis locis insurgunt subditi contra prælatos, & prælati contra subditos grassantur, & sic concentus cæli in talibus vel silet penitus, vel plurimum impeditur: boni tamen istud silentium tanquam periculosum & nociuum infringunt, qui scilicet ordinate & pacifice viuunt, sicut dicitur iterum in Apocalypsi: Audiui vocem in cælo, sicut vocem citharœdorum citharizantium in citharis suis, & cantabant quasi canticum nouum.

(*Iob. 38. d*) (*Apoc. 8. a*) (*Apoc. 14. a*)

Item septimo propter cautissimam meritorum suorũ occultationem: nam cęlũ interpolate aliqua de suis contentis aspicientibus repræsentat, sed plura & nobiliora

ab oculis intuentium subtrahit,& occultat,& hoc religiosis vitam cęlestem habentibus conuenit,vt aliqua de suis virtutibus ostendant aliquando, ad ædificationem proximi: sed plura abscondant propter humiliationem sui, secundum doctrinam Domini dicentis in Matthæo: Tu cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscõdito, &c.Et in eodem: Faciem tuã laua, ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo, qui videt in abscondito. Et in eodem: Attendite ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, &c. Qui igitur cælicam ducunt vitam, non omnia omnibus reuelent propter ostentationem, sed quando aliqua oportet facere proximis ad exemplum,in occulto faciant quoad intentionem.Nam nobiliora in cælo plus celantur, quam illa, quæ in firmamento sensibiliter intuentur. Ait enim Sapiens:Quæ in prospectu nostro sunt,inuenimus cum labore,quę autem in cælis sunt,quis inuestigabit?quasi dicat,nullus potest merita sanctorum occulta cognoscere, nisi illi solus,qui super omnes cęlos considerat,& lumen eius super omnes terminos terræ, vt dicitur in Iob: Ille solus vota humilium respicit & approbat, qui solus cæli occultissima inuestigat.Et in Psalmis: Quis sicut Dominus Deus noster,qui in altis habitat?&c.Hypocritæ vero qui in seipsis cæli speciem mentiuntur se habere, plura bona quam habeant, fingere non verentur. Vnde dicit Nahum:Plures fecisti,quam stellæ sint cæli, negotiationes tuas.Sed tales stellæ non sunt stellæ veræ,quia in cæli corpore non sunt fixæ,& ideo semper pereunt & cadunt in fine, sicut quasdam flammulas stellis similes, de cælo in noctibus cadere, sæpius est videre. Ideo in Apocalypsi dicuntur stellæ de cælo cecidisse,& in Matthæo.Nam,vt dicit Gregorius. Hypocritarum opera quamuis ad tempus inter iustorum merita lucere videantur, in fine tamẽ quia à fructu sunt vacua,funditus annullantur.Ideo dicitur in Iob: Si ascenderit ad cælum superbia eius,& caput eius nubes tetigerit,&c Et in Abdia:Inter sidera posueris nidum tuum.&c. Et Isaias: In cælum ascendam, super astra cæli exaltabo solium meum.Et Psalmista:Posuerunt in cælum os suum,&c. sed qui veri sunt cæli,in Deo abscondita sua occultat opera, & ideo stabilia permanent vsque in posterum atque fixa, iuxta illud Ecclesiastici: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & orabit pro te,& proderit tibi super aurum.

Item octauo propter continuam influentiam & virtutis diffusionem:nam virtus cælestis per singula se diffundit elementa,sic religiosi bona,quæ desuper receperunt, omnibus indigẽtibus cõmunicant,& misericordiæ opera secundũ vniuscuiusq; indigẽtiam singulis administrãt. & ad imitationẽ Patris cælestis,qui misericors est,& misericordes diligit, & illis specialem gratiã infundere consueuit, sicut dicit Psalmista: Domine in cælo misericordia tua, &c. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, dicitur in Matthęo.Religiosi itaque pietatis opera diligentes, sunt cæli, in quibus thesauri Domini reperiuntur, qui inspiratione diuina, necessitatis tempore pauperibus diffunduntur.Vnde dicitur in Deut. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum,cælum:vt pluuiam tribuat terræ in tempore suo.

Patet ex prædictis quod cælorum nomine religiosi in Scripturis sæpius denotãtur, qui inter ceteros electorum gradus,cælis potissime conformantur, ratione subtilitatis diuinæ Scripturæ, in qua velut in cælo omnia occulta Christi,& Ecclesię mysteria cõtinentur,iuxta illud Isaiæ: Complicabuntur sicut liber cæli,&c. Et Ezechiel:Aperti sunt cæli,& vidi visiones Dei.Et in Apocalypsi:Apertum est templum in cælo, & visa est arca testamenti in cælo. Nam sicut cælum est principium illuminationis & irradiationis totius mundi sensibilis, sic totius veritatis cognitio exordium à diuinis eloquijs accipit, & scripturis, iuxta illud Psalmi:Declaratio sermonum tuorum illuminat. Nam mandatum lucerna est,& lex lux,vt dicitur in Prouerbijs. Vnde quidquid proponitur propheticæ rationis,quidquid asseritur mundanæ sapientiæ argumentis, si veritati Theologicæ non consonat, à natura cæli discrepat, & discordat, vt dicere possit mundi sapientibus scriptura veritatis:Sicut exaltantur cæli à terra,sic viæ meæ à vijs vestris.

Item secundo virtus cæli est causa viuificationis inferiorum & sensificationis, quia nihil viuit, nec sensum percipit, vbi cæli radius non pertingit: ex quo manifeste conuincitur,quod omnis mens vel conscientia moritur, ad cuius interiora verbi vitæ virtus non ingreditur,quod expertus Petrus,dixit in Ioanne:Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et Psalmista: Eloquium tuum viuificabit me. Et Dominus in Ioanne: Verba quæ locutus sum vobis,spiritus & vita sunt.Et in Ecclesiastico: Sustulisti mortuum ab inferis,de sorte mortis in verbo Dei tui. Et ideo Scriptura diuina spiritualiter intellecta, intellectum viuificat & affectum, iuxta illud Ioannis: Vita erat lux hominum.Et Apostolus: Tuba Dei descendet de cælo,& mortui qui in Christo sunt,resurgent primi,&c Tuba de cælo canens est vox prædicatorum de secretis Scripturæ celestia exprimens, resonans, & exponens. Ad tubæ sonitum resurgent mortui tui de sepulchris peccatorum,sicut dicit Ioannes:Hora venit,& iam nũc est,quod omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei,&c.

Item tertio ratione obnubilationis,quia cælum quod in suo proprio circulo semper lucidũ est & serenum, secundũ nostrum aspectum propter interpositionem vaporum, sępius apparet nubilosum: sic Scriptura diuinitus aspirata, figuris & ænigmatibus est sæpius inuoluta, vt carnalibus & indignis Scripturarũ lateant mysteria, quæ tamen pijs mentibus, sapientibus ea quæ sunt spiritus, lucida sunt & aperta, iuxta illud Genesis: Cũ obduxero cælum nubibus,apparebit arcus meus,&c. Quãdoq; enim propter aliquorũ imperitiam, quãdoque etiam propter hæreticorum malitiam,sunt celanda quædã Scripturę & fidei sacramenta. Et hoc faciendum est corã simplicibus & infirmis, ne subtilia & sublimia capere non valentes à recto deuenient,similiter coram infidelibus,ne blasphement:Non enim debemus sanctum dare canibus,neque spargere margaritas coram porcis, ne forte conculcent eas.&c.sicut dicit Dominus in Matthæo. Ideo præceptũ fuit, quod nulli viderẽt vasa sanctuarij nuda, exceptis sacerdotibus filijs Aaron,vt dicitur in Numeris.Ideo oportuit arcã & alia tabernaculi vasa obuoluere pellibus hyacinthinis,ne forsitan alij aliqua curiositate secreta tabernaculi intuentes mererentur, sicut ibidẽ dicitur. Claritatem itaq; cęli obuoluit nubibus.& obducit, qui Scripturarum subtilia subticens, simplicia & intellectu facilia proponit, simplicibus autem exponit. Radius enim luminis cælestis qui visum aquilæ acuit & confortat, obtũdit visum noctuæ & excæcat. Vnde qui debilis est visus, id est, parui intellectus, nõ debet alta & insensibilia perscrutari, ne de claritate nimia obtenebretur eius animus, vnde putabat illuminari. Vnde dicitur in Prouerbijs: Ad opes quas habere non poteris, ne erigas oculos tuos Facient enim sibi pennas,& volabunt in cęlum Hoc sciens Dominus, dixit Nicodemo in Ioanne: Si dixi vobis terrena & non creditis: Si dixero vobis cælestia quomodo credetis?Et in Ecclesiastico: Altiora te ne quæsieris,& in pluribus Dei operibus nõ fueris curiosus,&c.Et sequitur: Non est necesse quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

Item quarto ratione fecundationis. Nam calore cęlesti pariter & rore omnia procreantur, nec aliquid in terra crescendo proficit, nisi vbi calor cælestis se spargit, & humor roris aut pluuiæ cælestis se diffundit. Scriptura tota ignea est, illuminans per sapientiam intellectum,& ad amorem inflammãs affectum. Vnde dicit Psalmista: Ignitum eloquium tuum vehementer,&c. Et in Deuteronomio: In dextera eius ignea lex. Et Hieremias: Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans clausus in ossibus meis. Et in Prouerbijs: Omnis sermo Domini ignitus clypeus,&c.Clypeus est cum protegit, ignitus cũ accendit. Cælum igitur igneum, diuinum est Verbum, dum inflammat. Vnde ait Psalmista: Eloquium Domini inflammauit eum,&c. Rorifluum autem est dum fecundat.

Marginalia: Matt.6.a; Ibidem.; Ibidem.; Sap.9.d; Iob.37.a; Psal.112.a; Nahũ.3.d; Apo.6.a.& Matt.24.c; Greg.lib.8. Mor.cap.24. in sensu.; Iob.20.a; Abd.1.b; Isa.14.a; Psal.72.b; Eccli.29.b; Psal.35.a; Matt.5.a; Deut.28.b; Isa.34.a; Ezech.1.a; Apoc.11.d; Psal.118.r; Prou.6.c; Isa.55.c; Ioan.6.g; Psal.118.g; Ioan.6.g; Eccli.48.a; Ioan.1.a; 1.Thes.4.d; Ioan.5.e; Gen.6.c; Matt.7.a; Num.4.a; Prou.23.b; Ioan.3.b; Eccli.3.c; Ibidem.; Psal.118.f; Deut.33.a; Hier.20.b; Prou.30.a; Psal.104.b

dat. Inflammat enim cor ad dilectionem, fecundat velut pluuia aut ros ad operationem. Dicitur enim in Deuteronomio: [Deut. 32.a] Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat velut ros eloquium meum. Et Iob: [Iob. 29.d] Stillabat super eos eloquium meum, expectabant me sicut pluuiam & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Vi ergo talis caloris, & humoris de agro cordis, virtutis germen prorumpit in fructum operationis. Vnde dicit Isaias: [Isa. 55.c] Quomodo descendit imber de cælo, & non reuertitur, se infundit in terram & inebriat eam, & germinare eam facit, &c. Et Iob: [Iob. 29.c] Ros in messione mea morabitur, &c. Maledicta autem terra, quæ rorifluis cæli guttis continue infunditur, & tamen sterilis inuenitur. Et Paulus: [Heb. 6.b] Terra, quæ spinas profert & tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Et in Deuteronomio: [Deut. 28.c] De cælo descendet super te cinis, &c. Quod fit in peruersis Theologis, qui rore cæli quotidie pluuntur, semper tamen remanent sine fructu.

Item quinto ratione permanentiæ infinitæ durationis. Cælum enim inter omnia corpora, magis durabile est & firmum: & ideo est perpetuum, quia cum non sit compositum ex contrarijs non habet in se principium dissolutionis, & hoc conuenit Scripturæ veritati, quæ tantæ est firmitatis quod non potest arte vel ingenio immutari. Et ideo dicit Psalmista: [Psal. 148.a] Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit. Et in Prouerbijs: [Prou. 12.c] Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Et iterum in Psalmis: [Psal. 88.c] Quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita. Et in secunda Petri: [2.Pet. 1.d] Et habemus firmiorem propheticum sermonem. Vnde omnes scientiæ quæ in firmitate istius Scripturæ non sunt fundatæ, inutiles sunt atque vanæ, iuxta illud Hieremiæ: [Hier. 10.a] Omnes leges gentium vanæ sunt. Et Sapiens: [Sap. 13.a] Vani sunt omnes homines, in quibus non subest sapientia. Et Apostolus: [Rom. 1.c] Euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Vnde sapientes huius sæculi, qui ingenia sua fundant in sapientia huius mundi, nihil habent cælestis penitus firmitatis: sed doctores boni, virtute diuini verbi sunt firmissimi sicut cæli, iuxta illud Psalmi: [Psal. 32.b] Verbo Domini cæli firmati sunt. Et Daniel: [Dan. 12.a] Fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Iob: [Iob. 37.c] Solidissimi sunt quasi ære fundati.

Item sexto ratione ornatus & compositionis: nã propter varium stellarum ornatum, nihil est pulchrius quã sit cælum. Sic diuina sapientia, quæ in scriptura diuina sculpta est & cælata, expositionibus varijs quasi quibusdam radiantibus stellis, multipliciter est ornata. Relucet enim diuina veritas nunc in historia, nunc in allegoria, nunc in ea rutilat sensus tropologicus, nunc irradiat anagogicus intellectus. Vnde in Ecclesiastico: [Eccli. 43.b] Species cæli est gloria stellarum. Et in Sapientia: [Sap. 7.c] Dedit mihi scire anni cursus, & stellarum dispositiones, &c. Varijs itaque scripturæ diuinæ sententijs quasi coruscantibus cæli astris, omnium errorum & phantasmatum tenebrositas effugatur, & relucet veritas fidei, qua totius Ecclesiæ superficies decoratur, vnde dicit Iob: [Iob. 73.a] Super omnes cælos considerat, & lumen illius super omnes terminos terræ. Tempore vero Antichristi, istius cæli ornatus splendidus obfuscabitur, quando verbi prædicatio ab hæreticis & tyrannis prohibebitur, & veritas fidei latens in Scripturis variis hæreticorum figmentis, insuper & physicis argumentis multiplicıter impugnabitur, sicut dicit Daniel: [Dan. 8.c] Magnificatum est cornu modicum vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de stellis, & conculcauit eas, & abstulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius, &c. Et in Apocalypsi: [Apoc. 6.d] Cœlum recessit sicut liber inuolutus, & montes & insulæ de loco suo motæ sunt. Nam liber diuinæ sapientiæ, qui modo omnibus est apertus tempore persecutionis extremæ, claudetur vndique, & erit omnibus obuolutus, & tunc montes & insulæ mouebuntur: quia tam prælati, quam subditi, tam contemplatiui quam actiui, qui voluerint esse stabiles in fide, in lege Domini permanere, iniquitatem persecutionis dæmonis, & Antichristi cum suis fugere compellentur. Quapropter dicitur in Prouerbijs: [Prou. 29.c] Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus, qui vero custodit legẽ, beatus est. Patet itaque quod veritas diuinæ sapientiæ, quæ in Scriptura sacra velut in cælo occultatur, congrua similitudine cælesti corpori comparatur.

CAPVT V.

Cælorum nomine Doctores sacræ Scripturæ significantur.

Doctores sacræ Scripturæ per rationes prætaxatas cæli sæpius nuncupantur, quia mundum illuminant per vitam & doctrinam. Vnde dicit Daniel: [Dan. 12.a] Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Paulus: [Philip. 2.b] Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.

Item primo, quia mortuos in peccatis viuificant & sensificant ad vitam, eos inducendo ad pœnitentiam, sicut fecit Dauid, qui quos voluit viuificauit, & quos voluit mortificauit, vt patet in secundo Regum. [2.Reg. 8.a] Nam bonorum confessorum & doctorum consilio, qui viuunt mundo, & peccato mortificantur vt viuant Deo, mortificant carnem, sed spiritui vitam conferunt spiritualem, iuxta illud Petri: [1.Pet. 3.d] Mortificatus quidem carne, viuificatus autem spiritu. Et Paulus: [Coloss. 3.a] Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo. Ad hanc vitam perducit solertia doctorum & sacerdotum, ex quorum consilio dependet vita subditorum, iuxta illud Iudith: [Iudith. 8.c] Vos qui estis presbyteri in populo Dei ex vobis dependet anima illorum, ad eloquium vestrum illorum corda eriguntur. Ideo legitur Dominus dixisse discipulis ad prædicandum destinatis: Infirmos curate, mortuos suscitate, vt dicitur in Matthæo. [Matt. 10.a] Sicut leo qui vocis rugitu suscitat catulum mortuum, sic strenuus doctor rugitu prædicationis & corruptionis reuocat subditos ad vitam spiritualem: nam dicitur in Prouerbijs: [Prou. 23.b] Virga percute eum, & animam eius à morte liberabis, &c. Sic viuificatiui tanquam cæli, & inferiorum sensificatiui fuerunt doctores & sacerdotes primitiui, sed de modernis sacerdotibus potest dici illud Ezechielis: [Ezech. 13.c] Violabant me ad populum meum, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo, &c. Et in Osea: [Osee 6.d] Particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem.

Item secundo propter subditorum exemplum se humiliant, & tam in parcitate victus, quam in humilitate habitus, corpora sua cruciant, & castigant: sicut Ioannes Baptista, qui erat vestitus pilis camelorum. [Matt. 3.a] Sic Elias de quo dicitur: [4.Reg. 1.b] Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. & illi similes sunt cælo, cuius claritas non deficit, quamuis nebulis vel nubibus obducatur: quia sub asperitate pœnitentię eorum sanctitas amplius augmentatur, iuxta illud Isaiæ: [Isa. 50.b] Induam cælos tenebris, & ponam saccum operimentum eorum. quod fit, quando diuina virtute sub sacco vel cilicio pœnitentiæ cælestis thesaurus occultatur. Sic legitur scyphus Ioseph argenteus, & ad augurandum optimus in sacco Beniamin fuisse occultatus, vt legitur in Genesi. [Gen. 44.a] Scyphus argenteus est sacerdos clarus scientia, mundus vita: cuius oris ministerio quasi scypho mundo, auditoribus doctrinæ salutaris eloquium præfulgebat. Talis scyphus fuit Paulus, sicut ibidem dicit Glossa, in cuius corde cælestis doctrinæ poculum propinatur, iuxta illud Ezechielis: [Ezech. 16.b] Tulisti tibi scyphos, & vasa aurea & argentea, &c. Et Salomon dicit: [Eccli. 2.b] Feci mihi scyphos & vrceolos in ministerio ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Vrceoli sunt doctores, dum vinum cælestis sapientiæ hauriunt & recipiunt: scyphi vero quando gratiam cælitus receptam alijs tribuunt & diffundunt. Tales scyphi in sacco Beniamin, id est, filiorum dexterę deponuntur, quia sub habitu humilitatis & pœnitentiæ vsque ad tẽpus præuisum à Patre absconduntur, sed aperto sacco, statim proditur,

quam

quam pretiosum vasculum in sacci orificio continetur? quia animæ resolutę à corporis ergastulo euidenter solet Deus ostendere, quantum dilexit thesauros repositos in sacco. Vnde Psalmista: Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Psal. 29.d

Item boni doctores comparantur cælis, quia cælesti more alios rore cælestis gratiæ infundunt, & humore deuotionis ad compunctionis gratiam ipsos prouocant & inuitant. Nam multi omnimodo aridi & indeuoti, accedunt ad prædicationem, vel confessionem, qui bonorum sacerdotum suffragio ante suum recessum de cælo consolatione, & lacrymarum imbre copiosius compluti recedunt, in optimo proposito fructiferi, qui prius æstimabantur penitus steriles & infecundi. Vnde dicitur in Genesi: De rore cæli & de pinguedine terræ, erit benedictio tua. Et in Canticis: Caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium. Ideo de confessoribus & de doctoribus, quos reliquit Deus ad mundi fecundationem, dicitur in Michæa: Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum sicut ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum. Ideo dicit Isaias: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, &c.

Gen. 27.d *Cant. 5.b* *Mich. 5.b* *Isa. 45.b*

Item secundo fixi sunt & constãtes per omnimodam patientiam, sicut cæli, qui ita sunt firmi & stabiles, quod de nullius contrarij motus impetu possunt dissolui. sic doctores & prædicatores Christi, cum nulla corporis iniuria possunt frangi. Vnde Psalmista: Patientes erunt, vt annuntient. Et in Prouerbijs: Doctrina viri, per patientiã noscitur, &c. Vnde sicut cælum à superioribus aquis non deprimitur, nec ab inferioribus eleuatur: sic nec iustus doctor erigitur in prosperis, nec deijcitur per pusillanimitatem in aduersis. Aquæ enim superiores significant prospera, iuxta illud Iob: Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emerserit eas subuertent terram. Inferiores vero significant grauia & aduersa, vt dicitur in Threnis: Aquæ inundauerunt super caput meum, & dixi, Perij. Inter has aquas stabant boni immobiles atque firmi, sicut dicitur in Iosue: Ingressis sacerdotibus Iordanem, steterunt aquæ superiores instar montis intumescentes: quæ autem inferiores erant in mare solitudinis descęderunt, &c. Vnde sacerdotes portantes arcam, ad modum cæli inter medias aquas fuerunt tuti, iuxta illud Isaiæ: Cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Sic Eliseus diuisis aquis Iordanis transiuit intrepidus Eliæ pallio, qui in cælum raptus fuerat, præmunitus. Elię pallium de cælo derelictum, est Christi exemplum nobis datum in subsidium, vt nec mundi prospera timeamus, nec aduersa. Vnde Apostolus: Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes, &c.

Psal. 91.c *Prou. 19.b* *Iob. 12.c* *Thren. 3.f* *Iosue 3.d* *Isa. 43.a* *4. Reg. 2.c* *Heb. 12.a*

Item cælesti decorantur sicut cæli ornatu, quantum ad vitæ perfectionem, & virtutum decentiam, & cælestẽ in moribus disciplinam. Vnde dicit Iob: Spiritus Domini ornauit cælos. Vbi dicit Gregorius: Quot sunt dona prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum: Quem ornatũ enumerat Apostolus dicens: Oportet Episcopum esse prudentem, sobrium, pudicum, hospitalem, modestum, ornatum, &c. Hunc ornatum cælestem præfigurabat habitus sacerdotis in Exodo: Fecit superhumerale de auro & hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta opere plumario, & posuit in rationali doctrinam, & veritatem, &c. Et in Sapientia: In veste poderis eius erat descriptus totus orbis terrarum. Cælique non sunt, vbi tales ornatus desunt, sicut est videre in peruersis sacerdotibus: in quorum vita non relucet sol feruentis charitatis, nec resplendet luna misericordiæ & pietatis, nec refulgent stellæ munditiæ & castitatis, non comparent etiam constellationes duodecim signorum, id est, non relucet in eis, nec apparet vestigium vitæ & conuersationis duodecim Apostolorum, non hyades, non pleiades, non Oriona cum interioribus austri, quoniam nec virtutes interiores, scilicet purgati animi ad cõtemplatiuam pertinentes: nec exteriores videlicet purgatoriæ & politicæ vitam exteriorem quoad actiuam dirigentes, iam in Ecclesiæ doctoribus vix inueniuntur. & ideo totius Ecclesię species in tenebram, & deformitate est mutata. Ideo dicit Iob: Qui præcipit soli & non oritur, & claudit stellas quasi sub signaculo. Sequitur: Qui facit arcturum, Oriona, & hyadas, & interiora austri. Et in Hieremia: Aspexi cælos, & lux non erat in eis. & ideo multa imminent mundo pericula: quia vbique deficiunt in doctoribus & sacerdotibus huius mundi cælica ornamenta, sicut dicitur in Actibus: Neque sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua ingruente, omnis spes salutis ablata est.

Iob. 26.d *Gregorius li. 17. mor. c. 16. & homil. 30. in Euang.* *1. Tim. 3.a* *Exod. 28.b* *Sap. 18.d* *Iob. 9.a* *Hier. 4.e* *Act. 27.d*

Item quarto sicut cæli vniuersaliter extenduntur, iuxta illud Isaiæ: Qui extendit cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. nulla enim est cęli particula, quin æqualiter expansa inueniatur & extensa: sic Christi sacerdotes ad cæli similitudinem, nihil retinent non extensum. Extendũt enim linguam, cor, & manum. Cor, inquam, extendunt ad Deum per deuotionem, ad proximum per compassionem. De primo dicit Psalmista: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. De secundo dicitur in Iob: Compatiebatur anima mea pauperi. Et Isaias: Cũ effuderis esurienti animam tuam, &c. Linguam etiam extendunt ad Deum in oratione & continua gratiarum actione, ad proximum in doctrina & prædicatione. De primo dicitur in Ecclesiastico: Iterauit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei. Et post: Rursum orauit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra. Et Psalmista: Labijs exultationis laudabit os meum. De secundo dicitur in Prouerbijs: Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Similiter manus extendunt ad Deum per supplicationem, iuxta illud Psal: In noctibus extollite manus vestras in sancta. Sic Moyses extendit manus suas in cælum & cessauerunt tonitrua, in Exodo. Ad proximum vero extendunt manus per subuentionem, & necessitatis proximi subleuatione. De hoc dicitur in Prouerbijs: Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Sic Martinus tanquam cęlum fuit extensus ad Deum, quando oculis & manibus in cælum intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Similiter ad proximum, quãdo etiam nec pallium sibi sine pauperis solatio retinebat. & ideo propter tantam charitatis extensionem cælum extensum potuit merito nuncupari, iuxta illud Psalmi: Extendens cælum sicut pellem. Et Isaias: Manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum demandaui. Et in Hieremia: Prudentia sua extendit cælos. Propter istas & alias suprapositas cæli proprietas & naturas, merito doctores Scripturæ cęlo comparantur.

Isa. 40.e *Psal. 142.b* *Iob. 30.d* *Isa. 58.c* *Eccli. 50.d* *Ibidem.* *Psal. 62.b* *Prou. 31.d* *Psal. 133.a* *Exo. 9.g* *Prou. 31.c* *Psal. 103.a* *Isa. 45.b* *Hier. 10.b*

CAPVT VI.

Firmamenti nomine Christus significatur.

Sicut nomine cæli significantur sancti superius nominati, sic & nomine firmamenti. Idem est enim firmamentum quod & cælum, sicut dicitur in Genesi: Vocauit firmamentum cælum. Singulariter tamen potest vocari firmamentum natura nostra à Christo assumpta, & in ipso vnione personæ cum diuinitate vnita, de quo Psalmista: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem cõfirmasti tibi. Nam Redemptor noster super omnia Deus verus, & factus super omnia homo perfectus, secundum naturam assumptæ humanitatis firmamentum nuncupatur, sicut dicit Psalmista: Dominus firmamentum meum & refugium meum. Et Ezechiel: Aspectus firmamẽti, quasi aspectus crystalli, &c. Natura enim nostra priusquam assumeretur fuit terra, postquam autem ab auctore est assumpta & super Angelos subleuata, facta est firmamentum: & ideo similis est crystallo, quæ ex aqua congelata indissolubilem contrahit firmitatem. Quia igitur corpus Redemptoris vsque ad mortem passionibus & pœnis subiacuit, aquę fluxibilitatem in se habuit: quia nascendo, crescendo, esuriẽdo, sitien-

Gen. 1.a *Psal. 79.d* *Psal. 17.a* *Ezech. 1.f*

sitiendo, moriendo, per momenta temporum mobiliter decurrit, cuius cursum intuens Propheta, ait: Exultauit vt gigas ad currendam viam, &c. sed in resurrectionis gloria virtutem incorruptionis obtinuit, & in crystallinam firmitatem natura primo mutabilis mutata fuit. Dicitur itaque Christus homo firmamentum, ratione firmæ & fixæ vnionis, qua humana natura in vnione personæ in Christo indissolubiliter copulatur, iuxta illud Ezechielis: In firmamento quod erat super caput Cherubim quasi lapis sapphirus. Lapis sapphirus, est Christus Dominus qui est lapis angularis, in se Deum & hominem vniens, homines & Angelos quasi parietes duos associans, & coniungens sibi per fidem & amorem, infixos retinens, etiam ab ipsorum fauore & gratia non recedens. Vnde Paulus. In spiritu vobiscum sum gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in Christo est, fidei vestræ. Et sequitur ibi: Superædificati, & confirmati in illo, in gratiarum actione, &c. Quia igitur ipse totius Ecclesiæ militantis & etiam triumphantis congruum est fundamentum, ideo bene vocatur firmamentum. Et quia fundamentum cæleste est & non terrenum, ideo dicitur in Isaia: Fundabo te in sapphiris. Et in Exodo: Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphiri, &c. Et Paulus: Firmum Dei fundamentum stat. Et in Matthæo: Fundata erat supra firmam petram.

Psal. 18. b
Ezech. 10. a
Coloss. 2. a
Isa. 54. c
Exod. 24. c
2. Tim. 2. c
Matt. 7. d

Item secundo ratione meditationis; nam sicut firmamentum est inter aquas superiores & inferiores medium collocatum, sic mediator Dei & hominum, secundum quod homo Patre minor, tamen inquantum Dei Filius omni creatura superior ima & summa, inuisibilia & sensibilia reconciliat, & in se medio recolligit & adunat, sicut dicit Apostolus: In ipso condita sunt vniuersa in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia. Et in Genesi: Posuit firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas ab aquis, &c. Et ideo qui modo secernit & diuidit inter inferiorum & superiorum, bonorum & malorum, spiritualium vel carnalium merita, æquo iudicio diuidet & discernet inter præmia aut flagella. Vnde dicitur in Matthæo: Cuius ventilabrum in manu eius, &c. Et in Prouerbijs: Sicut diuisiones aquarum, ita corda regum in manu Domini.

Coloss. 1. c
Gen. 1. a
Matt. 3. c & Luc. 3. d
Prou. 21. a

Item tertio ratione vniuersalis conuersationis inferiorum & comprehensionis: nam firmamentum infra suæ sphæræ circumferentiam, omnia sensibilia comprehendit, & per alternum generationis vel corruptionis officium, quidquid est de esse & substantia vniuersi, custodit, nec destructionem permittit. Sic Christus ars & sapientia Dei Patris, infra sinum suæ potestatis prædestinatos continet & præscitos, nec prædestinationis filios finaliter permittit ire ad interitum, nec præscitos ex toto in nihilum. Nam filios gratiæ præseruat ad gloriam, reprobationis vero filios seruat ad gehennam. vt sicut in bonis immutabilis Deo gratia commendatur; ita eius inflexibilis iustitia quę videbitur in reprobis, timeatur. Vnde Sapiens dicit: Tempore casus sui inueniet firmamentum. Et rursum: Iustitia eius proteget te, & in die agnitionis inuenies firmamentum.

Eccli. 3. d
Eccli. 27. a

Item quarto ratione diuinæ inhabitationis: nam cum Deus sit in omni creatura, cælum tamen siue firmamentum pro speciali sede sibi vendicat, quia ibi singulariter & excellenter operando, maiestatis suæ præsentiam manifestat, vt dicit Damascenus. Sicut humanitas, quæ de Virgine est assumpta, singulare diuinitatis habitaculum est effecta, quando Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vnde dicit Paulus: Complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum omnia reconciliari, &c. de præparato habitaculo suo. Et in tertio Regum: Cum orauerit in loco hoc, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, &c. Et in Exodo: Sanctuarium tuum quod firmauerunt manus tuę. Et in eodem: Firmissimo habitaculo quod operatus es, &c. Ideo enim diuinitas Christi humanitatem inhabitat, vt homines pro hominem deprecantes audiat, & eorum postulatioenibus condescendant, propter quod omnes collectæ & orationes Ecclesiæ per Christum nostrum finiuntur. Vnde dicit Apostolus: In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, &c.

Coloss. 1. c
3. Reg. 8. a
Exod. 15. c
Ibidem.
Coloss. 2. b

Item quinto ratione circularis reuolutionis; circularem enim formam habet firmamentum, & motum oblique volubilem: si enim firmamentum moueretur in directam, quoad nos, generatio rerum inferiorum non perficeretur, & talis forma quæ est perfecta & nobilissima nobilissimo corpori erat danda, quia talis figura continuo motui eius fuit necessaria. Circularis immo circulus perfectissimus est ipse Christus, in quo duæ extremitates, lineæ velut in puncto vniuntur. Nā diuinitas, quæ omnium rerum caput est & principium, cum natura humana quæ finis erat omnium creaturarum, & vltimo in esse producta, in ipso Christo velut in puncto in vnione personæ est coniuncta, & tanta firmitate roborata. Firmatæ enim sunt duæ naturæ in vna persona, sic quod vna ab altera nunquam poterit separari. Et ideo proprie Christus nomen obtinet firmamenti, cuius motus & operatio circularis est. De sinu enim Patris, in Virginis vterum est ingressus: deinde per mundum & limbum progrediens iterum ad Patrem est reuersus, sicut dicitur in Ioanne: Exiui à Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Et in Ecclesiaste: Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, &c. Ecce motus Christi reflexus & obliquus. Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, sicut dicitur in Sapientia: Quia nunc flectitur ad Aquilonem, id est, ad peccatores in peccatis induratos, per misericordiam illorum corda ad pœnitentiam remolliendo: nunc vero ad meridiem, id est, ad bonos in feruore charitatis existentes, ipsos consolando: ideo dicitur in Ecclesiastico: In meridiano exurit terram &c. Et in Esdra: Conuertitur in gyro cæli, & iterum reuertitur in eundem locum in vno die.

Ioan. 16. d
Eccli. 1. b
Sap. 8. a
Eccli. 43. a
3. Esd. 4.

Item sexto ratione fortissimæ impressionis, & aggregationis luminis in centro. Nam cum sit firmamentum corpus sphæricum, & luminosum, & concauū & conuexum, cuius medium & cētrum ex omni parte ex se emittit radium ad suum medium: vnde cum terra teneat vicem centri, manifestum est, quod in terra fit radiorum maxima aggregatio, & ex influentia radiorum luminis maxima fit variarum specierum productio, & generatio. Frmamentum igitur lucidum, & conuexum significat Christum Dominum, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dicit Ioannes: cuius sphærica rotunditas, id est, æterna potestas, omnia continet & sustentat, cuius luminositas omnia illustrat, cuius conuexitas omnium bonorum, gratiarum, & donorum plenitudinem commensurat, iuxta illud Ioannis: Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenū gratię & veritatis. Ab istius igitur firmamenti conuexitate, ad cor humanum, velut ad proprium centrum transfundūtur radij gratiarum. De plenitudine eius omnes recipimus gratiam pro gratia. Plena igitur fit impressio, & coadunatio cælestis luminis in corde hominis, quoad ipsius iustificationē: plenior quantum ad illustrationem sapientię, & veritatis inspirationē: plenissima vero quo ad consummationem iustitiæ, & finalem charitatis in homine perfectionem, & conseruationem. Ideo ait Apostolus: Plenitudo legis est charitas. De prima dicitur in Psalmis: Plena est iustitia dextera eius. Et iterum in alio Psalmo: Flumen Dei repletum est aquis, &c. A Christo enim velut à fonte procedit flumen pœnitentiæ, qua anima à sordibus abluitur & purgatur, & ad videndum lumen desuper veniens disponitur, & habilitatur, sicut dicitur in Ioanne: Abij, laui, & video. Et in Sapientia: Omnis orbis terrarum limpido replebatur lumine, &c. De secundo dicitur in Isaia: Replebitur terra scientia Domini, quasi aquæ maris operientes. De tertio dicitur in Psalmis: Dies pleni inuenientur in eis. Et Iob: Complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.

Ioan. 1. a
Ibidem. b
Ibidem.
Rom. 13. c
Psal. 47. b
Psal. 64. b
Ioan. 9. b
Sap. 17. d
Isa. 11. b

Et in Canticis: Resident iuxta fluenta plenissima. Talibus radiis à Christo effluentibus, tamquam à firmamento nobilissimo virtutum, & meritorum, species in electorum cordibus procreantur, iuxta illud Ecclesiastici: Ipse est firmamentum virtutis, regimen ardoris, & vmbraculum meridiei, deprecatio offensionis, adiutorium casus exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, vitam, & benedictionem, quasi dicat, à Christo velut à firmamento effluit virtutis perditæ restitutio, ardoris cōcupiscentiæ, & diabolicæ inflammationis repressio, persecutionis mitigatio, de offensis remissio, & apud Patrē pro peccatis propitiatio, vt dicitur in Ioanne, & in Daniele: A ruina, & casu subleuatio. Et in Psalmis: Cum ceciderit non collidetur. Et in Prouerbiis: Septies cadit iustus: affectionis ad cœlestia eleuatio in 1. Regum: Vt sedeat cum principibus. Et in Psalmis: Exaltaui animam meam: secretorum reuelatio, collatio impassibilitatis, donum immortalitatis, benedictio æternæ hereditatis, iterum in alio Psalmo: Illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam, &c. Ista decem bona, velut decem radij à Christo exeunt, ad perfectionem hominum emanare, & effluere vndique non desistunt. Vnde dicitur in Genesi: Cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia magna, &c. Et in 4. Regum: Si fecerit Deus cataractas cœli aperire, numquid poterit esse quod loqueris? &c.

Cant. 5. c / *Eccli. 34. c* / *1. Ioan. 2. a* / *Dan. 10. b* / *Psal. 36. c* / *Prou. 24. b* / *1. Reg. 2. b* / *Psal. 131. a* / *Psal. 134. a* / *Gen. 7. b* / *4. Reg. 7. a*

Item septimo ratione inflammationis, nam firmamentum illud inflammat, ad quod per contactum appropinquat. Hoc Christo conuenit, qui sibi gratia, & fauore coniunctos ad diuinum amorem inflammat penitus, & accendit, vt patet in Apostolis, qui tanto feruentiori igniculo sunt accensi, quanto magis sibi vicini, meruerunt fieri per familiaritatis gratiam propinqui, iuxta illud Deuteronomij: Qui appropinquant pedibus eius, &c. Vnde doctrina Christi ignea ipsos fecit feruidos penitus, & ignitos. Vnde dicitur in Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me Dominus. Et Ezechiel: Vidi speciem eius quasi speciem electri, & quasi aspectum ignis intrinsecus, &c. Loquitur de sedente in Throno super firmamentum, qui vtique significat Christum, cuius humanitas significatur per electrum, quod est metallum ex auro, & argento compositum, subtili artificio conflatum. Nam in auro incorruptibili animæ Christi immortalitas, in argento candido, & mundo, assumpti corporis puritas designatur, ex eis duobus Christus secundum hominem est formatus: qui secundum vtramq; naturam argento mundior, & auro obrizo pretiosior inæstimabiliter arbitratur. Istud electrum intrinsecus videtur igneum, quia corpus Christi cum anima, Deo qui est ignis consumens ineffabiliter est vnitū. Istius sedentis species, à medio corporis, & sursum, videbatur ardens intrinsecus, & latens, à lumbis vero deorsum, ignis splendens exterius, & apparens. Nam Christi virtus cum supernis spiritibus quantum ardeat, humana ratio non excogitat. Vnde dicit Isaias: Quis potest habitare cum igne deuorante, & cum ardoribus sempiternis, &c. Et Ezechiel: In medio lapidum ignitorum ambulasti. A lūbis autem deorsum apparet ignis splendens, quia in quātum Apostolos, & alios gratiæ filios accenderit, per facti euidentiam omnibus est apparens. Nam in lumbis sedes est generationis, & ideo à lumbis deorsum in circuitu splendere dicitur, quia in illis, quos per gratiam gignit, ampliori gratia feruescere se ostendit. Vnde dicitur in Leuitico: Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi, &c. Nos siquidem latet, quantum Christi virtus accendit illos, qui sunt in patria: sed per multa exempla videmus, qualiter à sua gratia igniuntur, quos per verbum vitæ genuit hic in via. Et ideo bene firmamentum dicitur, quia mens, quæ ab eo tangitur, accenditur subito, & ignitur.

Deut. 33. a / *Thren. 1. c* / *Ezech. 1. g* / *Deut. 4. d & Hebr. 12. g* / *Isa. 33. b* / *Ezec. 28. d* / *Leuit. 10. a*

Item octauo ratione impermutabilis fixionis, quia firmamentum in sua natura immutabile permanet, & persistit: & quamuis inferiora variis impressionibus alteret, & immutet, tamen mutabilitatem inferiorum corporum in se non recipit, nec admittit. Hæc firmamenti proprietas est in Christo manifesta, cuius bonitatem humana peruersitas non superat, cuius misericordiam ad vltimam pœnam creaturæ malitia non inclinat: quia ex innata sibi bonitate semper punit citra meritum, & remunerat supra dignum. Ideo dicit Habacuc: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Et Psalmista: Iratus es, & misertus es nobis, immo quando exigente iustitia, numquam iratus aliquos punit, in puniendo tamen irascentis passionem non sentit, sicut dicitur in Sapientia: Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cū magna reuerentia disponis nos. Et in Psalmis: Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, &c. Et in Numeris: Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Et Malachias: Ego sum Deus, & non mutor. Et Iacobus: Apud quem non est transmutatio, &c. Permanens itaq; veritas in Christo, fixaq; bonitas: sicut est permanens fixio vel stabilitas in firmamento. Vnde dicitur in Ecclesiastico: Amicus si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, quia permanet in die necessitatis.

Habac. 3. a / *Psal. 59. a* / *Sap. 12. c* / *Psal. 101. d* / *Num. 23. c* / *Mala. 3. b* / *Iac. 1. c* / *Eccli. 6. b*

Item nono ratione immensæ magnitudinis, & incōprehensibilis dimensionis. Nam sicut cœli altitudo vel latitudo super verticem cœli graditur, &c. Et in Esdra: Excelsum est cœlum, &c. Et Iob: Excelsior cœlo est: & quid facies? Et Psalmista: Super cœlos est gloria eius. Firmamentū quidē quandoq; cum terra videtur cōiungi, vt patet in nostro horizonte, siue in termino nostri visus, & tamen quātum distat à nostro capite, tantum vel plus distat ab horizonte. Sic Christus in terra visus, cum hominibus conuersatus, in nullo differre ab aliis mortalibus est putatus: Vnde dixerunt: Vnde huic sapientia? nonne hic est filius Ioseph, & Mariæ? &c. Falsa tamen fuit eorū opinio, sicut falsa est oculi visio, vbi putat adæquari terræ superficiem firmamento. Vnde Isaias: Sicut exaltātur cęli à terra, ita viæ meæ à viis vestris, &c. Et in Psalmista: Eleuata est magnificentia tua super cœlos. Patet igitur ex prædictis, quod humanitas assumpta, prædictis rationibus cœlum fuit, quod firmamentum est vocatum.

3. Esd. 4. / *Iob 11. b* / *Psal. 112. a* / *Baruc. 3. d* / *Mat. 13. g* / *Isa. 55. c* / *Psal. 8. a*

CAPVT VII.

Cœli natura, & proprietas quomodo B. Virgini Mariæ conueniant.

NEc caret natura, & proprietate cœlesti Virgo beatissima, ad cuius vterū subintrandum per incarnationem Verbi, est diuinitas inclinata, quando secundum Psalmistam: Inclinauit cœlos, & descendit: ibi Verbum Dei se inclinauit, & carne indutum ad nos venit, sicut ibi exponit Glossa. Cœli itaque puritatem in se habere debuit Maria, de cuius mundissimis particulis illa purissima caro verbi cœlestis vnibilis est assumpta. Ecce cœlum, & cœli cœlorum Deitatis magnitudinem ad plenū capere non possunt, sicut dicitur in tertio Regum, & ad comprehendendam magnificentiam gloriæ sanctitatis eius, virtutes cœlestes non sufficiunt: & tamen Maria ipsum cum plenitudine Deitatis genuit, ad cuius susceptionem totus mundus non sufficit, nec suffecit, iuxta illud Sapientiæ: Tamquam momentum stateræ est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, &c. Et Isaias: Ecce omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te, &c. Patet igitur quod Maria Deum incomprehensibilem totum, & plenum in se nullatenus suscepisset, nisi virtute, & gratia, cœli magnitudinem transcendisset. Cœlo igitur cælica Virgo comparatur, quia cœlo nihil purius, nihil sublimius, nihil pulchrius, nihil vtilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius inter corpora visibilia inuenitur. Cœlo igitur nihil est puri⁹, & hoc propter naturę suę trāsparentiam, & diaphaneitatem: & hoc gloriosissimæ Virgini conuenit, propter omnimodam ipsius munditiam, & castitatē. Nam per sanctificationis gratiā in vtero materno extitit ab omni originalis culpæ fœditate depurata,

Psal. 17. a / *3. Reg. 8. x.* / *Sap. 11. d* / *Isa. 40. d*

& ad susceptionem Verbi vitæ antequam nasceretur disposita, & præordinata, iuxta illud Psalmi: Parata est sedes tua ex tunc, &c. Nam quæ ab æterno præelecta est, & prædestinata in Dei scientia, vt ad tantam gloriam assumeretur, in materno vtero à spiritu sanctificante præuenta est, & sanctificata, vt in tempore à Patre luminum præfixo, Mater Dei fieri mereretur, sicut dicit in Prouerbiis: Ab æterno ordinata sum, & antequam terra fieret. Et in Ecclesiastico: Ab initio, & ante sæcula creata sum, id est, quodam priuilegiato modo creari præuisa, vt perficeret cœlum, in quo Deus nouo modo resideret, sicut dicit Psalmista: Dominus in cœlo parauit sedem suam. Et Isaias: Cœlum mihi sedes est, &c. Hanc sedem sibi parauit omnium artifex, & sapientia Christus in virginali sanctificatione, ipsam sedem subintrauit, & in ipsa quieuit in ipsius Virginis fecundatione. Vnde præfigurata est per Thronum Salomonis, quem fecit de ebore grandem: & per sedile, vel ferculum, quod fecit sibi Salomō de lignis Libani, cuius ascensus fuit purpureus, & reclinatorium aureum, vt dicitur in Canticis. Hæc omnia de his sedibus dicta, puritati conueniunt virginali: quia pura fuit in vtero, purior in mundo, purissima hæc rutilat nunc in cœlo. Prima refertur ad ortus ipsius sanctificationem, quantum ad fœditatis originalis ablationem. Secunda ad eius miraculosam fecundationem, quando non solum per Spiritum sanctum superuenientem pronitas fomitis est extincta, immo etiam omnis potestas peccandi ab ipsa est ablata, & in gratia est totaliter confirmata.

Psal. 92.a *Prou. 8.c* *Eccli. 24.b* *Psal. 102.d* *Isa. vlt. a* *3. Reg. 10.c* *Cant. 3.d*

Tertia refertur ad eius gloriosam in cœlo collocationem, quando penitus ablata omni infirmitate corporali, in naturam cœlestem per immortalitatis dotem est mutata. Prima itaque puritas, scilicet originalis, significatur in sede facta de lignis libani. Nam illa ligna sunt cedrina quæ habent naturam, & proprietatem imputribilitatis, & emittunt spiramen fragrantiæ, & odoris. Et hoc conuenit eius mūdissimis membris, per sanctificationis gratiam à moribus fomitis alienis, iuxta illud Ecclesiastici: Ego quasi libanus non incisus euaporaui, & sicut balsamus non mixtus odor meus. Libanus fuit per innocentiam non incisus per peccandi impotentiam, & ideo euaporauit odorem balsamo impermixto suauiorem. Nam tota massa in Adam corruptioni fomitis est admixta, & sic per consequēs adulterata: licet Virginis corpusculum ab hac corruptela est per gratiam liberatum, & ideo effudit odorem suauissimum tamquam balsamum impermixtum, idest, Filium, cuius odor est sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus, vt dicitur in Genesi.

Eccli. 24.b *Gen. 27.d*

Secunda puritas, scilicet virtualis, quam contraxit ex conceptione verbi, significatur in mūditia Throni eburnei. Ebur enim candidissimum, & solidissimum, nihil habens in se concauum vel porosum, designat munditiā Mariæ virgineam, per præsentiam ipsius concepti Verbi, in totius gratiæ plenitudine solidatam. Nam ipsa sola plena gratia inter mulieres est reperta, cuius intellectus repletus est apertissima fidei veritate, sicut beata dixit Elisabeth: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Eius etiam affectus repletus est feruentissima charitate. Eburneum vero, idest, virgineum corpus repletum est maiestate, & ideo significatur per solium in quo sedere vidit Dominum Isaias: Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius, &c. Excelsum siquidem fuit hoc solium, quia supra conditionem naturæ corruptæ à fomite liberatum. Eleuatum autem est dictum, quia supra hominem ne peccandi habeat potentiam est per gratiæ beneficium confirmatum Pura itaque fuit nascendo: purior Dei verbum concipiēdo: purissima vero, omnes molestias corrupti corporis in sua assumptione finaliter euadendo: & ideo bene comparabilis est cœlo ratione incorruptionis, & omnimodæ puritatis.

Luc. 1.d *Isa. 6.a*

Item sicut cœlo inter corporalia quoad se nihil sublimius, quia nihil à centro terræ remotius, & hoc forsitan propter disparem circumferentiæ, & centri qualitatem, nam centrum suo pondere petit imum: sphæræ vero circumferentia sua leuitate tendit sursum vsque ad summū: sic Virgo benedicta à mole fomitis, & amore carnalis affectionis per gratiam absoluta, tota à mundano consortio differens, & recedens, vita, & moribus in cœlestibus est locata, iuxta illud Ecclesiastici: Ego in altissimis habito, & quia in altissimis, & inauditis Dei consiliis semper mansit, & aliquid propter cœlestia inter mundi prospera non curauit, ideo significatur in Genesi per scalam quam vidit Iacob, cuius cacumen tāgebat cœlum, & Dominus innixus scalæ, &c. Scala cœlica per quam patet ascensus ad æterna, est Maria, quæ à Iacob est visa in somnis: quia Mariæ præsentia præuisa est multipliciter à Prophetis. Latera huius scalæ sunt tribus duæ, scilicet sacerdotalis, & regalis, ex quibus Maria contraxit originem secundum carnem. Gradus interscalares, sunt eius priuilegia, & dignitates singulares, huius scalæ cacumen in Deo est, & ei coniungitur per cœlestem conuersationem, sicut dicitur in Apocalypsi: Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, &c. De ista inhærentia cum cœlo dicit Bernardus: O Virgo virginum, virga sublimis, in quam sublime tuum sanctum verticem erigis, vsque ad sedentem in Throno, vsque ad Dominum maiestatis: nec id quidē mirum est, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc scalam descendit Angelus magni consilij, vt nostrā assumeret infirmitatem, vnde Apostolus: Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Per hanc etiam scalam Angeli ascendunt, scilicet qui angelicam vitam ducunt. Hieronymus: In carne studeamus per Mariā ascendere ad ipsum, qui per ipsam ad nos descendit: vt per eam ipsius inueniamus gratiam, qui per eam ad nostrā deuenit miseriam. Per te habeamus ascensum ad filium: ô benedicta inuentrix gratię, genitrix vitę, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Patet itaque, quod Maria tamquam cœlum, locum supremum sibi vendicat, & nos hereditatis cœlestis amatores in cœlestibus coadaptat, iuxta illud Ecclesiastici: In hereditate Domini morabor, &c.

Eccli. 24.a *Gen. 28.c* *Apoc. 12.a* *Bern. sup. Missus est. ser. 2. post med.* *Ephes. 4.b* *Eccli. 24.a*

Item cœlo nihil est pulchrius, nihilque aspectui est iucundius, & hoc propter ordinatissimam contentorum ipsius varietatem. Nam sol, & luna, &c. Sidera fixa vel nō fixa, ornant mirabiliter firmamentum: sic illa gloriosa Virgo cœlo simillima post suum Filium, qui est speciosus forma præ filiis hominum, immo præ multis millib. Angelorum, inter omnes creaturas est pulcherrima, & ad intuendum magis grata. Ideo dicit Ecclesiasticus: Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, species cœli in visione gloriæ, &c. Stellarum gloriosa numerositas, virtutum, & gratiarum singularium est diuersitas, quib[us] misericordiæ mater inæstimabiliter decoratur, idem rursus: Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriosa. Ideo describitur in Apocalypsi, quod mulier illa cœlestis fuit amicta sole, & corona duodecim stellarū in capite ipsius. Vnde Angeli admirantes ipsius pulchritudinem, prout possunt, ipsius gloriam per similitudinē corporum cœlestium exprimunt, & describunt in Canticis: Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? &c. Sole enim nihil pulchrius est de die, luna nihil pulchrius de nocte, aurora nihil formosius in confinio vtriusque. Progressa est igitur vt aurora in nascendo: per mūdum progressa est quasi luna in virtutibus concrescendo: egressa est de mundo, singularem gloriæ dignitatem quasi sol præ ceteris obtinendo. Aurora siquidem finis est noctis, & principium diei subsequentis, & indicium solis iam in proximo orientis: sic Maria in suo ortu fuit quasi finis, & consummatio culpæ originalis, & euacuatio omnis tenebræ spiritualis. Fuit etiam lucis veræ præambulum indicium, & futuræ gratiæ in mundum præueniens argumentum: quia ortus Virginis aduentum annuntiauit in proximo Saluatoris. Vnde dicitur in 2. Reg. Sicut lux auroræ oriente sole rutilat, & sicut herba germinat de terra, &c. & in Osea: Quasi diluculum præparatus est egressus eius, &c. Dicitur ergo Virgo esse quasi aurora consurgens, per gratiam

Eccli. 43.a *Ibidem.* *Apoc. 12.a* *Cant. 6.c* *2. Reg. 23.a* *Osee. 6.b*

ipsam sanctificantem à corruptione spiritualis, & corporalis culpæ se erigens, quia non iacuit inclinata ex toto culpam originalem, sicut iacent non renati: nec sedit partim erecta, partim prostrata habens pronitatem concupiscentiæ, sicut habent baptizati: sed dicitur consurgens, idest, ex toto ad cœlestia se erigens, & extendens, quia nullum in ipsa remansit inclinatiuum vel motiuum ad peccandum. Bernardus: Copiosissima sanctificationis gratia descendit in Mariam Dei matrem, quæ non solum sanctificauit eius ortum, sed à peccato eam custodiuit immunem iuxta illud Psalmi: Tu fabricatus es auroram, & solem. Vnde sicut veniente aurora abūdat ros, sic nascente Virgine, ros benedictionis, & gratia incœpit mundi superficiem infundere, & corda credentium adimplere, quod innuitur in libro Iudicum: Compresso vellere ros repleuit terram. Sicut manna iacuit quasi ros in circuitu castrorum, mane vel aurora consurgente, vt dicitur in Exodo: Ideo etiam Iacob surgente aurora, meruit accipere benedictionem, vt dicitur in Genesi. Et ideo qui benedictionibus gratiæ, & gloriæ repleri desiderat, accedat ad auroram, requirat, & Mariam. Vnde dicit Iob: Præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum. Pulchra vero fuit vt luna, quoad gratiam conceptionis, quia Luna Soli coniuncta radium solarem recipit, & accensa radium receptum ad terram transfundit. Sic Maria paternum radium Dei Verbum caro factum in se concepit, & conceptum sine virginitatis detrimento peperit, & transfudit, iuxta illud Ecclesiastici: A luna signum diei festi, &c. Pulcherrima autem vt Sol facta est, quoad gloriam suæ assumptionis, quando omnes creaturas in luminositate dignitatis, in feruore charitatis, in magnitudine potestatis transcendere meruit, sicut Sol cetera sidera præcellit: sicut dicitur in Ecclesiastico: Sicut Sol oriens in altissimis Dei, sic bonæ mulieris species in ornamentum domus. Sicut igitur pulchritudo firmamenti consistit in his, & aliis corporibus luminosis, sic pulchritudo Mariæ in prædictis operibus virtuosis.

Psal.73.c *Iud.6.g* *Exo.16.c* *Gen.32.f* *Iob 38.b* *Eccli.43.a* *Eccli.26.c*

Item cœlo nihil vtilius, quia ex virtute, & influentia cœli, mortua, & inueterata reuiuiscunt, & renascuntur, & quæ consumpta fuerant, renouantur, nec potest aliquid viuere, vbi virtus desuper effluens non potest peruenire: & hoc Virgini gloriosæ congruit, à cuius virtute & gratia vita vniuscuiusque oritur, & procedit iuxta illud Ecclesiastici: In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Sicut ergo cœlum suos emittit radios ad vegetationem, & sensificationem inferiorum, sic Virgo cœlestis radios misericordiæ transfundit ad viuificationem peccatorum, & ad conseruationē electorum, dicitur enim in Ecclesiastico: Sapientia inspirat vitam filiis suis. Et in Canticis: Emissiones tuæ paradisus malorum, &c. Sicut enim paradisus à se emittit flumina, & fontes continue emanantes, herbas, & arbores fructificantes, & sic mater misericordiæ à se emittit riuulos, & fontes gratiarum quibus corda arida infunduntur, & imbuuntur, & fructus virtutum quibus affectiones illorum qui esuriunt iustitiam, fructuosis operibus nutriuntur. Ideo signatur per paradisum voluptatis, quē plantauit Dominus à principio, in quo posuit hominem quem formauit, quia in beata Virgine est repositus in incarnatione ille cœlestis homo, scilicet Christus, non ab homine, sed à solo Deo. Vnde dicitur in Esther: Fecit Rex regum conuiuium in vestibulo horti, consiti ad modum densi nemoris. Hortus est Virginis vterus, in quo Rex regum nostræ mortalitatis vestibus est indutus. Vnde dicitur in Canticis: Hortus conclusus soror mea sponsa. Hic hortus ad modum dēsi nemoris est consitus, quia in ipsa omnium virtutum genera, sine mensura, & numero sunt inserta. Hæ vero plantationes non terrenæ, sed cœlestes, & spirituales sunt insertiones. Vnde dicitur in Deuteronomio: De pomis cœli, & rore, de pomis fructuum Solis, & Lunæ erit benedictio tua. Et ideo qui aridos, vel etiam mortuos in peccatis se sentiunt, ad Mariam debent festinare, quia in ipsa velut in cœlo, aut in Paradiso, omnia prædicta poterunt inuenire, iuxta illud Ecclesiastici: Adimplet quasi Euphrates sensum, & multiplicat quasi Iordanis in tempore messis.

Eccli.24.c *Eccli.4.b* *Cant.4.d* *Gen.2.b* *Esther 1.a* *Cant.4.c* *Deut.33.* *Eccli.24.c*

Item cœlo nihil est cōmunius, & hoc est propter eius immensurabilem quantitatem: quia quantum de se est, omnibus se æqualiter commensurat, & luminis sui radios indesinenter omnibus administrat. Sic innata Virginis bonitas à nullo se subtrahit, sed omnibus se communicat, & diffundit, nisi illi forsitan, qui voluntarie se ab ea illuminari negligit vel contemnit. Vnde dicitur in Iob: Super quem non fulget lumen illius, &c. Vnde, & ipsa dicit in Ecclesiastico: Ego feci, vt orietur in cœlo lumen indeficiens, &c.

Iob 25.a *Eccli.24.a*

Finis Tertiæ Partis Opusculorum S. Bonauenturæ.

SERIES OPVSCVLORVM, QVÆ HAC QVARTA PARTE CONTINENTVR.

S. BONA-

S. BONAVENTVRÆ EX ORDINE MINORVM S. R. E. EP. CARDINALIS ALBANENSIS EXIMII ECCLESIÆ Doctoris

Opusculorum QVARTA PARS.

Opusculum, quod inscribitur,

LEGENDA S. FRANCISCI.

Quarta hæc pars Opusculorum S. Bonauenturæ complectitur ea, quæ ad religiosos præcipue ad Fratres Ordinis Minorum spectant. Ideoque ea primum opuscula apponuntur, quæ idem Auctor ad instructionem fratrum sui Ordinis, & ad eorumdem defensionem composuit. In principio vero huius quartæ partis non abs re visum est, collocare opusculum, quod Legenda S. Francisci inscribitur, vt auctor est Trithemius, in quo de vita S. Francisci per quindecim capita agitur: & postea de eiusdem Sancti miraculis, vt videre licet in Prologo ipsius S. Bonauenturæ. Hoc autem Opusculum licet antea extra tomos Opusculorum vagaretur, nunc denuo huic editioni adiunctū est quantum fieri potuit suo pristino nitori restitutum ope antiqui exemplaris. M. S. ex bibliotheca Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Sernani ex ordine Minorum: cui S. Bonauenturæ operum edendorum à Sixto Quinto Pontifice Maximo cura commissa est: quiq; pro emittendis virorum illustrium sui ordinis libris auctis, & illustratis, nec labori nec impensis parcit.

PROLOGVS.

APPARVIT gratia Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis in seruo suo Francisco omnibus vere humilibus & sanctæ paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem, & sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter viuere, & ad beatā spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque vt vere pauperculum, & contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione respexit, quod non solum de mundialis conuersationis puluere suscitauit egenum: verum etiam Euangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem dedit credentium: vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino prælpararet. Hic etenim quasi stella matutina in medio nebulæ, claris vitæ micans, & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris, & vmbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, & tamquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem, & salutem euangelizauit hominibus, existens, & ipse Angelus veræ pacis: secundum imitatoriam quoque similitudinem præcursoris destinatus à Deo, vt viam parans in deserto altissimæ paupertatis tam exemplo quam verbo pœnitentiam prædicaret: primum supernæ gratiæ præuentus donis dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon, & angelico deputatus officio, incendioque seraphico totus ignitus, & vt vir hierarchicus curru igneo sursū vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu, & virtute Eliæ. Ideoque alterius amici sponsi Apostoli, & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridica sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis signumque Dei viui habentis astruitur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli, Vidi, ait Ioannes in Apocalypsi, alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui. Hunc Dei nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, seruum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus: si culmen in eo eximię sanctitatis aduertimus, quam inter homines viuens imitator fuit puritatis angelicæ, qua, & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum, & pie, non solum inducit officium, quod habuit, vocandi ad fletum, & planctum, caluiciū, & cingulum sacci, signandique thau super frontes virorum gementium, & dolentium signo pœnitentialis crucis, & habitus cruci conformis: verum etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viuentis, Christi videlicet crucifixi: quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem vel ingenium artis: sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei viui. Ad huius tam venerabilis viri vitam omni imitatione dignissimam describendam indignum, & insufficientem me sentiens, id nullatenus attētassem: nisi me fratrum feruēs incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, & ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, deuotio compulisset: vtpote, qui per ipsius inuocationem, & merita in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, à mortis faucibus erutus, si præconia laudis eius tacuero, timeo sceleris argui, vt ingratus. Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, vt ego qui vitam corporis & animæ à Deo mihi cōseruatam recognosco per ipsum, & virtutem eius in me ipso expertus agnoui vitæ illius virtutes, actus, & verba quasi fragmenta quædam partim neglecta, partimq; dispersa, quamquam plene non possem, vtcumque colligerem: ne morientibus iis, qui cum famulo Dei conuixerant, deperirent. Vt igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret, & clarius, adiens locum originis, conuersationis, & transitus viri sancti cum familiaribus eius adhuc superuiuentibus collationem de his habui diligentem, & maxime cum quibusdam, qui sanctitatis eius, & conscij fuerunt, & sectatores præcipui: quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. In descriptione autem eorum, quæ per seruum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putaui, cum legētis deuotio plus simplici sermone, quam phalerato proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter confusionem vitandam, sed potius ordinem seruare studui magis aptæ iuncturæ, secundum quod eodem peracta tempore diuersis materiis vel diuersis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus, & consummatio quindecim distincta capitulis describuntur inferius annotatis.

Agitur enim primo de conuersatione ipsius in habitu sæculari.

Secundo de perfecta conuersione eius ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum.

Tertio de institutione religionis, & approbatione regulæ.

Quarto de profectu ordinis sub manu ipsius, & confirmatione regulæ prius approbatæ.

Quinto de austeritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Sexto de humilitate, & obedientia, & de condescensionibus diuinis sibi factis ad nutum.

Septimo de amore paupertatis, & mira suppletione defectuum.

Octauo de pietatis affectu, & quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum.

Nono de feruore charitatis, & desiderio martyrij.

Decimo de studio, & virtute orationis.

Ioan. 1. A

Apoc. 7. A

Vndecimo de intelligentia Scripturarum, & spiritu prophetiæ.

Duodecimo de efficacia prædicandi, & gratia sanitatum.

Tertiodecimo de stigmatibus sacris.

Quartodecimo de patientia ipsius, & transitu mortis.

Quintodecimo de canonizatione, & translatione ipsius.

Postremo de miraculis post transitum eius felicem ostensis aliqua subnectuntur.

CAPVT I.

De conuersatione eius in habitu sæculari.

VIR erat in Ciuitate Assisij Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est pro eo quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne præueniens, & de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cœlestis gratiæ donis affluenter impleuit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in vanis, & post aliqualem litterarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis: superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit: nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, sperauit in pecunia, & thesauris. Inerat namque iuuenis Francisci præcordiis diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis: quæ secum ab infantia crescens tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euãgelij non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si diuinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam præter morem solitum vacuum repulisset: statim ad cor reuersus cucurrit post ipsum, & eleemosyna illi clementer impensa promisit Domino Deo, quod numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret, quod vsque ad mortem indefessa pietate obseruans, copiosa in Deum dilectionis, & gratiæ incrementia promeruit Aiebat enim post, cum iam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari vocẽ diuini expressiuam amoris audire vix vmquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia, & tractabilitas supra humanum modum, munificentiæ largitas vltra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse preludia, quod copiosior super eum foret in posterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda. Quidam sane vir de Assisio valde simplex, vt creditur eruditus à Deo, cum aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Franciscus deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens omni fore Franciscum reuerẽtia dignum: vtpote qui esset in proximo magna facturus, & ob hoc ab vniuersitate fidelium magnifice honorandus Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam iussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cęlestia, nec assueuerat degustare diuina. Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, & immutatio dexteræ excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligẽs: vt coaptaret animam ad sancti Spiritus vnctionem. Cumque resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset: obuium habuit militem quemdam generosum quidem, sed pauperem, & male vestitum, cuius paupertatem pio miseratus affectu illum protinus se exuto vestiuit: vt simul in vno geminum impleret pietatis officiũ, quo, & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret. Nocte vero sequenti cum se sopori dedisset palatium speciosum, & magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitũ clementia sibi diuina monstrauit, vt misericordiã pro summi regis amore, pauperi exhibitam militi, præostenderet incomparabili compensandam esse mercede. Vnde, & cum quæreret cuius essent illa omnia: sua fore militum que suorum, superna fuit assertione responsum. Euigilãs itaque mane cum nondum haberet exercitatum animũ ad diuina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam inuisibilium veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque diuinæ adhuc dispositionis ignarus in Apuliam ad quemdam liberalem comitem se conferre in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa sibi visio prætendebat. Cumque paulo post iter aggressus iuisset vsque ad proximam ciuitatem, audiuit in nocte Dominũ familiari sibi allocutione dicentem: Francisce quis potest melius facere tibi, Dominus, aut seruus, diues aut pauper? cui cũ Franciscus respondisset, quod tam Dominus quam diues facere melius potest, intulit statim: Cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum? Et Franciscus: Quid me vis Domine facere? Et Dominus ad eum: Reuertere in terram tuam: quia visio quam vidisti spiritualem prefigurat effectum, non humana sed diuina in te dispositione complendum. Mane itaque facto cum festinatione reuertitur versus Assisium securus, & gaudens: & iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatẽ. Ex tunc à publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, supernam deuote precabatur clementiam, vt quid sibi foret agendum ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis vsu flamma desiderij cœlestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret, quasi nihil: thesaurum sentiebat se reperisse absconditum: ac velut prudens negotiator margaritam inuentam, excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat: nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio à mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit à sui ipsius victoria inchoanda. Quadam itaque die dum equitaret per planitiem, quæ subiacet ciuitati Assisij, leprosum quemdam habuit obuium, cuius inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propositum, & recolens quod seipsum oporteret primum deuincere, si vellet effici Christi miles ad deosculandum eum equo lapsus accurrit. Cui cũ manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet: pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque conuertens, cum campus pateret vndique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque repletus, & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuote, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus: in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet: post longam precum instantiam à Domino meruit exaudiri. Dum enim vna dierum sic sequestratus oraret, & præ nimietate feruoris totus esset absorptus in Deum: apparuit ei Christus IESVS veluti cruci confixus. Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, vt ab illa hora, cũ Christi crucifixo veniret in mentem, vix posset à lacrymis & gemitibus exterius continere: sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Euangelicum sibi dici: Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle crucẽ tuam, & sequere me. *Matt. 16. d* Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, & affectum intimæ pietatis. Nam cũ prius leprosorum non solum consortium verũ etiam longinquum contuitum vehementer horreret: iã propter Christum crucifixum, qui iuxta verbum propheticũ contemptibilis, vt leprosus apparuit: *Isa. 53. b* vt semetipsum plenum contemneret, humilitatis, & humanitatis obsequia leprosis beneficia pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, & cum multo cõpassionis affectu, manus eorũ oscula-

osculabatur, & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere aliquando vestimenta exuens, aliquando, dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter subueniebat, & pie, præcipue in ornamentis altaris: quo, & cultus diuini particeps fieret, & cultorum inopiæ supplementa præberet. Cum autem religiosa deuotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores Ecclesiæ partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, vni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, & semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperũ cum insolita spiritus iucunditate transegit, vt sæcularem gloriam sperneret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim conscendendo perueniret. Mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt Christi crucem quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciscus nondũ habitu vel conuictu sequestratus à mundo.

CAPVT II.

De perfecta conuersione eius ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum.

QVoniam autem seruus Altissimi doctorem non habebat aliquem in huiusmodi nisi Christum: addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditãdum in agro deambularet iuxta Ecclesiam sancti Damiani, qui minabatur præ nimia vetustate ruinam, & in eã instigante se Spiritu causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eum corporeis audiuit auribus, ter dicentem: Francisce vade, & repara domum meam, quæ, vt cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens diuini virtute eloquij mentis alienatur excessu. In se tandem reuersus ad obediendũ se parat, & totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda: licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisiuit: sicut eum Spiritus sanctus edocuit, & ipse postmodũ fratribus reuelauit. Surrexit proinde signo crucis se muniens & assumptis pannis venalibus ad ciuitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit: ibique venditis quæ portauerat, equum, cui tunc insederat, felix mercator assumpto pretio dereliquit. Rediensque Assisium, Ecclesiam, de cuius reparatione mandatum acceperat, reuerenter intrauit: & inuento illic sacerdote pauperculo, ei reuerentiam decentem exhibuit, & ad reparationem Ecclesiæ, & pauperum vsum pecuniam obtulit: & vt secum se morari pateretur ad tempus humiliter requisiuit. Acquieuit sacerdos de mora ipsius: sed timore parẽtum pecuniam recusauit. Quam verus pecuniarum cõtemptor in quandam fenestram proiiciens, abiectam velut puluerẽ vilipendit. Moram autem faciente seruo Dei cũ sacerdote prædicto cum hoc intellexit pater ipsius perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipse quia nouus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, & eorum præsentiret aduentũ, dare locum iræ volens, in quadam occulta fouea se abscondit: in qua diebus aliquibus latitando rogabat Dominum incessanter lacrymarum imbre perfusus, vt liberaret de manibus persequentium animam suam, & pia inspirauerat vota benigno fauore compleret. Igitur excessiua quadam completus lætitia cœpit de pusillanimitatis ignauia semetipsum arguere: relictaque fouea, & abiecto pauore versus ciuitatem Assisij iter aggressus est. Quem cũ ciues cernerẽt facie squalidum, & mente mutatum ac per hoc alienatum putarẽt à sensu, luto platearum, & lapidibus impetebant, & tamquam insano, & dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autẽ Domini nulla fractus aut mutatus iniuria, vt surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum omni miseratione subtracta pertractum domi, primo verbis deinde verberibus, & vinculis angit. Ipse autem ad exequendũ Domino quod cœperat promptior ex hoc & validior reddebatur: recolens illud Euangelij verbum, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Post modicum vero tẽpus patre à patria discedente mater eius factum mariti non approbãs, & inflexibilem filij constantiã emolliri posse non sperãs, à vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens ad locum in quo prius fuerat, est reuersus. Rediens autem pater, & eum non inueniens domi: conuitiis illatis vxori fremens cucurrit ad locum, vt si eũ reuocare non posset, saltem de prouincia effugaret. Franciscus vero confortatus à Deo obuium vltro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula, & verbera eius, insuper, & contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturũ. Ardens itaque pater, quod eum reuocare non posset, ad extorquendam pecuniam se conuertit: qua tandem inuenta in fenestrula quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, auaritiæ siti vtcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentabat deinde pater carnis, filium gratiæ, pecunia iam nudatum ducere coram Episcopo ciuitatis, vt in ipsius manibus, facultatibus renuntiaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis amator: perueniensq; corã Episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit: sed cõtinuo depositis omnibus vestimẽtis restituit ea patri. Inuentus est autẽ tunc vir Dei cilicium habere ad carnẽ sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando feruore, spiritu ebrius reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad Patrem: Vsque nunc vocaui te Patrem in terris: amodo autem secure dicere possum: Pater noster, qui es in cœlis, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocaui. Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem protinus exsurrexit, & inter brachia sua illum cum fletu recolligens vti erat vir pius, & bonus pallio quod erat amictus operuit, præcipiens suis, vt aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda: oblatus est autem ei mantellus pauper, & vilis cuiusdam agricolæ seruientis Episcopi. Quem ipse gratanter suscipiens, cum cæmento, quod sibi occurrit ad modũ crucis manu propria consignauit: operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis seminudi. Sic igitur seruus Regis altissimi nudus relictus est, vt nudum sequeretur crucifixum Dominum, quem amabat: sic vtiq; cruce munitus, vt animam suam ligno salutis committeret per quod de mundi naufragio saluus exiret. Solutus exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinũ, ciuitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petiit, vt solus, & silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dũq; per siluam quamdam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum iubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus fera li animo quis esset interrogantibus vir Dei confidentia plenus prophetica voce respondit: Præco sum magni Regis. At illi percutientes eum in defossum locum plenum niuibus proiecerunt, dicentes: Iace rustice præco Dei. Ipse vero recedentibus illis exiliuit, de fouea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobiũ Eleemosynam petiit, vt mendicus: & recepit vt incognitus, & despectus. Inde vero progrediens deuenit Eugubium, vbi à quodam amico pristino agnitus, & susceptus, paupere tunicula, vt Christi pauperculus est contectus. Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratq; cũ eis diligentissime seruiẽs

Matt. 5. a

omnibus

omnibus propter Deum. Lauabat ipsorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & saniē abstergebat, osculabatur etiam ex miranda deuotione vlcerosas plagas ipsorum euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est à Domino cōsecutus virtutem, vt in spiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam vnum de multis quod accidit viri Dei fama postmodum latius clarescente. Cū enim cuiusdam de comitatu Spoletano, os pariter & maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet: nec subueniri posset eidem aliquo medicinæ remedio: contingit vt propter sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus de peregrinatione rediens, seruo Dei occurreret: cūque præ deuotione vellet ipsius osculari vestigia vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes osculum oris dedit. Dum autem leprosorum seruus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, subito æger ille sanitatem recuperauit optatam. Nescio quod horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo. Fundatus iam in Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi è cruce iniunctam de sancti Damiani ecclesia reparanda, & tanquam verus obediens Assisium redijt, vt saltem mendicando voci diuinæ pareret. Depositaque omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus attritum ieiunijs oneribus lapidum supponēdo. Prædicta igitur ecclesia iuuante se Domino & deuotione ciuium assistente refecta: ne post laborem corpus torperet ignauia, transtulit se ad reparandam ecclesiam quandam beati Petri longius à ciuitate distantem ob deuotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem ecclesia consummata peruenit ad locum, qui Portiuncula dicitur: in quo ecclesia Beatissimæ Virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat: sed deserta, tunc à nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret ob deuotionem feruentem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem iuxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiam pedem fixit ibidem propter reuerentiam Angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir sanctus amauit præ ceteris mundi locis, hic etenim humiliter cœpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummauit, hunc in morte fratribus tanquam Virgini charissimum commendauit. De hoc frater quidam Deo deuotus ante conuersionem suam visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cælum directa, & genibus flexis, in huius ecclesiæ stare circuitu: qui omnes protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes & lumen. Et ecce ingens de cælo splendor aduenit se per omnes diffundens, qui lumen vnicuique tribuit & salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo fratrum minorum ordo à sancto Francisco per diuinæ reuelationis instinctum inchoatus est. Diuinæ namque prouidentiæ nutu, qua Christi seruus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit ecclesias antequam ordinem inchoans Euangelium prædicaret, vt non solum à sensualibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora ordinato progressu conscenderet: verumetiam vt quid esset facturus in posterum sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ab eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia saluandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.

***

CAPUT III.

De institutione Religionis, & approbatione regulæ.

IN ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam, quæ concepit Verbum plenum gratiæ & veritatis continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur aduocata ipsius, meritis matris misericordiæ cōcepit ac peperit spiritum Euangelicæ veritatis. Dum enim die quodam Missam de Apostolis deuotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet possideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant neque virgam. Quod audiens & intelligens ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus indicibili mox perfusus lætitia: Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupisco. Soluit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram reijcit, & pecuniam execratur, vnaque contentus tunicula, reiecta corrigia pro cingulo funē sumit: omnē sollicitudinem cordis apponens qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei diuino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pœnitentiam ceteros inuitare. Erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, sed virtute Spiritus sancti plena erant, medullas cordis penetrantia, vt in vehementem stuporem audientes conuerterent. In omni prędicatione sua pacem annūcians, dicendo, Dominus det vobis pacem: populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem Domino reuelante didicerat, sicut ipse postmodum testabitur. Vnde factum est, vt iuxta sermonem propheticum, & ipse prophetarum spiritu afflatus annuntiaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes à Christo prius extiterant à salute longinqui. Innotescente itaque apud multos viri Dei tam Doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ: cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem relictis omnibus habitu, vitaque coniungi, quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis diuinæ particeps factus, patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam priuilegio sanctitatis. Hic enim serui Christi sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, cōsilium requisiuit. Quo audito Dei famulus pro primæ prolis conceptu sancti Spiritus consolatione repletus: à Deo est, inquit, hoc cōsilium requirendum. Intrauerunt proinde ecclesiam sancti Nicolai mane iam facto, & oratione prēmissa cultor Trinitatis Franciscus, ter Euāgeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: Si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia, quæ habes, & da pauperibus. In secunda. Nihil tuleritis in via. In tertia vero, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollet crucem suam, & sequatur me. Hæc est, ait vir sanctus, vita & regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice, quæ audisti. Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris filiorum Francisci senarius numerus completus est: inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir vtique Deo plenus, & celebri memoria dignus, hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione præclarus sicut famulus Domini de ipso prædixit quamquam esset idiota & simplex ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursum actionibus incessanter adeo crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum & ego ipse oculata fide conspexi: vt magis censeretur inter homines

Matt. 19. c
Luc. 9. a
Matt. 16. d

mines vitam Angelicam agere, quam humanam. Illo quoque tēpore cuidam ſacerdoti ciuitatis Aſſiſij nomine Silueſtro honeſtæ conuerſationis viro, quædā à Domino fuit oſtenſa viſio non tacenda. Cum enim modum & viā Franciſci, fratrumq; ſuorum humano ſpiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate iudicij, reſpectu fuit ſupernę gratię viſitatus. Videbat namque in ſomnis totam Aſſiſij ciuitatē à dracone magno circūdari, præ cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio ſubiacere. Contuebatur poſt hæc crucē quandam aureā ex ore procedentē Franciſci, cuius ſummitas cælos tangebat, cuiusq. brachia protenſa in latum vſque ad mundi fines, videbantur extendi. Ad cuius etiā aſpectum præfulgidum draco ille teter & horridus penitus fugabatur. Hoc dum ſibi tertio monſtraretur, diuinū exiſtimans eſſe oraculū, viro Dei & fratribus ſuis per ordinem enarrauit. ac non multo poſt tempore mundū relinquens veſtigijs Chriſti ſic perfectè adhæſit, quod vita ipſius in ordine authenticam reddit eam, quam in ſæculo habuerat viſionem. Ex huius viſionis auditu vir Dei non in gloria eſt elatus humana, ſed bonitatem Dei in ſuis beneficijs recognoſcens, fortius animatus eſt ad hoſtis antiqui fugandam verſutiā & crucis Chriſti gloriam prædicandam. Quadam autem die dum in quodam ſolitario loco annos ſuos in amaritudine recogitans deploraret, ſancti Spiritus in eum ſuperueniēte lætitiæ certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde ſupra ſe ac in quoddam mirandum lumen totus abſorptus, dilatato mentis ſinu, quæ circa ſe & filios ſuos futura erant, luculenter aſpexit. Poſt hoc reuerſus ad fratres: Confortamini, ait, chariſſimi, & gaudete in Domino, nec quia pauci eſtis efficiamini triſtes, neq; vos terreat mea vel veſtra ſimplicitas: quoniam ſicut mihi à Domino in veritate oſtenſum eſt, & in magnam multitudinem faciet nos Deus creſcere, ſuæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.

Eodem quoque tempore quodam alio bono viro religionem intrante, ad ſeptenarium numerum viri Dei ſoboles benedicta peruenit. Tunc pius pater omnes ad ſe filios conuocauit & plura eis de regno Dei, de cōtemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporiſque caſtigatione pronuntians, propoſitum ſuum de mittendo illos in quattuor partes orbis aperuit. Iam enim ſterilis & paupercula ſimplicitas ſancti patris pepererat ſeptem filios, & deſiderabat vniuerſitatem fideliū ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Chriſto Domino parturire. Ite, inquit dulcis pater ad filios, annuntiantes hominibus pacem, prædicate pœnitētiam in remiſſionem peccatorum. Eſtote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graues, & in beneficijs grati: quia pro his omnibus regnū vobis pręparatur ęternum. At illi coram ſeruo Dei humiliter ſe proſternentes in terram, cum gaudio ſpiritus ſuſcipiebant obedientiæ ſanctæ mandatum. Ipſe vero dicebat vnicuique ſigillatim: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. (Pſal. 54. d) Hoc verbum dicere ſolitus erat quotieſcunque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipſe ſciens ſe datum alijs in exemplum, vt prius faceret quam doceret, cum vno ſociorum verſus vnam orbis partem perrexit, reliquis ſex ad modum crucis, tribus alijs mundi partibus deputatis. Modico autem elapſo poſt tempore, benignus pater charæ prolis exoptans præſentiam, cum in vnum eos per ſe conuocare non poſſet: per eum orabat hoc fieri, qui diſperſiones congregat Iſraelis. Sicque factum eſt, vt abſque humana vocatione, omnes ex inſperato poſt modicum temporis iuxta eius deſiderium diuina operante clemētia non ſine ipſorum admiratione pariter conuenirent. Illis quoque diebus quattuor ſibi adhærentibus viris honeſtis ad duodenarium numerum excreuerunt.

Cernens autem famulus Chriſti, paulatim accreſcere numerum fratrum, ſcripſit ſibi & fratribus ſuis ſimplicibus verbis formulam vitæ in qua ſancti Euangelij obſeruantia pro fundamento indiſſolubili collocata, pauca quædam alia inſeruit, quæ ad vniformem viuendi modum neceſſaria videbantur. Deſiderans autem per ſummum Pontificem approbari, quæ ſcripſerat, diſpoſuit cum illo ſimplicium cœtu Apoſtolicæ ſedis adire præſentiam, de ſola confiſus directione diuina. Cuius deſiderium Deus ex alto reſpiciens, ſociorum animos ſimplicitatis ſuæ conſideratione perterritos oſtenſa viro Dei viſione huiuſmodi confortauit. Videbatur ſiquidem ei, quod per quandam viam incederet, iuxta quam ſtabat arbor celſitudinis magnæ. Ad quam cum appropinquaſſet, & ſub ea ſtans ipſius altitudinem miraretur, ſubito tantum diuina virtute leuabatur in altum, vt cacumen cōtingeret arboris eiusque ſumma facillime curuaret ad ima. Huius viſionis præſagium vir Deo plenus intelligens referri ad condeſcenſionem Apoſtolicæ dignitatis, exhilaratus eſt ſpiritu, fratribusque ſuis in Domino confortatis iter cum eis aggreſſus eſt. Cum autem ad Romanam curiam perueniſſet, & adduceretur ante conſpectum Summi Pontificis, eſſetque Chriſti Vicarius in palatio Lateranenſi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Chriſti famulum tanquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter, foras egreſſo, ſequenti nocte huiuſmodi reuelatio facta eſt à Deo ipſi Summo Pontifici. Videbat namque inter pedes ſuos palmam paulatim ſuccreſcere, & in arborem pulcherrimam eleuari. Et eo mirante, quid hæc viſio vellet oſtendere, diuina lux impreſſit menti ipſius Chriſti Vicarij, quod hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, deſignabat. Et mane ſequenti mandauit per ſuos famulos per vrbem dictum pauperem quæri. Quem inuentum iuxta Lateranum in hoſpitali ſancti Antonij, ante conſpectum ſuum celeriter iuſſit adduci. Cumque introductus eſſet ante conſpectum Summi Pontificis, expoſuit ſuum propoſitum, petens humiliter & inſtanter ſupradictam ſibi viuendi regulam approbari. Videns autem Chriſti Vicarius dominus Innocētius Tertius, vir vtique ſapientia clarus admirandā in viro Dei ſimplicis animi puritatem: propoſiti cōſtantiam, ingenitumque voluntatis ſanctę feruorem, Chriſti pauperem mentis amore complectens inclinatus eſt animo, vt piū ſupplicanti præberet aſſenſum. Diſtulit tamen perficere quod Chriſti poſtulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus de Cardinalibus nouū aliquid & ſupra vires humanas arduum videretur. Aderat autem inter Cardinales, vir venerandus dominus Ioannes de ſancto Paulo Epiſcopus Sabinenſis, omnis ſanctitatis amator, & adiutor pauperum Chriſti. Qui diuino Spiritu inflammatus Summo Pontifici dixit, & fratribus ſuis: Si petitionem pauperis huius, tanquam nimis arduam, nouāque refellimus, cum petat confirmari ſibi formam Euangelicæ vitæ, cauendum eſt nobis ne in Chriſti Euangeliū offendamus. Nam ſiquis intra Euangelicæ perfectionis obſeruantiam & votum ipſius dicat contineri aliquid nouum aut irrationabile, vel impoſſibile ad obſeruandū, contra Chriſtum Euangelij auctorem blaſphemare conuincitur. Quibus propoſitis, ſucceſſor Apoſtoli Petri conuerſus ad pauperem Chriſti, dixit: Ora fili ad Chriſtū, vt ſuam nobis per te voluntatem oſtendat: qua certius cognita tuis pijs deſiderijs, ſecurius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum ſe conferens ad orandum precibus deuotis obtinuit, & quod exterius ipſe proferret, & quod interius Papa ſentiret. Nam cum parabolam de diuite Rege cum muliere formoſa & paupere contrahente gratanter, & de prole ſuſcepta præferēte generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de menſa ipſius ſicut à Deo acceperat, retuliſſet: ex illius interpretatione ſubiunxit: Non eſt formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij & heredes: qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus ſancti virtutem de paupere matre nati: & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum, quanto magis illa ſubminiſtabit, quæ communiter largitur bonis & malis? Hanc ergo parabolam & intellectum ipſius Chriſti Vicarius cum diligenter audiſſet, miratus

est valde & indubitanter Christum locutum in homine recognouit. Sed & visionem, quam tunc temporis è cælo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu diuino suggerente firmauit. Videbat namque in somnis, vt retulit, Lateranensem Basilicam fore proximam iam ruinæ quam quidem homo pauperculus modicus & despe ctus proprio dorso summissione caderet sustentabat. Vere, inquit, hic est ille, qui opere & doctrina, Christi sustē tabit Ecclesiam. Inde præcipua deuotione repletus petitioni eius se per omnia inclinauit, ac Christi famulum speciali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, & adhuc concedere plura promisit. Approbauit regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis fratribus omnibus, qui seruum Dei fuerant comitati fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei libere prædicarent.

CAPVT IIII.

De profectu ordinis sub manu ipsius, & confirmatione regulæ prius approbatæ.

FRetus exinde Franciscus superna gratia & auctoritate Papali cum fiducia multa versus valle Spoletanā iter arripuit, vt Euangelium Christi faceret & doceret. Dum autem in via cōferret cum socijs qualiter regulam, quam susceperant sincere seruarēt, qualiter in omni sanctitate & iustitia coram Deo incederent, qualiter in seipsis proficerent, & essent alijs in exemplum diutius collatione protracta, hora pertransijt. Et cum iam lassati essent ex diuturnitate laboris esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt. Sane cum omnis via deesset qua possent sibi de victu necessario prouidere: statim affuit prouidentia Dei. Nam subito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Christi dedit: subitoque disparuit, incognitus vnde venerit, aut quo iret. Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium magis dono liberalitatis diuinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti: insuper diuina consolatione repleti, statuerunt firmiter & irreuocabiliter confirmauerunt, nullius mediç aut tribulationis impulsu à sancto paupertatis resilire promisso. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes tractare cœperunt, vtrum inter homines conuersari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi seruus Franciscus non de sua vel suorum confidens industria per orationis instantiam diuinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisiuit. Supernę igitur reuelationis illustratus oraculo intellexit se ad hoc missum à Domino, vt Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quam sibi soli viuere prælegit: illius prouocatus exemplo qui vnus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se vir Dei cum ceteris socijs in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Assisij, in quo secundum sanctæ paupertatis formam in labore multo & inopia victitabant: magis lacrymarum, quam deliciarum panibus refici satagētes. Vacabant enim ibidem diuinis precibus incessanter mētaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis deuotæ pro eo quod nondum Ecclesiasticos libros habebant in quibus possent horas Canonicas decantare. Loco tamen illorum librum crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus reuoluebant: exemplo patris, & eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de cruce Christi sermonē. Rogātibus autem fratribus, vt eos doceret orare, dixit: Cum orabitis, dicite: Pater noster, &c. Adoramus te Christe ad omnes ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum. Docuit insuper eos Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis honorare præcipua reuerentia sacerdotes, fidei quoque veritatem secundum quod sancta Romana tenet & docet Ecclesia, & firmiter credere, & simpliciter confiteri. Seruabant illi Patris sancti documenta per omnia, & ad omnes ecclesias & cruces quas è longinquo videre poterant iuxta datā sibi formam orantes, se humiliter prosternebant. Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, vir sanctus die quadam sabbathi ciuitatem Assisij intrauit prædicaturus mane diei Dominicæ, vt moris erat, in Ecclesia cathedrali. Cumque in quodā tugurio sito in horto Canonicorū vir Deo deuotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter absentatus à filijs, ecce vere media noctis hora quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseuerantibus in orando. currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se cōuertit: super quem globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes excitati simul & exterriti dormientes, & non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dū ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes videntibus inuicem vniuersis in cordibus singulorum sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu tali transfiguratum effigie supernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum supernali virtute in curru splendente simul & igneo sibi demonstrari à Domino, vt tanquā veri Israelitę post illum incederent. qui virorum spiritualium, vt alter Helias factus fuerat à Deo currus & auriga. (4. Reg. 2.c) credendum sane quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, vt viderent magnalia Dei qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum mōtem plenum equorum & igneorum curruum in circuitu Helisei. (4. Reg. 6.c) Regressus autem vir sanctus ad fratres cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, & de profectu ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima quæ sensum transcendebant humanum, vere cognouerunt fratres, super seruum suum Franciscum Spiritum Domini in tāta plenitudine quieuisse, quod post ipsius doctrinam & vitam erat eis proficisci tutissimum. Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum superna gratia prçeunte deduxit, vt vbi meritis Matris Domini, minorū sumpserat ordo initium, ipsius illic susciperet auxilijs incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat & castra, non in doctis humanæ sapientię verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe qui mente ac facie in cælum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suauitatis, honoris, & honestatis vberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius feruore succensi quamplurimi vtriusque sexus in coniugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam à Dei viro acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum viuendi modum idem Christi famulus ordinem fratrum de pœnitētia nominari decreuit. Nimirum sicut in cælum tendentibus, pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem, sic & hic status clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Conuertebantur etiam virgines ad perpetuū cœlibatum, inter quas virgo Deo charissima Clara ipsarum plantula prima tanquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tanquam stella præfulgida radiauit. hæc nunc glorificata in cælis ab Ecclesia digne veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, & mater pauperum dominarum. Multi etiam non solum deuotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur. qui quotidianis succrescentes profectibus vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerūt. Faciebat namque sancta paupertas quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant,

(Matt. 6.b)

nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant vbique, nullo pauore suspensi, nulla cura distracti, tanquam qui absque mentis turbatione viuebant, & sine sollicitudine diem crastinum & serotinum hospitiū expectabant. Multa quidem eis in diuersis partibus orbis inferebantur conuitia tamquam personis despicabilibus & ignotis. verum amor Euangelij Christi adeo ipsos patientes effecerat, vt quærerent potius ibi esse vbi persecutionem paterentur in corpore, quam vbi cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari fauore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur vbertas dum iuxta consilium sapientis pro magno ipsis minimum complacebat. Sane cum ad infidelium partes, aliqui ex fratribus peruenissent, contingit, vt quidam Saracenus pietate commotus pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere admiratus est homo cernens, quod inopes essent. Intellecto tandem quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione coniunctus, vt offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis, cuius mirāda virtute mens feritatis barbaricæ in tātam miserationis est immutata dulcedinem! Horrēdum est proinde ac nefarium scelus, vt hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.

Eo tempore religiosus quidam de ordine Cruciferorum Moricus nomine in hospitali quodam prope Assisium languore tam graui, tamque prolixo laborans, vt iā morti foret adiudicatus à medicis viro Dei supplex factus per nuntium postulabat instanter, vt pro se ad Dominū intercedere dignaretur. Cui beatus pater benigne assentiens, oratione præmissa panis micas accepit, & cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari cōmiscens, quasi quoddam electuarium, per manus fratrū infirmanti transmisit, dicens: Medicinā hanc fratri nostro deferte Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenæ sanitati restituet: verumetiam robustum bellatorem effectum, aciei nostræ perseueranter adiunget. Statim autem vt antidotum illud sancti Spiritus adinuentione confectum æger homo gustauit, sanus exurgēs tantum mentis & corporis à Deo vigorem obtinuit: vt paulo post viri sancti religionem ingressus, & vnica tantum operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, & crudis dumtaxat cibarijs, herbis videlicet, leguminibus, fructibusque contentus: per plura temporum lustra, nec panem gustaret, nec vinum, fortis tamen & incolumis perseuerans. Crescentibus quoque virtutum meritis in paruulis Christi odor opinionis bonæ circumquaque diffusus, ad præsentiam sancti patris videndam plurimos è diuersis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inuentor, qui ab Imperatore propter hoc fuerat coronatus, & exinde rex versuum dictus, virum Dei contemptorem mundialium videre proposuit. Cumque apud castrum sancti Seuerini eum prædicantem reperisset in monasterio quodam, facta manu Domini super se, vidit eundem crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transuersis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum, quorum vnus à capite ad pedes, alius à manu in manum per pectus transuersaliter tendebatur. Nō nouerat facie seruum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnouit. Subito stupefactus ad visum, incipit meliora proponere. Tādemque verborum ipsius compunctus virtute, tanquam si esset gladio spiritus ex eius ore procedente transfixus, sæcularibus pompis omnino contemptis, beato patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conuersum, fratrem Pacificum appellauit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia siquidem primus ibidem ministerij gessit officium, meruit iterato magnum Thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis, quas dirigebat litterulis, manu propria subscribebat, tanquam si omne ipsius studiū foret signare Thau iuxta dictum propheticū super frontes virorum gementiū & dolentium, ad Christum IESVM veraciter conuersorum. Processu quoque temporis multiplicatis iam fratribus, cœpit eos pastor sollicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale Capitulum conuocare, vt in funiculo distributionis diuinæ in terra paupertatis eorum vnicuique tribueret obedientiæ portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrum que multitudo vltra quinque millia conueniret aliquando, diuina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat: & salus comitabatur corporea & spiritualis iucunditas affluebat. Capitulis vero prouincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, & efficaciam benedictionis spiritu præsens erat: quamuis aliquando mira Dei faciente virtute visibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui & nunc Christi præclarus confessor Antonius de titulo crucis, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis Monaldus nomine, ad ostium Capituli diuina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aere subleuatum extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Tanta vero & tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, vt de vera sancti patris præsentia certum eis intra se Spiritus testimonium perhiberet: licet postmodum id non solum per euidentia signa, verumetiam per eiusdem sancti patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sane quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, vt pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam seruum suum Frācīscum prædicationi præsentauit veracis sui præconis Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipue crucis Christi, cuius erat baiulus & minister. Cum autem dilatato iam ordine, viuendi formam per dominum Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari, huiusmodi fuit à Deo reuelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisq; famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait: Francisce vnam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non deuote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant: Recitat mane vir sanctus hæc omnia socijs, dolens se non percipere mysteriū visionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione persisteret, huiusmodi vocem de cęlo delapsam audiuit: Francisce micæ præteritæ noctis verba Euangelica sunt, hostia regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam regulam ex verborum Euangelij aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam, iuxta quod dictabat visio monstrata redigere, in mōtem quemdam cum duobus socijs Spiritu sancto ducente, conscendit, vbi pane tantum contentus & aqua, ieiunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi diuinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens, seruandam suo Vicario commisisset, & ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam, iterato sanctus vir ad locum solitudinis redijt, eamq; instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparauit, & per supradictum dominum Papam Honorium octauo Pontificatus illius anno, sicut optauerat, obtinuit cōfirmari. Ad cuius obseruantiam fratres feruenter inducens, dicebat se nihil ibi posuisse secundum industriam propriā sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerat diuinitus reuelata. Quod vt certius constaret testimonio Dei, paucis admodum

euolutis

euolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini IESV digito Dei viui, tanquam bulla summi Pontificis Christi ad confirmationem omnimodam regulæ, & commendationem auctoris, sicut post suarum enarrationem virtutum suo loco inferius describetur.

CAPVT V.

De austeritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

CVm igitur cerneret vir Dei Franciscus suo exemplo ad crucem Christi baiulandam feruēti spiritu plurimos animari, animabatur & ipse tanquam bonus Dux exercitus Christi, ad palmam victoriæ per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, vt crucis armaturam suo ferret in corpore: tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere. Propter quod cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat & raro, admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ vt plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam, cum & de aqua frigida dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinueniebat abstinentiæ potiores, & quotidie exercitatione crescebat, licetque iam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens semper aliquid innouabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius propter verbum Euangelij, conformabat se suscipiētibus ipsum in qualitate ciborum: cum tamen ad interiora regressus districte seruaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subiectum Euangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinēdo, verumetiam manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus vt frequentius lectus erat lassato corpusculo, & sæpius sedens ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, vnica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino seruiebat, & frigore. Interrogatus aliquando quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus feruore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. Vestis horrebat mollitiem, asperitatē amabat, asserens propter hoc Ioannem Baptistam ore diuino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius: quia nō in casulis pauperum, sed in palatijs Principum iuxta veritatis verbum vestimentorū dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri, delitiosis autem & mollibus ad tentandum fortius animari. Vnde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis, & oculorum, præter solitum morem ceruical de pluma positum haberet ad caput: dæmon in illud ingressus ipsum vsque ad horam matutinalem inquietatum multimode à sanctæ orationis studio perturbauit, donec vocato socio puluinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum puluinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit, & vsum: quousque ad vocem sancti patris hoc cognoscentis in spiritu vigor pristinus cordis & corporis sibi fuit plenarie restitutus. Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curā permaximam gerens de vtriusque hominis puritate seruanda: quapropter circa conuersionis suæ primordia tempore hiemali in foueam plenam glacie seipsum plerumque mergebat, vt & domesticum sibi hostem perfecte subijceret, & candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præseruaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis, vel modicum sentire in mente. Cum autem apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocauit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce Francisce: Cui cum quid quæreret, respondisset: fallaciter ille subiunxit. Nullus est in mundo peccator, cui, si conuersus fuerit, nō indulgeat Deus. Sed quicunq; semetipsum pœnitentia dura necauerit, misericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam, quomodo nixus fuerit eum ad tepida reuocare. Nam hoc sequens indicauit euentus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, cuius altius prunas ardere facit, grauis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam vt præsensit castitatis amator, deposita veste, chorda cœpit se verberare fortissime: Eia inquiens frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deseruit, sanctitatis signaculum præfert, furari eam libidinoso non licet, si quo vis pergere perge. Insuper & mirādo feruore spiritus animatus, aperta cella foras exiuit in hortum, & in magnam demergens niuem corpusculum iam nudatum septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc maior vxor tua est, quattuor istæ, duo filij, & duæ filiæ, reliquæ duæ seruus & ancilla, quos ad seruiendum habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, vni Domino sollicite serui. Illico tentator victus abscessit, & vir sanctus cum victoria in cellam redijt: quia dum bene pœnaliter alxit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia luna clarius incedente prospexit. Cōperto vir Dei quod hoc ille nocte vidisset, referens ei tentationis processum, præcepit vt quamdiu ipse viueret, nulli viuenti rem, quam viderat, propalaret. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis, & eius incentiua frenari: verumetiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitius euitari iubebat, asserens per huiusmodi debilem frangi, & fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuersantem cum eis, nisi probatissimum virum tam facile dixit, quam iuxta Scripturam in igne ambulare, & non comburere plantas. Siquidem ipse adeo auerterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatem viderent: quod sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam friuolum esse mulieris colloquium excepta sola cōfessione vel instructione breuissima, iuxta quod & saluti expedit, & congruit honestati. Quæ sunt, inquit, religioso cū muliere tractanda negotia, nisi cū sanctam pœnitētiam vel melioris vitę consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cauetur hostis, & diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans rebellem carnem & pigram disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domādam. Vnde corpus suum fratrem asinum appellabat, tanquam laboriosis supponēdum oneribus, crebris cædendum flagellis & vili pabulo sustentandum. Si quē vero cernebat otiosum & vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat: eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem & abominabile se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: Volo fratres meos laborare & exercitari, ne otio dediti, per illicita cordeaut lingua vagentur. Euangelicum siquidem volebat à fratribus obseruari silentium, vt videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent, sollicite tanquam reddituri in die iudicij de huiusmodi rationem. Sed & si quem inuenisset fratrem verbis assuetū inanibus, acriter arguebat: taciturnitatem

Gal.5.d — *Matt.11.a* — *Iob.41.b* — *Prou.6.d* — *Matt.12.e*

tatem modestam, & puri cordis affirmans custodiam, & non modicam esse virtutem, pro eo quod mors & vita fore dicuntur in manibus linguæ, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ. Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis seueritas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte vnus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor oui suæ imminere periculum, vocauit fratrem, apposuit panem, & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior comedere, eumq; ad manducandũ dulciter inuitare. Deposuit frater verecundiam, sumpsit cibum gauisus quamplurimum, quod per circumspectã condescensionem pastoris, & corporis euasisset dispendium, & non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facto, fratribus conuocatis in vnũ, vir Dei referẽs quod acciderat nocte, prouida cõmonitione subiunxit: Sit vobis fratres non cibus, sed charitas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi, vt aurigã virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus, cuius sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. Et quoniam agnum sine macula crucifixum non est possibile homini carnis infirmitate circumdato sic perfecte sectari, quin aliquando aliquas contrahat sordes: ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt quotidianis debere se lacrymarum emundari fluentis. Licet enim tam esset adeptus cordis & corporis puritatem mirabilẽ, non cessabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cum enim ex cõtinuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset grauissimam, suadente sibi medico quod abstineret à lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respõdit. Non est frater medice ob amorem luminis quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnẽ, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidẽ corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat repressa deuotione spiritus impedire. Cum autem semel daretur consiliũ à medicis, & instanter suaderetur à fratribus, vt pateretur sibi per remedium subueniri cocturę, humiliter vir Dei assensit, quia salutiferum hoc simul & asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgicus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendum cocturam. At Christi seruus corpus iam horrore cõcussum confortans sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens: Mi frater ignis præ ceteris rebus æmulandi decoris virtuosum, pulchrum, & vtilem te creauit altissimus. Esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creauit, vt tuum mihi calorem temperet, quo suauiter vrentẽ valeam sustinere. Oratione finita, contra igne candescens ferreum instrumentum signũ crucis edidit: ac deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans ferrum in tenera carne, & ab aure vsque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogauerit ignis ille dolorem, vir ipse sanctus expressit: Laudate, inquit ad fratres, altissimum: quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis vllum dolorem. Et conuersus ad medicum: Si non est, inquit caro bene decocta, imprime iterum. Expertus medicus in inualida carne virtutem spiritus tam potentem miratus est, & diuinum hoc miraculum extulit, dicẽs: Dico vobis fratres vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam deuenerat puritatem, vt caro spiritui, & spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, diuina ordinatione fiebat, vt creatura Creatori suo deseruiens voluntati & imperio eius mirabiliter subiaceret. Alio enim tempore apud eremũ sancti Vrbani seruo Dei ægritudine grauissima laborante, cum ipse naturę defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, iussit aquam afferri, & allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimũ, quod fuerat aqua pura, & quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetrauit. Ad cuius gustum tanta protinus facilitate conualuit, vt saporis nouitas, & innouatio, sanitatis gustabile, ac gustantem supernaturaliter innouantes perfectam in ipso expoliationem veteris hominis, & induitionem noui, duplici attestatione firmarent. Non solum creatura seruo Dei seruiebat ad nutum, sed & Creatoris vbique prouidentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu aggrauato corpore ad iucunditatem spiritus excitandam alicuius audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, affuit Angelorum obsequium ad viri sancti placitum adimplẽdum. Nocte etenim quadam vigilante ipso, & meditante de Domino, repẽte insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suauissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, sed transitum & reditum citharœdi ipsa hincinde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfruitus, vt aliud se putaret sæculum commutasse. Hoc & fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessiuis & crebris consolationibus à Domino visitari, vt nec ipsas omnino occultare valeret. Alio quoq; tempore viro Dei prędicationis causa inter Lombardiam, & Marchiam Teruisanam iter agente cũ fratre socio iuxta Padum, tenebrosa noctis superuenit obscuritas. Cumq; via esset exposita periculis magnis, & multis propter tenebras, fluuium, & paludes, dixit socius ad virum sanctum: Ora pater, vt de instantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa respõdit: Potens est Deus, sibi placet suæ dulcedini tenebrarum effugata caligine, beneficiũ nobis impendere lucis. Vix sermonem compleuerat, & ecce tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare virtute, vt nocte alijs existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verumetiam plurima circũquaque. Cuius lucis ducatu, corporaliter directi, & spiritualiter confortati, vsque ad locum hospitij per non modicum viæ spatium, cum diuinis hymnis, & laudibus incolumes peruenerunt. Perpende quantæ fuerit vir iste munditiæ, quantęque virtutis, ad cuius nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, Angelica præbet melodia solatium, & lux diuina ducatũ, vt sic sanctificatis viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deseruire.

CAPVT VI.

De humilitate & obedientia, & de condescensionibus diuinis sibi factis ad nutum.

OMnium virtutũ custos & decor humilitas copiosa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate speculũ esset, & splendor omnimodæ sanctitatis. Super hãc studuit ædificare seipsum, vt sapiens architectus fundamentum præiaciens, quod à Christo didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descẽdisse, vt tam exemplo, quam verbo Dominus & Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis suis, & aliorum vilescere à summo dictum esse Magistro commemorans. Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum. Sed & verbum hoc dicere solitus erat. Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & nõ plus. Stultum proinde iudicans mundanis extolli fauoribus, gaudebat de opprobrijs, & de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire, quã laudem, sciens quod hoc ad emendandũ induceret, illa impelleret ad cadendũ. Et ideo sæpe cũ populi merita in eo sanctitatis extollerent, pręcipiebat alicui fratri, vt in contrariũ verba ipsũ vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cũque frater ille licet inuitus eum rusticũ, & mercenarium,

Prou. 18. d

Luc. 16. d

cenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie respondebat: Benedicat tibi Dominus, fili charissime, quia tu verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire. Vt autem se ceteris despicabilem redderet, non parcebat ruberi, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel, vt infirmitate grauatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis vtcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium: Non est, inquit conueniens, vt populus abstinentem me credat, & ego econtrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, & in platea ciuitatis Assisij populo conuocato, solenniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcepit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset, & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicauit, audientibusq; cunctis asseruit se non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmo tamquam carnalem, & glutonem ab omnibus contemnendum. Igitur qui conuenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt, & quia ipsius austeritatem iam nouerant, deuotione compuncti, humilitatem huiusmodi magis admirabilem, quam imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse instar prophetalis vaticinij, quam exemplum, tamen veræ documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoq; iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc mũdum sæpius faciebat, vt exterius tamquam vas perditum fieret, & sanctificationis spiritum interius possideret. Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cum beatificaretur à pluribus, verbũ huiusmodi prǒferebat: Filios, & filias adhuc habere possem, nolite laudare securũ. Nemo laudandus cuius incertus est exitus. Ista quidem laudantibus, ad se autem sic: Latroni si tanta contulisset altissimus gratior te foret Francisce. Dicebat fratribus sæpe de omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blãdiri: Peccator, ait, ieiunare potest, orare plangere, carnemque propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter seruientes, ipsi quidquid donat, ascribimus. Vt autem pluribus modis negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tã enim vberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, vt eis, qui iugo ipsius colla summitterent, nil temporis sine lucro transiret: vnde, & fratri cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueuerat, & seruare. Dixit aliquando sociis: Inter alia, quæ dignanter pietas mihi diuina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discretissimo fratri. Subditus (inquit) prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens iudicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit: Tolle (inquit) corpus exanime, & vbi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moueatur, non diiudicat, vbi locetur non curat, vt transmutetur non instat, euectus ad officium, solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignum. Dixit aliquando socio suo: Non mihi videor frater minor, nisi fuero in statu, quem tibi describero. Ecce Prælatus existens fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & cõmoneo fratres, & in fine dicitur contra me Non conuenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota, & simplex. Tandem eiicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus, Dico tibi nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, frater minor nequaquam sum. Et addebat: In prælatione casus, in laude præcipitiũ, in humilitate subditi animi lucrum est. Cur ergo periculis plus, quam lucris attẽdimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari minores, & prælatos sui ordinis dici ministros, vt, & verbis vteretur Euangelij, quod obseruare promiserat, & ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidem humilitatis IESVS Christus, vt informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Cum autem requireret ab eo Dominus Ostiensis, ordinis Minorũ Protector, & promotor præcipuus, qui postmodum, iuxta quod idem vir sanctus prędixerat, ad summum. Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius nonus est dictus, vtrum sibi placeret quod fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates. Respondit: Domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis, vt faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, & conseruate in statu vocationis eorum, & ad prælationes Ecclesiasticas nullatenus ascẽdere permittatis. Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipsum dignum iudicabat fastigiis, secundum quod vni fratri viro virtutis, & deuotionis præcipuæ visio cælitus ostensa monstrauit. Cum enim esset in comitatu viri Dei, & vna cum ipso in quadam Ecclesia deserta feruenti oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, vnam præ ceteris digniorem pretiosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgẽtiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audiuit inter hæc vocem dicentem sibi: Sedes ista vnius de ruentibus fuit, & nunc humili seruatur Francisco. Reuersus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem, solito fuit more secutus. Cumque incedentes per viam de Deo inuicem loquerentur, frater ille visionis suæ nõ immemor, solerter ab eo quæsiuit, quid de seipso sentiret. Ad quem humiliter Christi seruus, Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex aduerso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eiicitur, vere humilis exaltetur.

Mat. 10. f

Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret Ecclesia in prouincia Massæ apud montem Casalem, intellexit per spiritum sacras ibidem remãsisse reliquias. Quas cum longo iam tempore defraudatas honorificẽtia debita, non sine mærore conspiceret, præcepit fratribus, vt eas cum reuerentia deferrent ad locum. Sed cum poscente causa discessisset ab eis, mandati patris immemores, filij obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento summoto ossa pulcherrima, & redolentia nimis non sine admiratione reperiunt intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reuersus paulo post vir deuotus

diligenter cœpit exquirere, si quod de reliquiis mandauerat, esset impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter cum pœna veniam meruerunt. Et ait vir sanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum impleuit, quod vos facere debuistis. Considera diligenter diuinæ prouidentiæ curam circa puluerem nostrum, & humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cuius iussis non paruit homo, votis obediuit Deus.

Quodam tempore deueniens Imolam, ciuitatis Episcopum adiit, humiliterque poposcit, vt cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare. Cui Episcopus dure respondens, sufficit (inquit) frater, quod ego prædicem populo meo. Inclinauit caput verus humilis, & foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo, cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce respondit: Domine si pater filium vno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens: Tu, & omnes fratres tui de cetero in Episcopatu meo generali mea licentia prædicetis: quia illud humilitas sancta promeruit. Contigit ipsum aliquando Aretium deuenire, cum tota ciuitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio vidit supra ciuitatem exultantes dæmones, ac perturbatos ciues ad cædem mutuam succendentes. Vt autem seditiosas illas effugaret aereas potestates, fratrem Siluestrum columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens: Vade ante portam ciuitatis, & ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris iussa perficere, & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam ciuitatis cœpit clamare valenter: Ex parte omnipotētis Dei, & iussu serui eius Francisci procul hinc discedite dæmones vniuersi. Redit ad pacem continuo ciuitas, & ciuilitatis in se iura ciues omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonum furibunda superbia, quæ ciuitatem illam velut obsidione vallauerat, superueniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, vrbemque saluauit. Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute super spiritus illos rebelles atque proteruos tam potestatiuum fuerat assecutus imperium, vt & ipsorum feroces proteruias premeret, & importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam diuina eos clementia colaphizari permittit, sicut, & Paulus Apostolus de seipso scribit, & Franciscus experimento probauit. Rogatus enim à domino Leone Cardinali S. Crucis, vt secum aliquantum moraretur in vrbe, acquieuit humiliter ob ipsius reuerentiam, & amorem. Prima igitur nocte cum post orationem vellet quiescere superuenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes: quem cum diu verberassent, ac dure, ad vltimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus aduenit, cui cum vir Dei rei narrasset euentum, subiungens, ait: Credo frater quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantum prouidentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, & delitiis abundare. Ideo melius iudico, eum, qui ponitur in exemplum fugere curias, & humiliter inter humiles in locis conuersari humilibus, vt sustinentes penuriam, fortes efficiat similia sustinendo. Veniunt ergo mane, & humili excusatione proposita, vale faciunt Cardinali. Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, & inobedientiam, ipsius pessimam prolem, sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel vt eidem præsentaretur quidam frater, qui cōtra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina iustitiæ corrigendus. Videns autem vir Dei fratrem illum per signa euidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentiuum esset aliis delinquendi, iussit ablatum fratri caputium in medio flammarum proiici: vt omnes aduerterent, quanta, qualique vindicta offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur caputium de medio flammarum nullum habens adustionis vestigium. Sicque factum est, vt hoc vno Deus miraculo, & sancti viri virtutem, & humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominis immutaret affectum, dæmonum proteruitatem suo iussu propelleret, & flammarum vocacitatem solo nutu refrenaret. Re vera hæc est, quæ possessores suos exaltans, dum omnibus reuerentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

CAPVT VII.

De amore paupertatis, & mira suppletione defectuum.

Inter cetera charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit, prærogatiua quadam speciali promeruit in diuitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & iam quasi toto orbe repulsam charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem, matremq; reliquit, verumetiam quæ habere potuit vniuersa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior vllus, quam iste huius Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia cōsonaret. Reuera ipse à principio religionis vsque ad mortem tunica, chordula, & femoralibus diues, iis contentus fuit Christi IESV paupertatem, & matris frequenter cum lacrymis reuocabat ad mentem: inde hāc virtutum afferens esse reginam, quia in Rege regnum, & in regina Matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam, & fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: Paupertatem noueritis fratres, specialem viam esse salutis tamquam humilitatis fomentum, perfectionisq; radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Euangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt illius comparatione spernenda. Ad huius (inquit) culmen, qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verumetiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet: vt tali expropriatus possessione introeat in potentias Domini, & nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprij sensus loculos intra cordis arcana reseruat. Sæpe vero de paupertate sermonem faciens ingerebat fratribus Euangelicum illud: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Propter quod docebat fratres, vt pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas nō habitarent vt proprias, sed sicut peregrini, & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorū esse dicebat sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam pacifice pertransire. Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoueri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Euangelicæ paupertati. Hanc sui dicebat ordinis fundamentum, cui substrato primarie, sic omnis structura religionis innititur, vt ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur. Docebat proinde, sicut reuelatione didicerat, sacræ religionis ingressum ab illo fore inchoādum

Matt. 8. c Luc. 9. g

dum Euangelico verbo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ideoque nonnisi expropriatos, & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem, tum propter verbum sancti Euangelij, tum etiam ne forent in scandalum loculi reseruati. Vnde in Marchia Anchonitana cuidam petenti ad ordinem recipi, verus pauperum patriarcha respondit: Si vis Christi pauperibus iungi pauperibus tua distribue. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hoc illo referente, vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit: Vade viam tuam, frater musca: quoniam nondum existi de domo, & cognatione tua. Consanguineis tuis tua dedisti, & defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sanctis. Incœpisti à carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, & repetiit sua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit. Alio quoque tempore cum in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus superuenientibus secundum necessitatis exigentiam prouideri: adiit virum Dei vicarius suus allegans penuriam fratrum, & petens vt intrantium nouitiorum res aliquas reseruare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem vir sanctus superni consilij non ignarus: Absit (inquit) à nobis frater charissime, vt pro quouis homine impie agamus in regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum, & obseruantiam Euangelij aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo sancti Euangelij perfecte seruato consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato Filij sui promissum consilium prætermitti. Transiens autem quodam tempore vir Dei cum suo socio per Apuliam iuxta Barum, inuenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam vsitato vocabulo, Fundam appellant. Monetur à socio pauper Christi, & instanter inducitur vt bursa tollatur è terra, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inuenta, & fratrem non suadere rem meriti, sed peccati: aliena scilicet surripere, ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater vacua pietate delusus, virum Dei molestans, quasi de releuanda pauperum penuria non curaret. Acquieuit tandem vir mitis redire ad locum, non vt fratris voluntatem perficeret, sed vt detegeret diabolicam fraudem. Reuersus est ergo ad fundam cum fratre, & iuuene quodam, qui erat in via, oratione præmissa, iubet socio illam leuare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum iam præsentiens monstrum, propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subito euanescens, diabolicam deceptionem fratri monstrauit. Hostilis itaque versutiæ deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium: Pecunia seruis Dei, ô frater, nihil aliud est, quam diabolus, & coluber venenosus.

Matt. 19. c

Accidit post hęc quoddam mirabile viro sancto, dum se ad ciuitatem Senensem, causa exigente transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate, ac facie per omnia similes in quadam ei magna planitie inter Campilium, & sanctum Quiricum occurrerunt, nouum salutationis munusculum ei offerentes: Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, vtpote, qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreuerant. Subito disparentibus illis considerantes fratres socij tam admirabilem in eis similitudinem salutationis, occursus, & disparentiæ nouitatem, mysticum aliquid designari circa virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, vt videbatur, mulieres pauperculas sic vniformi facie occurrentes sic salutantes insolite, sic subito disparentes, Euangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem, scilicet, obedientiam, & paupertatem satis conuenienter ostenditur in viro Dei pari forma perfecte fulsisse, licet gloriari prælegerit in priuilegio paupertatis, quam modo matrem, modo sponsam, modo dominam nominare solebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tamquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. Accidit enim vt pauperculum quendam obuium haberet in via, cuius cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: Magnam verecundiam intulit nobis huius inopia, quia nos pro magnis diuitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in isto. Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis vtebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim inuitatus à magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, inuitatus à domino Hostiense, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, conquerenti Episcopo, quod suo derogasset honori, vtpote qui in eius comesturus domo pro eleemosynis isset: seruus Dei respondit: Magnum, mi domine, vobis honorem exhibui, dum maiorem Dominum honoraui. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, & ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus IESVS egenus factus assumpsit, vt sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni cœlorum reges institueret, & heredes nolo relinquere pro feudo diuitiarum falsarum vobis ad horam concesso. Nonnumquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis vtebatur huiusmodi. Ite (inquit) quoniam hac nouissima hora fratres minores commodati sunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à iudice commendentur, illud audientes suauissimum verbum: Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Iucundum proinde dicebat sub fratrum minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorum Euangelicæ veritatis magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, vbi opportunitas aderat, mendicare solitus erat dicens in sanctis pauperibus propheticum illud impleri: Panem Angelorum manducauit homo. Illum sane panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim. Vnde cum semel die sancto Paschę moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor illius, qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratrib. eleemosynam petiit vt peregrinus, & pauper. Quam cum accepisset humiliter sacris eos informauit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum tamquam peregrini, & aduenæ, verique Hebræi Pascha Domini, hoc est transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

Matt. 25. d

Psal. 77. c

Luc. 24.

Accidit enim semel vt infirmitate grauatus Domini seruus, in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi deuotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes ad villam quadam deuenerunt pauperculam, nomine Sarthianum: vbi cum fames, & hora cibum expeterent, euntes, & nihil inuenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus, ideo nihil inuenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis. Muscas nępe denarios vocauit. Sed reuertimini, ait, per domos, quas circuistis,

&amo-

& amorem Dei offerentis pro pretio, humiliter Eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniam vniuersa in eleemosyna post peccatum dignis, & indignis eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites, & eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis emunt. Siquidem diuino nutu cor de compuncti pauperes incolæ, non solum sua, sed, & seipsos liberaliter obtulerunt. Sicque factum est, vt inopiã, quam pecunia releuare non poterat, Francisci paupertes opulenta suppleret. Tempore, quo infirmus iacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium eius obsequium hoc nouo beneficio vice pauperis compensauit. Huius enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo, de nouo construxerat, parietum patula scissione à summo vsque deorsum adeo de proximo minabatur ruinã, quod non videbatur per humanæ artis industriam possibile ipsius casui obuiare. Ipse vero de sancti viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei deuotione petiuit à sociis eius aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantia posuisset de sero intra muri scissuram, mane resurgens, tanta inuenit aperturam illam soliditate conclusam, vt nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod inuenire. Factumque est, vt qui ruinoso corpusculo serui Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaueret.

Alio quoque tempore vir Dei ad quandam heremum transferre se volens, vt ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstiuis famulum Christi sequendo vir ille montana conscẽderet, asperiori, & longiori itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum: En morior (inquit) siti, nisi poculi alicuius beneficio continuo refocillet. Absque mora vir Dei prosiliuit de asino, & fixis in terra genibus, palmas tetendit in cælum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita, Festina, inquit viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ seruis suis tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute, & poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem ante non fuit, nec vt est diligenter quæsitum, deinceps potuit inueniri. Qualiter autem per merita sui pauperis, Christus multiplicauerit cibos in mari, cum suo sit loco inferius annotandum: hoc tãtum commemorasse sufficiat, quod de eleemosyna modica sibi collata, nautas à famis, & mortis periculo per dies plurimos liberauit, vt ex hoc liquido possit aduerti, quod omnipotentis Dei famulus sicut in eductione aquæ de petra conformis extitit Moysi, sic in multiplicatione victualium Elisæo. Procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit, vt subuenientium sibi defectus iam mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat: multo magis illa merebitur, quæ vsitato diuinæ prouidentiæ ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petræ siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinauit pauperculo, nil iam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro auctore omnium omnia reliquerunt.

***

CAPVT VIII.

De pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici.

Pietas vera, quæ secundum Apostolum ad omnia valet, adeo cor Francisci repleuerat, ac penetrauerat, vt totum videretur seruum Dei in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per deuotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad proximum, & per vniuersalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiæ statum. Cumque per hanc pie moueretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi IESV sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tamquam mater in Christo quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum causa præcipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto Christo videlicet pro peccatoribus crucifixo per ipsorum conuersionem, & pia sollicitudine suscitent, & sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius maxime si studio fuerit perfectæ charitatis impensum, vt ad id laboretur magis exemplo, quam verbo magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem tamquam vera pietate priuatum, siue qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, siue qui prauitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem, & elinguem, qui bono exẽplo alios prouocat ad bonum. Illud quoque verbum, Donec sterilis peperit plurimos, taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio plurimos: quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc iudex ascribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur: quia prædicator vanus, & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprij habere in eis. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, & feruida æmulatione zelaret, suauissimis se dicebat repleri odoribus, & quasi vnguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci. Et talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo, vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis eius grauissimam incurrebant sententiam. A te Domine (inquit) sanctissime, à tota cœlesti curia, & à me paruulo tuo sint maledicti, qui suo malo exẽplo confundunt, & destruunt, quod per sanctos fratres ordinis huius ædificasti, & ædificare non cessas. Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandala pusillorum, vt deficere se putaret, nisi diuinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cum autem semel malis turbatus esset exemplis, & anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro filiis, responsum huiusmodi reportauit à Domino: Cur tu pauper homuncio conturbaris, an ego te super religionem meam sic pastorem institui, vt me principalẽ nescias esse patronum? hominem simplicem ad hoc te constitui, vt quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ ascribantur. Ego vocaui, seruabo, & pascam, & aliis excidentibus alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci, & quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salua semper meo munere permanebit. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis, & gratiæ tamquam serpentinum abhorrebat morsum, & atrocissimam pestem, & pijssimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. Audiens semel fratrem quendam denigrare

famam

famam alterius, conuersus ad Vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter, & si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cũctis redde notabilem. Nonnumquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, iudicabat habitu spoliandum, nec ad Dominũ oculos posse leuare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto maior est, aiebat, detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quę in obseruantia pietatis impletur, magis animarũ, quam corporum nos astringit optare salutẽ. Afflictis quoq; qualicumq; corporali molestia mirã compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriç, si quid defectus in aliquo cerneret pij cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus eius ad pauperes, & infirmos, & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit semel vt pauperi cuidam eleemosynam importune petenti, vnus è fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, vt ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, & veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter pater adiecit: Dum pauperem vides, ô frater speculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris eius. In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit, considera. Cumque in pauperibus cunctis, & ipse Christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter cõferebat: verumetiam ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddenda. Accidit semel, vt eidem redeunti de Senis, pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cuius miseria oculo clementi cõspecta: Oportet, inquit ad sociũ, vt reddamus mantellum pauperculo isti, nam ipsius est. Mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem inuenire contingeret. Socius autem pij patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne prouideret alij se neglecto. At ille pro furto, ait, mihi reputo à magno eleemosynario imputandum, si hoc quod fero non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis releuandam solitus erat à dantibus licẽtiam petere, vt licite posset, si magis egenus occurreret erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc dum posset, vt pietatis impleret officium indigentibus largiretur. Pluries cum oneratis obuiaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

Consideratione quoque primæ originis omnium abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet paruas, fratris vel sororis appellabat nominibus pro eo quod sciebat eas vnum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur, & dulcius quæ Christi mansuetudinem piam, similitudine naturali prætendunt, & Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice seruo Dei apud monasterium sancti Verecundi de Episcopatu Eugubij, ouicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necauit. Hoc audito pius pater mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens: Heu me frater agnicule animal innocens, Christum hominibus repræsentans: maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusq; de ea comedat homo, vel bestia. Mirabile dictu. Statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exsoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallum monasterij, ibique longo tempore iacens, in modum tabulæ desiccata, nulla fuit esca famelico. Aduertat igitur humana impietas quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis. Perpendat, & fidelis deuotio, quam in seruo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, & copiosæ dulcedinis, vt ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens iuxta ciuitatem Senensem, inuenit in pascuis magnum ouium gregem. Quas cum benigne, vt erat solitus, salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, leuantesque capita sua, erectis in eum luminibus, intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, vt pastores mirarentur, & fratres, cernentes circa ipsum tam ouium agnos, quam ipsos arietes sic mirabiliter exultantes. Alio quoq; tempore apud sanctam Mariam de Portiuncula quædam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ, ac simplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit gratanter suscepit. Monebat pius vir ouiculam, vt, & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensa caueret, ouis autem quasi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipsius sollicite obseruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam ingrediens sine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper, & cum eleuaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solemnia, flexis curuabatur poplitibus, tãquam si reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret, Christoque deuotos ad sacramenti reuerentiam inuitaret. Tempore quodam agniculum in vrbe secum habuerat ob reuerentiam illius mitissimi agni, quem nobili matronæ dominæ, scilicet Iacobæ de septem soliis in suo recessu conseruandum commisit. Agnus vero quasi in spiritualibus eruditus à sancto dominę ad Ecclesiam eunti, stanti, & reuertenti societati inseparabili cohærebat. Si matutinali hora domina tardaret exurgere, agnus consurgens impellebat eam cornulis, & balatibus excitabat, gestibus adhortans, & nutibus, vt ad Ecclesiam properaret. Propter quod agnus Francisci discipulus, deuotionis iam magister effectus, vt mirabilis, & amabilis à domina seruabatur. Alio quoque tempore apud Grecium viuus viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus cum posset quo vellet effugere, vocante se patre benigno in sinum illius propero cursu saltauit. Quem ipse pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quasi mater, dulciq; allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus vt abscederet, semper in sinum patris rediret, tamquam si sensu quodam occulto cordis ipsius præciperet pietatem, tandem iussu patris à fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili, in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, & viro Dei oblatus, cum ceteros fugeret, manibus eius, & sinu se domestica securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Grecio properanti, piscator vnam ex deuotione fluuialem obtulit auem, quam cum libenter suscepram apertis inuitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in cœlum oculis, diu in oratione permansit, & quasi aliunde post longam horam ad se reuersus, dulciter iterato mandauit auiculæ, vt Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, aduolauit. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus, & viuus, quem more solito fraterno nomine vocãs, in aquam reposuit iuxta nauem. Piscis vero coram viro Dei ludebat in aqua, & quasi amore illius allectus, nullatenus recessit à naui, nisi prius ab eodem cũ benedictione licentia sibi data. Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, inuenit maximam auium multitudinem residentium, & cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: Sorores aues laudant Creatorem suum, nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes, & horas canonicas Domino decãtemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, nõ sunt aues motæ de loco. Et qui propter garritũ ipsarũ in dicendis horis se mutuo audire nõ poterant, cõuersus

vir sanctus dixit ad aues: Sorores aues à cantu cessate, donec laudes Deo debitas persoluamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiose, & laudibus persolutis à sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt. Apud S. Mariam de Portiuncula, iuxta cellam viri Dei super ficum cicada residens, & decantans, cum seruum Domini, qui etiam in paruis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad diuinas laudes cātu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus super manum volauit ipsius. Cui cum dixisset: Canta soror mea cicada, & Dominum Creatorem tuo iubilo lauda: sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec iussu patris ad locū proprium reuolauit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo eius iussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios: Demus iam sorori nostræ cicadæ licentiam, satis enim nos suo cantu lætificans ad laudes Dei octo dierum spatio excitauit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec vltra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire. Eidem Senis infirmo phasianus quidam de nouo captus, à nobili quodam transmissus est viuus. Qui continuo vt virum sanctum audiuit, & vidit, tanta ei amicabilitate cohæsit, vt nullo modo pateretur ab ipso seiungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, vt abiret si vellet, rapido semper cursu redibat ad patrē, tamquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex deuotione seruum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret à pij patris absentari conspectu, escam recusauit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim vt conspexit eundē, quibusdam hilaritatis prætensis gestibus, auide manducauit. Cum ad eremum peruenisset Aluernæ, propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archangeli Michaelis diuersi generis aues circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro, & lætitię gestibus, quasi de eius aduentu gaudentes patrem pium inuitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium: Cerno frater voluntatis esse diuinæ, quod hic aliquandiu commoremur, tantum sorores auiculæ de nostra videntur præsentia consolari. Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir sanctus ad diuina officia surgere solitus erat, cantu suo præueniebat, & sono. Quod famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta sollicitudo, quam circa eū gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum vero seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempestiuas indicebat vigilias. Siquidem velut instructus à Deo circa diluculum suę vocis campanam leui tactu pulsabat. Diuinum certe videtur fuisse præsagium, tam in exultatione multimodi generis auium, quam in cantu falconis, cum Dei laudator, & cultor pennis contemplationis subuectus tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus. Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Grecij, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam, & luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed, & homines consumebat, & grando annua tempestate blada, & vineas deuastabat. Dum igitur sic afflictis præco sacri Euangelij prædicaret, dixit ad eos: Ad honorem, & laudem Dei omnipotentis fideiubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, & respiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri, vt vera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis, quod si beneficiis ingrati ad vomitum conuersi fueritis, innouabitur plaga, duplicabitur pœna, & maiori in vos ira desæuiet. Ab illa vtique hora pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis cessauerunt clades, periere pericula, nec molestię quidquam lupi intulere vel grādines. Immo, quod maius est, si quando vicinorum arua grando peruaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam diuertebat. Cessauit grando, seruauerunt, & lupi pactionem serui Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conuersos attentauerunt amplius desæuire quādiu iuxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerūt. Pie igitur sentiendum est de pietate viri beati, quæ tantæ dulcedinis, & virtutis fuit, vt domaret ferocia, domesticaret siluestria, mansueta doceret, & brutorum naturam homini iam lapso rebellem ad sui obedientiam inclinaret. Vere hæc est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans valet ad omnia, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.

CAPVT IX.

De feruore charitatis, & desiderio martyrij.

CHaritatem feruentem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, & eos, qui minus ipsum, quam denarios reputarent esse stultissimos, pro eo quod solius diuini amoris inipretiabile pretium ad regnum cœlorū sufficiat comparandum, & eius, qui nos multum amauit, multum sit amor amandus. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per iucunditatis specula in viuificam consurgebat rationem, & causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia, prosequebatur vbique dilectum de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque deuotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in riuulis degustabat, & quasi cælestem concentum perciperet in consonātia virtutum, & actuū eis datorum à Deo ipsas ad laudem Domini more prophetæ Dauid dulciter hortabatur. Christus IESVS crucifixus intra suæ mentis vbera, vt myrrhæ fasciculus iugiter morabatur, in quem optabat per excessiui amoris incendium totaliter transformari. Prærogatiua quoq; peculiaris deuotionis ad ipsum, ab Epiphaniæ festo vsq; ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi, & potus, ieiuniis, & orationibus, & laudibus Dei sine intermissione vacabat. Tam feruido quidem in Christum ferebatur affectu, sed & dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, vt videretur ipsi famulo Dei, quasi iugē præ oculis ipsius Saluatoris sentire præsentiam, sicut aliquando sociis familiariter reuelauit. Flagrabat erga sacramentum Dominici corporis, feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem. Sępe communicabat, & tam deuote vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suauē quasi spiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur excessum. Matrem Domini nostri IESV Christi indicibili cōplectebatur amore, eo quod Dominum maiestatis fratrē nobis effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens eā sui ac suorum aduocatam constituit, & ad honorem ipsius, à festo Apostolorum Petri, & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissime ieiunabat. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorū animas inflammandas inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob deuotionem ipsorum, ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus ieiunans orationi iugiter insistebat. Beato autem Michaeli Archangelo eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore deuotior, propter feruidum, quem

habebat

habebat zelum ad salutem omnium saluandorum. Ex recordatione sanctorum omnium tamquam lapidum ignitorum in Deificum recalescebat incendium: Apostolos omnes, & præcipue Petrum, & Paulum propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Christum, summa deuotione complexans. Ob quorum reuerentiam & amorem Quadragesimæ specialis ieiunium Domino dedicabat. Non habebat aliud Christi pauper nisi duo minuta, corpus, scilicet, & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue, vt quasi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem desiderij spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes, & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitus imagine, & sanguine redemptis auctoris germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eo maxime probans quod vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Vnde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens eius caro, quæ iam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renouabat illi pœnas, & onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem in meipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. Feruenti quoque charitatis incendio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea, & ipse illa perfecta charitate succensus, quæ foras mitti timorem, per martyrij flammam hostiam Domino se offerre viuentem, & vicem Christo pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem ceteros prouocaret. Sexto namque conuersionis suæ anno desiderio martyrij flagrans ad prædicandam fidem Christianam & pœnitentiam Saracenis, & aliis infidelibus ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque nauem quandam vt illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus compulsus est in Sclauoniæ partibus applicare. Cum igitur moram aliquamdiu contraxisset ibidem, nec inuenire posset nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anchonam tendentes, vt amore Dei eum secum ducerent exorauit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, nauem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam à Deo, vt creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deũ de naui ad se vocatum sic allocutus est: Hæc pro pauperibus fratribus in naui latitantibus conserua fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, vt nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quæ cum esset modica tantum diuina virtute suscepit augmentum, vt diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contra hientibus moram, vsque ad portum Anchonæ omnium necessitatibus plenarie subueniret. Videntes itaque nautæ per seruum Dei multa se mortis euasisse discrimina, tamquam qui maris horrenda pericula senserant, & miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis, & seruis mirabilem, & amabilem se ostendit. Cum autem relicto mari, terram perambulare cœpisset, iactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verũ, quia martyrij fructus adeò cor eius allexerat, vt pretiosã pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, vt Miramolino, & genti eius Christi Euangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, vt quamuis esset imbecillis corpore peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum festinus, & tamquam spiritu ebrius aduolaret. Sed cum iam vsque in Hispaniam perrexisset, diuina dispositione quę ipsum reseruabat ad alia, grauissima ei superuenit infirmitas, qua præpedit⁹, quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiens igitur vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamuis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oues suæ sollicitudini commendatas. Verum charitatis ardore spiritum ipsius ad martyriũ perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentauit. Tertiodecimo namque conuersionis suæ anno ad partes Syrię pergens, multis se periculis constanter exposuit, vt Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile erat exercituum castris hincinde in campo cominus ex aduerso locatis, vt via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem à Soldano edictum crudele, vt quicumque caput alicuius Christiani afferret, Bizantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus sperans in proximo finum adipisci posse propositum, diffiniuit iter arripere, mortis pauore non territus, sed desiderio prouocatus. Oratione namque præmissa, confortatus à Domino, confidenter illud propheticum decantabat: Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Assumpto igitur socio fratre Illuminatio nomine, viro vtique luminis, & virtutis, cum iter cœpisset obuias habuit ouiculas duas, quibus visis exhilaratus vir sanctus, dixit ad socium: Confide frater in Domino, nam in nobis Euangelicum illud impletur: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Cum autem processissent vlterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui tamquam lupi celerius accurrentes ad oues, seruos Dei feraliter comprehensos crudeliter, & contemptibiliter pertractarunt, afficientes conuitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter & attritos ad Soldanum diuina disponente prouidentia, iuxta viri desiderium perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret, à quibus & ad quid, & qualiter missi essent, & quomodo aduenissent, intrepido corde respondit Christi seruus Franciscus Non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum, vt ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tãta virtute animi, tantoque feruore spiritus prædicto Soldano prædicauit, Deum trinum, & vnum, & Saluatorem omnium Iesvm Christum, vt Euangelicum illud in ipso claresceret, veraciter esse completum: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & cõtradicere omnes aduersarij vestri. Nam, & Soldanus admirandum in viro Dei feruorem spiritus conspiciens & virtutẽ, libenter ipsum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo instãtius inuitabat. Christi vero seruus superno illustratus oraculo: Si vis, inquit conuerti tu cum populo tuo ad Christũ, ob illius amorem vobiscum libenter cõmorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere: iube ignem accendi permaximum, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel sic cognoscas, quæ fides certior, & sanctior non immerito tenenda sit. Ad quem Soldanus, non credo, quod aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandã exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quendam de presbyteris suis virum authenticum, & longæuum, hoc audito verbo de suis conspectib. aufugisse. Ad quem vir sanctus: Si mihi velis promittere pro te, & populo tuo, quod ad Christi cultum si ignem

Marginal notes: 1.Cor.13.a; 1.Ioan.4.d; Psal.22.b; Matt.10.b; Luc.21.d

illēius exiero venatis: ignem solus introibo. Et si combustus fuero, imputetur peccatis meis. Si autem diuina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem, & sapientiam, verum Deum, & Dominū Saluatorem omnium agnoscatis. Soldanus autē optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionē populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quæ vir Dei non mūdanarum rerū, sed salutis animarū auidus, spreuit omnia quasi lutū. Soldanus autem videns virum sanctum tam perfectū rerum mundialium cōtemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipsum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogauit tamen deuote famulū Christi, vt prædicta susciperet pro salute ipsius Christianis pauperibus vel Ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pōdus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam se non proficere in conuersione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium diuina reuelatione præmonitus remeauit. Sic itaque Dei ordinante clementia, & sancti viri promerente virtute, misericorditer, & mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inueniret, vt & merito non careret optati martyrij, & insigniendus seruaretur in posterum priuilegio singulari. Sic vtique factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, vt post potentius euaporaret in carne. O vere beatum virum, cuius caro, & si tyrannico ferro non cæditur: occisi tamen agni similitudine non priuatur. O (inquam) vere ac plene beatum, cuius animam, & si gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.

CAPVT X.

De studio, & virtute orationis.

SEntiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, cum iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum Angelorum conciuis iam factus, feruenti desiderio quærebat dilectum, à quo solus eū carnis paries disiungebat. Erat, & operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat fratres suos ad eius studium excitabat. Nam ambulans, & sedens intus, & foris, laborans, & vacans, orationi adeo erat intentus, vt illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis, & corporis, verum etiam operis, & temporis dedicasse. Solitus erat nullam visitationem spiritus, cum negligentia præterire. Siquidem, cum offerebatur, sequebatur eam, & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, diuini spiritus aliquos sentiret afflatus sociis præcedentibus, gradum figebat, nouamque inspirationem ad fruitionem conuertens, gratiam non recipiebat in vacuum. Suspendebatur multotiens tanto contemplationis excessu, vt supra semetipsum raptus, & vltra humanum sensum aliquid sentiens quid ageretur circa se exterius ignoraret. Transiens namque semel per Burgum sancti Sepulchri, castrum vtique populosum, pro debilitate corporis subuectus asello, obuias habuit turbas in eum præ deuotione ruentes. Tractus autem, & detentus ab eis, compressus quoq; ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus, de his quæ fiebāt circa ipsū nihil penitus aduertebat. Vnde cum iamdiu transito castro, turbisque relictis peruenisset ad quoddam domicilium leprosorū, quasi aliunde rediens cœlestium contēplator, sollicite requisiuit, quando propinquarēt ad Burgum. Mens quidem ipsius in cœlestibus fixa splendoribus varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum eius experientia multiplex comprobauit. Et quia in oratione perceperat sancti Spiritus desideratam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus inuenit elongatos à strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quærens, ad solitudines, & Ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. Vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus cælestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, & feruentior reddebatur in prece, fidenter dicēs ad Christum: Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt. Ad dęmones autem, Facite quidquid in me valetis maligni spiritus, & fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat, & ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreuerit, cum omni iucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi dęmones non ferentes abscedebant confusi. Vir autem Dei solitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat iudici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque à fratribus ipsum pie obseruantibus aliquotiens auditus est clamorosis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clemētiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, toto corpore subleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi, & occulta diuinæ sapientiæ pandebantur, quamuis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi vrgebat charitas, & proximorum vtilitas exigebat. Dicebat enim: Leui mercede rem impretiabilem contingit amitti, & illum, qui dedit ad non dandū iterum facile prouocari. Quando à priuatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat cōformare se ceteris, ne forte quod foris ostenderet, aura fauoris intus à mercede euacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus à Domino, semper aliquid obiiciebat astantibus: ne sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus orans inter fratres deuitabat omnino, siue quia diligebat secretum: siue quia ad interiora reintrans totus ferebatur in Deum. Sæpe talia familiaribus dixit: Quando seruus Dei orans visitatur diuinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori, & indigno de cœlo misisti Domine, & ego illam tuæ committo custodię: quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione reuertitur, sic debet se pauperculum, & peccatorem ostendere, ac si nullam sit nouam gratiam consecutus. Orante autem viro Dei in loco de Portiuncula, contigit Assisinatem Episcopum venire ad eum, vt erat solitus, visitandum. Qui mox, vt locum fuit ingressus ad cellam in qua Christi seruus orabat plus debito fidenter accessit. Pulsoque ostiolo intraturum se ingerens, dum caput immisit, sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris etiam loquelam amisit. Subitoque voluntate diuina per vim foras propulsus retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus Episcopus ad fratres festinauit, vt potuit, Deoque sibi restituente linguam: primo verbo confessus est culpam. Contigit tempore quodam Abbatem monasterij S. Iustini de Episcopatu Perusij obuiare famulo Christi. Quo viso Abbas deuotus celeriter de equo descendit, vt, & viro Dei reuerentiam faceret, & de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem habita collatione suaui Abbas abscedens, orari pro se humiliter petiit. Cui vir Deo charus re-

Psalm. 16.

rus respondit: Orabo libenter. Parum itaque discedente Abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium: Expecta frater modicum: quia debitum volo soluere, quod promisi. Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu: ita quod in excessu mentis effectus: totus à seipso in Deum defecit. Parua morula substitit: & in se reuersus, virtutem orationis S. Francisci cognouit. Maiori proinde circa ordinem semper amore flagrauit: multisque factum pro miraculo retulit. Solitus erat vir sanctus horas canonicas non minus timorate Deo persoluere, quam deuote. Nã licet oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum psalleret: sed horas semper erectus, & sine caputio, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua syncopa persoluebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, huiusmodi consuetudinem reuerentem, & sacram propter pluuiarum inundantiam non omittens. Dicebat enim. Si quiete comedit corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Grauiter etiam se putabat offendere si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in vsum conuerterat, vt rarissime muscas huiusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum vnum, vt minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus feruore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impediuit. Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet: & cum nomen Domini in eis occurreret, præ suauitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen non solum cogitatum, verum etiam prolatum, & scriptum, reuerentiâ volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando vt omnes schedulas scriptas vbicumque repertas colligerent, mundoq; loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem IESV cum exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari: ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Contigit autem anno tertio ante obitum suum, vt memoriam Natiuitatis pueri IESV ad deuotionem excitandam apud Castrum Grecij disponeret agere cum quanta maiori sollẽnitate valeret. Ne vero hoc leuitati posset ascribi, à summo Pontifice petita, & obtenta licentia, fecit præparari præsepiũ, apportari fenũ, bouem, & asinum ad locũ adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, personat sylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis, & claris, laudibusque sonoris, & consonis, splendens efficitur, & solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de Natiuitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet: puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus, & verax qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus Dominus Ioannes de Grecio se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem: quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis excitare videbatur à somno. Hanc siquidem deuoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit: sed, & designata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum à mundo excitatiuum est cordium in fide Christi torpentium: & fenum præsepij reseruatum à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsiuum pestium diuersarum, glorificante Deo per omnia seruum suum, sanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

CAPVT XI.

De intelligentia Scripturarum, & spiritu prophetiæ.

AD tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat: vt quamuis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam: æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, & vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris sacris, & quod animo semel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ deuotionis ruminabat affectu. Quærentibus aliquando fratribus, vtrum sibi placeret quod litterati iam recepti ad ordinem intenderent studio sacræ Scripturæ. Respondit: Mihi quidem placet: dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant, nec tamen studeant, vt sciant qualiter debeant loqui: sed vt audita faciant, & cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos euangelicos esse: sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, vt simplicitatem columbinam à prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto coniunxit. Interrogatus Senis à quodam religioso viro Theologiæ sacræ doctore de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, diuinæ sapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer stuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret: Vere Theologia sancti Patris istius puritate, ac contemplatione tamquam alis in altum subuecta est aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram. Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, & abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si vir sanctus Scripturarum à Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, & per sancti Spiritus vnctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde. Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, vt præuideret futura, & cordium contueretur occulta: absentia quoq; velut præsentia cerneret, & se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus: aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cum igitur die belli, Christiani pararentur ad pugnam: hoc audito Christi seruus vehementer ingemuit, dixitque socio suo: Si belli fuerit attentatus ingressus ostendit mihi Dominus non prospere cedere Christianis, verum si hoc dixero, fatuus reputabor: si tacuero, conscientiam non euadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius eius dicens: Frater pro minimo tibi sit vt ab hominibus iudiceris: quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, & Deum magis time, quam homines. Quo audito: exiliens Christi præco salutaribus monitis Christianos aggreditur: prohibet bellum, denuntiat casum. Fit veritas in fabulam: indurauerunt cor suum, & noluerunt reuerti. Itur, committitur, & bellatur, totaque in fugam vertitur militia Christiana: finem belli opprobrium regerẽs, non triumphum. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, vt circa sex millia fuerint inter mortuos, & captiuos. In quo euidenter innotuit quod spernenda non erat sapientia pauperis: cum anima viri iusti annuntiet aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. Eccl. 37. c

Alio quoque tempore cum post reuersionem ipsius de vltra mare, Celanum prædicaturus accederet, miles

quidam supplici cum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultauit in ingressu. Ante vero quam cibum sumerent iuxta solitum morem, vir mente deuotus offerens Deo preces, & laudes, oculis stabat eleuatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter aduocatum in partem, sic allocutus est. Ecce frater hospes, tuis victus precibus vt manducarem, domum tuam intraui. Meis nunc cito monitis acquiesce: quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod vere ridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem: quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti. Acquieuit continuo vt ille sermonibus sancti: socioque ipsius vniuersa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, & ad mortem suscipiendam, se quantum valuit, præparauit. Intrauerunt tandem mensam, & incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalauit, iuxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est hospitalitatis gratia promerente, vt iuxta verbum veritatis Prophetam recipiens mercedem Prophetæ acciperet: dum per Sancti viri pronuntiationem propheticam miles ille deuotus sibi contra mortis subitationem prouidit: quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem euaderet, & in æterna tabernacula introiret.

Matth. 10. d

Tempore quo vir sanctus Reate iacebat infirmus: præbendarius quidam nomine Gedeon lubricus, & mundanus infirmitate graui correptus, lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, vt ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille: Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus iudicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter deuotas intercedentium preces, signo te crucis signabo, in nomine Domini. Tu tamen scito te grauiora passurum, si ad vomitum redieris liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis semper peiora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis super eum facto, statim qui contractus iacuerat, surrexit sanus: & in laudem Dei prorumpens. Ego (inquit) sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum eius audientibus cunctis veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero quodam cœnasset in domo cuiusdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Ceteris autem euadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Iusto igitur Dei iudicio facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum: cum de accepta venia gratum esse oporteat, vt duplo displiceat flagitium iteratum.

Alio quoque tempore mulier quædam nobilis Deo deuota venit ad sanctum, vt suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem aduersarium patiebatur in seruitio Christi: & ideo petebat à sancto quatenus oraret pro illo, vt sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero hoc audiens, ait illi: Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. Et adiecit: Dices ei ex parte Dei, & mea quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta reuertitur mulier, inuenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus sanctus, & nouum factum de veteri, sic facit cum mansuetudine respondere: Domina seruiamus Domino, & saluemus animas nostras. Suadente igitur sancta vxore, pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt. Miranda certe in viro Dei spiritus prophetici virtus, qua, & membris iam arentibus restituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem: quamquam non minus eiusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorum præcognoscebat euentum, vt etiam conscientiarum scrutaretur arcanum: quasi alter Elisæus duplicem Eliæ spiritum assecutus.

Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quædam superuentura finaliter prædixisset, & vir ille peritus, de quo supra mentio facta est, quod de scripturis cum eo conferebat aliquando: his auditis ab eodem sancto patre dubitando perquireret: an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognouerat: non solum se illa dixisse asseruit: verum etiam quærenti alienum euentum proprium exitum prophetando prædixit. Quod vt certius co[illegible]ius imprimeret quendam secretum conscientiæ illius scrupulum quem nulli viuenti vir præfatus expresserat, mirabiliter reuelando explicuit, & salubriter consulendo reserauit. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille religiosus sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummauit.

Eo quoque tempore quo reuertebatur de vltra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit eum fatigatum, & lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, & ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanum aliquid passus: Non de pari ludebant parentes eius, & mei. En ipse equitat, & ego pedester asinum eius duco. Hoc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, & ait: Non frater conuenit vt ego equitem, tu venias pedes: quia nobilior, & potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illico frater, & rubore suffusus, deprehensũ se recognoscens, procidit ad pedes ipsius. & lacrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

Frater quidam Deo deuotus, & famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu: quem vero tamquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputandum à Deo. Cum igitur cogitationis huiusmodi crebrius vexatus impulsu viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum reuelaret alicui, aduocans eum ad se, dulciter Pater pius sic allocutus est: Nulla te turbet cogitatio fili: quoniam te charissimum habens inter præcipue mihi charos libenter tibi munus meæ familiaritatis, & dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque deuotior ex deuoto, non solum in amorem creuit hominis sancti, verum etiam per Spiritus sancti gratiæ munus, donis est maioribus cumulatus. Cum autem in monte maneret Aluernæ cella reclusus, vnus è sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius breuiter annotatum. Grauem enim qua vexabatur tentationem non carnis, sed spiritus ex hoc credebat euadere, vel certe leuius ferre. Tali desiderio languens anxiabatur interius: quia verecundia victus reuerendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, Spiritus reuelauit. Portari namque sibi iussit à fratre prædicto atramentum, & chartam, laudesque Domini iuxta fratris desiderium propria manu scripsit, & vltimo benedictionem ipsius, dicẽs: Accipe tibi chartulam istam, & vsque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, & statim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur littera, & cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

Frater quidam erat quantum à foris videbatur, sanctitate præclarus, conuersatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium obseruabat, quod consueuerat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum Patrem venire ad locum videre fratrem, & de ipso cum aliis fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus, & magnificantibus illum: respondit vir Dei: Sinite fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, & deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc

fratres tamquam impossibile iudicantes quod tot per fectionis indiciis fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies eo religionem egresso euidenter apparuit quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis eius secreta perspexit. Multorum quoque per hûc modum qui stare videbantur ruinam, sed, & plurium peruersorum conuersionem ad Christum immobili veritate prænuntians appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum: cuius fulgore mirabili absentia corporaliter tamquam si essent præsentia mentis eius cernebat obtutus.

Quodam namque tempore Vicarius suus tenebat capitulum: ipse vero in cella orans, sequester erat, & medius inter fratres, & Deum. Cum igitur vnus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ: videns hoc vir sanctus in spiritu, vocauit quemdā de fratribus, & dixit ad eum: Vidi frater diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem astrictum, qui tali sessore subactus, obediētiæ freno spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, vt obedientiæ sanctæ iugo collum sine mora submittat. Monitus per internuntium frater, statimque conuersus ad Deum, ad pedes Vicarij humiliter se proiecit.

Alio quoque tempore contigit duos fratres ad eremitorium Grecij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedictionem multo desideratam iam tempore reportarent. Venientes autem, & non inuenientes, quia de publico iam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum aduentu, vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset præter solitum morem egressus è cella, clamauit post eos: & iuxta quod optauerant, signo crucis facto in Christi nomine benedixit.

Duo fratres venerunt aliquando de Terra laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala iuniori. Cum autem peruenissent ad Patrem, quæsiuit ille à iuniori qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondente vtique satis bene, subiunxit: Caue frater, ne sub humilitatis specie mentiaris: scio enim: sed expecta modicum, & videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognouisset. Igitur non post multos dies contempta religione, foras egreditur qui scandalum fecerat fratri, & à Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam. Simulque duo in vna illius claruere ruina: æquitas, scilicet diuinæ iustitiæ, & perspicacitas spiritus prophetiæ. Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit diuina faciēte virtute, euidēter ex superiorib. innotescit, si reuocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit, & quomodo se Arelatensi capitulo in crucis effigie præsentauit. Quod factum esse diuina dispositione credendum est, vt ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter clarescerct, quam præsens, & peruius spiritus eius luci sapientiæ foret æternæ, quæ omnibus mobilibus mobilior est: & vbique attingens propter sui munditiam per nationes in animas sanctas se transfert, & Dei amicos, & prophetas constituit. Simplicibus, & paruulis sua solet pandere mysteria doctor excellus: Sicut prius apparuit in Dauid Prophetarum eximio, & post in Apostolorum principe Petro, & tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim cum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt sancti Spiritus eruditione illustres. Is quidem pastor vt gregem pasceret Synagogæ de Ægypto eductum: iste piscator vt sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credentium: hic autem negotiator, vt margaritam emeret euangelicæ vitæ, venditis, & dispersis omnibus propter Christum.

Sap. 7. 8

CAPUT XII.

De efficacia prædicandi, & gratia sanitatum.

Fidelis re vera famulus, & minister Christi Franciscus vt cuncta fideliter, & perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quæ sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognouerat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cuiusdam agoniam incidere: quam multis diebus ab oratione rediens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid (inquit) fratres consulitis, quid laudatis? an quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Siquidem ego paruulus simplex, & imperitus sermone, maiorem orandi accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum, in prædicatione distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad vnum verum, & summum bonum cum vigoratione virtutis. In prædicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, & audimus: & quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conuersamur. In prædicatione multa oportet condescensione vti ad homines, & humane inter eos viuendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed vnum est in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet vnigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, vt suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis, & pretio redimeret, & emundaret lauacro, & poculo sustentaret, nihil sibi omnino reseruans quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quæ videmus in ipso tamquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete foras egrediar ad labore. Cumque per multos dies verba huiusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret, vt Christo vere acceptius eligendum. Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissoluere non valebat ad liquidum, Deo melius prouidente, vt prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, & serui Christi humilitas seruaretur. Non erubescebat à minoribus parua quærere verus minor, qui magna didicerat à magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deseruire. Hæc summa eius philosophia, hoc summum eius desiderium extitit quoad vixit, vt quæreret à sapientibus, & simplicibus, perfectis, & imperfectis, paruulis, & grandæuis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius peruenire valeret. Assumens itaque duos ex fratribus misit ad fratrem Siluestrū, qui crucem egredientem viderat de ore ipsius: & tunc in montem supra Assisium iugiter orationi vacabat, vt diuinum super dubitatione huiusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandauit sacræ virgini Claræ, vt per aliquam puriorem, & simpliciorem de Virginibus sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordauerunt autem mirabiliter in idipsum superno eis reuelante Spiritu venerabilis sacerdos, & virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse diuini, quod Christi præco ad prædicandum exiret. Reuertentibus itaque fratribus, & Dei iuxta quod acceperant indicantibus voluntatem, exurgens continuo succinxit se, & nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto feruore, vt diuinū exequeretur imperiū, tamq; celeriter percurrebat, ac si facta manu Dei super eum nouam induisset è cœlo virtutem. Cum igitur appropinquaret Beuanium ad quendam locum deuenit, in quo diuersi generis auium maxima multitudo conuenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, ala

criter cucurrit ad locum, & eas velut rationis participes salutauit. Omnibus vero expectantibus, & conuertentibus se ad eum, ita vt quæ in arbustis erant, inclinatis capitib. cum appropinquaret ad eas insolito modo in ipsum intenderent, vsque ad eas accessit, & omnes vt verbum Domini audirent, sollicite admonuit, dicens: Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, & sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc, & his similia loqueretur, auiculæ modo mirabili gestientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, & in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus feruore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamē de loco aliqua mota est, donec signo crucis facto, & licentia data cum benedictione viri Dei, omnes simul aduolarunt. Hæc omnia contuebantur socij expectantes in via Ad quos reuersus vir simplex, & purus, pro eo quod non hactenus auibus prædicauerat, cœpit se de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Aluianum, vbi congregato populo, & indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garritibus perstrepentes audiri vix poterat. Quas vir Dei omnibus audientibus allocutus est, dicens: Sorores meæ hirundines iam tempus est, vt loquar, & ego, quia vos vsque modo satis dixistis. Audite verbum Dei tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. At illæ tamquam intellectus capaces subito tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur qui viderunt, stupore repleti glorificauerunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reuerentiam, & fidei deuotionem accendit.

In ciuitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonæ cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cuiusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios: Hæc hirundo vna de illis est quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando donec silentium eis imponeret, molestabant, & conuersus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine serui Dei Francisci præcipio tibi, vt ad me veniens continuo conticescas. At illa Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, & statim conticuit, & ipsius manibus tamquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit, & eius garritum amplius non audiuit.

Alio quoque tempore, cum famulus Dei Caietæ semel prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione ruentibus, vt eum contingerent: horrens Christi seruus tantum populorum applausum in vnam hærentem littori nauiculam prosiliuit solus. Illa vero tamquam si rationis particeps motore moueretur intrinseco sine aliquo remige, cernentibus, & mirantibus cunctis, se longius à terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis quamdiu vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicauit. Cumque audito sermone, & viso miraculo, ac benedictione accepta multitudo recederet, ne ipsum amplius molestaret, nauicula proprio ductu ad terram reuersa est. Quis igitur obstinatæ mentis esset, & impiæ, qui prædicationem Francisci contemneret, cuius miranda fiebat virtute vt non solum carentia ratione, disciplinam susciperent, verumetiam inanimata corpora tamquam animata prædicanti seruirent?

Aderat equidem seruo suo Francisco, ad quæcumque pergeret is qui eum vnxerat, & miserat Spiritus Domini, & ipse Dei virtus, & sapientia Christus, vt sanæ doctrinæ verbis afflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum eius, velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis afflatū redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa, & Cardinalibus ad suggestionem Domini Ostiensis, sermonem quendam studiose compositum commendasset memoriæ, stetissetq; in medio vt ædificationis verba proponeret: sic obliuioni tradidit omnia, vt effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hæc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus sancti gratiam inuocandam, tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potent: virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, vt aperte clareret quod nō ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timēs, veritatem fidentissime prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fouere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur, & paruis eademque spiritus iucunditate paucis loquebatur, & multis. Omnis ætas, omnisque sexus, properabat virum nouum mundo cœlitus datum, & cernere, & audire. Ipse vero per diuersas regiones progrediens euangelizabat ardēter, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. In virtute namque nominis eius veritatis præco Franciscus eiiciebat dæmonia, sanabat infirmos, & quod maius est, sui sermonis efficacia obstinatorum mētes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat, & cordibus, sicut aliqua comprobant operum eius, exempli gratia inferius annotanda.

Mar. 16. d

In ciuitate Tuscanella à milite quodam hospitio deuote susceptus, filium eius vnicum à natiuitate contractum ad multam ipsius instantiam, manu alleuans, sic subito incolumem reddidit, vt videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, & puer sanus effectus, & fortis confestim exurgeret ambulans, & exiliens & laudans Deum.

In ciuitate Narniensi cum paralyticum quendam membrorum omnium destitutum officio, signo crucis à capite vsque ad pedes ad instantiam signasset Episcopi, perfecte restituit sanitati.

In Episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus à quattuor annis, vt nullo modo propria crura cernere posset, à matre cum lacrymis præsentatus eidem, statim vt vir sanctus tetigit eum manibus sacris incolumis est effectus.

Apud ciuitatem Ortensem puer vnus ita conglomeratus, vt caput pedibus portaret applicitum, & haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito extensus extitit, & illico liberatus.

Mulier quædam ciuitatis Eugubij ambas contractas, & aridas habens manus, adeo vt nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium eius, & pauperum quasi altera socrus Simonis propriis manibus præpararet.

Puellæ cuidam in castro Beuanij, oculorum priuatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine sputo suo ter ipsius oculos liniuisset, lumen concupitum restituit.

Mulier quædam ciuitatis Narnij, oculorum cæcitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperauit optatam.

Bononiæ puer quidam vnum oculorum macula adeo habens obtectum, vt nihil prorsus videre posset, nec aliquo iuuari remedio, post signum crucis à capite vsque ad pedes per seruum Domini sibi factum, visum recuperauit tam limpidum, vt postmodum Fratrum Minorum ordinem ingressus, se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano.

In castro sancti Gemini seruus Dei à quodam deuoto viro susceptus hospitio, cuius vxor à dæmonio vexabatur post orationem factam in virtute obedientiæ imperauit dæmoni vt exiret, eumque potestate diuina tam subito effugauit, vt vere clarescerit quod obedientiæ sanctæ virtuti peruicacia dæmonum non obsistat.

In ciui-

In ciuitate de Castello, quidam furibundus, & nequam spiritus quandam obsidens mulierem, à viro sancto obedientiæ accepto mandato, indignabundus discessit, mente simul & corpore liberam obsessam prius feminam derelinquens.

Frater quidam infirmitate tam horribili grauabatur, vt magis esse vexatio dæmonis, quam naturalis infirmitas à pluribus firmaretur. Nam totus sæpe allidebatur, & volutabatur spumans, membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis, nunc tortis, nunc rigidis effectis & duris. Quandoque totus extensus & rigidus, pedibus æquatis capiti leuabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter & irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi seruus commiserans, buccellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit ægro virtutem, vt deinceps huius infirmitatis molestiam non sentiret.

In comitatu Aretij cum diebus pluribus mulier quædam laborasset in partu, essetque iam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita superat remedium nisi Dei. Cum autem equo vectus propter corporis infirmitatem Christi famulus per partes illas transitum habuisset, contingit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo, cui vir sanctus insederat, extraxerunt frenum vt superponerent mulieri: ad cuius contactum mirificum omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute.

Vir quidam de Castro plebis, religiosus ac timens Deum, chordam apud se, qua cinctus fuerat, sanctus pater habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo varijs infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, & intincta chorda in aqua dabat bibere patientibus, sicque per hunc modū plurimi sanabantur. Sed & de panibus à viro Dei contractus gustantes ægroti, diuina operante virtute consequebantur celeriter remedia sanitatū. Cum his & alijs multis miraculorum prodigijs præco Christi prędicans coruscaret, attendebatur his, quæ dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogatiua virtutū, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cælitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio eius à Spiritu sancto prę ter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas à summo Pontifice non sine reuelatione concessa, insuper & regula, in qua forma prædicandi exprimitur ab eodem Christi Vicario confirmata, summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori eius impressa, tanquam testimonia decem, toti sæculo indubitanter affirmant. Christi præconem Franciscum & venerandum officio, & doctrina authenticum, & admirabilem sanctitate ac per hoc tanquam vere Dei nuntium Christi Euangelium prædicasse.

CAPVT XIII.

De stigmatibus sacris.

Gen. 28. c

MOs erat Angelico viro Francisco nunquam otiari à bono, quin potius instar supernorum spirituum in scala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum diuidere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud cōtemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Vnde cum secundū exigentiam locorum & temporum alienæ condescendisset procurādæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locūque quietis quo liberius Deo vacans, extergeret si quid pulueris sibi ex conuersatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cælo, diuina prouidentia duce, post labores multimodos perductus est in locū excelsum seorsum, qui dicitur Mons Aluernę. Cum igitur iuxta solitum morem, Quadragesimam ibidem ad honorem sancti Archangeli Michaelis ieiunare cœpisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non vt curiosus maiestatis perscrutator opprimendus à gloria, sed tanquam seruus fidelis & prudens inuestigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode summo peroptabat ardore. Immissum est igitur meti eius per diuinum oraculum: quod in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Christo, quid Deo in ipso, & de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa deuotione præmissa, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum vtique Deo deuotum & sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ baiulationem continuam, imbecillis iam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrij sustinentiam vigorosius animatus. Excreuerat quidem in eo insuperabile amoris incendium boni IESV in lampades ignis atque flammarum, vt aquæ multæ charitatem eius tam validam extinguere non valerēt. Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & compassiua dulcedine in eum trāsformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis dum oraret in latere montis, vidit Seraph vnum sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas de cælorum sublimitate descēdere. Cumq; volatu celerrimo peruenisset ad aeris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alias effigies hominis crucifixi in modum crucis manus & pedes extensos habentis & cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudiū cor eius incurrit. Lętabatur quidem in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat se conspici, sed crucis affixio compassiui doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc Domino reuelante, quod ideo huiusmodi visio sic diuina prouidentia suis fuerat præsentata conspectibus, vt amicus Christi prænosceret se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandū. Disparens igitur visio, mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed & in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperūt signa clauorū, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi cōspexerat. Manus enim & pedes in ipso medio clauis confixæ videbantur, clauorū capitibus in interiori parte manuum & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipsa vero acumina oblonga retorta, & quasi repercussa, quę de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebāt. Dexterum quoque latus quasi lācea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam & femoralia respergebat. Cernens autem Christi seruus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent: timens nihilominus publicare Domini sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, vtrum videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocauit proinde aliquos ex fratribus, & generabilibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, & consiliū requisiuit. Quidā vero ex fratribus gratia illuminatus, & nomine intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodū stupe-

Prou. 25. d

Cant. 8. b

factus, dixit ad virum sanctum: Frater non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando sacramenta diuina. Timendum propterea iure videtur, ne si quod pluribus profuturum accepisti, celaueris, pro talento abscondito reprehensibilis iudiceris. Ad cuius verbum motus vir sanctus, licet alias dicere solitus esset, Secretum meum mihi: tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ, addens quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viueret, alicui hominum aperiret. Credendum sane tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia quod forte non liceret hominibus ea loqui. Postquam igitur verus Christi amor in eandem imaginem transformauit amantem quadraginta dierum numero, iuxta quod decreuerat in solitudine cõsum mato, superueniente quoque solemnitate Archangeli Michaelis, descendit Angelicus vir Franciscus de monte secum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui. Et quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est: ideo secreti regalis vir conscius signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum, quia Dei est ad gloriam suam magna reuelare quæ facit Dominus ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quędam aperte per ipsa monstrauit, vt illorum occulta & mira vis stigmatum, manifesta pateret claritate signorum.

Tob.12.b

In Prouincia namque Reatina pestis inualuerat valde grauis, quæ oues & boues omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, vt ad eremitorium fratrum festinanter accederet, & loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem acceptam, super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens venit ad locum, loturaque huiusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oues & boues languentes ex ea respersit. Mirabile dictu. Statim vt aspersio animalia languida, & in terra iacentia quantumcunque paululum attingebat, pristino recuperato vigore surgebant continuo, & tanquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant. Sicque factum est, vt per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus à gregibus fugaretur Circa præfatum montem Aluernæ antequam vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terræ consuetudinarie deuastabat. Sed post illam apparitionem felicem nõ sine incolarum admiratione grando cessauit, vt cælestis illius visionis excellentiam & stigmatum ibidem impressorum virtutem serenati præter morem ipsa cæli facies declararet. Contigit quoque eum tempore hiemali propter debilitatem corporis, & asperitatem viarum hominis vnius pauperis subuectum asello sub rupis cuiusdam prominentis pernoctaret crepidine, vt niuis & noctis superuenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus, ad hospitij locum non valuerat peruenire. Cum autem vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hincinde seipsum iactare sensisset, tanquam qui tenui operimento contectus quiescere prę frigoris acerbitate nequibat, diuini amoris feruore succensus, manu illum protensa palpauit Mirabile certe. Repente illius sacrę manus contactum quæ seraphici calculi gerebat incendium omni fugato frigore tãtus in virum intus & extra calor aduenit, ac si quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nã illico & mente & corpore confortatus, suauius inter saxa, & niues vsque mane dormiuit, quam vnquam in proprio lecto pausauerat, sicut ipse postmodum asserebat. Certis itaque constat indicijs, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione seraphica purgat, illuminat, & inflammat, cum ipsa forinsecus expurgando à peste salutẽ, serenitatem, & calorem corporibus efficacia mira conferrent, sicut & post mortem euidentioribus est demonstratum prodigijs suo loco posterius annotandis. Ipse vero licet thesaurum inuentum in agro multa diligẽtia studeret abscondere: latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent & pedum, quamquam manus, quasi semper portaret contectas & pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim dum viueret, fratres plurimi, qui licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni: tamen ad omne dubium amouendum, sic esse ac se vidisse tactis sacrosanctis iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cũ viro sancto habebant aliqui Cardinales, laudes sacrorum stigmatũ, prosis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem veraciter inserentes, qui tam verbo, quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander cum populo prædicaret coram multis fratribus, & meipso, affirmauit se dum sanctus viueret, stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo deuotissima Clara cum ceteris sororibus suis & sæculares innumeri, ex quibus quemadmodum suo loco dicetur, quamplurimi & osculati sunt ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus ad testimonij firmitatem. Vulnus autẽ lateris tã sollicite occultauit, vt illud nemo posset, nisi furtim contueri dum viueret. Vnus etenim frater, qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, vt ad excutiendum extraheret tunicam induxisset, attente respiciẽs vidit plagam, cui etiã tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quã tactu vulneris quantitatem agnouit. Consimili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc tẽporis erat Vicarius eius. Frater vero socius mirandæ simplicitatis dũ infirmitatis causa languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa, & casualiter vulneri sacro illapsa, magnũ ei dolorem inflixit. Proinde portabat extunc femoralia ita facta, vt vsque ad ascellas pertingerent ad vulnus lateris contegendũ. Fratres quoq; qui illa leuabãt, vel tunicã excutiebant pro tempore, quia inueniebant ea sanguine rubricata indubitanter per euidẽs signum in cognitionẽ sacri vulneris peruenerunt, quod postmodum in morte reuelata facie, & ipsi cum alijs plurimis contẽplati simul & venerati sunt Eia nũc strenuissime miles Christi ipsius fer arma inuictissimi Ducis, quibus munitus, & insignitus, omnes aduersarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cuius intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur. Fer nihilominus sigillum summi Põtificis Christi, quo verba & facta tua tanquam irreprehẽsibilia & authentica, merito ab omnibus acceptentur. Iã enim propter stigmata Domini IESV, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus, quin potius quilibet Christi seruus omni esse tenetur affectione deuotus. Iam per hæc signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficiẽtiam, sed quãplurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, & igne charitatis accendunt. Iam vere impleta est prima visio quã vidisti, videlicet quod lux in militia Christi futurus armis deberes cęlestibus, signoque crucis insignibus decorari. Iam in principio tuæ cõuersionis crucifixi visio compassiui doloris gladio mentaliter te transfigens, sed & auditus vocis de cruce tanquam de throno Christi sublimi & secreto propitiatorio procedentis iuxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur. Iam in tuæ conuersionis progressu, & crucem quã vidit frater Siluester ex ore tuo mirabiliter procedentem, & gladios in crucis modũ tua viscera transfigentes, quos sacer vidit Pacificus, teque secundum crucis figuram in aere subleuatum, cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius, iuxta quod prospexit Angelicus vir Monaldus non phantastica visione, sed reuelatione fuisse cælica conspecta vere creditur & firmatur. Iam denique circa finem quod simul tibi ostẽditur, & sublimis similitudo Seraph & humilis effigies Crucifixi interius te incẽdens, & exterius te consignans,

tanquam

tanquam alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, qui signum in te habeas Dei viui, & prædictus dat firmitatem fidei, & ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce iam septem apparitionibus crucis Christi in te,& circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibetis & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, peruenisti. Christi namque crux in tuæ cõuersionis primordio tam proposita, quam assumpta,& dehinc in conuersationis progressu per vitã probatissimam baiulata in teipso continue, & in exemplum alijs demonstrata, tanta certitudinis claritate ostẽdit, Euangelicę perfectionis apicẽ te finaliter conclusisse, vt demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ in tuæ carnis puluere exaratã, nullus vere deuotus abijciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis paruipendat, cum sit vere diuinitus expressa,& omni acceptione condigna.

CAPVT XIIII.

De patientia ipsius,& transitu mortis.

CHristo iam igitur cruci confixus, Franciscus tam carne, quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum: verumetiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem saluandorum. Faciebat proinde quoniam propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuũ per ciuitates & castra circumuehi, vt ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: Incipiamus fratres seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusque iam præ labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutem. Proponebat Christo Duce se facturum ingentia,& fatiscentibus mẽbris spiritu fortis & feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphũ. Neque enim languor vel desidia locum habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum, erat concordia tanta obedientiæ prõptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed pręcurrere niteretur. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas ac continuas ęgritudines deductus est, vt consumptis iam carnibus quasi sola cutis ossibus cohęreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel grauius solito dolorum vrgeretur aculeis: quidam frater simplex dixit ad eum: Frater ora Dominum, vt mitius tecum agat, manum enim suam plus debito super te grauare videtur. Quo audito, vir sanctus cum eiulatu exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me diuina iudicia reprehẽsibilia iudicare. Et licet totus esset attritus grauis prolixitate languoris proiiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humũ, Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus de omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, vt centuplum, si tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, vt affligens me dolore non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterũ Iob viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis. Ipse autẽ obitum suũ longe ante præsciuit, dieque transitus imminente, dixit fratribus sui corporis tabernaculũ deponendum in proximo queád modum sibi fuerat reuelatum à Christo. Cum itaque per bienniũ ab impressione sacrorum stigmatũ, anno videlicet à sua conuersione vigesimo, multis fuisset angustiantium infirmitatũ probatus tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in superna Hierusalẽ ędificio collocãdus, & tanquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus: ad sanctam Mariam de Portiuncula se portare poposcit: quatenus vbi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quo cum fuisset perductus, vt veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo in illa infirmitate tam graui, quæ omni languori conclusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus feruore prostrauit: quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra saccina veste deposita, faciem solito more leuauit in cælum, & intendens illi gloriæ totus manu sinistra dextri lateris vulnus ne videretur, obtexit: & ait ad fratres: Ego quod meum est, feci: quod vestrum est, Christus edoceat. Illacrymantibus autem sociis sancti, qui miro fuerãt compassionis telo percussi: vnus ex eis quem vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius diuina inspiratione cognoscens, festinus surrexit, & acceptam cum chorda & femoralibus tunicam paupercu lo Christi obtulit, dicens: Hæc tibi tanquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus,& iubilat pręlętitia cordis: quoniam fidem tenuisse dominę paupertati vsque in finem se vidit: palmasque leuans ad cælum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis: qui pauper, & dolens,& nudus in cruce pependit. Propter quod, & in principio conuersionis suæ nudus remansit coram antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire: fratribusque sibi assistentibus in obedientia charitatis iniunxit, vt cum viderent eum iam esse defunctum per tam longum spatium nudum super humum iacere permitterẽt, quod vnius milliarij tractum suauiter quis perficere posset. O vere Christianissimum virum, qui & viuens Christum viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari. Hora denique sui trãsitus propinquante fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari,& eos consolatorijs verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad diuinum est hortatus amorem. De patientia, & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide seruandis sermonem protraxit, ceteris institutis sanctum Euangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis pro eo, quod hoc signum semper amabat: & omnibus fratribus tam præsentibus, quam absentibus in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper,& adiecit. Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio,& tribulatio appropinquat, felices qui perseuerabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero: cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiusmodi admonitione completa, iussit, Deo vir charissimus Euangeliorum sibi codicem apportari, & Euangelium secundum Ioannem, quod incipit eo loco: Ante diem festum paschæ sibi legi poposcit. (*Ioan.13.a*) Ipse vero prout potuit in huius psalmi vocem erupit: Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominũ deprecatus sum. (*Psal.76.a*) & ad finem vsque compleuit. Me, inquit, expectant iusti: donec retribuas mihi. Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, & in abyssum diuinæ claritatis absorpta, beatus vir obdormiuit in Domino: Vnus autem ex fratribus, & discipulis eius vidit animam illam beatam sub specie stellæ præfulgidæ à candida subuecta nubecula, super aquas multas in cælum recto tramite sursum ferri, tanquam sublimis sanctitatis candore prænitidam,& cælestis sapientiæ simul,& gratiæ vbertate repletã: quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis,& pacis, vbi cum Christo sine fine quiescit: Minister quoque fratrum in Terra laboris tunc erat frater August. vir vtique sanctus, & iustus, qui

qui in hora vltima positus, cum iam diu perdidisset loquelam, audientibus qui astabant, subito clamauit, & dixit: Expecta me pater, expecta ecce iam venio tecum. Quærentibus fratribus, & admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad cælum? Et statim sancta ipsius anima migrans à carne, patrem est secuta sanctissimum. Episcopus Assisinas ad oratorium sancti Michaelis in monte Gargano, tunc temporis peregrinationis causa perrexerat, cui beatus Franciscus apparens nocte transitus sui dixit: Ecce relinquo mundum, & vado ad cælum. Mane igitur surgens Episcopus socijs narrauit quæ vidit: & Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migrauit. Alaudæ aues lucis amicæ, & crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri cum iam esset noctis secuturæ crepusculum: venerunt in multitudine magna super tectum domus, & diu cum insolita quadam iubilatione rotantes, gloriæ sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare solitus erat, tam iocundum quam euidens testimonium perhibebant.

CAPVT XV.

De canonizatione, & translatione ipsius.

FRanciscus igitur seruus, & amicus Altissimi Ordinis Minorum Fratrum institutor & dux, paupertatis professor, pœnitentiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar, superna præuentus gratia, ordinato progressu ab infimis peruenit ad summa. Hunc virum mirabilem, vtpote paupertate prædiuitem, humilitate sublimem, mortificatione viuidum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante à sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, vt caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitijs in nouam iam creaturam transierat, & passionis Christi effigiem priuilegij singularitate præferret, & nouitate miraculi Resurrectionis speciem præmonstraret. Cernebantur quidem in membris illis felicibus claui ex eius carne virtute diuina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod dum à parte qualibet premerentur, protinus quasi nerui continui, & duri ad partem oppositam resultabant. Inuenta quoque fuit patentius in ipsius corpore non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Saluatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clauorum nigra quasi ferrum: vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quandam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat: candore nimio renitescens illius secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipsius adeo mollia & tractabilia se præbebant palpantibus, vt conuersa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, & quibusdam cernerentur euidentibus signis innocentiæ decorata. Cum igitur in candidissima carne, nigrescerent: plaga vero lateralis, vt vernans roseus flos ruberet: mirandum non est si tam formosa, & miraculosa varietas iocunditatem, & admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filij pro sub tractione tam amabilis patris: sed & non modica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum, & intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris, audientibus vero admirationis materia, & excitatio desiderij ad videndum. Audito siquidem transitu patris, & fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, vt id cerneret oculis, quod à ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet. Admissi sunt igitur Assisinates ciues quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, & labijs osculanda. Vnus autem ex eis miles quidem litteratus, & prudens Hieronymus nomine vir vtique famosus, & celeber, cum de huiusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus quasi Thomas, feruentius, & audacius coram fratribus, & alijs ciuibus mouebat clauos, sanctique manus & pedes, & latus manibus proprijs contrectabat, vt dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui, & omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod, & ipse inter alios huius veritatis tam certitudinaliter agnitæ testis constans postmodum effectus est, & tactis sacrosanctis iuramento firmauit. Fratres autem, & filij, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam in qua almus Christi confessor decessit, sic diuinis laudibus dedicarunt, vt non defunctorum exequiæ, sed Angelorum excubiæ viderentur. Mane autem facto, turbæ quæ conuenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis sacrum corpus ad ciuitatem Assisij detulerunt. Transeuntes vero per ecclesiam sancti Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in cælis, tunc inclusa cum virginibus morabatur ibique aliquantulum subsistentes sacrum corpus margaritis cælestibus insignitum, videndum, & osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, pretiosum thesaurum quem portabant in ecclesia sancti Georgij cum omni reuerentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicauit: postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transijt autem venerabilis pater ex huius mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimosexto, quarto nonas Octobris die Sabbati in sero: sepultus in die Dominico. Cœpit autem vir beatus continuo diuinæ faciei superirradiante respectu, magnis, & multis coruscare miraculis, vt sublimitas sanctitatis eius, quæ ipso viuente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ iustitiæ innotuerat mundo: illo iam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula diuinæ potentiæ comprobaretur è cælo. Cumque in diuersis orbis partibus gloriosa eius miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia plurimos ad Christi deuotionem accenderent, & ad ipsius sancti reuerentiam incitarent: acclamantibus tam linguis sermonem, quam operum, ad aures summi Pontificis domini Gregorij Noni, quæ per seruum suum Franciscum Deus operabatur, magnalia peruenerunt. Sane cum idem Pastor Ecclesiæ non solum ex miraculis auditis post mortem, verumetiam experimentis in vita ipsius oculis visis, & manibus contrectatis, sanctitatem eius mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cælis glorificatum à Domino nullatenus dubitaret: vt Christo cuius erat Vicarius concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrē, tanquam omni veneratione dignissimum pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum, de glorificatione viri sanctissimi, inuenta miracula, & conscripta, & testibus idoneis approbata examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales fauorabiles negotio videbantur. Quibus diligēter discussis, & ab omnibus approbatis, de fratrum suorum, & omnium prælatorum qui tunc erant in curia, cōsilio, & assensu canonizandum decreuit: veniēsque personaliter ad ciuitatem Assisij anno Dominicæ Incarnationis M. c c x x v i i j. decimo septimo calendas Augusti die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare solemnijs, beatum patrem catalogo sanctorum adscripsit. Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesi-

mo con-

mo conuenientibus fratribus ad Capitulũ generare Assisij celebratum ad basilicã in honore ipsius constructã, corpus illud Domino dedicatum octauo calendas Iunij trãslatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus bulla Regis Altissimi consignatus: miracula plurima ille cuius effigiem præferebat, operari dignatus est, vt per ardorem ipsius saluificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat re vera condignum, vt quem Deus in vita sibi placentem, & dilectum effectum, in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, vt Enoch, & ad cælum curru igneo per charitatis zelum rapuerat, vt Heliam, eius iam vernantis inter flores illos cælicos plantationis æternæ ossa illa felicia, de loco suo pullulatione mirifica redoleret. Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic à die transitus sui vsque in præsens, per diuersas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis diuina se potentia glorificante, coruscat. Nam cæcis, & surdis, mutis, & claudis, hydropicis, & paralyticis, dæmoniacis, & leprosis, naufragis, & captiuis, ipsius meritis remedia conferũtur, omnibusque morbis, necessitatibus, & periculis subuenitur. Sed & multis mortuis per ipsum mirifice suscitatis, innotescit fidelibus mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor, & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIVNT QVÆDAM DE MIRAculis ipsius post mortem ostensis.

Et primo, De virtute sacrorum Stigmatum.

AD omnipotentis Dei honorem, & gloriam beati patris Francisci. Post glorificationem ipsius in cælis aliqua ex approbatis scripturis miracula, ab illo præcipue c nsui sumendum fore initium, in quo crucis IESV virtus ostenditur, & gloria innouatur. Nouus igitur homo Franciscus nouo, & stupendo miraculo claruit, cum singulari priuilegio retroactis sæculis non concesso insignitus apparuit: sacris videlicet stigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis huius, corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit laude condigna. Totum quidẽ viri Dei studium tam publicum quam priuatum circa crucem Domini versabatur. Et vt crucis signaculo cordi eius à principio suæ conuersionis impresso corpus consignaret exterius in ipsa se cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit: crucis imaginem præferentem, quatenus sicut mens eius intus Dominum crucifixum induerat, sic & corpus eius indueret arma crucis: & in quo signo Deus potestates aëreas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed à principio temporis quo crucifixo militare cœperat, diuersa circa eum crucis perfulsere mysteria, sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit: qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi, tam cogitatu quam affectu, & actu, totus fuit in crucifixi effigiẽ per ipsius ecstaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus vltra omnem extimationem hominum condescendens suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, vt qui mirando fuerat crucis amore præuentus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad huius stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium, & palpantium testimonia per omnem modum credibilia: verumetiam apparitiones mirabiles, & virtutes post ipsius obitum coruscantes ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur. Felicis namque recordationis Dominus Gregorius Papa nonus, de quo vir sanctus prophetando prædixerat, quod ad dignitatem foret Apostolicam sublimandus: antequam crucis signiferum catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quendam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte vero quadam, sicut ipse felix antistes referebat cum lacrymis beatus ei Franciscus quadam faciei prætensa duritia in somnis apparuit, & hæsitationem cordis ipsius redarguens, eleuauit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque popoſcit ab ipso, vt scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam, quæ vsque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit deuotione affici, & æmulatione feruere, vt nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum seuera increpatione feriret.

Frater quidam ordine Minor, officio prædicator virtutis, & famæ prærogatiua præpollens, cui firmiter erat de sancti stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi huius apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cuiusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos sensualitate sumente vigorem, luctamen huiusmodi pateretur: nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, & patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina, quæ dubitationum sordes? Vide manus meas, & pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remoue, inquit, lutum à pedibus meis, & cognosce loca clauorum. Quos cum ille apprehendisset deuote, lutum sibi videbatur abstergere, locaq; clauorum manibus contrectare. Continuo, vt vigilat, lacrymis irrigatur, & priores affectus quodammodo lutulentos tam lacrymarum profluuio, quam publica confessione detersit.

In vrbe Roma matrona quædam morum claritate, ac parentum gloria nobilis, S. Franciscum in suum elegerat aduocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, vbi Patrem in abscondito exorabat. Die vero quadam dum orationi vacaret, considerans imaginẽ sancti sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum, & mirari. Sed non mirum si in pictura non erat quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causæ foret defectus huiusmodi mente sollicita pertractaret: ecce subito die quadam apparuerũt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa filiam suam Deo deuotam aduocauit protinus, requirens si absque stigmatibus vsque tunc imago fuisset. Affirmat illa, & iurat olim sine illis sacris stigmatibus extitisse, & nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum quia mens humana semetipsam frequenter impellit, vt cadat, & in dubium reuocat veritatem: subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte sic fuisset imago à principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addit, & secũdum Continuo namque disparentibus signis illis, nudata priuilegiis imago remansit, vt per sequens signum fieret probatio præcedentis.

In Catalonia quoque apud Illerdam accidit virum quendam nomine Ioannem beato Francisco deuotum quodam sero per quandam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ; non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis eius, & tunc erat, in comitatu ipsius. Exurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam lethaliter eum plagis plurimis gladiauit, vt nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Siquidem primo inflicta percussio humerum cum brachio pene totum absciderat, & ictus alius sub mammilla, tantam reliquerat aperturam, vt flatus inde procedens circa sex candelas simul iunctas extingueret. Cum igitur consilio medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, vt etiam ipsa eius vxor vehementer horreret, nullisque iam humanis iuuari posset remediis: conuertit se ad beati patris Francisci patrocinium quanta poterat deuotione poscendum, quem inter ipsos ictus vna cum beata Virgine fidentissime inuocaret. Et ecce misero in lectulo calamitatis solitario decubanti (cum Fran-

cisci nomen vigilans,& eiulans frequentius replicaret) astitit quidam in habitu fratris minoris, per fenestram, vt ei videbatur, ingressus. Qui vocans eum ex nomine, dixit: Quia fiduciam habuisti in me, ecce Dominus liberabit te. A quo cum æger quis esset, requireret, Franciscum ille se esse respondit. Et statim appropians vulnerum illius ligaturas resoluit,& eum vnguento per omnes plagas, vt videbatur, perunxit. Statim autem, vt sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Saluatoris virtute sanare valentium suauem contactum, expulsa putredine, restituta carne, & vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinæ sospitati. Quo facto beatus Pater abscessit. Et ipse sentiens se sanatum,& in vocem diuinę laudis, & beati Francisci lætanter erumpens, vocauit vxorem. At illa celerius currens, & stare iam videns quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore compleuit. Accurrentes autem sui cum illum niterentur tanquam freneticum in lecto reponere, & ille econtra renitens assereret, & ostenderet se sanatum, tanto sunt stupore attoniti, vt quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent quod videbant, quia quem pauloante cōspexerant plagis atrocissimis laniatum, & totum iā marcidum, plena cernebant incolumitate iocundū. Ad quos ille, qui factus fuerat sanus: Nolite timere, inquit, nolite credere, inane, quod cernitis, quia sanctus Frāciscus modo à loco recessit, & illarum sacrarum manuū tactu me integre ab omni plaga curauit. Crebrescente tandē huius fama miraculi, accelerat populus omnis, & videntes in tam aperto prodigio stigmatum beati Francisci virtutem admiratione simul,& gaudio replebantur, Christique signiferum magnis laudum præconijs extollebant. Digne quidem beatus pater carne iam mortuus,& viuens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili, & manuum sacrarum palpatione suaui, vulnerato lethaliter viro sanitatem concessit, cum illius etiam in se stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, & mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum, & semiuiuum relictum, plagarum suarum virtute sanauit.

Apud potentiam Apuliæ ciuitatem, erat quidam clericus Rogerius nomine, vir honorabilis, & Ecclesiæ maioris Canonicus. Hic cum infirmitate quassatus die quadam Ecclesiam oraturus intrasset, in qua erat imago beati Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimitate miraculi tanquam de re omnino insolita & impossibili dubitare. Subito igitur dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca grauiter se sentit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balista, moxque tam vulnere sauciatus, quam sonitu stupefactus chirothecam de manu traxit, vt visu dignosceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagā, quasi sagittæ percussione inflictam: ex qua tāta vis procedebat ardoris, vt videretur ex illo deficere. Mirabile dictu. Nullum in chirotheca vestigium apparebat, vt latenti plagæ cordis, latenter inflicta pœna vulneris respōderet. Clamat exinde per duos dies & rugit, dolore grauissimo stimulatus, & increduli cordis velamen explicat vniuersis. Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur & iurat, contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter sanctum Dei per sacra sibi stigmata subuenire,& multas cordis preces multo impinguat profluuio lacrymarū. Mirum certe. Incredulitate proiecta, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ, sicque factum est, vt latens mentis infirmitas per patens carnis cauterium superna prouidente clementia curaretur, mēteque sanata, & ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo deuotus, sancto & fratrum ordini perpetua familiaritate subiectus. Huius rei tam sollemne miraculū iuramentis firmatum fuit, & litteris sigilli Episcopi munimine roboratis, ipsius ad nos notitia delata peruenit.

De sacris ergo stigmatibus nullus sit ambiguitati locus nullius in hoc, quia Deus bonus est, nequam sit oculus, quasi huiusmodi doni largitio sempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore seraphico multa membra capiti cohærerent Christo, vt & in bello simili armatura inuenirentur condigna, & in regno ad similem forent gloriam subuehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi gloriam diceret pertinere.

De mortuis suscitatis.

IN Castro montis Marani prope Beneuentum, mulier quædam sancto Francisco peculiari deuotione cohærens, viam vniuersæ carnis intrauit. Conuenientibus autem clericis nocte ad exequias & vigilias cum Psalterijs decantandas, subito cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, & vnum de astantibus sacerdotem, patrinum videlicet suum aduocauit, dicens: Volo confiteri pater. Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniam peccatum quod tibi pādam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me sancto Francisco, cui dum viuerem, deuota mente seruiui: redire nunc ad corpus indultum est mihi, vt illo reuelato peccato, sempiternam promerear vitā. Et ecce vobis videntibus postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergo sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quiete se in lecto collegit,& in Domino feliciter obdormiuit.

In Castro Parmarco in montanis Apuliæ posito, patri & matri vnica erat filia in tenera ætate tenere prædilecta. Qua infirmitate graui ad mortem perducta, parentes eius successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Conuenientibus ergo consanguineis & amicis ad flebile nimis funus, iacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, & absorpta suprema tristitia, de his quæ fiebant nihil penitus aduertebat. Interim sanctus Franciscus vno tantum socio comitatus apparēs desolatam visitare dignatus est feminam, quam sibi senserat esse deuotam, & pijs eam affatus alloquijs, Noli flere, inquit, nam lucernæ tuæ lumen quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendum. Surrexit continuo mulier, & quæ sibi dixerat sanctus omnibus manifestans, non permisit extinctum corpus efferri, sed cum magna fide, sancti Francisci nomen inuocans, & mortuam filiam apprehendens, viuam & incolumen cunctis videntibus & mirantibus alleuauit.

Cum fratres de Noceria peterēt quoddam plaustrum à quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, stulte respondit eis, pro petito subsidio irrogando conuitium,& pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam iaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, diuino super eum irruente pauore, ne forte vltio Domini sequeretur, sicut & fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus cōtinuo primogenitus eius, paruo elapso spatio spiritum exhalauit. Volutabatur per humum pater infelix, & sanctum Dei Franciscum vocare non cessans cum lacrymis exclamabat: Ego sum qui peccaui, ego qui inique locutus sum, me in persona propria flagellare debuisti. Redde sancte iam pœnitenti, quod abstulisti impie blasphemāti. Tibi me reddo: tuis me obsequijs semper expono: nam & deuotum sacrificium laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mirares. Ad hæc verba surrexit puer,& planctum prohibens, se morientem eductum de corpore, per beatum Franciscum deductum asseruit & reductum.

Cuiusdam vrbis Romæ notarij puerulus vix septennis matrem ad ecclesiam sancti Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur à matre per finistram palatii se proiecit, & vltima quassatione collisus, continuo spirauit. Mater vero quæ nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis præcipitium pignoris suspicata celeriter rediit, filiumque repentiens tam miserabili casu repente subtractum, proti-

nus si-

nus sibiipsi manus iniecit vltrices, ac dolorosis clamoribus totam excitauit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, nomine Raho de ordine Minorum illuc se ad prædicandum conferens, propinquauit ad puerum, & fide plenus ait ad patrem: Credis ne sanctum Dei Franciscum posse filium tuum à mortuis suscitare, propter amorem, quem semper ad Christum habuit pro reddenda vita hominibus crucifixum? Quo respondente se firmiter credere, & fideliter confiteri seruum sancti in perpetuum se esse futurum, si tantū à Deo munus per ipsius merita recipere mereretur: prostrauit se frater ille cū fratre socio in oratione, ceteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto, cœpit puer aliquantulum oscitare, & apertis oculis, brachiisque eleuatis, seipsum erexit, & statim coram omnibus ambulauit incolumis, per mirandam sancti virtutem vitæ simul redditus & saluti.

In ciuitate Capuæ dum puer quidam super ripā Vulturni fluminis cum pluribus iocaretur, incautus cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepeliuit: proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo conuenit. Cumque vniuersus populus suppliciter & deuote beati Francisci merita inuocaret, vt deuotorum sibi parentum fidem aspiciens prolem à mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans clamoribus auditis, accessit. Et post diutinam inquisitionem, inuocato tandem beati Francisci subsidio, locum inuenit, in quo limus in modum sepulchri pueri cadauer obtexerat. Quem effodiens, & extra deportans, dolens defunctum inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret iuuenem mortuum: nihilominus tamen flens, & eiulans proclamabat: Sancte Francisce redde puerum patri suo. Sed, & Iudæi, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant: Sancte Fräcisce redde puerū patri suo. Subito puer lætantibus, & mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci se ad ecclesiam beati Francisci suppliciter postulauit, vt gratias illi deuotus exolueret, cuius se nouerat virtute mirabiliter suscitatum.

In ciuitate Suessa in vico, qui ad columnas dicitur: repente quædam corruens domus vnum absorbuit iuuenem, & subito interemit. Viri autem, & mulieres ruinæ sonitu excitati, vndique accurrentes, eleuauerunt hinc inde ligna, & lapides, & miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat dolorosis vocibus exclamabat: Sancte Fräcisce, sancte Francisce redde mihi filium meum: non solum autem illa, sed & omnes, qui aderant, beati patris præsidium flagitabant. Sed cum non esset, neque vox, neque sensus, cadauer posuerunt in lectulo ad sepeliendum ipsum diem crastinum expectantes. Mater vero fiduciam habens in Domino per merita sancti eis, votum emisit, noua se sindone beati Francisci operturam altare, si filium suum reuocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam cœpit iuuenis oscitare, & calescentibus membris viuus exurgens, & sanus in laudis verba prorumpit. Sed & clerum, qui conuenerat, & populum vniuersum excitauit ad laudes, & gratias Deo, & beato Fräcisco cum mentis lætitia persoluendas.

Iuuenis quidam Gerlandinus nomine, de Ragusia oriundus vindemiarum tempore ad vineas exiens cum in vase vinario, vt vtres impleret, sub torculari se mitteret, repente prægrandes lapides motis in se lignorum struibus, caput ipsius lethali percussione quassarunt. Festinauit continuo pater ad filium, & desperans obrutum non adiuuit, sed eum sub onere sicut corruit, sic reliquit. Accurrerūt expeditius vinitores magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt iuuenem iam mortuum à ruina. Pater vero ipsius IESV pedibus prouolutus, humiliter precabatur, vt filium suum vnicum per sancti Francisci merita, cuius tunc imminebat sollemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vouebat officia pietatis, & sancti viri corpus se visitaturum cum filio si suscitaretur à mortuis, repromisit. Mirum certe. Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquassatus restitutus vitæ, & integræ sospitati: gaudens coram omnibus exsurrexit: plangentes obiurgans, & sancti Francisci suffragiis vitæ se redditum asseuerans.

Quendam alium mortuum in Alemania suscitauit, de quo Dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius sancti fratres omnes, qui ad translationem, & Capitulum conuenerant, per Apostolicas litteras certos reddidit, & gaudentes. Miraculi huius seriem, quia ignoraui non scripsi: credens Papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

De his quos à mortis periculo liberauit.

IN confinibus vrbis vir quidam nobilis Rodulphus nomine, cum Deo deuota vxore, fratres minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quam beati Francisci reuerentia, & amore. Nocte vero illa in summitate turris dormiens custos castri, cum iam iaceret super struem lignorum in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage in tectum palatij corruit, & exinde super terram. Excitata ad sonitum casus tota familia, & custodis intellecta ruina, dominus castri, & domina cum fratribus accurrerunt. Is vero qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, vt nec ad casum euigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem, & impellentium manibus excitatus conqueri cœpit, quod dulci fuisset quiete priuatus, inter beati Francisci brachia suauiter asserens se dormisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab alijs, & in imo se videret, qui in alto iacuerat, stupens esse factum quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reuerentiam Dei, & beati Francisci coram omnibus repromisit.

In Castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam Thomas nomine accessit ad reparandam ecclesiæ molendinum. Deambulans autem incaute secus extrema canalis quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subito casu cauillloso ligno intrusus est, cuius impulsu voluitur molendinum. Cum igitur consertus iaceret in ligno, & super os ipsius, quia supinus erat aquarum impetus inundaret, corde tamen quia lingua non poterat sanctum Franciscum flebiliter inuocabat. Per magnum vero spatium sic illo iacente, ac de vita ipsius iam penitus sociis desperatis in contrariam partem molam cum violentia reuoluerunt, & sic eiectus sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater minor indutus tunica candida, & fune succinctus cum magna suauitate arreptum per brachium extra flumen eduxit, dicens: Ego sum Franciscus, quem inuocasti. Ille vero sic liberatus nimis obstupuit volensque pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærens à sociis, Vbi est ille? quò abiit sanctus? qua via discessit? Viri autem illi tremefacti proni ceciderunt in terram sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, & virtuosa merita humilis serui eius.

Iuuenis quidam de Burgo Celani, pro metendis herbis exierat ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quattuor aquarum altitudinem continebat. Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, vnus ex improuiso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fouea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter, & fidenter: sancte Francisce adiuua me. Ceteri huc atque illuc se vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu, & lacrymis requirebant eundem. Comperto tandem, quod in puteum cecidisset, festinantes cum gemitibus redierunt ad Burgum: indicantes eundem, exposcentes auxilium. Redeuntibus autē illis cum multa hominū turba, demissus vnus per funem in puteum, puerum respexit in

aquarum superficie residentem, nihil passum penitus lęsionis. Extractus vero de puteo puer dixit omnibus qui astabant: Quando subito cecidi beati Francisci patrocinium inuocaui, qui corruenti mihi statim præsentialiter affuit, & manum porrigens leuiter apprehendit, nec vnquam deseruit, donec vna vobiscū de puteo me eduxit.

In ecclesia beati Fräcisci apud Assisium, dum præsente Romana Curia prædicaret dominus Episcopus Ostiensis, qui postmodum summus Pontifex extitit Alexander, quidam lapis ponderosus, & magnus incaute super pulpitum excelsum, & lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus super caput cuiusdā cecidit mulieris. Extimantes igitur circumstantes, perfecte ipsam iā mortuam, & caput eius totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, vt sermone finito educeretur extra ecclesiā lugubre funus. Ipsa vero se beato Francisco, ante cuius iacebat altare, fideliter commendauit. Et ecce prædicatione finita, mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, vt nullius in ea læsionis vestigiū appareret. Sed & quod est amplius admirandum cum per longa tempora vsque ad horam illam dolorem capitis quasi continuum habuisset, plene fuit extunc ab omnis morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Apud Cornetum cum in loco fratrum ad fusionem campanę, viri quidam cōuenissent deuoti, puerulus quidam octennis Bartholomæus nomine xenium quoddā fratribus laborantibus apportauit. Et ecce subito ventus vehemens concussa domo, ostium portæ graue quidem & magnum super ipsum puerulū ita valido proiecit impulsu, vt quem tam ingēs pōdus oppresserat, lethali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter iacebat tumulatus sub pondere, vt nihil exterius appareret. Accurrerent omnes qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram inuocantes. Sed & pater ipsius, qui rigescenti bus membris se mouere non poterat præ dolore, votis, & voce sancto Francisco filium offerebat. Leuatum est denique funestum pondus desuper puerum, & ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus à somno lætus apparuit, nullam in se prorsus præferens læsionem. Igitur cum quatuordecim esset annorū, factus est frater minor, vir postea litteratus & famosus in Ordine prædicator.

Homines de Lentino lapidem prægrandem absciderunt de monte, qui supponendus erat altari cuiusdam ecclesiæ beati Francisci in proximo consecrandæ. Cum autem fere quadraginta homines lapidem illum superponere vehiculo niterentur repetitis sæpius viribus, super quendam hominem lapis ille cecidit, & in modum sepulchri obtexit. Sed cum mente confusi quid facerent, ignorarent, maior pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant lugubri voce sanctū inuocantes Franciscum, ne in suo seruitio sic horrende mori hominem pateretur, resumpto tandem corde, tanta facilitate lapidem amouerunt, vt nullus dubitaret virtutem affuisse Francisci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris, insuper & lumen recuperauit limpidum oculorum, quod habuerat obscuratum, vt omnibus daretur intelligi, quam in rebus desperatis, beati Francisci merita validę sint virtutis.

Simile quoddam accidit apud Sanctum Seuerinum in Marchia de Anchona. Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli apportatus ad basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur, rapido lapsu sit super quendam trahentium deuolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi beato Francisco, & lapidem subleuante absque omni lęsione sanus & incolumis lapidis proiecto pondere prosiliuit.

Bartholomæus Caietanus ciuis, cum ad constructionem cuiusdam ecclesiæ beati Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, eiusque opprimente ceruicem, fuit grauiter conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, vbi erat vir fidelis & pius, à quodam fratre viaticum postulauit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, beati Augustini verba protulit, dicens ei: Crede & manducasti. Sequenti vero nocte beatus Franciscus cum vndecim fratribus illi apparuit, & inter vbera portans agniculum, ad lectum eius accessit, vocauitque illum ex nomine, dicens; Bartholomeæ noli timere, quia non præualebit aduersum te inimicus, qui te in meo seruitio voluit impedire. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti, cuius etiam virtute consequeris vtriusque hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane cōsurgens, & iis, qui eum seminecem reliquerant incolumis & lætus apparens admirationem intulit, & stuporem. Sed & ipsorum mentes ad beati Patris reuerentiam & amorem, tam exemplo sui, quam sancti miraculo excitauit.

Aug. tract. 25. in Ioan. post med. to. 9.

Quidam de Castro Ceperani nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitati ferali vulneribus eum super vulnera concidentes vsque adeo super miserum sæuierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamauerat autem Nicolaus prædictus cum primus ictus exciperet alta voce: Sancte Francisce succurre mihi. Sancte Francisce adiuua me. Hanc vocem à remotis audierūt quamplurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat se mortem ex illis vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam sanctus Franciscus sibi succurrerat, & vt pœnitentiam ageret, à Domino impetrauit. Quod & sequens confirmauit euentus. Nam lotus à sanguine continuo contra humanam spem extitit liberatus.

Filius cuiusdam nobilis in Castro sancti Geminiani valido languore detentus, omnique vlterius desperatus salute, ad extremum vsque perductus est. Riuus etenim sanguinis ab oculis eius emanabat, sicut ex vena brachij assolet ebullire, ceterisque propinquæ mortis veris indiciis in reliquo corpore apparentibus, iudicabatur pro mortuo, sed & pro debilitate spiritus & virtutis, sensus, & motus, vsu priuatus visus est penitus emigrasse. Congregatis autē ex more ad planctū parentibus & amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius fiduciam habens in Domino, concito gressu ad ecclesiam cucurrit beati Francisci, quæ in eodem erat Castro constructa, & cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostrauit in terram. Sicque vota vouens, & multiplicans preces, suspiriis & gemitibus meruit apud Christum, sanctum Franciscum habere patronum. Reuersus itaque statim pater ad filium, & sanitati restitutum inueniens, luctum in gaudium commutauit.

Simile quiddam meritis sancti operatus est Dominus circa puellam quandam in Catalonia de villa nomine Tamarit, & circa aliam de Anchona, quæ cum essent præ nimietate ægritudinis in vltimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter à parentibus inuocatus, perfectæ continuo restituit sanitati.

Clericus quidam de Vico Albo nomine Matthæus, veneno mortifero bibito intantum fuit grauatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam vt sibi confiteretur, admonuit, & verbum vnū ab eo extorquere nō valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, vt per beati Francisci merita à mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque vt confortatus à Domino beati Francisci nomen fideli deuotione deprompsit testibus qui aderāt, veneno euomito, liberatori suo gratias egit.

De liberatis à naufragio.

IN magno maris periculo positi quidam nautæ, cum per milliaria decem à portu Barulitano distarent, ingrauescente nimium tempestate, iam de vita dubij anchoras submiserunt. Verum spiritu procellarum mari

feruentius tumescente fractis funibus, & relictis anchoris incerto & inæquali cursu per æquora vagabantur. Tandem nutu diuino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine parauerunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent plurimorum sanctorum inuocato subsidio, multisque iam sudoribus liquescentes, nec vnam per totam diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios: Ecce sanctorum omniũ inuocastis auxilium, & vt videtis, nullus est, qui succurrat. Inuocemus istum Franciscum, qui nouellus est sanctꝰ, si quo modo in mare se demergat, & anchoras perditas reddat. Consenserunt ceteri, non irrisorie, sed veraciter suasioni Perfecti, & ipsius obiurgantes irrisorium verbum, firmauerunt cum sancto spontaneum votum, statimque in momento sine aliquo adminiculo natauerunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam leuitatem.

Peregrinus quidam inualidus corpore propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat ante perpessus, naui quadam subuectus de vltramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem & ipse ad beatum Franciscum præcipuo deuotionis affectu, & eum sibi apud cælestem Regem elegerat aduocatum. Cum igitur necdum perfecte liber à morbo, sitis angustiaretur ardoribus, deficiẽte iam aqua, cœpit alta voce clamare: Ite fidenter, haurite poculum mihi, quia beatus Franciscus vasculum meum aqua repleuit. Mirum certe inuenerũt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die cum tempestate suborta operiretur nauis fluctibus, & procellis quateretur perualidis, ita vt iam naufragium timerent, cœpit idem infirmus subito clamore vociferari per nauẽ: Surgite omnes, inquit, & beato Francisco venienti occurrite. Ecce ad saluandum nos adest. Sicque cum voce magna, & lacrymis in faciem procidens adorauit. Statim ad sancti visionem omnem sospitatem resumpsit infirmus, & maris fuit tranquillitas subsecuta.

Frater Iacobus Reatinus cum in nauicula parua fluuium quendam cum aliis fratribus pertrãsiret, sociis primo super ripa positis, postremo se ad exitum præparabat. Sed modico illo ligno per infortunium reuoluto, recto te natante frater mersus est in profundum. Inuocabant fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, & vt filio succurreret lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater de ventre gurgitis nimis immensi cum ore nõ posset, corde clamabat, vt poterat, implorans pij patris subsidium. Et ecce auxiliãte sibi beati patris præsentia, per profundum sicut per aridam ambulabat, & demersam nauiculam capiens, cum ea peruenit ad littus. Mirabile dictu. Vestimẽta eius madidata non sunt, nec aquæ gutta proximauit ad tunicam.

Frater Bonauentura nomine cum duobus viris per lacum quendam nauigans, cõfracta ex parte nauicula propter aquæ influentis impetum, demersus est cum naui, & sociis in profundum. Cũ autem de lacu miseriæ misericordem patrem Franciscum inuocarent, cum multa fiducia supernatauit subito aqua plena nauicula, & cum eis sancto præbente ducatum, salubriter peruenit ad portũ. Sic & quidã frater de Esculo submersus in flumine, sancti Francisci meritis extitit liberatus. Sed & in lacu Reatino cum quidam viri & mulieres in consimili essent periculo constituti, ad inuocationem nominis sancti Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter euaserunt.

Quidam nauræ Anchonitani periculosa tempestate iactati, submersionis periculum iam videbant. Cumque sic desperati de vita sanctum Franciscum suppliciter inuocarent, lumen in mari magnum apparuit, & cum ipso lumine tranquillitas concessa diuinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute & ventis imperare posset & mari. Quantis autem miraculorum prodigiis, beatus hic pater in mari claruerit, & clarescat, quoties ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si iam regnanti in cælis collatum est imperium super aquas, cui & in hac mortalitate degenti omnis corporea creatura ad suam refigurata originem mirabiliter seruiebat.

De liberatis à vinculis & carceribus.

IN Romania Græcum quẽdam cuiusdam domini seruientem, contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terræ in arcto carcere mandauit includi, & grauiter vinculari. Domina vero domus miserta serui, quem indubitanter credebat à culpa sibi imposita innocẽtem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat deuotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad sanctum Franciscum, & eius pietati voto commẽdauit insontem. Protinus affuit miserorum adiutor, & virum in carcere positum misericorditer visitauit, soluit vincula, carcerem fregit, innocentẽ manibus apprehensum foras eduxit, & ait: Ego sum ille, cui domina tua te deuote commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, & pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subito liberatoris sui virtute inuenit se in plano, rediit ad dominam suam, relataque per ordinem miraculi veritate deuotam dominam ad Christi amorem, & reuerentiam serui eius Francisci feruentius inflammauit.

In Missa sancti Petri cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. Cumque præ inopia facultas nõ suppeteret persoluendi, captus debitor à milite repetẽte, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore beati Francisci. Spreuit superbus miles preces oblatas, & sancti amorem veluti inane quid inaniter vilipendit. Nam ceruicose respondens, Tali te, ait, loco recludam, & tali retrudam carcere, quod nec Franciscus, nec aliquis te poterit adiuuare. Tentauit quod dixit. Carcerem adinuenit obscurum, in quo hominẽ vinculatum coniecit. Paulo post adfuit beatus Franciscus, & confracto carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci militem prædata superbum, captiuum, qui se sibi subiecerat, liberauit à malo, militemque proteruum admirãdo miraculo in mansuetudinem commutauit.

Albertus de Aretio cum in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis iniuste ab eo petitis suam innocentiam sancto Francisco humiliter commẽdauit, Ordinem quidem Fratrum minorum plurimum diligebat & sanctum Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia sancti Francisci cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno, nocte veniente apparuit ei vigilanti sanctus Franciscus. Ad cuius ingressum vincula de pedibus, & catenæ de manibus ceciderunt. Sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solatio, & liber abscessit homo, ad propria rediens. Impleuit extunc votum, ieiunans vigiliam beati Francisci, & cereo quem annuatim consueuit offerre in accrescentis deuotionis indicium, annuatim vnicam vnciam superaddens.

Residẽte in sede beati Petri domino Gregorio Nono, quidam Petrus nomine de ciuitate Alilia, de hæresi accusatus, Romæ captus est, & de mandato eiusdem Pontificis ad custodiendum traditus Episcopo Tiburtino. Quem sub pœna Episcopatus accipiens, compedibus alligauit, obscuroque ipsum carcere ne posset effugere, fecit includi, panem ei præbens in pondere, & poculum in mensura. Cœpit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus & fletibus inuocare, eo quod audierat sollemnitatis eius iam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicauerat hæreticæ prauitatis errorem, totaque cordis deuotione adhæserat fidelissimo Christi seruo Francisco intercedentibus ipsius meritis à Domino meruit exaudiri. Instante enim iam

iam nocte suæ festiuitatis, circa crepusculum beatus Frãciscus in carcerem miseratus descendit, & illum suo nomine vocans, vt cito surgeret, imperauit. Qui timore perterritus, quisnam esset interrogans, beatum Franciscum adesse audiuit. Cumque virture præsentiæ viri sancti, vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, & tabulas carceris clauis vltro prosilientibus aperiri, & apertum iter sibi ad exeundum præberi: solutus tamen, & obstupefactus fugere nesciebat, sed ad ianuam clamans, custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum à vinculis Episcopo nuntiassent post intellectum ordinem rei, ad carcerem Pontifex deuotus accessit, & manifeste Dei virtutem cognoscens, Dominum adorauit ibidem. Vincula quoq; coram domino Papa, & Cardinalibus delata fuerunt, qui videntes quod factum fuerat admirati plurimum benedixerunt Deum.

Guidolottus de sancto Geminiano falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quendam virum, & quod eodem genere mortis, filium eiusdem viri, & vniuersam eius familiam proposuerat enecare. Captus proinde à potestate terræ grauissimis vinculis aggrauatus, in turri quadam reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino, pro sua innocentia quam sciebat, causam commisit beati Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur potestate qualiter criminis obiecti confessionem eliceret per torméta, qualibuscunque pœnis confessum faceret interire: nocte illa cum mane ad cruciatus deberet adduci, sancti Francisci præsentia extitit visitatus, & immenso luminis fulgore vsque mane circumdatus, repletusque gaudio, & fiducia multa securitatem euasionis accepit. Aduenerunt mane tortores, & eductum de carcere eculeo suspenderunt, aggrauantes super eũ multa pondera ferri. Depositus est pluries, & iterũ eleuatus, vt pœna pœnæ succedente citius ad confessionem criminis arceretur. Sed spiritu innocentiæ lætabatur in vultu, nullam mæstitiam prætendens in pœnis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus: nec propterea capillus est læsus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni cui se cõmiserat defensandum hæc omnia superauit, & sic dimissus liber saluus abscessit.

De liberatis à periculo partus.

QVædam Comitissa in Sclauonia, sicut nobilitate illustris, sic & æmula probitatis erga sanctum Franciscum deuotione flagrabat, erga fratres vero sedula pietate. Tempore vero partus duros perpessa dolores, tanta fuit angustia molestata, vt prolis futurus ortus, præsens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitã, nisi expiraret è vita, nec tali nixu parere, sed perire. Subuenit cordi eius sancti Francisci fama, virtus, & gloria, excitatur fides, inflammatur deuotio. Conuertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad deuotorum solatium, refugium afflictorum: Sancte Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, & mente voueo quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis. Finis dicendi, finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressura partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga. Ecclesiam quandam pulchram construi fecit, & constructam ad sancti honorem fratribus assignauit.

In partibus Romanis mulier quædam Beatrix nomine vicina partui, cum per dies quattuor fetum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur angustijs, & exitialibus doloribus vrgebatur. Mortuus fetus matrem cogebat ad mortem: & nondum in lucem productum abortiuum, publicum matri periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium, sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sed de primis maledictionibus Euæ copiosius aliquid declinarat in miseram, vt sepulchrum facta conceptus, sepulchrum pro certo proximum expectaret. Fratribus tandem minoribus per internuntios tota se deuotione committens, suppliciter aliquid de sancti Francisci reliquiis fide plena poposcit. Contigit nutu diuino aliquantulum inueniri de chorda, qua fuerat sanctus quandoque præcinctus. Mox, vt super dolentem posita chordæ fuit, omnis facillime solutus est dolor, mortis causa mortuus fetus emissus, pristina sanitas restituta.

Cuiusdam de Narnio nobilis viri vxor Iuliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, & continue infelices deplorabat euentus, pro eo quod omnes quos cum pressura portauerat filios, modico interiecto tempore cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cum igitur quattuor mensium conceptum haberet in vtero, magisque propter euentus præteritos de conceptæ prolis sollicitaretur obitu, quam de ortu, beatum Patrem Franciscum pro vita nondum nati fetus fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque lætissimè offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quẽ statim formidabat amittere, mulier illa subiunxit. Secure suscipias, quia quem tuo mærori compatiens sacer mittit Franciscus, vita viuet, & sospitate gaudebit. Statim euigilans mulier, intellexit per ostensam sibi cælitus visionem beati Francisci sibi adesse suffragium: extunc abundantiori completa lætitia, pro suscipienda prole iuxta promissum multiplicauit preces, & vota promisit. Impletum est denique tempus pariẽdi, & peperit femina masculum, qui iuuenilis robore florens ætatis, tanquã per beati Francisci merita fomentũ susciperet vitę, incitamentũ parientibus præbuit ad Christum, & Sanctum eius deuotioris affectus. Simile quiddam huic in Tiburis ciuitate sanctus Pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud sanctum Franciscum preces ingeminauit, & vota. Concepit igitur eius meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro vno fuerat exoratus.

Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior cẽsebatur, visceralibus tormentata doloribus, & tota calamitosa in infortuniis mulierum. Cumq; naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, inuocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier, partum salubriter terminauit: sed assecuta quod voluit, & oblita beneficij quod accepit, honorem sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera seruilia manus extendit. Et ecce subito dextrum brachium ad laborem extensum inflexibile remãsit, & aridum. Quod cum studeret ad se reuocare cum altero, vltione consimili, & illud exaruit. Timore igitur diuino correpta mulier, reintegrauit votum vsumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat, & cõtemptum, per misericordis, & humilis sancti merita, cui se iterato deuouit, recuperare promeruit.

Mulier quędam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, & iam in nigredinem versa, desperata esset ab omnibus, votum fecit beato Frãcisco, & eius cœpit moriens auxilium inuocare. Emisso autem voto, celeriter obdormiuit, viditque in somnis beatum Franciscum se dulciter alloquentem, ac requirentem vtrum faciem ipsius agnosceret, & an antiphonã illam Virginis gloriosæ, Salue Regina misericordiæ, sciret, ad honorem huius Virginis recitare. Qua respondente se habere notitiam de vtrisque. Incipe, ait Sanctus, Antiphonam sacram, & antequam cõpleas, paries cum salute. Ad hanc vocem euigilauit mulier, & cum timore cœpit dicere: Salue Regina misericordiæ. Cumque illos misericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret vteri Virginalis, continuo cunctis liberata pressuris infantem peperit speciosum, gratias agens Reginæ misericordiæ, quæ per beati Francisci merita ipsius fuerat dignata misereri.

De cæcis illuminatis.

IN conuentu fratrum Minorum Neapoli, cum quidam frater Robertus nomine, cęcus annis plurimis extitisset, creuit in oculis eius caro superflua, motum & visum impediens palpebrarum. Cum igitur frater forenses ad diuersas mundi partes tendentes, ibidem plurimi cōuenissent, beatus pater Franciscus speculum obedientiæ sanctæ, vt eos miraculi nouitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem ipsis præsentibus tali modo curauit. Iacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, iamque sibi fuerat anima commendata, & ecce astitit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet sancto Antonio, fratre Augustino, & fratre Iacobo de Assisio, qui sicut eum perfecte fuerant secuti dum viuerent, ita & ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum sanctus Franciscus carnem superfluam resecauit, lumen restituit pristinum, & à mortis eum fauce reduxit, dixitque illi: Fili Roberte, gratia quam tecum feci signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, & ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, & iniunctam obedientiam alacri animo exequantur.

Apud Thebas in Romania, mulier cæca vigiliam sancti Francisci in pane tantum, & aqua ieiunans, ad ecclesiam fratrum Minorum summo mane festiuitatis à viro suo perducta est. Quæ dum Missa celebraretur, in eleuatione corporis Christi oculos aperuit, clare vidit, deuotissime adorauit. In ipsa vero adoratione voce magna proclamans: Gratias, inquit, Deo, & sancto eius, quia video corpus Christi, omnibus qui aderant in voce exultationis conuersis. Post sacrorum expletionem reuersa est mulier in domum suam cum gladio spiritus, & lumine oculorum. Exultabat quidem mulier non solum quia lucis corporeæ recuperarat aspectum: verumetiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum, verum & viuum respectu primario per beati Francisci merita fidei suffragante virtute meruerat intueri.

In Campania puer quidam quatuordecim annorum de castro Pophis subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies extra neruo relaxato longitudine digiti vnius ad maxillas dependens, penè aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscisio, & à medentibus foret penitus desperatus, pater eius ad auxilium beati Francisci tota se mente conuertit. Non defuit ille indefessus miserorum adiutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum, pristinumque vigorem restituit, & lucis optatę radiis illustrauit.

In eadem prouincia apud castrum magni ponderis lignum ex alto proruit, & cuiusdam sacerdotis caput grauissime quassans, sinistrum oculum excęcauit. Qui humi deiectus cœpit alta voce sanctum Franciscum luctuose clamare, dicens: Succurre Pater sanctissime, vt ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi. (erat enim vigilia sancti) qui statim exurgens, peroptime liberatus in vocem prorupit laudis & gaudij, & circumstantes omnes, qui eius miseriæ condolebant, in stuporem conuertit, & iubilum. Iuit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam, & virtutem.

Vir quidam de Monte Gargano dum in vinea sua laborās, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, & sic diuisit per medium, vt quasi media pars ipsius exterius dependeret. Cumque in tam desperato periculo desperaret sibi posse per hominem subueniri, ieiunaturum se in festo sancti Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito viri oculum sanctus Dei restituit, sicque diuisum reiunxit, & lumine pristino decorauit, vt nullius læsionis vestigia remanerent.

Filius cuiusdam nobilis viri à natiuitate cæcus, meritis sancti Francisci lumen accepit optatum. Qui nomen ab euentu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea cum in ætate esset Ordinem beati Francisci, accepti beneficii non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiæ, & virtutis, vt veræ lucis filius videretur. Tandem beati Patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiori conclusit.

In Zachanto quod est castrum iuxta Ananiam. Miles quidam Girardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, vt duo fratres Minores ab exteris partibus venientes ad domum ipsius hospitaturi diuerterent. Suscepti itaque deuote propter reuerentiam sancti Francisci à familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo, & hospiti, ad locum Fratrum deuenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus vni fratrum illorum in somnis apparuit, dicens: Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum, & me suscepit in vobis. Volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare. Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, vt mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum cuncta quę viderat alter per ordinem, narrauerunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & vniuersa quæ dicebantur vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter renouato, exteriorem continuo recuperauit aspectum. Huius miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reuerentiam sancti: verumetiam ad confessionem humilem peccatorum, & hospitalitatis gratiam plurimos incitauit.

De liberatis à diuersis infirmitatibus.

APud Castrum Plebis, iuuenis quidam mendicus surdus erat: & mutus à natiuitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multotiens exquisita à pluribus præcisa penitus videretur. Vir quidam Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio: qui eum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari. Sero quodam cum prædictus vir cœnaret cum coniuge, astante puero coram eis, dixit vxori: Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet, & loquelam. Et adiecit: Voueo Deo quod si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec viuet. Mirum certe. Subito lingua creuit, & locutus est, dicens: Gloria Deo, & sancto Francisco, qui mihi loquelam præbuit, & auditum.

Frater Iacobus de Iseo, cum puerulus esset in domo paterna, rupturam incurrit corporis valde grauem. Superno vero afflatus Spiritu, licet esset iuuenis, & infirmus ordinem sancti Francisci deuotus intrauit: nulli tamen qua vrgebatur infirmitate detexit. Factum est autem, cum corpus sancti Francisci transferretur ad locum, vbi pretiosus sacrorum ossium, eius nunc thesaurus est conditus: affuit, & tunc dictus frater translationis gaudiis, vt glorificati iam Patris corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ deuotione spiritus sacrum tumulum complexatus, subito miro modo ad loca debita partibus reuocatis sanum se sensit, succinctoriū deposuit, & extunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili, frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus sacerdos de Stichano, Ioannes de Fora, vir quidam de Pisis, & alius de Castro Cisternæ, Petrus quoque de Sicilia, & homo quidam de Castro Selli iuxta Assisium, & quam plures alij, per Dei misericordiam, & beati Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati.

In maritima mulier quædam mentis alienationem per quinquennium passa, visu & auditu priuata est, in

dumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculum non timebat, & caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam cum disponeret sibi diuina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata diuinitus, vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata, sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum fauente precibus, firmauit mulier votum, promittens pro Dei amore ac sancti petentibus donec haberet eleemosynam non negare. Illico sanctus pactum recognouit, quod olim cum Domino fecerat simile, & signans eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quandam de Nursia, & filium cuiusdam nobilis viri, & alios quosdam, relatione veridica compertum est sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

Petrus de Fulgineo ad visitandum limina beati Michaelis quodam tempore pergens, dum minus reuerenter peregrinationem peregit, fontis cuiusdam aquam degustans, à dæmonibus est inuasus. Et exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens & horrenda prætendens, habens aliquando lucida interualla, beati virtutem quam efficacem audierat ad effugandas aëreas potestates humiliter requisiuit; & ad sepulchrum pii Patris accedens, mox vt illud contingit manu, à dæmonibns crudeliter eum discerpentibus mirifice liberatus fuit. Simili etiam modo, mulieri cuidam de Narnio habenti dæmonium, misericordia Francisci subuenit, & aliis pluribus quarum vexationum angustias, & curationum modos longum esset per singula enarrare.

Vir quidam nomine Bonus homo de ciuitate Fani, paralyticus & leprosus ad ecclesiam beati Francisci, à parentibus deportatus, vtriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed & alius iuuenis quidam Acto nomine de sancto Seuerino totus leprosus voto emisso, & ad sepulchrum Sancti delatus, meritis ipsius à lepra mũdatus est. Habuit quidem Sanctus supra huiusmodi morbo curando præcellentem virtutem, pro eo quod humanitatis & pietatis amore leprosorum obsequiis semetipsum humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier Rogata nomine, in episcopatu Sorano per vigintitres annos fluxu sanguinis fatigata, sed à quamplurimus medicis quamplurima mala expressa: præ nimietate quidem languoris sæpius videbatur mulier expirare: sed si quãdo fluxus huiusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quẽdam puerum Romano sermone canẽtem miracula, quæ Deus per beatum Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas, sicque intra se fide accensa dicere cœpit: O beate Pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accrescet gloria, quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura? his dictis, sensit se beati Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius Marcum nomine, qui brachium habebat contractum, sanctus Franciscus voto ad ipsum emisso, sanauit. Feminam etiam quandam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi signifer saluam fecit.

In vrbe Romana Praxedis quædam nomine religiositate famosa, quæ à tenella ætate propter æterni Sponsi amorem arcto se carcere per quadraginta iam fere annos abdiderat, apud beatum Franciscum gratiam promeruit spiritualem. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suæ cellulæ conscendisset, & impulsione phantastica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, & humerum à positione debita sequestratum, apparuit ei benignissimus pater vestimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eandem: Surge inquit, filia benedicta surge ne timeas. & apprehensa manu ipsius alleuans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc, atque illuc se conuertens, putabat se visum videre vsquequo ad clamorem ipsius apportato iam lumine, perfecte se sentiens per seruum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta quæ acciderant, per ordinem narrauit.

De non obseruantibus festum, & non honorantibus sanctum.

IN Pictauiæ partibus in villa, quæ Simo dicitur, sacerdos quidam Reginaldus nomine beato Francisco deuotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Vnus autem de populo ignorans sancti virtutem, sui paruipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, vt ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem: Festum est: operari non licet. Verum cum nec imperio sacerdotis nec supernæ vocis oraculo seruilis temerita frenaretur, addidit diuina virtus ad gloriam sancti sui sine mora miraculum & flagellum. Mox enim vt furcam vna manu iam tenens, alteram cum ferreo instrumẽto leuauit ad opus, sic diuina virtute vtraque manus, vtrique instrumẽto cohæsit, vt ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Et quo stupefactus nimis, & quid ageret nesciens ad ecclesiam multis vndique ad videndum prodigium occurrentibus properauit. Vbi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente, plures quippe ad festum vocati conuenerant sacerdotes, beato Francisco humiliter se deuouit, tria sicut ter vocem audierat vota vouẽs, quod scilicet festum ipsius coleret quod ad illam, in qua tunc erat, ecclesiam in festo veniret, & quod sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu. Vno emisso voto, vnus digitus factus est liber ad secundi emissionem solutus est alius, sed tertio facto voto laxatus est tertius, & postmodum tota manus, necnon & altera subsequenter populo, qui iam multus aduenerat, sancti clementiam deuotissime implorãte. Sic homo pristinæ redditus libertati, per seipsum instrumenta deposuit cunctis laudantibus Deum, virtutemque sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat & sanare. Ipsa vero instrumenta vsque hodie coram altari ad honorem beati Francisci fabricato ibidem in memoriam sancti dependent. Plura quoque illic & in locis vicinis patrata miracula & sanctum in cęlis ostendunt eximium, & festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

In ciuitate quoque Cenomanensi, dum in sollemnitate sancti Francisci mulier quędam manus ad colum extenderet, & digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna docente sancti recognoscens virtutem, corde compuncta cucurrit ad fratres. Cumque pro salute ipsius deuoti filii sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim, nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam solum vestigium combustui ę. Simili etiam modo in Campania maiori mulier quædam & in villa Oletti mulier altera. & in Castro Pilei tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, præuaricantes primum mirabiliter sunt punitæ, sed postmodum pœnitentes per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

Miles quidam de Burgo in prouincia Massæ beati Frãcisci operibus, & miraculorum signis impudentissime detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinus ad ipsius memoriam venientibus, & contra fratres publica garriebat insania. Cum autem semel sancti Dei gloriam impugnaret, addidit super peccata sua blasphemiam detestantem. Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum. Si vero sanctus non est, euadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum iam facta fuisset oratio in peccatum. Mora enim modica interiecta, dum blasphemus nepoti suo inferret iniuriã, accepit ille gladium, & patrui visceribus cruentauit. Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarũ

vt ceteri

vt ceteri discerent miranda Francisci opera non blasphematoriis verbis impetere, sed deuotis laudibus honorare.

Iudex quidam nomine Alexander, dum à B. Francisci deuotione quos poterat venenata lingua retraheret, diuino iudicio lingua priuatus, per sex annos obmutuit. Qui cum in eo quod peccauerat, torqueretur, alta pœnitudine reuocatus dolebat se contra sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio sancti, sed pœnitentem ac se humiliter inuocantem restituta loquela recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecrauit laudibus sancti, deuotionem simul, & disciplinam recipiens per flagellum.

De quibusdam aliis miraculis diuersorum generum.

IN Castro Galiani Valuensis diœcesis, mulier quędam erat nomine Maria, quæ Christo IESV, & B. Francisco famulatu deuoto subiecta, vna dierum æstiuo tempore exiit, vt manibus conquireret propriis necessarium victum. Cum igitur feruente nimium æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus, omni priuata beneficio poculi pro eo, quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum S. Franciscum inuocabat pio mentis affectu. Dum autem perseueraret mulier in affectuosa, & humili prece, labore, siti, & æstu fatigata quam plurimum, paululum obdormiuit. Et ecce S. Franciscus adueniens, & eam vocans ex nomine: Surge (inquit) & bibe aquam, quæ diuino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad huius vocis auditum surrexit mulier à somno, non modicum confortata, & accipiens silicem, quæ iuxta se erat, radicitus euulsit à terra, effodiensque ligno paruulo circumquaque, viuentem reperit aquam, quæ cum primo videretur paruula stilla, subito diuina virtute creuit in fontem. Bibit itaque mulier, & satiata oculos lauit, quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, noua extunc sensit luce perfusos. Festinauit ad domum mulier tam stupendum miraculum ad gloriam S. Francisci denuntians vniuersis. Concurrerunt vndique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad ipsius contactum confessione præmissa, à variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseuerat vsque hodie fons ibi perspicuus, & in honorem B. Francisci ibidem oratorium est constructum.

In Hispania apud sanctum Facundum, viri cuiusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum, & fructuum contra spem mirabiliter reuocauit. Incolas quoque terræ apud Vilesios, à vermium peste corrodentium vineas circumquaque miraculoso suffragio liberauit. Sacerdotis cuiusdam iuxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum fuerat, sibi fideliter commendatum penitus expurgauit. Terram quoque domini cuiusdam de Petramala in regno Apuliæ sibi suppliciter commendatam, ab odiosa peste bruchorum penitus seruauit indemnem: cum tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia deuorata.

Vir quidam Martinus nomine, cum longe à Castro suo boues minasset ad pascua, crus vnius bouis casu quodam sic fuit desperate confractum, vt nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret sollicitus, & instrumentum, cum quo id faceret non haberet, domum reuersus B. Francisco bouis curam reliquit, ipsumque fideli sanctæ custodiæ fiducialiter commendauit, ne ante suum reditum deuoraretur à lupis. Summo itaque mane ad bouem in silua relictum cum excoriatore reuersus, pascentem ipsum ita reinuenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de boue suo curam habuit, & medelam donauit. Succurrere nouit humilis sanctus omnib. inuocantibus ipsum, nec quantumcumq; paruas necessitates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno iumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum nouũ in multas partes casu diuisum integre reparauit. Viro etiam cuidam de Monte Vlmi in Marchia consolidauit vomerem in frusta confractum.

In Sabinensi diœcesi vetula quædam octogenaria erat, cuius filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cũ igitur anus paupercula plena esset inopia, & vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti paruulo lactis stillicidiũ, iuxta quod exigebat necessitas erogaret, quo se verteret vetula penitus ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente conuertit. Affuit statim innocentis amator ætatis: Ego, inquiens, sum Franciscus ô mulier, quem cum tantis lacrymis inuocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore pueruli, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Impleuit anus sancti mandatum, & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile sancti donum, multis tam viris, quam mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in sancti sui virtute mirabili, & amabili pietate.

Apud Spoletum vir, & vxor vnicum habentes filium, quotidie illum velut hereditarium opprobrium deplorabant. Brachiis siquidem collo connexis, iunctisque genibus pectori, & pedibus naribus alligatis, non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitib. clamabat ad Christum S. Francisci auxilium inuocando, vt infelici sibi, & in tali opprobrio constitutæ succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam cum propter huiusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet. Apparuit ei S. Franciscus piis eam affatibus mulcens, insuper & suadẽs quod ad locum propinquum suo nomini dedicatum deferret puerum vt ex aqua putei loci illius in nomine Domini superfusus plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa sancti adimplere mandatum: secundo replicauit idipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero vsq; ad ianuam dicti loci præambulo ducatu perduxit. Superuenientes autem nobiles quædam matronæ deuotionis causa ad prædictum locum, eis à muliere præfata diligenter exposita visione, vna cum ipsa puerũ fratribus præsentarunt, & haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lauit infantem. Statim puer omnib. membris ad sua loca perductis, sanus apparuit, & magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit.

In Castro Chore Ostiensis diœcesis vir quidam sic crus ex toto perdiderat, vt nullo modo progredi vel mouere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, & auxilio desperatus humano, cœpit nocte quadam ac si præsentem cerneret B. Franciscum talem coram eo assumere materiam querelandi. Adiuua me S. Francisce recolens meum seruitium, & deuotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portaui, sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculatus fui semper tibi deuotus, semper tibi beneuolus extiti, & ecce morior doloris huius durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim affuit beneficiorum memor, & deuotionis gratus & vigilanti viro cum vno fratre apparuit. Ad vocationem eius se venisse dixit, & tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo paruulo, qui figuram thau in se habebat, & fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Et, quod mirabilius est, sacrum signum thau impressum super locum sanati vlceris ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras quotiens charitatis causa scriptum aliquod dirigebat. Sed ecce dum per diuersa miracula gloriosi Patris Francisci mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso signifero in signum salutis thau non sine diuina directione peruenit, vt ex

hoc possimus aduertere, quod sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic, & triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonij ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnum, & mirum, in quo charismata gratiarum, & merita virtutum, & thesauri sapientiæ, & scientiæ tam alta profunditate velantur, vt à mundi sapientibus, & prudentibus sit occulta, tam plene fuit Christi paruulo reuelatum, vt omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam prædicaret. Vere namque in suæ conuersionis principio dicere cum Apostolo potuit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV Christi. Non minus etiam vere in conuersationis progressu addere valuit: Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. Verissime autem in cõsummatione potuit subinferre: Stigmata Domini IESV in corpore meo porto. Sed, & illud nos quotidie desideramus ab ipso audire: Gratia Domini nostri IESV Christi cum spiritu vestro fratres. Amen.

Gal.6.d. Gal.vlt.d. Ibidem.

Gloriare igitur iam secure in crucis gloria Christi signifer gloriose, quoniam à cruce incipiens secundum crucis regulam processisti, & tandem in cruce perficiens per crucis testimonium quantæ gloriæ sis in cœlo cunctis fidelibus innotescis. Secure iam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia per baculum crucis Christi mari diuiso deserta transibunt in repromissam viuentium terram, Iordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat vetus populi ductor, & Saluator Christus IESVS crucifixus per merita serui sui Francisci. Ad laudem, & gloriam vnius Dei, & trini, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Expositio

IN REGVLAM FRATRVM MINORVM.

Hoc Opusculum à Trithemio inter S. Bonauenturæ Opuscula connumeratur alio nomine inscriptum, videlicet Constitutiones Ordinis S. Francisci. *In quo quidem Opusculo boni Prælati præstat officium, cuius est subditos docere, dirigere, corrigere, & fouere: & cum ipse Minister Generalis sui Ordinis extiterit, id efficit, dum regulæ S. Patris Francisci sanum sensum tradit. Huic vero editioni præpositus est singulis capitibus textus ipsius regulæ pro maiori commoditate legentium.*

CONFIRMATIO REGVLÆ.

HONORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

D*ilectis filiis Fratri Francisco, & aliis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis fauorem beneuolum impartiri. Ea propter dilecti in Domino filij vestris piis precibus inclinati, Ordinis vestri regulam, à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & præsenti scripti patrocinio communimus, quæ talis est.*

EXPOSITIO CONFIRMATIONIS REGVLÆ.

Q*Vicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Hanc plane puto regulam, ab Innocentio Papa tertio approbatam, à sequenti Honorio confirmatam, à Gregorio nono declaratam, vt funiculus triplex non facile dirumpatur. Nec tamen in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, ne in aliqua alia regula gloriemur. Huius igitur regulæ rectitudinem, duce Domino breuius declarabo, vt sit ei adhærentibus solatium, & aduersantibus directio, qui obliquis, & reflexis eam intuentes oculis lumini attribuunt suarum vitium tenebrarum. Regula igitur epistolari modo à salutatione oritur, in narratione deducitur, & in conclusione terminatur. In salutatione enim refulget Apostolica clementia, pie pauperibus condescendens Deus. In narratione patet Apostolica sapientia, perfectionis summam breuitate perstringens. In conclusione eius refulget auctoritas potentiæ, qua seruos Christi perpetua protegit armatura. Prima pars, scilicet salutatio duas habet particulas, quia continet salutationem, & sequentium confirmationem. Dicitur enim primo sic: *Honorius Episcopus.* Episcopus vtique non alicuius partis solum, sed totius vniuersitatis. In cuius figuram legitur, quod stante IESV in littore maris, Petrus succinxit se, & misit se in mare, alij vero discipuli nauigio venerunt. Per mare intelligitur sæculum, quod suscepit Petrus à Domino gubernandum. Per nauigium autem intelliguntur variæ sortes discipulorum, qui in variis mundi partibus Pontificium susceperunt. Vnde, & duæ fuerunt naues, propter circumcisionem, & præputium secundum Augustini sententiam super illud: Hinc Petrus à Petra dictus, à Domino positus est Ecclesiæ fundamentum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vbi Rabanus. Vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel societate illius, quolibet modo segregant seipsos, nec à vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis intrare. Hinc Petro Dominus dedit super alios Apostolos ordinariam potestatem, dicẽs: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. In huius rei figuram dicitur in libro Sapientiæ, quod in veste poderis quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum. Quod si vnus non esset, qui in omnes exercere posset iurisdictionem, vbi maneret status Ecclesiæ? Si partibus discordantibus, non esset qui posset manum mittere in ambabus, fuisset synagoga felicior quam Ecclesia: quia illa habebat vnum summum Pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, vt patet in Deuteronomio. Tantæ auctoritati nostræ profundissima humilitas sociatur, cum dicitur: *Seruus seruorum Dei*, non istorum vel illorum, sed sapientium, & insipientium, omnium, & singulorum. Sic certe vt legitur in Ezechiele: Gazophylacia templi fuerunt in superioribus humiliora. In statu enim sublimi est ornamentum notabile, humilitas profunda. Sequitur: *Dilectis filiis fratri Francisco, & aliis fratribus de ordine fratrum Minorum, salutem, & Apostolicam benedictionẽ.* Benedictio Patris confirmat domos filiorum. In hierarchicis eloquiis optime sonat nomen dilectionis, quia vt Dionysius dicit, totius hierarchiæ finis, & consummatio, est vnitiua dilectio. Sequitur secunda particula continẽs sequentium confirmationem. Vnde dicit: *Solet annuere sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium desideriis, fauorem beneuolum impartiri.* Pium est, quod est ad Dei gloriam directiuum, quia pietas est cultus Dei. Qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Honestum est, quod ad ædificationem proximi ordinatur. Sicut in die honeste ambulemus. Hæc honestas à diuinis est præcipue beneplacitis, & non mundanis vanitatibus regulanda. Vnde Hieronymus super Isaiam: Non erubuit Isaias nudus incedere, nihil honestius iudicans, quam

Gal.vlt.d. Eccl.4.c. Ioan.21.b. Augu. in Io. tract.122. tom.9. Matt.16.c. Luc.22.d. Sap.18.d. Deut.17.b. Ezec.42.a. Dionys. de cælest. hier. cap.3. 2.Tim.3.c. Rom.13.d.

Domino obedire. Sequitur: *Ea propter dilecti in Domino filij, vestris pijs precibus inclinati, ordinis vestri regulam, à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam præsentibus auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, quæ talis est:* Cum ratione pietatis, & honestatis, dicat se summus Pontifex hanc regulam confirmasse, impij sunt, qui à sede Apostolica discordantes, per regulam istam dicunt seruari non posse, & per consequens aliquod impium continere. Tales hæretici sunt, & schismatici, vt patet in decretis. Item in Deuteronomio: Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto iudicis, morietur homo ille. Ex prædictis patet, quod tota regula est mandatum Apostolicum, & per consequens authenticum quidquid in ea continetur. Sequitur textus.

Distin. 22. Omnes siue Patriarch. *Deut. 17. c*

CAPVT I.

In nomine Domini Incipit Regula, & vita Fratrum Minorum.

Regula, & vita Minorum Fratrum hæc est Sanctissimi Domini nostri IESV Christi, S. Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ. Et alij fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire.

EXPOSITIO.

Regula, *& vita Minorum Fratrum hæc est scilicet Domini nostri Iesu.* Hic subditur confirmatæ veritatis narratio, quæ rubricis duodecim discernitur, qui sunt duodecim durissimi lapides, de quibus dicit Iosue, quod duodecim electi viri acceperunt de alueo Iordanis, vbi steterunt sacerdotum pedes, duodecim lapides, ponentes in loco castrorum, vbi illa nocte deberent figere tẽtoria. Hoc est dicere, quod fratres Minores, tãquam viri à Domino vero Iosue electi, volentes pertransire Iordanẽ, & festinare ad terram promissionis, eligant sibi duodecim durissimos lapides, idest, duodecim capitula Regulę, Euangelica, & Apostolica sententia confirmata, de loco vbi steterunt pedes sacerdotum, hoc est, ad imitationem duodecim Apostolorum. Tres primæ rubricæ, radios recipiunt Orientis. Tres aliæ sequentes, pericula excludunt Aquilonis. Tres tertio loco positæ obuiant malis ab Occasu. Tres vltimæ, Australibus delitiis sunt refertæ. Vt sic hæc ciuitas in quadro posita, ornata duodecim portis, scilicet duodecim Apostolicis margaritis, non timeat potentis insultum, pauperum, & sapientum industria communita. Trium autem primo positarum, idest, Oriẽtalium rubricarum prima summarie religionem instituit. Secunda ad eam venientes recipit. Tertia receptos interius, & exterius instruit disciplina. Et quia vt patet ex Dionysio, Substantia Hierarchiæ in duobus consistit, scilicet in sanctis perfectionibus, & in ordine perficiendorum. Prima ad perfectos per obedientiam, secunda subditorum ad prælatos: idcirco prima rubrica duas habet partes, quarum prima summarie tangit huius Hierarchiæ, idest, sacri ordinis perfectionem. Secunda describit obedientialem ordinationem, ibi: *Frater Franciscus.* Dicit ergo primo: *Regula, & vita.* Regula ex hoc dicitur, quia recte ducit. Rectum autem est, cuius medium non exit ab extremis. Et quia dicitur per Apostolum: Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Illa ergo verissima dicitur regula, quæ docet, vt est possibile in vita, paupertatem nudissimam obseruare. Hæc regula etiam est vita, vt tota fratrum conuersatio regulæ applicetur, iuxta id, quod legitur in 3. Regum: Operuit omnia laminis aureis. *Fratrum Minorum,* sic dictorum absolute, vt de nullo dignitatis gradu contendentes, nec sibi nomen honoris alicuius vsurpantes, omnib. se humilitatis amore, saluo Dei honore, subiiciãt, ad nullam temporalem magnitudinem, vt pauperrimi, humillimi, & purissimi aspirantes. Dicti autem fratres Minores, ad imitationem illorum de quibus dicitur: Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Eorum igitur regula hæc est, scilicet Domini nostri IESV Christi sanctum Euangelium obseruare. Hoc idcirco dicitur, quia tota regulæ substantia, de fonte trahitur Euangelicæ puritatis. Non est ergo regula, aut vita hæc noua res, sed proculdubio renouata, magnaque est huiusmodi regulæ professoribus materia solatij, qui soli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam Apostolis ad prædicandum missis, Dominus commendauit. Sed cum dicat: *Hæc regula est sanctum, scilicet Euangelium obseruare:* numquid vouentes hanc regulam, vouent per consequens omnem Euangelij perfectionem? Dico quod non, cum in ipsa regula quam vouent, quædam monitorie, & exhortatorie subiungantur. Cum ergo non omnem regulæ partem vouent obseruare, multo magis non vouent, quod non exprimitur in eadem. Cui simile est, quod super illud Psalmi, Vouete, & reddite, dicit Glossa, quod quędam vota sunt communia omnibus, vt vouere fidem, abrenuntiare diabolo, & pompis eiusdem, non superbire, non occidere, & huiusmodi, & de his omnibus præcipitur: Vouete, & reddite. Sicut ergo in hoc genere voti, non intelligitur expresse voueri ab omnibus Christianis præceptorie, nisi quod præceptorie in lege ponitur diuina: sic nec tota vita Euangelica vouetur ab huiusmodi regulæ professoribus, sed tantum illa eius pars, quæ ex regulæ intentione imponitur obligatorie obseruanda. Vouent ergo fratres totam regulam, secundum intentionem mandatorum, partim ad obseruantiam, vt præceptorie imposita, partim ad reuerentiam, & approbationem illorum, quæ non tam præceptorie imponuntur, quam meritorie proponuntur, tali statui specialiter æmulanda, vt est illud quod infra dicitur: *Orare semper ad Deum puro corde, habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & infirmitate.* Licet enim virtutum actus sint in præcepto, tanta tamen actuum præcellentia nulli præceptorie imponitur, quanta in pluribus capitulis regulæ continetur. Vouent ergo fratres Euangelium eodem modo, partim scilicet ad obseruantiam, partim ad reuerentiam specialem, quam decet, & congruit tanto statui æmulari.

Iosu. 4. a *Dionys. de cælest. Hier. cap. 3.* *1. Tim. 6. b* *3. Reg. 6. d* *Matt. 25. d* *Psal. 75. b*

Ex his ergo patet error dicentium, quod vouentes hanc regulam vouent etiam omnia præceptorie, quæ in ipsa regula continentur, hoc enim est contra regulam manifeste, quæ exprelle distinguit monitiones à præceptis.

Sequitur: *Viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Circa quod dicendum, quod obedientia vno modo est virtus contraria inobedientiæ, & sic omni conuenit Christiano, de qua Petrus: Castificantes animas vestras, in obedientia charitatis. Alio modo obedientia dicit statum eminentem huius virtutis, quando aliquis non tantum obedit Deo, verum etiam homini propter Deum. Item Deo obedit non tantum in necessariis, verum etiam in omnibus supererogationibus, & diuinis inspirationibus vniuersis, quantumcumque difficilibus & arduis, illius exemplo, qui factus est obediens vsque ad mortem, vt dicit Paulus, qui mori minime tenebatur. Hæc obedientia ex verbo Domini descendit, qui dicit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Sed triplex est sui abnegatio. Vna est necessaria per modũ subcontrarietatis, qua scilicet homo, in quibusdam suæ voluntati renũtiat, vt in peccatis: in aliis vero, vt in indifferentibus, sibi retinet suam voluntatem. Alia est sui abnegatiõ per modũ contrarietatis, vt in illis omnibus siue simpliciter, siue accommode, suæ renuntiant, voluntati,

1. Pet. 1. d *Philip. 2. a* *Matt. 16. d*

nihil

nihil volentes, siue agentes, secundum suam voluntatem, vel secundum nutum suæ voluntatis. De qua dicit quidam: Nil fragrat ita Domino in odorem suauitatis, quam si mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis. Nimirum altissimũ est in homine, rationalis volũtas. Altissimum ergo est sacrificium, eam totaliter Domino cõsecrare, non tantum ipsi Deo obediendo, sed etiam homini propter Deum: cum & ipse ad hoc docendum, parentum suorum subditus fuerit voluntati, vt legitur in Luca. Est etiam abnegatio tertia, quasi contradictoria, quæ propriam exponit vitam pro gloria Conditoris. Obedientia tamen prout dicit statum eminentẽ virtutis obedientiæ plures habet gradus, quidam enim in omnibus absolute, vt dictum est, quidam vero accommode, vtpote ad mediocritatem status sui pertinentibus, propriæ renuntiant voluntati: quia clerici sæculares in sacri ordinis susceptione, renuntiant propriis voluntatibus, & extunc plene debent subiici Ecclesiasticæ potestati, vt legitur 12.q.1. cap. Non dicatis. Amplius, sublimior est obedientia Monachorum, quam sæcularium clericorum, vt patet Extra. de officio ordinarij. c.5. Monachorum autem obedientia duobus constringitur. Primo quia per obedientiam, vouent salua stabilitate ad locum. Secundo quia ad nihil obedire tenentur, quod Regulam suam transcendere demonstratur. Altior est ergo obedientia illorum qui nullum habent in hoc mundo loci ius proprium, quo sua obedientia restringatur. Item altior est illorum obedientia, quorum altior est Regula, ex qua tenentur eiusdem regulæ professores, nihil respuere, nisi sit ipsi regulæ contrarium, vel saluti, directe vel aliqualiter. Illi ergo soli abnegationis contrariæ secundo modo dictæ gradus attingunt perfecte, qui in omnibus etiam indifferentibus subsunt beneplacitis alienis, qui nullum habent patrocinium loci stabilis, vel regionis, ad quam eorum obedientia contrahatur, qui nihil sibi obedientialiter impositum possunt repellere, quasi transcendens suam regulam, nisi vergat in suæ animæ detrimentum. Vnde patet, quod errant qui dicunt, quod in omnibus Religionibus obedientia sit æqualis.

Sequitur: *Sine proprio.* Et hoc etiam habet gradus. Nam secundum antiqua iura, clericis habere proprium non licebat. Sunt adhuc etiam bona Ecclesiastica, non propria, sed communia, idest, communi vtilitati viuentium deputata. Sed quia etiam præter hæc, licebat clericis sæcularibus habere propria peculiaria, patet quod altior est status Monachorum quo ad hoc, quibus non licet habere proprium vllo modo personale, sed tantum in communi. Sed quia in bonis communibus est periculum, sicut in propriis vt patet ex auaritiis, & aliis malis affluẽtiæ terrenæ frequenter annexis, tam religiosorum, quam sæcularium clericorum, ille status est sincerior, & à periculis diuitiarum remotior, qui non habet affluentiam propriam, vel communem, mobilem vel immobilem, vt non sit ei ex diuitiis materia superbiendi, vel occasio lasciuiendi, vel auaritiæ incentiuum. Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Nihil igitur habet proprium ordo Minorum fratrum, nec aliqua ipsius ordinis persona, sed vti serui Christi, & seruiles pro Christo effecti, qui pro nobis formam serui accepit, in domibus viuunt alienis, illum imitantes, qui nullum habuit titulum domicilij, vbi caput suum sanctissimum reclinaret. Et propter ipsum, vtuntur librorum, & aliarum vtilitatum vtensilibus, quæ iuris sunt alieni. Nam, & Christus alieno vescebatur cibo, vt dicit Hieronymus ad Nepotianum. Vnde Gregorius Nonus hanc eandem regulam elucidans, & istam professionem ab omni alia distinguens bene ait: Dicimus, quod nec in communi, nec in speciali, debet proprietatem habere, sed vtensilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet ordini habere vsum habeat saluo locorum, & donorum dominio, illis ad quos noscuntur pertinere, nec vendi debent mobilia, nec extra ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui pro tempore fuerit ordinis gubernator, Generali, seu Prouincialibus Ministris, auctoritatem super hoc prębuerit, vel assensum. Ex quo patet quod omnia mobilia quibus ordo vtitur, sunt nullo medio bona Ecclesiæ, ratione cuius, & auctoritate, solus eiusdem Ecclesiæ Cardinalis, & nullus eo inferior licentiam habet, sine ipso eadem dispensandi. Cum ergo in aliis Religionibus bona sic sint communia personis, quod tamen sunt propria communitati, & sicut distinguuntur ecclesiæ, ita & possessiones ecclesiarum: ita ecclesia, quæ est fratrum Minorum communitas nihil potest sibi vendicare per modum possessionis, vel dominii communitatis suæ proprium, mobile, vel immobile in hoc mundo. Posset quidem æstimari, quod in breuiariis ordo haberet ius dominii, quia nominatim in sequenti rubrica conceduntur, nisi sexta rubrica omnis rei, nulla excepta, dominium ab ordine excluderet manifeste.

Sequitur: *In castitate.* Cuius obseruantia, etsi in omnibus religiosis, & clericis intra sacros existentibus est posita, tamen altior disciplina isti ordini est imposita, quam alicui aliorum: cum hic præceptorie interdicatur fratribus: omne suspectum consortium, & ne ingrediantur interiores officinas monialium: nec etiam loca earum publica, nisi ex speciali causa, maturitate debita præexistente missarum ad talia personarum, vt sequentia amplius declarabunt. Si quis ergo omnes religiosos in his tribus votis pares asserit, obedientiæ scilicet, expropriationis, & castitatis, manifeste dicit falsum, vt in obedientia patuit etiam, & patebit quinta, & sexta rubricis, de expropriatione, & paupertate, patet etiam de castitatis inuiolabili honestate. Et si castitas ipsa religiosorum gradus non habet: multi tamen sunt gradus disciplinæ eius honestatem inuiolabilem obseruandi. Hæc est igitur huius perfectio summaria Hierarchiæ. Sed cum obedientia, paupertas, & castitas, partes sint Euangelicæ doctrinæ, vtpote consilia Euangelica: quare hic hæc tria ab Euangelio distinguuntur, cum dicitur, *Sanctum Euangelium obseruare viuendo in obedientia?* &c. Responsio. Duplex est perfectio, vna formalis, quæ consistit in habitibus, & actibus virtutum: alia materialis, quæ consistit in congregatione consiliorum, vel legum, facientium, seu ducentium ad statum perfectionis. Prima intelligitur specialiter nomine sancti Euangelii, quia hæc perfectio est principaliter intenta in sancto Euangelio, ad ipsam enim omnia consilia Euangelica ordinantur. Hæc est quæ præcipue in sermone Domini in monte pertractatur, cum dicitur: Beati pauperes spiritu, &c. & in aliis virtutum regularis, vtputa in vitandis verbis otiosis, & similibus. Alia vero perfectio scilicet materialis ab hac expresse distinguitur, cum dicitur, *Viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate,* vtique consiliaria, & celebri, de qua dicit Saluator: Qui potest capere capiat.

Sequitur de obedientiali eiusdem status ordinatione, per quam reducitur tota religio ad Hierarchiam Ecclesiæ principalem. Pro quo dicit: *Frater Franciscus,* hoc sancti nomen fuit aduentitiũ, cum Ioannes nomine proprio in regeneratione imponi diceretur primo à matre. *Promittit obedientiam.* Et si totus clerus, & religiosorum vniuersitas, teneatur firmiter Apostolico Domino obedire, tamen sanctus huic debito votum adiicit speciale, sciens voto superuenire, & fortificari sacri ordinis vinculum, & meritum geminari. *Et reuerentiam.* Est autem reuerentia, exhibitio honoris procedens à timore filiali, & humili affectu. Vnde sapiens: Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia, quia reuerentia humilitatis, est actus fratris Minoris. Vnde fratres Minores, sicut humilitatis profundissimæ professores, debent inter omnes summe reuereri summũ Pontificem, & alios pro gradu suo, in Ecclesiasticis officiis constitutos. *Domino Papæ Honorio, ac successoribus eius canonice intrantibus,* hoc est qui succedunt non facto tantum, sed iure, secundum formam canonum sublimati. *Et alij fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire,* vt catenæ aureæ vncinis mediis disponuntur, sic inferiores

à supre-

Luc. 2. g

Hiero. epist. 2 ad Nepot. post med.

Matt. 5. a

Matt. 19. b

Franciscus primo vocabatur Ioannes.

Fratres Minores præceteris tenẽtur Papæ obedire ex voto siue præcepto regulæ.

Eccl. 32. b

à supremo vertice, per gradus medios deducantur. Hic est enim motus rectus mentium diuinatum, vt sanctus docet Dionysius. Et sic scala Iacob, ascendentibus, & descendentibus adornatur. Sic ascensu purpureo filiæ Hierusalem pergunt in reclinatorium Salomonis.

Dionys. *Gen. 28. c* *Cant. 3. d*

CAPVT II.

De his qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros Prouinciales, quibus solummodo, & non aliis recipiendi fratres licentia concedatur. Ministri vero examinent eos de fide Catholica, & Ecclesiasticis sacramentis. Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vsque in finem firmiter obseruare: & vxores non habent, vel si habent, & iam Monasterium intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint auctoritate diœcesani Episcopi, voto continentiæ iam emisso, & illius sint ætatis vxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Euangelij, quod vadant, & vendant omnia sua, & ea studeat pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caueant fratres, & eorum ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspirauerit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & bracas, & caparoné vsque ad cingulum. Nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obediétiam, promittentes vitam istam semper, & regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum Domini Papæ, quia secundum S. Euangelium, Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei. Et illi qui iam promiserunt obedientiam habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio qui voluerint habere, & qui necessitate coguntur possint portare calceamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor ne despiciant, neque iudicent homines quos viderint mollibus vestiméntis, & coloratis indutos vti cibis, & potibus delicatis, sed magis vnusquisque iudicet, & despiciat semetipsum.

Mat. 19. c *Luc. 9. g*

EXPOSITIO.

Si *qui voluerint hanc vitam accipere.* Stratis huius ædificij fundamentis restat prouidere de habitatoribus ciuitatis, vt scilicet recipiantur ad ordinem venientes ad Orientem, lucis radios suscepturi. Et hæc pars quattuor habet. Primo agitur de ipsorum receptione. Secundo de probatione, ibi, *Postea concedant.* Tertio de recipiendorum professione, ibi, *Finito vero anno.* Quarto de professorum in victu, & vestitu descriptione, ibi. *Et illi qui iam:*

A Et quia circa receptionem tria concurrunt, scilicet recipientis auctoritas, recipiendi idoneitas, humilitas, & religionis requisita puritas, iuxta quod omne Hierarchicum negotium, diuiditur in sanctis perfectis, & perfectioribus, secundum Dionysium. Primo agitur de pertinétibus ad recipienté. Secundo agitur de pertinentib. ad recipiendi idoneitatem, ibi, *Et si hæc omnia.* Tertio de pertinentibus ad religionis puritatem, ibi, *Dicant illis.* Circa receptores duo tangit, iuxta duas Ecclesiæ claues, iuxta quod in Hierarchia est ordo, & scientia, ex quibus sequitur actio. Tangit primo circa receptores, clauem auctoritatis, & ordinem potestatis. Secundo pertinentia ad clauem scientiæ, & discretionis, ibi, *Minister vero diligenter.*

B Dicit ergo. *Si qui voluerint hanc vitam accipere.* Loquitur conditionate, Dominum sequendo dicentem: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Religionis enim huius propositum, vt nullum terrenum expectari possit emolumentum, nulli necessitate imponitur, nec carne & sanguine suggeritur, sed ab illo inspiratur, de quo dicit. Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cęlo. *Et venerint ad fratres nostros.* Non hoc dicitur, quasi non liceat fratribus non venientes exhortationibus præuenire, cum, & ipse Dominus plures ad discipulatum recipiens, plures vocali vocatione præuenisse legatur, vt Andream, Petrum, & similes, quidam ipsum præuenerunt, se eius cósortio offerendo, quorum, & vnus repulsus est, sicut patet in Matthæo. Venientium igitur ad fratres, quidam sunt à fratribus præuenti, quidam vero ipsos sua deuotione præueniunt. Et de omnibus hic dicitur: *Et venerint. Mittant eos ad suos ministros Prouinciales, quibus, & non aliis, recipiendi fratres licentia concedatur.* Ecce clauis auctoritatis, ministris tantum reseruatur. Ista autem commissio, seu ordinatio habet præcipue duas rationes. Prima, vt receptorũ, aut recipiendorum constantia probetur. Secunda est, quia de ministri prudentia amplius præsumitur, quod arte sciat piscatoria, bonos in vasa sua eligere, malis vero non idoneis, foras missis. Nomen autem ministri sumitur ex Matthæo, vbi dicitur: Qui maior est vestrum, erit minister vester. Et quia plurimorum ad ordinem venientium, est deuotio manifesta, sufficiens est ad receptionem sæcularium, discretió in conuenientibus fratrũ,

D maxime in loco generalium studiorum. Idem Dominus Papa non relaxans hanc regulæ partem, sed ad mentem eius dispensando aspiciens ordinauit, quod in talibus locis, discretis fratribus, receptionis auctoritas concedatur, sciens quod dicit lex. ff. de legibus, quia scire leges, non est verbum earum tenere, sed vim, & potestatem. Et 61. dist. ca. Statuimus, dicitur: Ecclesiasticæ prohibitiones, proprias habent causas, quibus cessantibus cessant, & ipsæ. Et 1. qu. 1. dicitur: Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, cessare debet. Sed pro claue discretionis dicit: *Minister vero diligenter eos examinabit de Fide Catholica, & de Ecclesiasticis sacramentis.* Hoc pro illis dicitur partibus, vbi contingit aliquos hæreticos inueniri. Ad fidem Catholicam pertinent omnia, quæ ipsi fidei obsequuntur. Vnde quia fratres ad fidei doctri-

E nam ex intentione regulę sunt vocati, vt sequentia manifestant; statutum est in ordine, ne aliquis recipiatur ad ordinem pro clerico, nisi fidei doctrinæ habeat conueniens fundamentum, vel saltem pro fundamenti penuria, ædificationis multitudo recompenset, vt quod in talibus lingua non sufficit, vita clamet, & sic de minoribus examinatio in maioribus implicatur, sicut ipse Dominus inhibendo idololatriam, inhibet omnem superstitioné. Inhibendo hæresim, inhibet omnis erroris perniciem. Inhibendo homicidium, inhibet omnem personæ iniustam læsionem. Inhibendo mœchiam, inhibet fornicationem. Præcipiendo honorem parentum omnem hominem pro gradus sui merito, cum innotuerit, præcipit honorari, vt sic minora in maioribus commendentur Sic etiam in præsenti, minorum examinatio in maioribus implicatur.

Mat. 19. c *Ioan. 3. d* *Matt. 8. c* *Matt. 20. d* *Exo. 10. b*

Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri. Hic agit de pertinentibus ad recipiendorum idoneitatem, quæ in duobus consistit. Prima ad Deum, pro qua dicit: *Et si hæc omnia credant*, vtique corde, *& velint ea fideliter confiteri.* Quia ore fit confessio ad salutem, vt dicit Paulus. Ex quo vere patet, quod recipiendi ad ordinem, debent parati esse ad martyrium. *Et vsque ad finem firmiter obseruare*, quia præmium datur soli perseueranti. Secunda est in ordine quo ad mundum pro qua subdit. *Et vxores non habent*, &c. *vel licentiam eis dederint*, scilicet maritis, *auctoritate diœcesani Episcopi, voto iam continentiæ emisso.* Hoc dicitur, quia votum quo ad hoc non sollemnizatur, nisi vouens mundo moriens, in spiritualis patris penitus transeat potestatem, quod præcipue conuenit sponsoEcclesiæ. *Et illius sint ætatis vxores, quod non possit de eis oriri suspicio.* Ætas ista non minus stabilitate virtutis, quam tractu temporis mensuranda videtur, quia dicit Sapiens: Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. In isto autem impedimento, omnia alia intelliguntur, quæ possent ineptitudinem ad ingressum ordinis generare. Sicut modus est istius regulæ dare, ex similibus similia intelligere, & minora in maioribus implicare. Quæ autem hic dicuntur, colliguntur. Extra. de conuersione coniugatorum. cap. Cum iis, & aliis pluribus.

Rom. 10. b

Sap. 4. b

Dicant illis verbum sancti Euangelij. Hic agitur de tertio, scilicet de religionis puritate, quæ in tribus consistit, in venientium denudatione perfecta, in frugalitate recipientium manifesta, ibi, *Et caueant fratres, ne solliciti.* Tertio in directione ad releuationem pauperum discreta, ibi, *Si tamen consilium requiratur.* Pro primo dicit: *Dicant illis verbum sancti Euangelij, quod vadant, & vendant omnia sua, & studeant ea pauperibus erogare.* Hoc enim sumitur de consilio Domini, vt habetur in Mattheo, & simile legitur, in Luca vbi dicitur: Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt. Ait ad illum IESVS Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei, vt sint nudi corde, vt sunt qui diuitiis habitis cor non apponunt, nec nudati tantum chlamyde cum Ioseph Ægyptiam fugiente, quem imitantur, qui relictis implicatiuis, sibi retinent operimentum sufficiens nuditati, & suo modo nudi nudam crucem sequuntur: sed sint etiã adeo nudi, vt sint spoliati sindone super nudo, vt à propinquiori cum adolescente, diligente Dominum præ ceteris cum abiecto pondere, in nuditatis termino, statui viæ possibili, Christi vestigia imitentur. *Quod si facere non potuerint*, propter loci distantiam, vel propter litium implicationem, *Sufficit eis bona voluntas*, qua licite ceditur, & omnia contemnuntur, iuxta illud Hieronymi: Si habes res tuas, vende: si non habes, proiice. Nemo renuntiaturus sæculo, potest bene vendere, quæ contempsit, vt venderet.

Matt. 19. c
Luc. 9. g

Gen. 39. c

Mat. 14. c

Sequitur de puritate à parte recipientium. *Caueant autem fratres*: Istud videtur dici prohibitorie, cum inhibeatur vt illicitum, quod colligitur ex hoc quod sequitur: *Si tamen consilium requiratur.* Ex quo enim licentia in hoc tantum datur, in alio denegatur. *Et eorum ministri, ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt libere faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspirauerit eis.* Hoc sumitur ex exemplo Domini dicentis: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, &c. Secus erat in Actibus Apostolorum, vbi dicitur, quod propter multitudinem virorum ac mulierum simul existentium, inter quos nullus erat egens, Apostoli gerebant pecuniæ pretij rerum venditarum ad tempus sollicitudinem, quam cito dimiserunt, sicut impeditiuam verbi Dei. Discretior, & excellentior est regula ab ipso Domino constituta Apostolis, cum dixit: Nolite possidere aurum, vel argentum: quam illa, quæ constituta est sub Apostolis, primitiuæ multitudini simul habitantium virorum, ac mulierum, vbi nullus eorum, aliquid possidebat, neque suum aliquid esse dicebat, sed ipsum in communi cum aliis possidebat. Hanc regulam sub Apostolis constitutam, instituit B. Augustinus sibi, & clericis suis statuens, ne quid proprij possiderent. Sed quia vidit eam Augustinus à clericis non seruari, mutauit decretum eos habere proprium sustinendo, vt patet 12. quæst. 1 ca. Certe ego. Hanc eandem multitudinis regulam imitatus S. Benedictus mandauit bona ad ordinem venientium, nisi darentur pauperibus, adiungi rebus Ecclesiæ monachorum, vt ipsi viuentes sine proprio personali, haberent possessiones monasterijs proprias, quibus ipse nullum præfixit limitem terrenæ affluentiæ acquirendæ, vnde agrum agro non cessant vsque hodie eorum plurimi, copulare. Alia fuit antiquorum monachorum forma, iuxta quod narrat Gregorius 3. dialogorum de S. Isaac monacho. Cui cum plurimi possessiones offerrent ad monasterium constituendum, ille omnia oblata respuens, fortem tenebat sententiam, dicens: Monachus, qui in terra possessionem quærit, monachus non est. Et Hieronymus ad Paulinum: Habet vnumquodque propositum principes suos: habemus, & nos principes propositi nostri, Paulum, & Antonium. Item noster princeps Elias, noster Elisæus, nostri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & faciebant tabernacula iuxta fluenta Iordanis. Item dicit in Epitaphio Nepotiani. Alij nummum addunt nummo, & marsupia fodientes matronarum opes venantur obsequiis. Ditiores sunt monachi, quam sæculares, possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt; & sustinet eos etiam Ecclesia diuites quos tenuit mundus ante mendicos. Hæc Hieronymus. Et tamen sancta est viuendi forma si seruetur, quam instituit S Benedictus, quidam in nigris, quidam vero in albis à longe imitantur. Beatus igitur Franciscus, videns pericula, & sacrilegia affluentiæ terrenæ, quam multi possident in communi, elegit regulam ipsis Apostolis ad prædicandum missis à Domino constitutam iniungens fratribus ne sollicitudinem habeant de rebus venientium ad ordinem, ne sic ordinis maculetur puritas, vel inquietudine aliqua grauetur. Sed ne res venientium inutiliter dispensentur, remedium conueniens adhibetur, cum dicitur: *Si tamen consilium requiratur.* Hæc licentia sicut conuenit Ministris, ita competit aliis, quibus ex priuilegio Apostolico, recipiendi fratres ad ordinem est concessa, quoniam concesso principali, accessorie etiam omnia conceduntur. *Postea concedant eis pannos probationis.* Præmissa prima parte huius rubricæ, in qua agitur de venientium receptione: hic subiungitur secũda pars de eorum probatione, quantum ad habitus præcipue qualitatem. Dicit ergo: *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine caputio.* Sed cum dicatur in regula Apostolorum: Neque duas tunicas, qualiter hic sanctus Franciscus concedit duas tunicas, qui superius dixit: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri* IESV CHRISTI *S. Euangelium obseruare?* Responsio. In Euangelio nomine vnius tunicæ, vestitus designantur necessarij. Vnde non habere duas tunicas, non est ferre superflua vestimenta. Sed quia pro religionis honestate, necessarium est exteriorem tunicam, in longitudine, & latitudine, ab alia, vel aliis differre, necessarium vestimentum B. Franciscus in duas diuisit tunicas, in vna intelligens exteriorem amictum, vt fratres cappa tegantur, in alia intelligitur omne corpori manifeste necessarium vestimentum. *Et cingulum*, funem vtique, quia dicitur in Isaia: Erit pro zona funiculus, & cingulum sacci. Hoc cingulum funiculus est quia sacci funibus cingi solent. Credo autem S. Franciscum istud cingulum elegisse, quia legitur in Matthæo: Vinctum duxerunt eum, & tradiderunt eum Pontio Pilato. Vel certe ad litteram vt cinguli vilitas concordet habitus vilitati, vt hoc cinctorio armati, & veritatis linea multis aspera, ab Ecclesia videantur disturbare simoniacos, & alios scelerosos. Facto enim flagello de funiculis, Dominus vendentes, & ementes de templi sui finibus noscitur eiecisse. *Et bracas*, quarum est necessitas manifesta in casibus innumeris, propter humanæ miseriæ tegumentum. Istarum braca

Matt. 19. c
Act. 6. a

Matt. 10. b

Greg. lib. 3. Dial. ca. 14.

Hiero. ep. 13. ad Paulin. cir. medium.

Idem Epist. 3. ad Heliod. cir. med.

Matt. 10. b

Isa. 3. d

Matt. 27. a

Ioan. 2. c

rum non tangitur qualitas, vt liceat fratribus, si nolunt tangere lini delitias, bracis vel laneis, vel etiam ciliciniis. *Et caparonem vsque ad cingulum.* Vt more antiquorum religiosorum, distinguatur habitus nouitiorum, ab habitu professorum. Ab ista autem generali lege excipiens addit: *Nisi eisdem Ministris secundum Deum aliquando aliud videatur.* Ex hoc verbo S. Francisci procedit, vt istud nouitiatus insigne paucissimis concedatur, quia crescente vanitate hominum, non est mirum si humilitas minuatur. *Finito vero anno probationis.* Haec est tertia pars rubricae, in qua agitur de professione. Primo quantum ad sui obligationem votiuam. Secundo quantum ad propositi stabilem perseuerantiam, ibi: *Et nullo modo licebit, & cat.* Dicit ergo sic: *Finito vero anno probationis.* Nec enim ante annum completum, licet possent se Deo immobiliter astringere, licet eos ad professionem admittere faciendam. In quo anno possunt experiri afflictiones frigoris, & caloris. In cuius figura, sterilis ficulnea anno vno dimittitur ne praescindatur vt fructus ab ea agricolatus adhibito fimo expectetur. *Finito igitur anno probationis, recipiantur fratres ad obedientiam, promittentes vitam istam, & regulam, semper obseruare.* In qua promissione sic vouent totam regulam, vt supra tactum est, vt non omni eius parti se obligatorie astringant. Vouent enim se totam regulam pro regula habituros, secundum mandantis intentionem, vt quaedam ad obseruandum omnimode, quaedam ad habendum pro salutaribus hortamentis. Ergo illa, quae ad obseruantiam, inuiolabiliter sunt vouenda, ista ad cautelam ex voto perenniter sunt habenda. *Et nullo modo.* Hic tangit secundum, scilicet voti stabilem perseuerantiam, dicens: *Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, supple, post professionem.* Exitum autem de religione aliqua, dupliciter intelligere possumus. Vno modo vel retrocedendo, & hoc reuertendo ad saeculum, seu ad religionem laxiorem, quorum vtrumque est apostatare, & retro aspicere: alio modo procedendo ad altiorem gradum fugere, scilicet melioris vitae ascendendo, sicut faciunt qui à laxioribus statibus ad religiones se transferunt arctiores. Primus modus exeundi, est in omni religione damnabilis. Secundus, laudabilis vbi possibilis. Sed professio ad hanc religionem est impossibilis, quod nisi Papa supponeret, in regula praemittens. *Et nullo modo licebit*, non subiungeret: *Iuxta mandatum domini Papae.* Quia secundum sanctum Euangelium. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. Si igitur, non licet exire, quia non licet retro aspicere ergo omnis alia religio huic est retro, & apostatae sunt omnes ab hac religione post professionem ad quamcumque aliam transeuntes. Quod si aliquos exire, vel pro peccatis suis à religione eiici contingat, si totis viribus instantes fuerint pro religione hac recuperanda, nec gratiam inuenire valentes, ex tunc in aliqua alia religione rigida, se saluare poterunt, si tamen quantum in se est, maneant in desiderio ad statum suum pristinum reuertendi. Quod si de licentia Apostolica se glorientur aliqui, aliter facientes, pro certissimo sciant, contra hanc Domini sententiam, Papam nihil facere: Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Quod si mendaciis interuenientibus, aliquid contingat per tales à sede Apostolica impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum mendacio tantum Patrem circumuenientes, suae quaerunt apostasiae pallium, qui in votis non dispensat, nisi vbi suggerit pietas, & rationabilis aequitas recompensat. Et quia obligati ad eundem ordinem voto, vel iuramento, tenentur Domino integre soluere quod vouerunt. Qua ratione, non licet fratribus de hac religione exire, quia hoc est retro aspicere. Non licet obligatis ad istam religionem, quamcumque aliam intrare, profiteri vel ingredi ad manendum, immo peccant mortaliter tales in religionibus aliis remanentes: peccant etiam eos recipientes, & consentientes, sicut apostasiae facinus promouentes. Sed quid dicendum est de illis, qui ad Episcopale officium ex his fratribus assumuntur? Respondeo. Si coacti ab Ecclesia, huiusmodi ineuitabili necessitate suscipiant regimen animarum, non sunt reputandi ab ordine egressi, si quantum in ipsis est, semper appetant in sinu ordinis confoueri. Quod si non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti, ad eundem aspirant, vt fugiant aerumnas pauperu, & ordinis rigorem, credo eos in illius partem cessuros, qui dixit: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Sed numquid obligati ad hanc religionem, excusabuntur si assumantur ad curam pastoralem, vel aliam Ecclesiasticam dignitatem, certum est quod non, vt patet extra. de voto, ca. Per tuas. Vbi Papa cuidam ad religionem obligato, & ante impletionem voti ad regimen animarum assumpto, respondit in haec verba: Si tuam desideras sanare conscientiam, regimen resignes memoratae Ecclesiae, ac reddas Domino votum quod vouisti.

Luc. 13. b

Luc. 9. g

Isa. 14. c

Et illi qui iam, &c. Hic tangitur quarta pars huius rubricae, in qua agitur, de victus, & vestitus districtione. Primo quantum ad vestitum. Secundo quantum ad victum, ibi: *Quos moneo.* In prima parte tangit vestitus qualitatem, & quantitatem. Secundo vilitatem, ibi: *Et fratres.* Et interponit pedum nuditatem, vt patet. Dicit ergo sic: *Et illi, qui iam promiserunt obedientiam*, professi scilicet, *habeant vnam tunicam cum caputio.* In quo habitus intelligitur. *Et aliam sine caputio, qui voluerint habere.* In alia tunica sine caputio, intelligitur secundum statuta ordinis, vnica simplex vel repetiata, nec debent plures haberi inferius, à professis praecipue, nisi de superiorum arbitrio, quibus regula committit talium sollicitudinem, secundum loca, & tempora, &c. Dicit autem signanter, *qui voluerint habere*, quia varia sunt corporum robora, & multum differentes diuersarum intemperies regionum. Sed pro calceamentis addit: *Et qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta.* Vbi aduertendum, quod cum regula solum pro necessitate cogente, concedit calceamenta portare: vbi ergo non cogit necessitas sicut in corpore robusti, vbi autem necessitas non cogit sicut, & in negotiis gerendis, quae & si per solos debiles expediri valent, potest tamen sine periculo differri ipsarum expeditio, non licet. Calceamentorum ergo deportationem ipsa regula indirecte interdicit. Et quia verbum illud sumitur de Euangelio, vbi dicitur in regula Apostolorum: Neque calceamenta, patet hic vsum sandaliorum minime prohiberi, quoniam sicut dicitur in Matthaeo: Neque calceamenta, Euangelico more hanc complet sententiam, praecepit eis, ne quid tollerent, sed calceatos sandaliis, &c. Propter quod antiquae sculpturae pariter, & picturae, monstrant, Apostolos calceatos sandaliis incessisse. Vnde super illud Actorum: Calcea te caligas tuas, dicit Beda: Pro caligis, & caligulis, vt quidam habent, Graecus habet sandalia. Hoc enim genus calceamenti, legitur in Euangelio, Apostolis fuisse permissum. Haec Beda. Quae expositio extranea videretur, nisi diceret Papias, quod caligae sunt sandalia. Quae autem ibidem dicuntur, scilicet in Actibus, Glossa interlinearis exponit dicens, quod per hoc quod Angelo iubente Petro, & ipso complente, datur exemplum non ambulandi sine calceamentis, & non potest ad litteram, ad aliud genus calceamentorum retorqueri, quam ad illud, de quo loquitur textus ipse, scilicet sandalia. Verbum etiam ipsius Glossae nullius est auctoritatis, quo ad hoc quod dicit, Angelo iubente, & si ad personam Petri littera referatur, tamen iussio pro aliis mystice intelligitur referri, scilicet ad virtutes, pedes spirituales munientes, quae in sandaliis designantur. Sicut ad Ephesios dicitur: Calceati pedes in praeparationem Euangelij, ibi vide Glossam. Quod autem Christus alia calceamenta Apostolis inhibuerit, patet, quia super illud Matthaei: Neque calceamenta, dicit Hieronymus. Et Plato duas corporis summitates dicit non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis, & pedum. Cum enim haec firmitatem habuerint, cetera robustiora sunt. Item Hieronymus ait: Discipuli, & sine calceamentorum honore, & vinculis pellium, ad

Matt. 10. b

Mar. 6. a

Act. 12. b

Eph. 6. c

Matt. 10. b

prædicationem Euangelij destinantur. Milites vestimentis Christi sorte diuisis, caligas non habebat, quas tollerent. Nec poterat enim habere Dominus, quod prohibuerat in seruis. Ecce quod Christus docuit incedere sine calceamentis, hoc ipse etiam obseruauit. Hic tamen Hieronymus aliter vtitur nomine caligarum, qua supra habitum est ex Beda, & Papia. Item Eusebius sexto Ecclesiasticæ historię dicit: Desiderabam videre sanctum illum, & psallentem chorum, qui ad exemplum melioris vitæ ceteris omnibus viuunt legis Dei, atque Euangelij taciti prædicatores, in quibus ipse habitus præfert virtutis insignia, hirsutum caput, pedes nudi Apostolis similes. Idem patet de Hieronymo, & sui temporis monachis. Dicit enim in vitis Patrum cap. de S. Ioanne. Ita omnia illa exasperante loco, vt non solum nudos pedes vt eramus nos, sed, & calceamentis munitos terebret, & secet. Hæc Hieronymus. Item obsecro si Christus nudis pedibus minime incessisset, qualiter rationabiliter de Pharisæo conquestus fuisset, dicens: Aquam pedibus meis non dedisti, &c. Sed quidam hic sensui suo innitentes, & ipsum Christi sensui præferentes, dicunt melius esse pro doctrina veritatis calceatum esse, quam discalceatum, ne impediatur verbum Dei. Sed attendant illi, quod nulla forma aptior est Euangelij propagandi, quam illa in qua toti orbi fuit Euangelium prædicatum. Hoc autem factum est nudis pedibus. Vnde Hieronymus: Discipuli toto orbe peregrini, non æs in zona, non caligas habuere in pedibus. Fateor pœnam esse asperam pedum nuditatem. In hieme quidem apparet, propter frigiditatem: In æstate autem grauior est, propter duritiem maiorem, quia calor plus opprimit terræ glebas, quam frigus, & Sole ascendente, cum gelu resoluitur in hieme exiccatur amplius in æstate. Calor etiam findit, & frangit grauiter pedes nudos. Et tamen ipsi fratres, cum Apostolo, In frigiditate, & nuditate ibant gaudentes, nec algoribus hiemis, nec ardoribus æstatis, hactenus dimiserunt, quin nudis pedibus, adierint remotissimas partes mundi. Amplius posito quod Christus, vel in pueritia, vel ante trigesimum tertium annum, calceaméta habuerit, non tamen ea habuit, postquam eorum vsum discipulis inhibuit, qui cœpit facere, & docere. Sed pro vestimentorum qualitate subdit. *Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur.* Hoc quidem conuenit altissimæ paupertati, quæcumque enim sunt, in vsu verorum pauperum, sunt iuxta paupertatis regulam mensuranda. Hæc vilitas in tribus attendenda est scilicet in pretio, in colore, & superadditis alterius panni assumentis. In pretio, inquam, quia paupertas vera nihil pretiosum habet. Color etiam naturalis non artificialis, in veste haberi debet. Aliter frustra monerentur fratres in sequentibus, minime iudicare vtentes vestimentis coloratis: tertium additur, vt sæculi stultitia in fratrum habitu ostendatur. Vnde subdit: *Et possunt ea repeciare de saccis, &c.* Saccus duplex est, scilicet lineus, & laneus. Et secundum istud, saccus dicitur omnis vestis vilis. Et est saccus cilicinus, quo vsi sunt prophetæ. Vnde in Isaia: Solue saccum de lumbis tuis. Hieronymus in Glossa: Mira obedientia, solo cilicino induebatur, vt tradunt Hebræi, &c. Per alias species, aliorum pannorum, diuersitas intelligitur in substantia, & colore. Additur autem huic vestimento benedictio Dei, quoniam qui se stultum, & despicabilem exhibet huic mundo, ipsi Deo efficitur pretiosus. Hæc est benedictio eius, qui apparuit in rubo. Ipse enim Christus vsus est vilissimis vestibus. Vnde Chrysostomus super Ioannem homil. 33 Antequam apparuisset IESVS prædicabat eum Ioannes Baptista, vt facile susceptibile esset testimonium, ipso apparente in vili vestimento innotescente. Itaque enim vili veste annuntiabatur forma communi omnibus Christus. vt Samaritanæ mulieres, & meretrices, & publicani cum magno ausu auderent ei appropinquare, & loqui. Hæc Chrysostomus. Et nota, quod fratribus nulla pellicea vestimenta conceduntur.

Luc. 7. g — *Hier. Epist. 11. ad Agerochiam post med.* — *Isa. 20. a* — *Deu. 33. c*

Quos moneo, &c. Hic agitur de districtione, quantum ad victum. Excludit quidem principaliter iudicium temerarium, & aliorum contemptum, ac præsumptionem propriorum factorum. Secundo addit insinuantem exhortationem de ciborum vilitate, dicens: *Quos moneo, & exhortor ne despiciant in affectu, neque iudicant contemnendo, vel vilipendendo in cogitatu. Homines quos viderint vestimentis, & coloratis indutos.* Hieronymus ad Rusticum: Vilis tunica contemptum sæculi probat. Ita dumtaxat, ne animus tumeat, ne habitus, sermoq; dissentiant. Vnde licet faciliter vitari non possit iudicium suspicionis, vel hesitationis, cauendum est tamen penitus à iudicio diffinitionis, qua absolute talibus vtentes contemnuntur. *Vti cibo & potu delicato.* Non est ergo fratrum, vti cibis, & potibus delicatis sicut nec vestibus vti coloratis. Hoc enim ad ius pertinet altissimæ paupertatis, quæ quanto est altior, tanto arctior debet esse victus Vnde in comitiua Christi, inuenti sunt panes hordeacei, & hoc in deserto. In ciuitate autem vsus est pane triticeo. In quo, & instituit sacramétum. Similiter, & in deserto, ieiunabat quadraginta dierum spatio: inter homines autem existens, adeo se hominibus, & cibis, & potibus conformabat, vt vorator, & potator vini ab omnibus diceretur. Quid in hoc aliud tacite prædicat, nisi damnationem hypocrisis coram hominibus scilicet austere, & in abscondito viuere delicate? Vnde in Matthæo legitur, quod IESV abeunte per sata, discipuli cœperunt vellere spicas. Vbi Glossa dicit, quod in hoc docuerunt austeram vitam, & non accuratam, sed simplices cibos quærere. Vnde certum est, quod paupertatem, & pœnitentiam profitentibus carnes in suis domibus sunt vitandæ extra casum necessitatis duplicis, scilicet vel infirmitatis, vel debilitatis manifestæ. Iuxta quod B Benedictus inhibet monachis carnes quadrupedum, præter illos, qui sunt omnino debiles aut ægroti. Idcirco temporibus pœnitentiæ, Ecclesia à carnibus solet abstinere. Qui ergo sunt pœnitentiæ perpetuæ professores, ab eis tritis, & integris, omni tempore debent abstinere, quantum patitur fragilitas humana. Nec hoc sufficit, nisi & à sumptuosis piscibus, & maxime belluis, studeant abstinere Vnde Gregorius: Qui à carnibus abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia præparent. Ridiculosa igitur videtur abstinentia, maxime pauperibus, carnes non tangere, & pisces quærere cariores. Et Hieronymus ait: Sit tibi vilis, & vespertinus cibus olera, & legumina, interdum, & pisciculos paucos pro summis delitiis ducas.

Hier. Epist. 4. ad Rustic. — *Ioan. 6. a* — *Matt. 12. a* — *Hier. epist. ad Paulini. cir. med.*

Sequitur: *Sed magis vnusquisque iudicet, & despiciat semet ipsum.* Hoc enim veræ humilitatis conuenit professoribus, seipsos despicere, & despicabiles reputare. Sequitur.

CAPVT III.

De diuino officio, & ieiunio, & quomodo fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breuiaria. Laici vero dicant vigintiquattuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Et orent pro defunctis, & ieiunent à festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui voluntarie eam ieiunant benedicti sint à Domino, & qui nolunt non sint astricti, sed aliam vsq; ad Resurrectionem Domini ieiunent

Alijs

Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare. Tempore vero manifestæ necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo vero, moneo, & exhortor fratres meos in Domino IESV CHRISTO, vt quando vadunt per mundum non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent, sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primum dicant. Pax huic domui. Et secundum S. Euangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis liceat manducare.

Matt.10.b
Luc.10.b

EXPOSITIO.

Clerici faciant diuinum officium, &c. Hæc tertia rubrica fratres instruit disciplina. Et hæc pars habet tria, quia primo agit de disciplina ordinante ad Deum laudandum, & honorandum. Secundo agit de disciplina ieiunij, quæ ordinat hominem, ad seipsum, ibi: *Et ieiunent.* Tertio agit de ordinantibus ad ædificationem proximorum, & hoc quantum ad ambulantes per mundum, ibi: *Consulo.* In prima ergo parte, primo informat clericos, deinde informat laicos.

Dicit ergo: *Clerici faciant diuinum officium, secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Quod officium fuit in maiori parte à sancto Gregorio, & aliis sanctis institutum, excepto psalterio, quia Ecclesia Romana vtitur alia trāslatione psalterij, quam communiter habeatur, vel verius aliter emendato. Ex quo scilicet officio, habere poterunt breuiaria. Sed quare sanctus Franciscus, ex quo fratres suos volebat in prædicatione, & studio per consequens exerceri tam onerosο, tam prolixo officio onerauit? Responsio. Sanctus Franciscus optabat Romanæ Ecclesiæ vestigiis religionem suam idcirco pro viribus copulare: quia sciens, eam immediate subesse cœlesti curiæ, & ab ipso fuisse Domino institutam, & à sanctis Patribus gubernatam, qui habentes sapientiam, & iudicia mittere toti mundo, secundum illud tamen officium prolixum laudauerunt altissimum, sicut, & laudat vsque hodie Romana Ecclesia, regimini nihilominus intenta Ecclesiæ vniuersalis, quibus etiam fuit maximæ sollicitudinis inter omnes necessitates, sciebant tamen clarissimum esse laudum meritum diuinarum, & per consequens, breuitatem laudum, breuitatem arguere meritorum. Cum ergo nulli incumbit tanta sollicitudo vacandi sapientiæ, pro regimine, vel illustratione vniuersalis Ecclesiæ sicut Ecclesiæ Romanæ: nulli pro Ecclesiæ ministerio, aut studio, congruit illud officium abbreuiare. Suspecta est ergo cuiuslibet nutricis pietas, quę affectum putat transcendere tantæ matris Præterea multum ad illuminationem proficit piarum mentium, laudum frequentatio, iuxta illud Psalmistæ: Sacrificium laudis honorificabit me. Gregorius super Ezechielem: Vox psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur, vt deuotæ menti vel prophetiæ mysterium, aut compunctionis gratia infundatur.

Psal.49.d
Greg. hom. 1. in Ezech. post med.

Pro informatione laicorum subdit: *Laici vero dicant vigintiquattuor Pater noster.* Doceantur autem laici, quod tria hæc vocabula. Pater noster, qui es in cœlis, pertinent ad animi præparationem, quia cum vult se nominari Deus Patrem, dat fiduciam impetrandi, quia pater libenter filiis thesaurizat. Cum vero dicitur, noster, docet dilatationem affectus, vt nullus orationem suam ad se solum contrahat. Cum dicitur, qui es in cęlis, excitat puritatem intentionis, vt orans sola cœlestia orando requirat. Cum autem subdit: Sanctificetur, oratio subiungitur, quæ in septem petitionibus continetur, quarum primæ tres directe pertinent ad Dei honorem, quattuor sequentes ad petentium vtilitatem. Cum enim dicitur, Sanctificetur nomen tuum, petitur vt fidei veritas certissima, qua Deus est Pater Fidelium, & Fideles filij Dei appellantur, ab infidelibus cognoscatur. Cum autem dicitur: Adueniat regnum tuum, petitur, vt eius legibus à credentibus obediatur. Fiat voluntas tua, petitur, vt eius bonitas diligatur, & propter se colatur ab infirmis sicut à fortibus. In quattuor autem petitionibus sequentibus, primo petitur collatio omnis boni corpori, & animæ necessarij, cum dicitur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et petendo tantum pro hodie, excludit proteruiam auaritiæ, incertitudinem vitæ insinuando. Secundo subditur petitio amotionis omnis mali. Primo quantum ad præterita, cum dicit: Et dimitte nobis debita nostra, vbi implicatur debitum innocentiæ, vt sciat se ad malum suum petere, qui in corde suo retinet adhuc rancorem iræ. Secundo quantum ad futura. vt detur gratia omnia deuitand. pericula peccatorum, vel tentationum. Cum dicit: Et ne nos inducas in tentationem, idest, ne induci permittas. Tertio quantum ad pręsentis exilij vniuersa mala præsentia, vt habentes vitam in patientia, mortem optemus vitam istam, cum Domino placuerit, terminantem. Et hæc omnia confirmantur, cum dicit: Amen. Vbi notandum, quod hæc oratio inter omnes est præcipue veneranda, cum ab ipso Domino, nullo medio, fuerit instituta. Dicit autem beatus Franciscus signāter vigintiquattuor Pater noster pro Matutino, quia officium nocturnale excubias repræsentat ciuium supernorum, & illo tempore Deo est sacrificium laudis, & Angelis acceptissimum. Numerus autem vigesimusquartus est numerus Patrum vtriusque testamenti. Duodecim enim fuerunt Patriarchæ, per quos multiplicatus est populus credentium carnaliter. Duodecim etiam Apostoli, per quos in nouo testamento multiplicatus est populus credentium spiritualiter. Petunt ergo fratres in mysterio huius numeri, optantes in vtriusque testamenti Patrum meritis exaudiri, quos non est dubium, ad Angelicum consortium peruenisse, vel quia vigintiquattuor sunt horæ naturalis diei, oratio istius numeri petit remedium temporis vniuersi. Item Matutinæ laudes, quæ à clericis decantantur, nouenario psalmorum, lectionum, ac cantuum distinguuntur, vt Angelicos nouem ordines repręsentent. Numerus autem vigesimusquartus generatur ex ductu ternarij in octonarium. In ternario autem, numerus credendorum. In octonario iustitia intelligitur agendorum, cum secundum Augustinum est numerus iustitiæ, vnicuique sua tribuentis. Laici ergo, qui ad laudes Angelicas, vel intelligendo mysteria non assurgunt, simplicitatem suam in fide, & iustitia in hoc numero perficiunt, dum octonarius ad iustitiam, ternarius ad fidem pertinet Trinitatis.

Aug. enar. in Psal.6. to.8.

Sequitur: *Pro Laudibus quinque.* Sicut Matutinum officium laudes signat ciuium supernorum, sic officium Laudum significat cultum Ecclesiæ à mane Ecclesiæ primitiuæ, vsque ad lucem claram, quam in fine sæculi expectamus. Incipiunt enim à regno Christi decore induti in populo Iudæorum, per iubilum omnis terræ, transeuntes in populo gentium, lucem pacis datam fatentur Ecclesiæ, & duos primos psalmos tertio copulando, duplicis populi concordiam repræsentant. Transeuntes autem per canticum puerorum in camino laudes Ecclesiæ repræsentant sub Antichristo. Et cum in tribus psalmis laudes iungunt vltimo, tempus post Antichristum significant, quando Christianis, qui vsque tunc fuerunt Iudæi, & pagani in vna fide sociati Dominum collaudabunt. Per has quinque petitiones laudum canonicarum Ecclesiasticarum, puto S. Franciscum hunc quinarium laicis assignasse, nisi in hoc forte numero. differentia assignetur laudum cœlestium, & terrestrium. Iuxta hoc differunt Hierarchiæ, quia cœlestis laudat Deum intellectualiter, subcœlestis per sensibilia symbola, quæ omnia per quinque sensus cognoscuntur, dum auditus laudat in canticis, visus in ornamentis, tactus in obsequiis, gustus

in sacrificio altaris, olfactus in fragrantia thuris, & si qua similia ad fragrandum adhibentur.

Sequitur: *Pro prima*, in qua Dominus ad Pontifices ductus est. *Tertia*, in qua accusatus, & iudicatus est, in qua etiam descendit Spiritus sanctus. *Sexta*, in qua crucifixus est. *Et nona*, in qua mortuus est *pro qualibet istarum horarum septem*, vt septiformis gratia impetretur, vel secundum septem dona Spiritus sancti, vel secundum septem Ecclesiæ sacramenta, quibus Deus indidit suæ efficaciam passionis. *Pro Vesperis autem duodecim.* Hoc ideo forte, quia Vesperæ pro horis habent duodecim celebrari, vt pro omnium horarum diei præteritæ offensis, oratione duodenaria CHRISTI misericordia imploretur. Vel quia laudibus Vespertinis repræsentatur mundi Vespera, in qua ipse Deus incarnatus est, factus dies, & sibi duodecim horas, in duodecim Apostolis copulauit. Vnde legitur in Ioanne: Nonne duodecim horæ sunt diei?

Ioan. 11. b

Sequitur: *Pro Completorio, septem*, in quo omnium consummatio insinuatur, vt sicut Spiritus septiformis incipit, & dirigit, ita per ipsum, etiam diei meritum consummetur. Hæc autem in vniuerso sunt septuaginta sex Pater noster, quibus si oratio pro defunctis adiiciatur numerus producitur octuagesimusprimus, vt omnium peccatorum remissio impetretur. *Et ieiunent.* Hic agitur de ordinantibus hominem ad seipsum, scilicet, de ieiunio. Et loquitur de triplici quadragesima duas præceptorie imponens, tertiam ad deuotionis excitationem suadens. Tres siquidem leguntur quadraginta diebus continue ieiunasse nempe Moses, Elias, & ipse Dominus mer. Duplex autem est ieiunium, scilicet mæroris, & gaudij. Ieiunium, mæroris est, quo carni placentia cibaria, studio pœnitentiæ carni abscinduntur. Ieiunium vero gaudij est, cum ipsum cor, tantis est inunctum spiritualibus delitiis, vt pœna sit vacare mensis, & est per consequens delectabile ieiunare, cum ieiunatur, non vt corpus affligatur, sed ne deuotio interrumpatur, qua spiritus recreatur. Ieiunium Moysi, significat mærorem pro deletione culpæ. Ieiunium Eliæ, significat mærorem pro amotione omnis miseriæ. Primum signat ieiunium Quadragesima hiemis. Secundum signat quadragesima veris. Vel melius, prima Quadragesima refertur ad peccata præterita expianda. Secunda ad futura imminentia præcauenda. Ieiunium autem Christi significat ieiunium gaudij, quo non tantum à cibis carnalibus, sed ab omni terrena delectatione delectabiliter abstinetur. Idcirco beatus Franciscus duas Quadragesimas præcipiendo imposuit: tertiam vero cum benedictione Dei suasit, sciens eam deuotione sola, & non aliqua coactione adimpleri debere.

Exo. 34. d
3. Reg. 19. b
Matt. 4. a

Dicit ergo: *Et ieiunent à festo omnium Sanctorum, vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam vero Quadragesimam, &c. Sed aliam vsque, &c.* Nota quod hic secundo fit mentio de benedictione, hic in victu, superius in vestitu. *Aliis autem temporibus non teneantur nisi sexta feria ieiunare*, quia illa die voluit Dominus crucifigi. *Tempore vero manifestæ necessitatis*, scilicet propter infirmitatem grauem, vel propter virtutem in labore ineuitabili adeo deficientem, quando scilicet labor incumbens de necessitate, aliter perfici non potest, *non teneantur fratres ieiunio corporali.* Ad gaudij igitur ieiunium, volens omni tempore fratres suspirare, iuxta Euangelicam regulam minus de ieiunio mœroris imponens, ad gaudij ieiunia informat in sequentibus, vt patebit. *Consulo vero.* Hic agitur de ordinantibus ad ædificationem proximorum, *per mundum*, scilicet aforis tam ambulando, quam in alienis dominibus quiescendo. Circa primum, informat itinerationem ad vitandum malum. Secundo excludit equitationem, ibi: *Et non debeant.* In prima parte informat itinerationem ad vitandum malum. Tertio ad tenendum bonum, ibi: *Sed sint mites.* Pro primo dicit, *Consulo vero*, ad instructionem rationalis, *moneo*, ad allectionem concupiscibilis. Vnde Sapiens: Qui suauis, est, viuit in moderationibus, in suis monitionibus relinquit contumeliam. *Et exhortor*, ad excitationem, irascibilis. Ita fecit Iudas Machabæus qui singulos armauit non clypei, aut hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & hortamentis, vt quando vadunt per mundum exemplo Christi, & discipulorum suorum, *Non litigent*, alicui inferendo contumeliam. *Neque contendant*, verbis pertinaciter affirmando sententiam suam, vel iudicialiter litigando. *Nec alios iudicent*, dubia scilicet in peiorem partem interpretando, vt sic seruetur, innocentia exterior, & interior. Sed pro bono tenendo, subdit: *Sed sint mites*, in cedendo improbitatibus, *pacifici*, minoritatis suæ ordinem seruando. Et *modesti*, per disciplinam sensuum, & verborum, & operum, *mansueti*, moribus, non impetuosi. *Et humiles*, nullum honorem appetendo, & omnem gloriam humanam fugiendo. Nec hoc sufficit, nisi diffinitionem humilitatis in se studeant adimplere, quæ talis est: Humilitas est virtus, qua homo vera cognitione sui, sibiipsi vilescens, appetit tractari, vt huiusmodi, & non sublimis gubernari. Et pro speciali disciplina addit: *Honeste omnibus loquentes, sicut decet.* Omnem scilicet hominem pro sui status gradu reuerendo. Hæc est informatio itinerationis.

Prou. 12. b
2. Mac. 15. b

Sed pro seclusione equitationis, subdit: *Et non debeant equitare.* Et per consequens, nec bigare, aut quadrigare. quæ maioris sunt sumptus, *Nisi manifesta necessitate*, prolixi vel impediti itineris, vel negotij vrgentis, *vel infirmitate cogantur.* Dicit autem non debeant pro eo quod est, debeant non equitare. Et *In quacumque domum intrauerint*, ad procurandum animarum, scilicet salutem, vt dicitur in Matthæo: Primum quærite regnum Dei, &c. *Primum dicant: Pax huic domui*, secundum doctrinam Christi. Optando autem pacem optamus omnem liberationem à malo, & promotionem in bono. Et est pax tranquillitas cordis. *Et secundum S. Euangelium de omnibus cibis, &c.* Dicit notanter, *liceat*, non necessitatem imponendo, sed secundum indulgentiam permittendo, vt sciat se contra regulam nihil facere, si quis voluerit, sublimius ambulare. Ad hoc notandum dicit, *liceat de omnibus*, non simpliciter, sed *secundum S. Euangelium.* Istud autem non conceditur, nisi in prædicationis euntibus ministerio. Qui ergo pro animarum salute non circumeunt, in hac licentia ius non habent. Ipse dicendo, *secundum S. Euangelium*, licentiam temperat, vt scilicet secundum regulam Euangelicæ honestatis fiat. Vnde cum verbum prædictum trahatur de Lucæ Euangelio, vbi dicitur: Manducate quæ apponuntur vobis: notandum quod ibi immediate subiungitur, & curate infirmos, qui in illa sunt, certum est illud intelligi spiritualiter, secundum principalem intellectum vocabuli. Non est autem modus curandi animas, delicatioribus vti cibariis, quam illi vtantur, in quorum mensis fratres ipsi vescuntur. Hoc enim est non curare infirmos, sed à fortitudine ad infirmitatem vocare. Quando ergo principales personæ, domus, & familiæ, abstinent à carnibus, non licet secundum S. Euangelium, fratres in esu carnium laxius ambulare. Item vbi est ferculorum superfluitas, non est Euangelicæ sanctitatis, superfluitatem vsu suo, vel abusu verius approbare: sed magis necessitate accepta, dissimulare prudenter, quod nequit sine scandalo reprehendi. Item si aliqui religiosi receptores fratrum contra regulam suam carnes comederent, non est Euangelicæ sanctitatis participare cum præuaricatore in crimine, vel carnalitati irregulariter suo consortio conformari.

Matt. 6. d
Matt. 10. b
Luc. 10. b

CAPVT IV.

Quod fratres non recipiant pecuniam.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam, tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantù,

& Custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, & tempora, & frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire, eo semper saluo vt (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant.

EXPOSITIO.

Praecipio firmiter. Descriptis tribus portis Dominicae ciuitatis, per quas illucescit claritas Orientalis: sequitur secunda, in qua describuntur tres portae munitę contra insidias Aquilonis. Quarum prima, excludit periculum Iudae pro pecunia Dominum tradentis. Secunda tollit periculum fictae religionis in otio viuentis. Tertia, aufert periculum multitudinis, cleri, in fine pro appropriatis communibus contendentis Prima aufert homini Deum. Secunda aufert homini seipsum: quia otiosus in nullo est sibi fructuosus. Tertia aufert homini proximum. Prima pars habet duas: quia primo excludit pecuniae omnimodam receptionem. Secundo prouidens subditorum quieti, imponit praelatis, circa procurationem necessariorum sollicitudinem, ibi: *Tamen pro necessitatibus infirmorum.*

Dicit ergo pro primo: *Praecipio firmiter fratribus vniuersis.* Circa quod sciendum, quod pecunia terrenum nomen est, redolens magis auaritiam, quam modum diuitiarum, vt dicit Augustinus. Dicitur pecuniae vocabulo large, quidquid temporaliter possidetur. Vnde Augustinus lib. De disciplina Christiana dicit: Totum quidquid homines in terra possident omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur, siue sit seruus, siue ager. Alio modo dicitur pecunia stricte, quod est mensura commutationis rerum, & sic accipitur, in Apostolorum actis, vbi dicitur: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Volens igitur Dominus per seruum Franciscum auaritiae radicem penitus excludere ab horto concluso, & fonte signato, praecepit ne recipiant fratres denarios, vel pecuniam, vel vllam possessionem terrenam, in pecoribus, siue generaliter in omnibus, quae paupertatem altissimam labefaciunt, & praecipue loquetur de pecunia numerata. Hoc autem trahitur ab Euangelio Matthęi: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, vbi dicit Glossa. Duo sunt genera necessariorum, vnum quo necessaria emuntur: aliud ipsa necessaria: per pecuniam in zonis vnde illa emuntur, per peram quod emitur, &c. Huius autem inhibitionis factae Apostolis, septem sunt praecipuae rationes.

Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 12. tom. 5. *Augu. de disc. Chri. sti c. 1. tom. 9.* *Act. 8. d* *Matt. 10. b*

Prima est suspicionis exclusio, ad efficaciam praedicationis.

Secunda est terrenę sollicitudinis perfecta extirpatio, ad commendationem coelestis prouidentiae circa illos, qui diuinis vacant obsequiis. Et has duas rationes tangit Hieronymus in Glossa dicens: Si haec haberent non viderentur, causa salutis hominum praedicare, sed lucri. propterea vitae necessaria amputat, vt Apostoli Doctores verae religionis, qui instruebant omnia diuina prouidentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino. Haec Hieronymus.

Tertia causa huius mandati, est declaratio virtutis ipsius Domini Saluatoris. Vnde pro istis tribus causis dicit Chrysostomus super Matthaeum: Multa per hoc vnum commendauit. Primum quidem non suspectos faciens Apostolos. Secundo eruens eos ab omni sollicitudine, vt vocationem Dei verbo tribuant. Tertio docens eos suam virtutem. Hoc nempe postea dicit: Numquid aliquid defuit vobis quando misi vos, nudos, & discalceatos?

Chrys. ho. 33. in Matt. ex med. tom. 2. *Luc. 22. d*

Quarta causa est perfecta omnis amoris mundani extirpatio, quia maxime inter possessiones cupidas solent haberi pecuniae. Dicit enim Salomon: Pecuniae obediunt omnia, & : Auarus non implebitur pecunia. Et Ambrosius de Officiis: Dominus ad discipulos, ait: Nolite possidere aurum, neque argentum, quo velut falce in humano pectore succidit pullulantem auaritiam. Chrysostomus super idem: Radicem malorum confestim euellens ait: Ne possideatis aurum, neque argentum. Non dixit: Non accipite vobiscum, sed etiam si possibile sit aliunde accipere, fugite periculosam hanc aegritudinem.

Eccl. 10. d & 5. b *Ambros. de offic. lib. 1. c. 25. tom. 4.* *Chrys. vbi sup. proam.*

Quinta causa est, vt statum innocentiae perditae, vt erat possibile renouaret. In qua si homo stetisset, omnia fuissent communia, & nulla proprietas contracta fuisset ad multitudinem aliquam vel personam. Vnde Chrysostomus dicit, quod hoc dixit, vt doceret eos, ad statum in quo homo erat ante peccatum recurrere.

Chrys. ibid.

Sexta ratio est ad doctrinam perfectissimae libertatis, quia vt dicit Hieronymus in Epistola: Nemo perfectius erogat, quam qui nihil sibi reseruat. Et si beatius est dare, quam accipere, vt dicitur in Actis, beatissimus est, qui omnia sua dedit, & vt est possibile paucissima econtra recipit.

Act. 20. g

Septima causa est indiuisa cordis intentio circa praedicationem verbi Dei. Vnde Chrysostomus super idem: Orbi terrarum Deus Doctores missurus erat, propter hoc Angelos eos ex hominibus constituit, ab omni absoluens huius vitae sollicitudine, vt vna sola retineantur cura, quae est cura doctrinae. Hanc igitur vitam Apostoli tenuerunt, & ante passionem Domini, & post. Vnde pauperi Eleemosynam petenti, repondit Petrus: Argentum, & aurum non est mihi. Glossa memor praecepti Domini, dicentis: Nolite possidere aurum, &c. Ambrosius super Lucam, ait: Apostolus Petrus primus executor Dominicae sententiae ostendit, non in vacuum effusum Domini mandatum. Cum enim à paupere posceretur, vt ei aliquid pecuniae largiretur, ait, Argentum, & aurum, &c. Non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, & argentum non habebat, quam quod seruet Domini mandatum, dicentis: Nolite possidere, &c. hoc est vides me discipulum Christi, & aurum, à me requiris? Haec Ambrosius: Augustinus dicit idem. Hoc idem etiam seruauit Paulus. Vnde Chrysostomus, de laudibus Pauli: Paulus pecuniam non possederat, nam, & ipse dixit: Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus. Idem patet de S. Ioanne Euangelista in Legenda sua. Dixerunt enim: Nulla ratione possumus accipere aurum, aut vestes, aut domos, aut praedia, aut seruos, &c. Hic tamen aduertendum quod praeceptum erat Apostolis nihil habere, vt supra visum est. Et hoc seruauit Petrus cum aliis. Permissum est autem viuere de cibis, & praediis alienis. & non praeceptum. Vnde Chrysostomus, vbi supra: Omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens eos manere in domibus illorum quos docent, & nihil habentes introire. Hoc idcirco dixerim, quia Paulus pręcepta de non possidendo, nec ferendo pecuniam seruauit, sicut Chrysostomus expresse in libro dicit, de laudibus Pauli. Permissionem autem de accipiendis corpori necessariis ab auditoribus aliquando tenuit, vtens iure suo. Vnde dicit: Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. Aliquando non tenuit sublimius ambulando. Vnde ait: Nocte, & die laborantes, ne quem vestrum grauaremus, praedicauimus Euangelium Dei in vobis. Praeceptum ergo fuit nihil habere: permissum vero, non praeceptum, in mensis, & de mensis viuere alienis.

Chrys. ibid. *Act. 3. a* *Ambr. li. 7. commen. in Luc. c. 10.* *Aug. li. 3. de Mirabilibus scripturae c. pen. tom. 3.* *1. Cor. 4. c* *2. Cor. 11. b* *1. Thess. 2. b*

Sed praedictae sententiae, & de Apostolica paupertate, videtur esse contrarium, quod Dominus ipse legitur loculos habuisse. Sufficit ergo discipulo si sit sicut magister eius, vt dicitur in Matthaeo. Item: Si hoc verum esset, tūc Episcopi, & clerici alij à tempore Siluestri essent in statu damnationis, vt dicunt Manichaei, habent enim aurum, & argentum. Item ex eadem ratione videtur, quod ista vita Apostolica, non sit aliis, quam praelatis Ecclesiae Apostolis succedentibus imitanda, etsi non illis, nec aliis. Item si aliquibus, imitanda sufficiens videretur eam imitari eis in itinere constitutis, & non in domo manentibus, vbi oportet per deposita futuris periculis obuiare. Vnde Augustinus, de sermone Domini in monte expo-

Ioan. 12. a *Matt. 10. c*

nens illud: Nolite eſſe ſolliciti, &c. dicit: Satis apparet Dominum noſtrum non hoc improbare, ſi quis humano modo illa procuret, ſed ſi quis propter iſta Deo militet.

Ad primum reſpondet Chryſoſtomus ſuper Ioannem Homil. 71. vbi agitur, de loculis Domini, dicens, qualiter non virgam, neque peram, non es iubens deferre, marſupium ferebat ad inopum miniſterium, vt diſcas, quoniam valde pauperem, & crucifixum huiuſmodi oportet facere multam procurationem. Multa enim ad noſtram diſpenſans doctrinam agebat. Hæc Chryſoſtomus: Habuit ergo loculos pro aliis, & hoc dupliciter, pro aliis, perfectis Eccleſiæ, ſcilicet prælatis, vt doceat eos pro neceſſitatibus pauperum releuandis habere loculos. Vnde Auguſtinus: Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta. Hæc Auguſtinus. In ſuos autem vſus numquam expreſſe legitur Dominum loculorũ pecunias conuertiſſe: immo magis prætenditur contrarium ſuper illud Matthæi: Solue didrachma, vbi legitur Dominum ſoluiſſe didrachma miraculoſe, de pecunia miraculoſe in ore piſcis reperta. Ibi enim, dicit Hieronymus in Gloſſa Dominus tantæ fuit paupertatis, vt vnde daret tributa non haberet. Iudas quidem loculos in communi habebat: ſed res pauperum in vſus ſuos conuertere nefas duxit, idipſum dans exemplum nobis. Hæc Hieronymus: Item habuit loculos pro aliis infirmis, & imperfectis, qui habent loculos pro ſeipſis, qui etſi ſint perfecti reſpectu habentium propria, vel multa, & magna, cum ipſi habeant pauca: ſunt tamen imperfecti in hoc, reſpectu illorum, qui nihil habent penitus in hoc mundo. Quia nihil habentes penitus ſunt in ſummo gradu in hac parte, vt eſt poſſibile ſtatui humano, à mundi periculis, & illecebris abſoluti. Vnde Hugo dicit: Habeat IESVS loculos, conformans ſe imperfectis. Christus in numero imperfectorum inueniri voluit, ne præſumerent non accipientes, & confunderentur accipientes. Et ſuper illud Pſalmiſtæ, producens fenum iumentis, dicit Auguſtinus: Habuit Dominus loculos, & dictum eſt de quibuſdam feminis religioſis, quod miniſtrabant eidem de ſubſtantia ſua. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando requirens: ſed quia multi infirmi iſta quæſituri erant magis infirmorum perſonam ſuſcepit Dominus, ergo ſublimius Paulus? nequaquam immo ſublimius Chriſtus, quia miſericordius. Cum enim videret Paulum, iſta non quæſiturum prouidit, ne damnaret, quæſituros, & præbuit exemplum infirmo. Hæc Auguſtinus: Quod autem dicit, quod prouidit Paulum non iſta quæſiturum, intelligendum eſt aliquando & non ſemper, aliquando enim accepit, & aliquando non, vt ſupra patet. Qui igitur tantum pro aliis habent loculos, ad hoc auctoritate Eccleſiæ compulſi, & ſi quantum in ſe eſt, optent pro ſe carere loculis, ad ſe autem ſeruantes diſtrictionem paupertatis, vt patitur infirmitas, dum ſint in alios affluentes: ſic non habentur loculi in doctrinæ præiudicium, vel impedimentum: ſed eos habent ſine omni imperfectione, quia conueniunt cum Chriſto in habendo, & in habendi ratione. Qui autem habent loculos pro ſeipſis, habent eos, vt infirmi, conuenientes cum Chriſto in habendo, ſed non in habendi modo: quia ipſe non habuit loculos pro ſeipſo, vt viſum eſt, ſed cum hac infirmitate tanto ad perfectionem appropinquat, quanto paucioribus ſunt contenti. Ecce quod Chriſtus legem datam Apoſtolis de loculis non habendis ipſe compleuit circumeundo per caſtra, in quibus non habuit vbi caput ſanctiſſimum reclinaret. Et licet quodammodo infirmũ videatur, ſecundum genus ſuum reſpectu perfectionis Pauli neceſſaria recipere illo modo, quo Deus recepit à mulieribus ſecum itinerantibus, & comedendo in menſis alienis: eſt tamen longe ſublimius, ſic de menſis alienis viuere quod nihil ex eis poſſeſſorie habeatur, quam depoſitum recipere, & pecuniam cum refertis promptuariis poſſidere. Propter quod Dominus, ſingularis perfectionis modum illum in exemplum commendans Apoſtolis habere loculos interdixit, ipſe modum ipſum maiori parte, vt oſtenſum eſt, cuſtodiuit. Vnde numquam in textu Euangelico mentio ſit de loculis, niſi ſexta die ante articulum paſſionis, vbi de Iuda dicitur, quod fur erat, & loculos habens. Et infra: Quidam putabant, quod loculos habebat Iudas, quod dixiſſet ei IESVS: Eme quæ nobis neceſſaria ſunt. Circa illud etiam tempus, immo ipſa veſpera qua voluit comprehendi, diſpenſauit cum Apoſtolis, vt poſſent habere loculos ſinguli durante rabie perſecutionis mortuo Saluatore. Vnde ait Saluator: Quando miſi vos, ſine ſacculo, &c. Numquid aliquid defuit vobis? &c. Sed nunc qui habet ſacculum, &c. Ibi Gloſſa Bedæ dicit: Non eadem viuendi regula perſecutionis, qua pacis tempore, diſcipulos informat. Miſſis enim diſcipulis ad prædicandum, præcepit eis ne quid tollerent in via ordinans, vt qui Euangelium prædicat, de Euangelio viuat. Inſtante autem mortis articulo, & tota illa gente, paſtorem ſimul, & gregem perſequente congruam temporum regulam decreuit permittens, vt tollant victui neceſſaria donec ſopita perſecutorum inſania, tempus Euangelizandi redeat. Hæc Gloſſa. Igitur Apoſtoli miſſi ad prædicandum loculis caruerunt. Tempore vero perſecutionis, & paſſionis diſpenſatiue loculos pro ſeipſis habuerunt. Tertio bona multitudinis ad tempus diſpenſauerunt, & illam diſpenſationem tamquam impeditiuam verbi Dei dimittentes, ad primariam reuerſi nuditatem loculis caruerunt, vt ſupra viſum eſt. Præterea licet Domino volenti portati fuerint loculi à Iuda proditore, non tamen videtur in eis, aliquid iuris poſſeſſorij vendicaſſe. Vnde ipſe Dominus dicit in Ioanne: Venit princeps mundi huius, &c. Gloſſæ: Noluit Dominus habere quod perderet, venit pauper ne haberet diabolus, quod auferret. Reſpondeo ergo breuiter ad obiectum de loculis, quod Chriſtus aliquando habuit loculos pro aliis, vt ad hoc informaret Eccleſiæ prælatos. Item habuit loculos pro infirmis conſolandis, qui habent loculos pro ſeipſis. Sic in eorum ſolatium fugit cum quæreretur lapidandus, ne deſperent ſi aliquando fugiant perſequẽtes. Sic in exemplum fortium ſe ſponte obtulit in paſſione, & pro ipſis in paupertate informandis, caruit loculis, quaſi nec ſemper habitos tenebat poſſeſſorie reconditos, vt qui habent pro ſeipſis, & non gratia diſpenſationis loculos, ſciant ſe in hac parte perfectionis apicem non tenere.

Et cum dicitur, Sufficit diſcipulo, reſpondendum eſt, quod Magiſter vnus diuerſos docet diſcipulos, ſingulis in ſuis gradibus condeſcendens. Sicut Apoſtolus inter perfectos loquebatur ſapientiam, lac dans paruulis ad eſcam. Non debet diſcipulo ſufficere lactis capaci in lacte ſemper ſiſtere, etiam ſi lac bibat Magiſter ei condeſcendens, ſed magis ad hoc tendere, vt ſolidi cibi ſit capax. Ita in propoſito, non debet diſcipulo ſufficere, vt ſit ſicut Magiſter eius infirmis condeſcendens, niſi vt eſt poſſibile gradatim in artis apices ſe extendat. Vnde illud verbum ſufficit diſcipulo, pro ſolatio tribulationis dictum eſt ſpecialiter, vt ſcilicet exemplo Magiſtri, in tribulationum ſufferentia viriliter perſeueret.

Ad ſecundum dicendum, quod illa Manichæorum calumnia proceſſit ex inſipientia manifeſta. Prædicta enim paupertatis diſtrictio non fuit impoſita Apoſtolis, vt prælatis, cum nondum illo tempore prælati eſſent, nec etiam ſacerdotes, ſed tantum authentici prædicatores miſſi toti mundo in ſanctitatis exemplum, vt ſuperius eſt oſtenſum. Vnde illa paupertatis diſtrictio nullos ligat alios niſi illos, qui ad hoc ſponte ſe obligant propter Chriſtum. Non ſolum ergo poſt Silueſtri tempora, immo ſtatim in Eccleſiæ principio, ipſi diſcipuli Chriſti inſtituerunt prælatos in ſuarum curarum cuſtodiis reſidentes, quibus numquam fuit interdictum habere bona Eccleſiæ ſibi neceſſaria, in ſe, & ſuis ſubditis pauperibus eroganda. Succedunt ergo Epiſcopi Apoſtolis, in culmine auctoritatis Eccleſiæ, in obligatione, & debito virtutis, & ſanctitatis, ſed non in forma illius diſtrictæ diſciplinæ, & paupertatis debito ſupradicto. Hoc reperi-

Chryſ. ho. 71 in Ioan. pau. Ioan. 12. a
Aug. tract. 62. in Ioan. cir. fin. to. 9.
Matt. 17. d
Hugo de S. Vict. in Pſal. 91. cap. 64.
Pſal. 103. b Aug. in Pſ. 103. conc. 3. cir. med. t. 8.
Ioan. 12. a
Luc. 22. d
Ioan. 14. d
1. Cor. 3. b

repeties notum in Decretis 12. quæst. 1. Videntes. Et apud Bernardum, secundo De consideratione. Nec est locus otio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium ecclesiarum. Nam quid tibi dimisit sanctus Petrus? Quod habeo, inquit, tibi do. Quid est illud? vnum scio neque aurum, neque argentum, cum ipse dicat, Argentum, & aurum, &c. Esto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure. nec tibi dare quod non habuit potuit. Hæc Bernardus.

Bern. lib. 2. de consid. c. 6. ante med.

Act. 3. a

Ad tertium dicendum, quod Prælati ad illam vitam non tenentur, quia indifferenter omnibus proponitur ea m volentibus imitari: Vnde Hieronymus. Vis perfectus esse, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, &c.

Hier. in epist. 150. ad Hedib. quæst. 1.

Ad quartum dicendum, quod ista Apostolica perfectio non est solū, in itinere, sed domi etiam obseruanda, vt nullum depositum pecuniæ habeatur ab his qui perfectionis regulam imitantur. Vnde Chrysostomus super Matthæo, homil. 33. in fine expositionis litteralis, de non possidendo, aut portando aurum, vel argentum, dicit sic: Si in aliena patria existentes ad ignotos abeuntes nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes. Item super illud: Nunc qui habet sacculum, dicit Glossa. In hoc nobis datur exēplum, vt nonnunquam causa instante, quædam de nostri propositi rigore sine culpa possimus intermittere. Verbi gratia: Si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portari, quam domi habeamus. Et expresse in Euangelio aperte prohibet Apostolis possidere pecuniam & portare, vt patet ex Hieronymo super Matthæū ibidem, & Rabano: Hæc fuit paupertas Apostolica ante passionem, & post ad tempus, tamen medio tempore paululum dispensatione Domini interrupta. Nec tamen omnes, vt dictum est, ad hoc tenentur. Et illud verbum Augustini loquentis de communi statu omnium præcedentibus non repugnat. Sed istum regulæ articulum fratres præuaricari videntur, dum recipiunt alij pauperes sibi pecunias erogatas. Si enim ille facit cuius auctoritate fit, ipsorum autem auctoritate pro libitu eorum suis familiaribus, pecuniæ pluries commendantur, aliquotiens extra Domini potestatem ergo ipsi pecuniam recipiant, vt videtur. Ad hoc patet responsio, quoniam dare, & recipere opponuntur relatiue. Igitur de necessitate, sicut dare se habēt ad dominij translationem, & priuationem dantis, ita se habet recipere ad dominij acquisitionem. Sicut ergo nullus dat aliquid, nisi intendat se priuari dominio eius quod dat, & ipsum transferre in alium, sic nec recipit proprie aliquid secundum quod receptio opponitur donationi, nisi quod intendit sibi rei dominium, acquirere. Versus.

Chrys. homil 33. in Matt. post med. to. 2.

Luc. 22. d

Non tibi dat quisquam, nisi quo vult expropriari.
Nec tu quid recipis, nisi velis ei dominari.
Namque recepta data sibi sunt aduersa relata.
Dans sua priuatur, recipit qui post dominatur.

Argumentum autem factum ex falsa suppositione procedit, quia non fratrum, sed mittentium auctoritate pecunia custoditur. Vnde dominium apud mittentes semper ibi remanet donec sit pro fratrum necessitatibus commutata, quod probatur, quia dicit lex. ff. de acqui rend. rer. dominio: Idem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes ereptionem, aut amittentes ad recuperandum eam, actionem habemus. Cum ergo ille, qui misit pecuniam, si viuit possit eam repetere sicut suam, nunquam à dominio suo recessit, nec in iis transiit alienum. Forte dices, quod mittens pecuniam intendat se priuari illius dominio. Fateor, quod verum est, sed modo licito, & fratribus honesto. Cum enim intendat fratres habere apud Deum intercessores, non intendit eos ob vsum pecuniæ suæ constituere præuaricatores. Manet ergo semper pecunia in bonis eius, donec sit pro fratrum necessitatibus commutata. Amplius ponamus, quod intendat se priuari dominio pecuniæ, statim vt est alienis fratribus famulari commendata, dico, quod adhuc à fratribus non recipitur cum non intendant, quod aliqua pro eis recipiatur pecunia sicut sua, nec omnino consentiant, quod eis possessio acquiratur, sine consensu autem non acquiritur possessio. Vnde dicit lex. ff. de acquir. rerum proprietate, quod in amittenda possessione, affectio, ei qui possidet, est intuenda. Itaque si in fundo sit, & tamen noluerit eum possidere, protinus amittens possessionem: necetiam sine voluntate donatoris transfertur dominium, vt patet Digest. de acquiren. rerum propriet. & dominio. Vnde cum dator pecuniæ intendat eam dare, tamen vt possit in fratrum vsum conuerti, nunquam vult in eos dominium transferri, sed tantum pro ipsorum necessitatibus commutari. Ponamus quod pecunia tradatur per manus diuersas vsque ad centesimam personam datori penitus ignotam. Dico, quod adhuc manet in bonis eius, eo enim modo quo tenuit eam auctoritate sua primus, tenet secundus, tertius, & millesimus quia dicit lex. ff. de acquiren. rerum dominio, quod traditio nihil amplius transferre debet, vel potest ad eum qui accipit, quam apud eum qui tradidit. Vnde semper potest repetere huiusmodi, sicut suam, qui ipsam pro fratrum necessitatibus commendat: potest enim mutare voluntatem suam, & pro tanto repetere. Aliter est in vltimis voluntatibus defunctorum, quia voluntas eorum est immobilis. Et ideo si contingat executores repetere pecuniam malitiose, pro fratrum necessitatibus commendatam, non est restituenda, cum sint contrarij ipsius testatoris vltimæ voluntati. Quod si ipsi malitiose pecuniam detineant, contra formam testamenti, nec eam velint commendare alicui fideli pro fratrum necessitatibus dispensandam, possent fratres ordinariis denuntiare iniuriam defuncti, & suam, sine perfectionis suæ aliquo detrimento, nec tamen iudicialiter repetere sicut suam, quamuis sit eis debita quæcunque portio testamenti. Quod si quæras cuius sit pecunia legata? dico quod manet in bonis defuncti erogandis, non heredibus reseruandis. Vnde si fratres eam omnino respuant, debet aliis pauperibus erogari. Fratres igitur nullo modo nec in pecoribus, nec in quibuscunque aliis, recipiant pecuniam, nec mutuo, nec dono, nec legato, nec per se, nec per interpositam personam, quia nec dominium, nec possessionem sibi intendunt acquirere, commune, vel proprium vllo modo. Nomen enim pecunię possessionem sonat propter quod etiam Ioui nomen pecuniæ impositum est, cuius secundum fabulas, omnia sunt, vt docet Augustinus. Vnde cum sint diuitiæ cælestes, & terrenæ, pecuniæ nomen tantummodo terram sonat, sicut docet Augustinus ibidem, & quod nomine pecuniæ vilissime & contumeliosissime Deus nuncupatur, cum tamen idem diues dicatur. Recipere igitur pecuniam, est recipere possessionem. Hæc est igitur summa prædictorum, scilicet quod fratres non recipiant per se, vel per interpositam personam pecuniam. Patet tam à parte pecuniam mittentium, vel dominorum, quam à parte ipsam recipientium vel nuntiorum, quam etiam à parte fratrum ipsorum. Quoniam mittentes non intendunt fratres facere præuaricatores, quos volunt habere pro se intercessores. Receptores etiam pecuniæ custodiant eam, non auctoritate fratrum, sed mittentium, licet custodiant eam ad voluntatem eorum. Fratres etiam non intendunt in pecunia sic missa, vel custodita, ius possessionis, vel dominij sibi aliqualiter vendicare.

Aug. lib. 7. de ciu. Dei c. 11. & 12 to. 5.

Sed pro secunda parte huius rubricæ subdit: *Tamen pro necessitatibus infirmorum*, ne maneant desolati, *& aliis fratribus induendis*, in quibus aliæ necessitates maiores intelligunt. *Ministri*, quorum est ministrare, & non ministrari exemplo Christi. *Et custodes*, quorum est curam gerere infirmorum. Nam Samaritanus custos interpretatur, qui curam habuit, &c. Nomina autem Custodum, & Ministrorum, & si diuersis ap-

Luc. 10. f

propriantur, tamen circa easdem personas dicunt modum officij in hoc ordine Prælatorum. Ministerium dicit humilitatem, custodia autem vigilantiam insinuat pastoralem ne propter humilitatē sic dimittatur auctoritas, & euigilantiam ne periclitetur ordinis disciplina. Vnde Isaias: Super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus propter quod ipse generalis Minister custos inferius in regula appellatur. Hic autem nomine Custodum, etiam Guardiani intelliguntur, qui habent immediate custodire, & intendere pastorali curæ. Istis ergo cura & sollicitudo tantum imponitur, & hoc propter duo, scilicet vt nullus sine ipsis sit sollicitus. Et quia dispensatio est necessaria, secundum varios status, de qua addit: *Secundum loca, & tempora, & frigidas regiones*. Iuxta has igitur necessitates, necesse est dispensatione temperare rigorem, & temperamentum à solis Ministris, & Custodibus, in quibus Guardiani intelliguntur, debere fieri hic docetur. *Eo semper saluo, vt sic dictum est, denarios vel pecuniam, &c.* Hoc idcirco replicat, ne propter illius necessitatis periculum sustineat labe fieri ordinis puritatē sciens per talium receptionem sub falso prætextu necessitatis, plures in clero, & claustro, & Deo, & hominibus viluisse, eo quod radix iniquitatis Antiochus, qui interpretatur silentium paupertatis, templum Dei legitur in Machabæorum historia profanasse, & contenebrescente studio sapientiæ quasi sole, luna scientiæ & studij in sanguinem est commutata. Hæc est radix sapientiæ beato Francisco diuinitus inspirata, ne vepribus, & spinis pene in vniuersa terra existentibus terror spinarum, ac veprium veniat in horto suo, quia de spinis vuæ minime colliguntur.

Esa. 21. b

1. Macha. 1. c

Mat. 7. e

CAPVT V.

De modo laborandi.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborēt fideliter & deuote, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis, & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deseruire. De mercede vero laboris per se & suis fratribus corporis necessaria recipiant præter denarios, vel pecuniam. Et hoc humiliter sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.

EXPOSITIO.

Fratres illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi. Post exclusum periculum Iudæ, hic excludit, periculum Religionis, ne Sponsa Christi panē comedat otiosa. Primo informat laborabiles ad laborem. Secundo subdit laborādi triplicem rationē, ibi: *Ita quod excluso otio*. Pro primo dicit: *Fratres illi, quibus Dominus*, non dicit omnes, sed, *illi, quibus dedit Dominus gratiam laborandi*. In hac gratia intelligo vires corporis, & habitum artis acquisitum, ac habilitatem etiam artem acquirendi, laborent fideliter, respectu sui, & proximi, & deuote respectu Dei, vt scilicet labor ipse in gloriā Dei dirigatur. De cuiusmodi autē laboris genere loquatur, patet ex rationibus laboris, quæ sunt tres, scilicet exclusio otiositatis inflammatio deuotionis adeptio etiam sustentationis necessariæ corporalis. Voluit ergo sanctus Franciscus summe fratribus imponi exercitium, quod perfectissime excludit otiū quod summe nutrit deuotionis affectum, quod laudabiliori modo corpori necessaria subministrat. labor autem corporalis, & si excludat otium à corpore, tamen pro tanto ad modicum vtilis est, quia à corde sordes, & otium non excludit, sicut patet in Mechanicis, qui inter labores corporales solent turpissimos sermones eructare. Studium vero sapientiæ ipsum cor occupat. Vnde in Prouerbiis dicitur: Præbe mihi fili mi cor tuum. Et Sapientia: Labores huius magnas habent virtutes. Ideo dicit. *Ita quod excluso otio animæ inimico*. In Ecclesiastico dicitur: Multam malitiam docuit otiositas. Hieronymus ad Eustochium: Teneas firmissime, quod omnis concupiscentiæ, & immunditię, & peccati, mater est otiositas. Item labor ipsæ sapiētiæ excitat summæ deuotionis affectum. Vnde Sapiens: Immortalitatis mater est in cogitatione sapientia, & amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione. Ideo addit: *Sancta orationis, & deuotionis spiritum non extinguant.* Modus autem laudabilissimus corpori necessaria acquirendi est & in prædicationibus, & doctrinæ laboribus exerceri. Labor enim mechanicus condignè circa pretia compensatur. Non est autem digna compensatio receptio corporalium spiritualia seminanti. Vnde Paulus: Si vobis spiritualia seminamus, non est magnum si carnalia vestra metamus, ideo addit: *De mercede vero laboris, corporis necessaria recipiant*. Dignus enim est operarius mercede sua. Hoc Apostolis existentibus Prædicatoribus dictum est: quia Prælati nondum illo tempore erant, vt supra patuit. Et, vt dicit Augustinus libro de Monachorum opere, quattuor generibus hominum licet de Euangelio viuere, scilicet ministris altaris, qui sacrificium offerunt pro populo eidem diuina cantica decantando. Item dispensatoribus sacramentorum, & Euangelistis, ac illis, qui ante conuersionem suam habeant sufficienter vnde viuere poterant, quod pauperibus erogauerunt. *Præter denarios, vel pecuniam*, ne aliquo modo transeant in ius ordinis. quod nomen tertio inhibet, propter triplex genus pecuniæ, scilicet mineralium, terræ nascentium, & pecorum etiam à quibus pecunia est appellata. Vnde ipse Dominus vniuersæ perfectionis exemplar, nunquam legitur aliquo laboris genere laborasse, sciens, quod licet Paulus, qui habuit spiritum in plenitudine, & sapiētiam sine studij labore, stipendiarie laborauerit, non potest tamen hoc communiter fieri, ab his, qui circa procurandam salutem hominum sunt solliciti, vita, & verbo, sine huius sollicitudinis detrimento. Præterea labor sapientiæ simpliciter est melior corporeo labore, quamuis in casu possit labor stipendiarius esse necessarius prædicanti. Dominus igitur, quod simpliciter est prædicanti melius eligens, non laborauit stipendiarie, ne doctores non laborantes arguerentur, vel labore tali impedirentur. vnde nec Paulus vbique, sed alicubi laborauit. Quia igitur quidam fratrum gratiam habent laborandi spiritualiter, quidam vero corporaliter tantum, omnibus dans regulam generalem, vt vnusquisque gratia sibi data vtatur, dicit: *Fratres illi, quibus Dominus dedit gratiam.* Sed ne mercedis exactio turbet debitores, aut extra modum mendicitatis degeneret, addit: *Et hoc humiliter, sicut decet seruos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.* Sciendum, quod omne genus hominum ad aliquod exercitij genus vtilis, pro loco & tempore obligatur præceptorie, vt dicitur in Genesi: In sudore vultus tui, vesceris pane tuo. Vnde qui ad maiora apti non sunt, præcepto Apostoli labore sunt corporeo exercendi. Dicit enim ipse: Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. his autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, &c. Impium est autem illud, quod otiosis, & curiosis dicitur, velle ad alios extendere, qui sublimioribus, & vtilioribus sunt intenti.

Prou. 23. c
Sap. 8. a
Eccli. 33. d
Sap. 8. d
1. Cor. 9. b
Luc. 10. b
Aug. lib. de oper. Monac. c. 6. & seq. to. 3.
Gen. 3. d
2. Thess. 3. c

CAPVT VI.

Quod fratres nihil sibi approprient, & de eleemosyna petenda, & de fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tanquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari: quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hęc est illa celsitudo altissi-

altissimæ paupertatis quæ vos charissimos fratres meos heredes & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit; Hæc sit portio vestra quæ perducit in terram viuentium. Cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri IESV Christi in perpetuum sub cælo habere velitis. Et vbicunque sunt & se inuenerint fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & secure manifestet vnus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere & nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire sicut vellet sibi seruiri.

EXPOSITIO.

FRatres nihil sibi approprient. Hic tertio excludit tertium periculum, quod scilicet de appropriatis propriis noscitur processisse. Et hæc pars habet quattuor. Primo inhibet appropriationem. Secundo imponit mendicitatem, ibi: *Vadant pro eleemosyna.* Tertio excitat ad paupertatis immobilem amorem, ibi: *Hæc est illa celsitudo.* Quarto informat fratres ad mutuam consolationem, ibi: *Et vbicunque fuerint.* Dicit ergo pro primo: *Fratres nihil sibi approprient.* Quia fratribus inhibuit receptionem pecuniæ, ne credatur quod alia liceret admittere, vtpote immobilia, in generali sermone excludit omnia, dicens: *Nihil sibi approprient*, supple, nec proprietate personali, nec generali ipsius communitatis, sicut dicit Papa regulam declarãdo. Vnde addit: *Nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Hoc quidem recte, quia dicit Seneca: Tutissime viueretur, si tolerentur duo verba meum, & tuum. Planum est his temporibus summum facere tumultum in Ecclesia, nostrum, & vestrum. *Sed tanquam peregrini, & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes.* Intentio plane est sancti Francisci, vt fratres sicut serui vtantur rebus in aliena positis potestate.

Sed quidam aduersarij sancti Francisci, & veritatis, aliquando contra hoc obiecerunt, quia dicit Canon 12. q. 1. cap. Expedit. Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & & proprias perfectionis amore contemni. Et consequenter eodem capit. ponitur exemplum de sancto Paulino, qui omnibus suis propriis distractis, factus est postea Ecclesiæ Episcopus, cuius facultates fidelissime dispensauit, subdit: Quo facto satis ostenditur & propria debere propter perfectionem contemni, & tamen sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ facultates dispensari, quæ sunt profecto communia possidere. Hæc Prosper. Ergo carere bonis communibus appropriatis nihil addit perfectioni.

Item videtur ista forma viuendi, falsum imponere Ecclesiæ Dei Clerici, & religiosi, qui habent bona Ecclesiarum non sunt Domini eorum, sed vsum tantum habent, quia dicit lex. ff. de rerũ dominio, quod quæ diuini sunt iuris in nullius bonis sunt. ergo clerici non habent dominium, sed vsum tantum.

Item res, quibus vtuntur fratres, aut sunt alicuius domini, aut non. si nullius, quare tunc ipsi plus quam alij occupant? Si autem in alicuius hominis sunt, vtpote Ecclesiæ Romanæ, videtur ergo quod fratres, qui contemnunt propter seruandam suam perfectionem, attribuendo illa Ecclesiæ, imponunt ei imperfectionem, quod nefas est dicere, cum ipsa Ecclesia toti orbi sit posita in speculum & exemplum, vt patet 19 distinct. Enimuero.

Item res, quibus vtuntur fratres, aut sunt propriæ, aut communes. Si propriæ, damnabiliter habentur. Si communes, ergo sunt de numero illorum, de quibus dicitur: Et erant illis omnia communia. *Act. 4. f*

Item fratres vtuntur rebus, quæ consumuntur ipso vsu. In talibus autem non differt dominium ab vsu. Dominum autem est appropriatio summo, ergo talia sibi approprient, vt cibus, & vestes huiusmodi.

Ad primum dicendum, quod sicut communitas rerum prius instituta est in charitatis incentiuum, sic catentia omnis iuris proprij, vel communis Apostolis imposita, istis nouissimis temporibus renouata est, ad auaritiam extirpandam, quæ perniciosius hodie serpit in bonis Ecclesiæ, quorum abusus est sacrilegium, quam in aliis quibuscumque. Cum ergo dicit, quia expedit, &c. Fateor inquam, & expedit, quia dicitur in Ecclesiastico: Non omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Vnde & Apostolus talia sibi minime expedire dicit: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Cuius causam addens dicit: Sed ego sub nullius redigar potestate, iudicis scilicet repetendo aliquid tanquam meum. Expedit ergo haberi communio pro sustentatione ministrorum etiam egenorum. Expedit etiam modus alius, his qui nolunt propter possessionum multiplicationem, sub terrena redigi potestate, nil habere in proprio, vel communi. Vnde Hieronymus ait: Apostolici est fastigij, perfectæque virtutis, omnia vendere & pauperibus distribuere, & sic leuem, & expeditum cum Christo ad cælestia subuolare. Et quod additur ibidem, quod sine impedimento perfectionis, possunt communia dispensari, fateor verum esse, quia vt supra tactum est, non repugnat perfectioni quantumcunque pauperis ecclesiastica bona imperante Ecclesia suscipere dispensanda, si quantum in se est, dispensator semper eis carere optet quoad se, vt patitur fragilitas, districtionem minime relaxando. Si enim dispensans loculos habet, non pro se, sed pro aliis, & in habendo & habendi modo conformis est Saluatori, vt supra patuit.

Eccli. 37. d
1. Cor. 6. c
Hier. epist. 8. ad Demetriaden post med.

Ad secundum dicendum, quod licet illa quibus vtitur Ecclesia, in nullius sint bonis proprietarie quo ad personam: sunt tamen propria communitatibus ecclesiarum. Vnde dicitur in Actibus Apostolorum: Nec quisquam eorum ex his, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. ergo possidebant in communi, sed non proprietarie, & pro tanto dicuntur talia in nullius bonis esse. Iuxta quod dicit lex. Digest. de rerum dominio, quod respublicæ in nullius sunt bonis, ipsius enim vniuersitatis esse creduntur. Non est tamẽ vsquequaque simile de proprietatibus ciuitatum, & ecclesiarum. *Act. 4. f*

Ad tertium idem patet. Omnia enim mobilia, quibus ordo vtitur, sunt mere & immediate ipsius Ecclesiæ Romanæ. Sic ergo ea habere pro aliorum necessitate, in eo qui ingreditur per ostium Apostolico more, in nullo perfectioni repugnat. vt superius est ostensum.

Ad quartum dicendum, quod res quibus fratres vtuntur, sunt eis communes quantum ad vsum, sed tamen non quantum ad dominium. De illis sanctis autem in Hierusalem constitutis dicendum est, quod erant eis cõmunia quantum ad possessionem. Alij vero plurimi inter eos communem vsum illarum rerum sine dominio habuerunt, sicut Apostoli, quando erant præsidentes illi multitudini, vt patet 12 q. 1. cap. Dilectissimis.

Ad quintum dicendum, quod duplex est vsus rerum. Quidam enim vtuntur rebus auctoritate propria, vt domini: quidam aliena, vt serui, quia vt dicit lex. ff. de peculio, vestis qua vtitur seruus, est de peculio domini. Et alibi dicit lex, quod illud, quod seruo acquiritur, domino acquiritur. In vsu ergo illorum, quia sua auctoritate vtuntur rebus, in huiusmodi non differt vsus à dominio. In vsu autem aliorum differt. Quia ergo fratres Minores pro Christo seruiles effecti sunt, vtuntur rebus quas vsu consumunt, nec tamen eis dominantur: & in hoc ipsum Dominum imitantur, qui cibo vescebatur alieno, in alienis domibus continue hospitando.

Sed quæritur, ex quo fratres tantum habent vsum rerum, possuntne habere vsum quarumcunque & quantarumcunque rerum? Et videtur quod sic, quia teste Gregorio: Census non est in culpa, sed affectus: ergo sufficit habere affectionem liberam, nec est vis de rebus siue sint magnæ, siue paruæ. *Greg. li. 10. Mor. c 17. nõ longe à prin.*

Item

Gen.1.d

Item vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Bonum autem additum bono, auget ipsum: ergo carentia diuitiarum nihil facit ad perfectionem.

Item nonne multi sancti leguntur in vtroque testamento, in diuitijs abundasse?

Respondeo ad quæstionem, quod cum fratres sint professores altissimæ paupertatis, oportet quod omnia, quæ in eorum vsum veniũt, habeant, vt est possibile paruitatem, vilitatem, & asperitatem, quæ tria paupertatẽ altissimam naturaliter consequuntur. Econtra diuites habent affluentiam, & gloriam, & apparentiam, & consolationem, quæ possunt diuitiis comparari. Quia ergo paupertas inquantum est contraria diuitijs, caret his tribus si caret diuitijs, necesse est, vt paupertas altissima, vt est possibile, careat his tribus in summo. Non ergo competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcunque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non promptnaria instaurata: sed vt omnia quantum patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur. Ideo addit: *Sed tanquam peregrini in hoc sæculo, & aduenæ.*

Et ad dictum Gregorii dicendum: Fateor quidem quod census non est in culpa essentialiter, vel causaliter, sed occasionaliter, quia affluentia habita illicit animum possidentis. Vnde Bernardus: Hæc est ratio non habendarum diuitiarum præcipue, quia sine amore, vix aut nunquam haberi possunt.

Bern. in declam. super Ecce nos, &c. non longe à prin.

Et per hoc patet responsio ad secundum, quia omnia sunt bona essentialiter, sed occasionaliter mala sunt ex humana infirmitate. Vnde in Sapientia dicitur: Creaturę Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. vnde dicit Poeta:

Sap.14.b

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Ad tertium dicendum, quod aliqui sancti fuerunt diuites, sed paucissimi. Vnde diuites in singulari numero, & cum conditione commendantur à Sapiente. Beatus diues, qui inuentus est sine macula. Sed pluraliter dãnatur à Christo: Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram. Illis tamen omnibus Christus infinite præponitur, qui se exhibuit doctorem paupertatis verbo pariter & exemplo. Quod autem melior elegit, magis est eligendum.

Eccli.31.a
Luc.6.d

Sequitur secunda pars rubricæ: *Vadant per eleemosynas confidenter, &c.* Sed contra hoc videtur, quia de sanctis pauperibus in Hierusalem congregatis dicitur: Nec quisquam egens erat inter illos. Sed ad hoc patet responsio ex prædictis in secunda rubrica, quia illi pauperes non omnino districtionem Apostolicæ paupertatis profitebãtur, vt visum est, inter quos erant neophyti viri & mulieres, quibus subita egestas perniciosa forsitã extitisset. contra Paulus pro se, & sibi conformibus ait: Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus. Et alibi. Cum enim apud vos essem, & egerem, nulli onerosus fui.

Act.4.g
1.Cor.4.c
2.Cor.11.b

Item obijcitur, licet Dominus pauper fuit, non tamen dicitur à quibusdam fuisse mendicus, vt videtur.

Item fratres mendicando, videntur grauare alios pauperes mendicos, penitus humano auxilio destitutos.

Item dicitur: Beatius est magis dare, quam accipere.

Act.20.g

Respondeo: Cum summe honorificum sit dare, summa priuatio honoris est constituere se in dandi impossibilitate, & necessitate mendicandi. Quia dicit Seneca: Nil carius emitur, quam quod precibus constat. Inter etiam omnium petitionum genera, verecundissima est mendicitas. Est enim mendicare, ad misericordiam hominum viuere, vt dicit Augustinus super illud Psalmi: Nutantes transferantur filij eius & mendicent. Quid potest autem tam verecũdum esse, quam in omnium Christianorum misericordia se ponere? Hoc sciens sanctus Franciscus subdit: *Nec oportet eos verecundari, &c.* Ipse enim Dominus mendicus fuit. vnde Augustinus super illud Psalmi: Persecutus est hominem inopem, id est, Christum, scilicet Iudas. Et quod addidit. Et mendicum, illum eundem intelligere possumus, nisi forte, quia dicit mulieri Samaritanæ, Da mihi bibere. & in cruce ait: Sitio. Amplius quamuis eius omnia essent, & ei ab omnibus deberentur, ipse tamen non est vsus sua potestate talia exigendo. Non enim exegit per imperium auctoritatis, sed per modum pauperis mendici sicut dixit Zachęo: Festinans descende. Ibi Glossa. Non inuitatus se inuitat.

Aug. enar in Psal.108. expositione 2. to.8.
Aug. ibid. Psal.108.b
Luc.19.a

Item tali etiam forma Apostoli processerunt, quibus licet omnia deberentur, tamen vt pauperes receperunt ex misericordia sibi datum ad necessitatem.

Item Bernardus tractans illud verbum: Cum factus esset IESVS annorum duodecim, dicit: Vtte, inquam, Domine per omnia nostræ paupertati conformares, & omnes vitæ humanæ calamitates susciperes, quasi vnus in turba pauperum, stipendium per ostia mendicabas. Huic concordat sanctus Augustinus, super illud producens fenum iumentis, dicit in originali: Loculi erant Iudæ proditori commissi. & illi qui conferebant in loculos, Domino conferebant, nisi forte putatis, quod Dominus ibat, & petebat, aut indigebat, cui Angeli seruiebant. Quare egere voluit, nisi vt daret exemplum montibus, vt parerent fenum? Hæc Augustinus.

Luc.2.f
Psal.103.b

Ad tertium dicendum, sicut dicit Apostolus: Probauerunt Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis. & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in corporalibus ministrare eis. Ibi dicit Glossa, quod erant debitores, quia illi pauperes miserant eis prædicatores. Cum igitur isti pauperes fratres toti mundo mittunt prædicatores, à toto mundo possunt accipere necessaria vitæ suæ. Nulli ergo iniuriantur in hoc, quia legis testimonio docetur, quod nulli facit iniuriam, qui vtitur iure suo. Nisi forte ideo faciunt iniuriam, quia quod possunt accipere cum honore, accipiunt cum extrema confusione.

Rom.15.f

Item omnia bona ecclesiæ Christi, & omnes superfluitates diuitum, sunt vna respublica pauperum. In participatione autem huius reipublicæ, tanto vnusquisque minus alios lædit, quanto paucioribus est contentus. Hoc faciunt fratres isti, qui cum possent viuere, sicut alii clerici in statibus honoris, & affluentiæ, viuunt in statu ignominiæ, & ærumnæ, mendicantes pro seipsis, sicut Paulus mendicauit, pro aliis, vt patebit in epistolis suis, scilicet in collectis pro pauperibus faciendis.

Ad vltimum sciendum, quod si beatius est magis dare, quam accipere, beatissimi sunt qui omnia dederunt. Vnde Hieronymus: Nemo perfectius erogat, quam qui sibi nihil reseruat.

Item si recipere diminuet de beatitudine, ergo qui magis recipiunt, magis deficiunt, & qui minus recipiũt, minus deficiunt. In hac parte tales sunt isti pauperes in toto clero ex sua professione.

Item licet dare, simpliciter beatius sit, quam recipere: tamen cum circumstantia tantæ humilitatis recipere est beatius, quam dare. Vnde Dominus suos discipulos ad receptionem informauit, quos nudos per sæcula destinauit. *Vadant fratres pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus noster se fecit pauperem in hoc mundo.* Sed glorientur, quia datum est eis pro nomine IESV contumeliam pati, nihil habentibus, in hoc mundo.

Sed pro tertio addit: *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, &c.* Quare altissimæ, nisi quia à mundo remotissimæ, & per consequens cælorum regno summe vicinæ? Illi etiam vitæ æternæ, vt est possibile, simillimæ, vbi nihil terrenum est proprium, vel commune. Vnde subdit: *Quæ vos charissimos fratres meos heredes, & reges regni cælorum instituit.* Ideo *heredes*, quia omnia dimittentibus pro regno cælorum, promittitur gloria æterna. Ideo *reges*, quia solutione facta plenaria pro re emenda. Idcirco in Matthæo dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sunt ergo tanquam Domini cælorum, quia cuncta dederunt propter Deum

Mat.5.a

qnuam

nondum sunt in eis possessione. Hunc autem modum acquirendi regnum addit dicens: *Pauperes rebus fecit, & virtutibus sublimauit.* ad hoc enim ordinatur paupertas ista, vt solum per eam prohibëre virtutis sanctitas augeatur. Studeant ergo isti pauperes, sicut sunt ceteris arctiores in paupertate, sic sint præ ceteris in omnibus celsiores. *Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium*, eo ipso quo in terra morientium, nihil quærunt. *Cui dilectissimi totaliter inhærentes*, vt omnia quæ in vsu fratrum sunt, hanc prædicent paupertatem. *Nihil aliud pro nomine Domini nostri IESV Christi, in perpetuũ sub cælo, habere velitis.* Ipse enim ita pauper extitit, quod nihil habuit, quo posset eum diabolus spoliare, vt supra patet.

Sed quia sic fratribus depauperatis, necessaria est fraterna consolatio: addit: *Et vbicunque sunt fratres, ostendant, &c.* Ostendens qualiter se debent habere ad alios. Et primo ad sanos, & consequenter ad ægros. Circa primum informat eos ad veram non ad fictam charitatem: & hoc in duobus. Primo quo ad familiarem, affabilem, & socialem dilectionem. Secundo quo ad necessitatum omnium releuationem. Dicit ergo: *Vbicunque sint*, in domo, siue extra domum, *& se inuenerint fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se*, non solum publice, sed familiariter & secrete, & ideo ait, *inter se.* Pro secundo addit, *& secure manifestet vnus alteri necessitatem suam, & secure*, inquit, sicut filius matri suæ. Vnde addit, *quia si mater nutrit, & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere affectu, & nutrire*, scilicet effectu *fratrem suum spiritualem*? consequentia patet, quia amor gratuitus, scilicet charitatis, fortior est amore carnali. Tum quia charitas superat mortis innatum horrorem. Tum quia charitas habet fundamentum sui bonum infinitum propter quod nihil finitum præualet contra eam. Hæc autem exhortatio ex illa regula Euangelica trahitur: In hoc cognoscent omnes, quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. (*Ioan.13.d*) Item: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. (*Luc.22.d*) Sed pro ægrotis subdit: *Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei seruire, sicut vellent sibi seruiri.* Et hoc etiam ad eandem charitatem pertinet. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Non te pigeat visitare infirmos, ex his enim in dilectione firmaberis. (*Eccli.7.d*) Vnde Saluator ait: Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, &c. (*Matt.7.b*)

CAPVT VII.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quam citius poterunt sine mora. Ipsi vero Ministri si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis pœnitẽtiam. Si vero presbyteri non sunt iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secũdum Deũ melius videbitur expedire, & cauere debent, ne irascantur, & conturbentur propter peccatum alicuius: quia ira & conturbatio in se, & in alijs impediunt charitatem.

EXPOSITIO.

Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccauerint. Stabilitis duobus ciuitatis lateribus ex sex partibus figuratis, hic agitur de tertio latere Occidentali. Et hæc pars habet tres partes, quia in prima agitur, de lapsorum releuatione à casu fugientium. In secunda agitur de principali ordinis gubernatione, & pertinentibus ad totius ordinis immobilem statum. In tertia agitur de erectione aliorum à casu, prædicando verbum diuinum. Prima pars habet tres. Primo enim tangitur peccatorum debita põderatio. Secundo eorundem ordinata correctio, ibi: *Ipsi vero ministri si presbyteri sunt.* Tertio subditur ministrorũ propria informatio, ibi: *Et cauere debent.* Dicit ergo sic: *Si qui fratrum instigante inimico, &c.* Quanto enim aliquis maius habuerit studium perfectum, tanto fortioribus contra eum machinatur insidiis. *Mortaliter peccauerint*, quod fit in omni voluntaria transgressione præcepti legis diuinæ, & disciplinæ. *Pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales.* Iuxta quod Dominus eiectionem dæmoniorum suis miraculis reseruauit. (*Luc.8.*) *Teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt sine mora.* Hoc de notoriis tantum peccatis intelligitur, quia quæ secreta sunt non sunt publicanda. Grauius enim est peccatum, quod in scandalum aliorum publice perpetratur, quam occultum, ceteris paribus: & ideo grauius est puniendum.

Sequitur secundum: *Ipsi vero ministri si presbyteri sunt*: quod regulariter est tenendum, cum habeant curam animarum, & per consequens habeant vultus pecorum suorum cognoscere, & in fide ac moribus ordinare. Istud autem dictum est pro ordinis principio, in quo erat raritas sacerdotum. Maxime quia sanctus Franciscus ex humilitate legitur sacerdotium fugisse, sicut & sanctus Benedictus: *Cum misericordia iniungant illis pœnitẽtiam.* Cum misericordia inquit, ne eueniat quod dicitur. Cũ austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersus est grex meus eo quod non esset pastor. (*Ezec.34.a*) *Si vero presbyteri non sint, iniungi faciãt per alios sacerdotes ordinis.* Pro tertia parte subdit: *Et cauere debent ne irascantur.* Ita quæ est habitus cum assensu liberi arbitrij in maleuolentiam. Hoc ideirco dixerim, quia vitare omnes passiones surreptitias iræ non est in hominis potestate. Sufficit autem voluntatis rectitudinem custodire, & motus huiusmodi rationabiles circa consensum viriliter cohibere. Vnde Psalmus: Irascimini & nolite peccare. (*Psal.4.a*) *Et conturbentur*, id est, turbulenti & terribiles efficiãtur, subditis suis, *propter peccatum alicuius*, quia ira & conturbatio, in se & in aliis impediũt charitatem, quæ est vita cordis, vt ait Ioannes: Qui odit fratrem suum, homicida est. (*1.Ioan.3.c*) Non autem prohibet, iram per zelũ, quę virtus est necessaria in peccatis corrigendis.

CAPVT VIII.

De electione Generalis ministri huius fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.

Vniuersi fratres vnũ de fratribus istius religionis teneantur semper habere Generalem ministrũ & seruũ totius fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio successoris fiat à Ministris prouincialibus, & custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo prouinciales Ministri teneantur semper insimul conuenire, vbicumque à Generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorẽ, sicut à prædicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum prouincialium & Custodum, prædictũ ministrum non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem fratrum: teneantur prędicti fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post Capitulum vero Pentecostes, ministri & Custodes possint singuli si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodijs semel fratres suos ad Capitulum conuocare.

EXPO-

EXPOSITIO.

Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis, &c. Hic secundo prouidetur aduersus Occasum principalis ordinis gubernatio, quantum ad quattuor. Primo quantum ad Generalis ministri perfectionem, & electionem. Secundo quantum ad capituli Generalis celebrationem, ibi, *Quo decedente.* Tertio quantum ad absolutionem ministri inutilis, ibi, *& si aliquo tempore.* Quarto quantum ad celebrationem capituli prouincialis in singulis prouinciis, ibi, *Post capitulum vero Pentecostes.* Dicit ergo pro primo sic, *Vniuersi fratres, vnum de fratribus istius religionis teneantur semper habere Generalem ministrum, & seruũ totius fraternitatis.* vnde in Ecclesiastico dicitur: Circa illum corona fratrum, quasi plantatio cedri in monte Libano. In his autem verbis, tangit eius auctoritatem in nomine generalitatis. Tangit etiam humilitatem cum dicit, *Vt sit seruus totius fraternitatis*, vt, scilicet qui dum subditus erat, obediebat vni, aut duobus, sciat se electum, in Generalem ministrum, debere omnium necessitatibus obedire. Tangendo autem eius auctoritatem, & humilitatem notat etiam vnitatem, dicens, *Vnum de fratribus*. Quia sine vno capite, nulla respublica stare bene potest. Vnde vnum Apostolum Dominus præfecit ceteris. Item in Ezechiel dicitur: Suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid. Omne enim regnum in se diuisum desolabitur. Pro secunda particula addit: *Quo decedẽte, & fuerit ordinatum*, quia pro diuersis necessitatibus, oportet temporis spatium variare. In exemplum huius capituli, congregati discipuli receperunt Spiritum sanctum, vt habetur, in Actis. Et pro tertia parte addit: *Et si aliquo tempore, appareret vniuersitati Ministrorum prouincialium & Custodum, sine personarum acceptione, & nationum, teneantur prædicti fratres quibus electio data est in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.* Hoc nomen Custos, actum dicit, & non gradum, sicut nomen Seraphin actum dicit, & non ordinem. Vnde in Isaia dicitur: Volauit ad me vnus Seraphin. Pro quarta particula addit: *Post Capitulum vero Pentecostes.* Non negat quin possint etiam capitula prouincialia aliis annis celebrare, sed de isto fit specialiter mentio, quia est præ ceteris necessarium, vt ordinationes generales Capituli, per Capitula prouincialia celeriter publicentur, & vt possit de absolutis ministris prouincialibus prouideri.

Eccli. 50. b
Ezec. 34. e
Matt. 12. b
Act. 2. a
Isa. 6. a

CAPVT IX.

De prædicatoribus.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem fratres, vt in prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum breuitate sermonis: quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

EXPOSITIO.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, &c. Hæc est tertia pars, in qua agitur de prædicatione fratrum, pertinente ad Leuiatan extirpandum, vt est mensa in latere Aquilonis, vt dicitur in Exodo. Et hæc pars habet duas partes, quia primo agit de pertinentibus ad prædicationis auctoritatem. Secundo ad prædicationis vtilitatem, & maturitatem, ibi: *Moneo quoque fratres.* Et quoniam prædicaturi fulciuntur duplici auctoritate, scilicet prælatorum sæcularium, quibus sunt greges commissi, & prælatorum ordinis, per quos habet de personis idoneis prouideri: pro primo dicit sic: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, vbi eis fuerit contradictum.* Hoc ideo dicitur, quia fratribus iste gradus licentiæ debet sufficere, quia præsumitur eum consentire si non contradicat. Vnde Gregorius 22. Moralium: Pij pastoris mens quia non propriam gloriam, sed auctoris sui quærit, ab omnibus vult iuuari. Fidelis namque prædicator optat, vt si fieri valeat, veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Hæc Gregorius. Vnde in Luca dicitur: Vidimus quendam in nomine tuo dæmonia eiicientem, & prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos: Nolite prohibere, qui enim non est aduersus nos, pro nobis est. Simile legitur in Numeris. Ne igitur impedimentum esse possit verbi Dei expectatio licentiæ expressæ, vt ostendatur præsumptam licentiam sufficere his duntaxat, quorum prædicatio est per sedem Apostolicam approbata, loquitur negatiue, in principio dicens: *Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius.* Sed ponamus quod Episcopo attentante & approbante prædicationem fratrum, aliquis inferior prælatus repellat eum in parochia sua. Nunquid contra voluntatem eius debent ibidem prædicare? Et videtur quod non, quia omnis auctoritas concessa à quocunque iudice, intelligitur concedi sine præiudicio, sed prædicare in alienis inuito curam habente, est in præiudicium proprij pastoris, ergo nullum priuilegium suffragatur fratribus ad prædicandum plebi, contradicente proprio pastore.

Greg. lib. 22. Mor. c. 16. circ. med.
Luc. 9. f
Num. 11. f

Item saltem nullus debet audire confessionem alicuius, parochiani alterius, quia per hoc impeditur ne possit agnoscere vultum pecorum suorum, contra illud Prouerbiorum: Diligenter agnosce vultum pecoris tui.

Prou. 27. d

Respondeo. Cura pastoralis non est dominium, sed dispensatio, & officium Ecclesiasticæ potestatis. Vnde hierarchia secundum Dionysium est potestas ordinata, ad dispensandum sacræ omnia potestati subiecta. In potestatibus autem ordinatis, quidquid potest inferior, etiam potest superior, & non econuerso. Vnde & ipsa hierarchia habet totam potestatem in se ordinatam, quæ est hierarchia per varios gradus distributa. Vnde nominans hierarchiam, nominat omnem hierarchicã potestatem. Vnde dicit Dionysius 1. Ecclesiast. hierarchiæ, quod licet illa hierarchia aliis tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas, ad agenda omnia quæcunque per sibi subditos fieri possunt, ad salutem fidelium procurandam. Et quia quidquid potest ex ordinaria potestate seu auctoritate, potest alteri cõmittere, & quod potest per se, potest per alium in adiutorium sibi subditarum potestatum mittere opitulationes, quotiescunque sibi videtur expedire. alioquin nimis periclitaretur status Ecclesiæ, si Papa, vel inferior hierarchia vidẽs sibi subditis curæ non sufficere, nec seipsum posse omnibus adesse, nõ posset viros idoneos mittere vice sua. Vnde si sacerdos curã habens nolit admittere fratrẽ missum canonice peccat mortaliter. Vnde Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Si igitur resistat sacerdos, nitatur frater cum humilitate allicere, quod si nõ possit, nisi scandalum immineat, debet frater prædicationis officium exercere. Quod si omnino se sacerdos irrationabiliter opponat, vehemens est præsumptio contra ipsum, cedendum est ad tempus malitiæ ne scandalum suscitetur, & denuntiandum est hierarchiæ periculum animarum. Cum ergo dicit, quod in præiudicium sacerdotis, dicendum quod non: quia nulli facit iniuriam, qui vtitur iure suo. Non ergo iniuriatur Episcopus mittendo opitulationem, cum hoc facere posset de iure, vt supra visum. Nec iniuriatur opitulans illi, quem iuuat in sarcina supportanda. pro tanto enim minuitur sacerdoti curam habenti pondus in districto iudicio Dei, quantum ab illo supportatur. Et quod dico de prædicatione intelligo

Dionys. de cæles. hier. c. 1.
Rom. 13. a
Exod. 26. g

etiam

etiam de confessionibus audiendis. Possunt enim fratres Apostolica ordinatione in priuilegiis ordinis expressa, audire cuiuscumque sacerdotis parochianos, ipso inconsulto, vel etiam contradicente, si auctoritatem habeant ab Episcopo audiendi. Et quia curia Romana hoc determinat, hæreticum est aliud pertinaciter affirmare. Sicut patet distinct. 22. cap. Omnes. Patet etiam Papam posse talia in Ecclesia ordinare, quia certum est, quod distinctio curarum, & collatio iurisdictionum ab auctoritate processit Ecclesiæ Romanæ. Ergo quandocunque videtur ei ad salutem fidelium aliud expedire, potest aliud ordinare dicente Augustino, quod hoc solum recte agitur, vt vita hominum corrigatur.

Ad obiectum de agnitione vultus, respondeo, quod si sacerdos proprius scire possit, & vellet sufficiens consilium super subditos impendere, nullus sanæ mentis quæreret immiscere se confessionibus ad ipsum non pertinentibus, audientis. Certum est autem, quod quidam sacerdotes omnes suos subditos audire non possunt propter multitudinem subditorum. Vnde cum ipsi soleant sibi alios adiungere sacerdotes commensales, vel extraneos ad tempus vocare, pro illis audiendis, quos sibi nolunt, vel nesciunt, vel non possunt audire, impium est dicere ipsum hoc posse, & Episcopum non posse. Potest igitur Episcopus aliquos mittere in adiutorium sacerdotum, propter ipsorum impotentiam, ignorantiam, vel acediam, qua tepidi sunt in discutiendis conscientiis subditorum. Nec propter hoc tantum, scilicet propter insufficiētiam sacerdotum in aliquo prædictorum trium, immo etiam propter maius bonum: quia in maiorem feruorem pœnitentiæ excitantur multi ex prædicatione & exemplis fratrum, quam plurimorum aliorū. Potest autem nihilominus sacerdos agnoscere vultus peccatorū suorum, vel quantum ad exteriorem conuersationem, vel quantum ad consciētias subditorum suorum, si postquam fuerint fratri confessi, dicant in foro conscientiæ sacerdoti se confessos fuisse: quoniam in foro conscientię pro se, & contra se cuilibet est credendum, & aliqua etiam interim venialia emergentia dicere. Quanquam nō esset malum, immo certe plurimum expediens, omnem confessionem reiterare pro benedictione duplici acquirenda, nisi forte sacerdos ille esset ignarus plurimum, aut reuelator confessionis, aut sollicitator ad peccandum, aut simoniacus, aut aliter scelerosus, quo pateat ipsum, vt malæ conscientiæ hominem non habere zelum Dei, pro aliis dirigendis. Impium est autem non credere audito à fratre: cum credat audito à sæculari alio sacerdote, vel dicere quod frater impediat agnitionem vultus, quam non impedit alius sæcularis.

In omnibus autem confessionibus audiendis consulo auditores fratres, prius inquirere, qua de causa declinant auditorium proprij sacerdotis, & nisi eos inueniant pie motos & rationabili causa ductos, remittant eos ad proprios sacerdotes. Retrahuntur aliquando enim peccatores saltem ad tempus verecundia, ab ausu peccandi, in aspectu & pręsentia proprij sacerdotis, si bonus est, eorum scelera cognoscentis. Sed quia hoc rarum est, non sunt propter hoc particulare ratum bonum alia innumera dimittenda, quæ per auditum fratrum, vel aliorum Deum timentium procurantur.

Pro auctoritate habenda à prælatis ordinis subdit: *Nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi, &c.* Circa quod notandum est, quod superius dictum est, cessante causa, &c. Certum est autem, quod nullus examinandus est, nisi de cuius sufficientia non constat. Idcirco Papa regulam declarando diffinit, quod qui examinatione non indigent, non sunt ad generalem ministrum causa officij prædicationis mittendi. Aliud etiam priuilegium, examinationem committit discretis fratribus aliis, quod priuilegium non discordat ab intentione regulæ, quæ nō intendit nisi periculis obuiare, quod (Deo gratias) excludi potest per multiplicationem litteratorum per ordinem ad talem examinationem sufficientium, & melius sic pericula excludentium: quam alio modo fieret: quia discursus & viarum multiplicium pericula sic vitantur. Sic Dominus ipse Christianæ Religionis institutor primo solus vocauit & informauit discipulos, secundo per alios Ecclesiam dilatauit. *Moneo quoque & exhortor ipsos fratres, vt in prædicatione quam faciunt*, ergo nullus debet prædicare, nisi sciat ipse sermonem facere, & sufficienter disponere. Vnde subdit: *Sint examinata*, non temere ac sine deliberatione prolata, non sint noua ac suspecta, *sed casta eorum eloquia.* Psalmista: Eloquia Domini eloquia casta. Hæc autem castitas excludit corruptionem falsitatis, & immissionem non solum enormitatis, immo etiam omnis vanitatis seu verbi risum prouocantis, seu fastum aut impetum prætendentis. Excludit etiam corruptionem intentionis. Vnde Apostolus ait: Non enim sumus, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo, contra falsitatem: coram Deo per maturitatem: in Christo, per puritatis intentionem. Secundo describit eam per causam finalem. Vnde subdit: *Ad vtilitatem, & ædificationem populi. Vtilitatem*, in malo vitando: *ædificationem* in bono faciendo. *Populi* dicitur, ne tantum præsumant, quod pauperibus & simplicibus prædicare contemnant. Sed pro causa materiali subdit: *Annuntiando eis vitia & virtutes*, quantum ad vitam præsentem, *pœnam, & gloriam*, ad vitam futuram. quod dicit ne prædicent, scilicet seipsos vt suam philosophiam ostendant, & fimbrias magnificent. Pro causa formali, subdit: *Cum breuitate sermonis.* Hæc breuitas excludit verborum ambages & sententias inuolutas, verba etiam ardua super capacitatem audientium, hoc patet per illud quod sequitur: *Quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.* Ista enim abbreuiatio non excludit, cum expedit, sermonis prolixitatem, quia Dominus ipse aliquando prolixe prædicauit, sicut patet in Ioanne, & Matthæo. Sed breuitas dicitur ibi restrictio omnium legalium, ad vnum Christum. Item exclusio cærimonialium & commendatio moralium. Item breuitas est charitas, quæ continet in se totam legem ad litteram. etiam studendum est, breuitati quia prolixitas generādo fastidium, auditores pluries retrahit ab auditu. Ex isto capitulo patet, quod fratribus ex intentione beati Francisci, incumbit studere, quia sine studio non possunt verba modo debito examinare. patet etiam quod fratres ex sua professione habent prædicare, in quorum regula inter omnes specialis tractatus de prædicationis officio continetur. vnde certissime constat, quod nullis aliis religiosis plus competit prædicare ex ratione status sui, quam his, qui hanc regulam profitentur.

Psal. 11. b

2. Cor. 2. d

Ioan. 12. c
Matt. 15. b

CAPVT X.

De ammonitione & correctione fratrum.

Fratres qui sunt Ministri & serui aliorum fratrum visitent & moneant fratres suos, & humiliter & charitatiue corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam & regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ & regulæ nostræ. Et vbicumque sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere. Ministri vero charitatiue & benigne eos recipiant. Et tantam familiaritatem habeant circa ipsos vt dicere possint eis & facere sicut domini seruis suis. Nam ita debet esse quod Ministri sint serui omnium fratrum. Moneo vero & exhortor in Domino IESV Christo, vt caueāt fratres ab omni superbia, vanagloria, inuidia, auaritia,

uaritia, cura & sollicitudine huius seculi detractione & murmuratione. Et non curent nescientes litteras, litteras discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad eum puro corde, & habere humilitatem & patientiā in persecutione, & in infirmitate, & diligere eos, qui nos persequūtur, & reprehendunt & arguunt, quia dicit Dominus; Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qui autem perseuerauerit vsq; in finē hic saluus erit.

Matt. 5. g
Matt. 5. a

EXPOSITIO.

FRatres qui sunt Ministri, & serui aliorum fratrum, &c. Descriptis tribus huius ciuitatis lateribus, hic describit latus quartum totum vergens ad Austrum, & etiam ad interiora Austri. Et hæc pars habet tres. quia prima pars docet seruare omnem virtutis perfectionem præcipue charitatis Secunda docet seruare famæ sinceritatem à maculis præcipue fœditatis. Tertia sitientibus martyrium aperit aditum, docens infidelibus se iungere domesticis abdicatis. Prima pars habet octo. quia primo imponit Ministris Prouincialibus diligentiam curæ. Secundo imponit subditis districtionem obedientiæ, ibi: *Fratres vero, qui sunt subditi.* Tertio fratribus grauatis dat remedium, ibi: *Et vbicumque sunt.* Quarto circa hoc subdit informationem Ministrorum, ibi: *Ministri vero benigne.* Quinto subdit informationem omnium fratrum ad vitationem peccatorum præcipue spiritualium, ibi: *Moneo vero.* Sexto informat eos ad deuotionis spiritum, & orationis exercitium, ibi: *Sed attendant.* Septimo ad tolerantiam iniuriarum, & aliorum grauaminum, ibi: *Et habere humilitatem, & patientiam.* Octauo ad charitatis complementum, ibi: *Et diligere eos, qui nos, &c.*

Dicit ergo primo: *Fratres, qui sunt Ministri, & serui aliorum fratrum.* Ministri in spiritualibus, & serui in temporalibus. *Visitent,* socialiter, *& moneant,* iudicialiter ex dicto Saluatoris Petro: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et hoc ad benefaciendum. *Humiliter,* non imperiose, *& charitatiue,* non contumeliose contra dicentes, vnde in Ezechiele dicitur: Lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. *Humiliter* ergo, *& charitatiue.* Exemplo Domini dicentis: Quotiens volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina. Ipse tamen Dominus asperæ dedit correctionis exemplum. Vnde facto flagello de funiculis expulit ementes & vendentes. Et Petro carnali sensu ducto dixit: Vade retro Satanas Durissime etiam Pharisæos, & hypocritas increpabat. *Non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam,* vtpote inhibitum lege diuina, *& regulam nostram,* inhibitum lege disciplinæ.

Luc. 22. d
Ezec. 34. e
Matt. 23. d
Luc. 13. g
Ioan. 2. c
Mat. 8. d
Matt. 15. a

Pro secunda parte rubricæ subdit: *Fratres vero, qui sunt subditi recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates.* Propria voluntas est illa, quæ omnino diuino imperio non ligatur, vel superiori regulæ non adhæret. *Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris,* & omnibus prælatis ordinis. Et dicit: *Suis,* vt de Prouincialibus, & aliis prælatis immediatis se loqui ostendat hic, qui supra de obedientia ad Generalem Ministris in primo capit. est locutus: *In omnibus, quæ promiserunt Domino obseruare,* supple, explicite, vel implicite. *Et non sunt contraria animæ suæ & regulæ nostræ.* hoc supra expositum est.

Sequitur pro tertia parte: *Et Vbicunque suos fratres, qui scirent,* se per experientiam: *& cognoscerent* per rectum iudicium, *se non posse regulam spiritualiter obseruare,* hoc est in his præcipue quæ spiritualia sunt, vt tranquillitas cordis, & puritas conscientiæ, *Non posse,* inquit, vel propter tentationum grauitatem periculosam, vt in consortio mulierum, vel *non posse,* quantum ad corporis necessaria, si non possint habere alicubi salua ordinis puritate, vel propter similia. *Ad suos Ministros debeant recurrere.* Qui debent esse refugium afflictorum vice Domini dicentis: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Recurrere, inquam, per se, vel per nuntium forma statutorum ordinis obseruata in eundo, quia istud debitum non est exemptum ab obedientia statutorum.

Matt. 11. d

Sequitur pro quarta parte. *Ministri vero charitatiue* in corde, *& benigne* in vultu, & sermone, *eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa eos,* hoc est tam familiares seipsos exhibeant, *vt dicere possint eis,* fratres ad eos recurrentes, *& facere sicut domini seruis suis.* In hoc verbo, *Sicut domini,* Ministri informantur ad humilitatem, vt se quasi seruos imaginentur fratrum aliorum esse. Et omnia verba imperium resonantia sileant, & facta dominatum prætendentia penitus deserant, exemplo illius, qui dixit: Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor sicut ministrator. Cum igitur dicitur, vt dicere possint & facere. Informatio est Ministrorum, ne facto aut verbo prætendant fastum, qui possit repellere subditos à fiducia ad Ministros in necessitatibus recurrendi. Non est autem intelligendum verbum, quod subditis detur occasio superbiēdi per nimiam humilitatem Ministrorum, ne, sicut dicit Gregorius, dum nimis seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Vnde qui dixit: Qui maior est vestrum, &c. non dixit: Qui minor est, fiat sicut maior. Nam ita debet esse, quod Ministri sint serui omnium fratrum, Serui quidem in his præcipue, quæ ad salutem pertinent animarum. Vnde Dominus: Ego in medio vestrum sum tanquam qui ministrat.

Luc. 22. c
Greg. 2. parte cur. pastoral. ca. 6.
Ibidem.

Sequitur pro quinta parte, in qua tangit octo genera peccatorum, dicens: *Moneo vero & exhortor in Domino IESV Christo, vt caueant fratres ab omni superbia,* quia vt dicit Augustinus super illud Psalmi: In ira consummationis. Alia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est, *Ab omni,* inquam, *superbia* cordis, conuersationis, sermonis, & operis, *vana gloria,* quæ oritur ex superbia, hoc est fratribus necessarium. Vnde Hieronymus super Matthæum: Eleganter in quodam volumine scriptum legimus, Ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris. *Inuidia,* quæ infallibiliter superbiam comitatur. Vnde Augustinus super illud Psalmi; Superbiæ est comes inuidia: fieri enim non potest, vt superbus non inuideat. *Auaritia,* quæ consistit in cupiditate rerum terrenarum non habitarum. Item consistit in tenacitate rerum obtentarum quarumcunque in vsum venientium. Pro qua vlterius excludenda subdit: *Cura, & sollicitudine huius sæculi,* quæ ex auaritia proueniunt. Vnde Saluator: Nolite solliciti esse. Dicendo: *Aut sollicitudine huius sæculi,* sollicitudinem sæcularem perimi, vt spiritualem sollicitudinem non excludat, quæ in procuranda animarū salute præcipue exercetur. Inhibendo etiā sollicitudinem huius sæculi, curiositatē illorum percutit, qui immoderate student in sapientia sęculari. In culpam auaritiæ & sollicitudinis nimietatē, incidunt omnes superfluitates librorum, aut vestium, aut ædificiorū, aut similium. Quæ auaritia tunc est damnabilis, cum in grauamen aliorum pauperum, eleemosynæ in talibus superuacue consumuntur. *Detractione,* quæ oritur præcipue ex inuidia, & odio, ideo excludēdo detractionem, odium etiam & iram excludit. *Et murmuratione,* quæ ex impatientia & iudiciorū temeritate procedit, omnia vitia spiritualia, quæ religiosos fragiles comitari solent, hæc excludit excepta acedia, quam in suo consequenter opposito dissuadet. Curiositatem etiam laicorū cohibet: dicens: *Et non curent nescientes litteras,* id est, laici litteras discere. In quo verbo curiositatē cohibet, non tamen inhibet, qui ipsi teneantur litteras discere, si fuerit eis imperatum.

Aug. enar. in Psal. 58. conc. 2. to. 8.
Hier. in 13. Matt.
Aug. ibid.
Mat. 6. c

Sed cum ista sint mortalia, puta in lege Dei prohibita quare hic ea monitorie exhortantur? Ad quod dicendū, quod in omni genere capitalium peccatorum aliquid

Obiectio. Responsio.

est mo-

est mortale,& aliquid est veniale. Mortale est omne peccatum quo aliquid appetitur supra Deum. Hoc autem supra Deum appetitur, quando aliquis pro re temporali desiderata obtinenda, vellet aliquod peccatum mortale committere, quasi etiam non possit aliter obtinere, vel pro re iam obtenta non amittēda, prius vellet peccatum mortale committere, quam ipsa carere. Hæc autem docet sanctus Augustinus: Hoc est enim habere Christum in fundamento, nihil Christo preponere, sed in omnibus eius præponere præceptoriam voluntatem. Qui igitur excellentiam vel vanam gloriam inordinate appetit, ita tamen quod Deum sibi in corde præponit, nec aliquid contra Deum faceret pro gloria assequenda superbus est, sed non criminaliter. & propter istam distinctionem admonemur omne etiam signum superbiæ in gestu, habitu & sermone, & ita de aliis intellige consequérer. Qui ergo sollicitus est de sæculo contra regulæ honestatem, vel in tantum, vt illa amittat ad quæ ex lege vel voto regulæ tenetur, peccat mortaliter.

Aug.li.21.de Ciu.Dei c. 20.to.5.

De detractione est difficilius explicare. Circa quod sciēdum, quod detractio est quæ verbo lædit alium, præcipue in absentia. Talis ergo aut mētitur, vt lædat, & hoc est generaliter mortale peccatum, cum sit perniciosum mendacium: aut dicit verum licet malum, & hoc potest esse tripliciter, aut enim homo dicit malum verum de alio, zelo iustitiæ, quando & vbi dicendum est, & hoc non est malum, sed bonum. Aut dicit malum desiderio & libidine vindictæ, vel odio personæ, & hoc principali intentione, & talis peccat mortaliter. Aut dicit malum scitum, ex lubricitate linguæ, & hoc non est mortale peccatum, nisi ita contra prudentiam dicatur, vt possit in scandalum redundare. Zelo autem iustitiæ potest quis dicere malum dupliciter, vel vt corrigatur, vel vt caueatur. Murmuratio est peccatum mortale cum impugnat scienter Dei iudicia, vel superioris auctoritatem, vel cum ordinatur ad scandalum suscitandum.

Pro sexta parte subdit: ***Sed attendant quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini***, quem supra dixit spiritum sanctæ deuotionis. Ista deuotio est pius & humilis affectus in Deum, qui ex compunctione generatur. ***Et sanctam eius operationem.*** Oratio enim dicit Spiritus operationem. Quia dicit Apostolus ad Romanos, Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, *Orare semper ad Deum, puro corde.* Oportet semper orare, & non deficere. Et Apostolus ait: Sine intermissione orate. Hoc autem triplicem, habet sensum, quorum duo tangūtur in Glossa: quia semper orare, est canonicas horas quotidie debito modo dicere. Item semper orat, qui semper bene agit. Tertio modo, semper orare est, spiritum deuotionis semper inuiolabiliter obseruare, quæ habita inter quascunque occupationes solet gemitibus, & suspiriis, inenarrabilibus Christi clementiam implorare. Imperceptibiliter etiam ad hoc Regula (vt existimo) manuducit. Fratres igitur semper orantes, acediam à se excludunt & per ieiunium gaudij omne carnale solatium, procul pellunt, vbi cauenda est hæresis Massilianorum.

Rom. 8.e
Luc. 18.c
1.Thess. 5.c
Gloss. Luc. 18.c

Pro septima parte addit. ***Et habere humilitatem & patientiam.*** Præmittit humilitatem patientiæ, quia fundamentum eius est, sicut econtrario superbia est fundamētum impatientiæ. Inter superbos semper iurgia sunt. ***In persecutione***, quæ est aduersitas ad extra, ***& in infirmitate***, quæ est aduersitas ab intra. Et dicitur. *In persecutione*, quia omnes qui pie volunt viuere, persecutionem patientur. Item Apostolus dicebat: Vsque in hanc horam esurimus & sitimus. Ibi Glossa: Libere, & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes gratiam non habent apud homines. Ad patientiam in infirmitate pertinet, paucis obsequiis paucisque remediis contentum esse, iuxta exigentiam paupertatis, vt memores sint fratres, quomodo olim monachi languentes, aqua frigida vix ad sufficientiam vtebantur. In quo (sine graui cordis gemitu non dico) magis reperiuntur vitiosi, pauperes in sæculo ad Religionem venientes. De quibus Hieronymus ait: Mirum de infelici cōditione plurimorum. Sunt nonnulli viles, & abiecti in sęculo, qui quotidianis laboribus se vltra vires affligentes pro victu captando, vilissime, & vix raris fabis, & rapis, cum ordeaceo pane saturātur. Cum Christi vero ad mensam accedunt, & Christi militiam suscipiunt, suę egestatis obliti, lautiora quęrunt quam milites, qui sunt assueti magnificis: Hæc autem omnia in Christi, & Apostolica vita locum non habent. Hæc Hieronymus.

Prou. 13.b
2. Tim. 3.c
1.Cor. 4.c
Hier. in epist. ad Eustochiū

In vltima parte subdit: ***Et diligere eos qui nos persequuntur*** facto, ***& reprehendunt*** irrationabiliter, ***& arguunt*** rationabiliter. ***Quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros***, quanto magis amicos. ***Et orate pro persequentibus*** in facto, ***& calumniantibus vos***, in falsi criminis impositione. Cuius rationem subdit, dicens: ***Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.***

Matt. 5.g

CAPVT XI.

Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur monasteria monacharum præter illos, quibus à Sede Apostolica cō cessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum, vel mulierum, ne hac occasione inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

EXPOSITIO.

PRæcipio firmiter. Hic docet fratres famæ sinceritatem obseruare à labe præcipue turpitudinis. Et hæc pars diuiditur in tres. Primo inhibet generaliter suspecta consilia omnium mulierum Secundo cautelam adhibet circa consortia monialium. Tertio inhibet occasionem spiritualium cognationum.

Dicit ergo pro primo: ***Præcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum.*** Suspectum consortium est, non solum mulieris suspectæ, immo cum omni muliere vbi locus & tempus, gestus, & aspectus, & alia laudabilia indicia suspicionem laudabiliter non excludunt, vt si locus quæratur pro mulierum colloquio solitarius, aut obscurus, & tempus nocturnum, vel alias oportunum. Si gestus sit dissolutus, vtpote ex nimia mulieris appropinquitate, vel faciei ad eam conuersione, fixis oculis, manibus iunctis, omne tale consortium est suspectum. Vnde suspecta sunt consortia, & colloquia prædictis circumstantiis concurrentibus. Item si solitaria sint excluso aliorum auditu, licet non visu, ex intentione, sine causa pia, maxime si sint solitarie prolongata, aut cum eadem persona sine ratione euidenti frequentata, suspecta sunt colloquia. Ad suspicionem autem mulierum facit ætas, & conditio colloquentis. Illam autem suspicionem existimo hic prohiberi, quæ fratri excitat enormis tentationis stimulum, vel quæ crimini præstat fomentum, vel quæ potest apud alios, vel alium scandalum generare. Et hic æstimo omne suspectum prohiberi colloquiū, quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcumque, vel quod potest huius rei scandalum, vel suspicionem probabiliter excitare. Sicut Dominus prohibendo mœchiā, prohibet non solum minorem lapsum qui est fornicatio, sed & omnem maiorem turpitudinem, qua corpus seminaliter inquinatur.

Sequitur pro secunda parte: ***Et ne ingrediantur monasteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.*** Hæc inhibitio de omnibus monialiū domibus intelligitur. Vbi enim magis est periculum colloquii, ibi prudentius obuietur. Illæ autem mo-

niales sancti Damiani pre ceteris mulieribus ab humanis consortijs excluduntur. licet ergo in frequentatione earum posset oriri periculum propter quandam familiaritatem fratrum minorum, & propter hoc sit licentia adeundi talia loca Sedi Apostolicæ reseruata: tamen quia aliæ moniales se amplius exponunt humanis colloquijs quam illæ, necesse est, vt illud mandatum ad omnes monachas referatur secundum expositionem Domini Gregorij, & indulgentiam de talibus visitandis. Et sicut monachi sunt non solum collegiati verumetiam solitarij: sic & monachæ, & moniales intelligendæ sunt non solum collegiatæ, verum & quæ inclusæ dicuntur, & solitariam vitam agunt. Et hæ etiam vitandæ sicut collegiatæ propter maius periculum solitudinis, ex tenore præcepti, vt æstimo præcedentis.

Sequitur, pro tertia parte: *Nec fiant compatres virorum, aut mulierum, &c.* Hoc idem inhibetur monachis. Et quia de similibus est ratio similis, scito hic prohiberi omne fratrum ad mulieres commercium, de quo posset fratribus scandalum generari.

CAPVT XII.

De euntibus inter Sarracenos, & alios infideles.

Quicumque fratrum diuina inspiratione voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à suis Ministris prouincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo ministris, vt petant à Domino Papa vnum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem & humilitatem, & secundum Euangelium Domini nostri IESV CHRISTI, quod firmiter promisimus, obseruemus.

EXPOSITIO.

Qvicunque fratrum, &c. Hic tertio docet, in martyrio consummare, & quia martyrium nihil est nisi fiat in Ecclesiastica vnitate: primo agit de primo. Secundo de secundo, ibi: *Ad hæc per obedientiam.*

In prima parte tangit fratrum hoc desiderio flagrantium deuotionem, & Ministrorum examinantium discretionem, dicens: *Quicumque fratrum inspiratione*, non leuitate, non impetuositate, non astutia subterfugiendæ disciplinæ, *voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles*, vt paganos vel hæreticos, vel schismaticos: *petant inde licentiam à suis Ministris prouincialibus*, quia huius rei obedientia non est inuoluntariis imponenda. Vnde subdit: *Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum.* Idonei autem sunt robusti corpore, & constantes in fide, probati virtute, & semper irreprehensibiliter conuersati.

Sequitur pro secunda parte: *Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris, vt petant à Domino Papa, vnum de sancta Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator* in bonis agendis, *Protector* in oppressionibus alienis, *& Corrector* in delictis *istius Fraternitatis? vt semper subditi, & subiecti sint pedibus eiusdem sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica*, sine qua illud martyrium nihil valeret, *paupertatem* contra auaritiam, *& humilitatem* contra superbiam, *& sanctum Euangelium Domini nostri IESV Christi*, quantum ad virtutum perfectionem omnimodam, *quod firmiter promisimus*, id est, quatenus ipsum promisimus, *obseruemus*. Propterea abundantius oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne forte pereffluamus.

Heb. 2.

Quæritur de præceptis regulæ, quę scilicet vniuersaliter intelligenda sunt præceptorie imponi, & in quibus possunt Prælati ordinis dispensare.

Ad hoc respondeo, quod regula ista præceptis est plena, & vt puto pene omnia in ea posita sunt præcepta, vbi aliquod expresse additum, vt monitionis vel exhortationis vocabulum, vel consimile aliud non declarat: Præceptorũ autem istorum, tria sunt genera: In quibusdam enim ponitur expresse præcipiendi verbum, vt præ ceteris commendentur. & illa sic transeunt in votum, vt in nullo eorum ordo valeat dispensare. Aliud est genus præceptorum, quibus additur verbum tentionis vel debiti, vel aliquod simile: ex quo obligatio declaratur. Vocabulum autem tentionis, licet obligationem importet: non tamẽ sic districte, sicut vocabulum præcepti ad illud faciendũ ligat, cui tentionis vocabulum est adiunctum. Quod patet, quia cum homo homini teneri dicitur in aliqua pecuniæ quantitate, certum est quod tentio obligationem importat vel ad soluendum, vel ad satisfaciendum, vel alio modo, nisi debitum velit creditor remittere debitori. Vnde licet tentio obligationem sonet, potest tamen ordo in particulari, & in casu cum aliquo dispensare in iam dictis: exceptis illis in quibus patet intẽtionem regulæ omnino præceptorie obligare, vel quorum transgressio scandalum, vel deordinationem notabilem generaret. Verbi gratia, cum dicitur primo cap. *Alij fratres teneantur fratri Francisco, & eius successoribus obedire.* Patet quod in hoc non potest ordo in aliquo dispensare. Sic etiam 8. ca. vbi dicitur: *Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis teneantur habere semper Generalem Ministrum.* Et infra eodem cap. *Teneantur prædicti fratres quibus electio data est, alium sibi eligere in Custodem*, & sic in similibus. In aliis autem nonnullis, credo quod ordo potest dispensare in particulari, & in casu. Verbi gratia: cum dicitur 3. capit. *Non teneantur nisi sexta feria ieiunare.* Credo quod citra manifestam necessitatem subditus tenetur ieiunium soluere, si Superior imponeret, nisi esset solutio ieiunij in scandalum aliorum. Similiter intelligo in illo verbo septimi capituli: *Teneantur prædicti fratres ad eos recurrere*, & in quibusdam aliis. nil tamen horum potest ordo generaliter immutare. Est etiam tertium genus, vbi nec additur præcipere, nec teneri: sicut patet in secundo capite in pertinentibus ad receptionem ad ordinem venientium, & in tertio in spectantibus ad diuinum officium, & in pluribus aliis consequenter, vbi multa essent pręcepta ex intentione mandatoris, nisi eorum transgressio scandalum, & deordinationem notabilẽ generaret. Circa quorum dispensationem in particulari intelligo idem, quod circa præceptum secundi ordinis est prædictum. Inter quæ etiam alia, quæ non præceptorie inseruntur, nec in speciali amplius diffinio, nisi vt omnia regulæ verba cum reuerentia recipiantur, & ipsorum transgressio penitus deuitetur: cum certum sit regulam pro lege dari, nec aliquis à lege auertitur, quin ad tenebras conuertatur.

Continuatio confirmationis Regulæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurũ. Datum Laterani, tertio Kalendas Decembris. Pontificatus nostri anno octauo.

EXPOSITIO.

Nvlli ergo. Hæc est pars tertia epistolæ, aliarum conclusiua, vbi duo sunt notabilia, scilicet regulæ stabilitio, & temporis determinatio. Pro primo dicit: *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contra re.* Quod tamen faciunt detractores, regulam ipsam, & regulæ declarationem, & fratrum conuersationem, trino ordine dentium lacerantes Vnde caueant ab eo, quod sequitur: *Si autem quis hoc attentare præsumpserit, indignationẽ omnipotentis Dei, & beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.* Pro tempore addit: *Datum Laterani*, id est, in sede Imperiali, Christi nomini consecrata

tertio

tertio Kalendas Decembris, die quinto Sancti Saturni, quæ est prima scilicet sollemnitatum anni, secundum reuolutionem Romani officij, vt pateat hanc regulam esse renouatiuam gaudij, quod annus benignitatis Domini introduxit: quæ est etiam vigilia Andreæ Apostoli, vt sciant omnes huius regulæ obseruantiam esse vigiliam præambulam ad thronum iudiciarium cum gloria possidendum. *Pontificatus nostri anno octauo*, vt octaua gratiæ, & gloriæ commendetur. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

DETERMINATIONES

Quæstionum circa Regulam sancti Francisci.

Hoc tractatu respondet S. Bonauentura obiectionibus, quæ aduersus religiosos omnes præcipue contra fratres Minores fiebant: docetque aperte his obiectionibus satisfaciendo, plura quæ dubia, & mala videntur in Regula, nec dubia, nec mala esse.

Summa Quæstionum, quæ hoc Opusculo determinantur.

PRÆFATIO.

CVM inter alios ordines religiosorum, ordo fratrum Minorum datus sit Ecclesiæ ad ædificationem fidelium in fide, & moribus, per verba doctrinæ, & exempla bonæ conuersationis, quibus, & fideles erudiantur ad imitandum, & fides muniatur contra prauitatem hæreticam, sicut lucerna fugans in domo tenebras, & operantes promouens. Vt autem eadem ædificatio afferat fructum ampliorem, necesse est ordinem ipsum quattuor ornamentis esse præditum, sine quibus minus proficeret in aliis, licet forte quo ad se aliquo illorum posset carere. Primum est vita irreprehensibilis, quæ maxime sibimet prodest, & alios ædificat. Secundum scientiam sacræ Scripturæ, sine qua nec secure, nec vtiliter posset alios docere. Tertium est auctoritas prædicandi, & confessiones audiendi, in quibus maxime prosunt fidelibus fratres. Quartum ratio satisfactoria, super quibusdam dubiis apud illos, qui non intelligunt qualiter fiant rationabiliter, & licite immo necessario & meritorie in ordine super quibus, aut mirantur, aut scandalizantur, vt sciant qualiter, & quomodo ista fiant rationabiliter: cum ad hoc teneamur. Nam, vt coram cæco offendiculum non ponamus, opera nostra lux debent esse coram hominibus, iuxta illud Matthæi: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Vos estis lux mundi. Et ideo expedit in lucem ponere, & rationem ostendere de his, quæ non intellecta possent putari tenebræ, & per consequens possent aliorum ædificationem de nobis aliquatenus impedire. Sicut enim artis alicuius ignarus: videt aliqua ab illius artis opificibus instrumenta haberi, quæ non intelligit ad quid valeant: ita plerumque sæculares, & rudes mirantur, quare spirituales hæc, & hæc faciant: ita vt expediat aliqua ab eis abscondere, non ex simulationis palliatione, sed pro cautela, ne ponatur offendiculum infirmis, & pusilli intelligentia materiam scandali inde sumant. Aufer rubiginem de argento, & egredietur purissimum vas, hoc est, tolle de bono quod facis suspicionem, rationem reddendo, & apparebit purum & bonum quod putabatur vitiosum. Vnde Petrus dicit: Parati semper ad, &c. Ipsa enim opera Dei purissima in se, sæpe sunt in rudibus, & in infidelibus occasio scandali, cum non intelligunt, & sinistre ac peruerse interpretantur. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me, ait Dominus. & Propheta dicit: cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Vt ergo lucerna clarius luceat, offendiculum auferas ei, & limpidius lumen effundet.

Matt. 5. b
Prou. 25. a
1. Pet. 3. c
Matt. 11. a
Psal. 17. c

QVÆSTIO I.

Cur tot existentibus sanctis, & approbatis ordinibus nouam regulam facere voluerit sanctus Franciscus.

PRIMO igitur quæritur, cum tot sancti ordines, & approbatæ regulæ fuerint, cur Sanctus Franciscus nonam regulam facere voluit, quasi non sufficerent priorum instituta sanctorum.

Ad illud tibi respondeo, quod Pater S. Franciscus Spiritu Dei plenus, & zelo charitatis Dei, & proximi totus ignitus, triplici desiderio flagrabat, videlicet vt totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum. Item vt totus posset adhærere Deo per assiduæ contemplationis eius gustum. Item vt multos posset lucrari Deo, & saluare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi & mori. Et quia non sufficit ei, vt ista in propria persona tãtum ageret, voluit instituere ordinem, vt multos co operatores

ratores haberet, non solum in præsenti, sed etiam in futuro, qui & sanctitatis eius imitatores existerent, & alios Deo plurimos lucrarentur. Ordines autem quos ipse sanctus Franciscus inuenit in Ecclesia, aliqua prædictorum trium ex parte habebant, vt religiosi Cœnobitæ, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia. Eremitæ, qui contemplationi diuinæ frequentius vacant. & Clerici rectores plebium, qui animarum curā habentes ex officio, lucris animarum omni vigilantia intendere debent. Et quia hæc tria simul inuenit in nullo ordine, Spiritu sancto edoctus nouam condidit regulam, & nouum ordinem instituit quo in possessione Euangelicorum consiliorum, obedientiæ, videlicet, & castitatis & abdicatione proprietatis Christi vestigia sequeretur, & in officio prædicationis & confessionis animarum lucra vtiliter quæreret, & in altissimæ paupertatis mendicitate libertatem spiritus retinens, contemplationis supernæ apprehenderet puritatem. Nam & si actionis exterioris occupatio aliquotiens interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam præstat studiosis opportunitatem, vt orando, legendo, meditando, & contemplando. Plus enim obest ad deuotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarū, quam exercitatio virtuosarum actionum: quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietudinem. Boni autem operis fidelis exercitatio conscientiā quietat, & impinguando eleuat in superna, sicut qui laborat in præparationem conuiuij, in quo quietus iucunde epuletur. Vnde & Dominus per diem occupabatur in doctrina populi, & ægrotantium curatione: in noctibus orationibus in monte vacabat, sicut ait Lucas: Erat autē diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliueti, & Psalmista dicit: In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Noluit sanctus Frācíscus esse fratres suos astrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex liberæ charitatis affectu, & vt meritum expectarent de fructu salutis aliorum, & periculum euitarēt de perditione eorum, particeps in lucro, indemnes in detrimento, vt alios extrahant de naufragij, seu incendij periculo, ipsi tuti consistentes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato.

Luc. 21. g

Psal. 41. c

QVÆSTIO II.

Cum fratres Minores populo prædicent, & confessiones audiant, cum animarum curam ordinarie non suscipiant.

CVm ergo, qui animarum curam ordinarie non suscipitis, prædicatis populo, & confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam, cum illis proprie competat, qui animarū curam ex officio gerunt, iniuriantes Plebanis, in quorum videmini præiudicium exercere officia illis commissa, & decipientes illos, quos absoluitis, super quos iurisdictionem non habetis ordinariam, contra canonum instituta, & periculum animarum vestrarum?

Respondeo. Nulli in hoc facimus iniuriā, nec aliquem decipimus: sed sedes Apostolica, quæ immediate curam Ecclesiæ habet, & à qua ceteri ecclesiarum Pastores, tam maiores, quam minores gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate, quam immediate, & à qua omnes canonum leges emanant, videns in his nouissimis temporibus, iuxta Apostolum instare tempora periculosa & laxatis Euangelicæ prædicationis retibus in capturā tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionē quod rete fidei scinditur, messem fidelium multā, & operarios idoneos paucos eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, & Episcopi negotiis exterioribus dediti spiritualibus intendere nequeunt, & pauci sunt Pastores in ecclesiis personaliter residentes, sed Vicariis, & mercenariis committunt oues, siue animas regendas in quorū plurimis multi eueniunt defectus imperitiæ, & honestæ vitæ, negligentiæ, & aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, & non esse qui plebes erudiant, vel à peccati fæcibus extrahant, vocauit nos in adiutorium tam cleri, quā populi, vt per officium prædicationis, & confessionis subueniamus animabus, & onus Pastorum subleuando alleuiemus, sicut Petrus, & eius socij nō valentes soli rete piscium ad litus trahere præ multitudine, annuerunt Iacobo, & Ioanni sociis suis in alia naui, quæ signat Religionem, vt venirēt & adiuuarēt eos, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent. Cum ergo ex Apostolicæ sedis missione, Episcoporum beneuolentia, prædicationis opera, & confessionis subditis eorum impendimus, eos ex charitate & auctoritate eorum absoluimus, & nō decipimus eos, sed iuuamus, & in illis fit non præiudicium Plebanis sed beneficium, dum pro eis laboramus, & ad obediētiam debitam eorum subditos exhortamur. Nā si Plebanus potest alteri vicem suam committere multo fortius potest hoc Papa, & Episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi cōmissos sine differentia potestatem. Et sicut ex charitate non ex necessitate impendimus fidelibus spiritualia subsidia docendo, & orando, & à peccatis in confessione absoluendo: ita ipsi non ex debito coactionis, sed ex libertate charitatis ministrant nobis corporalis necessitatis subsidium, cum Dominus ordinauerit iis, qui Euangelium nuntiant, de Euangelio viuere, &c.

2. Tim. 3. a

Luc. 5. b

1. Cor. 9. b

QVÆSTIO III.

Cur fratres Minores litterarum studio vacent.

ITem quæro, cum religiosi debeant simpliciter ambulare, & omnino virtutibus abundare, & ad hoc operā dare, cur rursum studio litterarum, quæ olim sancti Patres postposuisse laudantur, vt Benedictus, & alij, se modo dant, & in secreta conuersatione student.

Respondeo, quod cum sicut dictum est, prædicationis officium ex regulari professione ordini annexum sit, & etiam confessionis, quæ notitiā requirunt sacræ Scripturæ, quæ subtili indiget in plerisque locis expositione, nec ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis sacræ Scripturæ habere studium & magistros. Hæc enim scientia non solum vtilis est ad aliorum eruditionem: sed etiam ad propriam instructionem, vt seruus Dei sciat seipsum bene regere, & virtutes à vitiis discernere, & notitiam Dei, & futurorum præmiorum clarius intelligere, & in omnibus cautius & fructuosius conuersari. Nam & Apostolus hortatur Timotheum ad lectionis studium & sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione Scripturarum frequenter commēdatur. Veritas enim fidei, & vitæ sanctitas non aliunde, quam ex Scripturarum fonte hauritur, sine quibus impossibile est quemquam saluari. Hæreticorū etiam versutijs qui in Scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem inuestigationem diligentius obuiare, & fideles contra illorum fraudes & latentes decipulas præmunire. Vnde Hieronymus: Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ex vitæ merito Ecclesiam Christi ædificat, tantum nocet si distribuentibus non resistat. Vnde Apostolus dicit: Potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere, &c.

2. Tim. 4. a

Tit. 1. c

QVÆSTIO IV.

Cur fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi.

ITem cum sufficiat ad religionis perfectionem nil habere proprium in speciali, & habere possessiones pro necessitate in cōmuni, sicut omnes religiones antiquorum patrum Benedicti, Augustini, & aliorum, videretur inconsultum & aliquo modo tentare Deum, quod tantus ordo exponat se mendicitati quotidianæ velut cæli tus expectet victum suum, cum posset aliter habere.

Respondeo. Perfectio diuersos habet gradus, & alius alio sublimior est, nec perfectioni aliorum ordinum præiudicat, quin altior possit inueniri. Tentare autem Deum,

Deum, non est Christi promissionibus credere, & eius consiliis obedire, & eius vestigia imitari, qui dicit: Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedem, &c. Dominus autem istam paupertatem docuit, & tenuit, vt nil possessionis in terra haberet. Vnde dicit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, &c. Multis autem de causis, ordo nil propriû possidet in hoc mundo. Primo, vt vestigia Christi perfectius imitetur. Si vis perfectus esse, vende, &c. Secundo, vt laqueos auaritiæ facilius declinemus. Qui volunt diuites fieri incidunt, &c. Tertio, vt culpas superfluitatis plenius expiemus. Vnde in Prouerbiis: Omnem substantiam domus suæ, &c. Quarto, vt altioris meriti gloriam consequamur per varias virtutes paupertatis. Beati pauperes, &c. Quinto, vt liberiores simus mente ad spiritualia studia, orationis, contemplationis, lectionis. Quare dicit Dominus: Nolite possidere aurum, &c. Sexto, vt prædicationis studio expeditius intendamus. Septimo, vt verbum Dei minus trepide omnibus proponamus. Octauo, vt magis confidere omnes in eum sperantes doceamus. Nono, vt occasione petendæ eleemosynæ ad aliorum ædificationem frequentius exeamus. Decimo, vt qui nobis subueniunt in temporalibus fiducialius spiritualia requirant. Vndecimo, vt magis cauti simus ab omni scandalo, qui magis timemus in temporalibus deperire. Duodecimo, vt tanto humiliores simus, quanto magis subsidio aliorum indigemus. Et quia spiritualia fidelibus seminamus, non tantum ex gratia ab eis carnalia subsidia expectamus. Dignus est operarius mercede sua. Hieronymus: Redditum possessionem nobis prouidere non oportet, sed ad mensam Domini tamquam fideles cooperatores occurramus.

Matt. 19. d — Matt. 8. c — Mat. 19. c — 1. Tim. 6. b — Prou. 6. d — Matt. 5. a — Matt. 10. b — Luc. 10. b

QVÆSTIO V.

Cur fratres Minores non degant in deserto.

ITEM quarto. Cum religiosi à tumultu sæcularis frequentiæ sese separare studuerint, & in solitudinibus habitare, quid est quod vos frequentius in ciuitatibus, & oppidis manere soletis, quasi voluptuosius ibi pascendi, & inquietius, & indeuotius ibi viuatis?

Respondeo. Tres sunt causæ præcipuæ, pro quibus inter homines morari solemus. Vna propter eorum ædificationem, vt promptius eis adsimus, quando requirunt à nobis pœnitentiam, doctrinam, & salutis consilium, & videant à nobis bonæ conuersationis exemplum. Si enim remoti essemus ab eis, nec ipsi possent ad nos quando indigerent, commode accedere, & difficile esset nos toties vocari, & maior esset nobis inquietudo continue currere, & recurrere, quam inter eos manere, & prius quam veniremus, affectus, & compunctio requirentium pœnitentiam sæpe tepuisset. Secunda causa est propter indigētiam victualium, quia in locis desertis non inueniremus quoties superuenientibus, vel residentibus, vel infirmis, indigeremus qui nobis necessaria vitæ ministrarent, cum per nos non habeamus. Extranei etiam qui pro consilio superuenirent, cum statim non possent expediri & recedere, cogerentur nobiscum frequentius hospitari, quod multis ex causis nullatenus expediret propter inquietudinem, suspicionem, & paupertatem. Tertia est causa propter tuitionem, quia si extra homines moraremur, nec libros, nec calices, nec vestes, nec alia necessaria tute seruare possemus à latronibus, vel prædonibus, vel seruientibus potentium. Nam personæ etiam sæpius essent in periculo, si quando in prædicatione forsitan aliquos offēderemus, vel filium, vel fratrem alicuius, de quo dolerent quod in ordine reciperemus, qui etiam amicum fratrum vellet malitiose offendere, vel moleste ferret nos in terra morari, domus nostras incenderet, & numquam possemus ibi pacifice commorari. Qui autem habent possessiones, & prædia, quæ sibimet sufficiunt, possunt extra ciuitates morari. Similiter, & solitarij qui paucis indigent pauca ab aliis requirere necesse habent. Sunt, & aliæ causæ, quas modo prætereo, propter quas conuenit inter homines, potius quam in deserto iuxta conditiones nostri ordinis habitare. Sed ad præsens istæ sufficiant.

QVÆSTIO VI.

Cur fratres Minores habent magnos conuentus.

ITEM quarto: Cum sancti Patres laudentur, in casellis, & vilibus habitaculis habitasse, quid est, quod vos altas & magnas domos erigitis, oratoria sumptuosa, & areas latas magno pretio comparatis, cum sitis pauperes, & mendici, & contemptores mundanorum esse debeatis?

Respondeo, sicut iam dictum est. Cum inter homines manere nos oporteat, aut ergo extra muros ciuitatis, aut intra. Si extra ciuitates maneremus, vbi possemus latiores areas leuiori pretio comparare, videlicet in campis vel hortis, quandocumque bellum timeretur, vel guerra, ciues loci formidarent, ne forte hostes domos nostras occuparent, & de illis niterentur ciuitatem, vel oppidum expugnare, & non auderent etiam alias quando sibi timerent ad loca fratrum pro confessione, vel Missa, seu prædicatione securi venire, & ideo non diligunt, vt in talibus locis commoremur. Quod si intra muros habitamus, vbi propter frequentiam populi areæ cariores sunt, oportet, & nos areas carius emere quantum sufficiant pro claustro, oratorio, & officinis congruis pro conuentu, hospitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quam pro aeris recreatione, vt infirmi refocillentur, & sani conseruentur, & lassi in spiritualibus studiis recreentur. Sæculares enim qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aeris. Religiosi vero, qui in cellarum reclusoriis religantur, nisi aliquam interius habeant aeris recreationem, cito languescentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur, ita quod nec sibi, nec aliis proficiunt in deuotionis internæ profectu, in sapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina salutis. Et quamuis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplinæ internæ exercitiis, imperfectis tamen, & adhuc indigentibus eruditione virtutis opus est etiam exteriori distinctione officinarum claustralium, vt sciant vbi tacere debeant, vbi loqui liceat, vbi orare, vbi laborare, vbi legere, scribere, vel comedere, vbi si requies infirmantium, vbi repausatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in collegiis sunt necessaria, ne si confuse indifferenter singula fierent pro libito, iam nec disciplina, nec quies, nec deuotio, nec ordo inter fratres sicut expedit, seruaretur, quod esset in magnū detrimentum Religionis, & in scandalum alienis, & in destructionem salutis, quia nec minores discerent à quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent. Quia vero intra ambitum ciuitatis, vt dictum est, cariores sunt areæ, quod non possemus facile sufficientiam congruæ latitudinis habere, vt omnes officinæ deorsum collocarentur iuxta se inuicem, oportet aliquando vt vna super alteram locetur, ita quod vtraque aëris respiraculo non careat, & ex hoc domus nostræ magnæ apparent, & excelsæ ac sumptuosæ, & paupertati dissimiles cum tamen hoc paupertas magis efficiat, quia ne circa dilatemur, inferius angustamur, & quia circumsepti sumus domibus aliorum vicinorum, & quia in ciuitate sæpe insurgunt incendia late peruagantia, ne vel domus, vel Ecclesiæ, vel libri, vel alia necessaria frequenti discrimini sint exposita, & in continuo tremore infirmantium corda sint inde suspensa, & ne ipsi vicini nostri à nobis per incendia molestentur, vbi possumus, facimus domos lapideas, vt nec igne, nec vetustate citius destruantur, quia non solum corporibus, sed etiam cordibus magna est destructio, noua sæpius ædificia construere, maxime illis qui non habent sumptus, nisi quantum valent colligere mendicitate. Non tamen intendo in his excusare, nisi quæ valde necessaria sunt, & rationabiliter. Vbi autem superfluitas, curiositas, & irreligiositas, & regulæ

& paupertati nostræ derogantes essent structuræ, reprehendo tecum, & omnia alia quæ Deo displicent tam in moribus, quam in rebus. Quintuplicis enim peccati rei sunt, qui superflua in ædificiis, & aliis quibus vtimur, procurant, & acquirunt. Primo propter transgressionem, quia pompis renuntiantes sęculi, in paupertate, & humilitate vera promiserunt Domino famulari. Vnde Apostolus ait: Si ea quæ destruxi, &c. Secundo propter malum exemplum, quo alij discunt ab eis similia facere, vel scandalizantur, quando vident eos, qui huiusmodi pro Christo spernere deberent, quærere vel sectari. Tertio propter inquietudinem fratrum propter huiusmodi ędificia, & procurationes, quia, & deuotio extinguitur, & disciplina Religionis plurimum dissipatur, sicut scriptũ est: Venerunt structores tui destruentes te, & dissipantes à te exibunt. Quarto propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpe Eleemosynæ præripiuntur, & huiusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, & pasci, dum quo istis datur, eis negatur, quia ad dandum vtrisque sæpe deficit dantium largitas, & facultas. Quinto, quia quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem ad nos prius habitam, quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis quæ facimus ædificantur. Vnde cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod graue sit eis dare, & erubescunt negare, & si dederint non libenter, minus merentur, & sic rebus, & deuotionis merito priuantur, &c.

Gal. 2. d

Isa. 49. d

QVÆSTIO VII.

Cur fratres minores plura colligant, vel seruent, quam sufficiant ad vnius diei victum.

ITem quæro: Cum Dominus in Euangelio dicat: Nolite solliciti esse in crastinum, & vos sitis paupertatis Euangelicæ professores, non debetis plura colligere, vel seruare, quam quod possit quotidie ad vnius diei victum sufficere. Sed videtur quod non seruetis.

Matt. 6. c

Respondeo: Si diligenter Euangelij dicta pensamus, sollicitudinem de crastino, sed non prouisionem prohibere videtur. Vnde S. Apostoli Euangelij Christi perfectissimi obseruatores, tam pro se, quam pro aliis Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, à fidelibus subsidium pro corporum necessitate etiam in futurum petebant, & recipiebant. Sicut Paulus rogatus à Petro, Ioanne, & Iacobo, collectas fieri per Ecclesias pro Christi pauperibus sustentandis mandauit. Et in aliis locis pluribus reperitur id fecisse. Qui etiam pro acquirendis necessariis sibi, & sociis suis laborauit manibus. Sollicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquisitionem, auaram superfluorum prouisionem. Sicut enim in operatione salutis nostræ principaliter spem in Deum iactare debemus, ita, & in corporali subsidio sollicitudinem debemus ei committere, & tamen vbi congrue possumus sine iactura spiritualis profectus nostri, & aliorum, nobis necessaria prouidere, ne aliter quasi Deũ tentare videamur, vt miraculose, sicut olim filiis Israel, nobis quotidie alimoniam subministret. Licet enim priorum fratrum puritas pro maioris perfectionis ardore pauciora, quam nunc consueuerint ad victum colligere necessaria, & populus propter hoc talem opinionem concepit, quod nil nobis licet reseruare in crastinum: tamen nec tunc, nec nunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum, aliqua etiam necessaria in futurum pro aliquo tempore prouidere, maxime de his, quæ in promptu cum indigeremus, non possemus acquirere mendicando. Sunt enim quæ nisi colligamus certo tempore quando est copia, quando inter manus communiter habentur à populo postmodum, nec pro infirmis, nec pro hospitibus, nec pro aliis sine magna difficultate, vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maxime illo tempore solent necessaria petere, quo sciunt ea promptius à dantibus inter manus haberi, vt circa horam comedendi. Sic, & Dominus populo certo tempore præcepit mannę alimoniam colligere, quia non omni tempore in agro etiam si quærerent, inuenirent. Vnde: Tu das escam illis tempore opportuno. In hoc enim non tam nobis, quam illis à quibus petitur, prouidemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi facilius dare possunt, & magis sunt voluntarij ad Eleemosynam largiendam.

1. Cor. 16. a

2. Cor. 9. a

Act. 20. f

Exo. 16. b

Psal. 144. c

QVÆSTIO VIII.

Quare plura nunc petunt fratres Minores, quam olim.

ITem quæro: Quid est hoc, quod modo plura petitis, quam olim, vt cum tunc vix in vna, vel paucis villis, & pauca postulaueritis, modo late per terram, & oppida, & castra peruagando plurima congregatis? Videtur enim auaritia inter vos creuisse, & cura ventris hanc vobis prouidentiam persuasisse: videtur etiam quod spiritus extinctio vos in cella quiescere non permittit.

Respondeo: Vitiosos in hoc, & in aliis excusare non audeo, vt dixi, sed rationem pro illis, qui ratione ducuntur, & pia intentione omnia faciunt, ostendere beneuolis nunc intendo: quia maleuoli, qui magis facta nostra calumniari desiderant, quam agnoscere veritatem, magis dolent, si ostensa ratione, eis materia subtrahitur detrahendi. Quia inimicus vult potius causas malignandi contra eum, quem odit sibi adesse, quam abesse, vt non ex inuidia, sed ex iustitia eum persequi videatur. Quod autem nunc potius, quam olim videmur mendicando plura colligere, inter alias principales causas quas potes aduertere veras esse, vna est, quod cum olim pauci fratres fuissent in ordine, nunc multo plures sunt vbique, & plures pluribus indigent, quanto numerus numerum excedit, & omnibus quæ necessitas requirit, est magis opus. Nam Dominus infans natus, modico diuersorio, & præsepio contentus fuit: sed aggregata discipulorum turba, ad celebrationem Paschalis conuiuij quæsiuit sibi præparari cœnaculum grande stratum. Secunda causa est, quod inter plures sunt etiã debiles, & infirmi, & maxime qui olim strenuæ Religionis, & arduæ paupertatis pondus per annos plurimos portantes, nunc ex humanæ mortalitatis defectibus lassati, cogente ipsa charitate non debent ipsi, vt infirma pecora relinqui, sed pie quamdiu poterit, fulcimentis corporalium necessitatum pro misericordia, & pro aliorum ædificatione, & pro iuniorum instructione sustentari. Et propter tales oportet, & expedit plura peti. Tertia causa, quia plures modo mendicantes sunt in Ecclesia de diuersis ordinibus, & quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim diuiditur inter plures. Vnde cogimur nunc latius tanto vagari, quo minus in locis singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quærentibus, nunc vix per diuersa minutatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere, quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est eos omnia quibus indigent ab aliis postulare, vel carere, nisi velint illicite acquirere, vel quocumque modo apud alios deseruire, vel nisi gratis eis donetur. Quarta causa, non tamen omnino commendabilis, sed pro aliqua parte excusabilis accedit, quia qui non est patiens penurię, in his quibus indiget, plura eum conquirere oportet, &c.

QVÆSTIO IX.

Quæ sit causa impatientiæ penuriæ in fine præcedentis quæstionis dicta.

ITem quæro: Quæ potest esse huius impatientiæ causa nisi voluptuositas, quæ nil vult sibi deesse illorum quę appetit, quæ omnis religiositatis est exterminium?

Respondeo:

Respondeo: Hæc, etsi in quibusdam habeat locum, non tamen est potior causa, sed aliæ quædam. Vna quia, vt dictum est, plures habemus debiles, & infirmos quam olim, cum omnes fere erant noui in ordine: qui cum lassi iam, & exhausti sint viribus, oportet vt reficiantur, ne penitus deficiant, quod esset contra misericordiæ, charitatis, & discretionis virtutem, cum tales maxime consilio suo, & zelo, & pietatis exemplo sustent ordinem in suo vigore, ne subito corruat à pristina puritate. Licet virtute corporali iam non sicut olim eminenter æstimētur lucere, propter corporis destructionem, aut oportet, quod contra misericordiam deficere subito permittantur, & tunc ex hoc magis fouebitur in ordine carnalitas, quia quilibet iuuenis, & sanus instructus carnis prudentia, cogitabit apud se, dicens: Si tales viri pro ædificatione ordinis corpora sua tradiderunt omnibus laboribus, modo debilitati sic permittuntur absque misericordia perire, volo mihi cauere, & parcere corpori, & illud fouendo custodire, ne mihi similiter contingat. Et sic aliquis audebit de cetero vix feruenter in Dei seruitio se exercere. Si autem debent debiles misericorditer refoueri, expedit, vt etiam alij, qui vnum corpus societatis cum eis sunt, & eis seruiunt, & labores ordinis pro eis in domo, in diuino officio, in frigore, & petendis eleemosynis, & aliis obsequiis, aliquo modo mitius pertractentur, & melius reficiantur, vt minus de illis scandalizetur, & minus murmurent contra eos, quasi ipsi soli consumant omnia, quæ offeruntur, & vt patientius pro eis laborent, & hilarius ministrent, & vt ipsi debiles minus erubescant, & confidentius audeant necessitates suas accipere, cum videant alios etiam secum esse participes in consolatione. Sani ergo, & fortes non debent propter se ista appetere, nec suæ industriæ ascribere, quando appetentib. eis eleemosynam, ista offeruntur, sed cogitare debent, sicut, & veritas est, quod Deus ea propter debiles ministrat, & in tanta copia, quod exinde etiam sani consolentur. Propter præmissas rationes, vult etiam Deus veritatem suæ promissionis, & euidentiam suæ liberalitatis ostendere, dum nobis qui nullos certos redditus pro ipso habere decreuimus, & totam sollicitudinem in eum iactauimus, indulgentius necessaria ministrat, quam aliis quibusdam, qui lata prædia habent, & loculos plenos, ad hoc vt ei securius confidamus, & fidelius seruiamus. Alia causa est, quia eorum qui nuper de sæculo venerunt, quidam delicate sunt nutriti, & cum in ordine subito contra solitum coguntur aliter viuere in labore, & victu, & coercitione magisterij, territa caro tenera languescit, & nisi clementer foueantur, donec paulatim assuescant ordinis pati rigorem, aut semper tabescendo languescent, aut ex rigoris horrore ad vomitum reuertentur. Et ideo expedit, vt supra. Tertia causa est spiritualis studij. Nam assiduum lucrum in studio sacræ Scripturæ in deuotionis desiderio, in tentationis certamine, in internæ sollicitudinis vigore, ita consumit, & desiccat vires corporis, vt nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere. Quod autem aliquando lautiores cibos, & potus habere videmur, hoc est proprie mendicorum, qui dum non reseruant in posterum, vt cumulos congregent, vt prædia lata comparent, statim comedunt, & bibunt ea, quæ Dominus administrat. Et quia pro honestate, & deuotione sua, plerique dant nobis non de vilioribus, sed de melioribus quæ Dominus dedit eis, etiam nos cum interim non habeamus alia quibus vtamur, ne videamur ingrati, & auari, comedimus, & bibimus quæ offeruntur nobis indifferenter, tam illa, quam alia iuxta illud regulæ, De omnibus cibis, qui apponuntur vobis liceat manducare. Mendicus enim si recuset ea, quæ offeruntur, cum non habeat vnde alia emat, remanebit inanis. Quia vero diuersi diuersa, & aliquando quasi aduersa mirantur de nobis, vt cum illi reprehendant in nobis carnalitatem, alij vero duritiam, quilibet pro visu suo, & affectu: oportet nos singulis de suis quæstionibus respondere, & rationem reddere, licet sequentia præcedentibus continuato ipsis ordine ad hoc non cohæreant, sed modo de hac, modo de alia tractemus, & cetera.

QVÆSTIO X.

Cur non recipiuntur omnes ad ordinem.

ITEM quæro: Cum omnibus debeatis cupere, vt saluentur vobiscum, quare indifferenter non omnes recipitis, qui desiderant, cum non arctet vos prædiorum paucitas, sed aperta sit omnibus via mendicandi?

Respondeo: Omnes quidem cupimus saluari, & nulli prohibere possumus licentiam mendicitatis. Sed omnes passim recipere, non expedit nobis, nec Ecclesiæ Dei. Nobis non, quia variæ sunt conditiones hominum, qualitates, & mores. Multos enim sæpe reciperemus imbecilles, qui non possent rigorem Ordinis sustinere: multos pauperes, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitæ viuere desiderarent nobiscum: multos incompositos moribus, quos vix corrigere ab insolita consuetudine possemus; & per tales dissolueretur ordinis disciplina, & impediretur profectus aliorum, & non sufficerent eos alij pascere, nec eis seruire. Nec inuenirentur tandem, qui possent eis præesse, & omnes simul in corpore, & spiritu, quasi confusa multitudo perirent, quæ nec regi valet, nec congrue sustentari. Ecclesiæ similiter non expedit, quia cum sit ordo ad ædificationem Ecclesiæ constitutus, multitudo receptorum magis confusionem induceret, nec de conuersione multorum exemplum ædificationis acciperet, sed scandalum, vbi religiositatis excepto solo habitu, nihil inueniret. Minus enim malum est, non esse religiosos, vel nomine, vel habitu, vbi non viuunt, sicut Religionis eorum forma requirit, quam vt sint, & per vitam eorum peruersam alios scandalizent. Sicut melius est lucernam non esse in domo, quam esse ibi tantum fœtidam, & non lucentem. Nimis etiam foret onerosum fidelibus, tot mendicos vnius ordinis pascere, à quibus nullum, vel modicum habuerint ædificationis præsidium. Sed tot, & tales solum recipi expedit, qui sine onere Ecclesiæ pasci possint, & qui valeant Ecclesiæ in spiritualibus respondere iis, quæ ab ea in carnalibus recipiunt pro corporum sustentatione, &c.

QVÆSTIO XI.

Cur fratres Minores non laborent manibus pro victu.

ITEM quæro: Cur ergo non laboratis manibus pro victu, vt non sitis Ecclesiæ onerosi in Eleemosynis petendis?

Respondeo: Si de puro labore manuum deberemus viuere, tantum vrgeret nos operis instantia, quod aliorum lucris intendere non possemus, nec diuina officia libere celebrare, nec orationi libere vacare. Cum enim ad confessionem, vel ad prædicationem frater vocaretur, respondere cogeretur, opus meum quo victui meo hodie deseruire debeo, nondum expleui, & ille, cui laboro priusquam deseruiam, non dabit mihi mercedem debitam, ideo non possum venire. Alias autem omnes præter infirmos laborant, alij in studio, vt fideles erudiant, alij in diuino officio, & laudibus Dei, alij in colligendis Eleemosynis pro sustentatione communi, alij in officiis domesticis, & infirmis, & sanis ex iniuncta obedientia ministrantes: quidam qui sciunt artes mechanicas pro fratribus, & extraneis exercentes, sicut mutuo cooperantur inter se formicæ, & apes: quidam per obedientiam missi diuersas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non habeamus, & sic nullus impune permittitur otiosus.

* * *

QVÆSTIO XII.

An de qualibet Religione possit quis transire ad Religionem S. Francisci.

ITEM quæro: Si de quolibet ordine, & Religione possit quis transire ad regulam, & ordinem S. Francisci, scilicet fratrum Minorum?

Ad hoc sine præiudicio melioris sententiæ, respondeo quod sic, vbi sine scandalo aliorum potest fieri. Propter quod maxime prohibetur nobis de quibusdam religiosis non recipiendis cum scandalum tale sit maius malū, quam aliorum receptio sit bonum. Cum enim tria illa principalia omnis Religionis, scilicet obedientia, castitas, & paupertas, in regula ista sint quasi altiora, & strictiora, quam in aliis ordinibus, & religionibus, sicut patet in regula ista, constat quod secundum hoc, Religio ista altior sit, & strictior aliis ordinibus. Et ideo de qualibet Religione possunt secure ad istam intrare, dummodo nō ex leuitate, sed ex Spiritu Dei ducti. Nam, & si aliqua sit quibusdam corporalibus exercitationibus strictior, vt abstinentia carnium, & silentio, & officio Ecclesiastico, & similibus, quæ tamen ex sublimiorum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis virtute, facile recompensantur, sicut modicum pondus auri in pretio præualet magno ponderi argenti vel alterius metalli. Corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis est, &c. (1.Tim.4.c)

QVÆSTIO XIII.

An de Religione S. Francisci post factam in ea professionem possit quis transire ad aliam.

ITEM quæro: Si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam post factam in ea professionem?

Respondeo, saluo meliori iudicio: Non, nisi per dispensationem sedis Apostolicæ, cum hoc expresse in ipsa regula prohibeatur, ibi: *Nullo modo licebit eu, &c.* (Regula c.2.) Nam cū non inueniatur altior regula vel strictior, seu æqualis, patet quod non licet cuiquam per seipsum ad inferiorem ordinem transire. Omnes qui vident, incipient illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare, &c. (Luc.14.f)

QVÆSTIO XIV.

An liceat ordini Minorum eiicere aliquem pro demeritis, vel egresso pœnitenti, & petenti receptionem denuo denegare.

ITEM quæro: Si liceat ordini eiicere aliquem pro demeritis, vel egresso, & pœnitenti, & petenti receptionem denuo denegare? Cum enim ordo in professione versa vice se obligauerit, vt sicut iste ligatus esset ordini, ita econuerso, videtur quod ordo tenetur semper recipere, si exigat, ne promissum suum videatur irritare, si nollet eum tenere, quem spoponderat numquam derelinquere. Videtur etiam quod ordo non possit talem licētiare ad alium ordinem, quia non inueniet alibi quod hic promisit, & ita faceret eum voti sui transgressorem, & sic peccaret. Videtur etiam quod cum iste non possit compelli ad alium ordinem, cum nulli ordini se obligauerit nisi isti, & non debeat cogi inuitus ad quod se nullo voto astrinxit, etiam si alium ordinem inueniret isti æqualem. Videtur etiam iste ordo esse in culpa si talis vagetur in sæculo, cum nolit eum recipere petentem, & ad alium ordinem non debeat vel non possit eum compellere, & si punit eum vel excommunicat quod iniurietur ei, immo si non tenetur eum ordo recipere, nec vult, iam punit non suum subditum. Et si punit eum corporaliter, capiendo, vel castigando, videtur in Canonem incidere iam latæ sententiæ, cum sit clericus, vel regularis. Si autem ordo non vult eum recipere, & non conuenit eum aliam religionem intrare vel alij nolunt eum recipere, ad quos licentiatus est transire, & per hoc à fratribus ligatur excommunicatione, vel non absoluitur, ponitur in laqueum perplexitatis interminabilis, vt quasi ex omni parte præclusa sit ei via salutis, quod volenti saluari non potest, vel non debet fieri. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare, ait ipse Saluator. (Luc.9.g)

Vt autem super his apertior pateat ratio, quid ordini, vel egresso faciēdum sit in istis, nota cum aliquis ingressum petit istius ordinis si recipitur, fit ei magna gratia, & multiplex, & de naufragio peccati eripitur, & sociatur illorum collegio qui ambulant in via Dei tali conditione, vt & ipse gradiatur in eadem via cum eis seruando illa, propter quæ ordo est institutus. Quamdiu ergo sic graditur postquam ad professionem receptus est, non potest eum ordo abiicere, quia sicut ipse iam ligatus est ordini, ita, & econuerso, vt neutrum liceat alterum relinquere vllo modo. Si autem frater aliter viuit, quam licet in ordine, & sæpius correctus, se non sufficienter correxerit, si excessus occultus sit, toleretur, & cum cautela propter scandalum, ne si abiiceretur, cum eius culpa non pateat, videretur iniuste punitus, aut peccatum iniuste propalaretur, quod vtrumque illicitum videtur. Si vero excessus eius graues fuerint, & notorij, quod alij eius exemplo possint infici, si retineatur in ordine, & extranei scandalizentur, quod talis in ordine sustineretur, tum propter auferendum scandalum, tum propter corruptionem ordinis præcauendam, debet eiici præuaricator voti, & pacti sui. Quia iam ordo non tenetur ei de promisso tenendi eum secum, qui promissum suum præuaricando pluries violauit, cum ideo sit vocatus ordo, quod in se nil inordinatum patiatur. Quod si Deo permittente talis seipsum eiiceret, gratiæ sunt Deo referendæ, non quia ille peccauit, sed quod oues suas à pestifera contagione liberauit. Vtinam, & abscindantur qui vos conturbant, scilicet puritatem vestram, pacem, & famam. (Gal.5.b) Si autem allegatur, quod misero est miseratio adhibenda, vt iterum recipiatur in ordinem. Dici potest: Crudelis est miseratio, vnde plures, & meliores grauiter offenduntur. Sicut qui furem liberaret, vnde pauperes spoliarentur, maxime cum tales longo vsu tepefacti, rarissime, vere, & perseueranter emēdantur, & facilis remissio aliis audaciam præbeat delinquendi. Nec potest allegare sibi iniuriam si non recipitur, quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quod recipi sit indignus, quin potius ordo habet causam contra eum agendi pro eo, quod sic se dehonestauit. Vnde potest eū punire pro meritis, vel tradere cui seruiuit, nisi faciat quod tenetur. Sedes enim Apostolica, quæ ius suum vnicuique seruat, & vult ordinem in sua puritate persistere, non cogit ordinem tenere illos, quorum cōuersatio nociua esset in ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foueret, & occasionem daret ordinis corruptioni per tales pestiferos, si eos recipi oporteret. Sed ne damnabiliter vagentur in sæculo, ex gratia Sedis Apostolicæ, ordo dat eis licentiam, quos iudicat non recipiendos esse, ad aliū determinatum transeundi, vbi saluentur, ad quem etiam transire tenentur si possunt, alioquin non erunt in statu salutis. Sicut Lot non volens montem conscendere, concedente Angelo, in Segor paruula saluatur. (Gen.19.d) Propria auctoritate non possunt ordinem deserere, quem vouerūt, nec aliū intrare sine ordinis sui licētia, vel Summi Pōtificis, quia vt dictum est, ad inferiorem regulam non licet eis transire, altiora professis. Quod autem talis alium cogitur intrare ordinem, si in isto non recipitur, cum tamē alium non vouerit nisi istum, inde est, quia cum vouit istum, sic alligauit se religioni, quod secundum ius canonicum nullatenus redire potest ad sæculum, vel ad laxiorem vitam transire ei licet. Et ideo si demeretur in ordine, quem vouit non retineri, cum ex peccato suo non sit conditio eius melior facta, vt iam possit esse liber, sed potius deterior, oportet eum alium ordinem intrare, & illum seruare, si vult saluari: & ad hoc cogit eum statutum vniuersalis Ecclesiæ, non ordo iste, & eius gratia permittitur

vt communiter personæ illius ordinis feruentius, & frequentius exercentur, maxime charitatis, & humilitatis, & internæ deuotionis, est signum bonum præcellentiæ, & perfectionis. Secundum, si omnia vitia, & scandala odio habent, & sollicite cauent, & occasiones peccatorum amputant, & extirpant, & munditiam diligunt, & conseruant. Tertium est, si boni apud eos diliguntur, & fouentur, & despectis aliis in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maxime gubernatur ordo. Qui negligit modica paulatim decidet. Quartum, si à sæculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, diuitias nõ ambiunt, & conformari huic sæculo tam in moribus, quam factis seu qualibet apparentia erubescunt. Quintum, si damnum, & iniurias illatas ac despectiones tacite sufferunt, nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos cum vult potest defendere. Cum vero expedire eis nouerit, permittit eos pro altiori præmio tribulari, & patienter ferũt, donec placuerit Deo aliter ordinare, quæ ista signa plenius habent Religiones meliores sunt, & quæ minus, sunt minus bonæ, & quæ nihil, nihil sunt: qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiam si alij communiter non habent.

Eccl. 19. a

QVÆSTIO XIX.

Quas ob causas in vita religiosa ordines deficiant, & in quibusdam cærimonialibus proficere videantur.

ITEM videmus ordines omnes religiosorum deficere in vita religiosa, etiam si in temporalibus, & quibusdam cærimonialibus videantur proficere. Causas huius defectus vellem scire præcipuas, aut enim non deberetis incipere, quod non potestis perficere, aut in inceptis pro posse perseuerare, alioquin præuaricatores voti merito reputabimini?

Respondeo: Omne quod non habet esse suum à se, deficiendo decidit in non esse, nisi sustentetur ab eo, qui dat ei esse. Sic, & omnis ordo, & omnis homo. Vnde non solum ordines religiosorum, sed etiam Episcoporum, & clericorum, & laicorum, & vniuersalis status multum deficit quantum ad communem statum, ab eo quod in principio fuit, cum omnes fideles erant perfecti, & sancti, quales nunc raro videmus. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, &c. Licet autem olim communiter, omnes boni, & sancti fuerint, tamen modo multo plures sunt sancti in Ecclesia Dei. Sed quia mali plures sunt, ideo non apparent sancti, respectu multudinis aliorum. Sanctitas etiam vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis. Et quia istæ non apparent exterius, nisi modice ex quibusdam signis operum, & sancti non quærunt videri ab hominibus vt laudentur, sed occultant bona, quæ habent singulariter præ ceteris, ideo pauci sancti modo in Ecclesia vel ordinibus esse videntur. Causæ autem quare communitas in Religione deficit, sunt magis communes inter alias. Vna est multitudo intrantium, quia multi non possunt tam facile flecti, sicut pauci. Sicut nauis magna difficilius gubernatur quam parua, & vbi multa capita ibi multa cerebra, quæ omnia non possunt ad vnum sensum deflecti. Secunda, cum subtrahuntur qui primo tenuerunt ordinem in suo vigore, vel cum debilitantur in corpore, non possunt iunioribus ardua rigoris dare exempla sicut pri⁹, & noui qui propria opera non viderunt imitantur eos tantum in his, quæ nunc vident in eis, & fiunt remissi, & sub specie discretionis, ne seipsos sicut antiqui destruant, parcent corpori. Et quia internas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoscunt, vbique neglecti sunt, quod nec exterius exercentur, nec interius virtutes apprehendunt. Etiam quia antiqui modo non valent eos exemplo præire, timent etiam eos in verbo corrigere: quia solent dicere iuniores: Verba quidem bona sunt, quæ dicunt nobis, sed operã non ostendunt, & sic magis scandalizãtur. Tertia causa est. Quod quilibet non didicit, nescit docere: ideo cum regimen ordis deuoluitur ad istos iuuenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt, ita quod iam Prior fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum. Immo se tantum reputant illis Prioribus meliores, quo minus agnoscunt, quæ sint perfectorum virtutes. Et dum exempla quædam exteriori disciplina conseruant in choro, vel processionali ingressu, & similibus, audent asserere, quod status ordinis nũquam fuerit ita bonus. Quarta causa est, quod paulatim subintrant non bonę consuetudines, quæ statim ab aliis trahuntur in exemplum. Et si aliqui zelum Dei habentes illa redarguunt, audacter defendunt alij, quare sibi non liceat, quod alij permittitur, & pro lege tenebitur, cum ex vsu iam conueniens videatur, ita quod vix de cetero poterit extirpari. Rectores quoque, & si talia non diligunt, tamen ne maius malum sequatur, dissimulant vt pacifice cum fratribus viuant. Cumq; vna consuetudo talis facta fuerit tolerabilis, consequenter introducitur alia, quasi cohærens priori, vt si illa admittitur, ista vetus toleretur. Quinta, occupationũ frequenter emergentium, quæ corda distrahit, affectum deuotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, & ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper noua impedimenta religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, & obscurato conscientiæ oculo, etiam cum desunt, occupationum causas impudenter quærere. Sicut Samson cæcatus in carcere molam traxit. Sunt, & aliæ speciales causæ quorundam ordinum, vt nimia inopia, ex qua coguntur fieri proprietarij, dum sibimet videtur quisque prouidere, quia non prouidetur eis in communi. Item nimiæ opes ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi. Item frequentia inter sæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & temporis. Itẽ frequens mutatio prælatorum, quæ, & si pro parte bona sit, inquantum mali abiiciuntur: tamen in eo nociua est, quod boni dum cito sperant, absolui non præsumunt aggredi, vel non proficiunt, vt reforment statum ordinis, & rebelles subditi potius laborant vt deponantur, quam vt status debitus reformetur. Item si vnus prælatus quandoque vult reformationi intendere, ab aliis quoquo modo impeditur, vel ad minus non iuuatur ab his, quorum auxilio indigeret, vt Prior nõ adiuuatur ab Abbate, vel Abbas ab Episcopo, & de similibus similiter iudicetur. Vnde rebelles subditi appellant ad illos, quos sciunt sibi in sua rebellione fauere. Item si aliqui in vno loco diligerẽt reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, vbi non inueniunt quod quærebant. Ex his atq; aliis causis, status Religionis deficit, vt non solum fiat deterior, sed etiam quasi desperabilis, quod vix vmquam nisi Deus ordinet, aliter reformetur. Sed quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod non fit in communi, potest fieri in particulari. Quilibet proficere volens, conuertit ad lucrum suum aliorum detrimentum, & omnes vias alieni defectus, ad profectum suum cum Dei gratia retorquet. Et sicut electorum gloria ex hoc maior erit, quod reproborum societati admisti, eorum nõ imitantur exemplum, qui sunt ipsis tentationis, & exercendæ virtutis materia: ita, & boni religiosi numquam tanti fuissent meriti apud Deum, si non à tepidorum fratrum defectibus ad multiplicem virtutis luctam assidue expediti fuissent. Vnde Apostolus: Inter cetera virtutum suarum merita, quibus se ministrum Christi excellenter gloriatur, enumerat pericula in falsis fratribus, eo quod ei & aliis bonis multiplex sit occasio virtutis, scilicet quod primo eorum praua exempla sunt bonis tentationis materia, & sic victoriæ causa Item secundo, zelo iustitiæ circa eorum vitia accenduntur, & vruntur scandalis infirmorum. Item tertio, eorum miseriis compatiuntur, sicut mater filio ad perditionem properanti. Item quarto, magis laborant bonis exemplis eos corrigere, & monitis, & orationibus, & beneficiis. Item quinto, distortos mores patienter tolerant, & iniurias, quas eis pro iustitia inferunt. Item sexto, ex eorum contubernio despectiones

Act. 4. f

Iudic. 6.

Rom. 8. e

2. Cor. 11. f

sustinent

titur ei ad inferiorem ordinem transire, cum superiorem non inuenit, ne aditus ei salutis præcludatur. Si autem velit in sæculo vagari, ex quo ordo non vult eum recipere, nec ad religionem concedatur sibi transire in spatio temporis sibi determinato, licet iam videatur ab ordinis iurisdictione exemptus, cum nolit eum amplius tenere, tamen ex auctoritate Summi Pontificis, cuius iurisdictioni non est subtractus, potest eum ordo impetere, & per censuram Ecclesiasticā vel etiam ad alias pœnas corporales potest coercere eum, vice domini Papæ, quādiu non habuerit alium iudicem regularem, cui se subiecerit, regulam, & ordinem illius stabiliter assumendo. Sponte etiam egressus ordinem istum, si non licentia eius intrauerit alium ordinem, ad quem licentiari posset, potest compelli, vt redeat, cum adhuc sit sub iurisdictione ordinis istius. è qua non potest semetipsum eximere, nisi fratres det ei licentiam ibi standi, & nolint eum recipere vel tenere. Hæc omnia iam statuta sunt, ne quis pedem ponat in lubrico, & obscuratus offendat, sumptis leuibus occasionibus recedendi ab ordine, vel ad alium prohibitum transeundi, vel etiam inordinate viuendi.

QVÆSTIO XV.

An omnes venientes ad religionem S. Francisci sint recipiendi.

ITEM quæro: Cum multitudo sit sæpe occasio confusionis, eo quod regi non possit, cur multiplicatis numerum in recipiendo inutiles, & oneratis vos ipsos, & alios?

Respondeo: Inutiles omnino scienter non recipimus, sed preter spem nostram aliquotiens sic contingit. Quartuor enim causis solemus recipere superuenientes. Vna est compassio perditionis eorum, qui vix extra ordinem in sæculo saluarentur. Sicut qui de igne vel aqua periclitantem rapit, vel de alio discrimine. Secunda propter profectum ordinis, qui ex scientia, & industria, morum honestate, & reuerentia, quorumdam futurus præsumitur. Tertia propter aliorum ædificationem, vt multi de talium conuersatione, qui aliquo modo sunt famosi in sæculo emendētur, & eorum incitentur exemplo. Quarta propter precum instantiam, quam ipsi faciunt pro se, & alij pro eis, nimia importunitate obtinent aliquos recipi, quibus denegari non potest. Sicut autem agricola sæpe seminat, & plantat in spe, quod omnia conualescant, quod tamen plerumque in aliquibus non eueniet: ita contingit, & in religiosis ad ordinem receptis. Nam ait Dominus: Aliud cecidit secus viam, &c. (Luc. 8. a) Seminat plures sulcos, vt si aliqua pereant. alia pro illis conualescant, si tamen omnes conualescerent, seges copiosior proueniret, &c.

QVÆSTIO XVI.

Cur aliqui in religione sint moribus praui.

ITEM quæro: Vnde est, quod videmus aliquos religiosos moribus ita distortos, & rudes, sicut aliquos sæculares, superbos, vanos, cupidos, inuidos, detractores, iracundos, contumeliosos, desides, dissolutos, auaros, inuerecundos, delicatos, gulosos, garrulos, lasciuos, & quod ex his oritur forsitan incontinentes?

Respondeo: Religio est schola virtutum, in qua sicut in aliis disciplinis, & artibus discendis incumbitur. Videmus autem quod alius alio peritior est, alius rudior, alius diligentior, alius segnior. Hæc autem differentia ex quinque causatur. Vna causa est, quod sicubi informatores habentur, quorum eruditione boni discipuli nutriuntur, vbi autem non habentur, aut rudes in spiritualibus erunt discipuli, aut erroribus variis sub specie boni per sensum proprium seducuntur, habentes quidem zelum iustitiæ, sed non secundum scientiam, & sic à perfectione virtutum plurimi retardantur, vt vel malum æstiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam quam debeant ad perfectionem tenendam. Secunda causa est defectus, seu copia bonorum exemplorum, quia noui in Religione sæpe tales fiunt, quales alios esse vident. Sicuti in sigillis, cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa. Et fiunt sancti cum sanctis, boni cum bonis, peruersi cum peruersis. Tertia causa est nouitas in Religione, quia incipientes non possunt vel non habent illa, quæ habent perfecti. Et ignoscendum est eis in aliquibus, & patienter expectandum donec crescant. & addiscant quæ nondum apprehendere valuerunt. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorū sustinere, &c. (Rom. 15. a) Qui à puero exigit labores viri, & ab infirmo vires robusti, & à scholari vnius anni vires magistri, imprudens est. Vnde Apostolus: Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, &c. (1. Cor. 13. d) Ex hoc arguitur stoliditas sæcularium quorundam, qui dum vident aliquem religiosum in aliquo offendere, omnes religiosos despiciunt, quasi omnes tales sint: cum ipsis videretur iniustum, si quis eos propter aliena vitia deteriores haberet. Quarta causa est defectus gratiæ, non enim omnes omnia possunt. Sicut enim multi vellent esse diuites, & non possunt: ita non omnibus datur æqualis gratia spiritualium donorum. Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio, ait Apostolus. (Rom. 7. d) Quinta causa est voluptas propria. Et si non omnia adsint prædicta, dum quis diu stetit in Religione, & bonorum exempla despexit, doctrinam non curauit, gratiam abiecit, virtuti non studuit, vitiis se subdidit, sicut heu plures sub Religionis habitu velut dealbata sepulcra in scandalū aliis conteguntur. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui estis sicut, &c. ait Dominus. (Matt. 23. b)

QVÆSTIO XVII.

Cur non omnes dyscoli è Religione eiiciantur.

ITEM quæro: Cum Religio deberet esse sicut speculum in domo, in quo discant intrantes agnoscere deformitates suas, vt eas abstergant, quare non omnes dyscolos eiicitis, per quos Religionis puritas deformatur, si tamen non estis tales omnes, qui illos fouetis?

Respondeo: Bona religio malos odit non fouet, nec tamen omnes prauos eiicit, & hoc his de causis. Vna propter spem correctionis. sicut ægrotans non eiicitur in mare, quamdiu spes vitæ fuerit. Ita, & de lapsis in ordine intellige, cum multi lapsi per pœnitentiam surgentes, postmodum sani perseuerant, & aliquoties meliores fiunt, quam qui lapsi non fuerint, sicut Dauid, & alij plures. Secunda propter defectum probationis, quia licet ex aliquibus coniecturis timeatur aliquis malus, tamen aperte non videtur communitati. Sicut si aliquis timeatur leprosus esse ex aliquibus signis, & non potest adhuc plene iudicari, sed latet morbus, & ideo inter sanos adhuc toleratur. Tertio propter scandalum, quoniam fratribus tantum notum est crimen illius, sed apud extraneos reputatur honestus. Qui si viderent eum eiici, & tamen nescirent causam, putarent ex inuidia fieri, vel cogitarent reliquos omnes esse tales. cum iste, de quo tantum præsumebāt, occulte fuerit vitiosus. Nam Dominus cognouit Iudam esse vitiosum, & in exemplum nobis tolerauit eum, cum crimen eius aliis foret occultum, donec per apertam iniquitatem prodidit semetipsum, &c.

QVÆSTIO XVIII.

In quibus bona religio cognoscatur, & vna melior altera iudicetur.

ITEM quæro: Cum quælibet religio sibimet placeat, & aliis se præferat, quæ sunt maxime in quibus bona Religio agnoscatur, & in quibus alia melior altera æstimatur?

Respondeo: Sæpe in vno, & in aliquibus præcellit vnus ordo alterum, vt iste in labore, alter in silentio, alius in abstinētia, & in similibus. Sed generaliter in istis agnoscitur, quis sit melior. Vnde si in studio omnis virtutis

sustinent ab extraneis, quasi ipsi sint tales. Item septimo timidiores ac per hoc humiliores fiunt, & ne cadant sollicitiores sunt. Item octauo Deo magis referũt gratias, quod eos ne tales essent, benigne defenderit. Item nono, ex malis iuxta se positis, virtutes iustorum clarius elucent, & pulchrius fulgent. Ista & alia bona sunt, quæ Deus elicit ex consortio malorum cum bonis. Sicut enim accidẽtale gaudium bonorum cumulat visa pœna damnatorum, ita etiam in Ecclesia quodammodo decorat rectitudinem iustorum, deformitas iniquorum, disponente hoc superna sapientia, quæ nil inordinatum in omni regno dimittit, &c.

QVÆST. XX.

Quare inter religiosos aliquando dissensiones sint.

ITem quæro: Cũ nihil debeatis appetere terrenum, nec honores, nec res pro quibus solent homines inter se contendere, & sibi mutuo inuidere, quæ causa est, quod sæpe videmus inter religiosos esse dissensiones & inuidias, sicut inter seculares, vel aliquando acriores?

Respondeo. De his quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua. Vnde si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio, nisi eorum imperfectio, & quia habitus mentis non habet interius, quod ostẽdit habitus vestis exterius, & tonsuræ capitis. Boni autem si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consueuit. Nam cum non omnes agnoscant æqualiter veritatem in omnibus, contingit, quod aliquis intelligit illud pro alia parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens quam illud. Et dum vterque hoc quod ipse melius iudicat, vult promouere, & quod nociuum credit, vult impedire, sic dissensio fit inter eos, idest diuersa sensio, non peruersa, cum vterque bene intendit. Sicut inter Paulum, & Barnabam pro Ioanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ, sed Paulus prohibuit, timens ne nõ perseueraret in continuatione laboris, & sic per eum impediretur, & sic dissentiebat. Et Barnabas Ioannem secum sumpsit, vbi minores haberet labores. Paulus vero Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum, vt diuersis partibus diuisi, pluribus prædicando prodessent. Sic in expositione beati* Gregorij orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captiuitate Babylonica, Angelus dixit, quod eius oratio esset dudum exaudita, sed Princeps Persarum, idest Angelus illius gentis custodiæ deputatus restitit sibi vigintiuno diebus, ne statim liberarentur, sed diutius afflicti plenius à peccato purgarentur. Quid ergo mirum si boni quandoque pro bono dissentire videntur, ratione diuersarum considerationum, si Apostoli & Angeli eadem ratione dissentire inuenti sunt? Nam iuxta hunc sensum sancti, quandoque rationabiliter à Deo dissentiunt, vt cum Deus vult aliquem mori, quem ipsi diutius desiderant viuere pro aliorum profectu, vel cum ipsi putant citius mori, quos Deus vult pro eorũ salute adhuc diutius in corpore laborare. Vnde Apostolus dicit: Desiderium habens dissolui, &cet. Alia causa est, quando vnus non videt intentionem alterius, quæ bona est, putat eum alia intentione aliquid facere, & displicet sibi, & dissentit ab eo, qui si sciret non displiceret sibi, quod facit, & esset pacatus cum eo. Sic Moyses iratus est filiis Ruben, & dimidiæ tribui Manasse, cum peterent terram Basan, & Hesebon in possessionem. Et Iosue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Iordanis, antequam agnosceretur, intentionem vtrobique fuisse bonam: talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit iudicium nimis præceps, &c.

Act. 15. g — *Dan. 10. e* — **Greg. l. 17. Mor. cap. 8.* — *Philip. 1. 23* — *Num. 32. b* — *Iosue 22. c*

QVÆST. XXI.

Religiosi quæ facta sua celare debeant.

ITem quæro: Cum religiosi tam studiose solent abscondere facta sua, suspectum est apud eos, esse aliqua indecentia: cur enim sic cœlantur, cum bona non sit necesse celari?

Respondeo: Tria solent celari, & abscondi. Primum est, singularia bona, ne de singulari gloria excellentia proueniat, & meritum depereat. Vnde Saluator: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Item vitia & peccata, ne percipientes, scandalizentur, & qui peccantem scandalizant, duplici reatu obligantur. Væ homini illi per quem scandalum venit. Item quædam solent abscondi à non intelligentibus, qui ea iudicarent mala esse ex sua stoliditate: cum tamen coram Deo licita sint, vel etiam meritorie non propter hypocrisim, sed ne illi exinde infirmentur, & ita non propter se tantum, sed magis propter illos occultant religiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnium corda videre, & omnibus satisfacere, quare hoc, vel hoc fiat cum sæculares rudes sint, & proni sæpius de religiosis sinistra suspicari. Cum enim vident eos refectionem accipere, iudicãt eos carnales. Cum vident eos humiliter iucundos, iudicant eos dissolutos. Cum ex zelo iustitiæ vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos. Cum vidẽt eos necessaria vitæ hinc inde mendicare, cum aliunde non habeant, dicunt eos auaros, & sic de singulis. Etiam quæ bene faciunt, reprehendunt, propter quod oportet, vt caueant alienæ infirmitati, & occultent quæ possent ab aliis mala iudicari, sic ait Apostolus: Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Tribus modis sæculares iudicant religiosos. Primo, opinando de ipsis, quæ omnia sunt falsa, quæ ipsi per se confingunt, vel aliis inferentibus leuiter credunt: vt vulgus rusticanum, quod dicit nos Antichristi prænuntios, & quod omnes guerras terrarum, & principum seminemus. Secundo, quod illa quæ ipsi solent facere, non sunt peccata facere, cum vident nos aliquando facere, æstimant quod tali animo facimus vt ipsi, vt comedere delicata & bibere, alloqui feminas, esse hilares, speciosas areas, munda ædificia ratione sani aeris, & Ecclesias decentes, & zelo disciplinæ inuicẽ accusare & punire, & pro cautela de locis transmutare, & similia, quæ à bonis bono, & à peruersis peruerso animo fieri solent. Tertio, cum damus ei causam iudicandi, & suspicandi de nobis non bona, talia exempla eis ostendendo, quæ merito sunt reprehendenda. In primo sumus non sine culpa. In secũdo indigemus bona cautela. In tertio culpa non caremus, dãtes eis scandali offensionem, & ministerium Religionis vituperabile facientes, quibus debemus esse lumen sanæ doctrinæ, & forma recte viuendi. Cum autem despicimur ab aliis sine causa, siue culpa nostra, ad profectum nostrum cedit multiplicem. Primo, peccata nostra per hoc purgantur. Secundo, bona nostra magis tuta sunt à vana gloria, & laude humana. Tertio, humiliores reddimur coram hominibus. Quarto, cautiores sumus in verbis & factis, ne opinionem eorum confirmemus. Quinto, minus eis sumus familiares, ac per hoc magis in cella quieti. Sexto, patientiam magis discimus ex tali despectione. Septimo interna consolatio spiritus impenditur quærentibus pro exteriori subtracta. Octauo, maius meritum ex his omnibus coram Deo accrescit. Hæc & alia bona tanta sunt, quod si non obessent aliis, libenter tolerare debemus, despici ab aliis, & reprehendi, & persecutiones pati propter Christum sine culpa, & cetera.

Mat. 5. a — *Mat. 17. a*

QVÆST. XXII.

Cur religiosi ordinis S. Francisci ad mensas diuitum accedant?

ITem quæro: Cum deberetis sicut pauperes Christi pauperibus esse familiariores, & eorum cibis contentari, quid est, quod magis frequentatis mensas diuitum, quam pauperum?

Respondeo: Tria nos specialiter inuitant ad hoc, videlicet nostra necessitas, quia cum itinerãdo per terram

lassitudine, & fame fatigamur, apud illos promptius speramus obtinere refectionẽ, qui etiam pro honestate sua panem suum quibuslibet transeuntibus nõ negant, quam apud alios quos nescimus. Itẽ pauperum inopia, quia si forte nos hilariter reciperent, expenderent nobiscum pro sua deuotione in vno prandio nobis etiam dolentibus, vnde ipsi pluribus vicibus refici possent. Item ipsorum diuitum salus qui per occasionem concipiunt nostri familiarem notitiam, vt ad amorem Dei sic eos paulatim trahamus, & salutis doctrinam eis ingeramus, & per tale meritum Deũ eis propitium faciamus. quia pauperes per se ingerunt se, & salus consilia studiose requirunt, qui nõ habent in hoc mundo consolationem suam: diuites autem terrenis contenti, vel mundanis negotiis occupati, vel superbia inflati, raro humiliant se ad quærendum salutis consilium, nisi per occasionem aliquam ad hocã nobis, & religiosis trahantur prudenter, sicut Dominus traxit Zachæum, & alios Publicanos, manducando cum eis, & docendo, non ignoraret, Pharisæos & Scribas inde murmurare, & materiam quærere detrahendi, & cetera.

QVÆST. XXIII.

Quare religiosi plus honorent diuites, quam pauperes?

ITem quero: Cum personarum acceptio sit apud Deum culpabilis, & ab Apostolo Iacobo prohibita, quare vos religiosi magis honoratis diuites, quam pauperes, & promptius eis seruitis in confessionibus audiendis, & aliis consiliis, & obsequiis, sicut sæpe videmus, & scimus? *Iac. 2. a*

Respondeo, Deus pusillum fecit æqualiter & magnum, & æqualiter est illi cura de omnibus, inquantum factura eius sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam. Ideo igitur nos, omnes diligere debemus in Domino, & tam diuitum, quam pauperum salutem desiderare, & pro posse nostro promouere, sicut expedit his, & illis; Vnde si pauper melior est diuite, plus debemus eum diligere, tamen diuitem plus honorare quadruplici ratione. Vna, quia cum Deus in hoc sæculo diuites, & potentes prætulit pauperibus, quo ad mundi gloriam, vbi est necesse alios aliis subesse, vel præesse nos honorando potentes, eius ordinationi concordamus, quos & ipse Deus honorauit in hac parte. Alia ratio, propter infirmitatẽ ipsorum diuitũ, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & grauamen nobis; & aliis pauperibus inferrent, ne quod offendiculũ demus infirmis, ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora trahere, & prouocare. Tertia, quia maior vtilitas prouenit ex correctione vnius diuitis, quam plurium pauperum. Pauperis autem salus sibimet prodest, diues aũt emendatus multis prodest, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur & prouocantur ad bonum, quam propter alia bona, quæ per eum promouentur in aliis, & mala impediũtur. Qualis Rector ciuitatis, tales habitantes in ea. Conuersio Constantini Imperatoris ad fidem plus profuit Ecclesiæ in pluribus, quam multorum aliorum. Quarta, cũ à diuitibus plus recipiamus de corporali subsidio, eo quod magis abundant in talibus, iustum est, vt & eis vicem rependamus, & proniores simus eis obsequia specialia impendenda: pauperes etiam facilius expediuntur, quia tãtis perplexitatibus non ligantur, diuites vero pluribus laqueis irretiti, frequentioribus indigent consiliis: ideo necesse est nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur. Nam vt dictum est iam, qui potentem in bono promouet, multos iuuat: sic & conuersio ipsius subuersio multorum est detrimentum, & cetera. *Sap. 6. b* *Eccli. 10. a*

QVÆST. XXIV.

Quomodo possint fratres Minores domos, hortos, libros, &c. possidere?

ITem quæro: Cum regula dicat quod nihil proprium debeatis habere, nec in speciali, nec in communi; & vos habetis domos, hortos, libros, vestes, & alia victui necessaria pro tempore, quomodo potestis transgressiones huiusmodi excusare bona conscientia?

Respondeo. Videmus in sæculo famulos Dominorum panem non suũ comedere, tecto non suo contegi, & rebus alienis, videlicet Dominorum suorum vti: Sic & alij sæpe concessis vtuntur tam vestibus, quam aliis rebus de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic & nos vtimur rebus necessariis pro corpore, quas tamen, nec in speciali, nec in communi nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, sed nihil nobis appropriare. Vnde vsum rerum necessarium habere possumus, non proprietatem, alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquid aliud in vsum recipere deberemus, quod esset contra omnem rationabilem intellectum. Præsul enim Sedis Apostolicæ, qui est generalis omnium pauperum Ecclesiæ prouisor, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, quæ ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit, exceptis his quorum dominium sibi conferentes retinuerunt, & nobis vsum earundem rerum solũ concedit, vt semper alieno victu, & vestitu, & tecto, & aliis vtensilibus absque proprietatis iure, ex ipsius concessione vtamur. Sicut familia patris familias, quæ rebus Domini sui vtitur, tam in absentia, quam ipsius præsentia corporali, secundum ipsius dispositionem. Et eleemosyna, quæ nobis, à fidelibus datur, transit in vsum nostrum, & in illius dominium, qui est principalis ordinis nostri dispensator, cui parati sumus omnia quæ habemus cum iusserit, tamquam Domino prout conuenit, resignare, & nil iuxta hoc proprietatis habentes, regulam nostram bona conscientia obseruamus, & cetera.

QVÆST. XXV.

An fratres Minores transgrediantur regulam, cum pecunia, quæ sibi pro eleemosyna erogantur per alios recipi, & conseruari faciant.

ITem quæro: Cum iterum regula dicat quod nec per vos, nec per alios debeatis recipere denarios, vel pecuniam, videmini per contrarium hoc facere, tam petendo pecuniam, tam reponendo, quam etiam dispensando, quia & si personaliter eam non contrectatis, tamen per alios eam seruari, & recipi facitis, & distribui, sicut vultis, & tamen inhibetur sicut per præceptum, vt non habeatis super hoc potestatem dispensandi, nescio quomodo hanc transgressionem excusare potestis. Si autem non posset hoc præceptum seruari, non deberetis vouere, & potius esset à regula recedendum, quam laqueus esset vouentibus, cum seruari non possent.

Respondeo. Multa putantur mala, quamdiu non intelliguntur, quæ intellecta, rationabilia & iusta videntur. Sic & in ista quæstione apparet. Regula prohibet nec per nos, nec per interpositam personam nos recipere pecuniam, vt nostra sit, & nos Domini, & possessores pecuniæ simus, quasi rei propriæ. Sed concedit, vt per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, id est, caste, & iuste, necessaria procuremus, quæ tali modo vtraque congrue obseruantur, quod ea, quæ sine pecunia non possũt procurari, aut per ipsos procurentur, qui fratribus dant eleemosynã, aut per eorum nuntios, vt cum aliquis procurat fratribus librũ scribi, vel vestẽ fieri, vel domũ, vel aliud suis laboribus, & expensis, aut si fratres ista procurãt, illi soluũt pecuniã illis qui fratrib⁹ commodauerũt. Vnde ista sũt procuranda,

vt cum fratres faciunt librum scribi, alius soluat expensas per se, vel per nuntium suum, aut si aliqui volunt dare fratribus Eleemosynam pecuniæ, possunt committere alicui, qui nomine suo eam seruet, pro vtilitate tamen fratrum, vt vice illorum, qui sibi commiserunt pecuniā, procuret inde fratribus, secundum quod voluerit, secundum quod à fratribus instruitur per se, vel per alios, qui aptius ea promouent, quæ sibi fuerant commissa. Et per omnes istos non recipiunt fratres pecuniam, sed illi per se, pro illis qui sibi commiserunt pecuniam, conuertunt eam in vtilitatem fratrum, vicem illorum gerentes in eo, quod seruant, & distribuunt ipsam pecuniam, quæ adhuc illorum est, qui dederunt, etiam si nesciant eam adhuc seruari, gerentes autem vicem fratrum in eo, quod eorum vtilitatem promouent de pecunia aliorum. Fratres enim quamdiu pecunia non est redacta in rem aliā, quam eis vt licet, non habent eam pro sua, sed illius qui deposuit eam; licet sciant eam pro sua vtilitate ibi repositam. Sicut cum dominus committit seruo suo pecuniam suam, vt mihi inde emat tunicam, interim est domini, sed empta tunica, mea erit. Secundum hanc viam, & cautelam fratres, & per amicos speciales, & quoslibet procuratores, & mediatores procurant necessaria, nec tamen recipiunt pecuniam per illos procuratores, sed illi seruāt illam nomine dantium, & vice ipsorum vertunt eam in vtilitatem fratrum, vt dominium pecuniæ non transeat in proprietatem fratrum. Vnde conditor regulæ magis intendit fratribus præcludere viam auaritiæ in possessione pecuniæ, per quam omnis Religio suffocatur, quam obstruere eis opportunitatem necessaria procurandi. Sedes etiam Apostolica cuius acta toti Ecclesiæ diiudicanda exponuntur, & veneranda, ipsam regulam confirmādo non approbasset, si in ea aliquid incongruum, & inobseruabile prospexisset. Ideo vouentibus eam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligēti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare, quæ tamen cautela magni est meriti, quamuis illi tutius ambulent, qui se subtrahunt à talibus negotiis, qui ad ea ex officio non coguntur, &c.

1. Cor. 2. b

QVÆSTIO XXVI.

An fratres Minores recipiant Eleemosynam ab iis, qui iniusta lucra sectantur.

Isa. 61. c

ITEM quæro: Cum res male acquisitæ Deo sint odibiles, vnde Dominus dicit. Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto: cur recipitis, vel petitis Eleemosynam, ab illis qui iniusta lucra sectantur.

Respondeo: Quidam sunt qui solum habent res male acquisitas, & possunt certæ personæ inueniri, quibus cōpetit recompensatio, (vbi tales scimus, de cetero non debemus ab eis Eleemosynam petere, siue accipere quia omnia quæ habent sunt aliorum, quibus tenentur reddere) vel omnes, vel aliquæ, quod si aliquæ, & non omnes, tunc vaga restitutio de eis danda est, & in pias causas eroganda. Quidam autem habent iniusta bona, ita quod si dant Eleemosynam, tamen per hoc non fiunt impotentes, quin adhuc habeant vnde possint restituere certis personis, quibus debent, vnde possunt Eleemosynam facere de residuo. A primis autem non possumus recipere, nisi ignorantia, vel extrema indigentia, vel præsumptio, quod creditores velint nos recipere, nos excuset. Vnde quando non constat de vero, aliquem iniusta detinere bona, non tenemur leuiter credere eum tāti criminis esse reum, cum de quolibet teneamur præsumere meliora. Mendicitas nostræ professionis, & quia Deo debita, pauperibus Christi largienda sunt, excusat nos in hac parte plenius, quam illos, qui ex aliis rebus habent, vnde sufficienter valeant sustentari. Vbi tamen publica fama clamat aliquem esse de primis prædictis, etiam si aliter non constaret, propter scandalum non expedit ab eo recipere, vel petere Eleemosynam, nisi forte talibus qui ex professione, vel officio habent, quod debent raptores ad restitutionem inducere, quia vtiliter gerunt in hoc negotium spoliatorum. Et dignus est tunc fidelis operarius cibo suo, cum nemo teneatur suis stipendiis militare. Ad hoc autem, vt possimus peccatores ad emendationem monendo inducere, concedit nobis Sedes Apostolica, etiam in terris excommunicatorum libere commorari, & ab eis tunc Eleemosynam recipere, maxime si aliunde non possemus sustentari. Si enim boni de medio malorum tollerentur, quis esset qui malos ad bonum verbo, & exemplo moueret? &c.

QVÆSTIO XXVII.

Quare plures clerici religiosos odio habent.

ITEM quæro: Quæ ratio est, quod clerici magis odiunt nos, & persequuntur, quam laici, & simplices sacerdotes?

Respondeo: Sicut non omnes laici diligunt nos, sic nec omnes clerici odiunt nos. Si qui autem videntur nos odire, hoc quinque de causis potest esse. Vna, quod timent nos, quod ipsorum facta, & excessus vel defectus plenius agnoscamus, & seuerius arguamus, quo clarius videmus, quales esse deberent, & non sunt, per quos Ecclesia gubernatur. Secunda, quod inuident nobis, quod sumus hominibus gratiores, & ipsi comparati nobis appareant in vita, vel in scientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina. Tertia, quod dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui consocij fuerint percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel forte personas illas nostro consilio ab eis auerti, & ad meliora conuerti. Quarta, quod timent sibi aliqua per nos emolumēta subtrahi, dum Eleemosynas, quæ dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus. Et hæc videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet si plus inhiant lucris pecuniarum à suis subditis, quā fructui animarum, &c. Potest etiam quinta causa esse, quod diuina iustitia illos, qui quanto amplius cognouerunt, & spreuerunt, & quibus maiora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & grauius ceteris offenderunt, frequētius eum indigne contrectant, & percipiunt, tanto magis indurat, & profundius cadere permittit. Vnde non solum ipsi sunt mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderant, & bonos odiunt, & quos imitari nolunt, optant non esse, & prosequuntur eos, quos sibi dissimiles esse dolent. Salomon: Grauis est nobis ad videndum. Et tunc ibidem plures de prædictis tanguntur. Laici vero, quia de prędictis causis minus habent, ideo minus odiūt: immo etiam diligunt, qui sentiunt nos salutem suam diligere, & sperant per nos eam fideliter apud Deum promouendam, ore, meritis, & doctrinis. Clerici etiam qui sane sapiunt, eadem ratione nos fouent, & diligunt, quasi filios suos, & vocatores, & cooperatores tam suæ salutis, quam suæ sollicitudinis sibi commissæ in suis subditis necessarios adiutores, & oneris sibi impositi fideles subleuatores. Et de istis satis, &c.

Sap. 2. c

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum,

In quo decernitur

QVARE FRATRES MINORES prædicent, & confessiones audiant.

In hoc Opusculo determinans quæstionem propositam S. Bonauentura, & aduersariorum obiectionibus satisfaciens doctrinam vtilissimam tradit pro materia sacramenti pœnitentiæ, præcipue quoad ministrum ipsius.

QVIA plerique dubitant, & quærunt, cum non habeamus curam animarum ordinarie nobis commissam, qua ratione, vel qua auctoritate, vel qua forma prædicemus, vel confessiones in populo audiamus. Quod vt plenius, & planius intelligatur, rationis huius radicem altius inspiciamus, ab ipsa primaria Ecclesiæ institutione originem breuiter colligentes.

Dominus IESVS Christus omnium creator, & gubernator, S. Ecclesiam suam ascensurus in cœlum, Apostolis regendam, & dilatandam commendauit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de vniuerso grege fideliũ specialiter dixit tertio: Pasce oues meas. Sed vt ordinatius gubernaretur vniuersalis Ecclesia, distinxerunt eam S. Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Parochias, & alias Canonicas distinctiones: vt quia per vnum vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congrue satisfieri, plures ad huius sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro vtilitate animarum vocarentur. & secundum curæ pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesiasticæ apud sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedit, & successoribus suis ibidem eandem potestatem reliquit.

Ioan. 21. c

Triplex est autem huius potestatis plenitudo, scilicet quod ipse summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, & quod vbique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali sede Romana, & quod ab ipso manat in omnes inferiores per vniuersam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in cœlo ab ipso fonte totius boni Christo IESV fluit omnis gloria Sanctorum, licet eam differenter singuli participent pro captu suo.

Plenitudo potestatis Papæ triplex.

Prædicta vero distinctio Ecclesiarum, & Parochiarum triplici de causa est instituta, scilicet propter Rectorum sollicitudinem. Quod enim cuique specialius committitur, diligentius exequitur, nec expectat vt alter prouideat his, qui suæ sollicitudini specialiter sunt commissi. Item propter subditorum vtilitatem, quia facilius reguntur, & singulis expeditius potest satisfieri, vt dictum est, per plures ministros, quam per paucos Sicut Moyses solus non valens onera multitudinis populi sustinere, partitus est Tribunis, Centurionibus. Quinquagenariis, ac Decanis, vt maiores maiora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta sibi tamen plenitudine potestatis, in typo futuræ dispositionis Ecclesiæ militantis Item propter deprehendendas fraudes hæreticorum, & latebras peccantium, vt quisque pastor super gregem suũ vigilans, possit luporum deprehendere insidias, & errantium ouium absentiam cognoscere, & ad gregis vnitatem, eas quærendo, reuocare.

Ratio distinctionis Ecclesiarũ in plures diœceses.

Exo. 18. d

Ministerium autem officij pastoralis circa ista septem præcipue versatur, maxime Plebanorum, scilicet docere, prædicando populum, quid credere quid facere; quid cauere, quid sperare, quid timere debeant. Item peccantes corrigere, & iudicare, in confessione soluere, & ligare pro qualitate meritorum. Ecclesiam officiare, & diuina celebrare, & indicere statuta Ecclesiæ de feriis, & aliis. Intercedere pro populo apud Deum orando, & gratiam eis impetrando, quasi mediator inter Deum, & eos. Sacramenta Ecclesiastica, & sepulturam eis impendere, & alia sacramentalia. Indigentibus in parochia pro posse in corporis necessitatibus de rebus Ecclesiæ subuenire, exẽplum bene viuendi in omnibus seipsum præbere, secundum honestatem vitæ clericalis.

Officium Plebanorũ quod est.

Obedientia vero populi ad Plebanos in his econuerso maxime consistit, vt doctrinam eorum, & prædicationem, statuto tempore & loco auscultent. Vt de peccatis suis eorum correctioni subiacent, iuxta Canonum instituta. Vt semel in anno ad minus omnia peccata sua, quæ tunc habent, eis confiteantur. Vt in præcipuis festis, secundum iura ad parochias conueniant, Missam audituri. Vt sacramenta Ecclesiastica ab eis recipiant, & sepulturam, & huiusmodi. Vt indicta feriarum, ieiuniorum, & alia denuntianda ab eis seruent. Vt decimas, oblationes, & alia debita eis persoluant, secundum Canonum instituta. Noua vero statuta populo superaddere Plebani nõ debent, ne fiat obedientia onerosa. Hæc debent subditi Plebanis suis, tamen cum exceptionibus iuris, priuilegiorum, & consuetudinis approbatæ, & licentia superiorum.

Ad quid teneantur subditi Plebanis suis.

Quod vero semel in anno quilibet confiteatur proprio sacerdoti omnia peccata sua, his sex de causis statutum est. Primo, vt pastor cognoscat, in quo statu quilibet commissorum sibi sit, vt secundum hoc sciat ei medicinam competentem exhibere, instructionis correctionis, consolationis. Secundo, vt noscat quibus possit Christi corpus indulgere, vel quos à sacramentis arcere. Tertio ne per longam incuriam, multorum conscientiæ in peccato desperabiliter sordescant, expedit vt aliquando se expurgent. Ipse enim pudor confitendi plerosque à peccato deterret & confitendo sæpe, discunt hoc esse peccatum. quod se putabant innoxie perpetrare. Quarto, vt discernantur obedientes à negligentibus vel hæreticis, per obseruantiam talis statuti. Quinto, vt purgent se ad corpus Dominicum digne percipiendum fideles, per confessionis medelam. Sexto pro merito gloriæ, vt ex humilitate confessionis, mereantur in cœlo exaltari, & à peccatis citius expurgari.

Quibus de causis statutum est, vt quilibet fidelis semel in anno proprio sacerdoti confiteatur peccata sua.

Proprius sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis igitur diuersis distinctionibus, quattuor sunt cuiusque plebis parochialis proprij sacerdotes. Primus, & præcipuus est summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiæ Rectores curam, & totam potestatem quam habent super subditos ab ipso accipiunt, mediate vel immediate. Secundus est diœcesanus Episcopus, qui est ordinarius pastor omnium Ecclesiarum sub ipso constitutarum, & sui inferiores Prælati curam animarum, & auctoritatem regendi habent ab ipso. Tertius est specialis pastor cuiusq; Ecclesiæ ibi canonice institutus. Quartus est, cui quisque prædictorum pro tempore vicem suã super commissos sibi, ad ligandum, & soluẽdum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest. Superiores autem liberius, & largius possunt vices suas committere, quam inferiores. Vnde cum Plebanus possit aliquibus committere, vt vice sui plebi suæ prædicẽt, & eorum confessiones audiant, & absoluant, & pœnitẽtias iniungant, ita quod sic absolutos non oporteat illo anno Plebanis suis iterum confiteri, nisi velint, multo magis potest hoc Episcopus, & maxime summus Pontifex, qui sicut vbique habet potestatis plenitudinem, ita & commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, vt ea, quæ singulis necessaria probantur, ipsius prouidentia suppleantur. Alioquin vacua esset apud ipsum tanta potestas, quam executionis efficacia non comitaretur. Committit autem aliis quandoque vices suas, tum pro locorum distantia, vel causarum qualitate, vel pro aliorum magis vrgentium negotiorum occupatione, vel pro multitudinis requirentium frequentia, & necessitatis festinatione, vel pro corporis imbecillitate, vel certe pro liberiori spiritus vacatione expedit eum, & alios secum ad oneris pastoralis sustinentiam inuitare. Nam, & si Dominus solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari, quæ voluerit, sicut ex nihilo cuncta creauit; tamen dignatur in quibusdam operibus suis habere coadiutores, & vicarios sicut in cura animarum, & in operibus artificialis industriæ. In hoc dant exemplum Ecclesiæ Rectoribus, onus sollicitudinis suæ, & aliis impartiendi, ne per ipsorum absentiam, & insufficientiam, salus fidelium negligatur.

Proprius sacerdos quis.

Prędictis ergo de causis in his nouissimis temporibus, de quibus prædixit Apostolus, quod instabunt tempora periculosa ex multiplicatione peccatorũ, & numerositate

2. Tim. 3. a

rudium

rudium populorum, & seductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis euentibus, prouidit sedes Apostolica ad obuiandum præfatis periculis quibuscumque remedium subuentionis animabus pereuntibus, quod diuina ordinatione quosdam religiosorum ordines instituit, qui officio prædicationis, & confessionis sibi commisso, subueniant indigentiæ populorum, & insufficientiæ clericorum, & obsistant versutiis hæreticorum, & hoc in solatium, & subleuamen oneris, non in præiudicium Plebanorum. Non enim præiudicat eis, si Dominus Papa, vel Episcopi eorum, de officio suo solliciti, quod personaliter implere non valent, aliis loco suo implendum committunt. Sicut nec hoc præiudicaret eis, si vellent personaliter in parochiis eorum prædicare vel confessiones audire, ita quod ipsi confessi non tenerentur tunc iterato Plebanis suis confiteri, cum ipsi Plebani sint vicarij Episcoporum in suis parochiis, sicut Episcopi summi Pontificis in officiis sibi commissis, quia non in diminutionem potestatis, sed in adiutorium sustentandi oneris, sunt inferiores pastores superioribus subrogati.

Secundo, non fit eis præiudicium si pondus laboris quod ipsi portare tenentur, in cura animarum alleuietur eis per aliorum auxilium, vt animæ saluentur, pro quibus Deo rationem reddere debent in iudicio, si ex eorum negligentia, vel ignorantia, perirent, ita vt pro illarum perditione ipsi damnentur. Ecce super pastores ego requiram gregem meum de manu eorum, &c.

Ezec.34.c

Tertio, non fit eis præiudicium, quia non minuitur iurisdictionis eorum potestas ex tali cooperatione aliorum, sed tantum pondus sollicitudinis, & laboris. Temperatissime quippe sic disposuit diuina sapientia, & instituit sedes Apostolica, vt per ordines prænotatos in prædicatione, & confessione defectus cleri suppleantur, & animæ saluentur, & nec in temporalibus, & spiritualibus ius clericorum aliquatenus violetur, ne per subtractionẽ illorum, quæ eis iure debentur commoti, salutis profectum per fratres promouendum in Ecclesia impedirent, cum vix etiam nunc sustineant quidam, eos pro animarum salute inter homines conuersari. Nam decimas eorum, nec primitias seu oblationes, nec alia debita eis præripimus, nec populum ab obedientia eorum abstrahimus, nec in debitis ministeriis suis eos vllatenus impedimus. Quod autem quandoque religiosi ad saluandos fideles in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Euangelio Lucæ, cum Dominus dixit Petro: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Concluserunt autem piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorũ, & annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & impleuerunt ambas nauiculas. Mare est sæculum. Nauicula Petri est Ecclesia fidelium populorum. Rete est Euangelica doctrina. Per iussum Domini tot piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod eã etiam hæresibus scindunt. Sed cum Petrus cum suis trahere non valeret, annuerunt sociis in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: quia Prælati Ecclesiæ cum clero non sufficientes per se tantam plebium multitudinem trahere ad litus vitæ perpetuæ annuerunt, admittendo sociis religiosis, scilicet Iacobo, & Ioanni, actiuis, & contemplatiuis, vt venirent compatiendo animarum periculis, & adiuuarent eos, tã illos qui trahunt, quam illos qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam releuando. Ambas autem nauiculas implent, cum præ multitudine populi, nec clerici, nec religiosi plene sufficiunt omnibus satisfacere.

Luc.5.a

Cum autem prædicatio, & confessio, inter alia populo Dei exhibenda, ampliori indigeant scientia Scripturarũ, & magis periculum sit ista ei non ministrare, vt expedit, cum per prædicationem informentur quid credere debeant, & qualiter viuere: per confessionem vero lapsi ex trahantur de luto peccati: ista duo fratribus cõmissa sunt, vt in his subueniant fidelibus, & suppleant defectum clericorum. In reliquis autem minus est periculum qualiter fiant, aut facilior executio per quemcumq; fiant. Ex prædicatione ergo non fit eis præiudicium, quia non prædicamus illa hora in eorum Ecclesiis, qua ipsi solent in festis sollemnibus, diuina sollemniter celebrare, seu prædicare, nisi ipsorum permissu. Alia hora si populus nos audire desiderat, nihil deperit eis exinde, sed accrescit. Et hoc in tribus, videlicet, quia populus eis commissus proficit in scientia veritatis, & bonis moribus Item, cum ipsi eadem docent, quæ & nos testimonio nostro confirmamus doctrinam eorum esse veram, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Item, quia docemus populum pastoribus suis obedire & eos reuereri, & non recalcitrare, & reddere eis sua. Super his potius debent si sapiunt gaudere & gratias agere, quam dolere. Aliter enim cito vilescerent apud populum, propter malam vitam multorum ex ipsis. Ex confessione similiter non præiudicamus eis, quia nullum cogimus nobis cõfiteri de subditis suis, & confessos remittimus ad Plebanos suos, vt illis iterum se ostendant tempore suo, secundum Ecclesiæ mandatũ, si ante non sunt eis eo anno confessi. Nam si ægrotus vult & aliis medicis, pro vberiori consilio sanitatis patefacere infirmitatem suam præter suum medicum specialem, non fit præiudicium in hoc illi medico, nisi forte inficetur inuidia, vel cupiditate, vel pudore turbetur.

Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi à Sede Apostolica religiosi aliiq; ad prædicta officia prædicationis, & confessionis, vt nũc sunt missi, ista fuit ratio. Cum morbus adhuc paruus est, paucioribus indiget remediis, & leuioribus, sed cum cœperit inualescere, & latius se diffundere ne desperabiliter æger periclitetur, necesse est plura, & efficaciora remedia adhiberi: ita etiam cum status mundi modo valde deterior, quam olim esse videatur, expedit plures nunc esse subleuantes, iuxta illud: Messis quidem multa, operarij vero pauci, idonei, & fideles. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in vineam suam. Item ad Romanos, vbi abundauit delictum, superabundet, & gratia. Videmus nunc messes plebium multiplicari, & filiis succisis villas ædificari. Videmus adinuentiones peccatorum succrescere, & perplexiores casus quotidie emergere. Item ex consuetudine malos incorrigibiliores magis fieri, & duriores in peccato. Item, quod clerici plures malo exemplo infirmant laicos, tam in moribus, quam in fide. Item, quod pauci sunt inter eos periti, qui sciant, vel quibus confidatur, quod doceant, vt deberent. Itẽ quod negligenter præsunt animabus commissis, & terrenis negotiis nimis instant. Item quod multi eorum sunt suspẽsi, excommunicati, & in officio suo diuersimode impediti. Item quod rari sunt pastores in Ecclesiis, sed per leues vicarios animarum cura venalis exponitur. Item quod ipsi temporalibus curis dediti, ista dissimulant, ita quod spes correctionis vix habetur. Item, quod si aliquãdo vellent ista corrigere, & inutiles remouere, non habent quos loco illorum substituant meliores. Cum igitur iam sit Ecclesia, quasi nauis tempestate concussa, in qua remigantibus, pauore trementibus, procellæ tumentes pene operiunt nauem, missi sunt fratres à summo gubernatore, fulti auctoritate Sedis Apostolicæ, vt in nauiculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes inuenerint, rapiant ex vndis, & ad littus salutis reportent.

Luc.10.a

Rom.5.d

Quis est bonus Plebanus.

Nulla vero parochia inuenitur, quin habeat aut idoneum Plebanum, aut aliquo modo insufficientem, aut nullum. Bonus, & idoneus est, qui secundum formam canonum iusto titulo possidet beneficium, cui annexa est cura animarum illarum, & qui sufficientem pro regimine plebis suæ habet scientiam sacræ Scripturæ, & qui nullum habet impedimentum in omni officio clericali, & qui debitam diligentiam adhibet animabus sibi commissis, in his quæ sunt necessaria saluti. Talium Plebanorum subditos non oportet ad alios pro confessione recurrere, nisi in his sex casibus. Primus cum de voluntate

ipsius, & licentia, vel ratihabitione, expressa vel tacita, quis alteri confitetur. Secundus cum alius habet ampliorem auctoritatem absoluendi in certis casibus, quam Plebanus. Tertius, si propter abundantiorem cautelam vult etiam aliis confiteri, nihilominus tamen confiteatur etiam Plebano tempore suo. Quartus, si confitetur illis, qui habent à Domino Papa, vel ab Episcopo loci generalem auctoritatem audiendi confessiones, vt Pœnitentiarij, vel alij quidam ad hoc specialiter deputati. Et qui talibus confitentur, idem est ac si Episcopo suo personaliter confiterentur eosdem casus de quibus eis contulit potestatem. Vnde non tenentur tunc Plebanis iterum confiteri, nisi velint. Quintus, si aliquis est in peregrinatione positus, nec potest habere proprium sacerdotem. Sextus in articulo necessitatis extremæ, tunc quilibet est ei proprius sacerdos, si alium non habet.

Insufficiens Plebanus, quis.

Insufficiens Plebanus dici potest tribus modis: aut cui ab Ecclesia pro tempore sublata est executio officij sui vt suspensus, excommunicatus, & irregularis: aut cuius subditis propter aliquod nocumentum suum non expedit ei confiteri, vt idiota, vel proditor confessionis, & confitentes sibi sollicitans ad peccatum quocumque modo: aut qui confitentibus sibi, non debitam adhibet diligentiam, sicut necesse foret. Sicut qui non dat eis opportunitatem integre confitendi, vel non vult eos absoluere, nisi pro pretio, vel non informat eos in discretione peccatorum, seu satisfactionis qualitate, vt sciant quid sit peccatum mortale quid veniale, quid enorme, quid leuius, vel qualiter Deo satisfaciat, & qualiter proximo, quando publice, vel occulte. Nam in talibus negligens, tantum nocet aliis, sicut idiota qui docet errare, ita negligens relinquit in errore. Exemplum de cæco duce, & qui cæcum deuiantem non reducit ad viam. Subditi enim horum ipsa necessitate salutis coguntur alios confessores requirere, in quibus insufficientiæ prædictæ non videntur. Sicut qui scit medicum suum insufficientem ad curandum eum, alium necessarie quærat, si vult mortis periculum effugere. Quod si Plebanus talis nolet subdito dare licentiam idoneum confessorem quærendi, vel pro malitia, vel inuidia, seu superbia sua, immo forte præcipit ne vadat ad alium: ita tenetur ei in hoc obedire, sicut seruus domino, qui nollet eum pascere & præciperet ei ne alibi sibi cibum prouideret. Quod autem dicitur, quod subditus debet prius petere licentiam, vt vadat ad petitum confessorem propter cautelam factum est, scilicet ne ex contemptu quærat alium, vel ne vadat ad minus idoneũ, vel ne vadat ad hæreticum, vel ne detur locus tergiuersandi malignis, dum quærunt ignotis confiteri, vt correctionem sui pastoris effugiant, & ita liberius peccent, vel ne simulent se aliis confessos, cum nulli sint confessi.

Plebanus nullus quis.

Plebanus autem nullus est, qui tenet Ecclesiam, cum sit inhabilis ad beneficium habens curam animarum, vt illegitimus filius, vel excommunicatus, vel laicus, vel qui vnam habens, recipit aliam. Item qui recipit Ecclesiam non ab eo, qui habet ius conferendi, vel præsentandi ad eam vel inuestiendi, vel ab excommunicato, vel quando ius est ad superiorem deuolutum ex causa. Item qui tenet Ecclesiam non debita forma, simoniace per fraudem, vel violenter, vel est Vicarius alicuius istorum. Quod quisque non habet, nec potest alteri sua auctoritate conferre. Omnes sicut non habent ius in Ecclesiis quas tenent, ita & plebs in nullo tenetur eisdem.

Cum ergo prædictorum omnium subditi possint, & debeant aliis confiteri, potius quam illis, qui videntur esse Plebani eorum, propter præmissos eorum defectus, & laici nesciant discernere quos eligant meliores, & clerici potius vitiosi mitterent eos ad sibi similes quam ad idoneos, & satis rari sunt in clero iam, quos nulla prædictarum respergat macularum: missi sunt fratres à Sede Apostolica per mundum, muniti eius testimonio, qui prædictos defectus clericorum, vbi necesse fuerit, suppleant, & indigentiæ fidelium subueniant, & non tantum laicos, sed, & ipsos clericos, & religiosos prædicationibus instruant, exhortationibus à malo retrahant, insuper exemplis ædificent, & orationibus gratiam eis, & veniam impetrent apud Deum. Nos enim sumus illi pauperes, qui remanentes manipulos segetum, & spicas decidentes post messores, & racemos relictos in vinea colligere debemus, idest, illas reliquias quas Plebani, qui habent officium in plebe sua docendi, & corrigendi, relinquunt, vt eas ex area Ecclesiæ ad horreum cœlestis patriæ referamus. Quia vero ad hoc non tenemur ex debito astringẽte, sed ex charitatis libertate, ideo similiter, & illi non tenentur nobis in corporali prouisione, nisi ex libera pietate. Possunt enim nostris prædicationibus intendere si voluerint, & nobis confiteri, & Eleemosynas largiri possunt, & dimittere. Econtra possumus nos eis ista spiritualia beneficia impendere prædicationis, confessionis, & orationis, licet ad ea ex debito non obligemur, nisi debito charitatis.

Dist. 34.

An qui cõfessus est religioso teneatur iterum cõfiteri Plebano.

Quæritur autem si illi, qui nobis confessi sunt, teneantur Plebanis suis iterum confiteri? Ad hoc dicendum, quod duplici ratione tenentur homines confiteri sacerdotibus habentibus claues in foro pœnitentiæ absoluẽdi, & ligandi, ex præcepto Dei, & ex statuto Ecclesiæ. Præceptum Dei est pœnitentiam agere, cuius pars est confessio facta sacerdoti Vnde Ioannes dicit: Si confiteamur, &c. Cum ergo pœnitens confitetur nobis, & absoluimus eum auctoritate Domini Papæ, vel Episcopi, non tenetur iterum à Plebano suo de eisdem absolui, cum sit absolutus, sed propter statutum Ecclesiæ, quo quilibet semel ad minus in anno iubetur confiteri omnia peccata sua proprio sacerdoti, quod plerique referunt ad Plebanos specialiter, debet ei si velit iterum confiteri, ne scandalizetur, & vt melius agnoscat eum, si dignus sit, cui corpus Christi debeat porrigere, vel negare, nisi de licentia eius alteri sit confessus, vel ratum habeat si est factum, & hoc de his Plebanis intelligendum, qui boni, & idonei videntur, vt supra dictum est, non de aliis qui ius non habent in Ecclesiis, vel ad quos subditi pro confessione accedere prohibentur.

1. Ioan. 1.

Vt autem planius liqueat, in quibus casibus, vel qua forma fratres possint audire confessiones, quædam eorum, quæ superius posita sunt, sub compendio repetantur. Cum pro diuersis causis aliquotiens expediat subditos Plebanorum, etiam aliis sacerdotibus confiteri, vt promptius inueniant ad quos recurrant, missi sunt fratres specialiter, vt in tali necessitate fidelibus succurrant, ad hoc à Sede Apostolica destinati.

Causæ propter quas expedit religiosos habere copiã audiendi confessiones, & casus in quibus possunt eas audire.

Primus casus, cum ex regula nostra approbata, & confirmata à Sede Apostolica, etiam iniunctum habeamus prædicationis officium, ne fructus prædicationis inanis sit, possumus ex priuilegio Apostolico vbi prædicamus, etiam confessiones requirentium, tunc audire, & absoluere, ac pœnitentias iniungere, auctoritate Domini Papæ.

Secundus, cum ab Episcopis similiter commissum habeamus confessionis officium, non solum de communibus, sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus, possumus absoluere iuxta formam confessionis ipsorum: non tantum laicos, sed etiam clericos indigentes.

Tertius, cum Plebanus licentiat subditum suum, vt nobis confiteatur, vel ratum habet quod factum est.

Quartus, cum pro superabundanti cautela, vel meliori consilio, etiam vult alteri confiteri, vel ex deuotione, quam suo Plebano.

Quintus, cum quis vagatur per terras, potest interim aliis confiteri, dum suum non habet sacerdotem.

Sextus, in articulo necessitatis, dum timet mori, & suum non habet sacerdotem.

Septimus, cum sacerdos alicuius est idiota, nec scit in necessariis saluti eum congrue expedire.

Octauus, cum est notorius fornicator, tunc subditi non debent ab eo sacramenta requirere.

Nonus, cum consueuit reuelare secreta confessionis, subditi non tenentur ei confiteri, qui hoc timent.

Decimus, cum in confessione solet aliquos ad peccatũ inducere,

inducere, illi non debent accedere ad eum, propter periculum vtriusque.

Vndecimus, cum non dat subditis copiam integre confitendi, & non informat eos de his quibus indigent ad salutem.

Duodecimus, si sacerdos est ab officio suspensus à iudice, vel à iure, tunc nec potest soluere, nec ligare.

Decimustertius, si est aliqua maiori excommunicatione ligatus, quia non debent tunc subditi communicare ei quæ sciunt.

Decimusquartus, qui est aliqua irregularitate perplexus, tunc non potest exequi officium pastorale.

Decimusquintus, si est peruersor sacramentorum, vẽdens ea pro muneribus, tunc est suspensus, & infamis.

Decimus sextus, si tenet ecclesiam contra statuta Canonum, tũc enim nullum ius habet in ea, vt illegitimus, simoniacus. & habẽs vnam Ecclesiam, si recipit alteram: tunc enim prior vacat, & qui per fraudem obtinet, vel violenter intrat, vel non recipit eam à quo debet.

Decimusseptimus, si est Vicarius illius, qui non habet ius in Ecclesia, quod possit alteri delegare.

Sunt alij casus, pro quibus quandoque etiam honestæ personæ timent suis sacerdotibus confiteri, quia Vicarij sunt instabiles, & sæpius mutantur, ideo non audent eis sua reuelare secreta, cum toties oporteret eos ignotos habere confessores. Item, quia plerique ipsorum tam vitiosi sunt, quod honesta femina timet infamari, si secrete susurrauerit cum eo. Item, quia plures ipsorum ignoti sunt, & timetur, quod sunt apostatæ, vel in officio sacerdotali impediti, vel forte non habentes ordinem sacerdotij. Item, aliqui habent talia peccata in conscientia, quod potius volunt non confiteri, quam Plebanis suis ea pandere, qui semper vident eos & coram quibus timent tota die confundi sicut sæpe percepimus. His in tanto periculo ex compassione est succurrendum potius, quam in desperationem ponantur. hoc tali modo apte fit, vt confiteantur talibus, quos non timent, vbi consulitur ipsorum verecundiæ, & saluti. Non est leuiter præcipitandus in interitum, pro quo Christus Dominus potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret eum perire. Et rigor iuris positiui, vbi expedit seruandus est, vbi autem salutem impedit, remittendus est. Cum enim potestas Ecclesiastica data sit à Domino Prælatis teste Apostolo, in ædificationem, & non in destructionem salutis animarum, vbicunque aperte quis ea vtitur in destructionem, virtutem suam amittit. Sicut medicina, non sicut expedit ægro porrecta, potius lædit eum quam sanet, cum medicinæ ad sanandum & reparandum, & non ad sauciandum, vel destruendum sint repertæ Cessante enim causa, cessat & effectus: quia rigor pro vtilitate animarum statutus, sicut seruandus est; vbi illa vtilitas inde prouenit, pro qua statuitur, ita laxandus est, vbi talis effectus non sequitur, sed potius contrarius aperte sentitur.

1.Cor.10.c

Quod si aliquis Plebanus prohibet quoquo modo, ne subditi sui confiteantur talibus, qui ab Episcopo, vel à Domino Papa mediate, seu immediate habent auctoritatem generalem confessiones audiendi: talis prohibitio non valet, nec pœna in prohibitione apposita est timenda, & hoc multiplici ratione. quarum tres tantũ hic ponam. Prima, quia non potest inferior sui superioris auctoritatem cassare, vt quod ille concessit, iste prohibeat.

Secunda, quia si aliquis supradictorum defectuum inest ipsi Plebano, scilicet imperitiæ, suspensionis, irregularitatis, criminis negligentiæ, vel alterius impotentiæ, per quem subditi ab eo debito modo non expediuntur in confessione, debent etiam eo inuito, ad alios idoneos recurrere si non velit sponte concedere, nec pro eius maleuolentia seipsos salutis remedio priuare.

Tertia, quia & si Plebanus satis sit idoneus, tamen subditi postquam ius suum ei reddiderunt, confitendo, & alia debita persoluendo, si volunt & alios de salutis suæ remediis consulere, non debet, nec poterit eos prohibere. Et si pœnam aliquam propter hoc eis infligeret, tale esset sicut qui punit omnino innocentem, & damnet recte operantem, quod est error intolerabilis, & iuri diuino contrarius, & ideo non ferendus, immo grauiter puniendus, & tenetur læso de illata satisfacere iniuria, & propalauit propriam imperitiam, nesciens quid debeat, & quid possit, ac limites suæ potestatis confundens.

Cum contritio, confessio & satisfactio sint integrales partes pœnitentiæ, & necessariæ ad salutem omni pœnitenti, sicut non contrito non datur remissio peccatorum, ita nec non confitenti peccata sua, si potest habere catholicum sacerdotem, sicut sancta constituit Ecclesia Spiritus sancti auctoritate iuxta Euangelicam doctrinam, cum Christus claues regni cælorum per Apostolos sacerdotibus tradiderit ad animas ligandas & soluendas. Cum ergo necesse sit confiteri, necesse est etiam aliquos esse, qui confitentes audiant & absoluant vice Christi. Aut ergo confitebuntur Prælatis suis tantum, aut etiam aliis sacerdotibus. Sed si prælatus alicuius est suspensus ab officio suo quacunque ex causa per Ecclesiam, vel insufficiens est ad scientiam necessariam, vel aliter negligens, quod non impendit pœnitentibus debitam diligentiam, vel quocunque alio modo præstat impedimentum, quod ab eo subditis non conuenit requirere absolutionis gratiam: necesse est alios institui, qui vicem illorum suppleant in hac parte. Alioquin sacramentum pœnitentiæ per subtractionem debitæ confessionis & absolutionis euacuatur, & claues Ecclesiæ otiosæ manebunt, aut iura canonica nullius vigoris erunt & auctoritatis, quæ sententias suspensionis & irregularitatis & excommunicationis frustra contra aliquos ediderunt, & absolutionis beneficium impendi contradixerunt, si ab ipsis tantum coguntur subditi istud requirere, & eis solis peccata sua & non aliis confiteri. Licet enim communiter clerici in quibusdam terris istis defectibus non valde sunt impliciti, vt in Anglia, vel Francia, vel alibi, vbi clerici sunt litterati, & clericaliter viuunt, & subditos suos bene regunt: tamen in pluribus aliis terris tantum defectus in clero reperiuntur, per quos inhabiles & minus idonei sint ad animas pœnitentium absoluendas, quod qui fratribus Minoribus & Prædicatoribus prohibet fideles ibidem confiteri peccata sua, videtur aut ignorare periculum, aut animarum inuidere saluti, & Dei beneplacitum impedire. Si aliquis teneretur alicui prouidere in necessariis, & negligeret vel non posset & alius vellet egenti ex compassione subuenire, & illius vicem supplere qui deberet, ne iste periret: numquid ab aliquo prohibendus esset, ne proximo in necessitate subueniret? Et si hoc esset inconueniens prohibere ne liberaret proximum à periculo corporis, quanto magis incongruum est & illicitum, prohibere aliquem à liberatione animæ fratris à periculo damnationis: immo videtur error omnino non ferendus prohibere aliquem liberari à naufragii periculo, & potius permittere eum perire, quam pœnitentem à voragine peccati per confessionis tabulam extrahere. Nulla lex seruanda, nulli præcepto obediendum humano, quod contra præceptum charitatis Dei, & contra salutem proximi aperte agere inuenitur. Aduersus charitatem enim, vel ceteras virtutes & fructus spiritus, teste Apostolo, non est lex. Cum ergo pastor plebis alicuius præcipit subditis suis ne alicui confiteantur alii quam sibi, subintelligendum est in præiudicium suum, ita quod si alteri confessi fuerint; nihilominus confiteantur & sibi. Nam sicut non potest eos prohibere, quin de temporali vtilitate loquantur, cum quocunque voluerint: quanto magis de spirituali, & salutis consilium requirere, vbi sperat inuenire: Verbi gratia, vbi decimæ debentur sacerdoti tantum, si præcipit, quod nulli dentur decimæ nisi sibi, intelligendum est hoc de decimis, quæ sibi debentur. Sed si aliquis dederit ei debitas decimas, & de residuo quod suum est, vult etiam alteri cuicumque dare aliam decimam ratione eleemosynę, nunquam potest sacerdos suus eum prohibere, ne hoc faciat.

Aliud vero est de Regularibus religiosis, qui sicut à superioribus prohiberi possunt ne vadant quoquam, vel loquantur cuiquam sine ipsorum licentia, ita possunt etiam prohiberi ne confiteantur alicui nisi per licentiam eorum, dummodo tales eis confessores assignent, per quos non negligantur in his, quæ pertinét ad salutem. Alioquin si prælatus religiosi præcipit ei ne confiteatur alicui præter suam licentiam, & non assignat ei confessorem idoneum, & ille indiget confessione, potest & debet alium quærere confessorem, potius quam salutem propriam negligat, quia præceptum non tenet inferioris prælati, quod præiudicat præcepto superioris. Omnis autem prælatus in Ecclesia est inferior summo Pontifice, cuius præceptum est vice Dei, vt fiat confessio peccatorum idoneo confessori, suo tempore cum potest haberi.

Quod si subditus Plebani, confessus est alteri, etiam qui ab Episcopo licentiatus est, vt possit audire confessiones requirentium, & Plebanus ex pastorali sollicitudine vult agnoscere oues proprias, vt sciat quibus sacraméta diuina ministret, vel qualia adhibeat infirmantibus remedia, & vult conscientias eorum etiam agnoscere per confessionem ipsorum, dummodo hoc calumniose non faciat, vilipendendo auctoritatem alterius, cui ille confessus fuerat: non est propter hoc redarguendus, sed magis pro sua sollicitudine commendandus, cum de ipsis sit rationem Domino redditurus.

Si autem aliquando Episcopus præcipit subditis suis in synodo, quod nulli confiteantur nisi Plebanis suis, vel quibus ipsi licentiam dederint, non est intelligendum velle reuocare, si quam auctoritatem fratribus dedit cófessiones audiendi per suam diœcesim, sed quod non cófiteantur alijs in suorum præiudicium Plebanorum, iuxta quod supra dictum est, cum ad hoc tantum debeant eis obedire.

Quod si expresse reuocaret omnem auctoritatem, quam fratres habent ab ipso de confessionibus audiendis, nihilominus tamé fratres quam diu non sunt à summo Pótifice prohibiti, vel à suis specialibus prælatis, quibus obedire tenentur, possunt audire confessiones sub hac forma, quod audita confessione eorũ, si quis dignus est, absoluant eum sub spe ratihabitionis, pastoris sui, si est idoneus pastor secundum præscriptam formam; vel si nolit habere ratam absolutionem illá, quod iterato confiteatur eidem, si prius non sit ei illa peccata confessus. Si autem habet ille confitens Plebanum non idoneum, vel nullum simpliciter absoluat eum: & expediat in his, quibus indiget ad salutem potius quam nullo subueniéte negligatur. Debemus enim præsumere summum Pontificem, vel alium quemlibet bonum pastorem animarũ huiusmodi esse discretionis, & charitatis, quod potius velit oues Christi per quemquam catholicum sacerdoté ad salutem æternam expediri, quam negligi ab his, qui ex officio curam eorum suscipiunt, sed executionem officij circa eos non implent: alioquin si hoc nó vellet, indignus esset dignitate Pontificalis officij, qui oues Christi magis perire vellet quam erui de ore luporum. & talis eius voluntas caret effectu pastoralis potestatis, quæ solum in ædificationem, & non in destructionem animarum data est ab ipso principe pastorum Domino IESV Christo. Hac enim ratione prouide sancta Ecclesia instituit, quod in necessitatis articulo cum proprius non habetur sacerdos quilibet sacerdos absoluat quemlibet Pœnitentem ab omni vinculo peccati, & excommunicationis etiam maioris, potius quam ex defectu proprij pastoris aliquis innodatus peccato decedat. Licet vera contritio posset eum absoluere, cum non posset habere confessorem. A simili ergo cum proprius sacerdos non potest, aut non curat, seu nescit confitentem debito modo expedire. potest & alium confessorem quærere, qui eum expediat. cum periculosiora sint animæ vulnera, seu morbi quam corporis, si citius remedijs debitis non curentur. Qui autem prohibet ægrotantem ne accedat ad medicum, qui eum curet, mortem desiderare videtur, quia non vult vitam suam congruis remedijs à morte tueri. Si vero sententiam contra eum ferret excommunicationis, quasi pro inobedientia, nullam habet vim taliter lata sententia: quia pœna talis inferri non debet, nisi graui culpa præcedente. Culpa vero nulla est, quærere salutis suæ remedium sine præiudicio alicuius. Quod etiam quidam ferunt sententiam excommunicationis in omnes fratrum benefactores, cum nihil habeamus, nisi quod offertur nobis à fidelibus vnde viuamus: idem est ac si prohiberetur aliquis per excommunicationem, ne fratrem suum & proximum à submersionis, vel incédij, seu quolibet mortis periculo liberaret. Prohibere enim cibo reficere indigentem, est eum velle fame occidere, quod quam iniustum sit, nullus ignorat.

Quod autem dicitur, quod sententia excommunicationis siue iusta, siue iniusta, semper est timenda: verum est, quia sicut iusta timenda est promerenti, ita iniusta ferenti, vel promouenti. Sex enim modis sententia excómunicationis vim suam perdit, & plus nocet ferenti, quam patienti.

Casus in quibus excommunicatio non ligat.

Si profertur à quo non debet, vt à non iudice vel excommunicato. In quem non debet, in non subditum, vel innocentem. Quando nó debet. ante cognitionem causæ, vel post legitimam appellationem. Vbi non debet, non in loco iudicij, vel non decenti. Quare non debet, pro bono opere, & non pro peccato; & sine ratione iusta. Qualiter non debet, iuris ordine non seruato. Ista & alia plura non prosequor vlterius, relinquens ea à viris peritis quæréda. Qui in eum, qui peccauit, sed iam pœnitet fert excommunicationis, pro eodem peccato senténtiam, punit non reum, quem Deus iam à reatu peccati absoluit, & restituit innocentiæ pœnitendo, vnde debet sententiam retractare, & aliam ei satisfactionem imponere pro peccato. Nam scriptum est: Quomodo maledicam, qué Deus non maledixit? &c. Melius tamé omnes aduersantes nobis vincimus humilitate & patientia, quam rebellando & allegando: quia rebellando scandalizamus alios de ipsa sciétia & vsurpatione potestatis quasi nostræ, patiendo autem ostendimus nos quærere non quæ nostra sunt, sed quæ salutis sunt aliorum, quosdam docendo, quosdam patiendo cupimus ædificare, & Deo lucrari, & sic Deus pro quo patimur, & alij patientiam nostram videntes pugnabunt pro nobis.

Num. 23.

Vt autem planius videatur, quam pauci sunt iam in istis partibus inter Plebanos, vel eorum vicarios, qui liberam habeant ligandi & soluendi potestatem, vel qui bene expediant animas in confessione, ac per hoc perpendatur quam necessarij sint fratres nostri. vt vicem eorum suppleant, & animabus pereuntibus subueniant, ex his consideretur. Omnis suspensus ab officio, vel irregularis, vel excommunicatus, vel male intrans ad regimen animarum, non habet potestatem ligandi aut soluendi, vel alia, quæ iurisdictionis sunt, à quibus est ab Ecclesia prohibitus, exercendi. vnde quod ligat vel soluit, vel facit in huiusmodi, nihil valet. Vide ergo plurimos nobilium & potentium, qui deberent beneficia ecclesiastica peragere, per bella, & alios excessus frequenter incurrere excómunicationis sententiam, à iure, vel à iudice latam vel aliter demereri ius conferédi ista beneficia, quia vel indignis conferunt, vel interueniente simonia, quocunque modo per ipsos vel mediatores, & si qua tunc vel taliter conferunt beneficia, vel iuris percipientes ea consequútur, cum ille conferens ius non habeat conferendi. Videmus Episcopos similiter per bella, vel alios excessus sæpe incidere excommunicationis sententiam, vel suspensionis, vel à domino Papa suspendi, seu excommunicari. Itē quod aliqui vel per simoniam promouentur, vel conferunt curam animarũ: Similiter alij aliqui prælati promouentur. & promouent alios per simoniæ interuentum, & omnes beneficiorum collationes per tales vel taliter factæ nihil iuris conferunt recipienti. Videmus pastores locare ecclesias suas vicariis sui: sub certa pensione census, & vnus sæpe supplantat alium promittédo maiorem pésionem pastori, vt sibi Ecclesia conferatur. & hoc sæpe incaute geritur, & cum periculo simoniæ. Videmus plurimos

timos curam animarum suscipere contra statuta Canonum, vt non clericos, & ante ætatem debitam, vel illegitime natos, vel aliqua excommunicatione vel irregularitate ligatos, & inhabiles ad recipiẽdum tale beneficium. Item quod multi habent plura beneficia curam animarum habentia, qui habent aliqua obstacula, propter quæ iura prohibent aliquem eligi vel institui, vt est pluralitas beneficiorum, & similia. Nam si aliqui habent dispensationem Apostolicam, quod de prouentibus ecclesiasticis possint recipere vsque ad certam summam redituum annuorum, hoc nõ est accipiendum summum Pontificem intendere, quod concedat alicui simpliciter tot animarum curas colligere, quod de illarum prouentibus famẽ suæ cupiditatis possit vtcumque mitigare, & animas illas sine pastore relinquere destitutas, sed de alijs Ecclesiarum prouentibus potius accipiendum est, vt præbendarum & aliorũ beneficiorum curam non habentium animarum, sicut meliores & peritiores exponunt. Videmus quod iudices causarum, sæpe mandant Plebanis sub pœna suspensionis vel excommunicationis iam latę aliquas denuntiare sententias vel exequi, quas negligunt & pœnam incurrunt. Videmus quod multi recipiunt ordines contra Episcoporum prohibitionem, sub pœna suspensionis promulgatam. Videmus quod scholares sæpe manus iniiciunt in acolytos per iram, & incidunt in Canonem, nec petunt absolutionem, & sic promouentur ad ordines, vel beneficia ecclesiastica, & sollemniter officiãt ecclesias, & exequuntur ordines clericales. Videmus quod in clero plurimi sunt notorij fornicatores, in domo sua vel alia concubinas habentes, vel hincinde cum pluribus notorie fornicantes. Notorius autem fornicator dicitur, cuius crimen nulla valet tergiuersatione celari, vel cuius testis est populus, qui constat ex decem hominibus secundum quosdam. Omnis autem notorius fornicator, est ipso iure suspensus, quo ad se, & quo ad alios. Contra aliquos etiam à suis Episcopis, vel prælatis domini Papæ aliquoties fertur sententia excommunicationis. • Regulare etiam est, quod suspensus à iure, vel à Iudice, vel excommunicatus, si recipit ordinem sacrum, vel ministrat in eo sollemniter, est iam irregularis factus, à quo non potest absolui, nisi per sedem Apostolicam, vel de eius speciali mandato. Quidam tamen volunt, quod si fuit suspensus à iure non à iudice, quod tunc potest secum suus Episcopus dispensare, quia mitius agit Canon quam homo. Videmus quod sæpe iudices ecclesiastici ferunt excommunicationis sententias, contra formam Decretalis illius Innocentij Papæ IIII. Cum sit medicinalis. Vbi dicitur, debent congruas pręmittere admonitiones prius quam aliquem excommunicent, & sententias ferre in scripto, & causam conscribere, & illa contra quem fertur sententia copiam scripti illius date infra certum terminum. & qui aliter fert in aliquem excommunicationis sententiã præter alias pœnas, est ipso facto suspensus ab ingressu Ecclesiæ per mensem, ita quod si infra mensem ingerat se diuinis, iam fit irregularis, quod non potest cum ipso super hoc nisi per sedem Apostolicam dispensari.

Sunt adhuc plurima impedimenta clericorum, quæ præ nimietate non prosequor, sed ex his paucis aduerti potest, quam multi sunt Plebani in istis partibus, vel tales, vel à talibus, vel taliter promoti, seu instituti, qui nihil potestatis in ligando animas habent aut soluendo, vt cognoscatur quam necessarij sunt fratres in Ecclesia Dei, qui vicem illorum suppleant, & animabus subueniant, quæ taliter possent perire. Quibus & si nulla alia suppeteret auctoritas, collata specialiter à sede Apostolica, vel Episcopis, ipsa insufficientia cleri & indigentia populi latam eis aperit audiendi confessiones populi facultatem, cum illi, qui debent, aut nesciant, aut negligant, aut nequeant eos, qui sibi cõmissi sunt, congrue, vt in pluribus à salutis suæ necessariis expedire. Cum è tribus vnum sit necessarium: quod aut pœnitentes confiteantur illis, qui sunt à iure prohibiti vel suspensi: aut nobis, quos Ecclesia ad hoc misit, vel clero sumus in adiutorio, vbi ipsi minus sufficiunt: aut nulli. Nam laicis confiteri non licet, cum possunt haberi catholici sacerdotes. Quod enim dicitur, quod in extremis debeat homo laico confiteri, si sacerdotem non habeat, non est de necessitate, cum laicus non habeat auctoritatem aliquam absoluendi sed est signum tantum contritionis, quo perpenditur, quod sacerdotẽ desiderauerit, qui laico est confessus. Item cum dicat Canon quod qui habens vnum beneficium, cui sit cura animarum annexa, recipit aliud, quod primum ipso iure iam vacet, & ad quem pertinet eiusdem beneficij collatio, nisi illud infra sex menses conferat alteri idoneo, quod collatio iam deuoluatur ad alium, & nos iam videamus plurimos plura huiusmodi contra Canones tenere beneficia, liquet quantæ iam Ecclesiæ sint vacantes, & carentes vero pastore, cum & ipsi, qui iam tenent eas, non habeant ius in eis, nec ipsorum vicarij, & quibus postmodum conferuntur ab illis, qui iam ius conferendi propter præfatam negligentiam amiserunt, nihil iuris percipiunt, cum non habeant ius illa beneficia iam conferendi. Item cum animarum cura debet ab Episcopo committi, vel sicut in quibusdam ecclesiis consueuit ab Archidiaconis, vt sciant quales sint quibus animas gubernandas committunt, & illi, qui iam videntur pastores in pluribus terris per se, constituunt pro se vicarios in ecclesijs, qui nec ab Episcopo vel aliis auctoritate ipsius curam recipiunt animarum, tales patet vicarios ius non habere. Nam cum in cura animarum sit requirenda pastoris idoneitas, non debet hanc curam per alium gerere, nisi pro causa rationali, & de licentia speciali; cum ipse de animabus sibi commissis sit rationem Deo in iudicio redditurus. Item cum Dominus C. Portuensis Episcopus Cardinalis quondam Legatus Theutoniæ, generalem tulerit sententiam suspensionis ab officio & beneficio contra clericos sollicitantes moniales cuiuscunque habitus, & excommunicationis contra omnes carnaliter eas cognoscentes, & Dominus Papa Gregorius IX illam confirmauerit, & paucis auctoritatem absoluendi tales concesserit, timendum est multos huiusmodi sententiis ligari, qui nec cogitant super se absolutionis vel dispensationis gratia indigere, & tamen sic ministrant, & tenent curam animarum, & percipiunt beneficia ecclesiastica sic ligati. Item Archiepiscopi in suis conciliis, & Episcopi in synodis sæpe ferunt sententias contra diuersos excessus, à quibus sunt, plures clerici non immunes.

Forma petendi ab Episcopo facultatem audiendi confessiones.

Forma ergo petendi auctoritatem ab Episcopis audiendi confessiones generaliter ista potest esse, vel alia æquipollẽs, Domine vos estis Pastor ouium Christi in hac diœcesi, & vobis incumbit prouidere animabus commissis vestræ sollicitudini, ne in aliquo negligãtur. Cum igitur propter multitudinem plebium, & incrementa peccatorum & perplexitatem casuum, Plebani non possint ad plenum omnibus expediendis sufficere, placeat vobis, vt fratres qui habent inter nos confessionis officium, auctoritate vestra sint adiutores eorum, & subueniant in quibus possunt eorum insufficientiæ populi, & aliorum requirentium in confessionibus audiendis, saluo iure ipsorum, vel quorumlibet Prælatorum, cum specialiter ad hos ordo noster sit à sede Apostolica destinatus. Si vero dignamini nobis aliquid potestatis præter communem cursum de aliquibus maioribus ad vos specialiter spectantibus superaddendo committere, propter illos maxime quibus non facilis ad vos patet frequenter accessus, vel quibus propter alia negotia personaliter intendere non valetis, speramus Deo esse placitum, & proficuum animabus. Insuper erit vestri oneris subleuamen, hoc videlicet, & hoc expressis articulis, in scripto, & si potest fieri sub eiusdem Episcopi sigillo omnia, quæ concesserit, reseruentur.

..*

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS
Opusculum,
QVOD INSCRIBITVR
LIBELLVS APOLOGEticus in eos, qui ordini fratrum Minorum aduersantur.

Obiectionibus & quæstionibus varijs eorum, qui fratrum Minorum ordini detrahere nitebantur respondet Auctor in hoc Opusculo: in quo & calumnias aduersariorum detegit, & obloquentium ora obstruit doctrina sua mirabili. Hic autem repetit multa, & vberius pertractat, quæ in tribus proxime præcedentibus Opusculis proposuerat: suntque vtilia ijs præsertim, qui regimini animarum præsunt.

Quæstio aduersariorum prima.

PRÆTER hoc quod surripitis clericis eleemosynas, quæ ipsis darentur, si vos non essetis, conqueruntur, quod detrahatis eis in populo, & confundatis eos in prædicationibus vestris, vitia eorum propalando. Insuper, quod suadeatis hominibus, ne confiteantur eis, & ne dent eis oblationes, & alia quæ deberent, cum ipsi sunt potius quam vos, qui pro animabus eorum sunt rationem Domino reddituri.

Responsio.

Respondeo ad ista per ordinem: Omnia quæ ipsis iure debentur in oblationibus, decimis, & alijs, vel de approbata eis consuetudine dari solent à populo, non potius suademus eis dari, quam impediamus, immo hortamur populum eis ista non subtrahere, nec in alios pios vsus erogare, & ius suum cuique tribuere, etiam peccatori. Si autem quandoque quærunt consilium, vbi secundum Deum melius sit dare eleemosynam, ad quam non tenentur ex debito: dicimus libere, quod ibi sit melius, vbi vt maior est indigentia, vel maior Deo honor exhibetur, & ipsis dantibus, exinde efficaciora orationum suffragia prouenire creduntur, vel quo ipsorum deuotio ad benefaciendum pro Deo feruentius inclinatur. Quod autem Plebanis suis confiteantur, vt debent suademus etiam his, qui nobis confessi fuerint, vt agnoscãt eorum conscientias, quos regere debent, vt sciant, quibus exhibere, vel negare debeant Ecclesiastica sacramenta, nisi forte tales sint aliqui, à quibus prohibeant canones sacramenta requiri, vt suspensi ab officio, vel irregulares, vel ius ligandi, & soluendi non habentes, vel per quos animæ magis irretiuntur peccati laqueis, quam purgentur, de quibus non est nunc vlterius prosequendum.

Quod autem detrahamus eis, & confundamus eos in populo, non oportet, quod nobis hoc imponat singulariter, cum ipsi non abscondant scelera sua. Sed per facti euidentiam omnibus ea propalent, & nobis etiam tacẽtibus: omnibus ingerant inde materiam detrahendi. Vtinam nos soli ea sciremus. Vtinam ita essent occulta eorum peccata, quod nobis ea prodere volẽtibus, non crederetur, & mendacij, & detractionis à populo argueremur. Nunc autem tanti, & tam aperti sunt multorum excessus, quod laici arguunt nos, cum aliorum vitia in prædicatione tangamus, quare tam enormia, & aperta, & multa, & magis nociua clericorum scelera non reprehẽdamus, cum non debet esse personarum acceptio apud veritatis doctorem, nec pro timore, vel fauore debeat apertam veritatẽ tacere, & hoc grauius redarguere, quod est nociuius, & quo Deus magis offenditur in quocunq;. Inde est, quod propter hoc cogimur interdum, aliquid de clericorum excessibus tangere, ne putemur ex timore tacere, vel ex priuato fauore, quasi cum ipsis contra laicos pariter conspirauerimus, & vt laici æquanimius ferant, si eos corripimus, videntes, quod nec clericis parcimus, & maxime vt veritas Euangelij seruetur, qua omniũ peccata detestatur, ne aliter putarẽt simplices, quod peccata non essent Deo odibilia, quæ non audirent in clericis reprehendi, & stultæ mulierculę putarent, non esse illicitum, cum ipsis peccare, sicut aliquibus earum notum est, ab eis, fuisse persuasum.

Quod autem non nitamur eos in prædicatione confundere, nec populos eis odibiles reddere, potest ex hoc patenter agnosci, quod multos eorũ defectus scimus, & dissimulamus, nec populo propalamus expresse, parcentes eisdẽ. Cum & si non in omnibus, tamen in pluribus eorum plures reperiantur, per quos fierent despectui populo, si vellemus eos publice prædicare, & hoc caute tacemus, his de causis: Vna propter pacem & reuerentiam cleri, ne laicos contra clericos prouocemus ad discordiã, cum pro pace cleri, & etiã ædificatione populi, à Deo & à Sede Apostolica specialiter missi simus. Secũda, quod nõ possemus tamen per hoc emendare eos, nec haberemus alios meliores, qui eis mox substituerentur, si isti omnes qui sunt reprehensibiles abijcerentur, & est minus malũ aliquo modo habere istos quam nullos, maxime cum Episcopi, & prælati non intenderent substituere meliores. Tertia quod deferimus in hoc bonis, qui sunt inter eos, & si pauci sint qui cum ceteris confunderentur, cum rudis populus sine discretione bonos & malos persequi inciperet, & odire. Quarta, & quasi præcipua, ne si populus perderet omnino fidem in clericis, hæretici insurgerent, & attraherent sibi populum, quasi oues destitutas pastoribus, & facerent eos hæreticos, gloriantes quod nostro quasi testimonio, tam viles essent clerici, quod nullus eis obedire deberet, nec doctrinã eorum curare. Omnis enim hęreticorum intentio ad hoc tẽdit, quod spreto clero eis credatur, & ad hoc non conuenit nos ipsorum esse cooperatores, quin potius debemus contra eos, quasi lupos rapaces clero, & Ecclesiæ esse propugnatores, contra eorum versutias populum præmuniendo, errores ipsorũ veritatis testimonijs ex Scripturis authenticis confutando. Quinta, quod lucra animarum quę quęrimus, melius promouemus cum beneuolentia cleri, & assensu, quos si indiscrete agendo exacerbaremus, cum nõ possemus cõtra eos communiter præualere, prohiberent nos animabus prodesse prædicando, & confessiones audiendo. Et sic salus multarum animarum impediretur, & fieret quasi scissio in Ecclesia, dum clerici nos quasi reprobos persequi inciperent, & laici aut nobis, aut ipsis fauentes, alteros despicerent, & eis credere recusarent. Et cum non possemus eos qui nobis fauerunt defendere à clero, quin eos nobiscum persequerentur, & excommunicarent, tãdem omnes nos desererent, & ex odio nostri doctrinam nostram clerici infamarent, & sic hęreticis qui modo nos timẽt, aditus ad subuersionẽ fideliũ sine contradictione pateret: sicut lupis vbi canes nõ metuũt, & pastores sunt desides, datur audacia oues inuadendi. Nisi enim essent isti ordines in Ecclesia, qui ex officio prædicationis fideles illuminant, cito plurimi efficerentur hæretici in his terris, vbi tam pauci inueniuntur clerici in sacra Scriptura periti, cum nescirent hæreticorum versutiis obuiare. Immo ipsi clerici cito ab hæreticis subuerterẽtur per callidas expositiones Scripturæ, in quibus nescirent eorum deprehendere fallacias, vel per promissiones seducerent eos, spondentes quod magni fierent inter ipsos. Et cum laicos attraherent clerici, etiam potius adhærent eis, quã soli relicti perirent inopia, cum nullus curaret eos, nec daret eis oblationes vel decimas: aut certe persecutionibus eorum exterminarentur, cum iam haberent laicos adiutores contra clerum, sicut modo clerici hæreticos persequuntur.

His ergo de causis, & alijs, vt multa mala vitentur, vtilius iudicamus tacere quædam mala clericorum, quam popu-

Peruersa hæreticorũ omnium intentio.

populo prodere, vbi sine scandalo possumus euitare, vt sunt ista. Quandocunq; habet plures ecclesias curam animarum habentes, sine dispensatione Apostolica, omnes vacant ipso iure præter vltimam, & nullum ius habet in aliis ligandi, vel soluẽdi, nec eius vicarius, nec aliquos inde reditus percipiendi. Item illegitime natus nullum ius habet in beneficio curam animarum habente. Item qui recipit ecclesiã per quamcumq; simoniam. Item qui recipit ecclesiam ab eo, qui non habet verum ius conferendi eam. Omnis notorius fornicator, cuius criminis testis est populus, iure taxatus, siue in domo sua teneat fornicariam, siue extra, vel vnam habeat vel plures, est ipso iure suspẽsus ab officio, ita quod subditi non debent eius Missam audire, nec confiteri ei, nec alia ab eo sacramenta recipere, nec potest eos excommunicare, nec absoluere. Item si suspensus celebrat, & officiat ecclesiam, vel quacumque excommunicatione ligatus, seu recipit ordinem clericalem, aut in eo sollemniter ministrauit, factus est irregularis, & non potest exercere officium clericale, etiam si iam fornicari cessauit, vel ab excommunicatione solutus fuerit, nisi cum eo super irregularitate contracta per Sedem Apostolicam dispensetur, maxime si à iudice suspensionis sententia fuit lata. Huiusmodi autem sententiæ iam sæpe feruntur in clericos, & ab officialibus, & archidiaconis, & iudicibus ordinariis, vel delegatis, & parum curantur à multis. Videmus in terris istis tot esse imperitos iam clericos, in his quæ ad regimen pertinent animarum, licet forte in grammatica, vel alia scientia sint instructi, quod vbi centum, vel plures Plebani, & Vicarij conueniunt, vix pauci sint, qui vere sciant animas suas, vel alia, quæ ad salutem sunt necessaria, in his per Scripturarum scientiam expedire. Et talibus imperitis non deberent eorum subditi confiteri propter periculum, ne forte ex ignorantia relinquant eos in statu damnationis, docendo non esse peccatum, quod est mortale peccatum, aut non ostendendo formam debitam satisfactionis de peccato confesso, vbi certa forma satisfactionis est necessaria, vt de restitutionibus rerum illicite acquisitarum, certis locis vel personis, vel hæredibus faciẽdis, vbi multi seducuntur. Scimus etiam, quod qui scienter in mortali peccato positus celebrat Missam, qualibet vice mortaliter & grauiter peccat, & quantum in ipso est, rursum Christum crucifigit, quem & pro denariis, quos sibi sperat offerri, & illicite, & indigne cõtrectat. Qui ergo offert ei quem talẽ esse præsumit vel scit, & rogat eũ Missam celebrare, facit eũ Christo tantã inferre contumeliã, vt eũ indigne contrectet, & peccat mortaliter. Sed q facit aliquẽ peccare mortaliter, ipse peccat, vbi ignorantia nõ excusat, & secundum ista si nullus offerret vel audiret Missas eorum, qui illicite celebrant, cessarent à celebratione, vel corrigerent vitã suam, & sic multa peccata omitterẽtur. Multi etiam inordinate excommunicantes incidunt in pœnam suspensionis, & irregularitatis, & per alios actus plures inobedientiæ merentur suspendi ab officio, & inefficax fit eorum auctoritas in subditos suos. Scimus etiam, quod qui est in peccato mortali, cum sibi Deus iratus sit, non placat eum pro alio peccatore. Ergo oratio clerici in peccato positi, inefficax est sibi, & aliis qui offerunt ei eleemosynas, vt oret pro illis. Item clericus lubricus vanus, & male expendens res Ecclesiæ, quo plura habuerit, plus peccat. Sed qui illi dant oblationes, & alia, promouent eum ad amplius peccandum, expedit ergo ei non dari. Item qui recipit pretium operis alicuius, & non deseruit, male recipit, sed clericus habens curam animarum, & non faciens quæ debet eisdem in doctrina salutis, & bono exemplo, & efficaci oratione, & debita correctione, & in aliis, peccat recipiendo stipendia Ecclesiastica, quæ non deseruit vt debet. Ergo non debet ei dari, ne daretur occasio peccati. Quam paucissimi autem in terris istis iam reperiantur, qui debito modo præstat animabus commissis, nimis est miserabile, qui aut ex defectu iuris, aut scientiæ, aut vitæ, aut diligentiæ circa eas, aut liberæ executionis officij sui nihil habeant reprehensibile, & quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Ecclesia per mala exempla clericorum & auaritiam corrumpatur, & negligentiam deformetur, & à statu debito elongetur, & quanta ex hoc quotidie peccata increscant, & quot bona negligantur per mundum, vix aliquis sufficit æstimare. Hæc & plura alia cum vera esse scimus, & tamen ea populo non aperte prædicemus, non debemus à clero iudicari, quod confusioni eorum intẽdamus, & eos populo studeamus odibiles facere, sed magis si haberent intelligentiam, agnoscerent, quantum eos honoramus, & deferimus talia subticendo, propter causas supra notatas. Ideo tamen securius ista dissimulamus, quod nec clericorum, nec laicorum cura nobis ita commissa est, vt de ipsis teneamur reddere rationem sicuti prælati ipsorum, ad quos spectat eorum correctio, nisi inquantũ ex libera charitate consideremus eis prodesse. Vnde possumus tacere & loqui, quæ secundum Deum & nobis, & aliis expedire videmus, cũ nihil à nobis amplius requiramus. Vitia autem laicorum liberius arguimus, quia & patientius sustinent, & nesciũt litteras, quibus instruantur, quid debeant cauere vel facere, & minus periculum sequitur, si eorum in publico propalentur excessus, & facilius emendentur. Clericis autem possumus in Capitulis suis, omnia pericula sua in sermonibus litteralibus seorsim ostendere, cum reuerentia charitatis, & maturitate benigna, & sic magis proficimus apud eos.

Quæstio secunda.

CVm ergo non sitis iudices clericorum, vel laicorum, nec ad vos spectet eos redarguere vel corrigere, sed ad suos tantum rectores; quid vsurpatis vobis iuris, etiam si causæ prædictæ non essent, vt alicuius vitia publice reprehendatis, sicut sæpe tangitis in prædicatione vitia quorumlibet laicorum, clericorum, & religiosorum, cum prædicator non deberet arguendo descendere ad species peccatorum, sed in genere solum ostendere vitia & virtutes, & nullum notabiliter confundere coram populo, peccata sua publice obiurgando, aliis in scandalum?

Responsio.

Intelligentibus constat, quod multũ differunt actio Iudicis, & Doctoris. Iudex enim ad quem spectat correctio delinquentium subditorum, debet inuestigare, excessus delinquentium audire, testes recipere, peccantem citare, crimina contra ipsum proposita ei obiicere, negantem conuincere, conuictum vel confessum punire, contumacem amplius, vt magis terreatur, arctare, & cogere ad satisfactionem, etiam inuitum. Cum ergo formam istam omnino non teneamus in prædicando, non vsurpamus nobis iudicis officium iudicantis super aliquem, sed imitemur tantum formam Doctoris. Doctor enim seu prædicator, qui diuersi generis auditores debet instruere, vt virtutes magis reddat commendabiles necessarias ad salutem, vitia his opposita quam sint nociua, & detestabilia ostendit. Et quibusdã generibus hominum quædã vitia sunt magis vsitata, vt mercatoribus fraus & mendacia, militibus rapina & incẽdia, & ita de aliis necesse est, quod propter generalẽ instructionẽ quodlibet genus hominũ specialiter arguat, & moneat sibi specialius insidiantia vitia cauere, sicut medicus ægros diuersis infirmitatibus laborãtes, docet à sibi magis noxiis cibis & aliis abstinere. Nihil enim prodesset infirmis si diceret, cauete ab omnib⁹ cibis nociuis generaliter, nisi specificaret in qualibet passione qd illi specialius noxiũ esset, aut proficuum sanitati. Quod aũt dicitur, q prædicator debeat in genere omnes arguere peccantes, & nõ descendere ad species, hoc est intelligendũ de notabili specificatione personarum, nõ vitiorum vel statuum, vel officiorũ, quæ nõ possunt proprie describi, sine expressione officij vel status illorum, qui in hoc specialiter offendere consueuerunt. Potest n. sic congrue

Iudicis officia.

Munus Doctoris, seu prædicatoris.

genera-

generaliter dici, vos artifices peccatis frequenter in hoc, & vos milites in hoc, & vos religiosi in isto, vos clerici in illo, & sic de aliis, si sunt ibi plures de quolibet genere illorum ad quos loquitur, siue nullus, vt quisque sibi conscius talis peccati compungatur, & in se confundatur, & nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quem facti euidentia alias non facit notabilem, vel qui seipsum non prodit esse reum, sibi ascribendo specialiter cum murmure, quod generaliter dictum constat, iuxta illud Poetæ:

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Correctioni enim & ædificationi tantum debet intendere doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicuius præsentis vel absentis. Vbicumq; ergo præsumitur, quod aliquis specialiter de peccato prius incognito aliis ex prædicatione reddatur notabilis, vnde potest oriri grauamẽ, vel scandalum, melius est tacere, & alia ædificatoria magis loqui. Qui vero facere consueuit contrariũ, aut contentiosum, aut inuidum, aut imprudẽtem se demonstrat, aut vanæ glorię cupidum, qui non aliunde esset acceptus apud hominem, ex aliorum infamia gloriam sibi quærit. Quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & rancoris aculeo vulneras.

Quæstio tertia.

CVm in prædicatione, & confessione audienda, multa sit discretio necessaria, & peritia Scripturarum, quare ad hæc officia tam iuuenes, vt videtur, & immaturos promouetis, qui & sibi, & aliis aliquando minus prosunt, & fortasse etiã obsunt, cum in clericis aliis hoc reprehendere soleatis animarum rectoribus?

Responsio.

Licet enim aliquando quod iunior litteratior sit, & magis discretus sit quam senior, & facies iuuenilis sępius maiorem celet ætatem, & morum maturitas ætatis defectum suppleat; in plerisque tamen etiam propter hoc aliquoties ad hæc officia promouemus iuniores, vt interim discant per exercitium, quia cum vident se ad hæc officia assumptos, diligentius student, qui alias forte segniores essent in studendo, & minus proficerent. Minus etiam obest, si minus adhuc perfecti sunt promoti, dum viuunt adhuc segniores, qui eos possunt informare, & corrigere, & defectus illorum in consiliis supplere, quam si illi deficerent penitus, & nemo eos tunc sciret instruere, si tunc primo exercitari deberent. Tot etiam sunt requirentes à nobis prædicationes & confessiones, & consilia, quod seniores non sufficiunt omnibus satisfacere. Ideo oportet nos de iunioribus aliquos qui sperantur idonei promouere, qui onus seniorum subleuent, & petentibus satisfaciant, prout sciunt. Quamuis nullum scienter promoueamus, quem non speremus idoneum. Tamen aliquando aliquis præter voluntatem nostram, minus efficitur vtilis, quia multa sunt, quæ ad idoneitatem tanti officij requiruntur, & satis est difficile, hæc omnia simul in omnibus reperiri.

Quæstio quarta.

QVæ sunt ergo necessaria illi, qui ad prædicationis, & confessionis officium est assumendus?

Responsio.

Qualis debeat esse promouendus.

Vt ad hoc sit idoneus, prẹter habilitatem illam quam confert gratia, quæ etiam est efficacior omnibus, quæ non in nostra potestate consistunt, sed in beneplacito Dei, singulis prout vult dona sua diuidens, ista considerare in promouendis solemus ad hæc officia. Primo, quod sit competentis ætatis, non multum à tricesimo distans anno, quia quæ fiunt à pueris, puerilia reputantur. Secundo, quod non sit etiam facie, & moribus puerilis, quia ista multum minuunt auctoritatem apud homines, tam dictorum, quã factorum. Tertio, quod non sit valde notabiliter deformis in corpore, videlicet nimis breuis, vel crassus, vel gibbosus, vel aliter turpiter deformatus, ne per hoc eius prædicatio despectui, & risui haberetur. Quarto, quod non sit etiam valde debilis corpore, cum ex hoc labores huius officij exequi viriliter nõ valeret. Quinto, quod sit competentis facundiæ, vt possit ea quæ debet, proponere sine fastidio auditorum. Sexto, quod sit saltem in grammatica, & sacra Scriptura, tam sufficienter instructus, quod sine errore, vel confusione sciat corã populo & clero proponere veritatem; & in consiliis competẽter satisfacere requirentibus de causis necessariis, & in confessione de pœnitentiis iniungendis imponendis. Septimo, quod sit talis in vita & in moribus, quod de ipso, & fratres interius, & alij exterius nihil videant vel audiant, per quod doctrina prædicationis eius apud audientes quoquo modo vilescat. Nam cuius vita despicitur, restat vt eius etiam prædicatio contemnatur. Octauo, quod etiam naturali tantum polleat industria, quod per fatuam simplicitatem non reddat contemptibile, quod per acquisitam scientiã apprehendit, vt sciat se honeste gerere inter homines, & prudenter in omnibus se habere. Nono, quod nõ sit minus ad hoc voluntarius, vt si ad hoc motu proprio non trahitur, saltem propter obedientiæ bonũ proximorum saluti intendere prædicando, consulendo, & confessiones audiendo, & alios ædificando nõ contentiose recuset. Gregorius: Quod mens voluntarie non recipit, congrue non disponit. Sic multi Sanctorum officium quo prodesse debebant proximis, humiliter refugiebant, & tamen ad hoc tracti per obedientiam, sollicite adimplebant, vt Moyses, Hieremias, & alij plures noui & veteris testamenti Doctores. His donis ornato, si gratia affuerit, potest & debet imponi officium prædicationis, & confessionis, in ordine vbi fuerit necessariũ. Qui vero alios non idoneos pro priuata societate promouent, ordini confusionẽ, & animabus nocumentum, & ipsis promotis detrimentum, & sibimet culpã non paruam procurant, cum negligentiæ inutilium & imperitorum tam in consiliis incautis, quam in absolutionibus inefficacibus, & in aliis nocumẽtis animarum ab eis, qui tales promouent, merito requiratur. Tales enim in multis sæpe possunt offendere vel scandalizare, dum nõ dicenda populo prædicant, vel falsa docendo errorẽ inducunt, vel aliter forte minus composite se habẽdo. Item in confessione forte nesciunt confitẽtes debito modo instruere, nec inter peccata grauia & leuia distinguere, & aut faciũt ex nimio rigore desperare, aut cum adhuc in statu damnationis sunt, dant eis spem de saluatione, & indulgent eis corpus Domini recipere. Et maxime circa rerũ iniustarum acquisitionẽ, vel restitutionem multi seducuntur, dum non informantur, quæ sit iniusta conquisitio, vel qualiter pure restituant, quibus debent. Ex moribus etiam quorundã, & vita prædicantiũ, vilescit sæpe doctrina verborum, dum alta docent verbo prędicationis, sed minus ædificatoria ostendunt exemplo actionis. Vnde vt diligẽti examinatione indiget, qui debet esse Doctor in medicina corporum, ita multa consideratione opus est, si sit idoneus qui debet esse Doctor & medicus animarum, cum sint subtiliores & periculosiores & incurabiliores morbi peccatorum, quã passiones corporalium infirmitatum. Illi vero, qui se ad hæc officia impudenter ingerunt, indignãtes si ad ea tardius promouẽtur, quam sint imprudentes perpendere nolunt aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt & reddunt indignos. Nã si digni fuerint & idonei, nõ debent se ad hoc ingerere, sed modeste expectare, quousq; per inspirationẽ Dei, à prælatis suis & fratribus ad hoc suo tempore assumantur. Si autẽ indigni vel nondum idonei, tunc si se ingerunt, primo quidẽ temerarij sunt, quod antequam vocentur ad tantum officium currere præsumunt, vnde Hieremias: Ipsi currebant, cum ego nõ mitterem eos, scilicet prædicare. Et Paulus: Quomodo prædicabunt, nisi mittatur? Idem alibi: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquã Aaron, &c. & Christus dicit in Ioanne: Neq; enim à meipso veni, sed ille me misit, scilicet Pa-

Greg. homil. 3. in Ezech. an. med. in fin.

Hier. 23. e Tom. 10. c Heb. 5. a Ioan. 7. d

Num. 16. per totū.

cet Pater. Secundo superbi; quia seipsos reputant dignos & idoneos, ad quod forte nec Deus, nec fratres, vel Prælati sui iudicant eos idoneos, sicut Chore, qui voluit sibi sacerdotium vendicare. Tertio stulti, quia cum talia officia sunt occasio tentationis per inanem gloriam auaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, & internæ deuotionis extinctionem, & alia plura pericula, quod ipsimet se talibus incaute ingerunt, minis stulte se tantis periculis sine necessitate exponunt, cū fugere magis deberent à periculo, quam illud appetere nescientes, quo exitu bellū, quod sibi concitant, finiatur. Quarto, non carent rancore inuidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promouere possunt & non faciunt, vel qui forte impediuerunt, imputantes illorum maleuolentiæ, magis quam suæ insufficientiæ, quod non promouentur, cum ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quā illi, quos vident iam promotos esse, quibus in scientia, & aliis se reputant aptiores.

Quæstio quinta.

CVm prudentum si non leuiter retractare quæ faciunt, sed ante diligenter deliberare facienda, ne postea oporteat reuocare, & vos toties mutetis Prælatos ordinis, videmini aut inconsiderate constituere inutiles ad tantum officium, aut sine ratione vtiles deiicere, & quod est signum incōstantiæ & impatientiæ, quod non possitis pati rectores idoneos, quos iniuriose abiicitis, aut quod in officio ita peruersi fiant, quo merito nō debeant in eo diutius tolerari, aut quod tam paucos habeatis in ordine pro officio regimini idoneos, quod semper quæritis meliores.

Responsio.

In officio regiminis quæ sint spectanda.

Sicut supra de officiis & confessionibus dictū est, plures conditiones ad hæc forte necessarias, ita de officio regiminis animarum est tenendum. Requiritur enim in Prælato ætatis maturitas, honesta admodum personalitas, vitæ irreprehensibilitas. Quarto, quod nō sit idiota in literarum scientia. Quinto, quod sit discretus & prouidus ex naturali industria. Sexto, quod sit zelator iustitiæ & ordinis disciplina. Septimo, quod sit tractabilis per mansuetudinis lenitatem. Octauo, quod sit compassiuus pietate fraterna. Nono, quod sit deuotus habens orationis vsum, & fiducialiter agens cum Deo. Decimo, ex gustu internæ dulcedinis eius, & experimento crebro exauditionis, qui semper in officio esse se doleat, & tamen cum ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec propter hoc vt citius absoluatur ab officio, negligentius in eo se gerat. Vndecimo, quod corporis imbecillitate à communis vitæ obseruantia non omnino impediatur. Istæ conditiones simul omnes in paucis reperiūtur, ideo paucos stabiles in officio possumus habere Prælatos, dum aut minus sunt corpore debiles, pro talibus laboribus & sollicitudinibus sufferendis, aut nimis inuoluntarij pro timore conscientiæ, dum semper timent minus quam debeant facere, aut in exterioribus prouisionibus mitti, aut mores eorum in aliquo fratribus displicent, vel minus placent, aut forte in alio loco vel officio vtiliores sunt quidam, propter ista sæpe mutantur Prælati. Bonum est etiā propter hoc, ne fiant aliquando insolentes, si scirent se in dominio permansuros diu, vt sic in humilitate seruentur, & subdit, quibus forte grauis esset illorum alicuius prælatio, de spe facilis absolutionis eius consolentur. Sunt etiam quidam boni subditi, sed inutiles pro Prælatis, ideo deponentur.

Quæstio sexta.

CVr autē toties mutatis fratres aliquos de loco ad locum? Suspectum enim videtur, quasi aliquod crimen ibi commiserint, vnde mutantur, vel quasi ex impatientia sua, vel aliorum non possint ibi manere, vel ex rancore non permittat eum Prælatus ibi stare, vbi diligit & consolatur esse.

Responsio.

Cur fratres de loco ad locum iuste mutetur.

Vix aliquid fit tam pure, quin possit ab aliquo sinistre interpretari, quasi male fiat. Sed bonū non ideo malum est, si illud mali, seu stulti dicunt malū. Sunt autem plures causæ quare fratres de loco ad locum mutantur. Aliquando consolatio eius, qui mutatur, quia sic petiuit. Aliquando consolatio ipsorū ad quos mittitur, quia hoc petiuerunt diligentes eū, pro bona conuersatione vel vtilitate. Aliquando forsitan, quia alibi magis necessarius est, & vtilis pro prædicatione & confessione, vel alio officio domus illius. Aliquando pro maiore spiritus eius quiete, quia ibi minus à parentibus & aliis requirentibus infestatur. Aliquando pro communi recreatione, quia aer vel victualia plus ibi competūt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. Aliquando, quia in vno loco habet aliquis tentationis alicuius materiam, quam non habet in alio. Posset etiam aliquando accidere, quod aliquis deliquisset in vno loco, quod pro sopiendo scandalo, expediret eum mutari in alium locū. Similiter posset aliquis ita esse distortus moribus, vel ex aliqua corporis qualitate onerosus, quod pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, vt alij interim ab eo releuarentur, sicut onus ab vno humero in alium commutatur. Valet etiam ad hoc maxime talis mutatio, vt fratres secundum regulam agnoscāt se peregrinos & aduenas in hoc mundo, non habentes hic manentem ciuitatem, & semper æternam patriam inquirentes. Si enim in vno loco diu stare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum feminis amicitias, corporis commoda procurarent, sumptuosa ædificia construerent, & cum ibi quasi notiores magis viderentur esse necessarij, tanto vellent esse super ceteros potentiores, ita vt nec prælati auderent sine ipsis in domo aliquid ordinare, & veluti quadam diuturnitatis præscriptione stabiliti vix æquo animo ferrent, si vellent eos pro aliqua causa mutare, etiam si omni modo expediret. Vt ergo puritas paupertatis & obedientiæ melius obseruetur in ordine, & mala plurima præcaueantur, expedit fratribus aliquando à loco mutari.

Quæstio septima.

CVm potius deberetis diligere si religiosi & boni apud vos essent vicini, quam sæculares & insolentes laici, quare impeditis aliquando etiam per priuilegium Papale, alios religiosos circa vestram habitationem sibi mansionem construere, nisi quod videtur inuidia esse in causa?

Responsio.

Cur iure cautum est, nemo nasterium iuxta aliud monasterium ędificetur.

Non pro inuidia, sed potius pro pace priuilegium hoc à sede Apostolica datum agnoscitur, & ob eandem causam pacis eo vtimur, cum nō tam nobis quam etiam aliis possit aliter in posterum turbatio & materia scandali suboriri. Si enim aliquando necesse foret eis vel nobis areas nostras ampliare, non possemus, cum alij priores eas iam occupassent. Si autem aliquæ areæ inter nos & illos essent mediæ, cum vtrique eas certatim præoccupare desiderarēt, ex auaritia sua venditores earum vix pro triplicato pretio eas darent. Vel si forte pauperes essent possessores earum, aliquis diues auarus eas præemeret, vt vobis eas postea carissime vēderet, videns nos ipsis necessario indigere. Item forte conueniret eis, vel nobis, officinas nostras propter situm loci aliquando sic ordinare, quod essent aliis pro magno incommodo, & frequenti cordium turbatione, vt si chorus ipsorum poneretur apud locum infirmorum nostrorum, vel aliter quolibet modo, videlicet latrina, coquina, dormitorium, refectorium, capitulum, domus hospitum, quod propter pacem infirmorum cordium, magis expedit nos esse longius segregatos. Posset etiam quandoque diuinum officiū apud alterutros impediri, si oratoria nimis essent contigua, cātu suo mutuo se impedientibus. Idē posset fieri de prædicatione, cū vtrobiq; forte pro causa aliqua prædicare contingeret. Si etiam ali-

iam aliquis quandoque confiteretur apud illos, & placeret ei etiã alicuius apud nos consilium requirere, aut non auderet facere hoc, timens quod prior confessor indignaretur, quasi nõ sufficeret ei pro confessore dum quæreret alium, aut fore putaretur velle explorare, quid ille vel ille consuleret, & inde quærere materiam detrahendi. Si qui etiam magis frequentarent illos, quã istos in officio diuino vel in aliis, viderentur alios minus diligere, & fieret materia murmurandi. Infirmis enim cordibus ex leui occasione plus infirmandi materia ministratur. & ideo necesse est, vt præcaueantur talia, quæ ipsis nocent, & alios scandalizant, ne postea emendari non valeat, quod in principio facilius præcauetur. Vtilis etiam est hominibus ciuitatis, vbi fratres morãtur, quod in diuersis locis à se disiunctis religiosi morentur, quam quod in vno angulo plures manerent, & alia pars inanis remaneat, per quorum vicinitatem possent spiritualiter consolari. Quod si forte tales forent religiosi, qui apud nos habitare vellent, per quos non ædificarentur fideles, sed potius scandalizarentur, tunc omnino expedit, quod non sint nobis vicini, ne forte ipsorum insolentiæ nobis aliquando ascriberentur, aut nesciretur an ad eos, vel ad nos latenter intrarent personæ suspectæ, aut certe ipsorum dissolutio fieret aliquando nouitiis nostris tentationis occasio, vel etiam aliis causa inquietudinis, & impedimentum in studio spirituali. Si autem quidam infirmi aliquando dolerent, cum forte viderent aliis religiosis largiores eleemosynas dari quam sibi, & ex hac inuidia torquerentur de vicinitate illorum, hoc nec probamus, nec omnino negamus, sed non est nostra intentio propter hoc prædicto vti priuilegio, sed potius propter causas ante positas, & si quæ aliæ possunt rationabiles inueniri.

Quæstio octaua.

CVm vnicuique liberum sit, vestem suam formare prout vult, & de panno seu colore quolibet, videmini valde iniuriari quibusdam religiosis viris vel fœminis, prohibendo ne deferant vestes in colore vel forma habitui vestro conformes.

Cur habitum nostrum ab aliis deferri indecẽs sit, nec sustinendum omnino.

Responsio.

Multis de causis habitum nostrum alios ferre non sustinemus, & per priuilegium Apostolicũ omnibus inhibemus. Vna causa, quia cum simus ex professione regulæ mendicantes, si sub nostro habitu diuersi hincinde mendicarent, homines qui iam illis eleemosynã dedissent, & nos vel alij in simili habitu iterũ superuenirent, putarent, quod idem ex auaritia iterum putaret, & scandalizentur de ipsis vel de nobis, quod nimis eos petẽdo grauaremus. Item cum putarent nobis dedisse, quod aliis nobis similibus dederunt, qui inter habitus nescirent discernere, recusarent nobis iterum dare eleemosynam, & sic nihil acquirere possemus & periremus. Item cum multi intelligerent, quod homines magis diligerent nos, & libentius nobis subuenirent quam aliis, sub habitu nostro per terras discurrerent, & quod nobis dandum esset, ipsi præriperent fraudulenter, & peccarent, & nos fraudaremur, & homines grauarentur. Alia causa, quia pro ædificatione Ecclesiæ specialiter missi sumus, si sub nostro habitu alius aliquo peccato scandalizaret homines, vel nos taliter infamaret, vel suam sic nequitiam contegeret, cum reiecto habitu nostro non agnosceretur, sed frater noster ordinis nostri putaretur hoc fecisse, Ecclesia non haberet de nobis ædificationem, sed scandalum, & nos frequentes exinde confusiones pateremur, cum multa similia attentarent, sicut comperimus aliquoties esse factum. Item posset hæreticus aliquis sub nostro habitu in locis opportunis docere hæresim, vt sic ei quasi probato fratri ordinis nostri crederetur, & nos similiter infamaret. Item si forte aliquando ex nostris aliqui in via minus honeste se gererent, tum super hoc corriperentur à nobis, possent se excusare, quod sub nostro habitu alij fecissent, cum de personis esset dubium, quæ fuissent. Ne igitur tantus ordo totaliter confundatur, & tot mala inde proueniãt, expedit vt ordinis nostri habitum nullus alius permittatur deferre. Quid etiam mali sequeretur, si mulieres eum ferre permitterentur, quisq; prudens per se potest perpendere: & ideo est studiosissime prohibendum.

Quæstio nona.

CVm asseratis vos secundum regulam, & professionem vestram, nullos debere recipere prouentus redituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores regulæ vestræ, in eo quod recipitis domos vel areas non contiguas vestris areis, in quibus habitatis. Eodem enim modo si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & mansos, & similia quæque recipere, immo grangias, & villas, & castra, & terras, & oppida, & quæcumq; fuerint vobis data, & sic pristina paupertas, & mendicitas, quam professi estis, paulatim euanesceret, & non eritis discipuli sancti Francisci, cum non sequamini vestigia eius, nec eius regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quid pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit, & in vsus vestros conuertit de voluntate vestra.

Responsio.

Quemadmodum legata possunt à fratribus recipi.

Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, aduerte, & tunc non iudicabis nos (si sane intelligis) transgressores. Protestamur nos secundum regulam nostram, nil debere, seu velle possessionis, vel certorum redituum recipere, vel habere. Quia vero mendici sumus & pauperes, ea quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus prout licet, siue pro soluendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex deuotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, nec recipimus eam, nec per nos, nec per interpositam personam vt nostrã. Sed si ille eam disponit per alium quemcumque, vt ea vendita, de pretio eius prouideatur nobis ex parte sui in his quibus tunc indigemus, procurandis vel soluendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne forte eius talis dispositio per hæredes suos, vel alios in posterum impediatur, & propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicuius iudicis, vel ciuium, vel alterius, & committit sic alicui amico suo eam, vel fratrum, qui conseruat. quod ipse disposuit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare quod volet. Nec domum, nec locum talem dicamus esse nostrum, cum nihil iuris nos ad ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio vel de prouentibus illis, vel illis, daretur fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædij, vel redituum possessores. Nam si me petente eleemosynã, aliquis diues promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum vnam, vel singulis hebdomadibus tot panes, & hoc comittat officialibus suis, vt vice sui ista dent etiam eo absente, & hoc pro fratribus recipiam, vel etiam si illi negligant dare, admonendo exigã, numquid propterea certos reditus habere dicendi sumus, cum non ex iure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam, vel exigam? Et si post obitũ illius, vxor eius, vel alij amici pro anima illius adhuc velint, aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter recipere ex eadẽ gratia, ita quod quandocumq; nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna, quãdiu illi placeret, sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato.

Hæc est

Hæc est vera, & pura vita mendicorum, quod datur ex gratis recipere, non ex iure. De censibus vero domorum fratribus legatarũ nihil quærimus, sicut nec de aliis rebus. Si autem antequam vendantur, aliquem inde censum recipiunt, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil iuris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet nos cauere ab hominibus, & Apostolus ab omni specie mali abstinere, ne putemur ab ignorantibus transgressores regulæ nostræ, debemus aperte protestari, nil nobis iuris in talibus donationibus velle habere. sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cauere, ex quibus posset ista suspicio probabilis iudicari.

Mat. 10. b
1. Thes. 5. c

Quæstio decima.

CVm nulli deberetis facere iniuriam, vel damnum inferre, hoc non seruatis, quia sæpe contra voluntatem Plebanorum recipitis domos in eorum parochiis, vnde eis multũ deperit de oblationibus, & aliis prouentibus, dum vos occupatis loca in quibus alij habitarent, qui eis ista persoluerent. Item sæpe sine licentia Episcoporũ, intratis eorum diœceses. Aliquando inconsultis Dominis terræ, vel ciuitatis domos recipitis in eisdẽ.

Responsio.

Non omnia quæ fiunt contra voluntatem alicuius, ad iniuriam eius fiunt. Cum ergo ciues alicuius oppidi nos vocant, & locant nos apud se in tali loco, vbi etiam possent Iudæos locare, vel aream pro ludis facere, vel horrea seu stabula, de quibus nil proueniret Plebano loci, etiam si nos ibi non essemus, non facimus eis iniuriam vllo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis, quam alij Christiani, vel religiosi, quibus conceditur domos recipere, & loca vbicumq; dantur ab eis, qui habent ius liberum dandi eis, maxime cum per Sedem Apostolicam sit ordo noster approbatus, & in subsidium animarum in Ecclesia destinatus; & hoc bonum per aliorum malitiam nõ debeat impediri. Si enim numquam deberemus morari, nisi de volũtate clericorum, vix vnquam in Ecclesia possemus diu morari, dum per se, aut incitati per alios, eiicerent nos de parochiis suis potius quam hæreticos vel Iudæos. Episcopis etiam nullam facimus iniuriam, cum non grauemus eos in aliquo, sed iuuemus prædicando, & consulendo eorum subditis, vt deuotius obediãt, & onus regiminis eorum tanto portabilius fiat eis, de quo in iudicio extremo oportet eos reddere rationẽ. Si autẽ mouet eos, quod sumus exẽpti à iurisdictione ipsorũ quoad nosipsos; tunc econuerso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem, vt de nostra gubernatione carent honore, ita sint liberi à sollicitudine, & labore, excepta prouidẽtia pietatis, & inter nos insuꝑ pacis vnitate seruanda. Domino etiã terræ, vel villæ non facimus iniuriam, si eo inconsulto, quandoque vocati à ciuibus, mansionem recipimus in villa, vbi liberum esset eis (si vellent) theatrum facere, vel locare Iudæos, vel locum relinquere vacuum, quia de ipsius fundi possessione nil ei subtrahimus, nec aliquid proprietatis nobis de illo vendicamus, maxime cum ciues amore nostræ commorationis ibidẽ Domino refundant aliunde, si quid forte de area nostra debere añuos census percipere, si nolit pro Deo carere. Nam si etiam contingeret, nos post hæc à loco penitus discedere, nec venderemus aream, nec alicui partem traderemus, sed sicut concessum est nobis, eis ad quos pertinet dominiũ, relinqueremus. Ipsum quoque oratorium nostrũ, non fit parochiali ecclesiæ præiudicium, in quo nec oblationes eius ad Missam percipimus, nec aliquos homines ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia iura sua viuentes & mortui, ecclesiæ parochiali persoluãt. De sepultura vero constat ex iure communi, quod si apud nos eligunt sepeliri, possent, & alibi si vellent vbicunque, sine præiudicio Parochialis ecclesiæ hoc facere, nec ad hoc possent in aliquo impediri.

Quæstio vndecima.

QVid ergo dicitis ad hoc, quod in pluribus locis dicuntur fratres vestri alios religiosos, vel clericos eiecisse violenter de propriis ecclesiis, vel monasteriis, & ibidem eis inuitis sibi mansionem fecisse, quomodo potest hoc excusari ab iniuria, & violentia?

Responsio.

Vbicunque hoc factum est, non est per fratrum violentiam factum, sed vel per Episcopum loci, vel ex iussu Domini Papæ qui intelligens clericos illos, vel religiosos ibi minus honeste se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse, quod diuinum seruitium ibi ita esset delapsum, quod per ipsos non erat spes restaurationis auctoritate Apostolica mandauit illos alibi locari, assignatis sibi certis reditibus, vnde possent congrue sustentari, & fratres nostros ibi habitare, & diuina officia celebrare, cum ad ipsum spectat de omnibus locis religiosis ordinare, vt sacra ibi Religio instauretur, siue per illius ordinis personas siue per alias alterius ordinis, sicut viderit expedire.

Quæstio duodecima.

CVm deberetis omnia mala vobis illata patienter sustinere, & nullam super his apud iudices querimoniã facere vel mouere, quid est, quod nõ solum istud non facitis, sed etiam non contenti Episcoporum iudiciis, obtinetis à Sede Apostolica iudices, & conseruatores, & ad illos quoslibet molestantes vos etiam leuiter citatis, & grauatis laboribus, & expensis, donec satisfaciant vobis pro velle vestro? contra Apostolum qui ait: Delictum est in vobis, quod iudicia habetis.

1. Cor. 6. b

Responsio.

Iniurias & molestias ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illa hora sentiri potest, vt sint verba probrosa, vel damna rerum, seu verbera, & similia, possunt viri religiosi æquanimiter sustinere, quia nil aliud afferunt nocumenti. Sed vbi possunt grauiora damna subsequi, videlicet animarum grauia nocumenta, ibi non est expediens talia tolerare. Nam cum simus in Ecclesia Dei, ad multarum animarum salutem à Sede Apostolica destinati, per officium docendi, & extrahendi homines à peccato, si quis infamaret ordinem nostrum, quod essemus seductores, aut hæretici, aut criminosi, aut non habentes auctoritatem prædicandi, seu confessos nobis, & contritos absoluendi, cum à Domino Papa, vel etiam Episcopis habeamus non solum læderet nos sic reddendo despicabiles hominibus, quod subtraherent nobis beneficia sine quibus sustentari non possumus, sed etiam noceret omnibus, qui ex hoc inciperent nos persequi, & grauiter peccarent. Et qui crederẽt nos tales esse, sicut & ille assereret, nec prædicationes nostras attenderent, nec consilia salutis requirerent à nobis, & iam nullus ordinem intrare curaret, immo debiles mente ordinem tentarentur relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. Insuper hæretici se detractoribus nostris libenter adiungerent sub specie amicitiæ, vt nos amplius redderent odiosos, ad hoc vt doctrinam nostram hominibus redderent odibilem, & ita astute sibi attraherent corda eorum, & paulatim ducerent in errorem, cum nos maxime timeant, modo in hoc sibi esse resistentes. Plura alia mala suscitarent nobis veritatis aduersarij, si non haberemus munimen per Sedem Apostolicam, quæ non tam nobis quam Ecclesiæ, & fidei Catholicæ valde nocerent, & hæc in decus ipsius Sedis redundarent, quæ ordinem plantauit, & confirmauit, & ad profectum Ecclesiæ destinauit. Nam, & Apostolus Paulus, qui paratus erat omnia aduersa subire pro

pro Christo, videns obesse fidei, & Ecclesiæ si traditus fuisset à Felice, vel Festo Iudæis ipsum perimere cupientibus, Cæsarem appellauit, vt legitur in Actis. Vt ergo parcamus eis à peccato iniquæ persecutionis, & nobis à frequenti vexatione, & aliis à nocumento animarum, conseruatores habemus à Sede Apostolica nobis datos, qui priuilegiorum nostrorum iura defendant, & à calumniantibus tueantur.

Act. 25. c

Quæstio decimatertia.

CVm denarios seu pecuniam, nec per interpositam personam, ex regulæ vestræ præcepto debeatis recipere, & tamen aliqua recipiatis, quæ venduntur postea pro pecunia, non video qualiter excusemini à transgressione huius præcepti: quia vendita re illa, sicut prius vestra fuit res ipsa ante venditionem, ita etiam erit pecunia vestra, quæ pro re data est, cum non habeat alium Dominum, nisi fratres, quod illicitum est omnibus manifeste.

Responsio.

Eleemosynarum quæ fratribus fieri solent tria genera.

Tria eleemosynarum genera dantur nobis. Aliqua enim recipimus quibus vti volumus, vt victus & vestitus & libri nobis vtiles, & similia quæ non proponimus alienare ab ordinis vsu. Quædam autem dantur nobis, quibus nunquam in illa specie vti volumus, vt vestes sæculares, & libri nobis non apti, vel etiam aliqua superflua victualia, quibus forte non indigemus ad præsens. Ista si nolunt fratres recusare propter deuotioné dantium, potest procurator ea vice illorũ seruare, sicut pecuniam pro fratribus ei commissam, vt suo tẽpore inde prouideat eis, quibus indigent ex parte illorum. Quædam vero dantur nobis pro vsu nostro, & ea per nos recipimus, & postmodum aliquando contingit, quod ea volumus alienare. Si illa simpliciter vendimus, tunc fiet sicut dicitis, quod illa pecunia nostra est, sicut res vendita fuerat ante nostra. Sed ne transgressores regulæ nostrę simus, recipiendo pecuniam per interpositã personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem illam quæ vendi deberet commutamus pro alia, qua indigemus, non interueniente pecunia, vt librum pro libro, oleum pro cera ad luminaria, & sic de similibus. Aut rem illam damus pro solutione debitorum quantum res illa valet. Aut damus eam alicui vt sua sit, & nobis pro ea de aliis quibus indiguerimus tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Siue autem ille qui sic eam recipit postea vendat, siue reseruet vt suam, nil ad nos, cum iam non sit nostra, sed ipsius, & ita non erimus præcepti illius de non recipienda pecunia transgressores. Qui aliter facit, videat quomodo conscientiam apud Deum iustificet, & apud homines scandalo se excuset.

Quæstio decimaquarta.

OLim non mendicastis, nisi solum quo indiguistis, nunc autem non solum petitis pro futuro tempore necessaria, sed etiam de vna specie tanto plus acquiritis, vt vnum pro alio commutetis, vt oleum pro caseis, vt similia pro aliis in hunc modum.

Responsio.

Vt supra dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus; nunc autem plures facti, pluribus indigemus, & sicut aliquando mendicus per plateas discurrens (cui solum panis aridus hincinde datur, quem communius habet homines, & paratius quam alios cibos,) dat aliquam partem panis pro buccella casei, vel ouo vel pomo, eo quod non semper valet arido pane sustentari, cum sit inedia confectus: ita & nos, non inueniamus vbique singula quibus indigemus pro sufficientia ad mendicandum, eo quod in omnibus terris non omnia abundent æqualiter, & homines nõ habent nobis dare illa q̃ non habent, & oportet nos de talibus, quæ in quolibet loco magis abundãt, tanto plus petere, vt per illa & alia conquiramus, quę aliter ibidẽ non possemus habere, & quibus similiter indigemus, & hoc non est auaritiæ, sed indigentiæ imputandum.

Quæstio decima quinta.

MVltitudo est in causa, quod multis indigetis, quare ergo magnos conuentus facitis, & non potius bini, vel quaterni, vel ad plus seni, vel octeni in omnibus pauperculis habitatis, vt quietius, & in maiori paupertate ibi viueretis & humilitate, quia pomposius quædam videtur gloriari de multitudine.

Responsio.

Cur magni conuentus à fratribus recipiantur.

His de causis magis diligimus magnos conuentus quam paruos, videlicet, quia maior disciplina potest ibi seruari, dum occupatio officiorũ in plures diuisa ordinatius & expeditius administratur, & corã pluribus quisque minus audet negligens aut insolens esse, & quilibet informatur ab altero moribus & scientia. Et ex his maior potest esse deuotio, & ordinatior vita, & officium diuinum pulchrius, & maior cautela contra quælibet tentamenta vitiorum, & nouitij melius ibi informantur. Item, quia maior prouenit vtilitas inde animarum, dum plures ibi stare possunt confessores & prædicatores. Vel etiam potest ibi melius teneri studium Theologiæ, in quo habiles exerceantur ad eruditionem aliorum. In paruis autem domibus dum alij sunt in terminis, alij in villa pro eleemosyna, alij forte debiles & infirmi, alij occupati officiis in domo, nec disciplina religionis, nec studium, nec deuotio in diuinis valet, prout expedit obseruari.

Quæstio decima sexta.

CVm videmini zelatores esse animarum, & sancti Francisci deberetis in omnibus imitatores esse, cur ordinem illum, qui dicitur pœnitentiæ, quem ipse instituit, non promouetis, vt vbique dilatetur in Ecclesia, & multi saluentur in eo, cum laboratis conuertere & fouere ad bonum, qui vobis sunt minus ex paterna traditione annexi?

Responsio.

Cur pœnitentium ordo tertius non admodũ excreuerit.

Quod in aliis laboramus vt conuertantur & proficiant in bono, ibi habemus fructum, & conseruamus libertatem nostram, ne plus quam nobis expedit, occupemur per eos. Per istos autem pœnitentes si multiplicarentur, impediremur, quod aliis minus prodesse possemus, dum quasi ex iure exigerent à nobis, vt ad omnia, quæ tangerent eos, essemus parati. Alioquin improperaretur nobis, quare ad hũc ordinem eos induxerimus, si curam ipsorum nollemus. Si contingeret eos aliquando astare iudicio vel seculari, vel Ecclesiastico, vocarent nos, vt eis assisteremus, & pro eis intercederemus. Si aliquis impeteret eos pro debitis vel offensa, obiurgarent nos, quare non faceremus ei iustitiam fieri ab illo, qui in nostro regimine & obedientia conuersatur. Et siue iuste, siue iniuste moueretur, nobis imputaret, si pro voluntate sua ei non satisfaceret, maxime si iste diceret, se nil facere nisi de nostro consilio siue iussu. Si aliquis eorum captiuaretur, vel à domino suo, vel alio molestaretur, vellet quod fratres causam eius agerent, & hincinde discurrerent, vt eũ à tali molestia liberarent. Sicut vidua ad Eliseum venit, vt eam à creditoris sui vexatione liberaret. Si aliquis inops esset nimis, & non habens aliunde subsidium corporale iustum videretur eis, & aliis, quod nos sicut fratribus spiritualibus eis prouideremus, & forte plures in illa spe ordinem illum assumerent, vt eis in huiusmodi subueniremus, & maxime feminæ vel beguinæ. Si aliqua ipsarum de aliquo crimine infamaretur fornicationis vel adulterij, statim qui nos forte non diligerent, diuulgarent istud in nostram infamiam, dicentes: Ecce sorores nudipedissæ, paruulos nudipedes procreant eis. Sed à quo illos concipiunt, nisi ab eis, qui toto die occupantur

4. Reg. 4. a

cum ipsis?

cum ipsis? Et lasciui clerici vel laici in odium nostri magis essent sororibus illis infesti, vt aut corrumperent eas, aut infamarent, cum ipsarũ dedecus in nos plusquam in alios redundaret. Si quando inter eas aliqua fieret disceptati, oporteret nos occupari in reformatione pacis inter eas, propter cauendum scandalum aliorum. Si ciuitas vel oppidum indigeret, non possumus eas tueri, quin oporteret eas soluere quæstas, & tallias, & obseruare vigilias nocturnas, & exire cum aliis ad bella, & habere arma, & equos, vel pro se mittere bellatores, vel etiam Dominis suis, à quibus haberent feuda, vel quibus aliter astricti oporteret eos in talibus deseruire. Clerici etiã qui nos nõ diligunt, imponerẽt nobis, quod plebes suas nobis vellemus sub hoc colore attrahere, & nostrę obediẽtiæ subiugare, vt res eorũ nobis cederent totaliter, & quæ ipsis offerre deberẽt, nos eis prçriperemus. Et quãdo nos nõ possent in personis nostris forte grauare, illos quacũq; occasione quererent perturbare. Infamarent etiã nos, quãdo haberemus cũ eis aliquando secreta capitula, quasi celebraremus conuenticula hçreticorũ in latebris, cum ipsi potius Ecclesiæ rectores deberent eos secundum morem Ecclesiæ corrigere, si quando offenderint, & punire. Nam & ipsi eorũ magistri, qui Prouinciales dicuntur, cũ sint laici, & aliquando vxorati, quandã habent similitudinẽ cum hçreticorum magistris, & si nõ pro inuidię prauitate, tamen in laicali habitu, nomineq; hçreticorũ in contemptũ clerici, laicos habent magistros, & doctores. Et cum nos sub vna forma viuẽdi, & multiplici custodia, vix conseruemus ordinem nostrum in suo vigore, ne dilabatur per negligentiam, quomodo possemus illum ordinẽ in bono statu diu seruare, vbi quisque vadit in domum suam, & exercet negotium proprium, & habet curam domus suæ, & vxoris, & filiorũ, & versatur in seculo, & multis quatitur tentationibus mũdi & carnis? Et qui nobis nõ essent astricti obedire, nisi pro velle, & quos nõ possemus sicut expedit coercere, quin cito dilaberetur sub manibus nostris disciplina & iustitia. Et sic melius fuerat non incepisse, quam nõ posse perficere, & tanta negotia assumpsisse, per q̃ dissipatur pax nostra, & fama vilescit, & inter nosipsos possunt plura scãdala suboriri; prçter alias occupationes, quas in confessionibus eorum & consiliis, tota die nos oporteret habere cum ipsis. Et si soli diuites admitterentur, inciperent nos homines habere suspectos, quod pro auaritia faceremus, vt res eorũ sic nobis attraheremus. Et clerici, & alij religiosi cõtra nos grauarẽtur, si familiares eorũ eis per hoc abstraheremus, & inde lites & scandala inter nos & ipsos orirentur.

Si autẽ omnes passim admitterentur, fieret confusio, cum non possemus omnes regere vel corrigere, & multa inconuenientia sequerentur. De sancto autem Francisco alia fuit ratio: quia status illius terræ, & illius temporis, circa ordinem & homines alios in multis aliter se habeat, & ipsius sancti patris Francisci, & primorũ fratrum eius diffamata sanctitas effecit, quod tunc habebatur pro bono, quod modo & in aliis terris non talem haberet successum. Qui nostræ doctrinæ volunt corrigi consilio, possunt sub alia forma & colore ita vtiliter in bono per nos informari, sicut congruit quilibet, & tamen nos prædictis implicationibus vel aliis similibus non inuoluemur, & ab aliis bonis vel melioribus non retardabimur.

Quæstio decima septima.

QVare ergo ordinem sanctæ Claræ in cura habetis per quam libertas vestra similiter impeditur?

Responsio.

Ordo ille non est annexus ordini seruiliter, vt eis intendere teneamur, sed ex petitione Domini Cardinalis, qui vtiq; præest ordini, ministri constituunt eis confessores, qui Ecclesiastica interdũ sacramẽta ministrent, & visitatores qui eas corrigãt. Alij fratres nõ tenentur occupari pro ipsis, nisi sicut pro aliis amicis ordinis quando volũt. Et quia clausæ manẽt sub vniformi cõuersatione hæ facilius regi possunt. Quandocunque autẽ ordo noster communiter videret nõ expedire sibi curã illarum gerere, potest se ab eis eximere, cũ ex regula nostra nõ simus alicui ex debito nisi ordini obligati, & singulari libertate inter ceteros ordines ex priuilegio gaudeamus. Licet autem omnino non possumus impedire, quin aliqua fiant in terris istis prædicti ordinis monasteria; tamen si nõ studiose obsisteremus, cito multiplicarentur per concessionẽ Domini Papæ, vel Cardinalis. & per hoc ostenditur, quod non diligemus multum occupari cum ipsis.

Quæstio decima octaua.

CVm ergo sitis informatores earum, quare permittitis, quod plures apud eas impure, idest per pecuniam recipiuntur, quæ si nihil secum ferrent nullatenus reciperentur, & aperte simonia videtur?

Responsio.

Si illud alij faciunt, de hoc non à nobis, sed ab illis est ratio exigenda. Sed tamen vt satisfaciamus quærentibus, sciendum, quod quantum spectant ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi ad ordinem qualemcunque. Prima quando alicuius recipitur, nec pro pecunia, nec cũ pecunia, sed pure pro Deo: & ista est purissima coram Deo, & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, ita vt si nihil affert, tamen reciperetur pro Deo: & similiter hoc purum est coram Deo, sed est caute agendũ coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit tibi affectus auaritiæ infectus ex spe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eũ recipiunt in necessitatibus corporis prouidere, cum tenues facultates domus vix sufficiãt iã receptis, nec ad eas audeãt plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis personæ quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit vxorẽ propter diuitias eius vel nobilitatẽ, quę habet nasum, nec tamen propter hoc ducit eã, quia nasũ habet, quam tamen si naso careret, nullatenus duxisset, & hoc non est impurum, licet nõ appareat forsitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniæ. ita quod si possent illam pecuniam habere sine persona ista non reciperent personam, sed vt habeãt pecuniã, personam recipiunt: & hoc penitus impurum est, & simoniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, & non è conuerso. Vbi ergo recipitur persona propter pecuniam simonia est, quia ibi venditur spirituale, idest, consortiũ spiritualis societatis, pro tẽporali, scilibet pro pecunia. Et hoc pleriq; faciunt, etiam ex mera inopia optantes aliquę venire cum pecunia, quem reciperent vt eorũ inopia repararetur, vel debita contracta soluerentur, vel bona concupita emerẽtur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesiasticus: Propter inopiam multi deliquerũt. Vbi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent vnde eam pascerent, nõ videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus, quod sorores sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si quando oportet eas plures personas recipere, quam de facultatibus monasterij congrue valeant sustentari.

Recipiendorum ad ordinem quadruplex forma.

Eccli. 27. 4

Quæstio decima nona.

CVm doctrina salutis tam necessaria est illis, qui iu rure, & in abditis locis habitant, sicut illis qui morãtur in bonis oppidis, & ita fructuosa esset in eis, & vos æqualiter vocati, & missi sitis ad ædificationem omnium indifferenter, videmini non digne ambulare in tali vocatione, in eo quod in bonis ciuitatibus & oppidis, &

villis frequenter prædicatis, in aliis autem locis raro vel numquam. Videtur enim quod sitis in hoc personarum acceptores, quod pauperes contênitis, & ditioribus prędicatis. Vel quia in ciuitatibus multa habetis bona hospitia, & bene procuramini, quod nō alibi. vel quia plura ibi dantur munera vobis speciali seu communi, ideo ibi sæpius prædicatis.

Responsio.

Messis quidem multa eorū, qui doctrina indigerent salutis, sed operarij pauci idonei & fideles: ideo non sufficimus omnibus qui indigēt, prout vellemus docendo prodesse, cum nos pauci simus respectu illorum. In locis etiam siluestribus vel desertis, si qui sunt habitantes, ita sunt dispersi, quod vix possent ad locū congruum prædicationi cōuocari. Sed nec ad singula loca eorū possemus venire, vt eis prædicaremus ibidem. Raro etiam vacant ab occupationibus nisi in festo, vt prædicationi intendere valerent, & propter diem vnum festiuum non possemus tota hebdomada in villa morari. Non enim permittuntur fratres tamdiu extra domum suam morari, quod sic omnes villas singulariter possint visitare, nec haberent in pluribus locis, vnde toto possent tempore congrue sustentari. Et si aliquādo forte vnus frater vellet & posset aliquandiu pati penuriam, socius eius forsitan hoc non posset. Et si aliqui aliunde vellent ad prædicationes nostras accedere, nō inuenirent ibi victualia ad emendum. In oppidis autem seu villis vbi abundant victualia, plures possunt confluere & melius sustentari, & inter plures maior fructus speratur, & à quibus ministrantur nobis plura temporalia in eleemosynis, plus etiam requirunt vt eis spiritualia rependamus, non quod omnino debeamus alios in locis desertis deserere, sed prout se opportunitas obtulerit, debemus etiam eis doctrinam salutis offerre. Illos tamen prædicatores & confessores non excusat à peccato negligentiæ, qui magis pro commodo corporis frequentant loca illa, vbi sunt bona hospitia, & nolunt pro salute fraterna diuertere ad villas pauperculas, & ibi pro Christo paupertatē, quam illi homines ibidem semper sustinent, apud illos aliquamdiu tolerare; cum ipsi professio sint extremam & perpetuam in regula paupertatem. Indignos enim se faciunt eisdem officiis, quæ pro subueniendo omnibus susceperint, si pro commodo temporali vel muneribus ea vendunt: Ideo dicit Saluator in Matthæo: Gratis accepistis, gratis date: non pro munere temporali. (*Matt. 10. a*) Dicitur enim talibus in fine: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, quam principalius hic & studiosius quæsierunt. (*Matt. 6. a*) Dicitur etiam in Threnis: Dederunt preciosa quæque pro cibo, &c. (*Thren. 3. d*) Preciosa sunt verba Dei, & auctoritas absoluendi à peccatis confessis, quæ dat pro cibo, qui pro corporis alimento ea principaliter impendit.

Quæstio vigesima.

CVm in aliis Religionibus, & collegiis ecclesiarum, maior reuerentia prioribus in ordine introitus soleat exhiberi, quod etiam inter Apostolos aliquo modo seruatū videtur, videlicet in stallo chori, & capituli, & mensæ, & aliis; magna rusticitas videtur, quod apud vos nulla in his differentia seruatur, cum Apostolus dicat: Honore inuicem præuenientes. (*Rom. 12. c*)

Responsio.

Sanctus pater noster Franciscus in summa voluit ordinem puritate fundare, vt in nullo gloriarētur fratres, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, id est humilitatis, & charitatis eius, qua pro nobis pati voluit, deuota imitatione, cum in huiusmodi excellentiis qua vnus alteri præfertur, in aliquo soleat animus imperfectorum sæpe pueriliter extolli. Quod autem Apostolus docet, honore inuicem præuenire, non tantum ad istas extrinsecas reuerentias referendum est, qua vnus alteri assurgit, vel facit eū se præcedere, & in superiori loco stare, vel sedere, & similibus, sed magis ad hoc, vt quisque reputet alium, se meliorē esse. In humilitate sibi inuicem superiores arbitrantes, & cetera. (*Ibidem.*) Vt nō sit pronus ad interpretandum facta eius, vel dicta in partē deteriorem, iuxta illud: Non ergo amplius inuicem iudicemus, & cetera. (*Rom. 14. c*) Vt offensis ab eo facile ei ignoscat. Donantes inuicem, si quis aduersus aliquem habet querelam. Vt studiose caueat, ne in aliquo eū despiciat, vel offendat. Vnde ait Dominus: Videte ne contemnatis, & cetera. (*Mat. 18. b*) Vt absenti nō detrahat, nec libēter derogationem eius audiat, sicut dicit Salomon: Cū detractoribus ne commiscearis. (*Prou. 24. c*) Vt indigenti auxiliū, & promptū obsequium libenter impendat, iuxta illud Pauli: Per charitatē Spiritus sancti seruite inuicem. (*Gal. 5. b*) Vt eum pure diligat, & apud Deū fideliter in quibus valet, promoueat. Qui hæc negligens, tantum illas extrinsecas reuerentias (vt dixi) fratri exhibet, quas pleriq; magis ad hoc sibi mutuo exhibet, ne incuriales notētur, vel adulatorie, vt sibi ista vicissim reexhibeantur, verbum Apostoli debiliter de honoris pręuētione impleuit. Inter illos igitur qui aliquid exterioribus gloriæ, vel officio dignitatis, vel ex alia intētione honesta, cupiunt habere secundum hominem, possunt istæ reuerētiæ obseruari. Nos autem extremam, & altissimam paupertatem in regula professos decet, etiam humilitatem summam in omnibus custodire. In aliis ordinibus, vbi tempus, & dies professionis cuiusque potest obseruari, quis prior altero intrauerit, possunt etiam in locis istā prioritatis seruare distinctionem. Apud nos autem vbi sæpe de loco ad locum mutamur, sicut non possumus scire tēpus introitus cuiuscumque: ita nec in quo eum debeamus stallo locare, cum ex obliuione, & ambitione, seu ex humilitate plures dicerent, prius vel posterius se venisse: & aliquoties cognita veritate, contingeret aliquos postea de locis suis forte cum verecundia remoueri. Et ista perplexitas frequens esset inter nos, quis videretur altero superior propter frequentes mutationes, & pro appetitu præeminētiæ sæpe conscientiæ macularētur multorum. Et maius ex his omnibus detrimentum esset in ordine, quā vtilitas huiusmodi obseruātiæ de prioritatis honore, cum secundum multitudinē meritorum magis, quam annorum quis sit, acceptior apud Deū, iuxta illud Sapientiæ: Consummatus in breui, expleuit tempora multa, placita, & cetera. (*Sap. 4. c*)

Quæstio vigesima prima.

CVm deceat bonos promouere, & alios ad bonum pro posse, multum videmini ab hac forma declinare, qui scripta vestra in libris, & quaternis, tam difficulter aliis præstando communicatis, qui ex eis possent proficere, & aliis prodesse, & aut de profectu aliorum moueri ex inuidia, videmini; aut ex inani gloria, vt videamini scire quæ nesciunt alij; aut alia intentione corrupta.

Responsio.

Quæ possunt etiam bona intentione, & inculpabiliter fieri, aliquando temerarium est, ea in deteriorem partē interpretari, cum cordis occulta ignoremus, & ea quæ in se indifferentia sunt, possunt sæpe pro bono fieri & licite, & bene. Scripta enim sua non communicare aliis, sicut potest fieri reprehensibiliter, ita potest etiam fieri inculpabiliter, & licite, & prudenter. Prudenter, quando scriptum nondum est bene correctum vel ordinatum, ita quod alius inde se nesciret expedire, & forte magis esset materia scandali, vel erroris aliis rescribenti, vel legenti. Item quod non competit illi, qui desiderat, magisq; foret ei nociuum quā vtile tale scriptum. Item si ille continuo, & frequenter indiget suo scripto, vt si alteri concederet, ipse foret neglectus, cum nemo teneatur se neglecto, alios in minus necessariis promouere. Inculpabiliter, quod sępius, & si nō statim indiget suo scripto, & eo diu carere nō potest. Itē sunt in petēdo multi valde importuni, sed in reddendo tardi, q sæpius pulsati, vix tandē cum murmure concessa reddunt,

dunt. & pro beneficio ingratitudinis verba impendunt. Itẽ sæpe per scriptores polluũtur quaterni & libri, & lacerantur, vel aliter male tractantur sic concessi. Itẽ vnus concedit vlterius alij, irrequisito eo qui ei scriptum concessit, & ille forsitan iterum alij, donec tandem ille nescit à quo reposcere debeat, & sic elongatur ab eo quod nullus directe ei inde respondet. Item etiam sæpe perditur, quod ita conceditur, quia forte negligenter relictum alius quasi nulli attineat, sibi illud similiter reseruat. Aliquando etiã ille, vel iste de loco mutatur, & tam longe vnus ab altero disiungitur, quod nõ potest concessum per nuntios repetere, vel timet in via destrui, vel mitti per nuntium, aut pedonem, aut aquã. Illi autem quibus talia restituenda committuntur, quandoq; volunt, sibi rescribere priusquã illi restituant, vel commodant aliis, vel alicubi relinquunt, donec obliuioni tradunt, & postea negant sibi fuisse commissa. Et sic plurima perduntur, aliis commodata, aliquando est ligatum in volumine cum aliis operibus, & si illud frater alicui concederet, oporteret eum totũ librum dissoluere, cum graui damno expensarum, & laborum in ligando factorum. Sæpe etiam cum vni rescribendum conceditur, alij nisi & sibi concedatur, indignantur, & per hoc aut diu cogitur ille scripto suo carere, aut per plures manus trãsiens sordidatur, & perditur. Cum ergo tot causæ sint irreprehensibiles, propter quas contingit sæpe, vt aliquis non communicet aliis scripturam suam; non oportet, vt iudicentur non habere charitatem ad proximum, vel ex inuidia, aut vana gloria, vel rancore, vel alia non bona intentione petentibus hoc negare, licet aliqui ab his non sunt immunes. Ille tamen non est excusabilis in hac parte, qui & si non ex malitia, tamen ex quadam diffidentia nõ communicat aliis scripta sua, timens ne si per alium prius ea prædicarentur, ipse postea non habeat cum necesse fuerit, aliqua alia quæ proponat, quasi fons charitatis, & sapientiæ Dei desiccatus sit, vt non alia pro his ei liberaliter restituat, & refundat, si pro charitate, quæ ab ipso acceperat, studeat aliis impartiri. Cũ etiam libri, & quaterni fratrum sint tantum ad vsum à superioribus suis concessi, & ad custodiam commissi; qui cauet commissum destrui vel amitti, quod non est eius proprium, propter hoc non debet maleuolus iudicari.

Quæstio vigesima secunda.

CVm (sicut ipsi asseritis) missi sitis in adiutorium Plebanorum, non in præiudicium iuris ipsorum quare non prædicatis populo ius Plebanorum, scilicet quantum, & qualiter eis subesse, obedire, & quantam habeant super eos potestatem? Videmini enim hoc tacite præterire, ideo vt vobis magis adhæreant, & ea quæ illi donarent, in vsum vestrum callide retrahitis, & sic eos iure suo fraudatis.

Responsio.

Qui bene aduertit, sæpe intelligit, quod etiã in prædicatione, & consiliis hortamur subditos prælatis suis in omnibus (quibus de iure tenentur) fideliter obedire, & iura sua illis persoluere, & sententias eorum iuste latas reuerenter obseruare, & eos quasi Dei vicarios honorare, & quod in hoc meritum salutis eorum ex magna parte consistit. Sed quia non valde magnificamus eos in populo, videtur eis, quod parum ꝓ ipsis faciamus. Quare autem hoc dimittimus, plures sunt causæ. Vna ne videamur hoc adulatorie potius facere (vt sic captemus eorum beneuolentiam) quam pro veritatis doctrina, cum prædicatio debeat esse aliena ab adulatione præsentium, vel detractione absentium. Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, ait Apostolus, neq; in occasione auaritiæ. Altera, cum ipsi per se sępe plus amplificent iura sua super subditos suos quam oporteat, præcipiendo quod non debent, prohibendo quæ non possunt, concedendo quæ non licet, exigendo indebita, fulminando sententias duras, & laqueos multiplicando animabus, quas soluere & expedire deberent, si nos adderemus terrendo populum, & magnificando potestatem clericorum super ipsos, prouocaremus amplius quorumdã clericorum audaciam, & aut faceremus simplices subditos pusillanimes, aut tumidos prouocaremus ad proteruiam maiorẽ, vt magis contra se erigerent contra clerum. Tertia cum plures clericorum, tam aperte viuant iniuste, quod laici sumant inde graue scandalum, si super hoc vellemus eos magnificare in populo, scandalum suscitaremus contra nosipsos, quod tam vituperabiles laudaremus, ideo dicitur in Prouerbiis: Qui derelinquunt legem, laudant impium, qui conseruant, succenduntur contra eum. Quia cum plures in clero, vt nunc, vel male, & contra formã canonum teneant regimẽ populi in Ecclesia, vel propter excessus suos suspensi sint ab executione officij pastoralis, si omnes cõmuniter magnificaremus, etiam illi qui non haberent ius, cogerent subditos in his, quæ non debent sibi obedire, quasi legitimis pastoribus. Si autem specificaremus quibus essent digni ad obediendum, alij grauiter ferent, ꝙ eos notabiles, & contemptibiles redderemus, ideo quasi dissimulando transimus.

Quamuis autem nonnulli de clero plus oderint religiosos, quam Iudæos Christi aduersarios, tamen si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis, tam pro temporali vtilitate, quam etiam pro spirituali vtilitate sua. Vna, quoniam per nostram doctrinam subditi eorum plenius soluunt iura sua, & obediunt eis, & reuerentur eos amplius, licet ipsi clerici hoc non credant, dicimus enim illis dictum Apostoli: Obedite prælatis vestris. Altera, quod beneficia Ecclesiastica, quæ nos teneremus si essemus cum eis in sæculo, venientes ad Religionem ipsius relinquimus obtinenda, quæ quantum diligunt se habere, tantum deberent diligere illos, qui eis ea relinquunt, nisi potius vellent nos mori, vt ea sic gaudentius possiderent. Tertia, quod sumus testes eorum in doctrina fidei, vt melius credatur eis, quod docent, obediendum sibi esse, tamquam Christi Vicariis. Sicut * hæretici, qui dicunt, quod clerici pro suo quæstu seducant populum, vt sibi obediant, & dent ipsis oblationes & decimas, vt inde sustentẽtur, & ditentur, & delitientur, & sine labore abundent, qui hæc aliunde, tam cõmode non haberent, & ideo confinxerũt festa, & officia diuina, animarum remedia, peccatorum pœnitentias, iudiciorum ecclesiasticorum sentẽtias, sacramẽtorum administrationes, & alias sollẽnitates, & institutiones S. Ecclesiæ, & prælationum dignitates, vt horum omnium occasione exhauriãt marsupia laicorum. Sed fideles cum vident religiosos relinquere mundum, & diuitias mundi, Ecclesiastica beneficia resignare, & paupertatem voluntariã profiteri, & tamen hæc eadẽ docere, & credere, q̃ docent clerici, aufertur eis illa hæreticorum suspicio, qua ꝓ sola auaritia possent opinari prædicta omnia à clericis adinuenta, cum vident illos esse testes eorum doctrinæ, qui hęc temporalia pro doctrina fidei reliquerunt. Quarta, quod habeant in nobis aliquem stimulum correctionis, vt minus audeãt peccare, & studiosius officium sibi commissum exerceant, & instruantur in aliquibus, quæ ignorant, & ad pœnitentiam prouocentur, & in bono amplius roborentur. Quis alius argueret eorum vitia, cum in simili morbo laborans alius non præsumat curare? iuxta illud. Medice cura teipsum. Item si cæcus cæco ducatum præstet, &c. Quinta, quod sumus eorum coadiutores in subleuando onere sibi imposito, vt sit eis hic portabilius, & iudicium durissimum quod fiet in his qui præsunt, aliquo modo tolerabilius sentiant in futuro supplẽdo eorum vices, prædicando, consulendo, confessiones audiẽdo, vbi aliqui eorum minus sufficiunt pro multitudine pópuli, vel pro perplexitate casuũ min⁹ ab aliquo imperito instrui possunt, vel parochiani min⁹ faciunt, q̃ deberent, vt quando eorũ subditi timent eis confiteri ex causa aliqua speciali. Sexta, si quis inter eos timore periculi in quo sunt, quærit cõfugere ad statum tutiorẽ salutis, vel desiderio vitæ melioris, vult ea quæ in mundo sunt, relinquere,

Prou. 28. b

Heb. 13. c

* Videtur aliquid deesse.

Luc. 4. d
Matt. 15. b

1. Thess. 2. a

& statum perfectionis Euangelicæ apprehendere, apud viros religiosos potest quod desiderat inuenire, qui sint ordinis sui fideles obseruatores. Sicut Loth fugiens ab excidio Sodomorum, confugit ad paruulam Segor, id est, humilem Religionem saluandus. Septima, quod si immineret aliquãdo Ecclesiæ necessitas, vel pugna contra hæreticos, vel alios oppressores fidelium, viri religiosi deberent se promptius exponere, & quasi primi in acie se opponere inimicis, sicut filij Ruben, & Gad, & Manasse fuerunt fratrũ suorum propugnatores, ad obtinendam terram cum pace. Octaua, quod sunt apud Deum intercessores per orationis studium, & vitæ meritum, & Dominum sibi & aliis placabilem faciẽtes pro venia peccatorum, pro gratia meritorum, pro amotione quorumcumq; malorum, pro gloria cœlestiũ præmiorum facilius obtinenda. Quæ nobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen. Et hæc ad præsens sufficiant pro excusatione nostra, contra calumnias exprobrantium, vel quæstiones ignorantium, qua forma, vel intentione aliqua quæ videntur, aliquando minus intelligentibus quoquo modo reprehensibilia faciamus. Qui autem voluerint, possunt plura superaddere, & ista quæ hic posita sunt melius explanare, quæ sicut impræmeditate, ita & inordinate conscripsi, sicut tunc meæ memoriæ occurrerunt, modo hoc, modo illud, sicut aduertere potest legens.

Gen. 19. f
Ios. 1. c

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum.

DE TRIBVS QVÆSTIONIBVS AD Magistrum innominatum.

Apud Trithemium de tribus quæstionibus reperitur hoc Opusculum inscriptum, quia in eo tribus quæstionibus satisfacit circa tres articulos, de quibus Magister innominatus dubitare se aiebat, nempe de paupertate, de labore manuum, & studio scholarium, & magistrorum. In quibus tractandis ita se gerit Auctor, vt errore contra Regulam eliminato, ipsam mirifice defendat: qua de causa, tractatus iste solet etiam Defensorium Regulæ inscribi.

INNOMINATO Magistro frater Bonauentura, spiritum intelligentiæ veritatis exoptat. Proponis charissime, vt tibi tres articuli de regula fratrum Minorum absoluantur, de quibus te ostendis pluribus rationibus dubitare, scilicet de paupertate, labore manuum, & studio scholariũ & magistrorum. Cum enim regula dicat, quod fratres nõ recipiant pecuniam per se, vel per interpositam personam, & rursum, nec locũ, nec aliquam rem sibi approprient, videntur tibi fratres in hoc regulæ contraire, cum tibi videantur pecuniã per interpositam personã recipere, libros habere & domos, cum non possint harum rerũ quas habent, dominos assignare. In labore etiam manuum sibi iniuncto, vt videtur sub præcepto, culpabiles tibi videntur, cum nec laici laborent in operibus mechanicis, nec clerici manu propria in libris scribendis, quin potius cum magnis sumptibus faciunt eos scribi, ac si apud se haberent numismatũ percussores. Postremo in studio, & magisterio fratres condemnas, cum regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere; fratres plerumq; tã clerici, quam magistri, qui etiã in hoc sæculo parum aut nihil de philosophia audierunt, student, recitant, scriptitant, immo quod pluris est, laniant, dissipant, ædificant. Nec videtur tantę humilitatis professoribus posse competere nomen magistri, cum hoc videatur Dominus in Euangelio Matthæi, suis discipulis inhibere, quorum nos dicimur imitatores, tamquam professores Euangelij Iesu Christi. Hæc, vt asseris, tibi in corde de statu & salute fratrum scrupulum generant, & tuam conscientiam inquietant. Super hæc addis assertionem quorundam, qui tibi nisi sunt, hanc conscientiam de fratribus fabricare.

Mat. 23. a

Intende igitur, in ea quæ dicturus sum, dabit enim tibi Dominus precibus gloriosæ Virginis, & B. Francisci rectum in omnibus intellectum. Supponis, quod regula paupertatem præcipit, commendat laborẽ, vetat curiositatem. suppono & ego. Detestaris ob hoc receptiones pecuniarum, proprietates librorum ac donorum. vitupero & ego. Immo nos omnes persequimur fortiter, & culpamus. In hoc conuenimus, sed quod fratres tales credis, aut si non credis, dubitas, in hoc penitus dissentimus. Nec enim hoc credo, nec dubito, certũ habens oppositum tamquã verum: non quia nullus in ordine talis sit, qui nõ possit culpari in aliquo prędictorum, cum nec in duodecim Apostolis talis perfectio potuerit reperiri, sed communitatem status, de qua & tu iniungis defensandã, assumpsi. Vide igitur quid sentire debeas de receptione pecuniæ. Testificor corã Deo, quoniã veritatem sum expressurus secundum meã conscientiam, in omnibus quæ subiungã. Non credo te aliquatenus dubitare, quin pauperibus quantumcq; extremã vouerint paupertatem, liceat recipere eleemosynam, nisi velint se occidere, quod si nefas est, licet hoc fratribus, quod nullus sanæ mentis ignorat. Nõ est igitur contra eorum professionem, si quis diues homo hãc eis ministrat manu propria. Quod si noluerit, potest eis ministrare per manum serui sui. Quod si ille seruus non possit, sed committat alij, quare non liceat per manum tertiam, non videtur: quare etiã vsq; ad decimam manum non potest, non video. Quod si diues habens pecuniã, dat victum aut vestitum fratribus necessariũ, nonne potest ipse manu sua emere? nonne potest ipse pecuniã pro emptione alij committere, & sic per multas manus in vsus fratrum expendere, pro releuãdis eorum necessitatibus sine offensione fratrum? Quis sanæ mẽtis hoc dubitat? cum pecunia ita sit domini cum committitur personæ intermediæ, ac si ipse dominus eã manu propria conseruaret. Nisi forte quis ita desipiat, vt dicat, quod pecunia in manu seruiẽtis posita, transeat in eius dominium, & desinat esse domini, quod penitus absurdum est. Quod si dicas, quod dominus simpliciter & absolute dare intẽdat fratribus, dico & ego, quod nullus sanæ mentis dare intendit fratribus, nisi prout competit regulæ & professioni eorum. Quis enim daret eleemosynam, vt eos faceret perdere vitam æternam? Dat ergo eo modo, quo fratribus expedit, scil. committendo alicui, qui per se eam dispenset in his rebus, quas fratribus licet accipere, & sic pecunia illa per quorumcumq; manus transeat, nullo modo spectat ad fratres, quia semper est primi domini. Et est per hoc manifestum, quod nec per se, nec per interpositã personam eã recipiunt. Fateor coram Deo, ita esse verum in conscientiis fratrũ. Quod si mihi forte nõ credis, tamen ipsi domino Papæ, qui in vtroq; iure peritus, ordinis & perfectionis æmulator, qui vt ipse testatur, in conditione regulæ B. Francisco astitit, & eius plenũ intellectum agnouit. Qui requisitus à fratribus dicit, quod fratres volentibus sibi eleemosynas facere, possunt fidelem aliquem præsentare. Qui taliter præsentatus nõ est eorum nuntius, sed illius potius cuius mandato solutionẽ facit, seu recipientis eandem. Hæc sunt verba ipsius. Quis ita desipit, vt si dicam alicui, iste fideliter exequetur vel custodiet quod ei committes, quod propter hoc quidquid ille acceperit, fiat meum, cum etiam licet hęc verba non semper exprimantur, semper tamen habetur in corde, & semper ab aliis credimus sic accipi? Quis ergo tã improbus, vt impugnaret hanc veritatem, per tantorum virorum conscientiam sanam & discretam, per tantam rei euidentiam, & vt nihil desit, per sedẽ Apostolicam confirmatam? Certus sum, quod talis portabit iudicium.

De libris & vtẽsilibus quid sentiam, audi. Clamat regula ex-

gula expresse imponens fratribus officium prædicandi, quod non credo in aliqua alia regula reperiri. Si igitur prædicare non debent fabulas, sed verba diuina, & hæc scire non possunt, nisi legant, nec legere, nisi habeāt scripta; planissimum est, quod de perfectione sic est habere libros, sicut est prædicare. Et sicut nō obstat ordinis paupertati, habere Missalia ad cantādum Missas, & Breuiaria ad horas dicendas; sic non obstat & Biblias ad verba diuina prædicāda. Licet igitur libros habere. Sed numquid regula sibi contraria est, quæ alibi mandat nihil habere? Absit hoc, vt in ea sit contrarietas aliqua, sicut nec falsitas, cum tota de fonte Euāgelij sit extracta, sicut mihi, qui parum noui, facile esset ostendere. Dico ergo, quod fratribus horum concessus est vsus, sed vetatur appropriatio. Nam nō dicit regula: Fratres nihil habeant, nec aliqua re vtantur, quod esset insanum; sed quod nihil sibi approprient. Cui igitur horum proprietas assignabitur? Sic respondeo ego, quod cuiuscumq; sit, non est mea nec ordinis, & hoc mihi sufficit ad meæ cōscientiæ puritatem. Ne tamen hominibus fugam parare videar, dico harum rerum mobilium gubernatori & protectori ordinis Cardinali, potestatem & auctoritatem & prouidentiam à Domino Papa esse concessam. Sicut enim Dominus Papa ait, nec vendi debent mobilia, vel extra ordinem commutari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis Gubernator, super hoc auctoritatem præbuerit & assensum.

Sed dicis: Numquid qui Biblias dāt fratribus, intendunt eas dare Papæ, aut Cardinali? Dico & ego. Numquid pater, qui dat Bibliam filio, intendit labefacere ordinem filij, & filium suum facere filium diaboli? Credo te dicere quod non. Dat igitur filio intendens, quod ordinis paupertas sit penitus illibata, ac per hoc vt ordo vtatur, proprietas autem sit eius, cuius decreuerit pastor ordinis & Ecclesiæ. An non credis, quod si pater non possit filio librum dare, nisi per manum alicuius, de quo præsumeret, quod non esset filij sui prædator, sed pastor, nonne daret? vtiq; daret vt filio commodaret ad vsum. Et in hoc melius prouisum est ordini Domino faciente. Nam si librorum proprietas remaneret apud parentes, sic ministri non possent auferre fratribus libros, & essent quasi perpetui ad vitam. Nunc autē ordo nihil sibi appropriat in libris, dum ministri libros nec vendere, nec alienare auctoritate propria possunt, nec fratres subditi possunt, dum frequenter resignant, & eis pro voluntate ministrorum assignantur & auferuntur. Certus sum, quod hæc est conscientia fratrum.

Vt autem nihil remaneat, audi de domibus. Dico domos nō esse fratrum. Sed si de solo quæris, dico quod dantium est & patronorum. Si de ædificiis, pari ratione ædificantium, vel eorum quorum est solum: quia cedit solo vnius si vnus ædificat, vel plurium si plures. Mentior etenim, si non Dominus Papa dicit in regula, saluo locorum & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere. In loco, intelligens solum: in domibus, ædificia superaddita. Vnde nec appropriamus nobis locum, cum dicamus esse illorum qui dant impensas, vel cedit solo: nec etiam vsus appropriamus, nisi pro voluntate eorum, qui fratribus concedunt prædicta. Certus sum enim, quod hæc est conscientia fratrum. Non obstat si aliquando vidisti contrarium, quod non credo, quia indiscretio vnius, non ad omnes debet nec ad singulos retorqueri. Si dicis, nos tamquam aduenas, & peregrinos debere ire de domo in domum, parcat illi Deus, qui primo hanc stultitiam cogitauit. Nonne beatus Franciscus ædificauit loca? Numquid tamquam peregrinus ibat quotidie vnam dietam? Numquid beatus Petrus cum dicat in Canonica sua. Obsecro vos tamquam aduenas & peregrinos, &c. voluit, quod omnes transirent de domo in domum? Cum enim dicat Ecclesiasticus: Vita nequam hospitari de domo in domum; tam Petrus, quam Franciscus filiis & discipulis suis non sanctam vitam, sed nequam imposuissent, si secundum prædictum intellectum nos similes esse peregrinis mandarent. Sed hoc dictum intelligitur, vt non currat similitudo quatuor pedibus, sed vt domos in quibus habitamus, parum diligamus, nec proprias reputemus, sicut peregrinus qui transit in patriam, domum non diligit in via tanquam propriam, sed vtitur tamquam aliena. Qui aliter sapit, ipse sua insipientia manifestat, quod nihil omnino sapit. Quomodo ergo posset esse regimen & ordo Prælatorum, qui ita districte manet in ordine beati Francisci, si omnes essent instabiles & vagabundi per orbem? Hoc vero sentit, qui nihil vidit de ordine.

1. Pet. 2. c

Eccl. 29. d

Veniam ad laborem manuum, vbi taliter insistis, vtrum sit consilium, vel præceptū? Ego autem dico, non intendere beatum Franciscum manualem laborem, nec præcipere, nec consulere, nec monere; sed supposita admonitione Apostoli, fratribus nimis vel minus sollicitis ad laborem, dat formam laborandi. Quidam enim sic intendebant labori manuali, vt necaretur in eis deuotio orationis. Quod quia periculosum erat, cum actiua debeat deseruire contemplatiuæ, dedit eis formam sanctissimus Pater, vt sic laborarent qui laborare vellēt, scirent, & possent, vt sanctæ orationis & deuotionis spiritū non extinguant. Hoc enim sequitur in textu regulæ immediate. Vnde attende, quod non dicit præcipio, vel consulo fratribus, quod laborent, sed quibus dedit Dominus gratiam, quod non solum includit potentiam, sed voluntatem laborādi. Sicut si diceret, fratribus quibus dedit Dominus gratiam lacrymandi, lacrymentur ita modeste, quod oculos non amittant; non præciperet lacrymari, sicut nunc intelligit. Ipse autē de labore manuum vim non faciebat, nisi propter otium declinandum: quia cùm fuerit regulæ obseruator perfectissimus, non credo, quod vnquam lucratus fuerit de labore manuum duodecim denarios, vel eorum valorem, sed potissime ad orationē monebat. Non enim volebat, quod illam extinguerent propter lucrum. Vnde Prouincialibus ministris relinquitur, quod non permittant fratres suos otiosos. Ego vna tecum, si qui tales sunt, iudico arguendos, & verberibus puniendos tanquam seruos malos & pigros. Non tamen propter hoc tibi displiceat, quia satis ibi inuenies copiam laborandi, tam in studio veritatis quam in exercitio humilitatis, pietatis, & cuiuslibet alterius virtutis. Nam fratrum eleemosynas quærere, coquinam facere, infirmis seruire, scutellas lauare, & in omnibus humilitatis exercitiis laborare, quæ dulciora fratribus sunt quam multa officia dignitatis.

2. Thes. 3. e

Sed quid dicemus de ascendentibus ad cathedram, cum regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere, &c. cum etiam Euangelium dicat, quod nolimus vocari magistri. Dico ergo, quod regula non vetat studium litteratis, sed illiteratis & laicis. Vult enim iuxta Apostolum, quod vnusquisq; in ea vocatione qua vocatus est, permaneat, vt ad clericatum de laicatu nullus ascendat, nec vult quod clerici fiāt laici, studium recusando: alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum paucas litteras sciret, postmodū in litteris profecit in ordine, non solum orando, sed etiā legendo. Vnde vt scias quantū sibi placuerit studium S. Scripturæ, audiui ego à fratre, qui vidit, ꝙ cum nouum testamentum venisset ad manus suas, & plures fratres nō possent simul habere, diuidebat per folia, & singulis cōmunicabat, vt omnes studerent, nec vnus alterum impediret. Clericos etiam quos recipiebat ad ordinem, in summa reuerētia habebat, & in morte mandauit fratribus, vt Doctores S. Scripturæ in summa reuerentia haberent, tamquam illos à quibus reciperent verba vitæ. Vnde cum nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Euangeliū non vetuisse, alioquin Paulus Apostolus Euāgelio contradiceret, qui se prima epistola ad Timotheum magistrum gentium vocat, quod maioris impudētiæ videtur, quam si ab aliis vocaretur. Dico ergo, quod secundum Euangelium pompa huius nominis condemnāda est, & nullatenus appetenda, sed officium assumendum. Quos enim magis decet Euangelium docere, quā qui Euangelium profitentur, & seruant? Nā cum dicat Euāgelium:

Mat. 23. a

1. Cor. 7. d

1. Tim. 2. c

Matth. 5. e

Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; quis sanæ mentis dicat, vt magister & frater Alexander diues, debuerit prædicare, & docere: Beati pauperes spiritu, & pauper effectus debuerit reticere? Certe, si fratres decet addiscere, & ruminare tamquam munda animalia, verba diuina, & sibiipsis sufficiunt in docendo; quis tam stultus est, vt dicat, quod doctrinam quam eos decet facere & docere, debeant à non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in magisterio pompam, sed commendo officium. Damno fratrem Minorem pomposum, & dico eum magisterio penitus indignum; sed commendo studiosum, credens quod nulli magis quam tali competat auctoritas docendi Euangelium Iesu Christi.

Restat igitur, vt de philosophātibus aliquid subiungamus. Audi charissime sicut in ceteris, sic & in hoc pariter concordemus. Fateor, displicent tibi curiositates, displicent & mihi, & displicēt fratribus bonis, & displicent Deo & Angelis suis. Nec defendo circa scripta puerilia mussitantes, sed detestor eos pariter tecum. Vnde & tibi & mihi consulo, vt habeamus zelum secundum scientiā, ne detestemur plus quā oportet. Fortassis enim inter peccata minuta, & venialia computādum est. Vix enim grana absq; paleis colligi possunt, & verba diuina sine verbis humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis & fletū deuotionis, quæ faciunt triticum veritatis à verborum paleis separari. Et fortasse videntur aliqui curiosi, qui magis sunt studiosi. Si quis enim studeret in dictis hæreticorum, vt eorum sententias declinando magis intelligeret vt veritatē, nec curiosus, nec hæreticus, sed Catholicus esset. Cum verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiā veritatis, & errorum confutationes, non deuiat à puritate in his aliquando studens, maximæ cum multæ sint conclusiones fidei, quæ sine his terminari non possunt. Vnde si velimus nimis stricte iudicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, iudicabimus curiosos. Nam nullus melius naturā temporis, & materiæ describit, quam Augustinus inquirendo & disputando in libro confessionum. Nullus melius exitus formarū, & propaginem rerum, quam ipse super Genesim ad litteram. Nullus melius quæstiones de anima, & de Deo, quam ipse in libro de Trinitate. Nullus melius naturam creationis mundi, quam ipse in libro de ciuitate Dei. Et, vt breuiter dicam, pauca aut nulla ponunt magistri in libris suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum de doctrina Christiana, vbi ostendit quomodo non potest intelligi sacra Scriptura sine aliarum scientiarū peritia. Ostendit etiam, quod sicut filij Israel asportauerunt vasa Ægypti, sic Doctores Theologi doctrinam philosophiæ. Vnde multa, quæ non didicimus per Philosophos de dictis philosophiæ didicimus per Sanctos. Ac per hoc non debet tibi esse mirum si minus fundati intrantes, fiant in scientia in ordine fundatiores. Sed esto, quod ista sint reprehensibilia & purganda, non propter hoc retraharis, quia nullus ad hoc cōpellitur, sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator. Nec Prælati talia præcipiunt, sed permittunt. Nec propter tres vel quattuor vitiosos, debet magister contēnere innocentes. Et si aliqui abundent libris ad tempus, aliis plerisq; multo plus indigētibus poterunt dispensari, cum multo plures egeant, quam abundent. Nec te moueat, quod fratres fuerunt in principio simplices & illiterati, immo magis debet hoc in te fidem ordinis confirmare. Fateor coram Deo, quod hoc est quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiā inuenta, sed per Christum: & quia opera Christi non deficiunt, ostendunt hoc opus fuisse diuinum, dum ad consortium virorum simplicium etiā sapientes nō sunt dedignati descendere, attendētes illud Apostoli: Si quis est inter vos sapiens, stultus fiat, vt sit sapiēs. *1. Cor. 3. d* Rogo charissime, vt non nimis abundes in sensu tuo, ne credas te prudentiorē nec meliorē omnibus, quos Deus ad statū istum vocauit, etsi vocauerit te, non recuses. Vale in Domino.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum.

DE PAVPERTATE CHRISTI CONTRA magistrum Guilelmum.

Tractatus iste de paupertate Christi duas quæstiones continet, alteram de paupertate in duos articulos diuisam: alteram de pauperibus validis præcipue regularibus an ad opera manualia sint astricti. Quas quidem quæstiones ita determinat, vt magistrum Guilelmum aduersarium conuincat, & veritatem aperte demonstret. Nam paupertatem tam quo ad abrenuntiationem, quam quo ad mendicitatem ad perfectionem pertinere docte & erudite ostendit. Est autem hoc Opusculum inter cetera S. Bonauenturæ à Trithemio connumeratum, eodem, quo hic inscribitur, titulo.

QVÆSTIO est de paupertate. Et quæruntur duo.

Primo quæritur de paupertate, quantum ad abrenunciationem.

Secundo, quantū ad mendicationem.

ARTICVLVS I.

De paupertate quantum ad abrenunciationem.

CIrca primum sic proceditur, & quæritur, vtrum Christianæ perfectionis sit abrenunciare omnibus, tam in communi, quam in priuato. Et quod sic videtur in Matthæo, vbi dicitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. *Mat. 19. c* Glossa: Ecce contemplatiua quæ ad Euangelium pertinet. constat quod Dominus istum ad diuitias non vocabat, & tamen renunciare omnibus consulebat; nec ad opera manualia, immo ad contemplatiuam, sicut dicit glossa: Ergo, &c.

Item ibidem dicitur: Ecce nos reliquimus omnia, *Mat. 19. d* vbi dicit Glossa: Tanta à sequentibus missa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt, ergo perfecta imitatio totaliter extinguit appetitum diuitiarum; sed hæc extinctio potissime est in eo, qui abrenunciat omnibus. ergo, & cetera.

Item Saluator ait: Vade, & vende omnia quæ habes. *Mat. 19. c* Glossa: Non partem, sicut Ananias, sed qui totum dat, nihil sibi reseruans, ipse potissime facit quod Dominus consulit, nihil sibi reseruans, nec in communi, nec in speciali; & qui hoc facit, perfectissime facit. ergo, &c.

Item dixit Dominus de vidua: Amen dico vobis, *Mar. 12. d* quod hæc vidua pauper plus quam omnes misit. Nam omnes ex eo, quod abundabat eis, miserunt; hæc autem de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum; sed in hoc laudatur vidua paupercula: ergo qui hoc faciunt quanto perfectius agunt, tanto magis laudabiles sunt. ergo, &c.

Item ait Dominus: Respicite coruos. *Luc. 12. c* Glossa: Sancti merito auibus comparantur, qui nihil in mundo agentes, nec laborantes, sola æterna appetunt, iam similes Angelis; sed quanto magis hæc dimittit quis, tanto magis Angelis assimilatur, ergo, & cetera.

Item in Luca dicitur: Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet. *Luc. 14. g* Glossa: Hoc distat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia; quia renunciare conuenit omnibus, qui ita licite vtuntur mundanis, quę possident, vt tamen mente tendant ad æterna; relinquere autem est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant. Sed qui

prorsus

prorsus omnibus renuntiat in communi, & in priuato, ille maxime omnia postponit:ergo,& cætera.

Matth. 8.c *Chrys. homil 28. in Matth. an. med. to. 2.* Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo dicitur: Vulpes foueas habent,&c. Chrysostomus: Quid pecunias expectas sequens me congregare? Non vides, quia diuersorium mihi neque tantum quantum auibus. ergo Christus prorsus nihil habuit.ergo,& cætera.

Mat. 17. d Item super illud Matthæi: Vade ad mare. Glossa: Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributa solueret non haberet, habebat quidem Iudas communia in loculis, sed res pauperum in vsus suos assumere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Si ergo Christus tātæ paupertatis fuit, quod non potuit soluere denarium, manifestum est,quod fuit in summa paupertate.

Luc. 9. g Item, vbi præmissum est: Vulpes foueas habent, ait Glossa: Ego tantæ paupertatis sum, vt nec hospitium quidem habeam,nec meo vtar tecto.ergo,&c.

Ioan. 14. d Item scriptum est: Venit princeps mundi huius &c. Glossa: Noluit Dominus habere quid perderet, pauper venit,ne haberet diabolus quod auferret.ergo si omnia temporalia possunt perdi,nihil habuit temporale.

2. Cor. 8. b Item Apostolus ait:Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi,quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues,vt illius inopia,&c.ergo qui sic abrenuntiat,vt egeat,magis se Christo conformat.

Item super illud quod sequitur:In hoc consilium do. Augustinus in originali: Factus est egenus in tantum, vt non haberet quod habent vulpes. & in hoc consilium do, subauditur, vt eius paupertatē imitemini; Sed qui abrenuntiat omnibus,eius paupertatem imitatur.ergo, & cætera.

Iacob. 2. b Item illud Iacobi: Nonne Deus elegit pauperes. Glossa: Pauperes elegit parentes, quorum educaretur officio. Sed parentum Christi magna fuit indigentia, secundum illud Lucę: *Luc. 2. a* Pannis eum inuoluit,&c. Ergo Christus non tantum in seipso paupertatem dilexit,verum etiam in aliis.

1. Pet. 2. d Item Christus maxime fuit imitabilis secundum statum quem habuit in cruce, secundum illud: Christus passus est pro nobis,relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sed in cruce fuit omnino nudus. Vnde *Hieron. ad Hedib. ep. 150. q. 1.* Hieronymus ad Hedibiā: Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis,fac quod fecerunt Apostoli,vende omnia quæ habes,& da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam, solamque crucem virtute nuda sequaris,& [illegible]:ergo,&c.

Amb. cōm. in Luc. lib. 6. c. 9. to. 3. Item hoc ipsum videtur Sanctorum testimoniis. Ambrosius super Lucam: Qualis debeat esse qui Euangelizat Regnum Dei, præceptis Euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidii sæcularis adminicula non requirens, fideq; tutus putet sibi quominus ea requirat, magis posse suppetere. Si igitur hoc attestatur perfectioni prædicatoris Euangelicæ perfectionis, vt nullum prorsus quærant adminiculum seculare, & hoc est esse in altissima paupertate. patet.ergo,& cætera.

Hieron. ep. 1. ad Heliodorum non longe à princ. Item Hieronymus ait: Nolo pristinarum necessitatum recorderis, nudos amat eremus; nolo te antiquæ peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, & eius crede sermonibus. *Mat. 6. d* Quærite primum Regnū Dei, & hęc omnia adiicietur vobis. Nō pera tibi sumenda est,non virga. diues est qui cū Christo pauper est. omnia igitur relinqui possent, spe posita in solo Christo.

Amb. lib. 2. de offic. to. 4. in fi. Item Ambrosius in lib. de offi. Nullum adminiculum præstant diuitiæ ad vitam beatam, quod euidenter Dominus demonstrauit in Euangelio, dicens: *Matt. 5. a* Beati pauperes spiritu, &c. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ mala putantur non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adiumento, euidentissime pronuntiatum est. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. Sed quæ non sunt adminiculo, sed dispendio perfectum est relinquere, ergo,& cætera.

Mat. 6. e Item * Hieronymus super illud Matthæi: Nonne anima plus est quam esca: ** Glos. ibid.* In promissis veritatis nemo dubitet, sit homo quod esse debet, & mox adduntur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. Ergo qui omnia relinquit propter Christum confidēs in promisso Christi, agit secundum perfectam fidem ipsius. Hoc autem potissime facit, qui omnino nihil sibi reseruat, nec in communi, nec in speciali, ergo, &c. Vnde Augustinus tractans illud Matthæi: *Mat. 6. d* Respicite volatilia cœli: Sancti merito auibus comparantur, quia cœlum petunt, qui iam ita remoti sunt à mundo, vt iam in terris nihil agāt, nihil laborent, sed sola contemplatione iam in cœlo degant. Si ergo hæc vita altissima est; ergo spretis omnibus totam spem vitæ suæ in Deo constituere est virtutis perfectæ.

Aug. de bono coniug. c. 8. in fine. tom. 6. Item Augustinus de bono coniugali: Bene faciebant, qui de sua substantia Christo, ac discipulis eius necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, vt expeditiores eundem Dominum sequerentur; sed quanto quis magis dimittit, tanto expeditior.ergo tanto laudabilior.

Idem lib de Ecclesi. dog. c. 71. tom. 3. Item in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus: Bonum est facultates cum dispensatione pauperib. erogare; melius pro intentione sequendi Dominum insimul donare,& absolutum à solicitudine cum Christo egere. Ergo qui magis eget, & à solicitudinibus mundi absoluitur, perfectius Christum sequitur.ergo,&c.

Greg. super Ezech. homil. 20. post med. Item Gregorius ait: Cum quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est. cum vero omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est. Qui enim sibimetipsis nihil reseruant, sed sensum: vitam, linguam, atq; substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant, quid isti nisi holocaustum offerunt? Vnde paulo ante dixit, quod ille holocaustum offert, qui ea quæ possidet, apud semetipsum decreuit indigentibus cuncta tribuere, nihil sibi reseruare, vitam soli supernæ gubernationi committere; sed hoc potissime facit qui sic distribuit, quod nihil sibi reseruat, nec in communi, nec in speciali,ergo,& cætera.

Item Ioannes Chrysostomus in lib. quod nemo læditur, nisi à seipso. Quid Apostolos penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame & siti,& nuditate degebāt. & pro his clari magis, & magnifici habebantur atq; ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum? Ergo Paupertas illa laudabilior, in qua maior est penuria rerum.

Bern. epist 42. ad Hēricum Senonen. Archiep. ante med. Item Bernardus ait: Fœlix qui nihil sibi retentat ex omnibus, non habet foueam vt vulpes, non tamquam volucres nidum, non loculos, quomodo Iudas, non domos, sicut nec Maria locum in diuersorio, imitatus profecto illum qui non habebat vbi reclinaret caput; sed qui omnia prorsus dimittit, nihil, sibi omnino nec in communi, nec in speciali retinendo, hoc potissime facit. ergo,& cætera.

Prosper de vita contemp. lib. 2. cap. 9. Item Prosper laudat Paulinum, & Hilarium de hoc, quod facultates suas omnes pauperibus erogauerunt, licet ratione Episcopalis officii, Ecclesiastica bona postmodum dispensauerunt, sicut habetur, 12. quæst. 1. Expedit, vbi ait sic: Denique sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, pauperibus erogauit. Et infra: Quid sanctus Hilarius? Nonne & ipse omnia sua, aut pauperibus reliquit, aut vendita omnia pauperibus erogauit? Laudantur hi, & laudabiles sunt, quia omnia sua propter Deum contempserunt. Sed hoc potissime faciunt, qui nec in communi, nec in speciali sibi aliquid retinent. ergo tales maxime accedunt ad culmen perfectionis Euangelicæ.

Item hoc ipsum ostēditur ratione. Duplex est ciuitas, scilicet Dei & diaboli, Hierusalem, & Babylon, quæ oppositionem habent, & in seipsis & in suis fundamentis; sed fundamentum ciuitatis Babylonis, vt dicit Augustinus, est cupiditas. ergo quāto magis quis recedit à cupiditate, tanto magis recedit de diaboli ciuitate. Sed paupertas in qua quis in communi,& in speciali prorsus

omnibus abrenuntiat tam effectu, quam affectu, ipsa est quæ maxime elongat ab auaritia. ergo, & cetera.

Item, diuitiæ sunt incentiuum cupiditatis, quia difficile est habere, & non amare. Sed quanto quis magis se elongat ab incentiuo peccati, tanto perfectius agit: hoc autem facit, qui in communi & speciali omnibus abrenunciat. ergo, & cetera.

Item triplex est consilium, paupertatis, obedientiæ, & castitatis; sed quanto quis generalius obedit, & vniuersalius, tanto perfectius agit, similiter & de consilio castitatis: ergo pari ratione verum erit, & de consilio paupertatis.

Item, si dicas quod non est simile, quia diuitiæ sunt de necessitate vitæ; hoc nihil est, cum multi qui nihil prorsus habent proprietatis, viuere possunt.

B

Item perfectior est paupertas, quam perfectior concomitatur obedientia. Sed qui habent propriũ in communi, ab illo per obedientiam non possunt excludi, nisi ratione peccati. qui autem nihil prorsus habent, obedire tenentur vbique terrarum. Si ergo perfectio Euangelica maxime consistit in perfectione obedientiæ, vniuersaliter omnibus abrenuntiare nihil prorsus reseruando, ad culmen facit perfectionis Euangelicæ.

Item: Contemptus præsentis sæculi est laudabilis: hæc est per se vera. ergo maior contemptus magis laudabilis, & maximus contemptus maxime laudabilis; sed maxime contemnit præsens sæculum, qui abrenunciat omnibus in communi, & in speciali. ergo talis perfectissime agit.

C

Item paupertas alta est laudabilis, hæc est per se vera, ergo altior, laudabilior, & altissima, laudabilissima; sed huiusmodi est, quæ nec in communi, nec in proprio aliquam proprietatem sibi reseruat, ergo, & cetera.

Item tanto via rectior, quanto eius medium conformius est extremis. sed summa paupertas est, tam in principio vitæ, quam in termino, ergo si in medio omnia abdicentur, via rectissima proceditur. Sed quanto via rectior, tanto perfectior est: ergo via, & vita pauperrima perfectissima est.

Eccli.27.a — *Arg. I. in contrarium.*

Sed contra in Ecclesiastico dicitur: Propter inopiam multi deliquerunt, sed nihil quod est ducẽs ad culpam, spectat ad perfectionem Euangelicam, ergo, &c.

Eccli.7.b

Item in Ecclesiastico dicitur: Vtilior est sapientia cum diuitiis. Glossa; quam sola; sed diuitiæ non faciunt hominem perfectum, ergo minus paupertas, & indigentia.

D

Prou.30.b

Item in Prouerbiis: Diuitias & mendicitatem ne dederis mihi. Et post: Ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei, sed nihil facit, ad perfectionem Euangelicam, quod sapiens sapienter recusat: ergo, &c.

Luc.6.f — II. — *Ioan.12.a*

Item Christus dicit: Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Sed Christus loculos habuit, sicut patet in Ioanne, vbi dicitur, quod Iudas loculos ferebat. ergo propter proprietatem nolle in communi habere, nõ videtur esse perfectio, sed potius superstitio, in qua discipulus videtur se velle præferre magistro. Si dicat, quod loculos non habuit. Contra Augustinus dicit: Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. *c.2.q.1.*

2Tim.6.b — III.

E

Item super illud: Habentes alimenta, &c. Glossa: Et si nihil intulerimus in hunc mundum, non tamen prorsus abiicienda sunt hæc temporalia. ergo qui totum abiicit, male facit.

IV. — *2.Cor.8.b*

Item 2. ad Corinth. 8. Si voluntas prompta est secundum id, quod habet. Glossa: Necessaria retineant, non vltra vires dando. ergo male facit qui sic dispẽsat, quod nihil sibi prorsus reseruat.

V.

Item: Qui tentat Deum, peccat mortaliter: sed qui habet humanum refugium, & illo prætermisso quærit diuinum, tentat Deum: hoc autem facit qui habet vnde sustentetur, & illo dimisso expectat diutius sustentari. ergo talis facit contra Euangelium.

VI.

Item virtus circa mediũ consistit, sed omnino omnia dimittere est ad extremum declinare. ergo hoc magis est vitij, quam virtutis seu perfectionis Euangelicæ.

VII.

Item sicut omnia tenere semper, est auaritia, sic omnia dare semper, est prodigalitas; sed omnia tenere semper est vitium. ergo similiter & omnia dare.

VIII.

Item: Qui subtrahit alij necessaria, peccat mortaliter, sed tantum tenetur quis sibi prouidere sicut alij. ergo qui omnia dimittit, & nihil sibi reseruat, peccat mortaliter: quia facit contra perfectionem Euangelicam.

IX.

Item: Qui exponit se periculo interfectionis, peccat mortaliter: ergo similiter qui exponit se periculo famis, sed talis est, qui omnia dimittit, & nihil sibi reseruat. ergo, &c.

X.

Item nullus debet reiicere omnino, quod quotidie petit à Deo, sed omni die petimus in oratione Dominica, Panem nostrum quotidianum. ergo male facit, qui deserit totum?

Responsio: Dicendum, quod abrenunciare omnibus tam in priuato, quã in communi est Christianæ perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam abundantis, tamquam perfectionis Euangelicæ consilium principale, & principium fundamentale, fundamentũ sublime. Primum suadet natura, secundum Scriptura, tertiũ gratia. Primum inquã, est consilium principale, quia viam præbet ad alia. Nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem, & ad voluntatis propriæ perfectam abnegationẽ, cum nihil sibi detineat, nec domum, nec tectum, nec aliquam rem. Ad ipsam autẽ specialiter viam facit ipsa natura, sibi instituta, siue lapsa. Nam homo nudus formatus est, & si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset: homo vero lapsus nudus nascitur, nud⁹ moritur. Et ideo hæc rectissima via est, vt ab extremis non declinans, quantũ potest natura pati, pauper & nudus incedat, & hoc est quod dicitur: Nihil intulimus in hunc mundũ, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Et ex hoc concludit: Habentes alimẽta, & quibus tegamur, &c. Hoc autem nihil arctius vel pauperius, quam simplici victu & operimento esse contentum, quod ex naturæ documẽto persuadet Apostolus, tamquã bonum & perfectum. *1.Tim.6.b* Est etiam principiũ fundamentale. Lex enim vetus differt à noua in hoc, quod illa timorem, hæc amorẽ, illa temporalia promittit, hæc temporalia contemnere docet. Si igitur fundamentum perfectionis ciuitatis Dei principaliter consistit in charitate, & illa potissime est perfecta, quãdo omnis excluditur cupiditas, quia venenum charitatis est cupiditas: hanc autem cupiditatem omnino foras mittit, quia omnia omnino, & re, & voluntate relinquit: sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix & principium perfectionis est altissima paupertas. Vnde Augustinus in lib. 83. quæstionum: Charitatis venenum est spes adipiscendorum ac retinẽdorum temporalium, nutrimẽtum eius imminutio cupiditatis, perfectio eius nulla cupiditas. Signum profectus eius imminutio timoris, signum perfectionis eius nullus timor: quia radix omnium malorum est cupiditas, & perfecta charitas foras mittit timorẽ. *Aug. lib. 83. quæst. q. 36. in princip. to. 4.* Illa igitur paupertas est perfectissima, quæ omnino cupiditatẽ exterminat. Est nihilominus fundamentum sublime, quia cum duplex sit vita ad quam disponit gratia, scilicet actiua & contemplatiua: actiua deorsum ordinat, sed contemplatiua sursum in cœlũ erigit. Nullus autem spiritus magis idoneus ad hoc quam ille, qui penitus est exoneratus ab onere temporalium, & qui thesaurum suum totum habet in cœlo, & cuius regnum non est de hoc mundo, qui nõ habet hic manentem ciuitatem, sed futurã inquirit. Talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenuntiat: & ideo talis iam fundamentum sui ædificij collocatũ habet in excelsis. Vnde Augustinus in libro de agone Christiano. *Aug. lib. de ago. Christ. c. 13. to. 3.* Cum cognitio & actio beatum hominem faciant: sicut in cognitione cauendus est error, sic in actione cauenda est nequitia. Errat autem si quis putat se veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter viuat: nequitia autem est mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur, & transeunt pro magno habere, & concupiscere, & pro his laborare vt acquirantur, & lætari cum abundauerint, &

timere

timere ne pereant, & contristari cum pereunt. Ille igitur potissime est idoneus ad contuitione sublimium, & ibi sublimiter fundatus, qui est perfectissimus contemptor omniũ istorum. talis est qui totũ cogitatum suum iactat in Domino, & omnem sollicitudinẽ, qui nullam prorsus habet possessionẽ. Est igitur perfectionis Christianæ pro Christo nihil in mundo possidere, nec in communi, nec in proprio. Idem Dominus expressissime consuluit: Idem exemplum in semetipso ostendit: Idem Spiritus sanctus in Sanctis hoc multipliciter persuasit. Nam huiusmodi arduissimam paupertatem, sicut ostensum est, persuadet natura, Scriptura, & gratia. Persuadet Dominus Iesus Christus, instruendo, conuersando, inspirando. Quis enim Spiritus, nisi Dei, facit hominem contemnere præsentia, & amare cœlestia? Nam hoc non facit spiritus diaboli, nec mundanus, nec proprius cum semper inclinent ad bonum priuatum, facit igitur Spiritus sanctus. Et hinc est, quod Spiritu sancto dictante, istum modum viuendi summus Pontifex approbauit, sicut dicit Decretalis de excess. prælat. Nimis praua, quod ordinem & regulam fratrum Prædicatorum, & Minorum sedes Apostolica noscitur approbasse: Vnde huic contrarium, nulli prorsus licet sentire. Quare tales videntur stulte agere, periculis se exponere, & Deum tentare. Nã contra tales dicitur in regula beati Francisci, in qua paupertas huiusmodi confirmatur: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Contra tales etiam dicit Augustinus in tractatu de eleemosyna: Elias in solitudine coruis ministrantibus pascitur, & Danieli in lacu ad leonum, prædam, iussu regis incluso, prandium diuinitus apportatur, & tu metuis ne operanti, etiam apud Dominum promerenti desit alimentum? cum ipse in Euangelio ad exprobrationem eorum, quorum mens dubia, & fides parua est, contestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neq; metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis? Volucres Deus pascit, & volucribus alimenta diurna præstantur, & quibus nullus diuinæ rei sensus est, eis nec cibus, nec potus deest; & tu Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An eis terrena deerunt, quibus cœlestia & diuina tribuũtur? Vnde hæc incredula cogitatio? vnde impia, & sacrilega ista meditatio? Quid faciet in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen. Nam cum in Euangelio de eleemosynis disputaret, & vt nobis amicos de terrenis lucris prouida operatione faceremus, qui nos postmodũ in æterna tabernacula susciperent, fideliter & salubriter præmoneret, addit post hoc Scriptura, dicens: Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum præclusæ aures, & corda cæcata, nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumẽ admittunt. De quibus mirari non debemus; quod contemnant in talibus seruos, quando à talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.

Matt. 6. d

Luc. 16. d

Ex hoc apparet euidenter, quod omnino omnibus abrenunciare, vniuersaliter pro Christo culpãdum non est, sed potius laudandum, tamquam culmen Euangelicæ perfectionis. Vnde rationes, exempla & auctoritates concedendæ sunt ad istam partem, ad quam sufficientissime astruendã vna sola auctoritas expressa ex ore Christi consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima etiam si multa glossarum expositarum, & Sanctorum dicta viderentur esse contraria. Ait enim Augustinus ad Paulinum de videndo Deo, sic: Attende quæ credis, & in eis ipsis quibus non visis accommodas fidem, ipsa testium pondera discernenda sunt. Nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio, aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum, numquid vllo modo Euangelio comparabis? An scripturam nostram scriptis canonicis coæquabis? Profecto si recte in iudicando sapis, longe nos infra vides ab illa auctoritate distare, & me quidem longius. Sed vtriq; nostrum quantumlibet credas, vtrumq; illi excellentiæ nequaquam comparas. Igitur quoniam diuina auctoritas sic expresse dicit omnia dimittenda ei, qui ad perfectionem conscendere cupit Euangelicam, manifestum est, quod verum certitudinaliter debet teneri, quod ei non possit sine periculo fidei obuiari.

Ad argumenta in contrarium.

Ad I.

Ad illud vero, quod primo obiicitur in contrarium, quod pertrahit ad peccatũ, & de egestate quæ facit periurare, dicendum, quod duplex est inopia, quædam voluntaria, & quædam inuoluntaria. Inopia inuoluntaria inducit defectum mentis, & pronitatem, & occasionem inducit ad peccandum. Inopia autem, seu paupertas voluntaria hæc habet adiunctã sufficientiam, iuxta illud: Tamquam nihil habentes, &c. Et hæc disponit ad iustitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonũ idoneam, sicut econtra radix omnium malorum est auaritia. Et est quod dicit Chrysostomus: Si volueris videre amantis aurum, animam quemadmodum vestimentum à decem millibus corrosum vermibus, & nihil habens sanum, ita inuenies perforatam eam vndiq; à sollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Sed non anima inopis voluntarij talis est, sed fulget quidem velut aurum, splendet autem velut margarita, florescit autem velut rosa. Non est illic tinea, nõ est illic fur, non est illic sollicitudo vitæ huius negotiorum, sed sicut Angelus ita conuersatur. Non subiacet dæmonibus, non assistit regi, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum Angelis; non habet thesaurum, terram, sed cœlum; non indiget seruis, magis autem habet seruos, possessiones, & cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur paupere hoc melius est vmquam? Pauimentum deniq; habet cœlum. Si autem pauimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet equos & currum. Quid autem ei opus est, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo? Ex his apparet, quod in voluntaria paupertate magna est sufficiẽtia, magna est nobilitas, quæ facit transcendere cuncta terrena.

2. Cor. 6. c

Chrysost. in Matth. hom. 47.

Vel potest dici aliter, quod illa dicta sunt tempore legis scriptæ, quæ temporalia promittebat, non æterna, in qua paupertas contemnebatur. Vnde Chrysostomus tractans prædictum verbũ, Diuitias, & mendicitatem, &c. dicit: Hæc dicebantur in veteri testamẽto, vbi multa ratio diuitiarum habebatur, vbi paupertatis plurimus erat contemptus. vbi hoc quidem maledictum, scilicet paupertas, illud autem benedictum, scilicet diuitiæ. Sed nunc nequaquam ita. Sed si vis audire paupertatis prædicatũ, ipsam professus est Christus & dixit: Filius autem hominis non habet vbi caput suũ reclinet. Et iterum dicipulis dicebat: Nolite possidere aurum. Ex quo apparet, quod auctoritas nõ est contraria assumentibus voluntariam paupertatem, cum illud dictum sit tempore legis scriptæ, istud autem tempore legis gratiæ. Nec illud dictum est in persona viri perfecti, sed potius infirmi, vt ex verbo Chrysostomi patet. Et per hoc patet responsio ad tres auctoritates primas.

Chrys. homil. 18. super epist. ad Hebr.

Luc. 9. g

Matt. 10. b

Ad II.

Ad illud quod obiicitur, quod Christus habuit loculos. Dicendum, quod Christus habuit loculos, tribus de causis. Habuit enim loculos pro pauperibus aliis, secundum quod dicit Hieronymus in auctoritate supraposita: Christus tantæ paupertatis fuit, &c. & hoc non tollit paupertatem summã. Habuit etiã loculos compatiendo infirmis. Sicut dicitur in Glossa super illud Psalmi: Producens fœnum iumẽtis. Dominus loculos habebat, vel habuit in vsus eorum, qui cum eo erant, & suos, & religiosas mulieres in comitatu quę ministrabant ei, de substantia sua, in his infirmorum magis personã suscipiens. Præuidit n. multos infirmos futuros, & ista quæsituros, & ibi eorundem personam suscepit, vbi dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et de his duobus supra illud Ioannis: Et quæ mittebantur, &c. Glossa: Cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum, condescendens infirmis. Habuit etiam loculos in articulo necessitatis, vtpote quando transibat per Samaritanos

Psal. 103. b

Mar. 14. d

ritanos, In quo etiam articulo, discipulis loculos habere permisit, secundum illud: Quando misi vos sine sacculo, & pera, &c. Glossa: Non eadem regula viuendi persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prędicandum, ne quid tollerent in via præcepit ordinans, scilicet vt qui Euãgelium nuntiat, de Euangelio viuat. Instante vero mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori illi regulam decreuit, permittens vt tollerēt necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus euangelizãdi redeat. Ex his enim Glossis, manifeste apparet, quod modus habendi loculos in Domino in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati & necessitati, vt tamē salua esset forma paupertatis, & exemplum quod pręcipue monstrare venerat hominibus. Iuxta quod dicit Apostolus: Factus est pro nobis egenus, vt illius inopia diuites essemus, paupertatem scilicet altissimam voluntarie imitando.

(Luc. 22. d; 2. Cor. 8. b)

Ad III. Ad illud quod obiicitur, de Glossa: Habētes alimenta. vbi dicitur. quod non sunt abiicienda omnino temporalia; dicendum quod intelligit de abiectione temporalium quantum ad vsum, non quantum ad dominium. Nam vsus temporalium necessarius est vitæ humanæ, qui tamen haberi potest absque dominio, & proprietate. Sic patet in pauperibus qui nihil proprietatis habent. Et quod iste sit intellectus, patet per illud quod sequitur in Glossa immediate vbi subditur: Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, qui vltra tendit, malum inuenit. Esse igitur contentum vsu tegumenti, & alimenti est modus perfectæ virtutis. Et sic Glossa debet intelligi. nec hoc repugnat altissimæ paupertati. Qui autem sic vellet temporalia abiicere, vt nec vellet alimenta suscipere, nec operimentum habere, non operaretur perfecte, sed stulte. Et hoc vult Glossa illa insinuare.

(1 Tim. 6. b)

Ad IV. Ad illud quod obiicitur de Glossa: Si voluntas prompta est. Glossa, vt necessaria remaneant: Dicendum quod Glossa illa truncata est, quia statim sequitur. Non hoc dicitur quin melius esset, scilicet totum dare, sed infirmis timet, quos sic dare monet, vt egestatem non patiantur. Ex quo apparet, quod Glossa illa potius facit ad contrarium, quam ad propositum, si sano oculo, & recto inspiciatur.

(2. Cor. 8. b)

Ad V. Ad illud quod obiicitur, quod qui sic vniuersaliter omnibus abrenunciat, tentat Deum, dicendum quod falsum est, tum propter diuina promissa, tum propter plurima remedia, quæ haberi possunt, tum propter exempla quibus manifeste videmus, quod tales pauperes sustentantur. Ex quo manifeste colligitur, si obuenati non sumus; quod talis modus abrenunciandi diuinitus inspiratur, nec facit tentare Deum, si sic abrenuncians diuinis promissionibus innititur, quin potius ille Deum tentat, qui de diuinis promissionibus dubitat. Propter quod Hieronymus super illud: Nonne anima plus est quā esca? In promissis veritatis nemo dubitet, sit homo quod esse debet, & mox adduntur ei omnia. Qui igitur de hoc dubitat sicut filij Israel, Deum tentat; qui dicebant. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? His autem non debent viri perfecti conformari, sed potius Apostolis: de quibus dicitur: Aporiamur, sed nō destituimur, id est, pauperes sumus à Deo, vt necessaria desint: sed non destituimur à Deo omnino; quia Deus pascit nos. Et quod illud extendatur non solum ad Apostolos, verum etiam ad eorum imitatores, apparet, per illud quod dicitur: Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ibi Glossa: Ipse Dominus omnipotens ad Iesum Naue, Non te deseram, quin dem necessaria, neque derelinquam, derelinqueretur ille, qui fame periret. Sed quia hoc non est, non sit homo cupidus. Hoc post mortem Moysi dixit Iosue, hoc etiam dicit omni speranti in se sicut Iosue: hæc enim nobis promittit, vt in illo spem nostram ponamus. Non tenacibus, non cupidis, sed sperantibus in eum fit ista promissio. Etiam quia poterat illis videri, quod hæc promissio ad Iosue tantum pertineret. Ad hoc Apostolus respondet, dicens quod nos iuuabit, sicut iuuit illum, quasi dicat: Non est dubitandum de promissione, quia Iesus Christus qui heri, id est, in præterito adiuuit Iosue, & ipse hodie, id est, in præsenti adiuuat nos, & alios fideles, & adiuuabit in futuro, in sæcula, id est, sine fine.

(Mat. 6. c; Psal. 77. c; 2. Cor. 4. c; Heb. vlt. a; Iosue 1. a)

Ad VI. Ad illud quod obiicitur, quod virtus consistit, circa medium, dicendum quod illud est verum, quantum ad ea, quę sunt necessitatis, sicut est largitas; sed fallit in his, quę sunt supererogationis, sicut est consiliū paupertatis, & castitatis. Talium enim perfectio potius attenditur secundum perfectam considerationem ad Christum, & diuinæ dilectionis modū, qui est, vt Deus super omnia diligatur, quam secundum superfluum, & diminutum circa exterius obiectum. Et quod illud sit verum, patet per Ambrosium in libro de officiis, vbi dicit: Officium omne, aut est medium, aut perfectum est, quod Scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus enim in Euangelio: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non homicidium facies, &c. Hæc sunt media officia, quibus aliquid deest. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, vbi diligendos inimicos, & orandum dicit pro calumniantibus, & persequentibus nos, si volumus perfecti esse. Hoc est igitur perfectum officium, quod catorthoma dixerunt Græci, quo corriguntur omnia, quæ ad aliquos potuerunt lapsus habere. Largitas igitur, quæ attenditur secundum officium medium, in largiendo seruat modum Paupertas vero spiritus, quæ attēditur secundum officium perfectum, tribuit totum. Vnde eodem libro in tractatu, De liberalitate, dicit: Liquet debere esse modum liberalitatis ne fiat inutilis largitas, cuius sobrietas est tenenda. De quo modo subiungit: Modus liberalitatis tenendus est, vt quod bene facis, id continue facere possis, ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni. Potuit enim donare Ioseph totas Ægypti opes, effundere thesauros regios, noluit tamen de alieno effusus videri. Maluit frumenta vendere, quam donare esurientibus; quia si paucis donasset, pluribus defuisset. Sed hoc spectat ad officium medium secundum quod ipse alibi dicit, tractans in eodem libro illud Apostoli. Non vt aliis refectio, vobis autem angustia. Aduertimus quemadmodum beneuolentia, & liberalitas, & modum comprehendit, & fructum atque personas. Ideo modū, quia imperfectis dabat consilium. Nō enim patimur, nisi perfecti. Verum quia perfectioni non repugnat modum tenere, si quis dispēset bona Ecclesiæ; Ideo subiungit. Sed si quis nolens Ecclesiam grauare, in sacerdotio constitutus aliquo, aut ministerio, non totum quod habet, conferat, sed operetur cū honestate, quæ officio sat est; non mihi imperfectus videtur. Ex dictis igitur colligitur, quod licet virtutis secundum statum comunem, & officium medium, sit tenere medium, perfectionis tamen Euangelicæ est relinquere totum. Si tamen in communi aliquid habeatur, vt dispensetur, hoc non facit imperfectum, nec totū vniuersaliter relinquere dicit excessum, quia hoc spectat ad perfectum officium, vt patet ex his quæ dicta sunt, & ex hoc quod Ambrosius præmittit in præcedenti capitulo, vbi sic ait: Ceterum Dominus non simul vult effundi opes, sed dispensari, nisi forte vt Elisæus boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticā daret. Si ergo pro disciplina prophetica sunt omnia relinquenda multo fortius pro perfectione Euangelica.

(Mat. 19. b; Mat. 19. c; 2. Cor. 8. c; 3 Reg. 19. d)

Ad VII. Ad illud quod obiicitur, quod omnia dispergere est prodigalitas, dicendū quod tunc est prodigalitas, quando omnia disperguntur pro vanitate, non autē quando dantur pro vtilitate, & sic est de Euangelica paupertate: quia Dominus centuplum restituet in præsenti cum tribulatione, & in futuro vitam æternam. Secus autem est de vniuersali retentione omnium. Illa enim

(Mat. 19. d)

non fit

non fit pro spirituali vtilitate, sed magis pro terrena cupiditate, ideo non est simile hinc & inde.

Ad VIII. Ad illud quod obiicitur, & qui alij subtrahit necessaria, &c. dicendum quod non est simile, quia qui subtrahit alij necessaria, violentiam facit, & inducit eum in paupertatem inuoluntariam. Qui autem subtrahit sibi, voluntarie facit, & in paupertatem voluntariã se inducit. Ac per hoc sicut argumentum illud non valet, Paupertas inuoluntaria nõ est laudanda, ergo nec voluntaria; sic non cogit ratio prædicta. Alius etiam est defectus in argumento prædicto, quia procedit per falsi suppositionem, pro eo quod omnibus vniuersaliter abrenuncians, necessaria sibi omnia non subtrahit, quia diuinæ prouidentiæ regimini se committit, & multos viuendi modos, & quærendi necessaria sibi relinquit.

Ad IX. Ad illud quod obiicitur, quod se exponit periculo famis, dicendum quod falsum est, sicut omnino apparet ex prædictis, & manifeste colligitur ex omnibus temporibus retroactis. Nusquam, & numquam legitur, quod aliquis volens in paupertate Deo seruire, pro defectu cibi fame perierit. Et hoc est quod dicit Augustinus in tractatu quodam de oratione Dominica. Neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum sit: Non occidet Dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum. Et iterum: Quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius, omnia promittit apponi, & iam cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel in leonum lacu iussu regis incluso, prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis ministrantibus, & volucribus cibum apportantibus, in persecutione nutritur. O humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parent, & aues pascunt, & homines insidiantur, & sæuiunt. Ex his manifeste colligitur, quod non est periculum, sed refugium, spretis omnibus totaliter se dedicare ad Deum colendum.

Prou. 10. a. Psal. 36. c. Luc. 12. d.

Ad X. Ad illud quod obiicitur, quod in oratione Dominica petimus panem nostrum quotidianum, dicendum quod hoc potius facit ad oppositum, quam ad propositum. Ex quo enim quotidie petimus victum diurnum, nec petimus quod habemus, manifestum est, quod Euangelicæ perfectionis est, quotidiano victu contentum. Quod quia nõ potest videri perfectio in cordibus auarorum, Dominus non solum ad hoc induxit consiliis sapientiæ, verumetiam exemplis naturæ, & oraculis gratiæ, vt sic saltem per illud triplex testimonium, paupertatis consilium firmiter comprobetur, sicut totius perfectionis Euangelicæ altissimũ, & stabile fundamentum.

ARTICVLVS II.

De paupertate quantum ad mendicitatem.

QVæritur de mendicatione. Vtrum mendicare pro Christo sit Christianæ perfectionis? & voco mendicare, eleemosynam quærere, seu de quotidianis eleemosynis viuere.

Psal. 33. b I. *Arg. partis negatiuæ.* Et quod non, videtur primo auctoritate Psalmi: Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum: ergo non stant simul inopem, & timere Deum.

Psal. 63. c II. Item Psalmus: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem; ergo qui panem quærit non est iustus, nec semen iusti.

Psal. 108. a III. Item Psalmus: Nutantes transferuntur filij eius, & mendicent, sed nihil quod Psalmista in Dei spiritu loquens imprecatur, spectat ad perfectionem Euangelicam, seu ad perfectam iustitiam, mendicare est huiusmodi, ergo, & cætera.

Eccl. 40. d IV. Item Ecclesiasticus: Fili mi vita tua ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere, ergo melius est mortuum esse, quam mendicum.

Act. 20. d V. Item in Apostolorum Actis, dicitur: Beatius est magis dare, quam accipere, sed dare eleemosynam non facit hominem peruenire ad perfectionem Euangelicam: ergo multo magis nec accipere.

Luc. 12. d VI. Item Saluator ait: Vendite quæ possidetis, vbi Glossa, vt omnibus simul pro Deo spretis, postea labore manuum operemini, vnde viuatis, vel eleemosynam faciatis, vnicuique igitur de proprio labore viuere, & eleemosynam facere spectat ad Euangelicam perfectionem: ergo oppositum eius, scilicet mendicare, & de alieno labore viuere, est contrarium perfectioni Euangelicæ.

1. Thess. 4. c VII. Item Apostolus dicit: Nullius aliquid desideretis, vbi Glossa, ne dum rogetis, vel tollatis. Si ergo plus est rogare, vel appetere, quam appetere, & primum tamquam illicitum ab Apostolo prohibetur, scilicet desiderare, vel appetere, quod est alterius, ergo multo fortius petere.

1. Thess. 5. c VIII. Item dicit: Rogamus vos, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino. Vbi Glossa: Sicut diuitiæ negligentiam pariunt saluti; sic egestas, dum saturari cupit, à iustitia declinat. Sed quod facit declinare à iustitia non pertinet ad perfectionem Euangelicam, ergo, & cetera.

2. Thess. 3. c IX. Item dicit Apostolus: Si quis non vult operari, non manducet: ergo vult Apostolus seruos Dei corporaliter operari, vt habeant vnde viuant, & non compellantur egestate necessaria petere; sed hoc est mendicantium, ergo seruorum Dei non est mendicare, secundum Apostolum.

X. Item eodem capitulo super illud, vt formam daremus vobis, vbi Glossa: Qui frequenter ad alienam mensam conuenit, otio deditus, necesse est vt aduletur pascenti se; sed adulari est contrarium veritati, & perfectioni: ergo, & cetera.

XI. *12. q. 1. Videntes.* Item dicit Vrbanus Papa, quod Episcopi omnibus communi vita viuere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent prout melius poterunt, vt nemo in eis egens inueniatur. Et post: Si quis extiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hoc auellere nitatur, iam dicta damnatione feriatur. ergo contra canonicas sanctiones est, quod aliqui viuant via communi in Ecclesia, egendo & mendicando in ea.

XII. Item de conse. dist. 1. Inhibetur ne Ecclesia consecretur, nisi prius dotetur: ergo si Ecclesia non debet consecrari, nisi habeant vnde sustententur, qui in ea ministrant, multo fortius, nec aliqua Religio institui debet sine possessione sustentatiua.

XIII. Item in iure ciuili inhibetur, quod validi non mendicent, lege. de mendicantibus validis, sed magis debet esse ordinata Ecclesia, quam Respublica. Si ergo quod validi mendicent, est contra rectam gubernationem Reipublicæ, multo magis contra perfectionis sublimitatem Euangelicæ.

XIV. Itẽ hoc ipsum ostenditur ratione: Mendicare est opus indifferens, sed indifferens nõ fit opus perfectionis per additionẽ finis, sicut apparet manifeste in aliis operibus, vt ire ad Ecclesiam, & facere eleemosynam, ergo, &c.

XV. Item perfectionis est, gratis, & liberaliter seruire, & obligationes peccatorum refugere; sed qui eleemosynam recipit, obligat se ad interueniendum pro peccatis alienis. si ergo obligatio huiusmodi perfectioni non consonat: ergo, & cetera.

XVI. Item huiusmodi qui mendicant, ex professione, aut hoc faciunt quia pauperes, aut quia Prædicatores: Si quia pauperes ergo omnes pauperes, qui mẽdicant perfecti sunt, quod est contra Augustinum in lib. De opere Monachorum, qui reprehendit Monachos mendicantes, & nihil operari volentes. Si quia prædicatores, ergo nullus mendicare debet inter eos, qui non prædicat, cuius contrarium videmus tota die.

XVII. *4. Reg. 5. f.* Item prædicare est quid spirituale, sed qui spirituale dat, & temporale accipit, similis est Giezi, qui pecuniã accepit à Naaman, obtentu beneficii spiritualis prius sibi exhibiti: hoc autem est damnabile, ergo damnabile est prædicatori mendicare, non ergo perfectionis Euangelicæ.

XVIII. Item perfectorum est abstinere à mala specie, sed hoc est mala species, quod prædicantes temporalia petant, quia in hoc sunt similes pseudoprædicatoribus. ergo, &c.

XXI. Item huiusmodi aut habent auctoritatem in prædicando, aut non habent. Si non habent, ergo male faciunt in prædicando, ergo nil merentur si habent; sed qui habent, possunt petere potestatiue: ergo tales prædicando iniuriantur auctoritati prædicationis Euangelij, ergo in hoc non sunt perfecti, sed impij.

XX. Item tutius, & perfectius est sequi viros perfectiores, probatiores, & sapientiores, sed viri probatissimi, & sapientissimi in Religionibus fuerunt Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius, & Paulinus: & tales sic sua reliquerunt, quod communia possederunt, nec mendicasse leguntur: ergo modus ita mendicandi de nouo introductus per Dominicum, & Franciscum iudicatur superstitiosus, & vanus, cum stultum videatur sensum, & spiritum duorum pauperum hominum præponere tantæ sapientiæ, & sublimitati Sanctorum præcedentium, & Doctorum.

Sed contra hoc videtur dictum illud Matthæi: *Mat. 10. b* Nolite possidere aurum, vel argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, neq; perã in via, neq; duas tunicas, nec calceamenta, vbi Glossa: Nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant. nihil præter indumentum, quo quis contentus esse potest. In hoc traditur forma Apostolis, & quod perfectionis est, perfectum est imitari: ergo taliter per mundum ire spectat ad perfectionem Euangelicam; sed hoc est mendicare, & viuere de eleemosyna, igitur hoc spectat ad Euangelicam perfectionem.

Mat. 6. a Item: Præcepit eis ne quid tollerent in via, neq; panem, neque in zonis æs. Aut igitur præcepit tamquam Prælatis, aut tamquam perfectis. Si tamquam Prælatis, ergo ad illud ad quod adhuc essent astricti, quod manifeste falsum est. Præcepit igitur eis tamquam viris perfectis. Sed perfectio proponitur communiter omnibus *Mat. 19. b* imitanda, quia dicit: Qui potest capere, capiat. ergo sic viuere spectat ad perfectionem Euangelicam.

Luc. 9. a Item Saluator dicit: Nihil tuleritis in via neq; virgam, neque peram, neque panem, neq; pecuniam, vbi Glossa: Virgam non ferre, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi, quia hæc debentur Prædicatoribus. Si ergo excludere sollicitudinem de necessaria sustentatione, Dominus persuasit Apostolis, quos etiam ad prædicandum inter infideles mitit; multo fortius cùm prædicatur Euangelium fidelibus, perfectionis est de huiusmodi non esse sollicitum, sed victu & vestitu sibi dato esse contentum.

Ibidem. Item ait: Quicumque susceperit puerum in nomine meo, ibi Glossa interlinearis, pauperem. Et alia Glossa: Qui imitatorem Christi recipit, Christum recipit. Ergo *Mat. 18. a* cum suscipitur pauper imitans Christum, suscipitur Christus. Si ergo perfectionis Euangelicæ est esse pauperem, & Christi imitatorem; perfectionis Euangelicæ est in tali paupere pro Christo suscipi. Qui ergo mendicando petit, à perfectione Euangelica non recedit.

Luc. 10. a Item dicit: Nolite portare sacculum, neque peram, vbi Glossa: Tanta debet Prædicatori esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus etsi nõ præuideat; sibi tamen non defecturos certissime sciat, ne dũ occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. Ad expeditionem igitur prædicationẽ veritatis facit, quod quis temporalia non præuideat sibi, sed expectet sibi ab aliis dari cum necesse habuerit. ergo talis modus viuendi consonat veritati, & Euangelicæ perfectioni.

Luc. 16. b Item alibi dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, vbi Glossa: Non quoslibet pauperes, sed *Mat. 5. a* eos, qui possunt in æterna tabernacula recipere; sed tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. ergo secundum diuinum consilium est, quod eleemosynæ talibus pauperibus dentur, & quod ab eis suscipiantur. Sed quod diuino consilio consonat, perfectioni Euangelicæ non repugnat. ergo, &c.

Item Hieronymus aduersus Vigilantiũ tractans præmissum verbũ, dicit: Num isti pauperes, inter quorum sordes, & illuuiem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur. De quibus scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est; in sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiæ, vt ei tribuat qui erubescit accipere, & dum acceperit, dolet, metens carnalia, & seminans spiritualia. Hæc Hieronymus. *Hiero. aduers. Vigilant. longe post med.* *Psal. 40. a*

Item Apostolus ait: Vestra abundantia illorum inopiã suppleat, vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum. Glossa: Vestra abundantia terrenorum, suppleat illorum inopiam, vt è conuerso abundantia illorum spiritualium, qui diuinis vacant, vestræ sit inopiæ supplementum. Si ergo hoc spectat ad perfectionem Dominici corporis, quod membra sibi communicent ratione dati, & accepti; ad perfectionẽ Ecclesiæ, & Euangelij facit quod pauperes iusti sustentationem petant & accipiant à diuitibus mundanis & imperfectis. Si dicas, quod possunt accipere, sed non petere hoc nihil est, quia diuites mũdani possunt petere orationes virorum spiritualium ad releuandum inopiam meritorum suorum. ergo versa vice possunt pauperes spirituales petere eleemosynam corporalem ad sustentationẽ corporum. *2. Cor. 8. e*

Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo Psalmista: Ego autem mendicus sum & pauper. Glossa: Hoc dicit Christus de se. Ego mendicus sum in forma serui. Mendicus est, qui ab alio petit, pauper est, qui sibi non sufficit. Sed constat, quod hoc non intelligitur de Christo quantum ad dona, siue bona spiritualia, quia comprehensor & omnis gratiæ plenus erat: ergo intelligitur quantum ad dona temporalia, igitur quantum ad illa mendicus erat, & ab alio petebat. *Psal. 39. d*

Item Psalmista: Persecutus est hominem inopem, & mendicum. Glossa, scilicet Christum. Pauperes persequi sola sæuitia est. Alij vero pro diuitiis & honoribus interdum huiusmodi patiuntur. Aut ergo dicitur Christus mendicus, quia mendicabat à Patre, aut quia mendicabat ab homine. Si quia mendicabat à Patre, ergo omnes homines sunt mendici, tam diuites, quam pauperes, ergo Christum persequi nõ fuisset summa sæuitia. Si quia mendicabat ab hominibus habemus propositum. *Psal. 108. b*

Item Dominus circũspectis omnibus exiit in Bethaniam, vbi Glossa: Si quis eum hospitio susciperet, tantæ enim paupertatis fuit, vt ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullum hospitium inueniret, & constat, si voluisset hospitium conducere, inuenisset ad conducendũ. ergo circumspiciebat tamquam pauperculus, & mendicus. *Mar. 11. b*

Item ait: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Glossa: Nõ inuitatus inuitat, sed inuitare alium ad hoc, quod eum recipiat hospitio, nihil aliud est, quã mendicare & petere. ergo, &c. *Luc. 19. a*

Item dicit: † Da mihi bibere, vbi Augustinus: In omni ore quam Christus gessit vt homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum. Et post: Petit bibere, & promittit bibere. eget quasi accepturus, & promittit quasi satiaturus. Sed constat, quod potu spirituali non egebat. ergo corporali potu egebat, & illum postulabat. Sed obiicies Glossam quasi contrariam, quæ dicit, Licet Iesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit, sed hoc intelligitur, quod principaliter hunc potum non petebat, ne Glossa facto contradicat. *† Ioã. 4. a* *Aug. tract. 15. in Ioan. non longe à prin. & ibi. inf. ante med.*

Item Hieronymus ad Rusticum: Quid Samaritana vilius? ipsa tamen nõ solum credit Messiam, quem cognoscit ad fontem, sed & discipulis ementibus, esurientem reficit, lassumq; sustentat. ergo videtur quod Christus ab illa fuerit sustentatus corporaliter. *Hiero. epist. 4. ad Rust. non longe à prin.*

Item sicut Euãgelica narrat historia, Christus inuitatus à Pharisæis comedebat cũ eis, aut ergo sicut Dominus, aut sicut pauper. Si tanquã Dominus, ergo nõ dedit

exemplum

exemplum paupertatis. Si tamquam pauper, sed hoc est mendicare. ergo, &c.

Heb.11.g.

Idem ad hoc est exemplum Sanctorum. Nam dicitur in laude Sanctorum: Circumierunt in melotis in pellibus egentes, &c. sed taliter circumire est mendicare. ergo &c.

3.Reg.17.b.

Item est exemplum de Elia, de quo Augustinus in quodam sermone: Numquid Deus deseruerat seruum suum Eliam? Nonne illi, cui deerant homines, ministrabant aues? Ostendit ergo Deus, quia vnde voluit, & quando voluit pascere seruos suos potuit, & tamen vt posset eum religiosa vidua pascere, fecit eum egere.

Item ad hoc est exemplum, discipulorum Ioannis Euangelistæ, de quibus in eius legenda dicitur, quod vendentes omnia, quæ habere potuerunt, dederunt egenis, & post subditur, quod tentati sunt, quod se in vno pallio viderunt egentes, seruos autem suos diuites, atque fulgentes.

1.Cor.4.c

Item exemplum discipulorum Pauli. Vnde Chrysostomus de laudibus Pauli: Paulus pecunias non possedit, nam & ipse hoc testatur: Vsque ad hanc, inquit, horam, & esurimus, & sitimus, nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus. Et quid dico pecuniam, cum ille quidem necessarium sæpe non haberet cibum, nec quo circumdaret indumentum: & sequitur: Discipulorum quam plurimi pauperes imperiti, ac totius eruditionis extranei, in fame & egestate viuentes, ignobiles, &c. ergo discipuli Pauli fuerunt mendici.

Greg. lib. 2. Dial.c.1.

Item adhoc est exemplum de beato Benedicto, de quo legitur in 2. dialogorũ, quod per triennium fuit in specu, nihil omnino operans, sed Romanus quidam monachus sibi panem ministrabat, & constat quod Benedictus in hoc non peccabat.

Item, exemplum de sancto Alexio, qui fuit vir miræ sanctitatis, in cuius legenda legitur, quod cum esset filius ditissimi Romani, contempto patrimonio, iuit mendicando per mundum.

Item, exemplum de sancto Dominico, qui in morte sua imprecatus est omnibus maledictionem, qui in ordinem suum possessiones conarentur inducere: ergo volebat, quod de eleemosynis viuerent, iuxta quod ipse vixit.

Item ad hoc exemplum de beato Francisco, qui non solum mendicauit & mendicare consuluit, sed etiam mendicationem suam miraculis confirmauit, sicut patuit in nautis, quos ciborum suorum reliquiis satiauit, & satiatos liberauit, & per regulam quam à summo Pontifice approbatam confirmari fecit, in qua dicit, quod fratres in paupertate, & humilitate Deo famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter, &c.

Iob 7.a. Greg. lib. 8. Moral. c. 5. ante med.

Item Gregorius in Moralibus super illud: Noctes laboriosas enumeraui mihi: Electi Conditori rerum seruiunt, & sæpe rerum inopia coangustantur; per amorem Deo inhærent, & tamen subsidijs præsentis vitæ egent. Egere ergo subsidiis præsentis vitæ competit Sanctorum perfectioni.

Hieron. ad Iulianum epist.34. post med.

Item Hieronymus in epistola ad quendã virum hospitalem: Multus à te per insulas Dalmatiæ Sanctorum numerus sustentatur: sed melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viueres. Ergo melius est eleemosynis viuere quam elemosynas dare.

Item, hoc ipsum ostenditur ratione: Qualis est habitus, talis est actus; sed omnino pauperis secundum quod pauper, actus est egere, & mendicare. Ergo si esse pauperem bonum est, mendicare pro Christo laudabile est & perfectum.

Item, mendicare non prohibetur lege naturę, nec lege Scripturæ, nec lege gratiæ; sed quod non est prohibitum, per obedientiam impositum, efficitur laudabile & meritorium, maxime si sit difficile, & onerosum. ergo si aliqui ex professione habeant mendicare, cum hoc ex obedientia faciant, erit eis laudabile & perfectum.

Item, Ecclesia imponit in pęna satisfactionis mendicationem temporalem, vel etiam perpetuam. Sed hoc non imponeret, nisi esset satisfactorium: sed qui ad opus satisfactorium voluntarie se astringit, perfecte agit. ergo qui pro Christo semper deuouit mendicare, hic agit perfecte & laudabiliter.

Item, contemptus sui est perfectionis, & maior contemptus maioris perfectionis. Sed qui pro Christo mendicat, maxime se ipsum contemnit & abiicit: ergo talis perfectissime agit. Item plus placet Deo paupertas voluntaria, quam inuoluntaria; ergo & mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placida: sed prima potest esse laudabilis & meritoria, ergo multo magis secunda.

Item qui seruit alicui Domino, meretur sustentari ab illo. Sed qui omnibus abrenuntiat & consilia implet, maximo Domino seruit. Ergo talis maxime meretur à Domino sustentari. Ergo & à seruis Domini. Si ergo pauper voluntarius est, hoc ipso quod talis, si eleemosynam petit, iuste petit.

Item, qui dat maiora, potest recipere minora; sed pauper orans impendit misericordiam spiritualem: ergo multo fortius potest recipere eleemosynam corporalem.

Item, prædicans ex auctoritate potest recipere sumptus potestatiue; ergo prædicans ex subauctoritate, & commissione, seu demandatione, petere potest suppliciter.

Item, qui seruit alteri, iuste sustentatur ab illo; ergo qui vniuersali Ecclesiæ deseruiunt, iuste sustentantur ab vniuersali mundo; ergo si qui sunt qui verbo & exemplo per mundum discurrendo deseruiunt populo Christiano, merito sustentationem petere possunt ab ipso.

Item, si licet recipere maius, multo fortius licet recipere minus. Sed pauperibus religiosis, qui propriis renuntiauerunt, licet recipere amplissimas possessiones; ergo multo fortius licet recipere diurnas sustentationes. Alioquin monstruosum videtur dicere, quod liceat recipere centum marcas auri, & non liceat recipere centum frusta panis. Si dicas, quod licet accipere, Sed non licet petere, hoc nihil prorsus est, quia petere ordinatur ad accipere, & propter illud est; & sicut plus est dare, quam promittere, sic plus est recipere quam petere. Sed constans est, quod quidquid licet dare, licet promittere; ergo quidquid licet accipere, licet petere.

Item, si amicus petit ab amico suo donum, contra nullam legem agit, nec iste petendo, nec ille dando, nec iste rursus accipiendo: sed lex charitatis, & amoris diuini est magis communicatiua, quam lex socialis; ergo si quis petat sibi aliquid dari amore Dei, in nullo offendit, nec in aliquo à perfectione recedit.

Item indubitanter licet petere aliquid, in cuius donatione potior sit conditio dantis, sed qui dat aliquid pro Deo, feneratur Domino, & temporale commutat pro æterno, & ad opus virtutis nobilissimæ se exercet, scilicet pietatis. Ergo si hæc omnia eueniunt ei ratione postulantis, pauper qui eleemosynam petit potissime facit, secundum legem charitatis, ergo à perfectione in nullo recedit.

Triplex modus mẽdicitatis.

Responsio: Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod tripliciter contingit, mendicare. Et primus modus est ex necessitate naturę, & hic modus est, cum quis mendicat non solum quia pauper, verumetiam quia habet infirmitatem, vel debilitatem, vel vtrumque. Hic autem modus miserabilis est, & tolerabilis, & per patientiam bonam fit meritorius, & laudabilis. Sicut legitur de Lazaro, quia erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis vlceribus plenus, Et post subditur, quia mortuus est mendicus, & perlatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. De diuite autem dicitur, quod sepultus est in inferno. Ex quo colligitur, quod mendicitas etiam ex necessitate veniens, occasio ductiua est in viam salutis æternæ. Iuxta quod dicit Gregorius, quod mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.

Luc.16.e.

Secundus modus mendicandi est ex vitiositate culpæ, & hic est cum quis mendicat, vel pro otio fouendo, vel pro lucro cumulando, vel vtroque modo. Et hic inquam modus vituperabilis est in omnibus taliter mendicantibus. De quibus dicit Ambrosius in lib. de officiis. Petitionis causa veniunt validi nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia euacuare pauperum, exinanire sumptum, nec exiguo contenti, maiora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. Licet autem in omnibus merito debeat reprehendi, reprehendendum est tamen potissime in eis, qui habent speciem pietatis & sanctitatis. De quibus dicit Augustinus in lib. De opere Monachorum: Nullo modo decet, vt in ea vita, vbi Senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quo veniunt relictis diuitiis suis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant rustici delicati. Et post ad reprehendendum eorum otium, & quæstum subiungit: Callidissimus hostis tamen multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant, alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant, alij parentes suos, vel consanguineos, illa, vel illa regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Contra tales multum inuehitur beatus Augustinus in libro de opere Monachorum, pro eo quod pigritiam non tantum in se ipsis mendicando fouebant, verumetiam prædicando aliis suadebant, male intelligentes Euangelium, vbi videtur insinuare quod nō sit ab hominibus, sicut nec ab auibus laborandum, & peius exponentes Apostolum, vbi persuadet fratribus operari, dicentes esse intelligendum illud de labore spirituali, & non corporali. Et quia in hoc se ipsos decipiebant, & alios, ideo reprehendit eos Augustinus, & multipliciter ostendit contrarium per totum librum de opere Monachorum, qui totus est contra illos, qui approbant hunc secundum mendicandi modum. Vnde in talibus dicit: Qui tamquam conseruatricem Euangelij prædicantes erant pigritiam, tamquam præuaricatricem accusantes misericordiam. Vtinam isti qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis. Neque enim tam multos ad imitationem inuitarent, si eis etiam non tantum pigra verumetiam muta proponerent. Nunc autem contra Apostolū Christi recitant Euangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, vt impedire velint Euangelium.

Amb. lib. 2. de offi. c. 26. statu. à prin. — *Aug. lib. de oper. Mon. c. 25. in fi. tō. 3* — *ibid. c. 28.* — *Aug. ibid. c. 22. & 23.*

Tertius autem modus mendicandi est ex supererogatione iustitię, & hoc est cum quis mendicat pro Christo imitando, vel pro Euangelizando, vel vtroque modo pro Christo, inquam, imitando quantum ad contemptum sui, affectum proximi, & cultum Dei. Nam in his tribus potissime debemus Christum imitari. Quod quidem facit, qui voluntarie mendicat pro nomine Christi, vt seipsum vilificet, & humiliet, vt proximum suum ædificet, & prouocet ad pietatem, & vt vacet Deo libera mente deposita omni sæculi sollicitudine. Et de talibus Augustinus in quodam sermone Quadragesimali: In isto tempore, vt nouerimus, quantum commendat Deus opera misericordiæ ipsos sanctos suos egere fecit: vt cum fuerint facti amici Dei de mammona iniquitatis recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula: idest vt cum serui Dei pij, dum iugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi diuitias, eleemosynas largiantur. Et quomodo illos participes faciūt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur in vita æterna. Ex quo apparet, quod talis mendicatio laudabilis est quæ fit pro Christo imitando. Similiter & ea quæ fit pro Christo euangelizando, quia vim præbet Euangelio, ratione eius quod prædicatur, quia prædicamus mundi contemptum quod efficacius suadetur verbo, & exemplo quā solo verbo. A pluribus prædicatur, si prædicantes viuūt de Euangelio, quam si compellerentur viuere de sumptu, aut labore proprio. A pluribus etiam efficacius suscipientibus documenta largiuntur beneficia sustētantia. Hoc est quod dicit Ioānes Chrysostomus manifestum est. quoniā discipulos ab eis quibus prædicabant cibari oportebat, vt neque ipsi magna sapiant aduersus eos, qui docebant, vt omnia præbentes, & nihil accipientes ab eis, nec illi rursus abscindantur despecti ab eis. Deinde vt non dicant mendicātes, igitur iubes nos viuere, & verecundentur, in hoc monstrat hoc debitū existere, & operatores eos vocans, & quod datur mercedem nominans. Ne enim quia in sermonibus est operatio, existiment paruū beneficium quod est à nobis. Etenim labores habet hic multos, & quidquid dederint qui docētur, non largientes præbēt, sed retributionem reddentes. Quando igitur quis mendicat pro Christo imitando, & Euangelizando, secundum formam præscriptam; non solum non peccat, verumetiam implet perfectam iustitiā. Primum quia multum debetur sustentatio, pauperi Christum imitanti. Secundo, quia magis debetur tamquam pauperi Euangelico Christum Euangelizanti. Tertio, quia maxime debetur pauperi grato debitum pro gratia humiliter accipienti, & humiliter supplicanti, quippe cum sit liber ex omnibus, facit se omnium seruum. Et hoc est quod dicit Augustinus super illud Psalmistæ: Producens fenum iumenti, & cætera. Producens inquit, fenum, id est temporalia; iumentis, id est Prædicatoribus, vt de Euangelio viuant, qui Euangelium annuntiat, & herbam, id est temporalia, seruituti hominum, id est prædicatoribus seruis hominum pro Christo. Vnde Apostolus: Cum essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci. quę seruitus est ex charitate, quæ facit humiles, qui pro Christo serui hominum fiunt, vtilitati fratrum attendentes. Hęc sunt iumenta quibus debetur herba, & merces, quia seruiunt, De quibus dicitur: Non alligabis os bouis triturantis. Et: dignus est operarius merce de sua. Debentur enim prædicatoribus temporalia, quia largiuntur spiritualia. Vnde Apostolus si seminauimus vobis spiritualia, non magnum est si vestra carnalia metamus. Pro quibus dicitur: Beatus qui præoccupat vocem petituri, idest, qui intelligit super egenum & pauperem. Non enim ita debes agere boui trituranti, vt mendico transeunti. Ille enim, idest mendico, das quod legitur; Omni petenti da, huic etiam non petenti dare debes. Vide ergo ne si indigeat miles Christi, vt petat, te iudicet, idest, damnabilem ostendat. Sicut enim dicitur de illo, qui te quærit, Da omni petenti; sic de eo Prædicatore, quem tu quærere debes dicitur: Desudet eleemosyna in manu tua donec inuenias iustum cui des. Omni petenti, ergo quicumque sit, da, agnoscens in eo cui des, sed multo magis da seruo Dei, militi Christi, etiam non petenti. Ex his igitur manifeste apparet, quod in Christi Prædicatore, & Euangelizatore mendicare non est vitij, nec culpæ, sed magis perfectionis Euangelicæ. Vnde rationes, & auctoritates, & exempla concedenda sunt, quæ ad hanc partem inducūtur. Nam si quis impugnare, & improbare velit omnem mendicandi modum in seruis Christi, impugnare videtur non tantum ordinem pauperum, verumetiam ipsum summum Pontificem, qui approbauit hunc viuendi modum. Nec etiam tantum ipsum, verumetiam hunc magnum cœtum sanctorum, qui mendicauerunt, videlicet Franciscum, Dominicum, Alexium, Benedictum, & ipsum cuneum apostolorum, & Prophetarum, necnon, & ipsum Dominum Iesum Christum, quem scriptura nō veretur dicere pauperem, & mendicum: cum maiora de ipso dicat, & sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis, non tantum pauper, & mendicus fuit propter nostrum exemplum, sed etiam nudatus, & vilificatus vsque ab abiectionis genus extremum, vt exemplum daret perfecte contemnendum mundum. Postremo super hæc omnia mala subuerti videtur vniuersus Ecclesiæ status. Si enim illicitum est per eleemosynarum acceptionem pauperibus Christi

Mēdicitas supererogationis laudabilis est. — *Aug. lib. 50. homil. 18. nō longe à prin. to. 10.* — *Chrys. hom. 33. in Matth. post med.* — *Aug. enar. in Ps. 103. conc.* — *1. Cor. 9. c* — *1. Cor. 9. b.* — *Luc. 10. b* — *1. Cor. 9. b* — *Luc. 6. d*

accipere amplitudinem, & multitudinē possessionum, & magnorum redituum; quis enim ita absurdus est, qui dicat licere alicui accipere talentum auri, & non frustū panis? Quod si hoc verum est, cum vniuersarum ecclesiarum possessiones, tam in religiosis proprietatem habentibus quam in clericis sæcularibus habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntarie, & gratis datarum; videbitur ex hoc subuerti status vniuersarum ecclesiarum si eleemosynas accipere, vel de eleemosynis viuere, seu in parua quantitate, seu in magna, illicitum iudicetur; nisi forte quis dicat, quod licitum est accipere, sed non est licitum petere. Sed hoc mirum videtur quod aliquis possit in illud quod maius est, & non possit in illud quod minus est. Quod aliquod monasteriū possit recipere centum marcas auri in reditibus ab aliquo principe, & vnum pauperculum non posse suæ indigentiæ releuationem supplicitor implorare. Quod aliquis possit ex amicitia petere ab amico, & Christianus non possit charitate petere à Christiano. Et quod aliquis possit petere aliqua expedientia ad alicuius diuitis monasterij securitatem, & abundantiam, & pauper voluntarius, non possit petere vitæ sustentamentum. Et quod aliquis scholaris possit licite mendicare pro amore proficiendi in cognitione scientiæ, quæ inflat, vt tandem perueniat ad temporales diuitias; & pauper religiosus non possit petere pro amore proficiendi in charitate & humilitate, quæ ædificat, vt tandem perueniat ad vitam æternam, & cætera consimilia quæ valde videntur absurda. Si ergo hæc omnia non parua, sed magna inconuenientia sunt; tenendum est, quod liceat pauperibus sustentari de eleemosynis aliorum, saltem secundum tertium mendicandi modum superius explicatum.

Ad argumenta partis negatiuæ.

Ad I. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod non est inopia timentibus Deum, dicendum quod duplex est inopia, scilicet corporalis & spiritualis. Verbum autem illud intelligitur de inopia non quacumque, sed spirituali. Et quod illud sit verū, apparet per illud quod immediate sequitur: Diuites eguerunt, & esurierunt, constat quod illud non intelligitur de egestate diuitiarum materialium, restat igitur, quod de inopia spiritualium, quæ licet sit in diuitibus, non tamen est in timentibus Deum, quia timor est initium Sapientiæ, de qua dicitur. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Sap. 7. b.*

Psal. 36. e. *Ad II.* Ad illud quod obiicitur de psalmo: non vidi iustum derelictum, dicendum, quod duplex est panis, scilicet corporalis & spiritualis. Verbum autem illud nō intelligitur de pane corporali, sed pane spirituali. Et quod illud sit verum, apparet per Glossam ibidem: Nec semen eius quærens panē spiritualem, id est indigere pane verbi Dei, quia verbum Dei semper cum eo est. Potest etiā littera sic construi, vt intelligatur: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem vidi derelictum; quia secundum quod dicitur sicut illud Pauli Apostoli: Non te deseram, neq; derelinquā. Glossa: Derelinqueretur ille, qui fame periret. Vult ergo dicere Propheta, ꝙ nec iustum, nec semen eius vidit fame mortuū, & hoc à paupertate non reuocat, sed potius inuitat.

Ad III. Ad illud quod obiicitur quod mendicatio est, malū, quod imprecatur psalmista in spiritu Dei loquēs, dicendum, quod est mendicatio voluntaria, & mendicatio coacta, quæ est cum murmure, & impatientia. Prima est meritoria; secūda est demeritoria, & afflictiua. Et Psalmus intelligitur de secūda, nō de prima. Et quod illud sit verum, apparet per textum, quia dicitur: Nutantes transferantur, & eiiciantur, & hæc omnia in coactionem, & violentiam sonare videntur.

Eccli. 40. d *Ad IV.* Ad illud quod obiicitur de Ecclesiastico, Fili in vita tua ne indigeas; dicendum est, quod iuxta distinctionē præhabitam, verbum illud intelligendum est de indigentia spirituali respectu gratiæ, non de temporali respectu sustentationis naturæ. Et quod sit verum apparet per Glossam: Ne indigeas, inquit Glossa, virtutibus vel bonis moribus.

Act. 20. b *Ad V.* Ad illud quod obiicitur, quod beatiꝰ est magis dare, quam accipere, dicendum quod illud est verum, quando acceptio eleemosynæ venit ex necessitate naturæ; non autem quando venit ex supererogatione iustitiæ, iuxta distinctionem factam in principali solutione. Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus: bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum à sollicitudine cū Christo egere. Hoc ipsum dicit Augustinus in libro De bono coniugali, sicut in præcedenti quæstione allegatum fuit. *Aug. lib. de Eccl. dogm. c. 71. tom. 3.* *De bo coniu. cap. 8. in fi. tom. 6.*

Luc. 12. d. *Ad VI.* Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod omnibus pro Deo spretis, debent labore manuum operari, dicendum quod illud est consilium, quantum ad primum, quod dicitur: Vendite quæ possidetis: quantum ad secundum autem est solum de bene esse consilij, quod non astringit etiam viros perfectos, illos potissime qui possunt circa maiora bona occupari. Et quod illud sit verū apparet, per eandem Glossam, cum subditur: Vnde viuatis, vel eleemosynas faciatis. Certum est enim, quod illi qui omnia simul pro Deo dederunt, ad vlteriores eleemosynas faciendas minime astringantur, & ideo illa glossa non exprimit quod est de essentia, & substantia consilij, sed magis secundum bene esse, secundum statum, & conditionem aliquarū personarum, quæ magis sunt idoneæ ad manualiter operandū, quam ad aliquid magis arduum faciendum. Nam si aliter diceretur, quod illud esset de essentia perfectionis consilij, tunc nulli illud consilium impleuissent, nisi qui operati fuerunt manualiter, at per hoc Apostoli alij à Paulo, & Barnaba, & alij plurimi Sanctorum perfectissimorum, quos non legimus fuisse manualiter operatos, nō iudicaremus fuisse perfectos. Verum est vtique, quod perfectioni Euangelicæ consonat operatio manualis, si tamen non impediat maiora bona. Vnde Glossa super illud: Vado piscari: Sciendum est, non fuisse prohibitos arte sua licita victum quærere, Apostolatus integritate seruata, cum vnde viuerent non haberent, & sic illis laborantibus adiicit Deus necessaria, quæ promisit. Sed quod hic labor competat non occupatis circa maiora, manifestum est, quia tunc Apostoli prædicationi minime vacabant. Vnde Chrysostomus: Venit Simon piscari, quia neq; Christus continue cum eis erat, neque spiritus datus erat, neque quid commissum erat, tunc neque quid habentes agere, tunc artem tractarunt. & ex hoc nō habetur, quod perfectè teneantur operari manualiter, nisi forte cum non habent spiritualem & meliorem exercitationem. Præterea esto, quod vir perfectus tenetur manibus suis operari, ex hoc tamen non potest inferri, quin pro sui humiliatione & aliorum ædificatione posset eleemosynas humiliter petere pro loco, & tempore.

Ad VII. *1. Thes. 4. c* Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod nullatenus aliquid desiderandum nec petendum, dicendum, quod dupliciter potest quis petere ab aliquo: vel propter desiderium alienæ rei, vel propter desiderium alienæ salutis. Primum prohibet Apostolus tanquam malum, & in lege prohibitum, qua dicitur: Non concupisces rem proximi tui. Secundum autem non prohibet, quia lex charitatis hoc non prohibet, quæ mutuis habet beneficiis confoueri, & onus alteriꝰ facit ab altero supportari. Quid enim tam absurdum est, quam vt credamus Apostolum denegasse, quod nullus ab altero petat nec beneficium, nec auxilium, nec solatium, ex pietatis, & charitatis fine? Et quod per illud sit verum, apparet per illud quod dicit Apostolus de seipso, regratians eis de beneficio collato. Non quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Secundum enim quod exponit Augustinus lib. 13. confessionum: Datum quærit, qui delectatur præcipue in re accepta; fructum requirit, qui delectatur in salute aliena. Hæc est verborum Augustini sententia, licet verba sint mutata. *Phil. vlt.*

Ad VIII. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod egestas facit à iustitia declinare, dicendum, quod sicut diuitiæ non sunt in culpa, sed cupiditas diuitiarū: sic egestas in culpa

non est, sed impatientia egestatis, quam qui habet à iustitia declinat, dum fugiendo egestatem, vadit post pecuniam, quam qui sequitur de facili, declinat à iustitia. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & desideria multa & nociua. Et sicut talis egestas est mala, sic & mendicatio ex tali egestate proueniens culpanda. Cum autem plus placet penuria, quam abundantia, & homo propter amorē paupertatis contemnit abundantiam terrenitatis, talis non habet occasionem declinandi pro tali egestate à iustitia, & talis est paupertas & mendicatio, quæ spectat ad perfectionem Euangelicam. Et quod ista responsio sit recta, patet per ipsam Glossam, in qua dicitur, quod egestas, dum saturari cupit, declinat à iustitia. Egenus est, qui cupit saturari. Est egenus qui non amat paupertatem, sed saturitatem, non penuriam, sed abundantiam. Et talis non est pauper Euangelicus, aut cœlestis, qui mendicat ex supererogatione iustitiæ; sed potius cupidus, & terrestris, qui mendicat ex vitiositate culpæ, secundum prius habitam responsionem.

Ad IX. *2. Thes. 3. c*

Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod vult Apostolus seruos Dei corporaliter operari, &c. dicendum, quod illud velle, aut non est velle præcepti, sed admonitionis; aut si est velle præcepti, non se extendit ad omnes, sed ad eos, qui volunt egere, ad illos tantum se extendit, qui non possunt maiora agere. Et ex hoc non colligitur, quod pauperum vita sit mala, qui manducant & manibus suis non operantur, sed melioribus & salubrioribus exercitiis occupantur. Et quod istud sit verum manifestum est. Nam si verbum illud, Qui non vult operari, non manducet, simpliciter esset præceptum; tunc omnes essent in malo statu, qui manibus propriis victum suum non quærunt cum possent, & hoc esset damnare totum mundum. Quod iterum se non extendit ad pauperes voluntarios, & perfectos, hoc apparet ex ipsa Glossa, quæ dicit, vt non compellantur egestate necessaria petere. Tales enim non mendicant sicut egestate compulsi, sed sicut amore perfectionis inducti. Postremo, quod non se extendat nisi ad eos, qui non sunt circa maiora occupati, apparet ex ipso textu: Audiuimus *Ibidem.* quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agētes, his autem qui eiusmodi sunt denuntiamus, vt cum silentio operantes, panē suum manducent. Et quod istud sit verum, patet per Ambrosium, *Amb. super Luc c 9.* qui super illud: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, dicit sic: Docet Dominus minora bona, pro vtilitate maiorum esse prætermittenda. Maius est enim animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortuum in terra abscondere. Vnde & Apostoli dicebant: *Act. 6. a* Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Apparet etiam per Hieronymum in pro- *Hieron. in prolo. Iob.* logo super Iob dicentem sic: Si fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem meum, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nullus reprehenderet. Nunc autem, quia iuxta sententiam Saluatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam diuinorum voluminum viam sentibus, virgultisq; purgare, error mihi geminus infigitur, corrector scriptorum falsarius vocor, & errores non auferre, sed serere. Hoc etiam apparet per beatum Augustinum in libro de opere Mo- *August. de opere Monach. c. 21. tom. 3.* nachorum, vbi dicit, quod illi, qui habebant in hoc sæculo aliquid, quo facile sine opificio sustentarent vitam istam, quod conuersi ad Dominum indigētibus dispertiti sint, quod tales ad opera manualia non tenentur, vel coguntur, nec ad quærendū victum proprium. Et rationē postea reddit inferius, quia illi, qui pauperes sustentauerunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent, & possunt. Ait enim sic: Omnium Christianorum vna *Ibidem.* Respublica est; & ideo quisquis Christianis vbilibet necessaria erogauerit, vndecumque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit: quia & vbicumque ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit? Si ergo secundum Ambrosium, maiora bona propter minora non sunt prætermittenda, & secundum Hieronymum, maiora sunt bona prædicationis & instructionis, quam manualis operationis, & secundū Augustinum, ad huiusmodi opera nō astringuntur, qui fuerunt diuites delicati; manifeste apparet, quod intenti prædicationi, & operibus misericordiæ spiritualis, ad huiusmodi opera non sunt astricti, sed debet, & possunt de eleemosynis sustentari. Et hoc est, quod Augustinus *Ibid. c. 21.* in eodem libro ante hæc verba præmittit, quod huiusmodi potestatem habent si Euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum. Si enim corporalia opera faciendo meretur quis suum sustentamentum, multo fortius spiritualia opera imponenda, quæ corporalibus operibus merito proferuntur. Fateor igitur, quod verum est, quod si quis adeo esset potens & spiritu, & carne, quod posset corporaliter operari, & nihilominus pro loco, & tempore spiritualibus vacare exercitiis, & Ecclesiasticę vtilitati, quod agendo perfectius faceret. Sed quis ad hoc plene idoneus, cum multo labore sudatum sit, vt veritas cognoscatur, vt cognita diligatur; & cognita, & dilecta aliis proponatur? Ad hoc enim necessaria est continuitas lectionis, & orationis, & meditationis, quibus qui vult sollicite intendere, parum potest occupari circa corporalē laborem. Laudandus est igitur, & suadendus labor corporalis, sic tamen vt non impediatur feruor orationis, nec fructus prædicationis, nec obseruantia regularis.

Ad X.

Ad id quod obiicitur de Glossa, quod ad alienā mensam accedens, necesse habet adulari, dicendum, quod Glossa semetipsam exponit in hoc, quod dicit: Otio deditus, in quo insinuat, quod ille, qui alienam mensam quærit, & mendicat pro otiositate fouenda, ille pronus est ad blandiendum. Et quid mirum, si ille, qui diligit otium, & fouet ventrem suum, in verbū prorumpit adulatorium? Sed ex hoc non damnatur pauper Euangelista, qui ad alienam mensam conuenit propter euangelizandum, & imitandum Christum. Nam si tales hoc ipso quod pauperes, & alienam mensam accedentes essent adulatores, tunc cum Christus Apostolos misit ad Euangelium prædicandum, & ad viuendum de sumptibus alienæ mensæ, potius fecisset tunc Apostolos suos adulatores, quam veros prædicatores. Ipse enim Christus fuisset adulator permaximus, qui frequenter inuitabatur, & comedebat in domibus Pharisæorum. Vnde si recte intelligimus, adulationis vitium potius est annexum diuitibus mundanis, quam pauperibus Euangelicis, & voluntariis. Vnde Chrysostomus in homilia super Matthæum loquens de diuitibus, dicit sic: Adulari necesse est multos & principes, & subiectos, & multis indigere, & turpiter seruire, & formidare, & suspicari, & timere eorum, qui suspicantur oculos, & timere calumniatorum ora, & aliorum, & auarorum concupiscentias Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium vniuersum. Religio est non furibus subiecta, sed munita, portus tranquillus, & palæstra, & gymnasium philosophiæ. Audite quicumq; horum pauperes estis, magis autem & quicumque ditari concupiscitis, non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse, & neque malum existima esse paupertatem, & non erit tibi malum. Et paulo post: Non enim mihi eos, qui accusant paupertatem afferas, sed eos qui per eam fulserūt. Cum hac Elias educatus, raptus est illa beata rapina; cum hac Elisæus claruit, cum hac Ioannes, cum hac Apostoli omnes. Cum auaritia vero Achab, Iezabel, Giezi, Iudas, Nero, Caiphas condemnati sunt.

Ad XI.

Ad illud quod obiicitur de decreto Vrbani, dicendū, quod triplex est defectus in allegatione illius decreti. Primus, quia decretum illud est ad Episcopos, qui debent pascere mendicantes, non ad illos, qui egent. Vnde sicut illa lex Deuteronomij: Non erit omnino indi- *Deut. 15. a* gens, & mendicus inter vos, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra tenacitatem diuitum, quod patet per hoc quod eodem capitulo subiungitur: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuę, idcirco *Ibid. b*

præcipio tibi vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi. Sic & hic lex datur Episcopis abundantibus, ad sustentationem pauperum clericorum, & eorum potissime, qui non egent voluntarie, sed compulsi, nec propter indigentiam efficiantur circa diuinum obsequium indeuoti. Secundus defectus est, quod decretum illud inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium, sicut apparet in fine capituli, vbi dicitur: His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet proprium habere, quod si habuerint, non erunt clerici. Vnde per illud decretum non præcluditur via pauperibus, qui nihil volunt habere proprium, sed potius aperitur. Tertius defectus est, quia sicut habere proprietatem in communi comprobatū & approbatum est auctoritate summi Pontificis, scilicet Vrbani, sic modus viuendi in altissima paupertate auctoritate summi Pontificis approbatus est, sicut patet de excessibus prælatorum: Nimis praua, & cætera. Vnde decretum Vrbani Papæ præiudicare non potuit auctoritati Innocentij, Honorij, & Gregorij, qui istum modum approbauerunt tam in iure communi, quam in priuatis priuilegiis, quia non habet imperium par in parem, & constitutio prior nō præiudicat posteriori, nec commune priuato, nec lex communis priuilegio, sed potius è conuerso. Nec ex hoc potest argui instabilitas, seu contradictio inter rectores Ecclesiæ, quia statuta mutari possunt, & debent pro loco & tempore, sicut patet in statuto de gradibus parentelæ, & aliis plurimis, quæ iuste à principio statuta fuerunt, & nihilominus alia non minus iuste introducta sunt.

Ad XII. Ad illud quod obiicitur de consecratione Ecclesiæ, dicendum, quod & in illius decreti allegatione, tripliciter defectus est. Primo, quia statutum illud de consecratione Ecclesiæ nō dotatæ, factū est in alleuiationem Episcoporum. Secundo, in dilationem diuini cultus. Et tertio, in solationem clericorum ministrātium, qui nolunt se astringere voluntarie ad paupertatis votum. Horum autem contrarium in proposito inuenitur. Nam minus grauantur, & Episcopi, & Ecclesia de religiosis viuentibus de eleemosynis, quam si eis prouideretur in beneficijs. & præbendis. Secundo, quia cultus Dei non augmentaretur, sed potius diminueretur, si hic modus viuendi de medio tolleretur. Tertio, quia tales pauperes voluntarij libentius Deo seruiunt mendicando, quā etiam Deo seruirent pro magno beneficio, & magis sunt contenti, paruulis eleemosynis, quam magnis beneficiis & præbendis.

Ad XIII. Ad illud quod obiicitur de lege, & de mendicantibus validis, dicendum, quod similiter triplex defectus est in illius legis allegatione. Primus, quia lex illa introducta fuit cōtra quosdā, qui tempore famis pauperum eleemosynas vsurpabant, simulantes inertiā. Secundus, quia illi tales onerosi erant, & nullā vtilitatē reipublicæ afferebant. Tertius, quia tales qui laborare poterant, & tunc in nihil occupati erant, & abundare volebant, proni erant ad maleficia & rapinas. Et ideo, iusto iudicio rector reipublicæ tales à mendicatione arcebat, & pœna grauissima puniebat. Secus autem omnino in pauperculis religiosis, in quibus, nec simulatio inertiæ, nec amor otii, nec periculū rapinæ, ac per hoc nec damnum Ecclesiæ, sed potius amor virtutis perfectæ reperitur, ideo non arcentur lege humana, sed potius prædicantur lege diuina.

Ad XIV. Ad illud quod obiicitur, quod mendicare est indifferens, dicendum, quod mendicare quantum est de se nō est perfectionis, nisi præsupposita vniuersali abrenuntiatione omnium, quæ quidem est, secundum diuinum consilium, in quo Dominus expressit adolescenti, quod si illud impleret, hoc ipso ad perfectionis cumulum perueniret. Ait enim: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, nec addit, tradite mihi, vt in loculos meos ponā, & sint omnia communia; sed potius, Da pauperibus nec subiunxit: Vade ad lucrandum victum tuum per laborem manuum, sed potius, Veni sequere me. In quo secūdum quod Glossa exponit intelligitur vocatio ad contemplandum, seu ad Christum imitandum & euangelizandum.

Mat. 19. c

Ad XV. Ad illud quod obiicitur, quod perfectionis est liberaliter seruire, & obligationes refugere, dicēdum, quod est obligatio veniens ex reatu culpæ, & ex affectu charitatis perfectæ: Prima obligatio est vitanda, sed secunda est acceptanda. Iuxta quod dicitur: Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Laudat enim Dominus amicitiam spiritualium virorum, quæ fit de mammona iniquitatis, & ad corporis Christi mystici perfectionem spectat, quod membra sibi inuicem communicent, secundum rationem dati & accepti, vt mutua diligentia vicissim possit impleri.

Rom. 13. c

Ad XVI. Ad illud quod obiicitur, quod qui mendicant ex professione, aut hoc faciunt, quia pauperes, aut quia prædicantes, dicendum, quod hoc faciunt, quia pauperes Christi imitatores, & Euangelizatores. quia enim Christum imitantur per obseruantiam disciplinæ regularis, in qua vacant diuinis laudibus, orationibus, vigiliis, & aliis regularibus disciplinis, & Deum colunt, & hostem impugnant, & ea quæ sunt infirma, & non munita in castris Ecclesiæ protegunt & defensant. Rursus, qui verbum veritatis annuntiant, similiter Deum laudant, & hostē impugnant, & audientes ædificant, & informant, & ideo cum hæc opera eorum sint Ecclesiæ valde vtilia, & pernecessaria, nulli dubium est, quin mereantur sustentationem suam. & ideo non illicite faciunt, si hanc humiliter, & suppliciter petunt. Sicut enim oculus videndo, operationem facit manui pernecessariam, ita quod manus oculo non potest improperare, nec dicere, opera tua non indigeo; quinimo vtilis est toti corpori eius operatio, & sic meretur sustētari, sicut manus & pes, & membra alia, quæ sunt exposita labori; sic & de istis membris Ecclesiæ non absurde debet, & potest intelligi, si quis pio oculo velit istorum oculorum operam, & vigilantiam intueri.

Ad XVII. Ad istud quod obiicitur, quod tales sunt Giezi imitatores, quia spiritualia pro temporalibus ministrant. Ad hoc satis sufficienter respondet Glossa super illud: Dispensatio mihi credita est. Non debemus ideo Euangelizare vt manducemus, sed ideo manducare vt Euangelizemus, vt cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adijcitur, vt illud impleatur, Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Vnde si finem constitueret quis in re tēporali prædicando verbum Dei, absq; dubio hic peruersus esset, quia de via faceret finem, & esset similis Giezi, & Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit, & aliis pseudoprophetis, qui in mercede docebant, & in muneribus diuinabant. Si autem sustentationem quærunt, sicut viam ordinatam ad Euangelium prædicandum; tunc recte incedunt, & Apostolos imitantur, nec à veritatis tramite in quoquam recedunt. Vnde super illud: Edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua, Glossa dicit: Nota quod vni operi prędicatorum, duæ mercedes debentur, vna in via quæ nos in labore sustentat, alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat.

1. Cor. 9. c

Matt. 6. d

Luc. 10. b

Ad XVIII. Ad illud quod obiicitur, quod perfectorum est abstinere à specie mala, dicendū est, quod illa species est mala, dum homo rationabiliter potest suspicari malū, circumstantiis omnibus pensatis quæ occurrunt. sed si quis recte attendat huiusmodi sic, prædicantes non habent speciem pseudoprædicatorū. Nam pseudoprædicatores dicuntur per oppositū ad veros prædicatores. Veri autē prædicatores dicuntur, quorum prædicatio habet auctoritatem, veritatem, & vtilitatem. Falsi sunt qui habent horum contraria, vel simpliciter, vel in parte. Sed si certe velimus attendere modernum ordinem, prædicatores hæc tria habent in se, auctoritatem quidem, quia missi sunt à Summo Pontifice, & aliis prælatis, qui sunt domini messis; veritatem, sicut patet, quia fidem & mores prædicauerunt secundum legem Euangelii:

Qui sunt veri, & qui falsi prædicatores.

vtili-

vtilitatem, quia multos de statu culpæ vocauerunt ad statum pœnitentiæ, & ideo speciem habent, & similitudinem maiorem incomparabiliter, si quis pio attenderet oculo ad prædicatores veros, quam ad pseudo, licet in tanto numero, vix possit esse, quin aliqui cum Iuda diligant loculos, & exorbitent ab itinere recto. Si enim Dominus hoc non concessit duodecim Apostolis quos personaliter elegit, quod vniuersaliter essent boni, quid mirum si hoc nō concedit congregationibus aliis, nec tamen propter hoc non sunt boni damnandi, cum malis, sicut nec mali iusti sunt, licet sint permixti cum bonis.

Ad XIX. Ad illud quod obiicitur, quod aut habent auctoritatem, aut non habent, dicendum quod habere auctoritatem, hoc est dupliciter, aut ex prima institutione, aut ex commissione, seu demandatione, vel per alia verba, aut ex iniuncto officio, aut ex concesso priuilegio. Prima est auctoritas principalis, & potestatiua, & spectat ad Apostolos, & ad septuaginta, & eorum successores, qui sunt Episcopi, & alij curati, sicut Glossa in Lucam dicit: Secunda est auctoritas minus principalis, & potest subauctoritas non absurde dici, & competit his qui ab Apostolis mittuntur tamquam discipuli, sicut Paulus suos discipulos mittebat ad loca diuersa, & potissime ei competit, qui est loco Petri principis Apostolorum, immo loco Christi, qui est Dominus vniuersalis messis, propter quod, & habere dicitur plenitudinem potestatis. Sicut ergo primis habentibus auctoritatem principalem, competit sumptus accipere potestatiue, sicut dicit Glossa, secunda ad Timotheum secundo: Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Ibi Glossa: Necessaria sibi sumere ab his in quibus Deo militat, & quos tamquam cultor vineæ exercet, vel tamquam gregem pastor, non est mendicitas, sed potestas. Sic illis quibus competit auctoritas subprincipalis, competit accipere supplicatiue. Quod disposuit Spiritus sanctus ad Ecclesiæ vtilitatem, vt non tantum efficeretur verbo prædicationis, verum etiam verbo humilitatis: quomodo ergo didicit à Christo mitis esse, & humilis corde miror, si hanc humilitatem, & humiliationem, audet tamquam reprobam condemnare.

2 Tim. 2. a.

Ad XX. Ad illud quod obiicitur, quod tutius, & perfectius est sequi viros probatiores, & sapientiores, dicēdum, quod secundū dispositionem diuinæ sapientiæ Deus vniuersa disponit, & ordinat temporibus suis. Vnde sicut in primo tempore Ecclesiæ introduxit viros potentes, & miraculis, & signis sicut fuerunt Apostoli, & eorum discipuli, & medio tēpore viros intelligentes in scripturis, & rationibus viuis: sic vltimo tempore introduxit viros voluntarie mendicantes, & pauperes rebus mundanis. Et hoc quidē recte congruebat, vt per primos destrueretur idololatria & idolorū portēta, per secundos hæresis, per tertios auaritia, q̄ in fine sæculi maxime regnat. Nihilominus tamen, quia paupertas fundamentū est Euangelicæ perfectionis, & ipsa est quasi complementum eiusdem, ideo viguit in Ecclesiæ primordio, & congruum est, vt vigeat circa Ecclesiæ statum finalem. Vnde sicut Hieronymus dissoluit quæstionem illā de esu carnium 35. distinct. Ab exordio, dicens, quod in primo tempore ante diluuium nō erat in consuetudine esus carnium, & postea post diluuium communiter fuit omnibus concessus, & post in aduentu Christi laudabilis fuit abstinentia ab esu carnium. Vnde dicit ibidem, quod ω, reuoluit ad α, id est finalis status concordauit cum primo. Sic satis conuenienter intelligi potest, & in proposito. Sicut tamen Hieronymus non intelligit de abstinentia carnium quantum ad omnes, sed quantum ad monachos solum: sic nec de paupertate intelligendum puto, nisi quantum ad pauperes voluntarios, qui voluntarie renuntiauerunt mundo. Nolo tamen quod aliquis ex hoc arguat, quasi ego dicam, quod iam instet dies Domini, nec quod proprias fimbrias magnificem, & dilatem, volens coram hominibus iustificari, quod præferam modernos Sanctis antiquis, quia in magno, & alto statu inueniri possunt multi infirmi, & imperfecti, nec iste spiritus paupertatis defuit temporibus retroactis. Iuxta quod dicit Gregorius tertio dialog. de quodā sanctissimo viro Isaac nomine, qui fuit amator præcipuus paupertatis. Vnde & de eodem dicit: Cum ei discipuli innuerent, vt per vsum monasterij possessiones, quæ offerebantur, acciperet; ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sentētiam tenebat dicens: Monachus qui in terris possessionem quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut auari solent perituras diuitias, custodire. Ibi itaque prophetiæ spiritu, & magnis miraculis, cunctisque longe lateque habitantibus vita eius claruit. Ex quo apparet, quod eius doctrina contemnenda non fuit. Hoc etiam supra ostensum fuit multiplicibus exemplis, & adhuc multo pluribus posset ostendi. Et si nulla exempla essent, satis per seipsum laudabilis esset status excellentissimæ paupertatis, non solum secundum Scripturam sacram, verumetiam secundum documenta Sanctorum, quæ paupertatis statum voluntarium commendant, tanquam præcipuum, & perfectum. Sicut ergo absurdum est valde, reprobare statum coniugatorum diuitum, absurdius statum clericorum, & religiosorum possessiones habentium; sic absurdissimum videtur, si quis inueniatur, qui reprobare velit statum pauperum in paupertate altissima, & mendicatione humilima Christo Domino famulantiū, iuxta consilium per os Iesu Christi propositum, & irreprehensibiliter promulgatum. Horum causam defendit Hieronymus: Ad me relatum est, inquit, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, immo Petri, Ioannis, & Iacobi, qui dexteras dederunt Paulo, & Barnabæ communicationis, & præceperant eis, vt pauperum memores essent, tu prohibeas Hierosolymam in vsus sanctorum, aliqua sumptuum solaria dirigi. Videlicet si ad hæc respondeo, latrabis meam me causam agere, qui tanta cunctos largitate donasti, vt nisi venisses Hierosolymam, & tuas vel patronorum tuorū pecunias expendisses, vel effudisses, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor quod beatus Paulus pene in cunctis Epistolis suis loquitur, & præcipit in ecclesiis gentium per vnam sabbati, hoc est die Dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur. Numquid in alia parte terrarum, & in his ecclesiis quas nascentes fide sua erudiebat quæ ab aliis acceperat, diuidere non poterat, sed Sanctis pauperibus dare cupiebat, qui suas pro Christo facultatulas relinquentes, ad Domini seruitutem tota mente conuersi sunt? Longum est enim nunc, si de ceteris Epistolis eius omnia testimonia reuoluere voluero, in quibus hoc ait, & tota mente festinat, vt Hierosolymam, & ad sancta loca credentibus pecuniæ dirigantur, non in auaritiam, sed in refrigerium, non ad diuitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, & frigus atque inediam declinandam. Hac in Iudæa vsque hodie perseuerante consuetudine, non solum apud nos, sed etiam Hebræos, vt illi qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, nisi solum Deum, synagogarū, & totius orbis foueatur ministeriis, ex æqualitate dumtaxat, non vt aliis sit refrigeriū, & aliis tribulatio, sed vt aliorum abundantia aliorum sustentet inopiam. Hæc Hieronymus: His visis satis plana est responsio ad prædicta.

Hieron. lib. 1. adu. Iouinian.

Greg. lib. 3. Dial. c. 14 ante med.

Hieron. in epist. aduersus Vigilantium.

His autem, quæ prædicta sunt conatus est aliquis multipliciter aduersari, quædam ex eis refellere volens, tamquam impertinentia, quædā vt falsa, quædam vt inconsequentia, quædā vt dubia, plurima autem ex eis, tanquam doctrinæ Apostolicæ inimica. Hoc autem facit respondendo cuidam quæstioni minus sufficienter post collectæ in scholis, salua gratia colligentis, sicut melius potest apparere in prænominata quæstione. Primum igitur, impertinentia reputat quæcumque inducimus de discipulis Christi ad prædicandum missis

missis, quia illis data erat auctoritas necessaria accipiendi, non ex mendicitate, sed ex potestate. Qui autem prædicant absque auctoritate, pseudo sunt, & ideo neutro modo, nec ex auctoritate, nec ex mendicitate petere debent. Et si dicatur, quod tales à Papa, & ab Episcopis missi sunt, dicit, quod ab Episcopis sunt pascendi, extra. de officio iudicis ordinarij, Inter cætera. Fuit igitur data forma prædicantibus ex officio, & auctoritate, sed ad tempus, vt impedimenta amouerentur, & ideo auctoritates, tam textus, quam Glossarum in hoc casu impertinentes videntur ad propositum, secundum eum qui quæstioni prædictæ videtur aduersari.

Huius autem obuiationis apparentiam sophisticam facile est detegere, si quis intelligat radicem potestatis in Apostolis, & Prælatis, & nuntijs destinatis ab Apostolis. Certum est enim quod hæc radicaliter fuit in Christo, secundum quod dicit Apostolus, quod erat Apostolus per Iesum Christum, & dicit Dominus: Sicut misit me Pater, &c. Dedit autem Christus Apostolis eos mittendo duplicem potestatem, scilicet prædicandi, & exigendi sustentationem suam. Et has potestates constat esse distinctas, quia cum Episcopus possit semel in anno procurationes suas in vno loco exigere, potest tamen cum voluerit prædicare. Igitur summus Pontifex qui Christi locum tenet in terris, potest vtrumque simul dare, potest, & vnam ab alia separare. Quoniam ergo Summus Pontifex, & Prælati non possunt omnia, quæ ad eos spectant exercere personaliter, per seipsos propter diffusos populos sibi subiectos, ordinauit Spiritus sanctus in regimine Ecclesiæ, vt ipse mitteret aliquando legatos, qui vtramque haberent potestatem. Et rursus ne particulares ecclesiæ grauarentur, ordinauit vt Episcopi mitterent personas idoneas ad prædicandum, & confessiones audiendum, quibus etiam ipsi prouiderent, Extra. de officio iudicis ordinarij, Inter cætera. Ordinauit etiam, vt ipse cum Prælatis mitteret pauperes voluntarios, & peritos, quibus nec ipsi essent astricti ad exhibendum, ne grauarentur multitudine sumptuum, nec potestatem haberent ad exactionem procurationum, propter tollendum grauamen subditorum, & ita qui humiliter intercederent tamquam pauperes, & contenti modicis, & sola necessaria suscipientes, & necessitatem suam cum opus esset humiliter insinuantes his qui voluntarie sine grauamine, & cum hilaritate supportare & releuare, & possent, & vellent. Vnde sicut decretum de officio iudicis ordinarij à Sede Apostolica emanauit, sic & confirmatio ordinis, & regulæ huiusmodi pauperum prædicantium veritatem, Extra. de excessibus Prælatorum; Nimis praua, vt habitum est supra. Nec hoc factum est in præiudicium, sed potius in adiutorium parochialium sacerdotum. Nec ex hoc Ecclesia prostituitur, si Curatis Deus prouidet adiutorium, vt animas sibi commissas quarum habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas, adminiculantibus sibi viris spiritualibus, non vt dominis, vel curam habentibus, sed potius velut seruis per charitatem Christi. Tales igitur, quia missi prædicant in humilitate, & paupertate, similes sunt viris Apostolicis, non pseudoprophetis. Quia vero non habent illam plenitudinem auctoritatis, quam habent Prælati, & habuerunt Apostoli, ideo inter opitulationes numerandi sunt, dicente Paulo: Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas; tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde opitulationes, &c. Glossa: Opitulationes, idest eos qui maioribus ferunt opes, vt Titus Apostolo, & Archidiaconi Episcopis. Inter eos etiam numerari possunt, quos Pastor Ecclesiæ Dei statuit opem alijs ferre. Et ideo ego dixi iuxta morem sermonis Theologici, qui dicit subauctoritatem esse in eo, qui mittitur, quod subauctoritatem habent non ad excusandas excusationes in peccatis, vt mihi imponitur, sed potius ad intelligentiam veritatis. Forma igitur præscripta Apostolis, debet & potest competere istis. Quod enim dicitur quod fuit temporalis, cum ex Scripturis auctoritatem non habeat, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Rursus si conueniens fuit forma in Ecclesia primitiua, quare non similiter in finali, quantum ad eos, qui Apostolos in hac forma imitari volunt, Non enim dico, quod vniuersalis Ecclesia in omnibus ad paupertatem reducenda sit, sicut rabies mihi imponitur, sicut ex verbis meis superius apparet; sed qui volũt, possunt Apostolorum imitari perfectionem, & paupertatis altitudinem, Vnde exemplo Apostolorum ex verbis Euangelij in Ecclesia recitatis incitatus fuit beatus Franciscus ad aggrediendum huiusmodi modum viuendi, sicut ex legenda sua clarius elucescit. Quod igitur super illa verba ordo huiusmodi fundatus est, non sunt illa impertinentia, sed per omnem modum pertinentia, tamquam huiusmodi viuendi stabilissima fundamenta. Sunt igitur tales suscipiendi, quia proficiscuntur, vt pauperes pro nomine Christi, sicut in Canonica Ioannis dicitur, quod qui tales recipiunt, sunt cooperatores veritatis. Igitur qui talibus aduersantur, & eos non recipiunt, vel non suscipiendos dicunt, similes sunt Diotrephi, de quo dicit Glossa, quod hæresiarcha etiam fuit illius temporis: cuius doctrina & secta procul sit ab omnibus Christianis.

Refellere conatur aliqua sicut falsum. Nã falsum esse asserit, quod Christus aliquid petierit vt mendicus. Nam etsi mendicus dicatur in Psalmis. hoc dicitur inquantum petiit à Patre, vel inquantum assumpsit nostras infirmitates. Si dicatur à Samaritana petijsse aquã, & à Zachæo hospitium, hoc non fuit ex mendicitate, sed ex auctoritate, vel vrbanitate. Et rursus si etiam mendicasset ad consequentiam trahendum non esset. falsum esse nihilominus dicit, quod aliqua mendicatio sit voluntaria, immo omnis debet esse inuita & coacta. Hanc autem obuiationem, quæ falsitatem veritati impingit, facile est de falsitate conuincere, si quis veritatẽ pie velit audire. Nam quod Christus fuit mendicus, & textus propheticus, & Glossæ testantur, & quod petierit vt mẽdicus, sicut allegatum fuit in opponendo in secunda Glossa, & similiter in Psalmo illo: Deus in adiutorium meum intende. Super illud: Ego vero egenus, & pauper sum, dicit Glossa: Assumit iste sibi verba Dei, quę in præcedenti Psalmo, hæc eadem de se dixit, quasi diceret: Illi qui quærunt animam meam sunt diuites; sed ego sum egenus, idest petens, & pauper, idest insufficiens mihi, quia & mundanas copias non habet, & intus vbi est diues semper ambit, desiderat, & accipit. Secundum hanc constat, quod Christus fuit egenus & pauper, & petens vt egenus, non à Patre tantum, tunc enim omnes hoc modo essent mendici, & nulli diuites etiam habentes copias, quod est contra Glossam. Præterea Christus adhuc petit à Patre, Angeli petunt, & Sancti comprehensores, sed tamen non dicuntur mendici. Ex quo igitur testimonio tam expresso textus hic dicit, & Glossa consentit, & nulla auctoritas contradicit, quare non fatebimur, quod Christus vt mendicus petierit? Fatemur enim eum fuisse virginem, & vxore caruisse, licet Scriptura de hoc non faciat mentionem. Euangelium etiam exprimit quod petijt & potum, & hospitium, & constat quod non ex imperio, & dominio, & auctoritate: quia tunc exemplum paupertatis non dedisset. falsum etiam dixisset, quod non haberet vbi caput suum reclinaret, cum haberet subditos, à quib. posset procurationes exigere, & minus iuste egisset in hoc, quod prædicabat in Hierusalem, & pascebatur in Bethania, alibi faciens fructus, & prædicans, & alibi accipiens emolumentum. Sed dices, quod petijt ex vrbanitate. Sed numquid Christus accepit paupertatem ad docendam vrbanitatem? numquid propter curialitates humanas docendas fieri voluit egenus & pauper? numquid se magistrum vocat curialitatis, & nõ magis humilitatis? Discite à me, inquit ipse, quia mitis sum, & humilis corde. Petijt igitur ex humilitate, quod oportunum erat ad releuandum suam indigentiam, ac per hoc vt mendicus pau-

per

Gal. 1. a
Ioan. 20. c
1. Cor. 12. a & b. & Ephes. 4. b
3. Ioan. 1. c
Psal. 69. a
Mat. 11. d

per. Et constat, quod hanc indigentiam non habuit nisi quia voluit, nec petiit, nisi quia voluit: quia lapides in aurum cum voluit, cõuertere potuit, sicut discipulus eius fecit Ioannes Euangelista, illis mendicare, & egere volentibus, & euangelizantibus, qui conuersi fuerant retro, qui postmodum mendicitatem, & paupertatem gemmis pretiosis prætulerunt. ac per hoc constat, quod Christi & eius sequacium est voluntarie mendicare, alioquin minime mererentur in hac mendicatione & paupertate. Nam absurdum est dicere, quod paupertas & egestas sint voluntariæ; & mendicatio ex ipsa procedens sit coacta. Si ergo in Christo fuit ex paupertate, & humilitate, & voluntaria, quare non est trahenda ad consequentiam, cum ipse dicat: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde? Cum etiam cæteros volentes ad summum apicem perfectionis venire, inuitet ad sequendum se per huiusmodi paupertatem? Vade, inquit, & vende, &c. Et Apostolus dicat: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi. Et post consilium, dicit Glossa, vt eius paupertatem imitemini, cum etiam ista sit perfectio, quæ omnibus communiter proponitur, & dicitur: Qui potest capere capiat? cum Augustinus super Ioannem dicat: In omnibus, quæ Christus gessit vt homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum? Cum Hieronymus dicat, quod etiam si in miraculis non sit à nobis imitandus, in his quæ humiliter gessit imitandus est à nobis? cum etiam ipse fuerit vniuersalis forma virtutum in actibus suis. Vnde Augustinus de vera religione: Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita eius in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Quis igitur audeat dicere, quod non sit trahenda ad consequẽtiam, nisi qui audet dicere, quod Christo non debetur imitatio in his quæ humiliter gessit? Hoc autem si dicimus quidquid sanctitatis, virtutis, & perfectionis est, & religio Christiana confunditur, & subuertitur, & etiam eneruatur, quia qua ratione de hoc dicitur, eadem ratione, & de aliis exemplis virtutum dici poterit. absit autem hoc ab omnibus cordibus Christianis.

Mat. 11. d *Mat. 19. c* *2. Cor. 8. b*

Refellere nititur nihilominus aliqua sicut in consequentia. Dicit enim quod non sequitur, quod quamuis egestas sit conueniens perfectioni Sanctorum, quod ꝓpter hoc & mendicitas, quæ egestatem aliquando cõcomitatur, quod similiter posset argui de manducatione filiorum, & de furtis, & rapinis, quæ ex egestate & paupertate pluries subsequuntur. In consequens etiam dicit, quod licet beatus Benedictus fuit perfectus, & ꝓpterea accipiẽdo ab illo Romano eleemosynas quotidianas opus egerit ad perfectionem spectãs, quia perfectus multa facit quæ ad perfectionem non spectant, sicut comedere, egerere, & cætera consimilia. Inconsequens etiam dicit, quod licet seipsum vilificare, & humiliare pro Christo sit bonum, quod propter hoc humiliare se mendicando sit bonum: quia mendicare non est seipsum humiliare, sed sui curã agere. Et iterum meretrix seipsam vilificat prostituendo, nec tamen in hoc placet Domino: pari modo nec vilificatio, qua quis se vilificat mendicando. Has autem instantias fœdas, quia fœda proponit exempla, & mendicitatem fœdare nititur, facile est spirituali viro respuere tamquam fœdas, falsas, & fictas. Inuenimus enim viros Christianos, & perfectos in suis legendis non laudari de crudelitatibus in manducandis hominibus, vel de cupiditatibus in prædis agendis, vel de egestionibus, fornicationibus, & huiusmodi similibus; laudari autem, & prædicari inueniuntur, quod in tanta penuria viuere elegerunt, quod non habebant victum neque vestitum, nec habere volebant tamquam diuites, sed potius mendicare humiliter tamquam pauperes, & despecti, sicut apparet in exemplis supra introductis. Nam quod ad egestatem sequatur comestio filiorum, hoc est contra ordinem naturæ; quod sequatur furtum, & rapina, hoc est contra ordinem morum & iustitiæ. Quod autem sequatur insinuatio suæ necessitatis ad proximum, & postulatio subsidii pro amore Dei, hoc est secundum ordinem charitatis, & pietatis tam naturalis, quam etiam gratuitæ & spiritualis. Nam omnis lex mandat proximum à proximo foueri & releuari. Quomodo igitur simile est de hoc quod ordinem peruertit, & est secundum ordinem peruersum, ad hoc quod fit secundum ordinem rectum, iustum, & bonum charitatiuum, & pium? Laudatur igitur Romanus monachus, quia secundum legem charitatis beato Benedicto procurabat, & Benedictus, qui humillime suscipiebat. Nusquam autem inuenies eum laudatum, quia egerebat, & stercorizabat, hoc enim valde est abominabile in medium introducere, cum agitur de laudibus Sanctorum. Laudatur enim mendicans, licet curam sui agat, non quia hoc facit qualitercumque, sed quia facit humillime. Vnde sicut sobrie comedere est actus virtutis, licet comedere sit curam sui agere, sic & in proposito intelligendum est. Vnde Chrysostomus super Matthæum loquens de pueris sanctis, qui erant in palatio Regis Babylonis, ait sic: Sancti itaque existentes & iusti, decies millies elegissent mendicare domi, & eis, quæ in templo erant potiri bonis. Elegi enim, ait, abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Decies millies itaque elegissent abiecti esse domi, quam regnare in Babylonia. Est ergo in mendicatione humiliatio, & vilificatio sui Deo accepta, alioquin à sanctis pueris non esset eligenda. Eligitur autem eo quod cura sit sui cum humilitate sua. Illi autem, qui curam carnis suæ agunt in desideriis, & concupiscentiis, illi proculdubio non laudantur, sicut meretrix quæ seipsam prostituit amore pecuniæ, vel feruore libidinis. Sed absit hoc à fidelium cordibus, vt humiliatio virorum spiritualium in mendicatione sit similis vilificationi meretricis in sui prostitutione. Nam membra Christi non sunt tollenda, vt fiant membra meretricis. Christus autem de se in forma serui, & etiam pro suis membris dicit: Ego sum mendicus, & pauper, Dominus autem sollicitus mei. Quod nequaquã diceret, nisi esse mendicũ pro Christo adeo placeret Deo, vt Deum faciat gerere curam nostri specialissimam, sicut gerit pater de filiis, quod de meretricibus & meretricantibus sentire procul sit ab auribus & mentibus Christianis.

Gregor. 2. Dial. c. 1. *Chrys. homil. 4. super Matt. longe post med.* *Psal. 83. d* *Psal. 39. d*

Refellere nihilominus conatur aliqua alia velut dubia. Nam ad illud, quod dicitur de beato Alexio, quod mendicauit, & Francisco, quod miraculis hoc confirmauit; respondet, Proba tamquam dubia & incerta, addens quod etiam si miracula essent facta, non esset adhuc certum, quia multi mali miracula faciunt, & quod de panibus etiam furtim sublatis possent miracula fieri, nec tamen ex hoc constaret, quod bonum esset furari. Dubium etiam dicit, quod Romana Ecclesia approbauerit mendicationẽ, quia si hoc faceret, errare conuinceretur: similiter & si imponeretur in pœnã satisfactionis erraret, & hoc dicit nullatenus esse credendum. Huic autem obuiationi per dubitationem se protegenti, sine dubio resistendum est. Nam si in dubium reuocetur, quod legitur in legenda sancti Alexii, & legenda beati Francisci, pari ratione in dubium venit, quidquid legitur in legendis aliorum Sanctorum ergo omnia exempla virtutum & gesta Sanctorum, iam reuocantur in dubium. Sed dubia imitari vel credere periculosum est, ac per hoc perit fides, deuotio, & reuerentia, quæ habetur in Sanctis, si in dubium reuocentur cætera quæ narrantur de ipsis. Rursus si miracula quæ fecerunt non sunt testimonia efficacia ad sanctitatem eorum astruendam, stultizat hodie Ecclesia, quæ propter testimonia miraculorum, Sanctos canonizat, & catalogo Sanctorum ascribit. Postremo quis vmquam audiuit, quod Deus per furem panem furtim acceptum multiplicaret ad aliorum salutem? Audiuimus tamen per mendicum pauperem, panem quem mendicando acquisierat multipliciter augmentasse. Quod si dicas, hoc

hoc speciale fuisse priuilegium, & familiari Sancti Spiritus consilio esse factum, quomodo hoc alijs tradidit in legem, & regulam, in qua eos ad mendicationem inuitat si sibi soli pro se solo est inspirata? Si dicas, quod ex proprio capite non per inspirationem, quomodo non potest esse damnatus, qui ad actum reprehensibilem, tanquam ad actũ moris, & perfectionis, temerarie inuitauit? Quomodo etiam sedes Romana de consensu Cardinalium hoc approbauit? Quod si dicas hoc non esse credendum quod mendicitatem alicui imponat in pœnam, vel quod approbet pro regula, & vita sancta. Quod mendicitatem peregrinationis imponat, habetur de pœnitentia, vbi dicitur de sacerdote qui reuelabat confessiones, quod deponatur, & omni tẽpore vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. sed si viueret de labore honesto, vel de sumptibus proprijs non pergeret vt vilis, sed potius vt honorabilis. Restat igitur, quod imponit, quod vadat vt mendicus. Quod autem pro regula approbet, patet per illud scriptum superius allegatum de excessibus prælatorum. Nimis praua: vbi dicitur, quod ordinem, & regulam Prædicatorum, & Minorum sedes Apostolica noscitur approbasse. Patet etiam per regulam B. Francisci à domino Honorio approbatam, & confirmatam, vbi dicitur quod vadant fratres pro eleemosyna confidenter. Sed si errauit hoc approbando, & constat eum hoc approbasse, & confirmasse; constat etiam quod vniuersalis Ecclesia per totum mundũ huiusmodi ordines, & status acceptat: concludendum est ergo secundum dictum huius hominis vnius, quod vniuersalis Ecclesia tota errauit, & decepta fuit & qui huiusmodi statum erroneum inuenerunt & approbauerunt, omnes damnati sunt, quod est horribilissimum, & incredibilissimum, quod Deus permitteret errare vniuersaliter populum sanctum suum, & tantam multitudinem sapientium, qui hæc tempora præcesserunt. Quis autem tam sapiens, & tam iustus, vt audeat cæteros præter se iudicare fuisse deceptos & reprobos? mira est hæc sapientia, quę omnium ostendit insipientiam: & mira iustitia quæ cæteros condemnat. Quod si hoc non sapientia, sed potius temeritas, sedem Apostolicam velle iudicare, quæ à solo Deo iudicatur, & eius iudicium, & sententiam reprobare, & tot viros sanctos in infernum retrudere, & in barathrum damnationis, procul ergo hæc fiant à cordibus fidelibus, & Christianis.

Refellere etiam conatur plurima, immò fere omnia tamquam doctrinæ Apostolicæ inimica, pro eo; quod dicit mendicationem ab Apostolo esse prohibitam, tamquam malam, & tantum in casu esse concessam. Dicit etiam me fuisse mentitũ, & contra Scripturam, & Apostolum defendisse falsum, & defendere in hoc, quod dicit me dixisse, quod laborare opere manuali nõ sit præceptũ. Dicit igitur, quod mendicare non est indifferens, sed malum; & ideo propter adiectionem circunstantiæ fieri nequaquam potest bonum, immo, quod plus est, in prædicantibus asserit esse simoniacum. Hoc autem suæ positionis fundamentũ frequentius iteratũ, facile est aduertere esse ruinosum, cum omni eo, quod superædificatur. Nam si mendicare prohibitum est, & mendicare, peccare; ergo esse mendicum, est esse pecatorem. Cum ergo Christus se dicat mendicum, immo Propheta in persona Christi, fatetur ergo Christus se esse peccatorem quod dicere vel credere non paruum est flagitium, vel peccatum. Rursus si mendicare peccare est, mendicitas peccatum est, siue mendicatio. Sed super illud, vt eius inopia vos diuites essetis: Glossa dicit: Nemo se contemnat, pauper in cella, diues in conscientia securior dormit in terra, quam auro diues in purpura. Non expauescas ergo cum tua mendicitate ad illũ accedere, qui indutus est nostra paupertate, vbi se pauperauit, nos ditauit. Ergo mendicitas disponit, non retrahit à diuino accessu. constat igitur quod non est peccatum. Amplius Chrysostomus dicit: Mendicare in nullo offendit Deum. furari autem siue rapere offendit Deum, & hominem.

Hoc etiam patet per auctoritatem Chrysostomi superius allegatam de homilia quarta super Matthæum Non ergo est Apostolo prohibitum, nec inuenitur alicubi hoc Apostolum prohibuisse, sed potius cum suis coapostolis commendasse. Nam & prædicauit, & procurauit, quod collectæ fierent in pauperes sanctorum, qui erant in Hierusalem, sicut eleemosynæ eis gratis impensæ. & dicit quod Petrus, & Iacobus dexteram dederunt mihi. & Barnabæ societatis, vt nos in Gentibus, ipsi in circumcisione, tantum vt pauperum memores essemus. Glossa: Pauperum, qui rerum suarum venditarum pretium ad pedes Apostolorum posuerant, memores essemus, ad opus illorum faciendo collectas. Si ergo Apostolus simoniacus non erat in hoc, quod collectas petebat, & discipulos mittebat, ad hoc vt peterent eleemosynas ab his, quibus spiritualia seminauerat, pro pauperibus qui erant in Hierusalem. Si Summus Pontifex ordines statuat pauperes, qui spiritualia seminent, & de eorum quos ædificant verbo & exemplo eleemosynis gratuitis petitis, seu vltro oblatis viuant, ab Apostolo in nullo prorsus discordat, quin potius concordat cum tantam sicut ipse, & maiorem potestatem habeat in gubernando, & disponendo ipsius Ecclesiæ membra.

Sed obiicies quod Apostolus præcepit laborem corporalem in textu, & glossæ videntur dicere, quod hoc facit contra mendicitatem. Sed ad hoc est plana responsio. Esto quod Apostolus laborem huiusmodi manualem præcipiat, quod nunquam negaui, sicut apparet in verbis meis, sed quod hoc non vniuersaliter præcipit seruis Christi, nisi forte in articulo necessitatis, in quo non patet licita via habendi victum, nisi per laborem manuũ, sed præcipit personis determinatis, secundum quod apparet ex textu. Audiuimus quosdam inter vos ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes. his autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Et paulo ante: Denuntiamus ne subtrahatis vos, & cetera. Glossa: Incipit hic de curiosis & otiosis, monens vt corrigantur. Patet ergo ex serie textus & ex Glossa, quod mandatum illud se extendit ad curiosos, & otiosos. Similiter: Rogamus vos fratres vt operam detis, vt quieti sitis, & operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis. Glossa: Operemini, quod adiuuat vos quietos esse. Illud enim malum de otio venit. Et hoc etiam patet quod hoc dicit ad otium vitandum, pigritiam tollendam, quæ est sentina desideriorum, & fomentum peccatorum. Vnde alibi ait: Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, &c. Ex hoc igitur patet, quod labor non omnibus præcipitur, ac per hoc non inhibetur mendicatio, nisi illa quæ venit ex otio & cupiditate, secundum quod insinuant textus & glossa.

Sed obiicies de Augustino de opere Monachorum, qui loquebatur ad Monachos, qui spiritualibus erant exercitiis occupati & intenti, non otiosi, & illis dicit, quod ad huiusmodi opera sunt astricti. Ad hoc apparet manifesta responsio, si attendatur conclusio circa finem, qua confutat eorum positionem, qui repudiabant operationem corporalem, in quo male sentiebant, ibi: Quãobrem illi qui relicta, siue ampla, siue qualicumque opulentia inter pauperes Christi viuere voluerint, si corpore valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, sed manibus operantur, misericordius agunt, quàm cum omnia sua indigentibus diuiserunt. Quod si nolunt, quis audeat cogere? Illi autem qui præter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, si non laborant, non manducent. Apparent igitur qui sunt astricti, scilicet validi & fortes, & qui ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, & qui vitam in sæculo de labore corporis transigebant, & tales multi erant inter illos monachos, & plures erant in exordio Religionis Minorum fratrum, & ideo ad labores arctandi. Nunc autem comparatione aliorum paucissimi sunt tales, & ideo non est contra Apostolum, si talibus conceditur simpliciter mendicare, maximè cum talis actus non sit multum appetibilis, nec delectabilis, nec honorabilis, immo reple-

[Margin notes: 2. Cor. 8. b. — Chrys. sup. Matt. hom. 70. circa fi. — 1. Cor. 16. a — Gal. 2. b — 2. Thess. 3. c — 1. Thess. 4. b — Eph. 4. f — Aug. li. de oper. Mon. c. 25. to. 3.]

rus multis vilitatibus,& miseriis,ad quem nullius valentis viri cor posset inclinari, nisi in spe præmij, & amore CHRISTI, & desiderio proficiendi, cum adiutorio gratiæ Spiritus Sancti. sine qua vix credo, posset diues ad tantæ abiectionis incommodum inclinari. Nec tales grauant populum Domini,& Ecclesiam, maxime si nihil vltra necessaria petant, quia multo plura expenderent, & consumerent de eleemosynis pauperum, si clerici in sæculo in beneficiis præbendalibus remansissent, nec tunc quando modicum intenderent spiritualibus operibus, etiam in diuitijs præcluderetur via salutis. Absit igitur, quod nunc præcludatur in tanta arctitudine paupertatis.

Epilogus huius quæstionis.

Ex iam dictis in hac quæstione de paupertate, vt cætera recolligamus in summa, apparet, quod sicut mendicare in pauperibus debilibus & infirmis est necessitas naturæ, in validis otiosis, & cupidis est vitiositas culpæ; sic in pauperibus voluntariis contemptoribus sui, & imitatoribus CHRISTI, & prædicatoribus Euangelij est actus consonans, non repugnans Euangelicæ perfectioni, pro eo quod omnibus vniuersaliter renuntiare, nullam rem sibi appropriando, est consilium à Domino vt perfectum; eleemosynas accipere, iustis pauperibus est concessum tanquam licitum, & in nullo perfectionis Euangelicæ inimicum: eleemosynas etiam humiliter petere, pauperibus voluntariis non est inhibitum tanquam malum, vitam suam de lucro laboris sui transigere, non omnibus validis pauperibus iniunctum tanquam præceptum necessario astrictiuum. Si quis ergo impugnat rerum temporalium vniuersalem abrenuntiationem, impugnat Christum pauperem, crucifixum, impugnat Euangelicum consilium, impugnat cœtum Apostolorum dicentium: Ecce nos reliquimus omnia; impugnat etiam Spiritum Sanctum, qui hoc inspirat, & suggerit cordibus perfectorum; impugnat, & ipsum Deum Patrem vniuersorum, qui est refugium pauperum; impugnat denique regnum cœlorum, totum vniuersum, cuius dominium pauperi est concessum, dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et ideo contra talem insensatum, necesse est vt pugnet orbis terrarum. Qui autem impugnat eleemosynarum acceptionem, & CHRISTVM impugnat, qui stipendium accipiebat à mulieribus sibi seruientibus, & se *imitantibus: & cœtum Apostolorum, qui & ipsi eleemosynas accipiebant, quæ ponebantur ad pedes eorum, & statum monachorum qui super eleemosynas fundati sunt, & vniuersum Clerum; nam & ipsi de eleemosynis viuunt, quæ vltro Ecclesiis Christi collatæ sunt, & per consequens communem pauperum statum, quem tamen Scripturæ diuinæ indicant Deo maxime esse acceptum. Qui verò impugnat humilem eleemosynarum petitionem in eis qui egent, & licite possunt accipere: impugnat CHRISTVM, qui humiliter petiit hospitium, qui se fatetur esse mendicum: impugnat & Paulum, qui petiit collectas fieri pauperibus sanctis, & hoc de voluntate Petri: impugnat vinculũ charitatis, quod facit communicari in ratione dati & accepti: impugnat officium humanitatis, per quam indigens exponit necessitatem suam, ne sibi sit inhumanus, & alium excitat, qui potest, & vult vt proximo sit humanus, & pius, & in hoc nullus offenditur, nulli præiudicatur, nihil inordinate concupiscitur, nihil indebite aufertur in eis præcipue qui non quærunt datum, sed fructum. Qui autem impugnat otiositatem, cupiditatem, carnalitatem, & superfluitatem, in ceteris Christianis, & præcipue in religiosis, bene facit & recte, si tamen secundum ordinem rectum procedat: qui autem vniuersaliter omnibus validis onus imponit lucratiui laboris, de quo debeant sustentari, præceptum Apostoli nimis ampliat, & iugum seruitutis super Christi seruos nimium aggrauat, spirituales viros à spiritualibus occupationibus, & laboribus retardat in periculum salutis animarum, dum magis facit eos sollicitos de suis morituris corporibus pascendis, quàm de proximorum animis Domino acquirendis.

Matt. 19.d

Matt. 5.a

Luc. 7. & 8.f

* f. inuitantibus.

Act. 4.g

Quod si fiat, decimatur menta & cyminum, & relinquentur quæ grauiora sunt, legis iudicium, & misericordia. præfertur misericordia corporalis spirituali, ac per hoc corpus spiritui præfertur, priuatum commodum vtilitati communi, quæ specialiter consistit in ædificatione populi CHRISTI in eleemosynis, in documentis, & animarum consiliis, ad quæ misit DEVS istos ordines postremos per Summum Pontificem, & Prælatos. ad quæ si quis dicat eos missos, manifeste obuiat veritati, cum expressa ad hoc testimonia habeantur, tam in regula, quàm in priuilegio & institutione, & approbatione huius duplicis ordinis. Si autem dicat non debere mitti, detrahit Euangelicæ sanctitati. Quis enim magis idoneus ad hoc, quam qui deuouit Euangelicam perfectionem. Si quis dicat eos à Papa, & Episcopis non posse mitti, derogat Apostolicæ auctoritati, & potestati clauium in Prælatis, & plenitudini potestatis in Summo Pontifice, qui in terris (vt Scriptura asserit, fides sentit, iura testantur, rationes etiam irrefragabiles conuincunt) caput vnum & summum, & sponsus vnicus, & hierarcha præcipuus, in quo etiam totus Ecclesiæ militantis status, obtinet locum CHRISTI. Ideo omne genu debet ei curuari, & Principum & Prælatorum, & clericorum & laicorum, & religiosorum in terris ad instar CHRISTI in cœlis, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quod mendicare pro CHRISTO sit opus perfectionis Euangelicæ, multiplex astruit auctoritas. Nam Hieronymus in epistola de morte Fabiolæ commendans de hoc dicit sic: Oblita sui sexus, fragilitatis immemor, ac solitudinis tantum cupida, ibi erat, vbi animo morabatur. Non poterat teneri consiliis amicorum, & ita ex vrbe, quasi de vinculis gestiebat erumpere. Dispensationem pecuniæ, & cautam distributionem genus infidelitatis vocabat. Non aliis distributionem eleemosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro CHRISTO stipes optabat accipere.

Hieron. de morte Fabiolæ epist. 30. post med.

Item Hieronymus ad Furiam: Quotiescunque manum extendis, Christum cogita. caue ne mendicante Domino Deo tuo alienas opes augeas. Idem super Psalmos tractans illud verbum: Persecutus est hominem inopem, & mendicum, dicit sic: Qui cum esset diues propter nos egenus factus est. Dominus inopem se dicit, & mendicum; & quis in diuitiis suis gloriatur? Habetis consolationem pauperes, & Dominus vobiscum pauper est. Idem super Psalmum, qui dat escam esurientibus, dicit: Monachus qui non habet, confidenter accipiat; qui habet & eructans est, non accipiat. Scis quia esuris, scis quia non habes, magnum est beneficium si accipis quod tribuitur tibi. si autem habes & non esuris, non debes cibum esurientium accipere saturatus. accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum: accipe tunicam quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat.

Idem ad Fur. ep. 10. post med.

Psal. 108.b

Psal. 145.b

ITEM hoc ipsum astruit, Chrysostomus, loquens de tribus pueris existentibus in Babylone: Ne enim mihi eos, quos in regalibus atriis inuenerunt honores, dicas. Sancti enim existentes, & iusti decies millies vtique elegissent mendicare domi, & eis quæ in templo erant bonis potiri. Elegi enim, ait, abiectus esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Idem alibi dicit: Quando videris pauperem, recordare verborum per quæ significabat, quoniam ipse sit qui cibatur. Etsi enim in eo quod apparet non est Christus, sed in hoc schemate ipse accipit, & mendicat. Sed verecundaris audiens, quoniam mendicat Christus. Verecundare cum mendicanti non das. Hoc enim est verecundia, hoc supplicium & tormentum. Mendicare enim eum, eius bonitatis est signum, & ideo in eo nos ornari oportet.

Chrys. ho. 4. sup. Matth. longe post med.

Psal. 83. d

Idem ho. 88. super Matt.

Item dicit: Melius est mendicare quam rapere. hoc quidem scilicet mendicare in nullo offendit Deum; illud autem offendit Deum, & homines. His etiam manifeste concordat Bernardus in homilia super illud Lucæ:

Idem ho. 70. circa fin.

Ber. hom. in Euãg. Luc. 2. Dominic. infra oct. Epiph.

Cum

Cum esset Iesus annorum duodecim, quærens vbi Christus fuit in triduo, dicit sic: Per illud triduum vbi eras bone IESV? quis tibi cibum ministrauit, aut potum? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia fouit vnguentis? vbi ergo eras Domine? An vt te per omnia conformares nostræ paupertati, & omnes in te humanas miserias susciperes, quasi vnus ex turba pauperum sti[illegible] per ostia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, & saltem diuini illius edulij reliquiis saginari? Item Glossa super illud Pauli: Qui cum esset diues, &c. Nemo se contemnat, pauper in cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quàm diues auro in purpura. Non ergo expauescas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate, vbi se pauperauit, nos ditauit. Amen.

2. Cor. 8. b

QVÆSTIO II.

Vtrum pauperes validi, & maximè regulares ad opera manualia vniuersaliter sint astricti.

MAGISTER GVILELMVS.

QVÆRITVR vtrum pauperes validi, & maxime regulares, ad opera manualia vniuersaliter sint astricti? Et quod sic ostenditur primo ex vinculo legis naturæ, scriptum est enim: Posuit Deus hominem in paradiso vt operetur. Item: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. ergo præceptum de laborando respicit hominem secundum naturam institutam, & secundum naturam lapsam: ergo secundum omnia tempora. sed maximè respicit hominem, qui potest per se ipsum, & non potest supplere per alium. talis autem est pauper-validus. ergo talis tenetur ad manualiter laborandum.

1. Arg. pro parte affirmatiua. Gen. 2. c Gen. 3. d

II. Item in Zacharia dicitur: Homo agricola ego sum, quia Adam exemplum meum, Glossa: Vt comedam panem meum in sudore vultus, dum ille se ostenderet natum ad hoc, vt in sudore vultus comederet panem, sed hoc maximè conuenit ei, qui indiget pane, & potest laborare. & talis est validus pauper. ergo, &c.

Zach. 13. e

III. Item ad ea sine quibus non potest natura subsistere, sumus naturaliter obligati: sed sine labore corporali, siue manuali non potest genus humanum in esse conseruari. ergo ad hoc necessario aliqui obligantur. Sed non nisi illi qui sunt idonei. Sed tales sunt pauperes validi, quia indigent, & possunt. ergo tales præcipuè obligantur.

IV. ITEM sicut os datum est homini ad manducandum, ita, & manus ad operandum. sed qui neglexerit comedere, cum indiget, si possit, facit contra dictamen iuris naturalis. ergo pari ratione, qui neglexerit operari manualiter, si indiget & valet. sed talis est pauper validus. ergo, &c.

V. Item hoc ipsum ostenditur ratione religionis Christianæ, primò per Apostolicum præceptum, vbi dicit: Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, &cæt. Si dicas hoc esse consilium, contra ait Apostolus: Operamini manibus vestris sicut præcepimus vobis, vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Glossa: Nedum rogetis vel tollatis. Sed hoc maximè respicit pauperes. ergo, &c.

Eph. 4. f

1. Thess. 4. c

VI. ITEM hoc ipsum videtur per Apostolicum exemplum, cum dicitur: Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducauimus, sed in labore & fatigatione, &cæt. Glossa: Apostolus forma erat his, qui tenues erant in substantia in plebe, vt discerent libertatem suam non amittere. Qui enim ad alienam mensam frequenter conuenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se. Cum religio nostra ad libertatem hominem vocet, ergo hoc est contra religionem nostram.

2. Thess. 3. b

VII. Item hoc ipsum videtur per Apostolicum edictũ, vbi idem Apostolus ait: Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis quoniam si quis non vult operari, non manducet. Sed constat, quod non loquitur, nisi de his, qui indigent refectione. ergo, &c. Si dicas, quod non intelligitur de labore corporali, contra hoc, quod ibidem dicit Glossa: Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, sed superflue conantur & sibi, & cæteris caliginem obducere, vt quod intelligitur haritas monere. non solum facere nolit, sed nec intelligere. Sed fortè dices, quod verba Apostoli intelliguntur dici ad curiosos, vagos, & otiosos, non ad Christi seruos spiritualibus occupatos, contra super illud: Qui non laborat, Glossa, Vult Apostolus seruos Dei corporaliter operari, vt habeant vnde viuant, vt non compellantur egestate necessaria petere. Sed serui dicuntur viri boni & iusti, & talibus præcipit operari, vt non compellantur mendicare ergo pauperes validi, &c.

2. Thess. 3. c

VIII. Hoc ipsum ostenditur ratione professionis monasticæ. Primo per beatum Augustinum, qui per totum librum de opere monachorum intendit tamquam finali conclusione ostendere, quod monachi astricti sunt ad opera manualia.

IX. Item Glossa super illud Lucæ: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c. vt omnibus spretis pro Deo, postea labore manuum operemini vnde viuatis, vel eleemosynam faciatis. Sed omnes regulares ex voto tenentur ad consilium paupertatis. ergo secundum Glossam labor manualis debet sequi abrenuntiationem: ergo omnes tenentur ad corporalem operationem.

Luc. 12. d.

X. Item Hieronymus ad Rusticũ ait: Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere laborabant manibus suis, ne quemquam aggrauarent: cur tu in vsus tuos successuras res non præparas, vel fiscellam texe iunco vel canistrum lentis plecte viminibus. Et post: Scribantur libri, vt & manus operentur cibos, & anima saturetur lectione. Item beatus Benedictus in regula sua: Tunc veri monachi sunt, si de opere manuum suarum viuant, sicut patres nostri Apostoli. Ergo si hoc facit nos imitatores Apostolorum, & omnes religiosi debent esse tales. ergo & operari manualiter: cũ opera supererogationis non diminuant, sed implere debeant opera præceptorum.

Hier. in ep. 4. ad Rust. de consec. dist. fin.

XI. Item beatus Franciscus in regula sua: Fratres, inquit, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, &c. Et quod de labore corporali intelligat, patet per hoc quod sequitur: De mercede vero laboris.

SANCTVS BONAVENTVRA.

CONTRA, quod nõ omnes validi pauperes ad opera manualia sint astricti, videtur pro ratione contemplationis. Nam Saluator dicit: Martha sollicita es, &c. vsque elegit. Melius ergo faciebat Maria intendens contemplationi, quam Martha corporali occupationi. Sed non melius ageret, si omitteret illud ad quod tenebatur. ergo intendens contemplationi, absoluitur ab opere corporali.

Argumẽta pro parte negatiua. Luc. 10. g

Item super illud Genesis confirmatus est ager, Glossa: Contemplatiua vita à sæcularibus actionibus funditus diuidit, sed nõ ab actionibus spiritualibus, ergo à corporalibus. Nec diuidit contra legem Dei, ergo contemplantes non sunt astricti ad hoc.

Item labor manualis non est actus respiciens vniuersaliter omnia membra Christi, alioquin nullus sine eo posset saluari. respicit ergo officium alicuius membri. Sed membrum habens officium dignius non tenetur ad actũ membri indignioris. Ergo si digniora sunt membra, quæ habent gratiam contemplandi, non astringuntur ad officium vel exercitium actionis, maxime cum necessitas nõ compellit defectus inferioris membri supplere.

Item quod non omnes astringantur, ostenditur ratione prædicationis. Nam vbi Lucas dicit: Misit eos binos &c. Glossa Ambrosij dicit: Tanta debet esse prædicatori fiducia, vt sibi necessaria non defectura certissime sciat ne dum sibi prævidet terrena, minus aliis prævideat æterna.

Luc. 10. a

terna. Ergo studium prædicationis & doctrinæ non debet intermitti propter opus corporale, cum homo non perfectè sufficit ad vtrumque.

Ibidem. Item super illud Lucæ: Dignus est operarius mercede sua, Glossa ait: Duæ mercedes prædicatori debentur. vna in via, quę in labore sustentat: altera in patria, quæ in resurrectione remunerat. Sed quod debetur alicui, non tenetur illud labore corporali acquirere. ergo prædicator non tenetur propter necessitatem corporis manualiter operari.

Aug. lib. de op. monach. c. 21. to. 3. Item Augustinus de opere monachorum: Si Euangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, plane sibi vendicant potestatem viuendi, scilicet sine opere corporali. ergo &ç.

1. Cor. 9. b Item quod non omnes astringantur, ostenditur ratione spiritualis occupationis. Vnde Apostolus ait: Nescitis quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt;& qui altario seruiunt, cum altario participant? vbi Glossa: Naturalis ratio dictat, vt quis viuat inde, vbi laborat. Si ergo fidelis qui intentus est spiritualibus occupationibus dignus est sustentari, nec talis est otiosus: ergo nec ratione otij vitandi, nec etiam victus acquirendi tenetur manualiter operari.

Ansel. lib. de simil. c. 126. & 127. Item Anselmus de similitudinibus: Tres quippe sunt ordines hominum, orantes, agricultores, & defensores, quos ad diuersa officia Deus in hoc mundo disposuit: monachos, vt pro aliis orent, & lacte prædicationis imbuant: agricultores, vt de suo labore & ipsi, & alij viuant: milites, vt orantes defendant. Sed milites digni sunt sustentari quando suum officium exercent absque labore corporali. ergo pari ratione & monachi digni sunt.

Item si spiritualis occupatio non excusat à labore corporali: ergo multo minus nec scientialis. ergo omnes validi pauperes, qui student in qualibet scientia, sunt in malo statu quia non viuunt de labore manuum suarum, sed hoc est valde absurdum: ergo & primum.

Item Christus legem perfectissimè impleuit, quia decebat eum implere omnem iustitiam; sed Christus pauperrimus fuit & validus. ergo si tales vniuersaliter operari tenentur, Christus non perfectè legem impleuit, nec dedit exemplum perfectum. Sed hoc est inconueniens. ergo & primum.

Item Beatus Benedictus quando erat in spelunca, erat pauper & validus, & tamen non viuebat de labore manuum suarum, sed edebat quod sibi Romanus apportabat, vt dicitur 2. dialogorum. Ergo vel erat in malo statu, quod absurdum est, vel non tenebantur ad operandum. *Greg. 2. dial. cap. 1.*

Item aut pauperes validi possunt viuere de eleemosynis absque manuali opere, aut non. Si sic, habeo propositum quod non tenentur. Si non possunt, ergo cum omnia bona ecclesiarum & monasteriorum non sint nisi eleemosynæ pauperum, vt Sancti dicunt & manifestum est. ergo omnes quotquot validi & clerici & monachi qui viuunt de huiusmodi bonis sine labore manuali, sunt in statu perditionis. Si ergo hoc est absurdissimum, patet quod & illud ex quo sequitur. Si dicas, quod de grossis & magnis eleemosynis licet: sed de paruis non licet: hoc nō solum absurdum est, verumetiam adeo ridiculosum, vt manifeste qui sic dicit, colet culicem, & glutiat camelum. Restat ergo quod ad huiusmodi opera manualia, non omnes validi pauperes sunt astricti.

Responsio.

Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod sicut circa fidem beatissimæ Trinitatis, triplex est via sciendi, ita quod duæ quæ declinant ad extrema, sunt erroneæ, sicut hæresis Sabelliana, & Ariana, media vero, vera & Catholica: sic in quæstione proposita duplex est via declinans ad extrema, & ideo erronea & reprobanda; media verò recta & acceptanda. Vnus est modus dicendi, quod nulli pauperes voluntarij, quantumcunque validi, ad opera manualia sunt astricti, sed solum ad spiritualia. Et hi fundauerunt se super illud Matthæi: Respicite volatilia cœli. Hic autem modus dicendi est erroneus, quia est corruptiuus Ecclesiæ, & deprauatiuus Scripturæ. Corrumpit Ecclesiam dum simulando falsam iustitiam, fouet pigritiam; dum simulat se velle Euangeliū perficere, vult otium carnis nutrire. De quibus Augustinus in libro de opere monachorum: Quis ferat homines contumaces saluberrimis monitis Apostoli resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari, vt monasteria doctrina saniore fundata, gemina illecebra corrumpantur, & dissoluta licentia vacationis, & falso nomine sanctitatis? Deprauat etiam Scripturam, quia nimis ampliat verba Euangelica, & nimis arctat verba Apostolica. Vult enim quod Euangelium inhibeat perfectis omne opus corporale, & vult quod Apostolus non suadeat nisi opus spirituale, quorum vtrumq; falsum est. Et contra hanc falsitatem Augustinus totum librum de opere monachorum cōdidit, ostendens quod Apostolus intelligit de opere corporali, & quod Euangelium non vetat corporalia opera, sed solum quod cor non sollicitetur præoccupatum circa temporalia. Vnde in principio libri de opere monachorum ait: Prius debemus ostendere beatum Apostolum opera corporalia seruos Dei operari voluisse, deinde ostendere Euangelica illa præcepta, de quibus nonnulli non solum pigritiam, sed arrogantiam fouent Apostolico præcepto & exemplo non esse contraria. Vnde conuincit Augustinus positionem istam esse reprobandam. *Aug. lib. de oper. monac. c. 30. in prin. tom. 3.* *Idem ibid. c. 3. in prin.* *2. Thess. 3. c*

Secundus modus dicentium est, quod omnes validi pauperes qui non habent vnde viuant, ad opera manualia seu corporalia sunt astricti. Et innituntur verbis Apostoli dicentis: Qui non laborat, non manducet. Nec possunt excusari, vt dicunt, per opera spiritualia. Et hic quidem modus dicendi est erroneus sicut & primus. Nam nimis declinando ad alteram extremitatem, deprauat Scripturam, & corrumpit Ecclesiam. Scripturam deprauat, quia nimis ampliat verbum Apostoli, dum dicit: Qui non laborat, non manducet; volens illa verba de labore manuali non solum ad otiosos, sed quantumcunque vtiliter in spiritualibus occupatos extendi, qui non sunt curati. Nimis etiam restringit verba Euangelica, dum illa verba: Dignus est operarius mercede sua; ad eos solos extendit qui habent animarum curam: cum potius fiat homo dignus mercede ex opere, quàm ex dignitate. Absit omnino à fidelibus mentibus, quod cooperatores habentium curam non sint digni operarij, nec digni mercede & sustentatione sua, maximè qui fideliter collaborant in verbo & doctrina. Ecclesiam etiam corrumpit, dum simulat districtionem iustitiæ, & persequitur spiritum vitæ. Quid enim aliud est hoc, quàm quod significatum est per præpositos Pharaonis, de quibus dicitur in Exodo, quod oderant filios Israel, & ad amaritudinem perducebant, affligentes operibus duris luti, & lateris, atque omni seruitute? Et ne fortè videar moueri spiritu proprio, audi quid dicit Glossa super illud Exodi: Quare Moyses, & Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. Hodie si Moyses, & Aaron, id est propheticus & sacerdotalis sermo animam sollicitet ad seruitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi & verbo Dei, continuo audies vnanimes & amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducuntur homines, & peruertuntur adolescentes, ne laborent, nè militent, ne agant aliquid quod prosit, relictis omnibus necessariis inertias sectantur & otium. Quid est seruire Deo? laborare nolunt, & otij occasiones quærunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici eius loquuntur, nec solum verbis, sed etiam verberibus persequuntur: Hucusque Glossa. *Luc. 10. b* *Exod. 1. b* *Exod. 5. a*

Quoniam igitur vtraque opinionum, vel sententiarū declinat ad extrema, & declinando deprauat scripturam, & corrumpit Ecclesiam, ideo vtraque reprobanda. Prima, quia dat fomentum pigritiæ. Secunda, quia nititur extinguere spiritum vitæ sub onere seruitutis Ægyptiacę.

Prima, quia fouet otium carnale. Secunda, quia persequitur spirituale. Propterea secunda longe peruersior est, quam prima, licet vtraque sit mala. Ideoque vtraque repulsa, tenenda est via media, quod de pauperibus validis aliqui sunt astricti, aliqui vero absoluti, aliquibus indicitur sub præcepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto, nec illo modo.

Ad cuius pleniorem euidentiā notandum est, quod regnum reipublicæ in Ecclesia attenditur circa tria, scilicet quantum ad bonum interius, quod est corporale: quantum ad bonum exterius, quod est ciuile: & quantum ad bonum interius, quod est spirituale. Et secundum hoc, triplex genus operis est necessarium ad regnum reipublicæ & Ecclesiæ militantis, scilicet opus artificiale, quod & manuale dicitur, quia manus est organum organorum, opus ciuile, & opus spirituale. Opus manuale siue corporale, dico, quod est necessarium ad præparanda alimenta, vestimenta, & habitacula, & diuersorum opificum, & artium instrumenta. Opus ciuile dico, quod est ipsorum præsidum gubernantium, militum defendentium, & mercatorum negotiantium, & famulorum subministrātium. Opus spirituale dico, quod consistit in disseminādo diuina verba, meditando diuina cantica, in dispensando sacramenta, in communicando bona sibi diuinitus data, siue terrena, siue spiritualia. Nam distribuere sua pro Christo, opus est spirituale, non ciuile, non ciuitatis terrenæ. Sicut ergo qui intenti sunt operibus ciuilibus reipublicæ, ad opera manualia per Apostolicum præceptum non intelliguntur astricti, sic nec hi, qui intenti sunt spiritualibus; maxime si redundet in aliorum salutem, commodum & profectum. Et ideo occupatos in quatuor generibus operum spiritualium prædictorum excipit Augustinus à tentione Apostolici præcepti in libro de opere monachorum, cum dicit: Si Euangelistæ sunt, si ministri altaris si dispensatores Sacramentorum, plane hanc sibi vendicant potestatem, si aliquid habebant in sæculo quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conuersi ad Deum indigentibus dispartiti sunt. Euangelistæ autem disseminant diuina verba. Ministri altaris decantant diuinas laudes, & diuina cantica. Dispensatores sacramentorum dispensant diuina sacramēta, & maxime Eucharistiæ vel pœnitentiæ. Qui diuiserunt suas possessiones, distribuerunt bona sua. Si ergo digni sunt sustentari pro vnica distributione spiritualium etiam si nihil corporaliter operentur, & si ille qui docet filium alicuius grāmaticam, meretur ab eo sustentari; quare non ille qui docet viam regni cœlestis, qui impetrat gratiam orando, qui etiam exemplis bonæ vitæ excitat, & dirigit ad æternam salutem? Cum ergo Respublica vniuersalis Ecclesiæ, seu Ecclesiasticæ hierarchiæ indigeat ad sui conseruationem triplici opere supradicto, nec Deus, nec Angelus, nec Pastor Ecclesiæ, vel Rector, sicut Apostolus, astringit ad huiusmodi opera, nisi secundum quod exigit salus, necessitas & vtilitas ipsius Ecclesiasticæ hierarchiæ, cuius serui Christi sunt membra.

Triplex est genus operis, sc. corporale, ciuile, & spirituale.

Aug. li. de oper. monac. c. 21. To. 3.

Quoniam ergo inter membra Christi sunt quædam maximè idonea, ad operationes corporales, & minime ad spirituales, quædam econtrario modo: hinc est, quod illis pauperibus validis, qui ad opera corporalia maxime sunt idonei, & minime ad spiritualia, qui conuenienter aliter nesciūt vitare otium, & opus facere victu dignum, tales ad opera manualia astringuntur, & eis est manuale in præcepto. His autem qui simul spiritualibus sufficienter possunt intendere, & labore manuum victum acquirere, vel in toto, vel in magna parte, qualis fuit Apostolus Paulus, est opus manuale in consilio. His autem qui maxime sunt idonei ad spiritualia opera prædicta, vel etiam ad ciuilia, & minime ad hæc manualia, huiusmodi opera lucratiua, & artificialia non sunt in præcepto, nec etiam in consilio; quia stultum esset, quod pro re modicæ vtilitatis commune bonum magnum incurreret detrimentum, nec hoc ordinauit DEVS, nec eius Apostolus, sicut in sequentibus euidenter ostenditur. Quod autem de huiusmodi operibus, & hominibus diuersificari debeat iudicium secundum diuersitatem donorum, officiorum, & gratiarum sibi diuinitus collatarum, ostēdit Glossa super illud Deuteronomij: Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus iumentorum tuorum, ita dicens, diuersos ordines notat subditorum. Alij enim doctoribus corporalia præbent adiumenta, alij laborare possunt, quod sibi fuerit præceptum, alij simplicitate contenti per innocentiam vitę student Deo placere, vnusquisque proprium donum habet ex Deo. Concedendum est igitur, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad huiusmodi opera manualia sunt astricti, & concedendæ sunt auctoritates, & rationes hoc probantes, hoc ostendentes.

Pauperes validi, qui ad spiritualia nō sunt idonei, ad manualia tenentur.

Deut. 28. a

Ad I.

Non astringitur homo ex lege naturæ ad opus manuale.

AD illud quod primò obijcitur in contrarium de obligatione legis naturæ dicendum, quod natura ad hoc nō astringit, nisi ratione periculi vitandi. Nam si ex lege naturæ hæc maneret obligatio cuncti essent vniuersaliter, & æqualiter obligati, quod absurdissimum est. Ideo si aliquis à natura astringitur, hoc non est, nisi propter vitandum periculum, & hoc potest esse triplex. Aut quia non potest fructuosè sine labore viuere, aut quia non potest honestè viuere, aut quia non potest viuere. In primo periclitatur entitas, in secundo honestas, in tertio vtilitas. Est autem naturaliter insertus homini amor sui esse continui, amor honesti, & amor commodi: & per hoc lege naturæ astringitur homo ad vitandum hoc triplex periculum. Sic ergo astringitur necessario ad manualiter operandum pauper validus, si in tali articulo constitutus est, quod non potest aliter viuere, vel non potest honestè, siue iuste, vel non potest aliter viuere fructuose. Si autem potest aliter hoc periculum vitare æque, vel magis vtiliter, astringi ad hoc non habet ex lege naturæ. Quod ergo obiicitur, quod homo ex prima sua conditione ordinatus est ad istam operationem. Dicendum, quod nullus homo debet esse sine labore in hac vita, ne forte de eo dicatur quod de reprobis dicitur in Psalmo: In labore hominum non sunt, &c. sed ex hoc non sequitur, quod oporteat occupari circa laborem manuum, & maxime lucratiuum.

Psal. 72. a

Ad II.

Et per hoc patet responsio ad sequens ab exemplo Adæ, quia constans est, quod non omnes obligantur ad opus agriculturæ. Ad illud quod dicitur, in sudore vultus tui, &c. tunc non dictum est in præceptum iuris, sed in pœnam culpæ perpetratæ, sicut patet per textum sequentem.

Ad III.

Ad illud quod obiicitur, quod sine huiusmodi opere non potest genus humanum sustentari, dicendum quod duplex est mandatum, vnum indiuidui, aliud quod respicit conseruationem speciei, sicut est mandatum de manducando, & mandatum de generando. Illud ergo quod respicit conseruationem speciei, non obligat nisi in communi; quia vno implente alius absoluitur, sicut de generatione, & quia opus manuale est huiusmodi, nisi in eo qui constitutus est in statu periculi, ideo non habet nisi talis astringi.

Ad IV.

Ad illud quod obiicitur, quod sicut os est ad manducandum, ita & manus, &c. dicendum, quod non est simile, quia si homo posset viuere sine comestione, sicut potest viuere sine manuali opere, non teneretur manducare. Præterea vnus homo potest operari pro alio, sed non manducare pro alio, ideo non oportet sic omnes astringi vniuersaliter ad manualem operationem, sicut ad manducationem.

Ad V. VI. & VII.

Ad illud quod obiicitur de præcepto, exemplo, aut dicto, & verbo Apostolico. Notandum, quod circa Apostolicum præceptum consideranda est persona cui præcipitur, causa pro qua præcipitur, & forma sub qua præcipitur. Si consideretur persona, non omnibus præcipit generaliter, sed determinate quibusdam. Ait enim: Et audiuimus quosdam inter quos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiosè agentes. His autem qui huiusmodi sunt, denunciamus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Præcipit ergo, inquietis, curiosis & otiosis. Si autem consideretur causa, non est du-

2. Thess. 3. c

brum, quin sit ad remotionem horum trium vitiorum. A Quia enim labor corporalis valet ad corpus domandum, ad otium tollendum, ad victum honeste quærendum, idem Apostolus imponebat eis laborem, quasi in vitiorum istorum medicamentum. Nam inquieti labore domante, otiosi labore excitante, curiosi sedula cura victum quærentes, vt dicit Glossa, indigent labore victum promerente. Ideo Apostolus, quasi per se loquitur, & proprie & sufficientissime in prædicto mandato si attendatur causa. Si vero attendatur forma sub qua præcipit, cõstans est, quod debet conuenire cum causa Apostolicum enim hoc præceptum est, & ad tria prædicta ille astringitur, qui nõ potest habere illa tria per aliam viam licitam, & conuenientem, qui verò potest non astringitur determinate ad hanc viam, quantum est de ipsius præcepti efficacia, quod dedit Apostolus ad ornandam, & ædificandam Ecclesiam, non est ad destruendam illam, secundum potestatem, quam ad ædificationem dicit sibi diuinitus datam.

Quibus præcipiat Apostolus opus manuale, & qua de causa.

Dicendum ergo, quod Apostolicum præceptum, exemplum, dictum & iudicium, illos obligat potissime, qui sunt inquieti, otiosi, & curiosi, vt ab his redeant, vel eos qui non possunt aliter conuenienter quàm per laborem corporalem vitare vitia supradicta, sicut manifeste ostensum est.

Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod vult Apostolus seruos Dei corporaliter operari. Dicendum, quod si illud esset velle præcepti, intelligendum est indefinitè de seruis Dei, id est de his, qui sunt ad seruitium Domini cum conuersi, qui per maiora, & vtiliora opera non sunt à manuali opere excusati, sicut exemplificat Augustinus de his, qui vitam in sæculo de labore corporali transigebant, & sic illud indefinitè debet intelligi, & non vniuersaliter. Quia absurdum esset dicere, quod omnes serui Dei ad hoc sint astricti. Patet etiam hoc, quia Augustinus à quo verba illius Glossæ accepta sunt, sed mutata, excipit quatuor genera hominum, quos dicit non teneri vt labore proprio victum quærant sicut ostensum est supra. Vnde super prædictam Glossam innitendum non est, tum quia mutat verba Augustini. dicit enim in originali: Primum debemus ostendere Apostolum corporalia opera seruos Dei operari voluisse, vt victu, & vestitu à nullo indigerent, nec aliquam mentionem fecit de petitione: quia illi contra quos agebat, non viuebant de petitis, sed oblatis, sicut in 2. lib. retractationũ dicit: Facienda est ergo vis in hoc quod dicit: Voluisse, quod non semper præceptum est; & in hoc quod dicit; Seruos Dei, quod indefinitè dictum est; & in hoc quod dicit: Ne compellantur, quod non pertinet ad pauperes voluntarios, sed potius ad inuitos.

Ad illud quod obiicitur de monachis, dicendũ quod monachi regulares, aliqui habent in professione, & voto laborem manualem, aliqui vero minime. Ratio vero huius est diuersitas professionum, ex parte temporum, personarum, & intentionum. Ex parte temporum, quia circa tempora primitiuæ Ecclesiæ quatuor erant genera monachorum, sicut distinguit beatus Benedictus in principio regulæ, scilicet, Cœnobitæ, Anachoritæ, Sarabitæ, & Gyrouagi. Primi erant boni, secundi optimi, tertij & quarti pessimi. Tertij enim & quarti non ducebantur iugo aliquo, sed secundum proprias concupiscẽtias ambulabant. Sarabitæ intendentes carni, Gyrouagi mutabiles, & vagabundi, & ad omnia mala parati. Secundi, scilicet Anachoritæ regula non indigebant, quia tanquam perfectissimi regulabantur à gratia. Primis debuit regula dari, vt distinguerentur à Gyrouagis, & Sarabitis, conueniens fuit ne compellerentur exterius exire, ad laborem corporalem eos astringi. Vnde Augustinus in libro de opere Monachorũ, ait: Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaque dispersit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Et post: Nonne calescit cor vestrum intra vos, & in meditatione vestra exardescit ignis, vt istorum mala opera bonis

Quatuor genera Monachorum.

operibus persequamini, vt eis amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus æstimatio vestra læditur, & infirmis offendiculum ponitur? Miseremini ergo & compatimini, & ostendite hominibus, non vos in otio facile victum quærere, sed per angustam, & arctam viam huius propositi regnum Dei quærere. Eadem vobis ratio est, quæ fuit Apostolo, vt amputetis occasionem, his qui quærunt occasionem, vt qui illorum putoribus præfocantur, in vestro bono odore reficiantur. Hucusque Augustinus.

Ex parte etiam personarum voventium, quia monachi tunc temporis pro maxima parte erant laici, & plebeij, & ideo competebat eis circa consueta opera occupari. Vnde Augustinus in libro de opere Monachorum: B Illi qui præter istam societatem sanctam vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasteria veniunt, si nolunt operari, non manducent. Neque enim in Christiana militia ad paupertatem diuites humiliantur, vt pauperes ad superbiam extollantur, nulloque modo decet, vt in ea vita vbi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quo veniunt relictis delitiis, qui fuerunt prædiorum Domini, ibi fiant rustici delicati.

Ex parte intentionum, quia monasteria primitiua instituta erant ad vitam solitariam agendam, vt vnusquisque haberet curam sui, & apud se habitaret, & ideo monachus dictus est. & quia paucissimorum est semper diuinis intendere, ideo ne otiosi essent, congruebat eorum C professioni exerceri circa opus manuale. Vnde Hieronymus ait: Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ suæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, & ad instar fornicantis Hierusalem omni transeunti diuaricent pedes suos. Competebat ergo monasteriis primi temporis astringi ex professione ad opus manuale, ratione temporis, personarum, & professionis. Sed post instantibus temporibus modicis quando illi Gyrouagi erant consumpti, & Ecclesia opulenta fuit tam in Clericis, quàm in Monachis, magis erat opus dandum circa spirituale exercitium, & hinc est quod Monachi laborem manualem siue corporalem bene & recte in spiritualem exercitationem, & psalmodiam commutauerunt. Et quia Ecclesiæ iam D ditatæ magis indigebant spiritualibus operariis, quàm vinitoribus, & agricolis: hinc est quod Spiritus Sanctus religiones pauperculas suscitauit, quarum sollicitudo, & cura tota esset ad signandos seruos Dei in frontibus eorum signo Dei viui, vocando ad pœnitentiam, & ad gratiam Spiritus Sancti. Vnde vtræque à sua primaria institutione habent officium prædicandi, & ideo cum tales circa opera spiritualia sint intenti, propter quæ alij ab aliis merentur sustentari, nec sunt otiosi, nec curiosi sic viuendo, nec in periculo, cum Dominus eos pauerit vsque modo, nec habent hoc ex voto, ideo nec ipsi, nec omnes pauperes voluntarij, licet sint validi, sunt ad opus corporale astricti, quia nec ratione periculi, nec ratione præcepti Apostolici, nec ratione voti emissi, vt manifeste liquet ex præmissis.

Hier. in ep. ad Rustic.

Ad VIII.

E Ad illud quod obiicitur de lib. de opere Monachorum, dicendum quod beatus Augustinus in libro illo non ad hos loquitur, sed ad primos, qui opera corporalia, quæ habebant ex professione, sub prætextu spiritualitatis contemnebant, quia nec propter spiritualia debebant omittere corporalia, nec etiam econuerso. Vnde Bernardus ad tales loquens in Apologia ait: Iam verò de labore manuum quid gloriamini, cum & Martha laborans increpata, & Maria quiescens laudata sit, & Paulus aperte dicat: Labor corporalis ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia? Optimus labor, de quo Propheta dicebat; Laboraui in gemitu meo. Et de quo alibi: Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum. at (ne corporale intelligas exercitium) & defecit spiritus meus, inquit, vnde vbi, non corpus, sed spiritus fatigatur, spiritualis labor proculdubio intelligitur. Quid ergo inquis?

1. Tim. 4. c

Psal. 6. b

Psal. 76. a

Siccine

Sicne spiritualia illa persuades, vt etiam hæc quæ ex regula habemus corporalia damnes? Nequaquam. Illa oportet agere, & ista non omittere. alioquin cum aut ista omitti necesse est, aut illa: ista potius omittenda sunt quã illa. Quanto enim spiritus melior corpore, tãto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu vero cũ de horum obseruatione elatus, aliis non eadem obseruantibus derogas, nonne te magis regulæ transgressorem iudicas? Sunt ergo ad opus manuale astricti illi, qui habent ex obligatione professionis, nisi forte opus manuale commutent in spirituale, ita quod hoc etiam sit pe voluntate, & licentia superioris.

Ad IX. Ad illud quod obiicitur de Glossa, dicendum quod illud totum est consilium, sicut textus ille super quem Glossa fundatur. Nec aliquis ad totum illud, nec ad partem se astringit, nisi quantum ex professione promittit. Vnde sicut eleemosynas dare non est præceptum illi, qui omnia dedit: sic nec illud intermedium, scilicet operari, tenet rationem obligationis necessariæ, sed solius suasionis monitoriæ, vel etiam consultiuæ.

Ad X. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, & Benedicto, iam manifesta est responsio per prædicta.

Ad XI. Ad illud quod obiicitur de beato Francisco, dicendũ, quod in regula beati Francisci, quædam dicuntur præceptorie, quædam monitorie, quædam informatiue, sicut ipsa regula aperta vocabula distinguit expresse. Hoc autem quod dictum est de labore, non est dictum præceptorie, quia non imperaret quod faceret deuote, cum hoc non sit in nostra potestate, sed dictum est informatiue. Informat enim quorum sit manualiter operari, & qualiter, quia illorum, qui habent gratiam & facultatem virtutis, & industriam artis, & opportunitatem loci, & temporis. Qualiter, quia fideliter ad proximum, deuote ad Deum, & modeste ad se ipsos. Vnde Sanctus intelligens per Spiritum sanctum suam vocationem, in qua erant laici cum clericis, nec mandatum dedit de manualiter operando, nec tamen omnino reticuit, vt laici, & qui non sunt ad spiritualia idonei, nec circa necessaria fratrum intenti, nec adhuc sunt ad contemplationis indefessum otiũ eleuati, panẽ nõ comederent otiosi. Cum enim omnibus sit cauenda otiositas tanquam sentina omnium vitiorum, potissimẽ his cauenda est qui se perfectioni Euangelicæ astrinxerunt. Sic ergo patet, quod nõ omnes validi pauperes etiam non curati ad opera manualia sunt astricti.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum de eo,

QVOD CHRISTVS, ET APOSTOLI, ET Discipuli eius discalceati incesserunt, siue de Sandaliis Apostolorum.

Ioannes Trithemius in operibus S. Bonauenturæ hoc recenset, illudque inscribit: De Sandaliis Apostolorum. Huius vero rei argumentum erudite tractatur ab Auctore multis Scripturæ locis, sanctorumque Patrum auctoritatibus adductis, & explicatis: ex quibus multa discere licet doctrina simul & eruditione plena.

TALIS lector, tali lectori, spiritum intelligentiæ sanioris.

1. Ioan. 5. b. Quoniam secundum Apostolum Ioannem Deus veritas est, qui contra veritatem offendit, maxime Euãgelicam, cuius Christus specialiter auctor est, contra Christum offendere comprobatur. Super eo igitur quod Christum & suos sanctos Apostolos, atq; discipulos non discalceatos, sed calceatos incessisse coram peritorum multitudine prædicasti, quam temere contra veritatem Euangelicam offenderis, perpendere poteris ex subscriptis. At enim Chrysostomus super Matthæum: Apostoli cum vna tunica, & discalceati circumibant totum mundum, & superabant. Item Hieronymus de Ageruchiam: Apostoli toto orbe peregrini, non æs in zona, nõ virgam in manu, nõ caligas habuere in pedibus. a Item ad Rusticum monachum ponit idem. b Idem in epistola ad Eustochium, dicit sic: Moyses & IESVS Naue nudus in terra sancta iubentur pedibus incedere, Apostoli sine vinculis pelliũ, & onere calceamentorum ad prædicationem noui destinantur Euangelii. Milites vestimentis IESV sorte diuisis, caligas non habuere quas tollerent. Non enim habere Domin⁹ poterat, quod seruos suos habere prohibuerat. In hac auctoritate perpendere potest tua prudẽtia, quod Dominus noster IESVS non tantum calceamenta tẽpore passionis non habuit, sed etiam habere primo non potuit. Cœpit enim facere, & docere. Item Augustinus dicit sic, quod scribitur in Luca: Quando misi vos sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, non tantum fuerunt Domini verba, sed & discipulorũ obtemperantiũ facta secuta sunt. Item in vita beati Martialis: Sanctus Domini Martialis pergens ad prædicandũ, non equo vehebatur aut asino, non quolibet iumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus, sed iuxta Domini, & magistri sui IESV CHRISTI sententiam, quam ipse sibi & aliis Apostolis inculcare solebat, vt pergentes de ciuitate in ciuitatem, non sacculum, neque peram secum tollerent, nec calceamenta: nudis incedens pedibus, imitator Christi, atq; beati Petri Apostolorum principis consanguinei sui in omnib. quæ ipse Dominus præcepit, existere curabat. Item in vita beati Frontonis discipuli scribitur sic: Beatus Fronto castra & vrbes, in vicina loca calceatus tantũ sandaliis peragrans, gentium cateruis diuini verbi semina erogabat. Itẽ in Marthæ, & Magdalenæ vitis legitur, quod vel sandaliis vtebantur, vel nudis pedibus incedebant. De sandaliis autẽ dicitur in Marco: Calceatos sandaliis. vbi Glossa: Vt neque pes tectus sit, neq; nudus ad terram. Item ad Ephesios 6. & Matthæi 10, dicitur in Glossa: Sandaliis, vel soleis vsos Apostolos fuisse. Papias autem dicit; Sandalia autem sunt calceamenta desuper corium non habentia. Item Eusebius Cæsariensis lib 6. Ecclesiasticæ historiæ. cap. de laudibus Origenis, dicit sic: Ante omnia Origenis præcepta Euangelica, & voces Saluatoris summo amore, & studio implenda esse cẽsebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendas, nec calceamentis vtendum, nec de crastino cogitandum. Et sequitur: Ita denique per multos annos absq; omni calceamento nudos traditur incessisse vestigiis. Item Gregorius Nazianzenus: Optabam homines videre, qui viuerent ad exemplum prædicatoris Euangelij Christi, nudis pedibus incedentes, propter regnum pauperes, propter paupertatẽ reges. Cernis puto si proprie sapis, quod duo illustrissimi Græcorum doctores præceptum Euangelicum de non portandis calceamentis ad litterã censuerunt obseruandũ. Quod si fortassis in hac sententia præsumpseris dicere, prædictos duos doctores hæresim sapuisse, per prædictas & post dicendas auctoritates doctorũ Latinorũ Catholicorum, calumniari in hac parte prædictos doctores conuinceris manifeste. Item in vitis patrũ, in monachorũ perfectorum laudibus legitur in plurib⁹ locis, quod nudis vestigiis incedebant. Item Hieronymus in libro cõtra Iouinianum reprehendit ipsum, quod cum prius tãquã perfectus monachus nudis pedibus incessit, postea à perfectione apostatans monachali, calceamẽta deaurata portabat. Item in Apostolicis actis dicitur: Calcea te caligas tuas. Ad hæc est vna Glossa. Petrus propter rigorẽ carceris ligamenta ad horam laxabat, vt tunica circum pedes demissa frigus noctis ventumque temperaret, exẽplum præbens infirmis, vt cum molestia corporalis vel iniuria intentatur humana, liceat aliquid laxare de rigore propositi. Sicut ergo Petrus in eo quod circũ pedes tunicam demisit ad horam propter rigorem carceris, exẽplum infirmis præbuit, & rigorẽ laxauit, ita & in eo quod ad horam tantum caligas habuit, si tamen habuit. In fine tamẽ prædictæ Glossæ, caligæ Petri spiritualiter exponũtur sic: Quod dictũ est: Sint lubi vestri præcincti. &c

Hieron. ad Ageruchiã ep. 11 post med. a Idem ad Rust. ep. 4. b ibidem ad Eustoch. ep. 22. Act. 1. a Aug. 22. cõt. Faust. c. 77. to. 6. Luc. 22. e Mar. 6. a Act. 12. b Luc. 12. e Eph. 6. a

Et, Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, spiritualium virtutum, verb q; prædicandi relumere iubentur insignia. Textus etiam, Calceate, ad litteram intellectus non dissonat à prædictis auctoritatibus, & inferius annotandis sed omnino etiam concordat. Nam vbi Latinus interpres dicit caligas, Græcus dicit sandalia. Sunt autem sandalia, sicut dicit Magister in historia, soleæ vel petones. Secundum Papiam vero caligæ dicuntur, quasi caligulæ: quia super pedem colligantur. Vel etiam quia calce ligantur, sicut cernimus in solea sancti Petri, quæ vsq; hodie Romæ seruatur. Et etiã in picturis, & in cælaturis antiquarum Apostolicarũ imaginũ, & nouarum, in quibus omnib. vel cũ soleis vel nudis pedibus exprimuntur. Non tibi blandiaris, cum audis, quia sandalia sunt caligæ, quia secundũ Papiã sandalia sunt caligæ, vel calceamenta desuper coriũ nõ habentia. Ridiculosum igitur est valde, quod litteratus hoc neget, quod clamant lapides, & testantur. Interlineare autem quo dicitur super illo verbo, exemplum datur non sine calceamentis ambulandi, Angelo iubente, & Apostolo complente, soluitur per principium interlinearis, vbi dicitur: Caligę sunt calceamẽti genus, & de illis intelligitur. Nec videtur authenticum, sed ponitur magistrale, vel spiritualiter intelligendum est. vt est illud ad Ephesios: Calceati pedes, &c. Glossa: Hæc calceamenta virtutum debet habere prædicator, ne ille, qui prædicat pede mentis terram tangat, id est, pro terrenis faciat. Hac significatione dicit Marcus Apostolos sandaliis calceari vel soleis, scilicet vt neq; pes sit tectus, neq; nudus ad terram. Hic, vt cernis, manifeste dicit Glossa, & est Augustini, quid sunt sandalia, quia soleæ, & quod virtutum calceamentis debent veri Apostoli calceari. Amplius super illud Lucæ: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, &c. Glossa dicit sic: Non eadem viuendi regula persecutionis, quæ pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicãdum, ne quid in via tollerent, præcipit, instante autem mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tẽpori regulã decreuit, permittens vt tollant victui necessaria. Ex hac Glossa patet, quod ad regulam Apostolicam pertinet nihil in via tollere, & sine calceamẽtis incedere. Et licet persecutionis tempore aliquid in via tollere permittatur, de calceamentis tamen cõportandis etiam persecutionis tẽpore, nec textus innuit, nec Glossa.

Eph. 6.c

Luc. 22.c

Ex prædictis testimoniis clarius innotescit, quid de Domini nostri IESV CHRISTI & suorum Apostolorum, atq; discipulorum calceamentis, iuxta veritatẽ Euangelicam, & sanctorum expositiones, docendum sit pariter & seruandum. Sed his omnib. testificationibus firmissimis, atq; claris, sancti Euangelij sanctiones sunt incõparabiliter clariores. Scribitur enim in Matthæo: Nolite possidere aurũ, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non perã in via, neq; duas tunicas, neq; calceamenta neq; virgam. Item: Pręcepit eis Dominus, ne quid tollerent in via nisi virgã tantũ; non peram, non panem, neq; in zonis æs, sed calceatos sandaliis. Item ait: Nolite portare sacculum, neque perã, neque calceamẽta. Quod autem Domini hæc verba, mandata non tantũ spiritualiter, sed etiã ad litteram fuerint obseruata, patet ex auctoritatibus prædictis. Patet etiam ex picturis & cælaturis antiquissimis laicorum. Patet etiam ex ipsis sandaliis Apostolorum, & Christi discipulorum, quæ vsque in hodiernũ diem in plerisq; locis, ad huius veritatis adstipulationem, & deuotionẽ fidelium reseruantur. Patet etiã ex Glossa Marci superius allegata. Patet etiam ibidem ex alia Glossa. Matthæus & Lucas, memorant Dominũ dixisse discipulis, vt nec virgã ferrent. Marcus ne quid tollerent, nisi virgam tantũ. Sed illi accipiunt realiter virgã, Marcus per virgam potestatem accipiendi necessaria à subditis. Ergo sicut Matthæus, & Lucas virgam realiter accipiunt, sic & calceamenta. Plato dicit, duas summitates corporis nõ esse velandas, neq; assuetam fieri mollitiem debere capitis & pedum. cũ hæc habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. Item Magister in historia, qui dicit sic: Non portabitis calceamenta, neque virgam. Secundum Marcum sandaliis, id est, soleis vel petonibus vti iussi sunt. Item in libro Iosue dicitur: Solue calceamentum tuũ de pedibus tuis, &c. Glossa: Hi sunt pedes, quos lauit IESVS. Non autẽ ignorat prudentia tua, Dominum IESVM non tantum pedes Apostolorum spirituales, sed etiam corporales humiliter abluisse. Patet etiam postremo per gloriosum Christi signiferũ Frãciscum, qui Spiritu sancto reuelante iuxta litteralem intellectũ prædicti pręcepti ordinem suum, & regulam instituit, Domino cooperante & sermonẽ confirmante sequentibus signis, & etiam seruauit. Et iuxta hunc intellectum per se ad prouidentiam signis præcedentibus cõfirmationẽ meruit obtinere. Ceterum si præcepta Euangelica de nõ portãdis calceamentis spiritualiter tantũ ab Apostolis intellecta fuerũt & seruata, ergo & illud quod ibidẽ inseritur, Gratis accepistis, gratis date. & illud: Infirmos curate, mortuos suscitate. & illud: Nolite possidere aurũ, neque argẽtum, &c. Quod quam perniciosum sit, & Euangelicę veritati aduersum tua peritia non ignorat. Vbi quæso esset illud Petri: Argentum & aurum non est mihi? Et illud: Pecunia tua tecum sit in perditionẽ, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. & illud: Dansque illi manum erexit eam in suscitatione Tabithę. Hæc ergo si ab Apostolis fuerunt intellecta ad litteram, & seruata, ergo & illud de calceamentis ab Apostolis nõ portandis, quæ prædictis sine medio connectuntur. Prætera Græci prædicantes Euangelium, quos cernunt pecuniam non accipere, nec calceatos incedere, sed sandaliis, vel soleis vti Apostolicos nuncupant, & vt Christi discipulos venerantur. Monachi etiam Indiæ, sicut ille retulit mihi, qui vidit, calceamentis non vtuntur, nudis pedibus incedentes. Hæc autem scripsi tuæ peritiæ, vt de cetero contra tot & tanta testimonia, Christum & eius perfectissimos discipulos non infames & Euangelicæ veritatis regulam vt lux clarissimã, expositione tua mystica non obscures. Nam secundum quandam Glossam super Matthæum: Prauus est auditor, qui manifesta vult obscure intelligi. Innuit etiã Gregorius in Moralib. in procemio, trifariæ Scripturæ modum. Sunt enim quæ historice vel ad litteram intelligi nequeunt, vt illud Iob: Suspẽdium elegit anima mea. Et illud: Pereat dies in qua natus sum. Quædam historice, moraliter, & allegorice intelliguntur. Quædam in quibus qui sensum litteræ negligit oblatum veritatis sibi lumen abscondit. Certum est autem ex prædictis trium Euangelistarum sententias superius allegatas, non in primo genere, sed in secũdo, & tertio contineri. Ceterum quod quatuor Euangelistæ Ioannis Baptistæ humilitatem admirabilem prædicantes introducunt ipsum dicentem, quod non sit dignus soluere corrigiã calceamentorum Christi, siue ipsius calceamenta portare: quod spiritualiter intelligendum sit, ex glossis sanctorum annotatis ibidem clarius innotescit. Dicitur in Euangelio Ioannis: Non sum dignus vt soluã eius corrigiam calceamenti, vbi Glossa: Nõ ait, non soluam, soluit enim quando ipsum manifestauit, & de diuinitate & humanitate ipsius multa aperuit, sed nõ sum dignus scilicet ait, quia ad hoc agendum se indignum putauit. Item in Lucæ Euangelio iterum dicitur: Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, vbi ait Glossa: Non sum dignus mysterium soluere incarnationis, vel nomen sponsi non mihi vsurpo, nec sponsus credi, sed amicus sponsi volo. Item Marcus: Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius, Hieronymus, id est, incarnationis mysterium, quando Verbum caro factũ est. Item Matthęus: Non sum dignus calceamenta eius portare. Glossa: Intendebat hic ostendere excellẽtiam Christi, & sui humilitatem. Et in eadẽ Glossa exponitur allegorice vt prius. Forte autẽ Ioannes Baptista in verbis propositis ad litterã intellectis non Christum calceatum dicere intendit, sed iuxta prædictam Glossam intendebat, &c. Maiestatem Christi magnificans, & suam humilitatem prædicans, vsitatum modum loquendi tenuit, sicut de homine valde nobili non lauante

Mat. 10.b

Mar. 6.a

Luc. 9.a

Matt. 10.b

Ios. 5.d

Act. 3.a

Act. 8.d

Act. 9.g

Greg. in ep. ad Leand. in prin. Moral. c. 3.

Iob. 7.c

Iob. 3.a

Ioa. 1.d

Luc. 3.d

Mar. 1.a

Mat. 3.b

uante manus suas posset dicere pauper humilis, Nõ sum dignus aquam effundere super manus eius. Nisi forte quispiam verba proposita volens exponere, dicat, quod Christus eo tempore quo Ioannes Baptista sententias protulit ante dictas, nondum publice prædicabat, nondum regulam ediderat, nondum in deserto exemplum dans pœnitentiæ ieiunauerat. Quod vtique verum est. Et ideo vult dicere, quod calceamentis tunc temporis vtebatur. Quod vtique videtur à glossis omnibus, & sanctorum expositionibus alienum. Siue autem hoc fuerit siue non, ex prædictis manifeste concluditur, quod post institutionem Apostolicæ regulæ Christus suique discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt. Nam secundũ Hieronymũ: Christus non habuit, quod non habendum docuit, qui primo cœpit facere & docere. Idcirco periculosum est valde immo ridiculosum asserere aliter Christum, aliter Apostolos vixisse, & Christum regulam non seruasse, & Apostolos aliud quam Christum habuisse perfectionis exemplum, cum discipulum esse perfectum si sit sicut magister suus, & seruũ non esse Domino suo maiorem Euangelica veritas contestetur, & vt simus imitatores Domini, sicut & ipse Christi, nos Paulus Apostolus exhortetur. Tu igitur qui Euangelij Doctor es & sectator, si huius Euangelicæ perfectionis apicem non attingis vsu: attingas saltem affectu pio, affatu veridico, & Catholico intellectu, & noli Euangelij candidissimam margaritam tortis expositionibus conculcare, noli contra Euangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas defensare. Si enim contra sententias Euangelij calceamenta defenderis, timendum est, ne duas tunicas, & cum pera pecuniam defendere contendas. Doceat ergo te vnctio veritatem, vt si quid incautius Euangelium prædicasti, studeas reuocare. Ne contemptum te repute, quod in hac epistola tecum singulariter sim locutus. hoc enim mihi amor charitatis priuatæ suasit, præsertim quia malui consuetudinem imitari doctorum illustrium, & sanctorum, quam vulgarem facetiam populorum. Vale in Domino.

Matt. 10. b

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, QVOD INSCRIBITVR *APOLOGIA PAVPERVM.*

Euangelicæ paupertatis excellentiam, meritum, & vtilitatem S. Bonauentura hoc Opusculo explicat, & Fratrum Minorum statum securum, meritorium, & Deo gratum probat, aduersus Gyraldum de Abbatis Villa, Parisiensem doctorem, & regulæ S. Francisci calumniatorẽ. Qui cum in Beatum Franciscum, & eius ordinem linguam blasphemam relaxasset, diuina vltione percussus, paralysi dissolutus, & lepra percussus interijt. Opusculũ vero hoc, titulo eodem inscriptum Trithemius S. Bonauenturæ tribuit: cuius initium esse testatur. Summi Legislatoris, &c.

Summa Capitum singularum responsionum huius Opusculi.

Responsionis primæ hæc sunt capita.

Caput primum, in quo calumniatoris peruersa intẽtio detegitur, & vera condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

Caput secundum, in quo capitalis error circa notificationem perfectionis, & imperfectionis eliditur, & vera perfectionis exemplaritas, & differentia ipsius ad imperfectionem refertur.

Caput tertium, in quo Euangelicæ perfectionis integritas panditur, eiusque status sublimis, & gradus multiformis aperitur.

Responsionis secundæ hæc sunt capita.

Caput primum, in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, & econtra fuga de se imperfecta monstratur.

Caput secundum, in quo abstinentiæ laus, & perfectio declaratur eiusdem impugnatio calumniosa reuellitur.

Caput tertium, in quo ieiunii arctitudo, vt consona perfectioni defenditur, & eius multiplex commendatio subinfertur.

Responsionis tertiæ hæc sunt capita.

Caput primum, in quo voluntaria & penuriosa paupertas fundamentum Euangelicæ perfectionis astruitur, & quæ huic videri possunt contraria dissoluuntur.

Caput secundum, in quo possessionum Leuiticarum, & Ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, & commendatio diuitiarum ostenditur non esse secura.

Caput tertium, in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, & penuriosæ paupertatis duodenaria prærogatiua monstratur.

Responsionis quartæ hæc sunt capita.

Caput primum, in quo religio carentium loculis ab errore defenditur, & verum ius possessionis Ecclesiasticæ declaratur.

Caput secundum, in quo professio fratrum Minorum veraciter carere ostenditur, & appropriatione rerum immobilium siue mobilium, & proprietate pecuniarum tam in proprio, quam in communi.

Caput tertium, in quo Euangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status à multiplicibus cauillationum versutiis defensatur.

PROLOGVS.

SVMMI Legislatoris inuiolabili constat diffinitione sancitum, sic Maiestati æternæ cultum debitum esse reddendum, quod idolorum cultura vitetur, sic redigendum intellectum creatum in summæ veritatis obsequium, quod nullus falsitati præbeatur assensus, sic vacandum sanctificationi spirituum, quod fericetur à seruitute carnalium voluptatum, sic denique virtutum Deiformium approbandam esse rectitudinem, quod deformantium vitiorum prauitas reprobetur. Præterea sicut veritatem fidei, & morum amore præcipuo iubemur desiderare, ac quærere: sic & errores eidem oppositos, summo astringimur horrore vitare, tantoque vehementius, quanto perniciosiores esse probantur. Quod quia Scripturæ sacræ Catholicos tractatores non latuit, mox vt suboriri senserunt peruersorum dogmatum germina, magno studuere conatu illorum conuulsioni operam diligentem impendere, ne si in altum succrescerent, sationis Dominicæ semina suffocarent. Porro diebus istis nouissimis, quibus euidentiori claritate veritatis Euangelicæ fulgor illuxerat (quod absq; profluentiũ exuberãtia lacrymarum nequaquã referre valemus) dogma quoddam pullulasse, iamq; in scriptis redactum reperimus, quod tanquam fumus teter, & horridus è puteo abyssali prorumpens, ipsiusq; solis iustitiæ splendentibus radiis se directe obiiciẽs, Christianarũ mentiũ hemisphærium obscurare cõtendit. Ne igitur tã perniciosa labes (nõ sine Dei offẽsa & animarũ discrimine dissimulata) concrescat, præcipue cum calliditate serpẽti na pie-

tatem

tatem quandam in superficie præferat, reuelanda est facies indumenti eius, vt clare detecta fouea, caute possit euitari ruina. Sane quia huiusmodi fabricator erroris, cum adhuc sit viator, vt credimus, corrigi potest per Dei clementiam, sollicite pro eo interpellandus est Christus, vt suæ vocis virtute, ac sapientiæ lumine eius, quam Saulo quondam exhibuerat, miserationis non immemor, & proteruientem deterreat, & superbientem humiliet, & errantem requirat, corrigat & reducat. Et quoniam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula, nequaquam peccatorum oleo adulatione videlicet impinguandum est ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum: quin potius procacis hominis erectam ceruicem, oportet dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, sed tranquillę mentis æmulatoria charitate. Ipsum vero dogma pestiferum ordinato competit improbare progressu, vt per modum apologiæ obiectioni coaptetur responsio, & impugnationi defensio correspondeat ex aduerso. Quoniam igitur primo perfectionis Euangelicæ apicem conatur deiicere, dehinc præcipitare mœnia, tertio euertere fundamenta, tandemque pauperum Christi professionem falsis criminationibus infamatam, abominabilem reddere mundo: quadruplex in contrarium responsionum est instruenda munitio, quarum quælibet tripartita sit, iuxta quod exigit materia, quatenus triāgulari huiusmodi armatura Euangelici milites, velut veritatis scuto circumdati, contra fulminantium telorum acumina protegantur inuicti.

Prou. 27. a

RESPONSIONIS PRIMÆ.

Caput Primum.

In quo calumniatoris peruersa intentio detegitur, & vera condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

IGITVR libellum illum calumniosum, cuius hoc initium est: Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines, &c. cum æmulatione, non secundum scientiam fuisse conscriptum, neq; sanam continere doctrinam, qui diligenter vult considerare luculenter potest aduertere. Primum quidem quia in defensionem illius libri erronei, qui sic incipit. Ecce videntes clamabūt foris, paucis reuolutis temporibus per Sedem Apostolicam reprobati, non absq; nota rebellionis est editus, legislatoris spreta sententia, quam in Deuteronomio sanxit: Si difficile atque ambiguum apud te iudiciū esse perspexeris, venies ad sacerdotes Leuitici generis, & sequeris sentētiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autē superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tēpore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille. Quod si tempore sacerdotij figuratiui Pontificis sententię aduersari malum erat, mortisq; pœna mulctandū: multo fortius tempore veritatis, & gratiæ reuelatæ, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dinoscitur, malum esse constat nullatenus esse tolerandum, in fide vel moribus eius diffinitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipse reprobat, reædificando quod ipse destruit, defensando quod damnat. Dehinc si quis libri totalis continentiam vigili circumspectione consideret, nō sanam, sed potius insanam, & impiam disseminare doctrinam oculata fide perpendet. Nam in primo libro, fugam persecutionis, & mortis tāquam actū maxime cōpetentem viris perfectis, & sanctis, magnis extollit præconiis abstinentiam vero, & ieiunium tanquam spiritualium medicamēta morborū, maxime astruit cōpetere imperfectis. In secundo vero statum opes habentium ostendere nititur omni laude dignissimum, & econtra statum nihil habentium periculosum astruere conatur, atq; imperfectum. In tertio quoq; religiosorum mendicantiū paupertatem, & abiectionem, quantis potest cauillationū versutiis impugnare molitur. Ex quibus patenter colligitur,

Deut. 17. b

quod huiusmodi perniciosa doctrina, non tantum Sedi Apostolicę, sed etiam sedi Dei, & agni aduersatur aperte. Cum enim sanctum Euangelium beatos dicit pauperes: beatos qui lugent, beatos qui esuriunt, beatos qui cum gaudio, & desiderio persecutionem patiuntur, vt sic nos ad arctam inducat viam quæ ducit ad vitam, hic ecōtrario dogmatizat perfectos & beatos, qui persecutionem fugiunt, qui ieiunia soluunt, qui redditibus affluunt, qui etiam summis honoribus extolluntur. Quod quam sit alienum à Saluatoris doctrina, nemo Christianus ignorat, cū & ipse magister omnium Christus, non ad solatia carnis, sed ad supplicia crucis discipulos suos semper inuitet. Deniq; quam peruersi fuerit zeli amaritudine motus, qui prædictum edidit librum, & libri declarat titulus progressus & terminus. Nam cum aduersus eum scribat, qui cōtra libellum damnatum opusculum quoddā composuit, cuius initium est: Manus quæ contra omnipotentem erigitur. in quo secundum totalē intētionem scribentis, & continentiam libri, paupertatis eximię perfectio defenditur, astruitur, & laudatur: hic ecōtrario titulum libello suo præmittit, quod liber hic est cōtra aduersarium perfectionis Christianæ, & Prælatorū & facultatum Ecclesiæ, quasi non possit paupertatis celsitudo laudari, nisi in iniuriam Christi, & Ecclesiasticæ dignitatis: in quo se ostendit, vel impium, vel ignarum, dum vel scienter innocenti falsum impingit crimen, vel ex inconsideratione propria non aduertit, quod diuersi status in Ecclesia Christi commendari possunt laudibus præcelsis, & propriis, non tamē dissonis, quanquā diuersis. Nūquam enim qui commendat virginitatem, aduersarius censendus est esse coniugij, aut qui laudat solitudinem, aduersarius dicendus est cœnobiticæ vitæ. Certe sancta mater Ecclesia, quæ in laudibus cuiuslibet cōfessoris pie decantat: Non est inuentus similis illi, qui cōseruaret legem excelsi, non propter hoc glorioso detrahit Apostolorum choro, vel candidato exercitui martyrum, cū quilibet status suam prærogatiuam habeat, de qua potest sine aliorum iniuria specialiter commendari. Porro si laus filiorum non diminuit, sed amplificat laudem patrum, commendatio spiritualium pauperum potius censenda est exaltatio, & glorificatio, quā depressio Prælatorum. Ex quibus aperte relinquitur, præfatum titulū, à falsi criminis impositione sumpsisse originem, per quem pauperum hostis molitur procurare dissidium inter patres & filios, tutores, & orphanos, nutritios & alumnos: vt sic patronorum suorum subsidio destitutos, deglutiat inopes, rapiat pauperes, & interficiat innocentes. Huiusmodi enim pauperes, de quorum numero fuit ille, contra quem scribit, in ipso sui libri exordio de præsumptione notat de amore priuato, de sui complacentia, iactantia, & arrogantia inaudita, videlicet, quod se præferat Christo, dum in prima sui oris apertione sic ait: Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines seipsos amantes, sibimetipsis placentes, ac suam non Christi iustitiam prædicantes, vt cum dicat Apostolus: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi: ipsi econtrario dicunt: Estote imitatores nostri, in quibus non sumus imitatores Christi. Hæc namque sunt prima verba ipsius, in quibus aperte declaratur, quod liber ipse totalis trahit originem ab eo, qui est mendacij pater, & in veritate non stetit, qui homicida fuit ab initio, & accusator est fratrum. Qui enim tales inter Ecclesiæ membra sunt, certe si qui sunt, omnino tanquam Luciferiana tumescentes superbia, ex hac & æterna vita delendi sunt. Quod si reperiri nequeunt, quia non sunt, vel in ventum loquitur, vel innocentes calumniatur, non attendens illud Sapientis: Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo: honorat autem eum qui miseretur pauperis. Nec dubium diuina prouidentia id gestum esse, quod tali dogmati tale præmitteretur initium, vt qui legit agnoscat, quod libelli huius conscriptor, vt detractor loquitur, non vt doctor. Sane quia detractionis vitium excæcationem inducit, Gregorio in registro dicente: Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in puluerem sufflant, atque in oculos suos

Mat. 5. a

Eccli. 44. c

1. Cor. 4. d

Prou. 14. d

Greg. Regist. lib. 8. epi. 45. ad Palladi. presbyt.

los suos terram excitant, vt vnde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant: Ideo peruersi huius dogmatis cultor semper dum scribit in peius proficit, & tanquam cæcus in foueam ruit. Nam consequēter annectit: Quid enim aliud dicere volunt, qui in suis scriptis dogmatizant, quod Christus Dominus aliqua egit, non in summæ perfectionis ostensionem, sed in infirmorum, seu imperfectorum condescensionem, cuius contrarium aliquando viris perfectis facere licet, non vituperabiliter, sed laudabiliter immo laudabilius agitur, quam omittitur. Hoc est etiam quod pro summo habet errore, quod tanquam venenum abhorret, & respuit, quod Christus Deus cuius perfecta sunt opera, aliquod opus effecerit, per quod imperfectis condescenderet, & infirmis, ac per hoc condescensionem huiusmodi tanquam rectitudini perfectæ contrarium, ab exemplari omnimodæ perfectionis omnino astruit esse alienam. Quod quamuis superficietenus videatur excelsam iustitiæ perfectionem in Christo prætendere, & ideo ad eius laudem pertinere, quia tamen ab ipso actum summæ pietatis excludit, nihil aliud est, quam fontis misericordiæ venas, salutisque vias inique præcludere, necnon Regis, æterni condescensiuam clementiam impie blasphemare.

Ad defensionem igitur veritatis, & improbationem erroris, eligere disponimus exēplo Dauid quinque limpidissimos lapides de torrente redundātis sapientiæ Catholicorum doctorum, quibus si pia fide veritati assentiri voluerit, nobiscum armetur: si autem vt effrons resistere, in fronte feriatur. Audiat ergo primum quid dicat August. Habuit, inquit, Dominus loculos, & dictum est de quibusdam religiosis feminis, quod ministrabant ei de substātia sua. Futurus erat & Paulus nihil tale aliquādo quærens, & omnia prouincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorū personam suscepit Christus. Sublimius Paulus nunquid & Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum non esse ista quæsiturum, præuidit ne damnaret quæsiturum, & præbuit exemplum infirmo. Cum enim videret multos promptos, & gaudentes ituros esse ad martyrium passionis, exultaturos in ipsa passione, fortes, centenarios, maturos ad horreū, tamen infirmorum quorundā, quos videbat posse conturbari ventura passione ne deficerent, sed potius voluntatē humanā voluntati Creatoris coniungerent, ipsorum personam voluit suscipere Christus in passione dicens: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Hæc Augustinus. Quid hoc clarius? quid limpidius contra aduersarium veritatis dici potest? Non enim valet intorqueri ad infirmitatem carnis, quod ait in loculis, & in formidine passionis infirmorū personam suscepisse Christum. Nam & Paulus ipse, & illi, quos ad passionem dicit ire gaudentes, quos etiā ab infirmis huiusmodi in verbo præfato distinguit à carnis infirmitate, cum essent mortales homines, nequiuerunt esse immunes. Beatus quoq; Ambrosius super illud Saluatoris in Luca: Transfer à me calicem hunc, errant, inquit in hoc loco, qui tristitiā Saluatoris ad argumentū insolitæ potius à principio, quam susceptæ ad tēpus infirmitatis inclināt, & naturalis sensus cupiunt detorquere sententiæ. Nusquam magis pietatem eius, maiestatemque demiror, minus enim mihi contulerat nisi meum suscepisset affectum. Hæc sanctus Ambrosius. Ex quibus aperte colligitur, quod præter illum generalem mortis horrorem, qui communis est omnibus tā in passione gaudentibus, quam etiam ceteris, aliquem affectū susceperit ad condescendendum, non tantum carne, sed etiam mente infirmis. Chrysostomus etiam super Matthæum: Vides, ait, quanta est Christi in condescensione diligētia, sicut cū comedat & bibat, cum videatur ex aduerso Ioanni faciens, & hæc Iudæorū gratia salutis facit, magis autem orbis terrarū vniuersi. Quid his clarius dici potest? in quibus asserit, Christum condescendisse in cibo & potu Iudæis, qui vtique infirmi erant, non tantum carne, quam mente: nam & infirmitatē carnis ipse Ioannes habebat. Gregorius in Moralibus lib. 12. super illud: Putas ne mortuus homo rursum viuat? Solent, inquit, iusti in eo, quod ipsi certum sentiunt, quasi ex dubitatione aliquid proferre, vt infirmorum in se verba transforment: sed rursum per fortem sententiā dubietati contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernūtur, infirmis aliquatenus cōdescendant, & per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes ad soliditatem trahant. Quod dum faciunt, exemplum nostri capitis sequuntur, qui passioni propinquans, infirmantium in se sumpsit vocem, dicens: Pater si possibile est, transfer calicem hunc à me, sed vim fortitudinis ostēdens ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu. Hucusque Gregorius. Per quæ patenter ostendit condescensionem ad infirma & imperfecta mortalium, non solum ad membra Christi fortia pertinere, sed etiam ad caput. Tandem magister Hugo in expositione illius Psalmi: Bonum est confiteri Domino, sic dicit: Habebat IESVS loculos, & ea, quæ dabantur, suscipiebat, cōformans se imperfectis. Paulus autem nolebat sumptus accipere de Euangelio, sed gratis factus est minister verbi, & inuenitur Paulus aliquid maius fecisse, quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inueniri voluit, ne præsumerēt non accipientes, & confunderentur accipientes, & æstimaretur non esse Christianus, faciens quod noluit facere Christus. Hoc Catholici doctoris testimonio quinto, directe hostis condescensionis Christi in fronte percutitur, quo non solum astruitur, quod magister perfectionis ex condescensione loculos habuerit, verumetiam quod oppositum huius non solum laudabiliter, sed laudabilius habet fieri, quam omitti.

Vt autem hoc clarius elucescat, consideratione peruigili attendendum est, quod sicut tripliciter bonum dicitur, & etiam malum, sic & perfectum & imperfectū, videlicet in genere, ex circumstantia, & secundum se. Bonum namq; in genere, est actus transiens super materiā debitam, vt ire ad Ecclesiam, dare eleemosynam. Bonum ex circumstantia, est actus laudabilibus circumstātiis informatus, sicut dare eleemosynam seruatis debitis circūstantiis circa dantem, datum, & accipientem, quantum ad loca, tempora, & personas. Et hæc duo bona deprauari possunt per alicuius circumstantiæ defectū, & maxime propter inordinationem intētionis, vtpote si quis in dando eleemosynam, vel ieiunando, vel eūdo ad Ecclesiam, hoc faciat, vt gloriam capiat humanam. Tertium autem est bonum secūdum se, quod nullo modo potest esse malū, aut male fieri, sicut est opus virtutis ex charitatis radice procedens. Per hunc etiam modum, tripliciter dicitur malum. Malum, inquam, in genere, dicitur actus transiens super materiam indebitam, sicut occidere hominem. Malum ex circumstantia, dicitur actus informatus deordinata circūstātia, vt comedere extra horā. Malā secundū se sunt illa, quę mox nominātur coniuncta malo, vt mentiri, fornicari, odire veritatem, approbare errores. Simili etiam modo perfectum dicitur tripliciter. Perfectum namq; in genere, est actus difficilis, & excellens, sicut est omnia relinquere, & intrare religionē. Perfectum ex circumstantia, dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus, vt relinquere diuitias gaudenter, & ad ædificationem proximi. Perfectum autē secundum se, est actus difficilis à charitatis sublimitate procedens, vt est motus feruidę, & extractę dilectionis in Deū, vel puræ & plenæ dilectionis ad inimicum. Iuxta hunc etiam modum, imperfectum dicitur tripliciter. Imperfectum quippe in genere, dicitur actus facilis ad quē humana infirmitas inclinatur, sicut fugere mortem, pecuniam possidere. Imperfectum ex circumstantia, dicitur actus informatus circumstantia inclinatus ad infimæ iustitiæ statum, vt vim facienti dimittere vestem, propter fugā maioris iniuriæ. Imperfectum autē secundum se, quod nullo modo potest stare cum perfectione Euangelica, sicut ducere vxorem, & fugere paupertatem. Cum igitur tam multiformiter dicatur tam perfectum, quā imperfectum, clarum est, quod sicut malum ex genere potest

fieri

Marginal notes: 1. Reg. 17. c | Aug. enar. in Psal. 103. conc. 3. cir. med. to. 9. | Christus suscepit personam infirmorum. | Mat. 14. d | Luc. 22. c | Chrys. homil. 27. super Matt. | Greg. lib. 12. Mor. c. 8. Iob. 14. c | Luc. 22. e | Hug. de S. Vict. in Psal. 91. c. 64.

fieri bonum ex circumstātia vt occidere hominem, quia maleficus est, & quia lex iubet, & quia reipublicæ confert, & è conuerso bonum ex genere potest fieri malum ex circumstantia, vtpote dare eleemosynam propter vanam gloriam: sic & perfectum in genere potest fieri imperfectum ex circumstantia, vt puta sua relinquere modica, vt quis capiat maiora bona ecclesiastica, vel ab omni actu libidinis carnalis continere propter corporis vitam prolongandam. & è contrario imperfectum in genere potest fieri perfectum ex circumstantia, vtpote fugere mortem, vt quis gloriosius, & fructuosius, & opportunius patiatur pro Domino, quomodo fugit Christus, & Apostolus Paulus. Sic & in consimilibus similiter est iudicandū. Ex his patenter liquet, quid veraciter de Christi operibus sentiendū sit. Nā cū loquimur de Christi operibus potest fieri sermo de eius opere interiori, vel exteriori. Interius dicimus opus operans, exercitus opus operatum. Omne autē opus Christi operans siue interius est perfectissimum, quia ex perfectissima charitate processit, & hoc est opus, & actus perfectissimæ voluntatis & virtutis. Opus vero eius exterius in se consideratum, aliquando fuit perfectum de genere actus, vtpote morti se offerre, vel animam pro ouibus ponere: aliquādo imperfectū vt à facie persequētium fugere, & seipsum abscondere, & pro amotione calicis exorare. Veruntamen hoc opus relatum ad Christi charitatem, & rationem, & causam, quare hoc faciebat, & ad personam suam efficitur perfectissimum. Vnde Bern. tractās illud: Si fieri potest, transeat à me calix iste, ait: Agnosco in duce belli pusillanimitatē, trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero charitatem, stupeo dignationem, & expauesco humilitatem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustū sibi sumpsit affectum, quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus, & si quem dignatio tanta scandalizet, plane meretur audire: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Huic enim odor vitæ in mortem est. Quid enim magnum fuit Domine IESV, si accedente iam hora mortis propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponēdi animam tuā, & nemo tollebat eam à te? Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, vt non solum passio corporis, sed etiā cordis affectio, pro nobis faceret, & quos viuificabat mors tua, nihilominus & trepidatio robustos, & mæstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos. Hucusq; Bernard. Et hoc ipsum est, quod dicit Augustinus in auctoritate superius allegata, quod sublimius aliquid fecerat Paulus, quam opus quod fecerat Christus, nec tamen Paulus sublimius Christo, immo Christus sublimius, quia misericordius. Quod ideo dicit, quia ipsa condescensio Christi, qua membris suis cōdescendebat infirmis, & imperfectis ex sublimitate procedebat perfectissimæ charitatis. Sicut enim humanam assumendo naturam, in nostris quidem factus est humilis, sed in propriis permansit excelsus: sic & summæ charitatis dignatione, ad actus quosdā nostræ imbecillitati, & imperfectioni cōformes deprimitur, & à summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Ac per hoc verū est, quod Christi perfecta sunt omnia opera ad ipsum relata: verū etiā est, quod Christus etiam fecit aliqua opera infirmorum in se suscipiendo personam, & ad nostra condescendendo infirma, & imperfecta. Verū nihilominus, quod eorum opposita laudabiliter possunt fieri, & laudabilius est facere illa pro loco & tempore, quam omittere. Verum est etiam, quod nunquam ex hoc discipulus est super magistrum, quia nullus tanta charitate ascendit ad illa fortia quanta Christus condescendit ad ista infirma, & ideo magister est semper supra discipulū, Christus videlicet supra omnem hominem quantumcunque perfectum. Hæc omnia si pie, & diligenter is, cui respondetur, sciuisset aduertere, nunquā tot cōtra Christi condescensionem protulisset ineptias: Et tunc si misericordia Dei præeuntus, vt per omnē modū optamus, & suppliciter petimus, humilitatē discere velit, non alteri conabitur hæreticæ prauitatis crimē impingere, sed proprium corrigere ac deplorare studebit errorem, nisi forte, quod auertat Deus, de numero sit illorum, qui Christi sublimis, & humilis altam & condescensiuam ignorantes iustitiam, & inflexibilem, quendam magistro perfectionis attribuentes errorem, veræ ac piæ Christi iustitiæ conuincuntur esse contrarij potius quam subiecti.

Omne opus Christi interius est perfectissimum.

Bern. in ser. de S. Andrea.

Matt. 20. b

Aug. enar. in Ps 103. conc. 3. cir. med. tom. 9.

Omne opus Christi ad ipsum relatum, est perfectissimum.

RESPONSIONIS PRIMÆ
CAPVT SECVNDVM.

In quo capitalis error circa notificationem perfectionis, & imperfectionis elidutur, & vera perfectionis exemplaritas, & differentia ipsius ad imperfectionem refertur.

QVemadmodum autem condescensionis Christi aduersarium valida doctorum prostrauit auctoritas, sic & peruersi eius dogmatis caput propriæ assertionis mucro detruncat, dum idem perfectionis Euangelicæ oppugnator impiis sensibus inuertēdo scripturas & imperitis sermonibus inuoluendo sententias, non solum à veritate dissentit, verum etiam sibiipsi contradicit. Quāta nāque sit in sequentibus intellectus peruersitas, quantus Scripturarum abusus, quanta inuolutio sententiarū, quantaque repugnantia sensuum, quia longum esset explicari per singula, prudenti lectori sufficere credimus, si aliqua illorum succincte tangamus. Siquidem à diffinitione perfectionis quasi capitale sumens exordium, dicit quod perfectio huius vitæ est, non vt peccatum nō habeamus, sed ne regnet in nostro mortali corpore. Hoc quamuis sit veraciter, & catholice verum, & à sanctis acceptum: quia tamen in hoc perfectionis Euangelicæ terminum ponit, & complementum constituit, à vera perfectionis notitia procul esse conuincitur. Nam cum omnis homo ad hoc, quod peccatum in ipso non regnet diuino sit præcepto astrictus, omnis igitur homo teneretur esse perfectus. Iterum si quantumcunque charitas parua ad hoc sufficit, sequitur, quod minima charitas ad perfectionis culmen attingit. Quid igitur dicit Augustinus, quod charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici? Amplius si perfectio est, quod peccatū in nobis non regnet, igitur imperfectio est, quod regnet. Sed cum peccatum in nobis non potest regnare nisi cū sumus in peccato mortali, omnis igitur imperfectio est peccatū mortale. Quod quam absurdū sit, & à veritate dissentiat, nemo qui aliquid nouit, ignorat. De hinc vigilās lector attendat, qualiter in subsequentibus imperfectionem diffiniens, sibiipsi contradicat aperte. Subdit enim: Imperfectio est circa possibilitatem humanę cōditionis nō cōformari Christo. Sed hoc potest esse non solum absque mortali peccato, quia nullus ad hoc tenetur, verumetiā absque veniali in his potissimum, quæ sunt consilii, & in nostræ ponuntur liberæ voluntatis arbitrio, ac per hoc omitti possunt absq; vllo peccato. sicut expresse patet in voto paupertatis, & continentiæ virginalis. Quod autē subiungit dicens, quod à mandatis Christi, & eius operibus discordare, est imperfectio, a qua Apostolus discipulos dehortatur, non solum à præcedentibus dissonat, verūetiam repugnantiam in se claudit manifestam. Nam discordari à Christi mandatis, semper est peccatum mortale, discordare vero à Christi operibus potest esse peccatum veniale, vel omnino nullum peccatum. Apparet igitur, quod seipsum nequaquam intellexit, dū in eadē propositione duo sibi contraria simul includit. Deinde quod verba inculcans de imperfectionis notificatione subnectit dicens: Imperfectio vitæ est à regula iustitiæ, & à vestigiis Christi distorqueri, vbi Christum posset secundum carnem corruptibilem imitari: ostendit se non solum veritatis intelligentia vacuum, sed etiam verbis veritatis egenum. Verum de verbis cura permodica, magis autem discutienda verbi sententia, & abiicienda tanquā distorta. Dic enim quod imperfectio est distortio à regula

gula iustitię. Constat autē, quod iustitia est rectitudo voluntatis, sicut dicit Ansel. Si igitur est quædam iustitia perfecta, quædã imperfecta, sequitur necessario, ꝙ sit quædam iustitia distorta. Amplius, si est rectitudo iusta, distortio etiam iniusta. Si igitur imperfectio est distortio, imperfectum erit iniustum. Sequitur ergo si imperfectio est distortio, quod aliqua iustitia sit iniusta. Denique cum virtus omnis, vt ait Augustinus, sit recta ratio, necessario sequitur quod distortio sit peccatũ. Si igitur vniuersaliter imperfectio est distortio, sic imperfectio vniuersaliter erit peccatũ, cũ aliqua charitas sit imperfecta, consequentia necessaria potest inferri, quod charitas sit peccatrix. Ac per hoc colligitur ex pręmissis secundũ notificationes imperfectionis præhabitas, quod iustitia sit iniusta, rectitudo, distorta, & charitas vitiosa. Ad maiorem quoque imperitiæ suæ declarationem paulo post subdit, quod sapiens magnã asserit esse gloriã sequi Dominum, & quod simpliciter dictum est vniuersaliter intelligitur. Quod si verum est, cum velle sequi Dominum in aliquibus suis actibus sit magna præsũptio, vtpote in miraculis, in iudiciis, in vindictis, & in præuidentis, futuris, & cõsimilibus: igitur si hoc verbũ simpliciter dictum est vniuersaliter intelligendum, aut magna erit gloria sequi Dominũ in his ad quæ aspirare est præsumptuosum, & imperitum: aut secundum istius peruersum iudicium sapiens dixit falsum. Huic quoque dementiæ, & aliã non minorem adiunxit dicens, quod Christus adolescenti dixit, sequere me, non disting[illegible]ēs in quibus & qualibus, sed simpliciter, & magna vt dicit præsumptio est, velle distinguere vbi Dominus nõ distinxerit, quia legislatoris est proprium, legem interpretari quam condidit. In qua quidem assertione, & ipsi fidei, & sanctorum Patrum sententiæ, & etiam sibimet contradicit aperte. Nam si vbi Christus in sermone proprio non distinxit, nec nos debemus distinguere, cũ dixit: Pater maior me est, errat Catholicæ fidei sensus, quod docetur non ad Christi diuinitatem, sed ad eius tantũmodo humanitatem, præfatum verbum esse referendum. Errãt nihilominus sancti, qui Christi eloquia explanando, & distinguendo exponunt, & exponendo interpretantur. Errat & ipse, qui cõsequenter in hoc verbo etiã distinguit dicens, quod non intelligitur de actibus spectantibus ad graduum, & dignitatum distinctionem, sed de aliis tantum. Verum nec his contentus stultitiis, subiungit, & alias asserens, quod dicere Deum aliquid præcepisse perfectis, non imperfectis, error sit Manichæorum, & res magni periculi, non attendens quod sacer dicit Hieronymus contra Iouinianum li. 2. dicit enim; Nũquid omnibus præceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, æs in zona, calceamẽta in pedibus, vt vendant vniuersa quæ habent, & sequantur Iesum? Sed iis qui volunt esse perfecti: alioquin cur à Ioanne Baptista, aliud militibus aliud pręcipitur Publicanis? Hæc Hieronymus. Quibus patēter ostendit, hanc suam, immo Scripturarũ esse sententiam quam hic nouellus doctor Iouiniani erroneũ dogma secutus, hęreticam asserit & periculosam. Sane quod addit, mandatis hominē imperfectũ effici, nõ quia mandatũ sanctum, bonum, & iustum non operatur mortem, sed imperfectio mors quędam est, manifeste verũ probans, per manifeste falsum, simul sui ipsius imprudentiã declarat, & errorem. Certum enim est, quod mandata nec imperfectos faciunt, nec perfectos, cũ tam hi, quã illi eorum obseruantiã astringantur. Certũ est etiã, quod imperfectio à perfectione non discrepat, sicut mors à vita distat. Si .n. & imperfectio mors est, aut pœnalis, aut culpabilis. Si pœnalis, nullus est in hac vita perfectus, nec etiam ipse Christus; si culpabilis, sed mors culpabilis est culpa mortalis; nullus est igitur imperfectus, qui non sit per mortale peccatum vita priuatus. Quod si dicat mortem quandam dici culpam venialem, valde improprie loquitur, nec tamen declinat errorem, quia nisi culpa venialis est mors faciens imperfectum, & cum non sit maior ratio de vno veniali, quam de alio, quoties incidit quis in veniale peccatum, toties decidit à perfectionis statu. Et iterum: Cum nullus quantumcunque iustus sit omnino immunis à venialibus, nullus erit in hac vita perfectus, ea perfectione quam consuluit Christus, quod est hæreticum, & damnandum. Ad erroris etiam sui cumulationem maiorem subsequenter annectit, imperfectionem esse quandam claudicationem, quæ sub præcepto nõ cadit, sed sub indulgẽtia, quemadmodũ sua repetere non est pręceptum, sed indultum. Quod est plane falsum, cum indulgentia secundum Augustinum in libro de bono coniugali, includit peccatum, & repetere sua imperfectis est licitũ, sicut prima ad Corinth. 6. dicit Glossa: Infirmis licet sua repetere, etiam mouendo causam ante iudicem. Huic quoque simile est, quod quibusdam vanis, & friuolus interpositis addidit, ꝙ in nouo testamento, etiam quando causa prolis contrahitur matrimonium est indultum. Cui aperte cõtradicit Augustinus in libro de bono coniugali. Certe, inquit, dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus, sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non solum causa procreãdi, sed etiam aliquando nulla causa procreãdi, quem nuptiæ fieri non cogunt, sed ignosci impetrant. Concubitus enim sola causa generandi inculpabilis, solus ipse nuptialis est. Hæc Augustinus. Vbi inter ipsum doctorem antiquum, & istum nouellum tanta est repugnantia sensuum, & verborum, vt necesse sit alterum eorum asseruisse falsum. Si igitur non suam, sed egregij doctoris vult sequi sententiam ne in fou[illegible]am cadat erroris, desinat imperfectionem describere per distortionem, & claudicationem, vt non compellatur ex hoc tamquam distortus, & claudus à veritatis tramite deuiare. Quod autem subdit, Christum nulla fecisse opera tantũ imitanda perfectis, pro eo quod nemini perfectionem inuidit, quasi non posset esse gradus, & distinctio in exẽplis Christi & verbis, respectu graduum, & statuum diuersorum in hierarchia Ecclesię, nequaquam est consonum documentis Scripturæ. Nam Christus dicit specialiter Apostolis: Vobis datũ est nosse mysterium Regni Dei, ceteris autem in parabolis. Et iterum loquens ad Patrem ait: Abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Numquid inuidus Deus, quia non omnibus sapientiæ suæ reuelauit arcanum? Constans est autem, quod sicut Christus sua pro illis qui ea capiebant, proponebant eloquia, ita pariter & exempla. Nequaquam igitur ex inuidia, sed ex altissima dispensatione sapientiæ Dei, diuidentis dona sua singulis prout vult quædam proponuntur imitanda Prę-latis non subditis, quædam spiritualibus nõ animalibus, quædam perfectis non imperfectis quædam fortioribus non infirmis, sicut expresse patet in auctoritate præmissa Hieronymi cõtra Iouinianũ. Nec tamen dicimus, quod opera consiliorum, & supererogationum, illis solis proponantur qui iam perfecti sũt, quin potius omnibus qui ad perfectionis culmen conscendere volunt. Quod quidem tamquam difficile, & arduum, nõ est omnium, sed paucorum. Porro ratio illa, quia subsequenter conatur astruere Christi opera, & exempla, æqualiter cunctis esse proposita, quia si aliquid egit, quod tantum imitandum esset imperfectis, videretur tunc quod debuisset vxorem accipere, & contentionibus se ingerere, vt horum exempla imperfectis præberet, nullius est efficacia, sed magnę dementiæ. Nequaquam enim rationem hanc probabilem crederet, nisi experientiam carnalis libidinis & compugnantiam lit[illegible]s condescensioni diuinæ dulcedinis in nostris infirmitatibus suscipiendis, temeritate quadam erronea coæquaret. A[illegible] si aperte diceret. Si Christus condescendit infirmitati humanæ in actu comestionis, & fugæ, pari ratione condescendere debuit in actu carnalis libidini[illegible]s, & litis contentione. Alioquin ratio sua non valet. Et vere nõ valet, quia nõ est simile hincinde, quia in illis infirmitatibꝰ decuit nobis condescẽdere Christum, quæ communiter respiciunt naturam lapsam, nec aliquam habent fœditatem annexam, in aliis vero nequaquam. Tandem si quis vigilanter attendat quid finaliter

Ans. Dial. de Veritate c. 13.

Aug. lib. 4. adu. Iulianũ Pelag. c. 3. ante medium. to. 7.

Ioan 14. d

Hieron. lib. 2. contr. Iouin. longe ante med.

1. Cor. 6. b

Aug. lib. de bo. coniug. c. 10. to. 6.

Luc. 8. b

Mat. 11. d

concludit, & intendit, patenter aduertet, quod seipsum paralogizando multiplici inuoluit errore. Ait enim Cum duæ sint partes perfectionis, scilicet sua vendere, ac distribuere, & Christum Dominum sequi, sicut ad fundamentum Religionis requiritur necessario, quod omnia sua relinquat, sic ad complementũ exigitur, quod sua relinquens Christum imitetur in omnibus iuxta possibilitatem humanam. Propter quod non paruam asserit esse blasphemiam, dicere Christum in his quæ secundum naturam nostram gessit, non in omnibus, sed in aliquibus imitandum, eis potissime, qui perfecti esse conantur. Verum licet verba huiusmodi in superficie videantur aliquam prætendere rationem, tamen secundum veritatem ratiocinatio sua nullum omnino habet vigorem, sed & conclusio multimodam continet falsitatem. Non enim est simile de dimissione suorum, & imitatione actuum Christi. Nã dimittere sua actus est vnus, & vniformis, qui perfectioni nõ consonat, si diminute hoc est secundum partem, & nõ secundum totum fiat. Actus autem Christi sunt multiformes, & varij, & quamuis in comparatione ad Christi personã omnes sint perfecti, tamen secundũ naturam propriam quidam sunt excellentes, quidam condescensiui, sicut in præcedentibus aliqualiter patuit, & subsequenter patebit. Sane si verum est, sicut concludit, quod perfectio dicat vniuersalem conformitatẽ ad Christi opera, & imperfectio dissonantia, multa per omnem modum sequuntur absurda. Nã cũ Christus mulieres secũ comitantes, & ipsum sustentantes habuerit, sequitur, quod imperfectus fuerit Paulus qui hoc recusauit. Cum Christus inter homines habitauerit, imperfectus fuerit Ioannes Baptista, qui relictis turbis solitaria loca quæsiuit. Cum Christus vinum biberit, imperfectus idem Baptista, qui vinum & siceram non gustauit. Cum Christus solus cum muliere locutus fuerit, imperfectus vir qui à mulieris consortio se elongat. Cum Christus mulieri peccatrici pedes osculandos præbuerit, imperfectus vir qui mulierum contactus abhorret, & vitat. Cum Christus diuidere hereditatem inter fratres recusauit, imperfectus erit qui iurgantes pro hereditatis diuisione germanos ad pacem, & æquitatẽ reducit. Cum Christus scienter loculos furi conseruandos commiserit, imperfectus omnis erit, qui furem dispensatorem expellens fidelẽ requirit. Cum Christus in ipsa sua passione tacuerit, imperfectus omnis erit, qui pro Christo patiens veritatem dicit. Et sic in pluribus aliis potest inductio fieri, vt in fuga, & comestione, & loculis taceamus: quæ omnia tam absurda sunt, vt si quis ea conetur defendere, non tam videatur errare, quam insanire.

Vt autem hæc & his similia prudens lector effugiat inconuenientia, in quæ is cui respondemus ex inconsideratione deuenit, attendere debet, quod deceptionis huius duplex extitit causa. Prima causa est, qui cum sciret Christum esse omnis perfectionis exẽplum, modum tamen huius exemplaritatis nesciuit, vel aduertere neglexit. Secunda causa est, quia cum clare perpenderet imperfectionem à perfectione deficere; modum tamen huius defectionis non potuit inuestigare. Intelligendum est igitur, quod cum Christus sit Verbum increatum & incarnatum, duplex est in eo ratio exemplaritatis æternæ videlicet, & temporalis. Æternæ inquã secundum quod est splendor æternæ gloriæ, & figura substantiæ Dei Patris, atque candor lucis æternæ, & speculum sine macula maiestatis Dei. *Heb. 1.a* In quo quidem speculo exemplariter cuncta creata relucẽt quæ à principio conditionis mundi vsque in finem, ad perfectionem vniuersi totius, tam spiritualiter, quam sensibiliter producũtur. Et secundum hoc est Christus, vt Verbum increatum, speculum intellectuale, & exẽplum æternum totius machinæ mundialis. Inquantum autem Verbum incarnatum in assumptæ humanitatis conuersatione, exemplum & speculum est omnium gratiarum, & virtutum, & meritorum, ad cuius exemplaris imitationem erigendum est tabernaculum militantis Ecclesiæ.

Christus est exẽplar militantis Ecclesiæ.

Exod. 25.d

Iuxta quod Moysi mysterialiter dictum est: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et quemadmodũ ab illo vno æterno exemplari indiuiso, tã diuersæ manant creaturarum naturę, & naturarũ perfectiones, secundum variam ipsius summi boni participationẽ, quod perfecte ab vna aliqua creatura capi nõ poterat, propter quod & diuersas constituit Deus rerũ species ad vniuersi completionem: sic & à Verbo illo incarnato, tanquã ab originali principio gratiæ, de cuius plenitudine accepimus omnes, & tãquam à speculo in quo, & à quo omnis sanctitatis, & sapiẽtiæ plenitudo, & pulchritudo refulget, diuersi status, gradus, & ordines secundum variã distributionem donorum, & variũ imitandi modum exemplariter deriuantur, in quibus secundũ multiformẽ participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, vt simul reperiatur in omnibus, nec tamẽ in aliquo vno solo secundum omnimodæ plenitudinis totalitatem refulgeat, sed quilibet gradus & status pro suę mensurę modulo secundũ plus & minus, istiusmodi exẽplaris influentiã suscipit & ad ipsius imitationẽ accedit. Refulgẽt autem à Christo tãquam à totius nostrę salutis exẽplari, & originali principio actus multiformes.

Varij, ac multiplices actus in Christo.

Nam quidam actus in ipso respiciunt sublimitatem potentiæ, vt super aquas siccis pedibus ambulare, elementa conuertere, panes multiplicare, seipsũ transfigurare, & cetera miracula facere. Quidam sapientię lucem, vt arcana cœlestia referre, secreta cordium scrutari, & futura prædicere. Quidam seueritatem iudicij, sicut vendentes eiicere de templo, cathedras vendentiũ columbas euertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quidam officij dignitatem, vt sacramentum cõficere sacratissimi corporis sui, manus imponere, & relaxare peccata. Quidam condescensionem miseriæ, vt latere in persecutione, trepidare, & contristari in morte, & pro amotione calicis Patrem rogare. Quidam informationem vitæ perfectæ, vt paupertatem seruare, virginitatem custodire, Deo & hominibus seipsum subiicere, noctes in oratione peruigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti se summa charitate etiam pro inimicis offerre. Cum igitur sex sint huiusmodi actuum varietates, in his vltimis duntaxat ipsum imitari est perfectum.

In quibus actibus imitari Christum spectat ad perfectionem.

Nam in his quæ sunt excellentiæ singularis est impium & Luciferianũ, nisi fuerit alicui priuilegij singularis dono concessum. In his autẽ quæ sunt seueritatis & dignitatis, est præsidentium, & prælatorum. In his quæ cõdescensionis, est infirmorum inquantum loquimur ad actum extrinsecum. Neq aquam igitur vt dogmatizat, summa Christianæ perfectionis cõsistit in vniuersali imitatione actuum Christi, sed tãtum illorum qui vitæ perfectæ imitationẽ respiciunt. Ex quo apparet, quod huiusmodi veritatis ignorantia, prima fuit in eo causa erroris. Quam etiam secunda comitata est videlicet, quod imperfectionem à perfectione rationabiliter non discreuit, dum imprudenter asseruit, quod imperfectio & perfectio differunt, sicut rectitudo & distortio, sicut iustitia & peccatum, sicut puritas & pollutio, sicut gloria & ignominia, sicut vita & mors, sicut sanitas & morbus, sicut incessus & claudicatio. Ex quibus magna inconuenientia sequuntur & multa, quorum aliqua superius sunt expressa. Propter quod diligens lector aduertat, quod perfectio & imperfectio non differunt, sicut duo contraria, sed sicut maius bonum, & minus bonum, sicut fini propinquum & longinquum, sicut magis meritorium & minus, sicut magis deiforme & minus, sicut gloria & sanctitas maior & minor.

Perfectio, & imperfectio quomodo differant.

Quod, quamquam intelligentibus sit per se notum, ad tollendum tamen omnem dubitationis scrupulum, auctoritatibus Sanctorum est probandum. Ait enim S. Ambrosius de offic. lib. 1. Officium omne aut medium, aut perfectum est. Quod æque Scripturarum auctoritatibus probare possumus. Habemus enim à Domino in Euangelio dictum: Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. Non homicidiũ facies, nõ adulterabis. Hæc media sunt officia quibus aliquid deest, ideo sequitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere

Amb. lib. 1. de offic. cap. 1.

Matt. 19.b

quere

quereme. Hoc est igitur perfectum officium quod Græci catorthoma vocant, quo corriguntur omnia quæ aliquos poterunt lapsus habere. Hæc Ambrosius. Ex quibus colligitur, quod medium officium quod est imperfectum, nullum dicit peccatum, cum consistat in obseruantia mandatorũ. Item etiam super primam epistolam ad Corinthios: A licitis etiam temperare voluit fideles, vt non solum innocentes, sed & gloriosi videantur. Cõcessa enim præterire virtutis est maximæ. Hæc Ambrosius. Si igitur vti licitis innocẽtia, concessa præterire perfectio, constat quod imperfectio simul cum innocentia stat. Non est ergo peccatum. Augustin. quoque de bono coniugali: Quid dicturi sumus ad euidentissimam Apostoli vocem dicentis, Quod vult faciat, non peccat si nubat, & si acceperis vxorem nõ peccasti, & si nupserit virgo non peccauit? Hinc certe dubitare fas nõ est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia cõceditur? Hæc Augustinus. Cõstat autem, quod nuptiæ non stant cum Euãgelica perfectione, qua eunucheizari docet Christus propter regnum cælorum. Igitur imperfectio non requirit veniam, nec est de se aliqua culpa. Idem etiam in eodem libro: Bonum inquit, erat quod fecit Martha, occupata circa ministerium Sanctorum, sed melius quod Maria soror eius. Bonum Susannæ in coniugali castitate laudamus, sed tamen ei viduæ Annæ bonum, & multo magis Virginis Mariæ bonum anteponimus. Bonum erat quod faciebant qui de sua substantia Christo, & suis discipulis ministrabant: sed melius, qui omnem substantiã dimiserunt, vt Christum Dominum expeditiores sequerentur. Hæc Augustinus. In quibus luculenter ostendit, quod perfectum non differt ab imperfectione, sicut virtuosum à vitioso, sed sicut maius bonum à minus bono. Hoc ipsum Hieronymus dicit expresse: Vis ait, esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerũt Apostoli. Et post: Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæ habes, da propinquis, da filiis nemo te reprehendit si inferiora sequeris, dummodo scias illam tibi iure prælatam, quæ elegerit prima. Hucusque Hieronymus. Ecce quam patenter ait & asserit, quod imperfectio, quæ est secundi & inferioris status & gradus, non dicitur quod reprehensibile, & peccatum. Idem quoque Hieronymus ait: Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. In duobus primis peccatum omne concluditur, reliqua vero in nostra posita sunt potestate, vt aut cum minori gloria vtamur concessis ac licitis, aut ob maius præmium ea, quæ nobis concessa sunt respuamus. Hæc Hieronymus. Quid hic clarius ad propositum dici potest? Quibus quantumcũque tardum ingenium, nisi fortasse fuerit excæcatum malitia, ab omni præfati erroris caligine non dubitamus posse purgari, maxime si velit aduertere, quod recenter baptizatus, quanquam nondum peruenit ad apicem perfectionis & meriti, nulla tamen est infectus labe peccati.

Ambros. in epi. ad Cor. c. 7. — *Aug. de bo. coniu. c. 10. 6.* — *1. Cor. 7. e* — *Idem ibid. c. 8.* — *Hieron. ad Hedibiam ep. 1, q. 1.* — *Hier. in ep. ad Demetriad. quæ est prima 4. ante med.*

RESPONSIONIS PRIMÆ

CAPUT TERTIUM.

In quo Euangelicæ perfectionis integritas panditur, eiusque status sublimis & gradus multiformis aperitur.

QVoniam autem scriptoris intentio non tam debet esse de falsitatis reprobatione, quam de veritatis reseratione sollicita, quatenus erroris tenebrositate depulsa, mentalibus legentium oculis radius veræ lucis infulgeat: ideo perfectionis notificatione falsa & erronea iam improbata, considerandum nobis est, in quo perfectio consistat, tandemque per quem modum vnus status perfectionis alterum in ipsa perfectione transcendit. Sciendum est igitur, quod radix, forma, finis, complementum, & vinculum perfectionis charitas est, ad quam magister omnium Christus legem & Prophetas, & per consequens vniuersa Dei documenta reducit. Ipsa vero charitas triplicem habet statum. Vnum quidem infimũ, in obseruantia mandatorum legalium. Secundum vero medium, in adimpletione spiritualium consiliorũ. Tertium vero summũ, in perfruitione sempiternaliũ iucunditatũ. Ideo triplex est perfectionis differentia, in sacra Scriptura scripta. Vna quidẽ necessitatis, de qua in Deuteronomio: Perfectus eris & absque macula coram Domino Deo tuo. Glossa, id est, absq; macula criminali. Et de hac Prosper dicit in libro de vita contemplatiua. Perfecti sunt, qui volendo quod Deus vult, nullis peccatis quibus Deus offenditur, acquiescunt. Secunda est perfectio supererogationis, de qua dicitur in Matthæo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperib⁹. Et de hac dicit Hieronymus: Perfectus seruus Christi nihil præter Christum habet, aut si præter ipsum aliquid habet, perfectus nõ est. Tertia est perfectio vltimatæ plenitudinis, de qua Sapiens in Prouerbiis: Iustorũ semita quasi lux splendens crescit, & procedit vsq; ad perfectã diem, id est, diuinæ visionis fulgidam claritatem. Et de hac August. 1. Soliloquiorum: Verè perfecta virtus est ratio perueniens vsq; ad finem, quem beata vita consequitur. Prima igitur & secunda perfectio à tertia differunt, sicut meritum differt à præmio. Media quoq; à prima differt, sicut distinguitur consilium à præcepto. Omnia vero tam consilia, quam præcepta, referuntur ad charitatis impletionem, & obseruantiam, quam sic describit Apostolus ad Timotheum: Charitas est finis præcepti, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, insinuans triplicem actũ charitatis, videlicet declinare à malo, prosequi bona, & patienter ferre aduersa. Nã propter declinationẽ à malo dicitur, de corde puro: propter persecutionem bonorũ dicitur, de consciẽtia bona: propter vero tolerantiam aduersorũ dicitur, de fide non ficta. Glossa. id est, non fictili, vel fragili, sed contra aduersa forti. Quia vero hic triplex charitatis actus, duobus modis ab habitu virtutis egreditur, vel secundum legẽ præcepti, & obligationis necessariæ & vniuersalis, vel secundum legem consilij & obligationis spontaneæ & specialis, & sequens includit primum, & superaddit quantum possibilitas viatoris admittit, hinc est, quod secũdum cũ primo dicitur perfectũ. primum vero absq; secundo quãquam sit quodãmodo perfectum, respectu tamen secundi dicitur imperfectũ, sicut dicit Ambrosius in libro de officiis, in auctoritate capitulo præcedenti proposita. Cum igitur de perfectione Euangelica loquimur, secũdum communem acceptionem, de hac materia intelligimus. Et istiusmodi perfectionis notificationem ex præcedentibus colligere possumus, videlicet quod ipsa sit conformitas viatoris ad Christum, per illũ virtutis habitum, quo supererogatiue declinantur mala, efficiuntur bona, & aduersa perferũtur. In his namq; tribus, tres partes Euangelicæ perfectionis cõsistunt. Porro cum ex cõuersione inordinata ad triplex bonum commutabile, sc. exterius, interius, & inferius, omne peccatum trahat originẽ, secundum concupiscentiam oculorũ, superbiã vitæ concupiscentiam carnis, & hæc tria vitari habeant nõ solum quãtum ad actum & consensum, quod fit per virtutes illis oppositas, verumetiam quãtum ad occasionẽ & hoc quidem promotiuum fit in merito, & expediens ad salutem perfectionis, magister Christus ad perfecte declinandum concupiscentiam oculorum cõsulit, quod hæc omnia temporalia relinquantur secundum illud: Si vis perfectus esse, &c. Ad perfecte autem declinandum superbiam vitæ, suadet quod voluntas propria abnegetur, iuxta illud: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Ad perfecte autem declinandum concupiscẽtiam carnis, edocet quod omnis experientia secũdum actum generatiuæ potentiæ abscindatur, sic inquiẽs: Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere, capiat. In hac igitur triplici supererogatiua declinatione triplicis originis omnis mali, primã partem Euangelicæ perfectionis consistere, & sacra Scri-

Status charitatis triplex. — *Triplex est differentia perfectionis.* — *Deut. 18. c* — *Prosper de vit. contemp. lib. 3. c. 15.* — *Matt. 19. c* — *Hier. in epi. ad Heliod.* — *Prou. 4. c* — *Aug. 1. Solil. c. 6. to. 1.* — *1. Tim. 1. b* — *Ambros. de offi. lib. 1. c. 11* — *Quid sit perfectio Euãgelica.* — *Matt. 19. c* — *Matt. 16. d* — *Matt. 19. b*

ptura insinuat, & veri doctores astruunt, & sancti patres religionum institutores affirmant. Secunda vero pars perfectionis Euangelicę consistit in supererogatiua prosecutione bonorum, quæ secundum duplicem vitam, videlicet actiuam & contemplatiuam, in duobus consistit, videlicet in condescensione ad proximum, & in sursum actione mentis in Deum. Consistit autem supererogatiua condescensio charitatis ad proximum in hoc, vt secundum legē iustitiæ & misericordiæ, amoris signa & beneficia non solum ad amicos: verumetiam ad inimicos largiflua benignitate protendātur, secundum illud: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Et post: Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Per hunc etiam modū supererogatiua sursum actio mentis in Deum in hoc attenditur, vt secundū legem mentalis munditiæ ac pacis per amorem ecstaticū in diuinos splēdores & ardores, sacra mens deuota sentiat & patiatur excessum, iuxta illud Apostoli ad Corinthios: Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. Et ad Hebræos: Perfectorum est cibus solidus. Tertia denique Euangelicæ perfectionis portio, consistit in supererogatiua perpessione aduersi. Quę quidem attenditur, nō solum in hoc, vt quis patienter aduersa perferat; cum sibi superuenerint quæ secundum legem Dei declinare non possunt, quoniam ad hoc omnes tenentur; verumetiam ex feruore diuini amoris magno desiderio illa præoptet, & cum magno gaudio illa sustineat, secūdum illud Iacobi: Omne gaudium existimate fratres, cū in tentationes varias incideritis. Et post: Patientia opus perfectū habeat, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Hic namq; est cōsummatio perfectionis & charitatis, iuxta illud Ioannis: Perfecta charitas foras mittit timorē. Secundum igitur hoc arca spiritualis perfectionis cū inferius sit tricamerata, & bicamerata in medio, in cubito cōsummatur. Hoc sane perfectionis arcanum, Saluator noster monstrauit in semetipso tanquā in mōte sublimi, qui totius perfectionis est splendor, speculum, & exemplar, iuxta quod ipse testatur in Luca: Perfectus discipulus omnis erit, si sit sicut magister eius. Et ideo in huius designationem, cū hanc docere Apostolos voluit, in montem conscendit nō turbas imperfectas alloquēs, sed discipulos suos quos ad perfectionis culmen exaltare decreuerat. Et propterea sex præfata eo, quo dictum est ordine docet. Nam primo dicēs: Beati pauperes Spiritu, inuitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum. Secundo addens: Beati mites, inducit ad abnegationem propriarum voluntatum, & sensuum, quibus quis immitis, & proteruus efficitur. Tertio subdens: Beati qui lugent, incitat ad fugam perfectam carnalium voluptatum. Dehinc subiungens: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Et: Beati misericordes, attrahit ad iustam, piam, & condescensiuam proximorum supportationem. Post hæc superaddens: Beati mundo corde. Et: Beati pacifici, allicit ad sursum actionem limpidam in intellectu, & tranquillam siue pacificam in affectu, quibus anima perfecti viri Hierusalem conformis efficitur, quę visio pacis interpretatur. Tandem concludens: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorū. quasi circulum faciēs reddit ad principium, quia in hoc vno summa complectur vniuersorum, ac per hoc senaria perfectio minoris mundi in esse reparationis, & gratiæ, directe correspondet senariæ productioni mundialis machinæ in esse naturæ. Vnde sicut illorū tria prima pertinēt ad distinctionem, tria sequentiā ad ornatum, sic etiā in his, tria prima quasi distinguendo separant animę vires ab vniuersitate malorū, vt esse habeant purum atq; distinctum, tria sequentia, quasi adornando easdem reducunt in Deū, vt habeant esse decorū atq; perfectum. Porro si descendatur ad singula, tā mira est correspondētia ordinis, tantæque similitudinis symbolū, vt illud quod post dierū sex opera dicitur. Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorū, in anima viri perfecti videatur esse cōpletum. Propter quod instar trium primorum operum, quę sunt mundi fundamenta, & trium sequentium, quę sunt complementa, tria prima ex his cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio. In cuius rei testimoniū, beatus Pauperum Patriarcha Franciscus, in principio regulæ suę, tria prima proponit vt vouenda, tanquam fundamenta dicens: Regula, & vita fratrū Minorum hæc est, scilicet Domini nostri IESV Christi sanctum Euangeliū obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Alia vero tria postmodum, vt desideranda commendat, tanquam cōplementa dicens: Attendāt fratres, quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, & sanctam eius operationem, orare semper ad Deū puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & infirmitate, & diligere eos, qui nos persequuntur, & reprehendunt, & arguunt. Vbi illa tria tangit. Nā præmittit sursum actionem in Deū, & subiūgit vltimo condescensionē ad proximum, interponēs in medio tolerantiam aduersorum. Igitur in tribus primis vir perfectus crucifigitur mundo, tribus sequentibus cōformis efficitur Deo, vt quasi sex alis seraphicis à mundialib⁹ eleuetur, & in diuina feratur. Proinde digne huic pauperculo sacro, qui perfectionem Euangelij perfecte seruauit, & docuit, in apparitione seraphica stigmata sua tanquam sigillum approbatiuum impressit, vt contra finalium temporū periculosam caliginem, manifestū nobis in via perfectionis ostenderet signum, quo reduceremur in Christum perfectæ virtutis exemplar, & finem, ac per hoc doceremur ad perfectionem attingere, si tamen discamus non alta sapere, sed humilibus consentire.

Cum autem perfectio Euangelica circa quam modo sermo versatur, in his quæ sunt supererogationis, sit in præcedentibus mōstrata consistere, ea vero quæ supererogationis sunt, non solum respiciunt dona charismatū, verumetiam exercitia virtutum, manifeste colligitur, quod huiusmodi perfectio non sine virtuosorū habituū exercitatione possidetur. Huiusmodi autē exercitia virtutū supererogantiū, aut fiunt ex mera voluntate absq; obligatione, & tunc dicunt quādam perfectionem actionis & meriti, aut cū voluntate dicunt quandam obligationem superinductam ex voto emisso, vel ex officio iniuncto, & tunc dicunt perfectionē status, & ordinis, in quo videlicet quis actibus perfectis non solum est deditus, verumetiam ad actus perfectionis astrictus. Quæ quidē astrictio de perfectione non minuit, sed potius culmen superinducit. quia de temporali facit æternum, dum nō licet resilire à voto, & de nostro diuinum facit, dum nō solum actum, sed etiam voluntatem dedicans Deo, totum illi offert, & redigit sub iure diuino, dumque propriam sacrificat voluntatem, quę est inpretiabile bonū, & maxime charum, & intimum, offert Deo sacrificium medullatum, ac per hoc perfectum, & integrum, & optimum, Deo summe acceptum. Vnde Augustinus tractans illud Psalmi: Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob, ait sic; Quid vouemus Deo, nisi vt simus templum Dei. Nihil enim gratius possumus ei offerre, quam vt dicamus ei quod dicitur in Isaia: Posside nos. Hæc Augustinus: Si igitur perfectius possidet qui possidet ad vsum, & proprietatem, quā qui quo ad vsum tantum: perfectius se dedicat, qui Deo se offert, & quo ad vsum operis, & quo ad arbitrium voluntatis. Quemadmodum Anselmus in lib. De similitudinibus, per exēplum sensibile patenter ostendit in duobus: quorū vnus pro tempore offert Domino arboris fructum, sed retinet proprietatem: alter vero largitur vtraque, & huius secūdi donum & oblationem, tanquam liberalius offerentis, dicit non immerito debere pręferri. Ac per hoc iuxta huiusmodi similitudinem, opus vouentis, opere non vouentis Deo acceptabilius esse demonstrat, pro eo videlicet quod sic introducta in volūtate ex mera libertate necessitas gratiositatem obsequij nō diminuit, sed cōsummat. Idem quoque scribens Episcopo Parisiensi, & eum redarguēs, quod clericū de monasterio sancti Martini de Campis extraxerat, ait sic: Si omnia agenda sunt cum consilio, cuius magis consilio, quā eius qui admirabilis

Marginalia: Matt. 5. g — 2. Cor. 5. c — Heb. 5. d — Iac. 1. a — 1. Ioa. 4. d — Luc. 6. f — Matt. 15. a — Gen. 2. a — Aug. enar. in Psa. 131. longe ante med. to. 8. — Anse. li. de simil. c. 84.

Idem epist. 10 ad Gosfridum Episcop. Paris.

bilis consiliarius, Deus fortis dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, vt omnia relinquant, & se sequantur. Quod consilium magis in monasterio, quã in alio vitæ proposito impleri sancti Patres intellexerũt. Hoc ipsum Gregorius in registro, scribens Desiderio Episcopo pro clerico volente Religionem intrare, dicit sic: Minime sit ei impedimento vestra fraternitas, magis autem pastorali admonitione succendite, vt feruor huius desiderij in eo non tepescat: vt qui à tribulento sæcularium turbarum tumultu se segregans, quietis desiderio monasterij portum appetit: rursus Ecclesiasticarum curarum non debeat tumultibus implicari, sed in Dei laudibus secure permittatur liber ab his omnibus, vt postulat, permanere. Bernardus quoque in lib. De dispensatione, & præcepto: Audite, inquit à me vultis, vnde inter cetera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundũ baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitę humanę generibus huiusmodi conuersatio, professores suos, & amatores suos, Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinam in homine reformat imaginem, cõfigurans nos Christo instar baptismi, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus complãtati similitudini mortis ejus. Idem etiam astruit Glossa super tricesimum Numerorum, dicens: Alij vouent vitulos, alii arietes vel domos, Nazareus semetipsum. Hoc est Nazarei votũ, quod est super omne votũ. Filius enim vel filia, aut pecus, aut prędiũ extra nos est: semetipsum Deo offerre, non alieno labore, sed proprio placere, perfectius & eminentius est omnib. votis. Ex his omnibus aperte clarescit, quod religionis votum in statu perfectionis collocat, tanquam adminiculans ad perfectæ virtutis exercitiũ. Quod intelligẽtes patres in quarto Concilio Toletano statuerunt, quod liber sit clericis ad Religionem ingressus, sic dicentes: Placuit clericos monachorum propositum appetentes, quia meliorẽ vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab Episcopis ad monasteriorum ingressus. Hoc autem quia non solum auctoritatibus probari potest, sed etiam vniuersis sanctorum exemplis, qui de clericali statu ad religionẽ trãsierunt, adeo certum est, vt siquis contraire voluerit, non minus videatur desipere quam errare. Si quis autem errore deceptus præfatis conetur obsistere, asserẽdo quod perfectius sit manere in sæculo, quia circa magis difficile virtus consistit, & difficilius est inter multas peccandi occasiones peccata vitare, & mirabilius est hominem in medio flammarum non vri, & victoriosius est inter numerosiores hostium acies, & frequentiores insultus, & maiora bellorum discrimina de hostibus triumphare. Respondebimus, non ideo statum maioris esse virtutis, quia minoris est securitatis, nec ideo statum aliquẽ perfectioris esse iustitię, quia proximior est ruinę, nec etiam ideo magis esse perfectum, quia difficilius est in ipso vitare peccatum. Est enim triplex difficultas, Prima proueniens ex arduitate, & nobilitate generis operis, sicut omni se castrare concubitu, omni abrenuntiare possessioni, & omnino se alienæ propter Deum subiicere voluntati. Et hæc absque dubio auget meritũ, iuxta illud Matthæi: Intrate per angustam portã. Vbi Glossa: Satis angustum est omnia prætermittere, vnum solum diligere, vnum quærere, ad vnum quotidie pulsare, prospera non ambire, aduersa non timere. In his consistit difficultas, ratione generis operis. Maior difficultatis angustia reperitur in via diuini consilii, quã pauciores inueniunt: quam in via diuini præcepti, per quam omnes gradiuntur iusti. Vnde Hieronymus ait: Si perfecta sequi desideras, exi cum Abraham de patria & de cognatione tua, & perge quo nescis. Si habes substantiam, vende & da pauperibus: si non habes grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum grande & difficile, sed magna sunt præmia. Est & alia difficultas veniens ex vitiositate per se agentis, sicut difficilius est diuiti auaro

Greg. Reg. li. 10. ind. 5. epi. 38.

Bern. tract. de præcep. & dispens. c. 23.

Concilium Toletanum 4. c. 49.

Matt. 7. b

Hieron. in ep. 4. ad Rusticum monachum.

dare minuta, quam largo maiora, & superbo se alteri subdere, & guloso ieiunare, & assueto voluptatibus carnis difficilius continere. Et hoc non auget meritum, sed miseriam. Vnde Hieronymus ad Eustochium: Soror tua Blesilla ætate maior, sed proposito minor, post acceptum maritum septimo mense viduata est. O infœlix humana conditio, & futuri nescia. Nam & virginitatis coronam, & nuptiarum perdidit voluptatem. Et quanquam secundum pudicitię gradum teneat, quas tamen illam per momenta singula sustinere æstimas cruces, spectantem quotidie in sorore quod ipsa perdidit, & cum difficilius experta careat voluptate, minorem cõtinentiæ habere mercedem? Est & tertia difficultas ex circumstãtiis extrinsecus annexis trahens originem, sicut & difficilius est abstinere cũ apponuntur delicata cibaria, difficilius est bona temporalia contemnere, quando offeruntur magna, & pulchra, difficilius continere in consortio feminarum. Et hæc difficultas per accidens & indirecte auget aliquando meritum, cum virtus inter hæc illæsa triumphat, sed directe, & per se est magis via ad ruinam, & ideo fugienda. Vnde super illud Matthæi: Diues difficile intrabit in regnum cælorum, dicit Rabanus. Non ait impossibile, sed difficile, hoc est maximi laboris esse, pecunias habentes, & in pecuniis confidentes exutis philargyriæ retinaculis aulam regni cęlestis intrare. Nec tamen ex hoc inferri potest, quod diuites sint pauperibus perfectiores, cum Dominus adolescenti diuiti consilium dederit, vt pauper fieret, si vellet esse perfectus. Expedit igitur ad perfectionẽ virtutis & meriti, difficultatem huiusmodi non amplecti, sed fugere. Vnde Augustinus de singularitate clericorum: Lubrica spes est quæ inter fomenta peccatorum se saluari sperat, incerta victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio flammis circumdari, nec ardere. Hæc Augustinus. Cui & consonat Hieronymus contra Vigilantium, qui statum sæcularium statui religionis præferre conabatur. Cur, inquit, pergis ad eremum, videlicet, vt te non videã, te non audiã, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus: Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, aduersariis armatus obsiste, vt cum viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui: si stetero, aut vincendum est mihi, aut cadendum. Quid necesse est certa dimittere, & incerta sectari? nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri vt me non mordeat, & tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et ideo vrbium frequentias declinamus ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere quam voluptas. Hæc Hieronymus. Quibus error confutatur Vigilantii suorumque sequacium, eorumque videlicet, qui statum sæcularium quantum ad perfectionis gradũ, statui religionis vel præferre, vel æquare conantur. Aduersus quos & paulo ante præmittit: Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quam illos qui possessionibus omnibus venumdatis simul omnia largiuntur, non à me, sed à Domino sibi respondebitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ tu habes, & da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, nauiculam, & rete dimittit. Iste tamen quem tu laudas secũdus, aut tertius gradus est, quem & nos præcipimus dũmodo sciamus prima secundis & tertiis præferenda.

Denique de comparatione perfectionis ad perfectionem secundum præeminentiæ rationem, patenter elucet, quod aliquis perfectionis modus & status sit eminentior altero. Cum enim seipsum castrare propter regnum cælorum per votum continentiæ sit perfectum & certum est quod perfectiori modo fit illud per virginalem continentiam, quæ fructui comparatur centesimo:

Hieron.

Matt. 19. c

Hier. contra Vig. epi. 53.

Occasio peccati fugienda.

Matt. 19. c

quamper viduale quæ per sexagesimũ in Euãgelica parobola designatur. Non est ergo cõtra perfectionis naturã ꝙ de al quibus duob. quę rectè dicuntur perfecta in statu viæ: vnum dicatur perfectius altero, quia in statu patrię, vbi ad vltimã perfectionẽ beatificati perueniũt, vnus alteri secundum Apostolicam doctrinam præponitur, instar cælestium luminum differentium claritate. Attendendum est igitur quod cum perfectionem perfectioni comparamus: potest hoc esse in eodem genere, vel in diuersis. Nam sicut ex præcedentibus liquet perfectio supererogationis quędam existit in exercitio virtutis, voto religionis, & officio prełationis. Facta ergo comparatione ad similẽ perfectionis modum, primo secundũ exercitium virtutis illa perfectio est præeminẽtior, in qua radix charitatis pinguior, sublimitas operationis excelsior, fraternæ ædificationis fructus vberior. Quanquam autẽ totius huius perfectionis origo sit charitas, multum tamen facit ad eius complemẽtum ipsa operatio Gregorio attestante, qui ait: De dilectione conditoris, lingua, mẽs & vita requiratur, Nunquam amor Dei est otiosus: operatur enim magna si est: si autem operari renuit amor nõ est. Multum etiam facit genus, & nobilitas operis, quia sicut clarum est, aureolæ præmium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi priuilegiato, vtpote prædicationi, martyrio, virginitati. Multum etiam facit ædificatio proximi, cum Dominus dicat viris perfectis: Vos estis lux mundi. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Similiter quantum ad votum religionis, illius est perfectio potior, in qua vouetur paupertas altior, obediẽtia vniuersalior, forma castitatis honestior. Nam ista tria, sicut expresse patet & gradus habent, & maius, & minus recipiunt, & per hoc tanto in maioris perfectionis statu constituuntur, quã to sublimius vouentur, potissime si hæc regularium obseruantiarum instituta imitentur quibus austerius castigetur corpus, fructuosius ædificetur proximus, ac reuerentius colatur Deus: Consistit autem castigatio corporis in arctitudine vestium, victualium, & verborum, cũ austeritate laborum, vigiliarum, & aliarum afflictionum corporaliũ: ædificatio vero proximi in exemplis exhibendis virtutum, documentis Scripturarum, remediis sacramentorum, præsidentiis regiminum, iudiciis iustitiarum, & beneficiis miserationum. Cultum autem Dei in reuerenti ac vigili frequentatione psalmorum, hymnorum, canticorum spiritualium, adorationum, Missarum, & aliarum diuinarum orationum. Hæc autem simul reperire in aliquo vno statu religionis præcellentius, quam in aliis, valde difficile, & fortassis impossibile videtur diligenter consideranti. Et ideo quamuis vnus religionis status alterum præcellat in votis substantialibus: non tamen præferri potest in omnib. cum quilibet status aliquid prærogatiuę specialis obtineat, quo sancta mater nostra, & sponsa Christi Ecclesia tanquam vestitu deaurata, circũdata varietate decoratur, & Deiformis efficitur. Per hunc etiam modum secundũ officium prełationis excellentior est perfectio, in quo eminentior cõfertur sublimitas ordinis, videlicet ad purgandum, illuminandum, & perficiendũ, onerosior imponitur sarcina laboris, in pascendo commissum gregẽ exemplo, verbo, & tẽporali subsidio, vberior etiam comitatur fructuositas salutis, & in eo qui pręsidet, & in eis qui subsunt, & in ceteris ad quos pręsidentis exempla perueniunt. Requiritur igitur huius perfectionis eminentior sublimitas, vt Prælatus Ecclesiæ quanto sublimius præest, tanto sanctius viuat, sollicitius inuigilet, & fructuosius gregẽ pascat. Si autem comparatio fiat perfectionis ad perfectionem in genere diuerso, quantum ad modum, & statum, dupliciter potest intelligi, vel præsuppositorie, vel præcise. Si præsuppositorie, sic absque dubio maior est perfectio, quæ attenditur secundum exercitium virtutis, votũ religionis, & officium prælationis, quam altero modo tantum. Sed si præcise comparamus perfectionem religionis, aut prælationis ad perfectionem virtutis, nulla prorsus est comparatio in vero esse virtutis. Nam votum religionis sine exercitatione perfectę virtutis, nõ est perfectio, sed peruersio, non perfectionis sublimitas, sed simulatio æquitatis: Officium vero prælationis, sine culmine virtutis & meritis, non est vera sublimatio, sed deiectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo quod potentes potẽter tormenta patientur, & durissimum iudicium his qui præsunt fiet. Cum igitur perfectio status sine ratione voti, sine ratione officij, sine perfectione meriti pro modica habenda sit, perfectio vero meriti obtineri nõ possit sine charitate, quæ est donum Spiritus sancti, & nemo sciat, vtrum alterum in hoc dono pręcellat, quia etiã nescit se illud donum habere, nullus debet se alteri in perfectione pręferre quin potius si fiat comparatio personarũ in excellentia perfectionis, debent viri quantumcunque perfecti iuxta doctrinam Apostoli, superiores sibi inuicem arbitrari. Vnde August. de bono coniugali: Non rectè, inquit, comparantur homines hominibus in vno aliquo bono. Fieri enim potest vt alius homo non habeat aliquid quod alius habet, sed alius habeat, quod pluris æstimandum est. Et paulo post: Melius est habere omnia bona, vel minora, quã magnũ bonum cũ magno malo: quia in bonis corporis melius est habere staturam Zachæi cum sanitate, quã Goliæ cũ febre. Porro de cõparatione statuum religionis & prælationis, meliori saluo iudicio, dicere possumus, quod huiusmodi comparatio fieri potest, vel quantum ad ea, quæ sunt de substantia, vel quantum ad ea, quæ sunt de congruẽtia statuum. Si quantum ad ea, quæ sunt de substantia, sic se habent velut excedentia & excessa, pro eo videlicet, quod ad perfectionem status religionis necessario requiritur abdicatio proprietatis, ad quam tamen minime astringuntur prælati Ecclesiæ, sicut patet 12. q. 1. ex concilio Agatensi: Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, heredibus suis si voluerint, derelinquant. Verumtamen omnis pręlatus ex ipso prælationis officio tenetur, non solum ad ea, quę sunt salutis propriæ, sed etiam plebis sibi commissæ. Nã ei pro quolibet subditorum à Domino dicitur: Custodi virum istũ, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Et ad hoc religiosus ex ipso religionis voto, nequaquam astringitur. Si autem fiat comparatio statuũ, quantum ad ea, quæ sunt de congruẽtia statuum, sic simpliciter dicendũ, quod status pręlationis, & eius perfectio est eminẽtior, quemadmodum insinuat Dionysius in libro de Ecclesiastica hierarchia dicens: Sicut qui dicit hierarchiã summatim dicit vniuersorum sacrorum ornatum, ita dicens hierarchiam, monstrat in Deo manentem, & diuinũ virũ, in quo omnis hierarchia perficitur. Similiter & Hieronymus ait: Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, vt gressus eius & motus, & vniuersa vocalia sint, veritatẽ mente concipiat, & toto eã habitu resonet & ornatu, vt quidquid agit quidquid loquitur, sit doctrina Apostolorum. Nec tamen ex his potest inferri, quod ad Pontificis statum requiratur, quod omnes status præcellat in omnib. alioquin non posset fieri Põtifex, nisi esset virgo: cõgruit tamẽ, quod in his præcellat quæ ad pascendi gregis spectant officiũ, sicut scribit Hieronymus ad Oceanum: Futurus pastor Ecclesiæ talis eligatur, cuius cõparatione subiectus populus merito grex dicatur. Et Gregorius in pastorali: Tantũ debet actionẽ populi actio præcedere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Quapropter ad pręlationis statũ non congruit accedere nisi perfectum, vt ibidem ait Gregorius: Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Status vero religionis peccatores & imperfectos admittit, vt iustos efficiat, & ad perfectionẽ adducat. Et ideo quanquã prælationis status in perfectione sit altior, religionis tamen status securior, & morbis nostris curandis expedientior, pro eo, quod à multis periculis eruit, quibus status prælationis exponit. Primũ quidẽ ratione annexi honoris, iuxta illud Augustini super Psalmos: Quanto plus honoramur, tãto plus periclitamur. Huiusmodi autẽ periculũ manifestans Gregorius super illud Iob. qui dicit regi apostata. ait:

Matt. 13. c
1. Cor. 15. f
Greg. hom. 30. in Euang. ante med.
Matt. 5. b
Sap. 6. b
Philip. 2. a
Aug. lib. de bo. coniug. c. 23. in. 6.
3. Reg. 20. g
Dionys. de Eccl. hier. c. 1.
Hier. in ep. ad Fabiolã 128. circ. fin.
Hier. ep. 83. ad Oceanũ post med.
Greg. 2. parte cur. past c. 1.
Idem ibid. 1. par. c. 9.
Greg. li. 24. Mor. c. 14.
Iob. 34.

at: Vnusquisque rector quoties extollitur, quod cæteros regit; toties per lapsum superbiæ à summi rectoris officio separatur. Idem etiam in registro: Ego viam capitis mei sequens summopere decreueram, esse opprobrium hominum, & abiectio plebis, vt tanto veracius intus adscenderem, quanto foris humilius iacerem. Adiacet igitur statui prælationis periculum ratione honoris, necnō & oneris, & occupationis. Vnde idem Gregorius 7. Moralium: Omnis qui dispensandis rebus terrenis præsidet, occulti hostis iaculis latius patet. Nam cum ad dispensanda exteriora mens extendere se efficaciter nititur, à sui consideratione separatur. Apparet igitur, quod status prælationis simul est excelsus & periculosus, & ideo ipsum appetere simul est periculosum, præsumptuosum, & stultum. Propter quod ait Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei: Locus superior sine quo populus regi non potest, & si ita administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur. Et ideo ait Gregorius lib. 18. Moralium: Sancti viri nequaquam curas extrinsecas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant, quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Ex his aperte colligitur quod locus prælationis, pro sublimitate quidem gradus, & multiformitate periculi à viris iam probatæ virtutis potest coactione & formidine suscipi, à peccatoribus vero & infirmis tota debet intentione vitari, à nullis prorsus appeti, & ab omnibus honorari. Status autem religionis ab vniuersis tam iustis quàm peccatoribus, tam perfectis quàm imperfectis, tam sapientibus quàm simplicibus, licite potest appeti, à nullis debet contemni, ab his vero qui vocantur diuinitus secure suscipi, & studiose seruari. Hæc de perfectione diffusius dicta sunt, pro eo, quod nō paruum adminiculum conferunt, ad declinationem errorum sequentium, in quos is cui respondere incepimus incidit: quia considerare prædeterminata vel ex ruditate non valuit, vel ex proteruitate contempsit.

Aug. lib. 19. de ciu. Dei c. 19. tom. 5.

RESPONSIONIS SECVNDÆ, CAPVT I.

In quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, & contra fuga de se imperfecta monstratur.

SPIRITVALI diuinæ legis intelligentia præditos nequaquam arbitramur ambigere, perfectionis Euangelicæ culmen instar Dauidicæ turris, spiritualibus propugnaculis esse munitum, quibus & foris hostilitas infesta repellitur, & intus tranquillitas imperturbata seruatur. Horum autem præcipuum locum tenere desiderium passionis & mortis pro nomine Domini nostri Iesu Christi ipse nobilis Christiani exercitus dux Apostolus Paulus euidenter ostendit, cum ad Hebræos dicit: Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta. Vbi Glossa: Succincti & expediti curramus sine dubitatione ad certamen martyrii, aspicientes in auctorem fidei, qui scilicet omnia bona terrena contempsit, vt contemnenda monstraret, & omnia mala terrena sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Et paulo post: Vinctus est, qui infirmitatum vincula soluit, mortuus est, qui mortuos suscitauit, amore itaque eius similia patiamur. Hæc Glossa. Ad hæc quoque idem Apostolus suo nos hortatur exemplo ad Corinthios scribens: Ego, inquit, libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Ibi Glossa: Perfecta charitas hæc est, vt quis paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed nunquid mox vt nascitur iam prorsus perfecta est? imo vt perficiatur, nascitur. Cum enim fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem peruenerit, dicit: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Hæc Glossa. Per quæ patenter colligitur, quod perfectæ charitatis actus est sui corporis dissolutionem & mortem appetere, exemplo ipsius Apostoli dicentis ad Philippenses: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vbi Glossa: Sunt quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur; & sunt quidam homines perfecti, qui cū patientia viuunt. Qui .n. desiderant istam vitā, cum venerit illis dies mortis luctantur aduersum se, vt sequantur voluntatem Dei, qui vero desiderat sicut Apostolus dissolui, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter viuit, & delectabiliter moritur. Vnde passioni appropinquans exultabat & gloriabatur dicens: Bonum certamen certaui, &c. Hæc Glossa. Ecce quod nihil clarius ad propositum potest adduci, cum expresse dicat, perfectionem charitatis consistere in desiderio mortis. Potest autem & hōc ipsum necessaria ratione concludi. Si enim amor, vt dicit Dionysius, est vis vnitiua, & si hæc locutio est vera per se, necessario sequitur, quod perfectus Dei amor perfecte inclinat amantem ad omne illud, per quod conuenientius, intimius & celerius, amato possit vniri: sed nihil est, quod magis disponit, vt celerius, & intimius spiritus hominis in statu mortalitatis existens, vniatur immortali & impassibili Deo, quam sustinentia mortis illatæ propter honorem Dei. Necesse est igitur perfecte amantem hoc desiderare, antequam illud obtineat, & cum obtinuerit perfecte lætari. Vnde & de Apostolis dicitur, quod ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Ipse enim amor, vt dicit Hugo, vis est transformatiua. Qui igitur Christum perfecte amat, præcipuo mentis affectu eidem configurari peroptat, in his potissimū quæ diuina lex dictat. Sed configuratio ad Christum præcipue saluandis conueniens in statu præsentis miseriæ attenditur secundum assimilationem in passione & morte, Petro attestante, qui ait: Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Hoc igitur est ad quod inclinatione præcipua perfectæ charitatis ardor inflammat, iuxta illud Canticorum: Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum. Idem nihilominus amor, vt dicit Richardus, est vis liberaliter diffusiua. Vbi igitur perfectus est amor, ibi & perfecta diffusio, vel actu si opportunitas adest, vel si non adest saltem desiderio pleno. Cum igitur traditio sui in mortem pro alicuius amore sit diffusionis permaximæ, necesse est perfectū charitatis amorem ad id aspirare, iuxta illud quod habetur in Ioanne: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Mortem itaque pro Christo desiderare, morti se pro Christo exponere, & in mortis agone gaudere, actus est charitatis perfectæ. Porro mortem fugere actus est imperfectionis quantum in se est, potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam, sicut determinatum est supra: vtpote cum quis hoc facit vt se reseruet ad gloriosiorem triumphum, sicut fugit Apostolus, vel cum id agit ad præbendum infirmis spei solatium, nedum morte imminente trepidare se sentiunt in desperationem labantur. Et hac ratione fugisse credendus est Christus, non ex vehementia timoris, sed ex benigna cōdescensione perfectissimæ charitatis. Iuxta quod dicit Augustinus: Firmissimi sunt Christiani si qui sunt, qui nequaquā morte imminente turbantur. Sed numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, id est, in Ecclesia, suæ infirmitatis voluntaria assumptione consolatus est? vt si qui suorum morte imminente turbantur, ipsum in spiritu intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos peiore desperationis morte absorbeantur. Hęc Augustinus: Quibus luce clarius ostenditur, quod in passione trepidare quamquam sit imperfectum, nullam tamen in Christo condescendente imperfectionem ponit, sed in eis solum quibus ipse condescendit.

Heb. 12. a — *2. Cor. 12. c* — *Philip. 1. d* — *2. Tim. 4. b* — *Act. 5. g* — *1. Pet. 2. d* — *Cant. 8. b* — *Ioan. 15. b* — *Aug. hom. 60. in Ioan. versus fin. tom. 9.*

Similiter etiam de fuga super illud Ioannis: Non enim volebat in Iudæam ambulare, astruit esse sentiendum. Futurum, inquit, erat vt aliquis fidelis absconderet se, ne à persecutoribus inueniretur, & ne illi pro crimine obijceretur latibulum: præcessit in capite quod in membris confirmaretur. Idem quoque super illud Psalmi: Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, infirmos, inquit, in se præfigurans Dominus, id est infirmorum personam gerens, illisque compatiens ait: Transeat à me calix iste. Non enim timebat Dominus pati tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolui, & esse cum Christo. Certum est autem quod Paulus habebat infirmitatem carnis. Non igitur infirmis carne Christus exemplum præbuit, sed infirmis spiritu cōdescendit. Huic autem veritati tam claræ is, cui respondemus multipliciter conatur obsistere. Quia enim vt veritatis ignarus absurdum reputat, quod Christus imperfectis condescenderit in aliquo actu, ostendere nititur, quod fugere mortē sit de sua ratione perfectum pro eo videlicet quod à Christo præcipitur, & quia in viris perfectis inuenitur. Verumtamen primam rationem nullius esse vigoris ex hoc colligere possumus, quia sicut præceptum perfectionem non efficit, sic nec imperfectionem tollit. Si enim imperfectionem tolleret, quicumque teneretur ad præcepti obseruantiam, teneretur ad perfectionem implendam. Quod cum sit manifestissime inconueniens, constat quod frustra laborat ostendere, quod fugere sit perfectum, per Euangelium, per Pelagium Papam, & per Athanasium, cum Euangelicæ perfectionis culmen ex supererogatione manet diuini consilij, non ex obligatione præcepti. Insuper & illud mandatum de fugiendo à facie persecutorum, intelligi habet in casu sicut Rabanus dicit super Matthæum, & Glossa. Hoc, inquit, ad illud tempus pertinet, quo dictum est. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, quod persecutionem non debeant timere sed declinare, vt tribulationis occasio sit Euangelij seminarium. Si ergo in hoc casu intelligit, nihil ad propositum suum valet. Si autem simpliciter intelligit sicut insinuat, non modicum errat, quia tunc quicumque voluntariæ morti se exponeret cum latere, vel fugere posset, peccaret mortaliter faciens contra Domini iussionem. Quod si verum est, beatissimi martyres, Petrus, Paulus, Andreas, Laurentius, Sebastianus, Tiburtius, Vincentius, & consimiles, qui se vltro persecutoribus tradiderunt, digni non essent gloria martyrum, sed ignominia præuaricatorum. Magnę igitur fuit dementiæ vniuersaliter affirmare, quod sancti martyres fugerunt, & cum inueniebātur, martyrio se subdebant. Nam hoc expresse derogat perfectioni sanctorum martyrum, quia quilibet quantumcunque imperfectus, quando non potest latere, tenetur seipsum martyrio subdere, ac per hoc dum actui fugiendi falsam quandam perfectionem attribuit perfectis Christi martyribus veram tollit. Alia quoque ratio qua conatur probare, quod fugere non sit imperfectum, quia viri perfecti fugerunt, dupliciter deficit. Primo, quia non omne quod viri perfecti faciunt, est ex hoc ipso perfectum. Nam sicut Iacob, Dauid, Vrias, & Mathathias fugerunt, quos introducit ad fugæ commendationem, ita etiam habuerunt vxores, proprietates possessionum, quæ tamen sese cum Euangelica perfectione non compatiuntur. Dehinc quia vt supra monstratum est, actus qui de suo genere est imperfectus, per aliquam circumstantiam quam charitas perfecta illi adhibet, potest esse perfectus, & ideo non ratione actus, sed ratione circumstantiæ sanctorum virorum in operibus huiusmodi perfectio commendatur. Præterea sicut non sequitur quod occidere hominem sit bonum atque perfectum, quia Phinees & Mathathias ex peccatorum occisione laudantur, sic & rationes quas multiplicat nil recte concludunt. Bene tamen potest inferri, quod si sancti viri aliquid laudabiliter fecerunt illud fieri potest pro loco, & pro tempore absque peccato sicut sacer Athanasius probare videtur, & intēdit. Nec tamen ex hoc sequitur quod sit perfectum, nisi pariter includatur, quod imperfectio peccatum includit, sicut hic peruerse dogmatizat. Quod quia superius improbatum est, hic commemorasse sufficiat.

Psal. 93. c

Matt. 10. c

SANE distinctio quam subiungit de modis fugiendi quos de se conatur perfectos astruere, ac multipliciter per exempla commendare, nō veritatis dilucidationem tribuit mentibus legentium, quin potius erroris caliginem, nisi sollicita circumspectione caueatur. Distinguit namque sex modos fugæ, quorum primus vt dicit, est ex mentis peruersitate, secundus, est ex mentis ignauia, & timore seruili tertius est ex naturali ratione, quartus est ex humilitate mentis, quintus est ex circumspecta prudentia, sextus ex abundanti misericordia. In quorum modorum explicatione, multa videtur absurda dicere. Loquens enim de secundo modo dicit, quod fugere ex ignauia est ex timore seruili, sicut fugerunt filij Israel in diebus Saulis, subditque, quod Christus hoc modo mortem non timuit, sed timeri prohibuit. Et paulo post: Hæc fuga imperfectis competit. In his autem verbis ostendit se per omnia Theologicę veritatis ignarum. Primo quantum ad significationem verborum, in hoc quod dicit filios Israel fugisse Philistijm ex timore seruili. Timor enim seruilis cum sit donum Spiritus sancti non docet fugere corporalia bella, sed spiritualia peccata. Secundo ostendit se nescire pondus sententiarum, cum dicit hunc timorem esse prohibitum, & post subiungit, quod competit imperfectis. Ex hoc enim sequitur, quod aliquid idem sit generaliter prohibitum, & aliquibus personis indultum, & iterum, quod imperfectis sit indulta transgressio mandatorum. Quod quia continet contradictionem implicitam, ab omni prorsus ratione discordat. De tertio vero loquens fugiendi modo dicit, quod est ex quodam naturali timore, & quod hic fugiendi modus competit viris perfectis, sicut Moysi, Eliæ, Elisæo, & Vriæ. Et hæc fuga, vt dicit, nullam operatur imperfectionem, & hanc vt asserit, Christus assumpsit. In quib. verbis duo implicat, quorum vnum est falsum, alterum vero blasphemia. Quamquam enim timere mortem sit naturale, fugere tamen est voluntarium, & quamuis perfecta charitas non excludat omnino timorem naturalem, excludit tamen illius dominium quo timidus in fugam conuertitur. Vnde Beda super illud Marci relicta sindone fugit: Quia plus cęteris dominum amauerit, indicauit qui ahjs fugientibus sequi Dominum non omisit, nondum tamen perfectionem habuit, qui vel territus fugere potuit. In quibus patenter ostendit. quod fugere ex timore mortis non stat cum perfectione charitatis. Nec obstat verbum Glossæ super illud Ioannis, alius te cinget, qua dicitur quod huiusmodi affectus adeo naturalis erat, vt nec eum Petro senectus abstulerit, cum tamen perfectus esset, pro eo quod aliud est timere, aliud est timore fugere, sicut in eadem Glossa, quam ipse fraudulenter detruncat immediate subiungitur. Sed quantacumque ait sit molestia mortis, vt vincat eam vis amoris, constat quod amoris vi superante timorem, nequaquam fugimus. Fuga igitur ex timore mortis nequaquam stare potest cum perfectione charitatis. Vnde Augustinus in originali homil. eadem: Amor Christi in eo, qui pascit oues eius, in tam magnum debet Christi talemque crescere ardorem, vt vincat etiam mortis naturalem timorem quo mori nolumus, etiam quando cum Christo viuere volumus. Hęc Augustinus. Ex quibus concluditur, quod fuga huiusmodi stare non potest cum perfectione charitatis, quæ hunc timorem exuperat, ne timentem in fugam conuertat. Dicere igitur ex hoc timore Christum fugisse, non est aliud quam ipsum blasphemare, cum ex hoc sequatur, quod in ipso fuerit amor naturalem timorem non superans, sed ab ipso superatus, ac per hoc non perfecte stabiliens, sed vacillans, & imperfectus. Aduertat igitur quisquis hæc legerit, quod fugæ prouenienti ex naturali timore mortis perfectionem tribuere, simulque asserere Christum hoc modo fugisse, nihil aliud est, quam Christum ducem iam prostratum ab hostibus dicere, & vniuersum ipsius exercitum ad fugam prouocare. Nullus enim

Exo. 2. c
3. Reg. 19. a
4. Reg. 6. f
Hiere. 26. g
Marc. 14. e
Ioan. 21. c
Aug. tract. 123. in Ioan. cir. fin. to. 9.

enim in fugam mortis timore cōuertitur, nisi timor huiusmodi in eo dominetur. Quod si hoc vt asserit, perfectum est, & omnes hoc naturali timore vrgentur, nil aliud restat secundum hanc prophanam doctrinam, nisi vt omnes in fugam conuertantur. Nulla igitur erit in fugiendo differentia Pastoris & mercenarii, cum vterque pariter habeat naturalem timorem moriendi. De quarto vero differens addit, quod fugere ex humilitate mentis, qua homo propriam infirmitatem cognoscit, & ad mortem sustinendam humiliter se imperfectum credit, competit viris perfectis. Nam hoc modo, vt ait, fugit Petrus à facie Neronis, & Iudæi persecutiones Antiochi, & anachoretæ persecutiones Decii & Valeriani. Et post subdit, quod hanc fugam docuit Christus, & exemplo confirmauit, & est imitanda perfectis. Hoc autem si quis diligenter consideret, scribentis imperitiam manifeste perpendet. Nam primum exemplum de Petro est falsum. Si enim Petrus, vt dicit, se reputabat imperfectū ad martyrium, pari ratione, & quilibet Christianus. Si igitur ex hac consideratione fugere perfectum est: quilibet omnino debet fugere, nullusque ad passionem, tanquam ad rem proprias vires transcendentem aspirare. Ex quo etiam illud infertur, quod præsumptuosus fuit ille feruor sanctorum, qui corde intrepido, ad tormenta ferebantur. Secundum autem exemplum est in se ambiguum, & impertinens ad propositum, quia non constat Iudæos illos ex humilitate fugisse, nec ad perfectionis exemplum eorum fuga potest assumi, qui materiali gladio propriam tuebantur salutē, & aduersarios, quando sibi facultas aderat, persequebantur ad mortem. Exemplum vero tertium de anachoretis, vbi allegat auctoritatem Hieronymi pro fuga Pauli primi eremitæ, suo proposito non competit quin potius aduersatur. Nam Paulus, vt ibidem dicit Hieronymus, adolescens erat delicatus & diues, non anachoreta, non monachus, sed adhuc in sæculo degens. De quo ibidem Hieronymus subdit, quod necessitatem in voluntatem cōuertit, dum primo quasi compulsus, postea voluntarius mansit in eremo. De aliis vero Christianis qui iam perfecti erant, idem Hieronymus paulo ante præmittit: Votum tunc Christianis erat, pro nomine Domini gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas iugulare cupiebat non corpora, & vt ipse qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi. Hæc Hieronymus. Quibus præfati erroris sententia non fulcitur, sed confutatur, dum asserit, quod illius temporis martyres, non solum non fugiebant, sed etiam vehementer dolebant quod occidi non poterant, quemadmodum gloriosi martyris Doctoris Cypriani verbo & exemplo confirmat. Quartum autem exemplum quod ponit de Christo, horrendam in piis auribus includit blasphemiam. Quia si Christus ex humilitate se ad martyrii sustinentiam imperfectum putabat, aut vere hoc æstimabat, aut false. Si vere, ergo Christus veraciter fuit imperfectus. Si false, tunc necessario sequitur, quod fuerit suæ perfectionis ignarus, & horum vtrumque blasphemum. Insuper si omnis qui filium Dei Iesum Christum imperfectum dicit, vel æstimat in Deum blasphemat, qui ponit hoc Christum de se sensisse, non solum blasphemat in Christum, verumetiam asserit Christum fuisse blasphemum, quod piæ aures audire non possunt. Quisquis igitur hoc pertinaciter senserit, tradendus est satanæ, vt discat non blasphemare. De quinto vero modo fugiendi, qui est ex prudentia circumspecta diffusius tractans, imprudentiam suam patenter ostendit, dum pro nihilo tot verba dissеminat. Nullus enim negat, quin pro expectatione opportunitatis, vel vtilitatis maioris, interdum etiam vir perfectus fugere possit, sicut Apostolus de Damasco fugit. Sed hic modus ab aliis licitis fugiendi modis nō debet distingui, quia omnis rationalis, & licita fuga est ex prudentia circumspecta, quæ est magistra directionis in omni via salutis. Est autem prudentia directiua fugæ, pro loco, & tempore, non tam secundum imperium perfectæ virtutis, quàm secundum humanæ conditionem imperfectionis, & infirmitatis mentalis. Vnde super illud Matthæi discipuli relicto eo fugerunt. Beda dicit in Glossa: Sicut Petrus qui negationem lacrymis abluit, & confessione dominici amoris trina funditus extirpauit, recuperationem eorum ostendit qui martyrio labuntur; sic alii discipuli qui articulum comprehensionis fugiendo præuenerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui se ad supplicia minus sentiunt idoneos, quibus tutius est latere, quàm discrimini se exponere. Hæc Beda. Quibus elucet, quod huiusmodi circumspectio qua quis prouide fugit, infirmis magis competit quàm perfectis. Quod igitur dicit se nullatenus æstimare, quod prudentia, quæ perfectionem facit, aliquando magistra sit imperfectionis, si sic intelligit, quod prudentia de perfecto imperfectum non facit, verum dicit, sed nihil ad propositum. Si autem intelligit, quod nullum opus imperfectionis ex prudentia procedit manifeste errat, quia tunc omne opus prudentiæ esset perfectum, nec solius prudentiæ verumetiam omnium aliarum virtutum quibus necessario prudentia est annexa. Ex quo etiam sequeretur, quod omnis virtus sit perfecta, & omnis virtutem habēs sit perfectus, & omnis imperfectus iniustus, & omnis imperfectio culpa. De sexto tandem modo fugiendi subinfert, quod fugere ex abundanti misericordia ne persequentes grauius Deum offendant viris perfectis competit, quia hoc modo fugit Iacob, Moyses, Dauid, Benedictus, Siluester, &c. Et hanc fugam, vt dicit, docuit Christus, & exemplo confirmauit. Porro quamuis in his, quæ de hoc modo sexto fugiendi scribit, videatur superficialiter cōsiderantibus rationabiliter, & pie sentire; si quis tamen vigilantiori attentione consideret, manifeste cognoscet ea carere ratione simul & pietate. Nam & exempla quæ ponit, ambigua sunt, nec ex Scripturis constat præfatos viros ex ea, quā assignat, causa fugisse. Qua etenim ratione, vel auctoritate astrui potest, quod Iacob Esau, Moyses Pharaonem, Dauid Saulē, & Siluester Constantinū fugerit, ne in eos grauius peccarēt: Et ideo quæ proponit pro nihilo habēda sunt. Quia vt dicit Hieronymus, quod de scripturis auctoritatem nō habet, eadē facilitate contemnitur qua probatur. Insuper si omnis qui persequitur iustum, tanto magis peccat, quanto grauiores iniurias irrogat, & sanctum est atq; perfectum, propter hoc fugere, semper à facie cuiuslibet persecutoris fugiendum est, ne grauius peccet. Amplius ex hoc necessario sequitur, quod Christus nō abundantē misericordiā, sed potius crudelitatem in Iudæos exercuerit, qui tunc se passioni obtulit, quando plures in eo peccare potuerunt, paschali scilicet tempore, cū Iudæorū multitudo ad festum ventura erat, de qua sciebat, quod in eius mortem cōsensura erat. Arguuntur etiā secundū hanc doctrinā, impietatis & crudelitatis omnes martyres, qui nō fugerūt. Inaniter igitur gloriatur se aduersarium confutasse, quasi fugere non sit imperfectum, cum habeat fieri ex abundanti misericordia, quæ imperfectionis non potest esse ministra. In quo credens alterius improbare sententiam, viam aperit ad reprobandam suam. Si enim Christus, quia fugit ex misericordia respectu persequentium, nullam imperfectionis notam incurrit, multo magis si fugit ex misericordia respectu membrorum suorum infirmorum, ad præbendum illis solatium, non debet imperfectioni adscribere, sed potius iudicare perfectum. Quod autem in fine concludit, quod his quatuor modis Christus fugit, & fugere docuit, & viri perfectissimi in hoc eum imitati sunt, & hoc alios facere docuerunt, & quod Christus fugiendo exemplum infirmis præbuit: infirmis dicit, infirmitate carnis quæ perfectis competit, non mentis quæ solum conuenit imperfectis, quia ex præcedentibus satis reprobatum est, non est opus vltra discutere, quanquam hæc quatuor simul aggregata, dogmatis huius absurditatem patenter ostendant. Nam si Christus hoc quadruplici modo fugit & perfectissimi viri in hoc eum imitati sunt, cum hoc fugiendi quadriuium semper, & vbiq; & omnibus pateat, semper, & à quolibet ineunda est fuga,

Hieron. in vita B. Pauli primi eremitæ

1. Cor. 11. g

Mat. 26. f

Hieron. in c. 23. Mat.

Quis

Quis enim non naturaliter timet mortem? Quis non debet se humiliare? Quis non debet prudenter cauere periculum? Quis misereri non debet persequentium proximorum? Si igitur hæ viæ fugarum semitæ sunt perfectionum quibus itur ad Christum, non iam ad exhortationem Apostolicæ tubæ currendum est ad nobis propositum passionum certamen, sed potius quærendum est per aliquam dictarum viarum fugæ præsidium quo celerius tamquam per compendiosas perfectionis semitas perueniatur ad Christum. Quod si huiusmodi exhortationis immo dehortationis clamorem, quo bellatorum corda terrentur procul à castris bellantium abesse censuerunt duces in pugna sæculi; quanto magis hoc obseruare conuenit in pugna Iesu Christi, vbi res agitur non pro vitandis dispendijs rerum, aut fugiendis periculis corporum, sed pro declinanda infinibili morte animarum? Nec hoc dicimus quin competere possit perfectis in casu fugere, eo modo quo superius ostensum est: sed vt fugæ laudes superfluas, vanas & falsas, tamquam perniciosas, & virtutibus perfectis contrarias ostendamus esse fugiendas. Quia cum falsitas vbique & semper vitanda sit, ibi tamen & tunc potissimum declinanda est, cum sub fallaci specie sanctitatis à virtutum culmine reuocat & inclinat ad ima.

Heb. 12. a

RESPONSIONIS SECVNDÆ, Caput secundum.

In quo abstinentiæ laus, & perfectio declaratur, & eiusdem impugnatio calumniosa refellitur.

QVamquam certum sit omnibus in Christiano exercitatis agone, abstinentiæ sanctæ rigorem pernecessarium esse his qui perfectionem adipisci, & defensare conantur: quia tamen nouæ adinuentionis dogma peruersum subintroductum est ad probandum contrarium roboranda est huiusmodi veritas tam per exempla, quam per documenta sanctorum. Et primum quidem Euangelicæ perfectionis præcursor, adducatur in medium, qui propter abstinentiam eminentem, magnus prædicatur Angelica voce, sicut refert Lucas Angelum dixisse ad Zachariam. Erit enim magnus coram Domino, vinum & siceram non bibet. Vbi Glossa. Sicera interpretatur ebrietas, quo nomine signatur omne poculum de quacumque materia factum quod inebriare posset. Decet namque vas cælesti gratiæ mancipatum, à sæculi illecebris abstinere. Hoc ipsum vas electionis Apostolus in seipso commendat, ad Corinthios scribens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et ad hoc agonistarum exemplo, cunctos prouocat Christi milites cum præmittit: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam. Ad hoc facit quod ait Ambrosius lib. 5. Hexameron: Ab initio sæculi simplicem cibum & naturalem debuit Deus reliquis cibis anteferre: quoniam iste est sobrietatis cibus, reliqui voluptatis. In hoc datur nobis frugalitatis exemplum & parsimoniæ magisteriū vt herbis & simplicis oleris victu, aut pomis contenti simus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primo donauit. In Ecclesiastica vero historia lib. 2. refert Euseb. quod inter sanctos Ægyptios quos Euagelista Marcus multipliciter instituit, vinū nemo nec gustu cōtingit, nec aliquam carnem, tantum aqua est eis potus, & panis cum sale & hyssopo est eis cibus. De anachoretis autem, quorum vita constat fuisse perfectionis exemplar, Hieronymus ad Eustochium cum vitam commendasset Cœnobitarum dicens, quod inter eos viuitur pane, & leguminibus, & oleribus, quæ sale solum condiuntur, quibusdam interpositis subdit: Ad tertium genus veniam, quos Anachoretas vocant, qui de cœnobijs exeuntes, accepto pane & sale, amplius ad deserta nil proferunt. Huius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista fuit. Hucusque Hieronymus. Qui & hunc quem huiusmodi vitæ asserit auctorem

Luc. 1. b.

1. Cor. 9. d

1. Cor. 9. d

Amb. lib. 5 Hexa. c. 7.

Euseb. li. 2. Eccl. Hist. c. 16. vers. fi.

Hieron. ep. 22. ad Eustoch.

B

C

D

E

Paulum talibus extollit abstinentiæ laudibus, eius vitam describens: Omnem in oratione in solitudine duxit ætatem, cibum, & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui incredibile videatur, Iesum testor & sanctos Angelos, vidisse me monachos, è quibus vnus per triginta annos, pane hordeaceo, & aqua lutulenta vixit. Beatus quoque Basilius monachis Orientalibus, qui ad perfectionis culmen nitebantur ascendere, carnium esum inhibuit. Sanctus etiam Martinus, vt de ipso narrat Sulpitius, in suo monasterio secum degentibus monachis vini potum concedere noluit. Et sacer vir Benedictus sanis monachis esum carnium interdixit. His & similibus quasi innumeris vniuersis sanctorum exemplis indubitanter colligitur, quod abstinentiæ vigor opus sit perfectę virtutis. Et ne quid ad certitudinem desit, alijs sanctorum auctoritatibus probandū est, quibus asseruntur, quod abstinere à vino, & carnibus sit perfectum. Ait enim Hieronymus ad Demetriadem: Conceduntur quidem nuptiæ, carnium esus, vsus vini, sed horum abstinentia consilio perfectiore suadetur. Idem quoque contra Iouinianum: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere & carnes non manducare; nam si vis perfectus esse melius est saginare animam, quam carnem. Augustinus etiam de fide ad Petrum, sic ait; Humiles serui Christi qui cupiunt Domino absque impedimento seruire coniugia non appetunt, à vino & carnibus abstinent, quantum corporis valitudo permittit, non quod peccatum sit aut coniugem habere, aut carnes, vinumque percipere. Hæc Augustinus. Ad hoc idem facit quod dicit Gregorius libro 30. Moralium: Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non prius in seipso per afflictam concupiscentiam carnis incentiua deuicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis certaminis consurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis mentis positus: gulæ videlicet appetitus edomatur. Colligitur itaque, quod abstinentia sit opus maxime competens viris perfectis, quorum est satanæ bellis victoriose resistere, & sapientiæ studiis quiete vacare. Propter quod Hieronymus contra Iouinianum; Si quis æstimat abundantia ciborum, atque potuum se perfrui, & vacare se posse sapiētiæ, hoc est versari inter delitias, & delitiarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Et post: Quomodo nuptiis virginitatē, ita saturitati & carnibus ieiunia spirituumq; pręferimus. Si igitur vacare sapientiæ perfectorum est, & virginitas præfertur coniugio sicut perfectum imperfecto, restat quod de genere operis abstinere à carnibus, aliisque delicatis cibariis actum dicit consonum perfectioni; & contra his vti imperfectionem quadam importat, quantum est de sui generis natura, nisi ad perfectionem reducatur per circumstantiam superadiectam, vtpote cum quis habet plenam abstinendi voluntatem, & tamē huiusmodi cibariis pro loco, & tempore sobrie vtitur, vel quia requirit necessitas sustentationis propriæ propter ægritudinem seu debilitatē, vel vtilitatis fraternæ ædificationis per charitatiuam condescensionem. Primum quidem exemplum ex vita sumitur perfectorum cœnobitarum, quam describens Hieronymus ait, loquens de sanis: Viuitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur. Dehinc pro debilibus subdit: Vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sæpe fit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, & aliorum non frangatur incipiens. Post hæc de infirmātibus ait: Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum. Hæc Hieronymus. Porro exemplum secundi manifeste refulget in Christo, de quo Chrysost. super Matth. Vide quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat & bibat, cum videatur ex aduerso Ioanni faciens, & hoc Iudæorum gratia salutis facit: magis autem orbis terrarum vniuersi, simulque hæreticorum obstruens ora. Magister namque perfectionis omnimodæ Iesus Christus, & supportator imperfectionis nostræ vtrumq; debuit in sua via monstrare: cum tamen Ioannes totam peregerit vitā

Seuer. Sulp. lib. de vit. B. Mart. cap. 7.

Hiero. in ep. ad Demet. quæ habetur to. 9. li. ge ante me.

Idem contr. iouin. li. 2.

Aug. de fide ad Pet. c. 3. vers. fin. to. 3.

Greg. li. 30. Mor. c. 13. ante med.

Hiero. vbi sup. prox.

Hier. in ep 22. ad Eustoch.

Chrysost. ho. 21. super Matth.

secun-

secundum arctissimam abstinentiæ legẽ. Et quamquam actus abstinendi perfectior sit ex proprio genere, perfectius tamen egit Christus, quam Ioannes, quia & puriori modo in seipso abstinuit, & aliis ex perfectiore charitate condescendit. Vnde & perfectionis præcipuus sectator Apostolus nõ solum imitabilem se præbet in austeritate vitę, verũ etiam pia ad proximos cõdescensione, ad Corinthios dicens: Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Hanc condescensionis ædificatoriæ formam discipulis ad prædicandum missis Dominus dedit, cum ait: In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Et ratio à Matthæo redditur. Est enim dignus operarius cibo suo. Quia enim discipuli pauperes erant, & laboriosis prædicationis exponebantur discursibus, ne pro penuria & difficultate laboris, in seipsis deficerent, vel pro difformitate victus, onerosi redderentur suscipientibus ipsos, huiusmodi fuit eis à Domino viuendi forma præscripta, tam pie, quam prouide, vt & aliis condescenderent, & iniunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent. Ex prædictis igitur elucescit, quod tam abstinere à carnibus, & vino, quã his vti, potest fieri perfecte & imperfecte, sed vnũ, scilicet abstinere sit perfecte ex proprio genere; alterũ vero ratione circumstantiæ adiunctæ, cum ex se magis declinet ad imperfectionem. Hæc autem non idcirco dicimus, quia cibus in culpa sit, cũ dicat Apostolus ad Corinthios: Esca nos non commendat Deo. Gloss à: Sumpta, vel non sumpta. Et Augustin. libro 3. de doctrina Christiana: Quid locis, & tempori, & personis conueniat, diligenter attẽdendũ est ne temere flagitia reprehẽdamus. Fieri enim potest, vt sine aliquo vitio cupidinis, voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens vtatur, insipiens autem fœdissimę gulæ flamma in vilissimum ardescat, & sanus quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau, aut hordeo more iumentorum. Hæc Augustinus. Ad quod etiam facit quod dicit Gregorius libro 30. Moralium: Non cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hinc Esau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo carnes edendo virtutem corporis seruauit. Vnde & antiquus hostis primũ sibi hominẽ nõ carne, sed pomo subdidit; & secundũ, non carne, sed pane tentauit. Patet igitur, quod delicatis vti pro loco & tempore possumus absque peccato: quia tamen per exercitationem concupiscentiæ, dant occasionem peccandi, ab huiusmodi abstinere salutare est. Ac per hoc cum sit difficile & arduum & supererogatorium, de natura sui generis colligitur esse perfectum tamquam ad perfectionem præparans, & ipsam promouens, & conseruans. Vnde Hieronymus contra Iouinianum: Fac esum carnium cunctis nationibus esse communem, & passim licere quod passim gignitur, quid ad nos quorum cõuersatio in cœlis est qui super Pythagoram & Empedoclem, & omnes sapientiæ sectatores non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur: quoniam repugnantem carnem, & ad libidinum incentiua rapientem inedia subiugamus. Hęc Hieronymus. Quibus ostendit, abstinentiam viris perfectis & cœlestibus competere, ad perfecte cauendam libidinem, & edomãdam carnem. Competit etiam eis, quia promouet ad perfectam virtutem. Valet enim primo, ad seruandum pudicitiæ sanctæ nitorem. Vnde Hieronymus ad Eustochium: Sollicite prouidendum est, vt quos saturitas de paradiso expulit, esuries reducat. Non quod Deus vniuersitatis Creator & Dominus, intestinorum nostrorum rugitu & inanitate vẽtris, pulmonumque delectetur ardore, sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit. Valet secundo, ad custodiam paupertatis altissimæ, iuxta quod idem Hieronymus ad Saluinam scribit dicens: Vbi vile olusculum, cibarius panis, & cibus potusque moderatus, ibi diuitiæ superuacuæ. Idem quoque cõtra Iouinianum: Si vis perfectus esse bonum est vinũ non bibere, & carnes non manducare. Et post: Grandis animæ exultatio est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, & omnem eius pompam, & epulas, ac libidines, propter quæ diuitiæ cõquiruntur, vtilibus commutare cibis. Valet etiam tertio ad conquirendam animi fortitudinem, secundum illud Bernardi: Quomodo ipsum corpus nostrum quotidie crescit & decrescit: sic necesse est spiritũ semper proficere, aut deficere. sed interest ordinis. Nam semper in robusto & vegeto corpore animus mollior atque tepidior est, & rursus in corpore debili, & infirmo fortior viget, promtiorque spiritus. Quod se expertum testatur Apostolus, dicens: Quando infirmor, tunc potens sum. Sicut igitur per abstinentiam vigor attenuatur in corpore, sic & augmẽtatur virtus in animo, quod maxime locum habet in viro perfecto. Valet nihilominus quarto, ad obtinendam mentis serenitatem, iuxta sententiam Senecæ in quadam epistola: Non est, inquit, iucunda res, aqua & pulmenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est ex his posse capere voluptatem, & ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Si igitur hæc mentis tranquillitas quam varij euentus fortunæ non auferunt, perfectioni attestatur, aperte colligitur quod sic abstinere sit perfectorum.

His præallegatis pro veritatis parte, facile iam est & perfectionis abstinentiæ sublimitatem defendere, & hostis aduersus eam erecta machinamenta dissipare. Nam ab impositione falsi criminis sumẽs exordium, primum quidem se fundat super falsum, asserens eũ contra quem scribit dixisse, quod carnium esus sit à perfectione recessus, quod numquam dixit: insuper & quod de numero sit illorum, de quibus dicit Apostolus, quod in nouissimis diebus, discedent quidã à fide attendentes spiritib. erroris, quod crimẽ illi impingit, quia saturitati abstinẽtiam prætulit. Quantæ igitur malignitatis sit & fraudis, pro abstinentiæ commendatione, viro fideli errorem Manichæorũ impingere, is qui legit aduertat. Hoc enim nihil aliud est astruere, nisi quod abstinentia commendari non possit sine præiudicio fidei & sanæ doctrinæ. Quod si verum est, errauerunt viri clarissimi, qui magna & mira fuerunt abstinentia prædíti. Errat & nunc sancta mater Ecclesia, quæ in ieiuniis ab ipsa institutis, iubet abstinere à carnibus, & ab his quæ sementiuam inde trahunt originem errare probatur & ipse, qui aut morem sequitur Ecclesiæ, & tunc secũdum suam sententiam est Manichæus, aut morem hunc sacrum impugnat, & tunc est Iouiniani discipulus. Audiat igitur non nos, sed Augustinum contra Adamantium Manichæum, & de discipulis illius sectæ loquentem. Istos, inquit, significauit futuros Apostolus in temporibus nouissimis, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit. Hos enim proprie designat, qui se non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant. Audiat etiam Hieronymum contra Iouinianum: Reprobat, inquit, Apostolus eos qui prohibebant nubere, & iubebant à cibis abstinere, sed Marcionem designat & ceteros hæreticos, qui abstinẽtiam inducunt perpetuam, ad destruenda & contemnenda & abominanda opera Creatoris. Nos autem omnem creaturam laudamus & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati, & à diebus Ioannis Baptistæ ieiunatoris & virginis, regnum cœlorum vim patitur. In his satis Hieronymus Iouiniani, & noui sectatoris ipsius os obstruit, ne instar sepulchri patentis, suorũ carnalitate sermonũ tamquã exhalationib. fœtidis fidelium mẽtes sobrias & pudicas inficiat, moresque corrumpat. Nam, vt ait Apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Sane quia studiũ esse consueuit errantiũ, testimoniis veritatis peruerse intellectis, aduersus ipsam veritatem confligere, ideo consequenter munire se nititur, auctoritate scripturarum, primo allegãs illud Apostoli: Omnis creatura Dei bona. Et iterum: Omnia munda mundis: Cui etiã interpositis quibusdam subnectit Euangelicũ illud: Non quod intrat in os coinquinat hominẽ. Quibus etiam interponit auctoritatem Augusti-

Marginalia: 1. Cor. 9. d; Luc. 10. b; Matt. 10. b; Aug. li. 3. de doct. Christ. c. 12. to. 3.; Greg. li. 30. Mor. c. 13. circ. fin.; Hieron. con. Iouin. li. 2.; Idẽ ad Eustoc. ep. 22.; Idẽ ad Saluin. ep. 9. circ. med.; Idẽ cont. Iouinian. circ. med.; 2. Cor. 12. d; 1. Timo. 4. a; Aug. li. cont. Adamant. Man. ca. 14 circa med. to. 6.; Hieron. cõt. Iouin. li. 1.; 1. Cor. 15. d; 1. Tim. 4. b; Tit. 1. d

Aug. lib. 19. de ciu. Dei c. 19. to. 5.

Augustini de ciuitate Dei, qui dicit, quod consuetudo victus non impedit religionem. Ex quibus conatur astruere, quod abstinentia ciborum nihil facit ad perfectionem, nec ipsorum vsus, vel sumptio ad imperfectionem. Vnde & dicit: Imperfectionem non facit Dei creatura sed mens infirma, & nesciens vti ea. Idcirco magis ei abstinentia, quam perfectæ menti est necessaria. Hoc si verum est, & huiusmodi ratio aliquid roboris habet cum bona temporalia sint creaturæ Dei, & mulier formata à Deo, & coniugium, quod plus est, sit Domini sacramentum, & libertas propriæ voluntatis sit donum diuinum, nihil horum ad imperfectionem facit, magisque competunt hæc perfectis, quam imperfectis, tamquam melius scientibus vti. Magis igitur secundum hanc indoctam doctrinam perfectis cōpetit diuitias possidere quam spernere, magis nubere quam continere, magis agi voluntate propria quam gubernari aliena. Ex quibus etiam illud infertur, quod doctrina Christi fuerit perfectioni contraria. Ad quod quidem incōueniens, auribus pijs horrendum, nequaquam deuenisset, si earum quas allegat auctoritatū, Catholicum habuisset intellectum. Nam auctoritas Apostoli quam proponit, hæreticorum reprobat impietatem, Euangelicum verbum Pharisæorum superstitione; sed Augustinus in verbo proposito aduersatur vtrisque. Quod enim Christus Pharisæos de superstitione notauit, & textus Euangelicus aperte declarat, & Glossa exponit, quæ super illud Mathæi: Non quod intrat in os coinquinat hominem, ait: Vno sermone omnis superstitio obseruationum eliditur, dum in discernendis cibis religio putatur. Quod de ea discretione intelligendum est, quæ secundum Pharisæorum sententiam in cibis constituit immunditiæ causam. Nam discernere inter cibaria delicata & aspera, pretiosa & vilia abstinentium more non repugnat, sed cōsonat religioni Christianæ. Quod autem dicit Augustinus, quod victus non impedit religionem, intelligendum est de religione Christianæ fidei, quæ communis est perfectis & imperfectis. de qua Augustinus ibidem: Ipsos quoque philosophos qui Christiani fiunt, non habitum, & consuetudinem victus, sed falsa dogmata mutare compellit. Quod quidem intelligi non potest de religione disciplinæ regularis in qua habitus nouus assumitur, & mutatur consuetudo viuendi, quantum etiam ad discretionem ciborum. Vnde Hieronymus contra Iouinianum: Audi inquit, sues & apros & ceruos, & huiusmodi reliquos animantes, esse creatos, vt athletæ, milites, & nautæ, metallorumque fossores, & ceteri huiusmodi operibus mancipati, ciboshaberent, quibus fortitudinem corporum sibi necessariam sustentarent. Ceterum nostra religio non athletam erudit, non fossorem, vel remigem, sed sapientiæ sectatorem, qui se Dei cultui mancipauit. Denique verbum Apostoli quod primo proponit Manichæorum impietatem impugnat non abstinentiam imperfectorum. Vnde idem Hieronymus ad Saluinam. Scimus ab Apostolo dictum: omnis creatura Dei bona, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur; sed idem loquitur: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum. Comedant carnes quæ carnibus seruiunt, quarum feruor despumat in coitum, quæ alligatæ maritis, generationi & liberis dant operam. Quarum vteri portant fœtus, earum intestina carnibus impleantur. Tu vero quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates nihil habes necesse aliud, nisi perseuerare in ieiunio. His aperte colligitur, quod omnis creatura bona & munda est, & quod sanctum est ab aliquibus abstinere, quia & si non sint immundæ formaliter vel causaliter, tamen occasionaliter, ex earum vsu, vt frequenter immunditia contrahitur dum concupiscentia excitatur. sicut idem Hieronymus ad Eustochium ait: Si quid in me potest esse consilij, si experto creditur, hoc primum admoneo, hoc obtestor, vt virgo CHRISTI vinum fugiat pro veneno. Quid oleum flammę adijcimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Hęc Hieronymus. Quod si forte quis dicat

Mat. 25. b

Hiero. lib. 2. con. Iou.

Hieron. ad Saluin. epi. 9. post med.
1 Tim. 4. b
Rom. 14. d

Hieron. ad Eustoch. epist. 22.

hanc ruinam iuuenibus, & imperfectis, non perfectis esse timendam, obuiat idem Hieronymus in eadem epistola dicens: Quamdiu in hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, nulla est certa victoria. Et paulo post. Si Apostolus vas electionis, & præparatus in Euangelium Christi, ob carnis aculeos, & incentiua vitiorum reprimit corpus suum, & seruituti subijcit, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur. Et si post nuditatem, ieiunia, famem, flagella, supplicia, in semetipsum reuersus exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius tu te putas securum esse debere? Caue igitur, ne de te aliquando dicat Deus; Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam: Hæc Hieronymi verba si vera sunt, immo quia vera sunt, non parui periculi res est abstinentię perfectioni detrahere, ac per hoc animos perfectæ virtuti studentium ab ea reuocare. Vt autem ad hoc efficacius possit inducere, sanctorum consequenter se munit exemplis, Noe scilicet, Eliæ, & Ioannis Baptistę. Quorum primus, vt dicit, omne genus carnis accepit in vsum, secundus fuit carnium cibo refectus, tertius vero locustarum esu non fuit pollutus. Ex quibus arguit quod cum omnis imperfectio sit pollutio animæ, carnium esus nihil facit ad imperfectionem, quin potius ad perfectionem, cum dicat Apostolus: Scio abūdare & penuriam pati; nec esset perfectior esuriens, quam abundans, vtrumque enim poterat virtute diuina. Verum hæc quæ proposuit virorum perfectorum, exempla, si ad hoc introducit, quod talibus vesci, sit de se licitum, ex ratione procedit, & Augustini sententiam sequitur, in libro confessionum, vbi ex prædictis sanctorum exemplis ostendit, quod non cibus, sed appetitus inordinatus introducit peccatum. Si autem per hoc conatur astruere, quod cibis huiusmodi vti pro loco & tempore, non sit perfectioni contrarium, sed cōpossibile, verū adhuc dicit, sed frustra laborat, quia hoc nullus Catholicus negat. Si vero persuadere conatur, ꝙ his vesci, & ab his abstinere sit æque perfectum, errat nō modicum. Primo quidem, quia hoc falsum est, & absurdum, sicut præallagata sanctorum testimonia & exempla declarant. Secundo quia non vera, sed sophistica ratione procedit, cū arguit, quod si viri perfecti aliquid egerunt, quod hoc illud sit de propria ratione perfectum, hoc enim plurimas habet instantias, sicut præostensum fuit in præcedenti particula. Nā similiter argui posset de coniugio Noe, & de proprietate possessionū, & de plātatione vineę. vt taceamus de vini potatione. Tertio vero quia exemplis huiusmodi primo popositis, falsam subnectit assumptionem cum dicit, quod imperfectio est animæ quædam pollutio, hoc superius multipliciter est improbatum tamquam erroneum, & ad quod multa inconuenientia sequuntur. Tunc enim nouiter baptizatus, aut non esset imperfectus, aut peccati labe esset pollutus, quorum vtrumque est absurdum. Insuper si esset pollutio, aut esset mortalis, & tunc omnis imperfectus charitate careret; aut venialis, & tunc omnis venialiter peccans à perfectione decideret: nullusque in veniali existens, ad perfectionem perueniret, idemque foret perfectum & impollutum, quod quidem vel est iustorū omnium in statu viæ vel omnino nullorum, nisi Dei hominis, & Virginis Mariæ. Quarto autem, quia præfata exempla magis ad oppositū valent, quam propositum, sicut à sacris Doctoribus inducuntur. Vnde Hieronymus ad Eustochium: Noe vinum bibit, & inebriatus est, & post ebrietatem nudatio femorum subsecuta est. Elias cum Iezabel fugeret, & sub quercu iaceret, adueniente ad se Angelo suscitatur, & ecce ad caput eius panis subcinericius, & vas aquæ. Re vera poterat ei conditum merum mittere, & electos cibos, & carnes cōtusione mutatas. Eliseus filios prophetarum inuitat ad prandiū, & herbis agrestibus eos alens, consonum prandentium audit clamorem: Mors in olla vir Dei, nō est iratus cocis, lautioris enim mensę consuetudinem non habebat. Potuit & Danieli de regijs fercu-

Philip. 4. c

Aug. li. 10 Confess. cap. 31. to. 1.

Hieron. ad Eusto. ep. 22.

lis opulentior mensa transferri, sed Habacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum. Ideoque ibi vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentiæ non bibit. Ecce quot exempla Patrum veteris testamẽti introducit ad abstinentiæ laudem, quæ is tamquã carnaliter sapiens trahere nititur ad carnem. Sentiens autẽ ex his quæ iam dixerat, acutis eiusdem Hieronymi iaculis, vt Iouiniani discipulum se posse transfigi quasi clypeum defensionis obiiciendo versute subiungit: Nec me clames Iouinianum, quia non dico, vt ipse, quod non differat, simpliciter abstinere, vel carnes & vinum gulose comedere: sed infirmis qui nesciunt his recte vti, valde necessarium iudico abstinentiam, perfecti vero nullam contrahunt immunditiam. Hæc verba ipsius, quibus vt excuset errorem proprium, exaggerat alienum. Numquam enim Iouinianus, quamquam sit omnino detestandus, in hanc quam hic fingit dementiam incidit, vt gulositatem æquaret abstinentiæ, sicut nec luxuriam continentiæ coæquauit: sed pudicitiam coniugalem & virginitatem, vsum ciborũ & abstinentiam, æqualis apud Deum meriti censuit. Quod idem Hieronymus reprobat vt dogma prophanum. Hic autẽ longe amplius desipit: quam ille Iouinianus, tamquam proficiens in erroris doctrina discipulus. Nam sobrietatem in vsu ciborum dicit competere perfectis, abstinentiam imperfectis, quia perfecti nullam ex hoc immunditiam contrahunt, & imperfecti indigent illo remedio ad edomationem concupiscentiarum. Constat autem quod perfecti præferuntur imperfectis, & quæ illis, & his competunt, per se loquendo consimilem habent comparationem, igitur secundum ipsum præfertur horum ciborum vsus moderatus & sobrius abstinentiæ ab eisdem. Quod si causetur falsum sibi crimẽ imponi, dicat igitur ipse quod sentit. Aut enim præfert abstinentiam moderato modo vescendi, aut æquat, aut postponit. Si præfert vt quid tot superuacua verba contra propriam sententiam protulit? Concesso enim quod abstinere perfectius sit, iam nulla restat causa aduersus aliquem disputandi. Si vero æquat, in errorem Iouiniani turpiter incidit. Si autẽ postponit, damnatæ & reprobatæ iam hæresi superaddit. Quod autem huius vltimæ sententiæ fuerit, ex consequentibus aperte clarescit. Quasi enim ei quod dixerat abstinẽtiam imperfectis competere, ex aduerso aliquis resisteret, ex alterius persona subiungit. Sed dices: Quid igitur Dominus sacerdotibus veteris testamenti cum ministrarent, prohibuit vinũ? Quid quod Nazareis inhibuerit? quid quod filij Rechab ex hoc laudantur? Et tandem Ioannes Baptista vinũ & siceram non gustauit. Et addit: Qualiter igitur non erit perfectius à vino, & à carnibus abstinere, quam his vti? Et ad hæc tamquam ad probãdum falsum inducta, respondit dicens, quod sacerdotibus veteris legis inhibetur vinum velut adhuc nescientibus vti, quod abstinentia Nazaræorum figuralis non moralis fuit, & quod filij Rachab magis de obediẽtia, quã de abstinentia laudati sunt, & quod Ioanni Baptistæ abstinentia competebat, quia adolescens erat, addens, quia sicut absque diminutione perfectionis, carnes comedit, sic etiam si voluisset, protulisset bibere vinum, cum ad eius oppositum nulla lege teneretur. Ex quibus aperte colligitur, quod ad Iouiniani superaddit errorem. Cum enim supra probauerit, quod perfectis competit vino, & carnibus vti, exemplo Noe, Eliæ, & Ioannis Baptistæ, & nunc pro inconuenienti habeat, quod perfectis viris abstinentia indicitur, manifeste conuincitur eius esse sententiæ, qua ciborũ vsus abstinentiæ nõ postponitur, sed præfertur. Pro huius quoque erroris defensatore perfidia, plurima dicit absurda. Nam quod asserit vinum interdici sacerdotibus, tamquam nescientibus vti, aperte contrariatur veritati, cum super illud Leuitici: Vinum & omne quod inebriare potest, & cetera, dicat Glossa: Filiis Aaron tamquam sublimiora adeptis, traditur hoc mandatum. Insuper contra viros sanctos blasphemare cõuincitur, quorum nonnulli sacerdotalis generis, sanctitatis, priuilegio, & prophetiæ spiritu claruerunt. Mira certe, vel potius monstrosa doctrina. Cum enim supra præmiserit, quod viris perfectis competebat coniugium in veteri lege, & secundo addiderit, quod Aaron tamquam vir perfectus fugit, qua fronte nunc subiungere potest, quod tamquam imperfectus abstinuit, quasi coniugij nexus, vel fugæ præsidium sacerdotibus perfectionis gloriam tribuat, & sanctitas abstinentiæ tollat? Magna enim absurditate non caret, quod principalem causam abstinentiæ præcursoris, ætatem asserit fuisse iuuenilem, scilicet propter adolescentiam castigandam, ac si abstinentia senibus, & perfectis nõ competeret. Quid igitur sancti senes, & perfecti Paulus eremita, Antonius, Hilarion, & clarissimi illi cœnobiorum patres abstinuerunt vsque ad decrepitam senectutem? Quid illi nobiles cœnobitæ, de quibus dicit Hieronymus ad Eustochium: De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi, aqua frigida vix vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria fit? Quid illa sacratissima Paula, de qua idem Hieronymus: Nulla iuuenum puellarum sano & vegeto corpore, tantæ se dedit abstinentiæ, quantæ ipsa fracto, & senili debilitatoque corpusculo? Quid etiam venerabilis illa Tarsilla, de qua Gregorius quarto Dialog. Tarsilla, inquit, amita mea, inter duas alias sorores suas, virtute continuæ orationis, grauitate vitæ, singularitate abstinẽtiæ, ad culmen perfectionis excreuerat. Quid tandem Apostolus, de quo Hieronymus contra Iouinianũ: Paulus Apostolus post famem & sitim, & ceteros labores suos, & pericula latronũ, & solitudinis, crebra ieiunia enumerat, & discipulo Timotheo dolenti stomachum, & infirmitates plurimas sustinenti, suadet vini modicam potionem, quod non concederet, nisi crebræ infirmitates, & dolor stomachi postulassent? Innumera quoque ad hæc exempla suppetunt, virorum illustrium, non solum in Christum credentium, verũ etiam gentilium philosophorum, sicut ex variis historiis colligi potest, & præcipue de libro Hieronymi contra Iouinianum, & ex eo quẽ conscripsit Ambrosius de vita Brachmanorũ. Nec horum contemnẽda exempla, cum Hieronymus ad Lætam dicat, quod Iudaica superstitio, ex parte facit in reiectione quorumdam animalium atque escarum, quod Indorum Brachmanæ, & Ægyptiorum Gymnosophistæ in polentæ, & orizæ, & pomorum solo obseruant cibo, cur virgo Christi non facit in toto? Si tanti vitrum, quare & non maioris pretij sit margaritum? Hæc autem non idcirco diximus, vt abstinentiæ laudemus excessũ, sed vt nostri temporis homines de imperfectione notemus. Fieri enim potest, vt pro debilitate corporũ excusent nonnulli, iuxta quod distinctione vigesimaquarta, dicitur: Defectus hominum nostri temporis, quibus non solum membra, sed etiam corpora ipsa defecerunt, non patitur districtionis illius manere censuram. Fieri enim potest, vt ad aliqua pietatis officia seipsos exerceant, quę districtionem illam vel in toto, vel in parte recompensent. Hoc tamen præcipua cura seruandum, vt qui tantum vitæ rigorem sequi non valent, vel forsitan nolunt, non præsumptuose vilipendant, sed religiose venerentur, quatenus si quid in eis pro carnis debilitate subtrahitur, ex mentis humilitate suppleatur. Hanc piam reuerentiæ formam, si is cui respondetur obseruare voluisset, nequaquam humanæ carnalitatis vitium, per carnes quas dicit à præcursore comestas, temeraria præsumptione foueret. Cui aperte contrariatur Euangelicus textus, & Augustinus contra Faustum, vbi sic ait: Vnde dictus est Ioannes non manducans, neque bibens, nisi quia illo victu quo Iudæi vtebantur, ipse non vtebatur? Constat autem, quod Iudæi carnibus vescebantur, nisi forte quis ita desipiat, vt dicat Ioannem carnes manducasse in lege prohibitas. Hieronymus etiam contra Iouinianum. Præcursor Domini, & præco locustis alitur, & siluestri melle, non carnibus. Et Rabanus super illud Matthæi. Esca eius locustæ, & cetera. Habitatori solitudinis congruum erat, vt non delitias ciborum, sed necessitatem hu-

Leu. 10.

Hieron. ad Eustoch. epist. 22.

Idem in epitaphio Paulæ quæ est epist. 27.

Greg. lib. 4. Dial. c. 16. & hom. 38. in Euang. non longe à medio.

Hieron. in epist. 7. ad Lætam post med.

Rabanus super Mat. 3.

tem humanæ carnis expeteret. Vnde refert Arnulphus Galliarum Episcopus, minimum genus locustarum fuisse in deserto Iudææ, quo pastus est Ioannes Baptista, & vsque hodie ibi apparere, qua corpusculis in modum digiti manus exilibus in herbis facile capiuntur, coctæque in oleo pauperum præbent victum. His itaque diligenter perspectis, quis tam impudens erit, vt per vitam Ioannis austeram, & pauperem, suam, vel alienam defendere audeat carnalitatem? Ceterum quia superfluum est in his immorari diutius, ad ea veniendum est, quæ in quæstionis huius diffinitioni subiungit. Dicit namque, quod viri perfecti ad vinum & carnes se relaxauerunt, propter carnis infirmitatem, propter seruandam consuetudinem communis vitæ, & propter scandali vitationem. Quæ quamuis vera sint, & à sanctis accepta, multa tamen falsa, vt assolet, in eorum explicationem permiscet. Dicit enim in explicatione primi membri, quod imperfectio est damnum virtutis, quod superius tam quam erroneum est multipliciter improbatum. Addit etiam quod Elias propter infirmitatem carnis, carnibus pastus fuit, quam etiam infirmitatem Christus accepit. Hoc si de speciali carnis infirmitate intelligatur, non sine temeritate multa asseritur, tum quia illud Scriptura non docet, sed eis contrarium, tum quia erroneũ est asserere, quod Christus assumpserit infirmitates, nisi illas quæ communiter respiciũt statũ humanæ naturæ. Quod si de infirmitate, quæ cõmunis est omnibus loquitur, secundum hoc exemplo Christi & Eliæ quilibet perfectus carnes comedere debet. Sane quod in explicatione secundi modi introducit Auctoritate Augustini de libro quæstionum Euangelij, quod non interest, quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dũmodo id agat, pro congruentia hominum cum quibus viuit, si generaliter accipiatur, sicut hic ex peruersitate intellectus insinuat omnem abstinentiæ rigorem eneruat, secundum duplicem abstinentiæ modum, à qualibus videlicet, & à quanto. Attendendum est igitur quod verbum illud intelligi debet, quod non multũ interest quantum ad rationem liciti, vel illiciti, contra id quod asserit Manichæus; multum tamen interest, quantum ad edomationem carnis, exercitationem virtutis, & satisfactionẽ pro culpis commissis. Vnde Gregorius in Registro: Duobus modis viri sancti à licitis abstinere solent, aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vt anteactæ vitæ culpas detergant. Sed etiã pari non caret peruersitate, quod ibidẽ subiungit: quod si quis districtius vult viuere, quam hic cũ quibus communiter viuit aut intẽperans est, & ita imperfectus, aut superstitiosus, & ita impius. Hæc verba ipsius, quæ imponit Augustino de doctrina Christiana simulque dicit quod hoc scilicet restrictius viuere, non docuit Christus, sed potius prohibuit, nec aliquis sanctorũ hoc fecit. His autẽ verbis omnibus plane sanctarum religionũ institutoribus, & ecclesiarum rectoribus, qui strictius vixerunt, quam eorum consocij, non solum notam imperfectionis, sed etiam maculam præuaricationis impingit. propter quod, & à blasphemia in Christi sanctos, immunis non est, nisi inquantum fortassis eũ ignorantia excusat quia quos imitari abhorruit, illorum vitas legere neglexit, sicut & mẽdositas codicis, in ea quam allegat Augustini auctoritate ipsum fefellit, Nequaquam enim ibi scriptum habetur, aut intemperans, sed aut temperans, aut superstitiosus. vbi vult Augustinus ostendere, quod transcensus vitæ communis, aut venit ex sublimitate virtutis, sicut in viris magnæ auctoritatis, aut ex superstitione erroris, sicut in Manichæis, vel ex præsũptuosa singularitate modi viuendi, sicut in quibusdã hypocritis, & vanis hominibus, qui despiciunt statũ vitæ communis. Corrigat igitur sui mendositatẽ codicis, vel potius à malignitate resipiscat erroris. In pertractatione quoque tertij modi falso redarguit Petrum Apostolũ, & impie blasphemat in Christum; dicit eum Petrum reprehensum à Paulo, quia abstinentia sua scandalizabat infirmos. Verũ sicut ex textu apparet Apostoli, non in hoc arguendus erat Petrus quod abstinentium more, à cibis delicatioribus carnem restringeret, sed quia more Iudæorum cibos discernens, Gẽtiles faciebat exemplo suo iudaizare. Quod vero subiungit, Christum comedisse agnum Paschalem, quem comedere non tenebatur, nisi ne inde præberet Iudæis scandali occasionem, manifestã blasphemiam continet. Nam Christus cum esset Dominus legis & omniũ, etiam cum scandalo Iudæorum quæ sub lege erant, legales cæremonias prætereire poterat, nec ex tentione, sed nõ condescensione legis figuralia obseruabat. Tandem quia veritas vincit semper, & inualescit, cuius lumen inter densas errorum tenebras radiat, eius quasi virtute cõpulsus abstinentiæ hostis ad eam, quam impugnauerat laudandam conuertitur, cum subiungit, quod tribus ex causis viri sancti abstinuerunt. Primo propter macerationẽ carnis, ad edomandum concupiscentias, secundo propter cautelam scandali infirmorũ, tertio propter euitationem idolothytorum. Hæc siquidem vera sunt, & ab Augustino sumpta in lib. de moribus Manichæorum. sed hunc triplicem veritatis radiũ, triplicis erroris caligine obnubilare conatur. Nam primo dicit, quod sancti Patres non tenebantur abstinere cibis lege prohibitis, nisi propter vitandum scandalum, quod pertinebat ad nouum testamentũ, & hoc falsum est. Vnde Augustinus: Machabæos, inquit, cum ingenti admiratione præferimus, quod escas quibus nunc licite Christiani vtuntur, attingere noluerunt, quia pro tẽpore prohibito non licebat. Secundo addit, quod Christus his tribus modis abstinuit, in quo non solum oberrat, sed solito modo blasphemat. Cum enim primus modus sit, vt dicit propter refrenandas concupiscentias carnis, hoc Christo attribuere, non est aliud quam blasphemare, nisi forte per hoc se se excusare velit, quod ante prædixit Christum non propter concupiscentias proprias abstinuisse, quia nullus habuit, sed vt abstinendo exemplum daret aliis, suas concupiscentias refrenandi. Verum si hanc intelligentiam habet sensum rectitudinis teneat, sed verbum erroris immutet. Quærimus tamen ab eo, quibus exemplum hoc præbuit Christus vtrum perfectis, de quibus idẽ dicit, quod iam concupiscentias domuerunt, an imperfectis, qui adhuc concupiscentiis agitantur? Constat, quod imperfectis. Si igitur Christus tamquam medicus, infirmis condescendendo exemplum præbuit, & quasi de huiusmodi medicinali potione gustauit absque detrimento perfectionis suæ, vt quid tot in vanum verba protulit, & conscripsit aduersus hanc veritatem, quam de ipsius impugnantis ore, eiusdem inuincibilis veritatis extorsit? Tertio subdit, quod his tribus modis abstinere perfectis Christus præcepit, nec contrarium præcepit imperfectis, sed quibus placuit, misericorditer indulsit. Hæc verba ipsius, in quibus veritati contradicit & sibiipsi. Veritati quidem, quia maxime astringuntur imperfecti ad idolothyta vitanda, nec eis indulgetur, quod alios scandalizent, aut suas concupiscentias non refrenent. Sibiipsi etiam contradicit, quia cum supra docuerit, abstinentiam imperfectis magis competere quam perfectis, propter quod dicit abstinentiam vini, iniunctam sacerdotibus veteris Testamenti, non noui; nunc seipsum redarguens dicit, quod abstinentia viris perfectis præcipitur, & imperfectis indulgetur. In quo dum vno destruit breui sermone, quidquid supra construxerat, manifeste declarat quod qui studio contentionis deseruit, dum arcu tenso doloso per sagittam sermonis emissam, alterum vulnerare satagit, iusto Dei iudicio semetipsum prius ipse configit.

Aug. lib. 3. de Doctrin. Christ. c. 12. to. 3.

Aug. contr. Faust. li. 19. c. 14. to. 6.

RESPONSIONIS SECVNDÆ Caput tertium.

In quo ieiunij arctitudo, vt consona perfectioni defenditur, & eius multiplex commendatio subinfertur.

SAtis euidenter per determinata patet, vt credimus ieiunij arctitudinẽ, velut abstinẽtiæ culmen Euãgelicæ

perfectio-

perfectionis structuræ nō modicum præstare munimen. Verum, quia contentionis amator, aduersus ipsius prærogatiuam nouum disputationis certamen aggreditur, stultitiæ suæ respōdere compellimur, vt simplices à perfectione non reuocet, nec sibi sapiens esse videatur. Etenim cum is contra quem scribit, nullam de ieiunio mentionem fecerit, sicut ipsemet recognoscit. quia tamen alius prædicans fuit, de ieiunij perfectione locutus, noua eum disputatione confutare conatur, quasi ei non sufficiat agere contra vnum, quin potius Ismaelitico more, manum erigit contra omnes, vt iusto Dei iudicio manus sit omnium contra eum. Et quidem quod vir peritus, vt iste fatetur, docuit, Christum ieiunando solis perfectis, & comedendo, solis imperfectis exemplum dedisse, nullatenus videtur esse credibile, cum omnibus constet, quod tam ieiunare quam comedere fieri potest, non solum perfecte & imperfecte, verum etiam bene & male, & sancte & impie, secundum rationem diuersorum finium & circumstantiarū. In hoc tamen est differentia inter ieiunia seruare, & ieiunia soluere, quod primū de se est difficile & arduum, ac de se efficax ad repressionem carnalis libidinis, & exercitationem spiritualis virtutis, & ideo de ratione sui generis bonum, & ad perfectionem ordinatum. Secundum autem, scilicet ieiunia soluere, facile est & carni suaue, & ad quod inclinatur mentalis infirmitas, & ideo imperfectum de se quamuis & perfecte fieri possit, ratione circumstantiæ superadditæ, vt pote cum à viro perfecto fit, ratione debilitatis propriæ, vel condescensionis fraternæ. Fatemur igitur vna cum illo, contra quem scribit, quod loquendo de natura huiusmodi actuum, perfectius est ieiunia seruare, quam soluere, & quod Christus omnis virtutis exemplar, & pro tempore ieiunauit, & pro tempore ieiunia soluit: vt in primo austeritatis vitæ præberet exemplum; & in secundo humanæ infirmitati præstaret solatium. Propter quod & primum fuit rigoris, secundum condescensionis, vtrumque tamen perfectum in Christo, quia ex perfectissima charitate processit. Nam condescensio, vt ex prædeterminatis est euidens, nullam imperfectionem ponit in condescendente, sed in eis solum quibus condescenditur, vel in ipso genere actus. Hoc si voluisset calumniator aduertere, varios, in quos incidit, falsorum dogmatum declinasset errores. Nam super falsum primo se fundās, falsi criminis impositione, Catholici doctoris verba deprauat, sed & verisimili quadam distinctione modorum ieiunandi, erroris sui versutias occultat, tandem fraudulenta commendatione solutionis ieiunij, carnalis lasciuiæ venena propinat. Aggrediens igitur eum contra quem scribit, primum redarguit tamquam hæreticum & præsumptuosum, & veræ perfectionis inimicum. Summa autem persuasionis suæ, qua velut hæreticum confutare conatur, hæc esse colligitur. Quia si Christus aliqua fecit, quibus exemplum præbuit perfectis tantummodo, tunc sequitur quod inuidus fuerit, quia perfectionem imperfectis inuidit. Item si aliqua fecit, tantum imitanda imperfectis, cum illa non potuerunt esse perfecta, aut Christus duas habet personas, quarū vna fecit perfecta, alia imperfecta, secundum dogma Nestorij; aut si Dei Patris perfecta sunt opera, & Christi imperfecta, tunc erit persona Filij minor persona Patris, iuxta impietatem Arrij, siue Photini. Huius autem sophisticæ ratiocinationis processus auctorem suum & ignorantem demonstrat & impium. Si enim scientiam haberet, vel quātumcunque exilem, manifeste perpenderet, quod sicut vniuersitatis creator diuersis rerum generibus, secundum magis & minus naturarum, virtutum, & operationum nobilitates distribuit non solum absque malignitate inuidiæ, verum etiam cum multa manifestatione bonitatis suæ: sic & humani generis recreator, non solum absque inuidia, sed etiam ex multa charitatis beneuolentia, diuersa largitur charismatum dona, diuersa reuelat mysteriorum arcana, diuersa graduum & prælationum officia, diuersa tandem virtutum præbet exempla. ita quod vni dat imitari vnum, alteri alterum. iuxta quod Apostolis loquens de continentiæ gradibus ait: Vnusquisque donum proprium habet à Deo. Insuper cum dicitur, quod CHRISTVS aliqua proposuit imitanda perfectis, si se saperet, non solum de illis intelligeret, qui iam perfecti sunt, sed de omnibus, qui cupiunt esse perfecti, sicut etiam Christus adolescenti, cum dixerat: Vnum tibi deest, subdit: *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia &c.* Nullus ergo semitam perfectionis præcludit, nulli inuidet, nullos repellit, sed gradum statuit competentem his, qui ad perfectionem satagunt prouehi. non his qui volunt in imperfectione versari. Quod autem ex diuersitate operationum in Christo, vel minoritate respectu operum Patris infert Christum vel duplicis esse personæ, & in ipsa personalitate diuina esse minorem Patre, Nestorij simul & Arrij erroneā sapit impietatem. Numquam enim ex pluralitate operationum sequitur pluralitas personarum, nisi secundum Nestorium, sed pluralitas virtutum & naturarum. Nec ex minoritate operation sequitur minoritas in personalitate diuina, sed in natura assumpta, nisi secundum Arrium, qui ex hoc, quod Christus dicit se Patre minorem, quod fideles intelligunt secundum naturam humanam, infert inæqualitatem in personalitate & natura diuina. Si igitur hanc rationem credit valere, dum errorem alteri conatur impingere manifeste conuincitur, vt Nestorianus & Arrianus esse. Verum nec his contentus seruum Dei contra quem scribit, tamquam præsumptuosum inuadit & arguit, pro eo videlicet, quod contra prohibitionem Apostoli, iudicat alienum seruum, in hoc quod manducantes asserit imperfectos. Nam cum omnis imperfectio, vt dicit, sit reatus, sit etiam configurans mundo, sit & displicens Deo, si quis manducantes imperfectos dixerit, hoc ipso iudicat, & condemnat eosdem, tamquam reos in ipsis, mundo conformes, & Deo displicentes, quod quidem asserere, nil aliud est, vt dicit quam insanire, & hæc est summa rationum suarum. Sed huic ex aduerso veraciter dicitur: *O præsumptio nequissima, vnde creates, operire terram malitiam.* Præsumptuose enim atque maligne alienum iudicat seruum, qui dicendi verum, impingit mendacium, sicut hic agit, cum id peritum hominem sensisse asserit, quod falsum esse, vix quantumcunque imperitus ignoret. Quis enim tam stolidus, vt dicat, quod omnis manducans sit imperfectus, cum hoc necessarium & commune sit omni viatori, tam perfecto, quam imperfecto, tam bono, quam malo? Sed esto, quod quis dixerit, quod ieiunia soluere, sit actus imperfectus, quantum est de proprio genere, non tamen ex hoc sequitur, quod omnis ieiunia soluens vel comedens sit imperfectus, pro eo quod sicut sæpe dictum est, circunstantia potest esse personæ, & actui annexa, quæ ab omni imperfectione excuset. Insuper alia est comparatio actuum, & alia personarum. Vnde sicut non sequitur, si perfectior est virginitas quam coniugium, quod ideo virgo sit semper perfectior coniugata: quia potest esse quod virgo sit impia, & coniugata sit sancta. sic & ad eam comparationem, qua ieiunium comestioni præfertur, non sequitur, quod ieiunans sit vniuersaliter comedente perfectior, ac per hoc multo minus inferri potest, quod comedens sit imperfectus. Ex hoc autem quod dicit imperfectionem esse reatum, rē mundo cōformem, & Deo displicentem, sequuntur absurditates innumeræ. Nam cum virtus, charitas, & iustitia aliquādo sit imperfecta, erit ergo reatui obnoxia, conformis mundo, & displicens Deo. Amplius cum ipsum coniugium de sua ratione sit imperfectum, necessario sequitur, quod sit culpabile, & displicēs Deo. Sed & pudicitia coniugalis, cum sit imperfecta respectu virginalis, erit Deo displicens, ac per hoc iuxta Manichæum non erit matrimonium à Deo institutum. Præterea si omnis imperfectio in artificiato artifici displicet, vt hic temerarie asserit, cum omnia à Deo creata, prius imperfecta fuerunt, quam perfecta, vniuersa in suæ productionis principio displicuerunt conditori suo, sed nullus sapienter operans producit quod sibi displicet. sequitur ergo quod

1. Cor. 7. b

Matt. 19. a

Eccli. 39. a

prima rerum opera, non sunt à Deo sapientia facta. Et quia hæc absurdissima sunt, illa ex quibus sequũtur, repudianda sunt tanquã erronea & ex falso intellectu imperfectionis procedentiá, sicut in præcedentibus patenter ostendimus. Sed nec ista contentioso disputatori sufficiunt. Nam adhuc prudentem virum, tamquam perfectionis hostem insequitur. Arguit enim, Si ieiunium soluere est imperfectum, senes qui ieiunare non possunt in imperfectionem labuntur. Similiter & corpore imbecilles in virtute decrescunt, cũ tamen dicat Apostolus, quod virtus in infirmitate perficitur. Insuper quod soluentes ieiunium in diebus Dominicis, secundum mandatum canonum, imperfecti erunt. Hæ sunt itaque rationes ipsius in quibus non tam ei, cui aduersatur, impugnat sententiam, quam ieiunij sanctitatem perfectam. Cum enim nullus peritus hoc dicerit, nullus etiam hoc senserit, quod solutio ieiunij ex rationabili causa, perfectioni repugnet, aut præfatæ rationes omnino sunt friuolæ, aut ex hoc imperitis videntur probabiles, quia nullum perfectionis opus est, quod intermitti potest salua perfectione, ac per hoc quia ieiunium salua perfectione intermitti potest, concludi posse videtur, quod non sit de perfectionis integritate. Et quoniam hac ratione ad impugnationem perfection, in consequentibus frequenter se munit, ideo vt hæc vna responsione sophisticatio ipsius dissoluatur: vbique prudens lector aduertet, quod actus ad perfectionem spectantes, quidam sunt intrinseci & essentiales, tanquam secundum se perfecti, & perfectiui; quidam autem sunt exteriores, & ad perfectionis complementum adminiculantes & exercitatiui, & horum quidam possunt intermitti pro loco & tempore salua perfectione, quidam autem nisi pro loco & tempore intermittantur, cum perfectione stare non possunt. Vnde Beda super Lucam: Quis nesciat viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, castitatem, & his similia, sine vlla temporum intercapedine, fidelibus esse seruanda. At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, orationem, laborem operandi, & certa huiusmodi, si quis semper exequenda putauerit, horum se fructu priuabit. Hoc Beda. Ad hoc ipsum facit quod dicit Augustinus de bono coniugali: Habebat, inquit, Timotheus virtutem continendi à vino, quam non ei abstulit Paulus monendo, vt vino modico vteretur, propter stomachum, & frequentes suas infirmitates: alioquin perniciose docebat, vt propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis. sed quia poterat ea virtute salua fieri quod monebat ita relaxata est corpori vtilitas bibendi, vt maneret in animo habitus continendi. Hæc Augustinus: Ex quibus patenter colligitur, quod opus virtutis intermitti potest virtute salua, ac per hoc etiam opus perfectionis, ipsa perfectione seruata. Ad palliandam quoque absurditatem sui dogmatis, qui ieiunium à perfectione sequestrare contendit, sex differentias ieiuniorum distinguendo subnectit. Dicit enim quod sex modis contingit ieiunare. Primo causa laudis humanæ; secundo causa auaritiæ; tertio causa concupiscentiæ refrenandæ; quarto ex abundanti misericordia ad dandum exemplum; quinto ad designandum mysterium; sexto propter gerendum aliis morem, & scandalum vitandum. Hæc autem distinctio superficialiter considerata, erroneam ipsius sententiam palliare videtur: sed diligẽdi examinatione discussa, propalare cognoscitur. Nam ex his sex modis duos secundum veritatem dicit competere hypocritis, & auaris, tertium, scilicet causa concupiscentiæ refrenandæ competere asserit perfectis & imperfectis, quia vt dicit in quantouis sancto remanet aliquid de concupiscentiis euincendis. Et post subdit, quod hoc ieiunium Christus non assumpserit. & tertio subiungit quod hoc ieiunium magis imperfecto quam perfecto monacho competit.

Sed hoc tertio loco dictum, ei quod primo posuerat aperte contradicit. Nam si in quantumcunque perfecto aliquid remanet de concupiscentiis euincendis, cum plene vincere, ac domare concupiscentias magis competat perfecto, quam imperfecto, magis ei competit modus hic ieiunandi, vbi corporalium virium imbecillitas nõ obsistit. Vnde Hieronymus, Hilarionis perfectissimi monachi vitam describens, A sexaginta quattuor annis. inquit, vsque ad octuaginta pane abstinuit, incredibili feruore mentis, sicque complens ordinem vitæ nũquam ante solis occasum soluit ieiunium. Porro in eo quod dicit, Christum non dedisse exemplum hoc modo ieiunandi, aperte contrarium est ei, quod in præcedenti capitulo scripsit. Dixit enim ibi, quod Christus exemplum abstinendi ad domandas concupiscentias præbuit. Mirum certè si homo fuit alicuius intelligentiæ, aut saltem memoriç qui hæc scripsit, quomodo repente oblitus eorum quæ dixerat, paucis interpositis contrariũ dogmatizet. Iusto tamen iudicio supernæ dispositionis, has mentis tenebras incurrit, vt nec sibiipsi consentiat, qui à veritate discordat. Quanquã enim Christus nullas concupiscentias habuit, suo tamen ieiunio exemplum nobis certandi, per ieiunium contra concupiscentias dedit, sicut dicit Hieronymus: Saluator generis humani, qui virtutis & conuersationis suæ, nobis exemplum reliquit, post baptismũ statim assumitur à spiritu, vt pugnet contra diabolum & tamen hostis antiquus post quadraginta dierum ieiunium, per cibum molitur insidias. Glossa etiam super illud Matthæi: Ductus est Iesus in desertum, &c. Ieiunat vt tentetur, tentatur quia ieiunat, & exemplum ieiunandi nobis dat. Et alia Glossa ibidem: Hic est ordo rectæ conuersationis, vt post acceptã Spiritus sancti gratiam, contra diabolũ arctius accingamur. Ex quibus colligitur, quod Christus simul exemplum ieiunandi, & pugnandi dedit hominibus. Sed hoc exemplum certum est nos sequi nõ posse, per primum & secundum ieiunandi modum, in quibus deest iustitia, nec per quartum, quintum & sextum, quibus non ieiunatur, vt contra hostem pugnetur, restat igitur quod exẽplum dedit quantum ad tertium modum. Vnde & Ambrosius in lib. de laude ieiunij. Præliatus est Christus vt vinceret, non quod ipse egeret certamine, sed vt nobis formam bellandi præscriberet, & postea daret gratiam triũphandi. Certamen nostrum ieiunium est. Denique ieiunauit Saluator, & sic ad eum tentator accessit, & primum gulæ direxit spiculum, & cibum velut escam laquei prætendit. Dominus ieiunium prætulit, vt laqueos tentatoris sui vinculaque dissolueret. Illo laqueo Adam fuit strangulatus, hac absolutione diabolicæ quęstionis, omnis homo est liberatus. In his tã clare sacer Ambrosius, si quid forte obscurum est explicat, vt nemo nisi mente obstinatus obsistat. Vnde & ipse hostis ieiunij in quarto ieiunandi modo, qui videlicet est ex abundandi misericordia asserit Christum dedisse ieiunandi exemplum nõ solum perfectis, sed etiam imperfectis. In quo siquidem, aut intendit dicere quod exemplum ieiunandi dedit nobis, vt ieiunemus, pro exhibenda aliis misericordia, sicut ieiunauerunt Moyses, Elias, Daniel, & alij prophetæ, & tunc falsum dicit, quia abundans misericordia non cõpetit imperfectis, sed perfectis: aut vt ieiunemus pro superanda pugna, & tunc quidem verum dicit, sed sibiipsi aperte contradicit. Quod etiam facit in sexto ieiunandi modo, vbi dicit, quod perfecti concupiscentias habentes edomitas ieiunio nõ astricti ieiunabant, secundum morẽ illorum cũ quibus viuebant, vbi contradicit ei, quod paulo ante prædixerat, quod in quãtovis perfecto remanet aliquid de concupiscentiis euincẽdis. Contradicit insuper veritati. Nam Paulus Apostolus, qui ad apicem summæ perfectionis peruenerat, castigare se dicit corpus proprium, & in seruitutem redigere, non tam pro gerendo aliis more, quam pro superando hoste domestico, sicut expresse dicit Hieronymus in auctoritate superius posita. Quis etiam quantumcunque sanctus, nisi sit in actu infirmus, vel corpore debilis, ab his ieiuniis ad quæ se obligauit per regulæ votum, vel ab his, quæ vniuersaliter seruanda sancta mater Ecclesia statuit, ex sua quantalibet perfectione absoluitur? Quis sanæ mentis

Marginalia: 2. Cor. 12. c | Aug. lib. de bo. coniug. c. 21. to. 6. | Hieron. in vit. Hilari. | Hier. epi. 1. ad Demet. post med. | Mat. 4. a | Amb. lib. de Elia, & ieiunio cap. 1. tom. 6. | 1. Cor. 9. d | Hieron. ad Eustoch. epist. 22.

mentis hoc senserit? quis docere præsumpserit? Nullus certe, vt credimus, nisi sanctæ matris Ecclesiæ statuta contemnat.

DEHINC suam finalem declaret intentionem, quæ non ad ieiunium seruandum, sed potius ad soluendum conatur inducere, sex modos assignat solutionis ieiunii, quorum primum dicit illicitum, secundum imperfectum, quatuor sequentes modos dicit esse perfectorum. In quibus plura interserit peruersorum seminaria dogmatum, quæ ad præsens indiscussa relinquimus, ne legentium animos prolixitate grauemus. Hoc tamen prætereundum nō est, quod cum supra sex modos ieiunandi distinxerit, in quibus quatuor posuit licitos, & illos indifferenter competere perfectis, & imperfectis, deinde sex modos subnectit soluendi ieiunium, ex quibus vnum imperfectis attribuit, quatuor vero reliquos modos perfectis maxime competere dicit, manifeste declarat eius sententiæ se esse, quod viris perfectis magis competat ieiunia soluere, quàm seruare. In quo & impietatem transcendit Iouiniani hæretici, qui sacræ ieiuniorum obseruantiæ moderatam ciborum sumptionem, ausus non fuit præponere, sed æquare. Legat igitur si dignetur, veracium scripta Doctorum, in quibus magnis nequaquam præconiis solutio ieiuniorum extollitur, sed miris laudibus obseruantia commendatur. Hanc enim sacer Ambrosius in libro de ieiunio, non tam miseriæ huius sæculi fore asserit, quàm innocentiæ Paradisi, cum ait: Itaque ne terrenum quis, aut nouellum putet esse ieiunium, primus vsus mundi à ieiunio cœpit, quando lux clara resplenduit. *Et infra*: Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Vbi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo iudicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit, & augeri. Et vt sciamus nouellum non esse ieiunium, primam in Paradiso legem constituit de ieiunio. sciebat enim quod per escam culpa haberet inferri. Idem, etiam libro eodem ieiunium comparat vitæ cœlesti: Merito, inquit, Eliam dignum cœlo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlesti vita viuebat in corpore, & supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris. Quid est enim ieiunium, nisi substantia cœlestis? Ieiunium refectio animæ, & cibus mentis est. Ieiunium vita Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentū castitatis. Hoc ad Deum gradu citius peruenitur, hoc gradu Elias ascendit antequam curru, in hac virtute & spiritu Eliæ venit Ioannes denique, & in deserto ille vacauit ieiuniis. & ideo, qui vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est. In his Ambrosius sacer ieiunium comparat Angelicæ vitæ, & quidem satis digne. Cum enim, sicut ait Dionysius, hierarchiæ cœlestis triplex sit actus, purgatio, scilicet illuminatio, & perfectio, & ad hæc tria per ieiunii obseruantiam peruениatur; sanctè ieiunantium vita magis cœlestis esse perhibetur, quàm terrena. Per ieiunium enim obtinetur perfecta custodia sanctitatis. Primo quantum ad declinationem carnalium vitiorum, sicut ait Hieronymus ad Demetriadem: Post cogitationum diligentissimam cautionem, ieiuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum Dauid: Humiliaui in ieiunio animam meam. Et, Cinerem tanquam panem manducabam. Et paulo post: Ignita sunt diaboli iacula, quæ simul vulnerant & inflammant, & à Rege Babylonis tribus pueris præparantur. Sed quo modo ibi quartus, speciem habens quasi filii Dei immensos mitigauit ardores, sic & in animo virginali, rore cœlesti, & ieiuniorum frigore, puellaris calor extinguitur, & humano corpori Angelorum conuersatio imperatur. Dehinc propter debellationem spiritualium hostium, iuxta illud Ambrosii vbi supra, Iudith ieiunans omnibus diebus viduitatis suæ his armis munita processit, omnem Assyriorum circumuenit exercitum, sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Esther quoque pulchrior facta ieiunio, omne genus suum à persecutione liberauit, ita vt Regem sibi faceret esse subiectum, nō libidinis ardore inflammatum, sed cœlesti miseratione conuersum, vt pœna in impium retorqueretur, & honor sacris redderetur altaribus. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum. quod fecit etiam fœminas fortiores. Per ieiunium etiam impetratur perfecta intelligentia veritatis. Primo quidem in operandis, cuiusmodi est veritas diuinæ legis, sicut dicit Ambrosius, vbi supra: Moyses, inquit, de ieiunio legem dedit, ipsumque ieiunantem non voces magnæ, non fulgura, & nubes tenebrosa, & fumigans Sina perterruit. Neque enim introisset in nubem, & vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis ieiunii. Quadraginta enim diebus ieiunauit in monte, vt legem acciperet à Domino Deo nostro. Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti, præuaricatio sacrilega accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus Moyses, fregit tabulas, indignum iudicans, vt ebrio populo lex daretur. Impetratur etiam per ieiunium intelligentia veritatis, in speculandis, iuxta quod dicit Hieronymus contra Iouinianum: Daniel, atque tres pueri reuelationem somniorum ieiunio merentur, pastique leguminibus, pulchriores, & prudentiores inueniuntur. Eodem quoque libro: Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb, audiuitque ab eo: Quid tu hic agis Elia? Multo familiarior vox ista, quam illa in Genesi: Vbi es Adam? Illa enim pastum terrebat & perditum; hæc ieiunanti famulo blandiebatur. Denique per ieiunium acquiritur constantia virtutis. Primum quidem ad faciendum ardua, iuxta quod Ambrosius vbi supra: Magna est virtus ieiunii. Denique tam speciosa militia est, vt ieiunare delectaret & Christum, tam valida vt ad cœlum homines eleuaret. Et vt tam humanis, quàm diuinis vtar exemplis, Elias ieiuno ore cœlum clausit, ieiunus filium viduæ ab inferis suscitauit, ieiunus pluuias ore deposuit, ieiunus ignes deduxit de cœlo, ieiunus curru est raptus in cœlum, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam. Tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. Quis ex humana virtute igneos equos & currus potuisset ascendere; nisi qui naturam humanam corporis incorruptibilis ieiunii virtute mutasset? Dat etiam virtutem superandi aduersa, sicut idem Ambrosius dicit ibidem: Est quædam creaturæ natura, quàm * adamantium vocant, nullo facilis igne consumi, quæ imposita focis ignescit, illico sublata de flamma, tanquam aquarum infusione munda resplendet. Talia erant puerorum Hebræorum corpora, quæ ieiunio in * adamanti transformata naturam vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam * mutabantur. Daniel quoque trium hebdomadarum ieiunio leones edocuit ieiunare, missus in lacum, & in adamantinam soliditatem abstinentiæ rigore membra duratus nō patuit vulneri. Sic eum constrinxerant ieiunia, vt in eius corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentiæ Propheticæ sanctitas comprimebat, vt ea feræ aperire non possent, veluti * quibusdam vinculis alligata. Ex his igitur & aliis prædictis colligitur, quod cum per ieiunium obtineatur perfectio sanctitatis, sapientiæ & virtutis, per quæ mens humana purgatur, illuminatur, & perficitur instar hierarchiæ cœlestis, ab omnibus debet seruari & appeti, sed maxime ab his, qui cupiunt esse perfecti. Vnde & hæc breuiter exprimit Gregoriana illa præfatio, quia dicitur, quod Deus corporali ieiunio vitia comprimit, mentem eleuat, virtutem largitur, & præmia. Et Augustinus in quodam sermone: Ieiunium, inquit, purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, quod Deus non spernit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis lumen accendit, verbositatem non amat, diuitiarum superfluitates abdicat, superbiam calcat, hu-

Ambros. in lib. de Elia, & ieiunio, c. 4. in prin.

Ibid. c. 2. & 3.

Hieron. ad Demet. ep. 8. cir. med.

Psal. 34. c & 101. b

Dan. 3. e

Iudith. 8. a

Ambr. libr. de Elia, & ieiun. ca. 9.

Hieron. lib. 2. cont. Iou. cir. med.

Gen. 3. b

Amb. vbi sup. c. 2.

3. Reg. 17. a & d

3. Reg. 18. g

4. Reg. 2. b

Ibid. cap. 7.

* in orig. amiantū,

* in orig. amianti.

* in orig. vtebantur.

* in orig. meriti.

Gregor. in Sacramen. lib.

Ambr. lib. de ieiu. & Elia cap. 8. militatem commendat. Ambrosius etiam vbi supra: Ieiunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, castitatis origo, senum gratia, custodia iuuentutis. Hæc de ieiunii laude diffusius diximus, vt carnaliter sapientis hominis, & intellectus instruatur, & inflammetur affectus, quatenus suum recognoscens errorem, in ieiunio, fletu, & planctu conuertatur ad Dominum: super quo Patri misericordiarum sacrificium deuotæ precis offerimus, vt sicut de ipsius subuersione doluimus hactenus, ita de conuersione in posterum gaudeamus.

RESPONSIONIS TERTIÆ, CAPVT I.

In quo voluntaria, & penuriosa paupertas fundamentum Euangelicæ perfectionis astruitur, & quæ huic videri possunt contraria, dissoluuntur.

CHRISTIANÆ religionis fundamentum esse Christum Iesum, sapiēs ille architectus Apostolus Paulus ad Corinthios asserit, docens fundamentum aliud poni non posse præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. *1. Cor. 3. c* Hoc quidem in nostro intellectu collocatur per fidem, quā idem Apostolus dicit ad Hebræos, rerum sperandarum esse substantiam; *Heb. 11. a* in affectu vero per charitatem. de qua idem ad Ephesios scribit: *Ephes. 3. c* In charitate radicati & fundati, fundamento ipsam comparans & radici. Vt igitur hæc duo iungantur in vnum, Christianæ religionis fundamentum, & radix est fides, quæ per charitatem operatur, sicut & Glossa super illud fundamentum aliud, &c. dicit: Fides, quæ per dilectionem operatur in fundamento posita, neminem perire permittit. Huic autem fundamento siue radici directe aduersatur cupiditas, de qua scribitur ad Timotheum: *1. Tim. 6. b* Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Ex hac nempe radice cum annexa sibi superbia, vniuersa mala sibi originem, fomentum & incrementum suscipiunt, propter quod ciuitatis Babylonicæ fundamentum ab Augustino esse perhibetur. Omnium itaque bonorum origo, & nouæ ciuitatis Hierusalem fundamentum, & fundator Christus Iesus, qui in hoc apparuit, vt diaboli dissolueret opera, huius cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere, & verbo prædicare. Et quoniam cupiditatis vitium, & inordinatio radicatur in affectu mentis, occasio vero & fomentum sumitur à rebus extra possessis, ideo necesse est, quod perfecta radicis huius auulsio vtrumque respiciat, vt auaritiæ rubiginosa affectio, & substantiæ terrenæ illecebrosa possessio, tam spiritualiter, quàm corporaliter abdicentur. Vnde super illud Matthæi dixit Simon Petrus ad Iesum: *Mat. 19. d* Ecce nos reliquimus omnia; dicit Bernardus: *Bern. hom. super Ecce nos, &c.* Optime & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit & concupiscentia eius, & relinquere hæc magis expedit, quàm ab eis derelinqui. Et hæc fugiendarum diuitiarum causa præcipua est, quod aut vix, aut nunquàm, sine amore valeant possideri. Si igitur gemina hæc abdicatio mundi scilicet, & concupiscentiæ eius, quæ etiam paupertas spiritus dicitur, ipsa est qua radix omnium malorum perfecte amputatur, & Babylonis fundamentum euertitur, recta potest ratione concludi, quod perfectionis Euangelicæ per quam Christo configuramur, & complantamur, & habitaculum eius efficimur, ipsa paupertas spiritus secundum quandam analogiam & cohærentiam ad prædicta, radix est & fundamentum. Propter quod & Christus cum ad perfectionem discipulos informaret in monte, tanquam nouæ Hierusalem descendentis de cœlo, fundamenta perfectionis videlicet Euangelicæ limina in montibus sanctis, montibus, scilicet Apostolicis collocans inter cæterarum virtutum gloriosa præconia, à sanctæ paupertatis excellentia sumit initium, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matt. 5. a* Dehinc tribuens de perfectionis aggressione consilium, primum ad hanc suo inuitat exemplo, dicens: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. *Matt. 19. c* Quem locum tractans Hieronymus ait: *Hieron. ad Demet. ep. 8. post med.* Apostolici fastigii est perfectæque virtutis, omnia vendere & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare. Cum autem circa bonorum temporalium possessionem duo considerare contingat, dominium scilicet & vsum, sitque vsus necessario annexus vitæ præsenti, Euangelicæ paupertatis est, possessiones terrenas quantum ad dominium, & proprietatem derelinquere, vsum vero non omnino reiicere, sed arctare, iuxta illud quod dicit Apostolus: Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus. *1. Tim. 6. b* Ex his potest colligi paupertatis Euangelicæ ratio, scilicet, quod ipsa sit virtus temporalium abdicatiua bonorum, qua quis nil proprium habens sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo, ideo paupertatis Euangelicæ duplex est modus, duplexque perfectio. Cum enim duplex sit rerum dominium, scilicet priuatum & commune, vnum quidem spectans ad determinatam personam, alterum vero ad determinatum collegium, & primum abdicari possit retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo; duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio. Vna videlicet, qua quis temporalium omnium priuato seu personali abdicato dominio sustentatur de non suo, id est, nō sibi proprio, communi tamen iure cum aliis participato & simul possesso. Alia vero qua quis omnium rerum abdicato dominio, tam in proprio quam in communi, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio sed alieno, pie tamen & iuste ab alio sibi pro sustentatione collato. Primæ paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua in Actibus dicitur: *Act. 4. f* Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quem Scripturæ locum tractans Hieronymus ad Demetriadem dicit: *Ibid. vbi sup. prox.* In Actibus Apostolorum, quando Domini nostri Iesu Christi calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum proiiciebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, & dabatur singulis prout opus erat. Hinc etiam tradita fuit forma monasticæ seu cœnobiticæ vitæ, iuxta quod Glossa Bedæ dicit ibidem: Qui ita viuunt, vt sint eis omnia communia, ideo cœnobitæ vocantur. Quæ vita tanto felicior est, quanto statum futuri sæculi imitatur, vbi sunt omnia communia Secundæ autem paupertatis exemplar & forma in vita præcessit Apostolorum, quam perfectionis magister Christus eisdem instituit, quando ipsos ad prædicandum misit, sicut legitur in Matthæo: *Matt. 10. a* Nolite, inquit, possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neq; calceamenta, neq; virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Vbi Glossa: Propemodum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de crastino qui docent omnia regi à Deo, nec ipsa necessaria nec cellarium secum vehant nihil præter vestimentum, nec etiam numisma. In his igitur verbis Dominus Apostolis & Prædicatoribus veritatis, extremæ ac penuriosæ paupertatis formam seruandam imponit, quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum & aliorum mobilium, quibus sustentari vel communiri solet communis hominum vita, vt tanquam veri pauperes in summa rerum constituti penuria, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contenti essent, & sine calceamentis incederent, vt sic paupertatem altissimam actu, & habitu, quasi quoddam perfectionis insigne præferrent. Hanc paupertatis normam tanquam speciali prærogatiua perfectam, & CHRISTVS in seipso seruauit, & Apostolis seruandam instituit, & his

his qui eorum cupiunt imitari vestigia consulendo suasit. Quod enim Christus illam seruauerit, ostendit Chrysostomus super Matthæum: Ne possideatis, inquit, aurum, neque argentum, neque peram in via. Quia enim per opera ostendit ea, tunc iam legislationem, quæ est à verbis, validiorem inducit, quando & facile susceptibilis sermo factus est, operibus suis prius certificatus. Vbi igitur ostendit per opera? audi eum dicentem: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Neque in hoc sufficit solo, sed & discipulis tribuit hāc apodoxim. Hæc verba Chrysostomus. Glossa etiam super illud Matthæi: Vulpes foueas habent &c. Quid me propter lucra sæculi vis sequi, cum ita sim pauper, vt nec hospitiolū, quod meum sit, habeam? Quod si forte quis dicat, Christum nō proprium habuisse hospitium sed commune, obuiat idem Chrysostomus in sermone de proditione Iudæ: Quos, inquit, pretiosorum marmorum pōpa delectat, cognoscant Christum omnium Dominum, qui locum in quo caput reclinaret non habuit. Et ideo discipuli ipsum interrogant, & dicunt: Vbi vis paremus comedere Pascha? Sed si Christus habuisset domicilium commune, illud discipuli non ignorassent. Sed etiam Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret, & Pascha comederet. Colligitur ergo ex interrogatione discipulorū, & hospitij incertitudine, quod Christus domicilium nō habuit, nec proprium, nec cōmune: Arctissimam quoq; Domini paupertatem declarans Hieronymus ait: Turpe est ante fores sacerdotis Domini crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare. Fuit itaque Christus tanquam vere pauperrimus alieno cibo sustentatus. Hoc ipsum Bernardus in quodam sermone super illud Lucæ: Cum factus esset IESVS annorum duodecim apertius dicit: Vt te Domine per omnia nostræ paupertati conformares, quasi vnus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarū mendicatarum participem fieri, & illius edulij reliquiis saginari? Anselmus etiam in libro de Sacramentis. Pauper ita fuit Christus, vt veniens in mundum, non in sua, sed in aliena domo nasceretur, & natus propter inopiā loci in præsepio brutorum animalium poneretur, & viuens in mundo non haberet, vbi caput suum reclinaret, nec moriēs vnde nuditatem suam tegeret, nec mortuus vnde inuolueretur, nec sepulchrum aut locum, vbi corpus mortuum locaretur. Ex his colligitur, quod Christus, pauper fuit in ortu, pauper in vitæ progressu, pauper in termino. Sane vt hanc paupertatem amabilē redderet in mundo, pauperrimam matrem elegit, paupertatis defectus voluntarie pertulit, & vt pauper & inops discalceatus incessit De paupertate namque matris ipsius dicit Beda super Marcum, exponens Euangelicū illud: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Consideremus, inquit, qua via graditur, vt sequi mereamur. Ecce cū Dominus sit creator Angelorum, suscepturus naturam nostrā quam condidit, in vterum Virginis venit, nasci tamen in hoc mundo per diuites noluit, parentes pauperes elegit. Vnde & agnus, qui pro illo offerretur, defuit, colūbarum pullos, & par turturum ad sacrificium mater inuenit. His cōcordat Chrysostomus super Matthæum: Pariens quidem Filium Virgo, confestim illum in præsepe declinauit, quia multis conuenientibus propter descriptionem, non erat domū inuenire. Sed quid fuit, quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed præsepe & tugurium, & mater pauper, & nudam Magorum videas philosophiam. Item quoque in homilia Epiphaniæ de Magis loquens, sic dicit: Viderunt pandochium tenebrosum & sordidum, magis animalibus, quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, matremque eius vix tunicam habentem vnam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem. Quod autem pauperrime vixerit, super illud Marci: Circumspectis omnibus Glossa declarat dicens: Circumspectis omnib: si quis eū hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit, & ita nulli adulatus vt in tanta vrbe nullum inueniret hospitium. Super quem etiam locum Beda in originē dicit: Intelligendum est, quod tantæ paupertatis Dominus fuit, vt in vrbe maxima nullū hospitem, nullam mansionem inueniret, sed in agro paruulo apud Lazarum, sororesq; eius habitaret. Constans est igitur, quod Christus nō solum hospitio, sed & pretio quo illud emeret, caruit, dum necessitate compulsus, de vrbe exiuit, illo videlicet die, quo eandem vrbem tanquā Rex asello vectus intrauit. Hoc ipsum & Glossa super illud Ioannis: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam, expressius asserit: Noluit Dominus habere quod perderet, pauper erat, ne diabolus haberet quod auferret. Sed omne temporale, siue commune, siue proprium, & auferri potest & perdi. Tandem vt pauper discalceatus incessit, iuxta quod Hieronymus ad Eustochium scribens ait: Discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellū, ad prædicationem noui Euangelij destinantur, & milites vestimentis IESV sorte diuisis, caligas nō habebant quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in seruis. Calceamētis igitur Christus, vt pauperrimus caruit, vestimentis vero necessariis carere non potuit, volens tamen summæ paupertatis nuditate vitā cōcludere, nudus elegit cruce pēdere. Quia vero magister & Dominus Christus, non propter se, sed nostri causa paupertatem assumpsit, vt perfectionem nobis exemplo monstraret: ideo sacris Apostolis, tanquam suæ sanctitatis imitatoribus perfectis hanc extremæ paupertatis formam seruādā instituit, sicut legitur in Matthæo, Marco, & Luca. Quod quanquam ex ipso textu, sit certū & euidens, ad omnem tamen dubietatis scrupulū amouendum, sanctorum auctoritatibus cōfirmetur. Nam super illud Matthæi: Nolite possidere aurum, &c. dicit Chrysostomus: Multa per hoc vnum emendabat: primum quidem non suspectos faciens Apostolos: secundo autem ab omni eos eruens sollicitudine, vt vacationem omnem tribuant sermoni: tertio docens eos suam virtutem, hoc nempe eis, & postea dicit: Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos, & discalceatos sine sacculo? Et infra: Orbi terrarum doctores erat missurus, propter quod & Angelos eos ex hominibus, vt ita dicam, constituit, ab omni absoluens vitæ huius sollicitudine. Et post: Intendere qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum, qui docentur manere, & nihil habentes introire. Si autem in aliena patria existentes, & apud ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes: Hucusque Chrysostomus. Idē quoque ait: Si bonum esset aurum habere, hoc vtique dedisset Apostolis Christus, qui ineffabilia eis tribuit dona, nunc autem non solum non dedit, sed etiam habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecūdatur, sed etiam decoratur in paupertate, dicens: Argentum & aurum non est mihi. Super præfatum etiam Matthæi locum Rabanus in originali sic dicit: Consequenter hoc præcipit Euangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat, Gratis accepistis, gratis date. Si enim sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri, & argenti, nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum vel argentum, viderentur non causa hominum salutis, sed lucri causa prædicare. Idemque subiungit: Qui diuitias detruncauerat, propemodum necessaria vitæ amputat, vt Apostoli doctores veræ religionis, qui docebant omnia gubernari prouidentia diuina, seipsos ostenderent, nihil cogitare de crastino. Ex hoc præceptō arguit philosophos, qui vulgò appellantur Bactroperitæ, quod contemptores sæculi existentes, & omnia pro nihilo ducentes, cellam secum vehant. His etiam Beda super Marcum consonat dicens: Præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Tanta, inquit, prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus, quamuis non prouideat, tamē sibi eos non deesse certissime sciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis prouideat æterna. Idem paulo post subdit:

Luc. 9. g
Mat. 26. b
Bern. hom. de puero IESV duodenni Dom. infra Oct. Epiph.
Ansel. li. de diuersitate sacram. post med.
Ioan. 12. d
Luc. 2. g
Ioan. 14. d
Hieron. ad Eustochiū epist. 22.
Chrys. homil. 33. in Matth. circ. med.
Luc. 22. d
Chris. homil. vlt. super Matth. circ. fin.
Act. 3. b
Beda li. 2. in Euang. Mar. cap. 6. comm. 24.

Illa Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent, nec portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. ideo posuit, Nec virgam, ostendens, à fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua quærentibus. His concordat Ambrosius super illud Lucæ, nihil tuleritis in via, nec virgam, nec peram, nec panem, nec pecuniam: Qualis debeat esse qui Euangelizat regnum Dei, præceptis Euangelij designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, id est, subsidij secularis adminiculum non requirens, fideque tutus, putet sibi quo minus ea requirit, magis posse suppetere. Ad quod etiam facit, quod ab eodem dicitur super illud Lucæ: Nolite portare sacculum, neque peram. Si prohibemur possidere aurum, quid eripere? Petrus Apostolus primus Dominicæ executor sententiæ ostendens non in vacuum effusa Domini mãdata, cum posceretur à paupere, vt ei pecunię aliquid largiretur, ait: Argentum atque aurum non habeo. Tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, & argentum non habeat, quam quod seruet Domini mandatũ, qui præcepit, nolite possidere aurum. Hoc est dicere: Vides me Christi discipulum, & aurum à me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donauit. His verbis Ambrosij Augustinus concordat in lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ sic dicens: In excusatione eleemosynæ, & paupertatis professione Petrus paralytico dixit, Surge, & ambula, illud magistri præceptum seruans, Nolite possidere aurum, neque argentum. Qui enim de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperij morbo ligatum cito soluebat. Hoc ipsum Bernardus ad Eugenium confirmat: Nec locus, inquit, otio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid aliud dimisit tibi sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud? Vnum scio, neque aurum, neque argentum, cum ipse dicat: Argentum & aurum non est mihi. Et infra: Esto, vt alia quacunque ratione, hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure. Nec enim ille tibi dare potuit, quod non habuit. Idipsum Hieronymus dicit expressius, Apostoli toto orbe terrarum peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. Chrysostomus, tandem de laudibus Pauli. Paulus, inquit, pecuniam non possedit. Nam ipse hoc testatur. Vsque in hanc, inquit, horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur. Et quid dico pecuniã, cum ille necessarium sæpe non haberet cibum, nec quo circumdaretur indumentum? Ex his omnibus aperte colligitur, præscriptam paupertatis formam, qua nihil possidetur, & in summa rerum penuria viuitur, Apostolis fuisse præceptam, & ab eisdem seruatam. Quià autem ipsorum, immo Christi vestigia, sequi volentibus consulatur ab ipso, aperte clarescit ex consilio quod dedit adolescenti, sicut legitur in Matthæo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & veni sequere me. Quod exponens Rabanus ait: In potestate nostra est, vtrum velimus esse perfecti, tamẽ quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias, & Sapphira, sed totum, & sic præparare sibi thesaurum in regno cælorum. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi Saluatorem sequatur. Constat autem, quod Christus in summa rerum penuria vixit. Idem paulo posterius: Inter pecunias habere, & pecunias amare, nonnulla distantia est. Multi enim habentes non amant, multi non habentes amant. Item alij & habent & amant, alij nec habere, nec amare se diuitias sæculi gaudent, quorum tutior status est, cum Apostolo dicentium: Nobis crucifixus est mundus, & nos mundo. In his Rabanus expresse insinuat, opus perfectionis esse, magisque securum, & Christo crucifixo conforme, in carentia rerum, & pecuniarum viuere in extrema paupertate. Hoc ipsum & Apostolus ad Corinthios persuadet: Scitis, inquit, gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, quoniam propter vos egenus factus est, cum diues esset, vt illius inopia vos diuites essetis. Et in hoc consilium do. Augustinus in originali: Factus est, inquit, egenus in tantum, vt non haberet quod habent vulpes. Et in hoc consilium do, subauditur vt eius paupertatem imitemini: Idem quoque in libro, De bono coniugali: Non ideo malum est, iustum aut Prophetam, in domo sua suscipere, quia nec domum habere debet, vt quod melius est, faciat, qui vult ad perfectum Christum sequi. In quo Augustinus aperte declarat, quod alieno suscipi tecto, ei maxime competit, qui perfecte Christum imitari cupit. Huic consonat quod dicit Chrysostomus super Ioannem: Omnia agamus, per quæ Christum imitemur. Quid igitur Christus ait: Vulpes, foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Idem super Matthæum homil. 9. Si ab honore quidem, qui in inferioribus est, palatiis, pecuniæ nos expulerint, contemptibiles erunt: cælorum autem Rege, per singulos dies clamante & dicente, quia difficile est cum illis in cęlum intrare, non proiiciemus omnia? & non desistemus ab omnibus rebus, vt cum libera facie regnum ingrediamur? His concordat Hieronymus ad Heliodorum dicẽs: Nolo te huius peregrinationis deterreat difficultas, qui in Christum credis, sed eius crede sermonibus. Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Non pera tibi sumenda, non virga, affatim diues est, qui cum Christo pauper est. Idem ad Rusticum monachum: Si habes substantiam vende, & da pauperibus si non habes grandi onere liberatus es, nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. Constat autem, quod duritia & difficultas non est, cum proprietas rerum contemnitur, nisi penuria comitetur. Ad hoc ipsum spectat, quod dicit Gregorius Nazianzenus in Apologia sua libro secundo: Sed paupertatem, inquit, & penuriam exprobrabunt. Istæ sunt diuitiæ meæ. Ista me non solum gloriantem, sed etiam arrogantem facit. Videor enim mihi, hoc audire ab inimicis, quia vestigiis illius incedam, qui propter nos pauper factus est, cum diues esset, atque vtinam exuere possem me istis panniculis, quibus circumdari videor, vt nudus effugerem spinas sęculi, quæ retinent, & reuocant pergentes ad Deum. Hæc sanctus Gregorius. His consonat, quod dicit * Bernardus: Habetur in Euangelio, & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Hæc perfectio est. Siquidem filius hominis, vbi caput reclinaret, non habebat. Petro & Ioanni, nec aurum, nec argentum erat. Paulus simplici victu & vestitu contentus, hęc ipsa labore manuum acquirebat. Sed nõ omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. Hucusque Bernardus. Gennadius quoq; de ecclesiasticis dogmatibus. Bonum est, inquit, facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est pro intentione sequendi Dominum simul donare, & absolutum sollicitudine egere cũ Christo. Sed qui habet vnde sustentatur, scilicet in communi, non proprie dicitur egere, nam de illis quibus erant omnia communia, in actibus dicitur, Nec erat quisquam egens inter eos. Postremo vt clare nobis innotescat, quæ sit abrenuntiationis forma perfectis, attendendum est, quod dicit Beda super illud Marci: Relictis omnibus secutus est eum. Perfectam nobis abrenuntiationis formam tribuit, dum non solum lucra reliquit vectigalium, sed & pericula contempsit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, vt nullo prorsus huius vitæ respectu, vel cogitationem sibimet reseruauerit. Per hæc sacrorum doctorum testimonia, tam manifesta, quam certa, & alia plurima, quæ causa breuitatis vitandæ resecantur ad præsens, irrefragabili potest ratione concludi, quod Christum & Apostolos imitari, non solum quoad abdicationem proprietatum, verumetiam quoad extremam temporalium rerum penuriam, quæ consistit in carentia possessionum, & pecuniarum, non solum est licitum, sed & laudabile, & perfectum. Non tamen ex hoc debet, vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfectum, quia sicut perfectæ [illegible]itatis diuersi sunt modi, quorum variis prerogatiuis sancta mater Ecclesia,

tanquam

Marginalia: Amb. super Luc. 10. — Act. 3. a — Aug. lib. 3. de mirab. sacr. Scrip. c. 15. to. 3. — Bern. li. 2. de consid. c. 6. cir. med. — Hier. ad Ageruch. ep. 11. post med. — 1. Cor. 4. c — Mat. 19. c — Gal. 6. d — 2. Cor. 8. b — Aug. li. de bo. coniug. c. 9. to. 6. — Chrys. homil. 16. super Ioan. — Hieron. ad Heliodorũ epist. 1. — Hieron. ad Rusticum monachũ. ep. 4. — * Ber. super Ecce nos cir. med. — Matt. 6. — Gennad. li. de dogmatibus Ecclesiast. c. 71. apud Aug. lib. 3. — Act. 4. g

tamquam ornamentorum varietate decoratur: sic & in modis perfectę paupertatis intelligendum est, quàquam non sit per omnia simile hincinde, sicut diligenter consideranti est euidens.

His autem non obstat præallegatorum vita sanctorum, qui communia possederunt, quasi non debuerint aliter docere quam viuere, quia mos esse solet piis doctoribus, vt eas virtutum prærogatiuas, quibus carere se vident, in aliis mirétur, & prædicent. sicut Hieronymus ad Pammachium scribens: Virginitatem, inquit, in cœlum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non habeo. Ingenua enim & verecunda cōfessio est, quo ipse careas, in aliis prædicare. Numquid quia graui corpore terræ hæreo, auium non miror volatus? Hæc Hieronymus. Cui etiam Chrysostomus consonat, qui Ægyptios monachos laudans, ait: Nunc veniens in eremum Ægypti, paradiso hanc meliorem videbis effectam. Etenim est videre vbique regionis illius Christi exercitium & regalem gregem, & superiorum virtutum vrbanitatem. Existentia enim omni exuti, in mundo omnino crucifixi. Et vltra. Rursus procedunt corporis operatione ad indigentiam cibum sumentes. Neque enim quoniam ieiunant, & vigilant vacare per diem dignum æstimant, sed noctes quidem sacris hymnis & vigiliis dies in orationibus, & manuū operationibus consumunt, Apostolicum imitantes zelum. Verecundemur igitur omnes, & diuites & inopes, cum nil illi penitus habentes nisi corpus, & manus suas cogant, & litigent impensas hinc indigetibus inuenire, nos autem decem millibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tangimus. Hæc Chrysostomus. Qui vt doctor sanctus & verax, quasi ad sui, & aliorum sibi similium verecundiam, paupertatis excellentiam in monachis Ægypti commendat. Simile per omnia sacer dicit Ambrosius: Christus, ait, Dominus noster sacerdotibus quid præcepit, audiamus: Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Contremisco hæc dicens: Meus enim primo omnium, meus inquam ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & eum qui non renuntiat omnibus quæ possidet. Et quid agimus? Quomodo hæc autem ipsi legimus, aut populis exponimus, qui nō solum nō renuntiamus his quæ possidemus, sed acquirere volumus ea quæ numquā habuimus, antequam veniremus ad Christū? Numquid nam quia nos redarguit conscientia, legere, non proferre, quæ scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis esse reus, confiteor, & palam audiente populo confiteor hæc scripta esse, etiam si nondum implesse me noui. Sed ex hoc saltim commoniti festinemus implere, festinemus transire à sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat ille qui dicebat. Tamquam egentes, multos autem locupletantes, vt nihil habentes, & omnia possidentes: Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. His sacri doctoris veracibus & humilibus verbis, nihil expressius ad propositum dici potest. Et beatus Papa Gregorius. 3. dialogorum, viri mirabilis Isaac vitam describens, ait: Seruus omnipotentis Domini egressus vrbem, non longe desertum locum reperit, ibique sibi humile habitaculum construxit, ad quod dum multi pergerent, exemplo illius æternæ vitæ desiderio accendi cœperunt, atque sub eius magisterio in omnipotentis Domini se seruitiū dederunt. Cumque ei crebro discipuli innuerent, vt pro vsu monasterij possessiones quæ offerebātur acciperet, ille sollicitus suę paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est. Sicque metuebat paupertatis suę securitatē perdere, sicut auari solét diuites perituras diuitias custodire. Hæc Gregorius: Qui cum monachis, & ipse, in monasterio quod possessionibus dotauerat vitam duxisset, communes tamen possessiones recusantem miratur & laudat. Ac per hoc impie præsumptionis esse conuincitur, virtutum non habitam spernere, vt quia docentis vita extremæ paupertati non per omnia consonat, ipsius doctrina pauperum perfectioni repugnando cōtradicat. Nequaquam igitur à prædictis discordat illud Augustini verbum, quo contra Adimantum Manichæum præfatum de paupertatis formam mandatum Apostolis, dicit spiritualiter esse scrutandum, vel, vt alibi dicit, permissiue intelligendum. Nam cum Marcus dicat expresse, quod præcepit eis ne quid tollerent in via, & ipse cum aliis expositoribus, sicut ex prēmissis claret, intelligendum ad litteram doceat, si hoc simpliciter alibi negaret, & Euangelicæ veritati, & sanctorum doctrinæ, simul ac suæ, aperte contradiceret, siue contrairet. Quod de tanto dici doctore, piæ Catholicorum aures adhorrent. Attendendum est ergo, quod cum Apostoli fuerint primi fundatores religionis Christianæ, & professores perfectionis excelsæ, professores, inquam, & sicut priuatę personæ, & sicut exemplaria quædā, prædicta Domini verba intelligere possumus, eis esse dicta tamquam fundatoribus Christianæ religionis, & sic intelliguntur extendi ad omnes. sed non omnes Christiani arctantur, vt hanc vitæ regulam teneant, sicut Manichæi falso dogmatizant. Ideo contra ipsos loquens hæreticorum malleus Augustinus ostendit, quod hęc verba spiritualiter intelligenda sunt, si sic accipiantur tamquam omnibus sint præcepta. Possumus etiam intelligere prædicta verba, dicta fuisse Apostolis, tamquam exemplaribus perfectionis, & sic intelliguntur per modum consilij, quod de se nō obligat, nisi eos, qui hanc viuendi formam voluntarie profitentur, & vouent. Intelligere possumus insuper dicta fuisse Apostolis sicut certis personis, primisq; prædicatoribus Euangelicæ legis: & sic cum duo insinuentur in verbis illis, scilicet abdicatio temporalium, & receptio dispendiorum, primum intelligitur fuisse præceptum, sicut dicit textus, & glossa. Vnde Beda: Missus ad prędicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit. Secundum autem non fuisse præceptum, sed concessū, siue permissum. Vnde Glossa super illud Lucæ: In eadem domo manete. &c. Qui saccum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit. Et Rabanus super Matthæum: Claret autem hoc Dominum nō ita prę[c]epi[ss]e, tanquam Euangelistæ viuere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Euangelium: alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, sed potestatem dedisse, in qua scirent ista sibi dari. Cum autē potestas datur, licet cuique non vti, tamquam de iure suo cedere. Hæc Rabanus. Ex his colligitur manifeste, quod prædicta Domini verba, iuxta cōsiderationes prēmissas intelligi possunt, & spiritualiter, & ad litteram, vt consulta, & vt præcepta & permissa. Propter quod omnis contrarietatis calumnia de medio tollitur, si multiformis huius acceptionis intelligentia sane capiatur. His etiam non obsistit illud Hieronymi ad Nepotianum, vbi dicit, quod viuens de decimis, & altaris oblatione sustentatus, nudam crucem nudus sequitur, tamquam perfectæ paupertatis summa consistat in viuendo de decimis, & oblationibus, sicut sacerdotes & clerici viuunt. Est enim multiplex gradus, & differentia nuditatis. Alia quidem est cordis, alia cordis & corporis: nuditas cordis est per expoliationē spiritus ab omni peruerso affectu auaritiæ & cupiditatis. Et de hac Gregorius in homilia: Nudi cū nudo luctari debemus: quia si vestitus quisque cū nudo luctatur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. hoc quidem intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis. Nuditas autem corporis & cordis, triplicem habet gradum. Nam quædam est magna, quæ attenditur in abiectione omnis superfluitatis, & proprietariæ possessionis. Et hæc quamquam non sit de necessitate, est tamen de congruentia status ordinis clericalis. Et de hac Hieronymus ad Nepotianum: Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, nec accipio partē inter ceteras tribus, sed quasi leuita & sacerdos viuo de decimis, & altari deseruiens, altaris oblatione

sustentor;

Hieron. ad Pam. epist. 50. cir. fin.

Chrys. homil. 8. super Matth.

Hæc sunt Origen. homil. 16. super Gē.

Luc. 14. g

1. Cor. 6. c

Greg. lib. 3. Dial. c. 14.

August. lib. cōtr. adim. c. 20. to. 6.

Luc. 10. b

Hieron. ad Nepotianū epist. 2.

Greg. hom. 32. in Euang. non longe à princ.

Hieron. vbi sup. prox.

sustentor; habens victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Est & alia nuditas maior, quæ non solum consistit in his, verum etiam in abdicatione potestatis possidendi proprium, & abnegatione propriæ voluntatis; & hæc competit regularibus & cœnobitis, de qua Hieroymus ait: Nolo pristinarum necessitudinum recorderis, nudos amat eremus. Nudos intelligit non solum à facultatū appropriatione verum etiam à propria voluntate, iuxta illud Bernardi de colloquio Simonis & Iesu: Age ergo, & qui relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, immo vero maxime & principaliter abnega temet ipsum, si deliberas sequi ipsum, qui exinaniuit propter te semetipsum. Est & tertia nuditas, quæ consistit in his quę prędicta sunt, & insuper in abdicatione omnis transitoriæ facultatis, cum penuria & indigentia opportunæ sustentationis, & hæc competit Apostolis & Apostolicis viris. & de hac super illud Matthæi: Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Glossa: Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo. Tales fuerunt Apostoli. Vnde Hieronymus ad Exuperantium ait: Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit. Vidua illa in Euangelio paupercula, quæ duo minuta misit in gazophylacium, cunctis prefertur diuitibus, quia totum quod habuit, dedit. Hæc Hieronymus. Si igitur hęc vidua iuxta testimonium Domini, totum dādo nihil sibi reseruauit, in extrema se nuditate constituit. Ad hanc nuditatem aspirabat illa nobilis vidua Paula, de qua Hieronymus in laudem ipsius: Hoc habuit voti vt mendicans ipsa moreretur, & vnum nummum non dimitteret filiæ, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Eiusdem quoque felicem describens obitum, ait: Testis est Iesus, ne vnum quidem nummum ab ea derelictum. Quid hac virtute mirabilius, feminam nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus, tanta fide, omnia vel dilargitam, vt ad egestatē vltimam perueniret? Iactent alij pecunias in corbonā, funalibusq; aureis dona pendentia, nemo plus dedit pauperibus, quā qui sibi nihil reliquit. Hæc Hieronymus. Qui ad hanc nuditatem, tamquam summè perfectam hortatur Hedibiam in epistola, quam ad eam scribens, ait: Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam, solamque crucem, nuda sequaris. & sola. In his manifestius asserit, quod ea paupertas ad perfectionis attingit fastigium, qua quis expressius & conformius nuditatem crucis amplectitur, & nudum Crucifixum imitatur. Illud autem Gregorij verbum, quo dicit censum nō esse in culpa, sed affectum, nequaquam est præmissis contrarium, si rectè intelligatur. Si quis enim hoc sentiat, quod census in culpa sit causaliter vel formaliter, cum Manichæo errat, & hoc Gregorius reprobat. Si quis autem intelligat censum esse culpæ occasionem, à sententia veritatis non deuiat, cum & ipsa veritas dicat in Marco: Quia difficile, qui pecunias habent, in regnū Dei introibunt. Nullo enim modo pecunia impedimentum difficultatis, Dei regnum intrare volentibus præstat, nisi quia vel est occasio inclinationis ad malum, vel distractionis à bono. Hoc sanctorum testimoniis clare monstratur. Quod enim diuitiæ habentibus ipsas, occasio sint cupiditatis, in libro de officiis dicit Ambrosius: Feralis, inquit, auaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, nō habentes non iuuat. Esto tamen, vt aliquando iuuet pecunia inferiorē, & ipsum desiderantē, quid ad alios si sit ille copiosior qui habet? Numquid idcirco honestior, qui habet quod plerumque honestas amittitur? Cui Bernardus concordat de colloquio Simonis & Iesu: Hæc fugienda, cum diuitiarū præcipue causa est, quia vix aut numquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem, & glutinosa nimis, non solummodo exterior, verum etiam interior nostra substantia videtur, & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. His consonat Augustinus dicens: Non sunt istæ veræ diuitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia auaritiæ. Non sunt veræ diuitiæ, quæ plus augent cupiditatem ei, qui eas possidet. Quod autem sint occasio vanitatis & superbiæ, Augustinus de lapsu mundi: In diuitiis nil tam cauendum est, quam superbiæ morbus. Qui enim non habet diuitias, non habet amplissimas facultates, non habet vnde se extollat. Idem de verbis Domini: Nihil est quod sic generet diuitię quomodo superbiam, omne granū, omne germen habet vermem suam. Vermis diuitiarum superbia est. Quod vero sint occasio distractionis, manifeste insinuat Gregorius lib. 1. Moralium: Soler, inquit, rerum abundantia tanto à timore diuino mentem soluere, quanto hanc exigit diuersa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare in intimis vix prohibetur. Idem in homilia super illud Lucæ: Exiit qui seminat, &c. Si nos, inquit, vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendum nobis mens vestra forsitā dubitaret. Vnde & idē Dominus per semetipsum est dignatus exponere quæ dicebat. Quis.n. vmquam mihi crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem? maxime cum illæ pungant, istæ delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum vsque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Si quis igitur pręmissa diligenter attēdat, indubitanter aduertet, quod quamuis census formaliter seu causaliter non sit in culpa, est tamen frequens occasio culpæ, distrahendo à bonis, & inclinando ad mala. Propter quod opes à Saluatore spinis comparantur, & ab Ambrosio illecebrosæ dicuntur. Nam sicut ex præmissis apparet, cum vim rationalem distrahant, irascibilem extollant, & concupiscibilem nostram illiciant, non solum sunt illecebris, sed & periculis plenæ. Vnde Augustinus de lapsu mundi: Diuitiæ ipsæ quas putatis plenas esse delitiarum, pleniores sunt periculorum. Cum itaque perfectionis sit nō solum peccata vitare, verum etiam peccatorum occasiones & bonorū impedimenta ad plena succindere, dicente Gregorio in Moralibus, quod solus ille in illicita non cadit, qui se à licitis caute restringit, liquido claret, quod quāuis possessiones & pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum; est tamen eas abdicare, & voluntarie pro Christo eis carere perfectum. Quod si forte quis dicat, occasionem huiusmodi à tēporalibus rebus imperfectis dari mentibus, nō perfectis, quasi magis competat statui imperfectorum diuitias fugere, eisque carere. vitę Iesu Christi, eiusque doctrinæ aduersatur aperte. Neque enim secundum hæc perfectissimus debuisset Christus carere diuitiis, neque hoc docuisset perfectos, cum tamen dixerit: Si vis perfectus esse; vade & vende omnia quæ habes, &c. Numquid Apostoli perfecti non erant, quibus dictum est: Nolite possidere aurum? Quod verbum tractans Ambrosius in libro de officiis, ait: Nolite possidere aurum & argentum, neq; pecuniam, quo velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit auaritiam. super eundem quoque sermonem Chrysostomus: Non dixit: Nolite accipere vobiscum aurum, sed si aliunde possibile est accipere, fugite pernitiosam hanc ægritudinem. Etenim multa per hoc emendabat. Ex his datur intelligi, quod propter vitandam occasionem auaritiæ, fuit Apostolis interdicta pecunia, cum tamen essent perfecti. Verum quidem est, quod sensus perfectis non tam vehemens, nec tantorum est peccatorum occasio, sed quia quantumlibet parua intellectus distractio, vel illectio appetitus vitiosa mentibus perfectorum ad æterna suspensis magis est dissona, quam longe maior imperfectis, circa filiorum educationem, & curam rei familiaris occupatis, hinc est, quod perfecta temporalium rerum abdicatio perfectis consulitur, non imperfectis, nisi velint esse perfecti. Nam cum ipsis imperfectis sufficiat peccata maiora vitare per mādatorū obseruantiam, perfectis tamen competit etiam superfluas cogitationes à mente rescindere, sicut & Gregorius 2. Moralium docet

Hieron. ad Heliodorum epist. 1. — Bern. hom. super Ecce nos, &c. — Mat. 10. d — Hieron. ad Exuperant. epist. 35. — Hieron. ad Eustochium epist. 27. — Ibidem. — Hier. epist. 150. ad Hedibiam. q. 1. circ. fin. — Greg. lib. 10. Mor. c. 17. — Mar. 10. c — Amb. lib. 2. de offi. c. 20. — Bern. hom. super Ecce nos rel. &c. — Aug. li. 50 homil. 14. 19. — Greg. hom. 15. in Euan. — Matt. 19. c — Mat. 10. a Amb. lib. 2. de offic. c. 25. — Chrysost. in Matth. homil. 33.

Greg. lib. 2. Mor. c. 26. cir. fin. Num. 6. c

docet ſpiritualiter exemplificans Nazaræorum ritum, perfectioniſque figuram. Deuotione, inquit, completa, caput Nazareus radere, capilloſque in igne ſacrificii ponere iubetur, quia tunc ad perfectionis ſummam pertingimus, cum ſic exteriora vita vincimus, vt etiam cogitationes ſuperfluas à mente reſecemus. Quas nimirum igne ſacrificij concremare, eſt flamma diuini amoris incendere, vt totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes ſuperfluas concremans, quaſi Nazarei capillos, deuotionis perfectione conſumat. Illa quoque promiſſio centupli prædeterminatis non obuiat, quoniam ad ſpiritualia bona refertur. Sicut dicit Hieronymus ſuper Matthæum, & etiam Rabanus quaſi eiſdem verbis vtentes: Occaſione, inquiunt, huius ſententiæ quidam introducunt mille annos poſt reſurrectionem, dicentes nobis, tunc centuplum omnium rerum quas dimiſimus, & vitam æternam eſſe reddendam, non intelligentes quod & ſi in ceteris digna ſit retributio, in vxoribus appareat turpitudo, vt qui vnam pro Domino dimiſerit, centum accipiat pro futuro. Senſus igitur iſte eſt, vt qui carnalia pro Saluatore dimiſerit, ſpiritualiter recipiat, quæ comparatione & merito ſui ita erunt, quaſi paruo numero centenarius numerus comparetur. Cui etiam conſonat Gregorius ſuper Ezechielem: Neque enim ſanctus vir ideo terrena deſerit, vt hæc poſſidere in hoc mundo multiplicius poſſit, ſed per centenarium numerum perfectio deſignatur, quia quiſquis pro Dei nomine temporalia contemnit, hic perfectionem mentis recipit, vt ea non appetat, quæ contempſit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis ſpiritum recipiens terrenis non indiget, & ſi hæc non habet. Hucuſque Gregorius. His conſentit Bernardus in ſermone illo de ſancto Petro: Dixit Simon Petrus ad Ieſum, dicens: Quid eſt in centuplum iſtud fratres, niſi conſolationes, viſitationes, primitiæque ſpiritus, qui ſuper mel dulcior eſt? Et poſt pauca: Non eſt pater aut mater, non domus aut ager eſt, non cibus aut veſtis, non denique terrenum aliquid aut corporale, ſed plane his omnibus eſt delectabilius, ſuper omnia hæc dulcius, vniuerſis his iucundius eſt, quæcumque deſiderantur in hoc ſeculo nequam, huic non valent comparari. Quod ſi forte quis pertinaciter obſiſtat, tam per textus Marci, quam per Auguſtinum contra Adimantum aſſerens, bona temporalia repromiſſa fuiſſe à Chriſto; reſpondebimus promiſſiones donationis & receptionis huiuſmodi, debere intelligi per modum charitatiuæ communionis, non per modum poſſeſſionis. Vnde Beda ſuper illud Marci: Nemo eſt qui reliquerit domum, &c. qui nimirum à fratribus atque conſortibus propoſiti ſui, qui ei ſpirituali glutino colligantur, multo gratiorem etiam in hac vita recipiet charitatem. Cui conſonat & Gloſſa ibidem: Omnes ſancti, & quæcumque habent communicantur ei. Et Auguſtinus contra Adimantum: Fideli totus mundus diuitiarum eſt. Vel certe intelligendum eſt per modum cuiuſdam cœleſtis prouiſionis contra Manichæos, qui dicebant hæc temporalia bona à tenebrarum principe fuiſſe creata, & ab illo ſolo repromitti & dari, à Chriſto autem inhiberi. Ideo hic promittuntur à Domino ad hæreticorum confutandam perfidiam, & à cordibus fidelium diffidentiam omnem tollendam. Vnde ſuper illud Matthæi: Hæc omnia adiicientur vobis. Gloſſa: Omnia ſunt filiorum, & ideo hæc omnia adiicientur etiam non quærentibus, quibus ſi ſubtrahantur, ad probationem eſt, ſi dentur ad gratiarum actionem. Et Auguſtinus ſuper illud Ioannis: Vado piſcari. Cur non inuenit aliud vnde viueret, cum Dominus promiſerit, dicens: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis? Prorſus Dominus etiam ſic quod promiſit, impleuit. Nam quis alius piſces, qui caperentur appoſuit? Conſtat igitur promiſſionem huiuſmodi per modum prouiſionis debere intelligi, ad tollendum diffidentiam, non per modum augmentationis temporalis ſubſtantiæ, quia hoc non eſſet cupiditatem abſcindere, ſed augere. Vnde Chryſoſtomus ſuper Matth. ho. 43. Nihil ita ſedat cupiditatis ſitim, ſicut deſiſtere à lucrandi concupiſcentia, ſicut amaram choleram abſtinentia & euacuatio. Facilius eſt enim hominē exiſtentem volare, quam adiectione pluris quieſcere facere deſiderium. Et Auguſtinus in lib 83 quæſtionum: Charitatis venenum eſt ſpes adipiſcendorum temporalium. Si ergo Chriſtus multiplicationem temporalium per modum poſſeſſionis diſcipulis ſuis promitteret, charitatem in eis per meret potius quam augeret, dum poſſeſſionis terrenæ centuplicatione promiſſa, temporalium bonorum affluētiam ſperandam doceret, potius quam ſpernendam. Quod impium eſt ſentire de Chriſti doctrina. Modus etiam Apoſtolicæ vitæ prædeterminatus, nō aduerſatur, ſed conſonat. Quamuis enim legatur in actibus, quod multitudini credentium erant omnia cō munia, & quod venditarum rerum pretia ponebantur ad pedes Apoſtolorum nequaquam eſt intelligendum, quod Apoſtoli proprium aliquid vel cōmune poſſiderēt: quia communitas illa non refertur ad Apoſtolos, ſed ad turbam, ſicut Gloſſa ibidem inſinuat. Diſcernit, inquit, ordinem doctorum, & auditorum. Nam multitudo credentium rebus ſpretis, copula charitatis inuicem iungebantur. Apoſtoli vero virtute fulgentes, Myſteria Chriſti pandebant. Hæc Gloſſa. Quæ per ipſum textum declarat, quod ſicut illa rerum communitas, erat turbam, ſic & ſignorum virtutes erant Apoſtolorum. Nec huic repugnat quod ſequitur, ante ipſorum pedes pretia fuiſſe poſita, quia vt dicit Hieronymus ad Demetriadem, hoc fiebat vt docerent pecunias eſſe calcandas, vel certe vt ſe ac ſua Apoſtolicæ diſpoſitioni committerent, ſicut docet Ambroſius ſuper epiſtolam ſecundam ad Corinthios, vbi de Apoſtolis dicit: Quantum ad præſentem vitam pertinet, pauperes videbantur, ſed ſpirituales diuitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlo diuites, vt nihil habentes, omnia autem poſſidentes. Hoc enim fuit in Apoſtolis glorioſum, vt ſine ſollicitudine & nomine poſſidendi, non ſolum ea quæ in poſſeſſionibus erant, ſed eorum Dominos poſſiderent. Hæc Ambroſius. in quibus inſinuat, quod Apoſtolis in ſua egeſtate manentibus, eorum diſpoſitioni, quoad res & perſonas, primitiua illa Eccleſia ſuberat, hanc tamen rerum diſpoſitionem maluerunt cō mittere aliis, ſicut in actibus conſequenter legitur: Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Quod quidem dixerunt, vt diſtractionem miniſtrandi refugerent, non quia per illud miniſterium aliquid poſſiderent. Vnde & Petrus in eadem vrbe, vbi hæc fiebant, pauperi eleemoſynam à ſe petenti reſpondit: Aurum & argentum nō eſt mihi. Vbi Gloſſa: Memollius præcepti, Nolite poſſidere aurum, neque argentum, pecuniam quæ ad pedes Apoſtolorum ponebantur, nō ſibi recōdebat, ſed ad vſus pauperum, qui ſua patrimonia reliquerunt. Hanc etiam formam paupertatis, & Ioannes Euangeliſta ſeruauit cum diſcipulis ſuis, inter quos duobus qui magnas reliquerant opes, præ nimia egeſtate tentatis, ſicut ſcribitur in eius Legenda, ait: Numquid non valet manus Domini, vt faciat ſeruos ſuos diuitiis affluētes? Sed in hoc certamen ſtatuit animarum, vt ſciant ſe æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt. Eandem paupertatis diſtrictionem Thaddæus ſeruauit Apoſtolus, ſicut ſcribitur in 1. libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quod cum poſt Chriſti aſcenſionem Abagarus Rex ſanatus à præfato Apoſtolo, præciperet eidem dari aurum & argentum, ille non accepit, dicens: Si noſtra reliquimus, quomodo accipiemus aliena? Sed Apoſtolus Paulus de ſe ſimul & ceteris Apoſtolis, ait ad Corinthios: Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus. Vbi Gloſſa: Vſque in hanc horam, id eſt continue. Et alibi ad Corinthios. In fame & ſiti, frigore & nuditate. Hanc penurioſam vitam duxiſſe Apoſtolum, non ad tempus, ſed continue, hæc præfata Gloſſa inſinuat, & ſuperius allegata Chryſobini de laudibus Pauli auctoritas confirmat. Si quādigitur dicit ſe habere oīa, & abundare, nec

debet,

Hier. lib. 3. in Matth. c. 19. — *Greg. hom. 38. in Ezec. poſt med.* — *Marc. 10. d* — *Matt. 6. d* — *Ioan. 21. a* — *Aug. lib. 83. quæſt. q. 36. tom. 4.* — *Act. 4. f* — *Hieron. ad Demet. epi. 8. poſt med. Amb. in 2. Cor. cap. 6.* — *Act. 6. a* — *Act. 3. a* — *Euſeb. li. 1. Eccel. hiſt. cap. 13.* — *1. Cor. 4. c* — *2. Cor. 11. f*

debet, nec potest intelligi quantum ad opulentiam, siue affluentiam rerum; sed quantum ad sufficientiam mentis. De qua Augustinus in libro de beata vita. Nullus perfectus aliquo eget, & quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit: & si non affuerit, istarum rerum non frangetur inopia. Quod si forte quis dicat, Apostolum aliquas secum tulisse pecunias, quia periculis se dicit expositum fuisse latronum, aperte contrariatur Ambrosio, qui præfatum locum tractans in originali, sic ait: Cum in ciuitate diabolus eum occidere non posset, latrones sibi excitabat in via, cum nihil ferret quod latrones cuperent. Hæc sacer Ambrosius. Cui & Chrysostomus consonat in laudibus Pauli, Iob cum oues & boues haberet innumeras, erat in pauperes liberalis. Paulus vero nil amplius corpore suo possidens, de hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat. Vitam Pauli ex hac laude perpendere valemus inopiam, cum nil præter corpus haberet, ac per hoc nihil quod latro capere posset, mitam nihilominus affluentiam cum non solū sibi sufficeret, verūetiam in alios abundaret. Denique nec loculorum Christi ad præfatam perfectionis formam, vlla inuenitur dissonantia: si quomodo & quare ipsos habere dignatus fuit, pia mentis attentione censetur. Nam vnigenitus Dei, cum diues esset in omnes, pro nobis adeo factus egenus, vt alieno cibo vesceretur, non sine magna dispensatione diuini consilij loculos fecit deferri, quorum tamen custodiæ illum deputauit discipulum, quem furem ac proditorem præsciebat esse futurum. Habuit enim loculos Christus, ad consolandum infirmos, ad refellendum improbos, & ad informandū perfectos. Vnde & huiusmodi actus, scilicet habere loculos in Christo, respectu infirmorum, fuit condescensiuus, ad consolandum eos, qui propriis loculis carere non volunt, sicut Augustinus ait, in lib. de opere monachorum. Dominus more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei Angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur vtique à bonis fidelibus eorum victui necessaria: quos loculos Iudæ commendauit. Respectu autem impiorum fuit actus commonitorius: primo quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur. Vnde Augustinus super Ioannem homil. 50. Quare loculos habuit cui Angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia loculos ipsius habitura erat? Vnde & loculos habebat, vt doceret non esse peccatum, loculos habere. In his Augustinus Manichæorum refellit impietatem, condemnantium Ecclesiæ statum, propter rerum temporalium possessionem. Secundo commonitorius fuit, ad deterrendum auaros, qui loculos concupiscunt. Quamquam enim ad mitigationem cupiditatis Dominus Iudæ loculos commisisset, ipse tamen adeo cupiditatis igne exarsit, vt seipsum Dominum pretio paruo venumdaret. Vnde & Chrysostomus super Ioannem: Si vero quis scrutabitur, quid furi existenti loculos commisit pauperum, & dispensare fecit auarum existentem? vt omnem abscinderet occasionem. Etenim sufficientem habebat, ex loculo concupiscentiæ mitigationem: sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere Christus, multa condescensione ad eū vtens, nō incusabat surripientē, obstruens perniciosam concupiscentiam, & omnem auferens occasionem. Hucusque Chrysostomus aperte declarans, quod non penuria paupertatis, sed nequitia cupidę mentis causa fuit tantæ impietatis. Respectu vero perfectorum, fuit actus informatorius. Siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maxime cœnobitis, vt ad exemplum Christi, & discipulorum eius, nullus sibi quidquam appropriet, sed habeant omnia in commune. Vnde Augustinus super Ioannem: Habebat Dominus loculos, & à fidelibus oblata conseruans, suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiasticę pecuniæ forma est instituta, vt intelligeremus quod præcepit, non cogitandum de crastino esse; non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruaretur à sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur. Hæc Augustinus. Qui formam regulariter viuentium describens, sicut habetur 12. quæst. 1. ait: Cum huius nostræ congregationis fratres, non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis ipsa ordinis susceptione renuntiauerint: certum est nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine superioris licentia debere. Quantum autem ad modum dispensandi, forma fuit perfectionis in Ecclesiæ Prælatis, vt exemplo Christi, bona Ecclesiastica dispensent, ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & ad pauperum releuandas miserias. Vnde Chrysostomus super Ioannem, de loculis Christi loquens, quæstionem proponit: Qualiter, inquit, non peram, non virgam, non æs iubens deferre, marsupium ferebat? Respondens subdit: Ad inopum ministerium, vt discas, quoniam valde pauperem, & crucifixum, huius oportet patris multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat. In his ostendit Chrysostomus, quod viris perfectis competat, miserabilium personarū gerere curam, quod maxime locum habet in Prælatis Ecclesiæ, quorum perfectioni cōsonat, vt & spiritualiter, & etiam temporaliter, pascendis sibi commissis gregibus intendant. Vnde Prosper in libro de vita contemplatiua: Scientes viri Sancti, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: non eas vendicauerunt in vsus suos, vt proprias, sed vt commendatas pauperibus erogauerunt. Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alij possidere nec cupiditate habendi Ecclesiæ facultates ambire, sed pietate subueniēdi eas suscipere, & quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habere commune, nec aliquid inde eis qui sibi sufficiunt, de suo erogare, cum nihil aliud sit habentibus dare quam perdere. Quantum vero ad modum vtendi, forma fuit perfectionis ipsis populis, ac ceteris huiusmodi paupertatē professis, vt cum ex amore paupertatis, semper carere loculis cupiant, solum quando apertæ necessitatis vrget articulus, loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur à suscipientibus, vel à mulieribus comitantibus eum, sicut in Luca scribitur, quod ibant cum eo mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum tamen per Samariam transiuit, in qua quidem ciuitate, vt dicit Euangelista, hospitium habere non potuit, de loculis vixit: sicut dicitur in Ioanne: quod discipuli abierāt in ciuitatē, vt cibos emerent. Vnde super illud Lucæ: Quando misi vos sine sacculo, & sine pera, dicit Glossa: Si per inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portari quam domi habeamus. Constat autem quod valde pauper est, qui plura portat in via, quam habeat vbi habitat habitatione determinata. Quod si forte quis dicat perfectionis formam, nullo tempore esse intermittendam. Respondet ad hoc Beda, super Lucam dicens super illud: Nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram, non eadem viuendi regulam persecutionis, quæ pacis tempore insinuat. Sunt namque virtutes, quæ semper obnixeque tenendæ sunt, & sunt quæ tempore locoque prouida sunt discretione mutandæ. Quis enim nesciat, viscera misericordiæ, benignitatē, humilitatem patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, charitatem, & his similia, sine vlla temporum intercapedine esse seruanda? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium, & cetera huiusmodi, si quis semper exequenda putauerit, non modo se horum fructu priuabit, sed & notam indiscretæ obstinationis incurret. Magister itaque Deus que virtutum, vt modum discretionis insinuet, missus ad prædicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit, videlicet ordinās, vt qui Euangelium annūtiant de Euangelio viuant. Mortis vero tēpore illo instante, tota simul gente pastorē, gregēmque persequente, congruam tempori decreuit regulā pecuniam scilicet victui necessariam, donec sopita persecutionum insania, tempus Euangelizandi redeat, tollere permittendo. Hæc Beda. Ex prædictis igitur patenter elucet, quod

Aug. lib. de vi. beat. disputatione tertia dist. tom. 1.
Amb. in 2. Cor. cap. 11.
Aug. lib. de oper. Mon. c. 5. to. 3.
Aug. tract. 50. in Ioan. post med.
Chrys. homil. 64. super Ioan.
Aug. homil. 26. super Ioan. c. 9.
Chrys. homil. 71. super Ioan.
Prosper de vi. contemp. lib. 2. c. 9.
Luc. 8. a
Ioan. 4. a
Luc. 22. d
Luc. 22. d

quod omnis perfectionis splendor, & speculum Iesus Christus, ob sex rationes præfatas, ac triplicem vtilitatem, aggregatione quadam in perfectionis senarium consurgente, mirabili quodam modo in habendo loculos & infirmos simplici modo consolatur, & impios dupliciter arguit, perfectos tribus modis informat. In quibus, & illud est omni admiratione, & laude, ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, vt statum diuitum non damnaret, sic & habentibus pecuniam conformem se reddit, vt paupertatis summæ formam perfecte seruaret. Vnde super illud Matthæi, Vade ad mare, Glossa, Dominus tantæ fuit paupertatis, vt vnde tributa solueret, non haberet. Iudas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in vsus suos conuertere, nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Hæc Glossa. Non igitur loculi Christi ad fomentum cupiditatis trahendi sunt. Sicut enim in Saluatore nostro crucifixo nil fuit, quod sæculares glorias, aut delitias saperet, sic nil egit, nil docuit, per quod mundi diuitias appetendas esse monstraret, quin potius, vt nos ad perfectæ paupertatis amorem accenderet, in huius mundi campum hostem expugnaturus, ingrediens, de pauperrima matre, pauperrimus prodiit, sed & hostiam Deo patri, vt Pontifex offerens, nudus in cruce pependit, necnon vt veritas eius, tamquam perfectissimæ rectitudinis, nequaquam discordaret medium ab extremis, tota vita ipsius caminus paupertatis fuit. Huius igitur inuictissimi ducis nuditate, tamquam armatura circumdati, & in eo solo sperantes, qui ait, Confidite, ego vici mundum, in ipsius pauperis Crucifixi nomine, hostiles excipiamus insultus.

Mat. 17. d — *Ioan. 16. d*

RESPONSIONIS TERTIÆ CAPVT II.

In quo possessionum Leuiticarum, & Ecclesiasticarum affluentia, monstrantur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed & commendatio diuitiarum ostenditur, non esse secura.

PAupertatis siquidem odibile bonum, retroactis temporibus in tanto fuit horrore sensualitati mortalium, vt ante Christi aduentum, vix quantumcumq; perfectus, pretiositatem ipsius agnosceret. Post vero in tanta fuit admiratione spiritualium, atque sapientium, vt vix quantumcumque peruersus hæreticus, ipsius dignitati derogaret, excepto dumtaxat Vigilantio quodam. Qui cum ad interpretationem sacri doctoris Hieronymi dormitasset iamdudum, nunc per nouũ quendam paupertatis hostem, illo non minus improbum euigilasse videtur. Ille nimirum contra paupertatis perfectionem, & sustentationem pauperum sanctorum, sui pectoris virus euomuit: hic autem bonorum temporalium affluentiam in culmine perfectionis Euangelicæ collocans, ipsorumque voluntariam carentiam, vt imperfectam, & superstitiosam calumnians, illius se fatetur discipulum, qui contra euangelizantium, & mendicantium pauperum ordines libellum composuit, quem sedes Apostolica condemnauit. Quem etiam non parua temeritate, velut innocentem excusat, ipsiusque doctrinam commendat, & approbat, non sine iniuria multa Sedis iam dictæ, cum nil aliud sit auctorem damnati libelli innocentem asserere, quam damnantis iudicium reprobare. Insurgens igitur temerarius, in serie sui libri exordio aduersus pastorem Ecclesiæ, vt pauperum ipsius gregem inuadat atrocius, primum se armat possessionibus Leuitarum. Nam in hoc persuasionis suæ summa consistit, quod cum forma perfectionis Euangelicæ in Leuitis præcesserit, quibus à Domino collatæ fuerunt decimæ, primitiæ, & oblationes ad viuendum, ciuitates ad habitandum, & suburbana ad alenda pecora, si nouum testamentum veteri non repugnat, quin potius consonat, quia tota erat in medio rotæ, nullo modo secundum hoc nouæ legis perfectio consistit in carentia huiusmodi possessionum, sed potius in habendo eas, vt Domino dedicatas. In hac autem persuasione, quam per multas verborum venatur ambages, non solum veritati, sed sibiipsi contradicit aperte. In præcedenti siquidem libro, cum abstinentiæ perfectionem impugnaret, asseruit vinum fuisse prohibitum filiis Aaron sacerdotibus, tamquam imperfectis, nunc autem illos eosdem in affluentia possessionum perfectos asserit, quasi verbi prioris oblitus, vel si forte memoriam habuit, in tantam deuenit erroris caliginem, vt putaret, quod abstinere à deliciis sit imperfectum, & possidere diuitias sit perfectũ. Insuper, & cũ paulo ante docuerit, quod in contemptu omnis proprietatis, Eũgelicæ perfectionis consistit inceptio, & sacerdotes Leuitici generis habuerũt vxores, & filios, ad quos bona sua tamquã vere propria hæreditaria successione transmittebant, necessario sequitur, quod perfectio Euangelica in Leuitis non fuit, vel quod abdicatio proprietatis non est initium perfectionis huiusmodi, ac per hoc manifeste conuincitur sibiipsi esse contrarius. Contrariatur etiam ipsi veritati. Si enim forma vitæ Leuiticæ perfectionem legis Euangelicæ veraciter continet, cum perfectio modi viuendi, tam in veteri testamento, quam in nouo, supremum teneat locum, & perfectio legis perfectioni Euangelij æquatur, necesse est summum legis, & summum Euangelij, tam in merito, quam in præmio inter se æquari, ac per hoc testamentum testamento, promissio promissioni, sacerdotium sacerdotio coæquatur. Si igitur lex neminem ad perfectum duxit, nec Euangelium: si non per legem iustitia, nec per Euangelium. si etiam qui sub lege erant, sub maledicto fuerunt, & qui sub Euangelio. Frustra igitur Dei Filius est incarnatus, & passus, frustra translatum est sacerdotium, frustra legis obseruantia pro maiori parte abolita, & Euangelica veritas introducta: quæ omnia cum sint falsa & impia, & prorsus abiicienda tamquam hæretica, necessario concluditur, & illud est erroneum, ex quo hæc sequuntur, scilicet quod in forma vitæ sacerdotium legalium, Euangelicæ perfectionis altitudo consistat. Vnde Apostolus ad Hebræos: Si consummatio, inquit, est, perfectio secundum Glossam, per sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat. Vbi Glossa: Hic incipit noui & veteris testamenti differentias dare, quia illud imperfectum. Cui etiam consonat illud, quod subsequenter adiungit idem Apostolus; Vmbram, inquit, habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, numquam accedentes perfectos faceret. Vbi Glossa: Lex vmbram habens, numquam potest facere perfectos virtutibus, & bonos Pontifices. Non est igitur perfectio virtutum, & consiliorum Euangelij in litterali obseruantia mandatorum legalium, & in modo viuendi illorum Pontificum requirenda, nisi sicut in figura & vmbra, quia hoc modo dicitur rota esse in medio rotæ, non per litteralis obseruantiæ æquitatem in testamento vtroque, sed per spiritualis intelligentiæ ænigmaticam præfigurationem. Quod si quis obiiciat, sicut & hic cui respondemus, allegat, quod forma præfata indicta sit sacerdotibus per Ezechielem, qui non vmbraticum, sed sanctum & verum Ecclesiæ templum describit; attendat quod ibidem præmittitur, quod sacerdos virginem ducat vxorem, & in sacrificio agnos, & vitulos offerat. Eadem igitur ratione qua perfecit, qui Euangelica in Leuiticarum possessionibus præcessisse decernitur, & in eorum vxoribus, & sacrificiis, atque obseruantiis ceteris fuisse monstratur. Quod si verum est, ad perfectionem Euangelicam spectat, quod sacerdotes nouæ legis vxores ducant, hircos & vitulos offerant, & primi cum tubis ad bella procedant. Quæ cum absurda sint, non est requirenda veræ perfectionis discretio in templo illo secundum litteram, sed secundum allegoriam. Vnde Hieronymus ait: Neque vero mihi aliquis opponat, diues in

Heb. 7. b — *Heb. 10. a* — *Ezec. 40. a* — *Hieron. ad Nepotianũ epist. 2.*

diues in Iudæa templum, mensas, lucernas, thuribula, patella, scyphos, mortariola, & cetera ex auro fabrefacta, tunc hæc probantur à Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudũ erat redemptio peccatorum, quamquam hæc omnia in figura præcesserint. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauerit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus. Quid miramur, quod Christus vocat iniquum mammona? quid suspicimus, & amamus, quod Petrus se non habere testatur? Alioquin si tantum litterã sequimur, & in auro, atq; diuitiis simplex non delectat historia, cum auro obseruemus, & cetera. Ducant Pontifices vxores virgines, lepra corporis animæ vitiis præferatur, crescamus, multiplicemur, & repleamus terram, figamus septimo mense tabernacula, & sollemnia ieiunia buccinis concrepemus. Quod si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes sic intelligimus, vt Dominus intellexit, & interpretatus est sabbatum, aut aurum repudiemus cum ceteris superstitionibus Iudæorum: aut si aurum placet, placeant & Iudæi, quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare. Hucusque Hieronymus. A quo luce clarius ratio præmissa dissoluitur, & Euangelicæ paupertatis, perfectio nouæ legi propriæ cõuenire docetur. Nequaquam igitur intelligendum est, bona Leuitarum Domino dedicata fuisse, tamquam in se sint aliquid sanctitatis habentia, & non possint esse occasio culpæ, sed quia deputantur sustentationi illorum, qui Domino famulantur. Quorum etiam Dominus possessio dicitur, quia sicut alij viuebant de fructibus terrarũ suarum, sic & hi de prouentibus diuinorum ministeriorum: ita tamen, quod ea quæ inde percipiebãt, proprietatis iure ad suos, vt dictum est, transmittebant hæredes: quia sicut illis non indicta erat castitatis integritas, sic nec consulta paupertas. Vnde Hieronymus ait: Alia fuit in veteri lege felicitas, in qua beatus dicitur, qui habet semen in Sion, & repromissio fit diuitiarum. Statim vt Filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi legem instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris. Tunc Holoferni caput Iudith continens amputauit. tunc Iacobus, & Ioannes relicto patre, reti, & nauicula secuti sunt Saluatorem, affectum sanguinis, & vincula sæculi, & curam domus pariter relinquentes. Tunc primum auditum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Nemo enim miles cum vxore pergit ad prælium. Discipulo ad sepulturam patris ire cupienti nõ permittitur. Vulpes foueas habet, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet, ne forte contristeris, si anguste permanseris. In his Hieronymus patenter insinuat, quod sicut statui testamenti veteris, diuitiæ competebant & nuptiæ: ita perfectioni nouæ legis, paupertas & castitas. Sicut igitur virginitas per Christum introducta, legem non soluit, sed implet; sic nec paupertatis consilium legem destruit, sed consummat, quia nec in eadem lege Euangelica, consilia præceptis contrariãtur, sed potius addunt ad perfectionem iustitiæ. Concluditur igitur per hæc, quod sicut à ratione dissonum est, formam perfectæ castitatis constituere in vxoribus sacerdotum legalium, sic sanæ doctrinæ aduersatur, perfectionem paupertatis collocare in possessionibus Leuitarum. His consonat Bernardus de colloquio Simonis & Iesu. Longe, inquit, aliud est, in luto aquarum multarum diuisi fundo maris, iter capere terrena licite possidendo: aliud ipsam nouis gressibus vndam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur, Petro nouum iter, & & non typus itineris seruabatur. Antiquorum sane Patrum diebus donec in terris videretur, & conuersaretur inter homines Dominus maiestatis, non erat Euangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. At cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, iam in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oportet etiã corporaliter imitari, vt vtroq; sequentes vestigio, non vlterius cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Neq; hoc dicimus tamquam saluari hoc tempore si secus quis egerit, nequeat, sed vt gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non vsurpet. Hæc Bernardus. Per quæ cupidorum error peruersus eliditur, à quibus sub pietatis specie per antiquorum Patrum diuitias, paupertas impugnatur. Ex quibus & illud consequitur, quod is cui respondemus non tamquam paupertatis amicus, sed aduersarius pauperum, super huiusmodi possessiones se fundans, perfectionis fundamenta nõ statuit, sed subuertit. Perfectionem igitur paupertatis extremæ, legalis obseruãtia non oppugnat, sed nec forma viuendi Apostolorum, nec loculi Christi, nec promissio centupli, sicut ex ante dictis est patens, insuper nec affluentia facultatum Ecclesiæ, qua velut armatura consequenter se munit pauperum hostis, non tam ad defensandum statũ ecclesiasticæ celsitudinis, quam ad deiiciendũ culmen Euangelicæ paupertatis. Si enim possessiones Ecclesiæ commendaret vt licitas, vt expedientes, vt perfectioni compossibiles, in his qui communiter possident, & his qui sancte dispensant, viam sequeretur sanctorum Doctorum, & Canonum confutantium peruersos hæreticos, qui Ecclesiam Dei propter possessiones acceptas à statu iustitiæ, & perfectionis asserunt esse collapsam, nec sanctæ paupertati prædicatur in aliquo doctrina huiusmodi, pro eo quod varij sunt in ea perfectionis modi, sicut circa responsionis principium fuit ostensum. Nunc autem quia suadere conatur possessiones ecclesiasticas ad perfectionis facere culmen, tamquam perfectius sit in eis Christo affluere, quam pro Christo carere; non solum gloriã paupertatis euacuat, verum etiam fundamenta ipsius Ecclesiæ subruit, dum Christum & Apostolos temporalia possedisse, ad dandum perfectionis exemplũ monstrare contendit. Etenim cum Christus de se diceret, quod nõ haberet vbi caput reclinaret, hic econtrario dogmatizat, quod domum habuit, de qua dixisse legitur: Domus mea, domus orationis vocabitur. Et post subdit, quod Christus iure proprietario vbi caput suũ reclinaret inter homines factus homo nõ habuit, qui tamquam verus Deus omnium Leuitarum bona possedit. In quo miro modo se ostendit omni veritatis intelligentia nudum, quasi nescientem distinguere inter ea, quæ Christi diuinitatem, & ipsius humanitatẽ respiciunt. Quod enim Christum dicimus fuisse pauperem, ad eius refertur humanitatem assumptam, in qua perfecte viuendi nobis monstrauit exempla, non autẽ ad diuinitatis eius potentiam, secundum quam non solum templum, & bona Leuitica eius dominio subiacent, verum etiã cœlum, & terra, & omnia quæ cœli ambitu continentur, dicente Propheta: Domini est terra & plenitudo eius. Ei vero, qui dicit, quod Christo tamquam vero sacerdoti Pater in manu omnia dedit, & quod sacerdotij iure Leuitarũ bona possedit, ipsemet paulo post aperte contradicit, cum subdit, quod nondũ translato sacerdotio, nec decimarum, nec possessionũ debuit translatio fieri. Si enim sacerdotium Leuiticum ante Christi passionem & resurrectionem translatum non fuit, manifeste colligitur, quod Christus iure sacerdotij eorum, quæ ad Leuitas spectabant, nil omnino possedit. Igitur tam veritati, quã sibiipsi contradicens, quia instar principis mundi huius in pauperrimo capite Christo, nil temporalium possessionum inuenire potuit, ad corpus ipsius, scilicet matrem Ecclesiam sermonem conuertit. De qua friuolis quibusdam præmissis auctoritate Canonis astruit, quod ratione maioris vtilitatis agros & prædia quę vendere cõsueuerat, possidere cœpit. Ex quibus consequenter sic arguit: Cum idem sit vtile & honestum, vt dicit Ambrosius, & quod est imperfectionis inquantum huiusmodi, declinet ab honestate, & quod est honestatis est perfectionis, prædia Ecclesiæ viris perfectis sunt in perfectionis cumulum, non in eius detrimentum. Hæc ratio ipsius, hæc verba; cuius rationis conclusio partim

Marginalia: Hieron. ad Eustochiũ epist. 22. — Iudit. 13. a — Mat. 4. — Mat. 16. d — Luc. 9. g — Bern. hom. super Ecce nos. ante med. — Psal. 23. a — Amb. lib. 3. de offic. c. 1.

est vera, & partim erronea. Verum est quidem, quod A ecclesiastica prædia sine detrimento perfectionis haberi possunt; quod autem sint ad perfectionis cumulum, sentire vel dicere adeo absurdum est, vt ex hoc status, modusque viuendi præsentium temporum vitæ Christi præferatur, & Apostolorum. quod est apertissime falsum. Vnde Hieronymus Malchi monachi vitam describens, ait: Scribere proposui ab aduentu Saluatoris vsque ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis vsq; ad huius temporis fæcem, quomodo & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta persecutionibus creuit, martyriis coronata, & postquam ad Christianos principes venerit, potentia & diuitiis maior, sed virtutibus sit minor effecta. Hucusq; Hieronymus. Insuper si prædia faciunt ad perfectionis cumulum, tunc quanto Ecclesiæ plura prædia possident, tanto qui in eis degunt perfectiores B existunt, ac per hoc nullus ab Ecclesia habente copiam prædiorum absque detrimento perfectionis ad religiones se transferre potest, quin potius è conuerso paupertatis ærumnas abiicere, & ad facultates Ecclesiasticas aspirare, sanctum erit atque perfectum. Eius sententiæ facultatem Hieronymus ad Nepotianum eliminans ironice ait: Sunt ditiores monachi, quam ante fuerant sæculares. possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt: & suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Amplius si Ecclesiastica prædia faciunt ad perfectionis cumulum, nihil est, secundum Christi consilium, vendendum, dandumq; pauperibus, sed totum Ecclesiæ agris, seu opibus aggregandum, cum secundum hoc dogma profanum, cumulatio possessionum in Ecclesia Christi C ad cumulum faciat perfectæ sanctitatis. Contra quod Hieronymus ait: Alij ædificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumq; deaurent capita gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, nō abnuo. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis fidei. Ex his colligi potest, quod præfata conclusio multiformem continet absurditatem. Sed & ratio ipsa non valet. Nam sicut possessiones sunt vtiles, sic & alia multa, vtpote vxores, serui, arma, & temporalis potentia, ex quorum retentione non sequitur, quod cumulus perfectionis accrescat. Nec ei suffragatur Ambrosij verbum, quo diffinit, idem esse vtile & honestum: loquitur enim de vtili- D tate bonorum spiritualium, non terrenorum. Nam eodem libro: Nihil vtile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, diffinimus, non quod ad delectationem præsentis. Nec aliqua cōmoda in facultatibus & opum copiis constituimus, sed incōmoda hæc putamus, si non reiiciantur: eaque oneri magis cum adsunt æstimamus, quā dispendio cum erogantur. Idem quoq; liber à parte alia, sic ait: Nullum adminiculum præstant diuitiæ ad beatam vitam. Quod euidēter determinauit Dominus in Euangelio dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, &c. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adiumento esse euidentissime pronunciatum est. Sed & E illa quæ videntur bona diuitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, detrimentum esse ad fructum beatitudinis, Dominico declaratum iudicio liquet. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. Hucusq; Ambrosius. Quod & in prædictis intelligēdis, loquitur de vtilitate intrinseca, & spirituali, quæ idem est quod honestas, non autem de extrinseca, de qua non habent intelligi, secundum quod etiam pronunciat Sapiens, vtiliorem esse sapientiam cum diuitiis. Sunt enim possessiones terrenæ vtiles, & sustentamenta naturæ ad opera humanæ industriæ, nonnullis etiam ad exercitia virtutis perfectæ, sed hoc non inest eis ex seipsis, sed ex parte vtentis. Vnde Augustinus in fine libri, vnde malum.

Hier. in vita Malchi.

Hieron. ad Nepotianū epist. 2.

Hieron. ad Demet. ep. 8. post med.

Idem lib. 1. de offic. c. 9.

Ibidē lib. 2. c. 4. & 5. Luc. 6. c

Qui, inquit, bene vult vti temporalibus bonis, non eis amore agglutinetur, & velut membra animi sui faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent, sed eis totus superferatur, & habere illa, atque regere paratus sit, amittere vero ac non habere paratior. Hæc Augustinus. Quæ numquam diceret, si temporalia bona essent vtilia, secundū quod vtile idem est quod honestum, quia nullus recte sapiens paratior esse debet, honestatem amittere, quam seruare. Multum igitur à sapientia discors fuit, qui in temporalibus Ecclesiæ bonis, honestum ab vtili non discreuit. In sui quoque firmamentum erroris, perfectionis virtutum, & possessionis opum septiformem assignat germanitatē dicens, quod Dominus voluit ministros Ecclesiæ ipsum perfecte sequi, volentes habere bona communia mobilia, & immobilia: primo propter cautelam futurorum, quod est prudentiæ: secundo propter sustentationem ministrantium, quod est iustitiæ: tertio in sustentamentum egentium, quod est misericordiæ: quarto in mutuæ charitatis nutrimentum: quinto propter quietudinem: sexto in aliorum exemplum, & largitionem eleemosynarum: septimo propter conformitatem ad cœlestem curiam, cuius participatio in idipsum. Ex quibus omnibus arguit, quod habere possessiones Ecclesiasticas perfectionem non minuit, sed consummat. Quamquam autem prædictarum rationum aggregatio, superficietenus considerata efficax videatur, & pia: si tamen discutiatur interius, inefficax inuenitur & impia. Pro eo, videlicet impia, quia si mobilium & immobilium, communis possessio non diminuit, sed potius complet, qui non valent, nec volunt hęc possidere communia, perfecti esse non possunt. Insuper cum Christus & Apostoli huiusmodi possessiones immobiles non habuerint, sequitur in eis, quod consummatæ perfectionis exemplum nō effulsit. Inefficax vero, quia in eisdē rationibus, potest etiam aliquis laicus vxoratus bona sua retinere, scilicet, vt prudenter, iuste, misericorditer, charitatiue ministrantibus Christo subueniat, ad illorum quietem, & aliorum exemplum secundum conformitatem supernam, in qua est communicatio larga bonorum: aut igitur talis erit perfectus, aut præfata ratio nullius efficaciæ esse conuincitur. Amplius sicut Ecclesiastica bona, bene vtentibus sunt materia exercendarum virtutum, sic etiam abutentibus sunt fomentum multiformium peruersitatum: vtpote iniustitiarum, impietatum & carnalitatum, nec tamen inferri potest, propter huiusmodi abusum, quod bona huiusmodi habere sit impium, pari ratione inferri non poterit, quod per bonam dispensationem vtentium ea habere sit perfectum in se & absolute, vel perfectius quam carere. Vnde & illa conclusio quam post explicationem rationum prædictarum, in quibus multas absurditates interserit, tamquam finaliter intentam subiungit, nullius est probabilitatis, sed magnæ perfidiæ. Ait enim, vt verbis eius vtamur. His causis prædictis forte, & aliis quæ à sapientibus possunt inueniri cum apice perfectionis. Quod enim citra est, imperfectum est. bona temporalia Ecclesiæ à perfectis viris præcepit Deus, & voluit possideri. In quibus verbis manifeste aperit, quod paupertatis Euangelicæ perfectionem totis viribus eliminare contendit. Si enim temporalia bona Ecclesię possidere sic est perfectum, vt dicit, vt omne quod est citra illud, sit imperfectum, pauperes igitur Christi, qui nihil omnino possidere volunt, sed totum dant, vt vidua illa paupercula, aut citra hunc perfectionis apicem consistunt, & tunc imperfecti: aut vltro procedūt, & tunc superstitiosi impij. Si igitur talis fuit Christus, sicut narrat Euangelicæ veritatis historia, & perfectorum testimonio monstratum est supra; tales etiam fuerunt Apostoli, necessario sequitur secundum Antichristianam doctrinam, quod Christus & eius discipuli, vel superstitiosi fuerint, vel imperfecti. Insuper si hæc temporalia bona Christus præcepit possideri à viris perfectis, sicut asserit, quicumque ergo perfectionis statum

profitentur, & hæc bona non possident, transgressores diuini præcepti esse conuincuntur. Quod si verum est, vtique dici non potest, Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum Dei. nec: Væ vobis diuitibus, sed potius, væ vobis pauperibus, tamquam miseris, imperfectis, iniustis, & impiis. Beati diuites. Beatus etiam populus cui hæc sunt, sine quibus, nec perfectionis apex, nec virtus iustitiæ possidetur, quæ perfectio inter dona Dei locum præcipuum tenet. Caueat sibi qui eiusmodi sententiæ est, ne super eum maledictio principis Apostolorum iuste descendat, dicaturq; sibi: Pecunia tua tecum sit in perditionem, eo quod existimasti donum Dei pecunia possideri. Mirum certe quomodo quis potest ad tantam impietatem proficere, ad tantam venire insaniam, ad tantã prorumpere fatuitatem, vt cum Christus viris perfectis suadeat omnia vendere & dare pauperibus præcipiatq; Apostolis, vt nec peram, nec pecuniam tollant in via, nec aurum, nec argentum possideant, è contrario audeat dicere præceptum esse à Deo viris perfectis temporalia possidere. Quã vero absurda dogmata conclusio præfata cõtineat, ex ipsius verbis elicitur, ex quibus affirmat omne quod infra perfectionis apicem est, esse imperfectum. Si apex dicit summam rei alicuius extremam & excelsam, & apicem perfectio habet, aliquid est perfectionis citra apicem eius: duo ergo contraria simul dicit, cum asserit perfectionem habere apicem, & nihil citra perfectionis apicem esse perfectum. Est etiam hæc vniuersalis negatiua pene in toto falsa, scilicet cum non solum perfectio vitæ, sed etiam perfectio patriæ gradus habeat. & sicut perfectio castitatis & obedientiæ potest esse maior & minor, sic & paupertatis, quemadmodum ex primæ responsionis tertia parte patescit. Deniq; quam periculosum sit possessionum affluentiam magnis laudatam præconiis desiderabilem reddere, ex hoc patenter aduertitur, quod omnium fere mortalium appetitus, & sensus proni sunt ad concupiscentiã oculorum, & admirationem diuitiarum. Et sicut dicit Apostolus ad Timotheum: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Quod si dixerit non se laudare possessiones quascumque, sed tantum communes & Ecclesiasticas, & Domino dedicatas, attendat quod nõ paruum latet in ipsarum cumulatione periculum. Vnde Bernardus de colloquio Simonis & Iesu: Dotatas & dedicatas cernimus Ecclesias à potentibus & diuitibus huius sæculi, qui in operibus bonis diuites, iuxta Domini admonitionem amicos sibi facere studuerunt de mammona iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula reciperentur. Quid ni sperarent ab his se recipi qui claues videntur habere? Sed heu data est ipsa prouidentia eorum in occasionem carnis, & qui sibi atq; aliis in cœlo tabernacula parare debuerant, in terra coniungunt domum ad domum, & copulant agrum agro: Quis rapuit ab ore Apostolorum huiusmodi temporis verbum gratiæ, verbum fiduciæ: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Ecce enim vt populus, sic sacerdotes diuites fieri volunt, similiter hic suam & abundantius suam recipiunt consolationem, similiter amicis egent & ipsi, vt in aliena tabernacula recipiantur, vt propria non habentes. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc Bernardus. Idem quoque quibusdam interpositis subdit: Vtinam in duodecim vnus hodie Petrus, vnus qui reliquerit, vnus qui loculis careat, inueniatur. Vtinam saperes miser & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, & thesaurum iræ pariter cumulari, vtinam nouissima prouideres, animaduerteres facile per foramen acus transituros non diuitiarum cumulos, sed delictorum. Nihil enim tulimus in hunc mundũ, haud dubium, quia nec auferre possumus quicquam. Hucusque Bernardus. Cui Gregorius Nazianzenus concordat in quodam sermone contra persecutores Ecclesiæ loquens: Sed facultatibus, inquit, defraudabunt. Quibus, meis? Sed facilius mihi alas abscindent, quas non habeo. Si autem Ecclesiasticis, hoc vtique pro quo omnis pugna, & omne certamen. An ignoramus, quod per pecuniæ cupiditatem & loculorum fraudem, ad proditionẽ proficiscitur Christi? Hæc Gregorius Nazianzenus. Ad hoc etiam facit quod dicit Ambrosius in lib. de officiis. Qui Apostolos sine auro misit, Ecclesias sine auro congregauit. Et iterum: Qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est, quidquid in sæculo est. Qui exiguum habet, non minuit, quia nihil est quod amittit, res sine dispendio est, quæ tota dispendium est. Ex his clare patet sanctorum curam fuisse præcipuam, non ad quarumcumq; possessionum amorem allicere, sed potius exemplo Apostolorum ad earum contemptum prouocare. Nec tamen ex his intelligat aliquis, quod Ecclesiastica bona per modum dilapidationis sint habenda contemptui, quoniam hoc sacri Canones inhibent, sed à personis non alligatis curæ pastorali ratione maioris securitatis, siue perfectionis, valeant pro Christi amore dimitti, & quod hi quibus dispensatio eorum committitur eis, quę dispensant, nullatenus alligentur affectu. Hic autem vt affluentiam opum reddat amabilem, tanquam rem sanctitatis eximiæ in rationali Ecclesiæ collocat, ex quo iudicium cum veritate responderi solebat, cum tamẽ hæc sua doctrina omni careat ratione iudicij, & rectitudine veritatis. Fingit etiam superhumerale quoddam, quod huic irrationali, siue phantasię coaptat adducens in medio duodecim viros sanctos atque approbatos, qui de statu paupertatis ad dispensandas diuitias assumpti fuerunt Clementem, Siluestrum, Gregorium, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Chrysostomum, Martinum, Nicolaum, Paulum, Augustinum, Anselmũ, quorum exempla suo adaptans errori, in sequentibus subdit: Isti sunt duodecim filiorũ Israel nomina, isti sunt vittæ hiacynthinæ, & catenulæ aureæ. Post quæ addit: Ista est doctrina Dominica, statuto Apostolorũ Hierosolymis solidata, à sanctis Doctoribus exposita, à perfectis Christi imitatoribus obseruata, non vt nihil in communi, aut proprio haberetur, sed vt spreta proprietate, bonorum Ecclesiæ communitas seruaretur. Si aliter docueris, caue ne fias, secundum Apostolum, anathema, quod à viro absit Catholico, qui puniri recusat cum apostata Iuliano. Hæc verba ipsius. In quibus & ignorantem se esse demonstrat & impium. Nisi enim impius esset, numquam de professoribus paupertatis, in qua nihil habetur in proprio, vel communi, sensisset tam impie, vt eos tamquam hæreticos iudicasset, anathema esse à Christo. Qua quidem blasphemia non solum hos Christi pauperes, sed & Romanam Ecclesiam impetit, quæ hunc viuendi modum approbauit. Insuper & bonos viros catalogo Sanctorum asscriptos, & quod maius est ipsos Apostolos, qui, vt ex superioribus claret, in extrema paupertate vixerunt, quibus etiam tanquam duodecim filiis Israel in superhumerali Summi Pontificis Christi conscriptis, & per propria nomina designatis, summa paupertas indicitur. Sic enim scribitur in Matthæum: Apostolorum nomina sunt hæc, Simon primus, qui dicitur Petrus, & dehinc ceteris nominatis subiungit: Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis: Nolite possidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, &c. In quibus superhumerale vitæ Apostolicæ cum rationali perfectionis & paupertatis altissimæ, per charitatem regni cœlestis, tamquam vitta hiacynthina, indissolubili iunctura constringit, cum interponit, Gratis accepistis, gratis date. Hoc autem superhumerali, & rationali verus Pontifex Christus adornatus fuit, dum sanctæ paupertatis perfectionem & verbo docuit, & exemplo monstrauit, & tunc potissimum, quando vt verus Pontifex per sanguinem proprium ingressus in sancta, pauper & nudus in cruce pependit. Hoc ornamento nobili & spirituali, quo à corporalibus crucifixoribus Christus spoliari non potuit, hic velut atrocissimus prædo eum nudare contendit, & aliud quoddam confingere nititur, non vitta hiacynthina, & catenulis aureis, sed terrenarum possessionum affluentiis, tamquam iunctura lutea & viscosa constrictũ, quasi Christus cum Aposto-

Marginalia: Act. 8. d; 1 Tim. 6. b; Bern. hom. super Ecce nos.; Luc. 16. b; Amb. lib. 1. de offic. cap. 28.; Mat. 19. c

Apostolis terrena possederit, ipsaque communis possessio altius prouehat, magisque ad cœlestia eleuet, quam extrema, & altissima paupertas. Quod nemo dubitat falsum, nisi qui modos prorsus ignorat mentalis eleuationis in Deum. Vnde Hieronymus ait: Ioseph cum tunica Ægyptiam effugere non potuit. Adolescens qui opertus syndone sequebatur Iesum, quia tentus fuerat à ministris, terrenum abiiciens operimentum nudus euasit. Elias igneo curru raptus in cœlum, melotam reliquit in terris. Eliseus boues & iuga prioris operis vertit in vota. Loquitur sapientissimus vir, Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Quamdiu versamur in sæculi rebus, & anima nostra possessionum, & redituum procuratione deuincta est, de Deo libere cogitare non possumus. Cui & Glossa consonat super illud Canticorum: Spoliaui me tunica mea, &c. Deceptus sollicitudine temporaliū subsidiorum, quantumlibet eximius Doctor difficile vitat peccatum. Hæc autem idcirco non dicimus, quod dispensatio facultatum Ecclesiæ à viris sanctis administrari non possit absq; detrimento perfectionis, sed vt discernamus pretiosum à vili, quia perfectionem eis non contulit temporalium bonorū administratio, sed contemptus: non temporalis affluentia, sed spiritus paupertatis, quo inter rerum affluentium copias sic viuebant, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes; quemadmodū nobilis ille prælatus, de quo ait Hieronymus scribens ad Rusticum: Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptanæ imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil eo ditius, qui corpus Christi canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam proiecit de templo, qui cathedras vendētium columbas, mensasq; subuertit, mammonæ & nummulariorum æra dispersit, vt domus Dei domus orationis sit, non spelunca latronum. Huiusmodi tu sectare vestigia, & ceterorum qui virtutum illius similes sunt, quos sacerdotium & humiliores facit, & pauperiores. Aut si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria & cognatione tua. si habes substantiam, vende, & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es. Nudū Christum nudus sequere. Durum, grāde, difficile, sed magna sunt præmia. In his sacer Hieronymus distinguit pretiosum à vili, simulque ostendit, quod aliud competit perfectioni prælati, qui est persona communis, aliud perfectioni personæ priuatæ. Et ideo quamquā ratione prælationis, quisquis religiosus à statu paupertatis ad dispēsationem temporalium possit assumi, impium tamen est, hoc ad consequentiam trahere. Sicut enim prælatis ratione curæ pastoralis, competit extrinsecis interdum implicari negotiis salua perfectione, nec tamen inferri potest, quod in persona priuata æque perfectum sit, per extrinsecas occupationes erga plurima turbari cū Martha, velut per intimas, feruidas, & iucūdas sursum actiones secus pedes Domini quiescere cum Maria; sic & in proposito intelligendum. Licet igitur Pontifices, siue summi sacerdotes, quia curam habent, nō solum quantum ad perfectos & validos, verum etiam infirmos & imperfectos, quos pascere debent exemplo & verbo, & pro loco & tempore, corporali subsidio, salua perfectione possessiones susceperint ad sustentationem pauperum & Ecclesiæ ministrorum, non tamen ex his quibuslibet priuatis personis, in quolibet Ecclesiæ statu ascribi potest nec debet, quod in tanto sint perfectionis culmine cum amplitudine possessionis, sicut cum altitudine paupertatis. In hoc autem quod laudatores paupertatis extremæ, imitatores existimat Iuliani apostatæ, non solum nequitia plenum, sed etiam veritatis notitia vacuum esse se demonstrat: dum professoribus veritatis malitiose crimen impingit erroris, & ipsam perfidiam Iuliani apostatæ tamquam ignorans, à laude paupertatis insinuat traxisse originem, cum tamen ipse Iulianus non in hoc errauerit, quod assereret omnia temporalia relinquenda fore secundum dictamen diuini consilij, ad quod nemo astringitur, nisi velit: sed potius ad suæ auaritiæ rapacitatem colorandam, & conculcandam Ecclesiam, hoc dicebat esse de necessitate diuini mandati, allegās illud Christi verbum, quod scribitur in Luca: Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ex quo ipse vniuersaliter calumniabatur Ecclesiam, quasi nulla esset differentia inter renunciare omnibus, & relinquere omnia. Verum sicut Glossa dicit ibidem, hoc distat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, quia renuntiare conuenit omnibus, qui ita licite vtuntur mundanis quæ possidet, vt tamen mente tendant ad superna: relinquere vero est solumodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt & solis æternis inhiant. Hæc Glossa. Ex qua manifeste colligitur, quod quisquis hoc sentit, quod perfectorum sit omnia relinquere, & solis æternis inhiare, doctrinam sequitur Iesu Christi, non perfidiam Iuliani. Nam quamuis dicat omnia pro perfectionis amore debere relinqui, non tamen asserit bona Ecclesiæ dirui, quia licitum est dimittere propria, sed illicitum, rapere aliena.

Hieron. ad Lucinum epist. 28. — Eccli. 13. a — Cant. 5. b — Hieron. ad Rust. ep. 4. cir. fin. — Luc. 14. g

RESPONSIONIS TERTIÆ CAPUT III.

In quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, & penuriosæ paupertatis duodenaria prærogatiua monstratur.

Mos peruersarum mentiū esse dignoscitur, si qua sententiæ suæ contraria propter istorum certitudinem inficiari nō possunt, fraudulenta calliditate peruertere, & ad sensum trahere repugnantem, iuxta illud Bernardi ad fratres de monte Dei. Si in lectione Deum quærit qui legit, omnia cooperantur ei in hoc ipsum; si autem in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post seipsum, nihilque tam sanum, tam pium in scripturis inuenit, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauum intellectum non applicet suæ malitiæ vel vanitati. Quod manifeste in aduersario pauperum nunc cernimus esse completum. Cum enim certum sit, paupertatem, quæ consistit in abdicatione rerum temporalium propter Deum esse laudabilē, magistrumq; Christum perfectionis, in paupertate vixisse vsque ad mortem, hic in comparatione possessionum & opulentiarum sic peruertendo attenuat, vt nil sanctæ paupertati de perfectionis sublimitate relinquat. Inuestigans enim primo causam abdicationis temporalium, hanc dicit esse ipsorum appropriationem, seu proprietatem, quæ quoniam ex radice descendit auaritiæ, vt verbis eius vtamur, non stat cum perfecta charitate, quę non quærit quæ sua sunt. Et ideo dicit consultam esse abdicationem proprietatis ad excludendam cupiditatem, qua extirpata, his qui eiusmodi sunt, recte committitur dispensatio bonorum temporalium, tamquā scientibus vti, & non quærentibus quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Quod per Abrahæ, Iacob, Ioseph, Dauid, Daniel, patrum scilicet veteris testamenti exempla confirmat. In his autē verbis & exemplis superficialiter consideratis nihil apparet erroneum: si tamen diligenter discutiantur, magnum inuenitur latere venenum. Si enim proprietas sola causa est abdicationis temporaliū, vt extirpetur cupiditas, & perficiatur charitas ad bona huiusmodi temporalia dispensanda, tunc igitur paupertas non est nisi sicut via ad abundantiam, & dispositio quædā præambula, ac per hoc nulla perfectio consistit in ea. Imperfecta igitur fuit vita Christi & falsa doctrina qua dixit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus. Amplius si vnum aliquod collegium, non dicam vnius regni, sed totius mundi bona in communi possideat, altissimum illud de paupertate consilium integerrime seruat, immo quod est absurdius multo perfectiori modo, quā hi, qui in extrema rerum penuria in fame, scilicet siti, frigore, & nuditate Domino

Bernar. ad frat. de monte Dei, de vita solitaria. — Mat. 19. c — Luc. 18. e

seruiunt, cuiusmodi fuerunt Apostoli. & hi, qui exempla eorum sequuntur. Quod cum euidenter sit falsum, restat quod hæc non sit causa præcisa, & principalis abdicandi diuitias, quia propriæ, sed quia illecebrosæ, vt ostensum est. Verum est quidem, quod propriæ diuitiæ magis solent esse illecebrosæ, quam communes, & ideo magis est de essentia perfectionis contemptus ipsarum, non quia appropriatio sit culpa, vel semper habeat culpam annexam, sed quia, vt frequẽtius, solet esse occasio culpæ. Vnde & ipsemet in consequentibus exemplis, sibiipsi contradicit, cum asserit illos sanctos patres, non solum sine culpa, sed etiam cum perfectione, bona hæc temporalia possedisse. Ipsi etiam Leuitæ, qui vxores habebant, & filios, constat quod aliqua propria possidebant, quos tamen superius de perfectione laudauerat. Ipse etiam populus Israeliticus terram patribus repromissam adeptus, absque peccato distinctas & proprias portiones accepit. Insuper nunc reuelatæ gratiæ tempore, secundum scita legum & Canonum, iuste & sancte aditur & possidetur hæreditas, non solum in partialibus patrimoniis, sed etiam in principatibus & regnis, sicut ipse inferius de Constantino Raymundo, & similibus fatetur. Non ergo proprietas est ratio abdicationis, sicut falso insinuat, quasi semper sibi sit peccatum annexum. Sane quod dicit Clementina, quod pro iniquitate, alius dicit hoc esse suum, alius illud, nõ est intelligendum generaliter, sed vt in pluribus, vel intelligendũ est, quod huiusmodi appropriatio descendit ex iniquitate primorum parentũ, quod nisi illi peccassent, huiusmodi appropriatio non fuisset. Non tamen ex hoc sequitur, quod omnis appropriatio sit cũ peccato, quia ex præuaricatione primorum parentum, non solum peccata descendunt, sed etiam pœnæ peccatorum. Licet autem diuitiæ tam communes, quam propriæ haberi & possideri valeant absq; peccato, tamen eas relinquere perfectionis est, quia sicut imperfectio de se non dicit culpam, vt ex supra dictis apparet, sic & perfectio non tantum dicit iustitiæ rectitudinem, verum etiam expeditionẽ: quam quidem expeditionem diuitiæ, quia illecebrosæ & periculosæ præpediunt. Vnde Gregorius libro 4. Moralium: Rarum valde est, vt qui possident aurum, ad requiem tendant, cum per semetipsam Veritas dicat: Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Idem etiam in 4. Dialogorum: Cura rei familiaris vix sine culpa agitur, etiã ab his, qui qualiter culpas declinare debeant, sciunt. Et Rabanus super Matthæum: Difficile, hoc est, maximi laboris est, pecunias habentes, vel in pecuniis confidentes exutis philargyriæ retinaculis, aulam regni cœlestis intrare. Propter quod securum est diuitias fugere, & eas abdicare perfectum. Vnde Hieronymus ait: Apostolici fastigij est, perfectæque virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem & expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare. Porro exempla, quæ subiungit de patribus, incõuenientia sunt ad propositum. Primum quidem, quia non se expropriauerunt, vt hic falso confingit, dicẽs, quod Dominus sanctum Abraham propria hæreditate derelicta, nudum de terra sua exire coegit, & præcepit. Nam & textus Geneseos aperte contradicit, vbi dicit: Egressus est Abraham, sicut præcepit ei Dominus, tulitq; Saram vxorem suam, & Loth filiũ fratris sui, vniuersamq; substantiam quam possederant, & ingressi sunt vt irent in terram Chanaan. Quod autem Iacob, Ioseph, Dauid, aliquando in paupertate fuerunt, hoc magis fuit vrgentis necessitatis, quam voluntariæ expropriationis. Quod vero Daniel omnia sua vendiderat, quia de scripturis auctoritatem non habet, si sapientia Danielis fuisset imbutus, nequaquã adduxisset in medium, quia prudentius silentio tegitur, quod scripturarum testimonio non probatur. Secunda ratio est, quare dictorum patrum exempla non congruunt, quia cum perfectione virtutis aliquos habuerunt actus extrinsecos, secundum exigentiam temporis, qui trahi non possunt in exemplum perfectionis, sicut in Patriarchis pluralitas vxorum, in Dauid strenuitas ad bellandum, & in Elia occisio prophetarum Baal, & si cum istis perfectionem seruauerunt, magis admirabiles, quam imitabiles viris perfectis proponuntur. Vnde Augustinus de moribus Ecclesiæ: Amisit Iob omnes diuitias, & factus est repente pauperrimus, sed inconcussum tenuit animum, quo animosi esse possent nostri temporis homines, cum magnopere in nouo testamento ab istorũ possessione prohiberemur, vt perfecti esse possemus. Hæc Augustinus. Cui consonat Gregorius in Moralibus: Necdum virtus præcepti emicuerat, quæ omnia relinqui præciperet, sed tamen eandem præceptionis vim in corde seruabat, quia nimirum substantiam suam iam mente reliquerat, quam sine amore possidebat. Ex quibus euidẽter apparet, quod Iob terrena possidendo, perfectus fuit solo contemptu mentis, quia nondum emicuerat consilium paupertatis. ac per hoc, sicut coniugium Abrahæ, cui non præfertur cælibatus Ioannis, non est trahendum tempore gratiæ in exemplum perfectionis, sic nec patrum sanctorum possessio temporalis. Tertia quoque ratio ad hoc ipsum est, quia multa patribus in figura contingebant & vmbra, quæ tempore reuelatæ gratiæ & veritatis, perfectioni non consonant, & ideo illa nunc in exemplum trahere, non modicam generat absurditatẽ. Vnde Bernardus de colloquio Simonis & Iesu: Excusant se aliqui fortassis, dicentes: Abraham, Isaac, & Iacob, ceterique Sancti, numquid non terrenas diuitias habuisse, leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt. neque enim sumus nos patribus meliores. Si culpabilis possessio esset diuitiarum, numquam illi in diuitiis tantam à Domino gratiam obtinerent. Quid respondebimus nouis imitatoribus veterum Sanctorum. Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit. Sed hæc, inquiunt, statum vltra nõ habent: vbi reuelata est veritas transiere. Quid si ipsas quoq; Sanctorum diuitias temporales, vmbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Deniq; quidni terrenas palam diuitias possiderent sancti & perfecti viri, cum sola terrena palam promitterentur à Domino. Vbi sane cœlestis promissio innuit, necesse est spiritualibus spiritualia comparari, & mutari sacrificium specie mutata. Non sunt igitur huiusmodi exempla, nec etiam prælatorum, quæ consequenter annectit, cum de paupertatis perfectione agitur, adducenda in medium, ne sub specie sanctitatis Pontificalis officij, quod opulentia commutatur, & bonorum paruipẽdatur paupertas, vilificetur humilitas, excitetur cupiditas, & ambitio foueatur, quæ omnia is cui respondemus pauperum hostis, omni qua potest virtute conatur. Nam verum iustitiæ Solem, qui paupertatis & humilitatis exẽpla in vniuersum orbem radios suæ lucis emisit, phantasticæ cuiusdam nebulositatis obiectu obscurare contẽdit. Quærit enim: Vt quid Christus pauper esse voluit? Vt quid Rex fieri recusauit? Et respondet, vt verbis eius vtamur, ideo pauper esse debuit, vt animi statum teneret, qui ab omnibus imitari valeret. Neq; enim omnes diuites esse possunt, sed si voluerint omnes pauperes fient. Postq; subiungit: Quod autẽ ne Rex fieret, fugit mũdanas dignitates fugere docuit. Alius est n. honor Regis, alius prælati, siue sacerdotis. Hæc sunt verba illius, in quibus tam viriliter & indocte sentit, & loquitur de alta & tam nobili materia, vt nos etiam pudeat, ipsius ineptias replicare. Quis enim in sacris litteris eruditus vel modicum, quis quantulamcumque ad Christum reuerentiam habens, altissimi Dei benignissimam condescensionem vsque ad extremæ paupertatis inopiam sic audeat paruipendere, vt putet eũ hoc egisse absq; ratione & causa permaxima? Quam tamen is paupertatis hostis adeo friuolam arbitratur, vt ne vereatur dicere, ideo Christum pauperem factum, quia nõ omnes possunt diuites fieri. Si igitur possent omnes adipisci diuitias, sicut & paupertatem assumere, æque bene vel magis secundum hanc profanam doctrinam, Christus debuisset temporalibus bonis diues esse,

quam

Hieronym. ad Demet. epist. 8.

Gen. 12. a

Bern. hom. super Ecce nos.

quam pauper. Quod si verum est, paupertas in nullo præfertur diuitijs:nec magis est meritorium proChristo pauperem fieri, quam possidere diuitias. Quapropter sicut Christus dixit adolescenti diuiti. Vade & vende, ita secundum hoc Antichristianum dogma, dici potest & pauperi: Si vis perfectus esse, vade & posside, Insuper cum dicit, quod omnes possunt pauperes esse, aut intelligit de paupertate quæ habet aliquid in communi, cuiusmodi est in collegiatis Ecclesiis & tūc est falsum, quia non omnes etiam si velint admittuntur ad collegia talia: aut intelligit de paupertate in qua nihil habetur, & tunc etiam falsum est, quia non omnes saluis statibus, quos in Ecclesia vniuersali Deus esse instituit, hanc possunt paupertatem eligere, sicut patet in regibus & principibus, militibus, popularibus, cæterisq; habentibus vxores & filios. Et quoniam qui à recta veritatis via discedit, per deuia vagatus errorum, hinc prouenit, quod de Christi fuga in consequentibus loquens, in multa incidit falsa, dicens quod Christus docuit honores esse fugiendos, non Ecclesiasticos, sed mundanos; quia acceptauit honorem in Hierusalem sibi exhibitum vt Prophetæ, qui prius fugerat honorem sibi oblatum vt Regi, expresse textui contradicit Euangelico. Nam in Ioanne dicitur: Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Et in Marco, quod turbæ clamabant dicentes: Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid. Super quod Beda: Non reprimit voces eorum, qui regnum Patriarchæ Dauid in eo restaurandum, & prece benedictionis dona recuperanda concinunt. Vt quid igitur quod prius fugiendo declinauit, modo libens amplectitur? nisi vt aperte doceret, quod non temporalis & terreni, sed æterni in cœlis Rex esset imperij, ad quod profecto regnum, per contemptum mortis & gloriam resurrectionis perueniretur? Ex his clarū est, quod Christo exhibitus fuit honor Regalis, non Propheticalis, seu Sacerdotalis, vt dicit; quem tamen acceptauit propter mysterium nostræ salutis, & propter exemplum humilitatis, vt etiam ab his oblati honoris non recusaret obsequium, à quibus paulo post crucifigēdum se esse sciebat. Tunc siquidem inter laudantium, & applaudentium voces, humilitatis & pietatis non immor, super aselli tergum sedere non erubuit, sed etiam copiosos lacrymarum imbres effudit. Per hunc etiam modū, quando discipulorum pedes humiliter abluit, se magistrum & Dominum esse, & dici debere monstrauit: vt per declarationem Regiæ celsitudinis, discipulos duceret ad imitationem ostensæ humilitatis. Mira igitur peruersitas est, ea quæ scriptura introducit in exemplum abiectionis, ad fomentum ambitionis intorquere, quasi non sit humilitatis virtus, honores Ecclesiasticos fugere, nec superbiæ vitium ad illos aspirare. Cuius contrarium dicit Gregorius in registro: Ego, inquit, viam capitis mei sequens, summopere decreueram esse opprobrium hominum, & abiectio plebis. In quo manifeste ostendit, quod in fuga Ecclesiastici honoris est imitatio Christi. Idem quoque in pastorali: Nolite plures magistri fieri. Hinc ipse Dei & hominum mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum spirituum scientiam sensumq; transcendēs, ante sæcula regnat in cœlis. Qui enim idcirco in carne venerat, vt non solum nos per passionem redimeret, verumetiam per suam conuersationem doceret exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte peruenit, oblatam gloriam luminis fugit, pœnam probrosæ mortis expetijt, vt membra eius discerent fauores fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare. Hucusque Gregorius. Si igitur Christus in fugiendo regnum, se sequentibus exemplum dedit fugiendi gloriam, fauorem, & prosperitatē, & hæc non tantum inueniuntur in dignitatibus mundanis, sed etiam Ecclesiasticis; constat, quod humilitatis est hæc refugere, ad perfectam humilitatis Christi imitationem, quantum fieri potest saluo zelo animarum salutis, & obedientia respectu superiorū, cum ipse Christus discipulis contendentibus, quis eorum videretur esse maior, in Matthæo respondeat: Quicumq; humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. Quod si forte quis dicat (sicut in consequentibus conatur astruere) hoc ad humilitatē spiritualē & interiorem, non ad corporalem & exteriorē debere referri: non modicum desipit, cum vniuersorū magister & Dominus, non solū spiritualis, sed etiam corporalis humiliationis exempla præbuit, quando discipulorum pedes lauit & tersit, vbi & dixit: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. De quo Augustinus: Passurus Christus exitia, præmisit obsequia, nō solū eis pro quib. erat subiturus mortē, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta quippe est humanę humilitatis vtilitas, vt eam suo cōmendaret exemplo etiam diuina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi eum Deus humilis inueniret. Periērat aūt superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatē Redemptoris sequatur inuentus. Discamus fratres humilitatem ab Excelso, faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis. Faciant hæc sibi inuicē fratres, etiam opere ipso visibili, cum se inuicem hospitio recipiunt. Vnde & Apostolus cum benemeritam viduam cōmendaret: Si hospitio, inquit, recepit, si sanctorū pedes lauit. Et apud sanctos vbicumq; hæc consuetudo non est, quod manu nō faciunt, corde faciunt: multo aūt est melius, & sine controuersia, vt etiam manibus fiat, ne dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cum n. ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. His aūt verbis ostenditur, quod humiliatio exteriꝰ facta in corpore, plurimū confert ad perfectionē veræ humilitatis in corde. Per hunc etiam modum, exterior rerum penuria quamquā de se videatur inutilis, paupertati tamen spiritus iuncta, nō solum ipsius auget meritum, sed etiam valet ad plurima: propter quod recte designatur per Euangelicam illam margaritam, quæ tantæ pretiositatis est, vt pro illa emenda, distrahenda sint omnia.

Valet enim inter alia ad quattuor, scilicet ad exterminium iniquitatis, ad exercitium perfectæ virtutis, ad possessionem internæ iucunditatis, & ad publicationē Euangelicę prędicationis. Valet primo ad exterminium iniquitatis. Primū quidē propter expiationem perpetratarū culparum. Est n. caminus quidem purgans, & eliminans sordes peccatorū, iuxta illud Isaiæ: Elegi te in camino paupertatis. Quod maximē de illa intelligi habet paupertate, q̃ non tantum voluntatē interius per rerum cōtemptū afficit, verumetiā corpus per penuriam affligit. De qua Greg. in hom. De Lazaro & diuite: Mala, inquit, Lazari purgauit ignis inopiæ, & bona diuitis remunerauit fœlicitas vitæ transeuntis. Illum paupertas afflixit & tersit, istum abundantia remunerauit & repulit. Quicūq; ergo in hac vita bene habetis cū vos bona egisse recolitis, valde de his p timescite, ne concessa vobis prosperitas, eorundem remuneratio sit bonorū. Et cum quoslibet pauperes, nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare: quia fortassis quod superfluitas tenuissimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est. De illis vero sollicite pensate, quia eorum vitam magistra paupertas cruciat, quousq; ad rectitudinē perducat. Secundo propter subtractionem occasionum peccandi, quæ sicut diuitiarum affluentia crescunt, sic voluntaria paupertate minuuntur. Vnde Chrysostomus dicit: Christianus in pauperie constitutus, quam cum diuitijs magis irradiat. Quomodo? quia excludit à se superbiæ typhum, non erit arrogans, sed patiens, obtemperans, pudicus, mitis, & sapiens. Qui vero in diuitijs constitutus est, multa illum ad bona præpediunt. Inspiciamus ergo, quæ sunt quæ diues operatur: Rapit aliena, æstuat cupiditate, nefandos non desinit pertractare concubitus, maleficia cuncta committit.

Marginalia: Ioan. 12.b; Mar. 11.b; Ioc. 3.a; Grego. pastoral. cura par. 1. c. 3.; Matt. 18.a; August. homil. 55. super Ioan.; ibidem homil. 58.; 1. Tim. 5.b; Isa. 48.b; Chrys. homil. 2 super ep. ad Heb.

Nonne vniuersa hæc ex diuitijs, conspicis generari? Intueris quomodo in paupertie, magis quam in diuitijs virtutes facilius possidemus. Nec mihi dicas, quia in hac vita diuites nullam vindictam suscipiunt. Nam cum omnib. malis suis, etiam hoc malum habent diuitiæ, quia malignitate peccantes ab vltionibus tuentur, & qui diuitias possidet, semper peccás nulla pœna reuocatur, sed sine vllis remedijs munera suscipit peccatorum, & frenum illi nullus imponit. Hucusq; Chrysostomus. Quod si forte quis dicat, ꝙ de paupertie occasionaliter multa mala oriuntur, respondet inferius. 18. sermone. Nemo causetur, inquit, de paupertate, quasi causa sit multorũ malorum, neque obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit: Si vis perfectus esse, &c. Hoc n. in verbis dixit, & operibus ostendit, & per discipulos suos docuit. Sectemur igitur paupertatem, maximum quippe bonum est. Nihil enim opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Valet etiam tertio propter abscissionem vitiosarum radicum. Vnde & Chrysostomus sermone eodem: Abiiciamus quęcunque corpus florere faciunt, vitiant autem animam, vtpote sunt diuitiæ, gloria, cuncta hęc carnis sunt, & amor corporum. Itaq; non amemus ampliora, sed paupertatē semper consectemur, ista enim magnum bonũ est. Sed sapientia, inquit, pauperis pro nihilo habetur. Et iterum Diuitias & paupertatem ne dederis mihi: Et, Ex camino paupertatis libera me. Quare ergo hæc dicta sunt? Hæc in veteri testamēto dicebantur, vbi multa ratio diuitiarum, vbi paupertatis plurimus erat contemptus, vbi hęc quidem maledictio erat, illud benedictio: sed nunc nequaquam ita est. Si vis audire paupertatis prædicamenta, ipsam professus est Christus, & dixit: Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. Et iterum discipulis dicebat: Nolite possidere aurum, neq; argentum, Et Petrus dicebat ei, qui ex natiuitate sua claudus erat: Argētum & aurum non est mihi. Et in ipso quidem veteri testamento, nonne Elias præter melotam nihil habebat? nonne Elisæus? nonne Ioannes? Hucusq; Chrysostomus, paupertatis tolerantiā laudat, quia corporaliũ per eam rerum amor abscinditur, qui est prima radix vitiorum: laudat etiam, quia per ipsam abscinditur radix secunda, quæ est timor male humilians. Vnde & consequenter adiungit: Vides quia quod maxime facit fiduciam, hoc est paupertas. Diues seruus est, obnoxius est istis damnis, & tribuens omni volenti eum nocere, ille autem nihil habens, proscriptionem non timet, neq; condemnationem; Nequaquam ergo paupertas facit sine fiducia esse, Christus cum paupertate mittebat Apostolos, in causam opus habētem fiducia multa. Valde enim fortis est pauper, nō habet vnde iniuriam patiatur. Hæc verba Chrysostomi intelligi non possunt nisi de paupere, qui nihil penitus habet. Ex his igitur patet, quod voluntaria paupertas non modicum valet ad exterminium iniquitatis.

Eccle. 9. d

Luc. 9. g

Matt. 10. a

Act. 3. a

Valet etiam ad exercitium virtutis perfectæ. Primum quidem, quia per eam virtus acquisita probatur. Vnde Ambrosius primo lib. de officijs: Non potest quis præmium accipere, nisi legitime certauerit, neq; est gloriosa victoria, vbi non fuerint laboriosa certamina. Ideoque Dominus in Euāgelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non dicit beati diuites, sed pauperes. Inde enim incipit beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna æstimatur. Hæc Ambrosius. Constat autem quod ærumna non est in paupertate, ratione cōtemptus rerum in mente, sed ratione penuriæ temporalis, quam sustinemus in corpore. Secundo etiam valet, quia per eam virtus probata custoditur. Vnde Hieronymus: Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se virtutes posse simul, & diuitias possidere. Deniq;, & tu audita sententia Saluatoris: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me: verba verte in opera, & nudam crucem nudus sequens, expeditior, & leuior ascendis scalam Iacob, priusq; manibus & candido pectore, pauperem te spiritu, & operibus gloriaris. Valet etiam tertio, quia per eam virtus custodita expeditius in finem perducitur, iuxta quod dicit Chrysostomus super epistolam ad Hebræos sermone secundo: Nō habentes diuitias non propterea doleamus, sed gratias magis vniuersorũ Deo & Domino referamus, quia nos paruo labore eandem mercedem poterimus, quam diuites promereri, & si voluerimus etiā ampliorem. Nam ex paruis magna lucramur. Huic etiam Gregorius consonans in homil. Regnum, inquit, cœlorum tantum valet, quantum habes. Et iterum: Ante Dei oculos numquam est vacua manus à munere, cū arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Quapropter cum voluntas, vbi deest possibilitas, pro facto reputetur, & facilius sit sanctis pauperibus velle, quam diuinitus bonis velle vel facere, multum igitur facit paupertatis inopia ad virtutis expeditionem. Si ergo voluntaria temporalium rerum penuria, virtus probatur, conseruatur, & expeditur: manifeste conuincitur, quod eminentia paupertatis plurimum confert ad exercitium perfectæ virtutis. Consequenter etiam valet, ad fruitionem iucūditatis internæ. Primo ratione extrinsecæ securitatis. Vnde Chrysostomus homil. vlt. super Matthæum: Diuitem necesse est multis indigere, & turpiter seruire, formidare & suspicari, & timere eorum qui suspicantur oculos, & calumniatorum ora, & auarorum concupiscentias, sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium vniuersum: regia est, nō subiecta furibus, sed munita, portus tranquillus, palæstra, & Gymnasium philosophiæ. Constat autem quod paupertas furibus non subiacens ea potissimum est, in qua nihil habetur, de qua & subdit ibidem: Audite quicunq; pauperes estis, magis autem qui ditari cupitis. Non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse, & neq; malum existimes paupertatem, & non erit tibi malum, & si philosopharis decem millium erit bonorum fons & origo. Nec tantum securitatē dat penuriosa paupertas in hoc sæculo, verumetiam in futuro iudicio. Vnde Bernardus super Psalmum: Qui habitat: Fœlix paupertas voluntarie relinquentium omnia, & sequentium te Domine Iesu. Fœlix plane quæ tam securos, immo & tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum in illo tanto discrimine iudiciorum. Secundo ratione expectatæ mercedis. Vnde super illud Iob deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum, dicit Gregorius: Statutum quippe contemptę lampadis tempus est, extremi iudicii prædestinatus dies. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia reliquerunt. Quisquis enim diuini amoris stimulo excitatus, hic possessa reliquerit, illic ꝓculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit, vt simul tunc cum iudice iudex veniat, qui nunc consideratione iudicii, sese spontanea paupertate castigat. Liquet autem, quod paupertas pro qua quis deridetur & contemnitur, ea potissimum est, quæ annexam habet exteriorum penuriam, & vilificationem. Vnde Bernardus: Duo habet paupertas sequentium Dominum; afflictionem, scilicet, & vilitatem, de quibus Propheta: Vide, inquit, humilitatem meam & laborem meum, & propterea in terra sua, duplicia possidebunt, vt pro pudore sit honor iudiciariæ potestatis, pro labore refrigeriū placidissimæ sessionis. Hæc enim est, quæ castigat, purgat, probat, humiliat, & exaltat. Hanc igitur rationē mercedis concomitatur lætitia mentis. Vnde super illud Psalmi: Ego sum pauper & dolēs, salus tua Deus suscepit me. Glossa: Laudabo in me, & in membris meis, nomen Dei cum cantico, idest, cum delectatione. quia si omnia desunt, nec tamen illi deest mentalis iucunditas, propter quod subditur: Videant pauperes & lætentur, quærite Deum, & viuet anima vestra. Tertio quoque ad hoc ipsum valet ratione superinfusæ consolationis. Vnde Chrysostomus super Matthæum: Descendamus, inquit, ad paupertatis caminum, videamus qui ambulant in eo & eorum

Amb. 1. lib. offic. c. 15. & 16.

Mat. 5. a

Hieron in epist. 13. ad Paulin non lōge à prin.

Iob. 12. a

Greg. lib. 10 Mor. c. 17. cir. med.

Bern. serm. 151.

Psal. 24. d

Psal. 68. d

Chryso. homilia 4 in Matth.

colla conculcant, videamus miraculum, & paradoxum hominem in camino psallentem, in igne gratias agentē, paupertati vltimæ alligatū, & multam ferentē Deo laudationem. Etenim pueris illis tribus similes sunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt, nam & ignem terribilius paupertas incendere consueuit, sed pueros illos, nequaquam incendit. Ita & nunc si in paupertate gratias egeris vincula dissoluuntur, & flamma extinguitur, & si non extincta fuerit, quod multo mirabilius est, pro flamma ros oritur. Quod & in philosophantib. est videre, quoniam in paupertate diuitib. copiosius disponuntur, & in medio camino rore puro potiuntur. Etenim maximus est ros, non detineri concupiscentia diuitiarū. Et illi tunc contemnentes regem, facti sunt rege clariores; & tu vtiq; si despexeris mundana negotia, omni mundo eris honorabilior, secundum sanctos illos, quibus dignus non erat mundus. Vt igitur dignus cœlis efficiaris, deride præsentia, ita n. & hic clarior, & futuris potieris bonis. Hucusq; Chrysostomus euidēter ostendens, quod voluntaria paupertas, & rerum penuria est, quam maxime vtilis ad perfruitionem internæ iucunditatis. Valet quarto ad publicationem Euangelicæ prædicationis. Primum, quia facit eam magis credibilem. Vnde Chrysostomus vbi supra. Talis est luminis virtus, vt nō solum luceat, sed & illuc ducat illos, qui sequuntur. Cum n. viderint omnia præsentia nos contemnētes, & ad futura præparatos, ante omnē sermonem operibus nostris credent. Quis n. ita est amens, vt videns eum qui & ante lasciuiebat, & ditabatur, omnia exutū, & ad famem, & inopiam, & duram vitam, sanguinem, occisionem, & omnia, quæ videtur periculosa præparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationē. Si aūt nos præsentib. implicauerimus, & immiscuerimus, qualiter poterūt credere, quod ad possessionem aliam festinemus? Hucusq; Chrysostomus. In his clare demonstrat, ꝙ voluntariæ paupertatis exemplum in prædicante, magis credibilem facit Euangelicam prędicationē. Secundo etiam valet, quam magis reddit efficacem, iuxta quod Damascenus lib. 4. dicit: Euangelium agnitionis Dei prædicatum est, non bellis & armatis exercitibus, aduersarios deuincens, sed pauci, nudi, pauperes, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne & mortuum, & dominantem prædicantes, sapientibus, & insipientib. præualuerunt. Hæc Damascenus. Horum imitatores illi fuerunt, de quib. Eusebius in ecclesiastica historia lib. 3. dicit: Quidam ardentiore diuinæ sapientię cupiditate succensi, animas suas verbo Dei consecrabāt, explentes perfectionis salutare pręceptum, vt facultates suas primo pauperibus diuidentes, expediti ad prædicādum Euangelium fierent. Tertio, quia efficit eam magis acceptabilem. Vnde Chrysostom. super illud Matthæi: Dignus est operarius cibo suo, dicit: Manifestum quoniam à discipulis eos cibari oportebat, neq; ipsi magna sapiant, aduersus eos, qui dicebantur omnia præbentes, & nihil accipientes ab ipsis, nec illi rursus abscindantur tamquā despecti ab ipsis. Cum igitur voluntaria rerum penuria Euangelij prædicationem magis reddat credibilem, efficacem, acceptabilem, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, alliciat ad charitatē, manifestum est, quod maxime valet ad Euangelicæ veritatis publicationē. Cuius etiam euidēs indicium est, quod per Apostolos pauperes rebus, & spiritu, quamquam numero paucos, diffusa est Euangelica veritas in orbē vniuersum, vt de ipsis vere dictum sit: In omnē terram exiuit sonus eorum. Vnde Chrysost. super Matthæum: Si autem homines duodecim orbem terrarum conuerterunt, excogita quāta est nostra malitia, cum tanti existētes, eos qui reguntur non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere, & esse fermētum. Sed signa, ait, habebant. Sed non signa eos mirabiles fecerunt. Multi enim & dæmones proijcientes, quia iniquitatem operati sunt, facti mirabiles, sed puniti. Sed quid, inquam est, quod eos ostendit magnos? Pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnib. vitæ huius negotijs ereptio, quæ si non habuissent, & si decem millia mortuos suscitassent, nō solum nulli profecissent, sed & seductores ęstimati essent. Hucusq; Chrysost. Qui & his patenter ostendit, quod nihil tantum valuit ad dilatandum Christi Euangelium, quam perfectus contēptus rerum mūdanarū. Cum igitur voluntaria & penuriosa paupertas, sicut ex pręd ictis elucet, valores incomparabiles quattuor habeat triplicatos, recte designātur non solum per vnā Euangelicā margaritam, verum etiam per duodecim præ fulgidas in portis nouæ Hierusalem descendentis de cœlo, pro magno sui valore, miraq; pulchritudine positas, quib. & nomina duodecim pauperum spiritu, Apostolorum scilicet in fundamētis collocata respondent, seu per duodecim lapides in typico rationali quadruplici ordinatione distinctos, quo summus noster Pontifex adornatus apparuit, quādo vt nos reconciliaret Patri, nudus in cruce pependit. Cui etiam rationali, & superhumerale exemplū, scilicet duodecim Apostolorum tamquā vitta hiacynthina, charitatis affectu copulatur. Est n. huiusmodi paupertatis pretiositas, nō tantum multiplex, sed & magna, & incomparabilis omni pretiositati terrenæ, vt ait Chrysost. Quid autem si quis tibi proponeret facere fœnum, aurum, & posse omnes pecunias, vt fœnum contemnere? Non vtiq; hoc susciperes magis, & valde decenter, etenim hoc homines vtiq; attraxisset. Si n. viderent fœnum, aurum effici, concupiscerent & ipsi hanc virtutem, vt sic moueretur & augeretur, vtiq; eis pecuniarum cupido. Si autem viderent omnes, vt fœnum aurum despicientes olim vtiq; ab hac ægritudine eruti essent. Idem quoq; homilia vltima: Si quis tibi principatus, & ciuiles potestates, & diuitias, & lasciuiā proponeret, deinde paupertatē ponens, electionē daret accipere quodcunq; velles, hanc confestim raperes, si tamen cognosceres eius pulchritudinem. Mihi aūt paupertas puellæ cuiusdā pulchræ & speciosæ similis esse videtur. Cum hac Elias educatus est, beata illa raptura, cum hac Elisæus claruit, cum hac Ioannes, cum hac Apostoli omnes. Sed & ipsam puellę huius pulchritudinē intueamur. Etenim oculus eius est purus & præclarus, nihil habens turbulentum sed mansuetum, tranquillus, delectabilis ad omnes respiciens, mitis, humilis, nullum odio habēs, nullum auertens, os illi & lingua sua est, continua gratiarum actione plena, & benedictione, & nutibus verbis amicabilibus. Si autem vis & ꝓportionem membrorum eius videre, lōga est & multum excelsior quam superabundantia. Si autem fugiunt eam multi, ne mireris, etenim virtutes alias fugiunt insipientes. Sed contumelijs afficitur, ais, pauper à diuitibus? Rursus mihi inopiæ laudem dicis, quoniam beatus est, qui conuitium patitur. Sed hoc ferre admonet inopia. Si esurit pauper, & Paulus esuriebat, & in fame erat. Sed non habet, inquis, requiem? Neque filius hominis habebat vbi caput reclinaret. In his expresse declarat Os aureum, quod voluntaria rerum inopia, non solum est magnæ pretiositatis, sed etiam pulchritudinis miræ. Est etiam, & quod plus est, magni honoris, sicut idem vir sanctus ait super Ioannē: Anima inopis quidem voluntarij fulget velut aurum, splendet vt margarita fulgens, florescit autem vt rosa. Non enim est illic tinea, non fur, non solicitudo vitæ huius negotiorum, sed sicut Angelus, ita conuersatur. Vis huiusmodi animæ pulchritudinem videre, vis ipsius diuitias addiscere. Non subiacet dæmonibus, sed assistit Deo, non militat cum hominibus, sed cum Angelis, non habet arcas duas, vel tres, vel viginti, sed talem abundantiam, vt hunc mundum vniuersum nihil esse æstimet, non habet thesaurum, sed cœlum, non indiget seruis, magis aūt habet seruos passiones & cogitationes, q̄ regum dominantur, regnum autem, & aurum, & omnia talia quemadmodum puerorum ludibria deridet, & sicut rotas ad pilam hæc omnia æstimat esse contemptibilia. Habet n. mundum, quem neque videre, qui in his ludunt, possūnt. Quid igitur hoc paupere melius est vnquam? Pauimentum deniq; habet cœlum. Si aūt pauimētum tale est, excogitate-

Damascen. li. 4. de fide orthod. c. 4.

Chryso. homil. 32. in Matth.

Psal. 18. a Chryso. homil. 46. in Matth.

Idem ibid.

ta tectum. Sed non habet, inquit, equos & currus. Quid autem ei his opus est, qui supra nubes vehi debet, & esse cum Christo? Hucusq; Ioannes. Os aureum, ignitis, fulgidis, ponderosis, & pretiosis eloquijs, voluntariæ paupertatis, quæ penuriam rerum habet annexam, admirabilem celsitudinem, pulchritudinem pretiositatemque commendat. Quia tamen hæc non reuelantur mundi sapientibus, iuxta illud Domini in Matthæo: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: non proponuntur carnalibus, sed spiritualibus, iuxta illud: Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, non innotescunt amatoribus diuitiarũ, sed paupertatẽ amantibus & expertis qui iam vicerunt mundum, iuxta illud Apocalypsis: Vincenti dabo manna absconditũ, & dabo ei calculum candidũ, & in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Ideo paupertas huiusmodi per thesaurum absconditum designatur in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius, vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Si quis igitur sanctæ paupertatis vult nosse valorem; aut ipse in se experiri studeat, aut expertorũ sententiæ acquiescat, iuxta quod Bernardus in epistola quam scribit ad Thomam, qui amore scientiæ retardabat propositum veniendi ad religionẽ, ait: Quam salubrius disceres Christum Iesum & hunc Crucifixum, quam vtique scientiam haud facile nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Falleris fili, falleris, si te putas inuenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, idest mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed vnctio, nõ eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. His sacris eloquijs Chrysostomus consonat super Matthæum, sic dicens: Verumtamen quæcunque dixero, Nihil repræsentabit tale sermo, quale rerũ experientia; ideo vellem quendam illorum, qui in illum iam deuenerunt philosophiæ verticem nobis adesse, & tunc manifeste videremus huius rei delectationem, & qualiter nulli eorum, qui diligunt paupertatem, acceptarent ditari decem millibus præbendis, tamquam qui non lamentabantur in solicitudinibus, sed rident, & saltant, & his qui diadema sibi circumponunt, magis in paupertate decorantur. Si igitur hæc rerum experientia docet, & qui diuitias & honores sæculi complectuntur, nec experti sunt, nec experiri volunt, necesse habẽt qui eiusmodi sunt, super hæc materia indicere sibi silentium, ne tamquam cæci, de coloribus syllogizare videantur. Talium etenim temeritatem Hieronymus ad Demetriadem scribens redarguit: Quidam, inquit, cum loqui nesciant, tacere non possunt, docentq; scripturas quas non intelligunt, & cum alijs persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. Bonum est enim obedire maioribus, & parere perfectis, & post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab alijs discere, nec præceptore vti pessimo, præsumptione sua. Hoc præceptore pessimo, si is cui respondemus vsus non esset, nequaquam in suggilationem paupertatis, commendationem temporalium possessionum, improba temeritate, dogmatizare, præsumpsisset. Quamquam enim interdum ex rerum inopia proueniant mala, & ex affluentia bona: numquam tamen mala ex paupertate dilecta proueniunt, sed odita, nec bona ex amatis diuitijs, sed contemptis, Salomone testante; Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Constat autem, quod sicut laus alicuius rei excitat ad illius amorem, sic & vituperium ad contemptum. Cum igitur contemnere diuitias, & amare pauperiem sit extirpatio vitiorum, & insertio virtutum, & econtrario contemnere pauperiem, & amare diuitias, sit eradicatio virtutum, & insertio vitiorum: manifesta ratione concluditur, quod quemadmodum commendatio paupertatis spiritualium pauperum, & vilificatio diuitiarum & diuitum, doctrinæ competit Christi: sic & huius contrarium asserere, ad dogma profanum pertinet Antichristi. Vnde Hieronymus de vita Paulæ: Non laudis est possidere diuitias, sed eas pro Christo contemnere, non inhiare ad honores, sed eos paruipendere. Propter quod & Paula fugiẽdo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutes quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserẽs, appetit contemptores. Sæculi homines suscipiunt eos, qui his pollent priuilegijs: nos laudamus eos, qui pro Saluatore ista despexerint, & mirum in modum quos habentes paruipendimus, habere noluerint prædicamus. Hucusq; Hieronymus. Quod si forte hostis pauperum dicat, non se laudare honores & diuitias sæculi, sed Ecclesiasticos tantum: requiremus ab eo, si credat in horum appetitu esse periculum, an indifferentiam quandam, an meritum? Si appetere Ecclesiasticas diuitias & honores, periculum credit, & tamen dum laudat appetibiles efficit, aut auditores suos decipit, aut insanit. Si vero hæc appetere indifferẽs æstimat, nec istas laudando persuadere conatur, quod aliquis appetat, in vanum loquitur, & frustra laborat. Si autem desiderare opes, & honores Ecclesiæ meritorium credit & sanctum, cum nullum vitium sit abominabilius cupiditate, & ambitione personarum Ecclesiasticarum, cum per hæc duo emi vel vendi soleat Spiritus sanctus, vt de domo Dei fiat spelunca latronum, non minus impugnat fundamẽtum Christianæ religionis, quam Euangelicæ paupertatis. In hoc igitur finis sit huius tertiæ responsionis, quamquam non sit eius, cui respondemus, partialis intercisio libri. Quia enim ex nunc ad ordinem spiritualem impugnandum se præparat, nouam aggreditur pugnam, nouæ responsionis cum adiutorio Christi assumemus armaturam.

Matt. 11. d — Mat. 7. a — Apoc. 2. c — Ber. ep. 108. ad Thomã de S. Audomaro ante med. — Chrysos. homilia 38. in Matth. — Hieron. ad Demetria. ep. 8. — Eccle. 5. c

Caput I.

Responsionis quartæ.

In qua Religio carentium loculis, ab errore defenditur, & verum ius possessionis Ecclesiasticæ declaratur.

Omnium malorum radicalis origo cupiditas, cum humanæ mentis arcem inuaserit, tam dura tyrannide premit, vt ad idolorum redigat seruitutẽ, & in bestialem transformet crudelitatem. Huius testimonium euidens esse constat Iudæ proditoris nequitiam, qui cum loculos haberet de quib. cupiditatis suæ voracitatem famelicam mitigare volebat, modicæ tamẽ sibi repromissæ pecuniæ, tanto est illectus amore, vt sitiret Saluatoris omnium sanguinem, & Auctorem vitæ venaretur ad mortem. Hac peste laborans, & hic pauperum calumniator, tamquam Iudæ discipulus, primo eis pacis osculum tribuit, ipsorum simulatorie commẽdando pauperiem, dehinc lethaliter percutit, dum loculis carentium pauperum professionẽ conatur arguere, nõ vt imperfectam, verumetiam vt erroneam, simulatoriam, & iniquam. Ex quibus non solum Prælatorũ, sed etiam clericorum, & religiosorum possessiones habentium, nititur animos ad ipsorum exterminium concitare. Primo igitur quasi osculum præbẽs, quæstionem sibi proponit. Sed dices: Condemnas ne eos, qui loculos non habent, nec laborant? Et postea subdit: Non cõdemno, sed laudo, nec tamen habentibus præfero, quia non est discipulus super magistrum. Et paulo post: Et si enim homo solus absq; loculis possit viuere, tamen de congregatione cui tanta competunt credibile non est. Dehinc subdit: Respublica sunt loculi Christi. Si ergo Christi membrum es, cum Christo loculos habes. Hæc enim sunt verba illius, in quibus, more Iudæ, primo deosculatur, cum loculis carentes laudare se asserit, sed statim vulnus infligit, cũ immediate subnectit, quod hoc Christus exemplo non docuit, ac per hæc demonstrat, ꝙ loculis carere non sit perfectũ, quia non est discipulus super magistrũ. Certum est autem, quod nullus vir prudens abrenuntiat loculis, nisi vt Christo configuretur perfectius, omnis ergo talis secundum hoc dogma

profa-

profanum, est errore deceptus. Amplius, si non est credibile, quod congregatio aliqua sine loculis viuat, vt dicit, aut asserit hoc incredibile, quia difficile, aut quia impossibile. Si quia difficile, tunc pari ratione non est credibile, quod aliqua congregatio sancte viuat & caste. Si quia impossibile, sed congregatio impossibile profitens, & se ad impossibile ligans, est superstitiosa, & vana, & fatua, ac per hoc reprobanda, quia erronea. Igitur loculos non habentes, secundum huiusmodi dogmatis assertionẽ nõ sunt digni laude, sed reprobatione. Insuper, si quicumq; membrũ Christi est, cum Christo loculos habet vt asserit, à destructione consequentis, qui loculos non habet, nõ est membrũ Christi. Ex quo etiam sequitur, quod omnes pauperes nihil habentes, & prorsus omnia relinquentes, alieni sunt ab vnitate corporis mystici, tamquam si is qui habere pecuniam noluerit, gratiam Christi habere non possit, ac per hoc beatior fuerit Iudas qui loculos habuit, quam Petrus qui dixit, Argentũ & aurum non est mihi. Dum etiam secundum hanc profanam sententiam, ipse Dominus Iesus non nisi in loculis inueniat locum, qui tamen per Isaiam Prophetam locum suę requietionis, asserit super pauperculum & contritum. Ecce qualis pauperum collaudator, qui etiam vt sui pectoris virus abundantius euomat, eosdem nititur de hæresi duplici in consequentibus notabiles reddere, cum subiungit allegans auctoritatem Augustini de hæresibus, & etiam contra Faustum, quod quædam est hæresis, nudis pedibus ambulantium, non quia propter corporis afflictionẽ sic ambulant, sed quia diuina testimonia taliter intelligunt, sic & Manichæi iudicantur hæretici, non quia pecunias, aut loculos non habeant, sed quia testimonia diuina etiam ad hoc referre nituntur. Hæc verba illius, in quibus foueam erroris aperit, quam non claudit. Nam ex his manifeste relinquit, quia si qui nudis pedibus incedunt & loculis carent, & ad hoc diuina testimonia referunt, in duplicem hæresim incidunt, scilicet nudis pedibus ambulantium, & Manichæorum. Constat autem, quod huiusmodi pauperes ideo nudis pedibus incedunt, & loculis carent, vt illud Euangelij verbum ad literam impleant, quod Dominus dixit discipulis, vt non ferrent æs in zonis, nec calceamenta in pedibus. Ideo secundum assertionem huiusmodi dogmatis impij, in duplicem hæresim sunt lapsi. Quod si verum est, per omnem modum Apostolica errauit Ecclesia, quæ statum talium approbauit, & auctores huiusmodi hæresum catalogo Sanctorum ascripsit. Errauerunt nihilominus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Rabanus, & Bernardus, qui omnes affirmant, quod documentum Christi ad Apostolos de non ferenda pecunia, sit intelligendum ad literam, sicut manifestum est ex præallegatis auctoritatibus ipsorum, in præcedentis responsionis particula prima. Quod quia profanum est sentire de sanctis, necesse habet hic impositor errorum, ad piam redire intelligentiam veritatis, si iusta non vult feriri sententia damnationis. Attendat igitur insensatus & perfidus, quod diuina testimonia dupliciter his aptari possunt, per modum videlicet consilij, vel præcepti. Si quis igitur ad nuditatem pedum & carentiam loculorum sic diuina coaptat eloquia, vt ea per Scripturam astruat esse præcepta, & necessaria ad salutem, tamquam nullus saluari possit, nisi pedibus nudis incedat & loculis careat, dupliciter errat. Si quis vero ad hoc aptare nititur diuina testimonia, tamquã sint consulta, & supererogatoria, & ad salutem expedientia, non est censendus hæreticus, sed verus Christi discipulus, non Manichæus, sed verus Christianus. Et quod hic fuerit intellectus pij doctoris Augustini, manifeste colligitur ex verbis ipsius quinto libro contra Faustum. Nam præmittens verba Fausti, in quibus se gloriatur Euangelium accipere, quia argentum & aurum deiecit, & æs in zonis habere destitit, & cætera his similia, postmodum respondet hoc ordine; primo ipsum ostendens hypocritam & mendacem, & tandẽ hæreticum: in hoc videlicet quod Ecclesia distinguit in modo accipiendi Euangelium, quantum ad perfectos & imperfectos, sed Manichæi nequaquam, Ait enim sic: Quam multi in nostra communione veraciter faciunt sublimia illa præcepta, de quorum specie fallitis imperitos. Et assignatis paulo post in Ecclesia differentijs, subdit. Neque enim illi soli, qui vt sint perfecti vendunt & dimittunt omnia sua, & sequuntur Dominum, pertinent ad regnum cœlorum; sed huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis, subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: Esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere. Alioquin damnandi erunt illi, quorum domos tam diligẽti cura componit Apostolus, monens mulieres subditas esse viris suis, viros diligere vxores, filios obtemperare parentibus. Sed absit vt istos à mandatis Euangelicis alienos, & à vita æterna separandos iudicet, quia vbi Dominus ait: Si quis non tulerit crucem suam & secutus me non fuerit, non potest meus esse discipulus, exhortans firmiores ad perfectionem ibi statim & istos consolatus est, dicens: Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Quid autem fallitis auditores vestros, qui cum suis vxoribus & filijs & familijs, domibus, & agris, vobis seruiunt, si quisquis omnia ista non dimiserit, non accipiat Euangelium. Sed quia eis non resurrectionem, sed reuolutionem ad istam mortalitatem promittitis, vt vita electorũ vestrorum viuant, tam vana, inepta & sacrilega, qua & vos viuitis, quando valde laudamini merito eos à mandatis Euangelicis alienatis. Hæc Augustinus. In quibus aperte demonstrat, quod aliqua Euangelij documenta perfectis conueniunt, sine quorum obseruantia imperfecti saluari possunt, & quod sententia Manichæorum fuit ad hoc omnes indifferenter astringi. Non ergo dicit Faustum errasse, quia diceret hæc intelligenda ad litteram, sed quia discernere noluit inter consilia & præcepta. Per hunc etiam modum quod testimonium illud, de non portandis calceamentis sit ad litteram intelligendum, multiplici patet attestatione sanctorum. Nam sacer Ambrosius in lib. de fuga sæculi, sic ait: Iesus discipulos sine calceamentis & pecunia misit, ne secum terrena portarent. Hieronymus etiam ad Eustochium scribens: Moyses & Iesus Naue nudis in terra pedibus iubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere & vinculis pellium, nudi ad prædicandum destinantur. & milites vestimenti Iesu sorte diuisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in seruis. In his ostendit Hieronymus, quod non solum discipuli, sed etiam ipse Christus nudis pedibus incessit. Et quod ad litteram debet intelligi. Idem quoque ad Agerúchiam de Monogamia: Discipuli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, nõ caligas habuere in pedibus. Ioannes Chrysostomus super Matthæum: Apostoli vna tunica induti, & discalceati circumierunt, & omnes superauerunt: Idem quoque, dixit Iesus discipulis: Numquid aliquid defuit vobis, quãdo misi vos nudos & discalceatos? Eusebius etiam Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. in laudem Origenis pro eo tempore quo Catholicus erat, sic ait. Ante omnia vero præcepta Euangelica, & voces Saluatoris, summo amore & studio implendas esse dicebat, quib. præcipitur, duas tunicas non habendum, neq; calceamentis vtendum, neq; de crastino cogitandũ. Et paulo post: Denique per multos annos traditur absque omni calceamento nudis pedibus incessisse. Ex quibus & antedictis luce clarius constat, quod Christus nudis pedibus incessit, & Apostoli ad mandatum ipsius. Quod si quem forte mouet verbum Baptistæ dicentis, Cuius non sum dignus, soluere corrigiam calceamenti. cõsideret textũ & glossam. Nam Ioannes ibi verbis mysticis, & parabola vtitur, cum Christum dicit habere in manu ventilabrum & securim, propterea sicut per hoc intelligi debet districtio futuri examinis; sic per calceamẽti corrigiã mysteriũ incarnationis. Vnde Glossa: Calceamẽtum, incarnationis mysterium, corrigia, mysterij ligatu-

Marginal notes: Act. 3. a — August. de hæres. ad Quod vult hæresi. 68. tom. 6. — Mat. 10. a — Aug. lib. 5 cont. Faust. c. 1. to. 6. — Ibid. cap. 9. in prin. — Mat. 25. e — Coloss. 3. c — Luc. 14. f — Aug. ibid. cap. 11. — Amb. lib. de fug. sæculi cap. 4. — Hieron. ad Eustoch. epist. 22. — Hieron. ad Ageruch. epist. 11. post med. — Chrys. homil vlt. super Matth. — Luc. 22. d — Euse. lib. 6. hist Eccles. cap. 3. in fi — Luc. 3. d

ligatura. Non ergo valet Ioannes corrigiam calceamenti soluere, quia mysterium incarnationis non sufficit explicare. Et alia Glossa: Non sum dignus corrigiam calceamenti soluere, idest nomen sponsi mihi non vsurpo. Est autem præfatum verbum, tamquam mysticum spiritualiter intelligendum. Si quis vero contendat, intelligendum hoc esse ad litteram, secundum vsitatum modum loquendi, attendat, quod conditionalis est huiusmodi sermo, quo quis eum quem vult excellentem ostendere, dicit quod non sit dignus eum discalceare, etiam si calceamentis non vtatur, quia hoc intelligitur si vteretur. [*Act. 12. b*] Verum si quis vrgeat, quod Angelus dixit ad Petrum, calcea te caligas tuas, ac per hoc, quod Petrus non fuerit discalceatus, nec Apostoli alij: audiat Bedam super hunc locum in originali dicentem: Pro caligulis vel caligis vt quidam habent, Græcus habet sandalia, hoc enim genus calceamentorum in Euangelio legitur Apostolis fuisse permissum. Hæc Beda. Cui etiam consonat & Papias grammaticus dicens: Caligæ vel caligulæ, idest, sandalia, dicta sunt à callo pedum, vel quasi à colligando, quia ad pedes ligantur. Porro si quis sensu carnis inflatus, asserat non esse conueniens, Dominum ad litteram indixisse Apostolis nuditatem pedum tamquam vile aliquid, & Apostolicæ dignitati dissonum, & à tramite discretionis alienum, intelligat quod multiplex est ratio huius informationis. Prima est ad indicium paupertatis extremæ. [*Luc. 22. d*] Vnde in Luca: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? [*Chryso. homil. 22. in Matth.*] Quod pertractans Chrysostomus ait: Fortasse dicet aliquis, quoniam alia Christi præcepta rationem quidem habebant, non habere autem peram in via, neque calceamenta, neque duas tunicas, qua de causa iussit? Et respondet: In omnem indigentiam exercitare eos volens, qui & superius, nec de superuenienti die solicitos esse concessit. Secundo vero hoc persuasit in incitamentum humilitatis pœnitentiæ, secundum illud: [*2. Reg. 15. f*] Porro Dauid ascendebat cliuum oliuarum, scandens & flens, & operto capite, & nudis pedibus incedens. In quo Rex ille nobilis totius pœnitentiæ, & humilitatis exemplar, vere pœnitentibus præbebat exemplum. Cui etiam consuetudo Ecclesiastica consonat, quæ ad iram Dei placandam in processionibus pedes nudat. Tertio ad testimonium obedientiæ. [*Isa. 20. a*] Vnde super illud Isaiæ: Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus. Glossa: Ecce obedientia. Iste de regio semine fuit, & tamen per ciuitatem Hierusalem nudus pedes incessit. Quarto ad exercitium vitæ austeræ. [*Matt. 10. b*] Vnde super illud Matthæi, Neque calceamenta in pedibus. Glossa. Et Plato dicit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis & pedum. Cum enim hæc habuerint firmitatem, cætera robustiora sunt. Quinto in signum elongationis ab omni carnalitate. [*Exo. 3. b*] Vnde super illud Exodi: Solue calceamentum de pedibus tuis, &c. Glossa: Quia nullus Deo assistere, vel Deum videre potest, nisi cuncta desideria carnalia deponat. Sexto ad perfectæ virtutis insigne. [*Greg. Nazian. orat. 12. non longe à prin.*] Vnde Gregorius Nazianzenus in laude religiosorũ quorundam sui temporis, post ipsorum dispersionem lugens & flens. Desiderabam, inquit, & intentis ac pendentibus oculis requirebam sanctum illum canentem chorum, laudem & gloriam offerentium Deo qui in lege Domini meditantur die ac nocte, qui ad exemplum & commotionem melioris vitæ omnibus viuunt, legis Dei atque Euangelij Christi taciti prædicatores. In quibus ipse quoq; habitus præfert virtutis insignia, hirsutũ caput, incultis & horrentibus comis, pedes nudi, & Apostolis similes. Indumenti vilitas, arrogantium sæculi superbiamque condemnans, zona ipso suo neglectu pretiosior, parum quid cohibens necessitati. Ne igitur nuditas pedũ quæ de se afflictiua, & despicabilis est, tãquam inutilis, & erronea, detestabilis habita tollatur de medio. Idcirco in medium has Patrum auctoritates adduximus, non quia calceamenta reprobanda censeamus, nec quia calceatos de imperfectione notemus, cum & calceatorum & discalceatorum habitus, & loculos habentium & non habentiũ professiones considerationibus, & causis diuersis Domino placeant, & multiformi quadam varietate sponsam Christi circumdatam, decoram, perfectam, & admirabilem reddant.

FRVSTRA igitur ad contumeliam nil habentium pauperum, quos supra de hæresi, ac simulatione notauerat sanctam matrem Ecclesiam vanis, & falsis quibusdã laudibus, quasi mendacio suo indigeat, à vitio simulationis excusat, cum subsequenter annectit: Sancta vero mater Ecclesia supra montem posita, hæc se non habere non simulat, non quia harum rerum dominium habeatur, sed pro capite suo legatione fungens, eas fidelissime dispensat. Hæc verba ipsius, in quibus duo cõtraria simul implicat, cum dicit, quod Ecclesia hæc se nõ habere nõ simulat, & postea subdit, quod nequaquam harum dominium habeat. Si enim ostendit Ecclesia se habere & sine simulatione, veraciter igitur habet, quia possidet iure, ac per hoc rerum dominium sibi veraciter vendicat. Qualiter igitur dicit, non quia rerum dominium habeat, sed quia dispensat. Non enim dicimur veraciter habere, quæ dispensamus tamquam aliena, sed quæ possidemus tamquam nostro iure mancipata. Porro si Ecclesia ostendit res temporales habere, & tamen non habet, contraria Manichæis simulatione laborat, dum illi simulant se non habere quod habent; hæc autem simulat habere in specie, quæ tamen non habet in veritate. Si autem Ecclesia non se habere asserit, nec secundum veritatem, vt dicit, aliquid habet, non habere temporalia bona, ac per hoc nec etiam loculos sanctæ matri Ecclesiæ veraciter competit. Vt quid igitur non habentes loculos, & se non habere profitentes, & simulatores & hæreticos criminatur & damnat? Si vero, vt diximus, & vere habet, & veraciter habere se asserit, falso igitur bonorum Ecclesiæ dominium ab Ecclesia tollit, & sibimet etiam contradicit. Amplius si rerum dominium non competit sanctæ Ecclesiæ, vt dicit, quicumque rei alicuius dominium habent, exclusi sunt ab Ecclesiastica vnitate, quod absque dubio spectat ad impietatem Manichæorum, sicut euidenter patet per allegatam superius auctoritatem Augustini cõtra Faustum. Dum igitur Christi pauperibus Manichæorum impietatem impingit, in eam quam facit foueam incidit, & in lacum demergitur quem effodit. Quod si dicat se non intelligere de vniuersali Ecclesia, sed particulari, vtpote Ecclesia clericorum, adhuc falsè, & impie sentit, dum omnes clericos habentes proprium, ab Ecclesiæ vnitate secludit. Nequaquam igitur asseri potest, Ecclesiam tẽporalia huiusmodi vniuersaliter non habere, nec eius contrarium, scilicet vniuersaliter habere, cum quidam salua veritate Euangelij, & statu salutis, veraciter habeant sicut propria, quia sunt communia, quidam etiam vtrisque careant, secundum quandam perfectionis Euangelicæ formam superius iam expressam. Verum quidem est, quod decimæ, & oblationes Domino debentur, & iure diuino deputantur Ecclesiæ, verum etiam nihilominus est; quod possessiones immobiles, vt agri, villæ, castra, ciuitates, comitatus, non tantum iure diuino, sed etiam humano in possessionem transeunt Ecclesiarum. Quod quamquam prudentibus omnibus virisq; peritis luce clarius constat, tamen ad imperiti, & procacis hominis reuellendam proteruiam, sacris Canonibus ostẽdendũ est. Nam si quis de clericis documenta quib. possessio Ecclesiæ firma tenetur, aut supprimere, aut negare auertere, aut fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quidquid pro absentia documentorum damni Ecclesię damnatum est, de proprijs facultatibus reddat. [*Greg. Reg. lib. 2. ind. epist. 43. ad Bonifaciũ episc. & refer. 11 q. 2 c. Sicut.*] Item ait Gregorius dicens: Sicut Ecclesia proprias res amittere nõ debet, ita eam rapacitatis ardore, alienas inuadere non oportet. Amplius ex concilio Agathensi: Si seruos Ecclesiæ libertate Episcopus donauerit, ea q̃ in manumissione data illis fuerant, perpetua firmitate tenebunt. Hæc Canõ. Habet igitur Ecclesia seruos. Sed vbi vera seruitus, ibi verum dominium.

Si igitur Ecclesia habere potest seruos originarios, & ascriptitios, veram concluditur habere proprietatem, veramque possessionem. Insuper quod distinctis Ecclesiis distincta dominia competant, aperte probatur per iura. Nam 16. q. 2. Nicolaus Papa: Si quis Episcoporũ in alienę ciuitatis territorio, pro quacunq; suorum infirmitate Ecclesiam ædificare disponit non præsumat dedicationem facere, quæ illius est, in cuius territorio Ecclesia surget. Item eadem causa q. 3. Gelasius: Istud annecti placuit, vt si, quod absit, facultates Ecclesiæ necnon diœceses ab aliquib. possidentur Episcopis, iure sibi vendicent, quod lex decimalis conclusit, quia & filiorum nostrorum principum ita mandauit auctoritas. Amplius quæstione eadem inter memoratos, vbi dirimitur quæstio limitum ait Innocentius: Si limes legitimus eandem Basilicam non concludit, & tamen longi temporis probatur obiecta præscriptio, appellatio præsentis Episcopi non valebit, quoniam illis tricenalis obiectio ponit silentium. Hæc etiam sæcularium edicta principum præcipiunt, & præsulum Romanorum decreuit auctoritas. Hæc Canon. In quib. non solum astruitur quod ecclesiæ verum dominium habeant atque distinctum, quia mutuo inter se præscribunt, verum etiam quod id habeant secundum ius diuinum pariter & humanum, pro eo quod præscriptio, sicut ex præallegato Canone patet, ab edicto principum trahit originem, approbato nihilominus per summi Pontificis auctoritatem. Hoc autem probatur patentius 11. quæst. 1. ex verbis Ambrosij contra Auxentium: Si tributum Imperator petat, non negamus, agri Ecclesiæ soluant tributum. Sed qui ad tributum Cæsaris tenetur ratione prædiorum, prædia illa non tam diuino iure possidet, quam humano, Saluatore teste, qui ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Amplius distinctione 8. ex verbis Augustini super Ioannem: Quo iure defendis villas Ecclesiæ diuino aut humano? Diuinum ius in diuinis scripturis habetur, humanum in legibus regum. Vnde quisquis possidet quod possidet, nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini est terra, & plenitudo eius. Hæc Augustinus. Idem quoque super Ioannem: Noli dicere quid mihi & regi? Quid ergo tibi & possessioni? per iura enim regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa iura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. Quid his clarius dici potest, ad ostendendum, quod Ecclesia tẽporalia bona veraciter possidet, iure diuino pariter & humano? Verum quia sacri Canones asserunt, quod ea quæ offeruntur Ecclesijs Domino consecrantur, & quod earum dominium non habent, igitur ministri earum ea proprietate damnabili vendicant, & quod bona huiusmodi magis sunt cœlestia quã humana magis cõmunia quam priuata; ideo vt omnis contradictionis & dubietatis caligo tollatur de medio, intelligendũ est, quod quadruplex est temporalium rerum communitas, ex quadruplici iure manans. Prima namq; communitas, quę manat ex iure necessitatis naturę, qua fit vt omnis res ad naturæ sustentationẽ idonea, quantumcunque sit alicui personæ appropriata illius fiat qui ea indiget necessitate extrema. Et huic communitati renuntiare non est possibile pro eo quod manat ex iure naturaliter inserto homini, quia Dei est imago & creatura dignissima, propter quem sunt omnia mundana creata. Secunda communitas est, quæ manat ex iure charitatis fraternæ, qua fit vt omnia sint iustorum, & communione quadam charitatis quæ sunt propria singulorũ, fiant vniuersorum communia, secundum illud Apostoli: Omnia vestra sunt. De qua Augustinus vbi supra loquens contra hæreticos Donatistas. Veniant, inquit, ad Catholicam fidem, & nobiscum habeant non solum terram, sed eum qui fecit cœlum & terrã. Et huic communitati renuntiare, est omnino illicitum, quia manat ex iure diuinitus infuso, per quod est vnitas in columba, idest in vniuersali Ecclesia, à qua vnitate & communione nullus potest discedere, seruata diuina lege, quæ tota completur charitate. Tertia est communitas, quæ manat ex iure ciuilitatis mundanæ, qua fit vt vnius imperij regni, vel ciuitatis vna fiat respublica, vel vnius societatis, mercatorum vel pugnatorum commune fiat lucrum vel damnum, vel vnius indiuisæ familiæ vna sit communis hæreditas. Et huic communitati renuntiare est de perfectionis Euangelicæ necessitate, quia talis communitas personalem includit proprietatem, quæ manat ex iure humanitas instituto, cui etiam annexa sunt quæ occasionaliter inducunt difficultatem ad bonum, & pronitatem ad malum, ac per hoc perfectioni Euangelicæ aduersantur. Et ideo animæ sanctæ huiusmodi suadetur dimissio, vt in Psalmis: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Quarta communitas est, quæ manat ex iure dotationis Ecclesiæ, qua fit, vt omnia bona, quæ conferuntur ecclesijs, Domino dedicentur, ad communem sustentationem ministrorum suorum, & pauperum. Et hæc communitas est in omnibus ecclesijs collegiatis habentibus possessiones. Et huic communitati renuntiare, non est perfectioni necessarium, quia teneri potest salua perfectione, sicut apparet in Prælatis, & in religiosis perfectis & sanctis: quia talis communitas manat ex iure diuinitus ordinato, vt de altari viuat, qui altari seruit, & illis sunt omnia communia, quibus cor vnum & anima vna, vnius pater spiritualis, & vna norma viuendi. Huic tamen communitati renuntiare non est perfectioni contrarium, quin potius faciat ad Euangelicæ perfectionis cumulũ, pro eo scilicet quod talis communitas quamquam manat ex iure diuino, manat etiam ex humano, vt quia non solum spiritualis, verum etiam temporalis, & quia licet in ea non concludatur personalis proprietas, includitur tamen proprietas collegialis, cuius etiam quælibet persona de collegio particeps esse dignoscitur: non solum quantum ad vsum, verum etiam quantum ad dominium, dum vnusquisque ipso iure actionem habet ad res Ecclesiæ suæ recuperandas, & exceptionem ad defendendas, quod vere declarat dominij rerum ipsarum agentem, vel excipientem aliqualiter esse participem. Quoniam igitur valde difficile est, omnibus abdicatis in sola paupertate gaudere, difficile nihilominus omni proprietate exclusa, sola Ecclesiastica esse contentum: ideo vtrumque perfectum, non secundum humanam traditionem, vt aduersarius pauperum asserit, sed secundum ius diuinitus institutum: maxime cum hoc comitetur castitatis votum cum propriæ voluntatis abnegatione. Si quis vero pro sola abdicatione mundalium facultatum, cum retentione quantalibet Ecclesiasticorum redituum clericos asserat esse perfectos, eos vero solos imperfectos & claudos, qui quantumcunq; exiliter de patrimonio viuunt, sicut hic calumniator pauperum dogmatizat, Ecclesiasticę perfectioni non modicum derogat. Quis enim quantumcunq; parum intelligens non aduertat, hoc esse insanum dicere, quod aliquis clericus de patrimonio victitans, vix habens victum & vestitum, sit imperfectus & claudus; qui autem quantoscunque reditus habet Ecclesiæ, si paternis bonis renuntiet sit rectus atque perfectus? Quis ita claudus mentalibus pedibus, qui non libenter statum hunc mutaret in illum? Numquid talis est Euangelicæ veritatis perfectio, quam velut sublimem & arduam Christus commendat & prædicat, ad qualem quis infirmus, imperfectus, claudus, cupidus, superbus, carnalis aspirat? Mirum certe si via hæc noua, per quam aut nullus, aut rarus, perfectus, siue imperfectus incessit, antiquis præferenda est semitis, vt clericus sumptus ad Ecclesiasticos reditus, omni se denudet proprietate. Quis enim sæcularium clericorum nostris temporibus hoc perfecit? quis proposuit, quis etiam somniauit vt in susceptione Ecclesiastici beneficij, paterna bona cum his quæ habere posset, distraheret & erogaret pauperibus? & ipse deinceps voueret nihil habere proprium, soloque fore victu atque vestitu contentus. Huiusmodi propterea statum

1. Cor. 3. d

Psal. 44. c

statum, qui vix aut numquam in aliquo reperitur, extollere nihil aliud est, quam coruinam albedinem prædicare. nil certe aliud quam proprij capitis sententiam veritati iam notæ præponere, vt sic filij hominum graui corde diligentes vanitatem, & quærentes mendacium à Christi vestigijs auertantur, suaq; sequantur phantasmata, errantes in inuio, & non in via. Nec tamen negamus, eos qui bonis Ecclesiasticis contenti sola necessaria retinent, & reliqua omnia pauperibus conferunt, ad quandam perfectionem pertingere: perfectioni tamen religiosorum pauperum nullatenus coæquandam, sicut supra monstratum est tertia parte responsionis primæ. Huic ergo suisq; complicibus à Saluatore veraciter dicitur: Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare. Si enim per hanc venenatā doctrinam nonnulli credentes in sæculo se esse perfectos, retrahantur à religionis ingressu, nulli dubium est, quin sanguinem animarum illarum, quæ propter hoc in suorum peccatorum fæcibus remanserint, iustus iudex de ipsorum manibus in examine districto requirat, nisi per suam clementiam, vt oramus eosdem veritatis suæ luce perfusos dignatus fuerit ab erroris deuio reuocare.

Matt. 23.b

RESPONSIONIS QVARTÆ CAPVT II.

In quo professio fratrum Minorum veraciter carere ostenditur, & appropriatione rerum immobilium siue mobilium, & proprietate pecuniarum, tam in proprio, quam in communi.

ARrogantium hominum tumidę mentes, qui mundi huius vanitate pascuntur, gloriam sibi videntur conquisiuisse non modicam, si veram simplicium sanctitatem visi fuerint simulationem dolosam arguere, eorumque prudentiam spiritus, vt insaniam reprobare. Quod vt efficacius perficere queant, bona frequenter in mala conuertunt, & in electis maculam ponunt. Verum est quidē, quod propter humanæ infirmitatis corruptelam, vix reperiri potest aliqua persona, vel status, ab omni macula reprehensionis immunis, sed & nos veraciter inficiari nō possumus, quin inter perfectionis Euangelicæ professores peruersi sint aliqui, & imperfecti quamplurimi. Si igitur is cui respondemus, insolentium vitia reprehenderet, præconia laudum reportare deberet, si etiam generaliter in personas maledicta congereret, deceret Euangelicos viros ori suo silentium imponere, præsertim si diuino motu id ageret, & per patientiam dissimulando conuitia pro maledicendo rogare. Nunc autem quia in totam Christi pauperum religionem, venenatorum eloquiorum tela conuertit, eorumque professioni erroris, & simulationis crimen impingit, necesse habemus, procacitati ipsius resistere, non quia velimus maledictiones pro maledictionibus reddere, sed quia sacram religionem intendimus ab obiectis criminibus excusare. Assumens ergo personam Ecclesiæ aduersus pauperes præfatos inuehitur, velut contra hostes ipsius. Nam, inquit, derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei, aperte insinuans per hoc religiosos contra quos loquitur obiurgandos, vt Ecclesiæ inimicos, & aduersus Ecclesiam insurgentes, ipsamque vt irrisores habentes contemptui, cum tamen, vt dicit vita ipsa, putentur indigni, steriles egestate ac fame, & in terra penitus non parentes. Quos quidem nihil aliud est, quam patrem suum Christi Vicarium, à quo status huiusmodi approbatus est, subsannando despicere, & partum sacræ Matris Sponsæ Christi Ecclesiæ irridere. Et ideo iuxta Salomonis sententiam, ipsius est oculus à coruis & aquilis, veritatis scilicet æmulatoribus eruendus, ac per hoc veraciter contra hunc & complices eius, nouorum dogmatum inuentores dicere potest Ecclesia: Nunc derident me iuniores tempore, vt sic ictu proprio iniquus oculus eruatur, dum sagitta ferire nititur, ipse feritur. Dehinc zelum & verbum Apostolicum sibi vsurpans, cum tamen Apostolicæ perfectionis impugnator magis sit quam imitator, subsequēter annectit: Vtinam sustineretis me modicū. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Quid vos præ ceteris iactatis de perfectione? Hæc verba ipsius. In quibus Apostolicæ humilitatis oblitus, illud omittit quod potissime potuit dicere modicum quid insipientiæ meæ, dumque non insipienter, sed sapienter loqui se reputat, iusto Dei iudicio stultus effectus, in multas & magnas prorumpit insanias. Omnia enim fere quæ subsequenter allegat, non solum insipientiam, sed & nequitiam sonant. Nequaquam enim, vt dicit nos præ cæteris de perfectione iactamus, quamquam paupertatis celsitudinem, tamquam verę perfectioni consonam commendemus. Nam sicut veraciter præfertur virginitas cuilibet gradui pudicitiæ, nec tamen ex hoc sequitur, quod status sacratum virginum præferatur statui prælatorum vel virorum quorumlibet, qui ad hanc minime stringuntur, sic & circa differentias & gradus paupertatis oportet intelligi. Vnde nec ille ait, vt asserit, quod hic status pauperum sit perfectior alijs, qui sibi aliquid retinent, nisi cum hac conditione, paribus conditionibus alijs ad perfectionem requisitis, sed nullus est omnino status, in quo conditiones omnes cum statu præfato per omnia parificentur. Non ergo potest ex hoc argui, quod omnibus statibus, vel alicui omnium, præferat statum suum. Magnæ ergo fuit malignitatis occasione vnius sermonis veracis, & humilis, librum plenum inuectionibus, & criminationibus falsis componere aduersus totum ordinem pauperum, quasi parum superbo visum fuerit, in vnum Mardochæum, mittere linguæ manum. Propter quod & detractiones in libello conscriptæ manifeste declarant auctorem non æmulatione Dei fuisse succensum, sed potius stimulatione illius cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Cæterum confusionis Babylonicæ filius, vt vniuersos confundat Ecclesiæ status, pro viribus conatur astruere, quod nullus sit gradus, nullaq; differētia in paupertatis professione. Nam quibusdam friuolis interpositis, subsequēter subiungit: In quo ergo gloriamini contra ministros Ecclesiæ? quia sicut nec vos, ita nec ipsi sunt possessores, quib. Dominicarum possessionum tantum vsus conceditur non dominium, in tantum beatiores ac præferendi, quod res quibus vtuntur æternum habent dominium, sed vestræ res sub potestate sunt terrestrium dominorum. Hæc verba ipsius. In quibus omnia confundit, atque in tantum peruertit, vt in paupertate gradus non sit, aut si est, præferendus sit status clericorum Ecclesiasticis reditibus affluentium, statui quantumlibet pauperum, & pro Christi amore nihil habere volentium. quia illi vtuntur rebus cœlestis, & sempiterni dominij, hi terreni. quasi Christus exclusus sit à dominio rerum, quas laici possident, cum tamen sit Dominus vniuersorum, & quasi Ecclesia non habeat rerum temporalium verum dominium, cuius contrarium euidenter monstratum est supra, & in hoc ipsius matris paupertatem fallaciter insinuat, vt potestatem veraciter impugnet. Denique si verum est quod Ecclesia non habet cum suis ministris rerum dominium, sed tantum vsum, vt quid consequenter professionem calumniatur pauperum, dicentium se nullarum rerum habere dominium quamuis habeant vsum dicens, quod omnibus videatur hoc esse ridiculum, cum eorum quæ per ipsum vsum penitus consumuntur, ab vsu dominium inter homines nullatenus distinguatur? Et de hinc irridendo subiungit: Cæterum quorum sunt pecuniæ quas per prouincias non cessatis à diuitibus petere, & in vnum congregare, nisi aliquid habeatis commune? Vt igitur præfatis, & his similibus cauillationibus malignis, & subdolis imponamus silentium, intelligendum est, quod cum circa res temporales quattuor sit cōsiderare, scilicet proprietatem, possessionem, vsumfructum, & simplicē vsum, & primis quidem tribus, vita mortalium possit carere, vltimo vero tamquam necessario egeat: nulla prorsus pro-

2. Cor. 11. a

Prou. 30. c

Iob. 30. a

professio

fessio potest esse, omnino temporalium rerum abdicans vsum. Verum ei pfessioni, quæ sponte deuouit Christū in extrema paupertate sectari, condecens fuit vniuersaliter rerum abdicare dominium, arctoq; rerum alienarum, & sibi concessarum vsu esse contentam. Vnde & in ipsorum regula cōtinetur: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquā rem. Porro ne quis forte proprietatem interdictam in his verbis credat non collegio, sed priuatis psonis; audiat quid super hoc Gregorius nonus fratrum cōsultationi respondet. Dicimus, inquit, quod nec in communi, nec in speciali, debent ꝓprietatem habere, sed vtensilium, & librorum, & eorum quæ licet habere: ordo vsum habeat, & fratres secundum quod generalis, vel prouinciales ministri disponendo duxerint, his vtantur. Nec debent vendi mobilia, vel extra ordinē commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis gubernator generali, vel prouincialib. ministris, auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum. Hæc verba rescripti Papalis. In quib. sapiens, & pius antistes, proprietatē separauit ab vsu, illam sibi, vel Ecclesiæ retinens, hunc autem fratrum necessitati concedens, sanctequidē, sapienter & pie. Si enim temporalia bona pro alijs possidere ac dispensare vbi etiam temporale recipitur emolumentū atq; solatiū, nihil de ratione perfectionis in prælatis diminuit, sicut ex tertia responsione clarescit; quanto magis cum solum præsidiū impenditur, & nullum temporale cōmodum expectatur, ipsius summi Pontificis saluatur perfectio, & ei accrescit meritū ante Deum? Quod si forte his quisquam conetur obsistere, ex eo quod iure cautum est, vsum nō posse perpetuo à domino separari, respondebimus quod lex ista ciuilis non habet hic locū, quia hoc ideo ius ciuile decreuit, ne dominium inutile videatur, ac per hoc inane sit omnino: Nam retētio dominij huiusmodi rerum, cum cōcessione vsus facta pauperibus nō est infructuosa, cum sit patri pauperum meritoria, & pfessioni filiorū Christo famulātium opportuna. Nec obstat quod aduersarius obijcit de rebus quę vsu consumuntur, quod in eis proprietas non separatur ab vsu. Hoc n. fallit in peculio profectitio filijfamilias, vbi filiusfamilias vsum habet, & tamen proprietas, nec ad momentum residet penes ipsum. Sic & de ordine huiusmodi pauperum, respectu Romanæ Ecclesiæ intelligi debet. Sunt quippe de iure cōmuni omnes Christi fideles summi Pontificis filij, peculiari tamē quodam iure hi sunt eius obedientiæ subditi & curæ cōmissi. & ideo cū alij sint tamquam filij emancipati, quibus licet auctoritate iuris eis indulta, de bonis Ecclesiarū suarū sine dilapidatione disponere, hi sunt tamquam paruuli & filijfamilias totaliter ipsius regimini deputati. Propterea sicut lege cauetur ꝙ filiusfamilias, nec retinere, nec recuperare possessionē rei peculiaris potest, sed patri per eū q̄ritur, sic & in his pauperib. intelligendū est, quia rerū eisdem collatarū ad sustentamentū ipsorū, patri pauperum deputetur dominium, illis vero vsus. Sane quemadmodum essentiale cuiuslibet religionis statui esse dinoscitur, ꝙ nulla psona priuata possideat aliquid proprium, sic nec huiusmodi pauperum religio tota, quæ quidē ad abdicationem proprietatis censetur, sicut vna persona. Quemadmodū igitur monachus, vel quiuis religiosus vtitur vestibus, calceamentis, cibis, ac cæteris quæ vsu consumuntur, ita tamen quod nihil sibi appropriat quoad priuatum dominium, nec ꝓpter talem vsum efficitur ꝓprietarius, quia proprietas semper collegio reseruatur, sic & de collegio istiusmodi pauperū, summoq; Pontifice intelligere debet, quicumq; de professione ipsorum sentire vult tam vere, quam pie. Et propterea, sicut illud quod datur monacho, qualiscumq; sit intentio dantis, nō in ipsius transit dominium, sed totius collegij, & subiacet dispositioni Abbatis, etiam si dans nihil de collegio cogitet, sic quidquid datur, congregationi minorum fratrum, in ius, dominium, & proprietatem summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ transit: præcipue cum ipsi fratres ius, seu ꝓprietatem alicui⁹ rei, sibi acquirere nolla ratione intendant. His autem quæ dicta sunt, suffragatur legis naturalis dictamē, euidenter explicatum per iura ciuilia. Nam lege cauetur, quod non potest libertas nolenti acquiri, & ꝙ beneficium inuito non datur, & quod nemo donatum assequi, & damnosam seu lucrosam hæreditatē nemo adire cōpellitur. Insuper sicut rerū vniuersitas, puta hæreditas solo animo acquiritur, ita solo animo cōtrario repudiatur, & sicut nuda voluntate extraneus heres fit, ita ex contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur. Propter quod & Iurisconsultus Iulianus ait: Pro hærede gerere, nō tam facti, quam animi est. Cui & alius, scilicet Iurisconsultus, consonat dicēs: Furiosus & pupillus sine tutoris auctoritate nō possunt incipere possidere, quia affectionē tenendi non habent, licet res suo corpore contingant, sicut si dormienti aliquid in manu ponatur. Patet igitur per hæc verba legis expressa, neminē posse proprietatē, siue dominium, immo, nec possessionem acquirere, nisi vere, vel interpretatiue, animū habeat acquirendi. Cum igitur fratres minores animum acquirendi non habeant, quin potius voluntatem contrariā, & si res corpore contingant, nec dominium, nec possessionē acquirunt, nec rerum huiusmodi possessores, vel domini dici possunt. His aūt robur præbet Pontificalis auctoritas, quæ tam eminens est, vt omnia iura humana transcendat, vt extra. de maioritate & obedientia, cap. Solitæ. Ad firmamentum cœli, idest vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, idest, duas instituit dignitates quæ sunt Pontificalis auctoritas, regalisq; potestas. Sed illa q̄ præest diebus, idest spiritualibus, maior est, quę autē noctibus, idest carnalibus, minor: vt quanta est inter Lunam & Solem, tanta & inter reges, & Pontifices differentia cognoscatur. Cum igitur tantæ sit auctoritatis potestas imperialis, vt nō arctetur legibus, sed ipsa sit legis origo, & in tantum possit, vt ea quæ fuerunt, pro non factis habenda statuerit, vt patet in lege postliminij, qua bello captus & seruus effectus, decernitur semper fuisse liber & præsens; & ea quæ non fuerint pro factis habenda decernit, sicut patet C. de inofficioso testamento, in quo de postliminio nulla fit mentio, & tamen iudicabatur mentio facta. Si inquā, tantùm potest regalis potestas, multo fortius Pontificalis auctoritas, quantumcunq; vsus & dominium in aliquib. reb. secundum ius ciuile censeantur esse cōiuncta, decernere poterit in personis aliquibus esse separata. Quod circa ordinem prædictorum fratrum Minorum Christi Vicarius sua auctoritate confirmans, sic esse decreuit, cuius diffinitioni contraire nullatenus licet. Nam Gregorius ait: Nulli fas, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis voluerit Apostolicæ sedis contraire decretis. Nulla igitur possunt ad huius status impugnationē allegari iura ciuilia, nulla etiam iura canonica. Nam extra. de electione. ca. Romanæ Ecclesiæ, legem nulla concilia præfigunt, cum omnia cōncilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & eorum statutis Romanæ Ecclesiæ patēter excipiatur auctoritas. Nulla etiam præcedentium Pontificum statuta obsistunt, vt extra. de electione cap. Innotuit, vbi dicit Innocentius tertius. Per prædecessorem nostrum non fuit nobis adempta facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudiciū generare, pari post eum immo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem. Et hęc quidem dicta sufficiant, ad cauillationes malignantium hominum reuellendas. Nam quantum ad testimonium veritatis summi legislatoris Christi Solisq; iustitiæ exemplum sufficit, atq; consiliū. Qui cum sit iuris naturalis, ciuilis, canonici, ac diuini principalis origo, sacro suo sanxit eloquio temporalium rerum dominium abijciendum esse præfectis, cum tamen sufficientiam quantum ad vsum eisdem concesserit, promiserit, atq; persoluerit. Insuper vt quod docebat verbo, confirmaret exemplo, alieno cibo voluit sustentari, sicut Euangelica narrat historia. Et Hieronymus ad

Nepotianum dicit, & euidentius patet ex præcedenti responsione.

PORRO de dominio pecuniarum, quæ ad sustentationem præfatis fratribus conferuntur, indubitanter tenendum est, quod nullatenus ad ipsorum collegium spectat, cum in ipsorum regula sit præceptum, quod fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Et vt omnis tollatur de medio calumniandi materia, intelligẽdum est, quod persona interposita, cui pecunia dispensanda committitur, intelligi potest recipere, ac tenere ipsam auctoritate dantis, vel auctoritate illorum, pro quorum necessitate releuanda donatur. Si auctoritate dantis retinet & dispensat, sic ipsius est procurator, seu nuntius, & dans potest repetere, recipere, & agere contra eum in causa, ad recuperationem pecuniæ, non autem ille pro quo dispensanda committitur. Et hoc non debuit, nec potuit inhiberi pauperibus mendicantibus, quin per interpositam personam, ipsorum valeat releuari necessitas, quia valde absurdum est intelligere, quod cuius diuiti non liceat eleemosynam per seipsum, aut per alterum, pro sua voluntate conferre. Quod si reseruet auctoritate illius pro quo dispensanda est, ei competit & in causam trahere, & cętera agere, quæ potest quisquis verum rei sibi vẽdicauit dominium. Et hoc, quia professioni fratrum nullatenus conuenit, beatus Franciscus expresse inhibuit, quia secundum veritatem quantum ad proprietatem rei non refert, vtrum quis hoc modo recipiat per propriam manum, vel alienam. Hanc autem differentiam, & naturalis ratio docet, & ius scriptum Papale declarat. Sicut enim multum refert, vtrum qui ministrat alicui, sit ipsius seruus, vel alicuius excellentioris personæ minister, pro cuius voluntate & imperio ministerium illud impendit: quemadmodum differunt ministerium seruile & liberale, ministerium humanum & Angelicum: sic multum differt vtrum ille intermedius nuntius personam teneat dantis, vel accipientis. Secundum etiam ius ciuile multum differt, cum creditori debitor pecuniam soluturus alicui intermediæ personæ committit, vtrum ille medius sit procurator debitoris, an creditoris. Si enim procurator est creditoris, & pecunia perdatur ante solutionem, ipsi creditori perditur, & iam pro soluta habetur. Si autem procurator sit debitoris, ipsi perditur, & adhuc soluenda est, non pro soluta habẽda. Iuxta hunc modum Dominus Gregorius nonus vir vtique tam diuino, quam humano iure peritus, qui mentem beati Francisci plenius nouerat, sic diffinitiue respondet: Quod si rem sibi necessariam velint fratres emere, vel solutionem facere pro iam empta, possunt vel nuntium eius à quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere, præsentare, qui taliter præsentatus à fratribus, non est eorum nuntius, sed illius potius, cuius mandato solutionem facit, seu recipientis eandem, qui eleemosynam sibi commissam potest, sicut & dominus, apud specialem vel familiarem fratrum amicum deponere per ipsum, loco & tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam. Hæc verba rescripti Papalis. Ex quibus patenter elucet, quod fratrum Minorum regula non discordat à vita, nec communis ipsorum modus viuendi discordat à regula. Nequaquam igitur profitentur, quod nullus eis prouideat, & eleemosynam faciat per se, vel per interpositam personam, quia hoc collegio mendicantium pauperum, & impossibile foret & stultum: sed quod ipsi iuxta formam in Euangelio traditam, Euangelicis viris pecuniam nullo modo possideant. Si forte quis dicat, in carentia pecuniæ nullam prorsus esse sanctitatem, nõ tam infert calumniam regulæ pauperum, quam Euangelio Christi, in quo Apostolis inhibitam fuisse constat pecuniam, sicut & textus expresse dicit, & sanctorum testimonia astruunt. Quod quidem nullatenus à magistro veritatis credendum est perfectissimis viris fuisse propositum, nisi sciuisset, per hoc meritum eis accrescere perfectæ virtutis, & præcipue sanctitatis. Cum enim magnæ sit difficultatis, ignotas regiones, & aridas terras, sine sufficientia stipendiorum peragrare, quia tales necesse habẽt, vitam istam transigere in fame, siti, frigore, & nuditate, omniumq; rerum penuria, si nullum hoc modo viuentibus meritum sanctitatis accresceret, hoc dicere, hoc profiteri, sic viuere, nihil aliud esset, quam insanire. Verum sicut ex vltima præcedentis responsionis particula patet, penuriosæ paupertatis duodenario Apostolorũ primo impositæ, duodecim sunt vtilitates eximiæ, miriique valoris, quas typici rationalis duodecim lapides pretiosi designant. Et quia illos hostis hic pauperum ignorauerat, ideo margaritas has porcorum more cõculcans, ore polluto in hæc blasphemiæ verba prorumpit, Si, inquit, in pecuniæ carentia, siue vt non tangeretur, sanctus Franciscus sanctitatẽ credidit, vel perfectis à Domino inhibitam sanciuit, audacter loquor coram Domino, quod errauit. Sed cõstans est, quod beatus Franciscus nõ ob aliud possessionẽ, seu contrectationẽ pecuniæ, imitatorib. suis inhibuit, nisi quia in hoc esse aliquam sanctitatem, & pia fide & credidit, & certa veritate cognouit: non quia mala sit pecunia, vel quia census formaliter siue causaliter sit in culpa, vel quia pecunia & contrectari possit, & nõ possit absq; peccato, sed quia inter cætera quæ possidentur, pecunia maxime est illecebrosa, & de facili est illectiua, & distractiua non solũ imperfectorũ, sed etiam perfectorum, & quia Spiritu sancto dictante percepit, quod sanctitatis est non tantũ peccata cauere, verum etiam occasiones peccatorum refugere: ideo veraciter in hoc sanctitatem credidit, & non errauit. Quod igitur hunc Christi imitatorẽ præcipuum, ipsius insignitum stigmatibus ascriptum catalogo Sanctorum, & ab vniuersa Ecclesia in veneratione susceptũ, asserit errore deceptum fuisse, maxime in professione & obseruantia Euangelicæ vitæ, nõ solum ipsum impugnat, & vniuersalẽ Ecclesiã, sed quod plus est Magistri veritatis, & Apostolorum eius doctrinam blasphemat & vitam. Insuper & professores huius regulæ tamquam approbatores erroris; vt alter Aman superbissimus, dignos esse iudicat sententia temporalis mortis, & æternæ damnationis. Super qua quidẽ absurditate, quam aures piæ audire vehementer abhorrent, ipsis zelatoribus paupertatis sanctæ, magis lugendum credimus, quam loquendũ, magis spiritualis Esther implorandum præsidium, quam versandum in pugna verborum. Te igitur sacrosancta Romana Ecclesia, tamquam alteram Esther eleuatam in populis, vt Ecclesiarum omnium matrem, reginam, atque magistram, ad defensandam, & docendam, tam morum quam fidei veritatem, fiducialiter interpellat tuorum pauperum cœtus, vt quos genuisti vt mater, educasti vt nutrix, nunc etiam vt regina patẽter ac iuste defendas: cum idcirco dispositione faciente diuina, Pontificalis, ac Regiæ potestatis verticẽ supremũ adipisci merueris, vt in arduis necessitatis articulis, ad defensandum Christi populũ parareris. Exurge igitur sancta mater, & iudica causam tuam, quia si pauperum hic ordo Minorum, recte profitetur veritatẽ Euangelij, tuum est: si à veritate in professione à te sancita deuiat, tuum est: ac per hoc si professione huiusmodi sanctæ error impingitur, tu quæ illam sanxisti, errasse assereris, & quæ magistra veritatis hactenus extitisti, nunc de approbatione erroris argueris, & à quibusdam modernis præsumptoribus, velut iuris diuini, & humani nescia derideris. Sed & tu Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum, & humilium aduocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis, & præparata in tempore Mardochæi, tui Francisci videlicet excitare clamoribus, vt interpellare digneris ad regem quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem, & speciali quadam germanitate coniunctum, sacris tuis meritis clarificet & conseruet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum, magisque declarat prærogatiuam & gloriam, quam tua forma viuendi beatissima Virgo, & Mater Domini nostri Iesu Christi, quæ adeo fuisti paupercula, vt sicut Euãgelij historia sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes

vbi reclinares Deum cœli, & Dominum exercituum, nisi in via publica itinerantium, & præsepio iumentorum? Porro si tu Virgo sanctissima, omnis es perfectionis exemplar, sicut perfectis imitanda est tua cum virginitate humilitas, sic etiam penuriosa paupertas. Constat autem, tam per Euangelij textum, quam per assertionem doctorum, quod tu in extrema vixisti temporalium facultatum inopia, cum Chrysostomus dicat, quod tu vix habuisti vnam tuniculam, non ad decoris ornatum, sed ad nuditatis tegumentum. & Beda, quod in oblatione & præsentatione Regis regum in templo, nec vnum valuisti agniculum offerre, ideo more pauperum obtulisti par turturum, aut duos pullos columbarum. Qui igitur desiderio, professione, signaculo habitus, & obseruantiæ veritatem in hac tibi pauperie cōfigurari studiosius satagunt, vere sunt de tuorum numero spiritualium Iudæorum, quorum circumcisio non est in carne, sed in spiritu per hilarem supportationem multiformium penuriarum, & vniuersalem abdicationem omnium temporalium facultatum. Hos igitur vere ac peculiariter tuos, pio digneris misericordiæ Regina fauore ab hostili incursu potenter eripere, & aduersus tunc hostem ipsorum pessimum triumphaliter dimicare, non vt cum Aman suspensus intereat, sed vt eius humilietur superbia, damnetur proteruia, illustretur intelligentia, rectificetur voluntas, vt spiritus saluus fiat.

Luc. 2. c

RESPONSIONIS QVARTÆ

CAPVT III.

In quo euangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumq; status à multiplicibus cauillationum versutiis defensatur.

MVltiformis calliditatis nequitia serpens antiquus, sanctæ matris Ecclesiæ partui semper insidias parans, vetustam Pharaonis impietatem nouissimis his diebus renouare conatur, dum per hominem quendam Ægyptiacæ fraudis malignitate repletum, aduersus Ecclesiasticam prolem, suggerere satagit, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijci, quidquid feminei, reseruari. Quid enim est aliud rationes ad virilem sanctæ paupertatis spiritum inducētes, calumniando reuellere quem effeminatorū cordium phantasias, qui emollentium diuitiarum affluentia commendatur, approbando roborare? Ad quæ duo calumniator hic pauperum in hac extrema operis sui parte, omnes sui vires conflat ingenij, quosdam cauillationum modos iam pro maxima parte, in præcedentibus dissolutos, frequētius replicans ad oppressionem pauperum Christi, quatenus spiritu paupertatis extincto spirituales Israelitæ multiplicari non possint, frustra tamen, quia diuina opitulante clementia, vt veritas à figura non discrepet, quanto magis oppressi fuerint, tanto magis accrescent. Et ne quis hæc velut nostram adinuentionem paruipēdat, audiat Bernardum in sermone 3. sic dicentem: Si quid ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptijs paruulos Israelitici *generis necare conatur, immo cum Herode, nascentem persequitur Saluatorem. Nequaquam ergo casu, sed prouidentia Dei gestum esse credendum est; quod instar Ioseph descendentis in Ægyptum, ad custodiendas & distribuendas alimonias corporum, quem vt vere filium accrescentem, crescere fecit Deus in terra paupertatis suæ, status euangelizantium pauperum mitteretur in mundum, ad conseruanda, & dispensanda documenta scripturarum, tamquam alimenta spirituum, qui etiam & sacerdotum Christi curam gregis habentium, cooperatores existerent in his, quæ spectant ad salutem animarum. Est autem sacerdotalis officij opus præcipuum, reductio plebium subiectarum in Deum, per septiformem influxum hierarchicū, scilicet per eruditionem credibilium, per instaurationē

Bern. ser. 3. in Epipha. ante med. * in orig. geminis.

virtutum, per exhibitionem exemplorum, interuentionem precum, curationem plagarum hostilium, prænuntiationem insidiarum, & repulsationem hostilitatum. Et hoc quidem septiforme opus sacerdotale, scriptura sacra declarat sub septemplici metaphora scilicet architecti, agricolæ, pastoris, fideiussoris, medici, speculatoris, & ducis. Describitur igitur primo sub metaphora architecti pontificale officium ꝓpter eruditionem credibiliū, secundū illud ad Corinthios: Vt sapiens architectus fundamentum posui, quod enim sunt lapides in ædificio, sunt articuli fidei in animo, in quo habitat Christus tamquam in templo suo, secundum illud Apostoli ad Ephesios: Superædificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio instructa crescit in templum sanctū in Domino. Et paulo post: Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Ac per hoc sicut se habet ædificator ad ædificium, sic & sacerdos ad populum, in fidei veritate fundandum & promouēdum. Secundo sub metaphora agricolæ ꝓpter instaurationem virtutum, quas irrigare debet per documenta scripturarum, secundum illud Apostoli ad Corinthios: Ego plantaui, Apollo rigauit. Si enim Ecclesiasticus populus hortus est, & Paradisus plantatus, & virens multiformitate virtutum, recte informator plebium in doctrina morum, dicitur agricultor designatus per primum hominem, quem posuit Deus in Paradiso, vt operaretur & custodiret illum. Tertio sub metaphora pastoris, propter exhibitionem exemplorum, secundum illud Domini in Ioanne: Qui intrat per ostium, pastor est ouium, & cum proprias oues emiserit, ante eas vadit. Quod quidem facit, cum eas per sanctitatis exemplum præcedit. Ideo Petrus, cui Dominus dixit: Pasce oues meas, hortatur seniores, siue presbyteros, vt populos sibi commissos pascant, tamquam facti forma gregis ex animo. Hæc autem est forma secundum documenta sanctorum, vt quantum pastor est præcellens respectu gregis, tantū vita sacerdotalis sit sanctior & sublimior vit. plebis. Quarto sub metaphora fideiussoris, ꝓpter precum interuentionem ad Deum secundū illud Apostoli ad Hebræos: Omnis pontifex ex hominib. assumptus, ꝓ hominib. constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia ꝓ peccatis. Agit igitur pōtifex causas hominum apud Deum, agere etiam debet causam Dei apud hominem suæ curæ commissum, secundum illud: Custodi virum istū, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Propter quod sapiens in Prouerbijs ait: Fili si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam. Quinto sub metaphora medici, propter curationem plagarum hostilium, secundū illud quod insinuat Lucas in parabola illius, qui incidit in latrones, quod Samaritanus alligauit vulnera eius infundēs oleum & vinum: designans per Samaritanum ipsum medicum Christum, & eos qui tenent locum eius in expurgationem vitiorum. Propter ꝙ & Iacobus dicit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Sexto sub metaphora speculatoris, propter prænuntiationem imminentium periculorum, secundum illud Ezechielis: Fili hominis speculatorē dedi te domui Israel. De quo & consequenter adiungit: Quod si gladium superuenientē, hoc est imminentia discrimina tentationū suæ curæ cōmissis annuntiare neglexerit, sanguis illarū animarum de suis manib. requiretur. Septimo sub metaphora ducis ferentis vexillum ad repulsionē hostilitatū, instar illius nobilis Machabæi, qui induit se loricā sicut gigas, & succinxit se arma bellica, & protegebat castra gladio. Præest n. Ecclesiæ quæ est terribilis, sicut castrorum acies ordinata, & deputatur ad Salomonis lectulum custodiendū, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel omnes tenētes gladios, & ad bella doctissimi. Est itaque opus sacerdotalis officij septiforme, sicut dictum est. Si igitur propter multitudinem erran-

1. Cor. 3. b
Eph. 2. d
Ibid. 3. c
1. Cor. 3. a
Gen. 2. c
Ioan. 10. a
Ioan. 21. c
1. Pet. 4
Heb. 10. a
3. Reg. 20. g
Prou. 6. a
Luc. 10. c
Iac. 5. c
Ezec. 3. d
1. Mac. 3. a
Cant. 6. c

tium à fide Christianus populus factus est iam similis ædificio ruinoso, quis prouidus architectus, coædificantes, & consustentantes repellit nisi adeo sibi sapiens videatur, quod solus sibi sufficiat, vel adeo stult⁹ sit, quod velit, vt sub manu sua domus ecclesiastica ruat? Iterum si ꝓpter defectum sapientiæ & virtutum in plebeijs hominibus, comparatur ipsa plebs horto inculto & spinoso & arido, quis diligens & laboriosus agricola seruos collaborantes repellit, maxime qui laborat in opere, & doctrina, nisi in tantū desipiat, vt velit quod super humum suam spinę & vepres ascendant? Propterea si propter deuiationem à semitis diuinarum legum, multitudo populi Christiani similis est gregi errabundo & perdito, & in medio luporum constituto, quis clemens pastor fugabit à se harum ouium reductores ad viam, & non potius gaudebit cum Angelis exemplo boni pastoris, qui dicit: Congratulamini mihi, quia inueni ouem quæ perierat. Amplius si propter multitudinem reatum plebis transgredientis mandata Dei, populus Christianus similis viris alieno ære oppressis, quis fideiussor sensatus abhorrebit huius oneris alleuiationem per multiplicationem intercessorum ad Deum partim impetrantium remissionem, partim inducentium & adiuuantium ad solutionē spiritualium debitorū? Insuper si propter varietatem peruersitatum in populo, tanta est tabes, tanta pestilentia spiritualis, vt quasi omne caput sit languidū, & omne cor mœrēs, ita quod à planta pedis, vsq; ad verticem vix est in eo sanitas, quis fidelis medicus, non dico peritos homines in arte spiritualis medicinæ, sed vel canes vlcera lambentes audebit effugare, nisi vulneratorum, atq; languētium, vitam velit extinguere? Adhuc si propter multiformitatē tentationum vndiq; circumstant insidiæ crudelium hostium, & quasi super capita ciuium gladij iam vibrantur, quis prouidus speculator, in profundæ & horrendæ noctis teterrimis tenebris habere secum vigiles recusabit, qui castra custodiant? Postremo si propter scandalorum frequētias, adinuentiones scelerum & inimicorum tyrannides, innumerabilis multitudinis strages, quasi continue fit in castris fidelium, & draco cum bestia multiformium capitum Ecclesiasticam aciem nititur oppugnare, vt truculenter discerpat, occidat, & deuoret, quis prudens dux exercitus Domini, recusabit commilitones secum dimicantes habere, qui vltro se discrimini offerant, & murum pro domo Israel seipsos opponant? Porro, quis affectus Pontificis, siue sacerdotis ad plebem, debet esse consimilis affectui patris ad filium, matris ad prolem, nutricis ad infantem, sicut Apostolus manifeste declarat, qui fideles per ipsum conuersos modo se dicit in Christo genuisse, modo vt filios parturire, modo sicut paruulus in Christo lactare: quemadmodum filium pauperculum sustentari, inualidam prolem foueri, & gementem infantem lactari nequaquam est patri, vel matri, vel nutrici molestum, sed desiderabile, charum, & placitum: sic etiam omnibus sacerdotibus sanctis, & pijs, magnum debet esse solatium, quoties salus procuratur plebium subiectarum. Propter quod Dominus in Matthæo Apostolos alloquens & successores eorum: Messis, ait, multa, operarij autem pauci, rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, insinuans, quod bonorum Pontificum, non tam est patienter ferre, quam desideranter appetere cooperatores Euangelistas, ad multitudines diuinarum messium colligēdas. Quod attendens Christi vicarius Petriq; successor, vtpote sancti Spiritus illustratione præuentus, statum hunc Euangelizantium pauperum, qui saluti animarum intenderent, tamquam cœlitus sibi missum, cum hilaritate suscepit, pietate confouit, auctoritate roborauit, & potestate defendit, & vt Patriarcha Iacob, tamquam filios accrescētis Ioseph, multipliciter benedixit: pie in hoc prouidens saluti animarū, & in nullo præiudicans auctoritati Pontificum, tamquam ornans non deornans Ecclesiasticam hierarchiam. Tanta enim erat in aduentu huiusmodi pauperum, prædicantium raritas, vt illud Euangelicum

Luc. 15. b

Isa. 1. a

1. Cor. 4. d
Gal. 4. c
1. Cor. 3. a

Matt. 9. d

A videretur impleri, messis quidem multa, operarij autem pauci. Quod pertractans Gregorius ait: Ecce mundus sacerdotibus plenus est, & tamen in messe Dei rarus inuenitur operarius. Nam & si sunt qui bona audiant, desunt qui dicant, quia officium quidē sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Quantum vero prædicationis opus sit Ecclesiæ necessarium in se, pium, & Deo acceptum, manifeste Chrysostomus ostendit super Matthæum illud tractans verbum Dominicū, quod discipulo dixit patrē sepelire volenti: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Ait enim: Numquid non erat ingratitudinis naturæ, non adire cum sepeliretur pater? Prohibuit ergo eum monstrās, quod nihil cœlestibus negotijs magis necessarium esse oporteret, & neque parum tardare, & si valde ineuitabilia, & incitantia fuerint quæ retrahunt. Cum igitur sepelire patrem sit magnæ pietatis opus, & secundum sapientiæ dictamen diuinæ, maiori bono minus præferri nō debeat? relinquitur, quod maioris pietatis est prædicare verbum salutis, quam facere opus quantumcunque misericordiæ corporalis. Digne quidem pro eo, quod spiritualiter per ipsum cibatur & potatur, vestitur & hospitio colligitur, ab infirmitate releuatur, & à vinculis & à morte redimitur spiritus ad imaginem Dei factus. Et ideo cum grauis sit sceleris, phibere quemquam ab operibus pietatis & misericordiæ corporalis, longe maioris impietatis erit atque perfidiæ, diuini verbi ministris idoneis impedimenta præbere. Pensatis igitur multiformi vtilitate, ac necessitate salutis animarum, numerositate indigentius plebium, & C raritate sufficientium ministrorum, nulli debet videri iniuriosum & superfluum, si cœlesti hierarchiæ complacuit, aliquos ad hoc opus, & si non necessitate constrictos, sed charitate inductos eligere, quos & subcœlestis Hierarchia voluit & debuit approbare. Quod si cui forte videtur ordini dispositionis Hierarchiæ nequaquam esse conueniens monasticam vitam professos, ad opus prædicationis assumi, pro eo quod Dionysius dicit, monachos in Ecclesiastica hierarchia non habere statum perficientium, sed perficiendorum: & Hieronymus asserit, quod monachos non docentis, sed plangentis habet officium: & sacri Canones decernunt, quod monachi iuxta sui nominis interpretationem solitariæ vitæ deputati, intendere debeant saluti propriæ, non alienæ: intelligant huiusmodi dicta patrum, & canonum, de ordine monastico pro eo tempore fuisse ꝓnuntiata, quo erant inter eos personæ laicales & imperitæ, non sacerdotales & litteratæ. Nam sicut idem vir D hierarchicus docet, quod monachorum est purgari, illuminari, & perfici, sic etiam illud nō reticet, quod purgare, illuminare, & perficere, ad ordinem spectet sacerdotalem. Insuper & professio huiusmodi pauperum, nō parum distat à professione monachorum, & quod maius est, huiusmodi hierarchica opera non peragunt auctoritate sua, sed ordinariorū & potissime summi Pontificis, cuius dispositionis auctoritas omnia iura positiua transcendit. Nec ad hoc feruntur, secundum ꝓpriæ voluntatis arbitrium, sed iuxta mandatum superiorum, à quibus instituuntur, regulantur, castigantur, & transmittuntur, vt veri filij obedientiæ, non vt Gyrouagi vel E Sarabitæ, nō secundum numerum vagum & infinitum, sed secundum certum & determinatum. atque vtinam plures essent idonei, qui possunt assumi non in vno angulo terræ, sed potius in vniuersalis Ecclesiæ latitudine. Nimirum hoc desiderare deberet cœtus Pontificum, ac cuilibet illos prohibere volenti id respondere, quod dixit Moyses ad Iosue: Quid, inquit, æmularis pro me? Quis det, vt omnis populus prophetet, & det eis Deus spiritum suum? Quamdiu ergo huiusmodi pauperes leges diuinas custodiunt, & Euangelica consilia seruant, quæ promiserunt, & saluti animarum intendunt, & sanctæ matri Ecclesiæ humiliter subsunt, si quis eos repudiandos censeat velut pseudoprædicatores, & seductores, & Gyrouagos, & penetrantes domos: subiacere

Greg. homil. 17. in Euang. non lōge à prin.

Chrysho. mil. 28. super Matth. post med.
Matt. 8. c

Hiero. aduer. Vigilātium circ. fi.

Num. 11. f

debet

debet iustæ damnationis iudicio, tamquam Ecclesiasticæ auctoritatis contemptor, fraternæ gratiæ inuidus, & Euangelicæ veritatis impugnator.

Demum vt via præcludatur erroribus, respondendum est cauillationibus quibusdam magis apparentibus, quibus calumniator hic pauperum, vitam ipsorum in hac extrema sui corporis parte deprauare molitur: videlicet propter defectum laboris manuũ, abdicationem bonorum communium, & mendicationem eleemosynarum. Nam ex eo quod Apostolus ad Thessalonicenses quibusdam præcipit, vt cum silentio panẽ suum manibus operando manducent, & huiusmodi pauperes manualiter non laborant, ideo ipsos nititur redarguere, & de otiositate vitæ, & de mandati Apostoli transgressione. Ad quod nos econtrario respondemus, quod sicut patet ex textu, non præcipit Apostolus laborem manualem omnibus generaliter, quia tunc omnes qui non vacant laboritiis huiusmodi, essent in statu damnationis, inter quos & ipse calumniator seipsum inuoluit, sed quibusdam dumtaxat otiose, curiose, & inquiete viuentibus opus manuum imponit & imperat, ne blanditiis adulationum, & turpi quæstu victum sibi conquirant, cum dispendio salutis alienæ. Verum quia huiusmodi pauperes, qui suis & proximorum animabus saluandis intendunt, secundum septiformem operationem hierarchicã, in antedictis expressam, id perficere nequeunt sine adminiculo scripturarum; ad quarum præclaram intelligentiã peruenire non possunt nisi per studium sapientiale, quod consistit in legendo, meditando, orando, contemplando, audiendo, referendo, prædicando, ideo recte competit eiusmodi studij spiritualis operatio septiformis. Et quia difficultas huius studij totum hominem requirit, iuxta quod designatum est in Exodo, vbi præcepit Dominus, quod vectes quibus ferenda esset arca semper essent in circulis. Quod exponens Gregorius ait: Qui ad officium prædicationis excubant, à lectionis studio numquam recedant. Ignominiosum est enim si tunc quis quærit discere, cum debet quæstiones enodare. Ideo qui huic studio septiformi sollicite intendunt, quia magis est sublime in se, difficile menti, expediens Ecclesiæ, & necessarium plebi, etiam si non laborent operibus manuum, digni tamen sunt, ab Ecclesia vt sustententur, secundum illud Deuteronomij: Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas. Glossa: Victum non subtrahes prædicatori, vt vacet orationi, & prædicationi. Et alia Glossa ibidem: Occupati in doctrina, non possunt sibi prouidere necessaria. Ex quibus breuiter constat, quod studium sapientiæ cum vigilantia prædicationis, manualem laborem plene recompensat. Huic & sacer Ambrosius consonat super illud Lucæ: Maria optimam partem elegit, dicens: Nec arguas eos otiosos, & Iudices, quos videas studere sapientiæ, hanc enim cohabitantem Salomon pacificus acquisiuit. Deniq; Apostoli non putauerunt optimum, relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Huic etiam concordat Hieronymus: Si autem fiscellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, vt in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente tractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet: nunc autem quia iuxta Saluatoris sententiam, operari volo cibum qui non perit, falsarius vocor. Ad idem quoque facit quod super illud Psalmi: Defecerunt oculi mei, dicit Augustinus: Non est otiosus, qui tantum verbo Dei studet, nec pluris est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ veritatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum habet opus, & antefertur Maria quæ audiebat, Marthę quæ ministrabat. Hæc Augustinus: Cui etiam concordat Anselmus, in libro de similitudinibus, ita dicens: Tres sunt hominum ordines, orantes, agricultores, & defensores, quos ad diuersa officia Deus in hoc mundo disposuit, monachos, vt pro aliis orent, & lacte prædicationis enutriãt: agricultores, vt de suo labore ipsi & alij viuant: milites vt vtrosq; defendant. Si igitur nobilius est opus monachorum, quam agricultorum, seu militum, & illi officiis suis intendentes stipendia sua iuste merentur, multo magis & hi qui orando Deo assistunt, & ad proximos prædicando condescendunt. Nec his obstat Augustinus in libro de opere monachorum, cum ibi loquatur contra quosdam hæreticos principaliter, qui vocabantur Euchitæ, asserentes monachis non licere, sustentandæ vitæ causa aliquid operari, male intelligentes Euangelium Christi, quos sacer Doctor per Apostoli documenta conuincit. Simul etiam arguit monachos illos, qui cum pro maiori parte essent laici, nec prædicationi, nec saluti animarum intenderent, non tamen volebant corporaliter operari, & quamquam fuissent in sæculo laboriosi & pauperes, iam professi monasticam vitam, ab aliis sumptus accipere non solum licitum sibi, sed etiam debitum esse censebant. Contra quos Augustinus: Isti, inquit, fratres temere sibi arrogant quantum æstimo, vt huiusmodi habeant potestatem. Si Euangelistæ sunt, fateor, habent, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, si saltem aliquid habebant in sæculo, quo facile sine artificio sustentarent hanc vitam, quod indigentibus dispertiti sunt, credenda est eorum infirmitas & ferenda. Hæc Augustinus. Ex quibus colligitur quod quattuor generibus hominum digne & iuste competit ab aliis pasci, quamquam propriis manibus possint laborare, scilicet qui alios pascunt, vel verbo & doctrina, vel altaris viatico, vel diuinorum dispensatione sacramentorum, vel suarum distributione facultatum. Secundum hæc igitur illi quibus aliqua prædictarum conditionum competit, digni sunt vt de Euangelio viuant, illi vero quibus plures digniores existunt, quibus autẽ omnes vtpote qui prædicant, celebrant, confessiones audiunt, & temporalium affluentiam contempserunt, maxime digni esse probantur. Quibus vero omnes desunt & validi sunt & pauperes, ne otiosi & infructuosi sint sibi, & onerosi Ecclesiæ, iuxta sententiam Augustini laborare tenentur, nisi per hoc excusentur, quod eis qui præfatas conditiones habent, deseruiũt & assistunt, & ideo cum eis sustentari merentur, iuxta quod mysterialiter designatur in Iob, vbi dicitur quod boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, illaque astruitur lege sancitum, qua strenuus pugnator ille, Dauid videlicet iuste decreuit, quod æqua portio esset descendentium ad prælium, & remanentium ad sarcinas. Porro si aliqui quantumlibet idiotæ, ac simplices, tantæ sunt deuotionis in prece, tantæ districtionis in vita, & tantæ ædificationis in populo, quod æque fructificent solo exemplo, quantum alij exemplo & verbo, excusant eos merita vitæ, etiam si desint verba doctrinæ. Hæc autem diximus non quia otiosos, aut otium approbemus, cum potius castigandos huiusmodi, & ad opera compellendos censeamus; sed quia propter difficultatem studij spiritualis, quod requirit hominem totum, & propter debilitatem corporum, & inexperientiam artium mechanicarum, rarus inuenitur, aut nullus, qui more Apostoli Pauli manuali labori, & sapientiæ studio septiformi, efficaciter possit intendere. Et ideo compellere homines huic studio aptos ad opera manualia, non est aliud quam à sapientia reuocare, & filiis Israel instar Philistiim, diuinorum eloquiorum arma præripere, vel more Pharaonis operibus duris luti, & lateris, iugoque seruitutis importabilis, violenter oppressos ab ingressu Religionis retrahere, & ad egressum incitare, quemadmodum insinuatur in Exodo per hoc quod Pharao dixit: Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. Vbi Glossa sacri Ambrosij: Hodie si Moyses & Aaron, id est, Propheticus, & sacerdotalis sermo, aliquem sollicitet ad seruitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus, attendere legi, & verbo Dei, continuo audiet vnanimes etiam amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducunt homines, qualiter peruertũt adolescentes ne laborẽt, ne militent, ne agant aliquid quod eis prosit, relictis rebus necessariis, ineptias sectantur

2. Thes. 3. f
Exo. 25. b
Greg. cur. pastoral. par. 2. cap. 11.
Deu. 25. a
Luc. 10. g
Act. 6. a
Hieron. in prolog. super Iob.
Anselm in lib. de similitudinib. cap. 126.
Aug. lib. de oper. Mon. c. 21. to. 3.
Iob 1. c
1. Reg. 30. f
Exod. 5. a

& otium, laborare nolunt, & otij occasiones requirunt. Hæc Glossa: Qua hostis pauperum dolus patenter detegitur, quod non sicut Christi discipulus, ad exercitia virtutum conatur erigere, sed tamquam amicus Pharaonis, spirituales Israel filios impugnare. Alio quoque modo calumniator hic pauperum statum ipsorum deprauare contendit, pro eo quod nihil sibi retinent in proprio, vel communi, quo non videntur virtutis tenere medium, sed vitiositatis extremum, cùm dicat Ambrosius, quod non sunt effundendę opes, sed dispensandæ. Verum consimili ratione posset sancta virginitas ostendi non laude, sed vituperio digna, quasi extremum non medium teneat, dum ab omni concubitu, siue illicito, siue concesso, se tam mente, quam carne sequestrat. Quapropter diligens considerator aduertat, quod sicut aliud est mediū pudicitiæ coniugalis, aliud sanctimoniæ virginalis, sic & aliud largitatis politicæ, aliud paupertatis Euangelicæ. Largitas namque politica, quia circa mundana versatur, possessionum terrenarum nequaquam suadet abrenunciationem à Christo consultam, sed potius bonorum iuste possessorum dilectionem moderatam, & dispensationem largam & piam. Propter dilectionis moderantiā dicit Salomon in Prouerbiis in persona viri politici: *Prou.30.b* Duo rogaui te, ne deneges mihi, mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. volens in hoc ostendere, quod virtus politica tenet medium, & fugit extrema. Propter dispensationis pietatem dicit in Ecclesiaste pro persona rectoris Ecclesiæ: *Ecclef.7.c* Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus solem. Quod ideo dictum est, quia pastor sapiens, etiam absque diuitiis vtiliter pascit, dum gregem ædificat exemplo, & verbo: sed cum pia dispensatione diuitiarum pascit vtilius, dum verbo, exemplo, & temporali subsidio gregi prouidet sibi commisso. Et hoc est, quod Canon dicit, Expedit facultates Ecclesiæ possideri. Propterea Ecclesiastes præfato verbo paulo ante præmittit: Ne dicas, quid putas causæ est, quod præterita tempora fuerunt meliora quam nunc sunt? stulta est enim huiusmodi interrogatio. In quo arguit hæreticorum stultitiā approbantium Ecclesiæ statum antequam à principibus dotaretur, & reprobantium postquam dotata est. Quibus respondet, quod vtilior est sapientia cum diuitiis, hoc est, Reipublicæ sanctæ matris Ecclesiæ magis expediens propter varias conditiones, necessitates, infirmitates, & comoditates multiformium Christi fidelium congregatorum intra Ecclesiasticam vnitatem, instar diuersitatis animalium intra arcam Noe, quibus ipse prælatus sollicitā curam exhibens, de pastu necessario prouidere debet pro loco & tempore, iuxta dictamen largitatis politicæ modum seruando in dispēsatione. Propter quod & in Agathensi concilio, prohibentur huiusmodi, ne res Ecclesiæ sibi creditas alienare præsumant, ibiq; conceditur dispensationis medium, sed interdicitur dilapidationis extremum. Euangelica vero paupertas, pro eo quod ad æterna spiritum subleuat, tamquam ea, quæ in cœlis totaliter thesaurizat perfecte ipsam profitenti suadet omnibus temporalibus debere nudari, quod affectum atque dominium, & arcta sustentatione necessitatis esse contentum, quantum ad vsum. Et hic est ipsius modus siue medietas, quod sic relinquat dominium, quod non reiiciat vsum: sic recipiat vsum quod non reseruet dominiū: sic arctitudinem vsus reseruet, quod sustentationem naturæ non deuitet: sic necessitati subueniat, quod ab arctitudine non recedat. Igitur propter vniuersalem abdicationem possessionis, & depositionem affectus terreni, in persona huiusmodi pauperis dicit Spōsa in Canticis: *Cant.5.b* Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Vbi Glossa: Recepta sollicitudine temporalium subsidiorū, quantumlibet eximius Doctor difficile vitat peccatum. Et de abdicatione huiusmodi, Hieronymus ad Lucinium: *Hieron. ad Lucinium ep.28. post med.* Seipsum Deo offerre Christianorum, & Apostolorum est, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium æra mittentes, totum censum quem habuerāt, Domino tradiderunt, & merentur audire: Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Propter arctitudinem vero sustentationis, quantum ad vsum in persona huiusmodi pauperū, dicit Apostolus ad Timotheum: *1.Tim.6.b* Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: Habentes, inquit, nō quantum ad proprietatem dominij, sed quantum ad facultatem vtendi, per quem modum habere dicimur omne quo vtimur, & si non sit nobis proprium, sed gratis aliunde collatū. Hunc modum paupertatis tanquam medium virtuosum mediator Dei & hominum, Deiq; virtus, & sapientia Christus in seipso monstrauit, qui sicut dicit Hieronymus ad Nepotianum, *Hieron. ad Nepotianū epist.2. post med.* alieno cibo vescebatur. Hunc & Paulus Apostolus imitator ipsius præcipuus secutus est, in cuius laudibus dicit Chrysostomus, quod nihil habet nisi corpus. Sed etiam in hoc exemplum se aliis præbuit, cum ait: *1.Cor.4.d* Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Igitur hunc viuendi modum tanquam à medio virtutis recedentem arguere, nihil aliud est, quā magistrum veritatis atq; virtutis de excessu vitioso culpare. Propter quod diligenter oportet aduertere, quod sicut alio & alio modo tenetur medium à virtute politica, & purgatoria, & animi iam purgati; sic etiam difformiter mediū tenent ciuiliter, largus ex rectitudine virtutis, & Christi formiter egenus, in latitudine paupertatis. Et hoc est, quod in auctoritate præmissa Ambrosius doctor sacer insinuat, quam calumniator consueto more truncatam allegat. Ceterum, inquit, non vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari, in quo explicat modum largitatis politicæ. Sed ne quis ex hoc crederet, quod modum paupertatis Euangelicæ non approbaret, immediate subiungit: Nisi forte vt Elisæus boues suos occidit, & pauit pauperes, ex eo quidem habuit, vt nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret. Hæc Ambrosius addidit, quod vt Euangelicam paupertatem sublimiter extolleret, quæ iste dolose subricuit, quatenus profitentes subdole impugnaret. Nequaquam igitur huiusmodi pauperes possunt rationabiliter argui, quod discrimini se committant, ac per hoc, quod homicidæ sint sui, vel tentatores Dei. Si enim sufficientiam victus quantum ad vsum opportunum respuerent, vtiq; seipsos necarēt. Nunc autem sic recusant possessionis dominium, quod sustentationis necessariæ non abiiciunt vsum: sic se comittunt diuinæ prouidentiæ, vt viam non spernant prouisionis humanæ, quominus sustentari valeant, vel de his quæ gratis offeruntur, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ per laboritium conqueruntur. His enim modis vixerunt hactenus huiusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis, & amplius per operis exhibitionem adeo in eis diuino impleto promisso, quod nullus eorum cuius ad nos fama peruenit, ob defectū vestitus, vel victus, mortis periculū incurrit. Abscedat igitur diffidentia à prędicatoribus veritatis, perfectisq; Christi discipulis, cum eis repromittatur à Domino sufficientia victus, dicaturque eis: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, præcipiaturq; eis, ne quid tollant in via, nisi virgam tantū, vt habetur in Marco. *Mat.6.a* Super quem locum dicit Beda: Tanta debet esse prædicatoribus fiducia in Deo, vt præsentis vitę sumptus quamuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat; nedum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis prouideat æterna. Hoc verbū totius confidentiæ tam expressum calūniator peruertere nititur, vt sic illud exponat, quamuis non prouideat, id est, tempus prouidendi nō habeat, quasi non debeat de sufficientia victus confidentiā habere, nisi quando non potest aliud agere, ad quod non tantum prædicator veritatis, imo quantumcumq; imperfectus Christianus astringitur. Propter quod vt omnis calumniandi occasio tollatur è medio, intelligēdum, quod duplex diffidentia est, quædā proueniens ex peruersitate, quædā ex pusillanimitate. Ex peruersitate venit, quando habet incredulitatem, vel desperationem

annexam,

annexam, vtpote cum quis de Deo diffidit, vel quia non credit Deum curare humana tamquã infidelis, vel quia existimat se derelictum à Deo, propter peccata sua, tamquam desperatus. Et talis diffidentia & sollicitudo procedens ex ipsa, omnibus prohibetur, & confidentia illi opposita, cunctis præcipitur. Diffidentia autem ex pusillanimitate proueniens, est, quæ habet annexã remissionem amoris diuini, & intensionem timoris humani, & hoc stare potest cum charitate imperfecta, nõ cum perfecta, & ideo hæc pusillanimitatis diffidentia, & sollicitudo ex ipsa proueniens Euãgelicis & perfectis viris inhibetur, & confidentia eidẽ opposita à perfectionis magistro iniungitur quatenus prædicatores veritatis, algorem pusillanimitatis sollicitantis pro cibo refugiant, & ardorem charitatis confidentis de Deo cũ promptitudine ad perferendum paupertatis incommoda constanter assumant. Ad hanc quidem confidentiam, in libro de eleemosyna Augustinus inquitat: Metuis, inquit, ne patrimoniũ tuum forte deficiat, si ex eo operari largiter cœperis. Quando enim factum est, vt iusto possent deesse subsidia? cum scriptum sit, Non occidet Deus fame animam iusti. Elias in solitudine ministrãtibus coruis pascitur, Danieli in lacu, ad leonum prædã iussu regis incluso, prandium diuinitus apportatur, & timemus ne operãti, & Deum timenti desit alimentum? cum ipse in Euangelio ad exprobrationem illorum, quorũ mens dubia est, & fides parua, cõtestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli, quoniam nõ seminant, neq; metunt, nec colligunt in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Volucres Deus pascit, & quibus nullus diuinæ rei sensus inest, eis nec cibus, nec potus deest, tu Christiano, tu Dei seruo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An putas, quia qui Christum pascit, à Christo ipse non pascetur? Aut eis terrena deerunt, quibus diuina & cœlestia tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio, vnde impia & sacrilega ista meditatio? Hęc Augustinus. Quid facit in domo Dei tam perfidum pectus? Quid qui Christo omnino nõ credit, appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi magis tibi congruit nomen. Nam cum in Euangelio de faciendis eleemosynis disputaret, vt & nobis amicos de terrenis lucris prouida operatione faceremus, qui nos postmodũ in æterna tabernacula susciperet fideliter & salubriter præmoneret, addit Scriptura post hoc dicens: Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eũ. Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorũ pręclusæ aures, & corda cæcata, nullum de spiritualibus, ac salutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non debemus, quia contemnãt in talibus seruos, quando à talibus ipsum Dominum videmus esse derisum & contemptum. Ad quorum confirmationẽ exemplum viduæ Sareptanæ, quæ pauit Eliam, consequẽter adiungit. Quibus etiam consonat illius pauperculæ viduæ liberalis oblatio, quoniam quidquid habuit, misit, diuino meruit ore laudari. Tertium quoque calumniandi modum, nõ minus malignum aliquo prædictorum, calumniator hic pauperum assumere nititur ex mendicatione eleemosynarum, allegans primo contra eam, quod non sit opus virtutis, eo quod non habet annexum spirituale solatium, sed potius pœnalem cruciatum, ratione cuius Propheta eam imprecatur filiis impiorum, cum in Psalmis dicit: Nutantes transferãtur filij eius, & mendicent. Et sacri Canones: Mendicantem clericum asserunt infelicem. Ad cuius cauillationis, & consimilium repellendam calumniã, intelligendum est, quod quintuplex est mendicitatis differentia, origine, modo, ac efficacia, à se inuicem desperata. Prima est quam petit calamitas, & hæc est in personis miserabilibus & egenis, annexũ habens pœnalem cruciatum cum merito, cum sit cum patientia, qualis fuit mendicitas Lazari vlcerosi & pauperis, iacentis ante ianuam diuitis Epulonis, vel cum peccato si sit cum impatientia. Et hanc imprecatur Propheta, & abhorrebat sapiens vir in persona loquens hominis infirmi, & timentis per egestatem inuoluntariam, ad impatientiam compelli. Vnde postquàm præmisit, mendicitatem ne dederis mihi, subiungit, ne compulsus egestate furer, & periurem nomẽ Dei mei. Et hæc est proprie dicta mendicitas, iuxta quod dicit Isidorus Etymologiarum libro 10. Mendicus dictus est, quasi minus habens, vnde degat, vel quasi manu dicens necessitatem suam. Secunda est, quam parit cupiditas. Et hæc est in pauperibus simulatis, habens annexum cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes auari & cupidi, nõ tam fame corporalis inediæ, quam spiritualis nequitiæ per insatiabilem auaritiæ voracitatem, iuxta illud Iob: Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas illius. Et hanc dissuadet Apostolus ad Thessalonicenses: Nullius aliquid desideretis. Glossa, necdum rogetis vel tollatis, in quo desiderium prohibet cupiditatis rei alienæ, & petitionẽ ex ipsa venientem, iuxta illud ad Ephesios: Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret manibus suis operando, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Tertia est quam petit pigritia, & hæc est in pauperibus mendicantibus validis & otiosis, habens annexum cum cruciatu solatium, vitiosum tamen atq; phantasticum. Studiosum enim refugientes laborem, & otiosam appetentes vacationem, fructuosam quietem perdunt, & pernitiosam fatigationem incurrunt, secundum illud Sapientis: Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari. Et iterum: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo egestate, & non dabitur ei. Et hæc mendicitas non solum lege diuina, sed etiam lege ciuili prohibetur. Et vt ab hac reuocet Apostolus, laborem manualem iniungit, ad Thessalonicenses, cum ait: Audiuimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes, his autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, vt cum silentio operantes manducent panẽ suum. Cuius mandati Glossa rationem reddit, dicens: Qui ad alienam mensam frequenter accedit, otio deditus, necesse est aduletur pascenti se. Quarta est quam parit industria, & hæc est in pauperibus studiosis, circa disciplinam scholasticã occupatis, habens annexum cum cruciatu penuriæ, solatium veritatis inuẽtæ, quæ adeo mentes generosas oblectat, vt multi dies ærumnis, & laboribus pleni, iucundi videantur, & pauci præ magnitudine dilectionis, maluntque ea cum rubore mendicando addiscere, quam delicate viuẽdo ignorare, quod in pluribus vidimus, qui cum mendicando didicerunt, postea magnum locum in Ecclesia Dei tenuerunt. Et de talibus Augustinus de opere monachorum dicit, quod eis bona opera fidelium subsidio supplẽdorum necessariorum deesse non debent, cum ad erudiendum animum ita vacant, vt corporalia huiusmodi opera ab ipsis geri non possint. Quinta est quam parit iustitia, & hæc est in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri, & torpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu solatium, virtuosum & verum, pro eo quod sic mendicantes, solius mouentur amore paupertatis extremæ: quam ideo amplectuntur, vt liberius sapientiæ vacent, & efficacius ad culmen virtutis attingãt, quatenus in camino paupertatis electi, ipsius penuria purgentur à crimine, ipsius erubescentia humilientur in corde, ipsius parsimonia castificentur in carne, ipsius deuota gratitudine concilientur ad proximum, ipsius condescensiua benignitate configurentur ad Christũ, ipsius sublimi celsitudine sursum agantur in Deum. Quod autem paupertas penuriosa, & voluntaria huiusmodi efficacias habeat, supra declaratum est, per sanctorum auctoritates de laude paupertatis, tertiæ responsionis particula postrema. Quamquam nullus sane intelligens, dubitare queat, quin penuria purget, erubescentia humiliet, parsimonia castificet, gratitudo accipiẽtis beneficium benefactori conciliet, condescensio benignitati configuret ad Christum, qui cum diues esset amore nostræ salutis, effici voluit egenus & pauper, celsitudo paupertatis, qua quis omnia calcat, & seipsum cum omnibus sursum agat in Deum, non solum propter

Margin notes: Matt. 6. d; Luc. 17. d; Psal. 108. b; Prou. 30. b; Isid. lib. 10. etym. verbo, Mendicus; Iob 18. c; 1. Thess. 4. c; Eph. 4. f; Prou. 21. d; Ibid. 20. a; 2. Thess. 3. c

spiritus libertatem, verum etiam propter experientiam incommodorum, quæ pauperes comitantur, cum dicat Gregorius, quod mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Licet autem auaris sit molesta penuria, & superbis erubescentia, & lasciuis frugalitas, & indeuotis actio gratiarum, & infidelibus conformitas ad Christum, & desperatis eleuatio mentis in Deum, vere tamen pauperibus, solatium est penuriam pati, humilibus despici, continentibus castificari, charitatiuis conciliari beneficio, credentibus configurari Christo, sperantibus sequestrari à mundo, & iungi Deo æterno. Ad quorum omnium confirmationem hoc sufficit, quod dicit Gregorius primo dialog. Sicut superbi honoribus, sic plerumq; humiles sua despectione gratulantur, cumque se in alienis oculis vilescere sentiunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicium confirmari intelligūt, quod de se & ipsi habuerunt. Quoniam igitur huic mendicitatis modo in pauperibus veris, & humilibus annexum est cum extrinseco cruciatu intrinsecum gaudium, ideo secundum Chrysostomum recte designatur, per illum caminum in quem pueri descendētes, ne statuam auream adorarent, cœlitus irrorari meruerunt. Huiusmodi spirituale solatium, quod viri carnales ignorant, eiusque laudatores, Pharisæorum more, auari derident, mulier eximiæ virtutis, Paula scilicet, experiri cupiebat, iuxta quod Hieronymus sacer in ipsius laudibus, ob hoc eiusdem desiderium admirabile prædicans, ipsamque collaudans, dicit, quod hoc habebat voti, vt mendicās pro Christo moreretur, & vnum nummum filiæ non relinqueret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur. Nequaquam igitur, vt calumniator astruere nititur, ea sola mendicitas approbabilis est, quæ ex mera necessitate, vel calamitate procedit, pro eo, quod multo laudabilior est paupertas voluntaria, quam coacta: nisi quis ita desipiat, vt in operibus supererogationis, necessitatis coactionem præferat promptitudini voluntatis, quod ita absurdum est, quemadmodum si passionibus martyrum præponat quis stipendia latronum, dum martyres voluntarie, latrones inuoluntarie patiuntur. Porro si quis astruere velit, mendicitatem non esse de genere honestorum, & laudabilium, quoniam ad ipsam ex inopia rerum, & exigentia naturæ compellimur, consimili ratione, nec martyrium sanctorum fuit perfectum, nec laudabile, quoniam ad illud perferendum compellebantur, per violentiam improbam malignitatis alienæ: cum etiam magis teneat rationem voluntariæ paupertatis penuria, quam pœnalitas passionis, pro eo quod illa voluntarie assumitur, & voluntarie perfertur; hæc autem aliunde violenter intelligitur, quamquam voluntarie perferatur. Est & alia cauillatio, qua nobilis & Christo Domino accepta mendicitas, calumniose arguitur, quasi annexam habeat non Euangelicam beatitudinem, sed mentalem imperfectionem, cum in actibus Apostolorum scribitur, Beatius est magis dare, quam accipere. Ex quo sequi videtur, quod beatiores & perfectiores essent huiusmodi pauperes, si essent in statu eleemosynas dantium, quam sint in statu accipientium, beatiores vtique si essent in statu eorum, qui eleemosynas liberaliter offerunt, quam qui petunt: cum dicat Hieronymus ad Nepotianum, Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Et Augustinus: In loculis habendis, & in exigenda quodammodo annona, Christus non petendo, sed præbendo indigentias suscepit. Ex quibus videtur posse inferri, quod status clericorum præbendas habentium, Christo sit similior, & perfectior statu mendicantium pauperum. Verum si huiusmodi ratiocinationis fundamentum vigilantius discussum fuerit, magis potest ex hoc oppositum, quam propositum inferri. Si enim beatius est magis dare, quam accipere, ille minime beatus est, qui bona plurima accipit, & pauca largitur. Cum igitur omnia Ecclesiastica, sicut dicit Prosper, sint vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, sequitur quod quicumq; reditus Ecclesiasticos habet, cum longe plus accipiat, quam aliis largiatur: magis erit pingui acceptione miser, quam exili donatione beatus. E è contrario verus pauper, qui omnia propter Christum deserit, & dispergit, non solum quæ habuit, sed & quæ concupiscere potuit, & paucis, & modicis est ad sustentationem naturæ contentus, erit secundum hanc rationem acceptione parcissima minime miser, & donatione largissua maxime beatus. Cui etiam concordare videtur Euangelicus textus, qui secundum Chrysostomum habet in Græco: Beati mendici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, vbi Latinus habet: Beati pauperes spiritu. Quibus etiam concordat sacer Ambrosius in libro de officiis dicens: Pauper & si non habet vnde reddat pecuniam, reddit gratiam. In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo soluitur, gratia vero numquam exinanitur: reddendo vacuatur pecunia, gratia vero & habendo soluitur, & soluendo retinetur. Hæc Ambrosius. Ex quibus est euidens, quod prædicta veritatis auctoritas, contra Euangelicos pauperes intorqueri non potest. Vnde & Glossa. Bedæ ibidem: Non illis qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, diuites eleemosynarios præponit, sed illos maxime glorificat, qui cunctis quę possident renunciantes, laborant nihilominus operando manibus, vt habeant vnde tribuant necessitatem patienti. His Cassianus consonat: Hæc est, inquit, impartientis beatior largitas, quam accipientis pecunia, quæ non de reconditis auaritiæ thesauris impenditur, sed quæ de fructibus operis proprij, & pio sudore profertur. Ex quibus habetur, quod si quis cum paupertate, & exercitio studij spiritualis, labori manuū intendens, seipsum & alios pascit, imitator effectus Apostoli Pauli, opus agit maioris supererogationis, quam qui ab aliis subsidia requirit, & accipit. Et ideo perfectionis omnis amator Franciscus, ad laborem manualem sectatores suos & filios, moderate, ac prudenter inducit, dum ad hoc idoneos informat, & excitat, quod sic laborent, quod refugiant otium, & spiritum nō extinguant. Ad quod quamquam sit perfectum & sanctum vniuersali præcepto astringere noluit, pro eo quod hanc celsitudinem supererogantis perfectionis, infirmitas corporum cum tarditate ingeniorum in hominibus nostri temporis non admittit. Esto igitur, quod hoc modo beatius sit dare, quam accipere, secundum imitationem Apostoli, non tamen ex hoc potest inferri, quod accipientes sint imperfecti, quia nec Apostoli à perfectione exciderunt in hoc, quod sustentabantur ab aliis, nec Christus imperfectionis magister fuit, qui perfectionis Euangelicæ Doctores ab aliis sustentari ordinauit, & hoc in seipso per exemplum ostendit. Vnde Augustinus super illud Psalmi, Qui producit in montibus fœnum. Quare voluit egere Dominus, nisi vt daret montibus exemplum, vt parerent fœnum, ne contra pluuiam steriles redderentur? Hæc Augustinus, Per pluuiam dans intelligi doctrinam qua mentes erudiuntur, & per fœnum temporalia quibus corporalia sustentantur. Sane, vt omnis calumniandi materia cesset, intelligendum est, quod quamuis accipere comparatum ad dare de genere operis minus sit beatum, atque perfectum, potest tamen ex superadiecta circumstantia esse beatius, atque perfectius, videlicet cum quis accipit extremæ paupertatis amore, secundum sex conditiones superius expressas, in quibus simul iunctis integra consistit ipsius perfectio, non solum in abdicatione proprietatum, verum etiam in acceptione necessariorum, cum videlicet quis mendicat, & accipit, vt acceptione penuriosa purgetur, verecunda humilietur, attenuata restringatur & castigetur, grata concilietur ad proximum, condescensiua configuretur ad Christum, fiduciali & alta sursum agatur in Deum. Quod quidem excellentius est, quam præbere alimenta pauperibus. Vnde Hieronymus ad Iulianum: Extruis monasterium, multus à te sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si & ipse sanctus inter sanctos numerareris. Et Bernardus in quadam epistola: Volo te amicum esse pauperum, magis

Greg. lib. 1. Dialog. c. 5. in fi. — *Hieron. ad Eustoch. epist. 27.* — *Act. 20. g* — *Hieron. ad Nepot. ep. 2. Aug. super Psal. 103. conc. 3. post med.* — *Prosper lib. 2. de vita contempl. cap 9.* — *Amb. lib. 1. de offic. cap. 25.* — *Cassianus de institut. monach. li. 10. cap. 19.* — *Aug. enar. in Ps. 146. post med.* — *Hieron. ad Iul. ep. 34. post med.*

autem imitatorem. Ille gradus est proficientium, hic perfectorum. Secundum hæc igitur perfectius est cum Christo egere, & eleemosynas cum accipiente accipere, quam sit amicum esse pauperum, ipsos pauperes sustentare. Quod ergo dicit Hieronymus ad Nepotianum, quod numquam petentes debemus accipere, intelligendum est, quod loquitur Nepotiano clerico, pro his clericis qui sufficientem habent victum de bonis Ecclesiæ, qui etiam nondum conscenderant ad celsitudinem paupertatis extremæ. Et his cum habeant vnde viuant, nec velint agere, turpe est accipere, turpius petere. Et quia huiusmodi personis nisi studij causa turpe est mendicare, ideo statutum fuit in Carthaginensi Concilio, quod Clericus pauper victum & vestitum artificiolo quæreret. Et quia difficile erat eos ad huiusmodi labores compellere, ideo statutum est, sicut patet de consecratione distinct. I. quod nulla Ecclesia dedicetur, nisi prius dotata fuerit, ob hoc videlicet, vt clerici in ea ministrantes habeant vnde sustentari possint. Simul etiam per noua iura introductum est, vt clerici sine titulis non debeant ordinari, quod si ordinati fuerint, ab ordinatoribus sustententur. Quæ quidem iura certum est, nullatenus eos astringere, qui pro Christi nomine viuere deuouerunt in extrema paupertate, concurrentibus in hoc ipsum auctoritate summi Pontificis, & attestatione Euãgelicæ veritatis. Qualiter autem verbum Augustini, quo dixit Christum non petendo, sed præbendo indigentiam suscepisse intelligi debeat, ipsemet aperit, cum subsequenter adiungit exempla de Christo, Elia, Zachæo, & vidua, dicens: Cum quisq; sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstatur. quasi dicat, quod Dominus in suscipienda annona, non quærebat proprium commodum, sed meritum alienum, non requirebat datum, sed fructum, quo fiebat, vt Christum suscipienti plus præstaretur ex merito, quam suscepto conferretur ex dono. Quod nõ solum habet veritatem in ipso capite, verum etiam pro membris ipsius, pauperibus scilicet, pro quibus benefactoribus eorũ in Matthæo mercedem repromittit, cum dicit: Quodcumque fecistis vni ex his fratribus minimis, mihi fecistis. Et iterum: Quicumque dederit potum vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantũ, in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Vbi Glossa: Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, & iudices erunt cum Christo. Valde igitur sunt pauperes, qui nihil omnino habent in mundo, & calice frigidæ aquæ indigent, sed nihilominus valde sunt diuites, quorum susceptione Christus se suscipi asserit, quibus etiam iudiciariam potestatem se communicaturum esse prædixit. Denique pessima cauillationum omnium ea esse dinoscitur, qua oppressor hic pauperum eos esse viros sanguinum criminatur, pro eo videlicet, quod eleemosynas accipiunt, quibus sustentari deberent inualidi pauperes, qui operari non possunt, & ideo quodammodo homicidium perpetrant: dum eos eleemosynis ex pietate sibi debitis, impie defraudant, cum Ecclesiasticus dicat: Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat eum, homo sanguinis est. Insuper & Christi Ecclesiam, vt dicit, onerant, & multis periculis se exponunt, quæ ex inopia procedunt, cum dicat idem Ecclesiasticus: Propter inopiam multi deliquerunt. Ex quibus & illud habet sequi, quod paupertatem huiusmodi profiteri sit impium, cum non habeat annexum meritum, sed peccatum. Et hoc est quod finaliter calumniator egentium persuadere molitur, scilicet quod status huiusmodi pauperum tamquam peruersus, ab vniuersali Ecclesia reprobetur, vt vere videatur illud Psalmi in eo esse completum: Persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Dicamus igitur pro causa pauperum defendenda, quod huiusmodi Euangelici viri, qui propriis facultatibus renuntiauerunt, & saluti animarum intendunt, non sunt viri sanguinum, sed misericordiæ, quorum obliuionem non acceperunt: quoniam ex abundante misericordia temporalia bona largiti sunt ad sustentanda corpora pauperum, & spiritualia bona continue largiuntur ad sustentationem animarum, & ideo digni sunt, vt ab Ecclesia sustententur, quia non grauant, sed alleuiant, multo amplius quam illi, qui Ecclesiasticorum redituum vbertate pinguescunt, quos cum & plurimi eorum habere potuissent, multo magis pro Christo illis carere voluerunt. Hi ergo cum eleemosynas petunt & accipiunt, nullum pauperem defraudant, quin potius causas pauperum agunt cum suis sacris exemplis & monitis, impios homines ad opera pietatis inducunt. Nulli prorsus iniuriantur, quia hoc petunt & accipiunt, quod eis debetur. Sustentatio enim corporalis debetur ipsis lege misericordiæ, tamquam pauperibus: & eo magis quo pauperes voluntarij sunt, Christoque deuoti. Vnde Hieronymus contra Vigilantium: Nõ negamus cunctis pauperibus, si tanta sit largitas, stipes esse porrigendas. Apostolus docet faciendam quidem eleemosynam ad omnes, maxime ad domesticos fidei. De quibus Saluator in Euangelio loquebatur: Facite vobis amicos de iniquo mamona, qui vos recipiant in æterna tebernacula. Numquid isti pauperes, inter quorum pannos & illuuiem corporis, flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu appellantur: de quibus scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intelligentia, sed eleemosyna opus est; in sanctis vero pauperibus beatitudo est intelligentiæ, vt ei tribuatur qui erubescit accipere, & cum acceperit, dolet metens carnalia, & seminans spiritualia. Hucusq; Hieronymus. Debetur etiam eis lege iustitiæ tamquã prædicatoribus veritatis: quam quidem iustitiam exigere possunt, non iure fori sicut prælati, in quibus acceptio stipendiorum non est mendicitas, sed potestas; sed iure poli eam exigere possunt & debent, per modum humilitatis, scilicet pro Christi amore gratis petendo, vt alij mereãtur dando, & ipsi humilientur accipiendo, & sic sustententur, vt Euangelizent, non Euangelizent, vt comedãt. Vnde Bernardus ad fratres de monte Dei: Cum diues esset, pauper pro nobis factus est: & qui voluntariæ paupertatis dedit exemplum, ipse in semetipso eiusdem formam dignatus est demonstrare. Vt enim sciant Euangelici pauperes quid eis faciendum sit, ipse etiam à fidelibus pasci voluit, nonnumquam & ab infidelibus, sed vt fideles faceret, vitæ necessaria accipere non recusauit. Constans est autem, quod non loquitur hic de prælatis, sed de pauperibus religiosis, quos exemplo Christi dicit de eleemosynis sustẽtari debere, non quidẽ potestatiue requisitis, sed pie & humiliter postulatis. Huiusmodi autem pauperes sustentare pro Christo, non minoris est meriti, quã ædificare basilicas, vt dicit Hieronymus ad Demetriadem: Alij ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, non reprehendo, non abnuo. Vnusquisq; in sensu suo abundet. Melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi illud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esuriẽtibus, suscipere in his qui tecto indigent, maxime in domesticis fidei, virginum alere monasteria, seruorum Dei & pauperum spiritu habere curam, qui diebus ac noctibus seruiunt Domino tuo, qui in terra positi imitantur Angelorum conuersationem, nihil loquuntur nisi quod ad laudes Dei pertinet, habentesq; victum & vestitum his gaudent diuitiis, qui plus habere nolunt, si tamen seruant propositum, alioquin si amplius desiderant, his quæ necessaria sunt, probãtur indigni. Ex his Hieronymi verbis colligitur, quod sustentare huiusmodi euãgelicos pauperes, opus est pietatis maximæ, ac per hoc ipsos persequendo calumniari, scelus est non paruæ perfidiæ. Non enim inopia voluntaria, vt is dicit, est causa malorum, & multiplicium criminum, sed vt dicit Chrysostomus, & supra habitum est, infinitorum causa bonorum. Sicut enim radix

omnium

Marginalia: Hieron. ad Nepot. ep. 2. — Mat. 25. d — Mat. 10. d — Eccl. 34. d — Idẽ 27. a — Psal. 108. b — Hieron. aduers. Vigil. post med. — Luc. 16. b — Psal. 40. a — Hieron. ad Demet. c. 8.

omnium malorum est cupiditas, quæ est amor diuitiarum: sic paupertas cunctorum est origo bonorum spiritualium, quæ est contemptus affluentiæ & amor penuriarum. Non ergo multi deliquerunt propter inopiam quam dilexerunt, sed propter inopiam quam oderunt, vel certe sicut Glossa dicit, verbũ illud intelligitur non de inopia bonorum temporalium, sed spiritualium virtutum atque charismatum. Hæc idcirco diximus, non quia commendemus effrenatam mendicantium multitudinem, aut omnem mendicandi modum, vt perfectum approbare velimus: sed eum dumtaxat, qui annexum habet studium sapientiæ septiforme, vel laborem manualem, cum professione & obseruantia Euangelicæ paupertatis, & exercitatione perfectę virtutis. Quem quidem modum cum tota Christi vita & doctrina Euangelica comprobet, si quis ipsius contrarium euangelizauerit, iuxta verbum Apostoli anathema sit. (Gal. 1. b) Desinat igitur persecutor hic pauperum, à malignis calumniis & verbis maledicis, nec Balaam transcendendo malitiam illis maledicat, quibus Dominus benedixit, ne benedictionem perdens cœlitus repromissam, maledictionem incurrat æternam. Quod si cessare noluerit, verus pauper clamare non cesset. (Psal. 108. d) Adiuua me Domine Deus, Deus, saluum me fac propter misericordiam tuam. Et dehinc media prosequens in fine concludat. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Quia astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

AD QVENDAM PROVINCIALEM MINISTRVM Epistola.

Hac Epistola S. Bonauentura præcipit, vt fratres sui Ordinis caueant à frequentia discursuum, ab importunitate quæstuum, à sumptuositate ædificiorum, librorum, vestium, ac ciborum, à prædicatione contra prælatos coram laicis, & à litigiosa inuasione sepulturarum & testamentorum.

IN Christo sibi charissimo fratri B. Saucelis prouinciæ ministro, frater Bonauentura ordinis fratrum Minorum Minister Generalis, & seruus, Salutem & pacem in Domino sempiternam.

Quoniam ad hoc potissimum inuigilare debet sollicita cura rectoris, vt in commisso grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, & detur moribus disciplina, diligenti deliberatione præhabita, visum est tam mihi, quam diffinitoribus capituli generalis, vt ministris singulis aliqua ibidem examinata & discussa, litteratorie demandarem, ipsosque sollicitos redderem, ad eos potissimum abusus tollendos de medio, quibus sinceritas religionis inficitur, perfectionis celsitudo deprimitur, & sanctitatis claritas offuscatur. Sane cum Euangelici culminis obseruata perfectio, hactenus spectabiles & amabiles nos mundo reddiderit, omnique fauore ac reuerentia dignos, ecce iam nunc multitudine in procliuia tendente, & remissius agentibus his qui præsunt, vitiorum quædã sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc, venerandumque collegium, despicabile & onerosum reddunt populis, conuertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplũ. Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos & graues efficiunt, pro eo videlicet, quod dum paruis nolumus esse contenti, & ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia sumo studo quæritantes, nobilia per incuriam perdimus, cum murorum curiosa constructio, destructionem pariat animarum. Perhorreo quorumdã procacium audaciam, quia contra Patris nostri doctrinam corã laicis prædicando in Ecclesia contra prælatos, ipsorum acta sugillando consurgunt, nonnisi scandala, iurgia, & odia seminant, & nõ solum ipsorum, verum etiam Dei prouocant iram, cum diuina constet lege sancitum, ne quis maledicat surdo, nec ponat offendiculũ coram cæco. (Leu. 19. c) Sed & sepulturarum ac testamentorũ litigiosa & auida quædam inuasio, cum exclusione illorũ, ad quos animarũ cura spectare dinoscitur, nõ modicũ nos clero toti fecit exosos, sicut experientia docente, percepimus, & ipse sanctissimus pater Pontifex summus dominus Clemens, fratres omnes ad cauendum huiusmodi, pia prouidentia, per me voluit commonere. Horum autem omnium hanc puto potissimam rationem & causam; quod ea, quę prouida cura, per totius ordinis prouidentiam in generali capitulo statuuntur, paruipenduntur à fratribus & habentur pro nihilo. Nec tamen transgressores huiusmodi, disciplina debita castigantur. Sicq; fit diuini permissione iudicij, vt spernentes modica, in maxima decidant. Quia cũ disciplina negligitur, insolentię crescunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum, exterius procedit in scandalũ per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, vt sanctæ religionis splendor præfulgidus in pallore degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, & nomẽ Domini blasphemetur. Ne igitur sanguis animarum nõ solum nostrę sollicitudini commissarum, sed etiã omnium quæ ad lumen sanctæ religionis per viã salutis incedunt, de nostris manibus requiratur, charitatis tuę zelũ, quantum possum, efficaciori mandato duxi præsentibus excitandum, adiurans te per aspersionẽ sanguinis Crucifixi, & per stigmata passionis eis, quæ in sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, vt sicut Christi seruus fidelis & prudens, ad præfatarum extirpationem pestium toto te animi vigore succingas, tota mentis attentione inuigiles, totoq; feruore spiritus succendaris. Et primum quidem ad sanctæ orationis studium, fratres tuæ curæ commissos efficaciter incitans, ad regulæ promissæ obseruantiã sinceram inducas pariter & compellas, pestiferos, & insolentes nullius ferendo faciem euellens & destruens, dissipans & disperdens, vel carcerali mancipando custodiæ, vel à communitate sacri collegij expellẽdo, iuxta quod pietatis & iustitiæ lex exposcit: ne dum crudeli misericordia vni mẽbro putrido parcitur, in totius corporis sospitatem putrens corruptio diffundatur. Et quoniam paupertas est nostræ religionis prærogatiua sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discursuum causam & quæstuum, sumptuositatẽ, scilicet ædificiorũ, librorumque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare, quod à professionis excellentia vitæ obseruantia nõ discordet. Fœdum est enim, profanumq; mendaciũ summę paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriã pati nolle, interius diuitum instar affluere, & exterius more pauperum mendicare. Inhibeas etiã fratribus firmiter & districte, quia tam diuino, quam canonico prohibetur imperio, ne prælatorum vitam coram populo carpant, sed potius reuerentiam exhibeant, non tantum bonis & modestis, verum etiam discolis, quia etiam hoc exigit sacrum mysterium Christificæ vnctionis. (1. Pet. 2. c) Mandes etiam fratribus vniuersis, vt pacem clericorum omnium tam in testamentis, quam in sepulturis, quantum in eis est, sic studeant obseruare, vt nullam habeant contra nos occasionẽ iustæ querelæ, simulq; sæculo toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum. Deniq; quia his & aliis deordinationibus innumeris, per statuta ordinis via præcluditur, volo vt per loca fratrum ea sic diligenter conscribi, legi facias & seruari, vt sicut professione virtutum præcipui credimur, nequaquã morum incompositione postremi merito censeamur. His igitur charissime frater, tam efficaci studio non cesses intendere, quod Deus gratum habeat, vt

ego tuæ

ego tuæ obedientiæ promptitudinem, & sollicitudinis vigilantiam, zelumq; ordinis sacri, possim non immerito commendare. Et vt hoc melius fiat, volo vt præsens series omnibus fratribus tuæ Prouinciæ per te, vel per custodes, quotiens opportunum fuerit, explicetur.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Ad Ministros Prouinciales, & Custodes

EPISTOLA

DE REFORMANDIS FRATRIBVS sui Ordinis.

Hæc Epistola causas exponit, ob quas Minorum ordo suo tempore deformari videbatur. Monet itidem ac præcipit Prouincialibus ministris, & Custodibus, vt iis causis per regulæ obseruantiam occurrant, pœnas illis si secus fecerint comminando.

IN CHRISTO sibi charissimis Ministris Prouincialibus, & Custodibus vniuersis, Frater Bonauentura ordinis eorumdem Generalis minister & seruus, Salutem & pacem, quæ exuperat omnem sensum.

Licet insufficientiam meam ad ferendum onus impositum cognoscerem manifeste, per debilitatem corporis, imperfectionem mentis, inexperientiam actionis, & repugnantiam voluntatis: quia tamẽ durum est contra stimulum calcitrare tantæ congregationis, & summi Pontificis, ac per hoc, & altissimi Dei voluntati pertinaciter resistendo, sarcinæ graui, & quasi importabili humeros supposui imbecilles, sperans de adiutorio virtutis Omnipotentis, & confidens de adminiculo vestræ sollicitudinis in idipsum. Nam & si sit impossibile homini quantumcumq; forti, industrio, & experto totam tanti oneris sarcinam suis humeris baiulare, si tamen diuisa in partes, & humeris imposita diuersorum viriliter à quolibet importetur, non est quantumcumq; debili capiti, horrore quodam rei insolitæ desperãdum. Quoniam igitur de vestra præsumo industria, sollicitudine, & zeli viuacitate, quod prompti sitis ad extirpanda mala, promouenda bona, refouenda debilia, & fortia conseruanda, videns me speculatorẽ datum domui Israel, ne sanguis animarũ de manibus meis requiratur, cogitaui quædam vobis breuiter scribere, quæ verbotenus, si in capitulo generali fuissem, libentius enodassem. Nunc autem quia pericula temporum vrgent, & læsiones conscientiarum, necnon & scandala mundanorum, quibus cũ ordo deberet esse sanctitatis totius speculum, in diuersis orbis partibus in tędium vertitur, & contemptum. Quæ mihi de consilio discretorum visa sunt corrigenda, nec penitus tacens, nec omnino exprimens, nec noua statuens, nec vincula superinducẽs, nec onera grauia alligans aliis, & imponens; sed tamquã annuntiator veritatis breuiter explico, vidẽs illa nullatenus reticenda. Sane perquirenti mihi causas, cur splendor nostri ordinis quodammodo obscuratur, ordo exterius inficitur, & nitor conscientiarum interius defœdatur, occurrit negotiorũ multiplicitas, qua pecunia, nostri ordinis paupertati super omnia inimica auide petitur, incaute recipitur, & incautius contrectatur. Occurrit quorumdam fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, qua plurimi consopiti, monstrosum quemdam statum inter contemplatiuam, & actiuam eligẽtes, non tam carnaliter quam crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit euagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, grauando eos per quos transeunt, nõ exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potius animarũ. Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes per terras adeo abhorrent fratrum occursum, vt eis timeant, quasi prædonibus obuiare. Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruersis iudiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula nostra prohibet, ex qua suspiciones, infamationes, & scandala plurima oriuntur. Occurrit improuida commissio officiorum, qua fratribus nondum vsquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam sepulturarum, & testamentorum auida quædam inuasio, nõ sine magna turbatione cleri, & maxime sacerdotum. Occurrit mutatio locorum frequens & sumptuosa, cum quadã violentia, & perturbatione terrarum, cum nota inconstantiæ, non sine præiudicio paupertatis. Occurrit tandem sumptuositas expensarum. Nam cum fratres paucis nolint esse contenti, & charitas hominum refriguerit, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur. Licet autem plurimi reperiantur, qui non sunt culpabiles in aliquo prædictorum, tamen omnes inuoluit hæc maledictio nisi à non facientibus, his qui faciunt resistatur; cum luce clarius omnia supradicta in maximum, & nullo modo dissimulandum vergant nostri ordinis detrimentum, licet tepidis & indeuotis, & secundum carnem sapientibus, considerantibus consuetudinem, & allegantibus multitudinem, quasi facilia & excusabilia, etiam irremediabilia videantur. Excitetur ergo cordis nostri deuotio, & feruor ad zelum, & eiectis negotiatoribus de domo Patris cœlestis, fratres omnes ad orationis & deuotionis studium accendatis, restringatis receptionem multitudinis, quia modis omnibus volo, quod constitutio de receptione stricte seruetur. Prauas prædictorum vitiorum consuetudines resecetis, quia licet videatur fratribus graue, requirit tamẽ hoc perfectio professionis nostræ, requirit tribulationis incursus, requirit mundus. Clamat hoc beatus Franciscus, & sanguis Christi aspersus, & Dominus de excelsis. Otiosos stimuletis ad laborem, vagantes compescatis ad quietem, importune petentibus imponatis silentium, intentos exaltandis domibus profundius deprimatis, familiaritates quærentes arceatis ad solitudinem. Officia prędicationis & confessionis cum multo examine imponatis. Constitutionem de testamentis olim factam, & de nouo de sepulturis, faciatis arctius obseruari. Locorum vero mutationem, nullatenus concedatis alicui ante Capitulum generale. Nam de consilio discretorum, propter scandala vitanda iuxta prædecessoris mei mandatum, hoc mihi reseruo districte per obedientiam iubendo, vt nullus deinceps locum mutet sine mea licentia speciali. Discant etiam fratres modicis esse contenti, quia vehementer & sapientibus, & rationabiliter formidatur, quod oportebit eos modicis esse contentos, velint nolint. Si igitur obedientes fueritis verbo per epistolam, & hoc per visitatores intellexero, quos volo super prædictis corrigendis, tam in capitibus, quam in membris diligentius vigilare, gratias agam omnium Conditori, & vobis. Quod si aliter, quod absit, acciderit, indubitanter sciatis, quod nullatenus patietur conscientia mea, prædicta sub silentio pertransire. Licet enim non sit mei propositi nouis vos vinculis innodare, oportet me tamen conscientia compellente, totis viribus extirpationi intendere prædictorum, quatenus vitatis scandalis, vt tenemur regulæ quam vouimus, sine cuius obseruatione saluari non possumus, veritatem perspicaciter videamus, & impleamus professionem, & totis viribus puritatem custodiamus, quæ impugnatur euidẽter ex omnibus supradictis.

Datum Parisiis, & cetera. Hanc autem litteram legi in singulis conuentibus vestræ prouinciæ faciatis.

FINIS EPISTOLÆ AD MINISTROS *prouinciales, & custodes.*

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, quod inscribitur

BIBLIA PAVPERVM.

Tractatus iste extra tomos Opusculorum S. Bonauenturæ editus vagabatur: cuius vnum tantum exemplar reperiri potuit, vetus illud quidem, vt ex typorum forma apparuit, quod in principio sic est inscriptum: Incipit præclarum opus, quod Biblia pauperum appellatur, perutile omnibus prædicatoribus: *in fine vero hæc sunt verba:* Expliciunt exempla sacræ Scripturæ ordinata secundum alphabetum, vt possint, quæ sunt necessaria in materiis sermonum, & prædicationum facilius à prædicatoribus inueniri, editum à sancto viro Bonauentura ordinis Minorum. *Constat igitur ex præfati exemplaris initio, & fine inscriptio operis, & eius auctor. Et si coniecturæ aliquid tribuendum est, videtur Trithemius in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inter opera S. Bonauenturæ etiam hoc connumerare, dum illi adscribit compendium quoddam Scripturarum. Nam in hoc tractatu auctor nihil aliud agere videtur, quam loca quædã communia constituere, quibus applicat summatim Scripturæ sacræ auctoritates ad commoditatẽ prædicatorũ, vt ex præfatione auctoris facile constat, in qua perspicere licet huius Opusculi argumentum. Et sicut Auctor in libro pharetræ, qui in prima Opusculorum parte huius editionis habetur, auctoritates sanctorum Patrum ad loca communia redegit; ita in hoc Opusculo sacræ Scripturæ exempla. Quare postulare videbatur ordo, vt tractatus iste in prima parte cum pharetra collocaretur; sed quia in gratiam religiosorum sui ordinis illud videtur Auctor composuisse, vt titulus ipse præsefert: ideo in hac quarta parte editũ fuit, quia ea Opuscula continet, quæ ad religiosos præcipue sui ordinis spectant.*

PRÆFATIO.

TANTA pollet excellentia prædicationis officium, quod Saluator noster Dominus Iesus Christus non confunditur asserere se fuisse missum ad id salubrius exercendum. Prædicator igitur assumpto tantæ dignitatis opere, totis studiis laborare conetur, vt illud sicut oportet & expedit, exequatur. Quia profecto fieri poterit, si honorem Dei, & vtilitatem proximi directe intendat ibi quærere, non modicum temporale, vel per inanem gloriam subtilia magis, quam vtilia curiosius exquirendo, ac sermonibus imperitis sententias inuoluendo sciolus apparere. Manifestum est autẽ antiquorum exempla gestorum valde ædificatoria esse, quando fuerint decenter inducta, & inter sacra verba congruenter inserta. Siquidem & castum timorem incutiunt, & sanctum alliciunt ad amorem. Dum id quod homini factum fuisse narratur, homo sibimet posse fieri similiter arbitratur, siue speciali gratia actum fuerit cum quibusdam, siue cum aliis suadibili doctrina, siue etiam terribili disciplina. Intellectum insuper hominis faciliter instruunt, & cognitionem memoratiuam generant planiorem: quia cum facta præcedentia memoratiuæ describuntur, quasi quædam sensibiles species in auditoris imaginatiua pinguntur, quæ sine difficultate ad intellectũ postea transfunduntur. Apprehensis quoque mirabilibus præcedentium factis, quanto adiutore contingit fortiori admiratione percuti, tanto eius memoriam certum est tenacius insigniri. Sicque minus cito poterit, quod auide auditum, & valide impressum fuerit, de ipsa vi memoratiua deleri. Quia vero, vt ait beatus Augustinus: Sacra Scriptura supra omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum diuina excellens auctoritate subiecit, in omni solida & indubitabilis veritas continetur. Ideoq; exempla quæ hauriuntur in illa eo maioris sunt ponderis, & valoris, quo subliniori auctoritate, & certiori veritate nituntur. Vnde prædicator verba Scripturæ sacræ enucleatius exponendo, & testimoniis in æternum fundatis vtendo potest morose sermonem tutius dilatare, quam si verba cuiuscumque alterius historiæ pertractaret. Plurimas igitur vtilitates de exemplorum in sacra Scriptura contentorum narratione veridica, prouenientes perpendẽs, ad honorem Dei, & aliqualem proximorum ædificationem exempla in variis locis sacræ Scripturæ dispersa, faciliter breuiterq; secundum quod tenuitas paupertatis meæ valebat excipere, laboraui. Nullus autẽ ita me præsumptuosum existimet, vt putem hic cuncta ipsius Scripturæ exempla notabilia coarctasse. Scio enim quod tanta est Christianarum litterarum profunditas, vt non possit paucis voluminibus comprehendi. Quare si dicat lector, quod ad hanc, vel ad illam materiam, tale vel tale exemplum hic omissum potuisset adduci; vel etiam quod tale, vel tale hic propositum ad alia plura congruentius debuisset aptari; nolo verbis cõtẽdere, nec ei contradicere in hac parte. Hoc solum mihi sufficiat, quod de bonis & notabilibus exemplis aliqua vtilia sunt hic sub breui facilitate descripta. Rursus etiam quia nonnumquam vnum valet induci ad diuersas virtutum, aut vitiorum materias, non miretur aliquis, vel turbetur, si interdum sub diuersis titulis idem factũ, vel exemplum inuenerit collocatum, verbi gratia. Quando narratur, quod Ioseph procaci mulieri ipsum sollicitanti acquiescere recusauit, quamquam factum fuerit vnum: potest tamen inde sumi exemplum pro castitate inuentum, & pro fidelitate seruorum. Item contra nimiam credulitatem dominorum, & contra fallacias mulierum. Item de occultis iudiciis, & prouidentia Dei, qui ex huiusmodi occasione ipsum Ioseph inopinabiliter sublimauit. Porro quia breuitati studui sensum plerumque posui, non ipsa verba, prout in textu omnino iacebant. Vt autẽ exempla possint citius proposito prædicatoris occurrere: titulos subsequentis opusculi in ipso libri capite prænotaui.

A.

CAPVT I.

DE MIRACVLIS DIVINA PROVIDENTIA factis.

CREATIO rerum fuit ita mirabilis, quod eius notitia non nisi per reuelationem venire potuit ad hominem. Nam secundum B. Gregorium super Ezechielem homil. 1. De præteritis prophetauit Moyses dicens: In principio creauit Deus cœlum & terram. Genesis 1. Non quia prædixit futura, sed quia prodidit occulta.

Tempore diluuij saluauit Dominus Noe cum vxore, & tribus filiis suis & vxoribus eorum. Item dicitur: De cunctis animalibus masculum & feminam fecit seruari per arcam. Genes. 7.

Præsumptionem hominum turrim vsque ad cœlum ædificare volentium repressit Dominus confundendo linguas eorum. Genes. 11.

Mirabiliter natus est Isaac. Genes. 21.

Item mirabiliter liberatus, quando debuit immolari, & apparuit aries inter vepres. Gen. 22.

Multa miracula fecit Dominus per Moysen quando voluit filios Israel educere de Ægypto. Exod. 7. 8. 9. & 10.

Grande miraculum fuit, quod numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo eunte de Ægypto ad terram promissionis. Exod. 13.

Per lignum Moysi ostensum dulcoratæ sunt aquæ prius amaræ. Exod. 15.

Misit Dominus murmuranti populo coturnices, & postea pluit illis manna ad manducandum. Exod. 16.

Item aquam de petra in abundantia ad bibendum. Exod. 17.

Memorandum & terribile miraculum fuit in diuisione, & exsiccatione maris rubri, quando transierunt filij Israel sicco pede, Aegyptij vero fuerunt in mediis fluctibus inuoluti. Exod. 14.

Murmurantibus & desiderio carnium flagrantibus in deserto filiis Israel misit Deus carnes in abundantia. Numeri 11. hinc haberi potest, quod miracula non sunt semper certa diuinæ dilectionis insignia.

Occasione seditionis Chore, & complicum suorum multa miracula contigerunt. Numer. 16. & 17.

Percussi filij Israel à serpentibus ignitis, & aspicientes serpentem æneum curabantur. Numer. 12.

Veniens Balaam ad maledicendum populo Dei, redargutus fuit ab asina, cui sedebat. Num. 22.

Adduxit Dominus filios Israel per desertum quadraginta annis, & non sunt attrita vestimenta eorum, nec calceamenta vetustate consumpta. Deuteron. 29.

Ingressis filiis Israel fluuium Iordanis stabant aquæ, & instar montium intumescebāt aliæ inferiores in mare mortuum descenderunt. Iosue 3.

Post septem circuitus filiorum Israel muri Iericho corruerunt. Iosue 6.

Obediuit Deus voci Iosue dicentis, Sol contra Gabaon non mouearis. Ios. 10. c.

Immisit Dominus gladium in omnibus castris Madian, & mutua se cæde truncabant, & sic per paucos multi debellati fuerunt. Iudic. 7.

Per arcam Domini à Philisthæis captam multa fuerunt facta miracula. 1. Reg. 4. & 5.

Ionathas & armiger eius percusserunt tot de Philisthæis, quod factum est miraculum, & conturbata sunt castra. 1. Reg. 14.

Magnum fuit miraculum, quod Dauid iuuenis inexpertus & inermis præualuit aduersus Philistæum armatum, fortem & expertum. 1. Reg. 17.

Cum extenderet Hieroboam brachium, vt faceret capi virum Dei, aruit manus eius, & altare scissum fuit, 3. Reg. 13.

Elias legitur fecisse miracula impetrando fieri siccitatem, ita quod non pluit super terram annos tres, & menses sex: sicut habetur. Iac. 5. Item corui detulerunt

ei panem

ei panem & carnes bis in die, consequenter suscitauit filium mulieris matris familias. 3. Regum 17. Postea ignem holocaustum mirabiliter consumentem à Domino precibus impetrauit. Deinde post orationem eius, facta est pluuia grandis. 3.Regum 18. Post hæc Angelus Domini panem & aquam ei ostendit. Item in monte Horeb apparuit ei Dominus. 3. Reg. 19. Præterea duos quinquagenarios ad preces eius ignis descendens de cœlo consumpsit. 4. Reg.1. Tandem diuisit pallio tangens aquas Iordanis, & in curru igneo receptus est in cœlum. 4. Reg. 2.

Elisæus legitur fecisse miracula aquas Iordanis diuidendo. 4.Regum 2. Idem mulieri viduæ debitis obligatæ oleum augmentauit. 4. Regum 4. Idem mulierem Sunamitidem filium habere fecit, & deinde eum mortuum suscitauit. 4.Regum 4. Item apposita farina in olla, prius amara olera dulcorauit. Item panes multiplicauit filiis Prophetarum. 4. Regum 14. Item sanauit à lepra Naaman Syrum. 4.Reg. 5. Item fecit super aquas natare ferrum. 4.Regum 6. Item absens tamquam præsens multa cognouit. 4. Regum 5. & 6. Item currus igneos Angelorum à puero suo videri fecit. 4.Regum 6. Item exercitum regis Syriæ cæcitate percussit. 4. Reg. 6. Item multotiens futura prædixit. 4. Regum 7.8.9. & 13. Item cadauer hominis mortui tangens ipsius ossa defuncti surrexit. 4. Regum 13.

Mirabile fuit valde quando ad petitionem Ezechiæ Sol retrocessit per decem lineas in horologio Achaz. 4. Regum 20.

Obsidente rege Senacherib ciuitatem Lachis percussi sunt vna nocte de exercitu ipsius centum octoginta quinque millia tempore Ezechiæ. 4. Reg. 19.

Congregati sunt contra Iosaphat filij Ammon & Moab, & de monte Seir, cum canerent autem laudes Deo Leuitæ in exercitu Iosaphat existentes aduersarij in semetipsos versi, mutuis se occidere vulneribus. 2. Paralipomenon 20.

Tobias, quattuor annis fuit cæcus, & deinde iuxta consilium Angeli ad linitionem de felle piscis lumen recepit. Tobiæ 11.

Memorandum fuit miraculum de tribus sociis Danielis à fornace ignis ardentis, tam magnifice liberatis. Danielis 3. & etiam de Daniele, qui cum leonibus septem diebus remansit illæsus. Dan. 14. Alia vero vice fuerat die vno. Dan 6.

Occasione Ionæ mare fuit commotum, quo proiecto piscis eum deglutiuit, & per triduum ibi vixit; & postea sanus exiuit. Ionæ 1. & 2.

Expertus est Heliodorus diuinam virtutem, quando voluit spoliare templum, & fuit à duobus iuuenibus grauissime vulneratus. 2. Machab. 3.

Aduersus Galatas in Babyloniâ sex millia hominum peremerunt centum viginti millia hominum propter auxilium eis datum de cœlo. 2.Machab. 8.

Angelus Domini apparuit Zachariæ, nuncians ei ex parte Dei, quod Elisabeth vxor eius, licet sterilis, & anus pareret ei filium, qui incredulus ad verbum Angeli mutus effectus est, vsque ad circumcisionem pueri, & tunc loquela restituta est ei. Luc. 1.

Mirum dulce & pium valde factum fuit, quando ad salutationem Beatæ Mariæ, quæ nouiter conceperat Saluatorem, beatus Ioannes in vtero matris existens exultauit, & sancta Elisabeth hæc cognouit, & exclamauit, dicens: Benedicta tu inter mulieres, &c. Lucæ 1.

Magi venerunt ab oriente Hierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, &c. Matth. 2.

Vocatus ad nuptias Dominus Iesus cum discipulis suis, aquam in vinum conuertit. Ioan. 3.

Non fuit paruum Domini miraculum, quando illi de Nazareth repleti ira duxerunt eum in supercilium montis, vt præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum ibat. Lucæ 4.

Circuibat Iesus, &c. obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant & lunaticos & paralyticos, & curauit eos. Matth. 4. simile habetur Luc. 4. Omnes qui habebât infirmos variis languoribus, &c. Item Lucæ 6. Virtus de illo exibat & sanabat omnes.

Quantum ad miracula, quę Saluator noster cum hominibus conuersatus operari dignatus est, ex Euangelica colligitur historia; quia ipse tres mortuos suscitauit, videlicet filiam Archisynagogi in domo patris. Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.

Item filium viduæ delatum extra portas ciuitatis Naim. Luc. 3. Tertius fuit Lazarus frater Mariæ & Marthæ, qui iam quatriduanus erat, & in sepulchro fœtebat. Ioan. 11.

Item leprosos vndecim inuenitur mundasse. De vno. Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5. De aliis autem decem, qui dixerunt simul, Iesu præceptor miserere nostri. Luc. 17.

Præterea, sex cæcos legitur illuminasse, de duobus simul. Matth. 9. de duobus aliis. Matth. 20. Duo cæci sedentes secus viam audientes, quia Iesus transiret. De vno alio. Marc. 8. Veniunt Bethsaida, & adducunt ei cæcum, & rogabant illum, vt eum tangeret. De alio autem cæco nato. Ioan. 9.

Dæmoniacos autem septem specialiter liberauit. De duobus. Matth. 8. De quorum vno qui erat famosus, & nomen sibi esse legionem dicebat, tangitur. Lucæ 8. De vno alio, qui erat mutus. Matth. 9. De alio, qui erat cæcus & mutus. Matth. 12. & Luc. 11. de eodem. De quodam vero lunatico, qui non poterat liberari, nisi in oratione & ieiunio, habetur Matth. 9.

Item de quodâ spiritu immundo ab homine in synagoga Iudæorum eiecto tangitur. Mar. 1. Luc. 4. Item de filia mulieris Cananææ ad instantiam matris sanata. Matth. 15. Marc. 7. Item secundum litteram narratur. Luc. 8. Eiecit septem dæmonia de Maria Magdalena, & hoc ipsum dicitur Marc. 16.

Item cum socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperauit Iesus febri, & continuo surgens ministrabat ei. Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4.

Item paralyticum ante eum per tegulas tecti demissum sanauit. Matth. 9. Marc. 4. Luc. 5.

Item hydropicum, dum Sabbato comederet in domo Pharisæi, curauit. Luc. 14.

Item homini manum aridam habenti extendere eam fecit. Matth. 12. Marc. 3.

Item hominem languidum per triginta octo annos in momento sanauit. Ioan. 5. Item incuruatam mulierem, nec sursum respicere valentem erexerat. Luc. 13.

Item sanauit seruum Centurionis, qui iacebat paralyticus, & male torquebatur. Matth. 8.

Item surdum fecit audire, & mutum loqui. Mar. 9.

Item filium Reguli de Capharnaum incipientem mori ad vitam reduxit. Ioan. 4.

Item fluxum sanguinis in muliere Hæmorrhoissa cessare fecit tactu fimbriæ vestimenti eius. Matth. 9. Mar. 5.

Item tempestate valida in mari ipso dormiente commota imperauit mari, & statim venti & mare obediunt ei. Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

Item ambulauit discipulis admirantibus supra mare, & Petrum ambulare fecit, & incipientem mergi manu extenta saluauit. Matth. 14. Marc. 6.

Item pulchrum miraculum ostendit tribus Apostolis in sua transfiguratione. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9.

Item de quinque panibus & duobus piscibus, quinque millia hominum satiauit, & sublati fuerunt duodecim cophini fragmentorum. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6.

Item quattuor millia hominum refecit alia vice, de septem panibus & paucis pisciculis, & superfuerunt septem sportæ fragmentis plenæ. Matthæi 15. Marc. 8.

Item ficum habentem folia sine fructu maledixit, & continuo aruit. Matth. 21. Marc. 8.

Item auriculam per Petrum, seruo principis sacerdotum am-

tum amputatam benigne restituit, & Petrum super hæc imputauit. Luc.22.

Cum autem ipse Saluator pro salute mundi penderet in cruce, à sexta hora diei, vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, Luna existente decima quinta, & in parte cœli opposita Soli, ita quod Sol per ipsam Lunam nullatenus naturaliter poterat eclipsari, & velum templi scissum est, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt. Matth. 27.

Resurgente vero ipso Domino Iesu Christo, terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem ab ostio monumenti, præ timore etiam eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Matth. 28.

Deinde apparuit discipulis suis ianuis clausis. Ioan. 20. & ad mare Tiberiadis, vbi ad præceptum eius mittentes rete in mare, impletum est magnis piscibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti essent, non est scissum rete. Ioan. 21.

Tandem quadragesimo die post resurrectionẽ suam apparens discipulis, & eos increpans & instruens, videntibus & admirantibus eleuatus est in cœlum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Luc.24. Act. 1.

Prædicta miracula in speciali tanguntur. alia vero plurima fuisse facta in generali leguntur: sicut apparet in diuersis locis, in Matthæo, Marco, & Luca. Vnde Ioan.20. Multa quidem & alia signa fecit Iesus, & cet.

Miro modo magnum fuit miraculum de effusione Spiritus sancti super discipulos in die Pentecostes. Vnde ita fuerunt roborati, consolati & illustrati. Act. 2.

Videns Petrus hominem claudum iuxta Speciosam portam templi dixit: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, alleuiauit eum: & protinus consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Act. 3.

Princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia sua publica. Angelus autem Domini per noctem eduxit eos, & carcerem reclusit, &c. Act. 5.

Grande miraculum, & terribile factum fuit, quando ad vocem increpatoriam Petri, Ananias cecidit & expirauit; & simile accidit de Saphira vxore eius. Act. 5.

In plateis ponebant infirmos in lectulis & grabatis, vt veniẽte Petro saltem vmbra eius obumbraret quemquam illorum. Concurrebat autem multitudo vicinarum ciuitatum afferentes ægros, & dæmoniacos, & curabant omnes. Act. 5.

Prædicante Philippo in Samaria, multi qui habebant spiritus immundos clamantes exibant. multi etiam paralytici & claudi curati sunt. Act. 8.

Æneam paralyticum ab annis octo in grabato iacentem Petrus sanauit, dicendo: Ænea sanet te Dominus Iesus Christus; surge & sterne tibi. Act. 9.

Eiectis omnibus foras Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus Tabithæ mortuum, dixit: Thabita surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit; dansque illi manum erexit eam. Act. 9.

Mirabile & admirabile factum fuit, quod Saulus dum iret Damascum ad capiendum Christi discipulos, cœlesti lumine circumfultus in terram prostratus est, & exterius excæcatus, sed interius illustratus. Act. 9.

Petrum incarceratum, catenis duabus vinctum, & sexdecim militibus custoditum, Angelus Domini solutum eduxit, & porta ferrea vitro aperta est eis. Act. 9.

Elymam magum pseudoprophetam Iudæum, Paulus priuauit lumine oculorum, eo quod ipse proconsulem Paulum à fide auertebat, & Apostolis verbum Dei prædicantibus resistebat. Act. 13.

In ciuitate Lystræ erat vir quidam claudus ex vtero matris suæ, qui numquam ambulauerat: quem intuens Paulus dixit voce magna: Surge super pedes tuos rectus, & exiliuit & ambulauit. Act. 14.

Quædam puella habens spiritum pythonem magnum quæstum præstabat dominis suis diuinando. hæc sequebatur Paulum & Lucam, & clamans & dicens: Isti homines serui excelsi Dei sunt. Dolens autem Paulus dixit spiritui: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea, & exiuit eadem hora. Act. 16.

Cum essent Paulus & Silas in carcere laudantes Deum, subito terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris; & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Act. 16.

Virtutes non modicas faciebat Deus per manus Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Act. 19.

Quidam Iudæi tentauerunt inuocare super eos, qui habebant spiritus malos nomen Domini nostri Iesu Christi, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat: Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui & Paulum scio. Vos autem qui estis? Et insiliens homo in quo erat dæmonium dominatus est amborum, & inualuit contra eos: ita vt nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Act. 19.

Vna sabbati Paulus disputans protraxit sermonem vsque ad mediam noctem. sedens autem adolescẽs quidam super fenestrã cum mergeretur somno graui, cecidit de tertio cenaculo deorsum. & sublatus est mortuus. ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, adduxerunt autem puerum viuum, & consolati sunt non minime. Act. 20.

Tempore hiemali cum euasissent Paulus & socij eius de fracta naui, & calefacerent se ad ignem: vipera à calore procedens inuasit manum Pauli: quam ille excutiens in ignem nihil mali passus est; cum tamen crederetur ab hominibus illius regionis illico moriturus. Act. 28.

Patrem Publij febribus & dyssenteria laborantem, Paulus facta oratione, & manuum impositione sanauit: quo facto omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant & curabantur. Act. 28.

Caput II.

De prudentia Dei & occultis eius iudiciis.

Sciebat Dominus hominem peccaturum, & tamen ipsum peccabilem fecit, cum impeccabilem facere potuisset: sed sciebat quantum bonum occasione illius culpæ elici debuisset. Gen. 1. de creatione hominis.

Vnde fratres Ioseph ipsum extinguere crediderunt, inde dispositione Domini ipsum super ipsos exaltauerunt. Gen. 37. & 41.

Laban mercedem Iacob frequenter mutauit, vt ei lucrum subtraheret, qui tamen de facultatibus eius diuina voluntate ditatus est. Gen. 30.

Mirante Ioseph, & causam ignorante Iacob in benedictione filiorum eius, super Effraim posuit manum dexteram, & super Manassem sinistram. Gen. 48.

Postquam Moyses percusserat Ægyptium, & offenderat corripiendo quendam Hebræum, fugit à facie Pharaonis, & exulauit in terra Madian multis annis; ita quod videbatur, vt de cetero non auderet comparere in terra Ægypti: & tamen ibi pascendo oues soceri sui, habuit maiores occasiones vacandi Deo. & vidit visionem illam grandem; ac missus fuit à Deo ad filios Israel, & ad Pharaonem. Exod. 2. & 3.

Sciebat Dominus Pharaonem nõ obediturum mandatis suis. & tamen ipsum per Moysem faciebat requiri. Exod. 5. & 6.

Antequam educeret Dominus filios Israel de Ægypto, longo tempore, & multotiens affligi eos, & flagellari permisit. Exod. 1. & 5.

Magi & malefici Pharaonis Deo permittente fecerũt signa in Ægypto sicut Moyses, quo ad plura. Exod. 7.

Permittit Dominus reprobos indurari, & electos affligi, vt

fligi, vt aliqua miracula operetur, & inde cognoscatur amplius & laudetur. Exod.9. Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

Totiens promisit Dominus filijs Israel terram illam lacte & melle manantem. & tamen duo tantum de illis, qui viginti annos habebant, scilicet Caleb & Iosue ad illam peruenerunt. reliqui vero non, sed paruuli eorum tantum. Num.14.

Moyses qui totiens populum peccantem reconciliauit Deo, peccauit semel ad aquas contradictionis. Num. 20. & non obtinuit pro se ipso, vt intraret terram Promissionis.

Hoc ipso, quod filij Israel propter peccata sua manserunt quadraginta annis in deserto, amplius magnificatus est Deus. qui eos tamdiu pauit, & eorum vestimenta à consumptione seruauit. ac tandem eos in terram promissionis mirabiliter introduxit. Iosue 2.

De gentibus, quæ habitabāt in terra Promissionis, dicitur Iosue 11. Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, & perirent.

Postquam Gedeon tam mirabilem victoriam de inimicis habuerat, & dominari populo recusauerat, fecit Ephod: quod factum est ei, & domui eius in ruinam. Iudic.8.

Iratus Dominus filijs Israel propter eorum peccata, dixit eis: Non addam, vt eos liberem. Ite & inuocate Deos, quos elegistis. Dixeruntq; ad Dominum: Peccauimus, &c. & sequitur: Qui doluit super miserijs eorum. Iudic.10.

Samson Angelo annuntiante de sterili, matre conceptus, postea pluries fuit per mulieres deceptus, & ad vltimam ruinam domus oppressus. Iudic.16.

Filij Israel contra filios Beniamin de consilio & voluntate Domini præliantes, bis debellati fuerunt; sed illos postea penitus deleuerunt. Iudic.20.

Permisit Dominus arcam capi ab incircumcisis, vbi multa miracula fecit. & cum reduceretur, Bethsamitæ cum gaudio receperunt illam. Quia vero viderunt eam, percussit Dominus ex eis septuaginta magnos viros, & quinquaginta milla pleibeios. 1.Reg. 4.5.

Saule melior non erat in populo, quando fuit à Domino signanter electus, & tamen cito post peccauit & fuit à Deo proiectus. 1.Reg.15.

Dauid erat minimus inter fratres, & quasi nullius reputationis inter eos. vnde quando vocati fuerunt filii Isai, iste neglectus, vel contemptus fuit; tamen per illum Dominus totum populum gubernauit, & totam illius progeniem sublimauit. 1.Reg.16. & deinceps.

Satis est mirabile quomodo Samuel sanctus propheta à muliere Pythonissa legitur suscitatus. 1. Reg.28. Augustinus in lib. de doctrina Christiana dicit, quod fuit imago Samuelis, non ipse propheta, vel eius anima, & apparuit eius imago arte dæmonum sacrilega.

Aug. lib. 2. de Doctri. Christia. c.23. to.3.

Nota quam expresse locutus est Dominus ad Nathan de bonitate Dauid, & filij eius, qui ædificaturus erant templum. 2.Reg.7. & tamen ambo in peccata postea tam turpiter corruerunt.

Mirabile videtur quod pro adulterio, & homicidio Dauid vnus tantum paruulus est, 2.Reg.12.

Moriturus Dauid ordinationem fecit satis mirabilem: sed quia Scriptura ita commendat eum, supponendum est, licet occulta, non tamen iniusta ratione fuisse factum. 3.Regum.2.

Salomoni dedit Dominus tantam prosperitatem, & pacem, quod non erat satan, neq; occursus malus. Item sapientiam, & gloriam præ cunctis regibus; & tamen permisit eum Dominus taliter infatuari, deprauari, & multiplices aduersarios suscitari. 3.Regum.11.

Præcepto Domini per Ahiam prophetam præfectus est Hieroboam super decem tribus, qui populum ad idololatriam malitiose induxit, 3.Regum.11.

Occidit leo virum Dei, qui prædixit Ieroboam destructionem altaris sui; & de carnibus ipsius mortui non comedit. 3.Regum.13.

Cum esset Achab sceleratissimus, & audiret pœnam sibi pro criminibus infligendam, cœpit exterius humiliari, & Dominus pœnam infligere prorogauit 3.Reg.21.

Terribile fuit, quod duos principes quinquagenarios cum quinquaginta suis fecit Elias igne descendente desuper subito deuorari. 4.Reg.1.

Iehu rex Israel maximo zelo persecutus est cultores Baal, ita quod Dominus ipsius opera commendauit: & tamen ab idololatria vitulorum Ieroboam non recessit, 4.Regum.10.

Manasses rex in Hierusalem terribilia scelera perpetrauit: postea catenis vinctus. & in Babylonem ductus pœnitentiam agens orauit Deum, & exauditus fuit. 2. Paralip.33.

Iosias rex Iuda cum sanctissimam vitam duxisset, tandem perrexit, vt dimicaret contra Nechao regem Ægypti dicentem ei: Desine aduersum Deum facere qui mecum est, ne interficiat te. Non acquieuit Iosias sermonibus Nechao ex ore Dei, & male successit ei, 2. Paralip.35.

Ciuitatem sanctam electam specialiter, & dilectam peculiarem populum, quem de Ægypto mirabiliter eduxerat, per desertum deduxerat, in terram Promissionis introduxerat, permisit Deus per Chaldæos, & Assyrios deuastari, & miserabiliter captiuari, & videbatur quod Dominus illos penitus non curaret. dicitur autem Tob.13. Confitemini Domino filij Israel, quoniam ideo dispersit vos inter gentes, qui ignorat Deum, vt enarretis miracula eius, & faciatis scire, quia non est alius Deus optimus præter eum.

Tobias post tam pia misericordiæ opera, quibus solicitus intendebat, excæcatus est, cuius causam non intelligentes amici eius scandalizati insultabant ei. Tobiæ 2.

Satis mirabile potuit reputari, quare tot regna permisit Deus ab Holoferne nequissimo homine subiugari. Iudith.2. & 3.

Item de Aman, qui fuit superbissimus & crudelissimus, & tamen fuit post regem super cunctos principes exaltatus. Esther.3.

Mirabantur, & scandalizabantur amici Iob super eum, quando videbant tam grauibus flagellis afflictum. Iob.2. & deinceps.

Diuina iustitia punit interdum malos homines per peiores, sicut filios Israel, & Iuda per Nabuchodonosor, & Chaldæos. vnde Isa.10. væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, &c. Ipse autem non sic arbitrabatur, &c.

Non solum super populum fidelem, & bonum instituit Dominus principem, vt prælatum. verumetiam super omnes, non est potestas nisi à Deo. Rom.13. Vnde de Cyro prophetauit Isaias, & vocat eum Dominus Christum suum. de quo tamen dicit: Assimilaui te, & non cognouisti me, &c. Isa.45.

Præcepit Dominus Ionæ, vt prædicaret adhuc quadraginta dies, & Niniuel subuertetur, & tamen sciebat Dominus Niniuitas pœnitentiam acturos, & non aliter puniendos. Ionæ 3.

Permisit Dominus, vt Antiochus profanaret illud venerabile templum, & succenderet ciuitatem sanctam, & faceret ibi innumeras cędes hominum innocentium, &c. 1.Machab.1.

Tempore Antiochi Epiphanis, qui Hierusalem destruxit, templum profanauit, multos Iudæos torsit crudeliter, & occidit, poterat videri multis quod confusio magna erat, & deordinatio in regimine vniuersi. Verumtamen ex illis malis elicuit Deus malorum punitionem: quorundam vero correptionem, multorum etiam tunc interfectorum virtutes, & merita fuerunt multiplicitei augmentata. 2. Machab. 6. Obsecro autem eos qui habent, &c.

Iudas Machabæus, Ionathas, & Simon fratres eius fuerunt viri, quo ad Deum, & homines fidelissimi & strenuissi-

strenuissimi, & tamen satis miserabiliter mortui. Nam Iudas in bello contra Bachidem & Alchimum cecidit. 2. Machab. 9. Ionathan vero cum duobus filijs Tryphon occidit. 1. Machab. 13. Simonem autem, & duos filios eius Ptolomæus filius Abobi inebriatos proditorie iugulauit. 2. Machab. 15. Mirum fuisse videtur quod Eleazarus vir ætate prouectus, & illi septem fratres, tam crudelia sustinuerunt pro diuina lege tormenta, nec tamen ibi Deus aliquam vindictam in tyrannos ostendit. 2. Machab. 6. & 7.

Voluit Dominus puer existens in Ægyptum deferri à facie Herodis, & permisit loco sui Innocentes occidi. Matth. 2. Sed in hoc ipsis infantibus melius prouidit. numquam enim tantum bonum Innocentibus, puenisset, si Herodes eos honorare curasset, quantum prouenit eis ex eo quod eos occidi mandauit. Matth. 2.

Audita fide Centurionis miratus est Dominus, & sequentibus se dixit: Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Matth. 9.

Quidam scriba obtulit se ad sequendum Dominum, & non fuit admissus. Alium vero inuitauit ad sequendum, qui nō voluntarius videbatur. Vnde dixit: Dimitte me sepelire patrem meum. Leu. 9. & Matth. 8.

Fecit Dominus virtutem in Corozaim, & Bethsaida, vbi parum profuit, & non fecit in Tyro & Sydone: vbi si fecisset, multum profuisset. Matth. 11.

Permisit Deus Ioannē Baptistam exemplū totius sanctitatis ab Herode vilissimo adultero decollari. Matth. 11. & Mar. 6. Stuporem autem auget, quia hoc factum fuit ad instantiā meretricis, nec aliqua vindicta legitur in Euangelio subsecuta, neq; in Herodiade, neq; in puella, neq; in ipso Herode tetrarcha.

In Dominica passione per sceleratissimam hominum iniquitatem, Deus circa redemptionem humani generis suam benignissimam voluntatem ostendit. Vnde dixit Petrus. Act. 3. Deus qui prænuntiauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit sic, & cætera.

Petrus Apostolorum princeps, & caput Ecclesiæ, Dominum ipso permittente ter negauit. Thomas, qui tam confidenter dixerat: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Ioan. 11. de Resurrectione Dominica dubitauit: Ex quib. secutus est, quod Petrus fuit mitior erga peccatores, & fuerunt in fide solidati fideles, vel in fide aliqualiter cespicientes. Item habetur ex hoc, quod nullus debet de sua firmitate præsumere, & quod siue aliquis ceciderit à fide, siue dubitauerit in fide non debet de diuina misericordia, & de consequenti venia desperare.

Item ex hoc quod Iudas Apostolus, & dispensator Domini in enorme peccatorum cecidit, nec surrexit, reprehenditur omnis præsumptuosa securitas, quod nullus pro statu quem habeat, vel pro actu quem faciat, debet alte sapere, sed timere.

Quando Apostoli duces fidelis populi fuerūt in carcere, & cum diligentia custoditi: Act. 5. poterat videri aliquibus infirmis, ꝙ Deus tempore nouellæ fidei non debebat talia permisisse, sed ex hoc ipso fideles fuerunt mirabiliter consolati, & aduersarij fidei confutati. Simile accidit de solo Petro. Act. 12. quando fuit ab Herode captus & carceratus, & per Angelum miraculose eductus.

Magna fuit iniquitas Stephanum lapidare, & tamen inde multa bona supernę prouiditate clementię prouenerūt. nam ipse fuit in cœlo gloriosis coronatus, in terra abundantius honoratus, oratio etiam sua quam ibi fecit, nobis acquisiuit Paulum, & omnibus posteris reliquit miræ patientiæ, & charitatis exemplum. Act. 7.

Lapidato Stephano facta est magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos, ita quod videbatur ad multum Christiana religio vergere detrimentum. Sed dispersi discipuli Euangelizabant verbum Dei, ita quod hoc ipso Ecclesia fuit amplius dilatata. Act. 8.

Prædicantibus Paulo, & Barnaba Iudæis, & illis repellentibus verbum Dei assumpserunt ipsi occasionem gentibus prædicandi. Vnde dixerūt. Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, &c. ecce conuertimur ad gentes; audientes autem gentes gauisæ sunt.

Facta est dissensio inter Paulum, & Barnabam, propter Ioannem Marcum, quem Paulus nolebat recipere eo quod discessisset ab eis: Barnabas autē volebat eum secum assumere, ita quod abinuicem discesserunt ex quo videbatur scandalum debere sequi, sed disponente Deo magnus secutus est fructus, quia pluribus prædicatum est verbum Dei. Act. 15.

Grandia facinora committebant illi, qui egregium doctorem Paulum incarcerabant, & à prædicatione ipsum cessare cogebant. poterat etiam multis videri, quod hoc magnum inconueniens erat, & quod Dominus hoc permittere non debebat. Et tamen notandum est valde quod ex tantis impedimentis, & damnis diuina prouidentia multas virtutes effecit. nam inde meritū Pauli creuit, sic etiam maiora virtutum exempla reliquit, & melius docuit per opera, quam prius fecisset per verba. Præterea in carcere positus scripsit absentibus, & remotis. Nec tantum profuit Ecclesiæ prædicando, quātum profuit epistolas transmittendo. Vnde si in vna ciuitate, vel prouincia fuisset ab hominibus honoratus, & libenter auditus, non habuisset occasiones ad diuersos populos remeandi, nec tot gentibus Euangelium seminandi. Quando igitur persequebantur eum Iudæi, vel quicunque alij de ciuitate in ciuitatem, verbum Dei pluribus prædicabat: quando in carcere tenebatur epistolas faciebat. Item quando resistebant ei Iudæi, ad gentes se conuertebat. Act. 13. Quoniam repellitis verbum Dei, dicebat Iudæis, Ecce conuertimur ad gentes. Item Act. 18. dixit Iudæis: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego ex hoc ad gentes vadam. Rursus etiam, quia miseria Fœlicem, & Festum iudices habuit cupidos, & iniquos, compulsus est Cæsarem appellare. sicque Romam venit, quam sua doctrina vel prædicatione salubriter illustrauit, & sua passione fœliciter decorauit.

Caput III.

De benignitate Dei ad seruos suos.

ABraham loquens cum Domino & petens, & parceret Sodomitis mira fiducia vtebatur, & visus fuisset apud homines importunus. Sed Dominus ei semper benigne respondit, & ꝙ petebat, concessit. Gen. 18.

Fugienti Iacob iram fratris sui Dominus clementer apparuit. Item redeuntem ad patrem suum ab insecutione soceri liberauit. Gen. 30. & 31.

Magna fiducia vsus Iacob orando Deum dicens: Non dimittam te nisi benedixeris mihi, &c. Gen. 32.

Ait Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit dimitte me, vt irascatur furor meus cōtra eos. Exod. 32. Quasi diceret tu me tenes, nec possum hos peccatores conterere, nisi dimittas me.

Loquebatur Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.

Præterea ipsum ab æmulis, & detractionibus defendebat. Num. 12. 23. 16. Exod. 33.

Obediuit Deus voci Iosue dicentis: Sol contra Gabaon non mouearis, &c. Iosue 10.

Balach vocauit Balaam, vt malediceret filios Israel, sed Dominus è contrario per illum benedixit eis, sicut refert Iosue 24. Et de hoc quærebatur Balach. Num. 23.

Gedeon bis à Domino petijt signum in vellere, vtrū deberet victoriam de hostibus obtinere. Iudic. 6. Mirū fuisse videtur de hoc, quod dijs non fuit indignatus.

In abiectione, seu contemptu seruorum Dei, ipse Dominus reputat se contemptum, vt patet in Samuele. 1. Reg.

1.Reg.8. Non te abiecerunt, sed me, dixit Dominus Samueli.

Nota quam pie locutus est Dominus ad Nathan de Dauid, & domo eius in futurum. 2.Reg.7.

Quamuis posteri Dauid multipliciter, & grauiter peccauerunt, tamen opera eius bona frequenter memorantur, & propter illa multoties pepercit Dominus peccatis illorum. 3.Reg.3. & 4.

Ex præcepto Domini corui deferebant panem, & carnes Eliæ. 3. Reg.17. Et postea, Angelus Domini panem, & aquam ei obtulit. 3.Reg.19.

Ezechias rex Iuda dixit: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. 2.Paralip.30.

B Misit Dominus Angelum suum, qui Tobiam iuniorem duxit, & reduxit. dæmonium ab eius vxore compescuit, gaudium parentibus eius fecit, seniorem Tobiam à cæcitate curauit, & totam domum eius bonis omnibus repleuit. Tob.5. & deinceps.

Videbatur Dominus, quasi timere offensam Hieremiæ, cum vellet populum, propter peccata sua omnino delere: dicebat enim Hiere.7. Proijciam vos à facie mea. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & nō obsistas mihi, quia non exaudiam te.

Planum est, quod Deus est cum seruis suis in tribulatione. Vnde Nabuchodonosor cum Azaria, & socijs eius similem filio Dei vidit in fornace ardenti. Dan.31.

C Exaudiuit Dominus vocem Susannæ, & quia per impudicos senes presbyteros iniuste fuerat condemnata per continentem puerum fuit iusto iudicio liberata. Danielis 13.

Cum Daniel esset in Babylone in lacu leonum, misit ei Dominus de longinquo xenium. nam de Iudæa misit ei prandium per Habacuc prophetam. Danielis 14.

Præparauit Dominus piscem magnum, vt deglutiret Ionam. Ionæ 2. Qui tamen propter inobedientiam videbatur iuste meruisse pœnam.

Machabæus, & qui cum eo erant pugnantes contra Timotheum habuerūt de cœlo manifestum auxilium, apparuerūt ei viri quinq; in equis, &c. Postea vero euntes ad prœlium contra Lysiam apparuit præcedens eos eques in veste candida armis aureis hastam vibrans. Machab.11.

D Mira benignitas erat in Domino Saluatore, qui circuibat sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem, quod nisi fecisset multi infirmi accedere ad eum non potuissent. Matth 4. & 9. Leuit.8.

Leproso dicenti, Domine si vis potes me mundare; pie respondit Dominus, & benigne fecit. Sequitur enim extendens Iesus manum tetigit eum dicens: Volo, mundare. Matth. 8. Sacerdotes autem huiusmodi homines habebant horrori. Statim post vocationem Matthæi discubuit Dominus in domo eius. Matth.9. Leuit.5.

A muliere fluxum sanguinis patiēte, quæ secundum legem immunda erat, clemens & pius Iesus permisit se tangi, & illam quæ duodecim annis omnia in medicos erogauerat, in momento sanauit. Mar.5 Matth.9.

E Cum secessisset Dominus in desertum vidit, turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum. Vespere autem facto dixerunt ei discipuli: Dimitte turbas. Iesus autem tamquam liberalissimus dixit eis: Date illis vos manducare, &c. Matth.14.

Petrus incipiens mergi clamauit, dicens: Domine saluum me fac. & continuo Iesus extendens manum apprehendit eum. Matth.14.

Mariam Magdalenam pie defendit Dominus Iesus contra Pharisæum mala de illa cogitantem. Luc.7. Item contra sororem propriam de illa conquerentem. Luc. 10. Item contra discipulos, propter infusionem vnguenti in eam frementes. Mar.14.

Ineffabilis pietas Dei multum ostenditur in exemplo de filio Prodigo, vbi dicitur, quod cum longe adhuc esset filius, vidit eū pater suus, & misericordia motus est, & accurrēs cecidit super collū eius, & osculatus est eum. Item volebat ille dicere, & petere, quod fieret sicut vnus de mercenarijs, & pater quasi interrupit verba eius, & recepit eum in filium, &c. Luc.15.

De facili Dominus recipit illos quos mundus eiecit. Vnde cæcus ille natus à Domino receptus est Ioan.9.

Mira fuit Christi benignitas, quando ad domum Publicani Zachæi, qui eum videre cupiebat seipsum inuitauit, & eiusdem domui benedixit. Luc.19.

Cum protulisset Dominus indistincte, Vnus ex vobis me tradet: Innuit Petrus Ioanni, Quis est de quo dicit: Itaq; cum recubuisset Ioannes supra pectus Domini, dicit ei: Domine quis est. Ecce magna benignitas, & familiaritas Saluatoris. Ioan.13.

Promisit Saluator Discipulis suis de suo recessu contristatis, quod Pater aliū paracletum daret eis, Ioan.14. Quod optime completum est in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus eos totaliter roborauit, consolatus est, illustrauit, vel docuit. Act.2.

Venientibus ad capiendum Dominum ministris Pōtificis dixit eis: Si me quæritis, sinite hos abire. Sciebat enim quod non erant parati ad martyrium sustinendum, idcirco infirmitati eorum condescendens voluit quod parceretur eis. Ioan.18.

Petijt latro, vt Dominus meminisset eius, cum venisset in regnum eius. Dominus autem plus cōcessit, quam ille peteret, dicens: Hodie mecum eris in paradiso. Leuit.23.

Magna fuit Christi pietas, quæ nec Petrum, qui eum ter negauerat, repulit, sed benigne respexit. Luc. 22. Nec Thomam in dubitatione reliquit, sed se palpandum ei manifeste exhibuit. Ioan.20. Item Paulum in actu persecutionis existentem excæcauit, & conuertit. Act.9.

Dum lapidaretur beatus Stephanus vidit Dominum Iesum in cœlis stantem, tamquam paratum ad ipsum fortiter adiuuandum. Act.7.

Beato Ioanni in insula Pathmos exulanti multam benignitatem Dominus ostendit, & mittendo Angelum suum, qui eum multiplici reuelatione consolatus est. Apoc.1. & deinceps per totum.

Caput IV.

De consolatione diuina.

Postquam Abraham exiuit de terra sua ad mandatum Domini, ipse Dominus consolatus est eum diuersis apparitionibus, & reuelationibus. Gen. 12.15.17. & 18.

Fugienti Iacob à facie fratris sui, & super lapidem dormienti, apparuit Dominus, & ei magnam consolationem infudit. Gen.28.

Apparuit Dominus Moysi exulanti, & oues pascenti quod non accidit ei, quamdiu nutriebatur in domo Pharaonis. Exod.3.

Filijs Israel in deserto pluit manna de cœlo. Exod.17. Item carnes, & aquam pluries Dominus miraculose dedit.

Moyses in monte existens cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus non manducauit, neque bibit. reficiebatur n. diuino colloquio. Exod.34.

Dixit Dominus ad Iosue. Iosue 1. Non dimittam nec derelinquam te, confortare, & esto robustus, &c.

Præcepit Dominus, vt corui portarent bis in die panem & carnes, Eliæ 3. Reg.17. Iterum post hoc apparuit Dominus ei, cum fugeret Iezabel, cuius prophetas fecerat occidi. 3.Reg.19.

Efficaciter consolatus est Dominus Ezechiam per Prophetam, & per Angelum, qui occidit centum octogintaquinque millia de exercitu regis Assyriorum. 4. Reg.19.

Exauditæ sunt eodem tempore orationes Tobiæ,& Sarræ;& missus est Angelus Domini, qui curaret ambos. Sarram, videlicet à dæmonio viros illius interficiente, & Tobiam seniorem à cæcitate, & paupertate. Tob.3.

Populum Israel existentem in angustia,& timore pro exercitus Holofernis dignatus est Dominus per manum vnius fœminæ mirabiliter consolari. Iudith.10. & deinceps.

Conuertit Dominus luctum Iudæorum in gaudium, quando ipsi procurante Esther suos hostes, qui ad iugulationem eorum se parauerant, occiderunt. Esther.9.

Notabile est, quod quando populus Israel fuit in maxima afflictione, scilicet tempore captiuitatis Babylonicæ, plures habuit prophetas, quam tempore Salomonis, quando fuit in magna prosperitate. Nam Hieremias fuit in Iudæa, Ezechiel, & Daniel in Chaldæa.

Angelus Domini descendit cum Azaria,& socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi vetum roris flantem. Dan. 3. per quod apparet quod omni loco, omni tempore parata est diuina pietas hominem confortare.

Danielem bis positum in lacu leonum, consolatus est Dominus, primo mittendo Angelum, qui leonum ora conclusit. Dan.6. Secundo per Habacuc prophetam, quando de Iudæa in Chaldæam cum cibo per Angelum transportauit. Dan.14.

Susannam calumniose damnatam eripuit Deus ex insperato, per Danielem puerum. Dan.13.

Machabæus,& qui cum eo erant videtes adiutorem à Deo sibi missum, & ducem, benedixerunt misericordem Deum,& conualuerunt animis. 2.Mach.11.

Bene impleuit Dominus promissionem suam Apostolis factam, qua dixerat eis alium paraclitum se iussurum, quando misit eis Spiritum sanctum, in die Pentecostes, qui eos tam copiose docuit, consolatus est, & roborauit. Act.2.

Fœlix Paulus etiam in hac vita, qui secure dicebat. 2. Cor.1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra,& 7. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra.

Ecclesia habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur. Act.9.

Petro in carcere Herodis vincto, & cum diligentia custodito, misit Angelum suum, qui de manu Herodis, & Iudæorum liberauit eum. Act.12.

Paulo & Sila eius socio laudantibus Deum in carcere in media nocte, subito terræ motus fact⁹ est magnus, & aperta sunt ostia omnia, & vniuersorum vincula sunt soluta. Act.16.

Dixit Dominus nocte per visionem Paulo, cum prædicaret Corinthijs, Noli timere, sed loquere,& ne taceas propter quod ego tecum sum, & nemo apponetur, vt noceat te. Act.18.

Cum esset Paulus in custodia Claudij Lysiæ tribuni detentus nocte assistens ei Dominus ait: Constans, esto Paule, sicut enim testificatus es de me in Hierusalem: Sic oportet te Romæ testificari. Act.23.

Cum beatus Ioannes Apostolus esset in Pathmos insula relegatus diuina reuelatione fuit multipliciter consolatus. Apoc.1.& deinceps.

Caput V.

De benedictione, quam Deus dat.

Creauit Deus hominem ad imaginem,& similitudinem suam masculum & fœminã, creauit eos, benedixitque eis, & ait, Crescite, & multiplicamini, &c. Gen.1.

Benedixit Deus Noe,& filijs eius, & dixit ad illos: Crescite& multiplicamini,& replete terram,&c. Gen.9.

Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, &c. benedicam tibi,& magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus,&c. Gen.12.

Super Ismael exaudiui te, dixit Dominus ad Abrahã: Ecce benedicam ei & augebo,& multiplicabo eum valde. Gen.17.

Dominus benedixit Isaac & locupletatus est, & ibat proficiens,&c. Gen.28.

Loquens Iacob socero,& auunculo suo Laban ait: Inconueniens habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitq; tibi Dominus ad introitum meum. Gen.3.

Iacob in oratione luctans cum Angelo, ait: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, sequitur, Benedixerit ei in eodem loco. Gen.32.

Benedixit Dominus domui Ægyptij, propter Ioseph, & multiplicauit, tam in hædis, quam in agnis cunctam substantiam eius. Gen.39.

Habitauit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus, benedixitque Dominus Obededom, & omnem domum eius. 2.Reg.6.

Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra. Iob.1. & de eodem 42. Dominus benedixit nouissimis Iob, magis quam principio eius.

Ascensurus in cœlum Saluator eduxit Discipulos suos in Bethaniam, & eleuatis manibus suis, benedixit eis, &c. Luc.24.

Desideranda est illa benedictio, quam dabit Dominus electis in die iudicij, quando dicturus est: Venite benedicti Patris mei,&c. Matth.25.

Caput VI.

De maledictione qua Deus maledicit.

Serpens primo legitur à Deo maledictus fuisse. Vnde dicit: Maledictus es inter omnia animantia,& bestias terræ, super pectus tuum gradieris,&c. Gen.3.

Ad pœnam hominis dictum est. Gen.3. Maledicta terra in opere tuo,&c.

Post iniquam fratris occisionem, & superbam respõsionem dixit Dominus ad Caim: Maledictus eris super terram,&c. Gen.4.

Lamentans Hieremias excidium ciuitatis Hierusalem dixit: Thren.2. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ,&c.

Daniel in oratione sua dicebat: Stillauit super nos maledictio, & detestatio,&c. Dan.9. Et nota quod maledictio stillare dicitur super peccatores, sed super iustos benedictio inundare. Ezec.39. benedictio illius, quasi fluuius inundauit.

Sacerdotibus malis, loquens Dominus, per Malachiã prophetam dixit: Maledicam benedictionibus vestris, &c. Malac.2.

Ficus habens folia sine fructu, maledicta fuit à Domino,& continuo aruit. Matth.21. Mar.11.

Nimis erit terribilis illa maledictio contra reprobos proferenda in die iudicij. Matth.25. Ite maledicti in ignem æternum.

Caput VII.

De benedictione qua homo benedixit Deum.

Melchisedech rex Salem occurrens Abraham reuertenti à cæde quattuor Regum, ait: Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Gen.14.

Obtenta victoria de Sisara, Debbora, & Barac cecinerunt dicentes: Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Iudic.5.

Post victoriam, quam dedit Dominus Dauid de Goliath Philistæo. 1.Reg.17. dicitur fecisse Psalmum, Benedictus

dictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium,& cætera.

A

Cum audiuisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, & ait: Benedictus Dominus, qui dedit Dauid filium sapientissimum super populum hunc plurimum. 2. Reg.5.

Ædificato templo dixit Salomon coram vniuerso populo: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum, & in manibus eius perfecit,&c.3.Reg.8.

Fecit Dauid principes ad confitendum Domino Asaph & fratres eius,sequitur:Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno, & vsque in æternum, &cet. 2. Paralip.16.

B

DauidRex lætatus est gaudio magno,&benedixitDomino coram vniuersa multitudine. 1.Paralip.29.

Videns Esdras animum Artaxersis regis bonum esse erga.Iudæos dixit: Benedictus Dominus Deus Patrum nostrorum, qui dedit in corde regis, vt glorificaret domum Domini,quæ est in Hierusalem. 1.Esdr.7.

Completo muro ciuitatis Hierusalem sub Esdra, & Nehemia dixerunt Leuitæ: Surgite, & benedicite Deo nostro ab æterno,& vsq; in æternum,& benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione, & laude Nehem.9.

Cum aperuisset Esdras librum legis, stetit omnis populus,& benedixit Esdras DominoDeo, voce magna,& respondit omnis populus:Amen,Amen. Nehem.8.

C

Sarra filia Raguelis,cum compleret orationem dixit: Benedictum est nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris,misericordiam facies, &c. Tob.3.

Filium suum instruens Tobias, dixit inter cætera. omni tempore benedic Deum. Et pete ab eo, vt vias tuas dirigat,&c. Tob.4.

Raguel & vxor eius videntes, quod Tobiam iuniorem non læserat dæmonium dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit nobis quemadmodum putabimus. Tob.8.

Solicite monuit Tobiam,& filium eiusRaphael Angelus, vt benedicerent Deum cœli, & narrarent omnia mirabilia eius. Tob.12.

Recuperato visu, & auditis sermonibus Raphaelis aperiens Tobias os suum benedixit Deum, & dixit: Magnus es Domine in æternum.Tob.13.

D

Ozias princeps populi Israel, videns Iudith cum capite Holofernis dixit: Benedictus Dominus, qui creauit cœlum,& terram, qui te direxit,&c.Iudith.13.

Danieli nocte per visionem mysterium reuelatum est,& benedixit Deo cœli,& ait:Sit nomen Domini benedictum à sæculo:quia sapientia & fortitudo eius sunt, &c.Dan.2.

Ananias & socij eius missi in caminum ignis,ambulabant in medio flammæ, laudantes & benedicentes Domino.Dan.3.& rex Nabuchodonosor,postea viso tanto miraculo, ait: Benedictus Deus Sidrach, Misach, &c.

Obtenta de hostibus victoria, & ædificato altari sub Iuda Machabæo, filij Israel adorauerunt, & benedixerunt in cœlum eum qui prosperauit eos. 1.Mach.4.

E

Propter Heliodorum volentē spoliare templum qui diuina virtute terribiliter flagellatur, benedixerunt omnes Dominum, quia magnificabat locum suum. 2. Mach.3.

Machabæus, & qui cum eo erant, videntes auxilium à Deo sibi missum benedixerunt simul misericorditer Dominum,& conualuerunt animis,&c.2.Mach.11.

Nato Ioanne Baptista apertum est os Zachariæ, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, &c.Luc.1.

Cum inducerent puerum Iesum parētes eius in templum Simeon accepit eum, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis.&c.Luc.2.

Post Ascensionem Domini erant in templo discipuli laudantes & benedicentes Deum. Luc.24.

Tribulationes patiens Apostolus Paulus dicebat: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi. 2. Cor.1.Similiter Petrus:Benedictus Deus &c.1. Pet.1.

Benedicere Deum est,quasi opus, vel officium paradisi.Apoc.5.omnes audiui dicentes sedenti in throno,& Agno benedictio,& honor & gloria, &c.

CAPVT VIII.

De benedictione qua homo benedicit homini.

MElchisedech rex Salem occurrit Abraham reuertenti à cæde quattuor Regum,& ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram. Gen.14.

Benedixit Isaac Iacob, dicens: Det tibi Deus de rore cœli,& de pinguedine terræ abundantiam frumenti,vini,& seruiant tibi populi,&c.Gen.27.Cum Esau eiulatu magno fleret,motus Isaac,dixit ad eum: In pinguedine terræ, & rore cœli, desuper erit benedictio tua, viues in gladio,& fratri tuo seruies. Gen.27.

Introduxit Ioseph patrem suum Iacob ad Pharaonē: qui benedicens illi:&interrogatus ab illo quot sunt dies annorum vitæ tuæ,&c.Gen.27.

Benedixit Iacob filio suo Ioseph,& ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei, benedicat pueris istis,loquebatur de Manasse,& Effraim,quos Ioseph pater eorum rogauerat per patrem benedici. postmodum etiam benedixit Iocob singulis filijs suis, benedictionibus proprijs.Gen.49.

Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Benedicetis filijs Israel, benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi,&c. Num.6.

Extendens Aaron manum ad populum benedixit eis.Leuit.9.

Dixit Balaam filius Beor, ad benedicendum adductus sum:benedictionem prohibere nō valeo. Num.23.

Non pernoctabit apud te pignus pauperis,sed statim reddes ei ante Solis Occasum,vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi.Deuter.24.

Moyses homo Dei benedixit filijs Israel ante mortem suam,& ait:Dominus de Sina venit,& de Seir ortus est nobis,&c.Deuter.33.

Vocauit Iosue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam Tribum Manasse,dixitq; ad eos: Fecistis omnia quæ vobis præcepit Moyses,&c.Benedixitq; eis Iosue, & dimisit eos.Iosue 22.

In cantico pro victoria habita de Sisara dicitur: Iudicum 5. Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cynei,& benedicatur in tabernaculo suo,&c.

Noemi videns Ruth nurum suam à Boos fuisse honoratam,dixit: Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam quam prebuerat viuis,seruauit & mortuis. Ruth.2.

Commendans Boos Ruth, quæ ad Deum Israel confugerat,ait:Benedicta es à Domino, quia priorem misericordiam posteriore superasti. Ruth.3.

Heli benedixit Helcanæ, & vxori eius; dixitque eis: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore,quod commodasti Domino. 1.Reg.2.

Nuntiauerunt Ziphæi Sauli, quod Dauid latitaret apud eos,dixitq; Saul:Benedicti vos à Domino,quia doluistis vicem meam.1.Reg.23.

Nuntiatum est Dauid, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul, dixitq; ad eos:Benedicti vos à Domino,qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.2.Reg.2.

Conuertit rex Salomon faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel. Omnis autem Ecclesia Israel stabat.3.Reg.8.

Cum complesset offerens pacifica,& holocausta, benedixit populo in nomine Domini, & diuisis vniuersis per singulos tortam panis,&c.2.Paralip.16.

Apprehendens Raguel dexterā filiæ suæ tradidit Tobiæ,dicens:Deus Abraham,& Deus Isaac,& Deus Iacob

vobis-

vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatq; benedictionem suam in vobis. Tob.7.

Raguel osculatus est Tobiam, & plorans super collum eius dixit: Benedictio tibi sit, fili mi, quia boni, & optimi viri filius es. Tob.7.

Gabelus ingressus domũ Raguelis inuenit Tobiam, & fleuit dicens: Benedicat te Dominus Deus Israel, quia filius es viri optimi & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis. Tob.9.

Ozias princeps populi, dixit ad Iudith: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Iudith.13.

Item postea omnes benedixerunt illam vna voce, dicentes: Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, &c. Iudith.14.

Factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth exclamauit, & dixit: Benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Luc.1.

Caput IX.

De maledictione qua homo maledicit.

Primus inter homines Noe legitur maledixisse Canaan nepoti, suo, pro eo quod Cham pater eius nuditatem ipsius Noe cæteris fratribus nuntiauit & magis eam tegere debuisset. Gen.9.

Inter verba benedictionis, quam dedit Isaac & Iacob filio suo dixit: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. Gen.27.

De Simeon, & Leui, dixit Iacob pater eorum: Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Gen.49.

Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ morte moriatur. Leuit.20.

Balach misit nuntios ad Balaam, vt veniret, & malediceret populo Israel. audierat enim quod maledictus erat, in quem maledicta congessisset. Num.22.

Multas maledictiones ponit Moyses in eos, qui transgrederentur tradita illis diuina mandata, Deuter.27.

Diruta ciuitate Iericho imprecatus est Iosue, dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit Iericho, Ios.6.

Sichimite inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech. Iudic.9.

Goliath Philistæus maledixit Dauid in dijs suis. 1. Regum.17.

Saul volens persequi Philistæos adiurauit populum dicens: Maledictus qui comederit panem vsque ad vesperas, donec vlciscar de inimicis meis. 1. Reg.14.

Semei procedebat egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & dicebat: Egredere vir sanguinum, & vir Belial. 2. Reg.16.

Elisæus maledixit pueris illudentibus ei, & dicentibus: Ascende calue, & lacerati sunt quadraginta pueri à duobus vrsis. 4. Reg.2.

Cum Iudas Machabæus obsideret quoddam præsidium illi, qui intus erant supra modum maledicebant, & sermones nefandos iactabant. 2. Mach.10.

Pharisæi maledicebant cæco nato per Dominum Iesum illuminato, & dixerunt. Ioan.11. Tu discipulus eius sis; cuius maledictio sit super nos, & super filios nostros.

Arguebant Iudæi Paulum dicentes summum sacerdotem Dei maledicis, sed ille excusauit se, & dixit: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. Act.24.

Caput X.

De seueritate Dei erga delinquentes.

Grauiter puniuit Deus peccatum priorum parentum, quod ipsi credebant veniale, nec ita dure puniendum fore. Gen.3.

Originali mundo Deus non pepercit. Sed ipsum pene totum diluuij inundatione deleuit. Gen.7.

Quinque ciuitates, propter peccatum contra naturam fœtenti conflagratione consumptæ fuerunt per Angelos à Deo missos. Gen.19.

Ægyptij persequentes filios Israel submersi sunt iubente Deo, quasi plumbum in aquis vehementibus. Exod.14. & 15.

Quia populus Amalech voluit impedire filios Israel euntes in terram Promissionis, dixit Dominus ad Moysem: Delebo omnem memoriam Amalech de sub cœlo. Exod.17.

Propter vitulum, quod adorauit populus ceciderunt vna die viginti quattuor millia hominum. Exod.27.

Egressus est ignis à Domino, & deuorauit Nadab, & Abiu filios Aaron, qui scilicet arreptis thuribulis ignem alienum, & incensum desuper posuerunt, & coram Domino obtulerunt. Leuit.10.

Iussit Dominus blasphemum extra castra educi, & ab vniuerso populo lapidari. Leuit.24.

Carnibus quas miserat Dominus in dentibus filiorum Israel adhoc existentibus: percussit Dominus populum plaga magna nimis. Num.11.

Percussit Dominus Mariam lepra, quia locuta est contra Moysen. Num.12.

De sexcentis millibus virorum, qui numerati sunt. Num. 1. nullus intrauit terram Promissionis, propter peccata eorum, præter Caleb, & Iosue, sicut minatus est Deus. Num.14.

Ligna colligens in sabbato fuit præcepto Domini lapidatus. Num.15.

Terribili morte occidit Dominus Chore, & complices eius. Num.16.

Hæsitantem ad aquam contradictionis Moysen Dominus dure puniuit. Num.20. Cum tamen vsque tunc, tam sancte, & fideliter gessisset, tam ad Deum quam ad populum.

Misit Dominus serpentes ignitos in populum, quia tæduerat eos itineris & laboris, & dixerant: Quare eduxisti nos, &c. Num.21.

Achor cum nota supellectili sua perijt, qui tulerat de anathemate Iericho. Iosue 7. Pro peccato in vxorem Leuitæ commisso tota tribus Beniamin exceptis sexcentis hominibus fuit Domino iubente deleta. Iudic.20.

Heli peccantes filios corripit, sed lente, propter quod ipse in eis, & cum eis penitus est. 1. Reg.2. & 4. Quid ergo de illis, qui filios suos non corripiunt, sed incitant ad malum verbis, & exemplis.

Quia Saul obtulerat holocausta contra mandata Samuelis, reprobatus est. 1. Reg.13.

Item quia Agag regem Amalech, & gregem ouium reseruauit. 1. Reg.14.

Propter peccatum Saul puniti sunt illi de domo sua, & post mortem eius, & propter eius facta est fames in terra. 1. Reg.11.

Adducente Dauid arcam Dei super plaustrum, Oza tenuit eam ne caderet, quia bos lasciuiens inclinauerat eam, & percussit eum Dominus super temeritate, qui mortuus est ibi. 2. Reg.6.

Septuaginta duo millia hominum mortua sunt, propter elationem Dauid, quando fecit populum numerari. 3. Reg.24.

Vir Dei, qui venit de Iuda, & nuntiauit Hieroboam succensionem ossium sacerdotũ eius, occisus fuit à leone, eo quod contra imperium Domini comedit panem in domo cuiusdam mali prophetæ. 3. Reg. 13. Quadraginta duo pueri fuerunt à duobus vrsis lacerati pro eo, quod illuserant Elisæo dicentes: Ascende calue. 4. Reg. 2. Si tam grauiter punitum fuit peccatũ Giezi, qui accepit munera à Naaman satis voluntarie data, quid erit de illis, qui accipiunt multa fraudulenter exacta, vel violenter extorta. 4. Reg.5.

Ozias rex Iuda cœpit thuribulum, & more sacerdotum voluit adolere incensum, statimq; orta est lepra in fronte

fronte eius. 2. Paralip. 26. Quia Ezechias ostendit thesaurum suum nuntiis regis Babylonis amisit eum, cum tamen illi, de terra longinqua venissent, & videbatur, quod lætanter recipi debuissent. 4. Reg. 20. Populum peculiarem, & dilectum tradidit Deus in manibus Nabuchodonosor, qui totam gentem crudeliter capitauit, sanctam ciuitatem combussit, & templum destruxit. 4. Reg. 25. Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & cæt. sequitur: Erit pro suaui odore fœtor, & cæt. pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Isa. 3.

Reges Babylonis filios Israel crudeliter tractauerunt, postea etiam ipsi cum inclyta ciuitate sua fuerunt destructi, sicut minatur Dominus. Isa. 13. 14. & Hiere. 50. & 51.

De pœna per Chaldęos Iudæis illata, dicit Dominus per Hieremiam: plaga inimici percussi te castigatione crudeli, &c. Hier. 30. Heliodorus fuit grauiter flagellatus eo, quod viduarum, & pupillarum deposita voluit asportare. 2. Machab. 3.

Antiochus rex fuit ea grandi plaga percussus, vt de corpore impij vermes scaturirent: odore etiam illius ac fœtore exercitus grauaretur. 2. Machab. 9.

Seruum nequam, qui noluit dimittere conseruo suo centum denarios, Dominus iratus tradidit tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Matth. 18.

Inutilem seruum, qui traditum sibi non studuit multiplicare talentum, præcepit Dominus illo, quod habuerat spoliari, & in tenebras exteriores eiici. Mat. 25.

Fraus illa quam commisit Ananias conscia Saphira vxore sua, graui fuit vltione punita. Act. 5.

Herodes vestitus veste regali, sedebat pro tribunali, populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis. Confestim ergo percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus exspirauit. Act. 12.

De ira Dei, vel furore. Cap. XI.

Aug. de Ciuit. Dei. lib. 15. cap. 25.

Attende, quod secundum Augustinum. lib. 15. de ciuitate Dei, ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, quo irrogatur pœna peccato: cogitatio vero eius, & recogitatio mutandarum rerum est immutabilis ratio: neque enim, sicut homines, ita Deum cuiusquã facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino rebus, tam fixa sententia. Sed si non vtatur Scriptura talibus verbis, non se quodam modo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, vt & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes, quod nõ faceret, si non se prius inclinaret, & quemadmodũ descenderet adiacentes.

Quia Moyses ducatum populi recipere Domino iubente multotiens recusauit, iratus est Dominus in Moysen. Exod. 4. Iratus est Dominus in Ægyptios, qui detinuerunt, & afflixerunt populum suum, & tandem voluerunt persequi recedentes. Exod. 15. Misisti iram tuam, & cætera.

Moyses orabat Deum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, &c. videlicet propter vitulum conflatilem. obtulerat enim holocausta, Exod. 32.

Flagrabat populus desiderio carnium sedens, & flens, &c. Num. 11. sequitur paulo post: Iratus est furor Domini valde.

Octauo modo seditionis Chore, & complicum eius, dixerunt Moyses, & Aaron ad Dominũ: Fortissime Deus spirituum, num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet? Num. 16. Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. sequitur egressa est ira à Domino: & plaga desæuiit.

Fornicatus est populus cum filiabus Moab. Sequitur iratus Dominus, dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes populi & suspende eos. Num. 25.

Propter hæsitationem Moysi ad quas contradictioni iratus est Dominus contra Moysen, sicut ipse dicit Deuteron. 1. mihi iratus Dominus propter vos, dixit: Non ingredieris illuc, scilicet in terram Promissionis.

Cauete dixit Moyses. Deuteron. 11. ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatisque diis alienis, & adoretis eos. & iratus Dominus claudat cœlum. Item dicitur Ios. 7. Filij Israel præuaricati sunt de mandatis Domini, & vsurpauerunt de anathemate. sequitur: Iratusque est contra filios Israel. Commouit furor Domini Dauid in eis dicentem ad Ioab: Vade, & numera Israel & Iudam. 2. Reg. 24.

Iratus est Dominus contra Ozam, & percussit eum eo quod tetigisset arcam, & mortuus est ibi coram Domino. Paralip. 13.

Per idololatriam & auguria, & alia diuersa peccata irritauerunt Deum filij Israel. Iratusque est Dominus vehementer Israel, & abstulit eos Dominus à conspectu suo. 3. Reg. 14.

Propter Iehu, dixit Iosaphat regi Iuda, qui iuerat ad prælium cum Achab rege Israel: Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcirco iram Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te. 2. Paralip. 19. Iosaphat rex Iuda constituit iudices, & præcepit eis, dicens: Sic agetis in timore Domini, &c. Ostendite fratribus vestris, vt non peccent in Deum, ne veniat ira super vos. 2. Paralip. 19.

Ioas rex Iuda, & principes eius seruierũt lucis & sculptilibus, & facta est ira Domini contra Iudæam, propter hoc peccatum. 2. Paralip. 24.

Amasias rex Iuda diuino fretus auxilio Idumæos superauit in bello; & attulit deos eorum, & adorauit eos, propter quod iratus est Dominus contra eum. 2. Paralip. 25.

Ezechias rex Iuda, non iuxta beneficia, quæ acceperat à Domino retribuit, quia eleuatum est cor eius, & facta est ira contra eum, & contra Iudæam, ac Hierusalem. 2. Paralip. 32.

Magnus furor Domini stillauit super nos, eo quod non custodierũt patres nostri verba Domini, ita dixit Iosias rex Iuda, auditis verbis, quæ subscripta erant in libro legis. 2. Paralip. 34.

Comederunt & saturati sunt, & impinguati, & abundauerunt delitiis in bonitate tua magna. prouocauerunt autem te ad iracundiam. Nehem. 9.

Omnia secundum legem Dei fiant Deo altissimo. ne forte exurgat ira in regno regis filiorum regis. Ita princeps Artaxerses gentilis. 1. Esdr. 8. Quid ergo debent facere Christiani?

Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, &c. Iob 42.

De Babylone dicitur. Hiere. 50. Ecce nouissima erit in gentibus, & deserta, inuia, & arens. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem, hoc est, pro eo quod iratus est contra eam Dominus, propter peccata eius punietur.

Machabæus Iudas congregata multitudine intolerabilis gentibus efficiebatur. Ira enim Domini in misericordiam conuersa est. Matth. 8.

In parabola de seruo nequam, qui noluit misereri conseruo suo, dicitur. Matth. 28. Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, & cætera.

Obseruantibus Iudæis Dominum, si sabbathis curaret, circumspiciens eos Saluator cum ira, contristatus est super cęcitatem cordis eorum. Mat. 3.

Contra illos autem, qui se excusauerunt ne irent ad cœnam, dicitur Luc. 9. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito, &c.

Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. 3.

Multum timenda est ira, quæ ostendetur in die iudicij, de qua Apoc. 6. Reges terræ, & principes. &c. dicent montibus,

montibus, & petris cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis in throno, & ab ira Agni.

CAPVT XII.

Quod Deus plus attendit ad operantem, quam ad opus.

CAim obtulit de fructibus munera Domino, Abel quoque obtulit de gregibus suis, sequitur: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Caim vero, & ad munera eius non respexit. Gen 10.

Promisso filio de Sara nascituro, risit Abraham. Gen. 17. Risit etiam Sara. Genes. 18. Risus autem Saræ fuit à Domino reprehensus, & non risus Abrahæ.

Cum facerent mirabilia quædam coram Pharaone, Moyses, & Aaron. Legitur quod fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis. Exo. 17.

Talia thuribula habuerunt Chore, & illi de globo suo, sicut Aaron, & forte de æque bono, vel meliori metallo. Veruntamen Deus non æqualiter acceptauit incensionem eorum. Num. 16.

Eleuantes oculos Bethsamitæ viderunt arcam Domini, & gauisi sunt, obtulerunt Domino holocaustum; quamuis autem bonum opus facere viderentur, percussit eos Dominus graui plaga, eo quod viderunt arcam, quam videre non debebant 1. Reg. 6.

Saul quando fuit inter Prophetas expoliauit se, & prophetare cœpit, sed parum ei profuit. 1 Reg. 19.

Oza extendens manum tenuit arcam ne caderet de plaustro, qui statim percussus à Domino mortuus est. 2. Reg. 6.

Licet offerre incensum Domino sit bonum opus, non tamen competit omni homini. Vnde Ozias rex Iuda, percussus est lepra à Domino, eo quod ipse voluit incensum super altare thymiamatis adolere. 2. Paralip. 26.

Reprobat Dominus per Isaiam oblationes quas sibi offerri instituit, & hoc propter offerentium prauitates: Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus. plenus sum ? holocausta arietum, &c. causa vero subditur; Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt Isaiæ. 1.

Prætulit Dominus oblationem viduæ, quæ posuit duo æra in Gazophylacium muneribus diuitum. Luc. 21.

Herodes cupiebat videre Iesum, & viso eo gauisus est valde, sed nullum fructum consecutus est inde, quia curiositas, vel vanitas erat in causa; non pietas, vel charitas. Luc. 23.

CAPVT XIII.

Quod Deus interdum tentat homines, siue probat.

TEntauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum, &c. Gen. 22.

Dixit Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panes de cœlo, egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eos vtrum ambulent in lege mea, aut non. Exod. 16.

Loquente Domino cum Moyse, cunctus populus audiebat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi dixerunt Moysi: Loquere tu nobis, & cetera. & ait Moyses: Nolite timere, vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Exod. 20.

Non deleuit Deus gentes penitus de terra Promissionis, vt in illis experiretur Israel; vtrum custodirent eius mandata. Iudic. 2.

Dereliquit Dominus Ezechiam, vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. quin venerunt nuntij regis Babylonis ad eum. Paralip. 33.

Postquam Tobias fuerat excæcatus. Tob. 2. dicitur ibi: Hanc autem tentationem, ideo permisit euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius.

Dixit Iudith loquens de filiis Israel, quos illo tempore Holofernes destruere cogitabat: Memores esse debent quomodo tentati sunt patres nostri, vt probarentur, si vere colerent Deum. Iud. 8.

Propter grauissimas passiones, quas passus est sanctus Iob, dicebat ipse de seipso: Probauit me, quasi aurum, quod per ignem transit. Iob. 23.

Petebat Dauid à Domino dicens: Proba me Domine, & tenta me, & cetera. Psal. 25.

Ambulans Dominus Iesus super aquas iussit Petrum venire ad se, videns vero ventum validum timuit, &c. Matth. 14.

Dixit Dominus ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent ij. hoc autem dicebat tentans eum. Ioan. 6.

CAPVT XIIII.

Quod homo non debet tentare Deum.

ABraham ingrediens Ægyptum prudenter tacuit Saram esse vxorem suam, ne si hoc dixisset se ipsum, & illam discrimini commisisset. Gen. 12. Simile fecit. Gen. 20. & Isaac similiter. Gen. 26. Nisi autem sic fecisset, Deum quodammodo tentasset, secundum quod dicit Augustinus.

Multotiens tentauerunt filij Israel Dominum in deserto, vbi dicitur: Num. 14. Superati in bello filij Israel à Philistæis, dixerunt: Quare percussit nos Deus coram Philistæis; & tunc duxerunt arcam Domini ad prælium, quæ capta fuit, & illi magna plaga percussi. 1. Reg. 4.

Sciebat Dauid se esse inunctum in regem, & quod deberet regnare post Saulem, iuxta id quod promiserat ei Samuel: non tamen committebat se discrimini, sed faciebat ad sui custodiam, quod debebat. 1. Regum. 22. & deinceps.

Cum immanis piscis inuasisset Tobiam non expectauit, quod Angelus eum liberaret, qui tam velociter hoc facere potuisset; sed apprehendit branchiam eius, & traxit eum in siccum. Tob. 6.

Osias statuit cum populo, vt transactis quinque diebus, nisi veniret adiutorium, traderent se Holoferni. Dixit autem Iudith presbiteris ciuitatis, & qui estis vos qui tentatis Dominum, non est iste sermo qui misericordiam prouocet, &c. Iudith 8.

Tentatus Dominus à diabolo, vt ipse de pinnaculo templi, se præcipitaret, respondit: Non tentabis Dominum tuum, potestatem habens aliter descendere. Matth. 4. & Luc, 4.

Pharisæi volentes Iesum capere in sermone fecerunt ab eo quæri, vtrum liceret tributa dari Cæsari, an non. Cognita autem nequitia eorum, Iesus ait: Quid me tentatis hypocritæ, &c. Matth. 22.

Cum eiecisset dæmonium Dominus, & loqueretur mutus, quidam tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Luc. 9.

Dure increpando, dixit Petrus Saphiræ vxori Ananiæ: Quid conuenit vobis tentare Spiritum Domini. Actorum. 5.

De re quam potuit per humanam industriam Paulus facere, nolebat miracula expetere. Vnde apud Damascum cum insidiarentur ei Iudæi, fecit per murū in sporta se dimitti. Act. 9.

Item cum loris vellet tribunus eum facere torqueri, dixit se esse ciuem Romanum. Act. 22.

Rursus dixit se esse Pharisæum, vt poneret dissensionem inter Iudæos. Actor. 23. Item cum haberet iniquum iudicem, Cæsarem appellauit. Actor. 25.

De voto. Cap. XV.

IAcob vadens ad domum Laban auunculi sui, post ostensam sibi à Domino visionem, votum vouit dicens: Si Dominus fuerit mecum, &c. Gen 20.

Rex Arad pugnauit contra Israel, & victor existens tulit ex eo prędam: at Israel voto se obligauit Domino, & postea vicit eum. Num. 21.

Pugnaturus Iephte contra filios Amon dixit: Si tradideris filios Amon in manus meas, &c. Iudic. 11.

Orauit Deum Anna flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum si dederis mihi sexum virilem, dabo eum Domino. 1. Reg. 1.

Absalon volens rebellare suo patri Dauid dixit: Votum vouit seruus tuus cum esset in Iessur, dicens: Si reduxerit me Dominus in Hierusalem, sacrificabo Domino. 2. Reg. 15.

Asa rex Iuda, ea quæ vouerat pater suus obtulit in domum Domini argentum, & aurum, vasorumque diuersam supellectilem. 2. Paralip. 15.

Lætatus est populus, cum vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino, sed & Dauid rex lætatus est. 1. Paralip. 29.

Filij Israel de Iuda obtulerunt decimas quas vouerant Domino. 2. Paralip. 31.

Rex Artaxerses præcepit Esdræ, & populo, vt offerret munera Domino Deo Israel, quæ vouerant ipse, & amici Hierusalem. 3. Esdr. 8.

Omnis populus post victoriam venit in Hierusalem adorare Dominum, & obtulerunt holocausta & vota, & promissiones suas. Iudith 16.

Viri qui erant in naui, vbi fuit Ionas propheta, timuerunt timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota. Ion. 1.

Heliodorus volens ærarium spoliare, & deposita de templo auferre, fuit virtute diuina grauiter flagellatus, deinde sanatus per orationem Oniæ, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis repedauit ad regem. 2. Machab. 3.

Postquam percussus fuit à Deo Antiochus grauissima, & insanabili plaga, pollicitus est Iudæis, & templo Hierosolymorum mirabilia se facturum. 2. Mach. 9.

Beata Virgo Maria virginitatem vouisse videtur, per hoc quod ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Luc. 1.

Crudele votum, & impium fecerunt Iudæi illi, qui dixerunt principi sacerdotum, deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Act. 23.

Cap. XVI. De oratione.

HVmiliter & discretè, instanter, & pie orauit Abraham Dominum, vt parceret Sodomitis. Gen. 14.

Pro rebus quas etiam sine prece faceret Dominus, debemus interdum orare ipsum. Vnde Isaac deprecatus est Dominum pro vxore sua sterili, quam parituram fore disposuerat Dominus. Gen. 30.

Pensandum est valde quam gratus & humiliter, & importunus in oratione fuit Iacob dicens: Domine minor sum cunctis miserationibus tuis, &c. Gen. 32.

Præterea quomodo ipse se ab vxoribus, & tota familia sequestrauit, & solus de nocte remansit. Ibidem.

Orauit multotiens Moyses Dominum, vt amoueret plagas de Ægypto, & exaudiebatur, licet illi essent mali. Exod. 8. & 9.

Oratio mentalis clamat in aures Domini, sicut patet, Exod. 14. Quando dixit Dominus Moysi nihil loquenti: Quid clamas ad me.

In bello quod habuerunt filij Israel contra Amalec, plus fecit Moyses orando, quam Iosue pugnando. Exod. 17.

Post adorationem vituli videbatur velle Dominus populum deserere, sed Moyses per orationis instantiam obtinuit ei veniam. Exod. 32. Et nota ibi de modo orandi: Aut dimitte eis hanc noxam, inquit, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti.

Per orationem Moysi absorptus est ignis, qui deuorabat castra murmurantium, & dolentium pro labore. Num. 11.

Petiit populus carnes in deserto, & Dominus iratus concessit eis. Per quod liquet, quod non semper exauditio orationis signum est diuinæ dilectionis. Num. 11.

Curata est Maria à lepra per orationem Moysi, Num. 12.

Afflictus populus ab ignitis serpentibus, dixit ad Moysen: Ora pro nobis, &c. Orauit Moyses pro populo, &c. Num. 21.

Cum esset Anna amaro animo orauit Dominum, flens largiter & votum vouit. Loquebatur autem in corde suo, & vox penitus non audiebatur. 1. Reg. 1.

Pugnaturi filij Israel contra Philistæos dixerunt Samueli: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, vt saluet nos. 1 Reg. 7.

Non placuit Domino, quod filij Israel petierunt super se regem: & tamen dixit Samueli, audi vocem eorum, &c. 1. Reg. 8.

Dixit Samuel ad populum: Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. 1. Reg. 12.

Dauid dixit se inuenisse cor suum, vt oraret Dominum. 2. Reg. 7.

Deprecatus est Dauid Dominum pro populo, & ieiunauit, & ingressus seorsum iacuit super terram. 2 Reg. 12. Bonus quidem fuit modus orandi; sed tunc Dauid non fuit dignus exaudiri.

Orans Elias pro pluuia, dixit puero suo, vt prospiceret contra mare. Vnde sperabat nubem consurgere pluuiosam, sed vsque ad septimam vicem nihil penitus apparebat, in quo diuturnitas orationis, & instantia commendatur. 3. Reg. 18.

Iosaphat rex Iuda timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum. audierat enim quod maxima multitudo gentium venerat contra eum. 2. Paralip. 20. Bono vsus est consilio Ezechias auditis nuntiis regis Assyriorum, quando misit ad Isaiam prophetam, dicens: Fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt, & ipsemet ad orandum Dominum, se conuertit, & nota quam prudenter orauit. 4. Reg 19.

Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, vt attentius orare posset, & orauit Dominum dicens: Obsecro Domine, &c. Fleuit itaque Ezechias fletu magno, &c. 4. Reg. 20. Miro modo fuit deuota, humilis, & efficax oratio Manasse regis Iuda, sicut patet intuenti in fine secundi libri Paralipom. Ieiunauimus, & rogauimus Dominum pro recto itinere, & securo, & euenit nobis prospere. 1 Esdr. 8.

Patet quod in omni loco, licet orare. Nehemias enim orauit, dum daret regi bibere, & orauit Deum cœli, cum debuit ad interrogata respondere. Nehem. 1. Orauerat etiam valde deuote, & humiliter in primo cap. præcedenti.

Tobias auditis dutis sermonibus vxoris cœpit orare cum lacrymis. Tob. 3.

Sarra filia Raguelis, audita ab ancilla graui contumelia, perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur DEVM, vt ab illo improperio liberaret eam, Tob. 3.

Raphael Angelus monuit Tobiam iuniorem, ne dæmon haberet potestatem in eum, vt cum accepisset Sarram vxorem, ingressus cubiculum per tres noctes contineret se ab ea, & nihil aliud faceret, nisi quod orationibus vtrique vacarent. Tob. 6.

Audientes filij Israel potentiam Holofernis clamauerunt ad Dominum. Eliachim vero summus sacerdos cómemorabat eis, quomodo Moyses confidentem in virtute suo Amalec non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit. Iud. 4.

Multum confidebat Iudith in orationibus aliorum. vnde

vnde proponens ire ad Holofernem dixit presbyteris: Orate, vt firmum faciat consilium meum Deus & post pauca: Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. Iudith 8. Similiter quando debuit amputare caput Holofernis, orauit cum lacrymis ante lectum. Iudith 13.

Esther locutura ad regẽ Assuerum dixit Mardochæo: Congrega omnes Iudæos quos in Susis reperieris, & orate pro me. Esther 4. quam deuote, & humiliter orauerit, habetur postea cap. 14.

De oratione Mardochæi, quomodo deprecatus est Dominum pro se, & pro populo. Esther 13. Magnæ reputationis apud Deum fuit oratio Hieremiæ, quando dicebat ei Dominus: Hiere. 11. Noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, quasi dicat, nolo te orare sine effectu sequente: nam dicitur postea; Non enim exaudiam te.

Azarias stans in medio fornacis, orauit sic: Benedictus est Deus Patrum nostrorum, & laudabilis, & cetera. Dan. 3.

Non dimisit Daniel propter iniquum regis Darij edictum, quin oraret ter in die Deum suum genibus flexis, sicut antea facere consueuerat. Dan. 6. Ecce quam pretiosum, & vtile orare Deum reputabat.

Intelligens Daniel tempus captiuitatis esse completum, instantius orauit pro populo in captiuitate detento. Et nota ibi quam humiliter, & quam frequenter orauit. Dan. 9. Videns Susanna omne humanum sibi deesse consilium, recurrit ad orationis suffragium, & oratio sua fuit exaudita. Dan. 13.

Orauit Ionas ad Dominum de vtero piscis, & ait: Clamaui, &c. Ion. 2.

Congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium, & vt orarent: & peterent misericordiam, & miserationes. 1. Machab. 4. Item 4. Iudas commissurus prælium contra Gorgiam dixit: Benedictus est Saluator Israel, &cet. Item 7. videns Iudas exercitum Nicanoris orauit, & dixit: Qui missi erant à rege Sennacherib, &c. In duobus autem præcipuis bellis, nõ legitur Iudas orasse. primo contra regem Antiochum Eupatorem: & tunc non vicit, sed diuertit. 1. Machab. 6. Secundo contra Bachidem, & Alchimum: & tunc in bello cecidit. 1. Machab. 9. Videns Ionathas, quod omnes, exceptis paucis, dereliquerant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, & orauit, & postea victoriam obtinuit. 1. Machab. 11. Nos Iudæi in tribulatione, & impetu, qui superuenit nobis orauimus, & exauditi sumus; & post pauca orationem faciebant sacerdotes, &cet. 2. Machab. 1. Sacerdotes ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eũ, qui de depositis legem posuit, vt iis qui deposuerant ea, salua custodirẽtur. Vniuersæ etiam mulieres protensis manibus in cœlum deprecabantur. 2. Machab. 3. Iudas Machabæus, & qui cum eo erant, simul deprecabantur Dominum, vt eriperet eos ab impio Nicanore, & si non propter eos, sed propter testimonium, quod erat ad Patres eorum, & propter inuocationem sancti, & magnifici nominis eius super impios. 2. Machab. 8.

Orabat scelestus Antiochus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. 2. Machab. 9. Nicanor, & qui cum eo erant cum tubis, & canticis admonebant. Iudas vero, & qui cum eo erant inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed cordibus Dominum orantes. prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 2. Machab. 15.

Breuem & humilem modum orãdi habuit ille leprosus, genu flexo orauit Dominum Iesum, dicens: Domine si vis, potes me mundare. Matth. 8. Mar. 1. Luc. 5. Similem modũ orandi, scilicet, per modum insinuationis habuit Centurio, cũ dixit: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Matth. 8. Item Martha, & Maria pro Lazaro iam sepulto. Ioan. 11. Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, &c. Etiam de eo quod Dominus facere proposuit vult per nos ipse quandoque rogari. Matth. 9. Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam, statimque sequitur: Conuocatis, & cetera.

Dimissa turba, ascendit Dominus in montẽ solus orare, Matth. 14. In quo docemur, quod cum orare volumus turbam debemus fugere, ne turbemur. Dominus & Saluator noster in Euangelio, nos orare docuit verbo, Matth. 6. Sic ergo orabitis, Pater noster, & cetera. Item animauit promisso. Luc. 11. Petite, & accipietis: quærite & inuenietis, & cetera. Ioan. 14. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Petite, & accipietis, & cetera. Item informauit exemplo, ipse enim qui poterat imperare, voluit orare. Matth. 14. & Mar. 1. Luc. 9. Specialiter autem instante persecutione passionis suæ orauit, & orare monuit, Matth. 27. Mar. 14. Luc. 22. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.

Quando Maria Magdalena veniam obtinuit à Domino dicente: Remittuntur tibi peccata tua, nihil vocaliter orasse legitur, sed fleuisse. Luc. 7. per quod apparet efficacia mentalis desiderij, etiam sine oratione vocali. Ad instantiam orationis Dominus nos inducit exemplo amici ad amicum, media nocte eũtis. Luc. 11. Item exemplo viduæ, quæ ab ipso iudice cum importunitate multa iudicari petebat. Luc. 18.

Ad humiliter orandum, & iactantiam contemnendam inducit Dominus exemplum de superbo pharisæo, & humili publicano. Luc. 18. Post Ascensionem Domini in cœlum reuersi sunt discipuli in Hierusalem, & erant omnes perseuerantes in oratione vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Act. 1.

Apostoli volentes vnum de discipulis eligere in Apostolum loco Iudæ, statuerunt duos, Ioseph & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda hominum, ostende quem elegeris. Act. 1.

Omnes fideles in primitiua Ecclesia perseuerantes erant in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Act. 2.

Item 3. Petrus & Ioannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam.

Cum orassent discipuli vnanimiter alta voce motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Act. 4.

Lapidabant Iudæi Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu accipe spiritum meum, positis autem genibus clamabat voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7.

Petrus & Ioannes orauerunt pro illis de Samaria, vt acciperent Spiritum sanctum. Act. 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant. &c.

Saulus ad terram prostratus, & salubriter excæcatus, postea surrexit; & in Damascum veniens orare cœpit, & fuit tribus diebus non manducans nec bibens. Actor. 9.

Cornelius Centurio erat vir religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Dominum semper, & per hoc disposuit se ad fidem. Act. 10. Vnde sequitur: Orationes tuæ, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

Ascendit Petrus in superiora domus, vt oraret circa horam sextam, vt scilicet posset deuotius orare à familia inferius existente remotus. Act.

Petrus seruabatur in carcere Herodis, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Act. 12.

Cum dixisset Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, sequitur: Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos, & sequitur, quod fecerunt mirabilem fructum. Act. 13. & deinceps.

Eunte

Eunte Paulo ad orationem obuiauit ei puella, quæ spiritum pythonem habebat, quem Paulus expulit, præcipiens ei in nomine Iesu Christi. Act. 16.

Recedens Paulus à fratribus de Asia, post pulchros sermones, & pia verba positis genibus cum omnibus illis orauit, magnus autem fletus factus est omnibus. Actor. 20.

Orans autem in templo Paulus factus est in stuporem mentis, & vidit Dominum Iesum dicentem sibi: Festina, & exi cito de Hierusalem, &c. Act. 22.

Pater Publij febribus, & dyssenteria laborante cum orasset Paulus, & imposuisset ei manus, sanauit eum. Actorum 28.

Apostolus Paulus, qui orandum esse sine intermissione monebat. 1. Thess. 5. Hoc ipsum sollicite faciebat. Rom. 1. Sine intermissione memoriam vestri facio, semper in orationibus meis.

Adeo grande, & arduum opus est orare, quod ipse Paulus Apostolus, ad id agendum idonee, dicebat se sufficientem non esse. Rom. 8. Nam quid oremus, sicut oportet nescimus. propter quod ipse orationes aliorum frequenter, & humiliter postulabat. 1. Thess. 5. Fratres orate pro nobis.

Petebat autem Paulus orationes fieri, & pro malis amouendis, & pro bonis obtinendis, de primo. Rom 15. Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus ad Dominum; vt liberer ab infidelibus, &c. quod autem aliorum orationibus crederet, se iuuari, dicit. 2. Corin. 1. De tantis periculis eripuit nos Deus, in quem speramus, quoniam adhuc eripiet adiuuantibus, & vobis in oratione pro nobis.

Quantum ad secundum, scilicet ad bona, quæ obtinere per aliorum orationes optabat, dicitur Coloss. 4. Orantes pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. Item 2. Thessal. 3. Fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur.

Orabat Paulus pro aliis, vt eos videre, & in eis fructificare posset. Rom. 1. Memoriam vestri semper facio in orationibus meis obsecrans, si quo modo prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Item Timoth. 1. Sine intermissione habeo tui memoriam in orationibus meis nocte ac die desiderans te videre.

Item vt Deus eos ad viam salutis vocaret. 2. Thessal. 1. Oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocare vocatione sua sancta, Deus vester, & impleat, &c.

Item vt ipsi semper de bono in melius proficerent. Philipp. 1. Hoc oro, vt charitas vestra, magis ac magis abundet.

Item vt plenitudinem diuinæ cognitionis haberent. Coloss. 1. Non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius.

Apostolus Iacobus orationem dicit valere pro obtinenda corporali salute. Iacob. 5. Oratio fidei saluabit infirmum.

Item pro æterna, quæ est salus simpliciter, & vna. Iac. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini.

De lachrymis, siue fletu. Cap. XVII.

Fleuit Agar longe ab Ismaele sedens, nec voluit videre puerum morientem. Gen. 22.

Eiulatu magno fleuit Esau, vt benedictionem patris haberet. Gen. 27.

Venit Abraham, vt plangeret, & fleret Saram vxorem suam defunctam Gen. 28.

Eleuata voce fleuit Iacob, postquam recognouerat Rachel consobrinam suam. Gen. 29.

Stringens Esau collum Iacob, & osculans eum fleuit. Genes. 33.

Scissis vestibus Iacob indutus est cilicio lugens filium suum Ioseph multo tempore. Gen. 37.

Cōmota fuerūt viscera ei⁹ super fratre suo Beniamin. & eruperūt lacrymæ, & introiens cubiculū fleuit. Gen. 43.

Eleuauit vocem Ioseph cum fletu, & dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph. Gen. 45. Fleuit etiam idem Ioseph super patre suo mortuo. Genes. 49. & tandem fleuit fratribus eum rogantibus, vt obliuisceretur peccati commissi. Gen. 50.

Promiscuum, quod ascenderat ex Ægypto flagrauit desiderio carnium sedens, & flens, & ait: Quis dabit nobis carnes ad vescendum. Num. 11. Vociferans omnis turba fleuit, & murmurati sunt dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto. Num. 14. Omnis multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus. Num. 20.

Filij Israel mortuum Moysen fleuerunt triginta diebus. Deuteron. 34. Angelus Domini venit ad locū flentium, & improperauit filiis Israel beneficia quæ à Deo receperant, & peccata quæ commiserant, & eleuauerunt vocem, & fleuerunt. Iud. 2.

Pugnantes filij Israel contra filios Beniamin, fleuerunt coram Domino. Iudic. 20. Et postmodum obtenta victoria, fleuerunt pro destructione fratrum suorum. Iudith. 21.

Recedente Noemi nurus suæ flere cœperunt. Ruth 1. Orauit Anna Deum flens largiter. 1. Reg 1.

Audita obsidione Iabes Galaad leuauerunt vocem filij Israel, & fleuerunt. 1. Reg. 11.

Lugebat Samuel Saulem; quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem. 1. Reg. 15.

Dauid & Ionathas osculantes se fleuerunt pariter. 1. Reg. 20.

Saul audiens vocem Dauid, qui pepercerat ei, eleuata voce fleuit. 1. Reg. 24.

Vidit Dauid ciuitatem Siceleg esse succensam, & homines adductos inde captiuos, & planxerunt ipse & populus, qui erat cum eo, donec deficerent in eis lacrimæ. 1. Reg. 30.

Planxit Dauid super Saul & Ionathan, & alios interfectos. 2. Reg. 1.

Dauid, & omnis populus fleuerunt super Abner, quē occiderat Ioab. 2. Reg. 3.

Noluit Dauid flere pro filio paruo mortuo, & tamen fleuerat pro infirmo. 2. Reg. 12.

Quamuis Absalon se exhibuerat pessimum erga patrem, tamen Dauid fleuit eum miserabiliter mortuum. 2. Reg. 18.

Eliseus videns Azahelem coram se cœpit flere, propter mala, quæ facturus erat filiis Israel, cum ille esset futurus Rex Syriæ. 4. Reg. 8. Fleuit Ezechias fletu magno, orans Dominum propter mortem, quam sibi de proximo imminere putabat. 4. Reg. 20.

Cum audisset Iosias rex Iuda comminationes scriptas in libro Legis Domini, propter peccata, scidit vestimenta sua, & fleuit, & multum Deo placuit. 4 Reg. 22.

Quando reædificabatur templum ab iis, qui redierant de Babylone, non poterat quisquam agnoscere clamores lætantium, & vocem fletus populi. 1. Esd. 3.

Orante Esdra, & flente propter commixtionem Gentilis populi cum Iudæis collectus est ad eum cœtus grandis virorum ac mulierum, & fleuit populus multo fletu. 1. Esd. 10.

Cum audisset Nehemias miserabilem statum ciuitatis Hierusalem, fleuit diebus multis, & ieiunabat & orabat ante faciem Dei cœli. Nehem. 1.

Legente Esdra distincte, & aperte, ad intelligendum verba legis, flebat omnis populus, cum audiret verba legis. Nehem. 8.

Tobias manducauit panem cū luctu, & timore, quia scilicet corpus iugulati proximi in domo habebat, quod nocte sepelire volebat. Tob. 2.

Idem postea auditis sermonibus vxoris ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. Tob. 4.

Sarra filia Raguelis, audita ab ancilla graui contumelia, orauit Dominum cum lacrymis, vt ab illo improperio liberaret eam. Tob. 4.

Cum recessisset à parentibus suis Tobias iunior, cœpit

flere mater eius, & dicere baculum senectutis nostræ tulisti, &c. Tob. 5.

Moram faciente Tobia, flebat mater eius irremediabilibus lacrymis atque dicebat, Heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, &c. Tob. 10.

Raguel cognoscens Tobiam iuniorem, cum lacrymis osculatus est eum, & plorauit super collum eius. Tob. 7.

Veniens Gabelus ad domum Raguelis, & videns Tobiam iuniorem discumbentem fleuit, & benedixit Deum, Tob. 9.

Exurgens cæcus Tobias occurrit filio redeunti, & suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt flere præ gaudio. Tob. 10.

Cum exposuisset Achior omnia, quæ dixerat Holoferni, omnis populus communi lamentatione, & fletu vnanimes preces Domino effuderunt. Iudith. 6. Factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, &c. Iud. 7. Item 13. stetit Iudith ante lectum Holofernis, orans cum lacrymis, vt Deus id quod cogitauerat, perficere dignaretur.

Cum audisset Mardochæus iniquam sententiam contra Iudæos prolatam, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco spargens cinerem capiti, & cum eiulatu clamans animi sui amaritudinem ostendebat. In omnibus quoque prouinciis, ad quas crudele regis dogma peruenerat planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus. Esther 4. Postquam Aman vidit Mardochæum tam magnifice honoratum, festinauit ire in domum suam lugens, & operto capite. Esther 6.

Sanctus Iob flebat pro miseriis propriis. Iob 30. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium, cuius fletus vehementia apparet per hoc, quod dixerit. 16. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meę caligauerunt. Item flebat pro miseriis alienis. Iob. 30. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi, & post mærens incedebam, & cetera.

Rex, & propheta Dauid habebat de lacrymis suis lauacrum. Psal. 5. Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Item cibum. Psal. 41. fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, &c. Item potum Psal. 79. Potum dabis nobis, in lacrymis in mensura. Idem: 72. Potum meum cum fletu miscebam. Versus,

Huius lacryma, lauacrum, panis potusque fuerunt.

Plorabat etiam Dauid vitam suam recolendo. Psal. 55. Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Item cœlestis patriæ recordando. Psal. 136. super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, &c. Interdum orando. Psal. 38. Exaudi Deus orationem meam: & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas. Idem. 6. Exaudiuit Dominus vocem fletus mei, &c. Idem Deum adorando. Psal. 95. Venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos.

Videns Isaias destructionem populi sui dicebat: Recedite à me amare flebo: nolite incumbere vt consolemini me, Isa. 22. Dixit Hieremias: Audite, & auribus percipite, nolite eleuari, &c. Quod si hoc non audieritis, in abscondito plorabit anima mea. Hiere. 13.

Copiosi autem fletus in ipso signa erant multæ lacrymæ. Hiere. 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lacrymarum, & cęt. Fons raro, vel numquam siccatur.

Item multi gemitus. Thren. 1. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam, &c. Sequitur: Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

Item clamosi singultus. Thren. 3. Diuisiones aquarum deduxit oculus meus, &c. Sequitur: Ne auertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.

Item oculorum defectus. Thren. 2. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, &c. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, &c. Dan. 10.

Flebant amici Susannæ cum viderent presbyteros aduersus eam testimonium prolaturos; & ipsa etiam flens suspexit ad cœlum. Erat enim cor eius, & cetera. Daniel 13.

Antiochus fecit in Hierusalem cędem magnam hominum, & factus est planctus magnus in Israel. Omnis maritus assumpsit lamentum, & quæ sedebant in thoro maritali lugebant. 1. Machab. 1.

Planxit omnis Israel planctu magno, pro morte Mathathiæ. 1. Machab. 2.

Fleuerunt omnes de Israel Iudam Machabæum fletu magno, & lugebant ipsi dies multos, dicentes. Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat Israel 1. Machab. 9.

Interfectis à Tryphone Ionatha, & duobus liberis eius cum mille viris, quos retinuerat sibi, luxit Israel luctu magno. 1. Machab. 12. & 13. Contristatus est animo Antiochus, propter mortem Oniæ, & flexus ad misericordiam lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam. 2. Machab. 4.

Occisis bimis pueris per Herodem, impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus, &c. Matth. 2.

Pater pueri lunatici exclamans cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Mar. 9.

Maria Magdalena legitur fleuisse pro peccatis suis ad pedes Domini. Luc. 7. Secundo pro morte fratris. Ioan. 11. Tertio pro passione Domini Iesu Christi. Ioan. 21.

Saluator noster inuenitur tribus vicibus lacrymas effudisse super Lazarum, quem ad hanc mortalem vitam reuocabat. Ioann. 11. Super ciuitatem Hierusalem, quam pro peccato ruituram sciebat. Luc. 9. Et in cruce, quando seipsum pro peccatis mundi hostiam offerebat. Heb. 5. Preces cum clamore valido, & lacrymis offerens, & cetera.

Petrus post negationem trinam Domini egressus foras fleuit amare. Sed nota quod Lucas præmisit, dicens: Respexit Dominus Petrum. Luc. 22.

Euntem Dominũ ad crucem, sequebatur turba multa populi, & mulierum quæ plangebat, & lamentabantur eum. Luc. 23.

Paulus Apostolus cum lacrymis Domino seruiebat, Ait enim Act. 20. Cum valediceret fratribus de Asia: Vos scitis qualiter vobiscum per omne tẽpus fuerim seruiens Domino, cum omni humilitate, & multis lacrymis.

Item cum lacrymis proximos admonebat, & ipsos ad lacrymas prouocabat. Act. 20. Per triennium nocte, & die non cessaui cum multis lacrymis, monens vnumquemque vestrum, &c. Sequitur, Magnus autem factus est fletus omnium, & cetera.

Item cũ lacrymis epistolas suas scribebat. 2. Cor 2. Ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymis. Item, Philip. 3. Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, & cetera.

Item cum lacrymis orabat. Act. 20. Positis genibus suis cum omnibus illis, quibus loquebatur, orauit, magnus autem factus fletus est omnium. Rom. 7. Spiritus postulat pro vobis, id est, postulare nos facit, gemitibus inenumerabilibus. tales autem gemitus non solent esse sine fletu.

Cum aduenisset Petrus in Ioppem circumsteterunt eum omnes viduæ flentes, & ostendentes tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Act. 9.

De iuramento. Cap. XVIII.

DIxit Abimelech ad Abraham: Dominus tecum est in vniuersis, quæ agis: iura ergo mihi ne noceas mihi, &c. Dixitque Abraham: Ego iurabo, Genes. 21.

Iacob

Iacob,& Laban inierunt fœdus, & iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac. Gen. 31.

Moyses iurauit quod habitaret cum Ietro, & accepit Sephoram filiam eius vxorem. Exod. 2.

Pepigit Ionathas fœdus cum domo Dauid, & iurauerunt ambo. 1. Reg. 20.

Audiens Dauid duritiam Nabal, ait: Hoc faciat Deus inimicis Dauid, & hoc addat, si reliquero de omnibus quæ ad eum pertinét vsque mane, mingentem ad parietem. 1. Reg. 25.

Flentem Dauid pro morte Absalon filij sui, dixit, Ioab: Surge & procede, & alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac. 2. Reg. 19.

Dauid iurauit Bethsabeę matri Salomonis, quod Salomon regnaret post eum. 2. Reg. 1.

Rex Salomon audita petitione matris pro Adonia iurauit per Dominum, dicens: Hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, quod contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. 3. Reg. 2.

Dixit Elias Thesbites ad Achab regem Israel: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, Si erit annis iis ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. 3. Reg. 17.

Benadad rex Syriæ indignatus ad responsionem Achab ait: Hoc faciunt mihi dij, & hoc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. 3. Reg. 20.

Dixit Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me vsque in Bethel. Cui ait Eliseus: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te 4. Reg. 2.

Nabuchodonosor iurauit per thronum suum, quod defenderet se. Iudit. 1.

Rex Antiochus filius Antiochi misit ad Iudæos pacem facere, & iurauit illis rex & princeps. Sequitur, Et rupit citius iuramentum. 1. Machab. 6.

Herodes Tetrarcha iurauit filiæ Herodiadis, quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Mar. 6.

Petrus dicentibus sibi: Et tu ex illis es. nam & loquela tua manifestum te facit, cœpit detestari, & iurare, quia non nouisset hominem. Matth. 26.

Apostolus Paulus multotiens legitur iurasse in epistolis suis. 1. Cor. 15. Quotidie morior per vestram gloriam fratres. Item, 2. Cor. 11. Deus, & Pater Domini Iesu Christi scit, quia non mentior. Item. Galat. 1. Ecce coram Deo, quia non mentior. Rom. 1. Testis est mihi Deus, cui seruio. Item. 1. Cor. 1. Testem Deum inuoco in animam meam.

De Sabbati obseruatione. Cap. XIX.

OBseruatio Sabbati originem trahit ex eo, quod dicitur Gen. 2. Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso requieuit ab omni opere suo, & cetera.

Sexta die filij Israel in deserto colligebant manna duplici quantitate, vt die sabbati vacarent omni opere. Exod. 16.

Inter præcepta decalogi solius mandati de sabbati obseruatione ratio redditur, quia minus de ratione apud carnales homines habere videbatur. Exod. 20.

Præceptum de obseruatione Sabbati frequenter repetitur in lege, vt homo illud diligenter obseruet, & vt veram requiem adipisci laboret.

Die Sabbati offerebantur duo agni, diebus aliis vnus tantum, nisi in sollemnitatibus & calendis, ad designandum, quod in festis abundantius Deum laudare debemus, Num. 28.

Homo deprehensus colligere ligna in sabbato fuit præcepto Domini lapidatus a toto populo. Num. 28.

Videns Nehemias homines torculari calcantes, & onera portantes, & venalia in sabbatis, obiurgauit eos tanquam diem sabbati profanantes. Nehem. 3.

Gentiles ex parte Antiochi constituerunt prælia in diebus sabbatorum aduersus quosdam, qui fugerant de Iudæa: at illi non miserunt lapidem, nec oppilauerunt loca occulta dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra. 1. Machab. 2. De quibus est aduertere, quod licet erga mandatum Domini deuotionem ostenderent; tamen attendentes postea, quod per hoc populus Domini dispergi poterat, cogitauerunt saniori consilio, dicentes: Omnis homo quicunque venerit ad nos die sabbatorum, pugnemus aduersus eum. non enim videtur opus seruile, pugnare pro vita tuenda, vel pro lege Dei.

Machabæus Iudas, & socij sui pugnantes contra Nicanorem, & exercitum suum interfecerunt super nouem millia hominum, ceteros autem fugere compulerunt, sed non perseuerauerunt persequentes, eo quod erat ante sabbatum. 2. Machab 8.

Nicanor cogitauit cum omni impetu die sabbati bellum committere, sed Iudęi qui eum per necessitatem sequebantur, dixerunt ei, ne ita ferociter ac barbare feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis. 2. Machab. 15.

Discipulis Domini vellentibus spicas, & manducantibus, dixerunt Pharisæi: Ecce faciunt quod non licet facere sabbathis. At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit Dauid, &c. Sequitur, Dominus est filius hominis, etiam sabbati. Matth. 12.

Saluator noster legitur in sabbatis multa fecisse miracula, vt patet per omnia Euangelia. Cuius causa, vel ratio, triplex assignari potest: vna, vt se Dominum legis ostenderet. Matth. 12. Dominus est filius hominis etiam sabbati. Secunda vt veram intelligentiam illius præcepti daret, quia non ab omni opere est cessandum. Matth. 12. Itaque licet sabbatis benefacere. Luc. 6. Tertia, vt plus homines audientes eum, & videntes ædificaret. Luc. 13.

Cum curasset inclinatam mulierem, Archisynagogus indignatus, quia sabbato curaret, dicebat turbæ: Sex dies sunt, & cetera. Luc. 13.

Mulieres sanctę parauerunt aromata ad inungendum corpus Dominicum, & ita districte seruabant sabbatum, vt tali die nollent tam sanctum opus facere. Luc. 23. Et sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum.

Sabbato requieuit Dominus in sepulcro. Luc. 23. Ioann. 19.

Dies sabbati erat apta specialiter, & conueniens ad audiendam legem Dei. Act. 13. Voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur. Item 16. Die sabbatorum loquebamur mulieribus, quæ conuenerant.

Cap. XX.
De reuerentia templo exhibenda.

LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens: Facies labium æneum ad lauandum, & missa in eo aqua lauabunt Aaron, & filii eius manus suas in eo, & pedes quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij. Exod. 30. Non licebat, nisi paucis intrare tabernaculum, nec vasa eius tangere. sicut apparet. Num. 4. Diligentior, & feruentior fuit Salomon in ædificatione templi Dei, quam in ædificatione domus propriæ. nam domum Dei compleuit septem annis; domum vero suam tredecim annis. Item citius cœpit ædificare templum, quam domum suam 3. Reg. 6. & 7.

Magnam solemnitatem fecit Salomon dedicationis templi. 3. Reg. 8.

Præcipit Ioiada Pontifex, vt Athalia educeretur extra templum, & non occideretur in templo Domini. 4. Reg. 11.

Magnam curam videbatur habere Dominus de templo, qui præcepit Cyro, vt ædificaret sibi domum in Hierusalem, intelligitur de templo materiali, sicut patet in textu. 1. Esdr. 1. Et hoc ipsum prædixerat Isaias ante, quasi per ducentos annos. Isa. 45.

Reuersi de Babylonica captiuitate Iudęi primo cœperunt ędificare templum, quam muros ciuitatis Hierusalē

licet vicinos haberent inimicos, de quibus die noctuque timebant. 1. Esdræ 3.

Commendatur Tobias, quoniam in Hierusalem ad templum Domini veniebat, & ibi adorabat Dominum. Tob. 1.

Obtenta victoria de inimicis, qui contaminauerant templum, dixit Iudas ad fratres eius, antequam de domibus propriis aliquam facerent mentionem: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta & renouare. 1. Machab. 4.

Rex Demetrius statuit, vt quicunq; confugerint in templum, quod est Hierosolymis, & in omnibus finibus eius obnoxij regi, in omni negotio dimittantur. 1. Machab. 10.

Euntibus Iudæis ad bellum contra Nicanoris exercitum erat pro vxoribus & filiis, item pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo, maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi. 2. Mach. 15.

Quadragesimo die voluit Dominus in templo deferri. Luc. 2.

Item duodecim annorum factus disputans in templo fuit inuentus. Luc. 2.

Postea de templo vendentes, & ementes pluries eiecit. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 2.

Item in templo frequenter docuit, & miracula plura fecit. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 20. Ioan. 7.

Arguit Dominus Pharisæos, quia dicebant aurum templi sanctius templo. Matth. 23.

Recepto Spiritu sancto, Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam & tunc factum est primum sanationis miraculum, quod factum fuerit post Ascensionem Domini. Act. 3.

Angelus Domini per noctem aperuit ianuas carceris, & educens Apostolos, dixit: Ite & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Act. 5.

Commendatur Eunuchus ille reginæ Æthiopum, quia de Æthiopia venit adorare in Hierusalem. Act. 8. Sed vero quod etiam sedens in curru legebat Isaiam prophetam, quod est contra multos qui euntes ad loca sancta non legunt, vel referunt sacra documenta, sed multiplicant vana verba.

Quamuis Iudæi graui odio, & furore persequerentur Paulum; tamen in templo noluerunt occidere eum, sed traxerunt eum extra templum, vt foris occiderent eum. Act. 21.

De adoratione, & cultu Dei, Cap. XXI.

FActum est, vt offerret Caim de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caim autem, & ad munera eius non respexit. Gen. 10.

Enos filius Seth, cœpit inuocare nomen Domini. Gen. 4. Ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocaustũ, odoratus est Dominus odorẽ suauitatis Gen. 8.

Apparuit Dominus Abraham in terra Canaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc, qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuit ei. Gen. 12.

Cum eleuasset oculos Abraham apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cũ vidisset, adorauit in terra: & dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, & cet. Genes. 18.

Paratus fuit Abraham offerre vnicum filium suum Isaac Domino in holocaustum, sed Domino aliter prouidente arietem loco illius obtulit. Gen. 22.

Dominus apparuit Isaac in Bersabee, dicens: Noli timere, quia ego tecum sum, &c. Itaque ædificauit ibi altare, &c. Gen. 26.

Locutus est Dominus ad Iacob dicens: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi; facque altare Domino, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum, &c. Genes. 35.

Audierunt filii Israel, quod visitasset eos Dominus, & quod respexisset afflictionem, & proni adorauerunt. Exod. 4.

Postquam locutus est Dominus ad Moysen de religione Phase, & percussione primogenitorum Ægypti, sequitur: Incuruatus populus adorauit. Exod. 12.

Iethro dixit Moysi: Præsto populo in iis, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cærimonias & ritum colendi. Exod. 18.

Moysi dixit Dominus: Ascende in montem tu, & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta senes Israel, & adorabitis procul. & post pauca: Obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino vitulos. Exod. 24.

Præcepit sibi fieri Dominus tabernaculum cum variis vtensilibus, & ministros, ac ministeria ordinari ad cultum ipsius. Exod. 25. Et deinceps in multis capitulis.

Primum præceptum decalogi est: Non habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, & cet. Non adorabis ea, neque coles. Exod. 20. & Deuter. 6. Dominum Deum tuum timebis, & ipsi soli seruies, &c.

Angelus Domini ad patrem Samsonis, ait: Si vis holocaustum facere, offer illud Domino Iudic. 13.

Helcana pater Samuelis ascendebat de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino Deo exercituum in Silo 1. Reg. 1.

Erat peccatum filiorum Heli, grãde nimis coram Domino: quia retrahebant homines de sacrificio Domini, 1. Reg. 2.

Cum Samuel offerret holocaustum Domino pro populo, Philistæi inierunt prælium contra Israel. Intonuit autem Dominus fragore magno super Philistæos, & exterruit eos, & cæsi sunt à filiis Israel 1. Reg. 7.

Rex Dauid sollicite cultum Dei in cantoribus, & sacerdotibus studuit ampliare, sicut apparet, 1. Paralip. 15. 16. 23. 24. & Ezech. 47. In omni opere, &c.

Abiit Salomon, vt immolaret Domino in Gabaon, mille hostias in holocaustum obtulit ibi. Apparuit autem ei Dominus per somnium, &c. 3. Reg. 3.

Salomon ædificato templo stetit ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandens manus suas in cœlum; vtrumque genu flexit, & adorauit. 3. Reg 8.

Reuersi filij Israel de captiuitate Babylonis, legerunt in volumine legis Dei sui. quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum. Nehem. 9.

Cum irent omnes filij Israel ad vitulos aureos, Tobias fugiebat consortia eorum, & pergebat in Hierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel. Tob. 1.

Cum audisset Iob nuntiorum verba dicentium sibi perditionem rerum suarum, surrexit, & corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, &c. Iob. 1.

Quamuis esset prohibitum, quod nullus aliquid peteret ab aliquo Deo, vel homine, vsque ad triginta dies, nisi à solo Dario: tamen Daniel tribus temporibus in die flectebat genua sua in cenaculo suo, & adorabat, confitebaturque coram Domino Deo suo. Daniel. 6.

Magi intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, &c. Matth. 2. Ecce miræ humilitatis deuotio; quid ergo debent facere Christiani Domino iam regnanti, si sic fecerunt Gentiles Domino vagienti?

Cum descendisset Iesus de monte, ecce leprosus veniens genu flexo adorauit, dicens: Domine, si vis potes me mundare. Matth. 8. Mar. 1.

Cæcus natus à Domino Iesu illuminatus procidens adorauit eum. Ioan. 9.

Videntes Dominum discipuli post resurrectionem suã adorauerunt: Quidã autem dubitauerunt. Matth. 28.

Sacerdotes, & populi de ciuitate Lystræ reputantes Deos Paulum, & Barnabam, volebant sacrificare eis, quod illi prohibuerunt omnino. Act. 14.

Postquam audisset, & vidisset beatus Ioannes mirabiles Dei reuelationes, cecidit, vt adoraret ante pedes Angeli, qui ei hoc ostendebat, & dixit ei: Vide, ne feceris, Deum adora, &c. Apoc. 22.

Cap. XXII. De idololatria.

VIdens populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron dixit: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Exod. 32.

Fornicatus est populus filiorum Israel cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Num. 25.

Mortuo Iosue filio Naue, filij Israel fecerunt malum in conspectu Domini, & seruiebant Baalim, & Astaroth, & dimiserunt Dominum Deum patrum suorum. Iudic. 2.

Fornicatus est omnis Israel in Ephod, quod fecerat Gedeon Iudic. 8.

Item de Salomone dicitur: Deprauatum est cor eius per mulieres, ita vt sequeretur Deos alienos, nec erat perfectum cor eius. & 3. Reg. 11.

Excogitato consilio Ieroboam fecit duos vitulos aureos, & dixit: Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. 3. Reg.

Non suffecit Achab regi Israel, vt ambularet in peccatis Ieroboam, sed insuper seruiuit Baal, & adorauit eũ. 3. Regum. 16.

Ædificauerunt viri de Iuda aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam. 3. Reg. 14.

Achaz rex Iuda ambulauit in via regum Israel insuper, & filium suum consecrauit transferens per ignem. 4. Reg. 16.

Translatis filiis Israel in Assyrios collocatæ sunt diuersæ gentes in ciuitatibus Samariæ, & vnaquæq; fecit Deum suum, & cum Dominum colerent diis quoque suis seruiebant iuxta consuetudinem Gentilium. 4. Reg. 17.

Confusus, & vituperatus Sennacherib rex Assyriorum reuersus est in Niniuem ab impugnatione Ezechiæ regis Iudæ cumque adoraret in templo Nesroch filij eius percusserunt eum gladio, & fugerunt. 4. Reg. 19.

Manasses rex Iuda erexit omnes aras Baal, & adorabat omnem militiã cœli, & coluit eam, &c. 4. Regum. 21.

Holofernes indignatus contra Achior, qui commendauerat potentiam Dei Hebræorum, dixit, quod ostenderet ei, quod non esset Deus, nisi Nabuchodonosor. Iudith 6.

Nabuchodonosor fecit statuã auream, & præcepit, vt omnes populi tribus, & linguæ cadentes adorarent eam. Dan. 3.

Darius rex Persarum proposuit edictum, quod nullus infra triginta dies peteret aliquid à quocũque Deo, vel homine, nisi ab ipso rege Dario. Dan. 6.

Erat idolum in Babylone, quod rex quotidie adorabat, quod cum Daniel subuertisset Babylonij adorauerunt draconem. Dan. 14. Antiochus iussit ædificare aras & templa & idola, & immolari carnes suillas, & relinquere suos incircumcisos. 1. Machabæorum. 1.

Sacerdotes, & populus de ciuitate Lystræ reputantes Deos Paulum, & Barnabam voluerunt sacrificare eis, quod illi prohibuerunt omnino. Act. 14.

Cum Paulus maneret Athenis incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatẽ. Act. 17.

Cap. XXIII. De blasphemia contra Deum.

FIlius mulieris Israelitidis præcepto Domini lapidatus fuit in deserto pro eo, quod nomen Domini blasphemauit Leuit. 24.

Dixit Heli filiis suis: Si peccauerit vir in virum placari potest ei Dominus. Si autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2.

Nathan propheta multum exaggerabat peccatum Dauid, ex eo quod blasphemare fecerat inimicos nomen Domini. 2. Reg. 12.

Vir Dei dixit ad regem Israel, quia dixerunt Syri: Deus montium est, & non est Deus vallium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua. 3. Regum. 20.

Videtur quod maius peccatum nesciuerit excogitare nequissima Iezabel, quam blasphemiam, quam fecit illi imponi. 3. Reg. 21.

Multum displicuerunt Deo blasphemiæ, quas dixerunt serui Sennacherib regis Assyriorum, vnde percussit Dominus centum octoginta millia de exercitu suo. 4. Reg. 19.

Non expedit simplices homines circa blasphemiam infidelium disputare; propter hoc prohibuit Ezechias, ne populus Rapsaci blasphemo aliquid responderet. 4. Reg. 18. Isa. 36.

Holofernes indignatus, eo quod Achior potentiam Dei cœli commendauerat, dixit ad eum: Quoniam prophetasti, quod Gens Israel defendatur à Deo suo, vt ostendã tibi, quia non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cũ percusserimus eos omnes, quasi hominem vnum, &c. Iudith. 6.

Cum argueret Hieremias populum pro eo quod sacrificabant omnes diis alienis, responderunt: Sermones Domini non audiemus, sed sacrificabimus reginæ cœli, sicut fecimus nos & patres nostri, & bene nobis erat, & alumque non vidimus. Hiere. 40.

Nabuchodonosor rex Babylonis dixit sociis Danielis, qui statuam eius auream noluerunt adorare: Quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea. Dan. 3.

Dixerunt quidam iniqui ex Israel in diebus Antiochi: Ex quo recessimus à Gentibus inuenerunt nos multa mala. 1. Machab. 1.

Obsidente Iuda Machabæo quoddam præsidium, quidam Gentiles intus existentes verba blasphema, & nefanda iactabant, quo scito postea concremati fuerunt. 2. Machab. 10.

Dicentibus Iudæis Nicanori: Est Deus potens in cœlo, qui iussit agi septimam diem, ille infelix ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regum impleri. 2. Machab. 15.

Cum eiecisset dæmonium Dominus cæcum & mutum, stupentibus turbis Pharisæi blasphemabãt dicentes: Hic non eiicit dæmones, nisi in Belzebub principe dæmoniorum. Matth. 12. & Luc. 11.

Pendente Domino in cruce, prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, &c. Matth. 27.

Contradicebant Iudæi iis, quæ à Paulo dicebantur blasphemantes. Act. 13. & 18.

Cap. XXIV. De præceptis Dei, & obseruatione ipsorum.

PRæceptum leue ad implendum, & breue ad retinendum dedit Deus primo parenti, dicens: Ex omni ligno paradisi comede, &c. Gen. 2. Quod tamen male custodiuit, & grauem pœnam incurrit Genes. 3.

Mandata Dei licet interdum videantur esse de re parua, non parua diligentia sunt seruanda, quia puniuntur grauiter transgressores. Genes. 2. De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Fecit Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus. Gen. 7.

Recepturi filij Israel mandata à Deo, iussi sunt sanctificari. Exod. 19. Vade ad populum, & sanctifica eos, hodie & cras, & cetera.

Præcepit Dominus, vt filij Israel ponerent vittas hiacynthinas per angulos palliorum quattuor, vt cõtinuam haberent memoriam cœlestium mandatorum. Num. 15.

Balaam ariolus dixit Balach regi Moab: Nonne dixit tibi, quod quidquid imperaret mihi Dominus, hoc facerem? Num. 23. Ecce quantam reuerentiam habebat malus homo ad imperium Dei.

Specialem monitionem fecit Dominus Iosue de meditatione, & obseruatione legis, quando constituit eum super populum. Iosue. 1. Non recedat volumen legis huius, & cetera.

Non præteriuit Iosue de vniuersis mandatis Domini, nec vnum quidem verbum, &c. Iosue 11.

Saul tam signanter electus, propter transgressionem diuini præcepti irreuocabiliter est proiectus. 1. Reg. 15.

Rex Dauid instruens Salomonem post se regnaturum dicebat: Tunc perficere poteris, si custodieris mandata, quæ præcipit Dominus Moysi. 1. Paral. 22.

Ordinante Ioiada pontifice eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum regem. 2. Paralip. 23.

Cyrus rex Persarum gentilis Monarcha totius mundi, non verecundabatur dicere: Præcepit mihi Deus cœli, vt ædificarem ei domum in Hierusalem. 1 Esdr. 1.

Conquerendo dicit Dominus. Hiere. 35. Præualuere sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum, qui obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, & non audistis me, & cetera.

Melius iudicauit Susanna incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei, exponens periculo vitam, & famam. Dan. 13.

Cum trucidarentur sub Antiocho legis obseruatores multi de populo noluerunt infringere legem sanctam, & trucidati sunt. 1. Machab. 1.

Duæ mulieres delatæ sunt natos circumcidisse, quas infantibus ad vbera suspensis cum publice per ciuitatem circumduxissent, per muros præcipitauerunt. 2. Machab. 6.

Eleazarus vir ætate prouectus diros corporis dolores sustinuit, & tandem occisus fuit, quia carnes porcinas contra legem noluit manducare, nec etiam simulare se vllatenus manducasse. 2. Machab. 6.

Propter legem Dei septem fratres cum matre sua, grauia tormenta passi sunt sub Antiocho. 2. Mac. 7.

Parentes Ioannis Baptistæ erant incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela. Luc. 1.

Adolescenti à Saluatore quærenti, quid boni faceret, vt vitam æternam haberet, responsum est ab ipso Domino: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19.

Ad obseruandum præcepta Dei nos inducunt aliæ creaturæ, quæ obediunt ei, de bonis Angelis non est dubium, quin sint ministri eius, facientes voluntatem, & verbum eius. 1. Paralip. 21. Imperauit Dominus Angelo, qui percutiebat. Item de malis angelis. Luc. 8. Præcipiebat spiritui immundo, vt exiret ab homine, sequitur. Et exierunt dæmonia. Item præcepit Soli & non oritur Iob. 9. Item præcepit coruis, vt pascant Eliam, & sic fecerunt. 3. Regum 17.

Et generaliter dicit Psal. 148. Præceptum posuit, & non præteribit, ignis, grando, nix, glacies, &c.

De obedientia. Cap. XXV.

HOminem volens Deus sub obedientia viuere, etiam in statu innocentiæ, statim vt conditus est ipsum præceptis astrinxit. Gen. 2. Et eum contra obedientiam venientem seuere puniuit. Gen 3.

Prompte obediuit Noe Domino in omnibus, quæ ei facienda præcepit tempore instantis diluuij. Gen. 7.

Præceptum de circumcisione, quamuis esset graue & insolitum, non distulit Abraham implere, vsque in crastinum. Gen. 17.

Idem Abraham præceptum de immolatione filij sine mora exequi voluit. Gen. 22. Abraham de nocte consurgens, &c. Et vide quam mirabilis fuit illa obedientia.

Prompte obediuit Ioseph patri ad fratres eum mittenti, quamuis eos primus accusasset, & ideo merito timere deberet. Gen. 37.

Moyses obediuit Domino imponenti ducatum populi. Sed attende cum quanta difficultate, quinquies enim se excusauit. Exod. 3. & 4. Magnam obedientiam promiserunt filij Israel, dicentes: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Exod. 24. Sed postea operibus fecere contrarium.

Filij Israel per desertum ambulãtes ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Num. 4. & 9.

Idem filij Israel ad terram promissionis iuxta mandatum Domini ascendere conati sunt, & male cessit eis. Num. 54.

Euntes ad bellum contra mandatũ Moysi filij Israel, multi victi fuerunt à paucis. Num. 14. Quando autem ex obedientia pugnauerunt, pauci vicerunt multos: Num. 31.

Quia transgressus est Achan mandatum Iosue, populus fuit prælio superatus, & ipse postea à populo lapidatus. Iosue 7.

Saul offerens holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus est. Similiter, quia pepercit Agag regi Amalec, & gregibus ouium, & ceteris rebus pretiosis; & tunc dixit ei Samuel. Melior est obedientia, quam victimæ. 1. Reg. 15.

Dauid licet per Samuelem vnctus esset in regem, tamen obediebat patri mittenti eum, vt portaret victualia fratribus, quibus fuerat præelectus. 1. Reg. 17.

Prædixit Dominus Salomoni, quod si faceret omnia, quæ præceperat ei poneret thronum regni eius, super Israel in sempiternum. Si autem auerteretur, & non custodiret mandata eius, auferret Israel de superficie terræ. 3. Reg. 9. 2. Paralip. 7. Et ita impletum est. 4. Reg. vltimo.

Vir Dei, qui prædixit Ieroboam destructionem altaris sui à leone occisus fuit, quia scilicet cõtra præceptum Domini, in domo alterius Prophetæ comedit. 3. Reg. 13.

Obedientia commendatur interdum, & in iis, quæ videntur sine ratione mandari; vnde percussus est à leone ille, qui noluit percutere quendam de filiis prophetarum. 3. Reg. 20.

Cum ad mandatum Elisei, Naaman indignatus abiret, dixerunt ei serui sui: Pater & si rem grandem dixisset tibi Propheta facere debueras, &c. 4. Reg. 5.

Tobias iunior auditis exhortationibus patris respondit, & dixit: Omnia quæcunque præcepisti mihi pater, faciam. Tob. 5.

Quidquid præcipiebat Mardochæus, obseruabat regina Esther, & ita cuncta faciebat, vt eo tempore solita erat, quo eam paruulam nutriebat. Esther 2.

Commendatur à Domino Rechabitę, qui noluerunt vinum bibere, pro eo quod præceperat eis pater eorum, dicens: Non bibetis vinum, vsque in sempiternum, & domos non ædificabitis, &c. Hier. 35.

Et nota difficultatem in illa obedientia.

Ionas insipienter refugiebat obedire Domino præcipienti, vt iret ad præcipiendum in Niniue, sed fugiendo deuenit, quo Dominus iusserat. Ion. 1. & 3.

Mathathias dixit nuntio regis Antiochi. Et si omnes obediunt regi Antiocho, ego & filij mei, & fratres mei obedimus legi Patrum nostrorum. 1. Mac. 2.

Dixit vnus illorum septem fratrum: Parati sumus magis mori, quam patrias Dei leges præuaricari, 1. Mach. 7.

Descendit puer Iesus cum Maria, & Ioseph in Hierusalem, & erat subditus illis. Luc. 2.

Cito & perfecte obedierunt illi Apostoli, qui à Domino vocati continuo relictis retibus secuti sunt eum, Matth. 4. Similiter de Matthæo dicitur Luc. 5. Relictis omnibus surgens secutus est eum.

De obedientibus verbo, & non facto, seu facto plus quam verbo, proponit Dominus exemplum duorum filiorum, quorum vnus dixit se iturum in vineã patris, & operaturum, & non iuit, alius negauit, & iuit. Matth. 21.

Etiam malis prælatis obediendum esse, præcepit Dominus. Matth. 23. Super cathedram Moysi, & cet.

Omnia

Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.

Saluator noster legi voluit obedire in circumcisione, in oblatione facta in templo. Luc. 2. Et in Iesu agni paschalis. Matth. 26.

Exemplum obedientiæ proponit nobis Apostolus in Saluatore nostro, dicens: Factus obediens vsque ad mortem. Philip. 2. Vbi, & insinuat obedientiæ fructum subdens, propter quod Deus exaltauit illum, & cetera.

Comminati sunt principes sacerdotum, Petro, & Ioanni, ne vltra loquerentur in nomine Iesu, qui respondentes eis: Si iustum est vos potius audire, quam Deum, iudicate, non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui. Act. 4.

Deinde cum arguerentur Apostoli à principibus sacerdotum, quia non seruauerant eorum mandata, responderunt Petrus, & Apostoli: Obedire Domino oportet magis, quam hominibus. Act. 5.

Saulus ad terram prostratus audiens verba Iesu Nazareni prompte respondit ei: Domine quid me vis facere. Act. 9. Cornelius dixit beato Petro: Omnes nos in conspectu tuo sumus, audire parati omnia quæcunque præcepta sunt tibi à Domino. Act. 10.

Paulus electo sibi Sila in socium, perambulabat Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. Actorum 15.

Cap. XXVI. De Scriptura sacra.

MAgnam reuerentiam habere debemus ad Scripturam, quam ipse Deus voluit scribere, vel tradere specialiter, & docere. Exod. 32. Reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas scriptas opere Dei. Ipse etiam Dominus noster Iesus Christus dicit se missum fuisse ad euangelizandum, & misit discipulos ad hoc ipsum. Matth. 10. Mar. 1. & in Luc 4. & 10. Ioan. 4. Sic igitur potest dici, quod lex vetus fuit data Moysi mediantibus Angelis, vt ait Apostolus, Galat. 3. Et beatus Stephanus hoc ipsum testatur. Act. 7. Accepistis legem in dispositione Angelorum. Reliqua vero pars veteris testamenti data fuit inspiratione Spiritus sancti. 2. Pet. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Nouum autem testamentum continet verba, & facta Domini nostri Iesu Christi, in Euangeliis, verba Apostolorum in epistolis, & in Apocalypsi. Item facta ipsorum in libro Actorum Apostolorum, Christus ergo verus Deus, & homo partem Euangeliorum protulit per seipsum; alia vero dixerunt Apostoli, & Euangelistæ instructi per ipsum, & Spiritum sanctum. Act. 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Eccles. 39. quasi dicat, sapientiam quidem sapienter debet sapiens exquirere, sed specialiter debet scripturis Prophetarum intendere.

Ionathas summus sacerdos, & seniores Iudæorum, licet essent bellicis rebus intenti, scripserunt Spartiatis: Nos habentes solatio libros sanctos, qui sunt in manibus nostris, &c. 1. Machab. 12.

Saluator noster tētatus à diabolo per scripturā respondit, & ipsum tentatorem triplici auctoritate confudit. Mat. 3. Luc. 3.

Item scripturam esse completam in Aduentu suo dixit. Luc. 4. Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris.

Item per Scripturam defendit discipulos contra Pharisæos. Matth. 12. Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, &c. Magnam auctoritatem tribuit Dominus veteri testamento, quando dixit Matth. 2. Donec transierit cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex, & cetera.

Item Ioann. 10. non potest solui Scriptura: non minoris autem, sed maioris auctoritatis est nouum, de quo Luc. 21. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Principes sacerdotum & scribas, & Pharisæos iniuste arguentes Dominum Iesum, ipse multotiens per Scripturas vicit. Matt. 11. & 21.

Arguit Dominus Sadducæos de ignorantia Scripturarum. Matth. 22. Erratis nescientes Scripturas, neque intelligentes virtutem Dei.

Petrus in prima prædicatione sua post missionem Spiritus sancti, auctoritatem Iohelis exponens tria millia hominum conuertit ad Christum. Act. 2.

Valde commendandus est Eunuchus ille, qui veniens de Æthiopia Hierosolymam legebat in curru existens Isaiam prophetam. Philippus autem præcepto Domini occasionem assumpsit prædicandi Euangelium Christi, ex auctoritate, quam eum legentem inuenit, & credentem illico baptizauit. Act. 8.

Veniens Paulus Berœam intrabat synagogam Iudæorum; quidam autem susceperunt verbum cum omni auiditate quotidie scrutātes Scripturas, si hæc ita se haberent, & crediderunt multi ex eis, & Gentilium mulierum honestarum, & viri non pauci. Act. 17.

Apollo Iudæus vir eloquens potens in Scripturis, contulit multum iis qui crediderunt. vehementer enim Iudæos reuincebat publice, ostendens per Scripturas esse Christum, Iesum. Act. 18.

CAPVT XXVII.
De exhortatione bona, & prædicatione verbi Dei.

CAim admonitus exteriori voce Dei, à concepta iniquitate non destitit. Gen. 4. Hinc patet, quod exhortatio sine interiori parum est efficax.

Iustus Loth pie admonebat Sodomitas dicens: Nolite quæso fratres mei, nolite malum facere. cui illi contumaciter responderunt: Recede illuc, &c. Gen 9. Hinc patet quod peruersi difficile corriguntur. Bene cessit Iacob, quia acquieuit consiliis matris suæ. Gen. 27.

Audiens Ruben iniqua fratrum verba contra Ioseph dixit: Non interficiamus eum, nec effundamus sanguinem eius, &c. Iudas etiam consuluit, quod non occideretur, sed venderetur, & sic saltem minus malum committeretur. Gen. 37.

Soror Moysi bene suasit filiæ Pharaonis, vt mulier Hebræa pro nutriendo paruulo vocaretur. Exod. 2.

Ad vtilitatem populi, & alleuiationem Moysi, bene consuluit Iethro, vt minores iudices constitueret in populo. Exod. 18.

Bona exhortatione Abigail auersus est Dauid à proposito fundendi sanguinem Nabal. 1. Reg. 25. Bonum consilium dedit Abner, Asaeli se insequenti dicens: Noli me sequi, ne compellar confodere te in terram quod quia ille audire contempsit ab eodem occisus est. 2. Regum. 2.

Consilium bonum dederunt Roboam filio Salomonis seniores, ille vero in malum suum acquieuit consilio iuniorum. 3. 12.

Cum Naaman Syrus ad verbum Elisæi abiret indignatus, serui sui suaserūt ei, vt Prophetæ facile mandatū impleret, quorum monitus vtiliter acquieuit. 4. Reg. 5.

Quamdiu vixit Ioiada pontifex, qui bene instruebat Ioas regem Iuda, tamdiu fuit ille bonus, quo mortuo factus est Ioas pessimus, 4. Reg. 12. 2 Paralip. 25.

Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio, & principum eius in vniuersum Israel, & Iuda, prædicantes filiis Israel: Reuertimini ad Dominum Deum Abraham, Isaac, & Israel, & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus regis Assyriorum. 2. Paralip. 30.

Ædificantibus Iudæis de Babylone reuersis templum in Hierusalem exhortabantur eos, & adiuuabant Aggæus, & Zacharias prophetæ. 2. Esdr. 5.

Desiderans Nehemias ædificare muros Hierusalem, dixit optimatibus, & magistratibus: Surgamus, & ædificemus;

ficemus; & confortatæ sunt manus eorum in bonum. Nehem. 2.

Ad exhortationem Nehemiæ ij qui vsuras accipiebant à populo, & acceptas reddere, & vltra non accipere consenserunt. Nehem. 5

Tobias in captiuitate positus pergebat ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Tob. 1. Idem bene prædicauit filio suo. Tob. 4. & 14.

Bene cessit Tobiæ, quia Raphael quem hominem putabat, consiliis acquieuit, specialiter in exenteratione piscis, & petendo vxorem, & in modo se habendi cum ea. Tob. 6.

Parentes Sarræ vxoris Tobiæ iunioris monuerunt eam honorare socrum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. 9.

Iudith bonam exhortationem dedit populo arguens, quod indiscrete ordinatum erat, & docens quid faciendum esset, Iudith 8.

Efficaciter persuasit Mardochæus Esther, vt etiam cum periculo suo ingrederetur ad regem precatura pro salute gentis suæ. Esther 4.

Post ostensam Isaiæ mirabilē visionem dixit ipse Propheta: Væ mihi, quia tacui, &cet. & postea cum labia sua per calculum de altari sumptum vidisset, fuisse mundata, dixit Domino quærenti, quem mitteret ad populum: Ecce mitte me, &c. Isa 6.

Dixit Dominus. Isa. 15. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.

Hieremias primo se excusauit à prędicationis officio, postea diuinæ voluntati acquieuit. Hiere. 1.

Abdemelech Æthiops dixit Sedecię regi Iuda: Domine mi rex, malefecerunt viri ista omnia quæcunque perpetrauerunt contra Hieremiam prophetam, mittentes eum in lacum: & pręcepit rex ei: Leua Hieremiam de lacu antequam moriatur. Hiere. 38.

Factum est verbum Domini ad Ionam dicens: Surge & vade in Niniue, & prędica in ea prædicationem quam ego loquar ad te, &c. Ion. 1. & 3.

Bonum consilium dedit Daniel Nabuchodonosor regi Babyloni dicens: Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime Dan. 4.

Moriens Mathathias filios suos efficaciter exhortatus est ad agendum viriliter pro lege Dei. 1. Mach. 2.

Iudas Machabæus pugnaturus exhortabatur, & animabat populum suum sermonibus bonis. 1. Mach. 3. & 4. & 2. Mach. 8. & specialiter 15. Vbi dicitur quod singulos armauit non clypei, & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus.

Cum primus illorum septem fratrum in sartagine torreretur, ceteri vna cum matre inuicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus aspiciet veritatem, &c. specialiter ipsa mater mirabilis efficaciter exhortabatur filios. 2. Mach. 7.

Ioannes Baptista multa exhortans euangelizabat populo. Luc. 3. De quibus nonnulla exprimuntur eodem capitulo, & Matth. 3. & Mar. 1. Cuius exhortatio, ita efficax erat, quod non solum multi baptizabantur confitentes peccata sua, sed ipse Herodes Tetrarcha audito eo faciebat multa, & libenter eum audiebat. Mar. 6.

Misit Dominus discipulos dicens: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cœlorum, &c. Matth. 10. Item Marc. 16. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.

Petrus Apostolus in die pentecostes, tam efficaciter prędicauit, quod baptizati sunt circiter tria millia hominum. Act. 2.

Item alia vice similiter ad prædicationem ipsius crediderunt tot, quod factus est numerus virorum quinque millia. Act. 4.

In domo Cornelij prædicante Petro cecidit Spiritus sanctus super eos, qui audiebant verbum, & iussit eos baptizari. Act. 10.

Ministrantibus, ieiunantibus prophetis, & doctoribus, qui erant Antiochiæ dixit Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, &c. Sequitur: Ipsi quidem missi à Spiritu sancto prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudęorum. Act. 13.

Principes Synagogæ, qui erant Antiochiæ, dixerunt Paulo, & Barnabæ: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, &c. Act. 13.

Reuersi sunt Paulus, & Barnabas Lystram & Iconium, & Antiochiam confirmantes animas cum sanctis, exhortantesque vt permanerent in fide. Act. 4.

Factum est Iconij, vt Paulus, & Barnabas introirent in synagogam Iudęorum, & loquerentur, Ita vt crederent Iudæorum, & Græcorū copiosa multitudo. Act. 14.

Visio per noctem Paulo ostensa est, vbi Macedo quidam erat stans, & deprecans, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. vbi subditur: Vt autem visum vidit statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam certi facti, quod vocasset nos Deus Euangelizare eis. Act. 16.

Multi Corinthiorum audientes Paulum prædicantem credebant, & baptizabantur. Dixit autē Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, vt noceat te. Act. 18.

Apollo Iudæus Alexandrinus genere erat edoctus viam Domini: & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu. Act. 18.

Apud Ephesum Paulus intrās synagogam Iudæorum, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. Act. 19.

Quadam die cum in crastinum profecturus protraxisset sermonem vsq; ad mediam noctem, quidam adolescens oppressus somno cecidit de fenestra, & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, & suscitasset eum, rursus ascendit & allocutus est eos vsque ad lucem, & sic profectus est. Act. 20.

Cum Paulus victus coram Agrippa rege, & Festo pręside redderet rationem, Agrippa dixit ei: In modico suades mihi Christianum fieri. Act. 26.

CAPVT XXXIII.

De consiliis & persuasionibus malis.

HEua de ligno vitæ dedit viro suo, qui comedit. Genes. 3. Præsumendum est quod ipsa persuaserat viro, vt comederet.

Domina, cui seruiebat Ioseph, male ipsum sollicitabat ad peccatum. Gen. 39.

Moram faciente Moyse cum Domino in monte, dixit populus ad Aaron: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. quibus suggestionibus populus male acquieuit. Exod. 32.

Balaam docuit Balac, quomodo per mulieres posset filios Israel ad peccatum trahere, & sic contra se Dominum prouocare. Num. 23.

Filij Amon male persuaserunt regi suo, vt dehonestaret nuntios Dauid. 1. Reg. 10.

Ionadab nepos Dauid malum consilium dedit Amnon, vt defloraret sororem suam, de quo postea multa mala euenerunt. 2. Reg. 13. Detestandum & turpe consilium dedit Achitophel Absalom; & tamen erat consilium, quod ille dabat in diebus illis, sicut si quis consuleret Deum. 2 Reg. 16.

Auerterunt mulieres cor Salomonis, & ita deprauatum est per eas, vt sequeretur deos alienos, & coleret eos. 3. Reg. 11.

Ochozias rex Iuda ingressus est per viam domus Achab, quæ scilicet erat pessima; mater enim eius Athalia impulit eum, vt impie ageret. 2. Paralip. 22.

Ædificantibus templum Iudęis post reditum Babyloniæ, hostes eorum scripserunt Artaxerxi, & ipse persuasus ab eis prohibuit opus fieri. 1. Esdr. 4.

Amici Aman audientes eum conquerentē de Mardochæo, qui ei genua non flectebat, responderunt: Iube

parari

parari excelsam trabem & mane dic regi, vt appendatur Mardochæus super eam. Esther 5. Stultum consilium vxor Iob dedit ei. sed ille tanquam prudens, & sanctus homo tali consilio non acquieuit. Iob.2.

Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Isa.19.

Quia Hieremias prophetabat captiuandam esse ciuitatem Hierusalem à Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi Iuda: Rogamus, vt occidatur homo iste qui stulte acquiescens, respondit eis: Ecce ipse in manibus vestris est. non enim fas est regem vobis quidquam negare. Hier.38.

Ad malam suggestionem principum, & satraparum Darius rex Persarum constituit decretum, vt quicumq; peteret aliquid à quocunque domino, vel homine, nisi ab ipso rege, mitteretur in lacum leonum. Dan.6. In diebus Antiochi exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, &c. 1. Mach.1.

Tantum suasit Menelaus Andronico, quod ille occidit Oniam summum sacerdotem. 2. Mach.4.

Cum aduersum Menelaum iudicium agitaretur coram Antiocho. Ptolemæus pecunia corruptus per Menelaum persuasit regi, & eum à sententia deduxit qui Menelaum absoluit, & iustos eius accusatores morte damnauit. 2. Mach.4.

Iniquum consilium dedit Herodias dicens filiæ suæ: Nihil aliud petas, nisi caput Ioannis Baptistæ. Matth.14. & Mar.6.

Proconsul Paulus desiderabat audire verbum Dei quod Paulus, & Barnabas prædicabant, resistebat autem illis Elymas Magus quærens auertere Proconsulem à fide. Act.13.

Cum Paulus, & Barnabas essent in ciuitate Lystriæ, in tanto honore, quod illis tanquam diis homines sacrificare voluerunt; superuenerunt quidam Iudæi, & persuasis turbis lapidantesque Paulum traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum esse mortuum. Act.14.

Occasione cuiusdam puellæ à qua Paulus Spiritum pythonem eiecit, domini illius dolentes de amisso quæstu, tot, & tanta dixerunt magistratibus, quod fecerunt Paulum, & Silam virgis cædi, & in carcerem mitti. Act. 16.

CAPVT XXIX.

De audiendo Verbum Dei.

Aron locutus fuit omnia Verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen, & credidit omnis populus. Audieruntque quod visitasset Dominus populum Israel, & proni adorauerunt. Exod.4.

Dixit Moyses coram Domino: Ecce filii Israel non me audiunt, & quomodo audiet Pharao. Exod.5.

Contẽtus populus dixit Moysi, vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus, & paulo post assumens Moyses volumen fœderis legis audiente populo qui dixerunt: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus. Exod.24.

Eglon rex Moab, sedebat in æstiuo cenaculo, dixitq; ad eum Hahod: Verbum Dei habeo ad te, qui statim surrexit de throno. Prius enim dixerat, Verbum secretum habeo ad te ô rex. Ille autem non se mouit, sed statim cũ addidit verbum Dei, ille de throno surrexit, quasi reuerentiam exhibens verbo Dei: Iudith.3.

Bene docuit Samuelem Heli, vt diceret Domino loquenti sibi: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg 2.

Achab rex Israel nolebat audire Michæam prophetam Domini, quia non prophetabat ei bonum, sed malum. Vocatus tamen Michæas dixit ei: Audi sermonem Domini, &c. 3. Reg.22.

Esdras attulit librũ legis. & legit in eo aperte de mane vsque ad mediam diem, & aures omnes populi erant erectæ ad librum. Et paulo post, flebat omnis populus cũ audiret verba legis. 2. Esdr.8.

Respondens Iob Domino dixit: Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. Iob.42.

Factum est verbum Domini ad Hieremiã: Noli subtrahere verbum, si forte audiant & conuertatur vnusquisque à via sua mala: & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum. Hier. 26.

Dixit Dominus Ezechieli: Vade ad domum Israel & loqueris verba mea ad eos, sequitur: Domus autẽ Israel noluit audire te: quia nolunt audire me. Ezech.3.

Verbum Ionæ peruenit ad regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Ion.3.

Herodes Tetrarcha metuebat Ioannem Baptistam, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libẽter eum audiebat. Matth.6.

Maria soror Marthæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Luc.10. Et audiuit tandem Dominum dicentem: Maria optimam partem elegit, &c.

In fine sermonis in monte dixit Dominus: Omnis qui audit verba mea, & facit ea assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Matth.7.

Cum turbæ irruerent in Dominũ IESVM, vt audirẽt verbũ Dei, sedens de nauicula docebat turbas, & in fine sermonis cum dixisset Simoni: Duc in altum, &c. Petrus cum sociis, subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. Luc.5.

Extollenti vocem mulieri, & dicenti Domino IESV: Beatus venter qui te portauit, & vbera, &c. Dixit Dominus: Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei. Luc. 19.

Instante Dominica passione legitur: Erat docẽs quotidie in templo, & post pauca: Omnis populus suspensus audiens illum. Luc.19.

Duo discipuli Domini euntes in castellum nomine Emmaus, loquẽtes ad inuicem de iis, quæ tempore Dominicæ passionis acciderant, meruerunt habere societatem illius de quo loquebantur. Luc.24.

Facto sermone ad plebem à Petro in die Pentecostes post aduentum Spiritus sancti, dicitur. Act.2.

His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres, & baptizati sunt circiter tria millia hominum.

Post sanationem claudi, & sermonem Petri. Act.3. Sequitur: Multi qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia. Act.4.

Inuocantes duodecim Apostoli multitudinem discipulorum dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis Act 6. Nota tamen quod illæ mensæ erant pauperum viduarum: per quod datur intelligi, quod opus prædicationis verbi Dei præfertur operi misericordiæ corporalis.

Non poterant resistere Iudæi Spiritui qui loquebatur per beatum Stephanum. Act.6.

Philippus descendens in ciuitatem Samariæ prædicabat illis IESVM. Intendebant autem turbæ illis, quæ à Philippo dicebantur audientes vnanimiter, &c. Act.8.

Aperiens Philippus os suum euangelizauit eunucho IESVM, & venientes ad quandam aquam confessus est eunuchus se credere, & ille baptizauit eum. Act.8.

De Saulo quem Dominus IESVS excæcauerat corporaliter, & illuminauit spiritualiter, dixerat ipse in visu Ananiæ: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. Act.9. Ipse namque Paulus gentilibus Græcis, regibus Romanis, & filiis Israel, siue Iudæis prædicauit.

Noluit Dominus Cornelium instruere per Angelum, sed mandauit ei, accerseret Simonem Petrum, & ille doceret eum, quid eum facere oporteret. Act.10.

Loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.

Audientes gentes, quod Iudæi erant repellentes verbum Dei, & quod Paulus & Barnabas volebant prædicare eis gauisæ sunt, & crediderunt quotquot præordinati ad vitam æternam. Act. 8.

Factum est Iconij, vt Paulus & Barnabas ingrederentur synagogas, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorum copiosa multitudo. Act. 13.

Quædam mulier nomine Lydia purpuraria audiuit Paulum loquentem, cuius Dominus aperuit cor, & baptizata est cum domo sua. Act. 16.

Cum audissent Athenienses Paulum loquentem de resurrectione mortuorum, quidam irridebant: quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum, & sic Paulus exiit de medio eorum: quidam vero adhærentes ei crediderunt, inter quos Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Act. 17.

Mansit Paulus Ephesi per biennium quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam, ita vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini. Act. 19.

Veniens Paulus Berœam intrabat synagogam Iudæorum, & quidam susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberet. & multi crediderunt ex eis. Act. 18. Postquam rex Agrippa audierat Paulū, dixit ei, in modico suades mihi Christianum fieri. Act. 26.

CAPVT XXX.

De apparitionibus factis Patribus antiquis.

ANTE peccatum locutus est Dominus ad Adam. Gen. 2. Post peccatum ad Adam & Heuam, & ad serpētem. Cain etiam monuit ante fratricidium, & post dure arguit eum. Gen. 4.

Noë præcepit Dominus, vt faceret arcam. Gen. 6. Deinde vt ingrederetur in eam. Gen. 7. Et post exsiccationem iterum præcepit, vt egrederetur de arca. Gen. 8. Deinde benedixit Dominus Noë & filiis eius, & dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, &c. Gen. 9.

Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Gen. 12. Eodem capitulo apparuit Dominus Abraham, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. & postquam diuisus est Loth ab eo. Gen. 13. Postea 15. cap. Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, &c. Deinde. 17. Apparuit ei Dominus, & dedit ei præceptum circumcisionis. Item 18. cap. Apparuerunt ei tres viri, & ynum adorauit: & tunc audiuit certum tempus nasci turi filij.

Deuenerunt duo Angeli Sodomam sedente Loth in foribus ciuitatis, qui cum vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis &c. Gen 19.

Venit Deus ad Abimelech per somnium. & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti. habet enim virum, &c. Gen. 20.

Cum dure accepisset Abraham verba Saræ conquerentis de ancilla, & filio eius dixit ei Deus: Non tibi videatur asperum super puero, &c. Gen. 21.

Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filiū tuum, &c. Et post: Cum extendisset manum, vt immolaret filium, ecce Angelus Domini, &c. Gen. 22.

Apparuit etiam Dominus Isaac. Gē. 25. Et Iacob multotiens eunti ad Laban. Gen. 28. Et redeunti. Gen. 31. vbi etiam dixit Laban in somnis: Caue ne quidquam aspere loquaris contra Iacob. & post locutus est Dominus Iacob pluries.

Quoties autem apparuerit Moysi, & locutus fuerit ei, nimis esset longum dicere Exod. 3. Et deinceps.

Legitur quoque Dominus locutus fuisse Balaam dormienti. Num. 22. Et ibidem sedenti super asinam quæ vidit Angelum Domini, quem dominus eius Balaam non videbat.

Pluries etiam locutus est Dominus ad Iosue, sicut apparet Iosue. 1. 4. 5. 6. 8. & 20.

Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominū dicentes: Quis ascendet ante nos, dixitque Dominus, Iudas ascendet. Iudic. 1. Item 2. Ascendit Angelus Domini ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, &c.

Venit Angelus Domini, apparuit Gedeon, & ait: Dominus tecum, &c. Iud. 6.

Apparuit Angelus Domini vxori Manue, &c. Iud. 13. Et apparuit alia vice Manue, & eius vxori pariter eodem capitulo.

Filii Israel congregati, vt pugnarent contra filios Beniamin consuluerunt Dominum, quibus ait Dominus quod Iudas esset dux exercitus, &c. Iud. 20. Licet autem bis fuerint debellati, tamen dixit eis Dominus quod pugnarent.

Vocauit Dominus Samuelem quater: tandem ait Samuel iuxta cōsilium quod dederat ei Heli, Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg. 3. Et sequitur in fine capituli: Addidit Dominus, vt appareret in Silo.

Quando Dauid solebat committere prælium frequēter consulebat Dominum, qui semper legitur, ei respondisse, vt patet. 1. & 2. Reg. in multis locis.

Apparuit Dominus Salomoni dicens: Postula quod vis, &c. 3 Reg. 3.

Iterum cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & regum apparuit ei Dominus, & dixit ad eum, exaudiui orationem tuam, &c. 3. Reg. 9. tertio loquutus est ei increpans eum dure propter scelera ab eo commissa. 3. Reg. 11.

Eliæ fugienti à facie Iezabel apparuit Angelus Domini, qui ei panem & aquam obtulit. Deinde Dominus in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19.

Eliseo ab exercitu Syrorum circumdato apparuerunt multi Angeli defendentes eum, quos etiam puer eius vidit ad similitudinem equorum, & curruum igneorum. 4. Reg. 6.

Longo tempore durauit apparitio Raphaelis Angeli, quem Dominus misit ad curandam Saram, & Tobiam. Tob. 5. & deinceps.

Multas mirabiles viderunt visiones diuersi prophetæ Isa. 6. Hier. 1. De virga vigilante, & olla succensa. Item 24. de duobus calathis ficubus plenis, præcipue vero Ezechiel Daniel, Amos, Zacharias, pleni sunt imaginibus visibilibus, quas exprimere longum esset.

Volente Heliodoro spoliare templum, & deposita asportare, apparuit quidam equus terribilē habens sessorem, &c. 2. Mach. 3.

Cum vehemens pugna esset inter Timotheum, & Iudam Machabæum, apparuerunt de cælo quinque viri equis, & frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes. E quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conseruabant. 2. Mach. 10.

Euntibus ad prælium Iudæis contra exercitum magnum Lysiæ, Machabæo duce apparuit eques præcedens eos in veste candida, armis aureis hastam vibrans. 2. Machab. 11.

Cum sacerdotio fungeretur Zacharias pater Ioannis Baptistæ, apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Luc. 1.

Missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam, &c. Luc. 1.

Angelus Domini legitur ter apparuisse Ioseph. Primo cum esset adhuc Dominus in matris vtero. Matt. 1. Secundo cum natus ex vtero. Tertio cum adhuc esset in Ægypto. Matth. 2.

Super Dominum in baptismo Spiritus sanctus in columbæ specie visus est, paterna vox audita est: Hic est filius meus dilectus. Matth. 3. & Luc. 3.

Item

Item in transfiguratione apparuerunt Moyses,& Elias cum Domino loquentes, & vox de cælo facta est, &c. Matth.16.Luc 9.

Resurgēte Domino nostro IESV CHRISTO multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumētis venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerant multis.Matth.27.

Surgens IESVS mane prima sabbathi, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, post hoc duobus discipulis euntibus in villam. nouissimo recumbentibus vndecim apparuit,& exprobrauit incredulitatem illorum.Mar.16.

Post passionem Dominus IESVS CHRISTVS præbuit seipsum viuum discipulis suis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis,& loquens de regno Dei &c. Cumque intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, &c, Act.1.

Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter,& apparuerunt illis dispertitæ linguę tanquam ignis.&c.Act.2.

Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in cælum vidit gloriam Dei, & ait: Ecce video cælos apertos,& filium hominis stantem à dextris Dei, Act.7.

Cum appropinquaret Saulus Damasco, vt caperet Christianos,subito circumfulsit eum lux de cælo,& audiuit Dominum IESVM Nazarenum dicentem sibi.Saule,Saule:quid me persequeris? Et consequenter apparuit Dominus Ananiæ.Act.9.

Cornelius Centurio vir religiosus, & timens Deum vidit manifeste,quasi hora nona diei Angelum Domini dicentem sibi: Corneli mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem Petrum:hic dicet tibi quid te oporteat facere Act.10.

Orante Petro, & esuriente cecidit super eum mentis excessus,& vidit cęlum apertū,& descendens vas quoddam velut linteum in quo erant omnia quadrupedia,& serpentia & volatilia cæli,&c.Act.9.

Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris, in quo erat Petrus dormiens vinctus catenis duabus,percussoque latere Petri, &c.Act.12.

Cum Paulus, & Silas transirent Mysiam descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est, vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Act.16.

Multi Corinthiorum audientes Paulum credebant, & baptizabantur. Dixit autem nocte per visionem Dominus Paulo:Noli timere,sed loquere,& ne taceas propter quod ego tecum sum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te.Act 18.

Quadam nocte Dominus assistens Paulo ait ei:Constans esto Paule. sicut enim testificatus es de me in Hierusalem,& sic Romæ te oportet testificari.Act.23.

Consolari volens Paulus socios tempore tempestatis, suasit eis bono animo esse dicens: Astitit mihi hac nocte Angelus Domini, cui deseruio dicens:Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donauit Deus tibi omnes qui in naui sunt tecum.Act.27.

Beatus Ioannes Apostolus & Euangelista exilio relegatus in Pathmos insula vidit Christum in medio septem candelabrorum.Apoc.1. Et mirabilibus reuelationibus totus liber plenus est.

CAPVT XXXI.

De Angelis bonis.

ANGELI apparuerunt Abrahæ, & erga eum se familiariter habuerunt.Gen.18.

Apud Loth hospitati fuerunt Angeli,& quasi piam ei violentia faciētes ipsum de periculo extraxerūt. Gen.19.

Angelus Domini vocauit Abraham, & prohibuit ei ne filium immolaret, & magna ei propter obedientiam promisit.Gen.22.

Fugiens Iacob Esau fratrem suum, vidit Angelos descendentes,& ascendentes per scalam. Gen.28.

Redeunte Iacob à seruitio Laban ad Isaac patrem suū Angeli obuiauerunt ad eum scilicet protegendum, & consolandum.Gen.31.

Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, quando recedebat populus de Ægypto, stetit inter castra Ægyptiorum,& castra Israel, Exod.14.

Nota illud Exod.23.Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te,& custodiat te in via, & introducat in locū quem paraui,&c. Stetit Angelus Domini in via contra Balaam qui sedebat asinæ,&c.Num.22.Angelus Domini increpauit filios Israel, qui iunxerant amicitias cum habitatoribus terræ Chanaan memorans beneficia eis collata.Iudic.2.

Apparens Gedeon Angelus Domini confortauit eū, & animauit ad liberationem populi. Iudic.6.

Vxori Manue sterili apparuit Angelus conceptionem filii prædicens,& abstinentiam indicens. Iud.13.

Numerato populo aduersus mandatum Domini, immisit Dominus pestilentiam in Israel. Cumque extēdisset manum suam Angelus Domini super Hierusalem, vt disperderet eam, vidit Dauid Angelum cædentem populum,& ait:Ego sum qui peccaui.2.Reg.24.

Fugientem Eliam Iezabel tyrannizantem reginam Angelus Domini confortauit, & sobrio eum cibo refecit.3.Reg.9.

Angelus Domini reuelauit Eliæ, quid responderet nūtiis Ochoziæ.4. Reg.1.

Plures Angeli boni erant cum Eliseo ad eum defendendum, quam cum aduersariis essent mali homines ad nocendum.4 Reg 6.

Venit Angelus Domini, & percussit in vna nocte centum octoginta quinque millia hominum de exercitu regis Assyriorum.4.Reg.19.

Raphael Angelus, qui fuit dux Tobiæ ipsum à deuoratione piscis eripuit, vxorem eius à dæmonio liberauit, patri cæco visum restituit, & per eum tam parentes, quā socii fuerunt multiplici consolatione repleti. Tob 5. Et deinceps.

Viuit Dominus, ait Iudith, quoniam custodiuit me Angelus eius,& hinc euntem, commorantemque ibi,& inde huc reuertentem, &c.Iud 13.

Volauit ad Isaiam vnus de Seraphin, & mundauit eū calculo quem forcipe tulerat de altari.Isa.6.

Angelus Domini descēdit cum Azaria, & sociis eius in fornacem,&c.Dan.3.

Daniel in lacu leonum existens, dixit Dario regi ad ipsum venienti:Deus meus misit Angelum suum,& conclūsit ora leonum.Dan.6. Postmodum Angelus Habacuc prophetam de Iudæa transtulit in Chaldæam, vt ferret prandium Danieli.Dan.14.

Reuelata sunt Danieli multa mysteria, & magna per ministerium Angelorum.Dan.9.10.11.12.

Iudas Machabæus,& qui cum eo erant, rogabant Dominum, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. sequitur: Apparuit præcedens eos eques in veste candida,&c.2.Macch.11.

Ad annuntiandum conceptionem beati Ioannis Baptistæ, apparuit Angelus Domini Gabriel Zachariæ, Luc.1.

Item ad annuntiandum conceptionem Saluatoris, missus est à Deo idem Angelus in ciuitatē Galilææ, &c. Luc.1.

Rursus etiam nato Domino Angelus Domini stetit iuxta pastores. sequitur: Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus laudantium Deum,&c.Luc 2.

Angelus Domini legitur ter apparuisse Ioseph, & ei locutus esse. primo ante Natiuitatē. Matth.1. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Secundo post adorationem Magorum Matth.2. Surge,& accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Tertio post mortem Herodis Matth.2. Accipe puerum,& matrem eius, & vade in terram Israel.

Post recessum tentatoris legitur Matth.4. Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Item post cenam in oratione. Luc. 22. Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. Item in eius Resurrectione. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 23. Ioan. 20. Angelus Domini descendit de cælo, &c. Item in eius Ascensione. Act. 1. Ecce duo viri astiterunt, &c.

Princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite, & loquimini in templo plebi. Act. 5.

Angelus Domini dixit ad Philippum: Surge, & vade contra meridianum, & tunc iuit ille, & inuenit eunuchum, & conuertit eum ad fidem. Act. 8.

Cornelius Centurio vir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua vidit manifeste, quasi hora nona diei, Angelum Dei dicentem sibi Corneli, &c. Act. 10.

Dormiente Petro in Herodis carcere, Angelus Domini de nocte astitit, & lumē refulsit in habitaculo, percussoque latere eius excitauit eum, &c. Act. 12.

Herodes rex vestitus veste regali, sedebat pro tribunali. populus autem acclamabat voces Dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expirauit. Act. 12.

Grauissimæ tempestatis tempore Paulus volens socios confortare dixit: Astitit mihi hac nocte Angelus Dei dicens: Ne timeas Paule, &c. Act. 27.

Significauit Deus, quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum seruo suo Ioanni, &c. Apocal. 1. Totusq; liber ille plenus est Angelicis reuelationibus.

CAPVT XXXII.

De spiritibus malis.

SPiritus mali dicuntur esse Dei: quia sunt in potestate Dei, & per eum tantum possunt, quidquid possunt. 1. Reg. 17. Spiritus Dei malus exagitat te, dictum est Sauli.

Dæmon occidit septem viros Saræ filiæ Raguelis, sed fuit eiectus per boni Angeli Raphaelis aduentum. Tob. 3. & 8.

Super animalia Iob, & domum vbi filii ipsius comedebant, & super corpus ipsius Iob satan potuit tantum, quantum diuina prouidentia permittebat. Iob. 1. & 2

Spiritus malus fecit hominem sæuum, & crudelem. Matth. 8.

Item facit hominem immundum. Nam illi duo dæmoniaci sæui nimis habitabant in monumentis, & dæmones petierunt intrare porcos, non agnos. Matthæi. 8. Luc. 8.

Item vnus illorum, famosior scilicet vestimento non induebatur, neque in domo habitabat, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

Item dæmonium facit hominem cæcum, & mutum. Matth. 12. & Luc. 11.

Item cum eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus & arescit, & frequenter eum in ignē, & aquam mittit, vt eum perdat. Matth. 9. Luc. 9.

Laudes malignorum Spirituum, licet veras Dominus recusabat. Matth. 1. Obmutesce. & exi ab eo. Luc, 4. Itē Luc 4. Increpans non sinebat ea loqui, &c.

Potestatem dæmoniorum paruam esse ex hoc patet, quia nec in porcos potuerunt intrare, nisi petita à Christo licentia, & obtenta. Matt. 8 Luc 8.

Prohibuit Dominus, ne gauderent discipuli, si Spiritus maligni subiiciebantur eis. Luc. 10.

Puella quædam habens Spiritum pythonem clamabat multis diebus post Paulum, & socios eius. dolens autem Paulus conuersus ad Spiritum ait: Præcipio tibi in nomine Domini nostri IESV CHRISTI exire ab ea. & exiuit eadem hora, non enim curabat Paulus doctrinam veritatis confirmari per Spiritum falsitatis. Act. 16.

Quidam Iudæi tentauerunt inuocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini IESV dicentes: Adiuro vos per IESVM, quem Paulus prædicat. respondens autem Spiritus nequam dixit: IESVM noui, & Paulum scio: vos autem qui estis? Et exiliēs homo, in quo erat dæmonium pessimum, dominatus est eorum, & inualuit contra illos, ita vt nudi, & vulnerati recederent de domo illa. Act. 19.

CAPVT XXXIII.

De immortalitate rationalis animæ.

PEr hoc quod dicitur Gen. 25. de Abraham, Congregatus est ad populum suum: innuitur quod in alio sæculo haberet populum, scilicet homines qui bene vixerant, sicut ipse. Simile habetur de Isaac: Appositus est populo suo. Gen. 35. Et de Iacob. Gen. 50.

Cum crederet Iacob mortuum esse Ioseph, Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum. Gen. 37. Vnde credebat eum ibi esse secundum Spiritum.

Fratres Ioseph volentes dicere, quod vnus fratrum suorum mortuus esset, dicebāt. Gen. 42. Duodecim fratres sumus filii vnius viri. sumus, inquiunt, non fuimus quasi esset adhuc ille, qui mortuus putabatur: minimus cum patre nostro est, alius non est super, sed subtus.

Apparens Dominus Moysi in rubo dixit; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Exod. 3. Per hoc probat Saluator noster Matth. 22. resurrectionem mortuorum. Non est, inquit, Deus mortuorum, sed viuentium.

De Core, & complicibus eius dicitur. Num. 16. Descenderunt viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Per hoc patet quod in inferno viuebant secundum animas.

Si Saul credidisset, Samuelem penitus quantum ad animam extinctum fuisse, non petiuisset sibi ipsum suscitari. 1. Reg. 28.

Mirantibus seruis Dauid, quod ipse pro mortuo paruulo non ploraret, dixit. 2. Reg. 12. Ego vadam ad eum, ille vero non reuertetur ad me.

Cum suspensus, & tribus lanceis confossus Absalon interiisset, Dauid lacrymabiliter planxit eum. 2. Reg. 18. Et, vt ait Augustinus tertio de doctrina Christiana, Non orbitatem filii doluit, sed quia nouerat, in quas pœnas, tam impie adultera, & parricidalis anima raperetur. namque alio prius filio, qui innocens erat pro quo ægrotante affligebatur, mortuo lætatus est 2. Reg. 12.

Orauit Elias pro suscitatione filii hospitæ suæ dicens: Domine Deus meus, reuertatur quæso anima pueri huius in viscera eius. 3. Reg 17.

Frequenter legitur in libris Regum: Dormiuit cū patribus suis. quod quidem nullatenus de brutis animalibus potest dici. Vnde probatur eos viuere post mortem, & postea resurrecturos esse, sicut in dormiente apparet.

Ex verbis quę dixit Tobias, increpans stultitiam propinquorum, patet manifeste, quod anima viuat post separationem à corpore. Filii, inquit, sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tob. 2. Idem in oratione postea dixit: Domine secundum voluntatē tuam fac mecum, & præcipe, in pace recipi spiritum meum. Tim. 3.

Addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob duplicia. Iob. 42. tamen non dedit nisi septem filios, & tres filias, sicut prius: vt ii, qui iam extincti fuerant, viuere demonstrentur, secundum Gregorium moral. vlt.

Greg. li. 35. Moral. c. 11. in prin.

Valde expresse dicit Salomon in fine Ecclesiastici: Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Ex verbis illis, quæ dicunt damnati in inferno, ostenduntur tam boni, quam mali viuere in futuro sæculo. Sap. 5. Talia dixerunt in inferno ij, qui peccauerunt, &c.

De Nabuchodonosor rege Babylonis dicitur secundum litteralem sensum illud Isa. 14. Ex quo dormisti in monte scilicet, non ascendit qui succidat nos. sequitur: Detracta est ad inferos superbia tua. & plura ponuntur ibi postea, per quæ patet illum non penitus interisse, sed ad infernum in anima descẽdisse. Dũ suaderetur Eleazaro, vt simularet se de carnibus sacrificij comedisse, dixit: Et si in præsenti tempore à suppliciis hominum eripiar: sed manum omnipotentis neque viuens, neque defunctus effugiam. 2. Machab. 6.

Vnus illorum septem fratrum dixit: E cælo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Similiter ex verbis matris, & aliorum planum est, quod quantum ad animam non se perire credebant. 2. Mach. 7.

Razias complexus intestina sua proiecit se super turbas inuocans dominatorem vitæ, & spiritus vt hæc illi iterum redderet: 2. Mach. 14.

Monens & muniens discipulos quos mittebat Saluator ait. Matth. 10. Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. & post: Timete eũ qui postquam occiderit, &c.

Nota quod in eo, quod narrat Dominus. Luc. 16. De diuite & Lazaro non præmittitur parabola, vel similitudo aliqua: vnde videtur fuisse historia manifesta, & sic apparet esse siue malorum, siue bonorum animas immortales, & recipere post separationem à corpore prout in corpore meruerunt.

Exemplo villici iniquitatis, qui fecit amicos de bonis domini sui, idem ostendit Dominus, dicens: Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, quod nihil esset dictu, si anima post separationem à corpore, seu post mortem corporis nullum haberet receptaculum.

Deuotam & rectam fidem habebat de anima beatus Stephanus, qui cum lapidaretur dicebat: Domine IESV accipe spiritum meum. Act. 7.

Ex verbis doctoris egregii. 2. Cor. 5. Animam viuere post separationem à corpore manifeste apparet. Scimus, inquit, quoniam si terrestris domus nostra dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis. Idem Philip. 1. Desiderium habens dissolui, & cum Christo esse. Idem Rom. 7. Infelix homo ego, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et certe talia non diceret, nisi de vita alia certus esset.

CAPVT XXXIIII.

De fide quam debet homo habere ad Deum.

CRedidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Gen. 15. Nota quod credidit Deo promittenti rem valde difficilem.

Transito Mari rubro, & exercitu Pharaonis submerso timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius. Exod. 14.

Vsq; ad aquas cõtradictionis fideliter credidit Moyses cunctis verbis Domini, sed ibi aliqualiter hæsitauit. Num. 20.

Dicit Ionathas armigero suo: Non est difficile saluare, vel in multis, vel in paucis. 1. Reg. 14. Magnæ fidei verbum fuit.

Pugnaturus Dauid contra Goliath Gethæum, dixit 1. Reg. 17. Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini, &c.

Magnæ fidei verbum dixit Asa. 2. Paralip. 14. Domine non est apud te vlla distantia vtrum in paucis auxilieris aut in pluribus, &c.

Dixit Iosaphat rex Iuda exercitui suo ad pugnam cõgregato: Credite in Domino Deo nostro: & securi eritis credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera. 2 Paralip. 20.

Esdras venturus in Hierusalem per magnam viam, & periculosam noluit petere cõductum à rege, sed ad ieiunium, & orationem confugit. 1. Esdr 8.

Videns Nehemias tot imminere pericula, & labores ædificantibus dixit: Deus noster pugnabit pro nobis, & nos ipsi faciamus opus. Nehem. 4.

Maximæ fidei verbum dixerunt socii Danielis regi Nabuchodonosor: Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis, & de manu tua nos liberare, quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod Deos tuos nõ colimus. Dan. 3.

Dixit Iudas Machabæus sociis timentibus: Facile est concludi multos in manus paucorum, & non est differentia in cõspectu Dei liberare, aut in multis, aut in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est. 1. Mach. 3.

Ex abundanti fide mentis procedebant verba illorũ septem fratrum, & matris ipsorum. 2. Mach. 7.

Zachariæ patri beati Ioannis Baptistæ dixit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis. Luc. 1.

Elisabeth repleta Spiritu sancto beatam Virginem à fide specialiter commendauit, Luc. 1. Beata quæ credidisti.

Mira fides in illis tribus Magis fuisse probatur, qui in Bethlehem ab Oriẽte venerunt, & inuenientes puerum cum paupercula matre sua ipsum humiliter, & adorauerunt, & mysticas ei munerum species obtulerunt. Matth. 2.

Merito commendatur à Domino fides Centurionis, qui dixit: Domine non sum dignus vt intres sub &c Sequitur, Non inueni tantam fidem in Israel. Matth 8.

Multum potest valere cuilibet fides propria, si tantum paralytico valuit aliena, de quo. Matth. 9. & Luc. 5.

Videns IESVS fidem illorum, dixit: Confide fili remittuntur tibi peccata tua, & statim integraliter sanauit eum.

Mulier fluxum sanguinis patiens dicebat intra se: Si tetigero tantum vestimẽtum eius, salua ero & sequitur: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Matth 9.

Non fecit Dominus IESVS virtutes multas in patria sua propter incredulitatem illorum. Matth. 13.

Quando Petrus ambulans super aquas cœpit mergi, arguit eum Dominus de defectu fidei dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti. Matth. 14.

Commendatur à Domino mulier Chananæa, cum dixit: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut tu vis. Matt. 15.

Magnæ fidei verbum dixit Petrus Domino interroganti, quid homines dicerent de eo. Tu es, inquit, Christus Filius Dei viui. Matth. 16.

Mira fuit fides Mariæ Magdalenæ. Luc 7. Idcirco iuste à Domino audire meruit: Fides tua te saluam fecit. Luc. 7.

Credens iam pater pueri lunatici humiliter sibi fidem augeri petebat, & cum lachrymis aiebat: Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam, Matth. 9.

Thomæ Dominus dixit: Infer digitum tuum huc, &c. Et noli esse incredulus, sed fidelis, quia vidisti me, credidisti. Beati, &c. Ioan. 20.

Die Pentecostes, in prima prædicatione Petri post receptionem Spiritus sancti, circiter tria millia hominum crediderunt. Act. 2.

Cum sanatus esset claudus, Petrus allocutus est mirantem & stupentem populum: Multi autem qui audierunt verbum crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia. Act. 14. Elegerunt Apostoli Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, &c. Act. 6.

Cum Samaritani multi credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine IESV Christi baptizabantur. Tunc etiam Simon Magus credidit. Act. 8.

Eunuchus ait Philippo: Ecce aqua quis me prohibet baptizari, dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. & respondens Eunuchus, ait: Credo Dei filium esse IESVM Christum: & tunc Philippus baptizauit eum, Act. 8.

Saulus, & Cornelius modo vario, sed vtroque ædificatorio, & consolatorio ad fidem Christi fuerunt adducti. Act. 9. & 10.

Quidam Cyprii, & Cyrenæi cum introissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominũ Iesum, multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum. Act. 11.

Proconsul Paulus videns quod ad verbum Pauli Apostoli excæcatus fuit Elymas magus, qui resistebat ei, credidit admirans super Doctrina Domini. Act. 13.

Paulo, & Barnaba dicentibus Iudæis: Vobis oportebat primum loqui, &c. Ecce conuertimur ad Gentes: audientes gauisi sunt, & glorificabant verbum Domini & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Act. 13.

Quidam vir de ciuitate Lystris, qui nunquam ambulauerat, audiuit Paulum loquentem. Paulus autem videns, quia fidem haberet vt saluus fieret, dixit ei: Surge super pedes tuos rectus Et exiliuit. & ambulabat. Act. 14.

Factum est autem Iconii, vt Paulus & Barnabas simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum, & Græcorum copiosa multitudo. Act. 12.

Transeuntibus Paulo, & Barnaba per diuersas ciuitates Ecclesiæ confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. Act 16.

Custos carceris in quo detinebatur Paulus, & Silas videns terræmotum fieri, & carcerem aperiri: tremefactus procidit ad pedes eorum dicẽs: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris. Act. 16.

Cum Paulus disputasset Athenis contra idololatriã, quidam viri adhærentes ei, crediderũt. in quibus & Dionysius Areopagita, & multi alii. Act. 17.

CAPVT XXXV.

De fidelitate homini seruanda.

SEruus Abrahæ Eliezer fideliter egit nuntium à domino suo sibi commissum, quando iuit pro Rebecca ad domum Bathuelis. Gen. 24.

Fideliter seruiuit Iacob, auunculo suo Laban, quando gregem ipsius pascendo die noctuque igne vrebatur & gelu, &c. Gen. 31.

Ioseph erga dominum suum fideliter se habuit, qui vxorem eius tangere noluit. Gen. 39. Item erga Pharaonem in consilio, quod ei dedit, & in ministerio quod ei exhibuit. Genes. 41.

Rahab meretrix fideliter egit cum exploratoribus. quos miserat Iosue. 2. Et ipse Iosue egit postea fideliter cum eadem. Iosue 6.

Quamuis Gabaonitæ fefellissent Iosue, & filios Israel, tamen iuramenta & pacta eis seruauerunt, & eos postea contra hostes fideliter adiuuerunt. Iosue 9. & 10.

Fideliter indicauit Dauid Ionathas iram patris sui, & ipsum quantum potuit excusauit, & posteà confortauit. 1. Reg. 20.

Occiso patre Abiathar occasione Dauid dixit ei ipse Dauid: Ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meã, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis. 1. Reg. 22.

Noluit Dauid percutere Dominum suum, licet malum & persequentem eum. Cum tamen si voluisset, bis eum occidere potuisset. 1. Reg. 24 & 26.

Magnum fidelitatis signum fuit, licet indiscretè egerit armiger Saul, quando videns dominum suum esse mortuum, noluit vltra viuere, sed irruit super gladium suum, & mortuus est cum eo. quid ergo debemus facere pro Domino crucifixo 1. Reg. 31.

Viri Iabes Galaad fideliter se habuerunt ad Saul Dominum suum licet malum, reuerenter sepelientes eum 1. Reg. 31.

Vrias Hethæus nolebat esse in deliciis, quamdiu Ioab dominus suus laborabat in exercitu. 2. Reg. 11.

Instãte captione ciuitatis Rabbath, quamdiu obsederat Iob misit ad Dauid, vt veniret, & illam caperet, vt domino suo, nõ sibi honor victoriæ deferretur. 2. Reg. 12.

Cum fugeret Dauid à facie Absolom, dixit illi Ethai: Viuit Dominus. & viuit dominus meus rex: quoniam in quocunque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus. 2. Reg. 15.

Noluerunt viri Dauid, quod ipse exiret cum eis ad prælium dicentes: Tu vnus pro decem millibus putaris in quo apparuit, quod fideliter diligebant eum. 2. Reg. 18 Item 21. Iurauerunt dicentes: Iam non egredieris nobiscum ad prælium, ne extinguas lucernam Israel.

Separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri, viri autem Iuda adhæserunt regi suo, tanquam fideles, scilicet & constãtes. 2. Reg. 20.

Tres viri robustissimi fideliter defenderant Dauid pugnantem contra Philistiim, & attulerunt ei de aqua cisternæ Betlehem, quam cum desiderio magno petierat. 1 Paralip. 11.

Valde fideliter egit Ioiada pontifex cum Ioas filio Ioram regis Iuda. 4. Reg. 11. licet male recognouerit postea. 2. Paralip. 24.

Onias summus pontifex, & alij sacerdotes laborauerunt fideliter viduarum, ac pupillorum deposita custodire. 2. Machab 3.

Commendat Dominus fidelitatem seruorum, qui multiplicauerunt talenta sibi tradita. Matth. 25. Luc. 19.

Cum multa fidelitate, & discretione procurabat Paulus fieri collectas pro necessitatibus pauperum de Iudæa 1. Cor. 16. 2. Cor. 9.

Fideles, & affectuosas litteras misit Paulus Philemoni, pro Onesimo seruo eius fugitiuo.

Discretum, & fidele consilium dederunt Paulo, quidam de Asiæ principibus rogantes eum, ne se daret in theatrum. Act. 19.

CAPVT XXXVI.

De contemplatione, & mentis illustratione

POstquam exiuit Abraham de Vr Chaldæorum crebro apparuit ei Dominus, & eum diuersis reuelationibus visitauit. Gen. 12. 13. 15. 18.

Apparuit Dominus Abrahæ in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso posteriore diei, &c. Totum potest exponi de viro contemplatio. Gen. 18.

Habitabat Isaac in terra australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro. relicta enim familia in domo, meditationi vacare voluit. Gen. 24.

Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola, Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Gen. 25.

Egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumq; venisset ad quendam locum. & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram, &c. Gen. 28.

Cum mane surrexisset Iacob transiuit vadum Iaboc. Traductisq; omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo, &c. Gen. 32.

Moyses

Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian, cumq; minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis, &c. Exod. 3.

A

Videns Iethro Moysen occupatum iudicando populum expectantem à mane vsque ad vesperam, dixit ei: Stulto labore consumeris & tu, & populus iste qui tecũ est. Esto tu populo in his, &c. Exod. 18.

Descendit Dominus super montẽ Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius, &c. ibi reuelauit ei Deus præcepta, iudicia, & cærimonias, quæ populum docere debebat. Exod. 19.

Loquebatur Dominus ad Moysen, facie ad faciem: sicut solet loqui amicus ad amicum suum. Exod. 32. Et sequenti capitulo: Fuit Moyses cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit.

B

Dixit Dominus ad Moysen: Ascende in montem istũ Abarim, & contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israel. Num. 27.

Samuel dormiebat in templo Domini, & vocauit Dominus Samuelem, &c. 1. Reg. 3.

Cum sedisset Rex Dauid in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis inimicis suis, dixit ad Nathan Prophetam: Vides quod ego habitem in domo cedrina, &c. 2. Reg. 7.

Eliæ fugienti à facie Iezabel, ostensum est quod Dominus non erat in spiritu grandi, nec in commotione, nec in igne; sed in sibilo auræ tenuis. 4. Reg. 9.

Per similitudines rerum corporalium debet anima ferri in Deum, in quo incomparabiliter melius inuenitur, quicquid delectabile in creatura videtur. Vnde cum caneret psaltes coram Eliseo, facta est super eum manus Domini. 4. Reg. 3.

C

Quando Eliseus attente voluit orare pro mortuo filio Sunamitidis, non fecit hoc coram aliis, sed clausit ostium, &c. 4. Reg. 4.

Sara filia Raguelis audito graui improperio ab vna de ancillis suis, perrexit in superius cubiculum domus suæ, & tribus diebus & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Dominum. Thr. 3.

Videns Iudith populum suũ in arcto positum ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se clamauit ad Dominum. Iud. 9.

D

Hester regina confugit ad Dominum pauens periculum quod imminebat, cumq; deposuisset vestes regias, fletibus & luctui indumenta apta suscepit, & deprecabatur Dominum, dicens: Domine mi qui rex noster es solus, adiuua me solitariam. Hest. 14.

Post turbationes & tribulationes quas sustinebat Dauid, dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam: & subdit modum acquirendi huiusmodi pennas & requiem: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, &c. Ps. 54.

Cum esset Ezechiel in medio captiuorum facta est super eum manus Domini; & vidit, quod ventus turbinis veniebat ab Aquilone, &c. Ezech. 1.

E

Audiens Daniel crudelem sententiam contra sapientes Babylonis datam, ingressus est in domum suam, & de nocte per visionem mysterium reuelatum est ei. Danielis 2.

Dixit Angelus Gabriel ad Danielem miro feruore orantem: Egressus sum, vt docerem te, & intelligeres, quia vir desideriorum es, &c. Dan. 9.

Super custodiam meam stabo, ait Habacuc, & figam gradum meum super munitione, & contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. Habac. 2.

Dimissa turba ascendit Dominus in montem solus orare, vespere autem facto solus erat ibi. In quo exemplum dedit turbas fugiendi, & solitudinem quærendi. Matth. 14.

Ingressus est Zacharias templum Domini, vt incensum poneret, & omnis multitudo populi erat orans foris, & tunc apparuit ei Angelus Domini. Luc. 1.

Martha circa ministerium sollicita & turbata erat. Maria autem sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Et est notabile valde, quod tam pio & deuoto ministerio Marthæ præfertur quies, & audientia diuini verbi Mariæ. Luc. 10.

Videns Iesus Mariam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes infremuit spiritu, & lacrymatus est, quod nequaquam fecerat, quando locuta fuerat ei Martha. Io. 11.

Miro & ineffabili modo fuerunt discipuli Domini docti, & illustrati in aduentu Spiritus sancti. Act. 2.

Postquam lux de cœlo Saulum circumfulsit, & ipse cadens in terram excæcatus fuit, deinde per triduum ieiunans, & orans excellentes reuelationes habuit à Christo. Act. 9.

Cum hospitaretur Petrus in domo Simonis Coriarii ascendit in superiora domus, vt oraret ad hoc scilicet, vt posset ibi vacare quietius à turba inferius existẽte remotus, & tunc reuelauit ei Dominus in mentis excessu, quod gentiles non erant repellendi à prædicatione Euangelii. Act. 10.

Raptus fuit Paulus vsque ad tertium cœlum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui; altissima vero eius sapientia apparet in epistolis suis, præcipue autem Rom. 1. 9. 10. & 11. Item Ephes. 1. & 2. Item Col. 1. 2. Item Heb. 1.

Beato Iohanni sequestrato à tumultu & consolatione mundi, quando scilicet in insula Pathmos exulauit, reuelauit Dominus secreta cœlestia. Apoc. 1. 2. deinceps per totum.

CAPVT XXXVII.

De spe & longanimitate.

MVLTIS annis expectauit Abraham antequam haberet filium de Sara, quia iam centenarius erat quando natus est Isaac. Gen. 21. Item à promissione primo facta Abrahæ vsque ad ingressum seminis sui in terram promissionis fluxerunt anni plusquã quadringenti quadraginta.

Permisit Dominus filios Israel flagellari in Ægypto longo tempore & affligi, & præterea per desertum tentari, quadraginta annis antequam venirent ad terram patribus repromissam, sicut apparet in libro Exod. & Num. quasi per totum.

Filii Israel contra tribum Beniamin præliantes multi contra paucos bis debellati fuerunt, & tandem præualuerunt. Iud. 20.

Dixit Dauid Philistæo 1. Reg. 17. Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo. Ego autem venio ad te in nomine Domini, &c. Sperabat enim per Deum victoriam obtinere.

Parentibus Tobiæ irridentibus eum, & dicentibus: Vbi est spes tua pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas. Tobias increpabat eos, dicens: nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam daturus est Deus, iis qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Thr. 2.

Afflictus corpore, filiis orbatus, derisus ab amicis, omnibus rebus spoliatus, dicebat tamen S. Iob: Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Iob 13.

Cum esset Susanna duorum Presbyterorum iniquo condemnata testimonio, dicitur tamen de ea quod erat cor eius fiduciam habens in Domino. Dan. 13.

Vnus illorum septem fratrum postulatus à tyranno linguam, cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero. 2. Mach. 7.

Machabæus Iudas misit Hierosolymam duodecim

millia drachmas argenti, offerri ea ibi pro peccatis mortuorum iuste & religiose de resurrectione cogitans. nisi enim eos qui ceciderant, &c. Mach. 12.

Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus expectabat consolationem Israel. Luc. 2.

Ascensurus in cœlum Saluator præcepit discipulis suis, ne discederent ab Ierosolymis, sed expectarent promissionem patris. Act. 1.

Videns Paulus, quod vna pars erat Saducæorum, alia Pharisæorum exclamauit in concilio: Viri fratres. Ego Pharisæus sum filius Pharisæorum de spe & resurrectione mortuorum, ego iudicor. Act. 23.

Monet Apostolus Timotheum, vt præcipiat diuitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, &c. Tim. 6.

Ad longanimitatem & expectandum nos inuitat, vel informat beatus Iacobus dicens: Exemplum accipite exitus mali, laboris, & patientiæ Prophetas, &c. Iac. 5.

CAPVT XXXVIII.

De timore Dei.

VSQVE ad beatitudinem confirmatam non potest esse securitas. Nam & Angeli in cœlo empyreo, & primi parentes in terrestri Paradiso peccauerunt. Gen. 3. De Angelis autem 2. Pet. 2. dicitur: Angelis peccantibus non pepercit.

Loth inter peccatores pessimos bonus fuit, & exiens inde cum filiabus suis in monte peccauit. Gen. 12.

Defectus timoris diuini est causa peccati, ideo dixit Abraham ad Abimelech: Cogitaui mecum, dicens, forsitan non est timor in loco isto, & interficient me, &c. Genesis 20.

Timuere obstetrices Dominum, & ædificauit illis domum. Exod. 1.

Voluit Dominus multum timorem filiis Israel incutere, & ideo cum tonitruis & igne, & signis terribilibus legem dedit. Exod 20.

Non debet homo confidere in probitate parentum, Abraham enim plures habuit malos filios, vnum bonū. Samuel habuit duos, ambo fuerunt mali. 1. Reg. 8. Dauid etiam multos malos. Salomon habuit vnum malum & stultum, & de multis aliis inueniuntur exempla.

Post transitum maris rubri, & subuersionem exercitus Pharaonis dicitur. Exod. 14. Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

Abdias dispensator domus Achab timebat Dominū Deum Israel valde. nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos, & pauit. 3. Reg. 18.

Homines quos misit Rex Assyriorum ad habitandū Samariam, non timebant Dominum, & immisit eis Dominus leones, qui interficiebant eos. 4. Reg. 17.

Constituit Iosaphat iudices in cunctis ciuitatibus Iuda præcipiens eis inter cætera: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. non est enim apud Dominum Deum iniquitas, &c. 2. Paral. 19.

Tobias senior filium suum ab infantia timere Deum docuit. Tob. 1. Idem ad conuiuium suum Deum timentes faciebat vocari. Tob. 2. Sequitur ibidem Tobias plus timens Deum quam Regem rapiebat corpora occisorum, & sepeliebat ea.

Tobias iunior & amici sui cum timore Domini conuiuium nuptiarum exercebant. Tob. 9.

Confitendo in oratione Domino dicebat Sarra filia Raguel: Virum cum timore tuo, non cum libidine mea consensi recipere. Tob. 3.

Erat Iudith vidua in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum Iudith 8.

Inter alia de quibus commendatur Iob est timor Dei Iob 1. & 2. vnde & ipse dixit semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Iob. 31.

De muliere forti dicitur specialiter. Prou. 31. mulier timens Deum ipsa laudabitur.

Cum plagis perimeretur Eleazarus ait: Domine tu scis, quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter hoc patior. 2. Mac. 6.

Commota tempestate magna nautæ, cum quibus erat Ionas, miserunt ipsum in mare, & stetit mare à feruore suo, & timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias, & vouerunt vota. Ioan. 1.

Si timendus est aliquis Dominus, quia multa bona donare potest, multo magis timēdus est Deus, qui summa bona donare potest. Tob. 3. Noli timere fili mi, &c. Item quia potest mala inferre, & propter hoc. Matth. 10. Timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.

Si grauiter punitus est seruus ille, qui talentum sibi traditum non multiplicauit, sed ligatum in sudario integrum reportauit, quid fiet de illo, qui omnia dissipauit luxuriose viuendo, & quantum in ipso fuit Dominum impugnando. Matt. 25. de talentis habetur.

Valde grauiter punientur illi qui opera iniquitatis, & nequitiæ perpetrauerunt, ex quo ita confundentur qui opera misericordiæ non fecerunt. Matt. 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Simeon erat homo iustus & timoratus expectans cōsolationem Israel. Luc. 2.

Viri timorati curauerunt Stephanum à Iudæis lapidatum, & fecerunt planctum magnum super eum. Act. 8.

Post conuersionem Pauli scriptum est. Act. 9. Ecclesia ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.

Occasione Cornelii Deum timentis, dixit Petrus. Actor. 10. In omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.

CAPVT XXXIX.

De timore quo mali timent bonos.

DIXIT Abimelech ad Abraham, Deus tecum est in vniuersis quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, &c. Gen. 21.

Ægyptij persequentes filios Israel, qui ibant per medium maris dixerunt, fugiamus Israelem. Deus enim pugnat pro eis. Exod. 14.

Videns Saul, quod Deus esset cum Dauid, cœpit eum timere. 1. Reg. 14.

Princeps quinquagenarius, qui tertio venit ad Eliam reuerenter locutus est ei, quod quia non fecerunt duo alij, fuerunt desuper veniente igne consumpti 4. Reg. 1.

Factum est cum completus esset murus Ierusalem, vt timerent vniuersæ gentes in circuitu eorum. Nehem. 6.

Cecidit timor Iudæ, ac fratrum eius, & fortitudo super omnes gentes in circuitu eorum, & peruenit ad Regem nomen eius. 1. Mac. 3.

Audierunt aduersarii, quia paratus est Ionathas cum suis in bello, & timuerunt, & formidauerunt in corde suo 1. Mac. 12.

Postquam Lysias debellatus fuit à Iuda Machabæo voluit pacem facere cum eo, & promisit se consensurum omnibus quæ iusta erant, quasi ad voluntatem Iudæ. 1. Mac. 11.

Herodes metuebat Ioannem sciens eum virum iustum, & custodiebat eum. Marc. 6.

Post terribilem mortem Ananiæ & Saphiræ erant omnes discipuli in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Act. 5.

Cum Paulus & Silas essent in carcere positi, & pedes corū ligno stricti, subito terræmotus factus est magnus, custos autem carceris tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam. Act. 16.

CAPVT XL.

De dilectione Dei.

DATVRVS legem Moysi Dominus dixit ei: Ego sum Dominus Deus tuus, &c. faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exod. 20.

Principium omnium mandatorum legis est dilectio Dei. nam dixit Moyses post decem mandata populo repetita: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni fortitudine tua. Deut. 6.

Timorem Dei & amorem volens specialiter imprimere populo Moyses, Deut. 10. ait: Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, &c.

Longæuus Iosue, & persenilis ætatis vocauit Israelem, & monens eos de multis dixit inter cætera: Hoc tamen diligentissime præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum. Ios. 24.

De rege Dauid dicitur. Ecclesiastici 47. de omni corde suo laudauit Deum, & dilexit Dominum, qui fecit illum, vnde ipsemet dicebat. Psal. 17. Diligam te Domine fortitudo mea, &c.

Salomon dilexit Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris sui. 3. Reg. 3.

Testatur Dominus de illa sancta peccatrice, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7.

Commissurus B. Petro Dominus gregem ouium suarum, quæsiuit verum eum diligeret, & ille confidens de bona cõscientia respondebat: Domine tu scis, quia amo te. Nota tamen, quod non dixit, diligo te plus iis, licet sic quæsitum fuisset, in hoc sibi à superbo & temerario verbo cauens. Io. 21.

Miro modo diligebat Christum Paulus, qui tam secure dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi. Ro. 8. & post: Certus sum, quia neque mors, &c.

Apostolus Paulus talem tulit sententiam, si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit Maranatha. 1. Cor. 16.

Quia amor est virtus vnitiua magnum amorem ad Christum Paulus habebat, qui ei crucifixus erat. Gal. 2.

Et potest nominari de Paulo, quod Christus erat sua sapientia. 1. Cor. 2.

Nõ iudicaui me scire aliud inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Item sua substantia. Philip. 3. Omnia detrimenta feci, & arbitror, vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Item sua iustitia. 1. Cor. 1. Loquens de Christo. Factus est. inquit, nobis sapientia & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.

Item potest dici, quod Christus in eo loquebatur. 2. Corin. 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?

Item Christus in eo operabatur. Rom. 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. 2. Cor. 2. Ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.

Item Christus in eo viuebat. Gal. 2. Viuo autem iam non ego: viuit vero in me Christus. Philip. 3. Mihi viuere Christus est.

Item Christus in eo triumphabat. 2. Cor. 2. Deo gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu.

Item potest dici quod ipse erat Christi seruus. Rom. 1. Paulus seruus Iesu Christi.

Item Christi Apostolus. 2. Cor. 1. Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, &c.

Item Christi legatus & vicarius. 1. Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.

Item ipse erat Dei adiutor. 2. Cor. 2. Dei sumus adiutores.

Item pugil, vel certator. 1. Timoth. 4. Bonum certamen certaui. 1. Corinthiorum 9. Sic pugno non quasi aerem verberans. 1. Corinth. 15. Si ad bestias pugnaui. Ephes. 1. &c.

Item cursor Domini. 1. Cor. 9. Sic curro non quasi in incertum. 1. Tim. 4. Cursum consummaui.

Item specialis imitator. 1. Cor. 11. Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi.

Pulchram & salubrem conclusionem facit beatus Iohannes, dicens: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. 1. Ioan. 4.

CAPVT XLI.

De dilectione proximi.

REPREHENSVS est Cain à Domino grauiter, & punitus, quia contra fratrem suum inique egit, & se non esse eius custodem, dixit. Genesis 4. Numquid custos, &c.

Nota quàm sollicite, & diligenter orabat Dominum Abraham, vt parceret Sodomitis, quod erat magnæ dilectionis signum. Gen. 18.

Tantam dilectionem erga proximos sibi subditos Moyses habebat, quod ipse orans Dominum, diceat. Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, &c.

Optabat Moyses omnes de populo prophetare, licet honor eius inde minui videretur. Num. 11.

Noluit Moyses maius dominium, quod ei promittebat Dominus, in tantum proximos suos quibus præerat, diligebat. Num. 14.

Filii Israel post occisionem filiorum Beniamin magno vlulatu cœperunt flere, dicentes: Quare Domine factum est hoc malum. &c. Iud. 21. Quod non fecissent, nisi eos intime dilexissent.

Anima Ionathæ colligata est animæ Dauid, & dilexit eum, quasi animam suam. 1. Reg. 18.

Ostendit Dauid se diligere inimicũ in planctu Saul. 2. Regum 1. Amicum in planctu Ionathæ. simpliciter proximum, in planctu Abner. 2. Regum 3. Filium licet malum, & sibi aduersarium in planctu Absalom. 2. Regum 18.

Magnam dilectionem ostendit se habere Nehemias ad filios transmigrationis in bonis, quæ eis fecit: Nehemiæ, quasi per totum.

Quia Tobias multis multa charitatis opera exhibebat, multi diligebant eum: vnde cum iussus esset occidi à rege, latuit, & inuentus non fuit. Tob. 1.

Tantam dilectionem vult Dominus ad proximos nos habere, vt dixerit Petro, non esse dimittendum septies peccatis fratris; sed vsque septuagies septies. Matth. 18.

Dilectionem ad proximum habuisse laudatur Samaritanus ille, qui appropians semiuiuo misericordia motus est, & eius vulnera alligauit, infundens oleum, & vinum, &c. Luc. 10.

Magnam dilectionem ad proximos habuisse monstratur B. Stephanus, qui pro lapidatoribus suis deuotius, quam pro se orasse videtur. Act. 7. Nam pro illis genua posuit, & voce magna clamauit, pro se vero simpliter dixit: Domine Iesu, accipe spiritum meum.

Inæstimabiliter Paulus proximos diligebat. Erat enim erga eos, vt mater parturiens. Nam dicebat. Galat. 3. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Item tamquam pater corripiens. 1. Cor. 4. Siue decem millia pædagogorũ habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui. Et paulo post; In virga veniam ad vos, &c. Item 1. Thessal. 2. Tanquam pater filios suos deprecantes vos, & consolantes testificati sumus, &c.

Tanquam nutrix fouens, & blandiens. 1. Thessal. 2. Facti sumus tanquam nutrix fouens filios suos. Item 1. Corin. 3. Tanquam paruulis in Christo lac potum vobis dedi.

Item tanquam magister, & doctor erudiens. 2. Tim. 1.

Positus

Positus sum Prædicator, & Apostolus & magister Gentium, & 1.Timoth. 2. Doctor Gentium in fide, & veritate.

Item tanquam frater. & socius collaborans, & coadiuuans. Philip. 4. Fratres mei charissimi, & desideratissimi, &c Rogo te Germane compar, &c. Adiuua illas, quæ mecum laborant. Item Philip. 1. Habeo vos in confirmatione Euangelii socios gaudii mei omnes vos esse, & 2. Corin. 1. Non dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri.

Item tamquam legatus reconcilians. 2. Corinthior. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

Item Apostolus bona annuncians. Act. 20. Vos scitis qualiter nihil vobis vtilium subtraxi, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice, & per domos. &c. Actorum 17. Quod ignorantes colitis, ego annuncio vobis.

Item architectus ædificans. 1. Cor. 3. vt sapiens architectus fundamentum posui. 2. Cor. 10. De potestate vestra. quam dedit vobis Deus in ædificationem.

Per aliam nihilominus viam potest dici, quod Paulus ostendit se esse proximorum dilectorem feruentissimũ, per hoc videlicet, quod ipse multa pro eis dabat; multa pro eis faciebat, & multa pro eis sustinebat. Dabat siquidem ipsis ea quæ habebat, & quæ non habebat, ab habentibus pro indigentibus procurabat. Quod enim sua daret ad vtilitatem proximorum ipse testatur. Act. 20. Ad quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. &c Sequitur: Quoniam beatius est dare magis, quam accipere.

Quamuis autem supererogantis esset cum ab ipsis accipere posset: tamen hoc faciebat, vt illis quibus prædicabat, parceret. 2. Cor. 12. Paratus sum venire ad vos, & non ero vobis grauis. Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos.

Secundo, vt Pseudoapostolis gloriandi occasionem auferret. 2. Cor. 11. In omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo, &c. quod facio, & faciam, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo gloriamur, tales inueniantur sicut & nos.

Tertio, vt exinde maiorem mercedem haberet, 1. Corint. 9. Non vsi sumus hac potestate, vt acciperemus, scilicet sumptus à vobis. Sequitur: Quæ est ergo merces mea, vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium?

Rursus etiam ipse procurabat ab Ecclesiis de Achaia, ad donandum pauperibus de Iudæa, ob quam causam collectas fieri faciebat, & fideles ad hoc efficaciter inducebat. 1. Cor. 16. De collectis autem, &c. Item 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet.

Item dabat proximis verba Dei quibus copiosissime abundabat. Imo etiam seipsum eorum vtilitatibus dedicabat. 1. Thess. 2. Volebamus tradere vobis, non solum Euangelium, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis. Item 2 Corinth. 12. Ego ipse libentissime impendam, & superimpendar pro animabus vestris.

Mira insuper de corpore suo fecit pro proximis ad fidem, & salutem conuertendis prædicando scilicet, disputando, discurrendo à Damasco in Arabiam, in Hierusalem, in Antiochiam. Deinde iuit iussu Spiritus sancti cum Barnaba, de Antiochia in Cyprum. Inde nauigantes in Pamphyliam, & post euntes in Pisidiam Iconium, Lycaoniam constituerunt Presbyteros per vniuersas Ecclesias, & tandem post factum multiplicem fructum, Antiochiam redierunt. de his habetur plenius. Actor. 13. 14.

Postmodum vero Paulus volens visitare fratres, quibus prædicauerat verbum Dei, assumpto Sila in socium profectus est in Syriam, & Ciliciam. Inde transeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem, venerunt Mysiam, & postea vocatus in Macedoniam nauigauit: & tunc Philippis Thessalonicæ, & in multis aliis ciuitatibus regiminis illius multum fructum faciens, consequenter peruenit Athenas: vbi cum Philosophis curiosis salubriter disputauit.

Ex quo transtulit se Corinthum, & ibi multum populum Domino acquisiuit. Inde profectus est Ephesum, & ingressus synagogas disputabat cum Iudæis: vnde egressus descendit Cæsaream, & de Cæsarea venit Antiochiam, & facto ibi aliquanto tempore, profectus est Galatiæ regionem, & Phrygiam confirmans omnes discipulos.

Postea peragratis superioribus partibus, iterum venit Ephesum, & ibidem biennio commoratus disputans, & suadens de regno Dei, fecit, vt omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, tam Gentiles, quàm Iudæi.

Inde reuersus per Macedoniam, & Troadem, & Miletum, per plures alias ciuitates. & insulas, transiens applicuit Tyro, & de Tyro per Ptolomaidam, & Cæsaream iter faciens. Deinde Hierusalem cum multa fatigatione peruenit, vbi comprehensus à Iudæis, tractus, & verberatus, & coram diuersis iudicibus nequiter accusatus, à manifesto grauamine compulsus est Cæsarem appellasse.

Traditus autem Centurioni post naufragium, & innumera pericula ad vrbem Romanam catenis vinctus accessit, ibique prædicationi, & doctrinæ insistens ire etiam in Hispaniam proponebat. Ecce quomodo amabat illos, pro quibus, tot & talia faciebat. 2. Cor. 12. Omnia charissimi propter ædificationem vestram.

Apparent etiam signa dilectionis, cum quis vult sustinere, vel pati grauia pro amicis. Ecclesiastici 22. Amicum salutare non confundar, & si mihi mala euenerint per illum, sustinebo. Ex iam dictis vero Paulum mira sustinuisse liquet, pro vtilitatibus proximorum. 2. Timoth. 2. Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.

Magnam dilectionem ad proximos habuisse Ioannem Euangelistam. patet ex verbis suis. Ex abundantia enim cordis os eius loquebatur, quando dilectionem, vel charitatem toties repetebat, sicut apparet præcipue in prima Canonica, primo capitulo.

CAPVT XLII.

De inuidia.

INuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. quia scilicet vidit diabolus hominem in statu felici esse, & ad illum posse ascendere, vnde ipse corruerat, ideo tentauit hominem, & vicit. Gen. 3.

Inuidia motus Cain fratrẽ suum Abel occidit, quando scilicet, vidit eius munera acceptari à Deo, & non sua. Gen. 4.

De Isaac dicitur: Benedixit illi Deus, & locupletatus est homo, &c. Ob hoc inuidentes ei Philistiim. &c. Gen. 26. Per quod patet, quod prosperitas hominis causat inuidiam in aliis, occasionaliter tamen.

Rachel sterilis sorori fecundæ inuidit. Gen. 30. Ecce quomodo inuidia, nec propinquis parcit.

Fratres Ioseph inuidebant ei videntes, quod à patre plus cunctis fratribus amaretur, & audiẽtes somnia quæ narrabat. Et nota, ad quantum facinus ex illa inuidia proruperunt. Gen. 37.

Cum duo viri prophetarent in castris, Iosue quasi inuidens, dixit: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille: Quid inquit, æmularis pro me? Num. 11.

Maria & Aaron locuti sunt contra Moysen, dicentes: Num per solum Moysen locutus est Dominus? &c. Numerorum duodecimo. Ex quo patet, quod inuidus non parcit beneficis & propinquis. Moyses enim frater eorum erat, & per eum grandem recipiebant honorem.

Percusso Philistæo cantabant mulieres: Saul percussit mille,

mille,& Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis,& displicuit illi sermo ille. 1.Reg. 18.

Videns Achitophel quod non factum fuerat secundum consilium suum, sed magis, secundum consilium Chusai, abiens in domum suam suspendio interiit. 2.Regum 17.

Ædificantibus templum filiis Iuda, post reditum de Babylone, Gentes quæ erant in circuitu, doluerunt, & eos multipliciter impedierunt. 1.Esdræ 4. Audierunt Sanaballat, & Tobias quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel, & contristatus est afflictione magna. Nehem. 2.

Daniel superabat omnes principes, & satrapas, vnde principes, & satrapæ quærebant omnes occasiones, vt inuenirent Danieli ex latere regis. Dan. 6.

Alcimus videns charitatem Iudæ, & Nicanoris adinuicem, venit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. 2. Mach. 14.

Videntes principes sacerdotum, & scribæ, mirabilia quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & cætera. Matth. 21. & Lucæ 19.

Frater filii Prodigi audiens festum, quod faciebat pater adolescentiori filio reuertenti, indignatus est, & nolebat introire. Lucæ 15.

A beato Ioanne Baptista longe fuit inuidia relegata, ad quem cum venirent discipuli, & dicerent quod Christus baptizabat, & omnes ibant post eum; respondit: Amicus sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio, gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, &c. Ioan. 3.

Quidam Iudæi, qui viderant Lazarum à Domino suscitari, abierunt ad Pharisæos, & dixerunt quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi consilium, &c. Ioan. 11.

Ad tam immane scelus principes sacerdotum ex inuidia proruperunt, quod legitur Matth. 27. Sciebat Pilatus, quod propter inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes, scilicet ipsum Dei filium Dominum Iesum Christum.

Petro & Ioanne loquentibus ad populum, superuenerunt sacerdotes, & magistratus templi Sadducæique dolentes, quod docerent populum. Act. 4.

Principes sacerdotum, & omnes qui cum illo erant videntes signa, quæ per Petrum fiebant, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica, &c. Act. 5.

Audientes verba Stephani Iudæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum dolentes, quod non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur. Act. 6. 7.

Conuenit pene vniuersa ciuitas audire verbum Dei, quod Paulus & Barnabas prædicabant. videntes autem Iudæi repleti sunt zelo, &c. Act. 13.

Ex Thessalonicæ Iudæis, & Gentilibus crediderunt multi viri, & mulieres nobiles non paucæ. zelantes autem Iudæi concitauerunt ciuitatem. Act. 17.

CAPVT LXIII.

De correctione fraterna.

CORRIPERE proximum, & reprehendere est opus misericordiæ, vnde postquã iurauerat Abraham Abimelech, quod faceret ei misericordiam, continuo sequitur: Increpauit Abimelech, &c. Gen. 16.

Charitatiue & mansuete compescuit Abraham iurgium, quod erat inter pastores nepotis sui Loth. Gen. 13.

Dulciter & benigne increpabat Loth Sodomitis, licet illi non acquieuerint ei. Gen. 19.

Ruben & Iudas temperauerunt furorem fratrum suorum, ne occiderent Ioseph. Gen. 27.

Moyses iniuriantem Hebræum charitatiue corripuit, sed ille pro malo habuit. & ad iniuriosa verba prorupit Exod. 2. Numquid occidere me tu vis, &c.

Videns Iethro populum expectantem iudicari per Moysem dixit ei: Stulto labore consumeris, &c. Et nota quomodo tantus homo gentilis hominis monitionibus acquieuit. Exod. 18.

Phinees filius Eleazari, & cæteri nuntii fratres suos, qui ædificauerant altare in scandalum filiorum Israel discrete arguerunt, & satisfactionem libentissime susceperunt. Ios. 22.

Miserunt nuntios filii Israel ad filios Beniamin, qui dixerunt, Cur tantum nefas in vobis repertum est? tradite homines, qui hoc flagitium perpetrauerunt, &c. Iudic. 20.

Increpando Ionathas patrem suum Saul pro iniqua persecutione Dauid, eius malitiam in principio aliqualiter temperauit. 1. Reg. 19.

Volens Abigail arguere virum suum super duritia, quam ostenderat nuntiis Dauid, noluit ei aliquid dicere statim post prandium, sed expectauit tempus opportunum, scilicet vsque in crastinum, cum vinum prius bibitum digessisset. 1. Reg. 25.

Abner bene arguebat Asael, quia nimis vrgebat persequendo eum, sed ille audire contempsit, & propter hoc occisus fuit. 2. Reg. 2.

Nota quàm discrete arguit Nathan Propheta Dauid, cum peccasset, adulterium, & homicidium committendo. 2. Reg. 12. non enim cum furore dixit, pessime fecisti, sed assumpta similitudine congrua illaqueauit eum verbis oris sui.

Cum magno zelo arguit Elias populum errantem dicens, si Dominus est Deus sequimini eum, &c. 3. Regum 17.

Reprehendens Achab regem Israel, vir quidam de filiis Prophetarum proposuit ei similitudinem per quam cognouit rex peccatum suum. 3. Reg. 20.

Cum magna libertate dixit Elisæus ad Ioram regem Israel, exercitu circumstante, si non erubescerem vultum Iosaphat, non attendissem te, vel respexissem. 4. Regum 4.

Sacerdotes restiterunt Oziæ Regi Iuda volenti adolere incensum, & dixerunt non est tui officii, vt adoleas incensum, &c. 2. Paral. 26.

Cum magno ardore corripuit Esdras filios transmigrationis, qui duxerant vxores alienigenas contra legem. 1. Esd. 9. & 4.

Audiens Nehemias clamorem populi propter grauamina, quæ patiebantur à diuitibus, increpauit optimates & magistratus, &c. Nehem. 5. Idem fecit pro eo, quod multi portando onera, diem sabbati profanabant. Nehem. 13.

Irridebant Tobiam parentes eius, at ipse increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus & vitam illam expectamus, &c. To. 2.

Audiens Iudith propositum ciuium suorum, quod post quinque dies volebant tradere Assyriis ciuitatem, reprehendit eos sermonibus fidelibus & discretis Iud. 8.

Daniel valde discrete arguit regem Balthasar exemplo patris sui. & nota: patienter Rex illum audiuit, licet dixisset contra eum, & postea ipsum magnifice honorauit. Dan. 5.

Cum miro furore dicebat Ioannes Baptista Pharisæis, & Saducæis, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Matth. 3. Luc. 3.

Dicebat Ioannes Herodi adulteranti cum Herodiade vxore fratris sui, non licet tibi habere illam, Matth. 14. Mar. 6.

Indiscrete, licet pie voluit Petrus Dominum increpare, cum diceret, quod oportebat eum pati à principibus Sacerdotum, sed Dominus dure respondit ei: Vade post me satana, &c. Matth. 16.

Veram & certam dedit Dominus regulam Petro de correctione fraterna. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, &c.

Vnus de illis latronibus, qui pendebat in cruce, blasphemabat Dominum Iesum, respondens alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, &c. Luc. 23.

Pulchre arguebat, & conuincebat Pharisæos ille cæcus natus à Domino illuminatus, dicens: Mirabile est quod vos nescitis, vnde sit homo ille, & aperuit oculos meos: à sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati, &c. Io. 9.

Videns Petrus quosdam Iudæos admirantes, & discipulos deridentes, discrete, & confidenter illos arguit, & instruxit, & ad fidem Christi conuertit. Act. 2. Simile accidit Actor. 3. post sanationem claudi culpam eorum ille ostendit, & aliqualiter excusans eos multa dulcia verba dixit, ita quod conuersi fuerunt quinque millia hominum.

Durissime increpauit Petrus Ananiam & Saphiram pro eo, quod fraudauerunt de pretio agri, quod vendiderant, & partem ad pedes Apostolorum posuerant. Actor. 5.

Stephanus in consilio Iudæorum existens, confidenter increpabat eos dicens inter cætera: Dura ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? &c. Act. 7.

Paulus intuens Elimam magum, qui nitebatur auertere proconsulem à fide dixit ei: O plene omni dolo, & omni fallacia fili diaboli, & inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas, &c. Act. 13.

Simonem Magum pro dono Dei pecuniam offerentem Petrus terribiliter increpauit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditione, &c. Act. 8.

Quid discretius modo, quo Paulus Apostolus arguit Romanos ex Gentilibus, & Iudæis conuersos, qui superba contentione volebant se alterutrum superponere. Ostendit autem vtrosq; peccasse, & gloriosa Dei misericordia indigere; nam & Gentiles legis naturalis, & Iudæi legis Mosaicæ fuerant transgressores. Rom. 3. Causati sumus Iudæos, & Græcos, id est, Gentiles, & circumcisos omnes sub peccato esse, &c.

Corinthios arguit Apostolus de hoc præcipue, quod Christus in eis diuidi videbatur, dicente vno: Ego sum Pauli, alio autem, Ego sum Apollo, alio vero, Ego sum Cephæ, &c. Item quia dissimulabant inter se fornicatorem esse, qui tenebat nouercam suam. 1. Cor. 5. Item quia apud infideles Iudices de sæcularibus negotiis litigabãt. 1. Cor. 6. Item reprehendit eos de irreuerentia circa Eucharistiæ sumptionem. 1. Corinth. 11. Item de errore circa mortuorum resurrectionem. 1. Cor. 15. Item in secunda epistola ad Corin. increpat eos Paulus de hoc præcipue, quod illi multa grauia à Pseudoapostolis sustinebant, & ipsum non habebant in tanta reuerentia, vt debebant. Cor. 9. Sustineatis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, &c. Item 12. Ego debui à vobis commendari, nihil enim minus feci ab iis, qui sunt supra modum Apostoli.

Galatas acriter, fortiter, & feruenter arguit supra hoc, quod post acceptam veritatem Euangelii volebant ad circumcisionem, & obseruantias legales reuerti. Gal. 3. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, &c.

Audierat Apostolus quosdam de Thessalonicensibus ambulare inquiete nihil operantes, sed curiose agentes, idcirco corripi tales mandauit. 1. Thessal. 3.

CAPVT XLIV.

De compaßione habenda ad proximum.

Audiens Abraham captum esse Loth nepotem suum celeriter, & valenter succurrit ei. Genes. 14. Ruben, & Iudas resistebant cæteris fratribus volentibus occidere Ioseph, & quamuis eum non reduxerint ad patrem, tamen minus male actum est ei. Gen. 37. Gedeon compatiens secum fatigatis petiuit panem pro eis. Iudic. 8.

Licet filii Beniamin filios Israel grauissime offendissent, tamen propter illorum excidium omnes eleuata voce vlulatu magno fleuerunt. Iud. 21.

Lugebat Samuel Saul, licet eum à Deo sciret proiectum. 1. Reg. 15.

Compatiens Dauid lassis sociis, qui ad bellum ire non potuere constituit, quod æqua esset pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 2. Regum 30.

Doluit Dauid de occisione Absalon, licet ille multũ offendisset eum, sed sciebat eum Dauid in anima esse damnatum. 2. Reg. 18.

Dauid in tantum doluit de percussione populi, quod petiit ab Angelo percuti loco illius. 2. Reg. 24.

Elias benigne accepit verba mulieris viduæ satis dura, & pro filio eius mortuo, dolori illius compatiens efficaciter orauit. 3. Reg. 17.

Cum Iezabel occideret Prophetas Domini Abdias abscondit centum ex iis, & pauit eos diebus multis. 3. Reg. 18.

Pie compassus fuit Eliseus viduæ debitis obligatæ. & augmentauit ei modicum olei, quod habebat. 4. Regum 4.

Non solum pro præsentibus malis compatiendum est proximis, sed etiam pro futuris, vnde Eliseus videns Asael, qui mala facturus erat filiis Israel cœpit flere. 4. Reg. 8.

Cum cæpissent filii Israel de viris Iuda ducenta millia mulierum, & puerorum pepercerunt eis, & vestitos, atque refectos ad propria remiserunt. 1. Paral. 28.

Audiens Nehemias miserabilem statum ciuitatis Ierusalem fleuit diebus multis, & tandem consilium adhibuit, & auxilium opportunum. Nehem. 1. & 2.

Cum regnaret Sennacherib, & filios Israel exosos haberet, Tobias pergebat quotidie per omnem congregationem suam, & consolabatur eos, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat. & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Tob. 1. Item 2. habetur de eodem.

Magnam compassionem habebat S. Iob ad proximos, qui dicebat: Auris audiens beatificabat me, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor. Benedictio perituri veniebat super me, & cor viduæ consolatus sum, &c. Iob. 29.

Regina Hester nunciata crudeli sententia contra populum suum lata non aliter assumpsit negotium, quàm si fuisset vna de populo, licet esset de se secura tamquam sponsa regis dilecta. Hesth. 7.

Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt vt consolarentur eum. Iob 2. Sed tamen non intelligentes causam suæ afflictionis fuerunt ei postea onerosi.

Non solum iustis in afflictione positis cõpatiendum est, sed etiã peccatoribus & iniustis, vnde dicebat Isaias propter destructionem Babylonis: Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis &c. Isa. 21.

Videns in spiritu idem Isaias calamitatem superuenturam populo suo dicebat: Recedite à me, amare flebo, nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Isa. 22.

Dolens Abdemelech Æthiops, quod Ieremias Propheta missus erat in lacum in quo non erat aqua, sed lutum, procurauit apud Regem, scilicet vt extraheret illum. Ierem. 38.

Cum scripsisset Baruch verba comminationis ex ore Ieremiæ: Dixisti væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. Ierem. 45. & tamen dicebat populus, quod Baruch incitabat Ieremiam aduersus eos, vt traderet eos in manibus Chaldæorum. Ier. 43.

Cum reuelasset Dominus Ezechieli peccata, quæ populus Israel faciebat, & pœnas quas passurus erat, fuit amaricatus, tristis & gemebundus. Ezechielis tertio & nono.

Rex

Rex Darius sciens Danielem positum in lacu leonum præ dolore dormiuit incenatus, cibique non sunt allati coram illo, insuper & somnus recessit ab eo. Danielis 6.

Magnum dolorem habuit Onias summus Sacerdos, quando vidit templum debere per Heliodorum spoliari, & deposita viduarum ac pupillorum auferri. 2. Mach. tertio.

Antiochus rex dictus Nobilis, licet simpliciter esset malus, tamen audiens Oniam summum Sacerdotem inique fuisse occisum, flexus ad misericordiam lacrymas fudit. 2. Mach. 4.

Accedentes discipuli ad Dominum, rogabant eum pro muliere Chananæa dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Matth. 15.

Contra nolentes compati proximis, & ex corde dimittere. inducit Dominus parabolam de seruo nequam cui decem millia talenta fuerunt remissa, & ipse noluit dimittere conseruo suo centum denarios. Matthæi 18. Ad hoc quod homo libenter compatiatur proximo suo, & misereatur ipsius multum facit, quod specialiter fiet disceptatio de operibus misericordiæ in iudicio. Matthæi 25.

Cum vidisset Dominus Iesus flentem viduam, cuius filius defunctus efferebatur, misericordia motus super eã dixit: Noli flere, & tunc mortuum eius filium suscitauit. Lucæ 7.

Misertus est Dominus turbæ indigenti, quæ pedestris secuta eum fuerat in deserto. Mat. 15. Mar. 8.

Samaritanus ille appropians sauciato, misericordia motus alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum, & curam illius egit, & per alium fecit haberi. Lucæ 10.

Videns Dominus ciuitatem Hierusalem, & considerans mala, quæ factura erat postmodum & passura fleuit super illam, dicens: Si cognouisses & tu, &c. Lucæ 18.

Vt vidit Iesus Mariam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & lacrymatus est. Io. 11.

Etiam pendens in cruce Saluator habuit curam matris, quam sciebat in anima crucifigi. Io. 19. Mulier ecce filius tuus, dixit ipse ostenso Ioanne.

Cum venisset Petrus in Ioppen, vidit viduas flentes pro morte Tabithæ, quæ faciebat eis tunicas & vestes & ponens genua sua orauit, & cum vocasset sanctos ac viduas, assignauit eam illis viuam. Act. 9.

Paulus dum esset Athenis, incitabatur spiritus eius in ipso, eo quod videbat idololatriæ deditam ciuitatem. Act. 17.

Barbari non modicam humanitatem præstabant Paulo & sociis eius. Accensa enim pyra reficiebant omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Ipsi vero bene indigebant, quia de naui confracta euaserant tempore hyemali, & quosdam oportuerat natare: alii vero super tabulas fuerant apportati. Act. 27. & 28.

Cum tanta spiritus anxietate compatiebatur Paulus fratribus, & cognatis suis pereuntibus, quod ipse dicebat. Rom. 9. Tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à CHRISTO, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. Item Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio, &c.

CAPVT XLV.

De hospitalitate exhibenda libenter.

NOTA de Abraham quàm celeriter, quàm lætanter Angelos hospitio suscepit, & ipsis ea quæ videbantur necessaria peregrinis, parari fecit. Gen. 18.

Item de Loth, attende quomodo quos putabat homines esse transeuntes honorauit, obnixe rogauit, & eis necessaria benigne conferens contra incursantes defendit, vt potuit. Gen. 19.

Prompta ad hospitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit seruo Abraham: Palearum, & feni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Et paulo post dixit eidem Laban: Præparaui domum, & locum camelis. Gen. 24.

Sine magna prece Iethro recepit peregrinum Moysen hospitandum. Exod. 2. Postmodum autem filia eius, & nepotes sui fuerunt per eum magnifice honorati.

Testatur Moyses, dicens Deuter. 10. Dominus Deus noster amat peregrinum, & dat ei victum atq; vestitum. & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ, &c.

In Gabaa Beniamin non inuenit Leuites, qui eum hospitio reciperet, nisi quendam senem de opere venientem. Iudic. 19.

Elias suscitauit filium mulieris, apud quam sustentabatur. 3. Reg. 17.

Mulieri Sunamitidi filium non habenti, apud quam Eliseus transeundo manebat, idem Eliseus filium impetrauit, & mortuum suscitauit. 4. Reg. 4.

Bonus hospitalarius erat beatus Iob, qui dicebat: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Iob 31.

Ambulans per mundum Dominus Iesus Christus nõ habebat, vbi caput reclinaret, Martham vero specialem hospitam legitur habuisse. Luc. 10. Ioan. 12.

Quando misit Saluator discipulos ad prædicandum, in illis seipsum asserit recipi, & audiri. Matth. 10. Qui recipit vos, me recipit. Luc. 10. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.

Gaudens accepit Dominum Zachæus in domo sua, & Dominus Iesus magis gaudentem effecit, quando dixit: Hodie salus huic domui facta est, &c. Luc. 19.

Exemplo duorum discipulorum, qui Dominum in specie peregrini coegerunt ad manendum secum, apparet quod peregrini, non solum vocandi sunt ad hospitium, sed etiam compellendi. Luc. 24.

Apostoli hospitabantur, vt plurimum in domibus artificum, & hominum mediocrium. vnde legitur de Petro. Actor. 10. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius domus est iuxta mare. Idem de Paulo. Act. 18. Manebat apud Aquilam, & Priscillam, quia erat eiusdem artis, & operabatur.

Obnixe & instanter deprecata est Lydia purpuraria Paulum, & socios eius, vt manerent apud eam in domo sua. Act. 16. Et coegit nos. habetur infra. Cum euasisset Paulus, & socii eius de fracta naui, Publius princeps insulæ illius ipsos suscipiens benigne exhibuit. Paulus autem patrem eius febribus laborantem, & dysenteria, oratione, & manuum impositione sanauit. Act. 28.

Vrbana fiducia vtebatur Paulus scribens Philemoni, cum dixit: Simul & para mihi hospitium. nam spero per orationes vestras donari me vobis.

Inter cætera ad quæ specialiter Paulus inducit Hebræos est hospitalitas. Heb. 13. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt, & quidam Angelis hospitio susceptis.

Commendat Caium beatus Ioannes in tertia epistola sua, dicens: Charissime fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, &c.

CAPVT XLVI.

De amicitia.

VOCATIS multis amicorum turbis ad conuiuium, Laban fecit nuptias, & dedit filiam suam Liam nepoti suo Iacob. Gen. 29.

Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Exodi trigesimotertio.

Ruth adhæsit socrui suæ Nohemi, & dixit ei: Quocumque perrexeris pergam, & vbi morata fueris, & ego pariter morabor, &c. Ruth. 1.

Anima Ionathæ colligata est animæ Dauid. & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam. nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid. 1. Reg. 18.

Signum fuit fidelis amicitiæ, licet indiscretæ, quod armiger Saul videns Dominum suum esse mortuum irruit super gladium suum, & mortuus est cum eo. 1. Regum 31.

Misit Abner nuntios ad Dauid, dicentes: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israel, &c. 2. Reg. 3.

Chusai Arachites amicus Dauid venit ad Absalom, & dissipauit consilium Achitophel. 2. Reg. 17.

Propheta Iehu dixit Iosaphat regi Iuda, qui iuerat ad prœlium cum Achab Rege Israel: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, &c. 2. Paralipom. 19.

Aman superbus conuocauit ad se amicos, & exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, & filiorum turbam, & quanta eum gloria super omnes principes Rex eleuasset. Esther 5.

Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei. Venerunt singuli de loco suo, vt visitarent eum, & consolarentur. Iob 2. De ipsis tamen ipse dixit postea: Subuertere nitimini amicum vestrum.

Alcimus proditor impius concitauit Regem Demetrium aduersus Iudam Machabæum, pro eo quod dixit ei: Perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, 1. Machab. 7.

Rex Alexander epistolam misit Ionathæ, dicens: Audiuimus de te quod vir potens sis viribus, & aptus es, vt sis amicus noster. 1. Mach. 10.

Accepit Ionathas aurum & argentum, & alia xenia multa, & dedit Demetrio, & inuenit gratiam in conspectu eius, & fecit eum principem amicorum. 1. Machabæorum 11.

Vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat, & misit viros Romam statuere, & renouare cum Romanis amicitiam, 1. Machab. 12.

Postquam Alexander percussit Demetrium, misit ad Ptolemæum Regem Ægypti legatos, vt statuerent amicitiam ad inuicem, & daret ei filiam suam vxorem. 1. Machab. 12.

Propter veterem amicitiam, quam habebant ad Eleazarum, quidam astantes attulerunt carnes, quibus vesci licite poterat, vt simularet se de sacrificii carnibus manducasse, & sic posset mortem euadere. 1. Machab. sexto.

Lysias videns & intelligens inuictos esse Hebræos Dei omnipotentis auxilio innitentes misit ad eos, promisitque se regem compulsurum amicum fieri. 2. Machab. 11.

Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset acquirendo amicos de bonis Domini sui. Concludens per hoc, quod facere debemus amicos, qui possint nos recipere, quando nos in morte deficere oportebit. Lucæ 16.

Ponit Dominus exemplum de illo, qui media nocte vadit ad amicum, vt petat aliquid ab eo. Lucæ 11.

In passione Domini, Herodes & Pilatus facti sunt amici. Luc. 23.

Commota ciuitate Epheso, & confusa, quidam de Asiæ principibus, qui erant amici Pauli, miserunt ad eum rogantes: Ne se daret in theatrum. Act. 9.

CAPVT XLVII.

De inimicitia & odio.

POST peccatum primorum parentum statum posuit Dominus inimicitias inter serpentem, & mulierem, & inter vtriusque semen. Gen. 3.

Rixati sunt pastores Geraræ aduersus pastores Isaac pro puteo quem foderant, idcirco appellauit Isaac puteum, inimicitias. Gen. 26.

Oderat semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Genesis 27.

Dixit Iacob Simeoni, & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Gen. 34.

Videntes fratres Ioseph quod à patre plus cunctis fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquã pacifice loqui. Gen. 37.

Oderant filios Israel Ægyptii, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum. Exod. 1.

Dixit Dominus ad Moysen: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepêre insidiis per idolum Phogor. Num. 25.

Adonisedec Rex Hierusalem, & quatuor alii Reges obsederunt Gabaon, vt expugnarent eam, pro eo quod transfugerant Gabaonitæ ad Iosue, & ad filios Israel, & inierant fœdus cum eis. Iosue 10.

Perrexerunt maiores natu de Galaad ad Iephte, dicentes: Esto princeps noster. Quibus ille respõdit: Nonne vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi: Iudicum 11.

Fundebat apud Samson lacrymas vxor eius, & querebatur, dicens: Odisti me, & non diligis, idcirco problema, non vis indicare mihi. Iudic. 14.

Videns Saul quod populus alte de Dauid sentiebat, & etiam quod in omnibus prudenter, & strenue se habebat, factus est inimicus eius cunctis diebus. 1. Reg. 18.

Duo latrones qui occiderant Isboseth, dixerunt Dauid: Ecce caput filii Saul inimici tui. Sed male stipendiati. 2. Reg 4.

Thou rex Emath audiens, quod Dauid expugnasset Adarezer Hostem suum, misit ad eum filium suum, & gratias egit. 2. Reg 8.

Postquam Amon filius Dauid oppresserat Thamar sororem Absalom, exosam eam habuit magno odio nimis; ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo dilexerat eam ante. 2. Reg. 13.

Tres aduersarios suscitauit Dominus Salomoni, postquam à Deo per peccatum recessit, scilicet Idumæum, Razon filium Eliada, & Ieroboam seruum suum. 3. Regum 11.

Eliam Prophetam persecuta est impia Iezabel vxor Achab, propter Prophetas Baal, quos ille fecerat occidi. 2. Reg. 18. & 19.

Cum Elias argueret Achab, ait ad Eliam Achab: Nõne inuenisti me inimicum tibi, qui dixit: Inueni, &c. 3. Regum 21. Dixit Achab ad Iosaphat regem Iuda: Remansit de Prophetis Domini Michæas filius Iemla, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. 3. Reg. 22.

Audierunt hostes Iudæ, & Beniamin quod filii captiuitatis ædificauerant templum Domino Deo Israel, & voluerunt ædificare cum eis, &c. 1. Esdr. 4.

Raguel & Anna vxor eius, benedixerunt Dominum; quia fecerat cum eis misericordiam suam, & excluserat ab eis inimicum persequentem eos, Tob. 8.

Amputato capite Holofernis, dixit Iudith tacentibus vniuersis: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se: & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis. Iudith 13.

Conquerens Esther de Aman superbissimo, dixit Assuero: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman, &c. Esther 7.

De Iuda Machabæo dicitur 1. Machabæor. 3. Repulsi sunt inimici præ timore eius, & operarii iniquitatis conturbati sunt, directa est salus in manu eius.

Prole-

Ptolemæus Rex Ægypti voluit dolo opprimere regnum Alexandriæ, & manifestæ factæ sunt inimicitiæ eius. 1. Mach. 11.

Cognouit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Ionathæ, & centum talenta argenti. Iussit tamen dare argentum, & pueros ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel dicentem: Quia non misit argentum, & pueros, propterea periit. 1. Mach. 13.

Herodes & Pilatus in passione Domini facti fuerunt amici, qui prius erant inimici. Luc. 23.

CAPVT XLVIII.

De pace, & concordia.

ALIA animalia in principio fecit Deus duplicia, scilicet masculum, & fœminam, hominem autem fecit vnum. Gen. 1. Et ex illo sunt omnes, & singuli procreati, vt scilicet vnitatem pacis, & concordiæ commendaret in homine.

Diuitiæ, & copia rerum temporalium sunt in plurimum materia, & occasio iurgiorum, sicut apparet de pastoribus Abraham, & Loth. Gen. 13. Item de Isaac, & pastoribus Geraræ. Gen. 26.

Gratanter faciunt homines pacem, & ineunt fœdus cum potentibus, & magnis hominibus. Hinc est quod Abimelech venit ad Isaac, quando vidit eum prosperari. Gen. 26.

Cedendum est furori interdum malorum, sicut fecit Iacob recedens à fratre suo Esau, donec requiesceret furor eius. Gen. 27.

Videntes fratres Ioseph, quod à patre plus cæteris fratribus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquã pacifice loqui. Gen. 37.

Audientes Gabaonitæ ea quæ fecerat Iosue Iericho, & Hai venerunt ad eum, & secundum ipsius beneplacitum pacem fecerunt. Iosue 9.

Phinees, & cæteri legati ad filios Ruben missi audientes excusationem illorum placati sunt, & verba eorum libentissime susceperunt. Iosue 22.

Quamuis Absalom contra patrem nimis nequiter egisset; tamen Dauid magis volebat pacem, quàm eius mortem, nam dixit, Estne pax puero Absalom? 2. Regum 18.

Cum esset Dauid sanctus, & placens Deo, noluit tamen Dominus, vt ædificaret ei domum, sed filius eius pacificus, isto fuit priuilegio honoratus. 3. Reg. 5.

Multum laudandus est Deus, quando dat populo statum pacificum, & quietum, sicut fuit tempore Salomonis. 3. Reg. 5. Dixit Salomon: Requiem dedit mihi Dominus per circuitum, & non est satan, neque occursus malus. Sequitur: Benedictus Dominus, &c.

Boni homines habent pacem adinuicem, sed mali pugnant contra bonos, & contra malos alios, vnde inter Ieroboam & Roboam fuit bellum cunctis diebus. 3. Regum 14.

Ostensum fuit Eliæ Dominum nõ esse in grandi vento, neque in commotione, neque in igne, sed in sibilo auræ tenuis, hoc est in pace & quiete. 3. Reg. 19.

Benedixit populus omnibus viris, qui se sponte obtulerunt vt habitarent in Hierusalem. Nehem. 11.

Misit Ionathas nuntios ad Bachidem componere pacem cum eo, & tamen ipse Bachides fuerat Dux exercitus, in quo occubuit Iudas Machabęus frater Ionathæ. 1. Mach. 9.

Rex Demetrius misit ad Ionatham epistolam verbis pacificis, vt magnificaret eum. dixit enim, Anticipemus pacem facere cum eo, priusquam fiat cum Alexandro aduersum nos. recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum. 1. Mac. 10.

Causa pacis quæ fuit tempore Oniæ summi sacerdotis pulchre describitur. 1. Mach. 12. Videlicet idoneitas prælati prudentis, & pii, & bonitas subditorum.

Postquam debellatus fuit Lysias à Iuda Machabæo libenter fecit pacem cum eo. Intelligens enim inuictos esse Hebræos Dei omnipotentis auxilio nitentes misit ad eos, promisitque eis consensurum se omnibus, quæ iusta sunt, & regem compulsurum amicum fieri. 2. Mac. 11. Tantam pacem & concordiam vult Dominus erga proximos nos habere, vt dixerit Petro peccanti fratri nõ esse remittendum septies, sed vsque septuagies septies. Matth. 18.

Pacem annunciauerunt Angeli in natiuitate Domini. Lucæ 2. Item ipse Dominus discipulos inter se pacem habere præcepit. Marci 9. Item pacem iussit per discipulos nuntiari. Lucæ 10. Item pacem eis reliquit. Ioan. 14. Item post resurrectionem pacem eis obtulit. Luc. 24. Ioan. 20.

Qui desiderat seruare pacem & quietem mentis abstinere debet à discursibus etiam interdum valde licitis & honestis, vnde Io. 11. Martha vt audiuit, quia Christus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat, nec inde se mouit, donec vocata fuit ab ipso Domino per sororem, licet fortassis non ignorauerit ipsa Maria aduentum Domini, quando Martha primo sciuit.

Quantum sit pacis bonum perpendi potest per discretum æstimatorem rerum beatum Paulum, quod illud tam sollicite in omnibus epistolis suis illis quibus scribebat, optabat, excepta illa ad Hebræos, in qua nec nomen suum ex certa causa, nec aliquam salutationem præmittit. Nota tamen, quod cum dicitur, Pax vobis, præponit gratiam, dicens, Gratia vobis, & pax. per quod manifeste datur intelligi, quod sine gratia Dei pax vera numquam potest haberi. Isa. 48. non est pax impiis dicit Dominus Deus.

CAPVT XLIX.

De vnitate & communi consensu.

EX vno homine Deus humanum genus instituit ad commendandum hominibus, quàm ei grata sit etiam in pluribus vnitas, vt dicit Augustinus 12. de ciuitate Dei. Et subdit postea: Factus est homo vnus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quàm hoc genus tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neq; commodius contra vitium discordiæ vel cauendum, cum nondum existeret, vel sanandum cum extitisset natura loqueretur humana, quàm recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruaretur.

Aug. li. 12. de ciu. Dei c. 22. & ibid. c. 26. circa fin.

Populus filiorum Israel in deserto, multum fuit vnanimis, & voluntarius ad recipiendam legem. Exod. 19. & etiam auditis à Moyse verbis legis. Exod. 24. respondit populus cunctus vna voce, Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

Ad faciendum opus tabernaculi, & sacras ministrorum vestes obtulit omnis multitudo filiorum Israel omnia necessaria mente promtissima, atq; deuota. Exo. 35.

Congregati sunt pariter omnes filii Israel, quasi vir vnus in Maspha ad iudicandum flagitiũ in Gabaa Beniamin erga vxorem Leuitæ commissum. Iud. 20.

Inuasit timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus ad succurrendum, scilicet fratribus suis in Iabes Galaad obsessis. 1. Reg. 11.

Venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, & vnxerunt eum in regem super Israel. 2. Reg. 5.

Conuenit ad Regem Salomonem vniuersus Israel, & tunc fuere arca Domini, & vasa sanctuarii delata in templum solemniter dedicatum. 2. Reg. 8.

Congregatus est populus, quasi vir vnus in Hierusalem ad ædificandum scilicet templum, quod fuerat à rege Babylonis destructum. 1. Esdr. 2.

Congregatus est omnis populus, quasi vir vnus ad plateam, & dixerunt Esdræ, vt afferret librũ legis Moysi, &c. Nehem. 8.

Cum exposuisset Achior vniuersa quæ dixerat Holoferni, omnis populus communi lamentatione, & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt. Iudith 6.

Post mortem Iudæ congregati sunt omnes amici eius, & dixerunt Ionathæ, Ex quo frater tuus defunctus est, &cet. nunc itaque te eligimus hodie pro eo esse nobis principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum. 1. Mach. 9.

Auditis sermonibus Simonis accensus est spiritus populi simul & voce magna dixerunt: Tu es dux noster loco Iudæ & Ionathæ fratris tui. 1. Mach. 13.

Post ascensionem Domini omnes discipuli erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & matre IESV. Actor. 1. & sic inuenit eos Spiritus sanctus. Actorum 2. Omnes qui credebant, erant pariter, recepto Spiritu sancto, & habebant omnia communia vnanimiter perdurantes in templo, & frangentes circa domos panem. Actor. 2.

Cum audissent discipuli de sanatione claudi, & responsione Petri, & Ioannis ad magistratus plebis, vnanimiter leuauerunt vocem, & dixerunt: Domine qui fecisti cœlum & terram, &c Act 4.

Punitis ad vocem Petri terribiliter Anania, & Saphira vxore eius, factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & erant omnes vnanimiter in porticu Salomonis, &c. Act. 5.

Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorũ, quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Act. 4.

CAPVT L.

De discordia, lite vel rixa.

PRIMAM discordiam inter homines mouit inuidia inter Cain scilicet & Abel. Gen. 4. quoniam opera Cain maligna erant fratris autem iusta. 1. Io. 3.

Substantia Abraham & Loth erat multa & non quibant habitare communiter, vnde facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth. Gen. 13.

Quia quandoq; reges Sodomorum, seruierant duodecim annis Chodorlahomor regi Elamitarum, & decimotertio recesserant ab eo, ideo factum est bellum illud de quatuor regibus aduersus quinque, in quo fuit Loth captus, sed per Abraham liberatus. Gen. 14.

Viri ciuitatis Sodomæ vallauerunt domum Loth, in qua erant duo Angeli in humana specie hospitati, & volebant illos cognoscere, vimque faciebant vehementissime eo quod Loth hospites fideliter defendebat, &c. Genes. 19.

Factum est iurgium pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, habebat enim Isaac possessionem ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Gen. 26.

Oderat semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, Dixitque in corde suo, Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob fratrem meum. Genes. 27.

Timens Iacob dixit ad Laban cum iurgio, Quam ob culpam meam sic exarsisti in me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Gen. 31.

Occasione Dinæ filiæ Iacob, quam Sichem filius Emor rapuit & oppressit, facta est discordia magna inter filios Iacob, & habitatores terræ illius. Genesis 34. Moyses quadam die vidit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam, Quare percutis proximum tuum? Exod. 2.

Cum exiissent filii Israel de terra Ægypti, & transiissent mare rubrum Amalech venit & pugnauit contra eos in Raphidim. Exod. 17. Multoties iurgati sunt filii Israel contra Moysem in deserto, primo pro defectu potus. Exod. 15. Deinde pro defectu cibi. Exod. 16. Postea habito vno cibo desiderauerunt alium; extædiati enim manna comedere, petierunt carnes. Num. 11. Item ad aquas contradictionis conuenerunt aduersum Moysen, & Aaron filii Israel, & ibi iurgati sunt contra Dominum & Moysen. Num. 21. Vlterius procedentes cœpit eos tædere itineris & laboris, & locuti sunt contra Dominum & Moysen. Num. 21.

Inter Abimelech filium Gedeonis, & viros Sichem, qui malefecerant eum principem, fuit magna discordia suscitata, ita quod illi detestari cœperunt eum, & rebellare ei, & ipse expugnauit eos, &c. Iud. 9.

Orta est seditio inter viros Ephraim, & Iephte, eo quod Iephte vadens ad pugnam contra filios Ammon, illos vocare noluit, vt dicebant. Iud. 12.

Pro vxore Leuitæ in Gabaa Beniamin turpiter interfectæ magna fuit pugna inter tribum Beniamin, & alias tribus Israel, ita quod illi de tribu Beniamin exceptis viris sexcentis penitus sunt deleti. Iud. 20.

Occiso à Dauid Philistæo iratus est Saul contra Dauid, eo quod communiter laudabatur. Non rectis oculis ergo Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps. 1. Reg. 18. Nec aliquis extunc potuit emollire cor Saul, quin persequeretur eum.

Facta est concertatio longa inter domum Saul, & domum Dauid, sed Dauid semper proficiebat, & domus Saul continue decrescebat. 1. Reg. 3.

Nimis inhonesta facta est discordia inter Absalon ambientem regnum, & Dauid patrem suum. Denique Absalon qui eam mouit, suspensus fuit. 2. Reg. 18.

Rege Dauid redeunte in Hierusalem, viri Israel turbati fuerunt, eo quod viri Iuda ipsum reduxerant aliis non vocatis. 2. Reg. 19.

Duæ meretrices mulieres litigabant coram Rege Salomone occasione vnius infantis, quem vtraque volebat habere. 3. Reg. 3.

Mortuo Rege Salomone petiit populus, vt à Roboam filio eius mitius tractarentur, quo durius respondente recesserunt decem tribus ab eo, & fecerunt Ieroboam regem sibi, & extunc multa bella fuerunt inter Reges Israel & Iuda. 3. Reg. 12. & deinceps.

Facta est contentio inter discipulos Iesu, quis eorum videretur esse maior, sed Domino non placuisse talem contentionem, patet per ea, quæ sequuntur. Luc. 22

Litigabant adinuicem Iudæi, dicentes: Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum. Ioan. 6.

Murmur erat multum de Domino Iesu in turba, quidam enim dicebant, quia bonus est. alii vero dicebant, Non, sed seducit turbas. Io. 7. Et in eodem capitulo sequitur dissensio facta est in turba propter eum.

Baptizato Cornelio cum omni domo sua, audierunt Apostoli, & fratres, qui erant ex Iudæa, quoniam gentes recepissent verbum Dei. Cum ascendisset autem Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione fratres dicentes: Quare introisti ad viros, &c. Act. 11. Paulo & Barnaba in ciuitate Iconio prædicantibus, & multa miracula facietibus, diuisa est multitudo ciuitatis, & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum Apostolis. Act. 14.

Quidam descendentes de Iudæa, docebant Fratres: Quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salui fieri. Facta autem seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt, vt consulerentur Apostoli, qui erant Hierosolymis super hac quæstione, &c. Act. 15.

Occasione Marci quem Paulus volebat ad ministerium Euangelii recipere, facta est dissensio inter Paulum & Barnabam, ita vt discederent ab inuicem; attamen totum prouenit ad profectum Euangelii. Act. 15.

Predicante Paulo Ephesi, & multa miracula faciente, facta est turbatio nõ minima de via Domini. Demetrius enim quidam argentarius faciẽs ædes argenteas Dianæ, parabat artificibus non modicum quæstum, &c. Act. 19.

Quidam Iudæi videntes Paulum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt manus ei clamantes: Viri Israelitæ adiuuate, sequitur: Commota est ciuitas tota, & facta est concursio populi. Act. 21.

Cum exclamasset Paulus in concilio, Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor, facta est dissensio inter Pharisæos, & Saducæos, & soluta est multitudo. Act. 23.

CAPVT LI.

De Zelo bono contra peccatores.

SÆVIEBANT filii Iacob ob stuprum Dinæ sororis suæ per Sichem oppressæ. Gen. 34.

Audiens Moyses vocem cantantium, & videns vitulum & choros, iratus est valde, & proiiciens tabulas, cōfregit eas, &c. Nota quàm grauiter puniuit postea populum, pro quo tam fideliter, & instanter orauerat ante Deum. Exod. 32.

Multum placuit DEO zelus Phinees filii Eleazari, quando perfodit virum cum muliere Madianitide, licet essent magni & nobiles. Num. 25.

Præcepit Iosue Achan lapidari, & totam eius supellectilem comburi, quia tulerat de anathemate Iericho. Iosue. 7.

Cum audissent filii Israel filios Ruben & Gad ædificasse sibi altare, conuenere omnes, & contra eos dimicare voluerunt. Ios. 22.

Congregati sunt omnes filii Israel, quasi vir vnus ad vindicandum grauissime scelus, quod commiserant viri de Gabaa Beniamin pro vxore Leuitæ. Iud. 19. & 20.

Confidenter arguit Elias errantem populum, & sacerdotes Baal fecit occidi. 3. Reg. 17.

Reprehensus est Achab, eo quod Benadad Regem Syriæ virum morte dignum indiscrete viuum dimisit abire. 4. Reg. 20.

Quamuis Iehu rex Israel simpliciter fuerit malus, tamen multum commendatur eo quod semen domus Achab deleuit, & Prophetas Baal occidens, ædem ipsius Baal destruxit. 4. Reg. 10.

Spiritus Domini induit Zachariam filium Ioiadæ, & stetit in conspectu populi sculptilibus seruientis, & dixit illis: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos? 2. Paral. 24.

Audiens Esdras sacerdos Iudæos cum gentilibus matrimonia copulasse, miro modo doluit & gemens, & eiulans signa doloris ostendit. 1. Esd. 9.

Videns Nehemias Iudæos ducentes vxores alienigenas obiurgauit eos, & maledixit, & verberauit aliquos, & decalcauit. Nehem. 13.

Surrexit Mathathias, & dixit, Væ mihi vt quid natus sum videre afflictionem populi mei, &c. Sequitur postea de illius zelo feruentissimo, & mirabili probitate, quando trucidauit hominem super aram Idolum immolantem. 1. Mach. 2.

Onias summus Pontifex restitit viriliter Simoni, qui volebat iniquum aliquid in ciuitate moliri. 1. Mac. 2.

Miro feruebat zelo Ioannes Baptista, quando dicebat: Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira, &c. Matth. 3. & simile Luc. 3. Item quando arguebat Herodem. Matth. 14. & Mar. 6.

Dure increpabat Dominus Scribas, & Pharisæos hypocrytas, & specialiter. Matth. 23. In illo capitulo dixit eis septies: Væ vobis. Sciens Dominus Iesus Pharisæos ipsum nequiter obseruare, circumspiciens eos cum ira contristatus est super cæcitatem cordis eorum. Marc. 3. Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, &c. Pluries eiecit de templo Dominus vendentes, & ementes, quandoque cum flagello. Io. 2. quandoque cum duro verbo. Luc. 19. Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Luc. 19.

Grandi zelo succensus est Petrus in Ananiam, & Saphiram, quando vidit, quod fraudauerant aliquid de pretio agri. Act. 5.

Ex ardenti zelo proueniebat sermo, quem dixit Stephanus Iudæis Act. 7. Dura ceruice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui S. resistitis, quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri, &c.

Resistenti Paulo & Barnabæ Bariesu Pseudopropheta, dixit Paulus: O plene dolo, & omni fallacia fili diaboli, & inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas, &c. Act. 3.

Cum Paulus prædicaret Athenis, incitabatur spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem, &c. Act. 14.

Specialiter apparet feruens zelus Pauli in epistola ad Galatas, vbi illos legalia obseruare volentes, arguebat, increpabat, obsecrabat. Idem. Rom. 9. 2. Cor. 11. & ad Hebræos, quasi per totum.

CAPVT LII.

De zelo indiscreto.

VIDENS Iosue famulus Moysi duos homines in castris prophetantes, dixit: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille dixit: Quid æmularis pro me, &c. Num. 11.

Abisai filius Saruiæ, voluit amputare caput Semei maledicentis Dauid persecutionem Absalom perpetienti: sed non permisit Dauid, vt aliquid mali inferretur illi. 2. Reg. 16.

Filii Prophetarum coegerunt Eliseum, vt mitteret ad quærendum dominum suum Eliam, ne forte spiritus Domini proiecisset eum in vnum montium, aut vallium. 4. Reg. 2.

Ionas fugere voluit à facie Domini, quando præcepit ei prædicare Niniuitis, & postmodum doluit, quando vidit quod ciuitas iuxta id quod prędixerat, non ruebat, Ionæ 1. & 4.

Cum ostendisset Dominus discipulis oportere eum multa pati à principibus sacerdotum, & occidi, Petrus cœpit increpare illum, dicens; Absit à te Domine, non erit tibi hoc, &c. Matth. 16.

Multum zelabant Pharisæi pro obseruatione sabbati, quando videbant Dominum die illa curantem infirmos. Matth. 12. Marc. 2. Lucæ 6. & 13. Marc. 3. Ioan. 9. Item quando videbant eius discipulos spicas vellentes, & manibus confricantes. Matth. 12. Marci 2. Lucæ 6. Scribæ, & Pharisæi amplius zelabant pro traditionibus suis, quàm pro diuinis mandatis. Matth. 15. Marci 7. Item pro auro templi plus zelabant, quàm pro ipso templo, & pro dono altaris, plus quàm de ipso altari. Matth. 23.

Oblati sunt Domino paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret; discipuli autem increpabant eos. Iesus autem ait: Sinite paruulos venire ad me, &c. Matth. 19. Mar. 10.

Cum effudisset Maria pretiosum vnguentum super caput Domini, quidam discipuli indigne ferebant, & fremebant in eam, propter perditionem vnguenti. Marci 14.

Ioannes Apostolus prohibuit quendam eiicientem dæmonia in nomine Domini Iesu, eo quod non sequebatur eum cum aliis discipulis, & ait ad illum Iesus: Nolite prohibere, qui enim non est aduersus nos, pro nobis est. Luc. 9.

Audientes Iacobus, & Ioannes quod Samaritani non receperant nuntios Domini, dixerunt: Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlis, & consumat illos. Et conuersus Dominus increpauit illos, & dixit: Nescitis cuius spiritus estis. Luc. 9. Arguit Dominus Petrum, qui amputauerat aurē seruo principis sacerdotum, eo quod tunc non erat tempus potentiæ ostendendæ, sed patientiæ exhibendæ. Matth 26 Luc. 22.

Apparet discipulos Ioannis Baptistæ zelasse contra Dominum pro magistro, quando dixerunt ei: Rabbi qui erat tecum trans Iordanem hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Ioannes autem optime respondit eis. Ioan. 3.

Cum afferentur de ciuitatibus diuersi infirmi, & à Petro curarentur exsurgens princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant repleti sunt zelo. Act. 5. Æmulator erat paternarum traditionum Saulus supra multos coætaneos suos, quando deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam: vnde & accepit literas à principe sacerdotum ad synagogas, quæ erant in Damasco, vt si quos inueniret ibi, qui inuocarent nomen Christi vinctos perduceret Hierusalem. Act. 8. & 9.

Videntes Iudæi quod pene vniuersa ciuitas conuenerat audire verbum Dei, quod Paulus & Barnabas prædicabant, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ dicebantur à Paulo, blasphemantes. Act. 13.

Venienti Hierosolymam Paulo dixerunt ei fratres: Vides quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis. Act. 21. Et de talibus dicit ipse Paulus. Rom. 10. Testimonium quidem perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam.

CAPVT LIII.

De prudentia, & discretione.

ABRAHAM veniens in Ægyptum de vxore sua prudenter, & caute celauit veritatem, nec tamen asseruit falsitatem, dicens: Soror mea est. Gen. 12. Simile accidit ei, quando venit ad Abimelech. Gen. 20.

Prudenter separauit se Abraham à Loth, ne pastores eorum adinuicem litigarent. Gen. 13.

Discrete dimisit Abraham filiis suis, dum viueret, portiones, ne post mortem suam adinuicem concertarent. Gen. 25.

Rebecca sagaciter instruxit filium suum Iacob, vt benedictionem patris consequeretur, & fecit eum recedere de partibus illis, donec requiesceret furor fratris. Genesis 27.

Artem arte delusit Iacob pulchre, quando volebat ei dare Laban mercedem pro seruitio competentem. Genes. 31.

Sagaciter egit Iacob, quando debuit obuiare irato fratri, quia munera misit ei, res suas diuisit, ne vno furoris impetu totum perderet, & res minus dilectas maiori exposuit periculo. Gen. 32.

Prudenter locutus est Ioseph coram Pharaone exponendo somnium, & contra futuram famem dando consilium. Gen. 41.

Ioseph fratres suos caute reprehendit, & eis timorem incussit. Gen. 44.

Bonum consilium & discretum dedit Iethro Moysi, cum dixit: Prouide viros potentes, & timentes Deum, &c. Exod. 18.

Antequam Moyses inuaderet terram Promissionis misit exploratores illuc, ad considerandum conditiones eius. Num. 13.

Exploratores quos misit Iosue, prudenter latuerunt, donec illi, qui quærebant eos, ad propria redierunt. Iosue 2.

Magna sagacitate vsus est Iosue insidias ponendo iuxta ciuitatem Hai, & fugam postea simulando. Ios. 8.

Callide cogitantes Gabaonitæ voluerunt decipere Iosue, sed ille eos discrete in seruitutem redegit. Ios. 9.

Phinees, & alii nuntii ad filios Ruben missi discrete locuti sunt, & illi eos verbis prudentissime placauerunt. Iosue 22.

Aod portans munera Eglon ipsum astute decepit. Iudicum 3.

Gedeon percussit castra hostium, qui secum erant, & nihil aduersi suspicabantur. Iudic. 8.

Iephte per nuncios prudenter significauit regi filiorum Ammon, quod indicebat ei bella non iusta; sed postea indiscretum fecit votum. Iudic. 11.

Caute deprehendit Iephte, qui essent Ephratæi, & qui Galaaditæ dicendo Scibboleth, illis Sibboleth. Iudicum 12.

Filii Israel pugnantes cõtra illos, de Beniamin fugam arte simulauerunt, & sic eos à ciuitate eiecerunt, & penitus debellauerunt. Iudic 20.

Dicentibus quibusdam de Saule: Num saluare nos poterit iste? & despicientibus eum, ille dissimulabat se audire. 1. Reg. 10.

Magnæ prudentiæ fuit, quando Dauid armatus armis Saulis cœpit tentare, si sic posset incedere. 1. Reg. 17.

Egrediebatur Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saul, & prudenter se gerebat. 1. Reg. 18. Dauid coram Achis simulauit se fatuum, & quasi furentem, vt posset fugere ab eo. 1. Reg. 21.

Abigail prudenter placauit Dauid iratum contra Nabal virum suum. 1. Reg. 25.

Arguere volens Nathan Propheta, Dauid pro excessu commisso in Vriam, & vxorem eius, aptam parabolam de diuite qui abstulit ouem pauperi prudenter assumpsit. 2. Reg. 12.

Prudenti cautela vsus est Ioab ad hoc, quod per mulierem sapientem Thecuitem faceret Absalom reuocari. 2. Reg. 17.

Prudenter ratiocinatus est Chusai, quando dissipauit consilium Achitophel. 2. Reg. 17.

Sapiens mulier fecit recedere Ioab ab obsidione ciuitatis. 2. Reg. 20.

Audiens Bersabee quod Adonias volebat regnare pro patre, sapienter locuta est ad Dauid pro se, & pro filio suo Salomone. 2. Reg. 1.

Discretionem & sapientiam postulauit Salomon, quod multum placuit Domino, & cum sapientia multa alia ei concessit. 3. Reg. 3.

Salomon prudenter iudicauit inter duas mulieres de vnico filio contendentes. 3. Reg 2.

Rex Roboam respondit populo dura, bono, & discreto consilio seniorum derelicto, quod ei dederant. & locutus est ei, & secundum consilium iuuenum, imprudenter egit. 3. Reg. 12.

Reprehensurus Achab Regem Israel, vir quidam de filiis Prophetarum parabolam de viro commendato, & male custodito discrete proposuit, per quem Rex Israel ille peccatum suum manifeste cognosceret. 4. Regum 20.

Studiose egit Iehu Prophetas Baal honorare se fingens, & postea illos occidit, & altare Baal destruxit. 4. Regum 10.

Ezechias Rex Iuda discrete prohibuit, ne populus nunciis Regis Assyriorum dicentibus blasphemias responderet. Non enim expedit populum fidelem contra litigantes infideles disputationes habere. 4. Reg. 18. & Isa. 36.

Nuncii quos misit Ezechias ad Rapsacem, caute petierunt, vt ille loqueretur Syriace, ne populus illum intelligeret & timeret. 4. Reg. 18.

Ioiada pontifex volens constituere regem in Hierusalem Ioas filium Ioram, valde caute se habuit, & prudenter. 1 Paralip. 23.

Ezechias intelligens regem Assyriorum Hierusalem aduenturum, obturauit capita fontium, extra vrbem reparauit muros ciuitatis, bellatores suos optimis sermonibus confortauit, & deinde ad deprecandum Dominum se conuertit. 2. Paralip. 32.

Cum magna discretione, diligentia, & sollicitudine, Nehemias ædificauit murum in circuitu Hierusalem Nehem. 2. 3. & 4.

Magnæ Sapientiæ verbum, & merito approbatum fuit illud, quod dixit Zorobabel: Fortiores sunt mulieres, super omnia vincit veritas. 3. Esdr. 1.

Tobias credens se cito moriturum, dedit filio suo magnæ prudentiæ documenta, & inter alia dixit: Consilium semper à sapiente perquire. Tob. 4.

Sapientiam magnam ostendit se habere Iudith in verbis, quæ dixit Iud. 8. Et postea dicitur: Quod serui

Holo-

Holofernis mirabantur ad sapientiam eius, & dicebat alter ad alterum: Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. Iudith 11.

Cum magna prudentia requisiuit Mardochæus Esther, vt succurreret populo Iudæorum, dicens: Si enim nunc silueris, per aliam viam liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in hoc tempore parareris: Esther. 4.

Danieli, & sociis suis dedit Dominus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia: Danieli autem specialiter intelligentiam visionum, & somniorum. Dan. 1.

Visiones Nabuchodonosor regis Babylonis Daniel exposuit sapienter. Dan. 2. & postmodum legitur, licet prius acciderit, de duobus senibus presbyteris, quos mira prudentia contra innocentem Susannam, falsum dixisse testimonium, deprehendit. Dan. 13. Innotuit Iudæ Machabæo, quod Nicanor venerat dolo, & quod volebat eum rapere caute, & subtraxit se Iudas, & noluit eũ amplius videre. 1. Machabæorum 7.

Cognouit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Ionathæ, & centum talenta argenti. Iussit tamen dari ne inimicitiam magnam sumeret ad populum dicentem: Quia non misit argentum, & pueros propterea petiit. 1. Mach 13.

Septem illi fratres cum matre sua in verbis, quæ sibi inuicem, & tyranno dicebant, miram sapientiam se habuisse demonstrarunt. 2. Mach. 7.

Constituta fuit dies, in qua Iudas secrete cum Nicanore loqueretur. Præcepit autem Iudas armatos esse suos in locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur. 1. Mach. 14.

Miræ discretionis, & prudentiæ Beatam Virginem fuisse apparet in colloquio, quod habuit cum Angelo. Luc. 1. Cogitabat qualis esset ista salutatio, quomodo fiet istud, &c.

Cum remansisset in Hierusalem duodennis puer IESVS inuentus est in medio doctorum, audiens illos, & interrogans. Sequitur, quod stupebant omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius, Luc. 2.

Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudẽter fecisset, &c. Luc. 16.

Pulchre delusit Dominus curiosam interrogationem sacerdotum, & seniorum populi Iudæorum ab eo quærentium, in qua potestate illa mirabilia faciebat. Ait ei: Interrogabo vos, & ego, &c. Matt. 21.

Cum Paulus Apostolus fuisset cum Sila socio eius in carcere positus, in crastino miserunt magistratus principes, vt dimitteretur. Paulus prudenter dixit eis: Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos eiiciunt. Act. 16.

Commota, & confusa ciuitate Ephesi, Paulus prudẽter, & humiliter acquieuit consilio amicorum, qui rogauerunt eum, ne daret se in theatrum. Act. 19. Vbi etiam apparuit prudentia illius Scribę, qui pulchre sedauit populum sic commotum, & remisit ad domum.

Cum iussisset Tribunus Paulum cædi flagellis, & torqueri, dixit Paulus astanti sibi Centurioni: Si hominem Romanum indemnatum licet vobis flagellare. Et discesserunt ab eo, qui eum torturi erant. Act. 22.

Cum vellet Paulus de Græcia nauigare in Syriam, & intelligeret sibi à Iudæis paratas esse insidias, caute declinauit, & reuersus est per Macedoniam, nec recusauit comitatum quem fecerunt ei fratres diuersarum ciuitatum. Act. 20.

Sciens Paulus, quia vna pars esset Pharisæorum, & alia Saducæorum exclamauit dicens: Viri fratres ego Pharisæus sum filius Pharisæorum. Factus est autem clamor magnus, & surgentes quidam Pharisæorum pugnabant pro eo, &c. Act. 23.

Postea cum audisset, quod quidam Iudæi vouerant se nihil gustaturos, donec occiderent Paulum, fecit hoc nuntiari Tribuno, qui misit eum cum multis armatis ad Felicem Syriæ præsidem. Act. 23.

Cum Festus præses vellet Paulum in Ierusalem reducere ad instantiam Iudæorum, & ibi eum audire, Paulus prudenter aduertens eorum malitias Cæsarem appellauit. Act. 26.

CAPVT LIV.

De astutia & calliditate mala.

PRimum magistrum astutiæ, & calliditatis patet fuisse diabolum in serpente, qui cum callidior esset cunctis animantibus primam mulierem seduxit. non enim voluit aggredi primum hominem, quem sciebat maiori discretione dotatum. Gen. 3.

Multotiens voluit Laban seducere Iacob nepotem suum, modo in vxore, modo in mercede. Gen. 29. & 30. sed Dominus in fraude circumuenientium illi affuit. Sap. 10.

Cum scrutaretur Laban supellectilem Iacob, & veniret ad tentorium Rachel, illa sollicitudinem quærentis astute delusit. Gen. 31.

Sæuientes ob stuprum sororis suæ Dinæ filii Iacob callide suaserunt Sichem, & ciuitatis populum circumcidi. quo facto irruerunt in eos, & faciliter occiderunt. Gen. 34.

Filii Iacob voluerunt decipere eum, quando tinxerunt tunicam Ioseph in sanguine hœdi, mittentes, qui diceret ei: Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filii tui sit, an non. Gen. 37. Diuersas excogitauit astutias Pharao Rex Ægypti ad hoc vt filios Israel totaliter extirparet. Exod 1. Ad hoc etiam vt eos in Ægypto retineret, & nullatenus recedere pateretur. Exod. 5.

Malefici Pharaonis quantum ad duo signa prima fecerunt per incantationes suas, sicut fecerat Moyses. Exod. 6.

Malitiose locuti sunt Chore & complices eius, quando steterunt contra Moysen, & Aaron dicentes: Sufficiat vobis: quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini. Num. 16.

Videns Balach Rex Moabitarum, quod fortitudine filios Israel non poterat vincere, voluit eos superare maledictione Balaam. Num. 22.

Gabaonitæ audientes, quæ fecerat Iosue Iericho, & Hai, callide cogitauerunt, quomodo possent ita facere, quod non totaliter delerentur. Ios. 9.

Cauerant Philistiim, ne fabri ferrarii in omni terra Israel inuenirentur, ne forte Hebræi facerent gladium, vel lanceam. 1 Reg. 13.

Saul inuidens proficienti Dauid, dixit de filia sua Michol, quam Dauid habere volebat: Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum. Dixit ergo Saul ad Dauid in duabus rebus eris gener meus hodie, &c. 1. Reg. 18. Per magnam astutiam voluit Dauid celare iniquitatem suam, quando misit pro Vria, vt dormiret cum vxore sua. 2. Reg 11.

Nefandam iniquitatem docuit Amon filium Dauid Ionadab filius Sennaa, quando dixit ei, vt languorem simularet, & sic Thamar sororem Absalon, de qua tentabatur, saluus habere posset. 2. Reg. 13.

Cum vellet Absalon vindicare iniuriam sororis suæ, quam oppresserat Amon frater eius, fecit parari grande conuiuium, & fratrem suum inuitauit, & dum comederet eum occidi fecit. 2. Reg. 13.

Ambiens Absalon regnum patris cœpit malitiose populo adulari, & facta patris vituperans seipsum bene iudicaturum iactabat. 2. Reg. 15.

Dixit Ieroboam in corde suo, Nunc reuertetur regnũ ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificium in domo Domini in Ierusalem, & excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, &c. 3. Reg. 12. Achab Rex Israel dixit quædam generalia verba nun-

tiis Benadad Regis Syriæ suos, & sua liberabiliter ostendendo, ex quibus ille astute voluit eum grauare nimis ad specialia descendendo. 4. Reg. 20. Sedechias filius Canaam Propheta Baal fecit sibi cornua ferrea, quasi esset vetus Propheta dicens Regi Achab: Hæc dicit Dominus, iis ventilabis Syriam donec deleas eam. tandem fefellit eum, & fecit eum ire ad bellum. 4. Reg. 22.

Currens Giezi post Naam callide colorauit petitionem suam, quando dixit: Dominus meus misit me ad te dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de filiis Prophetarum, &c. 4. Reg. 5.

Scelerata Iezabel crudeli astutia vsa est ad hoc, vt vineam Naboth acquireret viro suo 3. Reg. 21.

Athalia mater Ochoziæ Regis Iuda, vidēs mortuum filium interfecit omne semen regium, & sic regnauit super terram sex annis. 4. Reg. 11.

Loquebatur alta voce Rapsaces nuntiis Senacherib regis Assyriorum, vt audiret eum, & timeret populus, qui erat super murum. 4. Reg 18.

Dum Abia rex Iuda exercitum suum confortaret & aduersarios increparet, Ieroboam Rex Israel retro moliebatur insidias, cumque ex aduerso hostium staret ignorantem Iudam suo ambiebat exercitu. 1. Paral. 13.

Varias excogitauerunt astútias vicini filiorū Israel qui redierant de captiuitate Babylonis ad hoc vt impediretur ædificatio templi, & murorum ciuitatis Ierusalem. 1. Esdr. 3. similiter Nehe. 4. & 6.

Superbissimus Aman videns, quod Mardochæus ipsum adorare nolebat occasione eius, suasit regi per inuidiam, vt totus Iudæorum populus deleretur. Hest. 3.

Quia Satan non poterat coram Deo virtutes sancti Iob omnino negare, voluit intentionem eius callide deprauare dicens. Iob. 1. Nunquid frustra Iob timet Deum, &c. Nota etiam ibi quomodo vno die totum ei diabolus abstulerit, & simul nuntios venire fecit, vt multiplici dolore per impatientiam frangeretur.

Princeps & satrapæ regni Persarum procurauerunt, vt Darius statueret decretum, propter quod cogitauerūt Danielem omnino interficere, vt hac arte ipsum à rege possent auertere. Dan. 6.

Duo senes presbyteri detestandam adinuenerunt nequitiam, vt possent Susannam decipere, & postea se de ea crudeliter vindicare. Dan. 12.

Plenus malignitate Alcimus accessit ad Demetrium regem, & accusauit Iudam Machabæum in multis. 1. Mac. 7. Deinde vt narratur. 2. Mac. 14. Obtulit regi coronam auream. & alia quædam dona, & ipsa quidem die siluit. & postea tātum dixit, & fecit, quod rex summum sacerdotem eum constituit.

Iason misit Menelaum portantem pecunias Antiocho regi, at ille Menelaus commendatus regi in semetipsum retorsit summum sacerdotium supponens Iasoni talenta argenti trecenta. 2. Mac. 4.

Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempora stellæ, quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, &c. Matt. 2. Qua vero intentione hoc diceret, apparuit in occisionibus puerorum.

Pharisæi volentes capere Dominum in sermone miserunt ad eos discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister scimus, quia verax es, &c Matth. 22.

Varios circuitus fecerunt Pharisæi, vt possent facere confiteri illum cæcum natum, quod non esset illuminatus à Christo. Io 9.

Principes Iudæorum custodibus sepu'chri dederunt pecuniam copiosam, vt dicerēt eum de nocte furto fuisse sublatum. Matt. 28. Ananias conscia vxore sua Saphira fraudauit de pretio agri venditi. Act. 5.

Samaritani attendebant ad Simonem Magum, eo quod magicis artibus suis multo tempore eos dementasset. Act. 8.

Videntes Iudæi, quod verbum Dei disseminabatur per Paulum & Barnabam concitauerunt religiosas mulieres, & honestas: & primos ciuitatis Antiochenæ, & excitauerunt persecutionem in illos, & eiecerunt eos de finibus suis. Act. 13.

Cum Paulus & Barnabas essent in ciuitate Lystris, & tantam haberent ibi gratiam, quod homines ipsis tanquam diis sacrificare voluerunt, superuenerunt quidam Iudæi, qui taliter persuaserunt turbis, quod Paulus fuit ibi lapidatus, & extra ciuitatem tractus mortuus esse putabatur. Act. 14.

Quæstuarii quidam cum puella Spiritum Pythonem habente volentes conqueri de Paulo, non dixerūt, quod per eum amiserant quæstum suum, sed mentiendo dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram & annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. Act. 16.

Iudæi malitiose cogitauerunt petere à Tribuno, vt Paulum perduceret in medium, quasi aliquid certū inquisiturus esset ab eo. Insidiabantur autem ei multi, qui volebant statim interficere eum, & ad hoc etiam se obligauerant per votum. Act. 23.

CAPVT LV.

De eruditione filiorum.

AVdiens Iacob somnia Ioseph, increpabat eum ne forte contra se fratrum suorum inuidiam suscitaret. Gen. 37.

Negligentiam filiorum arguebat Iacob audiēs, quod alimenta venderentur in Ægypto. Gen. 42.

Blasphemus in heremo lapidatus fuit filius mulieris Israelitidis de viro Ægyptio generatus. tales enim filii male frequenter instruuntur. Leuit. 24.

Præcepit Dominus per Moysen, vt filii Israel docerent filios suos ea quæ ipsi viderunt. Deut. 4.

Contumax filius, & proteruus, & parentum imperio obedire contemnens præcipitur à Moyse per populum lapidari. Deut. 21.

Heli sacerdos male correxit filios suos. 1. Reg. 2. & ideo tam ipse, quam illi à Domino sunt puniti 1. Reg 4.

Adonias filius Agith male fuit à patre suo Dauid correctus: & idcirco in superbiam elatus regnare voluit. 2. Reg. 1. sed tandem à fratre suo regnante occisus fuit. 2. Reg. 2. Propinquans ad mortem Dauid diligēter instruxit Salomonem filium suum, qui regnare debebat post eum. 2 Paral. 28.

Tobias Senior filium suum ab infantia timere Dominum docuit, & abstinere ab omni peccato. To. 1.

Deinde cum se cito crederet moriturum pie, & salubriter instruxit eum. To. 4. & similiter instante morte sua. To. 14.

Parentes Saræ vxoris Tobiæ iunioris dimiserunt ire filiam suam cum viro suo, monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem custodire. Tob. 10. Magnam sollicitudinem gerebat Iob de filiis suis, qui cū simul comedissent, offerebat holocaustum pro singulis, ne forte peccassent. Iob. 1.

Parentes Susannæ cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Dan. 2.

Cum appropinquaret morti Mathathias, filios suos salubriter instruxit. & contra impios animauit. 1. Mac. 2.

Supra modum mater mirabilis, quæ pereuntes septē filios sub vnius diei tempore conspiciens, singulos hortabatur patria voce dicens: Nescio qualiter in vtero meo, &c. 2. Mac. 7.

CAPVT LVI.

Quod bonis consiliis non acquiescere periculosum est.

ANgeli qui apparuerunt Lot, dederunt ei bonum consilium, vt exiret de Sodomis; & generos suos educens, nequaquam post tergū respiceret, sed in mōte

saluum

saluum se faceret, qui dixit generis suis, qui accepturi erant filias sua, vt egrederentur, sed visum est eis, quasi ludens loqui. Generi ergo Loth nolentes exire de medio prauæ gentis, perierunt cum ipsis Sodomitis. Vxor autem eius retro respiciens versa est in statuam salis. ipse etiam Loth, qui iuxta consilium Angeli noluit statim in montem ascendere, cum propriis filiabus peccauit. Gen. 19.

Ruben bene consuluit fratribus suis, vt Ioseph redderetur patri. Gen. 37. qui non acquieuerunt ei, & idcirco venit super eos tribulatio. Gen. 42.

Filiis Israel volentibus ascendere ante tempus ad locum, de quo locutus fuerat Dominus, ait Moyses. Non enim est Deus vobiscum. Amalecites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corrueritis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, &c. Num. 14.

Post scelus perpetratum in vxore Leuitæ conuenerūt filij Israel, & miserunt nuntios ad tribum Beniamin, qui dicerent, cur tantum nefas in vobis repertum est, tradite homines, qui hoc flagitium perpetrauerunt, &c. qui noluerunt audire, propter quod omnes postea exceptis paucis fuerunt occisi. Iudic. 20.

Dixit Abner Asaeli, vt desisteret ab insecutione ipsius, qui hoc audire contempsit. Abner autem ipsum aduersa hasta transfodit. 1. Reg 2.

Roboam filius Salomonis noluit audire consilium senum, sed cōsilio iuuenum acquieuit, & ideo magnam populi partem amisit. 4 Reg. 12.

Bonum & fidele consilium dedit Achior Holoferni, quod ille cum superbia, & indignatione contempsit, qui post paululum fuit occisus, & exercitus cum damno & confusione fugatus. Iudith. 5.

Godoliæ quem rex Babylonis præfecerat terræ Iudæorum nuntiauit fideliter Iohanam filius Caree, quod Ismael filius Mathaniæ volebat eum occidere, qui respondit ei: Falsum loqueris de Ismaele. In mense autem septimo venit Ismael, & occidit Godoliam, postquam comederat cum illo. Ier. 41.

Consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, ait Daniel Nabuchodonosor regi Babylonis: qui nō acquieuit, & mutatus est in bestiam. Dan. 4.

Videns in Galaad Iudas Machabæus relinqui Ioseph, & Azariam duces populi, præcepit illis dicens: Nolite bellum committere aduersus gentes, donec reuertamur. Illi vero voluerunt sibi facere nomen, & perdiderunt, & res & nomen. 1. Mac. 5.

Habebat secum Iudas Machabeus octingentos viros, aduersarij autem erant vigintiduo millia, & auertebant eum socii ne pugnarent tunc, sed alias exercitu congregato: qui noluit acquiescere eorum consilio, & in illo bello cecidit, & ceteri fugerunt. 1. Mac. 9.

Bonum consilium dedit vxor Pilati viro suo, sed ille acquiescere recusauit magis timens Cæsarem offendere, quam iustum sanguinem condemnare. Matth. 27. & Io. 9.

CAPVT LVII.

De suspicione falsa & crudelitate.

COgitauit Abraham, quod forsitan non erat timor Dei in Geraris, & quod homines illius terræ deberent illum occidere propter vxorem suam. Gen. 20. Simile accidit Isaac Gen. 26.

Suspicatus est Laban, quod Iacob furatus esset Deos eius & ob hāc causam scrutatus est totam supellectilem ipsius Gen. 31.

Videns Iacob vestimenta Ioseph sanguine cruentata, putauit eum esse mortuum, & à fera pessima deuoratum. Gen. 37.

Præcepit Ioseph dispensatori suo, vt introduceret fratres suos domum ad comedendum secum, at illi exterriti crediderunt, quod vellet eos subiicere seruituti Gen. 43.

Rubenitæ & Gaditæ euntes ad possessiones suas ædificauerunt altare iuxta Iordanem: quo audito filii Israel turbati fuerunt, nescientes quare hoc fecissent illi, & putantes, quod vellent se ab eorum lege penitus separare. Ios. 22.

Cum isset Samson ad domum patris sui, socer eius putauit, quod odio haberet vxorem suam, & quod repudiaret eam, vnde tradidit eam alii viro Iud. 15.

Heli videns Annam labia mouere, & nullum verbum extra proferre, æstimauit eam esse temulentam. 1 Reg. 1.

Quia Saul persequebatur Dauid, imponebat ipsi Dauid, quod & ipse persequeretur eū. vnde dicebat, quod filius suus Ionathas suscitauerat seruum suum insidiantem sibi, licet esset falsissimum. 1 Reg. 22.

Cum esset Dauid cum Achis rege Geth, quasi custos capitis sui, Satrapæ dixerunt ad Achis, vt recederet Dauid, ne forte transfugeret ad Saulem. 1. Reg. 29.

Misit Dauid nuntios ad Hanon regem Ammon, vt consolarentur eum super patris interitu, principes autem illius putauerunt, quod venissent ad explorandum ciuitatem, non ad consulendum regem. 1. Reg. 10.

Postquam rex Assuerus turbatus fuit contra Aman, & ille iacebat super lectum Hester ad rogandum eam pro anima sua: imposuit ei rex, quod ipsa præsente volebat eam opprimere. Hest 7.

Dum vellet Ieremias ire ad terram Beniamin comprehendit eum custos portæ, & imposuit ei, quod fugeret ad Chaldæos. Ier. 37.

Nuntiāte Ieremia voluntatem Domini populo terræ, qui remanserat post destructionem Ierusalem, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris, non te misit Dominus, sed Baruch filius Neeriæ incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manibus Chaldæorum Ier. 44.

Tortores qui Eleazarum ducebant ad supplicium in iram versi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam dictos arbitrabantur. 2. Mach 6.

Videntes discipuli Dominum ambulātem super mare putauerunt phantasma esse, & præ timore clamauerunt. Matt. 14 Mar. 6. Io 6.

Simon Pharisæus videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem, ait inter se dicens: Hic si esset Propheta sciret vtique, &c. Luc. 7.

Ad hoc quod nullus male sentiat alio multum valet exemplum, quod adducit Saluator de iactante se Pharisæo, & humili Publicano. Luc. 18.

Videntes Iudæi discipulos Domini post effusionem Spiritus sancti loquētes variis linguis, dicebant quidam eorum, quia musto repleti erant. Act 2.

Omnes discipuli Christiani timebant Paulum post conuersionem suam non credentes, quod esset discipulus, donec Barnabas duxit eum ad Apostolos & narrauit illis, quomodo in via vidisset Dominum & quomodo in Damasco fiducialiter egit in nomine Domini IESV Act. 9.

Tribunus Lysias videns Paulum à Iudæis tam male tractari quæsiuit ab eo, nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum cōcitasti, & eduxisti in deserto quattuor millia virorum sicariorum. Act. 21.

Vt viderunt barbari viperam pendentem in manu Pauli adinuicem dicebant, Vtique homicida est homo hic, & æstimabunt eum in tumorem conuertendum & subito casurum, & mori. Act. 28.

CAPVT LVIII.

Quod sancti viri permittunt fieri aliqua non libenter.

IAcob permisit abduci Beniamin filium suum, tenere dilectum, & hoc propter necessitatem victualium ad instantiam filiorum. Gen. 44.

Moyses permisit dari libellum repudij odiosis vxoribus Iudæorum, quia scilicet timebat in eis vxoricidium, Deut. 24.

Considerato Dauid populo suo, constituit super eum tribunos, & centuriones. Dixitque rex ad populum: Egrediar, & ego vobiscum, & respondit populus: Non exibis, quia tu vnus pro decem millibus computaris. melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur hoc faciam 2. Reg. 18.

Eliseus permisit quod filii Prophetarum quærerent Eliam, ne forte Spiritus Domini proiecisset eum, cum tamen sciret, quod illi laborabant in vanum. 4. Reg. 2.

Cognouit Simon, quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Ionathæ, & centum talenta argenti, iussit tamen dari argentum & pueros, ne forte aduersum se inimicitias populi concitaret. 1. Mac. 19.

CAPVT LIX.

De iustitia & æquitate.

Abraham volens separari à Loth nepote suo, dedit ei optionem, vt eligeret partem quam vellet. Gen. 13. & sic pulchre potest partitio fieri, vt maior diuidat, & minor eligat. Testimonio Domini iustam rem postulauerunt filiæ Salphaad quæ in hæreditate paterna succedere à Moyse petierunt. Num. 27.

Rex Adonibezech comprehensus à filiis Israel dixit, Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus collegerunt sub mensa ciborum reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Iud. 1.

Adducto Agag rege Amalech coram Samuele, ait ei Samuel: Sicut fecit absque liberis gladius tuus, sic absq; liberis inter mulieres erit mater tua. 1. Reg. 15.

Dixit Dauid ad Saul, qui eum iniuste persequebatur: Dominus retribuet vnicuique secūdum iustitiam suam & fidem. 1. Reg. 25.

Constituit Dauid, & quasi pro lege habitum est, vt æqua esset pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 1. Reg. 30.

Dauid noluit gratis recipere ab Areuna Iebusæo aream, quam habere volebat, sed iusto pretio mediante. 1. Reg 24.

Audiens hœdum balantem Tobias dixit: Videte ne furtiuus sit, sed reddite eum dominis suis: quia non licet vobis aut edere ex furto, vel aliquid contingere. Tob. 2.

Præcepto regis Assueri superbus & iniquus Aman suspensus est in illo eodem patibulo, quod ipse parauerat Mardochæo, & hostes Iudæorum eodem die ab ipsis Iudæis occisi sunt, quo illi Iudæos occidere putauerant, Hest. 7. & 8.

Contra Babylonem prophetans Ieremias ait: Reddite ei secundum opus suum, iuxta omnia quæ fecit, facite illi. Ierem. 50.

Iubente Dario rege viri qui accusauerunt Danielem, missi sunt in lacum leonum, & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec acciperent eos leones. Dan. 6. Simile accidit alia vice, de qua Dan. 14.

Fecit populus duobus presbyteris senibus, qui inique accusauerunt Susannam, sicut male egerant aduersus proximam, & interfecerunt eos. Dan. 13.

In eodem loco in quo Andronicus occiderat iniuste Oniam summum Sacerdotem fecit eum purpura exutū vita priuari Antiochus 2. Mac. 4.

Impius Iason qui insepultos abiecerat multos, ipse illamētatus & insepultus abiicitur. neque patriam, neque peregrinam habuit sepulturam. 2. Mac. 5.

Antiochus homicida, & blasphemus pessime percussus, vt ipse multos tractauerat, peregre in montibus miserabili obitu vita defunctus est. 2. Mach. 9.

A seruo nequam, qui noluit conseruo suo centum denarios dimittere, merito repetiit Dominus vniuersum debitum, quod liberaliter dimiserat prius illi. Matth. 18.

CAPVT LX.

De iudicijs hominum rectis, aut prauis.

Causam quam nescit iudex debet diligentissime inuestigare. Iob. 30. Vnde Dominus quem nihil latere potest, dicitur descendisse, vt videret ciuitatem, quā ædificabant filii Adam. Gen. 11. Infra Gen. 18 dicit ipse: Descēdam, & videbo vtrum clamorem, &c Iniuste præcepit Iudas Thamar nurum suam comburi. Gen. 38.

Dominus Ioseph nimium credulus verbis coniugis, misit eum in carcerem, Gen. 39.

Minora per minores iudices, & maiora per maiores debent diffiniri, iuxta id quod consuluit Iethro Moysi in deserto. Exod. 18.

De duodecim bobus, & sex plaustris, nullum dedit Moyses filiis Caath licet essent sibi propinquiores, sed totum dedit aliis Leuitis, eo quod isti amplius indigebant. qui grauiora portabant. Num. 7.

Cōsuluit Moyses Dominum occasione filiarum Salphaad. Et respondit Dominus: Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hereditas, &c. Num. 27.

Voluit Moyses, vt filii Ruben, & ceteri qui petebant terram iam acquisitam, armati præcederent alios ad bellum, donec terra alia esset penitus acquisita, Num. 31.

De filiis Samuelis dicitur. 1. Reg. 8. Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.

Iniuste protulit Dauid sententiam contra Miphiboseth absentem ad verbum Sibæ ipsi Dauid xenia offerētis. 2. Reg. 6. Et nota, quod postea cognita veritate, noluit vnquam sententiam penitus retractare. 2. Reg. 19.

Salomon recte iudicauit de duabus mulieribus, quarum quælibet contendebat vnius pueri esse mater. 3. Reg. 3.

Constituit Iosaphat rex Iuda principes terræ præcipiēs eis: Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit, sit timor Domini vobiscum, &c. 2. Paralip. 20.

Ad suggestionem Aman rex Assuerus iniuste dixit de populo, Age quod placet tibi. Esther. 3.

De iudicibus Israel dicebat Isaias: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillum non iudicant. Isa. 1.

Quia Hieremias à Domino missus prophetabat Hierusalem esse capiendam à Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi: Rogamus vt occidatur homo hic. qui respondit eis: Ecce ipse est in manibus vestris. non enim fas est vobis regem quidquam negare. Hier. 38.

Nabuchodonosor rex Babylonis, iussit Sapientes Babylonis interfici, pro eo scilicet quod illi somnium quod viderat, non poterant iudicare ei. Dan. 2.

Quamuis Darius rex Persarum innocentem sciret esse Danielem, tamen ad instantiam satraparum fecit eum mitti in lacum leonum, Dan. 8. Simile accipit. Dan. 14.

Discrete examinauit Daniel duos senes, qui contra Susannam iniquum tulerant testimonium. Dan. 13.

Cum superaretur Menelaus in iudicio coram Antiocho, per pecuniam quam promisit, absolutus fuit, & accusatores eius iniqua morte damnauit. 2. Mach. 4.

Conquesti sunt Iudæi coram Antiocho rege, de iniqua morte Oniæ. Contristatus autem Antiochus, licet alias esset malus Andronicum purpura exutum in eodem loco, in quo ipsum Oniam occiderat, iussit vita priuari. 2. Mach. 4.

Nimis iniquum protulit Herodes iudicium, quando mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, &c. Matth. 2.

Ad petitionem vnius saltatricis fecit Herodes Tetrarcha Ioannem Baptistam in carcere decollari: cum tamen sciret eum virum iustum, & sanctum. Mar. 6.

Nicode-

Nicodemus dixit Pharisæis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit quid faciat? Ioan. 7.

Nequissimum fuit iudicium, quo Pilatus dimisit Barabam homicidam, latronem, seditiosum, & Dominum IESVM voluntati tradidit Iudæorum. Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

Sacerdotibus, & magistratibus templi denuntiantibus Petro, & Ioanni, ne docerent aliquid in nomine IESV CHRISTI: responderunt Apostoli dicentes: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deũ, iudicate. Act. 4.

Cum Paulus eiecisset dæmonium à puella pythonissa, accusatus fuit à dominis eius, quibus illa quæstum diuinando parabat: magistratus autem statim fecerunt Paulum, & Silam virgis cædi, & in carcerem mitti. Act. 16.

Iudæis accusantibus Paulum. Gallio Proconsul dixit: Si esset iniquum aliquum aliquid, aut facinus pessimum ô Iudæi, recte vos sustinerem. Si vero quæstiones sunt de nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis: iudex horum nolo esse. Act. 18.

Principes sacerdotum præcepit percutere os Pauli. Tunc ait Paulus: Percutiet te Dominus paries dealbate. Et tu sedens iudices me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Act. 23.

Licet Paulus coram Felice præside se rationabiliter excusasset, voluit tamen Felix gratiam præparare Iudæis, & Paulum vinctum successori suo Festo reliquit. Act 14.

Dixit Festus præses: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Act. 25.

Festus volens acquiescere Iudæis qui petierunt, vt Paulus Hierusalem mitteretur, dixit Paulo: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi iudicari de his apud me? Respõdens Paulus: Ad Tribunal Cæsaris sto, &c. Cæsarem appello. Tunc Festus cum concilio locutus, dixit: Cæsarem appellasti? Ad Cæsarem ibis. Act. 25.

Auditis rationibus Pauli: Agrippe rex, & Festus præses loquebantur adinuicem, dicentes: Quia nihil dignum morte fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem. Act. 26.

CAPVT LXI.

De pœnitentia.

QVamdiu mansit Maria extra castra, non processerunt filii Israel per desertum. Num. 12.

Non enim est bonum ire per desertum huius vitæ sine amaritudine pœnitentiæ.

Audiens populus filiorum Israel Dominum esse iratum, propter murmurationem eorum, luxit nimis & in mane voluerunt plus facere, quam Dominus præciperet eis Num. 14.

Ad vocem Angeli improperantis populo peccatori beneficia Dei, eleuauerunt omnes vocem suam, & fleuerunt. Iudic. 2.

Dixerunt filij Israel ad Dominum, Peccauimus. tu redde nobis id quod placet. & omnia idola proiecerunt. Sequitur. Qui doluit super miseriis eorum. Iudic. 10.

Cito pœnituit Dauid, quando Nathan ipsum de crimine reprehendit. 2 Reg. 12.

Achab rex Israel sceleratissimus, operuit carnem suã cilicio, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, & minorata est pœna digne illi pro criminibus infligenda. 4. Reg. 21.

Manasses rex Iuda vinctus catenis, & in Babylonem ductus egit pœnitentiam valde coram Domino, & reduxit eum Dominus in Hierusalem in regnum suum. 2. Paralip 33.

A Lamentante Esdra pro peccatis populi dictum est ei: Si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, &c. 1. Esdr. 10.

Audita terribili potentia Holofernis, sacerdotes induerunt se ciliciis. & ex toto corde omnes orabant Dominum vt visitaret populum suum. Iudith. 4. Et in laude Iudith dicitur, quod habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suę, præter sabbata, & neomenias & festa domus Israel. Iudith 8.

Quamuis Iob esset vir simplex. & rectus, & timens Deum: & recedens à malo, tamen dicebat: Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere Iob 42.

Instante captiuitate Hierusalem, dicebat Isaias: Vocauit Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad

B caluitium, & ad cingulum sacci, &c. Isa 22. Niniuitę crediderunt Domino ad prædicationem Ionæ, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacco à minore vsque ad maiorem, Ion. 3.

Appropiante exercitu Timothei, Machabæus & qui cum ipso erãt, precabantur Deum caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti ad altaris crepidinem prouoluti, vt sibi esset propitius, & inimicis eorum inimicus. 2. Mach. 10.

Ioãnes Baptista sanctificatus antequam ex vtero matris natus, à sanctis parentibus educatus fugit in desertum, & ibi tam austeram vitam duxit, quod dicebatur, neque bibens, neque comedens, Matth. 3 Et addit Bernardus: Plane neque vestiens, quia pili camelorum non sunt vestis humana.

C Quam libenter recipiat Dominus peccatores ad pœnitentiam ex his apparet, quia prædicationem suam à pœnitentia legitur incepisse. Matth. 4.

Item ad hoc asserit se venisse. Luc. 5. Item hoc ipsum per opera demonstrauit. exemplum de Maria, de Matthæo, de Zachæo, de Petro. Item per similitudines quas ponebat de oue, quæ periit in deserto: de drachma quã mulier perdidit in domo: de filio, quem pater reputabat mortuum, & postea suscitatus est. Luc 15.

Maria Magdalena exemplo pœnitentiæ non iussit, venit ad Dominum, conuiuantes non erubuit, à retro secus pedes Domini stetit, inter epulas lacrymas obtulit. Luc. 7.

Vt induceret Dominus homines ad faciendum pœnitentiam ponit exemplum, de quibusdam super quos

D cecidit turris in Soloe, & occidit eos, & subdit: Si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.

Ad exemplum ouis quæ perierat, vel drachmę quam mulier perdidit, sed postea inuentæ fuerunt, dicit Dominus gaudium magnum in cælo esse super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Leuem & breuem pœnitentiam iniunxit Dominus mulieri in adulterio deprehensæ dicens: Vade, & iam amplius noli peccare. Ioan. 8.

Videns Iudas quod damnatus esset IESVS pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens peccaui, tradens sanguinem iustum. Matth 27. bonum quidem dixit, sed quia desperauit, veniam non meruit.

E Petrus peccauit negando Dominum in atrio principis sacerdotum, sed quando flere, & pœnitere voluit, foras exiuit Matth. 26. Mar. 14. Et nota quod Luc. 22. Additum est: Conuersus Dominus respexit Petrum.

Quærentibus quibusdam Iudæis corde compunctis, quid faciemus viri fratres. Ait illis Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c Act. 2.

Auditis rationibus Petri, quare iuerat ad Cornelium, & eum baptizauerat, tacuerunt fratres, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo, & Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. Act. 9.

CAPVT LXII.

De honore parentum.

SEm, & Iapheth benedictionem patris commeruerunt, quia nudato obsequium præbuerant. Cham vero in filio suo maledictus fuit, quia nuditatem derisit. Gen. 9.

Magnæ reputationis erat apud antiquos benedictio patris, vt patet in Iacob, & Esau, qui ambo ipsam tam sollicite quæsierunt. Gen. 37.

Licet Esau esset malus homo reprobatus à Deo, & odio haberet fratrem suum Iacob, nolebat tamen occidere ipsum viuente patre suo Isaac. vnde dicebat: Veniēt dies luctus patris mei, &c. Gen. 27. In hoc deferens patri, & timens offensam eius.

Ad magnam pœnitentiam se obligabat Iudas cum dixit patri de Beniamin: Nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Gen. 43 Et notandum est quod prius 42. cap. dixerat Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero eum tibi. & tamen pater non acquieuit illi: acquieuit autem Iuda dicenti prædicta verba. Idem Iudas post ea supplicans Ioseph, vt Beniamin ad patrem remitteret, & inter cetera repetiit prędicta verba, quibus se obligauerat patri, & subiunxit: Non possum redire ad patrem absente puero, ne calamitatis quę oppressura est patrem meum, testis assistam. Gen. 44.

Iacob benedicens filios, dixit contra Ruben: Effusus es sicut aqua non crescas. quia ascēdisti cubile patris tui, maculasti stratum eius. Gen. 49.

Præcepit Dominus per Moysen. Deut. 21. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, &c. Sequitur, lapidibus eum obruet populus ciuitatis.

Reddidit Dominus malum quod fecerat Abimelech contra patrem suum interfectis septuaginta fratribus suis. Iudic. 9.

Non audierunt filii Heli patrem ipsos corripientem. 1. Reg. 2. Ideo diuinam vltionem experti sunt. 1. Reg. 4.

Quia Ionathas gustauit paululum mellis contra inhibitionem patris, morti adiudicatus est à patre. sed tamen à populo liberatus est 1. Reg. 14.

Dauid à facie Saul fugiens, & in magna necessitate existens, habuit curam parentum suorum, & recommēdauit eos diligenter, apud regem Moab. 1. Reg. 15. Et deinceps.

Venienti Bersabee matri Salomonis assurrexit rex, adorauitque eam, & positus est thronus matri regis, &c. 2. Reg. 2

Duo filij Sennacherib occiderunt eum: sed tamen neuter eorum regnauit post eum. 4. Reg. 19.

Tobias senior instruēs filium inter cetera dixit: Cum acceperit Deus animam meam, corpus sepeli, & honorem habebis matri tuæ. Tob. 4.

Eiiciens Dominus de templo cum flagellis vendentes, & ementes oues, & boues, & numularios, dixit: Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Ioan. 2. In hoc, & alias multotiens honorem patris quærens.

De puero IESV dicitur, Descendit cum illis, scilicet cum Maria, & Ioseph, & venit in Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2.

Ipse etiam dixit: Ioan. 8. Honorifico Patrem meum. Idem Dominus pendens in cruce, matrem suam dilecto discipulo commendauit. Ioan. 19. In quo apparuit, quam sollicitudinem gerebat de ipsa, qui in tali articulo existens de ea, taliter cogitabat.

* * *

CAPVT LXIII.

De gratiis agendis pro beneficijs Dei.

SOllicite gratias agebat Deo Iacob dicens. Gen. 32. Domine minor sum cunctis miserationibus tuis, &c.

Voluit Dominus, vt liberatio filiorum Israel de Ægypto nunquam excideret de eorum memoria. Exod. 13. Erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, vt lex Domini sit semper in ore tuo.

Fecerunt Moyses & filij Israel carmen Domino, & dixerunt: Cantate Domino, postquam scilicet tam mirabiliter transierunt mare rubrum. Exod. 15.

Obtenta de inimicis mirabili victoria venerunt ad Moysen principes exercitus Israel dicentes, quod nullus fuerat de filiis Israel in bello occisus, & tamē hominum & animalium rapuerunt magnam prædam. Num. 31. & ob hanc causam donaria magna Domino obtulerunt.

Præcepit Dominus, vt post transitum Iordanis miraculosum ponerentur duodecim duri lapides in perpetuum monimentum. Ios. 4.

Post victoriam de Sisara habitam, Barach, & Debbora Domino cecinerunt. Iud. 5.

Quamuis filij Israel in præliis, vbi vincebant, fortiter dimicarent: tamen dicebatur Dominus percutere inimicos, vt laus Deo attribueretur, Iud. 20.

Audiens Dauid reuelationem, quam fecerat Deus Nathan Prophetæ de regni sui duratione, gratias egit valde humiliter & deuote. 2 Reg. 7.

Orauit & laudauit Dominum Anna pro filio sibi dato. 1. Reg 2.

Multum laudandus est Deus, quando dat populo bonum Principem, vel Prælatū. 2. Reg. 5. Benedictus Deus, qui dedit Dauid filium sapientissimum super hunc populum.

Cyrus Rex Persarum fecit clamari, Omnia regna terræ dedit mihi Deus cæli, &c. quis est in vobis de vniuerso populo eius? sit Deus cum ipso, & ascendat Hierusalem 1. Esdr. 1.

Cum Tobias recuperasset visum ipse, & vxor eius. & omnes qui sciebant eum glorificabant Deum. Tob. 11.

Omnis populus post victoriam de exercitu Holofernis habitam venit in Hierusalem adorare Dominū, &c. Iudith. 16.

Reuelata Danieli visione Nabuchodonosor regis Babylonis benedixit Deo cæli, & ait: Sit nomen Domini benedictum, quia sapiētia & fortitudo eius sunt. Dan. 2.

Deuote & pulchre exsoluerunt laudes Deo illi pueri de fornacis incendio liberati, & non solum illi hac de causa gratias egerunt Deo, sed etiam Nabuchodonosor prædicari fecit mirabilia Dei in toto regno. Dan. 3.

Mundato templo, & altari erecto sub Iuda Machabæo adorauerunt & benedixerunt in cælum eum qui prosperauit eos. 1. Mac. 4.

Iudas Machabæus, & populus Hierosolymorum scripserunt Aristobolo, dicentes: De magnis periculis à Deo liberati magnifice gratias agimus ipsi, &c. 2. Mach. 1.

Deuicto Timotheo per Iudam Machabæum, & capto quodam forti pręsidio: in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit cum Israel. 2. Mach. 10.

Beata Virgo audita laude, quam dixit Elisabeth, Benedicta tu, &c. in vocem laudis prorupit pro beneficiis sibi, & toti mundo collatis. Luc. 1.

Quando volebat Dominus IESVS aliquod grande opus facere: frequenter legitur in cælum suspexisse, & gratias egisse, sicut patet in panis multiplicatione: Matt. 14. Io. 6. In Lazari suscitatione. Io. 11. In Eucharistiæ institutione. Matth. 26. Luc. 22.

Nato Ioanne Baptista Zacharias recuperato loquendi officio Deum prophetando laudauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel Luc. 1.

Accepit Simeon puerum IESVM in vlnas suas,& benedixit Deum,&c. Luc.2.

Videntes turbæ Paralyticum à Deo curatum glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Matth. 9. Item filio viduæ suscitato, acceperunt omnes timorem,& magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus,&c. Luc.7.

Vnus illorum decem leprosorum ad mandatum Domini mundatus regressus est, & cecidit in faciem suam ad pedes eius, gratias agens. Luc.17.

Postquam cœnauit Dominus cum discipulis suis subditur: Et hymno dicto exierunt in montē oliuarum. Mat. 26. Mar.14.

Claudus à Petro sanatus, intrauit cum Apostolis in templum ambulans & exiliens,& laudans Deum. Act.3. sequitur postea quarto capitulo: Omnes glorificabant id quod factum fuerat. annorum enim erat homo ille plus quam quadraginta.

Gratias agebat Paulus pro beneficiis sibi & aliis à Deo collatis, sibi quidem in sua conuersione. 1. Tim.1.

Gratias ago ei qui me confortauit in CHRISTO, qui prius fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum. Item in sua conuersatione. 2. Cor. 2. Deo gratias qui semper triumphat nos in CHRISTO IESV, &c. Item pro beneficiis fratribus collatis gratias deuote agebat. Rom. 1. Primum quidem gratias ago pro omnibus vobis: quia fides vestra in vniuerso mundo annuntiatur. 1. Thess.3. Quam gratiarum actionem possimus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaudemus, &c. Item gratias agere in omnibus admonebat. Eph. 5. Gratias agētes semper pro omnibus,& 1. Tessal. 5. Semper gaudete, sine intermissione orate,&c.

CAPVT LXIV.

De gratitudine pro beneficijs ab homine acceptis.

CVm percussisset Abraham quattuor reges, & omnem substantiam, quam illi rapuerant, reduxisset, rex Sodomorum egressus est in occursum eius,& omnia obtulit ei animabus exceptis. Gen. 14. Vbi notandum est, quod licet Abraham oblata respuerit, tamen bene voluit, vt socij sui partem haberent de præda, tanquam eorum suffragio non ingratus.

Videns Laban iocalia, quæ seruus Abraham dederat Rebeccæ sorori suæ, venit ad illum & dixit ei: Ingredere benedicte Domini, & eum in hospitio cum multa humanitate recepit. Gen.24.

Postquam Iacob seruierat Laban auunculo suo multis annis, dixit ei Laban: Num quia frater meus es, seruies mihi? &c. Gen.29.

Pharao Rex Ægypti multum fuit gratus Ioseph pro expositione somnij sui, & eum magnifice sublimauit, Gen.41.

Raguel Sacerdos Madian gratus fuit, pro eo quod Moyses filias eius defenderat, & ad gregem adaquandū iuuerat, vnde fecit eum vocari, vt cōmederet,& dedit ei filiam suam vxorem. Exod.2.

Valde sollicitus fuit Iosue, ne Rahab qui nuntios ab eo missos abscōderat, ciuitate Iericho cuēte periret. Ios.6.

Cum liberasset Gedeon Israel ab inimicis, dixerunt omnes ad eum: Dominare nostri tu & filius tuus, quia liberasti nos de manibus Madian. Iudic. 8.

Dixit Noemi, commendans Booz. qui Ruth benigne viderat, benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Ruth 2.

Quia Cinæus bene se habuerat ad filios Israel pepercit ei Saul, quando destruxit Amalech. 1. Reg.15.

Dixit Dauid ad Abiathar, cuius pater dilexerat ipsum Dauid, Mane mecum ne timeas, si quis quæsierit animā tuam, quæret & meam, 1. Reg.22.

Misit Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, qui sepelierant corpus Saul, & filiorum eius, & gratias egit eis. 2. Reg.2.

Propter amorem Ionathæ filij Saul, inquisiuit Dauid, si erat aliquis superstes de genere eius, & constituit Miphiboseth filium Ionathæ conuiuam mensæ suæ. 2. Reg.9.

Regina Saba munera attulit Salomoni: ille vero dedit ei omnia, quæ petiit, exceptis iis, quæ vltro obtulit ei munere regio. 3 Reg.10.

Elias pie compassus est viduæ apud quam sustentabatur, & efficaciter orauit pro filio illius defuncto ita quod ipsum à mortuis suscitauit. 3. Reg.7.

Allegauit Abdias beneficium, quod contulerat Prophetis Domini, quos absconderat, quando quærebantur ad mortem ad hoc scilicet, quod Elias ei nuntium periculosum iniungere non deberet. 3. Reg.18. Ascensurus in cælum Elias bene remunerauit discipulum suum Eliseum. 4. Reg.2.

Mulieri Sunamitidi hospitæ Elisei benigne obtulit, vt loqueretur pro ea regi, si apud illum haberet negotium. Item filium eidem impetrauit,& postea mortuum suscitauit. 4. Reg.4.

Naaman Syrus mundatus à lepra ad verbum Elisei, obtulit ei munera dicens, Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo. 4. Reg.5.

Accusatores Iudæorum miserunt epistolam Artaxerxi regi, Memores salis, quod in palatio comedimus. Et quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus, &c. 1. Esdr.4.

Tobias iunior cum multa gratitudine retulit patri suo beneficia à Raphaele percepta. Tob.12.

Hester regina non fuit ingrata Mardochæo nutritori suo. Hest.4.& 5.

Nabuchodonosor rex Babylonis audita expositione somnij sui per Danielem, in sublime eum extulit; & magna munera dedit illi. Similiter Balthasar honorauit eū pro eo, quod expo suerat ei scripturam, quam in pariete viderat. Dan.2.& 5.

Audiens Iudas Machabæus, quod Scythopolitæ bene se habuerant ad Iudæos in tempore tribulationis eorum gratias egit eis, &c. 2. Mach.12.

Seniores Iudæorum dixerunt Domino IESV de Centurione pro seruo infirmo rogante, Dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificauit nobis, Luc.7.

Pie & plene recognoscebat Paulus beneficia sibi collata, vnde Gal. 4. Sicut Angelum Dei recepistis me, & si fieri potuisset oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi. Item Phil. 4. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis.&c. Item 2. Tim.1. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, qui sæpe me refrigerauit,& catenam non erubuit, &c.

Item pro Onesimo seruo Philemonis, qui ei ministrauerat in carcere, scribit eidem Philemoni efficaces litteras.

CAPVT LXV.

De ingratitudine.

PRæpositus pincernarum succedentibus prosperis oblitus est Ioseph interpretis sui. Gen.40.

Vtiliter & fideliter seruiuit Iacob auunculo suo Labā, & ille multotiens noluit eum valere. Gen.31.

Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses dixit ad Aaron: Fac nobis Deos. Exod.32. cito videbatur oblitus beneficiorum quæ receperat à vero Deo.

Filiis Israel in deserto vertebatur in tædium cibus optimus. sine labore de cælo datus, & flebant dicentes: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Num.11.

Angelus Domini improperauit filiis Israel beneficia à Deo collata, & quomodo illi abeuntes ruperant fœdus & transgressi erant Dei mandata. Iud.2.

Multa beneficia recepit Saul à Dauid, & tamen ad occidendum eum modis quibus poterat, laborauit. 1. Reg. 17. & post. quasi per totum.

Saluauit Dauid habitatores Ceilæ, & tamen voluerunt eum tradere in manus Saul ipsum persequentis. 1. Reg. 23.

Reddiderunt filij Ammon pro beneficio, & honore contumeliam, quando vituperauerunt nuntios Dauid, quos miserat ad consolandum regem eorum super patris interitu. 2. Reg. 10.

Ingrati fuerunt Dauid & Ioab Vriæ, quorum primus litteras mortis dedit, & alter crudeliter executus est. 2. Reg. 11.

Postquam Dauid reuocauit Absalom filium suum, & pepercit ei super homicidio, quod commiserat in fratrē suum, surrexit ipse Absalom contra patrem suum. 2. Reg. 15.

Non fuit Dauid bene memor amicitiæ, quam contraxerat cum Ionatha, quando nimis cito filium suum exheredauit. 2. Reg. 16.

Sublimauit Dominus Ieroboam super decem tribus, & statim ille libidine dominandi elatus populum auertit à cultu Dei. 4. Reg. 12.

Eliseus multa bona fecerat regi Israel, & toti populo, & tamen propter caristiam, quæ erat in terra præcepit caput eius amputari, sed Deus aliter ordinauit. 4. Reg 6.

Non est recordatus Ioas rex Iuda misericordię, quam fecerat Ioiada pontifex secum. sed interfecit Zachariam filium eius arguentem illum, eo quod Dominum reliquisset. 2. Paral 24.

Amasias rex Iuda diuino fretus auxilio vicerat Idumæos, & filios Seir, & tamen auferens Deos eorum adorauit illos. missus autem Propheta ad eum dixit: Cur adorasti Deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? 2. Paral. 25.

Ezechias non iuxta quod acceperat, retribuit Domino. Eleuatum enim est cor eius, &c. 2. Paral. 32.

Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, &c. Hest. 15.

Conquerendo dixit Dominus de populo Iudæorum Isa. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. & conuincit eos bestiis esse minus gratos subdens: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit.

Multa & magna beneficia volebat Dominus facere Achaz regi Iuda, prout mandauit ei per Isaiam, quæ tamen ille acceptare contempsit. Isa. 7.

Misit Ionathas fortes viros, qui liberauerunt regem Demetrium de manibus Antiochenorum, & postea alienauit se Demetrius à Ionatha, & non retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi tribuerat & vexabat eum valde. 1. Mach. 11.

De decem viris leprosis à Saluatore mundatis, vnus tantum regressus est magnificans Deum, & gratias agēs. Luc. 17.

Ingrati fuerunt Paulo domini puellæ pythonissæ, à qua Paulus spiritum malum eiecit. magis enim doluerunt de quæstu amisso, quam gauisi fuerint de dæmone expulso. Act. 15.

CAPVT LXVI.

Quod veritas odium parit.

BAlach rex Moab multum dolebat, quando Balaam bona dicebat de filiis Israel, licet essent vera, nec eum honorauit, sicut honorasset, si ei placentia verba dixisset. Num. 24 Decreueram quidem honorare te, &c.

Ioatham filius Gedeonis fugit à facie Abimelech, cum dixisset verum de eo & de illis, qui male eum elegerant. Iud 9.

Iratus est Saul contra Ionathan filium suum, quia ille excusabat Dauid, qui vere innocēs erat erga ipsum Saul. 1. Reg. 20.

Achab oderat Michæam propheta, quia ille dicebat ei veritatem. 4. Reg. 22. Ego, inquit, odi eum, quia nō prophetat mihi bonum, sed malum.

Cum increpasset Hanani propheta regem Asa, quia confisus erat in Benadad rege Syriæ, iratus est Asa, & iussit Videntem in neruum mitti. 2. Paral. 16.

Ad imperium regis lapidatus est Zacharias filius Ioiadæ, qui regem, & principes arguebat pro eo quod Dominum dereliquissent. 2. Paralip. 24.

Cum dixerat Achior magnalia quæ fecerat Deus pro filiis Israel, & magnam esse eius potentiam irati sunt omnes magistratus Holofernis, & cogitabant interficere eum: Holofernes etiam indignatus est vehementer. Iudith 5. & 6.

Clausit Hieremiam prophetam in domum carceris Sedecias rex Iuda, dicens: Quare vaticinaris, &c. Hier. 32.

Cum legisset Baruch verba, quæ scripserat ex ore Hieremiæ coram Ioakim rege Iuda, fecit rex in ignē proiici volumen, quia dicebatur ibi veritas de ciuitate Hierusalem capienda, & præcepit rex Baruch, & Hieremiam comprehendi: sed Deo volente tunc non fuerunt inuenti. Hierem. 36. Postmodum vero cum iterum prophetaret captionem ciuitatis, missus fuit in lacum, vbi non erat aqua, sed lutum, & descendit Hieremias in cœnum. Hier. 38.

Pro eo quod Daniel probauit Bel, & draconem non esse Deos, Babylonij conuenerunt aduersus eum ad regem, & procurauerunt Daniel mitti in lacum leonum. Dan. 14.

Ex bonis & veris sermonibus Eleazari, hi qui eum trahebant ad supplicium, & paulo ante fuerāt mitiores, in iram versi sunt. 2. Mach 6.

Quia Ioannes Baptista dicebat Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui: fecit eum Herodes incarcerari, & postea decollari. Matth. 14. Mar. 6.

Cum Dominus increparet de multis hypocritas Pharisęos, cœperunt ei grauiter insistere, & os eius opprimere de multis insidiantes ei, & quęrentes rapere aliquid ex ore eius, vt accusarent eum. Luc. 11.

Pharisæi cæco nato, à Domino illuminato male dixerunt, & extra synagogam eiecerunt, pro eo quod veritatem constantissime fatebatur. Ioan. 9.

Principes sacerdotum, audiētes verba Apostolorum de doctrina Christi, dissecabantur, & cogitabant interficere illos, & cæsis denuntiauerunt, ne amplius loquerentur in nomine IESV: & illi ibant gaudētes à conspectu cōcilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Act. 5.

Audientes Iudæi verba beati Stephani dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, & eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant. Act. 7.

Multos & magnos habuit aduersarios beatus Paulus, pro verbis veritatis, & sobrietatis, quæ ipse hominibus loquebatur. Act. 9. Et deinceps. Item ad Gal. 4. Ego inimicus sum vobis verum dicens.

CAPVT LXVII.

De mendacio.

PRimum mendacium fuit à serpente prolatum, quādo dixit mulieri: Nequaquam moriemini, Gen 3.

Sara timore perterrita à risu se mendaciter exausauit. Gen. 18.

Etiam fornicatores mendacium dicere dedignantur, sicut Iudas qui dixit: Mendacij arguere nos non poterit. Gen. 38.

Mendacium obstetricum, quod dixerunt Pharaoni filios Hebræorum iugulare nolentes, habuit remunerationem temporalem, & non æternam, licet fuerit illud mendacium valde officiosum. Exod. 1.

Multo-

Multotiens voluit Pharao decipere Moysen per mēdacium, sed tandem nihil ei profuit. Exod. 9. & 10.

Sedens & flens, dixit populus in deserto. Num. 11. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, &c. tamen nimis care emebant ea, quæ in Ægypto habebant.

Callide cogitantes Gabaonitæ voluerunt Iosue mendaciter decipere, sed ille bono vsus est consilio, eos in seruitutem redegit, nec initum fœdus rupit. Ios. 9.

Nunquam mendacium licet dicere, sed veritatem licet, & expedit quandoque tacere, sicut fecit Samuel dicens. 1. Reg. 15. Ad immolandum Domino veni. Ad aliud enim principaliter venerat, & nihilominus hoc facere proponebat.

Dixit Saul seruos suos coniurasse aduersum se, quia non capiebant Dauid, & dixit, Dauid seruum suum insidiari sibi: & ipse vere insidiabatur ei. 1. Reg. 22.

Occiso vnico filio Dauid, fama peruenit ad ipsum Dauid, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis. 2. Reg. 13. Sic faciunt homines, sæpe nuntiando rumores.

Officiose mentitus est Chusai Absalom, dicens: Sicut parui patri tuo, sic parebo, &c. 2. Reg. 17.

Vir Dei qui prædixit Ieroboam destructionem altaris sui, per falsi Prophetæ mendacium seductus fuit, & mandatum Domini præteriuit. 3. Reg. 13.

Duo falsi testes producti contra Naboth fuerunt causa lapidationis eius 3. Reg. 21.

Spiritus mendax in ore malorum prophetarum decepit Achab, vt iret ad pugnam, & ibidem fuit percussus ad mortem. 3. Reg. 22.

Per verba quæ dixit Iudith Holoferni decepit eum, licet excusetur per intentionem quam habuit. Iudith 11. & 12.

Pessimum mendacium adinuenit Aman, vt posset confundi Mardochæus, qui illum adorare nolebat. Esther 3.

Accesserunt ad Hieremiam principes, & vulgus quod remanserat post destructionem Hierusalem, & dixerunt se facturos, quidquid ille præciperet eis, siue bonum, siue malum: sed largam promissionem male tenuerunt. Hier. 42.

Pernitiosum & detestabile mendacium dixerunt duo senes presbyteri aduersus Susannam, quam tamen ex cōstantissima castitate commendare debebant. Dan. 13.

Antiochus rex misit principem tributorum in ciuitates Iuda & venit in Hierusalem, & locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & præcucurrit super ciuitatem repente, & percussit eam plaga, &c. 1. Mach. 1.

Cum obsideret Antiochus Eupator ciuitatem Hierusalem, nec posset capere eam, misit ad eos qui erant intus pacem facere. Et receperunt illam, & iurauit illis rex & principes. sed rupit citius iuramentum, & mandauit destrui murum, &c. 1. Mach. 6.

Alcimus qui volebat fieri summus sacerdos, dixit regi Demetrio: Perdidit Iudas, & fratres eius amicos tuos, &c. 1. Mach. 7. Deinde venit Alcimus in terram Iuda cū Bachide, & miserunt nuntios ad Iudam & fratres eius, & locuti sunt verbis pacificis in dolo, & tandem probatum est, quod non erat in eis veritas, & iudicium. 1. Mach. 7.

Promisit rex Demetrius Ionathæ, quod redderet ei arcem, sed cum liberatus fuisset per Iudæos quos misit ei Ionathas, mentitus est Demetrius omnia quæcunque dixit, & alienauit se à Ionatha, &c. 1. Machab. 11.

Misit Simon Tryphoni centum talenta argenti, & duos filios Ionathæ pro liberatione ipsius, quia promiserat Tryphon remittere Ionathan, si hoc fieret ei: sed mentitus est ei Tryphon, quia argentum retinuit, & patrem cum filiis interfecit. 2. Mach. 13.

Mentiti sunt contra Dominum IESVM CHRISTVM Iudæi, præcipue Scribæ & Pharisæi, qui magis inuidebant ei, dicentes esse peccatorem, potatorem, mendacem, voracem, prohibentem dari tributa Cæsari, gentis subuersorem, & turbæ seductorem, dæmoniacum, & blasphemum.

Nequissimum mendacium excogitauerunt Iudæi, quando corruperunt custodes dominici sepulchri, vt dicerent, quod discipuli nocte furati erant corpus Domini. Matth. 28.

Ananias & vxor eius Saphira, mentiti sunt Petro de pretio agri venditi, quod mendacium fuit per Petrum grauissime vindicatum. Act. 5.

Iudæi statuerunt duos falsos testes contra beatum Stephanum, dicentes: Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum, & legem. Act. 6.

Contra beatum Paulum multa adinuenta sunt mendacia. Nam illi quæstuarij, qui habebant puellam pythonissam in Philippis, à qua Paulus spiritum pythonem eiecerat, dixerunt magistratibus ciuitatis: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi, & annuntiant morem quem non licet nobis suscipere. Act. 16.

Item apud Athenas dicebant quidam: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alii vero dicebant: Nouorum dæmoniorum annuntiator esse videtur. Act. 17.

Rursus etiam Hierosolymis quidam Iudæi iniecerunt ei manus clamantes, Viri Israelitæ adiuuate. Hic est homo qui aduersus populum, & legem, & locum hunc omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Act. 21.

Postea coram Felice Præside Tertullus orator Iudæorum dixit eum hominem pestiferum, & concitantē seditionem Iudæis in vniuerso orbe. Act. 24.

Præterea in insula Melitæ, videntes Barbari viperam in manu Pauli pendentem, dicebant adinuicem; Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio eum viuere non sinit. Act. 28.

Testatur etiam ipse Paulus de seipso. Rom. 3. Aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est.

Item 2. Cor. 10. dicebant quidam Iudæi, Epistolæ graues sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis, &c.

CAPVT LXVIII.

De proditione.

PAtiente Saule vexationem à dæmone, Dauid coram ipso psallebat, & ille nisus est eum configere parieti cum lancea quam tenebat. 1. Reg. 18. & 19.

Saul promisit se daturum filiam suam Dauid, vt per occasionem posset à Philistæis occidi. 1. Reg. 18.

Saluauit Dauid habitatores Ceilæ ab exercitu Philistinorum oppugnantium ciuitatem, & voluerunt eum tradere Sauli ipsum ad mortem quærenti. 1. Reg. 23.

Postquam Saul fleuerat, quasi dolore de persecutione Dauid, & Dauid ei iurauerat, persecutus est ipse Saul Dauid ita nequiter & acriter, sicut primo fecerat. 1. Reg. 24. Et deinceps.

Vrias detulit ad Ioab ex parte Dauid, litteras mortis suæ. 2. Reg. 11.

Amnon filius Dauid vocauerat sororem suam Thamar, quasi de manu illius cibum sumere deberet, & postea oppressit eam. 3. Reg. 12. Vocauit Absalom ad conuiuium fratrem suum Amnon, & ibidem occidit eum. 2. Reg. 13.

Cum salutasset Ioab Amasam, quasi osculari eum vellet, percussit eum in latere, & effudit intestina illius. 2. Reg. 20.

Zambri dux mediæ partis equitum, occidit Ela dominum suum, & regnauit post eum septem diebus tantum. obsessus enim fuit, & succendit se, & palatium in quo erat. 3. Reg. 16.

Sellum filius Iabes coniurauit contra Zachariam regem Israel dominum suum, & interfecit eum, & regnauit pro eo vno mense tantum. 4. Reg. 15.

Cum adoraret in templo Sennacherib Deum suum, duo filij sui percusserunt eum: sed tamen neuter eorum regnauit pro eo post illum. 4. Reg. 19.

Quidam inimici Nehemię, voluerunt fœdus cum eo malitiose percutere, & cogitabant facere ei malum. Dederunt etiam pretium, vt eum ducerent in peccatum. Nehem. 6.

Duo ianitores regis Assueri, qui in primo palatij limine pręsidebant, voluerunt in regem insurgere, & occidere eum. Esther. 2.

Venit Ismael filius Nathaniæ, & multi alij cum eo, & comederunt cum Godolia, quem præfecerat rex Babylonis terræ Iuda, & post prandium surrexerunt, & occiderunt eum, qui nihil mali voluerat credere contra illos. Hier. 41.

Antiochus rex misit principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit in Hierusalem: & locutus est cum eis, qui erant intus verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & irruit repente super ciuitatem, & percussit eam plaga, &c. 1. Mach. 1.

Cum obsideret Antiochus Eupater Hierusalem, nec posset eam capere, misit ad illos, qui intus erant pacem facere, & receperunt illam, & iurauit eis rex, sed rupit citius iuramentum, & mandauit destruere muros in gyro, 1. Mach. 6.

Ptolemæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi suo dolo, & cum intraret ciuitates Alexandri cum magno exercitu, & reciperetur in eis honorifice de mandato Alexandri, ponebat custodias militum in eis. 1. Mach. 11.

Videns Tryphon quod Ionathas venit cum exercitu magno, & multo, iussit retineri paucos, & alios remitti: & cum factum fuisset, captus est Ionathas cum mille viris quos retinuerat, & alij sunt reuersi. 1. Machab. 12.

Cum ambularet Tryphon cum rege Antiocho adolescente domino suo, dolo occidit eum, & regnauit loco eius. 1. Mach. 13.

Ptolemæus filius Abobi gener summi sacerdotis, fecit conuiuium Simoni, & duobus filiis eius, & cum inebriati essent, occidit eos. 1. Mach 16.

Cum venisset Apollonius Hierosolymam pacem simulans quieuit vsque in diem sabbathi: & tunc feriatis Iudæis ingentem multitudinem peremit. 2. Machab. 5.

Audiens Iudas Machabæus, quod illi, qui obsidebant turres, vbi erant inimici Gentiles pecuniam receperint, & quosdam abire permiserant, illos tamquam proditores, & fratrum venditores interfecit, & confestim turres occupauit. 2. Mach 10.

Omnes alias proditiones in nequitia, & peruersitate superat illa quam facinorosissimus Iudas contra Dominum procurauit, quod Dominum, & magistrum suum vendidit pro tantillo pretio, & in manus hostium tradidit osculando. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Accesserunt quidam Iudæi ad principem sacerdotum, & seniores, dicentes eis, vt facerent quod tribunus Lysias, qui Paulum tenebat vinctum, adduceret eum in medium, tanquam essent de eo aliquid certius cogituri. Ipsi vero statim parati erant interficere illum. Act. 23.

CAPVT LXIX.

De adulatione.

CHORE & complices eius cum stetissent aduersus Moysen, & Aaron dixerunt: Sufficiat vobis, quod omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus. in quo apparet, quod captabant beneuolentiam populi. Num. 16.

Adolescens narrans mortem Saul & filiorum eius occisus fuit de mandato ipsius Dauid. putabat autem se prospera nuntiare. 2. Reg. 1.

Duo latrones quod filium Saul Isboseth occiderunt, & caput eius attulerunt ad Dauid, placere ei crediderũt, sed Dauid bene ostendit, quod sibi displicuit. 2. Reg. 4.

Dicebat Absalom homini negotium habenti coram rege Dauid: Videntur mihi sermones tui boni & iusti, & non est qui te audiat constitutus à rege. 2. Reg. 15.

Mali Prophetæ dicebant Achab regi Israel de bello futuro prospera, sed quæ illum velle sciebant. 3. Reg. 22.

Post obitum Ioiadæ sacerdotis, principes Iuda adorauerunt regem, qui delinitus obsequiis eorum acquieuit eis, & dereliquerunt templum Domini, seruieruntque lucis & sculptilibus. 2. Paral. 24.

Ædificantibus templum filiis Iuda post reditum de captiuitate, hostes eorum scripserunt Artaxerxi regi: Nos memores salis, quod comedimus in palatio, & quia læsiones regis videre nefas ducimus, &c. 1. Esdr. 4.

Nabuchodonosor dixit maioribus natu, & ducibus bellatorum suorum, cogitationem suam esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio, quod cum placuisset omnibus, &c. Iudith. 2.

Rex Assuerus iratus contra Vasthi reginam interrogauit sapientes consiliarios suos, cui sententiæ Vasthi subiaceret, qui non temperauerunt regis furorem, nec excusauerunt absentem, sed respondit vnus, Regis iusta est indignatio. Hest. 1.

Amici Aman, & vxor eius aduertentes pessimum animum, quem habebat erga Mardochæum, non increpauerunt eum, sed dixerunt: Iube parari excelsam trabem. &c. Hest. 5.

Principes & Satrapæ Darij regis Persarum cupientes, quod rex iniquum statueret decretum, proposuerunt aliquid, quod videbatur pertinere ad honorem ipsius. Dan. 6.

Alcimus proditor impius, quod volebat fieri summus Sacerdos, dixit regi Demetrio: Perdidit Iudas & fratres eius amicos tuos. Sequitur postea, quod Alcimum hunc constituit rex in sacerdotio, & mandauit ei facere vltionem in filios Israel. 1. Mac. 11.

Recedentibus discipulis Ioannis cœpit contra illos qui palā laudant, & occulte detrahunt Dominus, ipsum mirabiliter commendare. Matth. 11.

Pharisæi volentes capere CHRISTVM Dominum in sermone, cœperunt magnas laudes ei dicere: Magister scimus, quia verax es, &c. Matth. 22.

Videns Herodes Agrippa rex magnus, quia placeret Iudæis hoc quod quosdam de Ecclesia ceperat, apposuit apprehendere Petrum, &c. Act. 12.

Herodi nequissimo regi, quod occiderat Iacobum. & incarcerauerat Petrum, populus acclamabat voces Dei, & non hominis. Act. 12.

Orator Tertullus contra Paulum à principe sacerdotum adductus in principio orationis adulatus est Felici præsidi. Act. 24.

CAPVT LXX.

De derisione & conuitijs.

VIri Sochot & Phanuel deriserunt Gedeonem Zebee & Salmana persequentem, sed inde male eis accidit: quia male eos postea tractauit. Iudic. 8.

Contempsit Nabal verba nuntiorum Dauid stomachando dicens: Quis est iste Dauid, & quis est filius Isai, hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos. 1. Reg. 25.

Michol videns regem Dauid saltantem ante arcam Domini despexit eum, & postmodum insultando vel deridendo dixit ei, Quam gloriosus fuit hodie rex, &c. 2. Reg. 6.

Deriso-

Derisorie vel Ironice dixit impia Iezabel ad Achab, Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel. 4. Reg. 21.

Quia pueri illuserunt Eliseo dicentes: Ascende calue: duo vrsi lacerauerunt quadragintaduos ex eis. 4. Reg. 2.

Cursores quos misit Ezechias, pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem prædicantes, vt filij Israel reuerterentur ad Dominum illis irridentibus, & subsannantibus eos. 2. Paralip. 30.

Mittebat Dominus Prophetas quotidie commonens eo quod parceret populo & habitaculo suo: at illi subsannabant nuntios Domini, & paruipendebant sermones eius, illudebantque Prophetis. 2. Paral. 36.

Sannabalath & Tobias audierunt, quod ædificabatur murus Ierusalem, & irridebant Iudæos ædificantes. Nehe. 3. & 4.

Excæcato Tobia parentes & cognati eius irridebant vitam eius dicentes, Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas. Tob. 2.

Videns Nicanor holocausta, quæ offerebantur à Iudæis pro rege, irridens spreuit eos, & polluit, & locutus est superbe, &c. 1. Mac. 7.

Antiochus crudelis Tyrannus ex verbis septimi fratris, accensus ira in illum super omnes crudelius deseuiit, indigne ferens derisum se. 2. Mac. 7.

Derisus fuit multipliciter Dominus IESVS CHRISTVS. require in rubrica de patientia & mansuetudine.

Quidam Iudæi videntes discipulos Domini loquentes variis linguis post effusionem Spiritus sancti, irridebant dicentes: Quia musto sunt pleni isti. Act. 2.

Cum audissent Athenienses resurrectionem mortuorum, quam annuntiabat Paulus, quidam quidem irridebant: quidam vero dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Act. 17.

CAPVT LXXI.

De detractoribus & maledicis.

IMPIE detraxit Ioseph innocenti & pudico domina eius apud virum suum. Gen. 38.

Cui dubium est quod pessime cogitetis. Dixit Pharao Moysi Exod. 10. per quod patet pessimos homines quandoque viris optimis inique imponere, & falsa cum multa audacia affirmare.

Locuta est Maria & Aaron aduersus Moysen modica occasione assumpta, sed cito secuta est vltrix pœna, Num. 12.

Detraxerunt filii Israel terræ promissionis in malum suum. Num 14.

Occasione seditionis Chore & complicum eius fuerunt multi terribiliter occisi, & post murmurauit multitudo contra Moysen & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini, &c. Num. 16.

Quamuis esset malus Balaam, tamen dixit, quod nequaquam malediceret populo, cui benedixerat Dominus. Num. 22. & quo ad hoc multi inueniuntur deteriores illo, quod libentius & frequentius maledicunt & detrahunt bonis, quam peruersis.

Saul fuit in principio valde bonus, & tamen dixerunt quidam filij Belial, Num saluare nos poterit iste. 1. Reg. 10.

Occasione Doeg Idumæi deferentis Sauli, quod Achimelech sacerdos confortauerat Dauid, occidit Saul octogintaquinque viros portantes Ephod, & multos alios paruulos & mulieres. 1. Reg. 22.

Satrapæ Philistinorum procurauerunt apud Achis regem Geth, quod Dauid qui iudicio eius bonus erat, fuit amotus de honesto officio, in quo eum posuerat. 1. Reg. 29.

Adolescentem narrantem Saul & filiorum eius mortem iussit Dauid interfici, tamen putabat se ille prospera nuntiare.

Principes filiorum Amon, dixerunt ad dominum suum Putas quod propter honorem patris tui, Dauid miserit ad te consolatores, &c. 2. Reg. 10. & sic peruerterunt simplicem, & puram intentionem Dauid.

Absalon ambiens regnum dicebat habenti negotium coram rege, Non est qui te audiat constitutus à rege, &c. 2. Reg. 15.

Siba seruus Miphiboseth nequiter detraxit domino suo apud Dauid, & fides nimis cito fuit adhibita prius illius verbis. 2. Reg 16.

Ædificantibus templum filiis Iuda, qui redierant de Babylone: hostes eorum inique miserunt epistolam Artaxerxi regi, vt opus faceret intermitti. 1. Esdr. 4.

Cum Sara filia Raguelis increparet vnam de ancillis pro culpa sua, respondit, Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum, &c. Tob. 3.

Occasione solius Mardochæi, qui superbissimum Aman adorare nolebat, ipse Aman suggessit regi Assuero, quod populus Iudæorum regis iussa contemneret, & per totum regnũ discordias seminaret, ita quod omnes fuerunt adiudicati morti, sed diuina pietas de eorum liberatione prouidit. Hest. 2. & deinceps.

Quia Ieremias prædicabat capiendam esse ciuitatem Ierusalem à Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi, Homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. Iere 28.

Accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudæos dicentes Nabuchodonosor regi, quod socij Danielis non adorabant Deos eius, & erant transgressores regij decreti. Dan. 3.

Principes & Satrapæ Darij regis Persarum inuidentes Danieli accusauerunt eum apud regem, quod ipse obsecrabat, & adorabat alium Deum, quam ipsum regem Darium. Dan. 6.

Duo illi senes presbyteri conati sunt Susannam turpiter infamare, sed Deus eam mirabiliter per abstinentem puerum liberauit. Dan 13.

Alcimus qui volebat fieri summus Sacerdos, & quidam alij iniqui dixerunt regi Demetrio, Perdidit Iudas & fratres eius amicos tuos, & nos disperserunt de terra nostra, nunc ergo mitte virum cui credis, &c. 1. Mach. 7.

Conuenerunt aduersus Ionathan viri pestilentes ex Israel, vt interpellarent regem Alexandrum aduersus eũ, & non intendit ad eos rex 1. Mac. 10.

Simon de tribu Beniamin præpositus templi venit ad Apollonium, & dixit ærarium pecuniis innumerabilibus esse plenum. 2. Mac. 3.

Prædictus etiam Simon male loquebatur de Onia prouisoremque ciuitatis, ac defensorem gentis suæ, ac æmulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 1. Mac. 4.

Veniens ad regem Demetrium Alcimus dixit inter cetera, Quamdiu superest Iudas, impossibile est pacem dari negotiis 2. Mac. 14.

Videntes Pharisæi Dominum discumbentem in domo Matthæi dicebant: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, &c. Matth. 9. & Luc. 5. Simile accidit de Zachæo. Luc. 19. Murmurabant quod ad hominem peccatorem diuertisset.

De Ioanne multum ieiunante dicebant quidam Iudæi, Dæmonium habet. De Domino autem IESV cum peccatoribus comedente dicebant: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Matth. 11.

Viso miraculo de cæco nato per Dominum IESVM illuminato, Pharisæi detraxerunt Domino dicentes: Nos scimus, quia hic homo peccator est, & maledixerunt homini illi, & dixerunt: Tu discipulus eius sis, quæ quidem maledictio sit super nos, & super filios nostros. Ioan. 9.

Scribæ & Pharisæi detraxerunt Domino Saluatori dicentes eum esse Samaritanum, dæmoniacum, blasphemum, peccatorem, potatorem, mendacem, voracem,

prohibentem dari tributa Cæsari, gentis subuersorem, & populi seductorem, hæc omnia possunt ex diuersis locis Euangeliorum haberi. Non valentes Iudæi resistere sapientiæ Stephani & Spiritui, qui loquebatur per eũ adduxerunt in concilium duos falsos testes dicentes: Homo iste non cessat loqui aduersus locum sanctum & legem. Act. 6.

Quidam quæstuarij dolentes, quod amiserant quæstum suum, eo quod Paulus eiecerat spiritum Pythonem à quadam puella, quam illi habebant dixerunt magistratibus, Hi homines conturbant ciuitatem nostram, &c. Act. 16. & ad verba eorum praua concurrunt plebs aduersus illos, & scissis eorum tunicis iussi sunt virgis cædi, & in carcerem mitti.

Gallione proconsule in Achaia existente insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt ad tribunal dicentes: Quia contra legem homo hic persuadet hominibus colere Deum. Act. 18.

Apud Ephesum cum quidam Iudæi indurarentur, & non crederent maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis Paulus segregauit discipulos. Act. 19.

Quidam Iudæi de Asia videntes Paulum in templo clamauerunt: Viri Israelitæ adiuuate. hic est homo, qui aduersus populum & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum. Act. 21.

Coram Felice præside proposuit contra Paulum Tertullus orator pro Iudæis dicens: Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones Iudæis omnibus in vniuerso orbe & actorem seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam templum conatus est violare, &c. Act. 24.

Disputante Paulo apud Athenas quidam Epicurei & Stoici Philosophi dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij vero dicebant: Nouorum dæmoniorum videtur esse annuntiator, &c. Act. 17.

Barbari videntes viperam pendentem in manu Pauli dixerunt adinuicem, vtique homicida est homo, qui cũ euaserit de mari, vltio eum viuere non finit. Act. 28. Sed cito postea mutauerunt oppositionem.

CAPVT LXXII.

De liberalitate, misericordia, & largitate.

Rebecca filia Batuelis valde liberaliter respondit famulo Abrahę dicens: Bibe Domine mi, &c. Gē. 24.

Liberaliter egit Moyses defendendo filias Raguel à pastoribus, qui eas adaquare pecora non sinebant. Exod. 2.

Audiens Moyses quod socer suus Iethro veniret ad eum egressus est in occursum eius, & ipsum multipliciter honorauit. Exod. 18.

Filij Israel mente promptissima, atque deuota obtulerunt ad faciendum opus tabernaculi, & quidquid ad cultum Dei, & vestes sanctas necessarium erat. Exod. 25. & sequenti capitulo dicitur.

Artifices venire compulsi dixerunt Moysi: plus offert populus, quam necessarium est.

Petiit Moyses à rege eodem, Obsecramus, vt nobis liceat transire per terram tuam: non ibimus per agros neque per vineas, nec bibemus aquam de puteis tuis, sed, &c. Num. 20.

Gedeon petiit à viris Sochoth, & Phanuel panes pro commilitonibus fatigatis, qui dare renuerunt, sed male inde accidit eis. Iudic. 8.

Nabal illiberaliter se habuit ad Dauid petentem aliquid sibi dari. 1. Reg. 25.

Obtenta victoria de Amalechitis, Dauid misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis dicens: Accipite benedictionem, &c. 2. Reg. 31.

Præcepit Dauid vt Miphiboseth comederet panē in mensa sua semper, & totam domũ Saul dedit ei. 2. Reg. 9.

A Fugienti Dauid à facie Absalom, Sobi, & Machir, & Berzellai obtulerunt ei multa exercitui suo necessaria. 2. Reg. 17. qui Berzellai astitit Dauid, quando fugiebat Absalom filium suum, obtenta victoria Dauid retinuit filium illius, & de familia sua fecit illum, 2. Reg. 19.

Regina Saba multa obtulit Salomoni, & Salomon dedit omnia quæ petiuit, exceptis his quæ vltro obtulerat ei munere regio. 3. Reg. 4.

Ea tempestate qua regnauit Achaz in Iudæa, Phacee filius Romeliæ, multos occidit & cœpit de viris Iuda, quidam autem boni viri de Israel captiuos nudos vestierunt, & illos qui ambulare non poterant, imposuerunt iumentis, & duxerunt ad fratres eorum. 1. Paral. 28.

B Rex Cyrus protulit vasa templi Domini quæ tulerat Nabuchodonosor, & remisit ea in Hierusalem. fuerunt autem vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta. 1. Esdr. 1.

Redeuntes de Babylone filii Iuda obtulerunt sponte, secundum vires suas ad extruendam domum Domini. 1. Esdr. 2.

Præcepit rex Darius, vt ædificaretur in Hierusalem domus Domini, & darentur sumptus de arca regis licet quidam æmuli per litteras opus impedire laborabant. 1. Esdr. 6.

Gratiosam & liberalem epistolam dedit Artaxerxes rex Esdræ sacerdoti venienti in Hierusalem ad consolandum Iudæos. 1. Esdræ 7. Rex Artaxerxes liberaliter C se habuit ad Nehemiam venientem in Iudæam, & dedit ei epistolas quales petierat. Nehem. 2.

Nehemias valde liberalis fuit legatus, qui populum annona, & exactionibus non grauauit, & illis ad quos venit plurima bona fecit. Nehem. 5.

Tobias omnia quę habere poterat, concaptiuis fratribus, qui erant de genere suo impertiri studebat, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat. Tob. 1.

Raguel tradidit Tobiæ iuniori Saram filiam suam, & dimidiam partem substantiæ. Tob. 10.

Tobias iunior multum fuit gratus Azariæ, quem hominem putabat, & valde bene recognouit beneficia, quæ ab eo receperat, & exinde pater, & filius mediam partem omnium bonorum illi liberaliter obtulerunt. Tob. 12.

Rex Assuerus iussit præparari conuiuium permagnificum, pro coniunctione & nuptiis Esther, & dedit re- D quiem vniuersis prouinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. Esther. 2.

Videns Ester reginam rex Assuerus dixit ei. Quid vis Esther regina: quæ est petitio tua, etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. Esther. 5.

Quæsiuit rex Assuerus quid honoris, ac præmii consecutus esset Mardochæus pro fide quam erga ipsum seruauerat. Cumque intellexisset eum nihil accepisse mercedis, fecit eum magnifice honorari, Esther 6.

Filii Iob facientes conuiuia vnusquisque in die suo, vocabant sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis. Iob. 1.

Pium & misericordem se fuisse ad pauperes, ostendit beatus Iob. 29. cap. dicens: Cor viduæ consolatus sum. Pater eram pauperum, &c. Item 30. cap. Si comedi buc- E cellam meam solus: quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, &c.

Magister militię regis Babylonis dedit cibaria, & munuscula Hieremiæ, & dimisit eum quocumque vellet ire, promittens ei multam humanitatem, si vellet cum eo pergere in Babylonem. Hier. 40. & nihilominus dedit ei liberam facultatem remanendi, ibidem.

Seleucus rex de hereditatibus suis tempore Oniæ summi pontificis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes, 1. Mach. 2.

Apertis thesauris suis, non paruis loculis, in quibus oboli reponuntur, obtulerunt Magi Domino pauperi, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2.

Magnificus, & largus remunerator est Dominus, qui relin-

relinquentibus propter se bona temporalia reddit centuplum in hoc sæculo,& vitam æternam in futuro. Mat. 19. Mar.10. Luc. 18.

Ex pia liberalitate prouenie bat, quod Dominus discipulos spicas vellentes sabbathis, & manibus confricantes, contra Pharisæos maledicos defendebat. Matth. 12. Lucæ 6.

Fons liberalitatis Dominus peccatores respiciebat ad conuescendum, & colloquendum, & ad osculandum. de primo & secundo exemplum de Matthæo. Matth. 9. Lucæ 5. Item de illis publicanis, & peccatoribus, qui appropinquabant ad eum, vt audirent illum. Luc. 19. Item de Zachæo. Luc. 19. De tertio exemplum de Maria, quæ osculabatur pedes eius. Lucæ 7. Item de Iuda. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. propter quod benignitatis signum infelix, citius resipiscere debuisset.

Secutæ sunt turbæ pedestres Dominum Iesum, de ciuitatibus in desertum. Vespere autem facto, dixerunt ei discipuli: Dimitte turbas vt euntes emant sibi escas. Ipse vero tamquam liberalis respondit: Date illis vos manducare, &c. Matth. 14.

Distribuendo & restituendo largus fuit Zachæus, cum dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorũ meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Luc. 19.

Donum pauperculæ mulieris viduæ, quæ misit duo æra minuta in Gazophylacium, præfertur à Domino muneribus diuitum. Luc. 19.

Valde liberalis fuit Dominus latroni pendenti, & petenti: Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23.

Benignitatem & liberalitatem dignatus est Dominus ostendere, quando vocatus ad pauperes nuptias iuit, & ibidem aquam in vinum conuertit, vt exhilararet pauperes discumbentes. Ioan. 2.

Magna Dei liberalitas apparet in illa similitudine de seruo nequam, cui dixit Dominus: Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Matth. 18.

Ioseph qui cognominatus est Barsabas, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum. Act. 4.

Audientes discipuli, qui erant Antiochiæ, quod fames valida futura erat in vniuerso orbe, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus fratribus in Iudæa, quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Act. 11.

Quædam mulier purpuraria, nomine Lydia baptizata ad prædicationem Pauli, valde liberaliter & deuote rogauit, immo coegit Paulum, & socios eius manere in domo sua. Act. 16.

Cum euasissent Paulus, & socii eius de naui fracta tempore hyemali, Barbari non modicam humanitatem præstabant eis. Accensa enim pyra reficiebant eos, propter imbrem, quia imminebat frigus. Act. 28.

Publius princeps insulæ Melitæ, ad quam Paulus & socii eius, post tempestatem venerunt, suscipiens eos triduo, benigne exhibuit. Paulus autem patrem febribus, & dysenteria laborantem sanauit. Act. 28.

Apparet Paulum erga pauperes valde liberalem fuisse, quorum negotia, tam sollicite procurabat, ita, vt patet de collectis quas diligentissime fieri procurabat, ita vt patet. Actor. 16. Si dignum fuerit, vt ego eam, mecum ibunt. Item 2. Corin. 9. Qui parce seminat, parce & metet, &c.

Mira liberalitas & gratitudo fuit in Paulo, qui pro quodam Onesimo seruo Philemonis fugitiuo, scripsit literas, tam affectuosas, efficaces, & deuotas, vt patet ad Philemonem. Si habes me socium, ait, suscipe illum, sicut me: si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa, &cet.

CAPVT LXXIII.

De auaritia.

MVLTA possunt notari in hoc, quod Cain qui interpretatur possessio, occidit Abel fratrem suum. Genes. 4.

Cain primus legitur ædificare ciuitatem, sed non Abel. Genes. 4. Quia sancti non habent hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt, vt testatur Apostolus. Heb. 14.

Propter multam substantiam, quam Abraham & Loth habebant, non potuerunt pariter habitare, & cœperunt pastores eorum adinuicem litigare. Gen. 13.

Abundantia rerum temporalium frequenter est grauium occasio peccatorum, sicut patet, de Sodomitis peccatoribus pessimis. Gen. 13. & 19.

Postquam creuerat Isaac, & locupletatus fuerat, pastores sui, & vicinorum suorum iurgari cœperunt. Genes. 26.

Odium auaritiæ plusquam cæterorum vitiorum debent habere iudices, & prælati, ideo signanter dixit Iethro de iudicibus. Exod. 18. Oderint auaritiam.

Pauci sunt hodie clerici, qui faciant oblationes populo prohiberi, sicut fecerunt illi, qui operibus tabernaculi præsidebant. Exod. 36.

Nuntii Balaac perrexerunt ad Balaam habentes diuinationis pretium in manibus, & ita fuit cupiditate corruptus. Num. 22.

Tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, quia habebant multam substantiam, & pecora, noluerunt transire Iordanem, sed in terra alendis gregibus apta, contenti sunt accipere portionem. Num. 32.

Cupiditate seductus Achan de anathemate Iericho sumpsit, sed pro illo lucro damnum terribile reportauit. Iosue 7.

Pro pecunia à Philisthæis promissa Dalila Samsonem virum suum eis tradidit. Iud. 16.

De filiis Samuelis dicitur. 1. Regum 8. Declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.

Præcipua causa, vel occasio reprobationis Saul videtur cupiditas fuisse, quam habuit ad prædam Amalech. vnde dixit Samuel ei: Quare non audisti vocem Domini, sed reuersus es ad prædam, & fecisti malum in oculis Domini. 1. Reg. 15.

Nimis tenax fuit Nabal, erga Dauid petentem aliquid dari sibi, propter quod fere totam substantiam & personam amisit. 1. Reg. 25.

Semei exiuit de Hierusalem contra prohibitionem Salomonis, ad requirendum seruos suos, qui aufugerant, & ob hanc causam fecit Salomon eum occidi. 3. Regum 2.

Vinea Naboth, quam concupiuit Achab, fuit causa vel occasio, quare duo testes contra eum fuerunt producti, & ille iussus est lapidari. 4. Reg. 21.

Quia Giezi accepit à Naaman, id quod Eliseus recusauerat, lepra percussus fuit. 4. Reg. 5.

Tempore Nehemiæ, erant aliqui ab optimatibus, ita vsuris oppressi, quod volebant filios suos, & filias vendere in seruos & ancillas, sed Nehemias illos grauiter & vtiliter increpauit. Nehem. 5.

Obtenta victoria de Arphaxad rege Medorum, à Nabuchodonosor rege Assyriorum, statim regna alia concupiuit. Iudith 1.

Dixit Iudas Machabæus commilitonibus suis, Non concupiscatis spolia, quia bellum contra vos est, & Gorgias, & exercitus eius in monte prope nos. 1. Machabæorum 4.

Ptolemæus Rex Ægypti vituperauit Alexandrum suum generum, propterea quod concupierat regnum eius, cum tamen Alexander illum honorifice recepisset. 1 Mach. 11.

Aduersus Oniam, & ciuitatem sanctam concitauit Simon de Tribu Beniamin, Apollonium & regem Antiochum, dicens: Ærarium pecuniis innumerabilibus esse plenum. 2. Mach. 3.

Menelaus per argentum, quod promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium. Deinde per vasa aurea de templo furtiue sublata, quæ dedit Andronico fecit Oniam occidi. tandem accusatur apud Regem Ptolemæum, & corrupit eum per pecuniam, & contra accusatores fecit ferri mortis sententiam. 2. Mach. 4.

Item Menelaus nequam, propter eorum, qui in potentia erant, auaritiam permanebat in potestate, crescens in malitia, & ad insidias ciuium. 2. Mach. 4.

Cum quidam Iudæi, de mandato Machabæi obsiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles, accepta pecunia quosdam effugere permiserunt, quos Machabæus tamquam proditores, & fratrum venditores interfecit. 2. Mach. 10.

Post bellum contra Gorgiam commissum venit Iudas Machabæus cum suis, vt prostratorum corpora sepeliret. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos. 2. Machabæorum 12. Ob hanc causam ergo creditum est corruisse.

Adolescens qui quæsiuit à Domino, quomodo posset habere vitam æternam; multas habebat possessiones, & idcirco abiit tristis, vt audiuit consilium perfectionis. Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18.

Sacerdotes Iudæorum volentes quod homines frequenter offerrent, permittebant quod ea, quæ offerri poterant, venderentur in templo. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan 2. Hac etiam de causa dicebant: Aurum templi sanctius esse templo, & donum quod erat super altare, maioris esse reuerentiæ quàm ipsum altare. Matth. 23.

Cupiditas vel libido lucrandi videtur fuisse principale motiuum, quare Iudas tradiderit Dominum. Matth. 26. Quid vultis mihi dare, &c.

Per pecuniam fuerunt corrupti custodes dominici sepulchri, vt mentirentur Dominum à discipulis suis de nocte furtim fuisse sublatum. Matth. 28.

Dominus Iesus Christus legislator verus noluit se intromittere de diuisione hereditatis terrenæ, cum esset super hoc requisitus. Luc 12.

Contra eos qui bona temporalia congregant, & multo tempore in illis delectari putant, proposuit Dominus similitudinem de diuite, cuius ager vberes fructus attulit, &c. Luc. 12.

Contra diuites edaces, & vestibus pretiosis, & delicatis vtentes, qui ad releuandam indigentiam proximi, sunt tenaces, & parci, ponit Dominus exemplum de illo diuite Epulone. Lucæ 16. Et nota ibi: Si ita punitur ille, qui non dedit propria; quid fiet illis, qui rapiunt aliena.

Excusauerunt se, ne irent ad magnam cœnam, ad quam vocati erant emptores boum, & villarum, scilicet mobilium & immobilium possessionum, quia sæpe per talia, à cœlesti gloria retrahimur. Lucæ 14.

Pharisæi qui erant auari, audientes monitiones Domini, quod deberent amici fieri de mammona iniquitatis. deridebant illum. Lucæ 16.

Nimis terribiliter punita fuit Ananiæ auaritia, & Saphiræ, qui de pretio agri venditi partem retinuerunt sibi. Act. 5.

Quidam quæstuarii habentes vnam puellam pythonissam, à qua Paulus eiecit dæmonium, videntes quod amiserant quæstum suum, apprehenderunt Paulum, & Silam socium eius, & duxerunt eos ad principes ciuitatis accusantes eos, quod ciuitatem turbarent, & mores illicitos nunciarent. Magistratus autem scissis illorum tunicis fecerunt eos cædi, & in carcerem mitti, & cum diligentia custodiri. Act. 16.

Paulo apud Ephesum existente, & multa ibidem miracula faciente, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum, quos conuocans, dixit quod Paulus suadebat, & auertebat populum à cultura Deorum, dicens, quod non sunt dii qui manibus fiunt, ita turbauit ciuitatem, quod impleta est confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio, & Aristarcho comitibus Pauli, &c. Act. 19.

Cum esset Paulus apud Felicem præsidem vinctus à Iudæis tanquam homo seditiosus & pestifer accusatus, sperabat Felix, quod pecunia daretur ei à Paulo, propter quod frequenter accersens eum Felix loquebatur cum eo. Actorum 24. & quia non ita fuit factum, ipse iudex iniquus non absoluit eum, sed eum reliquit Festo successori suo vinctum.

CAPVT LXXIV.

De paupertate.

PATRIARCHA Iacob recedens à parentibus suis, & iens ad Laban fratrem matris suæ, nec animal, nec famulum legitur habuisse, sed in baculo suo transiuit Iordanem, & quadam vice volens requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco. Gen. 28.

Moyses pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian. per quod videtur, quod proprias non habebat, qui alienas pascebat. Exod. 3.

Ruth Moabitis nō magnis diuitiis abundabat, quando iuit ad colligendum spicas, quæ metentium fugerant manus, quæ ad pauperes pertinebant. 1. Reg. 2.

Vno puero contentus Saul iuit satis longe ad quærendum asinas patris sui, vnde ipse Saul dixit postea Samueli, quod cognatio sua erat minima inter omnes familias de tribu Beniamin. 1. Reg 9.

Minimus erat Dauid inter filios patris sui, ita quod quando venit Samuel ad inungendum vnum ex filiis Isai; Dauid erat in pascuis, nec in principio vocatus fuit, quasi nullius esset reputationis. Deinde cum fratres eius essent in exercitu, misit eum pater suus onustum victualibus ad deferendum illis. 1. Reg. 16. & 17.

Magnam penuriam patiebatur Elias, quando petiit à vidua Sareptana, vt daret ei paululum aquæ & buccellam panis. 3. Reg. 17.

Filii Prophetarum sub Eliseo in magna paupertate viuebant, qui parum de pane, & insipidum pulmentum habebant. 4. Reg. 4.

Anna vxor Tobiæ ibat ad textrinum opus tota die, per quod videtur illos pauperes fuisse, qui nec ipsum instrumentum ad texendum possent in domo sua tenere, vnde & Tobias filio suo dixit: Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, &c. Tob. 4.

Filii Rechabitarum domos non ædificabant, sementem non serebant, vineas non habebant, vinum non bibebant, sed in tabernaculis habitabant. Ierem. 35.

De plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardam in terra Iuda. pauperibus ergo pepercit, diuites & potentes occidit, vel captiuos in Babylonem duxit. Ier. 39.

Exemplum paupertatis amandæ habemus in Domino Saluatore, qui fuit de paupere matre natus, & à paupere fabro nutritus, recenter genitus fuit pannis inuolutus, & in præsepio reclinatus, & post in purificatione Virginis gloriosæ oblationem pauperum obtulerunt. Lucæ 2. Item cito, post Ioseph cum puero, & matre eius fugit in Ægyptum. Matth. 2.

Cum factus esset Iesus puer annorum duodecim, remansit in Hierusalem ignorante Maria & Ioseph. per quod apparet, quod magnam familiam non habebant ad associandum puerum, vel ad seruiendum ei. Luc. 2.

Circuiens Iesus ciuitates, & castella non habebat, vbi caput reclinaret. Matth. 8. Vulpes foueas habent, &c. & in fine nudus appensus est in cruce. Io. 19.

Discipuli Christi pro maiori parte de statu paupertatis fue-

tis fuerunt assumpti. Matth. 4. Iacobus & Ioannes reficiebant retia sua, & Luc. 5. lauabant retia sua, &c.

In sermone Domini in monte primum ponitur commendatio paupertatis, quasi ipsa esset totius spiritualis ædificii fundamentum. Matth. 5. Luc. 6.

Inter cætera Christi miracula, vnum ponitur, quod pauperes euangelizabantur. Matt. 12. eo quod ante Domini aduentum ita fieri non solebat.

Adolescenti de ingressu ad vitam æternam quærenti dixit Dominus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c. Matth. 19.

Miram remunerationem promittit Dominus omnia derelinquentibus propter nomen ipsius. Matth. 19. Mar. 11. Lucæ 18.

De illo famoso paupere Lazaro in sinum Abrahæ ab Angelis deportato nullum aliud iustitiæ opus, vel causam gloriæ scriptura allegare videtur, nisi quod ipse receperat mala in hac mortali vita; & ideo Deus volebat eum consolari in alia. Luc. 16.

Pauperes & debiles ad cœnã illam Domini magnam fuerunt introducti; imo etiam quidam de viis & sepibus leguntur, ibi fuisse compulsi. Luc. 14.

Omnes qui credebant in primitiua Ecclesia erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illas omnibus, prout cuique opus erat. Act. 2.

Petrus dixit claudo pauperi eleemosynam petenti, Argentum & aurum non est mecum, &c. Act. 3.

Valedicens Paulus fidelibus de Achaia dixit inter cetera: Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ erant opus mihi, & iis qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Act. 20. Item 1. Cor. 4. Esurimus & sitimus, & nudi sumus. 2. Cor. 11. in fame & siti, in frigore & nuditate.

CAPVT LXXV.

De hypocrisi & simulatione.

AMON filius Dauid simulauit languorem, vt posset decipere Thamar, quam libidinose amabat. 2. Regum 13.

Vxor Ieroboam mutato habitu venit ad Ahiam Prophetam, cui ille dixit; Quare aliam te esse simulas, &c. 3. Reg. 14.

Giezi famulus Elisei simulauit Dominum suum indigere duplici veste pro duobus adolescentibus, & filiis Prophetarum. 4. Reg. 5.

Cum venisset Apollonius Hierosolymam, missus ab Antiocho pacem simulans quieuit vsque ad diem sabbati, & tunc feriatis Iudæis arma suis capere præcepit & omnes qui ad spectaculum venerant, trucidauit. 1. Machab. 5.

Quamuis diuina sapientia generaliter impium detestetur. Prou. 8. tamen specialiter hypocritis comminatur multoties in Euangelio, dicens: Væ vobis Pharisæi hypocritæ. Matth. 23.

Pharisæis volentibus capere Dominum in sermone respondens increpans eos, quid me tentatis hypocritæ. Matth 22.

Quidam sunt qui magna scelera perpetrant, & modica peccata deuitant, colantes culicem & camelum glutientes, sicut principes sacerdotum, qui magis timuerunt intrare prætorium Pilati, quàm nequissime procurare timen homicidii. Io. 18.

Archisynagogus indignans, quia Dominus sabbato curaret dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari In iis ergo venite & curamini, & non in die sabbati. Dominus autem arguit illum hypocritam vocans. Lucæ 13.

Malam hypocrisim cõmiserunt Ananias & vxor eius Saphira simulantes se totum pretium agri attulisse, & ad pedes Apostolorum posuisse Act. 5.

Quamuis Simon Magus credidisset in prædicatione Philippi tamen Petrus dixit ad eum, Non est tibi sors in sermone illo, cor enim tuum non est rectum coram Domino; pœnitentiam itaque age, &c. respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me, &c. Act. 8.

Elymam magum grauiter notauit Paulus de hypocrisi & falsitate dicens, ô plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli. & inimice omnis iustitiæ, non desinis vias Domini rectas peruertere, &c. Act. 13.

CAPVT LXXVI.

De munerum acceptione.

ABRAHAM noluit accipere multa, quæ obtulit ei Rex Sodomorum, licet ipse optime meruisset. Genesis 14. quando reuersus est ipse Abraham à cæde quatuor Regum.

Munera misit Iacob Esau fratri suo, vt compesceret iram eius. Gen. 32.

Munera obtulerunt filii Israel ad opus tabernaculi Domini in tanta quantitate, quod iussit Moyses clamari, vt nullus aliquid vlterius offerret. Exod. 36.

Mercedem iniquitatis amauit Balaam & iuit cum nuntiis Balach, qui diuinationis pretium habebant in manibus. Num. 22.

Ahod obtulit munera Eglon Regi Moab, & postea secreto loquens percussit eum grauiter, & occidit. Iudicum 3.

Inimici Samson pecuniam Dalilæ promiserunt, & eam vt illum deciperet induxerunt. Iud. 16.

De filiis Samuelis dicitur. 1 Reg. 8. Declinauerũt post auaritiam, acceperuntque munera, & statim sequitur: Et peruerterunt iudicium.

Non fuit impositum Samueli, qui viginti annis populum Israel iudicauerat, quod vnquam munus ab aliquo accepisset. 1. Reg. 12.

Xenia quæ obtulit Siba seruus Miphiboseth Dauid, à facie Absalom fugienti, videntur inclinasse animum ipsius Dauid ad hoc, quod contra absentem iniquum tulit iudicium. 2. Reg. 16.

Regina Saba dedit Salomoni centum viginti talenta auri & aromata multa, & gemmas pretiosas. Rex autem Salomon dedit ei omnia quæ voluit, & quæ petiuit ab eo, exceptis quæ vltro obtulerat ei munere regio. 3 Regum 4.

Areuna voluit offerre Dauid aream, & omnia ad sacrificia necessaria; sed ille noluit gratis accipere nec sacrificium de alieno offerre. 2. Reg 24.

Rex Syriæ Benadad fœdus habebat, cum Baasa Rege Israel, sed propter munera quæ misit ei Asa Rex Iuda, rupto fœdere cum Baasa grauiter impugnauit eum. 4. Reg. 16.

Naaman Syrus fuit omnino gratis ab Eliseo curatus, & tamen Giezi accepit ab illo munera, & fuit graui plaga percussus. 4. Reg. 5.

Misit rex Babylonis literas, & munera ad Ezechiam, & sequitur; Lætatus est autem Ezechias in aduentu eorum, &c. 4. Regum 20. Sed nota ibi, quomodo displicuit Domino.

Achaz rex Iuda spoliata domo Domini, & domo regum & principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit. 2. Paral. 28.

Statuerunt Iudæi in memoriam lætitiæ, quam habuerunt interfecto Aman pessimo Iudæorum inimico, vt pauperibus munuscula largirentur. Hest. 9.

Conquerendo loquitur Dominus per Isaiam, Principes tui infideles. socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, &c. Isa. 1.

Dedit magister militiæ regis Babylonis Ieremiæ cibaria, & munuscula, & dimisit eum Ier. 40.

Postquam exposuerat Nabuchodonosor regi Daniel visionem, rex in sublime eum extulit, & munera magna, & multa dedit ei. Dan. 2.

Balthasar Rex Babylonis promiserat donaria magna

Danieli, qui respondit. Tua munera sint tibi, & dona domus tuæ alteri da. Dan. 5.

Ionathas abiit Ptolemaidam, & dedit Demetrio regi argentum multum & aurum, & dona, & inuenit gratiam in conspectu eius. 1. Mac. 11.

Videns Tryphon Ionatham venisse ad eum cum exercitu multo, timuit eum, & cum honore recepit, & munera dedit ei, & hac occasione decepit eum. Nam remissis militibus ipsum cum paucis retinuit, & occidit. 1. Mac. 12.

Propter munera quæ dedit & promisit Iason ambitiosus Regi Antiocho obtinuit summum sacerdotium, cum autem misisset pecuniam regi per Menelaum ille supplantauit eum, & obtinuit principatum, quia superposuit Iasoni argenti talenta trecenta. 2. Mac. 4.

Menelaus frater Lysimachi per pecuniam, quam promisit Antiocho, obtinuit summum sacerdotium; deinde donauit Andronico quædam vasa aurea de templo furtim accepta, & fecit Oniam occidi. postmodum cum accusaretur apud Ptolemæum per pecunias, quas ei dare promisit, accusatores suos morte damnari procurauit. 2. Mac. 4.

Obtulerunt Magi Domino pauperi aurum, thus, & myrrham. Matth. 2.

Milites illi qui debuerant custodire sepulchrum Domini accepta à Iudæis pecunia copiosa dixerunt, quod discipuli eius furati fuerant ipsum illis dormientibus. Matth. 28.

Pauperculæ donum viduæ, quæ duo æra minuta misit in Gazophylacium præfertur à Domino muneribus diuitum. Luc. 21.

Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem, &c. Act. 8.

Felix præses qui tenebat Paulum vinctum à Iudæis nequiter accusatum, sperabat quod pecunia ei daretur à Paulo, propter quod frequenter accersens eum loquebatur cum eo, & quia verisimile est eum non habuisse intentum, Paulum dimisit vinctum. Act. 24.

CAPVT LXXVII.

De fortitudine & strenuitate.

AVDIENS Abraham nepotem suum Loth esse captum, assumptis vernaculis suis, & aliis sociis irruit nocte super quatuor reges, qui ceperant illum, & percussis hostibus reduxit Loth cum tota substantia, & populo Sodomorum. Gen. 14.

Securum & audacem facit hominem puritas conscientiæ. hinc est, quod Iacob tumens cum iurgio ait ad Laban, Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me. Gen. 31.

Dixit Angelus ad Iacob, si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis. Gen. 32.

Audaciter & constanter stetit Moyses coram Pharaone arguens eum, quia non dimittebat populum Domini. Exod. 5. & deinceps.

Armati descenderunt filii Israel de terra Ægypti. Exod. 13.

Caleb & Iosue viriliter confortauerunt populum, dicentes: Ascendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Numer. 13. Ne timeatis populum terræ, quia tanquam panem ita possumus eos deuorare. Num. 14.

Phinees cum duodecim millibus pugnatorum debellauit Madianitas, quorum præter viros & mulieres, qui occisi fuerunt, triginta duo millia virginum in præda, animalium vero maxima multitudo fuit, nec aliquis de filiis Israel mortuus est. Num. 31.

Moyses dixit ad Iosue, qui debebat ei succedere, Cõfortare, & esto robustus. tu enim introduces populum istum. &c. Deut. 31.

Pergens ad bellum Iosue contra habitatores Hai erat in fronte exercitus eius vallatus auxilio pugnatorum. Iosue 8.

Captis quinque regibus dixit Iosue ad principes, qui secum erant; Ite & ponite pedes vestros super capita regum istorum, nolite timere, nec paueatis. Ios. 10.

Dixit Caleb ad Iosue octoginta annorum sum hodie, sic valens, vt ego valebam eo tempore, quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo perseuerat, &c. Iosue 14.

Ahod iudex & princeps exercitus Israel in fronte gradiens dixit ad populum, Sequimini me, tradidit Dominus inimicos nostros in manus nostras. Iud. 3.

Gedeoni dixit Angelus, Dominus tecum virorum fortissime. & post: Vade, & in hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian. Cumque ille se humiliter excusaret, audiuit; Ego ero tecum, & percuties Madian, quasi vnum virum. Iud. 6.

Samson manibus leonem inermis lacerauit. Iud. 14. & post hoc opera fortitudinis multa fecit, vt patet capitulo 15. & 16.

Audiens Saul obsidionem virorum Iabes Galaad, audaciter, efficaciter & festinanter succurrit eis. 1. Regum vndecimo.

Dauid in pueritia sua fortiter superauit, & interfecit leonem & vrsum, & Goliath Philistæum. 1. Reg. 17.

Dauid cum vno milite venit ad castra Saul, & intrauit tentorium eius, & tulit hastam, & scyphum eius. 1. Regum 26.

Pueri duodecim ex parte Isboseth, & duodecim ex parte Dauid apprehenso ab vnoquoque capite comparis sui defixerunt gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul. 2. Reg. 2.

Desiderante & petente Dauid de aqua cisternæ Bethleem, tres milites Dauid irruperunt in castra Philistinorum, & attulerunt ei de aqua illa. 2. Reg. 23.

Viriliter egit Iehu percutiens duos reges & fratres Ochoziæ, & filios Achab, & Prophetas Baal occidit in multitudine numerosa. 4. Reg. 9. & 10.

Cum magna strenuitate Ioiada pontifex eripuit regnum Iuda de manu Athaliæ, & Ioas de semine Dauid puerulum coronauit. 4. Reg. 11. & 1. Paral. 23.

Ioab filius Saruiæ fuit princeps & dux exercitus, quia in primis percussit Iebusæum, qui habitabat in Hierusalem, & ita statuerat Dauid. 1. Paral. 11.

Dixit Nehemias optimatibus, & magistratibus Iudæorum: Surgamus & ædificemus, & confortatæ sunt manus eorum in bono. Nehem. 2.

Filii transmigrationis ædificantes murum in circuitu Hierusalem, vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium. Nehem. 4.

Inimici filiorum transmigrationis terrebant variis modis cogitantes, quod cessarent ab opere, sed dixit Nehemias: Quam ob causam magis confortaui manus meas. Nehem. 6.

Audientes filii Israel potentiam Holofernis præparauerunt se diligenter ad resistendum, præoccupantes vertices montium, & muris circumdantes vicos suos, congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ. Iudith 4.

Miram strenuitatem habuit Iudith eundo ad Holofernem, & occidendo eum in tentorio suo. Iudith 11. & 13.

Socii Danielis dixerunt Nabuchodonosor Regi Babylonis: Deus noster potest nos eripere de camino ignis, quod si noluerit, notum sit tibi rex, quod Deos tuos non colimus. Dan. 3.

Daniel non dimisit propter edictum regis, quin oraret Deum suum. Dan. 6.

Miram fortitudinem habuerunt Mathathias, & filii eius, qui ita restiterunt Antiocho regi, & præualuerunt totiens contra eum. 1. Mach. 2. & deinceps.

Confidenter & strenue Iudas Machabæus flumen transiuit ad castra hostium, quæ erant vltra ipsum flumen. 1. Mac. 5.

Eleazar filius Saura cucurrit audaciter ad Elephantem, & suppoſuit ſe ei, & occidit eum in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic. 1. Mach. 6.

Eleazarus dixit tortoribus ſuis, Fortiter vitam excedendo ſenectute dignus apparebo; adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar. 2. Mac. 6.

Machabæus & qui cum eo erant, ibant prompti ad bellum contra Lyſiam de cœlo habentes adiutorem. leonum autem more impetu irruentes in hoſtes proſtrauerunt ex eis vndecim millia peditum & equitum mille ſexcentos, vniuerſos autem in fugam verterunt. 2. Mac. 11.

Virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini, & gratia magna erat in omnibus illis. Act. 4.

Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. eius autem fortitudo præcipue apparuit, quod Iudæis conſtantiſſime reſtitit, & diram mortem patientiſſime tolerauit. Actorum 6. & 7.

Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio, ita dicit Tullius 2. Rhet. ſecundum hoc conſtat Apoſtolum Paulum fortiſſimum militem Chriſti fuiſſe. qui tot, & tanta pericula pro ipſo ſuſcepit, & tot & tales labores ſuſtinuit, ſicut patet ab vndecimo capitulo Actuum Apoſtolorum vſque ad finem, ipſe etiam enumerat. 2. Cor. 11. In laboribus plurimis, &c.

CAPVT LXXVIII.

De confidentia & magnanimitate.

MOYSES ſtetit coram Pharaone multoties, & arguebat eum confidenter. Exod. 5. & deinceps in pluribus capitulis.

Confidenter licet reuerenter arguit Nathan Propheta Dauid poſt adulterium & homicidium ab illo commiſſum. 2. Reg. 12.

Dixit Elias ad Achab: Non ego turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & poſt fecit quadringentos Prophetas Baal occidi. 4. Regum 18. Idem poſtea dixit Ochoziæ regi Iſrael. 4. Regum 1. De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, &c.

Achab Rex Iſrael dixit Eliæ: Num inueniſti me inimicum tibi. Qui dixit, Inueni eo quod venundatus es, vt faceres malum in conſpectu Domini. tertio Regum 21.

Eliſeus mira libertate dixit ad Ioram regem Iſrael exercitu circumſtante: Quid mihi & tibi eſt, vade ad Prophetas patris tui, &c. 4. Reg. 3.

Fuit Dominus cum Ioſaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris ſui, & poſt pauca: Cumq; ſenſiſſet cor eius audaciam per vias Domini, &c. 2. Paral. 17.

Spiritus Dei induit Zachariam Ioiadæ filium, & ſtetit in conſpectu Domini, dicens: Quare tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit? 2. Paral. 24.

Ezechias confortauit bellatores ſuos, dicens: Nolite timere regem Aſſyriorum, & vniuerſam multitudinem, quæ cum eo eſt, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum eo, &c. 2. Paral. 32.

Sanaballat & cæteri inimici dolentes de ædificatione muri Hieruſalem, niſi ſunt terrere Nehemiam variis modis, ſed non potuerunt. Nehem. 4. & 6.

Miræ magnanimitatis fuit Iudith, quæ inermis iuit ad tentorium Holofernis, & ibi eum interficere auſa fuit. Iud. 10. & 13.

Mardochæus magnanimiter renuit adorare Aman ſuperbiſſimum, licet ſciret regem hoc præcepiſſe. Heſt. 3. & 5. Item etiam cum magna ſecuritate & liberalitate loquebatur reginæ, dicens: Ne putes, quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis. ſi enim nunc ſilueris, &c. Heſt. 4.

Ananias & ſocii eius confidenter Nabuchodonoſor regi dixerunt: Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos, &c. Dan. 3. Similiter Daniel, qui de edicto regis Darii non curauit, ſed Deum ſuum more ſolito orauit. Dan. 8.

Eleazar filius Saura cucurrit audaciter ad elephantem, vbi credebat eſſe regem, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum. 1. Mac. 6.

Signum magnanimitatis dedit Timotheus exercitui ſuo de Iuda Machabæo, ſi tranſiret fluuium, & veniret ad hoſtes audaciter. 1. Mach. 5. Et ſic fecit Iudas, & magnam habuit victoriam.

Mathathias & filii eius magnanimiter rebellauerunt, & reſtiterunt regi Antiocho. 1. Mac. 2. & deinceps.

Cum dicerent ſocii Iudæ ad eum, vt liberarent animas ſuas, quia hoſtes erant multi, & ipſi pauci; reſpondit Iudas: Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis, & ſi appropinquauerit tempus noſtrum, moriamur in virtute, &c. 1. Mac. 9.

Videntes ſocii Iudæ Machabæi exercitum venientem, dixerunt: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam fortem. Et ait Iudas: Facile eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei liberare in multis, aut in paucis, quia non in multitudine exercitus belli victoria. ſed de cœlo fortitudo eſt. 1. Mach. 3.

Ionathas animauit ſuos, ad pugnam ex eo, quod bellum erat ex aduerſo, & aqua Iordanis hinc, & inde & ripæ, & paludes, & ſaltus, & non erat locus diuertendi. 1. Mach. 9.

Cum eſſet Ionathas in prælio contra alienigenas reliquerunt eum ſui omnes, exceptis duobus, ſed videntes quod ipſe dux fortiter pugnabat, reuerſi ſunt fugientes, & ceciderunt de alienigenis tria millia virorum. 1. Mac. 11.

Egregius dux militiæ Iudas Machabæus ad eas, quæ amplius vrgebant pugnas ſe conuertit, 1. Mach. 10.

Machabæus & qui cum eo erant, videntes auxilium de cœlo ſibi miſſum, conualuerunt animis, non ſolum homines, ſed etiam beſtias ferociſſimas, & muros ferreos parati penetrare, &c. 2. Mach. 11.

Crucifixo Domino, Ioſeph ab Arimathæa audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus IESV. Marci decimoquinto.

Ille cæcus natus à Domino illuminatus, libera voce veritatem de Domino fatebatur. Ioan. 9.

Dixit Thomas ad condiſcipulos: Eamus, & nos, & moriamur cum eo, ſcilicet cum Chriſto. Ioan 11.

Petrus qui ad vocem vnius ancillæ pauefactus Chriſtum negauerat, recepto Spiritu ſancto fuit tanta virtute indutus, vt coram populo, & magiſtratuum, ac Phariſæorum collegio ipſum cum omni fiducia prædicaret. Actor. 2 3. 4. 5.

Stephanus plenus gratia, & fortitudine Chriſtum Deum cum mira libertate prædicabat, & Iudæos dure increpans, confundebat dicens inter cætera: Dura ceruice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis. Act. 7.

Magiſtratus, & miniſter arguendo dixerunt Apoſtolis: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceritis in nomine iſto, & ecce repleſtis Hieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius. Reſpondentes autem Petrus, & Apoſtoli dixerunt: Magis obedire oportet Deo, quàm hominibus. Actorum quinto.

Paulus Apoſtolus præſente Paulo proconſule, Elymam magum duriſſime increpauit, & eum ad tempus lumine oculorum priuauit. Act. 13.

Cum mandaſſent magiſtratus, vt Paulus, & Silas liberarentur de carcere, Paulus dixit eis: Cæſos nos publice homines Romanos indemnatos miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos eiiciunt, & ſic locutus eſt

est quod illi timentes venerunt, & rogauerunt eos, vt egrederentur de illa ciuitate. Act. 16.

Commota & confusa ciuitate Ephesina, ciues impetum fecerunt vnanimiter in theatrum raptis comitibus Pauli. Paulus autem voluit se mittere in populum, sed non permiserunt eum discipuli. Actor. 19.

Valedicens fratribus de Asia, dicebat Paulus: Sanctus Spiritus per omnes protestatur ciuitates mihi, quia vincula, & tribulationes me manent in Hierusalem. sed nihil, inquit, horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me, &c. Act. 20.

Coram illis iudicibus, quos habuit Paulus miram magnanimitatem ostendit, videlicet coram tribuno, Anania principe sacerdotum, Felice, Festo, à quo manifeste grauatus, Cæsarem appellauit. Actorum 21. 22. 23. 24. 25.

In tot, & tantis periculis constitutus Paulus semper fuit intrepidus, & securus; & hoc præcipue apparuit in tempestate, quam passa est nauis sua. Act. 27.

Aug. lib. 14 de ciuitate Dei cap. 9. tom. 5.

De ipso beato Paulo, beatus Augustinus de ciuitate Dei. Illum, inquit, optimum & fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur. Qui plus omnibus Coapostolis suis laborauit. Illum, inquam, verum athletam Christi, doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo; in theatro huius mundi, cui spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus, legitime magno agone certantem, oculis fidei libentissime spectantem, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores. &c.

CAPVT LXXIX.

De patientia, & mansuetudine, & de iniuriis, & tormentis.

MANSVETE ferebat Isaac, cum pater suus immolare eum vellet. Gen. 22.

Ioseph facinus quod in eum commiserunt fratres sui. Genesis 37. & patienter tulit, & clementer indulsit. Genes. 45. & 1.

Speciale mandatum dedit Ioseph fratribus suis, dicens: Ne irascamini in via. Gen. 45.

Cito orauit Moyses pro Maria, quæ contra eum, tam inique locuta fuerat, & per orationem eius sanata fuit. Num. 12.

Murmurauerat populus contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini; & cum iratus Dominus populum percuteret, dixit Moyses ad Aaron: Perge cito ad populum, vt ores pro eis, & sequitur, quod plaga cessauit. Num. 16.

Filii Ephraim iurgantes fortiter contra Gedeonem fuerunt sedati per eius mansuetam responsionem. Iudicum 8. Quid enim, inquit, tale quid facere potui, quale vos fecistis, &c.

Noluit sustinere Saul, quod occiderentur viri, qui detraxerant ei. 1. Reg. 11.

Potuit Dauid pluries, & noluit occidere Saulem ipsum actualiter persequentem. 1. Reg. 24. Quando abscidit oram chlamydis suæ, & 26. Quando inuenit dormientem.

Fugiens Dauid à facie Absalom, patienter dixit ad Sadoch: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, &c. 2. Regum 15. Et ad Semei maledicentem sibi, &c. 16.

Miphiboseth sustinuit patienter iniquam sententiam contra se latam. 3. Reg. 15.

Dixerunt seniores dantes consilium Roboam: Si placueris populo huic, & linieris eos verbis clementibus, seruient tibi omni tempore. 2. Paral. 10.

Homines qui venerant ad capiendum Eliseum, non permisit ipse aliquid mali habere, sed præcepit eis mensam apponi, & refectos abire permisit. quarto Regum quinto.

Excæcatus Tobias, miram patientiam ostendit erga diuinum flagellum, & irrisionem amicorum, & vxoris. Tob. 2. & 3.

Iob patiens fuit perdendo sua, suos, & quasi seipsum. Et notandum est, quod simul amisit bona sua, & liberos suos: & sic vehementior fuit tentationis impetus. Item illi qui remanserunt de amicis suis plus ei desolationis, quàm consolationis attulerunt; vt patet in vxore, & aliis amicis, qui fuerunt ei consolatores onerosi. Iob 1. & 2. Et deinceps.

Alacrem patientiam exhibuerunt socii Danielis missi iussu regis in fornacem ignis ardentis. Dan. 3. Et tantum, vel amplius laudatus fuit Deus ex eorũ patientia, quantum ex Danielis sapientia.

Filia Raguelis Sara grauem contumeliam ab ancilla prolatam patienter tulit, nihil respondens, sed statim ad orationem se committens. Tob. 3.

Cum plagis perimeretur Eleazarus dixit: Domine tu scis, quia cum à morte possem liberari, diros corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum hæc patior libenter. 2. Mach. 6.

Septem illi fratres, cum pia matre sua, alacri animo passi sunt horrenda tormenta. 2. Mach. 7.

Cum interrogasset Petrus: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Non dico vsque septies, sed vsque septuagies septies. Matt. 18.

Ad remittendum fratribus ex corde induxit Dominus parabolam serui nequam, cui decem millia talenta liberaliter à Domino fuerunt dimissa. Matth. 18.

Cum vidissent Iacobus & Ioannes, quod Samaritani non recepcrant nuntios Domini, quos præmiserat, dixerunt: Vis, dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos. & Dominus increpauit illos, & dixit: Nescitis cuius spiritus estis, &c. Luc. 9.

Mulier in adulterio deprehensa, & coram Domino accusata, nihil omnino accusatoribus respondebat. Dominus autem pro ea verbum assumpsit, & eam benigne absoluit. Ioan. 8.

Cedendum est quandoque furori persequentium. vnde Dominus qui pati & occidi venerat, non vt timidus, sed vt prouidus, & horam passionis competenter expectans, rabiem Iudæorum pluries declinauit. Luc. 4. Iesus autem transiens per medium illorum ibat. Ioan. 8. & 11. Abscondit se, & exiuit de templo.

De se ipso, Dominus ait, Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Dominus noster patienter pertulit iniurias illatas verbis & factis; verbis quidem detractoriis, contradictoriis, derisoriis, & contumeliosis.

Detraxerunt enim occulte ei, & manifeste, occulte intra se loquendo, & ipsum temere nequiter iudicando. Luc. 7. Hic si esset Propheta, &c. Item Matth. 9. Lucæ 5. Hic blasphemat, &c.

Manifeste quando dicebant discipulis eius Pharisæi, Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Matth. 10. & Luc. 5. Item Matth. 12. Luc. 11. quando eius miracula deprauabant, dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. & Ioan. 9. Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Item ibidem Ioan. 9. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Item dicebant eum habere dæmonium. Ioan. 7. & 8.

Contradictoria vero verba sustinuit. Ioan. 8. Tu de te ipso testimonium perhibes. Testimonium tuum non est verum. Item ibidem: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti. Item verba derisoria. Matth. 9. Lucæ 8. Cum dixisset, non est mortua puella, sed dormit. sequitur: Deridebant eum. Item Lucæ 16. Cum dixisset: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Sequitur: Audiebant hoc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum.

Item verba contumeliosa. Ioan. 8. Nonne benediximus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Ioan. 7. Dæmonium habes. Lucæ 5. Quis est hic, qui loquitur blasphemias?

Similiter tempore passionis ante crucem in domo Annæ, & in domo Caiphæ coram Pilato, & coram Herode, ac demum dum penderet in cruce huiusmodi verba multa circa se audiuit.

A

Item in factis graues iniurias passus fuit. nam ipso prædicante repleti sunt omnes in synagoga ira, & eijcientes eum extra ciuitatem, voluerunt eum præcipitare de supercilio montis. Luc. 4. Et iterum ad lapidandum eum, lapides sustulerunt. Ioan. 8. & 9.

Item cum iret in Hierusalem, & vellet transire per Samariam nuntios quos præmisit, recipere noluerunt. Luc. 9.

Præterea ipso prædicante Iudæis, & eorum malitias increpante, illi ad lapidandum eum lapides sustulerunt. Ioan. 8. & 9.

B

Hoc parum fuit respectu eorum, quæ in passione sustinuit, circa quam notari potest quod, secundum ea, quæ ipse prædixerat. Matt. 20. Fuit delusus, flagellatus, & crucifixus.

Delusus siquidem in domo Caiphæ pontificis. Luc. 22. Qui tenebant eum, illudebant ei cædentes.

Item in prætorio Pilati præsidis. Matth. 27. Genuflexio illudebant ei dicentes: Aue rex Iudæorum.

Similiter illusus fuit in domo Herodis: Spreuit eum Herodes, & illusit eum cum exercitu suo, &c. Luc. 23.

Item illusus fuit Dominus Iesus in patibulo crucis, & hoc à militibus, & sacerdotibus, & communiter prætereuntibus, & latronibus. Siquidē de militibus dicitur. Matth. 27. Illudebant ei milites dicentes, &c. accedentes, & acetum offerentes.

C

De sacerdotibus autem. Matth. 27. Principes sacerdotum cum scribis, & senioribus illudebant ei dicentes: Alios saluos fecit, &c.

Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua. Matth. 27.

De latronibus insuper dicitur Matth. 27. Latrones qui crucifixi erant cum eo conuiciebantur ei.

Vlterius quod illusus fuit nutibus, & signis, quando mouebant capita sua, & flectabant genua sua.

Verbis quando salutantes dicebāt: Aue rex Iudæorū.

Factis quando fuit spinis coronatus, & arundo loco sceptri posita in manu eius.

Sputis deturpatus & veste purpurea, & alba vestitur. Luc. 23.

D

Saluator noster in passione sua, mansuetudinē exhibuit ad proditorem, quem vocauit amicum. Matth. 27.

Ad lictorem cuius aurem sanauit. Luc. 22. Ad Annam, & ad Caipham, ad Pilatum coram quibus fuit falsissime accusatus, mansuetissime respondit. Ioan. 18. & 19. & in alijs Euangelistis.

Item ad crucifixores pro quibus orauit. Luc. 23.

Item ad latronem cui tam benigne respondit. Luc. 23.

De flagellatione pensandum est, quod ipse Dominus Iesus flagellatus fuit in capite. Matth. 27. Percutiebant caput eius arundine. Item in facie. Luc. 22. Percutiebant faciem eius. Ioan. 18. Vnus ministrorum assistens pontifici dedit ei alapā. Item in collo. Matth. 27. colaphis eum cæciderunt. Item in toto corpore. Matth. 15. Tradidit illis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigerent eum.

E

Circa quæ notari potest quod flagellari solent in capite inscij, & qui erudiuntur, in collo serui qui de domo eijciuntur, in facie rei qui vituperantur, in toto corpore scelerati qui puniuntur.

Item considerari debet ab anima fideli, quod fuit flagellatus linguis blasphemantium, improperantium, acclamantium, Crucifige, crucifige eum. Palmis percutiētum. Matth. 26. Alij palmas in faciem ei dederunt in arundine, & flagellis, sicut iam visum est in Matthæo, & Marco.

Ad omnia iniuriæ cumulum multum facit quod ipse Dominus dominantium, qui soluit compeditos, ipse fuit tamquam latro captus, & ligatus. Ioan. 18. Ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaueruut eum.

Item fuit latro ei præpositus, quia petierunt Barabam sibi dimitti, & dominum crucifigi testantibus omnibus Euangelistis. & tamen ille cum eo, qui erat latro in seditione fecerat homicidium. Ioan. 18. Luc. 22. Matth. 27. vnde ille Barabas erat homicida, seditiosus, latro insignis, in malitia diffamatus.

Item fuit in medio latronum positus, quasi esset magister eorum, & sceleratior omnibus. Ioan. 19. Medium autem Iesum.

Præterea pensandum est, quod ipse fuit in omnibus sensibus corporis flagellatus. oculi namq; illius videbant illos tortores suos rabidos, & crudeles.

Item piam matrem eius in animam pariter crucifixam, dilectum discipulum, & mulieres deuotas ei compatientes. Aures autem verba blasphemiæ, insultationis, dirisionis, & improperij audebant. Nares etiam ratione loci Caluariæ, in quo crucifixus est, vbi decaluabantur, siue decapitabantur malefici affectæ erant fœtore graui. Gustus eius fuit afflictus in hoc, quod fuit potatus vino myrrhato, vel aceto cum felle mixto. In quib. datur intelligi poculū fuisse amarissimū. Sensus autem tactus per totum corpus diffusus vbiq; dolorem sensit in membris videlicet flagellatis in manibus, & pedibus atrociter perforatis.

Potest etiam considerari, quod ipse Dominus Iesus sustinuit damnum in rebus, quas secundum hominem habuit.

Quia fuit vestimentis nudatus. Io. 19. Ab amicis derelictus. Mart. 14. Discipuli relicto eo fugerunt omnes.

Afflictus in toto corpore sicut tactum est per acerbissimam passionem.

Iterum in corde, vel mente per compassionem, quia compatiebatūr amicis ibi assistentibus, & inimicis ignorantibus.

Item passus est Iesus quodammodo in fama, seu opinione, quia dicebāt eum fuisse populi seductorē. Matt. 27. Domine dixerunt ad Pilatum principes sacerdotum, recordati sumus, quoniam seductor ille, &c.

Aduertendum est etiam circa salutiferam passionem Domini nostri Iesu Christi, quæ fuit turpis, immo turpissima & ignominiosa, ratione loci, vbi notus, & honoratus fuerat, & multa miracula fecerat, scilicet in Hierusalem. Item ratione temporis, vel diei solemnis Paschæ, quando conuenerat ad diem festum maxima hominum multitudo. Item hora quasi sexta ductus fuit ad crucem vt ab hominibus posset sciri. Item ratione ipsius mortis, quia morte crucis, morte debita maledictis malefactoribus, & iniquis. Item ratione modi ad ipsum tormentum eundi; exiuit enim Iesus baiulans sibi crucem. Io. 19. quod certe non legitur de alijs duobus nequam qui ducebātur cum eo. Item ratione consorti; nam fuit crucifixus in medio duorum latronum, quasi esset vnus, aut maximus, vel magister.

Adhuc autem aggrauatur illius benedictæ passionis acerbitas ex naturali Dominici corporis complexione. Certum est enim illud sacrum corpus fuisse complexionis optimæ, & mirabiliter delicatæ; vtpote organizatū sancti Spiritus opere, vnde fuit sine aliquo naturæ vitio, vel errore. Item caro sua sancta nullam habuit vmquam rebellionem, vel pugnam contra spiritum, & ideo spiritus merito magis diligebat ipsam, quā alterius spiritus, vel anima debeat diligere corpus suum. Item ex diuturnitate diurnæ durationis aggrauatur acerbitas passionis; nam multi martyres igne cremati, vel aqua submersi vel capite truncati martyrium suum celeriter compleuerunt; passio vero Dominica durauit, quasi ab instanti suæ cōceptionis vsq; ad horam mortis (certissime namque præsciuit quicquid sua humanitas passura fuit specialiter tamen continue durauit ab hora illa post cenam vsque ad sextæ feriæ horam nonam. Item ex qualitate membrorum, in quibus passus fuit, quia in pedibus, & manibus quæ sunt membra neruosa, & doloris maxime perceptiua,

Signum autē quod passio Domini grauissima & acerbissi-

bissima fuerit ex hoc præcipue potest haberi, quod narrante Luca in oratione post cenam ex vehementi imaginatione futuræ angustiæ vel doloris, factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Luc.22.

Eandem vero Dominicam passionem reddit inextimabiliter gratiosam hoc quod ad illam sponte se obtulit. Matth.27. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet, & Io.18.

Iuit obuiam ministris quærentibus Iesum Nazarenum, & cum audissent eum dicentem: Ego sum, ceciderunt in terram. Item postea captus, vinctus ignominiose deductus, mendaciter accusatus, colaphizatus, sputis illitus, flagellis cæsus, spinis derisorie coronatus, nullum verbum aut signum impatientiæ, seu turbationis ostendit. quinimmo multiplex beneficium illis, à quibus ita premebatur, impendit. Nam aurem amputatam serui principis sanauit, & multa pia & vtilia verba illis dixit, & pro ipsis crucifixoribus suis clementer orauit patrem suum dulciter inuocans, & illos benigne excusans. Luc.23. Pater, inquit, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Denique hæc omnia passus non propter se, sed propter nos, nam propter peccata nostra tollenda, quia quæ non rapuit, tunc exoluit; vnde propter necessitatem & vtilitatem nostram, non propter suam. animam enim suam posuit pro ouibus suis. Io.10. Pro nobis quippe liberandis voluit comprehendi, pro nobis redimendis voluit vendi, pro nobis honorandis voluit confundi, & in cruce suspendi, vinculatus est vt absolueremur, vulneratus est vt sanaremur, flagellatus ne flagellaremur, mortuus est ne æternaliter moreremur. Gal. 2. In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 1. Cor.15. Christus mortuus est pro peccatis nostris. Item 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis relinquens exemplum. Item Isa. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras. Attritus est propter scelera nostra tollenda, scilicet & delenda. Item Io.10. Animam meam, inquit, pro ouibus meis pono.

De Apostolis cæsis dicitur. Act.5. Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, &c.

Stephanus ad lapidatores suos fuit ita patiens, & benignus, quod diligentius pro illis, quam pro se ipso orasse videtur. Nam positis genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas, &c. orans autem pro se non legitur genua flexisse, nec clamasse. Act.7.

Paulus & Silas positi in duro carcere media nocte adorabant Deum, & laudabant. Act.16.

CAPVT LXXX.

De constantia & perseuerantia in proposito.

NOn est respiciendum retro post egressum de societate malorum, sicut fecit vxor Loth, quæ versa est in statuam salis. Gen.19.

Singulis diebus molesta erat Ioseph domina eius, & ille tamen perseueranter restitit operi nefario. Gen.39.

Numquam potuit vinci Moyses, quod vel in Ægypto, immolans remaneret, vel paruulos aut iumenta populi dimitteret Pharaoni. Exo.8.9.&10.

Dure reprehensus Dauid à fratre suo maiore, & etiam dissuasus à Saule non destitit ab incœpto, sed viriliter pugnauit, & vicit. 1. Reg.17.

Perseueranter egit Ioab in obsidione Rabbath, donec capta fuit ciuitas. 2. Reg.12.

Item circa Seban Bochri in obsidione ciuitatis Abela. 2. Reg.20.

Quamuis Nehemias in ædificando multa passus fuerit impedimenta, non cessauit ab opere, donec murus fuerit totaliter consummatus. Nehe. 4.&6.

Cum Tobias ab infantia semper timuerit Deũ nõ est contristatus contra Dominũ, quod plaga cæcitatis euenerit ei, & immobiliter in Dei timore permansit. Tob.2.

Eliachim sacerdos magnus allocutus est omnem Israel dicens; Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes perseueraueritis in conspectu Dei. Iudith.4.

Scire cupiebant famuli regis Assueri, vtrum Mardochæus perseueraret in sententia de non adorando Aman, qui ita constanter perstitit in proposito, vt non solum eum nõ adorare voluerit, sed nec ei assurgere transeunti. Ester 3.& 5.

Socij Danielis constanter dixerunt regi Babylonis: Notum sit tibi rex, quod deos tuos non colimus, & statuam tuam non adoramus. Dan.3.

Non prætermisit Daniel, propter crudele decretum Darij regis Persarum, quin oraret ter in die, sicut ante consueuerat Deum suum. Dan.6.

Constanter restitit Susanna duobus senibus præsbyteris, qui eam tanti vexamenti tentatione pulsabant. Dan.13.

Multi de populo Israel diffinierunt apud se, vt non manducarent immũda, & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari. 1. Mach.1.

Miram constantiam, & perseuerantia habuit Eleazarus in tormentis, & magis elegit grauissima morte perimi, quam contra leges carnes porcinas comedere, vel simulare se comedisse. 2. Mach.6.

Septem illi fratres cum pia matre sua, bene perseuerauerunt vsque in finem, nec potuerunt ad præuaricationem legis adduci blanditijs, aut tormentis. 2. Mach7.

Firmissimum virginitatis propositum habuit Beata Virgo, quæ noluit consentire in conceptione tanti Filij, donec intellexit quod hoc fieret, non viri opere, sed virtute Spiritus sancti. Luc.1.

Ponit Dominus exemplum. Luc. 13. de illo homine ab alijs illudendo, qui cœpit turrim ædificare, & non potuit consummare.

Cæcus ille natus, & à Domino illuminatus constanter perseuerauit contra Pharisæos veritatem confitens, & defendens. Ioan.9.

Omnes discipuli Domini erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Act.1.

Principes Iudæorum videntes Petri constantiam, & Ioannis, comperto quod essent homines sine litteris, & idiotæ admirabantur. Act.4.

Videns Barnabas quod multi Antiocheni erant ad fidem conuersi, gauisus est, & exhortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Act.11.

Paulus & Barnabas suadebant fratribus, vt permanerent in gratia Dei. Act.13.

Spiritus sanctus per omnes ciuitates protestabatur Paulo, quoniam vincula, & tribulationes in Hierusalem sustinere debebat. Sed nihil horum, inquit, vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, &c. Act.20.

CAPVT LXXXI.

De impatientia, & murmure.

AGar Ancilla Saræ non ferens correptionem dominæ suæ, quæ affligebat eam, præ illius superbia fugam iniuit, sed ad mandatum Angeli redijt. Gen.16.

Præpositi filiorum Israel dixerunt Moysi, & Aaron: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone. Exod.5.

Videntes Ægyptios filij Israel, dixerunt ad Moysen. Exod. 14. Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, vel contulistis nos, vt moreremur in solitudine.

Prima murmuratio filiorum Israel in deserto fuit pro defectu potus. Exod. 15. Murmurauit populus contra Moysen dicens: Quid bibemus. deinde pro cibo. Exod. 16. Murmurauit omnis congregatio filiorum Israel, & cet. Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Item postquam misit

Dominus populo coturnices, & manna, murmurauit A præ sitis angustia. Exod.17. Cum patiebatur famem populus in deserto, cum murmure, & impatientia recordabatur carnium, quas comederat in Ægypto, sed de durissima seruitute, qua opprimebatur, non faciebat mentionem aliquam. Exo.16.

Videns populus quod moram faceret descendendi Moyses de monte, congregatus aduersus Aaron, ait: Surge fac nobis deos qui præcedant, &c. Exod.32.

Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum, & accensus est in eos ignis Domini, & deuorauit extremam castrorum partem. Num. 11. Et nota peruersitatem illorum dicentium: Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, cum tamen ita care emerent.

Post terribilem mortem Chore, & complicum suorum, multitudo murmurauit contra Moysen, & Aaron B dicés: Vos interfecistis populum Domini, &c. Num.16.

Rursus propter defectum potus, & fructuum murmurauit, & iurgati sunt filij Israel contra Moysen, ad aquas contradictionis. Num.20.

Videns Achitophel, quod non esset factum, iuxta consilium suum, in tantum impatiens fuit quod recessit ab Absolom, & abiens in domum suam suspendio interijt. 2. Reg.17.

Quia durius locuti sunt filij Iuda cum illis de decem tribubus, separatus est omnis Israel à Dauid, & secutus est Sebam filium Bochri. 2. Reg. 20.

Cum dixisset Tobias de hœdo, quem balantem audiuit: Videte ne furtiuus sit; vxor eius impatienter respondit. Tob.2.

Sara filia Raguelis, vnam de ancillis pro culpa sua increpabat, & illa nimis iniuriosè respondit, dicens: Amplius C ex te nõ videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Tob.3.

Nuntiatum est Holoferni quod filij Israel præparauissent se ad resistendum, & furore nimio exarsit in iracundiam magnam. Iudith. 5. Item cum cessasset loqui Achior indignatus est Holofernes vehemẽter. Iudith.7.

Pro eo quod Mardochæus Aman noluit adorare, ille ita indignans, & impatiens fuit, quod visus est procurare mortem eius, & omnium Iudæorum. Esther 3.

Videns Elihu quod amici Iob disputantes cum eo, non poterant eum conuincere, ostendit multa signa impatientiæ verbis suis. Iob.33.

Audiens Nabuchodonosor, quod socij Danielis auream statuam, quam fecerat, adorare nolebant, in ira, & furore eos coram se adduci præcepit. Dan.3. D

Audiens Herodes natum esse regem Iudæorum, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Matt.2. Discumbente Domino in domo Matthæi murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Luc.5.

Simile habetur Luc.15. Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores, & cet. & murmurabant. &c.

Item de Zachæo Luc. 19. murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset.

Frater senior filij prodigi audiens festum quod faciebat E pater adolescentiori filio reuertenti, indignatus est, & nolebat introire. Luc.15.

Videntes principes sacerdotum, & Scribæ, miracula quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes Osanna filio Dauid, indignati sunt, &c. Matt.21. Luc.19.

Pharisæi videntes se per vnum cæcum natum à Domino illuminatum, verbis efficacibus confutari, maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus eius sis. & post, In peccatis natus es totus, & tu doces nos, &c. Ioan.9.

Factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano, viduæ eorum, &c. Act.6.

CAPVT LXXXII.

De bello temporali, & victoria, vt plurimum diuinitus obtenta.

ABraham cum paucis socijs debellauit quattuor reges, qui tamen ita potentes erant, quod ipsi terras multas vastauerant, & tamen quinque reges de Pentapoli vicerunt, & illos de Sodoma, & Gomorra spoliauerunt, ipse vero Abraham spolia recuperauit, & Loth nepotem suum liberauit. Gen.14.

Nota quod in bello iusto, non tenetur homo inimicis suis pugnam prædicere, vel eos præmunire, immo etiam licet eis insidias tendere, sicut patet per Abraham. Gen.14. & Iosue 8. & 10. Item 8. de Gedeone.

Contra Amalech filios Israel impedire nitentem, misit Moyses Iosue ad pugnandum, ipse vero in propria persona non iuit, sed in oratione remansit, & plus fecit orando, quam ille manibus feriendo. Exod.17.

Filij Israel motu valde animoso aggressi sunt bellum contra Amalechitas, & Chananæos prohibente Moyse. illi autem percutientes, & concidentes filios Israel, persecuti sunt eos, vsq; Horma. Num 14.

Rex Arad pugnauit contra filios Israel, duxit inde prædam. illi vero postea voto Domino se obligantes vicerunt, & vrbes ostium subuerterunt. Num.21.

Ex præcepto Domini pugnantes filij Israel contra Madianitas, tantam victoriam habuerunt, quod triginta duo millia mulierum virginum habuerunt in præda, & tamen de populo Israel non fuerunt nisi duodecim millia pugnatorum, de quibus, nec vnus quidem in prælio mortuus est. Num.31.

Vociferante populo, & clamante clangentibus tubis, sicut præceperat Dominus Iosue, muri Iericho corruerunt, & sic capta est ciuitas. Iosue 6.

Occasione præuaricationis Achan filij Israel fugati fuerunt ab illis, de ciuitate Hai. Post expiationem autem peccati, ad præceptum Domini capta fuit ciuitas, & subuersa. Iosue 7. & 8.

Cum pugnaret Iosue contra quinque reges, qui venerunt ad destruendum Gabaonitas. Misit Dominus super illos lapides magnos de cœlo, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel. tunc & ad vocem Iosue stetit sol spatio vnius diei, vt possent deleri funditus inimici. Iosue 10.

Notabile est autem quod licet in acquisitione terræ Promissionis, dicatur quod Iosue percusserit omnem terram cum regibus suis, & quod præter Gabaon omnes debellando cepit; tamen legitur ibi: Dominus Israel pugnabat pro eo. Vnde quamuis filij Israel manibus fortiter pugnarent, tamen Deo attribuebatur victoria. Iosue 10.11.12.

Post mortem Iosue, filij Israel non leguntur iuisse ad prœlium, nisi consulto prius Domino, & sic iuerunt, & tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manus eorum. Iud.1.

Multas gentes dimisit Dominus inter filios Israel, vt erudiret in eis, Israel, & omnes qui nouerant bella Chananæorum, vt discerent filij eorũ certare cum hostibus, & haberent consuetudinem præliandi. Iud.3.

Suscitauit Dominus Israel; saluatorem, vocabulo Ahod, qui percussit Eglon regem Moab, & descenderunt cum eo filij Israel, ipso in fronte gradiente, qui dixit ad eos, Sequimini me. Tradidit enim Dominus inimicos vestros in manus nostras. & percusserunt de Moabitis circiter decem millia. Iud.3.

Dixit Debbora ad Barach: Surge; hæc est enim dies in qua tradidit Dominus Sisaram in manus nostras. Perterruit enim Dominus Sisaram, & omnes currus eius, &c. Iud.4.

In trecentis viris, qui manu ad os projiciẽte aquas biberunt, liberauit Dominus Israel de manu Madian, &

Amalech, qui erant in maxima multitudine, tempore Gedeonis. Iudic. 7.

Abimelech filius Gedeonis ex concubina, interfecit septuaginta fratres suos, vt solus posset dominari. Postea quædam mulier cerebrum eius fregit fragmen molæ iaciens super ipsum, cum obsideret turrim Sichem. Iud. 9. Reddidit Dominus malum, &c.

Transiuit Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius, percussitque viginti ciuitates filiorum Ammon plaga magna nimis, Iud. 11.

Ex magna fortitudine quam dedit Dominus Samsoni, plures mirabiles victorias obtinuit de Philistæis, qui tunc graui seruitute opprimebant filios Israel. Iudicum 13. 14. 15. & 16.

Sexcenti viri de tribu Dan, venerunt in Lais ad populum quiescentem, atq; securum, & percusserunt eos ore gladij, vrbemq; incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul essent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis, & negotij. Iud. 18.

Licet filij Israel iuste mouerentur contra filios Beniamin, & essent plures septuplum, quam illi; tamen in fortitudine à numero confidentes, bis fuerũt ab eis debellati. postea flentibus coram Domino, & ieiunantibus, dixit ei Dominus: Cras tradam eos in manus vestras; & tunc plenam victoriam habuerunt deinceps. Iudic. 20.

Tempore Heli sacerdotis filij Israel debellati fuerunt à Philistæis, postea quasi tentantes Deum tulerunt arcam Domini secum, Philistæi vero confortantes se mutuo, iterum vicerunt eos, & arcam Domini ceperunt. 1. Reg. 4.

Clamante ad Dominum Samuele pro Israel, & sacrificium offerente Intonuit Dominus fragore magno super Philistijm, & cæsi sunt Philistæi. 1. Reg. 7.

Cum obsessi essent viri de Iabes Galaad à Naas rege Ammonitarum succurrit eis Saul. nam cum multis bellatoribus ingressus est castra in vigilia matutina, & sic dispersi sunt; ita vt non relinquerentur in eis duo pariter 1. Reg. 11.

Videns Ionathas filius Saul stationem Philistinorum, dixit ad armigerum suum: Non est Domino difficile saluare in multis, vel in paucis, & accidit quasi miraculum à Deo Fuit enim per eos multitudo prostrata, & huc illucq; diffugiens. 1. Reg. 1.

Ad mandatum Samuel, percussit Saul Amalech vitium, omne autem vulgus interfecit. 1. Reg. 15.

Audiens Dauid quod Amalechitæ succenderant Siceleg, & captiuas duxerant mulieres, consuluit Dominum, vtrum deberet persequi latrunculos illos. Dixitque Dominus, Persequere. & cum quadringentis viris debellauit eos, & prædam integraliter reduxit. 1. Regum. 30.

Post multas persecutiones iniquas, quas Saul in Dauid commouit, Philistijm pugnauerunt aduersus eum, totumque pondus prælij versum est in Saul. arripuit autem gladium suum, & irruit super eum. Mortuus est ergo Saul, & tres filij, & vniuersi viri eius pariter, 1. Regum 31.

Crudele bellum fuit inter duodecim pueros ex parte Dauid, & duodecim ex parte Isboseth filij Saul, quando mutuo se occiderunt. 2. Reg. 2.

Audierunt Philistæi, quod Dauid esset vnctus in regem super Israel, & ascenderunt vniuersi, vt quærerent eum qui consuluit Dominum, & percussit eos. alia vice accidit ei simile. 2. Reg. 5. Postea percussit iterum Philistæos & tulit frenum tributi de manu eorum. Item percussit Moab, & factus est Moab seruiens sub tributo. Item percussit regem Soba. & de Syria duodecim millia virorum. seruauitq; Dominus Dauid in omnibus, ad quæcunq; profectus est. 2. Reg. 8.

Videns Ioab quod præparatum esset aduersum se prælium, & ex aduerso, & post tergum dixit Abisai fratri suo: Si præualuerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorio. Si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi. esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri, Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. Inito ergo prælio fuerunt omnes aduersarij Ioab. 4. Reg. 4.

Bellum inhonestum habuit Absalom contra Dauid patrem suum, & male successit ei & populo, qui eidem adhæsit. 2. Reg. 18.

Benadad rex Syriæ cum triginta duobus regibus obsidebat Samariam, & victus fuit, & fugatus ad mandatum Domini, pugnantibus contra exercitum tantum pueris principum prouinciarum, qui erant ducenti triginta duo. Sequenti autem anno venit iterum Benadad cum maximo exercitu, & ceciderunt centum millia peditum de Syris, qui dixerunt; Deus montium est Dominus, & non Deus vallium. 3. Reg. 20.

Cum esset congregatus rex Iuda, & rex Israel, & rex Edom, vt pugnarent contra Moab, & magnum pateretur aquæ defectum; dixit Eliseus Propheta: Alueus iste replebitur aquis, & insuper tradet Dominus Moab in manus vestras, & ita factum est. 4. Reg. 3.

Samaria tamdiu obsessa fuit à Rege Syriæ, quod vendebatur caput asini octoginta argenteis, sed ad verbum Elisei fugati sunt Syri, & ex hoc habuerunt maximam rerum abundantiam. 4. Reg. 6. & 7.

Rex Israel multotiens debellauerat regem Syriæ, sed propter peccata hominum cœpit Dominus tædere super Israel & percussit eos Azael rex Syriæ in vniuersis finibus Israel. 3. Reg. 4.

Amasias rex Iuda obtenta victoria de Edom, misit ad regem Israel prouocans eum ad prœlium, sed fuit ab illo fugatus, & magna pars murorum *ciuitatis Hierusalem* destructa fuit occasione elationis ipsius Amasiæ. 4. Regum 14.

Licet Ieroboam filius Ioas rex Israel esset malus, tamen Dominus per manum illius saluauit eos, & multa bona fecit eis. 4. Reg. 14.

Bene pugnauit Dominus pro Ezechia rege Iuda, quãdo Angelus Domini vna nocte percussit de exercitu Sennacherib regis Assyriorum centum octoginta quinque millia, & ipse Sennacherib post modicum tempus à filijs suis interfectus est. 4. Reg. 19.

Abia rex Iuda cum exercitu suo videns, quod instaret bellum ex aduerso, & post tergum clamauit ad Dominum, ac sacerdotes tubis cœperunt canere, & perterruit Dominus Ieroboam, & omnem Israel, & ceciderunt vulnerati ex Israel quinquaginta millia virorum fortiũ, humiliatique sunt filij Israel, & vehementissime confortati filij Iuda, eo quod sperassent in Domino. 2. Paral. 13.

Egressus est contra Asa regem Iuda Zara Æthiops cum exercitu suo decies centenis millibus, & inuocauit Asa Dominum dicens: Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in multis, &c. exterruit itaq; Dominus Æthiopes, & ruerunt vsq; ad internecionem; quia Domino cædente contriti sunt, &c. 2. Paral. 14.

Congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, vt pugnarent contra Iosaphat. at ille se totum contulit ad rogandum Dominum, &c. cumque cœpissent cantores Deum laudare, vertit Dominus insidias aduersariorum in semetipsos, & mutuis vulneribus conciderunt. 2. Paral. 20.

Phacee filius Romeliæ rex Israel occidit de Iuda centum viginti millia in vna die, omnes viros bellatores, eo quod reliquissent Dominum. 2. Paral. 28.

Victoria quam dedit Dominus populo Israel per manum Iudith famosa est. Iudith quasi per totum. vnde ipsa dixit occiso Holoferne, Dominus omnipotens nocuit eum, & traditum in manu feminę, & confudit eum, Iudith. 16.

Videns Iudas Machabæus exercitum Seron magnũ, socijs timentibus, dixit: Facile est cõcludi multos in manus paucorum, & non est differentia in conspect Dei

cœli

cœli liberare in multis, aut in paucis, &c. & contritus est Seron, & exercitus eius. 1. Mac. 3.

Item Machabæus cum tribus millibus virorum, qui tegumenta & gladios non habebant, debellauit Gorgiam cum magno exercitu. 1. Mach. 4.

Item sequenti anno vicit Lysiam qui habebat in exercitu suo sexaginta millia electorum virorum & equitum quinq; millia facta oratione ad Dominum, eum tamen nisi decem millia hominum, tunc habuisse legitur. 1. Mac. 4.

Venit Bachides in virtute multa, vt pugnaret contra Ionatham, & dixit Ionathas ad suos: Pugnemus, & clamemus in cœlum, vt liberemur de manibus inimicorum nostrorum, quod & factum est. 2. Mac. 9.

De Iuda Machabæo satis notabile est, quod cum totiens pugnauerit, & tot probitates fecerit, quandocumque pugnaturus orauit, & diuinum inuocauit auxilium semper vicit. In duobus autem præcipuis bellis orasse non legitur, vnum fuit contra Antiochum Eupatorem. 2. Mac. 7. secundum contra Bachidem & Alcimum, & tunc ipse in prœlio cecidit, & cæteri fugerunt. 2. Machab. 9.

Caput LXXXIII.

De pusillanimitate.

Cum dixissent Angeli ad Loth, In monte saluum te fac, respondit ille, Non possum in monte saluari, ne forte apprehendat me malum, &c. Gen. 19. & tunc peius ei accidit.

Videntes filij Israel Ægyptios post se timuerunt valde, licet vidissent tot mirabilia facta pro eis potestate diuina. Exod. 14.

Loquente Domino Moysi in monte, populus audiebat voces, lampades & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti, ac pauore percussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Exod. 20.

Relatione facta de conditione terræ promissionis, quod habebat cultores fortissimos, & vrbes grandes, atque muratas; dixerunt illi de populo, Vtinam mortui essemus in Ægypto. Num. 13. & 14. & dixerunt, Nuntij terruerunt nos, sicut dicitur. Deut. 1.

Videns Balach rex Moab omnia quæ fecerant filij Israel Amorrhæo, & quod timuisset populus eius, plus confisus in verbis, quam in armis; nuntios misit ad Balaam, vt veniret & malediceret filijs Israel. Num. 22.

Exploratoribus qui venerant ex parte Iosue. dixit Rahab; Noui quod tradiderit Dominus terram, etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Iosue 2.

Postquam Acham tulerat de anathemate Iericho, fugauerunt viri Hai filios Israel, & corruerunt ex eis triginta sex homines, pertimuitque cor populi, & instar aquæ liquefactum est. Iosue vero scidit vestimenta sua. Iosue 7.

Gabaonitæ audientes cuncta quæ fecerat Iosue Iericho, & Hai timuerunt, & venientes ad Iosue fecerunt pacta ad voluntatem illius. Iosue 9.

Cum haberet Gedeon in exercitu suo triginta duo millia hominum clamantium dixit, Qui formidolosus, & timidus est; reuertatur, & reuersi sunt ex populo duodecim millia.

Saul & omnes Israelitæ audientes sermones Goliath Philistæi singulare certamen petentis, stupebant, & metuebant nimis. 1. Reg. 17.

Roboam rudis, & corde pauido non potuit resistere exercitui, quem Ieroboam congregauit contra eum. 2. Paral. 13.

Cum audisset exercitus Assyriorum Holofernem esse decollatum fugit mens, & consiliū ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt. Iudit. 5.

Nuntiatum est domui Dauid, quod rex Israel, & rex Syriæ confœderati deberent contra Hierusalem pugnare, & commodum est cor eius, & cor populi eius, sicut commouentur ligna syluarum à facie venti. Isa. 7.

Onus Tyri describens Isaias dicebat: Fortitudo, souea, & laqueus super te, qui habitatores terræ, Isa. 4.

Propheta Domini Ieremias ex parte Domini prophetauit Hierusalem capiendam esse, dixerunt principes populi Sedeciæ, Rogamus, vt occidatur homo hic: qui tamquam pauidus, & miser respondit eis: Ecce ipse in manib. vestris, nec enim fas est regem vobis quicquam negare. Ier. 33.

Darius rex Persarum statuit de consilio Satraparum quoddam decretum, quod cum transgressus esset Daniel, missus est in lacum leonum, & tamen displicuit regi, sed illis Satrapis viriliter contradicere non audebat. Dan. 6.

Videns Iudas Machabæus, quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, confractus est corde & in illo bello cecidit, nec legitur idem Iudas alias timuisse. 1. Mac. 9. Nicanor contraxit amicitias cum Iuda Machabæo, quod displicuit Antiocho regi, & mandauit Nicanori, vt vinctum mitteret ei Iudam, qui hoc inuite faciebat, sed tamen voluntati regis resistere non audebat, vnde si potuisset malam voluntatem regis implesset; 2. Mac. 14.

Ambulans super mare Petrus veniebat ad Dominū, videns autem ventum validum timuit, &c. Matt. 14.

Pusillanimitas videtur fuisse in Nicodemo, quod ipse venit ad Iesum nocte, quasi non auderet venire de die. Io. 3.

Videntes discipuli capi Dominum, & ligari, relicto eo fugerunt omnes. Petrus autem sequebatur eum à longe, quia de prope non audebat. Marc. 14.

Arguit Dominus pusillanimitatem discipulorum, quia commotionē maris ipso præsente timebant. Matt. Quid timidi estis modicæ fidei?

Nimis pusillanimis Petrus, quando ad vocem vnius ancillæ Dominum post tantæ audaciæ verba, negauit. Mat. 26. Luc. 22. Mar. 14. Io. 18.

Similiter adolescens ille amictus sindone, cum teneretur à ministris maluit amittere sindonem, & nudus aufugere, quam amplius ibi remanere. Mar. 14.

Parentes illius cæci nati à Domino illuminati responderunt timide Pharisæis, eo quod timebant extra synagogam fieri. Io. 19.

Caput LXXXIV.

De fortitudine ad faciendum malum.

Cain fuit fortior quam Abel, quando consurrexit aduersus eum. Gen. 4.

Multum laborauerunt illi quattuor reges; qui post magnam stragem hominum debellauerunt regem Sodomorum cum cæteris, & Loth nepotem Abrahæ captiuum duxerunt. Gen. 14.

Abimelech filius Gedeonis magnam fatigationem sustinuit occidendo septuaginta fratres suos, & postea Sichimitas oppugnando, & deinde satis cito miserabiliter occisus est. Iud. 9.

Multis & magnis laboribus, & periculis Saul se exposuit ad persequendum Dauid, & numquam propositum obtinere potuit. 1. Regum 18. & deinceps.

Absalom volens patrem suum expellere de regno, grande negotium arripuit, & pessime ei successit. 2. Reg. 15. 17.

Excogitando & bellando multū laborauit Iereboam ad hoc, quod populum Israel posset à domo Dauid auertere, & auersum retinere. 3. Reg. 12. 13. 14.

Terras multas perambulauit Holofernes, & deuastauit, vt eas posset imperij sui dominio subiugare, sed tandem vna mulier decapitauit eum, etiam antequam propositum compleuisset. Iudith quasi per totum.

Antiochus Epiphanes multum sustinuit, vt cultum Dei destrueret in Iudæa, & tandem depauperatus, & confusus in aliena terra miserabili morte defunctus est. 1.Machab.9.

Non solum prudentiores, sed etiam feruentiores, & potentiores filij huius sæculi filijs lucis in generatione sua sunt frequenter. nam discipulis dormientibus Iudas procurando traditionem Domini sollicitus vigilabat. Matt.26.

Principes sacerdotum multa sollicitudine, & labore fatigati fuerunt ad hoc quod possent extinguere, & ad nihilum redigere nomen Christi. Corruperunt enim custodes Dominici sepulchri per copiosam pecuniam, quam dederunt, vt dicerent eum eius discipulos fuisse furatum. Matt.28.

Item discipulos eius nunc carceribus monuerunt, nunc sermonibus arctauerunt, nunc verberibus & contumelijs affecerunt, vt non loquerentur, nec docerent omnino, in nomine Domini Iesu. Act.3.& 4.

Cum tribunus Lysias vinctum Paulum detineret, fuerunt amplius, quam quadraginta Iudæi qui vouerunt, se nihil gustaturos, donec occiderent Paulum: vnde volebant quod Paulus produceretur in medium, vt eo viso statim cum impetu occiderent eum. Act.23.

CAPVT LXXXV.

De homicidio.

NOta quam grauiter Deus homicidium Cain commissum puniuit, & tamen nondum erat prohibitum aliqua lege scripta. Gen.4.

Occidit Cain Abel fratrem suum, Moyses Ægyptiũ, Dauid Goliam, Ioab Abner, & Amasam, Salamon Semei, & Adoniam, Herodes Ioannem Baptistam, Petrus Ananiam & Saphiram, & considera varias intentiones & causas.

Voluit Dominus, vt homo mirabiliter abhorreret homicidium, vnde & sanguinem cum carne comedere prohibuit. Gen.9.

Homicida debet reputari quasi occisus, vnde dixit Rebecca. Gen.27. Cur vtroque orbabor, &c.

Si Zebee, & Salmana fratres Gedeonis non occidissent, nequaquam post ab eodem occisi fuissent. Iud.8.

Abimelech filius Ierobaal occidit septuaginta fratres suos, scilicet vt solus posset regnare. Iud.9. Sed ipse modico tempore dominatus fuit, & multa mala sustinuit, & male finiuit.

Quia sacerdos Achimelech confortauit Dauid fugientem, Saul ipsius Dauid persecutor occidit eum cum multis alijs sacerdotibus, mulieribus, & paruulis. 1. Reg.22.

Occidi fecit Dauid adolescentem, qui dixit se Saul occidisse. 2. Reg. 1. Ioab occidit Abner in vltione Asael fratris sui, quem ille occiderat. 2. Reg.3. Fecit occidi Dauid Vriam per manum Ioab. 2.Reg. 11. Absalom inuitans ad conuiuium Ammon fratrẽ suum, illum ibidem occidit, 2. Reg.13. Tantus est horror effundendi humanum sanguinem, quod licet Dauid aliâs esset optimus, tamen noluit Dominus, vt ædificaret ei templum, sed Salomon filius eius. 2.Reg.7.

Quamuis Ioab fuerit miles probus, & domino suo valde fidelis, quia tamen occidit duos viros proditiose, omnes eius gratiæ sunt pro nihilo computatæ, vnde fecit eum occidi Salomon, licet teneret cornu altaris. 3. Reg.2.

Procurante impia Iezabel Naboth fuit crudeliter lapidatus. 4.Reg.20.

Ioas rex Iuda iussit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotis à populo lapidari, cum tamen pater illius restituisset ei regnum, & Athaliam occidisset. 1. Paral.25.

Duo senes presbyteri, qui mortem Susannæ nequissime cogitabant, conuicti per Danielem à populo sunt occisi. Dan.13.

Occidit Tryphon Ionatham, & duos filios eius, cum tamen recepisset à Simone centum talenta argenti pro liberatione Ionathæ, & duos eius filios pro obsidibus 1. Machab.13.

Ptolemæus filius Abobi fecit conuiuium Simoni summo sacerdoti, & duobus filijs eius, & cum inebriati essent proditorie occidit eos. 2. Machab.15.

CAPVT LXXXVI.

De stragibus hominum diuersis.

TErribilis hominum, & aliorum animalium strages fuit, quando tempore Noe omnes homines, præter octo perierunt diluuio. Gen.7.

Illi quattuor reges, qui debellauerunt quinque reges magnam cædem hominum fecerunt, veniendo vsque illuc, & pugnando contra illos, licet eorum numerus, non sit scriptus. Gen.14.

Quot homines periergũt in Ægypto diuersis plagis, & submersi fuerunt in mari Rubro; numerus per Scripturam non potest sciri, sed maximus debet existimari in Exodo.

De sexcentis millibus hominum bellatorum, à viginti annis, & supra qui numerati sunt: Num. 1. Nullus intrauit terram Promissionis exceptis Caleb & Iosue, sed omnes interierunt varijs calamitatibus in deserto.

Maximam cędem fecerunt filij Israel, pręcepto Moysi de Madianitis, quod per prædam quam rapuerunt potest deprehendi, quia vigintiduo millia virginum sunt inuenta. omnes autem mulieres corruptæ, & masculi fuerunt iugulati. Num.31.

Tempore Iosue in ingressu terræ Promissionis, tam in ciuitatibus, quam in campis fuit apud homines infinitus occisorum numerus.

Temporibus etiam Debborę, Gedeonis, & Iephte iudicum Israel, fuerunt multi occisi, quamuis certus numerus eorum non possit haberi.

Occasione vxoris Leuitæ, fuerunt occisi sexagintaquinq; millia hominum bellatorum, præter mulieres & paruulos, qui omnes in tribu Beniamin periergũt. Iud.20.

In diebus Heli, quando capta fuit arca Domini, ceciderunt de Israel triginta millia peditum pugnatorum. 1.Reg.4.

Saul qui Amalech deleuit, plurimos ibi occidit. 1. Reg. 14. Et postea interfecto Goliath Philistæo multi fuerunt Philistæi interfecti. 1. Reg. 17. In morte autem Saul, & filiorum eius, multi de Israel ceciderũt. 1. Reg.31.

Dauid de Syris, & de filijs Moab, & de Ammon, & de Philistæis sanguinem multum fudit, sicut patet in diuersis locis secundi libri Regum.

Peccato elationis Dauid in enumeratione populi ceciderunt septuaginta millia virorum. 2.Reg.24.

Congregatis triginta duobus regibus, & nimia multitudine pugnatorum Benadad rex Syriæ, bis fugatus fuit ad Achab rege Israel, & secunda vice centum millia peditum ex parte Syriorum, occisi fuerunt. 3. Reg.20.

Abia rex Iuda, & exercitus eius vulnerauerunt vno die de exercitu Ieroboam quingenta millia virorum fortium. 2.Paral.13.

Asa rex Iuda habuit in exercitu suo quinquaginta octo millia: Æthiopes vero fuerunt decies centum millia, & ruerunt Æthiopes vsq; ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante. 2.Paral.14.

Rex Israel Phacee filius Romeliæ, occidit de Iuda centum millia virorum bellatorum, in die vna eo, quod dereliquissent Dominum. 2.Paral.28.

Quando Salmanasar cœpit Samariam, & transtulit filios Israel in Assyrios. Item quando Nabuchodonosor cœpit Hierusalem, & captiuauerat regem Iuda, satis verisimile est multos homines ibi corruisse, licet numerus non sit certus.

Occasione superbi, & crudelis Aman, qui propter solum Mardochæum voluit cunctos iugulare Iudæos, occiderunt Iudæi in regno Assueri septuaginta quinq; millia hominum, quos suos reputabant inimicos. Esther 9.

Misit Ionathas Demetrio apud Antiochiam, tria millia virorum in auxilium, contra illos de ciuitate, qui volebant Demetrium occidere, & occisi sunt in vna die de centum millia hominum. 2. Mach. 11.

Tanta cædes hominum fuit in Hierusalem, quando Antiochus Epiphanes eam cepit, quod in toto triduo fuerunt octoginta millia hominum interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati. 2. Machab. 5.

Aduersus Galatas in Babylone sex millia hominum tantum peremerunt centum viginti millia hominum propter auxilium eis datum de cœlo. 2. Mach. 8.

Præter prælia, quæ commisit Iudas Machabæus contra Apollonium, & contra Seron principem exercitus Syriæ, de quibus agitur 1. Mach. 3. Legitur ipse Machabæus duodecim speciales habuisse conflictus, videlicet ab 8. cap. secundi Machabæi, vsque ad finem, in quibus primo ceciderunt nouem millia hominum de illis, qui erant cum Nicanore; deinde viginti millia cum Timotheo, & Bachide. postea vero viginti quinque millia de Idumæis; iterum de Idumæis viginti millia, in duabus turmis minutis, consequenter viginti vnum millia cum Timothæo. Item viginti duo millia cum Lysia; postea viginti millia, in quodam præsidio Timothæi. Item triginta millia cum Timothæo: deinde viginti quinque millia in Carnion ciuitate fortissima. Item in alia ciuitate, nomine Ephron viginti quinque millia; postea in castris Antiochi Eupatoris interfecit quatuor millia, tandem occisus est Nicanor cum triginta quinq; millibus pugnatorum. Summa omnium duo & centum triginta sex millia hominum, præter illos, qui quandoque de Iudæ exercitu ceciderunt. Item illis, qui in diuersis munitionibus & præliis occubuerunt, quorum certus numerus non habetur. Non computantur hic etiam illi, qui in alio prælio contra Bachidem, & Alcimum mortui sunt, vbi commissum est prælium à mane, vsque ad vesperam. vbi etiam dicitur, quod Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. 1. Machab. 9.

Caput LXXXVII.

De abstinentia, & sobrietate.

PRæcepit Dominus Adam dicens: Ex omni ligno paradisi comede; de ligno scientiæ boni & mali, ne comedas. Gen. 2. In quo abstinentia commendatur, dum non omni cibo voluit Deus hominem vti etiam in paradiso.

Moyses fuit cũ Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Exod. 24. & non manducauit, neq; bibit. Abstinentia est bona dispositio ad percipiendas reuelationes diuinas, vt homo refectus diuina consolatione solet corporales delitias abhorrere.

Filios Israel præcepit Dominus à multis cibis abstinere. Leuit. 11.

Vir siue mulier cum votum fecerit, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & ab omni illo quod inebriare potest, abstineant. Num. 6. Vxori Manue filium liberatorem populi concepturæ Angelus apparens abstinentiam indixit. Iud. 13.

Filij Israel de vndecim tribubus primo & secundo à filiis Beniamin debellati, postea fleuerunt coram Domino, & ieiunauerunt die illo, &c. præualuerunt in eos. Iud. 20.

Philistæi tempore Heli debellauerunt filios Israel vna vice, & altera, & arca Domini fuit capta. 1. Reg. 4. Postea tertio congregati sunt Philistæi sub Samuele, sed filij Israel ieiunauerunt die illa, atque dixerunt: Tibi peccauimus Domine, &c. Sequitur quod cæsi sunt à filiis Israel. 1. Reg. 7.

Populus Israel erat in castris esuriens, & erat mel per agrum, nullus comedit de eo, præter Ionatham filium Saul. 1. Reg. 14.

Cum desiderasset Dauid aquam de cisterna Bethlehem allatam, postea noluit bibere, quia nimis auide concupierat eam. 2. Reg. 23.

Vxor Ieroboam vadens ad Ahiam prophetam, &c. Tulit decem panes, & vas mellis non fit ibi mentio de carnibus, quia supponebat prophetam non vesci talibus cibis. 3. Reg. 14.

Tenuis victus sufficiebat Eliæ, qui petiit à vidua Sareptana paululum aquæ, & buccellam panis. 3. Reg. 17.

Notabile est, quod Eliam pauerunt corui bis in die. 3. Reg. 17. Sed Angelus Domini ostendit ei panem, & non carnes, & vas aquæ semel tantum. 3. Reg. 19.

Audiens Achab comminationem factam sibi à Domino per Eliam prophetam, post occisionem Naboth, operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulabat demisso capite, propter quod illam quam comminatus fuerat, temperauit pœnam. 3. Reg. 21.

Congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis, vt pugnarent contra Iosaphat regem Iuda, quod ille audiens totum se contulit, ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium in vniuerso Iuda: sequitur quod per ieiunium victoriam obtinuit. 2. Paral. 20.

Esdras prædicauit ieiunium, & fecit, quod omnes affligerent animas suas, quia petituri erant à Domino, vt viam rectam & prosperam daret eis. 1. Esdr. 8. Sequitur, ieiunauimus, & rogauimus Dominum nostrum pro hoc, & euenit nobis prospere.

Rogaturus Nehemias Artaxerxem regem pro ciuitate sua, vt muri eius possint reparari, dicit de seipso: Ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli. Nehem. 1.

Conuenerunt filij Israel in ieiuniis, & in saccis, & humus super eos, & steterunt, & confitebantur peccata sua, & legerunt in volumine legis, &c. Nehem. 9.

Cum esset factum prandium bonum in domo Tobiæ, & audissent vnum de filiis Israel iugulatum iacentem in platea, statim exiliẽs de accubitu suo relinquens prandium, ieiunus venit ad corpus. Tob. 2. De Tobia iuniore, & sociis eis, ac cæteris amicis dicitur. Tob. 9. Cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant. Angelus postea dixit vtrique Tobiæ: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.

Audientes filij Israel terribilem potentiam Holofernis, humiliauerunt animas suas in ieiuniis. Iud. 4.

De Iudith etiam dicitur, quod ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha, & Neomenias, & festa domus Israel. Iudith. 8.

Locutura ad regem Assuerum Esther dixit Mardochæo: Congrega omnes Iudæos, quos in Susan reperetis, & orate pro me; non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillulis meis similiter ieiunabimus. Esther 4.

Commendatur à Domino abstinentia Rechabitarum, quia noluerunt bibere vinum, sicut præceperat eis pater eorum. Ierem. 35.

Baruch legit verba libri sui, ad aures Ieconiæ filij Ioachim regis Iuda, & ad aures vniuersi populi, qui audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant in conspectu Domini. Baruch 1.

Duram dietam imposuit Dominus Ezechieli prophetæ, dicens: Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam, &c. Ezech. 4. Proposuit Daniel ne pollueretur de mensa regis. Sequitur, Pueris illis dedit Deus scientiam in omni libro, &c. Dan. 1.

De seipso loquens Daniel, ait: Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere. Dan. 9. Et tunc præcepit specialem reuelationem de incarnatione, & occisione Christi. Daniel tres hebdomadas panem desiderabilem non

comedit, & caro, & vinum non introierunt in os eius, & tunc mirabilem ostendit ei visionem Deus. Dan. 11.

Gregorius in homilia 30. dicit, quod Spiritus sanctus impleuit abstinentem puerum, & iudicem senum fecit sicut apparet. Dan. 13. de duobus malis senibus.

Greg. homil. 30. in Euang. post med.

Panem & pulmentum misit Dominus per Prophetam Habacuc Danieli posito in lacu leonum, non carnes, aut alia cibaria. Dan. 14.

Eleazarus vir ætate prouectus maluit occidi crudeli morte, quam carnes porcinas comedere, vel etiam simulare se comedisse. 2. Mach. 6.

Contigit septem fratres cum matre sua compelli à rege carnes porcinas contra legem manducare. Illi vero magis elegerunt crudelissima sustinere tormenta. 2. Mach. 7.

De beato Ioanne Baptista dicitur, quod escæ eius erant locustæ, & mel siluestre. Mat. 3. Qui propter multam abstinentiam in cibo, & potu dicebatur, quasi non manducans, nec bibens. Matth. 11.

Anna prophetissa filia Phanuel, inter cetera commendatur, quia non discedebat à templo ieiuniis & obsecrationibus feruiens die ac nocte. Luc. 2.

Saluator noster statim post baptismum ductus est in desertum, & ibi ieiunauit, donec esuriit. Matth. 4. & Luc. 4. Contra multos qui ieiunant cum fœditate conscientiæ, vel nolunt tempore ieiunij esuriem sustinere.

Ad commendandum sobrietatem, quæ est in esu piscium, & in abstinentia à carnibus multum facit, quod Dominus in Euangelio pluries multiplicauit pisces, non carnes; vnde Luc. 5. Ad præceptum Domini concluserunt multitudinem piscium copiosam. Præterea panes & pisces bis multiplicasse legitur, numquam carnes. Matth. 14. De quinque panibus, & duobus piscibus, de eodem miraculo. Matth. 6. Luc. 9. Item de eodem. Ioan. 6. De septem autem panibus, & paucis pisciculis ab ipso Domino multiplicatis habetur, Matth. 15. Marc. 8.

Post resurrectionem etiam septem discipulis piscantibus, & nihil prendentibus manifestauit se Saluator dicens: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis, & traxerunt rete plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Ioan. 21. Et de illis piscibus dedit Dominus discipulis suis. Populo autem Iudaico tamquam carnali, & de carne curanti dedit Deus carnes ad vescendum, licet in malum ipsius. Exod. 16.

Multum valet abstinentia, ad hoc quod homo possit vigilare facilius, & orare. Nam post cœnam increpauit Dominus discipulos suos dicens: Non potuistis vna hora vigilare mecum. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Saluator noster, cuius actio est nostra instructio, numquam carnem legitur comedisse, nisi de agno Paschali, & de pisce vno sibi oblato, ad manducandum. Luc. 24. & Ioan. 21.

Mittens Dominus discipulos ad prædicandum dixit Luc. 10. In quamcumq; domum intraueritis, &c. edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt; hoc est, vt essent contenti cibariis, quæ haberent, non curiose alia quærerent.

Volens Petrus rationabiliter ostendere, quod discipuli Spiritu sancto pleni, non essent ebrij, dixit: Quia hora diei tertia erat dans intelligere, quod ante horam tertiam inconueniens est manducare. Act. 2.

Cum esuriret Petrus in domo Simonis Coriarij, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum, &c. & forte si satur fuisset illam visionem vtilem non vidisset, in qua etiam visione oblata sibi animalia secundum legem vetita comedere renuit, quamuis, vt dictum est, esuriret. Act. 10.

Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, &c. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Saulum, &c. Act. 13.

Capvt LXXXVIII.

De gula, & ebrietate.

Primum hominis peccatum vitio gulę fuit completum. Gen. 3.

Noe bibens vinum, inebriatus & nudatus est in tabernaculo suo. Gen. 9.

Loth inebriatus incestū cum filiabus comisit. Gen. 19.

Esau pro lentis edulio vendidit primogenita sua. Gen. 25.

Stetit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Exod. 32.

Dixit Dominus Aaron, vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini. Leu. 10.

Quicumque fecerat votum in lege, & se volebat Domino consecrare, à vino, & ab omni illo quod inebriare potest, abstinere debebat. Num. 6.

Flagrabat populus desiderio carnium sedens & flens, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes; &c. Num. 11.

Prima tentatio filiorum Israel in deserto fuit de potu. Exod. 16. Secunda de cibo. Exod. 17. & postea simili occasione multotiens peccauerunt. In trecentis viris, qui aquas lambuerunt, & moderate biberunt, liberauit Dominus Israel de manu Madian. Iudic. 7.

In epulis sunt homines audaciores, & loquaciores. Iud. 9. Inter epulas & pocula maledicebant Abimelech, &c.

Epulantibus Philistiim domus cecidit super eos. Iud. 16.

Volebant filij Heli carnes crudas ab offerentibus accipere, vt eas sibi lautius præpararent. 1. Reg. 2.

Comedit Ionathas modicum mellis contra inhibitionem patris, & ideo occisus à patre fuisset, nisi populus occurrisset. 1. Reg. 14.

Ammon filius Dauid in conuiuio Absalom temulentus fuit occisus. 2. Reg. 13.

Benadab rex Syriæ temulentus in suis castris habebat maximam multitudinem bellatorum, & tamen victus fuit, & fugatus per pueros principum prouinciarum. 3. Reg. 20.

Videns Zambri Dominum suum regem Israel temulentum occidit eum. 3. Reg. 16.

Comederunt & saturati sunt, & impinguati, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna; prouocauerunt autem te ad iracundiam. Nehe. 9.

Præualet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud, seducit mentem. Itemq; regis & orphani facit mentem vanam. 3. Esdr. 3.

Holofernes bibit vinum multum nimis, quantum vnquam vna die biberat in vita sua, & post pauca sequitur: Erat Iudith sola in cubiculo, porro Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate sopitus, quo facto Iudith habuit opportunitatem occidendi eum. Iud. 13.

Egressus est Aman à conuiuio Esther reginæ lætus & alacer, sed in crastino fuit tristis, & confusus cum decem filiis patibulo crucis affixus. Esth. 5.

Nouerat Iob multa in conuiuiis sæpe committi peccata, & idcirco postquam epulati fuerunt filij eius, consurgēs diluculo offerebat holocausta per singulos. Iob. 1.

Pro tempore illo quo debebat destrui Hierusalem, dicitur Isa. 22. Vocabit Dominus ad fletum, & ad planctum, & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.

Sacerdos & Propheta nescicre præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, &c. Isa. 28.

Ptolemæus filius Abobi fecit conuiuium Simoni summo sacerdoti, & duobus filiis eius, & cum inebriati essent, occidit eos. 1. Mach. 16.

Primi

Primi parentes per esum ligni vetiti peccauerunt. Gen. 3.

Filij Israel venientes in desertum, primo pro aquis amaris, deinde pro defectu cibi murmurasse leguntur. Similiter in tentatione Domini, tam secundum Matthæum, quam secundum Lucam prima fuit: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Matth. 4. & Luc. 4.

Herodes natalis sui cœnam fecit, filia vero Herodiadis ibi saltauit, & Herodi simulq; discumbentibus placuit, qua occasione decollatus est Ioannes Baptista ad petitionem ipsius saltatricis. Matth. 14. Mar. 6.

Spiritus immundi loca immunda diligunt, vnde dæmoniacus ille qui habebat legionem in corpore, habitabat in monumentis. Luc. 8. & dæmones illi rogabant Dominum, vt exeuntes mitterentur in porcos, non in boues, vel in agnos, qui sunt munda animalia mundo vescentes cibo.

Contra edaces comessationibus vacantes multum valet exemplum diuitis epulonis, qui querebatur se pati in lingua spiritualem cruciatum. Luc. 16.

Non est mirum, si post magnas cœnas & comessationes splendidas multi non vigilant, nec orant, cum etiam discipuli post cœnam cum Domino celebratam non potuerint vna hora vigilare cum eo. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

CAPVT LXXXIX.

De matrimonio.

QVod vxor debeat viro suo esse socia æqualis, quo ad multa non domina vel ancilla, patet per hoc, quod Euam formauit Dominus de costa Adæ, non de capite vel pede. Item patet quod vir est caput vxoris, quia fuit quodammodo principium essendi, & facta est mulier de viro, non vir de muliere. Item debet esse vir magister & doctor, vnde præceptum à Deo fuit datum Adæ, & per Adam Euæ. Gen. 2.

Quod vnus vir tantum vnam vxorem habere debeat, ostendit Dominus dicés: Erunt duo in carne vna. Gen. 2.

Ante diluuium solus Lamech legitur duas habuisse vxores. Gen. 4.

In arca Noe tot viros quot mulieres iussit Dominus reseruari, vt videlicet esset vnica vni. Gen. 7.

Ægyptij tempore Abrahæ plus abominari videbantur adulterium, quam homicidium, vnde timebat Abraham, ne eum occiderent, & postmodum Sarai vxorem suam Pharaoni offerrent; quasi nollet ipsam cognoscere, quamdiu ipsam crederet virum habere. Gen. 12.

Sara vxor Abrahæ obediebat ipsi marito, & dominū eum vocabat. Gen. 12. & 18. & 1. Pet. 3. ipse etiam Abraham interdum illius votis condescédebat. Gen. 16. & 21.

Propter Saram vxorem Abrahæ flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis. Item Abimelech Dominus minando per somnum exterruit. Gen. 20.

Consensus exigitur ad matrimonium. Gen. 24. Vocemus puellam, & audiamus ipsius voluntatem.

Ille Blasphemus qui fuit lapidatus in deserto, fuit filius Israelitidis de viro Ægyptio generatus. Leu. 24. per hoc haberi potest, quod non expedit de diuersis ritibus matrimonia copulare; quia pueri inde nati male imbuuntur.

Secretum quod Samson parentibus suis dicere noluit, vxor eius extorsit ab eo in damnum ipsius. Iud. 14.

Dixit Helcana ad Annam, Nunquid non ego melior sum tibi, quam decem filij. 1. Reg. 1.

Nabal durus & pessimus, & stultus habuit vxorem Abigail, quæ erat prudentissima, & speciosa. 1. Reg. 25.

Quamuis haberet Dauid multas vxores, tamen adulterium cum Bethsabe commisit. 2. Reg. 11.

Ioram rex Iuda fecit malum coram Domino, & ambulabat in viis Achab, & subditur causa huius, Filia enim Achab erat vxor eius. 3. Reg. 8.

Filij transmigrationis qui duxerāt vxores alienigenas secundum mandatum Esdræ dimiserunt eas. 1. Esdr. 10.

Videns Nehemias Iudæos ducentes vxores alienigenas, obiurgauit eos, & maledixit eos, & verberauit aliquos, & decaluauit. Nehe. 13.

Sara filia Raguel dicebat in oratione sua. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. Tob. 3.

Dixit Angelus Tobiæ: In eos qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente repellant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, habet potestatem dæmonium. Tob. 6.

Prima nocte qua introductus est Tobias iunior cum vxore, hortatus est virginem, dicens ei: Sara surge, & deprecemur Deum hodie cras, & secundo cras. quia istis tribus noctibus Deo iungimur; tertia autem transacta nocte erimus in nostro coniugio. Tob. 8.

Honestam causam ducendi vxorem, exposuit Angelus Tobiæ: Accipies virginem cum timore Domini, & amore filiorum magis quam libidine ductus. Tob. 6.

Parentes Saræ monent eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem custodire. Tob. 10.

Mulieres translatæ de terra Iuda in Ægyptum, quæ sacrificabant reginæ cœli, excusabant se per viros suos, qui similia faciebant. Ier. 44.

Pro seruanda fide matrimonij Susanna exposuit se morti & infamiæ, nisi per Danielem iustus Dominus ei succurrisset. Dan. 13.

Saluator noster conuiuio nuptiarum voluit interesse. Ioan. 2.

Ioannes Baptista fuit decollatus, quia Herodem de adulterio arguebat. Matth. 14. Mar. 6.

Quærentibus Pharisæis, si liceret homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa, dixit Dominus: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Matth. 19.

Inter illos qui ad cœnam vocati fuerunt, & non iuerant, ille, qui vxorem duxit, non rogauit se excusatum haberi, quia status ille hominem vehementer allicit, & sæpe retrahit à diuinis. Luc. 14.

Quantum ad actum coniugalem ad paria, vel similia iudicat Apostolus Paulus virum & vxorem. Cor. 7. mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir: similiter vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, &c.

Ananias conscia vxore sua Saphira fecit fraudem de pretio agri vēditi, sic ambo grauissime sunt puniti. Act. 5.

CAPVT XC.

De castitate.

QVamdiu primi parentes in paradiso fuerunt, virgines extiterunt, sed ipsis eiectis dicitur Gen. 4. Adam cognouit Euam vxorem suam.

Cum Sichem violasset Dinam filiam Iacob, fratres eius turbati sunt valde, eo quod fœdam rem esset operatus in Israel, & violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset, tandem & violatorem & patrem eius, & eorum populum occiderunt. Gen. 34.

Nota quod hoc fuit ante legem scriptam sub lege naturæ; quantum ergo sub lege gratiæ virginitas debet honorari, & stuprum puniri?

Quamuis Ioseph esset filius emptitius, & elegantis formæ iuuenis sine vxore, tamen sollicitatus à domina sua recusauit stuprum, & maluit eam offendere, & in carcerem trudi, quam perdere castitatem. Gen. 39.

Iudas qui castus non erat, detestatus est fornicationem Thamar. Gen. 38.

Post debellationem Madianitarum factam per Phinees, & alios pugnatores, iussit Moyses mulieres corruptas iugulari, & virgines reseruari. Num. 31.

Mundi esse debebant maxime à mulieribus, qui panes sacerdotales comedebant. 1. Reg. 21.

Quando mulier Sunamitis hospita Elisæi volebat ei loqui, mittebat ad eam Elisæus puerum suum, quasi vitans colloquia mulierum. 4. Reg. 4.

Sara in oratione dicebat Tob. 3. Tu scis Domine, quia

quia numquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia, &c.

Mortuo viro suo Iudith alium nesciuit, & semper castitatem amauit. Sed nota quod faciebat, quia cū puellis suis clausa manebat, & habens cilicium super lumbos suos, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbatha, & neomenias, & festa domus Israel. Iud. 8.

Grauiter fuit pulsata ab illis senibus Susanna, sed suæ castitati, nec famam, nec vitam præponendam esse putauit. Dan. 13.

Ad hoc quod nullus de sola castitate confidat, illud valere potest, quod de virginibus Euangelicis tot fuerunt fatuæ, quot prudentes. Matth. 25.

Beata Virgo ab Angelo venerabiliter salutata, non est oblita voti, & propositi castitatis, licet Angelus promitteret ei, quod ex ea Filius Altissimi nasceretur. Luc. 1.

Per hoc, quod Saluator dixit, Quia in futuro sæculo neq; nubent, neq; nubentur; patet quod illi beatæ virgines specialiter appropinquant. Matth. 22. Luc. 20.

Castitatis argumentum fuit in beato Stephano. Quia ipse ab Apostolis ad custodiam mulierum, &c.

CAPVT XCI.

De luxuria & incontinentia.

PEccatum carnis præcipua videtur fuisse causa propter quam Deus diluuio deleuit mundum. Gen. 6. Omnis caro corruperat viam suam.

Nota quot & quanta euenerunt pro ardenti amore Sichem filij Hemor, qui Dinam violenter oppressit. Gen. 34.

Luxuriosi quandoque detestantur luxuriam in aliis, vt patet de Iuda, qui dixit de Thamar, Producite eam, vt comburatur. Gen. 38.

Occasione vxoris Leuitæ, à viris Belial in Gabaa Beniamin incredibili libidinis furore vexatæ, occisi sunt plusquam sexaginta millia hominum. Iud. 20. Isboseth filius Saul redarguit Abner, quia ingressus fuerat ad concubinam patris sui. Abner autem iratus super hoc, procurauit ei auferri terram, & cito post amisit vterque personam. 2. Reg. 3. & 4.

Dauid captus amore Bethsabeæ vxoris Vriæ, cum illa adulterium, & cum proditione homicidium perpetrauit. 2. Reg. 11.

Ammon filius Dauid pro amore Thamar sororis suæ ægrotauit, & postea illā oppressit, & sic eā nequiter effugauit, & tamē ipsemet hac de causa occisus fuit. 2. Reg. 13.

Detestabilem luxuriam commisit Absalom cum concubinis patris sui. 2. Reg. 16.

Adamauit Salomon mulieres alienigenas multas, &c. sequitur, quod ita damnatum est cor eius per eas, vt coleret Deos earum. 3. Reg. 11.

Sed nota damna, quæ inde passus est, cum enim prius sapientissimus fuerit, adeo infatuatus est, vt sequeretur deos earum. cum prius amabilis Domino cor eius deprauatum est, & iratus est Dominus contra eum, cum prius esset ditissimus, multa bona consumpsit in ædificando templa idolis nationum; cum prius esset nominatissimus in bono, postea fuit vsque hodie fœdatus opinione. Eccl. 47.

Dixit Angelus Tobiæ iuniori, In eos, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, habet potestatem dæmonium. Quid ergo de fornicatoribus, & adulteris, qui nihil aliud intendunt, nisi fœdam suam explere libidinem? Tob. 6.

Stetit Iudith ante faciem Holofernis, cor autem Holofernis concussum est. erat enim ardens in concupiscentia eius, &c. Iud. 12.

Duo senes presbyteri ita fuerunt amore Susannæ decepti, quod quando illa voluntatem eorum facere recusauit, mortem illius procurare conati sunt. Dan. 13.

Tempore Antiochi templum luxuria & comessationibus erat plenum, & scortantium cū meretricibus, sacratisq; ædibus mulieres se vltro ingerebant. 2. Mac. 6.

Occasione Herodiadis, quam contra legem duxerat Herodes, Ioannes Baptista decollatus fuit, ad instantiam saltantis mulieris. Matth. 14. Mar. 6.

Spiritus immundi loca immunda diligunt; vnde rogauerunt Dominum Iesum, vt permitteret eos intrare porcos, nō in boues, vel agnos, quæ sunt animalia munda. Matth. 8. Luc. 8.

Inter aliōs qui vocati fuerunt ad magnam cœnam, nec iuerunt, ille qui vxorem duxit, non petiit se excusatum haberi. per quod patere potest quam longe sunt à cœna Dei, luxuriosi homines, vt immundi, si ducere vxorem ita homines implicat, & inuoluit, quod quasi nihil aliud cogitare possunt. Iud. 14.

Exemplo filij prodigi, qui dissipauit substantiā suam, viuendo luxuriose, patet quod illud peccatum depauperat. vnde dicitur Luc. 15. Quod ipse cœpit egere. Item vilificat. Nam sequitur quod ipse pascebat porcos, &c. Item non extinguit ardorem libidinis, sed accendit. dicitur enim ibi: Cupiebat implere ventrem suum siliquis, quas porci manducabant, & cetera.

CAPVT XCII.

De incauto aspectu.

PRima mulier viso ligni vetiti fructu pulchro, tulit de illo pulchro, & comedit. Gen. 3.

Pulchritudo visa mulierum fuit occasio multorum malorum. Gen. 6. Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, & cetera.

Ex eo quod Cham filius Noe vidit verenda patris, & ipsum nudatum esse fratribus nuntiauit, maledictionem patris incurrit. Gen. 9.

Abraham dixit Sarai vxori suæ: Noui quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, interficient me, & te reseruabunt. Gen. 12.

Volens videre regionis mulieres Dina, visa, & corrupta fuit. Gen. 34.

Iudas vidit Thamar in biuio, & cum ea peccauit. Genes. 33.

Domina cui seruiebat Ioseph, oculos in eum iniecit. Gen. 39.

Dixit Dominus ad Moysen Exod. 19. Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, & cetera.

Vidit Dauid de solario suo mulierem lauantem se ex aduerso, & tulit eam, & postea virum eius dolose occidi fecit. 2. Reg. 11.

Cum intrasset Iudith ante faciem Holofernis, statim captus est ille in oculis suis. Iudith 10. Vnde dicitur 16. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.

Videbant duo senes Susannam quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius. Dan. 13.

Quia filia Herodiadis placuit Herodi saltando, ipse ei stulte promisit, quod crudeliter impleuit. Matth. 14. Marc. 6.

CAPVT XCIII.

De silentio, & loquacitate.

PRæceptum dedit Dominus Adæ, non Heuæ, nisi per Adam: vt mulier minus haberet occasionem loquendi, sed potius interrogandi à viro, & discendi. Gen. 2. Heua prius legitur cum serpente, quam cum viro habuisse colloquium, quod sibi, & posteris damnosum fuit. Gen. 2.

Item nota ibi, quoniam male repetiit mandatum datum homini. Cham filius Noe cum vidisset verenda patris, nuntiauit fratribus suis, & inde maledictionem incurrit. Gen. 9.

Postquam

Postquam locutus fuit Dominus ad Moysen, impeditioris linguæ, & tardioris fuit. Exod. 7. Ex quo innuitur quod spirituales viri, qui sæpe cum Deo loquuntur, tardi esse debent ad loquendum.

Filij Israel fugientes de Ægypto, viderunt exercitum Pharaonis, & timuerunt valde, quibus ait Moyses: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Exod. 14.

Axa filia Caleb sedens in asino, & suspirans, sine sermone monuit patrem ad quærendum quid haberet, & post impetrauit à patre irriguum inferius, & superius. Iosue 15.

Samson secretum quod parentibus noluit dicere, vxori exposuit, quæ statim illud in damnum mariti publicauit. Iudic. 14. Item Samson indicauit Dalilæ, quomodo posset amittere fortitudinem suam, & illa sine mora hostibus reuelauit. Iudic. 16.

Anna mater Samuelis veniens ad tabernaculũ Domini, loquebatur in corde suo tantum, quia labia eius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. 1. Reg. 1. Samuel dormiens in tabernaculo, ostensam sibi visionem, non indicauit Heli, donec interrogatus, & adiuratus fuit ab illo. 1. Regum 3.

Cum filij Belial dicerent de Saule nouo rege, Num saluare nos poterit iste? ille dissimulabat se audire. 1. Reg. 10. Ex quo intelligitur quod caute tacebat. Cum Dauid contra Nabal turbatus, postmodum per Abigail prudenter locutam placatus fuisset, illa non indicabat ipsi Nabal viro suo, verbum pusillum, aut grande vsque mane, cum vinum quod biberat, digessit.

Tobias auditis verbis iniuriosis ab vxore, non legitur ei respondisse, sed ingemuit, & incœpit plorare cum lacrymis. Tob. 2. & 3.

Cum ancilla Sara dixisset dominæ grauis improperij, & maledictionis verbum, Sara tacens cessit liti & pergens in cubiculum domus suæ, deuote cœpit orare. Tob. 3.

Diu tacuit Esther, non indicans populum suum, & patriam suam, sicut præceperat ei Mardochæus, ne scilicet à rege haberetur exosa. Esther 2. & 3.

Beato Iob à Domino percusso, vxor eius stulte locuta est. Iob 2.

Sanctus Iob magis videtur seipsum reprehendere de actu loquendi, quam de alio quocumque. Vnde dicit Iob 39. Qui leuiter locutus sum, &c. quod vtinam non dixissem, &c. & 42. Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.

Cum Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israel proposuissent præliari pariter contra Iudam, dixit Isaias propheta Achaz regi Iuda: Vide vt sileas, noli timere, & cor tuum ne formidet, &c. Isa. 7.

Mandauit Ezechias rex Iuda, ne populus aliquid responderet Rapsaci: & siluerunt, & non responderunt ei verbum, Isa. 36.

Hieremias in vtero sanctificatus, & à Domino Propheta datus excusabat se dicens, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, &c. Hierem. 1.

Adducta Susanna, vt iniqui senes presbyteri ferrent testimonium falsum contra eam; flens suspexit ad cœlum, & clamauit ad Dominum, sed accusatoribus non legitur directe respondisse. Dan. 13. Iudæi agriculturæ operam dabant, sed Nicanor, & quidam alij non sinebant eos in silentio agere, & quiete. 2. Mach. 12.

Beata Maria virgo legitur in Euangeliis tantummodo fuisse locuta cum Angelo. Luc. 1. Item cum Elisabeth. Luc. 1. Item cum filio suo. Luc. 2. Fili, quid fecisti. Item Ioan. 2. Vinum non habent. Iterum, quando ministros nuptiarum instruit. Ioan. 2. Quodcumque vobis dixerit, facite. licet autem Elisabeth eam magnifice commendasset: nihil tamen ei directe respondit, sed ad laudandum Dominum se conuertit.

Maria peccatrix veniens ad pedes Domini in domo Simonis nihil dixisse refertur, sed lacrymis cœpit rigare pedes eius. Luc. 7. Similiter sorori de ipsa conquerenti, nihil respondit. Luc. 4. Rursus indigne ferentibus effusionem vnguenti, & in eam frementibus, nihil dixit. Mar. 14. Quod autem bene tacuit Dominus, pro ea respondit, & eam vbique defendit.

Mulier in adulterio deprehensa, & coram Domino accusata, non legitur aliquid locuta esse. Dominus autem pro ea verbum assumpsit, & eam denique misericorditer absoluit. Ioan. 8.

Locutus in synagoga Paulus surrexit, & manu silentium indixit. Act. 13. Sciebat enim non esse effundendum sermonem, vbi non est auditus, quod sæpe in Scriptura probatur.

Caput XCIV.

De affectu carnali.

Moyses distribuit duodecim boues, & sex plaustra, quos obtulerant principes filiorum Israel, sed nullum dedit filiis Caath, licet essent magis propinqui. Num. 7.

Non legitur Moyses alicui de filiis suis magnum officium dedisse, licet ipse à populo in tanta reuerentia haberetur.

Moriturus Moyses sollicite rogauit Dominum pro populo, vt ei de duce idoneo prouideret. nullum tamen de genere suo voluit nominare. Num. 27. Distribuens Iosue terram filiis Israel, ita paruam portionem dedit illis de tribu sua, quod de hoc fecerunt specialem querelam, sed nota responsionem quam fecit eis. Iosue 17.

Audiens Heli mortem duorum filiorum in prælio, non visus est multum curare, sed cum nuntius ille dixisset, arcam Dei esse captam, cecidit de sella, & mortuus est. 1. Reg. 4.

Quia Dauid nimis flebat occisum Absalom filium suum, imposuit ei Ioab, quod non doluisset, si totum exercitum amisisset. 2. Reg. 20.

Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, &c. 2. Mach. 7. Euntibus ad prælium Iudæis contra Nicanorem, erat pro vxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo, maximus autem, & primus pro sanctitate timor templi. 2. Mach. 15. Loquente Iesu ad turbas, dixit ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te; qui respondit, Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, &c. Matth. 12.

Petenti matertere Christi, secundum carnem, vt duo filij sederent iuxta eum in regno suo, respondit Dominus ita dure, ac si fuisset aliena omnino, & ita bonum forum de regno suo paratus est tibi facere Dominus, sicut illis. Matth. 10.

Quamuis beatus Ioannes, & duo Iacobi essent maximæ sanctitatis; nulli tamen eorum commisit curam Ecclesiæ generalem, sed Petrum qui non sibi carne attinebat, constituit caput, principem, & pastorem. Ioan. 21.

Saluator noster post responsionem Petri, quam fecit de ipso, cum dixit: Tu es Christus filius Dei viui; consequenter subiunxit: Caro & sanguis non reuelauit tibi. Matth. 16. Per illud innuens, quod caro prauas reuelationes facere consueuit.

Apostolus Paulus commendans Euangelium suum dicit. Gal. 1. Complacuit illi qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, &c. Continuo non acquieui carni, & sanguini, &c.

Caput XCV.

De ira hominis per Zelum.

Cum loqueretur Moyses Pharaoni, & ille nollet audire, exiuit à Pharaone iratus nimis. Exod. 11.

Præceperat Moyses filiis Israel, quod nullus de manna relinqueret vsque mane, qui non audierunt eum, sed

dimise-

dimiserunt quidam ex eo, vsque mane, & scaturire cœpit vermibus,& computruit,& iratus est Moyses contra eos. Exod. 17.

Reuertens Moyses cum appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusq; valde proiecit de manibus tabulas, & confregit eas ad radices montium. Exod. 32.

Cum quæreret Moyses hircum qui oblatus fuerat pro peccato exustum reperit, iratusque contra Eleazar, & Thamar ait: Cur non comedistis,&c. Leuit. 10.

Videns Moyses rebellionem Chore, & complicum suorum, iratus valde, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum, &c. Num. 16.

Considerans Ionathas filius Saul nequitiam patris contra Dauid, surrexit à mensa in ira furoris, & non comedit panem in illo die. 1. Reg. 20.

Audita Dauid parabola Nathan prophetæ iratus indignatione aduersus hominem dixit: Viuit Dominus quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. 2. Reg. 12.

Elisæus iratus fuit contra Ioas regem Israel, eo quod non percussit terram sagitta, quinquies aut sexies, vt totam destruxisset Syriam. 4. Reg. 13.

Audiens Nehemias clamorē populi propter vsuras, quas exigebant optimates, iratus est nimis, &c. Nehe. 5.

Audita querimonia, quam dixit Esther de Aman, qui omnes Iudæos occidere procurabat; Assuerus surrexit iratus de loco conuiuij, &c. Esther 6.

Circumspexit Dominus cum ira Iudæos, qui obseruabant eum, & contristatus est super cæcitatem cordis eorum. Mar. 3.

Capvt XCVI.

De ira hominis per vitium.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Sequitur: Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius, &c. Gen. 4.

Iratus Balac contra Balaam complosis manibus, ait: Ad maledicendum inimicis meis, vocaui te, quibus è contrario benedixisti. Num. 24.

Audiens Saul post victoriā commēdari Dauid, iratus est nimis, & displicuit in oculis eius sermo, &c. 1. Reg. 18.

Cum excusasset Ionathas Dauid ad patrem suum; iratus Saul aduersus Ionathan dixit: Fili mulieris virum vltro rapientis, & cetera. 1. Reg. 20. Venit Achab rex Israel in domum suam indignans, & frendens super verbis, quæ locutus fuerat ad eum Naboth Israelites. 3. Reg. 21.

Post facile & salubre consilium Elisęi, iratus Naaman recedebat dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & inuocaret nomen Dei sui, &c. 4. Reg. 5.

Hanani propheta venit ad Asam increpans eum, quia confisus erat in Benadab rege Syriæ; iratusque Asa aduersus Videntē iussit eum mitti in neruum. 2. Paral. 16.

Separauit Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, pro eo, scil. quod mali erant, nec voluit quod secum venirent ad bellum; at illi vehementer irati contra Iudam, reuersi sunt in regionem suam. 2. Paral. 25.

Sacerdotes arguebant Oziam regem Iuda, volentem adolere incensum: iratusq; Ozias, & tenens thuribulum minabatur illis. 2. Paral. 26.

Cum audisset Sanaballat, quod ædificaretur murus Hierusalem, iratus est valde, & motus nimis subsannauit Iudæos. Nehem. 4.

Cum reuersus esset Sennacherib fugiens à Iuda, plagam quā fecerat Dominus propter blasphemiam suam, iratus multos occidit Iudæos. Tob. 1.

Tobia dicente de hœdo balante: Videte ne furtiuus sit, & cet. Vxor eius irata respondit, Manifeste vana facta est spes tua, &c. Tob. 2.

Nuntiatum est Holoferni, quod filij Israel præpararent se, ad resistendum ei, & furore nimio exarsit in iracundiam magnam. Iudith 5.

Cum dixisset Achior magnam esse potentiam Dei Israel, irati sunt magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum. Iudith 5.

Cum audisset Aman, & experimēto probasset, quod Mardochæus sibi non flecteret genua, nec se adoraret, iratus est valde. Esth. 3.

Iratus indignatusq; est Eliu Buzites aduersum Iob, eo quod iustum se esse diceret coram Deo, &c. Iob. 32.

Principes Iuda putantes, quod Ieremias fugeret ad Chaldæos, irati sunt contra eum, & cæsum miserunt in carcerem. Ier. 37.

Nabuchodonosor rex Chaldæorum in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis, pro eo scilicet, quod somnium suum non poterant ei indicare. Dan. 2. Idem etiam postea in furore & ira præcepit, vt tres viri adducerentur in conspectu eius, &c. Dan. 3.

Arguit Dominus Ionam Prophetam, quia irascebatur super hedera. Ion. 4.

Audiens Antiochus prælia Iudæ, & victoriam quam obtinuerat, iratus est animo, & congregauit exercitum, &c. 1. Mach. 3.

Factum est, cum audirent gentes, quia ædificatum est altare, & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde. 1. Machab. 5.

Tortores Eleazari audientes verba constantiæ ipsius in irā versi sunt, qui paulo ante fuerāt mitiores. 2. Mac. 6.

Post septimi fratris verba rex Antiochus accensus ira in illum super omnes crudelius desæuiit. 2. Mach. 7.

Videns Antiochus, quod non poterat spoliare Persepolim ciuitatem, elatus in iram arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere. 2. Mach. 9.

Herodes videns, quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, &c. Matth. 2.

Cum audissent illi de Nazareth Dominum dicentem, Nemo Propheta acceptus est in patria sua, &c. sequitur: Repleti sunt omnes in synagoga ira, &c. Luc. 4.

Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, conuocatis opificibus illius artis, dixit quod Paulus auertebat multam turbam, dicens; Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt, &c. iis autem auditis repleti sunt ira, &c. Act. 19.

Capvt XCVII.

De humilitate.

Dixit Angelus ad Agar, reuertere ad dominā tuam, & humiliare sub manu ipsius. Gen. 16.

Humiliter loquebatur Abraham Domino dicens, Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Gen. 18.

Multum humiliauit se Iacob coram Esau, & sic compescuit iram eius. Gen. 33.

Quinquies Moyses antequam vellet recipere ducatum populi, quem Dominus tamen imponebat ei, renuit, nec acquieuit, donec Dominum intellexit iratum. Exod. 3. & 4. Iratus Dominus in Moysen, &c.

Quamuis Moysi ita familiariter Dominus loqueretur, tamen ipse Moyses vtile consilium pagani non despexit, sed ei humiliter acquieuit. Exod. 18.

Moyses videbat se habere ducatum Domini specialem, & tamen non dedignabatur ob filium Raguel, vt secum veniret, & ductor populi esset. Num. 10.

Gedeon Angelo dicenti sibi, Vade in hac fortitudine tua liberabis Israel, respondit, Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego infimus in domo patris mei. Iud. 6.

Viri Ephraim iurgantes fortiter, & tumide contra Gedeonem placati fuerunt per eius mansuetam & humilem responsionem. Iud. 8.

Dixerunt omnes filij Dauid ad Gedeonē, Dominare nostri tu & filius tuus. quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, &c. Iud. 8.

Humilitatem prætendebat Saul in opere & sermone,

antequam

antequam esset vnctus in regem, quando quærebat asinas patris, & excusabat se apud Samuel. 1. Reg. 9. & postea dictum est ei. 1. Reg. 15. Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?

Dauid licet per Samuelem esset vnctus in regem, tamen de mandato patris portabat victualia fratribus suis, quibus fuerat prælectus. 1. Reg. 17.

Dauid humiliauit se coram Saule, quando debebat fieri gener regis. 1. Reg. 18.

Item coram seruo Semei audiens quod malediceret ei. 1. Reg. 16. Coram Deo, quando saltabat ante arcam. 2. Reg. 6. & quando venit Nathan ad eum, nuntians ei voluntatem Domini de perpetuitate regni. 2 Reg. 7.

Humiliter respondit Miphiboseth inique accusatus à seruo suo, & exhæredatus iniuste. 2. Reg. 19.

B Achab sceleratissimus rex Israel audiens pœnam sibi iuste pro criminibus infligendam, humiliatus est coram Domino, & propter hoc Dominus illam pœnam aliqualiter minorauit. 3. Reg. 21.

Princeps ille, qui humiliter locutus est ad Eliam, non est tactus ab igne, sicut alij duo quinquagenarij, qui venerant ante illum. 4. Reg. 1.

Veniens ad Iordanem Eliseus, primo percussit aquas, nihil dicens, & non sunt diuisæ aquæ. 4. Reg. 2.

Semeias Propheta ad Roboam dixit, & principes eius, Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos, qui consternati dixerunt. Iustus est Dominus. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens: Quia humiliati sunt mei causa, non disperdam eos. 2. Par. 12.

C Humiliatus est Ezechias postquam eleuatum fuerat cor eius in aduentu nunciorum regis Babylonis, & idcirco non venit ira Domini in diebus illis. 2. Paral. 32.

Audientes filij Israel potentiam Holofernis terribilem, clamauerunt ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas, &c. Iudith 8.

Hesther regina confugit ad Dominũ, & corpus suum humiliauit ieiuniis, oransq; inter cetera dixit: Tu scis Domine, quia abominor signum superbiæ, &c. Esth. 14.

Cum mitteret Dominus Ieremiam Prophetam, se excusans ait: Ecce nescio loqui, &c. Ier. 1.

D Ambulans Nabuchodonosor in aula Babylonis arroganter locutus est; deinde eiectus ab omnibus, & in bestiam mutatus recuperauit sensum, & recognouit, quod omnes habitatores terræ apud Dominum in nihilum reputati sunt. Dan. 4.

Cum percussus esset à Deo Antiochus insanabili plaga, ita vt nec ipse fœtorem suum ferre posset, ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 2. Mach. 9.

Ioseph humiliter reputans se non esse dignum consortio beatæ Mariæ, quam concepisse videbat, & non humano opere, sed diuino munere hoc factum esse credebat, voluit occulte dimittere eam. Matth. 1.

In illis tribus Magis apparet mira fuisse humilitas, quando inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Matth. 2.

E Cum tantæ esset reputationis Ioannes, vt populus ipsum crederet esse Christum, dixit: Veniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius. Luc. 3. simile habetur Matth. 3. Ioan. 1.

Non erubuit Christus Dei virtus, & Dei sapientia ab eodem themate prædicationem suam incipere, à quo suam incœperat Ioannes Baptista. Matth. 3. & 4. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum.

Beata virgo Maria ab Angelo tam venerabiliter salutata, & mater filij altissimi appellata, non superbiit inde, nec se vocauit matrem Dei, vel dominam, sed ancillam.

Item non misit pro Elisabeth cognata sua, sed humiliter iuit ad illam, cumque Elisabeth Spiritu sancto repleta cognouisset, quod factum fuisset circa ipsam, diuinam commendauit misericordiam, & potentiam dicens: Magnificat anima mea Dominum, &c. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c. Luc. 1.

Humiliter & fideliter respondit Centurio dicẽs Domino volenti ire ad sanandum puerum suum: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, &c. Matth. 8.

Videns Petrus se ad præceptum Domini conclusisse multitudinem piscium copiosam, procidit ad genua eius dicens, Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, Luc. 5.

Saluator noster publicari sua miracula prohibebat, vt doceret fugere iactantiæ, & vanitatis vitium, & dare veræ humilitatis exemplum, sicut patet in leproso mundato. Matth. 8. Item in duobus cæcis ab eo illuminatis. Matth. 9. Item in surdo, & muto sanato. Mar. 7. Item de transfiguratione dixit, Nemini dixeritis, &c. Matth. 17.

Cum dixisset Dominus mulieri Chananææ, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, illa humiliter dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, &c. Matth. 15.

Quærentibus discipulis, quis esset maior in regno cœlorum? Respondit Dominus: Quicunq; humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cęlorum. Matth. 18. exemplum vel parabolam humilis vrbanitatis inducit Dominus Luc. 14. Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, &c.

Ad fugiendam iactantiam, & humilitatem multum valet exemplum, quod inducit Dominus de superbo Pharisæo, & de humili Publicano. Luc. 18.

Humilitas Ioannis Baptistæ apparet multipliciter, quia videlicet de se humiliter sentiebat. Luc. 3. Existimante omni populo, ne forte ipse esset Christus. Item Ioannis 3. Non sum ego Christus, &c. Item humiliter loquebatur. Ioannis 1. Ego vox clamantis in deserto, & negauit se esse Christum, aut Eliam, aut Prophetam. Item induebatur humiliter, scilicet pilis camelorum. Matth. 3. Item humilem habitationem eligebat. Luc. 1. Erat in deserto, &c.

Humilis Maria Magdalena frequenter legitur secus pedes Domini se posuisse. Luc. 7. & 19. Io. 11. Matth. 28.

Quærenti Domino, an Petrus diligeret ipsum plus aliis discipulis, respondit humiliter dicens: Tu scis Domine, quia amo te, non dixit, amo te plus aliis. Ioan. 21.

Præcipua humilitatis exempla accipere possumus, & debemus in salutari nostro Domino Iesu Christo, circa cuius conuersationem in terris considerari potest, quod ipse concipi voluit in patria, despecta videlicet Galilæa, de qua Io. 7. Scrutare & vide, quia Propheta à Galilæa non surgit. vnde admirando dixit Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse! Io. 1.

Item de matre humili natus fuit, quæ dicit: Respexit humilitatem, &c. Luc. 1. in ciuitate parua, & loco humilissimo. Luc. 2. Reclinauit eum in præsepio, &c.

Item quasi per annos triginta latuit in mundo, ita quod nihil de eo legitur, nisi quod cum esset annorum duodecim, remansit in Hierusalem, & inuentus est in templo audiens & interrogans, non docens & determinans contra præsumptuosos, qui nimis festine ad officium docendi prorumpunt. Sequitur ibi Luc. 2. Descendit cum Maria, & subditus erat illis. Exinde circa annum tricesimum ad Ioannem Baptistam venit, vt baptizaretur ab eo, non pro eo misit. Matth. 2. contra multos, qui ad minores pergere dedignantur.

Item humiles discipulos elegit. Matth. 4. & Luc. 5. & cum eis humiliter conuersatus est, & eos præcipue de humilitate docuit. Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. vnde filium hominis sæpius se dicebat, non filium Dei, licet vtrumque esset verum secundum duas naturas in ipso, tamen ab inferiore frequentius se nominauit.

Conuersatus cum hominibus interesse voluit pauperibus nuptiis, vbi vinum defecit. Io. 2. non autem interfuisset splendidis, & diuitibus nuptiis, in quibus fiunt frequenter enormes excessus.

Cum cognouisset, quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem. Io. 6.

Didrachma seu tributum quasi seruus aut alienus exsoluit. Matth. 27.

Non habebat vbi caput reclinaret. Luc. 9. & circumiens ciuitates & castella pedes ibat. ita quod quandoq; fatigatus ex itinere sedebat super fontem, & à muliere Samaritana bibere postulabat. Io. 4. quando vero vectura vti voluit, non equum, sed asellum habuit. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

Transiturus ex hoc mundo ad patrem relinquere voluit speciale humilitatis exemplum, & pedes discipulorum lauit, & linteo quo præcinctus erat, extersit. Ioan. 13.

Præcipue autem in passione nimis humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, non quamcumque, sed crucis, quæ erat genus mortis turpissimum in Euangeliis omnibus. & Phil. 2.

De quo notari potest, quod homines superbi & mundi amatores circa septem versari solent & appetere, vel in adeptis specialiter gloriari, quibus constat in cruce Dominum caruisse, & contraria habuisse. hæc autem dici possunt terrena affluentia, mundana sapientia, carnalis lætitia, popularis fama, turba famulorum, deiectio inimicorum, & numerositas amicorum. Christus autem Iesus Dominus noster in cruce fuit pauperrimus, & vestimentis nudatus. Io. 19. fuit stultus & insipiens reputatus; nam verbum crucis gentibus stultitia est. 1. Cor 1. Item diffamatus fuit, & seductor populi appellatus. Matth. 27. Dixerunt de eo principes sacerdotũ, Recordati sumus, quod seductor ille dixit, &c. in cruce insuper quodammodo fuit victus, quia occisus. Io. 19. Inclinato capite reddidit spiritum. Ibi etiam amicum non habuit. Isa. 63. Torcular calcaui solus, & de gẽtibus non fuit vir mecum. Psal. 87. Elongasti à me amicum, & proximum. Item famulis & seruitoribus in cruce caruit. Matth. 26. Discipuli omnes relicto eo fugerunt. Psal. 87. Factus sum sicut homo sine adiutorio, &c.

Post miraculum de claudo per Petrum sanato, humiliter locutus est Petrus, non ascribens factum sibi, sed diuinæ virtuti, & inuocationi nominis Christus. Act. 3.

Cum introisset Cæsaream Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius, adorauit eum; Petrus vero eleuauit eum dicens: Surge & ego ipse homo sum. Act. 10.

Audientes Paulus & Barnabas, quod homines de ciuitate Lystris dicebant eos esse deos, & eis sacrificare volebant, conscissis tunicis exilierunt in turbas clamantes, & dicentes eis: Viri quid facitis, & mortales sumus similes vobis homines, &c. tandem vix sedauerunt turbas, ne eis immolarent. Act. 14.

Paulus Apostolus manibus operabatur, vt haberet necessaria sibi, & sociis, propter quod etiam morabatur cum Aquila & Priscilla, qui erant artis scenofactoriæ, sicut & ipse. Act. 18. Itẽ Act. 20. dicit ipse, ad ea quæ opus erant, & iis qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.

Humiliter de se sentiebat Paulus, qui in fratrum orationibus confidebat. 2. Cor. 1. adiuuantibus vobis in orationibus pro nobis. Item orationes aliorum sollicitus postulabat. Rom. 15. Obsecro fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis me in orationibus, & Col. 4. & 1. Thes. 3. verbis etiam suis humilitatem veram interius indicabat 1. Cor. 15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, &c. Item 1. Tim. 1. Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

Item ad humilitatẽ alios sollicitus inducebat. Ro. 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Phil. 3. & in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.

CAPVT XCVIII.

De superbia.

EVa propter appetitum excellentiæ, cum audiuisset à serpente, Eritis sicut dij, de ligno vetito comedit. Gen. 3.

Datum est hominibus à Deo dominium super pisces, & aues, & bestias terræ. Gen. 1. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. Item Gen. 9. Terror vester & tremor sit super cuncta animalia terræ, &c.

Superbia volentium ædificare turrim vsq; ad cœlum damnata fuit per confusionem linguarum. Gen. 11.

Agar ancilla Sarai se concepisse videns dominam suam despexit. Gen. 16.

Contra gloriantes de primogenitura facit, quod Cain fuit natus ante Abel. Gen. 4. & Esau ante Iacob. Gen. 25. & Iudas fuit quartogenitus inter filios Israel. Gen. 29. & Manasses filius Ioseph natus fuit ante Ephraim, qui tamen habuit benedictionẽ dexteræ. Gen. 48. & Dauid minimus inter fratres suos. 1. Reg. 16. & Adonias natus fuit ante Salomonem. 2. Reg. 3. & sic de multis aliis.

Nimis superbe respondit Pharao, quando dixit: Nescio Dominum, & Israel non dimittam. Exod. 5.

Rebellio Chore, & aliorum facta contra Moysem ex superbia processerunt. nam dixit illis Moyses, Multum erigimini filij Leui. Num. 16.

Percussus Abimelech vocauit armigerum suum, & ait illi: Percute me, ne dicatur, quod à fœmina interfectus sum. Iud. 9.

Saul petiit à Samuele, vt eum coram senioribus populi honoraret. 1. Reg. 14.

Grauiter fuit punitum elationis peccatum, quando Dauid fecit populũ numerari sibi subiectum. 2. Reg. 24.

Libido dominandi, quam habuit Ieroboam, timens ne populus reuerteretur ad domum Dauid, fecit eum excogitare vitulos aureos, quos fecit à populo adorari, & maluit eos recedere à vero Deo, quam à dominio suo. 3. Reg. 12.

Amasias rex Iuda debellauerat Edom, & elatus in superbiam, voluit contra Ioas regem Israel prœliari, sed male successit ei. 3. Reg. 14.

Cum roboratus esset Ozias rex Iuda, eleuatum est cor eius in interitum suum, & adolere voluit incensum in templo. 2. Paral. 26.

Superbà nimis & blasphema verba misit rex Assyriorum ad Ezechiam, quasi neque Deus, neque homo posset eum de manu sua liberare. 4. Reg. 19.

Lætatus est Ezechias, & eleuatũ est cor eius in aduentum nuntiorum regis Babylonis, & ostendit ei omnia, quæ erant in thesauris domus suæ. 4. Reg. 20. 2. Par. 32.

Post obtentam victoriam de Arphaxad rege Medorum, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum, & cor eius eleuatum est. Iud. 1.

Nabuchodonosor superbe iurauit, quod defenderet se ab illis, qui imperio suo subiugari nollent, quasi iniuriam passus ab eis. Iudith 1.

Præceperat Nabuchodonosor Holoferni, vt omnes deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur ab iis regionibus, quæ potuissent per Holofernis potentiam subiugari. Iud. 3.

Videns superbus Aman, quod Mardochæus ipsum adorare nolebat, suasit regi, vt totus Iudæorum populus deleretur. Hest. 3.

Aman superbissimus volebat coram se genuflecti, & ab omnibus adorari. Sed notabile est, quod illa superbia tot mala in ipso causauit, vt iratus, & indignatus existeret, & omnia alia quæ habebat quasi nihilum reputaret. Hest. 3. & 5.

Signa superbiæ detestatur Dominus per Isaiam dicens; Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, &c. Isa. 3.

De Nabuchodonosor intelligitur ad litteram illud Isa. 14. Dicebas in corde tuo, in cœlum conscẽdam, &c.

De Moab dicitur, Audiuimus superbiam, superbus est valde, superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius. Isa. 16.

Quoniam eleuatum fuit cor Nabuchodonosor regis Babylonis, & spiritus illius obfirmatus ad superbiã, depositus est de solio suo, & gloria ablata est ei, &c. Dan. 4.

Baltha-

Balthasar filius Nabuchodonosor rex Babylonis non humiliauit cor suum, sed aduersus Dominatorem cœli eleuatus est, & ideo interfectus est, & Darius Medus ei successit in regnum. Dan. 5.

Antiochus ascendit Hierosolymam in multitudine graui, & intrauit sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, &c. 1. Mach. 1.

Dixerunt illi, quos dimisit Iudas Machabæus ad custodiam terræ, dum iret ad prælium, Faciamus nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes. 1. Mach. 5.

Alcimus qui volebat fieri sacerdos, & quidam alij iniqui iuere ad regem Demetrium, & accusauerunt Iudam, & populum Iudæorum. 1. Mac. 7.

Cum vidisset Nicanor holocausta, quæ offerebantur à Iudæis pro rege, irridens spreuit eos, & locutus est superbe. 1. Mach. 7.

Antiochus existimabat se præ superbia terram quidem ad nauigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 2. Mach. 5.

Nicanor veniens ad pugnandum contra Iudam & socios eius; ita credebat esse securus de victoria, quod vendidit Iudæos antequam in campo videret eos. 2. Mach. 8.

Fugatus turpiter Antiochus de Perside superbe locutus est se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum esse facturum, sed Deus percussit eum insanabili plaga, 2. Mach. 9.

Nicanor Iudæis dicentibus: Est Deus potens in cœlo, qui iussit agi septimam diem; Et ego, inquit, potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri. De quo etiam subditur, quod cum summa superbia erectus, cogitauit commune trophæum statuere de Iuda, à quo tamen cito postea victus fuit. 2. Mach. 15.

Cum dixissent discipuli: Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo; compescuit eos Dominus dicens: Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem, in hoc nolite gaudere, &c. Luc. 10.

Superbia Pharisæi qui se iactabat, quod proximum contemnebat, damnatur. Luc. 18.

Statuto die Herodes vestitus veste regali, sedit pro tribunali, & concionabatur ad populum; populus autem acclamabat voces Dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit. Act. 10.

Caput XCIX.

De iactantia.

Gaal filius Obed dicebat sociis, Quis est Abimelech, & quæ est Sichen, vt seruiamus ei? Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem, &c. Iud. 9.

Samson leonem manibus inermibus lacerauit, nec tamen tantam prosperitatem parentibus suis indicare voluit. Iud. 14.

Goliath Philistæus exprobrabat exercitui Israel, & petebat, vt aliquis veniret cum eo ad singulare certamen. 1. Reg. 17.

Adonias filius Agith eleuabatur dicens: Ego regnabo. 2. Reg. 1. sed parum durauit regnum eius.

Benadad rex Syriæ misit nuntios regi Israel, & ait hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me. Sed pulchre responsum est ei: Ne glorietur accinctus æque, & discinctus, &c. 3. Reg. 20.

Grandia verba dixit Rapsaces ex parte Assyriorum, dicens: Numquid liberauerunt de manu Assyriorum, &c. 4. Reg. 18.

Holofernes dixit ad Achior: Cum percusserimus omnes, quasi hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis. Iudith. 6.

A Aman inuitatus ad conuiuium Esther vocauit amicos, & vxorem suam, & exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum, & filiorum turbã, & quomodo apud reginam solus cum rege prandere debebat. Esth. 5. Sed nota quod suspensus fuit in crastino in eadem trabe, quam parauerat Mardochæo. Esth. 7.

Eliu dixit multa verba iactantiæ, & atrogantiæ. Iob. 32. Ostendam vobis sapientiam, plenus sum sermonibus, & cetera.

Ponit Isaias verba ipsius regis Assyriorum, dicens. Isa. 10. In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, &c. Non fuit qui moueret pennam, & aperiret os suum, & ganniret.

De Nabuchodonosor intelligitur ad litteram illud Isa. 14. Dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solum meũ, ero similis altissimo.

B Per Hieremiam dicitur de Moab, Sublimitatem eius, & arrogantiam eius, & superbiam, & altitudinem cordis illius, ego scio, ait Dominus: iactantiam & arrogantiam eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius, &c. Hierem. 48.

Nabuchodonosor rex Babylonis dixit tribus sociis Danielis, qui nolebant statuam eius adorare, Quis est Deus, qui vos eripiat de manu mea? Dan. 3.

Deambulans in aula Babylonis Nabuchodonosor, ait: Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum adhuc sermo esset in ore eius, &c. Dan. 4.

C Audiuit Seron, quod congregauit Iudas Ecclesiam fidelium, & ait: Faciam mihi nomen, & debellabo Iudã, sed cito è contrario fuit debellatus ab illo. 1. Mach. 3.

Demetrius filius Demetrij misit ad Ionathan dicens: Descende ad nos in campum, & comparemur illic inuicem, quia mecum est virtus bellorum: interroga, & addisce quis sum ego, &c. Sed paulo post male successit ei. 1. Mach. 10.

Nicanor pugnaturus contra Iudam vocauit negotiatores, promittens se daturum pro vno talento nonaginta mancipia Iudæorum. 2. Mach. 8.

Multitudine ad arma concurrente fugatus est turpiter Antiochus de Persepoli ciuitate Persidis, & superbe locutus est dicens: Venturum se esse Hierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. 2. Mach. 9.

D Nicanor interrogauit Iudæos, Si est potens in sæculo, qui imperauit diem sabbatorum? & respondentibus illis: Est Dominus potens in cœlo, qui iussit agi septimam diem, ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regis impleri. 2. Mach. 15.

Petrus valde audacter dixit Domino: Et si omnes scandalizati fuerint, &c. Sed postea longe aliter accidit. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 17.

Qui se iactant, & dilatant maxime si mentiuntur, diabolum imitantur, qui cum ante dixisset Domino: Tibi dabo potestatem hanc, &c. dixit: Omnia regna mundi mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Luc. 4.

E Contra iactantes se, & arrogantes inducit Dominus exemplum illius Pharisæi dicentis: Non sum sicut ceteri homines, &c. velut & hic Publicanus, &c. Luc. 18.

Magnæ arrogantiæ verbum dixerunt Pharisæi cæco nato, quem Dominus illuminauerat, & illos rationabiliter confundebat: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Ioan. 9.

Arroganter nimis dixit Saluatori Pilatus: Nescis quia potestatem habeo dimittere te? Ioan. 19.

Caput C.

De electionibus.

Consilio Iethro sacerdotis Madian Moyses vsus humiliter, elegit iudices, seu prælatos minores, viros potentes & timentes Dominum, in quibus erat veritas, & qui oderant auaritiam. Exod. 18.

Præcepit Dominus Moysi, vt tolleret duodecim virgas iuxta numerum tribuum filiorum Israel, nomen autem Aaron erat in tribu Leui; quas cum posuisset in tabernaculo, sequenti die inuenit virgam Aaron germinasse, &c. Num. 17.

Volens Moyses vlcisci Israel de Madianitis, ait: Mille viri de singulis tribubus eligantur, qui mittantur ad bellum. Num. 31.

Moyses aduertens se iuxta mandatum Domini moriturum, orauit deuote Dominum, & dixit: Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & cetera. Ordinauit autem Dominus, quod Iosue filius Nun esset successor ipsius, & dux populi loco eius. Num. 27.

Post mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos, & erit dux belli? dixitque Dominus: Iudas ascendet. Iud. 1.

Videntes filij Israel, quod Gedeon strenue pro eis pugnauerat, dixerunt omnes ad eum: Dominare tu nostri, &c. Iudic. 8.

Maiores natu de Galaad perrexerunt ad Iephte, dixeruntque ad eum: Veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Iudic. 11.

Erat vir de Beniamin nomine Cis, & ei filius vocabulo Saul, electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo; hunc reuelauit Dominus Samueli eligendum fore, & inungendum regem super populum Israel. 1. Reg. 9.

De mandato Domini speciali iuit Samuel in Bethlehem, & vnxit Dauid filium Isai in regem super Israel. 1. Reg. 16. Mortuo autem Saule venerunt viri de tribu Iuda, & vnxerunt eum super se in regem. 2. Reg. 2. Deinde vniuersæ tribus Israel venerunt ad eum, & vnctus est in regē super totum populum Israel. 2. Reg. 5. Vnde ipse dixit in Ps. 77. Elegit Dauid seruum suum. 1. Paral. 28. Placuit Domino, vt me eligeret regem super cunctū Israel.

Appropinquans morti Dauid dixit maioribus: De filiis meis elegit Dominus Salomonē, vt sederet in throno regni Domini super Israel. 1. Paralip. 28. Terribili iudicio Dei assumptus fuit Ieroboam, vt esset rex super decem tribus Israel. & tamen occasio fuit populo recedendi à Deo. 3. Reg. 11. & 12.

Scripsit Iehu litteras, & misit in Samariam ad optimates ciuitatis, & cet. dicens: Eligite meliorem, & eum quem vobis placuerit de filiis Domini vestri, & ponite eum super solium patris sui, & pugnate pro domo Domini vestri, 4. Reg. 10.

Congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: Ex quo frater tuus Iudas mortuus est, vir similis non est ei, nunc itaque te elegimus hodie pro eo esse nobis principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum. 1. Mach. 9.

Vocauit Dominus Iesus discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos appellauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, &c. Luc. 6.

Post Ascensionem Domini discipuli statuerunt duos, Ioseph, & Matthiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris ex his duobus, vnum accipere in locum ministerij huius, & Apostolatus, &c. Act. 1.

Sermo quem dixerunt Apostoli, placuit omni multitudini; & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, &c. Act. 7.

Ministrantibus discipulis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Act. 13.

CAPVT CII.

De bonis Principibus, & Prælatis.

Bonus Prælatus Moyses, multoties intrauit ad Pharaonem pro causa populi, vt eum liberaret de Ægyptiaca seruitute. Exod. 6. 7. 8. 9. & 10.

Populum timentem confortauit Moyses, dicens: Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Ore quidem verba dicebat, sed corde Dominum exorabat, sicut apparet ibi. Exo. 14.

Clamabat pro populo Moyses ad Dominum, quando murmurabat populus contra eum. Exod. 15.

Omnia debet retorquere ad Deum bonus Prælatus; vnde dicebat Moyses. Exo. 16. Nec contra nos est murmur vestrū, sed contra Dominū; nos enim quid sumus?

Cum pugnaret Amalech contra Israel, non iuit Moyses ad prælium, sed tantum misit Iosue famulum suum, & tamen erat ex parte ipsius iustissimum bellum. Ipse vero stans in vertice montis ad orandum Dominum se conuertit. Exod. 17.

Recessurus Moyses à populo, & iturus ad montem bonos vicarios dereliquit, videlicet Aarō & Vr. Exo. 24.

Videbatur Dominus velle confundere populū peccatorem, & promittebat magnum statum, vel honorem ipsi: & tamen Moyses pro populo incessanter orabat. Exod. 32. Et non tanta seueritate populum puniuit, pro quo tam instanter orauit. Moyses distribuit Leuitis duodecim boues, & sex plaustra, quæ obtulerant principes tribuum filiorum Israel: sed nullum dedit filiis Caath, licet essent ei magis propinqui, quia propriis humeris onera portare debebant. Num. 7.

Desiderabat Moyses, quod omnes de populo prophetarent, licet honor suus in hoc minui videretur. Num. 11.

Post reditum exploratorum dixit Dominus ad Moysen. Num. 14. Vsquequo detrahet mihi populus iste? feriam igitur eos pestilentia, te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quam hæc est. sed noluit Moyses ad maiorem prælationem transferri.

Pereunte populo pro murmure, & tumultu, quos faciebant contra Moysen & Aaron, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum, pergens cito ad populum, vt roges pro eis, &c. Num. 16.

Moriturus Moyses sollicite rogauit Dominum, vt populo de duce idoneo prouideret, nullum vero in speciali voluit nominare. Num. 27.

Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue, &c. Bonus enim prælatus multum confert ad populum in manu Domini dirigendum. Iosue 24.

Samuel iudicabat Israel, & ibat circumiens Bethel, & Galgala, & Masphath, vt homines qui eo indigebant, facilius ad eum possent habere accessum. 1. Reg. 7.

Dixit Samuel ad populum: Absit à me hoc peccatum, vt cessem pro vobis orare, & docebo vos viam rectam, & bonam. 1. Reg. 12.

Videns Dauid Angelum percutientem populum obtulit se pro eo percutiendum. 2. Reg. 24. Vertatur obsecro manus tua contra me, & cetera.

Audiuit omnis Israel iudicium, quod iudicasset Salomon rex de duabus mulieribus; & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in illo. 3. Reg. 3.

Signum est, quod Deus diligat populum, cum dat ei bonum prælatum. vnde dixit regina Saba Salomoni: Quia diligit Deus Israel, ideo posuit te regē super eum, vt facias iudicium atque iustitiam. 2. Paral. 9.

Voluit Dominus tradere regem Syriæ in manu regis Israel, & mandauit ei per Prophetam, quod ipse rex debebat incipere præliari. 3. Reg. 12. & 2. Paral. 24.

Ezechias rex Iuda fecit serpentem æneum confringi, eo quod esset populo idololatrādi occasio. 4. Reg. 18.

Iosaphat rex Iuda constituit iudices super populum, & eos valde fideliter & prudenter instruxit. 2. Paralip. 19. Videte, inquit, quid faciatis, & cetera.

Perrexerunt cursores cum epistolis ex regis Ezechiæ imperio, & principum eius, in vniuersum Israel, & Iudam prædicantes, Reuertimini ad Dominum, &c. 2. Paral. 30.

Orante Esdra, & flente pro transgressione populi, collectus est ad eum cœtus magnus virorum, ac mulierum, &

rum, & fleuit populus multo fletu ad exemplum illius. 1. Esdr.9.

Audiens Holofernis potentiam Eliachim magnus sacerdos, circuiuit omnem Israel, allocutusque est eos dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras,&c. Sicque populum bonis exhortationibus confortabat. Iudith 4.

Bonus prælatus debet esse quasi pater populi sibi commissi. Nam de Eliachim, quem substituit Dominus loco Sobnæ, dicitur Isa. 22. Erit quasi pater habitantibus Hierusalem.

Mortuo Iuda Machabæo emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, & exorti sunt omnes, qui operabantur iniquitatem. In diebus illis facta est fames, &c. 1. Mach. 9.

Cum crederetur occisus Ionathas à Tryphone, quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum conterere eos. Dixerunt enim: Non habent principem, & adiutorem: nunc ergo expugnamus illos, & tollamus ex hominibus memoriam eorum. 1. Machab. 12.

Causa pacis, & boni status sanctæ ciuitatis, pulchræ dicitur fuisse prudentia, & pietas Oniæ summi sacerdotis, & bonitas subditorum. 2. Mach. 3.

Bene restitit Onias Heliodoro volenti spoliare templum, & deposita viduarum, ac pupillorum auferre. 2. Mach. 3.

Saluator noster Dominus Iesus Christus, vbi se bonum pastorem dicit, statim causam, subiungit, dicens. Ioan. 10. Bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis; & post pauca, Animam meam pono pro ouibus meis. In quo intelliges quid exigitur ad hoc, quod aliquis bonus pastor vocari mereatur.

Quando Saluator noster post resurrectionem suam voluit gregem Ecclesiæ Petro committere, primo examinauit eum, seu probauit dicens. Ioan. 21. Simon Ioannis diligis me plus his. Et nota quod examinauit eum de dilectione, non de cognitione; de practica, non de theorica; de facto, non de iure. Item non solum interrogauit eum, si simpliciter eum diligebat. Item nota, quod ter dixit ei, pasce, notandum. Bonus enim prælatus commissum sibi gregem debet pascere exemplo, verbo, & temporali subsidio.

Videns Petrus Iudæos admirantes, & male de discipulis sentientes, eleuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, &c. Vbi gregem constanter defendit, & aduersarios salubriter superauit. Act. 2.

Considerari potest hic de Paulo Apostolo eximiæ bonitatis prælato.

Ad bonum enim prelatum specialiter, & summe pertinet dilectio, quam habere debet ad suos, sicut diligebat ille Pastor optimus, princeps pastorum, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Qui cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Paulus autem miro modo hac dilectione feruebat. vnde dicebat. 2. Cor. 12. Ego libentissime impendam, & superimpendar ipse, pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar à vobis. Item Philip. 4. Fratres mei charissimi, &c.

Item debet esse in eo scientia Scripturarum. Sap. 6. Diligite lumen Sapientiæ, qui præestis populis. Alioquin non posset lepram discernere, vel commissum sibi populum iudicare. Ipse vero Paulus Apostolus de diuinis, & similiter etiam de humanis veram & excellentissimam notionem, seu cognitionem habebat; qui paruulis in Christo lac potum dabat, & inter perfectos sapientiam loquebatur. 1. Cor. 2. quippe qui raptus vsque ad tertium cœlum, & audiuit ibi arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. Cor. 12.

Ex amore vero subditorum & notitia scripturarum sollicitudo in præsidente causatur. Rom. 12. Qui præest in sollicitudine, qua quidem sollicitudine Paulus proximos ardentissime hortabatur, per quod ait 2. Cor. 11. præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Item Colos. 2. Volo vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis.

Ex tribus prædictis debet sequi instructio imperitorum, vnde promittit Dominus Ier. 3. Dabo pastores vobis iuxta cor meum, qui pascent vos scientia & doctrina, iuxta illud quod dixit Artaxerxes rex Esdræ, & iudicibus populi: Imperitos docere libere. 1. Esdræ 7. & hoc profecto liquet fecisse Paulum doctorem gentium, qui verbo vel scripto docuit vniuersum mundum. 1. Tim. 2. Doctor gentium in fide & veritate. 2. Cor. 2. odorem suę notitiæ Deus per nos manifestat in omni loco, & ad hoc quis tam idoneus?

Debet etiam bonus prælatus officia disponere inter subditos, & ordinare sicut Moyses, qui consilio Iethro instituit in populo centuriones, quinquagenarios, & decanos. Paulus quoque in Ecclesia similia faciebat. 1. Cor. 11. Cetera cum venero, disponam; propter quod dicebat Eph. 1. Reliqui te Cretæ, vt quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.

Item debet pusillanimes, & timidos animare, sicut fecit Moyses, quando dixit populo pauescenti. Exo. 14. Nolite timere, Dominus pugnabit pro vobis, & vtique Paulus faciebat. Eph. 6. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, &c. Heb. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.

Item in bono prælato debet esse defensio oppressorum, sicut Onias summus sacerdos, qui constanter restitit Heliodoro volenti templũ Domini spoliare. 2. Mac. 3. quam viriliter autem Paulus restitit pseudoapostolis & Iudæis, patet. Act. 13. & deinceps vsque ad finem. 2. Cor. 11. In quo quis audet, audeo & ego, & ideo dicebat se pugnare. 1. Cor. 9. Sic pugno non quasi aerem verberans. 2. Tim. 4. bonum certamen certaui.

Præterea consolatio afflictorum, velut Eliachim cum Holofernes Bethuliam obsedisset. Iudith 4. Paulus autem non erat inferior in hac parte, vnde ait 2. Cor. 1. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt. Heb. 13. rogo vos fratres, vt sufferatis verbum solatij. Verba vero consolatoria habuit maxime ad Phil. & Thess. sicut patet intuenti.

Debet insuper bonus prælatus pigros & tepidos excitare, quod fecit Patriarcha Iacob, qui audiens, quod alimenta vendebantur in Ægypto. dixit filiis suis: Quare negligitis, &c. & hoc strenuus, & vigil Paulus optime nouerat facere. Rom. 14. Hora est iam nos de somno surgere. Item Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, & 2. Tim. 1. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Item debet indigentibus pro possibilitate sua, quantum ad necessaria subuenire; exemplum de hoc in Elisæo, qui panes fecit distribui filiis Prophetarũ. 4. Reg. 4.

Quod autem Paulus diligenter implebat, memor illius verbi Domini: Beatius est magis dare, quam accipere, prout ipse refert. Act. 20. quando vero non habebat, quid dare posset, ab aliis sollicite procurabat, & hoc apparet 1. Cor. 16. De collectis autem, &c. Item 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce metet.

Item ad eum pertinet, superbos & tumidos refrenare & humiliare, quod volens facere Moyses increpando dicebat. Num. 16. Multum erigimini filij Leui.

Samuel etiam dixit Sauli. 1. Reg. 15. Quare non audisti vocem Domini, &c. in hac autem arte Paulus erat valde peritus, vnde 1. Cor. 4. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem cito, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. 1. Tim. 6. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, &c.

Rursus etiam bonus prælatus distãtes, & ad eum accedere non valentes debet personaliter visitare, quod

Samuel adimplebat, qui ibat circumiens Bethel, & Galgala, & Masphat, & iudicabat Israelem. 1. Reg. 7. & quis hoc exercuit sicut Paulus, qui ab Hierusalé vsq; ad Illyricum mare repleuit Euangeliũ Christi, Rom. 15. ita quod vitam suam quemdam cursum vocabat. 1. Cor. 9. sic curro non quasi in incertũ. 2. Tim. 4. cursum consummaui.

Item debet delinquentes, & transgressores punire, sicut fecit Moyses, quando populus vitulum conflatilem adorauit. Exod. 32. In hac etiam parte Paulus negligens non erat; dicebat enim 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo in promptu habentes vlcisci inobedientiam. Item 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis.

Item bonus prælatus debet contumaces de populo, & pestiferos extirpare, sicut fecit Moyses de Chore, & iis, qui adhæserunt ei. Num. 16. Tu, inquit, & omnis congregatio tua state seorsum. deinde dixit aliis: Recedite à tabernaculis impiorum. Paulus autem de illo, qui tenebat nouercam suam ait, 1. Cor. 5. Ego iudicaui huiusmodi tradere Satanæ in interitum carnis. & post. Expurgate vetus fermentum, &c. Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, vt discerent non blasphemare. 1. Tim. 1.

Postremo debet pro vniuersis orare. Sic faciebat Moyses. Exod. 32. Moyses orabat Dominum, &c. & Samuel 1. Reg. 12. Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis; hoc autem Paulus diligẽtissime implebat. Rom. 1. Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, & 2. Thess. 1. Oramus semper pro vobis, vt Deus dignetur vos vocare vocatione, &c. Item hoc ipsum hortatur fieri dicens. 1. Tim. 2. obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, &c.

CAPVT CII.

De malis principibus & prælatis.

PRæcepit Dominus Moysi dicens: Tolle principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis. Num. 25.

Dixit Moyses ad Aaron. Exo. 32. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum, quasi multum peccaret prælatus in subditos, quando malæ eorum acquiesceret voluntati. Male corripuit filios suos, quod multum displicuit Domino 1. Reg. 2. & tamen corripuit eos verbo, sed lente non viriliter & seuere, quid ergo de illis, qui in malis fauent eis, vel qui dant eis occasionem peccandi. Etiam malis prælatis debent deferre subditi, sicut Dauid qui percussit cor suum, quia præciderat oram chlamydis illius, neque aliud malum voluit facere ei. 1. Reg. 24.

Totum pondus prælij versum est in Saul, vnde cecidit in prælio, & occisus fuit. 1. Reg. 31.

Propter peccatum, quod commisit Dauid in numeratione populi mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum. 2. Reg. 24. Quia Roboam populum nimis grauare voluit magnam partem eius amisit. 4. Reg. 12.

Occasionem dedit Ierobam populo recedendi à cultu Dei, quando vitulos fecit, & eos adorari præcepit. 3. Reg. 13.

Propter malos prælatos interdum subditi temporaliter affliguntur. vnde dixit Elias ad Achab, Tu conturbas populum Israel, & domus patris tui, &c. 3. Reg. 17.

Rex Syriæ præcepit principibus curruum suorum, Non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam, nisi contra regem Israel solum: ille autem erat Achab nequissimus. 3. Reg. 22.

Manasses seduxit Iudam & habitatores Hierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. 2. Paral. 33.

Malorum prælatorum in Hierusalem habitantium conditiones expressit Isaias dicens: Principes tui infideles sunt, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, &c. Isa. 1.

De Nabuchodonosor principe pessimo dicitur Isa. 14. Tu terrã tuam disperdisti, tu populum tuũ occidisti, &c.

Sobna præpositus templi credebat in Hierusalem diu viuere, & mori, & honorifice sepeliri, sed mandauit ei Dominus, Quid tu hic, aut quasi quis hic, &c. & post pauca sequitur: Expellam te de statione tua, &c. Esa. 22. Et nota, quod ille Sob videtur fuisse de illis, qui dicebant paulo ante: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.

Sedechias rex Iuda dixit principibus Ieremiam occidi petentibus: Ecce in manibus vestris est. Non enim fas est regem aliquid vobis negare. Ier. 38.

Contra malos Prophetas & prælatos dixit Dominus Ezech. 14. Non ascendistis ex aduerso, non opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Dñi.

Malis prælatis Dominus per Ezechielem comminatur dicens Ezech. 34. De pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Nonne greges pascuntur à pastoribus?

Postea statim describitur actus malorum pastorum. Lac, inquit, comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, & ægrotum non sanastis, quod fractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, quod perierat non quæsiuistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, &c.

Mali fuerunt illi presbyteri, qui condemnabant Susannam ad mortem, eo quod noluit consentire illis, cum ex hoc magis meruisset laudari. Dan. 13.

Rex Demetrius Alcimum proditorem impium constituit in sacerdotio, & mandauit ei facere vltionem in filios Israel. 1. Mach. 7.

Elegit Bachides viros impios, & constituit eos dominos regionis, & expugnabant amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bachidem, &c. 1. Mach. 9.

Iason frater Oniæ, qui summum sacerdotium emit ab Antiocho, statim vt obtinuit principatum, ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit. 2. Mach. 4.

Proprietates malorum prælatorum, bene tangit Dominus Iesus. Matth. 23. Super cathedrã Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, &c. dicunt & non faciunt; alligant autem onera grauia, &c. sequitur: Clauditis regnum cœlorum ante homines, & vos non intratis, &c.

Item Io. 10. Mercenarius, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, &c. nõ pertinet ad eum de ouibus, sed curat tantum de velleribus.

Sciebat Pilatus, quod Iudæi per inuidiam Dominum tradidissent, sciebat eum innocentem; tamen propter fauorem populi, & timorem Cæsaris tradidit illum voluntati eorum. Matth. 27.

Principes sacerdotum vocantes Petrum, & Ioannem denuntiauerunt eis, ne omnino loquerentur, nec docerent in nomine Iesu. Act. 3.

Videns princeps Sacerdotum multa signa per Apostolos fieri, exurgens ipse, & omnes qui cum eo erant, iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia sua publica. Angelus autem Domini eduxit eos; tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxerunt illos, & post multa concilia vocauerunt Apostolos, & cæsis denuntiauerunt, vt amplius non loquerentur in nomine Iesu. Act. 5.

Raptus fuit Stephanus à Iudæis, & adductus in concilium, cumque falsa obiicerentur ei, principes sacerdotum dixerunt ei, Si hæc ita se haberent, qui cum fideliter se excusaret, & duritiam Iudæorum acriter increparet, lapidatus est ab eis, præfato principe nullam displicentiam ostendente. Act. 6. & 7.

Productus Paulus in concilium cœpit irrationabiliter loqui, sed ad primum verbum, quod dixit, Princeps sacerdotum præcepit eum percuti. tunc Paulus dixit: Percutiet te Dominus, paries dealbate, & tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti. Act. 23.

Malos præsides, & iniquos habuit Paulus Felicem, & Festum, qui volebant gratiam Iudæis præstare, & idcirco compulsus est Cæsarem appellare. Act. 45.

CAPVT CIII.

De ambitiosis.

LOcuta est Maria, & Aaron contra Moysen, dixerunt: Nonne & nobis similiter locutus est Dominus, per hæc verba videbantur ambire ducatum populi. Num.12.

Chore & complices sui anhelantes ad regnum populi, cœperunt ipsum populum commendare. Moysen vero, & Aaron accusare dicentes: Sufficiat vobis, quod omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. cur eleuamini super populum Domini? Num.16.

Abimelech filius Gedeonis callide procurauit se eligi per amicos ex parte matris suæ, sed postea pessime successit vtrisq;. Iudic.9.

Parabola illa quam proposuit Ioathā, quod oliua, vitis, & ficus noluerunt super ligna accipere principatum: rhamnus vero arbor modica, & vilis regnum vsurpare præsumpsit. potest ad ambitiosos aptari. Iud.9.

Dicebat Gaal filius Obed. Iud.9. Vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio Abimelech.

Absalom hominibus ad iudicium regis Dauid venientibus blandiendo, detrahendo simul, & ambiendo dicebat: Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à rege. Quis me constituat iudicem super terram, &c. Sed nota quomodo accidit ei postea. 2. Reg.15.16.& 18.

Adonias filius Agith eleuabatur dicens, Ego regnabo. 3. Reg.1.

Dixit Ahias ad Ieroboam: Regnabis super omnia, quę desiderat anima tua: sed adeptus regnum super decem tribus Israel pessime se habuit. 4. Reg.12.

Zambri videns Hela dominum suum regem Israel temulentum occidit eum, & regnauit post eum diebus septem. 3. Reg.16.

Athalia mater Ochoziæ regis Iuda videns esse mortuum filium suum, in tantam exarsit libidinem dominandi, quod interfecit omne semen regium, excepto Ioas, qui fuit à sorore Ochoziæ furtiue sublatus. 4. Regum 11.

Sellum filius Iabes coniurauit contra Zachariam regem Israel dominum suum, & interfecit eum, & regnauit pro eo vno mense. 4. Reg.15.

Nabuchodonosor rex Assyriorum vocauit duces bellatores suos, dixitque cogitationē suam esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Iudith.2

Ambitiosi, & superbi plus affliguntur de paucis, qui eos præcedunt, vel eis non obediunt, quam lętentur de multis, qui eis subsequuntur. vnde superbus Aman, qui erat secundus à rege, & filios, & diuitias multas habebat, nihil se habere reputabat, quamdiu vidit Mardochæum ante fores regias. Esther.5.

Audiuit Seron, quod congregauit Iudas Ecclesiam fidelium, & ait: Faciam mihi nomē, & glorificabor in regno; & debellabo Iudam, sed ipse cito fuit debellatus à Iuda. 1. Mach.3.

Alcimus qui volebat fieri sacerdos summus, & quidam alij iniqui de populo Iudæorum, venerunt ad regem Demetrium dicentes ei: Perdidit Iudas, & fratres eius amicos tuos, & nos dispersérunt de terra nostra, &c. 1. Mach.7.

Ptolemæus rex Ægypti voluit dolo obtinere regnum Alexandri, & tandem obtinuit Alexandro deuicto, & in Arabiam fugato; & abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo, qui parum gauisus est, quia die tertio mortuus est. 1. Mach.11.

Ptolemæus filius Abobi habebat argentum, & aurum multum, & exaltatum est cor eius, & volebat obtinere regionem, & quasi occasione hac proditorie occidit Simonem sacerdotem, & duos filios eius. 1. Mac.15.

Ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium, & propter hoc adijt regem Antiochum Nobilem, promittens trecenta sexaginta argenti talenta, & multa alia. 2. Mach.4. Quod cum rex annuisset modico tempore sacerdotij honore functus est, quia Menelaus, quem miserat ad Antiochum, retorsit ad se summum sacerdotium, qui etiam cito fuit amotus, & Lysimachus frater eius, loco eius substitutus. 1. Mach 4.

Cum vidisset Simon, quod per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus obtulit eis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ei: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Act.8.

CAPVT CIV.

De tentatione diaboli.

SErpens callidus ad tentandum, idest diaboli in serpente, humanum genus, ex parte debiliori, & ad peccandum proniori, aggressus est. non etiam Adam prius tentauit, sed Heuam. Item explorando à longe incipit; non statim comedere vetitum fructum ex abrupto suasit. Item negauit pœnam secuturam, pro mandati transgressione, & magna bona asseruit affutura, pro vna tali comestione. Item non tentauit mulierem de peccatis, ad quod nullam inclinationē habebat, sed de comestione suauis fructus, & sapidi, & curiositate sciendi, & de dignitate maiori. Gen.3.

Spiritus mendax frequenter in tentatione mentitur. vnde dixit Heuæ: Nequaquam moriemini. Gen.3.

Item dixit Domino Saluatori, cum ostendisset ei omnia regna mundi: Mihi tradita sunt omnia, & cui volo do illa. Luc.4.

Item Scripturam sacram interdum peruerse allegat. dixit enim Domino Angelorum, &c. Matth.4.

Cum surrexisset satan contra Israel, incitauit Dauid, vt numeraret Israel. 1. Paral.21.

Petiuit satan à Domino, vt Iob tangeretur in liberis, & rebus, & persona, in quo potest notari calliditas, malignitas, & infirmitas inimici. Iob 1.& 2.

Nō expedit tentationes suas reuelare homini, quem credit tentari de simili peccato, sed magis alicui discreto, & sancto, qui eum confortet in bono. vnde duo senes, quando sibi inuicem concupiscentiam indicauerūt peius prouocati fuerunt. Dan.13.

Tentatio Domini nos instruit ad vincendum omnē genus tentationis. fuit enim tentatus de tribus, ad quæ omnia possunt tentamenta reduci. Et nota, quod non per potentiam, sed per Scripturam vicit tentatorem. Mat.4. Luc.4.

Ait Dominus Simoni Petro instante passione sua: Ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, &c. Luc.22.

Diabolus immisit in cor Iudæ, vt traderet Dominum Christum.

Dixit Petrus Ananiæ: Cur tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri. Actor.5.

CAPVT CV.

De peccato in generali, & variis pœnis, quæ ex peccato sequuntur.

QVod peccatum causet in homine erubescentiam, patet per hoc, quod in statu innocentiæ erant primi parentes nudi, & non erubescebant: post peccatū vero statim sibi operimenta fecerunt. Gen.2.& 3.

Peccatum infatuat peccatorē. Vnde Adam post peccatum credebat se abscondere à facie Domini. Gen.3.

Item peccatum facit hominem timidum. vnde Adam postquam peccauerat, dixit: Timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Gen.3.

Enormitas sceleris clamat pro vindicta ad aures Dei. Gen.4. Vox sanguinis fratris tui,&c.Gen.19. Clamor Sodomorum, &c. Etiam pœna temporali punit Dominus quandoq; peccatum, vt patet in Adam,& Heua.Gen.3. Et in Cain. Gen.4. In Sodomitis. Genes.19. Item in filijs Israel multotiens. Item Ioan.5. Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Pharao propter peccatum recognoscebat se à Domino flagellatum dicens. Exod.10. Peccaui in Dominum, & in vos.

Fecerant Filij Israel malum in conspectu Domini: iratusq; Dominus tradidit eos in manibus diripientium, qui ceperunt eos,& vendiderunt hostibus. Iudic.2.

Peccatum ipsum peccatorem quiescere non facit. Vnde percussit eum cor Dauid, postquam numeratus est populus.2.Reg.24.

Salomonem sapientissimum peccatum infatuauit. 3. Reg.11. Ipsius etiam famam maculauit. Eccles.47. Dedisti maculam in gloria tua.

Postquam Ioram rex Iuda cepit ambulare per vias regum Israel pessimas, recessit Edom ab eo,& noluit ei soluere tributum consuetum. 3. Reg.8.

Dereliquerunt filij Israel præcepta Domini, & fecerunt sibi deos conflatiles, seruieruntq; Baal, &c. Sequitur: Translatus est Israel de terra sua. 4.Reg.17.

Factum est verbum Domini contra Iudam, vt auferret eum coram se, propter peccata quæ fecit Manasses, & propter sanguinem innoxium, quem effudit, &c. 4. Reg.24.

Deserta est Hierusalem, & omnes vrbes Iuda: & non est habitator in eis, propter malitiam quam fecerunt, vt me ad iracundiam prouocarent. Consecutiue, non causaliter intelligi debet. Hiere.44.

Tanta est grauitas peccati, quod dicitur. Hiere.44. Non poterat Dominus vltra portare propter malitiam studiorum vestrorum.

Propter peccatum debilitatur homo. Thren.1. Peccatum peccauit Hierusalem, propter instabilis facta est. vnde seruus Salomonis ausus est insurgere in dominum suum post ipsius peccatum. 3.Reg.11.

Cum sanasset Dominus Iesus hominem languidum in grabato iacentem, inuenit eum in templo, & dixit: Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Ioan.5.

Mulieri in adulterio deprehensæ, & à Iudæis coram Domino accusatæ dixit ipse Saluator: Vade,& amplius iam noli peccare. Ioan.8.

CAPVT CVI.

De confessione peccati.

Monebat Dominus Adam post peccatum recognoscere culpam suã, sed ille quodammodo retorsit in Deum, & mulierem, & mulier in serpentem. Gen.3. Mulier quam dedisti mihi sociam, &c. Et post: Serpens decepit me.

Cain recognouit peccatum suum dicens. Gen. 4. Maior est, iniquitas mea,&c.

Item Pharao dixit: Peccaui. Exo.9. & 10. Item dixit Saul.1. Reg.25. Item Iudas. Matth.27. Nullus tamen ex prædictis veniam consecutus est: quia non recto corde dixerunt. Simile dixit Dauid, corde humili. 2.Reg.12. Et audire meruit; Dominus transtulit peccatum tuum, &c.

Afflicti filij Israel per ignotos serpentes venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccauimus, quoniam locuti sumus contra Dominum, & contra te,&c. Num.21.

Vehementer oppressi filij Israel à Philistæis, & filijs Ammon dixerunt ad Dominum. Iudic.10. Peccauimus, redde in nobis, quidquid tibi placet, tamen nunc libera nos.

Reprehensus Dauid à Nathan propheta, super excessu quem commiserat in Vriam, & vxorem eius peccatum suum humiliter recognouit. 2.Reg.12. Humiliter recognouit peccatum Dauid, quando fecerat populum numerari, ita quod etiam obtulit se percutiendum loco populi innocentis.2.Reg.24.

Dixit Nehemias: Confitebor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccauerunt tibi, & ego, & domus patris mei peccauimus, vanitate seducti sumus, &cet. Nehem.1.

Quamuis Tobias ab infantia Deum timuerit, & mãdata eius custodierit, tamen dicebat humiliter recognoscens: Non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te. Tob.3.

Tres socij Danielis, qui ita sancte inter Chaldæos vixerant, & pro quibus Deus tantum miraculum faciebat in fornace, nequaquam contra Deum murmurabant, quasi iniuste talia paterentur; sed dicebat Azarias: Peccauimus, iniuste egimus,&c. Dan.3.

Orans Deum Daniel confitebatur peccata sua,& populi dicens: Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus,&c. Dan.9.

Sextus illorum septem fratrum mori incipiens, ait: Nos enim propter nosmetipsos hoc patimur, quia peccauimus in Dominum nostrum,&c.2. Mach.7.

Veniebant ad Ioannem Baptistam, omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem confitentes peccata sua. Matth.3. Mar.1.

Prædicante Paulo per Asiam, multi credentium venientes,& annuntiantes actus suos. Act.19.

CAPVT CVII.

De duritia, & obstinatione malorum.

Cain post increpationem quam fecit ei Dominus peior fuit, & fratricidium perpetrauit. Gen.4.

Cor Pharaonis, neque per blanda verba, quæ primo dixit Moyses ex parte Domini, neque per dura flagella potuit emolliri. Exod.5. vsque ad 10.cap.

Filij Israel dicuntur à Domino populus duræ ceruicis Exod.& Num. pluries.

Heli sermonibus filios suos corripuit, sed nihil ei profuit.

Samuel prædixit populo conditiones regis eorum, valde graues, & quod hoc displicebat Domino; & tamen noluit desistere ab incepto.1.Reg.8.

Neque per verba Ionathæ, neq; per beneficia à Dauid recepta cor Saulis ad diligendum ipsum Dauid potuit prouocari.1.Reg.18.& 19.

De Nabal dicitur. 1. Reg.25. Quod erat durus, & pessimus, & malitiosus.

Obstinate nimis Asael persequebatur Abner. 2.Re.2.

Mittebat Dominus viris Iuda prophetas, vt reuerterentur ad eum, quos illi audire nolebant; immo etiam Zachariam filium Ioiadæ, increpantem crudeliter occiderunt.2.Paral.25.

Ezechias rex Iuda misit nuntios in vniuersum Israel dicentes: Nolite indurare ceruices vestras, sicut patres vestri, &c. Sequitur, quod illi irridebant, & subsannabant eos,&c.2. Paral.30.

Durissima fuerunt corda illorum; qui venerunt ad comprehendẽdum Dominũ, quos cum ad terram prostrauisset solo verbo; & auriculam eius sanasset, non fuerunt moti, vel ex miraculi maiestate, vel ex beneficij pietate. Luc.22.& Ioan.17.

Beatus Stephanus Iudæos increpans ardenter, ait: Duri ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis,&c. Act.7.

CAPVT CVIII.

De peruersitate quorundam.

Prima mulier ordinem naturæ peruertit, quando de fructu vetito dedit. Gen.3. & ille comedit. Cum ipse

vir eam debuisset docere, quid illa deberet comedere, vel vitare.

Dominus de spolijs Ægyptiorum ditauit Hebræos. Exod. 12. Sed sunt multi, qui ditant Ægyptios de spolijs Hebræorum.

Filij Israel in deserto penuriam patientes dicebant se super ollas carnium in Ægypto sedisse, sed tamen faciebant mentionem de grauissima seruitute. Exo. 16.

Dicebat populus in deserto: Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Num. 11. Cum tamen, tunc seruitute maxima premerentur, & ibi in deserto pane Angelorum, id est cibo sapidissimo, sine labore suo, dato cælitus, pane Angelorum alerentur.

Narrantibus exploratoribus conditiones terræ Promissionis, doluit populus contra voluntatem Domini in Ægyptum redire, & nequaquam vltra procedere; cito vero post voluit contra voluntatem Domini, nimium festinare. Num. 15.

Vocati Dathan, & Abiron à Moyse responderunt: Non venimus, numquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat. Num. 16.

Perijt Moyses à rege Edom dicens: Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, sed via publica gradiemur. Respõdit tamẽ ille, non transibitis per me alioquin occurram armatus tibi, &c. Num. 20. Simile accidit de Sehon rege Amorrhæorum, sed qui noluit concedere pauca, amisit multa. Num. 21. Noluit Balaam maledicere populo quem credebat benedictum à Deo, sed sunt multi qui plura maledicunt de bonis, quam de malis. Num. 22. Et mirum fuit quod noluit eius maledicere. nam licet ostendisset ei Dominus, quod populus Israel erat benedictus; tamen dedit finaliter malum consilium, per quod à mulieribus est seductus. Num. 24.

Filij Israel audientes mandata Domini, omnia fecerunt contraria. Iudic. 2.

Viri Ephraim rogati à Iephte, vt secum venirent ad prælium, noluerunt. quo post victoriam redeunte; quasi eos non vocasset contra eum iurgari cœperunt. Iudic. 12.

Dauid psallebat coram Saule vexato à dæmone, & ipsi vtiliter seruiebat, & tamen ipse Saul voluit eum configere parieti cum lancea, quam tenebat. 1. Regum 18. & 19.

Saul voluit occidere Ionathan filium suum, qui excusauit Dauid innocentem. 1. Reg. 20.

Dicebat Saul seruos coniurasse aduersus eum, & Dauid insidiari sibi, quia eum ad mortem quærebat, & inuenire, vel capere non poterat. 1. Reg. 22.

Rex filiorum Ammon videns quod iniuriam fecisset Dauid, voluit impugnare eum, cum magis debuisset laborare ad placandum eum. 2. Reg. 4.

Ammon filius Dauid Thamar sororem suam violenter oppressam, turpiter à se expelli fecit. 2. Reg. 13.

Absalom filius Dauid populum contra patrem malitiose commouit: ad concubinas illius videntibus cunctis intrauit; ipsum patrem suum vita & regno priuare voluit. 2. Reg. 15.

Sublimatus à Domino Ieroboam super decem tribus Israel, statim auertit populum à cultu veri Dei, & commonitus per Prophetam, præcepit eum capi. 3. Reg. 3.

Achaz rex Iuda altare Domini transtulit, & fecit fieri altare ad similitudinem illius, quod viderat in Damasco; & super illud offerri holocausta præcepit. 4. Reg. 16.

Idololatriam, sortilegia, homicidia, & diuersa scelera, quæ commisit Manasses rex Iuda, satis narrantur, 4. Reg. 31. & 2. Paral. 33.

Cum debellasset Amasias Idumæos, & filios Seir, & tulisset deos eorum, adorauit eos, & illis adoleuit incensum. 2. Paral. 25. propter quod Dominus eum arguit per Prophetam dicentem sibi: Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua.

Achaz rex Iuda immolauit victimas dijs Damasci percussoribus suis, & dixit, Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi cum è contrario ipsi fuerint ruinæ ei, & vniuerso Israel. 2. Paral. 28.

Quia vnus solus Mardochæus non adorabat Aman superbissimum, ipse Aman procurauit apud regem Assuerum omnes Iudæos debere interfici. Esther 3.

Arguente Hieremia Propheta populum, pro eo quod sacrificabant dijs alienis. Responderunt ex eo tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Hiere. 44.

Principes, & satrapæ Darij regis Persarum accusauerunt Danielem, quod tribus temporibus per diem orabat Deum suum. Dan. 6.

Alcimus impius de gente Iudæorum, qui debebat diligere Iudam, & fratres eius, iuit ad Demetrium, & quidam alij iniqui ex Israel dicentes: Perdidit Iudas, & fratres eius, &c. 1. Mach. 7.

Cum vellet Antiochus ciuitatem Persepolim spoliare, fugatus est multitudine ad arma concurrente, quam iniuriam in Iudæos voluit retorquere. 2. Mach. 9.

Ioppitæ tale flagitium perpetrauerunt, rogauerunt ducentos Iudæos, vt ascenderent naues, qui cum essent in alto mari submerserunt eos. 2. Mach. 12.

Nec austerus Ioannis victus, nec condescensiua mãducatio Saluatoris, placuit Pharisæis. Matth. 11. Pharisæi videntes Dominum dæmonia eijcientem, turbis dicentibus, Numquid hic est filius Dauid? blasphemabant dicentes: Hic non eijcit dæmones, nisi in Belzebub principe dæmoniorum. Matth. 12. Luc. 11.

Nimia fuit peruersitas in Iuda, qui pro triginta argenteis tradidit Saluatorem. Mat. 26.

Capvt CIX.

De nequitia tyrannorum.

Varias adinuenit malitias Pharao, vt posset extinguere, vel ad numerum paruum redigere filios Israel. Exo. 1. In principio enim duris laboribus eos præcepit affligi, deinde masculos occidi; postea mandauit eos in flumen proijci, & feminas reseruari.

Primo simpliciter dixit Pharao: Nescio Dominum & Israel non dimittam. Exo. 10. Deinde concessit dicens: Ite, sacrificate Domino in terra hac; postea dimittere eos noluit, vt sacrificarent Domino in deserto; verumtamen non longius ne abirent. Exo. 8. Postmodum voluit vt viri irent, dum tamen oues, & armenta dimitterent. Exod. 4.

Postquam intellexit Pharao quod filij Israel voluerunt seruire, & sacrificare Domino, durius afflixit eos. Exo. 5.

Septuaginta reges amputatis manuũ, ac pedum summitatibus colligebant reliquias sub mensa Adonibezec. Iudic. 1.

Abimelech filius Gedeonis, vsurpato dominio super populum septuaginta viros fratres suos occidit super lapidem vnum. Iudic. 9.

Post multa beneficia à Dauid percepta, Saul ipsum quæsiuit ad mortem, & occidit octoginta quinq; viros portantes Ephod occasione ipsius. 1. Reg. 22.

Virum Dei arguentem Ieroboam pro altari sacrilego quod construxerat, præcepit ipse Ieroboam apprehendi. 3. Reg. 13.

Iezabel fecit Eliam ad mortem quæri, quia prophetas Baal fecerat occidi. 3. Reg. 19.

Naboth Iezrahelites lapidatus fuit, quia procurauit Iezabel contra eum falsos testes produci. 3. Reg. 21.

Achab rex Israel fecit poni Michæam prophetam in carcerem, & sustentari pane tribulationis, & aqua angustiæ. 3. Reg. 22.

Cum factum esset verbum Domini in manu Iehu prophetæ, contra Baasa regem Israel, & contra domum eius, occidit Baasa prædictum prophetam. 3. Regum 16.

Manas-

Manasses rex Iuda sanguinem innoxium effudit,& impleuit Hierusalem cruore innocentium.4.Reg.24.

Cum reuersus esset Sennacherib fugiens à Iudæa plagam quā circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam iratus,multos Iudæos occidit.4.Reg.19.

Nabuchodonosor dixit Holoferni:Non parcat oculus tuus vlli regno. Iudith 2. De Holoferne vero, postea legitur,quod tantus metus illius prouincijs incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores obuiam exirent venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choros in tibijs, & tympanis; & tamen ista facientes ferocitatem pectoris eius mitigare non poterant. Iud.3.

Quia Mardochæus superbissimo Aman genua non flectebat, magis elegit Aman omnes Iudæos procurare occidi,quam parcere vni soli.Esther 3.

Ad petitionem principum populi,præcepit Sedecias rex Iuda Hieremiam prophetam mitti in lacum. in quo non erat aqua, sed lutum. Hierem.38. Rex Babylonis occidit filios Sedeciæ regis Iuda, in oculis eius in Reblatha. oculos quoque eius eruit, & vinxit eum compedibus, vt adduceretur in Babylonem. Hierem.39.

Nabuchodonosor rex Babylonis in furorem versus præcepit, vt occiderentur omnes sapientes Babylonis, pro eo, scilicet quod non poterant ei somnium, quod viderat indicare. Dan.27.

Mira crudelitas fuit cum Nabuchodonosor rex Babylonis fecit socios Danielis mitti in fornacem ignis ardentis.Dan.3.

Antiochus ascendit Hierosolymam, & fecit cædem hominum; & post dicitur, Effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & multa leguntur ibi.1.Mach.1.

Comprehendit exercitus Antiochum filium Antiochi,& Lysiam,& adduxit eos ad Demetrium,qui noluit eos videre,& occidit eos exercitus. 1. Mach.7.

Tryphon cepit Ionathan proditorie, cumque teneret, petijt pro eius liberatione centum talenta argenti, & duos filios eius pro obsidibus,quos cum haberet, nequissime patrem cum duobus filijs occidit. 2. Machab.13.

Rogatus à Menelao Andronicus,& per munera,quæ cepit ab eo corruptus, occidit Oniam summum sacerdotem. 2.Mach.4.

Rex Antiochus Menelaum hominem sacrilegum de multis sceleribus accusatum absoluit, & accusatores eius morte damnauit.2.Mach.4.

Nimiam crudelitatem exercuerunt in Eleazarum illi tyranni ab Antiocho missi.2.Mac.6. Et similiter septem illos fratres,& eorum matrem.2.Mach.7.

Herodes videns quod illusus esset à Magis iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem,& in omnibus finibus eius à bimatu,& infra. Matth.2.

Sciebat Herodes Tetrarcha Ioannem Baptistam esse virum iustum & sanctum;&tamen ad petitionem vnius meretricis fecit eum in carcere decollari.Mat.14.Mar.6.

Accesserunt ad Dominum Iesum quidam Pharisæorum dicentes:Exi & vade hinc;quia Herodes vult te occidere.Luc.13.

Herodes Tetrarcha multo tempore videre Iesum cupiebat;& viso eo gauisus est valde:& tamen spreuit eum cum exercitu suo, & illusit indutum in veste alba,& remisit ad Pilatum. Luc.23.

Misit Herodes, Agrippa,rex,vt affligeret quosdam de ecclesia,occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio; videns autē, quia placeret Iudæis, apprehendit Petrum, & misit in carcerem. Act.12.

A quibusdam quæstuarijs fuit Paulus mendaciter accusatus pro eo, quod ipse spiritum Pythonem eiecit à quadam puella;magistratus autem iusserunt eum,& Silam socium eius virgis cædi, & in carcerem mitti, & pedes eorum ligno stringi. Act.16.

Fœlix preses sperabat,quod pecunia ei daretur à Paulo,quem tenebat vinctum,propter quod frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. Successit autem ei Festus, & volens Fœlix gratiam præstare Iudæis Paulum nō absoluit,sed eum vinctum reliquit. Festus etiam cœpit fauere Iudæis, & Paulus grauari, propterea compulsus est Cæsarem appellare. Act.24.& 25.

CAPVT CX.

De oppressione bonorum per malos.

CAin nequam & inuidus præualuit aduersus Abel iustum,& occidit eum.Gen.4.

Sodomitæ animam iusti Loth multipliciter afflixerunt.Gen.19.

Oderat semper Esau Iacob; dixitq; in corde suo, Venient dies,&c. Gen.27.& 28.

Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum,&c.Exo.1.

Vnus spurius ambiens principatum, Abimelech scilicet filius Gedeonis occidit septuaginta fratres suos. Iud.9.

Saul diu persecutus Dauid, qui tamen fideliter ei, & vtiliter seruiebat.1.Reg.17.& deinceps.

Absalom in tantum commouit populum aduersus Dauid patrem suum,quod compulsus est exire Hierusalem,licet cito fuerit reuocatus.2.Reg.15.& 20.

Impijssima Iezabel minata est,quod occideret Eliam, ita quod ille timens abijt quocumq; eum ferebat voluntas.3.Reg.19.

Rex Israel Ioram pessimus audiens quod maxima fames erat in ciuitate, misit virum ad amputandum caput Elisei.4.Reg.6.

Ad imperium regis Iuda Ioas lapidatus est Zacharias filius Ioiadæ, pro eo quod arguebat regem, & populum sculptilibus seruientes.2.Paral.24.

Nabuchodonosor præcepit Holoferni, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus Deus diceretur, & propter hoc multa regna destruxit, & populum Dei,qui nuper redierat de captiuitate Babylonis afflixit.Iudith 2.& deinceps.

Aman superbus, crudelis, & impius ita potens fuit, quod pro nihilo habuit procurare necem omnium Iudæorum, sed diuina prouidentia eius conatibus obuiauit.Est.3.& 4.

Percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & misit eum in neruum.Iere.20.& 28.capitulo,Hananias prophetauit plane contra id quod dicebat Ieremias, & tulit catenam ligneam de collo Ieremiæ,& confregit eam, & abijt Ieremias in domum suam quasi confusus ab illo Hanania mendace Propheta.

Nabuchodonosor rex Babylonis Ananiam,& socios eius in fornacem mitti iussit,eo quod ipsi noluerunt adorare statuam,quam idololatra iniquus erexit.Dan.3.Et Daniel bis missus fuit in lacum leonum procurantibus pessimis hominibus.Dan.9.& 14.

Antiochus ascendit Hierosolymam in multitudine graui cum superbia,& fecit ibi terribilem hominum cædem.1.Mac.1.& 4.& 5.

Bachides & Alcimus proditor missi à rege Demetrio tantum exercitum produxerunt contra Iudam Machabæum,quod ipse Iudas cecidit in bello,&ceteri commilitones sui fugerunt.1.Mac.9.

Proditor & dolosus Tryphon, qui dominum suum regem Antiochum adolescentem dolo occidit, Ionathan,& duos filios eius nequiter interfecit. 1.Mac.13.

Ioannem Baptistam totius exemplar sanctitatis ad petitionem vnius meretricis,&c.Mat.14.Mar.6.

Quidam Iudæi commouerunt plebem, & Seniores & Scribas;& rapuerunt Stephanum,& statuerunt duos falsos testes contra ipsum,& lapidauerunt eum. Act.6. & 7.

Misit Herodes, Agrippa, &c. Act.12.

Iudæi concitauerunt religiosas mulieres, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. Act.14.

Quidam quæstuarij ducentes vnam mulierem Pythonissam, à qua Paulus, &c. Act.16.

CAPVT CXI.

De oppressione bonorum per malos, & de tribulationibus, & eorum vtilitatibus.

PLus creuit Ioseph in exilio in terra paupertatis suæ, quam creuisset inter fratres suos in terra natiuitatis suæ. Gen.41.

Fratres Ioseph locuti sunt ad inuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, &c. idcirco venit tribulatio. Gen.42.

Filij Israel creuerunt, & oppressionibus, & afflictionibus Pharaonis. Exo.1. Quanto opprimebāt eos Ægyptij, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.

Afflicti filij Israel à serpentibus ignitis dixerunt ad Moysen, Peccauimus, quoniam locuti sumus contra Deum, & contra te. Num.21. antequam vero Dominus illos serpentes immitteret, nec peccatum suum cognoscebant, nec diuinum auxilium postulabant.

Toto tempore principatus Iosue, quando filij Israel grauissima prælia habuerunt, non leguntur à Domino recessisse, sed cito post quando in abundantia, & quiete fuerunt. Iudic.1.

Audierunt filij Israel, quod Philistini essent congregati, & venirent contra eos, & timentes dixerunt Samueli, ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, &c. 1. Reg.7.

Fugiens Dauid à facie Absalom, seruo suo Semei maledicente patiens fuit. 1. Reg.16. Sed obtenta victoria superbiuit, quando iussit populum numerari. 2. Reg.24.

Videns Dauid Dominum propter peccatum elationis eius esse iratum, humiliter recognouit culpam suam, & petijt, vt ipsemet puniretur, & populo parceretur. 2. Reg.24.

Eliam fugientem reginam Iezabel ipsum persequentem, Angelus Domini confortauit, & panem, & aquam ei ostendit. 3. Reg.18.

Pane tribulationis, & aqua angustię iussus est Michæas Propheta sustentari in carcere, pro eo quod noluit Achab iuxta suum volitum respondere. 3. Reg.22.

Voluit Dominus, vt viri Iuda affligerentur à rege Ægypti, vt scirent distantiam seruitutis diuinæ, & seruitutis regni terrarum. 2. Paral.12.

Postquam Manasses coangustatus est orauit Dominum cum esset vinctus in Babylonē, & egit pœnitētiam valde coram Domino, & exaudiuit Dominus orationem eius. 1. Paral.33.

In tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te, ad tu de cœlo exaudisti eos, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis saluatores. Nehe.9.

Permittente Deo post bona opera Tobias fuit excæcatus, & deinde irrisus ab illis, qui eum debuerant consolari. Tob.2. sed postea Dominus multipliciter consolatus ad eum.

De populo suo loquens Iudith dixit: Memores esse debent, quomodo Abraham pater noster tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Iudith.8.

Tribulationes sustinuit Iob in anima ex vxoris, & amicorum suorum opprobrijs, & contumelijs, quæ ipsum ad tristitiā poterant prouocare. In corpore ex grauissima infirmitate, & generalissima, quæ totum corpus à planta pedis vsq; ad verticem occupabat, in amissione rerum & liberorum, & subtractione solatij, quia halitum eius vxor illius horrebat. Item alij viles homines ipsum deridebant, & eius faciem conspuebant. Iob.30.

Sanctificatus in vtero Ieremias, & prophetiæ spiritu plenus dicebat de se, quod erat vir rixæ, & discordiæ in vniuersa terra, & quod omnes maledicebant ei. Iere.15.

Pro veritate vero quā populo prædicabat fuit quinquies percussus. Iere.35. Pluries incarceratus. Ierem.38. & tandem ab ipso populo lapidatus.

Exul Ezechiel in Chaldæa in medio captiuorum vidit mirabiles Dei visiones. per quod patet, quod in tribulationibus frequenter Deus hominem consolatur. Ezech.1. & deinceps.

Bene apparet, Deum esse cum homine in tribulatione, per illos socios Danielis: cum quibus vidit Nabuchodonosor quartum similem filio Dei. Dan.3.

Nabuchodonosor in prosperitate existens fuit arrogans & superbus, eiectus autē ab omnibus, & in bestiam commutatus recuperauit sensum, quem amiserat in honore elatus, & laudauit altissimum, quem blasphemauerat prius. Dan.4.

Tantum vel amplius laudatus fuit Deus ex trium puerorum patientia, quam habuerunt in fornacis tribulatione, quantum ex Danielis sapientia, quam habuit ex somniorum expositione, seu interpretatione. Dan.2. & 3.

Susanna in condemnatione mortis posita, nec habēs recursum ad humanum adiutorium, flens suspexit ad cælum: sicut auis in terra ab hominibus, & canibus circumdata non habet effugium, nisi eleuet se in altum Dan.13.

Post obitum Iudæ Machabæi emerserunt iniqui, & facta est fames valida, & constituit Bachides impios dominos regionis, & facta est tribulatio magna in Israel. 1. Mach.9.

Decretum exijt contra Iudæos tam iniquū, vt omnes trucidarentur, qui significare nollent. erat ergo videre miseriam. 2. Mach.6.

Antiochus cum esset sanus fuit crudelis homicida superbus, postea percussus à Deo grauissima & insanabili plaga propositum, & verba mutauit. 2. Mach.9.

Natus in mundo cito passus est Dominus pressuram mundi, ita quod Ioseph accepit eum, & matrem eius, & fugit in Ægyptum. Matt.2.

De multis alijs afflictionibus & iniurijs, quas passus est require in rubrica de mansuetudine, & patientia.

Apostolo præcepto magistratuū flagellati ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu Christi contumeliam pati. Act.5.

Quamquam Paulus tunc non esset cum illis, tam ipse postea de se dixit. Ro.5. Gloriamur in tribulationibus, & 2. Cor.12. libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

Lapidato à Iudæis Stephano facta est magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, ac omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos. sed nota quod hoc multum profuit ad diuulgationem Euangelij. Act.8.

Haberi potest ex actibus Apostolorum, quod Paulus tribulationes, seu persecutiones passus est post conuersionem suam. Act.9. Consilium fecerunt Iudæi, vt interficerent eum, notæ autem factæ sunt Paulo insidiæ, & dimissus est in sporta per murum.

Item cum essent in Antiochia Pisidiæ Paulus & Barnabas. & disseminaretur verbum Dei per vniuersam regionem, Iudæi excitauerunt persecutiones in eos, & eiecti sunt de finibus illis; at illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Act.13.

In ciuitate Lystris per hominem claudum, &c. Act. 14. Deinde in Macedoniam occasione puellę, à qua Paulus spiritum Pythonem eiecit, &c. Act.16.

Præterea apud Thessalonicam, cum multi credidissent, zelantes Iudæi concitauerunt per quosdam malos homines ciuitatem. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam. vbi etiam cum multi verbum Dei auide suscepissent; Iudæi hoc cognito venerunt illuc commouentes multitudinem,

& tur-

& turbantes; statimq; Paulum dimiserunt fratres, & per mare deduxerunt Athenas. Act.17.

Apud Corinthum quoq; instabat Paulus testificans Iudæis Christum Iesum. Contradicentibus autem illis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum; Gallione autem Proconsule Achaiæ insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ante tribunal dicentes: Quia hic homo contra legem persuadet hominibus colere Deum, &c. Act.18.

Existente Paulo Ephesi, & fiducialiter verbum Dei loquente, ac multa ibidem miracula faciẽte. Demetrius quidam argentarius faciẽs ædes argenteas Dianæ, conuocatis opificibus concitauit maximam turbationem aduersus Paulum, quem dicebat auertere turbam à cultu deorum. ijs auditis repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes, Magna Diana Ephesiorum. Act.19.

Paulo nauigaturo de Græcia in Syriam factæ sunt ei insidiæ à Iudæis, habuit consilium vt reuerteretur per Macedoniam. comitati sunt autem eum multi fratres de diuersis locis. Act.20.

Quidam Iudæi Asiani, cum vidissent Paulum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus clamantes, Viri Israelitæ adiuuate, &c. Act.21.

Vociferantibus Iudæis aduersus Paulum, & proiiciẽtibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aerem; iussit tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Act.22.

Cum esset Paulus à tribuno detentus, Iudæi plusquã quadraginta dixerunt principi sacerdotum, Deuotione deuouimus, nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum, nunc ergo faciatis, vt adducatur ad vos, &c. Actor.23.

Existens coram Felice præside Paulus fuit à Iudæis tamquam seditiosus, & pestifer accusatus: qui cum eum & Iudæos frequenter audisset, & tempus ita transisset, habuit quendam Festum nomine successorem. Volens autem Felix gratiam parare Iudæis, reliquit Paulum vinctum, à quo iudice Festo Paulus sentiens se grauari, Cæsarem appellauit. Act.25.

Postea ductus Romam catena vinctus, & tempore hiemali naufragium passus multas tribulationes, & angustias tolerauit. Act.27.& 28.

Paulus & Barnabas hortabantur fratres, vt permanerent in fide, quoniam per multas tribulationes, & angustias oportet nos intrare in regnum Dei. Act.14.

De seipso scribens Apostolus, ait.2.Cor.1. Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Idem 7.cap. Cum venissemus Macedoniam nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores.

Commendans Apostolus Thessalonicenses, ait: Vos imitatores nostri facti estis, & domini; excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti, &c. 1.Thess.1.

Ab aduentu Spiritus sancti in discipulos vsq; ad tempus illud, quo sub Domitiano Ioannes Apostolus fuit exilio relegatus, fluxerunt anni circiter quinquaginta, nec toto tempore illo legitur ipse Ioannes tot, & tantas consolationes diuinas habuisse, quot habuit modico tẽpore, quo tribulationem exilij perpessus est, sicut apparet. Apoc.1.& deinceps per totum.

CAPVT CXII.

De multitudine malorum.

CVm factum fuit diluuium, octo homines tantum saluati sunt. Omnis caro quippe corruperat viam suam. Gen.6.

Plures fuerunt filij Ismaelis, quam filij Isaac, & plures filios suscepit Abraham ex Cethura, quam de Sara. Gen.25.

In quinq; ciuitatibus Sodomorum non fuerunt inuenti decem iusti. Magna ergo erat ibi multitudo malorum, & paucitas bonorum. Gen.18.

Inter omnes fratres Ioseph, non fuerunt nisi duo Ruben, scilicet, & Iudas, qui ipsum laborarent liberare, sed præualuerunt mali. Gen.37.

Moyses exploratores misit ad considerandum terram Promissionis, sed duo tantum fuerunt boni, scilicet Caleb, & Iosue. Num.13.

Sexcenta millia hominum pugnatorum numerati fuerunt. Num.1. de quibus duo tantum, scilicet Caleb, & Iosue intrauerunt terram Promissionis.

Plures fuerunt cum Absalom regnum patris vsurpare nitente, quam cum Dauid bene, & iuste regnante. 2. Reg.15.

Maior pars filiorum Israel erat in regno Samariæ, quia decem tribus ibi erant, & erant homines multo peiores minor autem in regno Hierusalem, quia duæ tantum. 3. Reg.12.

Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Israel, quod dicebat ipse rex, puluerem Samariæ non sufficere pugillis eorum. 3.Reg.20.

In exercitu Holofernis tantus erat numerus bellatorum, quod cooperuerunt faciem terræ, quasi locustæ. Iudith.2.

Omnis populum habitantium in terra Ægypti, & mulieres, quarũ stabat multitudo grandis, sacrificabant dijs alienis. Hiere.44.

Non remanserunt cum Iuda Machabæo, nisi octingenti viri, & erant in exercitu Bachidis, & Alcimi proditoris viginti millia virorum, & duo millia equitum. 1 Mach.9.

Cum esset in Hierusalem tempore Paschali quo passus est Dominus maxima populi multitudo, non est ibi inuentus vir qui se opponeret manifeste morti tam nequiter procuratæ. Ioan.18. Clamauerunt omnes, Non hunc dimitte nobis, sed Barabbam.

Quidam Iudæi, quos inuenit Paulus Romæ, in primo aduentu suo dixerunt ei, De secta hac, Christianorum scilicet notum est nobis, quia vbicunque ei contradicitur. Act.28.

CAPVT CXIII.

De bonis latentibus inter malos.

QVamuis scriptum sit, Gẽ.6. Omnis caro corruperat viam suam, tamen dixit Dominus ad Noe. 7.c. Te vidi iustum coram me in generatione hac.

Loth iustus habitauit in medio Sodomorum. Genes. 13. Ioseph in Ægypto castam, & fidelem vitam duxit. Gen.39.

Apparuit Dominus Moysi in terra Madian, cum oues soceri sui Iethro pasceret in deserto. Exod.3.

Samuel inter filios Heli pessimos sanctus, & innocens 1.Reg.2.

Sub Achab, & Iezabel, Elias omnes se solo excepto putabat idololatras. 3.Reg.19. Sed dixit ei diuinum responsum: Reliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal.

Quo tempore fere omnes putabantur idololatræ, & vitijs diuersis infecti; Tobias in captiuitate positus viam veritatis non deseruit. Tob.1.

Mardochæus erat in Susis, vbi quasi omnes adorabãt Aman superbissimum, ipse vero Mardochæus genua non flectebat. Esth.3.& 5.

Sanctus Iob gentilis fuit, & de Esau dicitur descẽdisse, quem tamen constat fide, & moribus mirabiliter claruisse. Iob.1.& per totum, qui de seipso dicebat: Frater fui draconum, & socius struthionum. Iob.30.

Hieremias propheta erat cum populo, qui remanserat in Iudæa post destructionem Hierusalem, & pro ipsis

orabat

orabat, ipsis voluntatem Domini nuntiabat. Illi vero dicebant: Mendacium tu loqueris, non te misit Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum. Hierem. 43.

Dixit Dominus. Ezech. 2. Fili hominis, ne timeas eos, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.

Daniel, & Ananias; Azarias, & Misael habitauerunt cum Chaldæis, qui eos ad idololatriam inducere, & à cultu veri Dei retrahere laborabant. Dan. 3. 6. & 14.

Susanna fuit castissima in Babylone, vbi senes presbyteri erant impudici, & iudices iniqui. Dan. 13.

Videbatur tempore Antiochi Epiphanis, quod Iudæi essent occisi, vel ad ritum gentium translati, sed inuenti sunt Mathathias, & filius eius Eleazarus, & multi alii in lege Dei valde stabiles, & firmi. 2. Machabæorum 6. & 7.

Commendans Dominus fidem, & deuotionem Centurionis de Capharnaum dixit, quod non inuenit tantam fidem in Israel. Matt. 8. & Luc. 7.

Nicodemus princeps Iudæorum venit ad Iesum nocte, & plane confessus est: Rabbi, scimus, quia à Deo venisti magister. Ioan. 3. Postea etiam crucifixo Domino venit ad sepeliendum eum, portans centum libras vnguenti pretiosi. Ioan. 20.

Ioseph nobilis decurio ab Arimatæa, discipulus erat Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum; deposito autem metu audacter introiit ad Pilatum deuotam petitionem petens, scilicet corpus Iesu ab indeuoto tyranno. Matth. 27.

Honorabilis Doctor legis Gamaliel erat Pharisæus, & dedit bonum, & rationabile consilium pro Apostolis, & principibus sacerdotum. Act. 5.

Vir quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Dominum semper. Actorum 10.

CAPVT CXIV.

De mobilitate populi.

REDIENS Moyses de terra Madian in Ægyptum narrauit omnia verba Domini, pro quibus miserat eum. Sequitur: Et credidit populus, audieruntq; quod visitasset Dominus filios Israel, & proni adorauerunt. Exod. 4. Postea vero cum essent afflicti ab exactoribus Pharaonis dixerunt Moysi, & Aaron: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. Exod. 5.

Cum post multas Ægypti plagas ditati, & armati egrederentur filii Israel de Ægypto, Domino præcedente, viam eis per nubem, & ignem ostendente viderunt post se Ægyptios, & timuerunt valde, & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. deinde confortati sunt per Moysen, cum Dominus mare Rubrum diuisisset, & populus sicco pede transisset, submersus est ibi exercitus Pharaonis, & timuit populus Dominum, & crediderunt Domino gloriose, &c. Exodi 14. & 15.

Satis autem cito post veniens in Marah, murmurauit populus propter aquas nimis amaras, quibus per lignum appositum dulcoratis consequenter murmurauerunt pro defectu cibi, dixeruntque ad Moysen, & Aaron: Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, &cet. Et misit eis Dominus vespere coturnices, & mane pluit illis manna de cœlo. Exod. 16.

Post hæc cum daturus esset eis legem, dixerunt: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Exod. 19. Et similia verba dixerunt, cum narrasset eis Moyses verba, & præcepta, quæ à Domino acceperat. Exodi 24.

Cum autem moram faceret Moyses in monte cum Domino in descriptione tabernaculi, congregatus est populus aduersum Aaron, & ait: Fac nobis deos qui nos præcedant, &c. Exod. 32.

Deinde cum erectum esset tabernaculum, & factæ ordinationes principum, post numerationem bellatorum, & Leuitarum, cum essent omnia ordinata, quomodo debebant proficisci in via, post modicum est ortum murmur populi, quasi dolentium pro labore. Numerorum 11.

Postmodum audita relatione exploratorum murmurauit populus & fleuit. Num. 13. & 14. Dixeruntque vnus ad alterum, Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.

Audientes autem quod displicuit Domino murmur eorum, voluerunt ascendere, & contra voluntatem Moysi pugnare; & tunc fuerunt ab hostibus debellati. Num. 14.

Rursus in seditione Chore multi surrexerunt contra Moysen, & Aaron; quibus terribiliter castigatis, murmurauit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. cumque oriretur seditio, & tumultus incresceret, &c. Num. 16.

Cum autem per miraculum virgæ Aaron compescuisset eos Dominus, dixerunt: Ecce consumpti sumus. omnes periuimus, quicumque accedit ad tabernaculum Domini moritur. Num. 17.

Vlterius procedentes venerunt ad aquas contradictionis. vbi taliter iurgati sunt aduersus Moysen, & Aaron, quod etiam ipsi diffisi sunt de diuina virtute, per quod & puniti sunt à Domino. Num. 20.

Postea fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, & initiatus est Israel Beelphegor, & præcepit Dominus principes suspendi contra solem in patibulo. Num. 25.

Cum liberasset Gedeon populum Israel de manu Madian, & occidisset Zebee, & Salmana, dixerunt omnes viri Israel ad eum: Dominare nostri tu, & filii tui, &c. Ipso tamen mortuo cum haberet septuaginta filios, nullum accipere curauerunt. Iudic. 8.

Samuel Propheta liberauit populum Israel de manu Philistiim, & recuperauit vrbes quas illi abstulerant Israeli. Postea congregati sunt, & petierunt sibi regem constitui contra voluntatem Samuelis. 1. Reg. 7. & 8.

Quamuis Dauid ita bene populum rexisset, & tot victorias habuisset, tamen satis cito facta est coniuratio valida contra eum, populusque currens augebatur cum Absalom. 2. Reg. 15.

Nondum vero redierat Dauid in Hierusalem, & populus certatim eum illuc volebat reducere cum honore; sed pro eo quod viri Iuda locuti sunt cum illis de decem tribubus, separatus est omnis Israel à Dauid, secutusque est Sebam filium Bochri. 2. Reg. 20.

Sub Salomone filii Israel temporalium rerum abundantiam habuerunt, & honore maximo floruerunt; tamen à filio pro maiori parte occasione vnius duri verbi continuo recesserunt. 3. Reg. 12.

Audientes filii Israel terribilem potentiam Holofernis præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ. Post modicum vero cum vidissent se arctari ab exercitu Holofernis, congregati sunt ad Oziam omnes simul, & dixerunt: Iudicet Dominus inter nos, & te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, &cet. Iudith septimo.

Cum complesset Hieremias verba, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad populum: apprehenderunt eum sacerdotes, & omnis populus, dicentes: Morte moriatur. Hierem. 26. Et post pauca eodem capitulo, dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes: Non est viro huic iudicium mortis, &c.

Accesserunt omnes à paruo, vsque ad magnum, ad

Hieremiam Prophetam, & dixerunt: Omne verbum, in quo miserit te Dominus ad nos, faciemus, siue bonum est, siue malum. cumque post decem dies nuntiaret eis Hieremias Domini voluntatem, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris, non misit te Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos. & audiuit vniuersus populus vocem Domini, &c. Hierem. 42. & 44.

Cito credidit duobus presbyteris senibus multitudo; & condemnauerunt Susannam, &c. Dan. 13.

Cognouit Simon quod Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Ionathæ, &c. 1. Mach. 13.

Cum quadam die esset Dominus in ciuitate Nazareth, & dicerent ei Iudæi, satis bono modo, vt faceret ibi miracula, sicut & in Capharnaum fecerat, post modicã increpationem, quam dixit eis, repleti sunt omnes ira, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & voluerunt præcipitare eum de supercilio montis. Luc. 4.

Quando satiauerat Dominus IESVS quinque millia hominum de quinque panibus, &c. Ioan. 6.

Videntes illi de populo Iudæorum Lazarum suscitatum: & multa alia miracula facta fuisse per Dominum Iesum, venerunt ei obuiam cum magno honore, attamen in sero circumspectis omnibus neminem inuenit, qui eum ad hospitium inuitaret. de his narratur Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

Ante quinque dies paschæ Dominum Iesum venientem in Hierusalem recepit populus eum magno tripudio, & honore, & per hebdomadam omnis populus erat suspensus ad verba eius; & mane veniebant ad eum in templo audire eũ; feria verò sexta in die parasceues clamauerunt omnes, Crucifige eum. Lucæ 21. & 23. Ioan. 18. & 19.

Facta voce spiritus vehementis conuenit multitudo & mente confusa est. quidam autem irridebant, dicentes: Quia musto pleni sunt isti. stans autem Petrus locutus est eis multa, discipulos excusans; & verba Ioelis allegans, quibus auditis compuncti sunt corde; petentes quid facere deberent, & baptizati sunt illo die circiter tria millia. Act. 2.

Quodam sabbato pene vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei, quod Paulus & Barnabas prędicabant. Iudęi autem contradicebant blasphemantes. Tunc Paulus & Barnabas cõuersi sunt ad prædicandum Gentibus. audientes autem Gentes gauisæ sunt. Paulo post Iudæi concitauerunt religiosas mulieres, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis; & illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Act. 13.

Cum Paulus & Barnabas essent in Lystris ciuitate Lycaoniæ, & claudus per Paulum fuisset curatus, &cet. Act. 14.

Quidam quæstuarii habentes vnam mulierem cum spiritu pythonico, à qua Paulus eiecit dæmonium, &c. Act. 16.

Paulo apud Ephesum existente, & multa miracula faciente, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, &c. Act. 19.

Quadam die tanta fuit facta in Hierusalem aduersus Paulum turbatio, & populi conuersio, quòd præcipitabant eum, & trahebant extra templum, & vix potuit eripi à tribuno cohortis, qui cũ militibus superuenit. postea vero cum narrasset, quod ei acciderat eunti Damascum, leuauerunt vocem, dicentes: Tolle de terra huiusmodi, non enim fas est eum viuere. sequenti autem die exclamauit Paulus in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum filius Pharisæorum, & facta est dissensio inter Pharisæos, & Saducæos, & soluta est multitudo; & surgentes quidam Pharisæi pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto; quid si spiritus locutus est ei, vel Angelus. Act. 23.

Dum calefaceret se Paulus ad ignem post naufragium tempore hyemali, vipera ex calore procedens inuasit manum eius, quod videntes, &c. Act. 28.

CAPVT CXV.

De operatione bona.

POSVIT Dominus hominem in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Gen. 2.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, &c.

Et post emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Genes. 3. & sic nota quòd Deus hominem voluit operari, & in statu innocentiæ, & post peccatum.

Tempore quo solent reges ad bella procedere, Dauid in domo sua remansit in illo otio, & ad vltimum eam proditionem commisit. 2. Reg 11.

Salomon ædificauit domum Dei, & domum suam; sed nota quod prius domum Dei, & licet opus esset maius, tamen in minori tempore compleuit eam. 3. Regum 6. & 7.

Egerunt ii, qui operabantur industrie, & suscitauerunt domum Dei in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt. 2. Paral. 24.

Ezechias Rex Iuda operatus est bonum, & rectum, & verum coram Domino, volens requirere Dominum in toto corde suo, fecitque & prosperatus est. 2. Paralip. 31.

Anno secundo reditus filiorum Iuda de Babylone, cœperunt fundare templum. Iosue vero filius Iosedech, & fratres eius instabant super eos, qui faciebant opus. 1. Esdr. 3.

Præcepit rex Darius, vt ædificaretur domus Domini in Hierusalem & daretur sumptus de arca regis, nec impediretur opus. 1. Esdr. 6.

Nota quod opera, quæ fecerunt filii transmigrationis in fundatione templi, & in ædificatione muri ciuitatis multos habuerunt impeditores; Esdr. & Nehemiæ quasi per totum.

Vidit Deus opera Niniuitarum, & misertus est eorum. Ion. 3.

Otiosi arguuntur, sed operarii ad mercedem vocantur. Matth. 20.

Seruus qui accepit quinque talenta, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque, commendatus est à Domino; similiter & qui duo acceperat, & lucratus est alia duo; alius autem qui vnum accepit, & non multiplicauit illud, sed inutiliter reseruauit, reprobatus fuit. Matth. 25.

Illi duo discipuli, qui Dominum secum manere coegerunt, quamdiu fuerunt cum eo in verbis, non cognouerunt eum, sed in opere hospitalitatis, & fractione panis. Luc. 24.

Opus Mariæ Magdalenæ, quando vnxit Dominum recumbentem frementibus discipulis ab ipso Domino approbatum est. Mar. 14.

Laudabilia opera patrum à filiis imitanda esse, ostendit Dominus, dicens: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Io. 8.

Opera bona comparat Apostolis semini, de quo sator iacit multum, & multum metit. 2. Corinth. 9. Qui parce seminat, &c.

Grauiter reprehendit Paulus Thessalonicenses otiosos, licet ipsos alias commendaret. 2. Thess. 3. Qui non vult operari, non manducet.

Tabitha erat Christi discipula plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat ea; ideo ipsa mortua moti fuerunt multi ad rogandum Petrum pro ipsa, qui suscitauit eam. Act. 9.

In omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam acceptus est Deo. Act. 10.

Apud Corinthum manebat Paulus, cum Aquila, & Priscilla; quia eiusdem artis erat, & operabatur. Actorum 18.

CAPVT CXVI.

De intentione recta habenda in opere.

OCCIDIT Cain Abel fratrem suum; Dauid Goliath, Ioab Abner, & Amasiam, Herodes Antipas Ioannem Baptistam, Agrippa Iacobum. Petrus etiam solo verbo Ananiam, & Saphiram, sed considera varias intentiones & causas.

Abraham risit in promissione filii nasciturí. Sara etiam risit; sed risus Abrahæ fuit commendatus, Saræ vero reprehensus. Gen. 18.

Dixit Pharao, Peccaui. Exodi 9. & 10. Dixit Saul, Peccaui. 1. Regum 26. Dixit Dauid peccaui. 2. Reg. 12. Hoc ipsum dixit Manasses. 2. Paral. vltimo. Dixit etiam Iudas. Matt. 27. Sed intentiones cordium valde diuersæ fuerunt.

Similia fere verba dixit Moyses in Raphidim, quando petiit populus aquam ad bibendum. Exod. 17. Et ad aquas contradictionis. Num. 20. sed prima vice non hæsitauit, sicut patet ex pœna, quæ secuta fuit.

Filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse ædificauerunt altare, sed longe alia intentione, quàm crederent alii filii Israel. Iosue 22.

Commendauit multum Dominus bonam voluntatem Dauid, quàm habuit de ædificatione templi, licet noluerit Deus, quod templum ædificaretur per ipsum. 2. Reg. 7.

Misit Dauid pro Vria, qui erat in exercitu, non vt ille quiesceret, sed vt ipse peccatum, quod cum eius vxore commiserat, facilius occultaret. 2. Reg. 11.

Ornauit se Iudith valde curiose, sed omnis illa compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ad liberandum populum Dei de manibus pessimi inimici. Iud. 10.

Quod Mardochæus Aman nolebat adorare, vel coram eo genua flectere, non faciebat pro inobedientia, vel contemptu, sed quia diuinum honorem nolebat homini mortali deferre, sicut ipse testatur. Hest. 13.

Dixit Herodes Magis, vt cum puerum inuenissent, renunciarent ei, vt & ipse adoraret eum, sed valde aliud intendebat, & aliud prætendebat. Matt. 2.

Prohibuit Dominus duobus cæcis ab eo illuminatis, ne quis hoc sciret, & tamen sequitur, quod illi diffamauerunt eum in tota terra illa. Matth. 3. nec tamen illi arguuntur transgressionis.

Signanter addit Dominus finem, vel intentionem quàm quisque debet habere in bona faciendo, vel mala patiendo. Matth. 5. & Luc. 7. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, &c. propter me, vel propter nomen meum. Item Matt. 10. Quicumque potum dederit, &c. Item Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum. Eleemosynam dare, orare, & ieiunare specialiter præcepit Dominus, non propter homines fieri, ne contingat tam bona opera praua intentione corrumpi. Matt. 5. & 6.

Quidam sequebantur Dominum, vt eum nequiter obseruarent. Luc. 14. aliqui, vt de eius panibus manducarent. Ioan. 6. Alii, vt ipsi, vel eorum amici à languoribus sanarentur. Ioan. 7. Lucæ 6.

Herodes multo tempore cupiebat videre IESVM, & non causa pietatis, sed quia sperabat signum aliquod videre ab ipso fieri, & ideo nihil profuit ei videre Iesum. Lucæ 23.

CAPVT CXVII.

De acedia, vel negligentia.

AVDIENS Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis, Quare negligitis; descendite, & emite vobis necessaria. Gen. 42.

Panem Angelorum habebant filii Israel in deserto, & tamen extædiati desiderabant cibos Ægypti. Numerorum 11.

Acedia vel tædium boni est causa impatientiæ, & carnalis desiderii, item multiplicis mendacii, sicut patet. Num. 11. Recordamur piscium, &c.

Profecti sunt filii Israel de monte Hor, &c. & tædere cœpit populum itineris & laboris, & locutus est contra Dominum & Moysen, & ait: Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo; quamobrem misit Dominus in populum serpentes ignitos. Num. 21.

Negligenter custodiebat Abner dominum suum Saul, quando Dauid venit ad castra eius, & neminem reperit vigilantem. 1. Reg. 26.

Dormiens percussus fuit Isboseth filius Saul, & occisus. 2 Reg. 4.

Tempore quo solent Reges ad bella procedere, remansit Dauid in domo sua; vbi graue adulterium hac occasione commisit. 2. Reg. 11.

Placuit Ioas regi Iuda, vt instauraret domum Domini, & præcepit Leuitis, vt circa hoc essent solliciti: porro Leuitæ egere negligentius, qua de causa rex arguit Ioiadam sacerdotem. 2. Paral. 25.

Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici. Matt. 13.

Arguuntur otiosi, & remunerantur operarii. Matth. 20.

Facta tempestate in mari, Ionas descendit ad inferiora nauis, & dormiebat sopore graui, & accessit ad eum gubernator, & ait ei, Quid sopore deprimeris? Surge inuoca Deum tuum. Ion. 1.

Dure reprehendit Dominus seruum malum, & pigrum, qui multiplicare neglexit commissum sibi talentum. Matt. 25.

Virgines dormientes, quarum lampades non fuerant prius ornatæ, fuerunt postea à nuptiis exclusæ. Matth. 25.

Valde videntur fuisse acediosi discipuli hora illa post cœnam, qui rogati à Domino vigilare, continuo dormiebant. Mat. 26. Mar. 14. Lucæ 22.

CAPVT CXVIII.

De pueris bonæ indolis.

NON legitur Isaac murmurasse, quando pater eius ex præcepto Domini ipsum voluit immolare. Genesis 22.

Ioseph accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo, quod erat in eo signum detestationis peccati, & patri dicenti, Veni mittam te ad fratres tuos, obedienter respondit, Præsto sum. Gen. 37.

Samuel adhuc puer erat minister in conspectu Domini, & dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei. 1. Reg. 2. & 3.

Quando Dauid debebat in regem per Samuelem inungi, erat in agro paruulus, & pascebat oues tamquam patri obediens, humilis, & abiectus. 1. Reg. 16.

Ioas filius Ioram regis puer septem annorum cum regnare cœpisset, fecit quod bonum erat coram Domino cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis. 3. Regum 12. 2. Paral. 24.

Octo annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, fecitque quod placitum erat coram Domino 4. Reg. 22. & tamen pessimos patrem, & auum habuerat.

Tobias cum esset iunior omnibus in tribu Nephthalim, nihil tamen puerile gessit in opere. Tob. 1. & idem cum postea filium genuisset, ipsum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. To. 1.

Sine Propheta, sine Sacerdote, & magistro Daniel, & tres socii eius legem Dei obseruantes, sobrie, & iuste, & pie vixerunt inter pueros gentiles. Dan. 1.

Fratres illi septem adolescentes miram sapientiam in responsionibus, & patientiam in tribulationibus habuerunt. 2. Mac. 7.

Beatus Ioannes Baptista puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in deserto vsque in diem ostensionis suæ ad Israel. Luc. 1.

Saluator noster puer duodennis existens secundum carnem, inuentus est in templo in medio Doctorum audiens illos, & interrogans. Deinde descendit cum Maria, & Ioseph, & erat subditus illis. Lucæ 2.

CAPVT CXIX.

De societate bonorum.

CONSIDERANDVM est valde, quod si inuenti fuissent decem viri iusti in quinq; ciuitatibus, propter illos pepercisset Dominus vniuersis. Gen. 18.

Dixit Iacob ad Laban. Gen. 30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Item Gen. 39. benedixit Dominus domui Ægyptii propter Ioseph, & multiplicauit, &c.

Bene fuit associatus Iacob, qui dixit. Gen. 35. faciamus altare Domino, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & fuit socius itineris mei.

Seruiuit Israel Domino cunctis diebus Iosue, & seniorum, qui nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. Ios. 24.

Filii Dan ceperunt Lais, & homines occiderunt, quia cum nullo hominum habebant quicquam societatis. Iud. 18.

Ex parte Saulis missi lictores ad capiendum Dauid morantem cum Samuele, & aliis Prophetis, prophetare cœperunt; venit Saul, & prophetauit etiam ipse cum eis. 1. Reg. 19.

Propter honorem Iosaphat regis Iuda, Deum colentis, Eliseus Propheta impetrauit aquas dari exercitui, in quo erant duo alii mali reges. 4. Reg. 3.

Homines Deum timentes volebat secum habere Tobias in conuiuio. Tob. 2. Et hoc ipsum docuit filium suum. Tob. 4. Noli manducare cum peccatoribus, &c. Idem etiam diligenter voluit scire, cum quo iturus esset filius suus. Tob. 5.

Dicebat Sara vxor Tobiæ iunioris, Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in leuitate ambulabant, participem me præbui. Tob. 3.

Audito crudeli mandato regis, quòd debebant interfici cuncti sapientes Babylonis, Daniel iuit ad socios suos, vt quærerent simul misericordiam à Domino, & reuelata est nocte visio Danieli. vnde occasione Danielis serui Dei pepercit rex magis sapientibus Babylonis. Dan. 2.

Post obitum Iudæ Machabæi emerserunt iniqui, & facta est fames valida, & impios instituit Bachides dominos regionis, & facta est tribulatio magna in Israel. quæ omnia mala forsitan non fuissent, si adhuc Iudam socium, & dominum habuissent. 1. Mac. 9.

Cum primus illorum septem fratrum in sartagine torreretur, cęteri cum matre ad moriendum fortiter se hortabantur. 2. Mac. 7.

Veniebat Iudas Machabęus ad capiendum Scytopolim ciuitatem, sed propter Iudæos, qui intus habitabant, erga quos Scytopolitæ benigni erant, nihil eis mali fecit; immo gratias agens hortatus est de cętero erga genus suum benignos esse. 2. Mac. 12.

Quamdiu fuit Petrus cum Apostolis, multum fuit firmus, & securus, sed quando fuit in atrio summi sacerdotis cum ministris illius calefaciens se ad ignem, Deum negare cœpit. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Io. 18.

Statim quando cæcus natus à Domino illuminatus, fuit extra synagogam à Pharisæis eiectus, à benigno Domino Iesu inter suos fideles receptus est. Io. 9.

Cum essent discipuli omnes pariter perseuerantes vnanimiter in oratione; venit Spiritus S. in eos & ipsos inæstimabiliter roborauit, & docuit. Act. 2.

De fidelibus, qui erant in Ecclesia primitiua, dicitur. Act. 2. Omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia; sequitur: Sumebant cibum in exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

Post conuersionem suam Saulus veniens Hierosolymam tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum non credentes, quod esset discipulus. Barnabas apprehensum illum duxit ad Apostolos, &c. Actorum nono.

Homines qui erant cum Paulo in naui tempore grauissimæ tempestatis, occasione ipsius Pauli, quem habebant secum fuerunt saluati; nam dixit Angelus Domini: Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Actorum 27.

CAPVT CXX.

De societate malorum.

SALVBRITER exiuit Abraham de Chaldæa, vbi erant homines corrupti idololatria. Genes. 11. vnde postea hoc ipsum pro beneficio Dominus ei commemorat, dicens: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Gen. 15.

Non solum corpore, sed etiam cogitatione, & affectione est patria relinquenda; vnde dixit Dominus ad Abraham, cum iam corpore exisset, Egredere de terra tua, &c. Gen. 12. nota promissiones ibi factas.

Quamdiu fuit Abraham cum peruersis hominibus in Vr Chaldæorum, non legitur ei Dominus apparuisse, licet bonus fuisse credatur; sed postquam inde exiuit, multotiens fuit diuinis apparitionibus visitatus. Gen. 12. 15. 17. & 18.

Iniurias & iacturas passus est Loth à pessimis Sodomitis, cum quibus habitabat, vel impiorum occasione. Genes. 13. 19. & 1. Pet. 2.

Quam difficile sit malorum consuetudinem dimittere, patet per Loth, quem de medio Sodomorum Angeli vix extrahere potuerunt. Gen. 19.

Ludus Ismaelis cum Isaac displicuit Saræ. Gen. 21.

Fugientem Iacob malum fratrem suum Dominus multipliciter confortauit. Gen. 28.

Noluit Iacob ambulare cum malo fratre, licet placasset eum muneribus, & ille satis instaret, & signa dilectionis ostenderet. Gen. 33.

Dixit Moyses ad turbam filiorum Israel; Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Num. 16.

Dixit Dominus Moysi, præcipe filiis Israel: Intrantes terram Chanaan disperdite cunctos habitatores regionis illius; si autem nolueritis interficere, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus. Num. 33.

Occasione Achan qui tulit de anathemate Iericho, fuit populus in prælio superatus. Iosue 7.

Propter quosdam filios Belial, qui in vxorem Leuitæ detestabile flagitium perpetrauerunt, omnes filii Beniamin paucis exceptis trucidati fuerunt. Iud. 19.

Noluerunt filii Israel delere habitatores terræ, sicut præceperat Dominus, sed percusserunt cum eis fœdus, & male accidit eis. Iud. 1. & 2.

Amicitia, quam habuit Ammon filius Dauid cum Ionadab, dedit ei viam ad hoc, quod Thamar sororem suam opprimeret. 2. Reg 13.

Rebellionem disponente Absalom contra patrem suum, iuerunt multi cum eo simplici corde, qui contra Dauid nihil machinati fuissent, si cum bonis, & pacificis in Hierusalem remansissent. 2. Reg. 15.

Propter quosdam superstites de domo Saul, facta est fames in terra, donec ad petitionem Gabaonitarum crucifixi fuerunt. 2. Reg. 21.

Rex Iuda Iosaphat fuit fere occisus, vadens cum Achab ad prælium. 3. Regum 22. Et reprehensus fuit per

Prophetam Domini dicentem; Impio præbes auxilium, & iis qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram Domini merebaris, sed bona opera inuenta, &c.2.Paral.19.

Ochozias rex Iuda ambulabat in viis Achab, & fecit malum coram Domino, & causa huius statim subditur. Gener enim erat domus Achab.3.Reg.10.

Eliezer Propheta dixit Iosaphat regi Iuda; Quia habuisti fœdus cũ Ochozia percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues.2.Paral.20.

Venit homo ad Amasiam Regem Iuda, & ait: O Rex ne gradiatur tecum exercitus Israel; non enim est Dominus cum Israel, quod si putas in robore exercitus bella consistere superari te faciet Deus ab hostibus. 2. Paralip. 25.

Ædificantibus filiis Iuda templum post reditum de Babylone, hostes eorum voluerunt ædificare cum illis. Illi vero bono vsi consilio renuerunt. 1. Esdr.3.

Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat, Tobias solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Hierusalem.Tob.1.

Beatus Iob dicit: Frater fui draconum, & socius struthionum. Iob 30.

Cum dixisset Isaias, Vir pollutus labiis ego sum, causam insinuans subdidit, in medio populi polluta labia habentis ego habito. Isai.6.

Dictum fuit Ezechieli, Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Ezech. 2.

Mali nocent sibi inuicem, nam duo senes ex hoc acceperunt audaciam accusandi Susannam; quia in eandem malitiam conuenerunt. Dan. 13.

Quamdiu Iudas Machabæus confidens de diuino auxilio gessit bella pro populo suo bene ei successit, cum vero constituit amicitiam cum gentibus Romanis, licet tunc potentissimus, cito superatus fuit, & in bello occidit. 1. Mach. 9.

Simile accidit Ionathæ fratri Iudæ.1.Mac.12.

Petrus existens cum discipulis in nocte cœnæ Domini multum erat securus, cum autem venit ad atrium summi sacerdotis, Dominum ad vocem vnius ancillæ negauit. Matth.26. Mar.14. Lucæ 22. Ioan.18.

Cæcus in via mendicans clamabat ad Dominum IESVM, & qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Lucæ 18.

Non fuit inter fideles Christi annumeratus cæcus ille natus, quem Dominus videre fecit, donec fuit à Pharisæis de synagoga eiectus. Ioan.9.

Plures mali interdum in vnam malam societatem conueniunt, vt bonis inferant nocumentum; ita concordauerunt Balach & Balaam ad maledicendum filiis Israel. Num.22.

Item Adonisedech Rex Hierusalem, & alii quatuor reges aduersus Gabaonitas, eo quod illi fecerant pacem cum Iosue. Item Iabin rex Azor, & alii reges triginta contra Iosue, & filios Israel. Ios.10.

Item quinque Satrapæ Philistinorum Chananæi, Sidonii & Heuæi. Iud. 3. Item Madian, & Amalech, & cæteri Orientalium nationum. Iud. 6.

Sic etiam intelligitur Isai. 7. Requieuit Syria super Ephraim, id est, decem tribus, & rex concordauerunt in vnum ad regnum Iuda funditus extirpandum. Rursus etiam in passione Domini Herodes & Pilatus facti sunt amici. Luc.14.

Philippenses commendat Apostolus, dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, &c. Phil.2.

Petrus Apostolus dixit quibusdam Iudæis audientibus verbum Dei. Actor. 2. Saluamini à generatione ista praua.

Proconsul Paulus desiderabat audire verbum Dei, sed erat cum eo Elymas magus Pseudopropheta Iudęus, qui resistebat Paulo, & Barnabæ quærens auertere Proconsulem à fide. Act. 13.

In ciuitate Lystris homines tantæ simplicitatis erant, quod ipsi Paulum, & Barnabam Deos ad terram descendisse putabant. cum autem vix sedasset eos Paulus, & cepisset eis viam ostendere veritatis, superuenerunt quidam Iudæi, qui ita suaserunt turbis, quod Paulus fuit lapidatus ibi, & quasi pro mortuo derelictus. Actorum decimoquarto.

Cum verbum Domini fortiter in Epheso cresceret, & Dominus per Paulum ibidem miracula multa faceret, Demetrius quidam argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, conuocatis opificibus illius artis, seditionem contra Paulum concitauit. Act. 19.

CAPVT CXX.

De prosperitate mundana.

ABVNDANTIA rerum temporalium sæpe fit multorum occasio peccatorum, sicut in illa regione, quæ irrigabatur, sicut paradisus Domini, in qua habitabant Sodomitæ pessimi. Genes.14.

Gedeon cum paruus homo esset, & in area frumentum excuteret, bonus fuit, & cum Angelus Domini visitauit; post obtentam vero victoriam male se habuit. Iudicum 8.

Saul antequam rex esset, bonus fuit; & postquam regni gubernacula suscepit, intumuit, & mandatum Domini præteriuit. 1.Reg.15.

Post multa bella, & victorias de inimicis obtentas, remanens Dauid quietus in Hierusalem commisit adulterium, & exinde secutum est homicidium.2.Reg.11.

Occasione multitudinis subditorum, Dauid in superbiam elatus est, & fecit populum numerari. Sed nota quàm grauiter tale peccatum fuit punitum. 2. Regum 24.

Non erat argentum alicuius pretii, in diebus Salomonis, quia tanta erat in Hierusalem argenti abundantia quanta, & lapidum. 3.Reg.10.

Sed nota quàm mirabile, & terribile fuit quod plus nocuit ei rerum copia, quàm profuerit tanta sapientia. 3. Reg. 11.

Antequam Ieroboam haberet dominium super decem tribus, non legitur fuisse malus, sed magis adolescens bonæ indolis, & industrius; statim vero, vt regnum adeptus est, fecit vitulos aureos, & auertit populum à Deo, ne auerteret se ab eo.3.Reg.12.

Amasias rex Iuda debellauit Edom, & inde eleuatum est cor eius, & voluit contra Ioas regem Israel præliari, sed male successit ei.4.Reg.14.

Cum roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo. 2. Paral.12.

Cum roboratus esset Ozias rex Iuda, eleuatum est cor eius in interitum suum, ingressusque in templum adolere voluit incensum. 2.Paral.26.

Manasses rex in Hierusalem fuit pessimus, postea in Babylone, & coangustatus orauit Dominum, & egit pœnitentiam valde coram Domino. 2.Paral.33.

Mundana prosperitas multiplicat carnales amicos, & congregat, quos aduersitas sæpe fugat. Vnde Tobia à cæcitate sanato, & ditato, venerunt consobrini eius ad eum gaudentes & congratulantes ei. Tob. 11. Quod non leguntur fecisse, quando prius erat cæcus, & vxor eius ibat ad textrinum opus. Tob.2.

Post victoriam obtentam de Arphaxad, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum, & cor eius eleuatum est. Iudith 1.

Quamuis Aman esset secundus à rege potentissimo Assuero, & haberet multas diuitias, filios & amicos; tamen ita torquebatur ex eo, quod Mardochæus ei genua non flectebat, quod nihil se habere putabat. Esth.5. Item nota breuitatem illius prosperitatis.

Quamdiu durauit plaga Domini super Iob, licet venerunt ad eum aliqui amici, fuerunt tamen ei consolatores onerosi, nec leguntur ei dedisse aliquid. Postquam

autem addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia, venerunt ad eum omnes fratres sui, & cuncti qui nouerant eum, & dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem auream vnam. Iob 42.

Statuam quam vidit Nabuchodonosor, quæ percussa de lapide absciſſo de monte redacta est in fauillam æstiuæ areæ, satis indicat prosperitatem mundanam nihil esse. Dan. 2.

Filii Iambri faciebant nuptias magnas, & venerunt Iudæi Ionatha duce, & occiderunt multos, & conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum. 1. Mach. 9.

Ptolemæus rex Ægypti Alexandro rege Syriæ debellato, & in Arabiam fugato, exaltatus est, & abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo, & rex Ptolemæus mortuus est die tertia. 1. Mac. 11.

Adolescens qui quæsiuit à Christo, quomodo posset habere vitam æternam, multas possessiones habebat, & idcirco abiit tristis, quando Dominus dedit ei consilium perfectionis. Matth. 19.

Petrus negauit Dominum in atrio principis sacerdotum. Matth. 22.

Magnum festum fecerunt Iudæi Domino Hierusalem venienti, & circumspectis omnibus, cũ iam vespertina esset hora, exiit in Bethaniam, quasi non inueniret, qui eum in hospitio reciperet. Mar. 10.

Ad contemnendam temporalium abundantiam multum valet exemplum de diuite, cuius ager vberes fructus attulit. cum autem sollicitus cogitaret destruere horrea, ait illi Deus: Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, &c. Lucæ 12.

Emptores villæ, & boum, & ille qui vxorem duxerat, vocati ad cœnam magnã Domini, se excusant tamquam aliis occupati. Pauperes autem & debiles, fuerunt introducti. Luc. 14.

Videns Dominus ciuitatem Hierusalem pace temporali fruentem, & superuenturas miserias ignorantem, fleuit super illam, dicens: Si cognouisses, & tu (supplendum esset) fleres. Luc. 19.

Cum populus Herodi magno Regi vestito veste regali, & sedenti pro tribunali acclamaret, Voces Dei, & non hominis; confestim percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expirauit. Act. 12.

CAPVT CXII.

De curiositate humana.

PRIMARIÆ transgressionis occasio ortum habuisse videtur ex eo, quod Eua serpentem curiose audiuit, & lignum vetitum curiose respexit. Gen. 3.

Egressa est Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, sequitur, quod visa, rapta, & oppressa fuit. Genesis 34.

Præcepit Dominus Moysi, vt diceret populo: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis, qui tetigerit montem, morietur, & post pauca: Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Exod. 19.

Dixit Dominus ad Moysen, vt Aaron, & filii eius tantum intrarent Sancta Sanctorum; alii vero nulla curiositate viderent, quæ erant in sanctuario, priusquam essent omnia inuoluta; alioquin morerentur. Numerorum 4.

Ozias rex Iuda ingressus templum Domini accepit thuribulum, & voluit adolere incensum super altare thymiamatis, quod non ad suum, sed ad sacerdotum pertinebat officium, statimque orta est lepra in fronte eius. 2. Paral. 26.

Cum viderent Iudæi miracula à Domino fieri manifesta, & vtilia, alia videre volebant, & signum de cœlo quærebant. Lucæ 11.

Herodes Tetrarcha viso IESV gauisus est valde; non causa pietatis, sed causa curiositatis; quia sperabat signũ aliquod fieri ab ipso, & propter hoc visio illa Domini Iesu nihil ei profuit, sed magis obfuit. Luc. 23.

Curiositatem discipulorum scire volentium tempus secundi aduentus compescuit Dominus, dicens: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Act. 1.

Curiositas videtur fuisse, quando Simon magus voluit baptizari, quia scilicet videbat signa, quæ Philippus faciebat. Act. 8.

Athenienses omnes, & aduenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut aliquid noui audire. Act. 17.

Prædicante Paulo in Epheso ciuitate, multi qui fuerunt curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Act. 19.

Reprehendit Apostolus quosdam Thessalonicenses inquiete ambulantes, nihil operantes, curiose agentes. 2. Thess. 3.

Adolescentiores viduas monet Apostolus esse vitandas. sunt enim frequenter vagæ, & otiosæ, verbosæ, & curiosæ 2. Tim. 5.

CAPVT CXXIII.

De magna fide mulierum.

COMMENDAT Apostolus. Heb. 11. fidem Rahab, quæ non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace; de quibus. Iosue 2.

Ruth adhæsit socrui suæ Noemi, dicens: Populus tuus, populus meus; Deus tuus, & Deus meus. vnde Booz postea dixit ei: Reddat tibi Dominus Deus plenam mercedem ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas. Ruth 1. & 2.

Mulier Sareptana credidit verbis Eliæ Prophetæ, licet ille rem satis difficilem illi faciendam iuberet. 1. Regum 17.

Mundi creationem, & corporum resurrectionem optime confitebatur illa mulier, mirabilis mater, quæ septem filios vno die torqueri vidit. & ipsos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animauit. 2. Machabæorum 7.

Circa mysterium Dominicæ Incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores quam viri. Nam Zacharias pater Ioannis Baptistæ, de incredulitate fuit ab Angelo redargutus. Lucæ 1. Pro eo quod non credidisti verbis meis, &c.

Elisabeth non reprehensibilis legitur extitisse, quæ statim in aduentu B. Virginis exclamauit: Et benedicta tu inter mulieres. Lucæ 1.

Similiter commendatur beata Virgo, quæ credidit Angelo dicenti sibi, quod conciperet de Spiritu sancto. Lucæ 1.

Item Anna vidua Prophetissa loquebatur de puero nato omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Lucæ 2.

Tantam fidem habebat ad Dominum mulier hæmorroissa, quod sufficiebat ei, quod tantummodo tangeret fimbriam vestimenti eius; & ideo meruit audire verbum dulce: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Matth. 9. Lucæ 8.

Nec longa expectatione, nec dura responsione destitit clamare ad Dominum mulier Chananæa. Idcirco tandem audiuit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matt. 15.

Mulier Samaritana plene confessa est, dicens: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus; & postea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum Iesum propter verbum mulieris illius. Ioan. 4.

Confessio Marthæ quæ dixit. Io. 11. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti, satis fuit similis confessioni Petri. Matthæi decimosexto.

De resurrectione Domini, multos viros legimus dubitasse: & Dominum IESVM illorum incredulitatem, & cordis duritiam exprobrasse. Mar. 16. Matth. 28. De mulieribus autem nihil tale legitur: sed resurgens Dominus primo apparuit mulieri, scilicet Mariæ Magdalenæ, & illa currens discipulis lugentibus nuntiauit. Mar. 16.

Quædam mulier nomine Lydda purpuraria audiuit prædicationem Pauli, cuius Dominus aperuit cor, & baptizata est, & domus eius. Act. 16.

CAPVT CXXIV.

De sapientia mulierum.

SARA prudenter intellexit ludū inter Isaac, & Ismaelem non esse bonum, & voluit Dominus, vt Abraham illius acquiesceret volūtati. Genes. 21. Rebecca fuit valde argumentosa ad procurandum, quod Iacob benedictionem à patre, quæ debebatur primogenito, obtineret. Gen. 27.

Et postea caute fecit eum iram fratris sui Esau declinare. Gen 28.

Rahab meretrix discrete exploratores abscondit, & per hoc se, & totam domum suam integraliter liberauit. Iosue 2.

Debbora vxor Lapidoth iudicabat populum, & docuit Barac filium Abinoem, quid facturus esset, vt populum Dei de manu Sisaræ liberaret. Iudic. 4.

Sollicita fuit Noemi, & astuta ad inueniendum modum quo Ruth, &c. Ruth. 3.

Mater Samuelis Anna discrete se excusauit ab eo, quod Heli sacerdos ei imposuit, quando filium à Domino postulauit. 1. Reg. 1.

Per sapientem eloquentiam suam, & liberalitatem satis modicam Abigail viro suo vitam seruauit, & Dauid ab homicidio impediuit 1. Reg. 25.

Sapiens Mulier Thecuitis induxit Dauid ad hoc, vt filium exulem reuocaret. 2. Reg 14.

Obsidente Ioab ciuitatem Abela, mulier sapiens taliter locuta est ei, & postea populo ciuitatis, quod ille cū totius patriæ vtilitate ab obsidione recessit. 2. Reg. 20.

Bethsabee mater Salomonis sapienter verbum proposuit coram rege Dauid, vt filius suus Salomon post illum regnare deberet. 2. Reg. 1.

Duarum mulierum coram Salomone contēdentium, illa prudenter, & pie respondit quæ dixit: Obsecro Domine, date illi infantem viuum. 3 Reg 3.

Magna sapientia fuit in Regina Saba, quod ipsa venit audire sapientiam Salomonis. 3. Reg. 10.

Mulier Sunamitis hospita Elisei prudenter adhęsit ei, nec voluit eum dimittere propter Giezi, donec eius filium suscitasset. 4. Reg. 4.

Holda prophetis vxor Sellum Iosiam regem confortauit, & populo mala ventura, propter eorum peccata prædixit. 4. Reg. 22.

Sara filia Raguelis discrete, & deuote orauit Dominum, vt eam liberaret de improperio, quod audierat ab ancilla, Tob. 3.

Miram prudentiam, & constantiam ostendit Iudith alloquendo populum, & decipiendo Holofernem tam potentem tyrannum. Iudith. 8. vsque ad finem.

Esther cum magna cautela fecit petitionem suam, postquam regem ad prandium inuitauerat, & ille vino incaluerat. Esther. 7.

Elisabeth mater Ioannis Baptistæ, discrete cognouit aduentum Virginis, & ipsam matrem Domini nominauit. Luc 1.

Tam tacendo, quam loquendo patet Beatam Mariam Virginem mirabiliter fuisse prudentem. Tacendo quidem, quia pauca verba dixisse inuenitur. Locuta est autem cum Angelo discrete quærendo, & discretius acquiescendo. Luc. 1. Quomodo fiet istud. Item, Ecce ancilla Domini. Item cum sancta Elisabeth ipsam salutando. Et nota quod post laudes multas quas Elisabeth illi dixit nihil ei directe respondit, sed ad laudandum Dominum se conuertit dicens: Magnificat &c. Item locuta fuit cum filio ipsum dulciter interrogando: Fili quid fecisti nobis sic. Luc. 2. Et pro verecundis pauperibus deprecando. Ioan. 2. Vinum non habent. Item locuta est ministris ipsos vtiliter instruendo: Quodcunque dixerit vobis, facite. Ioan. 2.

Maria Magdalenæ, valde prudenter agebat in eo, quod ad pedes Domini se ponebat. Ad pedes enim Domini veniam impetrauit pro se. Luc. 7 vitam pro fratre. Ioan. 11. Item audiebat diuinam sapientiam. Luc. 10. Et exhibuit Christo deuotam reuerentiam. Matth. 28.

Vxor Pilati bene locuta est ei, et si Pilatus ei credidisset, prudenter egisset, Matth. 27.

CAPVT CXXV.

De pietate mulierum.

REBECCA videns seruum Abrahæ hominem pegrinum, & petentem bibere, sine mora respondit: Bibe Domine mi, quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cunctæ bibant, &c. Gen 24.

Timuerunt obstetrices Dominum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruabant mares. Exod. 1.

Cernens filia Pharaonis vagientem puerum miserta eius, ait: De infantibus Hebręorum est hic, & faciens nutriri in filium adoptauit. Exod. 2.

Rahab meretrix videns exploratores Iosue ad mortem quæri, compassa est eis, & ipsos abscondens liberauit, & sanos remisit. Iosue 2.

Nuntij euntes ad Dauid absconditi fuerunt in puteo, & saluati per mulierem, quæ posuit velamē super os putei, & illos qui quærebant eos delusit. 2. Reg. 17.

Duarum mulierum coram Salomone contendentiū illa pium cor habuit, quæ liti credere noluit, cuius viscera super filium commota fuerunt. 3. Reg. 3.

Vidua mulier Sareptana hospita Eliæ Prophetæ, & apud illam sustentabatur vtcumque. 3 Reg. 17.

Mulier Sunamitis induxit virum suum ad hoc, vt fieret in domo sua Eliseo locus aptus ad manendum. 3. Reg. 4.

Cum occideret Athalia omne semen regium, Iosabeth filia regis Ioram, tulit Ioas vnum de filiis regis, & abscondens saluauit eum. 4. Reg. 11.

Compatiens populo morti addicto Esther magno se exposuit periculo, & apud Assuerum regem Iudæorum liberationem, & sublimationem obtinuit. Esther. 7.

Pietas beatæ Virginis Mariæ multum apparet in hoc quod ad pauperes nuptias ire voluit, & deficiente vino, non requisita ab aliquo, sed sponte propterea verecundorum pauperum aduocata dixit filio: Vinum non habent. Ioan. 2. Per hoc etiam patet largitas eius magis, quia cum à Magis aurum, thus, & myrrham: quæ obtulerant, accepisset paulo post in purificatione sua non potuit habere agnum quem offerret, & supponendum est, quod illa Magorum munera pauperibus erogauerat. Matth. 2. Luc. 2.

Ambulans per mundum Saluator mundi in domo Marthæ, & Mariæ specialius hospitium legitur habuisse. Lucæ 10. Ioan. 11.

Mulier illa Chananæa miseriam filiæ suæ propriam reputabat dicens. Matth. 15 Miserere mei, fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.

Mulieres ministrauerunt Domino prædicanti, & per castella, & ciuitates eunti. Luc. 8. Astiterunt patienti & sequebantur eum, dum ad crucem duceretur ab Apostolis derelictus. Luc. 23. & Ioan. 19. Item studiose obsequi voluerunt ei in sepulchro iacenti. Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. & Ioan. 20.

Prętulit Dominus duo ęra minuta pauperculę viduę, quæ misit in Gazophylaciū, muneribus diuitū, qui

licet illa de eo quod erat necessarium ei, dederat, & quia plus ponderat Dominus mentis pietatem quam muneris quantitatem. Luc. 11.

Blasphemantibus, & deprauantibus miracula Domini Scribis & Pharisæis: mulier quædam audiens verba eius deuote, extulit vocem dicens: beatus venter, qui te portauit, &c. Luc. 11.

Vxor Pilati magis conata fuit impedire Dominicam passionem, & iniustam afflictionem ipsius, quam aliquis homo, de quo Scriptura testatur. Matth. 27.

Innuit Apostolus. 1. Cor. 9. Quod aliqui Apostoli circumducebant mulieres sorores ad ipsis necessaria ministrandum.

Propter opera charitatis & eleemosynas, quas Tabitha viduis faciebat, rogauerunt flentes Petrum, vt ad defunctam veniret & motus lachrymis earum Petrus, ponens genua orauit & eam suscitauit. Act. 9.

Exiens de carcere Herodis Petrus venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatur Marcus, vbi multi congregati orantes. Per quod patet eam fuisse bonam mulierem, & hospitam discipulorum Domini. Act. 12.

Quædam mulier purpuraria nomine Lydda, credens ad prędicationem Pauli, & baptizata cum domo sua deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem esse, introite domum meam, & manete, & coegit nos: Act. 16. Vbi etiam satis innuitur, quod mulieres prompte, & deuote audiunt verbum Dei.

CAPVT CXXVI.

De fortitudine mulierum.

BArach filius Abinoem noluit ducere exercitum cōtra Sisaram, nisi Debbora vxor Lapidoth iter cum eo, quę dixit ei: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu feminæ tradetur Sisara. Iudic. 4.

Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam & Deos suos: Scit omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis. Ruth. 3.

Viriliter saluauit Dauid virum suum Michol, cum quæreretur ad mortem à Saule patre suo. 1 Reg 19.

Cum audisset Abigail virum suum Nabal, dure respondisse nuntiis Dauid, festinauit, & tulit diuersa xenia: & Dauid iratum placauit. 2. Reg. 25.

Grauem contumeliam ab ancilla prolatam valde patienter tulit Sara filia Raguelis nec ei aliquid respondit, sed ad orationem se conuertit. Tob. 3.

Mira strenuitas fuit in Iudith, quę tantum factum ausa fuit cogitare, sicut de Holofernis occisione in proprio papilione. Iudith 8. Et deinceps.

Esther regina exposuit se periculo moriendi pro liberatione populi sui, quando non vocata ad regem ire pręsumpsit. Esther. 5.

Supra modum mater mirabilis, quæ pereūtes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens bono animo ferebat, & femineæ cogitationi masculinum animum inserebat. 2. Mach. 7.

Fortissima fuit Beata Virgo Maria, & continēdo gaudium quod habuit de filij conceptione, natiuitate, Magorum adoratione, & ipsius educatione, prædicatione, miraculorum operatione, & resurrectione. Item sustinendo dolorem quem passa fuit in ipsius filij passione.

Valde fuit mirabile de audacia Mariæ Magdalenæ, quæ passioni Domini affuit, & totiens ad sepulchrum eius venit. Recedentibus etiam discipulis dilectissimis non recedebat, sed stans ibidem plorabat. Ipsam etiam nimis audacem faciebat amor, cum dicebat: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi. Ioan. 20.

* * *

CAPVT CXXVII.

De auiditate mulierum.

PRima mulier vidit lignum pulchrum, & delectabile, & statim sequitur, quod sine deliberatione, sine viri consultatione tulit de fructu illius, & comedit. Gen. 3.

Sara licet esset bona, tamen ita desiderabat habere liberos, quod prius voluit habere de ancilla filium, quam nullum. Gen. 12. Ingredere ad ancillam meam, &c.

Interrogata Rebecca an vellet ire cum seruo Abrahę, continuo respondit, Vadam, non dixit, nolo ire, si placet vobis vel huiusmodi. Gen. 24.

Filiæ Loth potius voluerūt de patre liberos suscipere, quam sine liberis permanere. Gen. 19.

Cernens Rachel, quod infecunda esset inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos alioquin moriar. Gen. 30.

Dina cupiens videre mulieres regionis illius, visa fuit à quodam nomine Sichem, & vi oppressa ab eo: quid ergo de illis, quę volunt videre viros, & videri ab eis? si male frequenter eis accidat, non est mirum. Gen. 34.

Domina cui seruiebat Ioseph non expectabat virum, quod sollicitaretur ab illo, sed ipsum nimis procaciter requisiuit. Gen. 39.

Axa filia Caleb obtinuit à patre terram irriguam, quia scilicet eam suspirando instanter petiuit, Iof 15.

Tantum institit vxor Samson apud eum, quod dixit ei obscuram propositionem, quam parentibus noluerat indicare. At illa statim reuelauit inimicis suis, quamquā esset in damnum viri sui. Iud. 14.

Dalila per importunitatem suam euicit, vt Samson diceret ei, in quo fortitudo eius maxima cōsistebat. Iud. 16.

Anna mater Samuelis præ desiderio habendi liberos flebat, & non capiebat cibos. 1. Reg. 1.

Multum desiderabat habere filium illa, quæ rapuit alienum, de qua. 3. Reg 3.

Ita concupiuit Iezabel vineam Naboth tradere viro suo, quod duos falsos testes nequiter procurauit, & fecit Naboth crudeliter lapidari. 3. Reg. 21.

Cum vellet ire mulier Sunamitis ad Eliseum, & vir eius non plenarie consentiret, respondit illa: Vadam, strauitque asinam, & præcepit puero, Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo, & hoc age quod præcipio tibi. 4. Reg. 4.

Athalia mater Ochoziæ regis concupiscens regnare super terram, interfecit omne semen regium, excepto Ioas infantulo, qui furtim absconditus fuit. 4. Reg. 11.

Anna vxor Tobiæ circumspiciebat quotidie, & circuibat vias, per quas spes remeandi videbatur, vt si fieri posset, procul videret filium venientem. Tob. 10.

Esther non fuit contenta ex eo, quod rex dederat ei domum Aman, & quod Iudæi occiderant in sola ciuitate Susis viros quingentos: sed etiam in crastino fecit trecentos occidi. Esther. 9.

Mulier Chananæa sanitatem filiæ obtinuit precibus importunis. Matth. 15.

Mater filiorum Zebedæi non expectauit, quod Dominus remuneraret filios suos secundum exigentiam meritorum, sed petiit ante tempus vnum poni ad dexteram Domini in regno suo, & alium ad sinistrā Matt. 20.

Ponit Dominus exemplum viduæ, quæ ita fuit molesta iudici, nec Deum timenti, nec homines, quod tandem ipsam de suo aduersario vindicauit. Luc. 19.

Herodias insidiabatur Ioanni Baptistæ, & tanto odio persequebatur, quod magis elegit filiam suam petere caput Ioannis, quam dimidiam partem regni Herodis. Mar. 6.

Puella quædam nomine Rhode intelligens Petrum pulsare ad ianuam, præ gaudio non aperuit ei, sed dimittens eum foris cucurrit, & intro stantibus nuntiauit. Act. 12.

CAPVT CXXVIII.

De mulierum fallacijs.

OCcasione Eua deceptus est Adam, licet non fuerit seductus in eo, in quo Eua fuit seducta, sed tamen de ligno vetito Eua suadente comedit, Gen.3.

Sara risit audita promissione de cõceptione filij: redarguta autem à domino eius diffidentia, seipsam mendaciter excusauit. Gen.18.

Duæ filiæ Loth volentes ex patre suo concipere, cum verbis eum fortassis ad hoc inducere non auderent: mediante vino propositum peregerunt, Gen.19. Bene igitur alium hominem decepissent, quando nec patri proprio pepercerunt.

Rachel patrem proprium quærentem idola sua pulchra adinuentione delusit. Gen.38.

Domina Ioseph ipsum apud virum suum nequiter accusauit, vt seipsam mendaciter excusaret, & decipiens virum suum, de ipso Ioseph se impiissime vindicauit. Gen.39.

Obstetrices Hebræorum licet piam intentionem habuerint in reseruatione puerorum, tamen Pharaonẽ regem Ægypti adinuẽtione mendacij fefellerunt. Exod.1.

Mulieres Moabitides filios Israel deceperunt, contra quos Balaam Ariolus cum omnibus magicis artibus suis nihil potuerat operari. Num.35.

Rahab meretrix abscondit exploratores Iosue, & illos, qui quærebant eos, fecit currere vsque ad vada Iordanis dicens, quod exierant clausa porta. Ios.2.

Egressa Iahel in occursum Sisaræ dixit ad eum: Intra ad me domine mi, ne timeas, & postmodum illum dormientem occidit. Iud.4.

Vxor Samsonis fundens apud eum lachrymas dicebat: Odisti me, idcirco problema non vis mihi exponere, cui ille in damnum proprium reuelauit. Iud 4.

Dalila molesta fuit Samsoni iugiter per multos dies spatium ad quietem non tribuẽs, & defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est, tunc victus Samson fortissimus stulte aperuit ei totum. Iud.16.

Michol intelligens, quod Saul pater suus quærebat virum suum Dauid vsque ad mortem, fecit eum fugere, & posuit super lectum suum, &c.1. Reg.19.

Viri qui nuntiare debebant Dauid statum Absalom, fuerunt positi in puteo, & mulier quædam ponens velamen super os putei ipsos recessisse mentita est. 2. Reg.17.

Cum erasisset Saul omnes magos de terra, nihilominus vna mulier fuit inuenta, quæ erat in illa arte perita. 1. Reg. 28.

Mulier visa satis à longe animum Dauid, male incitauit. 2. Reg. 11. quid ergo quando de propinquo videt, & videtur, loquitur, & auditur.

Deprauatum est cor Salomonis per mulieres, & quod plus factum inopinabile erat, ad tantam insaniam deduxerunt eum, vt coleret deos earum. 3 Reg 11.

Vxor Ieroboam simulauit se aliam, vt Prophetam falleret nõ valentem videre præ nimia senectute, 3. Reg.14.

Excogitauit Iezabel iniquum modum acquirendi vineam Naboth, quem Achab impiissimus, vel nesciebat, vel facere non audebat. 3. Reg.21.

Fefellit Holofernem Iudith, à facie cuius terra tremere videbatur. Iudith. 10. & deinceps, quamuis illa optima intentione fecerit, scilicet pro liberatione populi Dei.

Herodes metuebat Ioannem Baptistam, sciens eum virum iustum, & sanctum: & audito eo multa faciebat, & tamen Herodias quæ insidiabatur Ioanni tantum laborauit quod fecit eum in carcere decollari. Mar.6.

Saphira vxor Ananiæ mentita fuit Petro de agri pretio, sed mendacium illud fuit per Petrum grauissime punitum. Act.5.

):(

CAPVT CXXIX.

De mulierum stultiloquio.

EVa legitur primo locuta fuisse cum serpente, quam cum Deo ad orandum, vel cum viro suo ad aliquam eruditionem percipiendum. Gen.3.

Promittente Domino, quod Sara esset filium paritura, cum primo illa risisset præ diffidentia, negauit postea se risisse. Gen.18.

Cernens Rachel, quod infecunda esset ait viro suo: Da mihi liberos alioquin moriar, quasi esset in ipsius Iacob potestate de sterili fecundam facere. Gen 30.

Vxor Samsonis statim vt sciuit obscuram propositionem viri sui, indicauit ciuibus suis in damnum mariti. Iud.16.

Cum vidisset Dalila, quod Samson confessus esset ei omnem animum suum, quomodo scilicet fortitudinem suam amittere posset, inimicos illius vocauit, & statim eis reuelauit. Iud 16.

Quia Dauid pro magna deuotione saltauerat coram arca Domini, Michol filia Saul ironice dixit ei: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, &c. 2. Reg.6.

Cum dixisset Tobias de hædo, Videte ne furtiuus sit, &c. Anna vxor eius irata respondit: Manifeste vana est spes tua, &c. Tob.2.

Sara filia Raguel increpante ancillam iuste, illa impatienter, & iniuriose respondit: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, &c. Tob. 3.

Cum contenderent coram Salomone duæ mulieres meretrices, illa stulte & nequiter locuta est, quæ dixit de infante, Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur. 3. Reg.3.

Vxor Aman audiens querimoniam, quam vir faciebat de Mardochæo respondit: Iube parari excelsam trabem, & appendatur in ea. Esther.5.

Sedente Iob in sterquilinio, & saniem defluentem testa radente dixit ei vxor eius: Benedic Deo, & morere, sed ille bene, & discrete respondit, Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Iob.2.

Petitio matris filiorum Zebedæi non fuit à Domino approbata, quando dixit: Dic vt sedeant hi duo filii mei, &c. Matth. 2.

Multa verba rudia, & simplicia dixit Domino mulier Samaritana, antequam impingeret in veritatem. Ioan.4.

CAPVT CXXX.

De mulierum ornatu superfluo.

THamar nurus Iudæ filij Iacob volens socerum allicere, vt ex illo conciperet, depositis viduitatis vestibus ornauit se, & assumpsit theristrum. Gen.38.

Audito aduentu Iehu, qui occiderat Ioram regem Israel: Iezabel depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum. 4. Reg 9.

Testatur Iudith, quod ornamenta quæ assumpsit, deceperunt Holofernem. Iud. 16. Induit se vestimento lætitiæ, vnxit faciem suam vnguento, colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum illum, &c.

De Esther legitur, quod quando debuit ad regem intrare, non quæsiuit muliebrem cultum, sicut faciunt aliæ mulieres. Esther 2.

Comminando dicitur Isa.3. Auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia & multa alia ponuntur ibi.

Reprehensibilem habitum malæ mulieris describit Salomon. Prou. 7. Considero vecordem iuuenem, occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, &c.

Non mouetur sine causa sapiẽs, qui ait Eccles.9. Auerte faciem

te faciem tuam à muliere compta: mulier enim compta, & ornata magis incitat ad peccatum.

Mulieri non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus. 1. Pet. 3.

CAPVT CXXXI.

De morte in generali.

QVia vera est sententia Dei, quia dixit homini. Gen. 3. In quocunque die comederis ex eo, morte morieris, planum est quod statim post peccatū homo moritur. Vnde homo viuens quasi continue moritur secundum August. 14. de ciuitate Dei.

Cum tot annis vixerint homines ante diluuium, tamen signanter dicit scriptura post descriptionem vitæ eorum, & mortuus est, Gen. 5.

Si patres antiqui mortem timebāt, & longam vitam optabant, non erat mirum: nam ipsi non poterāt adhuc in cælum ascendere, nec diuina perfrui visione, donec Saluator aduenit, qui aperuit ianuas paradisi, vnde sanctus Loth admonitus ab Angelo, vt saluum faceret se in monte: timuit illo ire, ne forte apprehenderet illum malum, & moreretur ibi. Gen. 19.

Etiam mali optant bene mori, Num. 23. Moriatur anima mea morte iustorum, dixit Balaam.

Quamuis Moyses vellet obedire imperio Domini, qui noluit eum transire Iordanem, tamen satis videtur, quod libenter plus vixisset, si Dominus voluisset. Deut. 4. Iratus est Dominus contra me, &c. Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem.

Magna pars mercedis de custodia Mosaicæ legis in longa vita consistere videbatur. Deut. 22. Ponite corda vestra in omnia verba quæ testificor vobis, quæ facientes longo perseuerabitis tempore in terra ad quam ingredimini possidendam.

Maluerunt Zebee & Salmana occidi manu Gedeonis strenui viri, quam manu Iether iuuenis filij sui, Iud. 8. Noluit Dauid flere pro mortuo filio, qui fleuerat pro infirmo. 2. Reg. 12.

Cum sederet Elias subter vnam iuniperum petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, &c. 3. Reg. 19.

Ezechias rex Iuda ambulauit coram Deo in veritate, & fuit valde bonus: tamen quando nunciatum fuit ei per Isaiam, quod mori deberet, orauit Dominum fletū magno, vt adhuc vitam eius prolongaret, &c. Isa. 39.

Tobias audita prouocantis vxoris responsione ingemuit, & cœpit orare dicens: Iustus es Domine, &c. præcipe in pace recipi spiritum meum. expedit enim mihi mori magis quam viuere. Tob. 3 postea sequitur in capitulo 4. cum putabat orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit filium suum &c.

Sara filia Raguelis accepta ab vna de ancillis graui contumelia, orauit Dominum, & dixit inter cetera. Peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certe desuper terram eripias me. Tob. 3.

Coram rege Sedecia prostrauit Ieremias preces suas, ne remitteret eum in carcerem, in quo prius fuerat, ne moreretur ibi. Iere. 37.

Per mortem crucis, quam Saluator voluit sustinere, ostendit manifeste, quod non solum mors, sed etiam quodcunque genus mortis ab homine iusto pro diuina obedientia, & iustitia prompte debebat sustineri.

Ante aduentum Spiritus sancti nimis timuerūt mortem Apostoli, qui comprehenso Domino omnes eum reliquerunt, & fugerunt. Matth. 26. Postquam vero fuerunt virtute ex alto roborati, & induti, coram principibus, & tyrannis fiducialiter loquebantur. in Act. quasi per totum.

Parum timebat, immo non timebat mortem Paulus qui dicebat, Non solum alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV CHRISTI, &c Act. 21.

Item si nocui Iudæis, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Act. 25.

Aduertere est autem, quia cum plerumque insidias deuitans Iudęorum de ciuitate in ciuitatem fugiebat nō timore mortis hoc faciebat, sed quia furori malorum cedens pluribus se viuum etiam reseruabat.

CAPVT CXXXII.

De sepulturis.

CVm magna diligentia emit Abraham agrum, in quo vxorem mortuam sepeliuit. Gen. 23.

Noluit Iacob sepeliri cum malis hominibus in Ægypto, sed adiurauit Ioseph, vt eum mortuum ad patrum suorum sepulchra deferret. Gen. 47.

Hoc ipsum repetiit post benedictionem filiorum suorum instante morte sua, quod Ioseph sollicitus impleuit. Gen. 49. & 50. Exiens Moyses de Ægypto tulit ossa Ioseph secum, Exod. 13.

Commendauit Dauid multum viros Iabes Galaad, eo quod cadauera Saul, & filiorum eius reuerenter tradiderant sepulturæ. 1. Reg. 31. & 2. Reg. 1.

Pœna viri Dei, qui panem contra diuinum mandatū in domo mali Prophetæ comedit, fuit vna, quod non fuit sepultus in sepulchro patrum suorum. 2. Reg. 13. Iehu rex Israel, qui fecerat occidi Iezabel, fecit eam sepeliri, eo quod ipsa fuerat filia regis. 4. Reg. 9.

Commendatur Tobias de hoc, quod periculo vitæ suæ corpora occisorum rapiebat, & sepulturam eis sollicitus exhibebat. Tob. 1. & 2.

Prima admonitio inter illas salubres, quas fecit Tobias filio suo, fuit de sua, & vxoris suæ sollicita sepultura. Tob. 4.

Iudæi accusatores impij Menelai fuerunt per iudicium iniquum morte condemnati, erga quorum sepulturam Tyrij liberalissimi extiterunt. 2. Mach. 4.

Post prælium contra Gorgiam commissum venit Iudas Machabæus, vt corpora prostratorum tolleret, & cū parentibus sepeliret. 2. Mac. 12.

Discipuli beati Ioannis Baptistæ audito quod decollatus erat ab Herode, venerunt, & tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud. Mat. 14. Mar. 6.

Apparet Dominum IESVM CHRISTVM de sua sepultura curasse, per hoc quod respondit Iudę murmuranti de vnguento, quod secundum eum venundari debuisset, Sine, inquit, illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Ioan. 12.

Sepultus fuit Dominus per Ioseph, & Nicodemum in sepulchro nouo exciso in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.

Curauerunt viri timorati Stephanum à Iudæis lapidatum sepelire, & fecerunt planctum magnum super eum. Act. 8.

CAPVT CXXXIII.

De horrenda morte malorum.

CAin qui occidit Abel fratrem suum, occisus est à Lamech. Gen. 4.

Dominus pluit super Sodomā, & Gomorrhā sulphur, & ignem de cœlo, & subuertit quinq; ciuitates detestabili peccato furētes, & omnem circa regionem. Gen. 19.

Sichem filius Hemor, qui oppressit Dinam filiam Iacob, interfectus fuit à filiis Iacob, & omnes masculi ciuitatis. Gen. 34.

Aquæ maris rubri operuerunt currus, & equites cūcti exercitus Pharaonis, nec vnus quidem remansit. Exo. 14. & quidem satis iuste, vt cuius cor non potuit, dū viueret emolliri, corpus eius in aqua totaliter mergeretur.

Nadab, & Abiu filij Aaron offerentes ignem alienum coram Domino, deuorati sunt ab igne Domini, & mortui. Leuit. 10.

Præcepto Domini filij Israel eduxerunt blasphemum extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Leu. 24.

Chore, & Datan, & Abirō, & eorum complices Moysi rebellantes descenderunt in infernum operti humo. Num. 16.

Alij etiam murmurantes, & diuersa committentes peccata variis mortibus interierunt in deserto, ita quod sexcentis millibus hominum pugnatorum, duo tantum terram promissionis intrauerunt.

Quoniam Achab tulit de anathemate Ierícho furtiue, lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igne consumpta fuerunt. Ioan 7.

Comprehenderunt filij Israel Adonibezec cęsis summitatibus manuum eius. ac pedum, ita vt fecerat ipse septuaginta regibus, adduxeruntque eum in Hierusalem, & ibi mortuus est. Iud. 1.

Tulit Iabel vxor Haber Cinæi clauum tabernaculi & defixit in cerebrum Sisarę, qui soporem morti socians defecit, & mortuus est. Iud. 4.

Si Zebee, & Salmana seruassent fratres Gedeonis, pepercisset eis Gedeon, & quia eos occiderunt, & ipsi à Gedeone occisi fuerunt. Iudic. 8.

Vna mulier iacens super caput Abimelech fragmen molæ confregit cerebrum eius, qui vocauit armigerum suum, & iussit se ab eo interfici, & reddidit ei Dominus malum, quod fecerat interficiens septuaginta fratres suos. Iud. 9.

Cum audisset Heli arcam Domini esse captam, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. 1. Reg 4.

Superbum Goliath. & Blasphemum, Dauid puer inermis non habens vsum armorum gladio illius proprio interfecit. 1. Reg 17.

Saul qui tam inique inuidia motus persecutus fuerat Dauid, tandem arripiens gladium & irruens super eum mortuus est. 1. Reg. 31.

Adolescens qui dixit se Saul occidisse, iubente Dauid occisus est, cui putabat prospera nunciare. 2. Reg. 1.

Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboseth filij Saul tulerunt ad Dauid. 2. Reg. 4.

Primogenitus Dauid Ammō oppressit sororem suam Thamar, & paulo post occisus est iubente Absalom fratre suo, cum comederet cum eo. 2 Reg 13.

Videns Achitophel, quod non fuisset factum consilium suum, quod dederat contra Dau d, abiit in domū suam, & suspendio interiit. 2. Reg 17.

Libidine dominandi Absalom multum afflixit patrē suum Dauid, sed antequam assecutus esset propositum, suspensus fuit inter cælum, & terram. 2. Reg. 18. Seba filius Bochri concitauit populum contra Dauid, & fugiens in Abelam ciuitatem, vbi putabat habere refugium, & auxilium, & decapitatus fuit ibidem 2. Reg. 20.

Quamuis Ioab fuit miles strenuus & fidelis: quia tamē occidit duos milites proditiose, iussus est occidi moriente Dauid. 3 Reg. 2.

Regi Israel pessimo Ela rebellauit Zambri, & occidit eum, qui post septem dies ingressus est regium palatiū, & succendit se cum ipsa domo, 3 Reg. 16

Vulneratus Achab in bello mortuus est vesperi, & linxerunt canes sanguinem eius in eodem loco, in quo linxerāt sanguinē Naboth qui dissimulante ipso Achab cum emendare deberet, & posset, fuerat lapidatus. 3. Reg. 22.

Cum ascenderet Eliseus in ciuitatem Bethel, quidam pueri male eruditi illudebant ei, egressique sunt duo vrsi, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. 4 Reg. 2.

Vnus de ducibus qui erat cum rege Israel noluit credere verbis Elisei futuram abundantiam prædicentis, in crastino vero conculcauit eum turba hominum ad spolia currentium, & mortuus est. 4. Reg 7.

Benadab rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israel, fuit demum ab Hazael seruo suo iugulatus. 4. Reg. 8.

Videns Iehu impiam Iezabel, quæ multorum fuerat causa malorum, iussit eam præcipitari deorsum, & fuit ita equorum vngulis conculcata, quod licet fuerit filia regis, non fuit tradita sepulturæ. 4. Reg. 9.

Athalia mater Ochoziæ interfecit omne semen regium, vt posset regnare super populum, & postmodum turpiter interfecta fuit iussu Ioiadæ sacerdotis. 4. Reg 11.

Rex Iuda malus, & ingratus Ioas, qui fecit Zachariam filium Ioiadæ pontificis crudeliter lapidari, postea occisus est à seruis suis. 4. Reg 12.

B

Sennacherib rex Assyriorum superbissimus, & in Deū cæli blasphemus, postquam de terra Iuda confusus aufugit, à filiis suis occisus fuit 4 Reg. 19.

Sedecias rex Iuda malus apud Deum, & homines, comprehensus est fugiens, ante cuius oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi: deinde exoculatus in Babylonem fuit ductus, & ibidem miserabiliter mortuus. 4. Reg. vlt.

Multas terras cepit, & destruxit Holofernes, tandem dormiens inebriatus per manum mulieris decapitatus fuit. Iud. 13.

Superbissimus Aman, qui faciebat se ab hominibus adorari, suspensus est in patibulo, quod ipse parauerat Mardochæo. Est. 7.

Balthasar rex Babylonis non est correctus per exemplum Nabuchodonosor patris sui, qui ante eum fuit mutatus in bestiam. & cum esset in conuiuio, vidit scripturam Mane, Thecel, phares, & eadem nocte interfectus est. & regnū eius ad Medos & Persas translatum Dan. 5.

C

Accusatores Danielis iubente Dario rege missi sunt in lacum leonum, & à leonibus deuorati. Dan. 6. Simile accidit. Dan. 14.

Postquam Alexander rex decidit in lectum, dicitur quod cognouit, quia moreretur, quasi antea mortis memoriam, seu notitiam non haberet. 1. Mach. 1.

Percussus fuit Alcimus proditor, & dissolutus fuit paralysi, nec vltra potuit loqui, & mandare de domo sua, & mortuus est cum tormento magno. 1. Mac. 9.

Contristatus est rex Antiochus de hoc quod Andronicus iniuste occiderat Oniam summum sacerdotem. & iussit Andronicum occidi in eodem loco, in quo in Oniā impietatem commiserat. 2. Mac. 4.

Multis sacrilegiis à Lysimacho commissis in templo, congregata est multitudo aduersus eum, & ipsum secus ærarium interfecerunt. 2. Mac. 4.

D

Iason impius, qui propriū fratrem Oniam captiuauerat, & multos de patria sua expulerat peregre periit, & insepultus, & illamentatus abiectus fuit. 2. Mac. 5.

Antiochus qui multorum torserat viscera, passus dirum dolorem viscerum miserabili obitu peregre in mōtibus vita defunctus est. 2. Mac. 9.

Menelaus qui malitiose obtinuit modico tempore principatum, de alta turri fuit præcipitatus in cinerem inferius congestum. 2. Mac. 13.

Homo ille diues cuius ager vberes fructus attulit, cū cogitaret destruere horrea sua, & facere maiora, plus credebat habere de vita: ait autem illi Dominus, Stulte hac nocte, &c Luc. 12.

Terribile est valde illud exemplum de diuite famoso Epulone, qui mortuus est, & sepultus in inferno, &c. Luc. 16.

E

Herodes sedens pro tribunali, & vestitus veste regali concionabatur ad populum: populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis: confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit. Act. 12.

CAPVT CXXXIV.

De pretiosa morte iustorum.

CVm essent in agro Cain & Abel, consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum, Gen. 4. rationem autem tangit Ioannes dicens, Quoniā opera ipsius Abel erant iusta. 1. Io. 3.

Ambula-

[A] Ambulauit Henoc cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Gen. 5.

Mortuus est Abraham in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum. Gen. 25.

Completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum, consumptusque ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex, & plenus annorum. Gen. 35.

Iacob finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum suum, & obiit, & appositus est ad populum suum. Gen. 49.

Cum adiurasset Ioseph fratres suos, atque dixisset: Deus visitabit vos, asportate vobiscum ossa mea de loco isto, mortuus est &c Gen. 50.

[B] Ascenderunt Moyses, & Aaron iuxta mandatum Domini in montem Hor, coram omni multitudine, cumque Aaron expoliasset se vestibus suis, induit eis Eleazarum, & mortuus est ibi Aaron. Num. 20.

Moyses seruus Domini mortuus est in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum Dominus, sed non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Deut. 34.

Dauid post instructionem filij sui Salomonis & orationem, quam fecit ad Dominum pro eo, & toto populo, mortuus est in senectute bona, plenus dierum, diuitiis, & gloria, 1. Paral. 29.

Cum pergerent simul Elias, & Eliseus, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum 4. Reg. 2.

[C] Spiritus Domini induit Zachariam filium Ioiadæ, & dixit populo: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit. Qui congregati aduersus eum miserunt lapides iuxta regis imperium, & sic interfectus est. 2. Paral. 24.

Tobias in hora mortis suæ, vocauit Tobiam filium suum, & septem iuuenes nepotes suos, dixitque eis prope est Niniue interitus, &c. Tob 14. Et de Tobia filio eius, dicitur paulo post, Completis annis nonaginta nouem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum omnis cognatio eius.

Vixit Iob post flagella centum quadraginta annis, & vidit filios filiorum vsque ad quartam generationem, & mortuus est senex, & plenus dierum. Iob. 42.

[D] Noluit Dauid flere pro filio innocente mortuo, qui fleuerat pro infirmo: sed multũ fleuit pro parricida suspenso. 2. Reg. 12 & 18.

Post instructionem, & confortationem filiorum Mathathias benedixit eos, & defunctus appositus est ad patres suos. 1. Mac. 2.

Videns Iudas Machabæus multitudinem hostium, & paucitatẽ suorũ, ait: Si propinquauerit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros. 1 Mac. 6.

Eleazarus propter multa tormenta sibi illata, vita decessit vniuersæ genti memoriam mortis suæ ad exemplũ virtutis, & fortitudinis derelinquens. 2. Mac. 6.

Septem illi fratres cum pia matre sua finem miro modo laudabiliter fecerunt. Et possunt ibi multa notari virtutis exempla. 2. Mac. 7.

[E] Pro veritate & maritali honestate Io. Baptista decollatus fuit ab Herode Tetrarcha, Mat. 14. Mar. 6.

De illo famoso paupere Lazaro scriptum est. Luc. 6. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahę, &c.

Qualitercunque vixerit ille Latro, cui pendenti dixit Christus: Hodie mecum eris in paradiso, feliciter mortuus est. Luc. 23.

Dum lapidaretur beatus Stephanus inuocabat Dominum, & dicebat: Domine IESV accipe spiritum meũ. Positis autem genibus exclamauit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Act. 7. Cui mortem nostram facit similem Redemptor, & Saluator noster Dominus IESVS CHRISTVS, qui secundum Augustinum 4. de Trinitate per vnam simplicem mortem suam, nostram destruxit duplam. Qui (vt ait idem Augustin. de ciuitate Dei) tantam fidei contulit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, quo nasceretur ad vitam. Quam nobis concedat ipse verus auctor salutis æternę, qui est via, veritas, & vita, qui vitę & mortis habet imperium. Qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. [Aug. li. 4. de Trin. c. 10. 3.]

Animaduertas, Lector, præcedens opusculum à Sixto Senensi li. 4. suæ bibliothecæ Nicolao Anapo inscribi, qui ex ordine Prædicatorum Patriarcha fuit Hierosolymitanus, & sub Sigismundo claruit ad ann. Domini 1430. Id quod fortasse Sixtus fecit, quod in recentioribus quibusdam editionibus, huic auctori tribueretur. Sed moti sumus rationibus in argumento supra propositis, vt eius auctorem S. Bonauenturam existimemus: quod si ea te minus in hanc sententiam pertrahunt, poteris in appendicem, quæ huic tomo septimo adiecta est, hoc opusculum referre cum reliquis, de quibus, an auctor Bonauentura fuerit, dubitatur.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum,

CVI TITVLVS EST

ALPHABETVM RELIGIOSORVM.

Lectionibus quibusdam breuibus iuxta ordinem Alphabeti digestis Religiosos instituit S. Bonauentura, ideoque tractatus iste Alphabetum Religiosorum inscribitur, cuius breuitas cum summa vtilitate coniuncta ad vitam secundum Deum instituendam plurimum valet. Quod autem huic proximum est opusculum carminibus à litteris Alphabeti incipientibus dispositum in gratiam itidem Religiosorum incipientium idem Auctor composuit, vt titulus ipse præsefert.

VIAS tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Obsecro te Deus meus, doce me vias bonæ vitæ pro salute animæ meæ. [Psal. 24. b]

Ama nesciri: & pro nihilo reputari hoc tibi salubrius est, & vtilius quam laudari ab hominibus. [Lect. 1.]

Beneuolus sis omnibus bonis, & malis, & nulli onerosus. [Lect. 2.]

Custodi cor tuum ab euagatione, os tuum ab otiosa locutione, & ceteros sensus sub rigore disciplinæ. [Lect. 3.]

Dilige solitudinem & silentium: & inuenies quietem magnam, & conscientiam bonam. Vbi enim multitudo, ibi frequentes strepitus, & magna distractio cordis. [Lect. 4.]

Elige paupertatem, & simplicitatem, & cum paucis sis contentus, & non facile murmurabis. [Lect. 5.]

Fuge hominem, & sæculi rumores: quia non potes esse satis Deo, & hominibus, æternis, & transitoriis. [Lect. 6.]

Gratias age Deo semper, corde & ore, qualitercumque tibi succedit in grauamine & dolore. Nam Deus omnia prouide dispensat in mundo, vero & recto iudicio ab æterno. [Lect. 7.]

Humilia te in omnibus, & sub omnibus, & inuenies gratiam ab hominibus, eris quoque Deo acceptus, & hominibus dilectus, & diabolus fugiet citius, propter humilitatis virtutem sibi valde contrariam. [Lect. 8.]

In omni opere bono habeas intentionem puram ad placendum Deo, qui inspector est cordis, & diligit iustos & puros. [Lect. 9.]

Charissi-

Lect. 10. Charissimos reputato amicos, & patronos, qui te premunt, & vituperant: si enim recte sapis, & consideras, lucrum inde acquires, nam prosunt tibi in bono, qui obsunt in malo.

Lect. 11. Labore, & dolore cum gemitu, & fletu acquiritur regnum Dei, deliciis, & honoribus perditur paradisus.

Lect. 12. Magnum donum Dei est, pauperem esse in hoc mundo propter Christum, & infimum tenere locum. Magna superbia altum petere gradum, ad alta semper diabolus suadet, honores ambire, fugere despectum, vt cadat ascensor eius retrorsum, cum ad breue dominatus fuerit pauperum. Minima dona permagna reputa, eris & dignus maiora accipere.

Lect. 13. Neminem spernas, nulli noceas, afflicto, & egeno condoleas, & nunquam te extollas.

Lect. 14. Omne tempus cum Deo vtiliter expendas. nihil enim pretiosius tempore, in quo promereri potes regnum Dei in perpetuum. Omnibus quoque te amabilem, benignum, & affabilem sine dissolutione exhibeas. Omnia bona ad laudem Dei referas, & sine consilio & deliberatione nihil facias.

Lect. 15. Primo semper quære in opere tuo an Deo placeat, vel displiceat. nec timore, nec amore age contra conscientiã tuam. In dubiis ad Scripturam, & obedientiam prælati tui recurre, nec tibi ipsi nimis confide. Prius disce tacere, quam loqui, potiusque velis instrui, quam docere. Tutius enim est velle latere, quam apparere.

Lect. 16. Quæcunque ad te non pertinent, de his non iudices, nec te intromittas, vt semper pacem habeas. Qui communia sectatur, & singularia vitat, magis diligetur, & citius ad bonum finem perueniet. Qui tempestiue facit quod debet, lætior postea erit.

Lect. 17. Reuertere ad interiora cordis tui, & claude ostia oris tui, ne vagari incipias per varia desideria mundi consilio diaboli. Nocent mala audita, tentant pulchra visa, turbant illata vituperia. Recede ergo ab omni iracundo, indocto, dissoluto, & mane in silentio cum Deo.

Lect. 18. Sobrius esto in victu, modestus in vestitu, prouidus in verbis, honestus in moribus, maturus in consilio, fortis in aduersis, humilis in opprobriis, & humilis in prosperis, gratus in beneficiis, hilaris in despectibus, patiens in doloribus, discretus in omnibus agendis.

Lect. 19. Time Deum offendere in minimis negligentiis, & defectibus tuis. Noli præsumere in bonis, nec desperare in aduersis. Timor Dei facit recedere à peccato, & sollicitat in bono opere, vt bonum bene fiat. Totum te Deo committe, & quod tibi est graue, fiet cito portabile. Pax tua in patientia multa. Leuis est omnis tribulatio pro vita æterna.

Lect. 20. Vende Deo omnia commoda tua, & dabit tibi solatia meliora, gratia adueniente in vna hora. Nemo ditior, nemo liberior eo, qui se ad omnia Deo dat, & Christum amando emit, qui mundum cruce redemit.

Lect. 21. Christus sit vita tua, lectio tua, meditatio tua, locutio tua. Ipse desiderium tuum, lucrum tuum, tota spes tua, & merces tua. Si aliud quæris quam pure Deum, damnum patieris, laborabis, & requiem non inuenies.

Lect. 22. Hymnos & psalmos canere, monachorũ est, & clericorum, quibus congaudent Angelorum chori, laudantes Deum iugiter in regno cælorum. Seruire carni mors, cibus vermium, nidus dæmonum, vita peccatorum, fomes morborum, corruptio corporum, inquinatio morum, perditio bonorum, acquisitio multorum malorum & dolorum. Seruire Deo, beatitudo animæ, sanitas corporis, prudentia Spiritus, vita cælestis. dulces hymnos Deo cantat, qui in tribulatione sua Deum semper laudat. Initium & finis omnis boni religiosi, Deum corde amare, ore laudare, & fratrem suum exemplo ædificare.

Lect. 23. Zachæe frater descende de altitudine sæcularis scientiæ, veni & disce in schola Dei viam humilitatis, & mansuetudinis, & patientiæ, & per quam possis Christo docente ad æternę beatitudinis gloriam secure peruenire. Amen.

Conclusio. Scribe monache Alphabetum istud in corde tuo, quasi in libro vitæ, & per singulos Dies chartulam tuam inspice & bonos mores assuesce, pauca sunt verba, sed magna sunt mysteria & perfectorum opera. Ornant exterius, & quietant interius. A contemptu & suipsius abnegatione incipit vita boni religiosi monachi, & proficit vsque ad contemplationem Dei.

EIVSDEM S. BONAVENTVRÆ

Alphabetum Religiosorum incipientium.

AMA paupertatem, sis vilibus contentus,
Bonis semper actibus iugiter intentus.
Caue multiloquium, studeas silere,
Deum omni tempore præ oculis habere.
Esuriem amplectere, gulam refrenando,
Fratrumque conuiuia segniter sectando.
Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,
Humilibus consentiens maiores honorare.
In omnibus obediens, Prælatoque parebis,
Charitatem insuper cum omnibus tenebis.
Lumbos stringe lubricos Domini timore,
Mundans cordis oculum casto cum pudore.
Nihil seruans proprium, nudum sequẽns Christum,
Onus leue sufferens, mundum vincens istum,
Passum Christum recole corde gemebundo.
Quærens Dei gloriam nil aliud in mundo
Resistendo vitiis, orando feruenter,
Sacramentum sumere debes reuerenter.
Tu motum mentis comprime, iram mitigando,
Vanaque colloquia sollicite vitando,
Christo frui cupiens, cellam frequentabis.
IESVM super omnia sic dulciter amabis.
Zelo Dei feruens charitatis igne.
Et in te peccantibus ignoscas benigne.

Non nomen sed factum, non verbum sed adiectum, facit beatum.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Collationes octo.

Hæ Collationes, vt in impressis hactenus Opusculis fertur à S. Bonauentura habitæ sunt in conuentu Tolosano, quibus ad virtutes religiosorum statui maxime conuenientes, fratres suos exhortatur.

COLLATIO I.

De verbi incarnatione.

VIDE anima mea innouata, mirabilia veritatis. Hæc omnia videre possumus, quæ fecit iunctura confœderans Deum & hominem in verbo, quod factum est, quod fecit Deus, & ostendit nobis. Primo vis videre æternitatem nouam: quia qui Filius Dei est æternaliter, caro factus est temporaliter. *Luc. 2. b* Vide anima mea, non poterat te redimere, nisi haberet pretium, nec debebat secundum legem, nisi esset propinquus. Homo propinquus erat, sed pretium non habebat. Deus pretium habebat, sed propinquus non erat. *Isa. 13. b* Non debebat nisi homo, non poterat nisi Deus. Factus est ergo Deus homo propinquus, & factus est noster

noster IESVS vir pretiosior auro, & homo mundo obrizo, vt dicit Isaias: Sacculum pecuniæ tulit secum: quia Deus homo in carne apparuit, & Verbum in carne quasi pecuniam in sacco abscondit, & hominem reum redemit.

Rom. 9. f

Secundo admittit immensitas breuitatem, quia Verbū abbreuiatum fecit Dominus super terram. Verbum, inquam, diuinitate immensum, est positione præsepij abbreuiatum. Vide anima mea, dulcia mirabilia & omnino tibi necessaria. Tua necessitas non minus, quam Dei Filio supplebatur, sed tua possibilitas non capiebat immensum, & maior erat necessitas, quam capacitas. Propter quod mirabilis dispensatio consilij charitatis diuinæ prouidit, vt scilicet daret nobis Filium quo indigebamus & paruulum quem capere poteramus. Ideoque paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.

Isa. 9. b

Tertio admittit pulchritudo obscuritatē: quia quidquid iucunditatis habeo, si non possim videre, tam immensæ charitatis donum, quid mihi prodest? Vnde in nostro IESV aperta est illa facies, in quam desiderant Angeli prospicere, sacco mortalitatis nostræ: vt non solum visibilem cerneremus inuisibili speciem, sed nobis similem amaremus in nostra carne. Vnde in Apocalypsi dicitur: Factus est sol sicut saccus cilicinus. Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui secundum Apostolū est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, Speciosior plane sole: super omnem dispositionem stellarum luci comparatus inuenitur prior, & tamen propter nos factus est quasi saccus cilicinus propter asperitatem.

1. Pet. 1. c
Apoc. 6. d
Heb. 1. a
Sap. 7. d

Quarto, admittit celsitudo abiectionem, imperium seruitutem, quando non ad me, sed infra me descendit, quando hodie iacuit ad pedes animalium ille, cuius gloriosi pedes vix erant accessibiles altissimis Angelorum. Ecce ipse benedictus Deus omnia fecit ex parte sua, vt eum habeamus, fit homo: vt ei attineam: fit paruus vt eum accipiam, fit visibilis, vt eum agnoscam: fit humilis, vt eum attingam.

Quinto, fortitudo admisit infirmitatem, sapientia simplicitatem. Ego sum reus, & coram eius sapientia venire erubesco Ego aduersarius, & ideo ab eius potentia contremisco. Commissa mea, inquit, pauesco, & ante te erubesco. Ideo mira Dei benignitas, quæ semper magnificauit benefacere nobis, suam abscondit sapientiam in simplicitate, ne erubescam comparere: fortitudinem in infirmitate, ne pertimescam accedere. Ipse enim est, qui portat omnia verbo virtutis suę. Ipsum, inquam, tale verbum factum est caro, & non solum homo passibilis, sed etiam in paruulitate mihi similis, & carne mortalis.

Heb. 1. a

Sexto, iustitia subiit reatum, quia ne dicas quid proderit accedere, nec negotium meum contingat complere: Hæc autem est mea necessitas, quia conceptus sum in omni malo, & priuatus omni bono propter culpam meam & debitam pœnam, & indigeo à malo releuari, & in omni bono restitui. Et ideo stupendo consilio iustitia subiit reatum, vt iustificemur à malo, opulentia defectū, vt locupletemur in bono. Eum enim qui non nouerat omnino peccatum, scilicet innocentem Iesum, qui peccatū nō fecit, nec inuetus est dolus in ore eius, fecit Deus peccatum pro nobis, id est peccati nostri reatum sibi imposuit. Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum, vt efficeremur iustitia Dei in illo. O vere felicē necessitatem, quia ex quo Deus homo Iesus nostrum reatum assumpsit soluendum, vel necesse fuit Deum odire seipsum, quod est impossibile, vel reconciliari hominem reum, quod quidem est Deo acceptabile, & ab ipso intentum.

Isa. 53. c
1. Pet. 2. d
1. Io. 3. a

Septimo, subiit opulentia egestatem, vt locupletemur in regno. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam cum esset diues, propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus. O quantum deberemus esse locupletati, quibus Deus tātum dedit, quod nudus & pauper remansit. Vide felicem necessitatem, in qua se posuit pro nobis, amore nostro ebrius benedictus Iesus, quia necesse est hominem restitui in regnum, vel Iesum regem à regno exulare, postquam ipse nostram assumpsit inopiam, & simul in vnum conueniunt diues & pauper. Sic ergo anima mea tuus Iesus Deus æternus assumpsit nouitatem, vt ei attineas, immensus breuitatem, vt eum accipias, pulchritudo obscuritatē, vt eum attingas, sapientissimus simplicitatem, ne erubescas, fortissimus infirmitatem, ne contremiscas, iustissimus reatum, vt iustificeris à malo, opulentissimus defectum, vt locupleteris in bono. Hæc Vbertinus.

2. Cor. 8. b

COLLATIO II.

De timore Domini.

AQuia a sapientiæ salutaris fons vitæ, & initium sapientiæ timor Domini est, ait Bernardus: Optime refrigerans animam, in omnibus noxiis desideriis æstuātem, iacula inimici potens extinguere. [b] In omnibus, & per omnia pietati proximorum timor Domini præferēdus est. [c] Qui timorem Domini semper habet prę oculis, viæ eius pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. [d] Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum ipsorum dissimulans mala, & remunerās bona. Vt miro modo eis bona, & mala cooperentur in bonum, [e] In veritate didici, nil tam efficax ad gratiā promerendam, retinendam, & recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus es si cor tuum triplici timore repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, longe amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo reuertitur. Cum adest time, ne indigne opereris ex ea. Si recesserit multo magis timendum, quia vbi tibi deficit gratia, ibi deficis & tu. Time ergo subtracta gratia, tamquam mox casurus. Time quia reliquit te custodia tua. Pro omni tempore time Deum, & ex omni corde tuo. Tunc demum si plene, si perfecte timueris, dabit tibi saporem charitatis.

a Bern. ser. 1. in Epiph. Dominica 1. post octa. Epiphan. fin.
b Ser. 2. in Annūciat. Dom. post med.
c Ser. quomodo voluntas nostra voluntati Dei simpliciter subiici debet cir. fin.
d Ser. 23. in Cant. post med.
e Ser. 54. in Cant. post med.

COLLATIO III.

De obedientia.

VT igitur obedientia religiosi Deo sit acceptabilis, ideo debet esse prompta sine dilatione, deuota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseuerans sine cessatione, ordinata sine deuiatione, iucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, & vniuersalis sine exceptione. Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes. Hæc Augustinus, vt autem melius valeas esse obediens, cogita semper quando vox præcipientis sonat in auribus tuis, quod vocem istam non tāquam ab homine audias, sed tāquam ab ipso Deo. Item non est obediens, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Item Bernardus: At parum est esse subiectū Deo, nisi sis omni creaturæ humanæ propter Deum: siue Abbati tanquam præcellenti, siue Prioribus tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, paribus subdere, subdere & minoribus. Et si vis in iustitia esse perfectus, vade ad minorem, subdere inferiori, iuniori te inclinato. Nota. Climachus: Si quis erga patris subiectionem suam cōscientiam ad summum possedit mundam, iste de cetero per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero vitam expectans non conturbatur, cognoscens in solido, quia non ipse in tempore separationis, sed qui præest, reddet rationem. Idem infra: Quando absente eo qui præest, vultum ipsius imaginamur, hunc nobis astare putantes, & omnem collocutionem, vel sermonem, vel cibum, vel aliud quippiam eum suspicamur odire in nobis auertimus, tunc cognoscam, qua legitimam obedientiam vere exequimur.

Bern. ser. 42. sup. Cant. post med.
Ioan. Climac. de obedientia gra. 4. post med.

* * *

COLLA-

COLLATIO IV.

De verecundia.

Ex Bern. ser. 86. sup. Cant. non longe à pri.

NESCIO, an quidquam gratius verecundia ad ornatum in moribus hominum, esse queat? Quam pulchra hæc, & quam splendida gemma in vita & vultu adolescentis! quam vera, & minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis est index. Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actusque leues coerceat, reprimat insolentes. Quid ita turpiloquij, & omnis deinceps turpitudinis fugitás? Soror continentiæ est, indicium columbinæ simplicitatis, testis innocentiæ, lampas pudicæ mentis, iugiter lucens, & nihil in ea turpe vel indecorum residere attetat, quod non illico prodat. Illa expugnatrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutũ primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honestatis. Et infra: Quid tam amicum verecundo animo, quam secretum? Sed quid tam proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, vitare iactantiam; Quid tam indecorum, maxime adolescenti, quam ostentatio sanctitatis.

COLLATIO V.

De taciturnitate.

Ioan. Climac. de loquacitate gradu 11. Bern. ser. in natiuit. B. Mariæ de aquædu. Bu post med.

SILENTII amicus appropinquat Deo, & latenter colloquens à Deo illuminatur. Et infra: Sollicitus de exitu circumcidit sermonem, & qui luctum animę possidet, quasi ignem auertit multiloquium. Hęc Climachus. Bernardus. Bonum silentium à iactantia, bonum à blasphemia, bonum à murmure & detractione. Et infra: Sileat à nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua, quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Domini præstolari. Ita tamen ab his taceas ne omnino taceas, ne dederis silentium Deo. Loquere illi contra iactantiam in confessioné, vt obtineas veniam de præterito. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, vt ampliorem inuenias gratiam in præsenti. Loquere in oratione contra diffidentiam, vt consequaris gloriam in futuro. Confitere, inquam, præterita peccata, & pro præsentibus gratias age, & deinceps ora studiosius pro futuris, vt ne ipse quidem sileat à remissione, ab immissione, à promissione. Item: Iuge silétium & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cælestia meditari. Porro continentiæ labor & rigor disciplinę, Psalmorum, & hymnorum dulcedine releuantur. Pudor de præteritis, nouæ conuersationis temperat austeritatem. Venturi timor iudicij pio cedit charitatis fraternæ exercitio. Tædium & acediam procul pellit sanctarum varietas obseruationum. Item: Labor & latebræ, & voluntaria paupertas, hæ sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam.

Idē ep. 78. ad Sugger. Abb. ante med. Idē ep. 42. ad Henr. Senon. Archiep. cir. fi.

COLLATIO VI.

De deuotione.

a Ber. ser. 4. sup. Qui habitat ante med. b In declā. super Ecce nos cir. fin. c Ser. 6. in Ascen. Dō. post med. d Ser. 40. in Cant. prope fin.

RENVAT [a] consolari anima tua in alienis, si vis in Dei amore delectari. [b] Delicata siquidem consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Et infra: Cuius mens ad alienas inhiat consolationes: & nō penitus renuit in caducis, & transitoriis consolari, ipse sibi profecto subtrahit cælestis gratiam consolationis. [c] Errat omnino siquis cælestem illam dulcedinẽ huic carni, diuinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur. Non amat veritas angulos, in medio stat disciplina, omnium studiis delectatur. Item: [d] Sancta anima sola esto, vt soli illi serues teipsam, quem ex omnibus elegisti tibi. Fuge publicum, fuge domesticos, secede ab amicis & intimis, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine ceterorum. Ipsum obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. Secede ergo, sed mente non corpore, sed intentione, sed deuotione, sed spiritu. Et infra: Solus es si communia non cogitas, si non affectas præsentia, si despicias quod multi * suscipiunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuitas si damna non sentias, si nō recorderis iniuriam. [e] Cibus animæ gratia Dei, dulcissimus sane & omnem habens suauitatem, & delectamentum saporis, nō modo delectat, sed reficit & medetur. Quattuor sunt signa, quæ ostendunt præsentiam gratiæ Dei. In primis si cor in se est pacatum & quietum, quia in nulla re requiescit, & impletur cor nisi in solo Deo, quamuis & cetera afficere quidem possunt, implere autem nō possunt. Secundum, quando mẽs & animus ad deuotionem inclinari se sentit. Tertium, in præsentia gratiæ, tunc plus solito facies hominis hilarescit, & benignam se ostendit. Quartum est fere idem, videlicet cum in motibus exterioribus plus homo est compositus atque ordinatus.

Psal. 44. d

*f. * suscipiunt.*

e Ber. 3. in Annunciatione Dom. non longe à pri.

COLLATIO VII.

De diligentia.

VNVM est quod multos perfecta & feruenti emendatione retrahit. Horror difficultatis, seu labor certaminis. Quoniam vero illi maxime præ aliis in virtutibus proficiunt, qui ea quæ sibi magis contraria & grauia sunt, virilius vincere nituntur. Nã vbi homo plus proficit, & gratiã ampliorem meretur, ibi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. Duo specialiter ad magnam emendationem iuuant, videlicet subtrahere se violenter ad quod naturę vitiose inclinatur, & feruenter instare pro bono, quo amplius quis indiget. Quam nociuum est negligere vocationis suę propositum, & ad non commissa sensum inclinare. Religiosus qui se intente & deuote in sanctissima * vita, & passione Domini exercet omnia vtilia & necessaria sibi abundanter ibi inuenit, nec opus est, vt extra IESVM aliquid quærat. Religiosus feruidus omnia bene portat & capit, quæ ibi iubentur. Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte angustiam, quia interiori consolatione caret, & exteriorem quęrere prohibetur. Religiosus extra disciplinam viuens, graui patet ruinæ. Qui laxiora quærit & remissiora, semper in angustiis erit, &c. vt patet in deuoto libello de imitatione Domini nostri IESV CHRISTI.

COLLATIO VIII.

De disciplina.

f Ber. ser. 23. super Cant paulo ante me.

PRIMO [f] omnium, iugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac diutinis seniorum attrita legibus humiletur, & sanetur ceruicosa voluntas, bonumque in se naturæ, quod superbiendo amiserat, obediendo recipiat. Et infra: Accedit nimirum disciplinatis moribus bonum naturæ, quo redditur homo suauis & mitis, homo sine querela, neminem circumueniens, neminem concutiens, neminem lædens, nemini se superextollens, aut præferens. [g] O quam compositum reddit omnem corporis statum, necnon & mentis habitum, disciplina. Ceruicem submittit, ponit supercilium, componit vultũ, ligat oculos, cachinnos cohibet, stringit gulam, iram sedat format incessum. Nam de monachis ordinatis & inordinatis dicit Abbas pastor sic: Qui querulosus est, monachus non est. Qui malitiam in corde tenuerit, monachus non est. Qui iracundus est, monachus non est. Qui elatus & verbosus est, monachus nō est. Qui vere est monachus, semper est mansuetus, humilis, charitate plenus, & timorem Dei semper & vbiq; præ oculis habet, vt non peccet. Item Ioannes Abbas montis Sinai dicit: Monachus est, qui solum quæ Dei sunt agit, cogitat, & loquitur, Christo vnitus in omni tempo-

g Idem ep. 103. ad Sophiam Virg. post me.

Ioan. Climac. de mundi vita fuga, gradu 1. ante med.

tempore, loco & negotio. Monachus est, violentia naturæ indesinens, & custodia sensuum indeficiens. Monachus est, sanctificatum corpus, expurgatum os, & illuminata mens. *Et infra*: Et quis putas est fidelis & prudens monachus? qui sub obedientia, subiectione, & labore doloreque calorem suum custodit inextinguibilem, & vsque ad suum exitum ignem igni adiicere, & feruorem feruori, & amorem amori, & desiderium desiderio, & sollicitudinem sollicitudini quotidie nõ cessauit. Vnde & Bernardus: Ille vere est monachus, qui deuotionem tenet in choro, patientiam in capitulo, disciplinam in labore, meditationem in lectione, feruorem in oratione, castitatem in tentatione, tolerantiam in aduersitate, humilitatem in prosperitate.

Idem in fine.

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS Opusculum, QVOD INSCRIBITVR SPECVLVM DISCIPLINÆ AD NOVITIOS.

Hoc opusculũ cum sequenti Antuerpiæ Anno 1591 prodijt opera RP. Hẽrici Sedulij Cliuiensis, Guardiani Antuerpiensis. Cuius præstantissimi viri diligẽtia in his duobus opusculis pristino suo nitori restituendis eiusdem eruditionem, & doctrinam satis probat. ac vtinam opuscula alia Auctoris nostri parem virum inuenissent: non enim in ipsis restituendis tantum laboris susceptum esset: nec tantis respersa mẽdis hactenus essent emissa. Quare iuxta Henrici prædicti castigationem hæc duo opuscula Vaticanæ huic editioni inseruntur: ac pro argumẽto eorundem eius epistola ad Lectorem hic subycitur. Habes, amice Lector, Speculum disciplinæ S. Bonauenturæ, & De Profectu Religiosorum, libellos prorsus mirabiles, licet contẽptibiles mundo. Sed quæ stulta sunt mũdi, elegit Deus, ait Apostolus, vt confundat sapientes. Auctor quidem non admodũ curiosus est latinitatis, & elegãtiæ: vt qui nouerit nõ in sermone esse regnũ Dei, sed in virtute. Si pius esse velis, lege & relege diligẽtius: placebunt. sin autem, ne legas: ne sanctum canibus, & mittãtur margaritę ante porcos. Quos vero lõge piissimus Dominus Hesius, venerandæ memoriæ apud Leodiẽses Canonicus, & P. Ramus Iurisconsultorũ quondã Louanij decus, & pleriq; alij pij viri iuxta ac docti diligentissime lectitare solebãt etiã ad mensam, pro excitando in Deũ spiritu, nemo facile debet cõtemnere. Huius admonitum te breuibus cupio, nonnullos opinari, S. Bonauenturã non esse auctorem Speculi disciplinæ. Sed hoc dubiũ nobis eximit ipse Bonauentura, qui prologo vtroq; in De Profectu Religiosorũ plane testatur, se conscripsisse formulam priorẽ de exterioris hominis cõpositione. Quibus verbis Speculũ Disciplinę intelligit. Potuit autẽ fieri, vt Speculum hoc non tã accurate conscriptũ reliquerit: quod ipsum quoque satis innuit antiquissimum exemplar editũ Argentinæ, Anno 1495. Quod ita habet in libri frõtispicio: Speculum Disciplinę in hanc formam redactum est à F. Bernardo à Bessa, qui fuit socius S. Bonauenturæ. Nam ab ore S. Bonauẽturæ fuit scriptũ, & inordinate relictum: ẽ quo homines discerent cælestes mores. Miror autẽ valde, duos hosce libellos semper fuisse disiunctos: quãdoquidẽ ipsa materia librorum postulat ne disiungantur. Quid enim coniunctius esse potest, quam homo exterior & interior: hoc est, corpus & anima. In Speculo Disciplinæ, de cõponendo homine exteriori: de formando interiori homine disserit in De Profectu Religiosorũ. Hic liber variis nominibus insignitur. Exemplaria vetustissima cõstanter vocant De Profectu Religiosorum: sed Venetũ, quod prodiit Anno 1584. appellat De Reformatione mẽtis, librũ priorẽm: posteriorẽ vero, De processu Religionis Mirũ in modũ variant exemplaria antiqua in scriptionibus, lectione, & distinctione capitũ. Quare facta diligẽti collatione multarum editionum, elegantius hi libri prodeũt, summã doctrinam pietatis in se continẽtes, & ad vitam bene beateque instituendam, omni Religioso, diuinæque sapientiæ amantissimo, maxime necessarij.

1. Cor. 1. d
1. Cor. 4. d
Matt. 7. a

Itaque, amice Lector, te oro, vt cum labore nostro frueris, hũc tuis precibus apud communem Dominum nostrum Iesum Christum compensare digneris. Vale.

S. BONAVENTVRÆ, IN SPECVLVM DISCIPLINÆ AD NOVITIOS. PROLOGVS.

AD honestatem tendẽtes, in primis necessariũ habent vt per exercitium disciplinę, virtutis titulũ citius apprehẽdere possint, Nam, vt ait Hugo de S. Victore, vsus disciplinæ ad virtutẽ animũ dirigit: virtus autẽ ad beatitudinẽ perducit: ac per hoc, inquit, exercitiũ disciplinæ esse debet nostra inchoatio, virtus perfectio, præmiũ virtutis ęterna beatitudo. Verũ qui disciplinam in nouæ cõuersationis initió negligit, ad eam postmodũ difficile applicatur, & formã quã primo quis recipit, vix deponit. Adolescẽs namq; iuxta viã suã etiã cũ senuerit, nõ recedit ab ea. Optima viuendi forma eligenda est, q̃ reddat assuetudo iucundã. Primus autẽ ad profectũ gradus, defectus cognitio; magnaq; omnino prudẽti securitas, viuendi modũ nouisse congruũ, ꝑ varia rerũ & accidentiũ qualitate, nec minimũ est cõtẽnere minima, quæ nõ minimã moribus maculã, eo turpius neglectui habita ingerunt, quo vitari facilius cognita valuerũt. Proinde q̃ Spiritu Dei aguntur, moralibus documentis intendũt: q̃ tamen superbi & fatui contẽnentes, nũc superstitiones, nũc cærimonias vocant: aut certe calũniis fucatis impugnãt. nec enim stultus verba prudentiæ recipit: nisi ea dixeris, q̃ versantur in corde eius. Hic ergo tractatulus per superiorũ impositionẽ exactus, rudi quidẽ iuxta scribẽtis ruditatẽ, & intẽti exigentiã stylo, ex diminutis quoq; ac nudis, ob breuitatẽ, incõpactisq; interdũ, sed cõgruis prò morũ traditiòne sentẽtiis editus, nouis Christi discipulis, pro aliquali speculo inspiciendus proponitur: vt p pauca sibi proposita, occasionaliter fiant in plurib. cautiores. Da sapienti occasionẽ, ait Salomon, & addetur ei sapientia. Attendãt tamẽ quædã hic accipienda fore cõmuniter, & magis & minus, pro loco & tẽpore obseruãda, licet nõ semper pro singulis conditionũ modificatio replicetur. Prudens, vt rerũ varietas exigit, ita se accómodat tẽpori, nõ se in aliquib. mutãs, sed potius aptans: sicut manus q̃ eadẽ est cũ in palmã extẽditur, & cũ in pugillum cõstringitur. Nec moueat, si qua ꝑ iuniorib. impertinentia videãtur. Proinde iunior in his sæpe, q̃ ipsũ excedũt, instruitur, vt seniorũ se proposito applicãs, sit quãtũ cõgruit aptior ad agẽda, cautior ad cauenda. Prolixitatem, forte

Hugo to. 1 instit. monast. ad minus in Prologo.

Prou. 22. a Primus ad virtutem gradus, proprii defectus cognitio. Obseruent monasticarum cærimoniarum osores *Prou. 18. a*

Prou. 9. b

Seneca lib. de Virtut. cap. prudentia. Simile elegans.

tetricus, si quis fuerit inspector, causabitur: sed necessariam inexpertis dicẽdorum expressionem aduertat: nec facile rudes (pro quibus est opera) generalibus posse cõmatibus, id est, breuibus & incompletis sententiis erudiri, aut concisis passim proficere parodoxis, vnoque nihilominus nouerit titulo multa quandoque perstringi, quæ specialem requirerent explicanda tractatum. Duas autem particulas, principalem videlicet & incidentalem, huius operis series habet. Principalis diuiditur in duas: in quarum prima de præparatoriis ad disciplinam, & aliquibus eius effectibus incidenter: in secunda de ipsa plenius tractatur. Præparatoria sunt per modũ principij, medij & postremi. Depositio vetustatis, stabilitas mentis aduersus tẽtationes diaboli, & subiectionis humilitas. Primum præparationem inchoat, secundum cõtinuat, tertium vero consummat. Seruanda erit vbique maiorum & minorum paragraphorum distinctio, ad seriei & ordinis euidentiam ampliorem.

Diuisio libri.

SPECVLI DISCIPLINÆ AD NOVITIOS, PARS PRIMA.

De præparatorijs ad disciplinam.

CAPVT I.

De vetustatis depositione.

Ephes. 4. e

Transitoria omnia abdicãda.

DEPONENDVS est, secundum Apostolum, vetus homo, & induẽdus est nouus: quod perfecte implent, qui transitoriis abdicatis, non solum peccata, verumetiã occasiones fugiunt peccatorum: veteriq; fermento per puram confessionem plenius expurgato, in vitæ nouitate perfecta, soli præeligunt Domino militare. In odorem igitur vnguentorum Christi, per compendiosam & tutam sacræ religionis semitam currere cupientes, prius rerum temporalium fasciculos deprimentes abiiciant: vt ab omni tam possessione, quam cura penitus expediti, Christum Dominum expedite sequantur, & non sint eis tentationis occasio vel ruinę. Quod si ante religionis ingressum non fuerint expediti, post ingressum saltem expeditionem huiusmodi per alias personas, vel per litteras, iuxta superioris arbitrium quanta possunt acceleratione procurent: non expectatis opportunitatibus, aut vtilitatibus deceptoriis, quas frequenter diabolus sub specie pietatis suggerit. Summa sit eis vtilitas, vtilitates huius mundi contemnere propter Christum: iuxta verbum sancti Hieronymi: Nemo renunciaturus sæculo, bene potest vendere, quæ contempsit vt venderet. Si habes, inquit, in potestate rem tuam, vende: si non habes, proiice. totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Post religionis ingressum continuo debent confessioni faciendæ vacare: & de omnibus quæ in sæculo à pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosa sollicitudine reuocatis, generaliter confiteri. Malorum namque confessio, initium est bonorum. Ordinis ergo status reiicit res atque reatus.

Hieron. ep. 103. ad Paulin. in fine.

Cofessioni generali vacandum.

August. in Ioan. trac. 12. sub fine.

CAPVT II.

De constantia mentis, & cautela contra tentationes diabolicas.

Exo. 14. a

Eccli. 2. a

Non fluctuãdum in bono proposito.

Heb. 13. b

QVONIAM autem Pharao persequitur Israelẽ fugientem, & cõteptus surgit in scandala, nũc aperte, nũc occulte, sub specie boni periculosius tentans: faciant quod scriptum est: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem. Solent præcipue vires tentationi præbere fluctuatio mentis circa propositum ingressuræ vel ingressæ religionis, tarda tepidaque repulsio, & deiectio Spiritus desolati. Ea propter in primis in proposito sancto cor suum omnino stabiliant & confirmẽt: ne velut arundo diuersis ventorum flatibus agitati vacillent. Optimum est, inquit Apostolus, gratia stabilire cor. Et prosper ait, Quẽlibet hominem donec se, in eo quod elegit, certa definitione confirmet, velut in quodam deliberationis incertę biuio constitutum, discerpit ipsa diuersitas voluntatum. Virtus, inquit, hortatur & prouocat, vt definitionis ambiguitate deposita, propositum spiritale suscipiat, perseueraturum se in suscepti labore propositi, non sua possibilitate, sed Domini miseratione confidat. Cogitet quanti & quantæ potuerũt & possunt, quod se posse desperat. Vnde illi potuerunt, inde se posse firmiter credat. Meminerit illud Apostoli, Fidelis Deus qui vocauit vos, qui etiam faciet, &c. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: current & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Ad hæc, tentationum & cogitationum malarum viriliter principiis, & absq; moræ dispendio est obstandum. Quod si earum insultus spiritum inquietẽt, non solum familiaris confessor, verumetiam fratres alij seniores sunt in adiutorium aduocandi, vt vnius debilitas multorum adiutorio sustentetur: Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Qui autem vulnus detegere, vel auxiliũ petere negligit, sua non immerito negligentia perit. Deniq; cum diabolus, serui Dei spiritum per tristitiam deiicere studeat, ipsam, si quando irrepserit, citius repellentes, Christo Domino, qui datorem hilarem diligit, in cordis lætitia famulentur: attendentes sollicite, ne de sua vnquam vocatione ingrati, aut tepidi regratiatores appareãt coram Deo, vbi sol radiat gratiæ, nubilum turbationis abscedit. Solet in aqua turbida latere piscaturus animã coluber tortuosus. Maximũ inhabitantis gratię signum spiritualis lætitia. Porro qui vocãtis gratiam non agnoscit, indignum se vocationis fructu constituit. Beneficiis ingratus exhibitis, ineptus efficitur exhibendis. Valet quoq; interdum conuersis pro animę salute, mutatio loci. Plerumq; enim dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus. Valet pro mẽtis tentationibus impulsæ præsidio, valet pro morum citius ac perfectius assequendo peculio, extra cognationem & patriã, vel ad tempus secedere. Verum, quia per se nullo modo sufficerent, ad machinamẽta diaboli repellẽda: ad Christum, propter quem omnia contẽpserunt, qui est tentatorũ refugium, & debilium fortitudo, qui se fideliter inuocantibus facit cũ tentatione prouentum: vt valeãt sustinere, crebris supplicationibus & deuotis recurrant: vt qui eos dignatus est de fornace Babylonis eripere, bonũ in eis perficiat quod incepit. Frequens & feruens oratio, dissipat omne malũ. Ollæ feruenti muscæ nõ * incident.

Prosper li. 3. de vita cont. c. 16.

1. Tess. 5. d

Isa. 40. a

Tentationum initiis absque mora resistendum.

Prou. 18. c

Tristitia animum deiiciens, cito repellenda.

Nota sententias aureas.

Mutatio loci.

Bernar. de modo bene viuendi, ad soror. ser. 6. in fine, ex Isidoro lib. 2. de Sum. bono. c. 10. sent. 7.

1. Cor. 10. c

Crebro orandum & feruenter.

*al. insidẽt.

CAPVT III.

Quomodo necessaria sit ad disciplinæ susceptionem humilitas.

DENIQVE quoniam, vt ait Hugo, Sicut cera, nisi prius emollita fuerit, formam non recipit: sic & homo quidem ad formam virtutum nõ flectitur, nisi ab omni elationis & contradictionis rigore, per humilitatẽ humilietur: necesse habent qui disciplinę cupiunt moribus informari, vt humilitatis radicem in corde figere studeant, & tumorem propriæ voluntatis, præsumptionis, & irreuerentiæ vitia, quæ à superbia procedere solẽt, tam in re quam in signo vigilantius caueant, vt humilitas ancillæ more, locum præparet disciplinæ.

Hugo to. 2 instit mon ad nouit. c. 7.

CAPVT IV.

De captiuatione voluntatis propriæ.

VOLVNTATEM itaque propriam ingenti curent studio captiuare. Quid enim prodest sub vnius ordinatione viuentibus, quod facultates suas abiiciunt: si proprias voluntates non relinquunt: cum sit præstantius voluntatibus renuntiare, quam rebus?] Tota religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistit: quare potissimum perfectionis & disciplinæ industrius appetitor, voluntatibus propriis edomandis, & præsidentium

Prosper li. 2. de vita contemp. c. 17.

Voluntatis propriæ abdicatio, tota religionis perfectio.

dentium nutui subiugantis inuigilat. Profectò in duobus erit subiectæ probatio voluntatis, si videlicet in sibi iniunctis deuotè obediat, & in agendis suis semper habere auctoritatem obedientiæ non omittat. Primi, hoc est, obedientiæ in iniunctis patet necessitas, patet & meriti magnitudo. Nam quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamē certū displicere Deo: hoc omnino accipiendum est, quasi præcipiat Deus.] Ad meritū etiam melior est obedientia quā victimæ, sanctæq; obedientiæ holocausto, nihil Deo gratius exhibetur. Nemo ad perfectionis semitam currendā magis expeditus, quam verè obediēs. Quamobrem obedientiæ filij se totos ad obediendum exponant, moxq; vt prælati vocem audierint, quasi diuinitus imperetur, moram pati nesciant: sed relictis omnibus, ad iniuncta quæq; fideliter exequenda, promptā deuotione consurgant: vt vicino obedientiæ pede, velut vno momento, iubētis vocem facti, exhibitione sequantur.] Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit. Quinimmo nec bonus obediēs verbum expectat, vbi de superioris sibi constiterit voluntate. Illum autem optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur: cum ex voluntate iubentis, pēdet intentio exequentis. Nunquam de maiorum sententia iudicent, quorū officij est obedire, & implere quæ iussa sunt.] Deinde si ad profectū volunt obedientiæ peruenire: constanti secum deliberatione proponant, deuotè semper ad omnia obedire. Si quid igitur graue vel impossibile forte iniungitur: suscipiant quidem cum omni mansuetudine iubentis imperium. Quod si omnino suarum virium pondus excedat, impossibilitatis suæ causas ei qui præest, patienter & opportune insinuent, non superbiendo vel contradicēdo, vel alias leui murmure resistēdo, si adhuc superior in sua manserit sententia, ita sibi nouerint expedire, & ex charitate de adiutorio Dei confisi, obediāt.] Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem: mortem autē crucis. Qui licet ad Patrem pro calicis translatione clamauerit, continuo tamen adiunxit, Verumetiam non mea voluntas sed tua fiat.] Non solū maioribus, sed sibi etiam inuicē obedientiam certatim impendant.] Incūbit enim Christi discipulo, vt omni petenti se tribuat, & exemplo Apostoli voluntarios se omnium seruos constituant: sintque, vt scriptum est, subiecti inuicem in timore Christi.] Secundi necessitas, hoc est obedientiæ in agendis, ne quid videlicet sine obedientia præsumatur: quia simplicioribus forte aliquibus minus patet, aliquāta videtur prosecutione tangenda. Habenda est plane in agendis, obedientiæ sanctæ auctoritas: sine qua nec etiā ipsa bona, bona sunt, voluntas siquidē propria, boni virtutem infirmat. S. Bernardus super cantica ait, Grande malum propria volūtas, qua fit, inquit, vt bona tua, bona non sint. Etenim si in die ieiunij mei, inueniatur voluntas mea, non tamē ieiunium elegit Dominus: nec sapit illi ieiunium meum, quod non obedientiam, sed vitium voluntatis propriæ sapit. Et subdit: Ego autem non solū de ieiunio: sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni obseruantia monachi: vbi inuenitur voluntas sua in eo, & non obedientia magistri sui, idipsum sentio, minime prorsus obseruantias illas etsi bonas in se, inter virtutes censuerim deputandas.] Itaque noui Christi discipuli, semetipsos penitus abnegantes, in agendis suis, id est, in operationibus, locutionibus & rerum quarumlibet vsu, non propriam voluntatem sed superiorum, in omnibus dispositionem sequātur. Pro quibus tamen sit specialis eorum licentia vel assensus habendus: considerari oportet. Et primo, circa operationes videndum: Quod earū quędam communes seu conuentuales, quædā speciales seu personales esse noscuntur. Specialium etiam quędam ad proximum, quædam ad personam pertinent operantis. Pro conuentualibus, quæ commune simul attingūt collegium, exequendi non est licentia requirenda, cum ad huiusmodi sit eatenus superiorū licentia, immo imposito generalis: vt ea, quę siue in choro, siue in refectorio, siue alibi modo prædicto, ad vitæ conuentualis consuetudinē pertinēt nullus cōuentualis auctoritate propria, præter euidentem necessitatem licite prætermittat. Inde est, quod ab officio chori, ab aliqua videlicet hora Canonica, vel à cōmuni conuentus refectione, aut à conuentualibus aliis, quemque absq; licentia remanere, vel assistentem recedere, his necdum in collegio cōsummatis, licet. Pro specialibus ad proximi alterius fratris necessitatem spectantibus, nullum communis seu conuentualis vitæ consuetudini, aut executioni specialiter iniunctorum impedimentum præstantibus, nequaquā ad superiores, sicut nec pro cōmunibus, pro licentia dixerim recurrendum: cum secundum Apostolum, Alter alterius onera portare, & per charitatem Spiritus seruire inuicē debeamus. Verumtamen tempore quo conuētualia, vel alia iniuncta fieri debent, non sunt pręter licentiam specialem, seu gratuita huiusmodi faciēda. Illa quoq; quæ ad quotidiana communium officiorū obsequia, vel ad proximi necessitatem non pertinent corporalem: quale est scribere in quaterno, & alia huiusmodi similia: maxime si occupationem prolixiorem inducunt, agenda sunt de superiorum assensu. Pro specialibus ad personam operātis spectantibus, siue ad carnis mortificationē pertineāt, vt sunt vigiliæ nimis longæ, vel abstinentiæ singulares: siue ad exercitium spectent operis manualis per se vel per alium faciendi, licētia quęratur: sine quā Religiosus suas singularitates facere non debet, quippe cui nec corpus suum habere licet in propria voluntate.] Et quod sine permissione patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi.] Nec potest sibi optari prouolito, siue pro scribendo, siue alia faciendo, siue in rebus suo vsui deputatis, vt sunt libri, vestes, lecti, & alia huiusmodi aliter immutādo. Incongrue quoque pro vno, res pluribus seruitura mutatur. Fit res frequenter ex mutatione deterior: & quod mihi studiose coapto, aliis discoapto. Hæc de operibus. Nec tamen negauerim ad minima seu exilia quædā, & vix reputanda alicuius momenti, solam sufficere conniuentiam Prælatorum. Circa locutionem hoc teneant, vt coram superiore, maxime in capitulo, sine eius assensu præhabito non loquantur. Alias de necessariis & honestis, loco & tempore debitis, loqui prout eis ordinatum fuerit, poterunt inter fratres. Locutio vero cum extraneis, siue sæculares, licet fratribus obsequentes siue religiosi quilibet fuerint, fratribus nouitiis est probationis tempore penitus interdicta, sine fratre professo, qui omnia loquentis verba & respondētis audiat, sine licentia speciali: sine qua nec ad portam, nec ad extraneos ipsis indulgetur accessus. Personis tamen huiusmodi si occurrerint, poterunt inclinare: vel si locus, aut tempus loquendi fuerit, & non potuerint subterfugere, bono modo eos breuiter salutare. Si de loquendo secum requiratur ab eis, respondere humiliter debent, se loquendi aut morandi licentiam non habere. Nulla prorsus alia eorum audiant verba, nec cum eis aliquatenus sedeant, vel vlterius commorentur: sed si locutionem necessitas exigit vel honestas, dicant ad eos, obtenta si poterunt licentia reuersuros, valeque recedendo potius faciant quam morando. De licentia tamen huiusmodi, Prælato est cautius prouidendum, vel ab ipso tantum, vel ab eorum instructore (qui est eis ab ipso religionis ingressu specialiter assignandus) semper cum præsens in domo fuerit, requiratur: ne à diuersis, nō absque vitandæ confusionis periculo, minus prouide concedatur. Circa receptionem rerū, distributionem & vsum, quoniam à superiorum auctoritate dependent, duo præcipue subditis attendenda videntur. Primum, vt qui dat aliquid, illud ex officio possit dare: secundum, vt det quidem, non secundum propriam voluntatem, sed prout sibi à superiore fuerit constitutum. Nec superflue dixerim ad officium attendendum: qui enim non habet officium administrationis, nihil aliis debet communicare, vel in fraudem horum dimittere potest. Rursus ipsorum officialium officia sunt distincta. Aliis namque necessariarū rerū procuratio, non tamen procuratarum

Marginal notes: Obedientiæ necessitas & meritum. *Bern. tract. de præcepto & dispens.* *1. Reg. 15. c* *Bened. in reg. c. 5.* — Perfecta obedientia, sua imperfecta relinquit. *Bern. tract. de præcepto & dispens.* *Hier. to. 1 ep. 4. ad Rust. mon.* *S. Bened. reg. c. 68.* — *Phili. 2. a* *Luc. 22. e* *S. Bened. reg. c. 27.* *Luc. 6 d* *1. Cor. 9. c* *Ephes. 5. e* — Obedientiæ in agendis auctoritas superiorū accedat. *Bern. ser. 71. in Cant. in fine* — Voluntas propria, grande malum. — *Hæc præcedunt priora verba.* — Obedientia in operationibus. — *Gal. 6. a* *Gal. 5. b* — *Bened. reg. cap. 33.* *Ibid. c. 49.* — Obedientia in locutione. — Obedientia in vsu rerum.

rum est distributio commissa: ab illis autem non est absque licentia recipiendum aliquid speciale. Aliis autem, iuxta diuersa rerum officia, cōmunis distributio rerum committitur. Ab his communia ipsa (si ordinarie, quando scilicet & vbi, vel quomodo, iuxta sui limitationem officii distribuere debent, distribuunt) licite recipi possunt. qui vero extraordinarie postulat, ad licentiam superioris recurrat. Præter communia supradicta, quicunque rem aliquam occulte, sine superiorum assensu recipit, habet vel vtitur, à religionis delirat licentia, & quidquid habet, male habet. Porro cum illud proprium esse dicatur, de quo * disponere licet iuxta propriam voluntatem, omni assensu alio circumscripto: non pauper sed Dominus reputandus videtur, qui rem quamcumque aliis distribuendo, vt libet, sine superiorum auctoritate dispensat. Res sunt quidem communes, sed vsus dispositio pertinet ad Prælatos: vt per eorum curam singulis, iuxta modum & regulam sibi à sanctis Apostolis constitutam, prout vnicuique opus fuerit, diuidantur. Vsurpatus autem sine licentia rerum vsus, culpabiliter temereque præsumitur, & prorsus illicite vendicatur. Statutum quoque religiosæ mancipationis euadit, qui in vsu proprio rem aliquā, siue à parentibus, siue à quibusdam aliis recipit, aut quod maioris est culpæ, receptam occultans, superiorum indicio non exponit. Qui rem sibi collatam celauerit, S. Augustinus eum furti censet in iudicio condemnandum.] Nulla enim res, quam superior non dederit aut permiserit, est licita proprium abdicanti. Sunt qui oblata sibi, sed Prælato mox deferenda recipere licitum existimant: sed regulari priuato, receptionem occultam non dixerim esse tutam. in commodandis pro cohabitantium indigentia rebus, non est lex posita charitati. Possum rem fratri petenti exponere concedendam, non tamen impendere vendicandam. Proinde fratres nouitii, nullatenus sine licentia, nec à se inuicem, neque à fratre, neque à quocumque homine rem aliquam, siue tabulas, siue acum, siue aliquid quodlibet accipere, aut dare attentent aliqua ratione. Sic nec litteras ad se missas recipiant, aut aliquo casu receptas aperiant, quæ à portitore, vel eo qui receperit, eas prius debent ad superiorem, vel si superior ordinauerit, ad eorum instructorē deferri. Sic nec rem alterius fratris vsui deputatam, præter ipsius conscientiam occupare licebit. Genus est furti, & plerumque turbationis occasio, rem fratris vsui deditam, eo, si adsit, inscio detinere. Potest fidelis seruus & prudens, nonnulla pro loco & tempore facere, de tacito vel probabiliter præsumpto superiorum assensu, ad ipsum denique finaliter, acta quæque per ausum huiusmodi relaturus. De cętero, quidquid religiosus boni facit, aut dicit, quod suo non nouerit displicere Prælato, à veræ obedientiæ merito non fraudatur. Felix hæc seruitus, immo gloriosa libertas, qua quis sponte in regiam venditus seruitutem, Deum & eius vicarios, potius quàm seipsum, super se regnare constituens, suæ prorsus renuntiat voluntati.

Proprium quid.
* al. dispēsare.
Act. 2. g
Aug. in regula c. 26.
Receptio alicuius rei occulta, religioso non est tuta.
Felix seruitus, non suæ, sed alterius pro pter Deū obedire voluntati.

CAPVT V.

De præsumptione tam in re, quam in signo.

PRÆSVMPTIONEM interiorem & exteriorem summopere fugiant. Interiorem, vt sensum suum sensui non præferant aliorum: nec de bonis à Deo sibi collatis inaniter extollantur: immo in tantum, cæteris se inferiores & viliores ex intimo credant affectu, vt nec se aliquid etiam esse existiment. Nempe, secundum Apostolum, qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Neminem spernant, neminem iudicent, cum frequenter humanum fallatur iudicium. & , B. Augustino teste, sæpe species facti se aliter habet, aliter animus facientis;] pie de omnibus quæ occurrerint, sentiant, licet rei nō intelligant rationem. Omnia peruersæ possunt peruertere mentes. Exterioris præsumptionis & superbiæ moram, in omni actione sua, gestu & verbo, summo studio fugiant: quæ humilitatis sunt, in omnibus amplexantes. Prætextu actionis præsumtionem in officiis & in locis euitēt. In officiis prælationis vel ordinis, aut in aliis, quæ aliquam videntur superioritatem habere, nihil sibi vsurpent. Liberā culpa non est, qui alienum vsurpat officium. Præsente superiore, vel alio fratre maiore quàm ipsi fuerint, ordine constituto, ad incipiendum extraordinarie officium, ad benedicendum cibum vel potum, ad dandum fratribus aquam benedictam, vel ad alia huiusmodi, se nullatenus ingerant. At diuinum quoque officium, nequaquam post seniores vel alios maioris ordinis, gradu promotos, proprio legant iniectu: quoniam quidem nullus omnino, in minori ordine constitutus, post alium maioris ordinis permittendus est legere, nisi necessitate cogente, vel legentium ordine permutato, vt in aliquibus festis fieri solet; præterquā in homilia quantum ad primam lectionem, quàm ratione Euangelii, Diaconus legere solet. Lectiones autem quę de homilia supersunt, nō sunt ab aliis facile, quàm à sacerdotibus præsumendæ. In choro, pro dissonantia forte cantantium, vel ob aliam huiusmodi causam, manū ad formam percutere; in mensa ictu cultelli, vel quomodolibet aliter signum cum sono facere, ab eis tantummodo fiat, quorū super defectibus chori vel mensæ intendere spectat: nec huiusmodi facile debent ab aliis vsurpari. Multa enim sunt superioribus licita, quę reprehēsibiliter ab aliis prę sumuntur. Ad hæc quia nouissimum eligi locum, magister ipse humilitatis hortatur, locus semper nouissimus nouitii gaudeant. Et numquam in choro, vel mensa, seu alibi, ad prima se ingerant loca: sed ad ea potius adeo caute ac sedula, si valuerint, prouisione declinent, vt vix ab aliis perpendatur. Alias omnino caueant, ne congregationis ordinem turbēt, & fiant inter alios pro tumultus occasione notabiles. Cauendum proinde, ne, dum nimis vitatur præsumptio, inordinationis accedat confusio. Vitanda est vbiq; disconuenientiæ nota, maxime in congregatione. Locus vero superior, ad quem necessitas vel superiorum trahit inductio, præsumptionis vitiū non inducit. Porro molesta est humilitas, quæ contentioni deseruit. Si quando iuxta superiorem, vel alios seniores necessario sederint, nō se nimis applicent iuxta eos. Iuniori siquidem aliquam à seniore distantiam, reuerentiæ ritus indicit. Antiquior autem frater in ordine, vel alius in officio præeminens, licet ætate sit iunior, senior appellatur. Ætas senectutis vita immaculata. Præsumptionem in gestu, elatum caput, sublimiores oculi, facies vultuosa declarant. Nam, vt ait Prosper, Erecta ceruix & truces oculi, & sermo terribilis, nudam superbiam clamant. Sed quantum per membrorū ministerium potest deprehendi prima superbiæ ostensio in oculis esse solet. Qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Secundum namq; Euangelium, Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit: ecōtra, si nequam, totum tenebrosum. Præsumptio etiam gestus, in signis & nutibus frequenter agnoscitur, vt exempli gratia, Si quis in choro, vel alibi, pro fratrum defectibus, satyrice nubilum vultuositatis assumat, vel leui cachinno, id est risu, vel motu capitis, oculorū circūlustratione, narium contractione, labiorum cōpressione, vel alio quouis modo, defectum fratris tacite arguat vel subsannet: si errante in choro, vel in mensa lectore submussitet, aut circumspiciat, quasi eum defectus legentis non lateat; quod frequenter solent facere etiam minus docti. In locutione etiam notatur præsumptio, si quod dicitur, non pertinet ad dicentem, aut dicendi modus aliquem superbiæ typum prætendat; aut pro loco, tempore, & personis fuerit à locutione cessandum. Propter primum, humilis frater de alienis factis inquirēdis se nullatenus intromittat. Alios fratres docere, regere, arguere, vel eis aliquid imponere non præsumat: quia hoc esset seniora, vel superiorum officium vsurpare. Superbus autem, vt ait sanctus Bernardus, prima die qua ingreditur habitare, incipit leges dare. Potest tamen frater, si super aliquo cum instantia requiratur, petentibus super interrogata humi-

Interior præsumptio.
Gal. 6. a
Aug. conf. l. 3. c. 9.
Exterior præsumptio.
Præsumptio in vsurpatione officii alieni.
Luc. 14. b
Molesta humilitas contentioni deseruiens.
Senior quis habendus.
Sap. 4. b
Præsumptio in gestibus.
Prosper li. 1. de vita contemp. c. 8
Iob 22. d
Mat. 6. c
Præsumptio in locutione.
Bernar. de vita solitaria ad fratres de mōte DEI, paulo ante med.

humiliter respondere vel insinuare, quod sentit: ita tamen vt contra resistentes dicta sua pertinaciter nulla ratione defendat. Qui etiam alii, superioris mandatum insinuat, super aliquo faciendo, mandati auctoritatem cũ humilitate proponat, ne quod denuntiat ipse imponere videatur. Si proprium cogatur recommendare officium, nequaquam imperium imponentis vsurpet: sed id suppleri à sociis, obsecratione humili obtineat. Præsumtionem ergo euitat prudens humilitas. Præsumit tamen interdum humiliter, viscerosa & prouida charitas. In modo loquendi, vitium præsumptionis innuitur, si illud quod dicitur, iactanter, impetuose, clamorose, contentiose, despectiue, vel nimis rigide proponatur. Suauiter enim & humiliter est loquendum. Rursus qui tempore vel loco silentii, aut in superiorum, seniorum, aut conuentus præsentia, non comprimit linguam suam, præsumptuosus & intemperans merito iudicatur: Loqui in medio magnatorum non præsumes, ait Sapiens. Et iterum: In medio seniorum non adiicias loqui. Hoc præcipue intemperantiæ & præsumptionis est nota, si nouus frater in ordine, vel iunior quispiam seniore præsente, sine ipsius nutu maxime corã extraneis, loqui aut respondere præsumit; nisi ex officio vel commisso habeat prius loqui. Temperantiæ est, ait Prosper, quod præstamus loquenti seniori silentium, quod ipsius ad loquendum præstolamur imperium. In præsentia vero conuentus, nullum conuenit loqui sine requisito superioris assensu, nisi tantum se accusando, vel ad interrogata superiori vel corrigenti, ad mensam breuiter & humiliter respondendo. Et vt breuiter voce sancti Bernardi præsumptuosum *agnoscas, Prius, ait, in conuentu residet, in consiliis prius respondet: non vocatus accedit, non missus se intromittit. Reordinat ordinata, reficit facta. Vilem se, si non emineat, æstimans, & humilem esse inter alios erubescens. In locis & cæteris, quæ honorem redolent, se quibuslibet aliis parificare cõtendit. Audax ipse ad quælibet fit frontosus & impudens, quod est maximum vitium in neophyto & iuuene. Religionis confusio, iuuenis præsumptuosus & effrons. Reprehensibilis maxime in iuuene præsumptio, quem magis humilitas stabilit verecundia ornat, venustat simplicitas, timor insignit, & aptum efficit disciplinæ, cuius initium est. Qui sine timore est, non poterit iustificari.

Eccl. 32. b — *Ibid. 11. a* — *Prosper lib. 3. de vita contemp. c. 19.* — In cõuentu nemini loquendum est. — *Bern. tract. de gradib. humilitatis in septimo gradu superbiæ.* — * Præsumptuosi indicia. — Religionis confusio, iuuenis præsumptuosus. — *Eccli. 1. c*

CAPVT VI.

De irreuerentia.

IRREVERENTIÆ denique vitium est humili Dei seruo vitandum, cum scriptum sit, Cui honorem, honorem. &, Honore inuicem præuenientes. Attenditur irreuerentia respectu personarum, loci sacri, & temporis, officii diuini, & rerum eidem officio specialiter ordinatarum. De reuerentia Prælatis, aut aliis fratribus, ætatis aut prioritatis, aut diuturnitatis in ordine gratia, vel sacri ordinis, vel pro vitæ merito exhibenda; sanctorum dicta Patrum, & vera humilitas, quæ non solum Prælatis, & senioribus, verumetiam ęqualibus & inferioribus, se spontanea subiicit voluntate, plenius docent, & eius oppositum detestantur. Non senioribus tantum, immo & omnibus honorem Petrus Apostolus sentiebat exhibendum. Deferre humiliter sociis honorem, charitatis est fraternæ fomentum, conscientiæ bonæ illustrisque animi euidens argumentum. Vix nisi socio deferas, cum ipso proficies. Est præcipue conuentui, & superioribus deferendum. Conuentus quidem venerabilis, imo terribilis vt castrorum acies Christi ordinata. De superiore Sapiens ait: In medio fratrum, rector eorum in honore. Istis quanto maior est reuerentia exhibenda, tanto etiã maioris offensæ arguitur irreuerentia circa ipsos. Sane committendo & omittendo, irreuerentiæ ad ipsos nota contrahitur. Committendo, si coram eis inordinatum quippiam deliberate attentetur. Vnde non decet coram conuentu, in claustro vel alibi residente, sine debita maturitate & honestate, quantum ad membrorum & habitus dispositionem transire, vel eidem transeunti occurrere, si ab eo valet commode declinare, aut tumultum facere coram eo. Magnus vtique reuerentiæ cultus conuentuali congregationi debetur: quem qui mussitationibus seu cachinnis, aliave clamoris vel dissolutionis lasciuia, soluere non veretur, aut attrita fronte superbus, qui arctari silentio dedignatur, aut honestatis & religionis ignarus, liquido comprobatur. Quod autem superiore præsente agitur minus religiose vel dicitur, quid eo turpius? Propter hoc qui mala in eius præsentia cõmittere nõ veretur, ipsum irreuereri & inhonorare conuincitur: magis autem si eum scienter per alicuius insolentiam facti, vel importunitatẽ verbi temerario ausu molestat. Immo de necessariis, docet B. Benedictus, quod si qua requirenda sunt à maiore, cum omni subiectione & humilitate reuerentiæ requirantur. Cum ipso autem Prelato contendere nefas est, & execranda in subdito irreuerentiæ turpitudo. Deniq; tam circa Prælatos, quàm circa alios seniores cauendum, ne in attrectatione, locutione, officiorum recõmendatione ac similibus, aliquid ad eos vel signum vilificationis appareat. Numquam iunior frater ad senioris fratris caput, aures, vel faciẽ, quasi applaudendo, vel ob aliam quamlibet causam nisi necessariam, manum apponat: vel aliter cum eo, facto vel verbo, minus reuerenter iocetur. Quando seniores sibi præsentes alloquitur, & si forte aliquando eorum nomẽ proprium, ipsis quidem ex reuerentia supprimendum, necessario nominat, semper tamẽ cognomen subiceat: nisi propter astantes æquiuocum specificare c. gatur. Seniorum auribus nomen proprium vel cognomẽ, nisi ex causa, iunior irreuerenter inculcat. Verum licet in vtilitatis notam nomen proprium exprimi, ex amore vel reuerentia supprimi scriptura innuente nouerimus: sine vitio tamen palam senioribus ipsis exprimitur, quando irreuerentiæ notam, modus, & congruentia redimunt. Sæpe quod erat incongruum, necessitas, gratia vel consuetudo conuertit. Sapit autem vitium, si ad te verbo vel nutibus superiorem accersis, ad quem est tibi facilis aut liber accessus. honestius enim ad eum, cui reuerentiam debes, tu accedis, quàm ipsum ad te accedere facis. Nullus etiam frater est puro nomine appellandus: sed proprio nomini apponendum est semper religiosæ prænominationis insigne; sed nec solo cognomine, vel nomine patriæ, puta Lombardus vel Gallicus, frater est aliquis nuncupandus. Humilia & laboriosa officia recommendari coæqualibus & iunioribus, maxime cõuenit. Quod autem suum quisque officium, suo dumtaxat compari, vt acolytus acolyto, subdiaconus subdiacono, & sic de aliis, recommendet; in officio specialiter diuino locum habet: vbi personarum non quidem acceptio vitiosa, sed ordinata discretio, iuxta cuiuslibet statum & ordinem est habenda: ne ordinum sancita patrum auctoritate distinctio confundatur. Propter hoc, etsi cantoris officium ad fratres nouitios nullo modo pertineat: si tamẽ ad hoc per superiorem cogantur, caute prouideant quod lectiones, responsoria, & antiphonas distribuant ordinate, ordinum gradibus obseruatis, primas antiphonas maioribus, Prælato vel hebdomadario, vel seniori alicui sacerdoti: vel quando mos habet minoribus in Vesperis, nocturno & laudibus offerentes. Deinde post vnum vel duos si oportuerit fratres gradus eiusdem, ad alios ordinate secundum gradus ordinum processuri. Nec facile diuersorum in ordinibus graduum fratres combinent, aut minora officia in maiori ordine constitutis imponant. Prius quoque ordinatos aliis præferendos iura decernunt: numquam ordinum confusionem in choro religionem putent; cum id magis abusionem, irreuerentiæq; obnoxium esse constet. Omnia, inquit Apostolus, honeste & ordinate fiant in vobis. Et in Paralip. de ministris Domini dicitur, quòd stabant secundum ordinẽ suum in ministerio. Si quis sedilium chori dumtaxat ordinem, sine alio personarum delectu, in huiusmodi ęstimat obseruandum: penset si à carpentariis constructus

Rom. 13. b — *Rom. 12. b* — *2. Pet. 2. c* — *Canti. 6. a* — *Eccli. 10. c* — Irreuerentia quæ fit in conuentu. — Irreuerentia in superiorem. — *Benedictus in Reg. c. 6* — Irreuerentia erga seniorem. — Frater suo solo nomine non est appellandus. — *Vt S. Benedict. Reg. c. 63.* — Officia, vt sint aliis commendanda. — *1. Cor. 14. g* — *2. Paralip. 30. c*

lignorum ordo in sedilibus, sit ordini præferendus Ecclesiastico. In personis seruandum in Ecclesia Ecclesiæ ordinem decreuit auctoritas, æquitas, & honestas. Omittendo notam irreuerentiæ quis incurrit, quando senioribus & maxime Prælatis, honorem vel obsequium debitum; aut in obsequio ipso negligit reuerentiam exhibere. Aliqua de hoc potius expressione patebunt. Honori quis detrahit, si eis humiliter non assurgit, vel eis astantibus ipse sedet. Si deficientibus in choro vel alibi sedibus, locum eis non offert: si eis in choro, in mensa, in sedendo, eundo & huiusmodi, si commode potest, non cedit. Obsequio detrahit, si hæc eorum personis quando palam egent, non exhibet. Si eis in aliquo humili vel laborioso officio, in sui præsentia occupatis, se ad id faciendum vel coadiuuandum nō exhibet. Si quod ad se ex officio pertinet, eis faciendum dimittit. Expedit itaque, vt iuniores fratres senioribus fratribus humiliter deferētes, eos in his quæ pure sunt oneris, non honoris agenda, siue ad alia humilitatis officia studeant præuenire. Ad prouidendum de lumine ac libris in choro, & extra: ad officium B. Virginis, quantum ad inuitatorium & lectiones, cum plane dicuntur: officium quoq; mortuorum, quantum ad primas lectiones; necnon ad horarum versiculos, vbi ad hæc dicenda præsens non fuerit specialiter aliquis assignatus: ad offerendum aquam pro manibus abluendis: ad leuandum mensas finitis gratiis, & ad ministrandum celebrantibus & altari: quoties necessarium fuerit ex officio suo, siue in minoribus, siue in sacris fuerint ordinibus constituti, solliciti sint & prompti: nec ista aut similia senioribus facienda derelinquant. Erubescit Diaconus vel Subdiaconus vacans, & obtendens officium, quod apte potest dimittere vel differre sacerdote ad Missam vice Diaconi, vel Diacono pro Subdiacono, ministrante. Nec magnum est, si hebdomadas casu continuet: grauiora passim continuantur officia. Debetur cuilibet ordini gradus suus: nec de gradatioribus est agendum, nisi forte aliud congrua interdum causa deposcat. In obsequiis eorum maxime qui vice Christi nostrarum sunt animarum custodes, non est reuerentia omittenda per caputii abstractionem, dum eis ministramus aut loquimur, quæ per humilem corporis inclinationem, pro loco & tempore, vel aliàs per humilem obsequendi modum ostenditur. Superbus autem, vt ait Prosper, non obseruat in obsequiis reuerentiam. Stolidis quibusdam decretū est nulli deferre, discretionem personarum & graduum non curare: curantibus nunc adulationis, non acceptionis personarum crimen impingere. & admodum confusionis amici, vt superioribus de superbia caueant, sibi non cauent. Fœdum enim irreuerentiæ vitium pro religione ostendūt. humilitatem maioribus exhibendam, Euangelii sanctio & professio nostra commendat: nusquam tamen, vt recolo, superbiam aliis, seu temerariam paritatis vsurpationem indulget. Seniorum est vtiq; vt humiliter sentiant, venerationem non appetant, humiles se aliis, ac sociales exhibeant. Sapientis est consilium, Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Sapientiæ vero præceptum, Qui maior est vestrum, fiat sicut iunior. Et Petrus cum dixisset; Adolescentes, subditi estote senioribus; pro vtrisque intulit, Omnes inuicem humilitatem insinuate. Cæterum cum omni indifferenter personæ, humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici: nescio quo pacto tamen vis eius maior est in maioribus, & clarioribus clarior comprobatur. Porro non solum respectu personarum, vt dictum est, verumetiam respectu loci, vt est Ecclesia, maxime circa altare, irreuerentia est vitanda. Circa altare, vt cum ad ipsum accedi- tur; maturior & humilior gestus accedentis, & maxime ministrantis deuotionem ostendat: nec aliquis cum impetu vel inhoneste accedat. In Ecclesia vero cauendum, ne, quamuis extra Canonici tempus officii, loquendo vel ridendo, vel aliquo quouis modo minus honeste aliquid fiat. In aulam regiam ingressurus, ait S. Chrysostomus, oculis incessu, & habitu te componis: & in Ecclesiam ingressurus, quæ est vere aula regia, rides? Est etiam sacro tempori, hoc est, Dominicis diebus & solemnioribus deferendum: vt in eis à communi operum occupatione cessetur, & diuinis officiis attentius insistatur. Nam, vt ait Hugo, Festi dies aliud studium & alium conuersandi modum exigunt, atque alium hi, in quibus licet operari, exposcunt. In illis, inquit, nos oportet ad celebranda mysteria diuina deuotius intendere, atque in orationibus diutius perseuerare: omnem denique actum, & omnem motum cordis pariter & corporis, diuino ministerio mancipare: atque, vt ita dicam, quadam conuersationis nouitate, festos dies honorare. In cæteris vero diebus, in quibus operari licet, nullus omnino otiosus apparere debet. De irreuerentia in diuinis officiis & rebus ad ea spectantibus euitanda, infra per reuerentiæ positionem agetur.

Prælatis, & senioribus honor deferēdus.

Humilia officia iuniores senioribus non permittant.

Prosp. lib. 3. de vita cōtemp. c. 8.

Eccli. 3. c
Luc. 22. c
1. Pet. 5. b
Bern. 2. de considerat. paulo post med.
Psal. 60. a

Irreuerentia in sacra loca.

Chrys. to. 4. homil. 15. in ep. ad Heb. in moral.

Irreuerentia in festos dies. Hugo à S. Victor. to. 2 instit. Mon. ad Nouit. cap. 4.

CAPVT VII.

De disciplina in generali.

DICTO de præparatoriis ad disciplinam, & aliquibus eius effectibus incidenter, sequitur, vt de ipsa plenius exprimamus, quæ vetustate deposita, amissoque contra hostis insidias stabilito, super radicem humilitatis consurgit. Primo, in generali quid sit, quæ eius vtilitas, qualiter ad eius perueniatur notitiā, & de ipsius custodia, deinde in speciali dicamus. Disciplina est, vt ait Hugo, conuersatio bona & honesta, cui parum est mala non agere, sed studet etiam in his quæ bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. Item, disciplina est omniū membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu & actione. Audistis, inquit, disciplina quid sit: nunc attendite quàm vtilis & necessaria sit. Disciplina est malorum desideriorum carcer, frenum lasciuiæ, elationis iugum, quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat, & inordinatos motus mentis suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis: ita quoque dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur; & paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinæ custodiam, mali motus foras fluere non sinuntur. Sed qui statum mentis perdit, subsequenter foris in inconstantiam motionis defluit: atque in exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice subsistat. Vnde per Salomonem dicitur: Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Scientiam quæ ad institutionem recte & honeste viuendi pertinet, multis modis hominem colligere & cōparare sibi oportet: partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione sanctarum Scripturarum, partim assidua inspectatione operum & morum suorum. Hoc nouissimum maxime fortassis præ cæteris necessarium: vt sic scilicet homo in omnibus operibus suis sit circumspectus & prouidus, & quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter & facta sua, apud semetipsum examinet. Sapientes quippe semper agendo discunt, & per exercitium bonorum operū, quotidianis profectibus in maiorem virtutis agnitionem excrescunt. Per experientiam namq; eorum quæ faciunt, ad ea quæ postea agenda fuerint, cautiores fiunt. Et quamuis in nullo loco disciplinā suam homo deserere debeat, diligentius tamen, & magis sollicite ibi est seruanda, vbi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. Hinc discernendum erit, quæ sint illa, quæ in disciplina custodienda numquam intermitti; & quæ rursum illa sint, quæ pro loco & tempore nunc intermitti, nunc exerceri * volunt. Sæpe tamen etiam illa, quæ in publico necessaria sunt, prius in secreto exercitationis vsum exposcunt: quia si prorsus ea in occulto negligimus, vti postmodum eis dum opus est, in publico non valemus: & tunc aut prorsus à disciplina deficientes, intuentibus scandalum facimus, aut inepte id quod in nobis non est simulare conantes, irrisionem excitamus.

Disciplina quid. Hugo to. 2. inst. Mon. ad Nouit. c. 10.

Greg. Cura past. p. 1. c. 1. admon. 24.
Prou. 6. b
Hugo vbi supr. cap. 1.

Hugo vbi sup. c. 9.
Recollectio sedulo seruanda quotidie.

Hugo à S. Victo. to. 2 inst. Mon. ad Nou. c. 3

* al. valeāt

CAPVT VIII.

De disciplina in speciali.

IAM de disciplina in speciali inter fratres & extraneos seruanda videndum. Inter fratres, primo de disciplina circa spiritualia quædam, deinde circa corporalia. Circa spiritualia vero, primo quantum ad amotionem mali, & quantum ad positionem boni. Quoad amotionem mali, erit primo de disciplina circa confessionem priuatam, deinde circa publicam attendendum. Et cum disciplina per Hugonem (vt dictum est) bona & honesta conuersatio describatur: in dicendis de ea, ad bonitatem simul & honestatem considerationis est oculus dirigendus.

Vbi supra cap. præced.

CAPVT IX.

De disciplina circa confessionem priuatam.

DE quotidianis offensis, sine quibus hæc vita non ducitur, facienda est confessio: de priuatis priuata, de publicis publica, & nihilominus quandoque priuata. Attendendum est de confessione priuata, quibus, quoties, quando, & vbi fieri debeat; & quæ sit circa eam nouis fratribus disciplina seruanda. Debent superiori, vel, si ipse ordinauerit, instructori suo, & non alii, nisi eius in absentia ei tantum, quem superior vel instructor, de superiorum assensu, eis duxerit assignandū, tribus vicibus in qualibet hebdomada vel pluries, secundum quod necesse habuerint, indicto sibi tempore & loco, pro Sacramenti reuerentia, cum diligentia confiteri. Numquam eis placeat vicaria confessoris mutatio, vt nunc vni confiteantur, nunc alteri; quin potius, si quando id cogat necessitas, notabilia deinde ad principalem referant confessorem. Causa tamen deuotionis, eadem pluribus possunt confiteri. Aliter non est conscientiæ ordinatæ seu putæ varios quærere confessores. Fit tamen salubriter, vt cui de peccatis præteritis semel generaliter quis est confessus, de quotidianis etiam confiteatur eidem: vel nouo si hæserit curatori suorum denuò vulnerum, perfecte aperiat corruptelam. Disciplinam circa confessionem discretio, puritas & reuerentia probant. Habeant discretionis cautelam, vt antequam ad confessionem accedant, diligenti super confitendis cōsideratione præhabita, offensas prius suas speciales, deinde alias, seriatim & breuiter sine culparum, & verborum replicatione inutili, prosequentes, confessionem suam sub prima & vltima culpæ nominatione concludant. Aliqua tamen deuotioni interdum, vel conscientiæ replicatio indulgetur. Sit & pura confessio, vt confiteatur simpliciter & deuote, sine excusatione vel accusatione, sine nominatione alterius, de quibus habuerit conscientiam remordentem. Nec specialia passim sub generalitate pertranseant. Tentationes suas & cogitationes malas, nulla ratione occultent; non contemnant modica, ne paulatim defluant ad maiora. In domo namque quam subintrans radius solis illuminat, quantumcumque fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentius intuenti apparent. Sic & cor radiis gratiæ illustratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos subtili examinatione discernit. Quanto quis fuerit mente purgatior, tanto se sordidiorem videbit, & maiores causas humilitatis inueniet. Deponendæ tamen sunt scrupulositates quædam superfluæ, quæ conscientiam in erroris confusionem inducunt. Reuerentiam nō solum interiorem, verumetiam exteriorem decet confitentem habere: vt suo deferens confessori, se illi siue in elatione capitis, siue in alia corporis dispositione, si commode vitare poterit, non coæquet: sed flexis genibus, dum confitetur, nudato ac demisso capite, sit humiliter coram eo.

Cui & quoties sit confitendum nouitio.

Confessor non mutandus.

Quomodo confitendum.

Confessio sit pura.

Eccli. 19. a Simile elegans.

Scrupulositas superflua ponenda.

CAPVT X.

De disciplina circa confessionem publicam.

OFFENSÆ publicæ publicam (vt dictum est) confessionem requirunt. Circa quam attendendum est, vbi, de quibus, & qualiter fieri debeat. Cōfessionem huiusmodi facere debent, aut coram superiore in capitulo professorum, si adesse liceat & sit moris: aut coram instructore suo, quando tenet eis capitulum separatim: aut alibi priuate coram aliquo vel aliquibus, si priuate offenderint coram eis. Ante omnia si perceperint se facto vel verbo aliquem, vel leuiter offendisse, ante comestionem vel dormitionem eum humili studeant satisfactione placare, & in petitione veniæ præuenire: ne alius præueniens de manibus eorum humilitatis mercedem subripiat. In capitulo professorum statim post Pretiosa, recōmendationibus factis, se de manifestioribus & maioribus offensis accusent: deinde ipsum capitulum insimul exituri, & ad locum sibi determinatum, ad quem non sit sæcularium accessus, ituri. Mos tamen iam apud multos prouide abnuit, fratres nouos in capitulo satisfacere professorum: sed pro eorum offensis suus ibidem proclamatur seu præmonetur instructor. In secundo capitulo, videlicet instructoris (quod debet eis tenere duabus vicibus, vel pluries si superiori videbitur in qualibet septimana) super prædictis satisfaciant, si in primo capitulo non fuerit satisfactum. Alioquin super notabilibus & apertis (iuxta eiusdem instructoris monitiones) offensis & negligentiis se accusent: qui super his, de quibus sibi expedire videbitur, eos charitatiue corripiens, prout cuiusque moribus videbitur expedire, salutaribus debet instruere documentis: cōsiderans diligenter vtrum Deū quærant ex animo, si sint ad orationem vigiles, & ad diuinum officium solliciti, si ad iniuncta faciles & deuoti, si ad correctionem & opprobria patientes; vt sic de moribus eorum & proposito, habeatur plenior certitudo. Matrem se illis in lenitatis dulcedine, patrem in correctionis censura exhibeat. Sit seuerior iudicio, quàm sermone. Qui dulcis est eloquio, maiora reperiet. Nec oportet quòd eis pœnitentiam coram toto conuentu publice faciendam sine cōscientia superioris imponat. Postremo, vt disciplinato & debito modo fiat huiusmodi cōfessio, debent circa eam, honestatem, cautelam & humilitatem seruare. Honestatem, vt culpæ narrationem nudo capite, & non ridendo, non circumspiciendo, aut cum manu aliquid faciēdo; sed iunctis manibus potius, vel aliter honeste dispositis, exequantur. De cautela dictum est in capitulo præcedenti, quam in hoc præcipue habeant, vt se paucis verbis expediant, & in culpa sua nullum alium quàm seipsos inuoluant: quod ad cautelam & puritatem concernit. Humilitatem habere debēt in gestu corporis, & in verbis. In gestu quidem, vt ad terram, iuxta fratrum consuetudinem, se prosternant humiliter. In verbis autem, vt verba subiectionis & pœnitentiæ, nullam sint omnino notam superbiæ vel impatientiæ continentia. Quando in capitulo vel extra nimis austere, vel minus iuste suo iudicio super aliquo arguuntur, nō turbentur animo: sed potius pro fratrum diligentia circa ipsos, qui quos amant, arguunt & castigant, & exercitio virtutis oblato, in Domino gaudeant & exultent, ad verba & verbera propter Christum gratanter & humiliter parati sustinenda. Et licet fratres professi aliquando propter infirmos, prouide duxerint abstinendum; ne pro qualibet offensa reprehendant eos indifferenter, aut nimis superbe, quamuis pie, vt si quid in eis reprehensibile viderint, suo consultius denuncient instructori: ipsi tamen fratres nouitii ab omnibus corripi, & ab omnibus erudiri affectent. Qui non vult corripi, non vult corrigi, ait quidam. Admoneberis (inquit) libenter, reprehenderis patienter. Probata siquidem patientiæ virtus, reddet eos Deo & fratribus gratiosos. Culpam suam nullo modo defendant. Nimirum (vt ait beatus Gre-

Offensus est humili satisfactione placandus.

Instructor nouitios sæpe conuocabit.

Prou. 16. c

Culpa quomodo agnoscenda.

Apoc. 3. d Prou. 3. b Heb. 12. b

Augustin. de corrept. & gra. c. 5. Seneca lib. de Virtut. c. de continentia.

Gregor. 4. Mor. c. 24.

tus Gregorius) quæ defenditur culpa geminatur. Sed si sentiunt se immunes, satisfactione semper quantumcunq; fuerint innocentes, humiliter præoblata, possunt innocentiam suam, cum reuerentia tamen, corripienti ostendere, si requisiti fuerint aut permissi. Vnde S. Franciscus, Beatus seruus, qui non est velox ad se excusandum: & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, vbi non commisit culpam.

S. Fran. in admonitionibus ad fratres, vbi de correctione part. 1. firm. trium ord. fol. 10. col. 2.

CAPVT XI.

De disciplina quo ad positionem boni.

CONGRVIT iam de disciplina quo ad positionem boni aliquid tangere. Et primo de disciplina circa informationem cordis, ad quam est lectio illuminans intellectum, & oratio accendens affectum. Secundo circa exercitationem, ad quam diuinum spectat officium. Tertio circa exercitationem operis, ad quam spectat altaris ministerium.

CAPVT XII.

De disciplina circa cordis informationem, & primo de oratione.

Rom. 12. c
1. Cor. 3. c

INSTENT orationi feruenter: non solum in oratorio, verumetiam vbicumq; fuerint, cum ipsi sint templum Dei: aut certe in lectis occulte, ac sine perceptibili sibilo. Quippe tanto securior, quanto secretior existit oratio. Et quasi capitulum sibimetipsis tenentes, in quo proficiant vel deficiant, quotidiana secum discussione perquirant. De vocatione sua, & innumeris beneficiis Saluatoris, gratias ei debitas, tota mentis deuotione soluentes: quod inchoauerunt bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcant. Nec solum pro se, verumetiam pro aliis tam viuis quàm mortuis orent: & quasi quoddam memento sibi constituant. Poterit oraturus primo de laude Dei incipere: hinc impensa sibi beneficia memorare: deinde necessitates quas patitur & defectus exponere: postremo humiliter postulare. Ordo tamen & modus, quem Spiritus S. suggerit, est seruandus in oratione, & qui affectui magis sapit. Ad orandi studium meditatio prouocat & informat. Hugo dicit, Sic orationi sancta meditatio necessaria est, vt omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam & hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus quàm oportet digne petendo, per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat & gemit. Primum ergo necesse est, vt si prudenter & vtiliter Deum orare volumus, animum nostrum iugi meditatione exerceamus. Et in consideratione miseriæ nostræ discamus, quid nobis necesse sit petere; & in consideratione misericordiæ Dei nostri, quo desiderio debeamus postulare. Istis duabus alis, scilicet miseria hominis, & misericordia Dei Redemptoris, oratio subleuatur. Sit autem semper deuota, quæ opportunitate iuuetur, frequentia foueatur. Deuotionem intentio, diligentia, puritas & affectio probant. Tota mentis intentio, à curis exterioribus reuocata, orationis vigilantiæ est applicanda: ne aliquid aliud præter id solum, quod precatur, animus cogitet. Vnde Isidorus, Non est labiorum, sed cordis oratio. Dum orant, sic semetipsos considerent, tanquam præsentatos Domino maiestatis. Negligentes autem orationes, nec ab ipso homine impetrare valent, quod volunt. Et non in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lacrymarum, nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse & pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. Quanto verò timore, feruore, & reuerentia sit Domino supplicandum, insinuauit, qui docuit nunquam sine gemitu esse orandum. Opportunitas loci & temporis, quietis, motuum internorum, dispositæ affectionis & otii ad orandum non transeat otiosa. Qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. Isidorus, Oratio priuatis locis opportunius funditur, cum Deo tantum teste depromitur. Prodest ergo aliquando ad obtinendam compunctionem, si ita semoti fuerint, vt puras manus ad cœlum leuando, etiam suam interdú audiant vocem. Nonnumquam etiam ad subleuandam intentionem, in cœlum suspiciant: vt corpus pariter & animus tendatur ad Dominum; & ibi sit cor, vbi est thesaurus suus Dominus Iesus Christus. Cæterum mane & vespere, tempus est orationis opportunum: quod penitus peculiari vacuum oratione si vacat, culpabiliter præteritur. Maxime autem cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior erit: puriorque oratio, nullo tunc turbata clamore, nulla aspicientis laude tentata. Sic mentis tranquillitas, & quædam spontanea quandoque animi promptitudo, immo inspiratio quæ se offert, otiique libertas non innoxie negliguntur: quæ etiamsi defuerint, labore sunt quodam ac studio cōparanda, psalmorum, hymnorum, sanctarum meditationum, & genuflexionis instantia, deuotionis est spiritus excitandus. Otium si desit, sicut ad cibum corporis, ita quoque ad refectionem animæ est vendicandum. Sicut enim carnalibus cibis alitur homo exterior, sic deuotis orationibus homo interior pascitur & nutritur. Porro deuotus quisque vix opportunitate fraudatur: Deum enim quem ex animo quærit, vbique inuocans inuenit. Ignauus autem & tepidus, nec in ipso valet oratorio, orandi affectum inuenire. Plorat in conuiuio Magdalena, nec etiam præsentia eam impedit co[n]uiuarum, in ipso autem templo desipit ipse Phariseus. Est autem frequenter orandum: quia oratio est hostis flagellum, peccatoris subsidium, proximi solatium, Dei sacrificium. Frequens oratio, vitiorum impugnationem extinguit. In oratione datur voluntas bona. Oratio frequentata est munitio animæ. Quamobrem post horas canonicas, antequam oratorium exeant, aliquid laudis vel orationis gratuitum Deo munusculum offerant, quem frequenter per negligentiam in officii debiti exhibitione offenderunt. Assuescant huic consuetudini sanctæ frequenter insistere & constanter, motusque animi refugos discant Deo vel paululum applicare.

Bern. in Speculo monac.
S. Bened. in prologo reg.
Orandi modus. Basil. usq. orandum de cet lib. const. monast. ca. 2.
Hugo à S. Vict. tom. 2. instit. monast. de modo orandi. c. 1.
Meditatio necessaria orationi.
Oratio duabus alis subleuatur. ex Hugone vbi supra.
Isidorus de summo bono lib. 3. c. 7 sent. 4
Isid. lib. 3. de sum. bono c. 7, sent. 2.
S. Bened. reg. cap. 20.
Oratio breuis sit & pura.
Isidorus de summo bono lib. 3. c. 7 sent. 5.
Isidor. vbi sup. sen. 37.
Orationi deseruit locus secretior.
Matt. 6. c
Mane & vespere orandum.
Ber. ser. 86. in Cant. in med.
Oratio pascit hominē interiorem.
Luc. 7. f
Luc. 18. b
Frequēter orandum.
Isido. lib. 3. de sum. bo. c. 7. sen. 1.

CAPVT XIII.

De lectione.

LECTIONIBVS quoque diuinis est anima nutrienda: idcirco illis qui primo circa diuinum officium addiscendum (prout infra dicetur) extiterint, diligenter per instructionem imbuendi, scriptura est aliqua ex sacra pagina, ad morum informationem conueniens prouidenda. potius spiritualis cōsolationis habendæ, quàm studii gratia. Nouorum studium fratrum in orationis instantia, in diuini exercitio officii, & fratrum obsequiis maxime debet esse. In lectione itaque, si qua sibi permitti contigerit, non magis quærant scientiam quàm saporem. Hauriendus est sæpe de lectionis serie affectus, & formanda inde oratio, quæ lectionem nonnumquam interrumpat: hoc enim modo diuina lectio lecta confert intelligentiam salutarem. Et scientia quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius inuenitur. Certis autem horis, certæ lectioni vacandum est. Fortuita lectio & quasi casu reperta non ædificat: sed reddit instabilem animam. Cœptis est ingeniis immorandum, & assuefaciendus est animus. Fastidientis est stomachi multa degustare. De quotidiana lectione, aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fidelius digeratur, & sursum reuocatum crebrius ruminetur: quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat.

De lectione est oratio formanda.
Ex Ber. de vita solitaria ad frat. de monte Dei, ante med.
Item Hugo à S. Victore t. m. 2. inst. mon c. 8. de instit. monast.

CAPVT XIV.

De diuino officio in generali.

RESTAT de officio, prout est in addiscendo, deinde prout est in exequendo videre. Addiscendum est diuinum officium, maxime in principio diligenter. Et licet de totali officio & ordinis eius vsu seu forma, notitiā habere oporteat, sunt tamen quædam cōmunia, scilicet officium

Quæ sint memoriter discenda.

officium B. Mariæ Virginis, & mortuorum; commune de ſanctis, cum Pſalmis, hymnis, & cæteris omnibus ad illud ſpectantibus, lectionibus tantum exceptis: prima, completorium, & Pretioſa, capitula & preces: ſuffragia horarum ferialium, abſolutiones & benedictiones, quæ in matutinis dicuntur, hymni feriæ, laudumque Pſalmi, & cantica; benedictio quoq; menſæ cum gratiis, necnon & Pſalmi primæ dominicalis; omnes etiã Pſalmi à centeſimonono vſque ad vltimum, niſi totum, quam magis expedit diſcatur pſalterium, ſunt corde tenus addiſcenda, & menti per exercitium arctius imprimenda. In ſabbatis quoq; & præcipuarum ſolemnitatum vigiliis, præuidendum eſt diuinum officium tam in litera quàm in nota. Quoties autem extra chorum cantatur, propter honeſtatem, & ne orantibus vel ſtudentibus fratribus impedimentum præſtetur, vocem in cantu deprimi decet. Et poſt refectionem, præcipue in verbis modeſtiam congruit obſeruare. Ante ſumptum cibum (vt inquit Hugo) magis hilares eſſe conuenit, ne ipſa noſtra abſtinentia grauis & moleſta videatur: Poſt vero magis modeſtos & tacitos; ne per gulæ vitium, crapula nos inflaſſe videatur.

Hugo à S. Victo, to. 2. inſtit. mon. ad nou. c. 4.

CAPVT XV.

De diſciplina officii in choro.

AD diſciplinam in diuino officio cum in Eccleſia dicitur, obſeruandam, reuerentia ſpecialis, diligentia quoque & honeſtas præcipue requiruntur: reuerentia tam interior quàm exterior eſt habenda. Interior, vt cum timore & humilitate, tanquam Deo viſibiliter præſente pſallamus. De hoc ait B. Benedictus, Vbique (inquit) credimus diuinam eſſe præſentiam: maxime hoc ſine dubitatione aliqua credimus, cum ad diuinum opus aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus, quòd ait Propheta: Seruite Domino in timore. Conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu diuinitatis & Angelorũ eius aſſiſtere: & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra cõcordet voci noſtræ. Reuerentia exterior in hoc attenditur, vt deuote inclinetur, & quando ſtandum fuerit, ſtetur: fiat etiam proſtratio, quando fuerit facienda, de quorum diſciplina infra tangetur. Eſt & reuerentiæ, vt in officio ad ea, quæ more agente ſingulariter vnus dicit, vt puta collectas, verſiculos, & alia quoq; huiuſmodi, caput nudet: nempe quæ ab vno duntaxat in Eccleſia de more dicuntur, nudato capite etiam habent dici extra chorum. Orandum eſt ſecundum Apoſtolum capite non velato, ſaltem vbi aliquid ſolemni diſtinctione profertur. Nudi quoque reuerentia capitis, vel verticis, deuota quædam in officio veneramur. Verum irreuerens quiſque, nec ſolemnia nec alia deuota diſcernit. Diligentiam in officio probat ſtrenuitas quędam, prudenſq; ſollicitudo habens circa neceſſaria prouidentiam, & cõtra impedimenta cautelam. Strenuitas corporis, inertiã fugat torporis, nec dormitationes, quas pigritia nutrit, patitur. Quippe intenta ſupplicatio, dormire cor mundum vetat. Dormitatio in officio tunc maxime imputatur, & omiſſi dicitur reſtitutione officii redimẽda; quando manum in ſinu tenendo, vel ſegniter appodiando, ei occaſionem quis præſtat, aut ſurrepentem viriliter non repellit. Prouidentia reſpectu rerum prouidendarum & dicendarum attenditur: vt videlicet libri & alia neceſſaria ad officium, præparentur tempore opportuno: legenda quoque & cantanda ſtudioſe ante præuiſa, quando & quomodo ſint dicenda dicantur. Debitus legendi & cantandi modus eſt, vt nec nimium feſtinetur, nec nimia fiat, aut inæqualis protractio: ſed cum pauſantibus ſtatim pauſetur, vt vox vnius vix inter alios diſcerni poſſit. Cautela denique eſt neceſſaria, vt eorum quæ diuinum impediunt officium, occaſiones vitentur. Ea p: opter dum officium quis dicit, non debet ſtudere, aut per libros reſpicere, aut alicui ſi vitari poſſit, occupationi vacare: ſiue in lampadibus pręparandis, ſiue in quibuſdam aliis, quæ vſq; poſt officium commode differri poſſunt. Indignum quoque in diuino officio, venandis vermiculis & mactandis intendere: quibus palam in oratorio digitos, aut ligna fœdare frons inuerecunda non metuit. Honeſtas in choro, in exteriorum actuum grauitate, in corporis decenti & vniformi diſpoſitione accipi poteſt. Sane in populo graui laudatur Deus. Grauitas autem inquietudinem, diſſolutionem, & tumultum excludit. Inquietudo in motu membrorum conſiſtit; ſiue capitis in circumagendo, ſiue oculorum in circumſpiciendo per chorũ, vel alibi, vel potius ad librum pro pſalmis vel aliis veraciter decantandis, vel ad terram pro vagis arcendis reſpectibus, mentis non mediocriter vagationem cauſantibus, vrgendi ſunt: ſiue manuum in fricando, vel voluendo curioſe librorum folia, vel aliud ſuperflue faciendo, ſiue pedum in diſcurrendo, vt ſi quis oratorium frequenter exeat, aut per chorum friuolis occaſionibus inuentis diſcurrat. Tunc enim etiam vtilia ſunt aliquoties differenda, propter vitationem diſcurſus. Diſſolutio vero in verbis aut riſu (quibus in choro vaniſſimum eſt diſſolui) & in cantu conſiderari poteſt: vt ſi quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro ſuo libitu addẽs, muliebriter frangat, aut in falſetum extollat: quod eſt cunctis & maxime nouis fratribus omnino impertinens. Nunquam in choro altius cæteris cantent, ſed communem pſallentium vocem teneant. Ridiculum etiam ſi altiori cæteris voce quis cantans, poſt dictionem vel ſyllabam, ab illa vocis altitudine recidens, vel eam per interpolationes reſumens, non continuet, quod incepit. Tumultus in choro per vocis ſuſurrium, per importunitatem ſpuendi, ſeu excreandi, ſeu per impetuoſam eleuationem vel depoſitionem ſedilium fieri ſolet. Quàm turpe ſit in choro ſuſurrium, palam eſt: neſcit tamen indiſciplinatus & leuis lubricã linguam à ſibilis vel muſſitationibus cohibere. Vitanda quoque eſt in conuentu ſeu congregatione, oratio ſibiloſa. Inepta namq; oratio, quæ vna plures, & ſæpe deterior impedit meliores. Eſt etiã caute vitandum, ne dum ſingulariter aliqua dicuntur in choro, vt collectæ, capitula, &c. notabilis ſpuendo & excreando ſonitus fiat, vſque dum capitula ipſa, collectæ, vel lectionis periodus compleatur. Circa hoc etiam dum prædicatur aut legitur, ſimilis eſt opportunitas obſeruanda. Sedilia vero debent nõ paſſim cum pede, ſed cum manu eleuari, & caute deponi: ne aliquis ex hoc ſonitus in domo Dei audiatur. Congrue tamen lectionem vel epiſtolam incepturus expectet, quouſque conſedentibus fratribus, ſedilium ſi quis fuerit tumultus, quieuerit. Ad hæc honeſti fratres in corporis diſpoſitione, decenter & vniformiter ſint in choro: decenter, q; ſine vaga diſpoſitione vel turpi; vaga, vt quando chorũ ingreſſi, vel intrante vel aſtante conuentu, nunc ſegniter reſident, nunc ſtantes quidem hac & illac membrorum, vt languentium incongrua quadam exagitatione ſe gyrant: nunc ſtatuæ inſtar ſtallo affixi, & è regione diſpoſiti, velut ſui obliti, nec ad altare demiſſis, vt decet luminibus, ante inceptum officium, oraturi ſe vertunt, vel alias irreligioſe diſponunt: ſed nudato etiam aliquando capite, circumquaque, vt ceruus in ſaltu, vel ruralis in theatro, gyrouagando reſpectibus, oculos in aduenientium vel coaſtantium vultus infigunt, ſuoque indiſciplinato intuitu collateralium orationem, quam ipſi negligunt, etiam impediunt. Tuipis autem erit, ſi ſint ibi molliter aut remiſſe ſe in ſtallis ſuis brachiis tibiiſq; reſolutis, notabiliter incuruando, aut in partẽ vnam penitus vt poſſunt protenſo in alteram corpore accubando, ita vt lecti mollitiem quærere videantur: aut dum ad altare verſi, ſuper lignum quod ſtallum diuidit, ſe inclinant extenſione ſcapularum, vel capite anterioris ſtalli ſpatium occupando, & tergum ad retro ſtantem ſocium protendẽdo; aut dum ſedent, pedes ſuos vſq; ad ſcabellum formæ contiguum licentius extendendo. Notabilis tibiarum extenſio vel dilatatio, dum ſedetur, minus honeſta eſt. Indecens ergo quæ vaga & turpis eſt diſpoſitio, immo vtrobique deformitas, ſed maxime in officio, conuentu

Cum timore pſallendum.

Pſal. 2. b

Reuerentia exterior in diuino officio.

1. Cor. 11. b

Prud. in hymno fer. 3. ad laudes.

Pſallendi modus debitus.

Pſal. 34. c

Diſſolutio in choro vitanda.

Vniformitas in choro.

Inclinatio vt fieri debeat.

assistente vitanda. Honestos enim per omnia exigit mores, conuentualis honestas. Vniformitas est in prostratione & inclinatione specialiter (quamquam in aliis generaliter) obseruanda. In prostratione, vt non alius subtus formam chori, & alius super sedile; sed omnes supra dictam formam se prosternant, & operto capite silenter orent, ne impediant circumstantes, manu ad genas accubitando numquam applicata, aut brachiis extra eandem formam extentis, sed super istam honeste & humiliter dispositis. In inclinatione, vt vniformiter apud omnes sit tempestiua, deuota, sufficiens & honesta. Tempestiua quidē, vt inclinaturus surgendo, & eleuando sedile, tempus vel paululum inclinationis præueniat: vt verbi causa, quando post psalmum fuerit inclinandum, vltimi versus fine iam accedente, surgatur, quatenus deinde libere inclinetur; vel certe inclinationem, sedis aptatio subsequatur. In inclinatione vero debet deuotio apparere, vt fiat humiliter & profunde. Non est deuoti sed pigri, rigido stante corpore, tenui motu corporis inclinare. Est enim corpus, depressis aliquantulum renibus, ne capiti coæquetur adeo demittendum, vt ipsum fere super genua, brachiis interpositis reclinetur. Alioquin inclina, si nosti facilius, humiliter tamen & profunde. Extra chorum tamen, & aliquando forte in choro, in officio plane & sine cantu dicto, minor sufficere videtur inclinationis profunditatis. Sunt qui culpabili admodū remissione traducti, hūc reuerentiæ cultū Domino subtrahentes, euacuant: dum aut resident prorsus vsque post factam memoriam Trinitatis; aut tunc etiam surgunt, & sedili eleuando intendunt quando fuerat inclinandum, aut ex negligentiæ vitio non inclinant. Quanti tamen sit hæc noxa detrimenti, beata Dei genitrix seniori cuidam in choro psallentium fratrum indicasse refertur: quæ inclinantibus ad sanctæ memoriam Trinitatis, suum ipsa filium singulis offerebat: quemdam vero minime inclinantem, verso ab eo vultu, velut hac gratia indignum pertrāsibat. Sufficiens seu etiam perfecta debet esse inclinatio, vt ab ea citius debito non surgatur. Honor quidem Patri & Filio & Spiritui sancto, sine differentia exhibendus est. Honestas quidem in corporis, manuum & habitus decenti dispositione consistit. Et quantum ad habitum, vt maxime caputio caueatur, ne operta fronte super oculos defluat cum inclinatur. Proderit ad vanitatē seruandam, de communi officio notitiam habere. Pulchra valde vniformitas in congregatione & conuentu fratrum, vbi debent & mores & animi conuenire. Vnanimes vniformitas in fratrum conuentu decet, quæ in moribus pluriū vnitiua, vniformes ordinat & decorat.

CAPVT XVI.

De disciplina officij extra chorum.

SI quando extra chorum officium dixerint, diligentiam nihilominus & honestatem prædictam debent in quibus poterunt, studiose seruare: vt dimissis omnibus quæcunque in manibus fuerint, stātes cum reuerentia, iuxta traditionem Ecclesiasticæ disciplinæ, præterquam ad lectiones in matutinis, vel quando alias creatori suo debitas cum deuotione laudes exsoluent, flectentes genua, vel inclinantes, pro tempore cum timore Dei. Si quando eos ad sedendum debilitas euidens, vel nimia lassitudo corporis compellat, saltē ad inceptionem officij, ad inuitatorium, hymnos ad orationē Dominicam, & à capitulo in ante surgere non omittant. Si etiam in lecto ægritudinis decumbant, reuerentiam nihilominus aliquā faciant prout possunt. Sanctus Hieronymus (qui tanta legitur lassitudine fatigatus, vt etiam in strato suo iacens, funiculo trabe suspenso, manibus apprehenso supinus erigeretur, vt scilicet officium monasterij prout poterat, exhiberet, dum exhaustis viribus senex nec senectuti parcit, nec debilitati blanditur) desidem iuniorum, quibus corporis vires vtcumque sufficiunt, irreuerentiam, immo dignam derisione desidiam signis arguit & confundit. Alius pro lentarum tædio febrium, cōpletorium in lecto exsoluere assuetus, fertur per angelū reprehēsus audiisse, Completorium sub cocco, nec fructus, nec vtilitas. Sane in officio Dei, curanda vbique magnopere reuerentia & honestas, cum vbique sit eadem eius, cui tunc loquimur & astamus, deitas & maiestas. Tanto enim amplius reuerentiæ & diligentiæ studium, diuino debetur officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. Cura officij diligens, maxima status integritas: Neglectus officij, maxima vitæ corruptio, maxima religionis deformitas. Nemo Dei se æstimet seruum, si Dei potissimam negligat seruitutem, quæ appropriato vocabulo, Dei seruitium nuncupatur. Debent dicere officium distincte, continue, integre, & ordinate. Distincte, ne verbum masticando, vel exiliter proferendo, vel nimium festinando, dicenda confundant. Continue, vt interruptiones in eo non fiant interloquendo, nisi vrgente necessitate: & hoc quidem psalmo vel oratione, vel quocumque alio, quod tunc fuerit dicendum, completis; nisi psalmus vel oratio, quem interrumpi oportuit, continuo à capite resumatur; aut inter psalmum, & psalmum mora notabilis fortasse fiat. Parisiis, vt fertur, cum quidam Theologus vnius Horæ canonicæ incepisset officiū, superueniente Episcopo ad loquendum cum eo, caput sine locutione inclinatus, Horam inceptā, Episcopo expectante, finiuit: quam deinde dilationem colloquij, ne moleste ferret, admonuit; causā subinferens, quod maiori Domino loquebatur. Quidam propter interruptiones in officio factas, grauissimo afflictus purgatorio memoratur. Integre dicant, vt de dicēdis nihil omittāt. Proinde si plures fuerint, qui simul officium dicant, & vnus vel duo iuxta laudabilem consuetudinem psalmos, antiphonas, hymnos, & responsoria voce pronuncient altiori, non putent sibi sufficere quod ab aliis dicitur: sed omnia quæ ad suam pertinent partem; ac si essent in choro, sub silentio integre dicant: cū officium extra, eandem quam intra integritatem requirat. Ordinate denique officium in substantia, tempore, & modo, & omnibus exequi studeant. Postpositiones, implicationes, variationes facile non admittant: Honeste tamen Pretiosa, vel aliud extraordinarie aliquando dicitur, dum tamen idipsum suo tempore minime negligant. Quis autem sine grandi conscientiæ scrupulo, proprium officij ordinē, sibique religionis sanctione impositum, pro alienis quibuslibet prætermittat, aut qualibet variatione deformet? Quis nisi vanissimus & imprudens, pro certis dubia, pro authēticis vana, pro necessariis curiosa inducat? Sint igitur sanctorum officij conditorum deuota & stabili ordinatione contenti: nihil eorum vel communi ordinis institutioni præponat, quamlibet serium & deuotum; nec disipientium more stultorum Græcorum glorias æmulentur. Insipienti enim non nisi sua placent: omnis stultitia laborat fastidio sui. Tempus quoque congruum seruent, nec facile præter necessitatem diurnas Horas, siue primam, siue completorium saltem Canonicum, siue alias, nocturnas conuertant. Fuerunt qui hoc quarundam obtentu traditionum defenderunt, ordinationem Ecclesiasticam officij, confusione temporis irritam facientes. Quando fuerint duo vel plures, quasi chorum sibi constituant, & psalmos atque hymnos accipiant alternatim, vt est consuetudinis conuentui. Congruus ordo est in omnibus, vbiq;, prouide disciplinato seruandus. Ordinatum animum, ordinis decor & condecet & condelectat. Inordinati vero est animi, etiam in exterioribus ordinem non curare: & tamen ordinationis exterioris religio, attentionem excitat & affectum.

Habetur in vita sancti Hiero. incerto auctore descripta c. 9. operum eiusdem in fine.

Seruus Dei non est, qui eius negligit seruitutum.

Officium diuinum vt persoluendum sit.

CAPVT XVII.

De altaris ministerio curando.

ALtaris ministerium ob reuerentiam corporalis præsentiæ Saluatoris, munditiæ, reuerentiæ, diligentiæ, honestatis, & circumspectionis studium speciale requirit. Mūdamini (ait Propheta) qui fertis vasa Domini. Haud dubium, hoc de ministris altaris conuenienter intelli-

Isa. 52. c

Munditia docet ministrū altaris.

intelligi, quibus spiritualis & corporalis munditia est habenda. Spiritualis, vt nullus de peccato conscientiam habens læsam, vel somno pollutus nocturno, ad tangendum sacra vasa, vel ad ministrandum antequam fuerit confessus accedat. Nec debet celebraturus confessionē priuatam, quæ ante celebrationem de quotidianis offensionibus fieri consueuit, vsq; ad altare differre. Corporalem quoque munditiam requirit corporalis præsentia Saluatoris. Idcirco ministri altaris non solum antequam se ad ministrandum induant, verumetiam postquam fuerint omnino parati, expeditis communibus, ad calicis ministerium accessuri, suas iterum lauēt manus. Hoc enim semper debet cauere cautissime, ne communibus manibus, aut manicis suis, vel post immediatum rerum contactum, calicem, aut qui ad ipsum pertinent pannos, vel corporalia tangant: sed si lineam tunicam, quam rochetum vocant, vel superpellicium cum strictis manicis, vel aptum aliud non habuerint indumentum, calicem præparandum, & in fine Missæ plicandum sacerdoti relinquant. Reuerentiam debent ministri altaris tam ad sacerdotem, quam ad ministerium, & res etiam de propinquo ad ipsum ministerium pertinentes habere. Circa sacerdotem, vt quando secum altari assistunt, per aliquantulam capitis inclinationem, & sui elongationem ab eo, ac per humilem debiti exhibitionem officij, reuerentiæ signum ostendant. Si vero sederit, & ipsi tantum in superpelliciis fuerint, nequaquam iuxta ipsum in sedilibus, videlicet coæqualibus sedi eius, sed ad scabellum eius potius si aptus fuerit locus, vel alibi sedeant. Venerentur eum decoro vt conuenit comitatu, & maxime quando se vertit ad populum, ei adsint; quem vbique vt in officio, sic & eo expleto in vestiarium reuertētem deducant, vt acies ordinata, ad altare, deinde si opus fuerit, reuersuri. Ministerio reuerentiam exhibent, si motu debito & habitu ipsi ministerio conuenienti assistant & ministrent. Aliter enim non sine nota irreuerentiæ ministratur: vt si quis quamuis diaconus, vel sacerdos in superpellicio ad Missam ministrans, corporalia super altare, præsente sacerdote vestibus sacris induto, replicet aut componat. Si quis non habens superpellicium cum strictis manicis, vel aliud idoneum indumentum, corporalia & calicem tractate aut panem & vinum in communi habitu ministrare præsumat. Si quis hostiam in communi eligat loco, vel electam reponat, quæ in pyxide manus sua mundissima est potius eligenda, & electa super patenam ipsam, vel super corporalia decentius reponenda. Nec audiendi sunt illi, qui ad mensam Domini nō aliam quam ad mensam corporis, curant mūditiam, super pannos qui libris ad secretarū vel pallarum custodiam supponuntur, calicem passim vel consecrandam hostiam reponentes. Singularem hostiæ cultum, singularis decet munditia. Ad res quoque necessarias, vt sunt corporalia, panni calicis, ipse calix, & missale, est reuerentia adhibenda, quam munditiæ studium maxime probat. Huius intuitu, pannus omnis suspectus, aut quem color impedit ablui, à corporalibus arcetur & calice. In pyxidibus hostiarū, mundissimus sacculus lineus hostias contineat. Similiter & calices mundis sacculis lineis inuoluantur. Quisquis ergo ad altaris vtensilia sacra reuerentiā munditiæ curat, circa ipsa operosius studeat. De communibus libris, si quos aliquando propter officium ineuitabili forte necessitate cogente, poni super altare contingit, omnino caueant, ne corporalia vel pannos calicis aliquo modo tangant. Cum corporalibus vel calicis ipsius mappula, numquam labia vel oculos tangant, deuotionis alicuius obtentu. Calix cum summa tractetur munditia, quando de loco ad locum defertur, non super librum aut vestimentū: sed alte in manu mūdissima, vel repositorio portetur: nec extra repositoriū ipsum præterquā super altare, vel in alio loco mūdissimo teneatur. Missale in loco reponatur honesto: & si nonnunquam illud extra ecclesiam, vel alias quam ad Missam teneri contingat, panno aliquo mundo præter suam camisiam inuoluatur. Denique reuerētiam in ministerio habitus decens, cura munditiæ, & in executione maturitas attestantur. Reuerentia simul & cautela munditiæ, communes corporis vestes prohibent ab altari. Et si in his plurium opponas ineptias, habet æmulos plurimos vitium, rarissimos disciplina. Non à pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est. Ad hoc tam celebrans, quam minister, circa officium suum, magnam debent diligentiam adhibere. Sacerdos quidem circa pronuntiationem dicēdorum & agendorum in Missa, ne defectum faciat in dicendis: formam seu modum ordinis celebrando postponens, alia auctoritate sua introducat. Oblationi calicis aquam ipse infundat, quod à nullo sine ipsius iussione est præsumendum. Debet etiam circa custodiam munditiæ manuum & pannorum esse intentus: Manuum, vt eas ad tangendum communia, vel carnem nudam, siue in facie, siue alibi non apponat, nisi eas continuo lauaturus. Pannorum, vt nūquam ad indumēta sacerdotalia, maxime ad infulam nares emūgat, vel aliter ea quoquo modo deturpet. Ministris vero diligentia debet esse circa ea quæ necessaria sunt celebranti. & circa munditiæ custodiam, ac cōseruationis vasorum & pannorum pertinentium ad altare. Ministrorum est, vt præinduti celebraturum cum diligentia præparent, eiusque indumenta post officium plicent: & quæ ipsi sacrum ministerium exequenti opportuna fuerint, hora, tempore & loco congruis offerant. Numquam ad Missam priuatam, legendi vel orandi gratia, solo vel sedibus se totaliter prosternant, nec latitent post cortinas: sed palam coram altari, non tamen à latere celebrantis assistant, versus eum circa quem tunc oculus debet esse, aspectum quasi continue directuri: non tamen in faciem eius maxime post Canonis inceptionem, intendant. Nec ei præsertim à parte libri nimis appropient, aut circa ipsum aliquem tumultum facient. Summa quietis tranquillitas est necessaria celebranti. Vasa & pannos munde tractent apud eos & teneant. Si pannus calicis ad terram ceciderit, nullo modo antequam lotus fuerit, iterum calici apponatur. Circa finem Missæ calicem plicaturi ipsum cum aqua post vinū* recenseant; ne pannos inficiat adhærentes. Numquam super altare vinum & aquam ad mundationem, vel alias si vitare potuerint, ministrent. Si tamen ob incuriam sacerdotis oporteat, subtus ampullas quæ vinum & aquam continent, manum ad retinendum guttas, ne super altaris pannos cadere possint, apponant. super quos etiam pannos, nec ipsæ reponendæ sunt ampullæ. Ad hoc debet qui ministrat ad Missam superpellicium si habuerit conseruare, ne cum eo aliquatenus nares emungat, vel sudores à facie, vel alias vndecumque detergat: nec ipsius manicas maxime ad puluerem super ligna, lapides vel super terram exponat. Quod tamen si nōnumquam per aliquorum negligentiam accidit, cauere debent ne corporalia, calicem aut pannos eius cum ipsius superpellicij manicis tangant. De aliis indumentis quoties ea plicant, sollicite caueant, ne vmquam manicæ terram tangant, vel vsque ad ipsorum vestimentorum fimbrias descendere permittantur: sed siue, tunicæ lineæ, siue quæcumque alia indumenta plicantur, manicæ semper longe à fimbriis collocentur. Debent iterum ministri alteris propter vasorum & vestium (vt dictum est) conseruationem attendere, ne calicem quando reponunt stricte ligent: quia sæpe per hoc deterioratur non modicum, & paulatim obtusus conquassatur. Vasa quoque altaris & vtensilia in locis suis diligenter, vt conuenit, præparata reponant. Vestimenta etiam plicare non negligant & aptare, nisi pro aliquo celebraturo ea quis dimitti requirat. Sed quid horum expressionibus immoror? In omnibus enim quæ ministerium Dei contingunt, speciali nimirum diligentia opus est. Si agendis ministeriis terreni regis studiosissimam homines curam impendunt: quantam putas æterni Regis ministeriis impendendam? Ceterum si ministri altaris intendere debent honestati, multo amplius tamen per omnem modum sacerdotes qui celebrant.

Sacerdotes honorãdos.

Corporalia sint munda.

Calix reuerenter attrectandus.

Infula flamentum sacerdotis, quod nobis dicitur amictus.

Ministrorum officium.

* al. abluãt.

Post-

Postquam ergo fuerint vestibus sacris induti, cum magna debent maturitate incedere & præcipue cũ altari assistunt, grauitatem in motu & gestibus, laudabili curiositate seruare. Numquam genuflexuri, quamdiu sacerdotali casula sunt induti: nisi temporibus ab Ecclesia institutis. Super altare quoque se non appodient inhoneste: nec manus suas hac & illac inordinate deducant. Quando se vertunt ad populum, non erigant oculos, vt videant assistentes. Denique circũspectos decet eos esse, specialiter circa corporalium dispositionem & custodiam; circa calicis collationem, circa Dominici corporis consecrationem, sanguinis susceptionem, & mundationis industriam. Circa corporalia, vt ipsius super altare replicatis, vsque ad anteriorem ipsius altaris oram, sit spatium competens, ne super eadẽ manus suas, aut manicas indumenti teneant. Calicem ante oblationem super corporalia numquam ponant, sicut post oblationem fieri consueuit: sed ipsum vsque ad oblationis tempus, ad corporalium teneant latus. Circa consecrationem inter cetera solerter prouideat, vt cum hostia fuerit consecranda, ita parum & caute in principio eam leuent, quasi scutum sibi de manibus (depresso aliquantulũ pollice) facientes: vt si fieri potest, ante consecrationem à circumstantibus videri nõ possit, ne à simplicibus adoretur: qui quanto citius eam viderint in manibus sacerdotis, incaute nondum consecratam adorant. Cum autem consecratio fuerit consummata, hostiam sine mora notabili duabus manibus quantum expedit, vt ab hominibus possit videri, cum omni reuerentia eleuantes, tam in eleuando, quam in reponendo, debitam maturitatem seruet: nec post vel ante eleuationem osculentur eandem. Si super altare viaticum celebrant, consecrationem facturi manum cum hostia consecranda super ipsius altaris viatici lapidem teneant: ne fiat consecratio iuxta, & non supra ipsum. Circa sumptionem calicis caueant, ne ipsum sumendo, vel calicem exguttando per nimiam extractionem, tumultum quẽdam vel sibilum cum labiis faciant, aut post sumptionem digitos lambãt. Erit etiam tutum, si dum sanguinem sumunt, calicem tenentes cum dextera decenter, & patenam cum sinistra supponant, sanguinem, si quid effundi contingeret, recepturam. Super quam si frangi corpus Dominicum, aut reponi contingat, ipsa deinde vino & aqua, vel altero illorũ sufficienter debet infundi. Incongruũ & indignũ, vt patena post Christi corpus sanctissimum, cõmuni tactui pateat non mundata, & rebus quibuslibet licet mundis, sine differentia exponatur. Si sentis aliter, credo vt post patenæ vel calicis, aut corporalium tactum, non sunt manus communicandæ communibus, ante factam post tactum huiusmodi lotionem. Si calicis petatur mundatio pro infirmis, primam nullatenus aut secundam perfusionem exponat: sed prius semper mundationibus solitis perfectis, aliud denuo vinum calici apponatur petentibus indulgendum.

Corporalia quomodo explicãda

Iam obseruantur rubricæ missalis Romani noui.

CAPVT XVIII.

De disciplina circa ea quæ ad corpus sunt.

HAbito de disciplina circa spiritualia, sequitur ipsa circa corporalia. Et primo circa ea, quæ in nobis sunt: Secundo circa ea, quæ extra nos sunt. respectu eorum quæ in nobis sunt: primo videndum est de disciplina respectu totius corporis, quantum ad gestum: secundo respectu partium corporis, quantum ad actum. Et primo, respectu linguæ, quantum ad duo opera naturæ, in quibus congruit officium linguæ, scilicet quantum ad loquelam & gustum. Secundo, respectu manuum, vt in exercitio manuali. Tertio, respectu pedum, vt in incessu. Quarto, respectu membrorum omnium, quantum ad aliqua ipsorum officia. Deinde circa ea, quæ extra nos sunt. Primo quantum ad ea, quæ de prope, vt est vestis & habitus. Secundo quantum ad ea, quæ de longe, vt sunt officinæ.

CAPVT XIX.

De disciplina in gestu.

CIrca disciplinam in gestu (qui modus, & figuratio membrorum & corporis dicitur) duplex est custodia adhibenda. Prima est, vt vnum membrum alterius officium non vsurpet, aut eius ministerium sui admixtione confundat. Si os loquitur, caput non agitetur, manus non moueatur, & sic de aliis, vt dum alterũ membrum operatur, alterum quietũ omnino permaneat: aut si opera eius necessaria illi esse cognoscitur, ad operandum ordinate moueatur. Secunda disciplinæ custodia est in gestu, vt quodlibet membrum in eo, quod facit, debitum modum teneat, nec temperantiæ limitem aut honestatis formam excedat: hoc est, vt in paucis exemplis probemus, ridere sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuũ, sine contorsione labiorum, sine agitatione capitis, sine eleuatione superciliorum: intercedere sine modulatione gressuum, sine vẽtilatione brachiorũ, sine gesticulatione scapularum: iacere sine deiectione membrorum: sedere sine alterutra superiectione pedum, & sine alterutra accubatione laterum, sine diuaricatione seu dilatatione crurium, sine extensione vel agitatione tibiarum. nempe honestum & humilem fratrẽ femori suram imponere, vel pedes palam cancellare non decet. arcendi sicut in publico, ita & in secreto sunt gestus inepti; gestus denique religiosi debet esse humilis, seuerus & grauis. est enim reprehensibilis gestus, si superbiam, si mollitiem, quæ nunc per lasciuam hilaritatem, nunc per nimiam deiectionem infatuat, aut si etiam leuitatem prætendat. Turpis in humilitatis professore superbia. Fœda prorsus in humili habitu gesticulatio fastuosa. sic nõ est viri muliebrem habere mollitiem, puerili leuitate. Grauitatis modestia. multam affert seruata moribus honestatem, neglecta maculam & cõtemptum, mortificata secundum Apostolum super terram membra, gestus debent mortificatos habere.

Ex Hugone de S. Victo. to. 2. in stit Mon. ad Nouit. cap. 12. sub finem.

Gestus religiosorum quales esse debeant.

Coloss. 3. a

CAPVT XX.

De disciplina in modo loquendi.

DIsciplina loquendi tam in modo & prouida (quando loquendum sit) discretione, quam in verborum religiositate attenditur. Modus, in gestu & sono considerari potest. Loquentis gestus, debet esse modestus & humilis: sonus demissus & suauis. Modestiam debet habere gestus loquentis: vt nec inordinate, nec turbulente inter loquendũ membra moueat, nec oculorũ nutibus, labiorum contractione, vel altero non decenti alterationis modo, vultus honestatem deformet, aut faciẽ ipsam mollitie quadam resoluat humilitatis ostentu: sed in eadem vultus constantia semper permanens, seueritatem benignam & constantem, & quodammodo rigidam benignitatem prætendat. In facie siquidem hominis speculum disciplinæ relucet: cui tanto maior custodia est adhibenda, quanto minus quod in ea fuerit peccatum celari potest. Vetat quoque loquentem gestus modestia, ne se hominibus notabili quadam supplicationum profunditate incuruet, aut eius cui loquitur vultui nimis instet: ne in honeste quidem in eius faciem, halitus aspiratione insufflet, aut halitu ipso post vinum potatum, sensum maxime narium offendat. Loquẽtis halitus vultui auditoris & naribus, vitiose prorsus ingeritur. Debet etiam gestus humilitatem, modestiam, ac vultus hilaritatem prætẽdere. Sonitus debeat esse demissus pariter suauis: quia clamositas & verborum asperitas, locutionem religiosi plurimum quidem & dedecet & deturpat. Discretio præterea quando loquendum sit, necessaria est: quia ex ore fatui etiam parabola reprobatur, quia non dicit eam in tempore suo. Sapiens quando loquendum, & quando tacendum sit, prudenter considerat

Ex Hugone de S. Victo. to. 2. instit. Mon. ad Nouit. cap. 17. in prin.

Sermo sit modestus & humilis.

Hugo de S. Vict. tom. 2. instit. Mon. ad Nouit. cap. 12. in med.

Eccli. 20. c

Raro loquendum.

ſiderat. Eſt autem iunioribus fratribus fere ſemper inter ſeniores vſque ad interrogationem tacendum. Adoleſcens, ait Scriptura, loquere in tua cauſa vix cum neceſſe fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. Silet etiam à bonis Propheta. Ergo quamuis de bonis, ſanctis, & ædificationum eloquiis, perfectis diſcipulis rara conceditur loquenti licentia. Nam loqui & docere, magiſtrum condecet: tacere & audire diſcipulo conuenit. Loquente alio numquam loquantur: aut verba loquentium quouis pacto interrumpere præſumant. Nec mordaci vel importuno inſultu, ſociorum locutionem impugnent. Stultorum enim hæc ſunt, qui nec linguæ parcere, nec ſociis deferre nouerunt. Si qui etiam mutua ſe collatione impetunt, per impoſitionem ſilentij, & aliam pœnam condignam merito reprimuntur. Religioſitas debet in locutione ſeruari: vt ſit ſermo veridicus & purus, ſit dulcis & honeſtus. De veritate ſermonis, Sapiens dicit: Ante omnia verbum verax præcedat te. Non ſolum igitur mendacia, & quæ criminoſa ſunt, verumetiam locutiones hyperbolicas & aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent. Loquentes de dubiis aut futuris, numquam abſolute loquantur: ſed in huiuſmodi omnibus ſemper conditionem apponant. Præciſa enim de indifferentibus verba, religio non conſentit. Non eſt alicuius viuentis arbitrio, de contingentibus negare vel aſſerere abſolute. Non facile de auditis ſen[illegible]licet veritatem ſentire ſe putent. Sint ad reſpon[illegible] tardi, ne per inconſiderationem falſum aliquod, vel indiſciplinatum proferant verbum. Debent etiam pure loqui: vt in eorum verbis nec iactantia, nec detractio, vel malitiæ alicuius, aut vanitas admixtio valeat inueniri. Numquam de ſcientia, vel ſæculi ſtatu ſe iactent. Erubeſcant dicere de abſente, quod cum charitate non poſſent dicere coram ipſo. Vnde ſanctus Benedictus, Murmurare aut conqueri neſciant: nec murmurationis malum, pro qualicunque cauſa, in aliquo qualicumque verbo vel ſignificatione appareat. In verbis ſuis aut literis, ſi quas aliquando dirigunt, puerilibus vel adulatoriis non vtantur blanditiis: ſed tamquam religioſi, ſuam breuiter & veraciter intentionem exponant. Honeſtatem habet locutio, ſi & illius qui loquitur, & illorum quibus vel de quibus ſit ſermo, conueniat dignitati. Otioſa vero, iocularoria, iuratoria, contentioſa, maledica, vel alia ſæcularia verba, nec pura ſunt quidem, nec religioſæ conueniunt dignitati. Nugæ, vt ait ſanctus Bernardus, inter ſæculares ſunt nugæ, in ore ſacerdotis, aut religioſi blaſphemiæ. Interdum ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ numquam. Os talibus aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt: fœde ad cachinnum moueris, fœdius moues. Diſſueſce à vaniloquio linguam, qui ad profectum religionis aſpiras. Proceſſurus in publicum, præmuni teipſum: & animo ſtatue à verbis inanibus abſtinere. Prouide tibi antequam prodas aliquid, vnde ſi expedierit ſermo texatur. Familiare prudenti, conſideratione omnia præuenire. confert ad ſingula fuiſſe præmunitum. Si dignum quippiam relatione non habes, tace. Tutius & humilius audis, quam loqueris. Non affabilitas opportuna, ſed loquacitas otioſa damnatur. Iurare vero nunc per caput, nunc per ſanctos, vel alio quouis modo, Chriſti (quia ait, Sit ſermo veſter eſt eſt, non non) diſcipulo minime congruit. Rurſus indignum penitus ſeruis Dei, muliercularum more contendere. Si reſiſtentiæ incidant verba, cedendum continuo reſiſtenti. Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus. Numquam diſcendi, vt dicitur, gratia, litigent: ſcientes ad ſe verborum contentiones nullo modo deinceps pertinere. Non poteſt eſſe, quin contentio aliquid quod contra conſcientiam dicatur, extorqueat. Ergo inter Dei ſeruos collatio, non altercatio debet eſſe. Peruerſum eſt, maxime ſi auſu damnabili ad iniurioſa vel maledica verba, quæ ſecundum Apoſtolum à Dei regno excludunt, os religioſi laxetur: aut diaboli nomen ad inuectionem aſſumat, vel in communi locutione frequentet. Sunt quædam quæ leuiſſima putarentur, ſi non in Scripturis demonſtrarentur opinione grauiora. Quis enim dicentem fatue fratri ſuo, reum gehennæ putaret, niſi hoc veritas expreſſiſſet? Peſſimum hunc loquendi vſum, quaſi pro affabilitatis ſolatio, ſalutis aduerſarius introduxit: vt per eum modicæ occaſionis acceſſu ſtultis illudens, eos frequenter in grauis lapſum offenſæ impulſu leuiori præcipitet, & ſtatus dignitatem colluuie ſordidationis vilificet. Pudeat eos rumigerulos eſſe, aut verborum ſæcularium delatores. Nihil inter ſocios emineat, quod infirmus animos diſſoluere valeat, aut turbare. Reus eſt Deo & ordini, qui temerario diffidentiæ verbo conſcientiam percutit infirmorum. Præterea ſiue fratri, ſiue extraneo, ſiue magno, ſiue paruo loquantur, ſemper in ore verbi dulcedinem habeant, omnem ad omnes, ſecundum Apoſtolum, manſuetudinem oſtendentes. Numquam ſuę prætextu conſtantiæ vel zeli cum communitatis iniuria, in verba contumelioſa prorumpant. Sæpe enim meritum immoderata lingua confundit: turpiſque defenſio, quæ iniuriis vtitur. Habet faſtus pro conſtantia impetũ, pro ratione iniurias; ſed lingua eucharis in bono homine abundabit.

Eccli. 32. b
Pſal. 38. a
Benedictus in Reg. c. 6.
Sermo verus.
Eccli. 37. c
Bened. in Reg. c. 34.
Sermo religioſi grauis eſſe debet.
Ber lib. 2. de conſide. ad Eug. in fin.
Tutius audire quam loqui.
Mat. 5. f
Contedere non decet religioſos.
Prou. 20. a
1. Cor. 10. b
Aug. Enchir. c. 79.
Mat. 5. e
Rumigeruli non ſint.
1. Cor. 8. d
Sermo dulcis.
Tit. 3. a
Eccli. 6. a

CAPVT XXI.

De diſciplina circa comeſtionem.

Debent etiam cum timore Dei comedere, diſciplinam ſemper tam in modo ſe habendi, quam in cibo ſeruantes: vitantes nihilominus quaſdam minus decentes ſæcularium conſuetudines ſuper menſam. Placet vel pauca de ſingulis exempla ſubnectere, quæ ad ſimiliũ conſiderationem tranſmittant. Honeſte ſe debent habere, vt dum comedunt aut bibunt, ſedeant; bibentes cum duabus manibus ſcyphum teneant: membrorum agitationem, & quarumdam anhelationum, vel labiorum tumultum, quæ animi notant intemperantiam, vitent: oculos à circumſpectione, linguam à locutione cohibeant. Oculorum cuſtodia inter epulas propterea neceſſaria eſt: quia non decet ibi præcipue vt vagos habeant oculos, neque curioſe & (vt amplius dicam) impudenter, quæ apud alios aguntur circuluſtrando proſpiciant: ſed vt potius pudice demiſſis luminibus, ea tantum quæ ſibi ante poſita ſunt, attendant. Loqui vero ſeu muſſitare ad menſam, vbi ſilentium eſt ſeruandum, turpe vitium eſt. Declinando muſſitatoris ſocietas: qui licet legis honeſtate prohibitus, linguæ tamen volubrum non valet retinere. Si quando etiam extraordinariè bibunt, ſiue adſint, ſiue non adſint extranei, quamdiu bibitur, ſileant. Culpanda nimis verborum multiplicatio iuxta potum. In cibo, tam in qualitate, quam in quantitate ipſius, quam etiam in modo, moraq; ac frequentia, comedendi diſciplinam ſeruent. In qualitate, vt nunquam pretioſa vel delicata, numquam ciborum aut præparationum diuerſitates affectent. Promptum ad delicata palatum, curioſitas quædam, honeſtatis poſtpoſitiua declarat, vt verbi gratia: Si quis ex vitio meliora de communi eligat portione, vt quod in pane ſapidius, vel in aliis viderit melius, ipſe ſibi accipiat: ſi maiora panis fragmenta ſumat, minoribus ſi adſunt licet minus delicatis, ſine rationabili cauſa dimiſſis, cum panis vel res alia quanto magis ad integritatem accedit, tãto ad menſam ipſam valeat honeſtius reportari. Si ad maiorem ſaporis delectationem in pane inueniendam, ipſum inordinate frangendo, circumcidendo, vel micatenus excruſtando deformet: Si vinum cum aqua temperare non curet: Si longum & interpolatum faciat hauſtum: Si falſam communem, panis appoſitione conſumat; aut eam incongrue totam, vaſe transuerſo vel circulari venatione vendicet, cum ſit magis in medio intingendum. Sicut enim apud honeſtos quoſdam in ſæculo imputatur, ſi corroſionibus oſſium curioſius inſiſtas, aut carnes per magnos notabiliter bonos, præter exigentiam ſcindas vel edas, aut dum ſcindis, ſciſſum immediate morſellum, antequam in communi loco poſueris

Hugo. à S. Victor. to. 2. inſtit. Mon. ad Nouit. cap. 18.
Oculi cuſtodiẽdi in menſa.
Silentium ſeruãdum.

*al. prætripias.

* percipias, à meta communi iuxta vulgare prouerbium non curando discrepas; aut tactu more palponis, electum post tactum relinquas, vel simile quippiam actites: sic religiosis est indecens, si in his quæ sibi pro tempore conueniunt cibis, notam gulositatis non vitent. Si quando eos ieiunij tempore, vino confecto vel simplici, ante comestionem vel post, herbis seu speciebus infirmitas vti coegerit, occulte huiusmodi si potuerint, sumant; ne simplices idem sibiipsis absque sufficienti necessitate licere putantes, ad soluendum ieiunium suo incitentur exemplo. Est insuper diuersitas respectu cibi & præparationum vitanda. Nihil ad mensam speciale apportent, vel in mensa requirant, præter sal & aquam, quæ possunt semper cum honestate requiri. Priuandus communibus est, qui specialia in communitate vsurpat. Communibus igitur discant esse cõtenti. Os suum ad omnia, quæ alij comedunt, asuescant: vt si fieri potest, nullum omnino repudient seu abominentur cibum. Grande vitium si potagium & communia respuas, vt in specialibus lautius procureris. Porro modo mollia, modo dura, modo frigidia, modo frixa, modo elixa, prægnantes solent appetere mulieres: prouidenter autem sobrieque conuersanti, satis est ad omne condimentum sal cum pane. Debent etiam excessum in cibis, & maxime potus quantitatem vitare: vt crapula vel satietas nimia non subrepat. Nihil sic contrarium omni Christiano, quomodo crapula, ait sanctus Benedictus: Amplius quoque qualiter, hoc est, quam decenter, munde ac temperate sit comedendum, attendant. Decentiæ detrahit, qui cibum in ore habens, vel scyphum in manu detinens, loquitur: qui manu armata cultellum habente, cibum ori ministrat, vel ei nondum expedito à cibo potum nihilominus ingerit, aut dum bibit vel comedit, caput tenet in caputio profundatum. Munditiam debet ad proprium & sociorum cibum, & ad mensam ipsam super quam comeditur, obseruare. Munditiæ simul ac decentiæ gratia caueant, ne in paropside, scypho, vel ouo, præmorsum aliquid iterum comesturi reponant. Fœde tuorum reliquias dentium alicui cibo immisces. Numquam scyphum digitis potagio vel alio quolibet madidatis accipiant, aut pollicem poculo immergant: nec super potum, in scypho vel super cibum quemlibet sufflent. Indecenter agitur si digitos quis immittit potagio, & offas vel olera nudis articulis cochlearis vice piscatur. Si superfluitatis piscium & similia, ex ore proiicit super mensam, vel nuces alij quam sibi frangit cum dentibus. Si quis tussit aut sternutat, non auersa facie à mensa. Raro enim hoc fit, sine qualicumque emissione reliquiarum oris. Si nudam manum in mensa naribus emungendis, vel carni nudæ scalpendæ apponit, vel manum ipsam ad vestimenta detergit. Cauendum quoque, ne quis ante faciem circumstantium fratrum, pro sale & aliis necessariis, quæ à fratribus tradi possunt, manum extendat super mensam, & eorum cibum manicis seu habitu suo tangat. Scindendus etiam panis, pectori seu vesti communi non est sine interpositione tobaliæ applicandus. Munditia mensæ requirit, vt mensale nequaquam frequenti vel superflua detersione cultelli, vel manuum deturpetur, purgandis maxime dẽtibus nullatenus exponendũ. Fœdum enim & vile, mappas & manutergia fratrum communia, dentium fricatione fœdare. Qui conuentualia dehonestat, cõmittit vtique in conuentũ. Temperantiam manducandi, ait Hugo, intelligimus in eo, si homo tractim, & non cum nimia festinatione comedat. Festinatio in inchoatione & prosecutione comestionis attẽditur, quãdo videlicet in initio mensæ statim absque orationis alicuius præambulo, ad cibũ manus extenditur; aut cũ quadam voracitate comeditur: Si prius ori cibum ministras, quã alio sumpto fueris expeditus. Ceterũ per morosam comestionem, congregationem detinere ad mensã, aut si quando extra conuentum bibitur, iuxta potum morosam contrahere, non est decens. Hinc per Sapientẽ sobrio dicitur: Cessa prior causa disciplinæ. In comedendi & bibendi frequentia, seruanda est diligenter temperantiæ disciplina. Sane post refectionem ad potum redire, aut per diẽ in domo ex vitiosa consuetudine, aut quod turpius est, post completorium bibere, non mediocris vitij notam habet. Honestius ad mensam quantum indiges bibis, quam bibendo per diem meribibuli morem geris. Fructus vel aliud quodcunq; extraordinarie sæcularium more comedere, patens est gulositatis indicium. Siquidem extra duas vices in die, nisi necessitate cogente, in domo vel extra comedere, puerorum immo pecudum est. Senex legem in vicibus comedendi nõ seruans, fertur per angelum asino comparatus. Ad collationem tempore ieiunij faciendam, duabus tantum vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiæ congruit & honestati. Studet sobrius quamdam temperantiæ legem, in ipsis etiam necessariis obseruare. Denique quorumdam sæcularium in faciendis conuitationibus, in poculis, in fragmentis, & huiusmodi, consuetudines vitent ad mensam. Non se inuicem facile conuitent: sed comedat vel bibat vnusquisque pro suæ arbitrio voluntatis, quantum necessitati suæ melius sibi notæ quam alij, viderit expedire. Congrue tamen senior verecũdantes forte, vel nimium abstinentes iuniores inuitat. Sapor & potagium prægustata, vilium quoque seu quorũlibet ciborum reliquiæ, vt ouum vnum, tantillũve pitãtiæ, si ventre iam satiato superfit, indecenter commensalibus maxime senioribus ingeruntur. Encenia per mensam non mittant. A fragmentis & reliquiis caueant: sed de pane & aliis ita sibi prouideant mensurate, vt coram se vix micas relinquãt. In potagio tamen aliquid interdum honeste relinquunt, id sibi pauperum & temperantiæ gratia subtrahentes. Verum & si quid forte reliquere, non tamen vt paterfamilias ad erogandum cõgerere permittuntur. Pro sociis aut vix aut numquam, maxime circa finem refectionis, panem vel aliud scindant, aut potum in scypho ponant: nisi saltem quantum ipsi soli comedere vel bibere valeant, si alij quibus hæc offerunt, non acceptant. Numquam pro buccella, vt dicitur, panem tunc integrũ scindant, præsertim si apud socios fractum inueniant. Si scyphum communem habuerint, qui voluerit bibere, non amplius de potu apponat, quam possit bibere vna vice. Inter reliquias quæ aliquando fiunt, inutile aliquid vel nociuum, vt quæ de nuce, ouo, castaneaque proiicimus, aliaque huiusmodi, nullo modo relinquant. Murilegos vel aues ad mensam non pascant: cum nec in refectorio debeant sustineri. Possunt cum dictis & similia circa comestionem attendi. Verum tamen sunt nonnulla, quæ licet communiter vitiosa putentur, interdum tamen inter domesticos in spiritu charitatis sine vitio exercentur.

Specialia in mẽsa nõ sunt quærenda.

Hugo. à S. Vict. tom. 2. inst. Mõ. ad Nouit. cap.

Bern. epist. ad Robertũ nepotem in fi. S. Bened. in Reg. cap. 39.

Mapparũ vsus.

Hugo à S. Victore to. 2. inst. monast. ad nouit. c. 21.

Sine festinatione edendum.

Eccli. 31. b

Post Completorium non bibendum.

In collatione bis vel ter bibendum.

Fragmenta nõ facienda aut reliquiæ.

Feles non permittantur in refectorio.

CAPVT XXII.

De disciplina in opere manuali.

AD disciplinam circa exercitium operis manualis, quod manuali opere corporaliter exercetur seruãdam, necessaria est discretio, diligentia & honestas. Est habenda discretio circa opus, vt quod faciendum est, discrete fiat. Discernendum est primo, vt vtili operi necessarium, bono quoque melius, & meliori optimum præferatur. Iuuare fratrem cum indiget, multum vtique operi peculiari præponderat. Rursum celebrare volenti iuuamen subtrahere, maiorem pluribus aliis offensam esse, quis ambigit? Est enim discernendum quod opus quo tempore fiat. Nonnulla siquidẽ in festis diebus non fierent, quæ in profestis bene fieri possunt. Videtur in operibus distinguendum. Sunt enim exercitia quædam, quæ necessitati quotidianæ inseruiunt: vt est ciborum præparatio necessariorum ad diem, vtensilium, coquinæ ablutio, & consimilia quæ omni tempore fieri solent. Sunt quędã alia quæ in diem alteram differri possunt, vt est scribere in quaterno, tunicam virgis excutere, caput abluere: ceteraque alia à quibus est diebus Dominicis

& festis præcipuis abstinendum, ob sacri reuerentiam temporis. Festi namque dies, per honestū quietis otium alij vero dies per laboris debiti exercitium honorantur. De quo Hugo: Quantum, inquit, addit decoris diebus festiuis quies vacationis, tātum ornamenti confert ceteris diebus studium boni operis: ita vt in illis quisquis noluerit esse quietus, index suæ vanitatis; & in istis qui non fuerit laboriosus, testis pigritiæ. Carnales siquidem mentes ne vel in illis diebus quiescant, vanitas exagitat: ne vel in istis in bono opere se exerceant, pigritia ligat. Deinde quasi concludens subiungit. Quapropter non negligenter habenda est in bono opere discretio temporum: quia sicut malum opus nullo tempore laudabile est, ita etiam bonum opus quodammodo reprehensine dignum iudicatur, si tempore oportuno factum non est. Diligentia in opere ex promptitudine operantis, & deuota fidelique operandorum executione dinoscitur. Diligentiæ huiusmodi promptitudo, non in opere manuum tantum, sed in conuentuali quolibet maxime locum habet. Quicquid pertinet ad conuentum, id præcipue diligentiæ studio est agendum. Sint ergo præcipue ad conuentualia exequenda promptissimi. Numquam tarde ad opus Dei, vel ad mensam occurrent. Vnde sanctus Benedictus: Ad horam diuini officij, mox vt auditum fuerit signū, relictis omnibus quæ in manibus fuerint, summa cum festinatione curratur: cum grauitate tamen vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Ad mensam autem qui per negligentiam non occurrerit ante versum, vt simul omnes dicāt versum & orent, & sub vno omnes ad mensam accedant, qui per negligentiam aut vitiū non occurrerit, & sic vsque ad secundam vicem correptus emendare neglexerit, iuxta ipsius sancti decretum à communis est mensæ participatione arcendus: vt solus à communi consortio sequestratus reficiatur, sua ei de vino si fuerit habiturus portione sublata. Digne quidem à communi refectione repellitur, qui se per vitium à communi oratione secludit. Absit à seruis Dei vitiosæ huius consuetudinis turpitudo: vt conuentuale aliquod diuinum præsertim officium alterius prætextu cuiuslibet, tardo accessū vel citiore abcessu, propter opera dehonestent. Vt enim tardus accessus, sic ante horam recessus, sine graui præsumptus necessitate arguitur. Impatientis & vani signum est hominis, in communibus anticipare recessum: nec opus Dei posse in choro vsque ad finem expectare. Si monachum, sancto narrante Gregorio, post completum officium continuo recedentem visus est dæmon ab oratorio retrahere, quid de his, qui nec ipsius expletionem officij præstolantur? Haud dubium conuentualis vbilibet decorem integritatis negligere. inexcusabile prorsus remissionis est vitium: ad vitium autem vix occasio deerit, si qualibet admittatur. Omnes denique fratres, labores non ex sola consuetudine, vt vitula Effraim docta diligere trituram, sed ex animi deuotione sectentur: vt in communibus sit feruoris affectio specialis. Conuentualem vitam vt sanctissimā immo angelicam, toto affectu animi amplexantes, ei tam continua quam deuota prosecutione adhærent. Quantum ad officium, mensam & alia, vix nisi coacti à conuentus congregatione recedant. Tantam Deus conuentui efficaciam contulit bonitatis, vt ibi augmentum suscipiat boni bonus, aut veniam mali malus. Multa in conuentu bona præsentibus cōferuntur, absentibus subtrahuntur. Saul ad conuentum psallentium prophetarum accedens, propheta efficitur: extra conuentū factus, peruertitur. Thomas discipulorum absens conuentui, visionis Dominicæ consolatione fraudatur, quam ad collegiū reuersus assequitur. Discipuli pariter cōgregati Spiritum sanctū accipiunt. In conuentu Dominus habitat & requiescit. Ibi deuotos quoque vberioris gratiæ pabulo refocilliat: ibi quam plures negligentiæ personales, in diuino maxime officio subrepentes, congregationis cōmunione supplentur: ibi quod suis quisque non potest, aliorū meritis obtinere meretur. Ceterū licet ad maiora domus officia, videlicet hospitalariæ, refectorij, infirmariæ, lectionis ad mensam, & huiusmodi principaliter & cōtinue sieda, nouitios fratres assumere prouida religionis consuetudo nō habet; si tamen quando contingat eis aliquod huiusmodi officiorum vel ad horam committi, magna debent deuotione suscipere: & ad faciendum ea mansuete, volenter, acceptabiliter, integre ac circumspecte, magnam debent diligentiam adhibere. Mansuete, hoc est, sine murmure & displicentiæ signo. Fili, ait Sapiēs, in mansuetudine opera tua perfice. Est in opere bono necessaria strenua velocitas: de qua Sapiens dicit, In operibus tuis esto velox. Velocitas ac maturitas non remouet grauitatem, sed vitium tarditatis excludit. Est etiam acceptabiliter operandum, vt quibus ministratur, prout honeste fieri poterit, satisfiat. Optabat Apostolus & orari rogabat, oblatio sua fieret acceptabilis in Ierusalem sanctis. Magnus profectus est ei, cuius ministerio multi læti facti Deum laudant. Integritas in opere bono requiritur, vt non diminute, non ad euasionem, vel quasi ad oculum, sed perfecte, vt res exigit, fiat. Circumspectio in obsequiis, prout officiorum requirit varietas, est habenda: quod per exemplum in vno officio melius patet. Si quando refectorarij vicem gerant, quæ ministranda fuerint tempore congruo & modo debito præparata ministrent, & religiose distribuant: ne in mensa defectus vel circa ministerium suum minus expediens aliquod accidat, prouisuri. Ministrentur itaq; necessaria tēpestiue. Turpe est si propter vnius defectum, tota cōgregatio expectet. Sicut igitur omnia siue fructus, siue sapores, sic & alia comedentibus congrue apponenda, priusquā fratres ad mensam intrauerint, prouide apponantur. Conferendorum collatio successiua, conuentū sæpius detinet: & id quidem imputandum negligentiæ ministrorum. Ad mensam vero quicquid apponitur, præparatum, vt decet, reficientibus offeratur. Nuces si dandæ fuerint, prius frangantur. Herbæ crudæ si apponendæ fuerint, mundentur: & sic de aliis obseruetur. De omnibus quæ apponuntur, sua cuilibet, si fieri potest, portio singulariter tribuatur. Sunt rurigenæ qui nec à Prælatis discreta, vel à senioribus aut extraneis forte distinguant. Communia maxime vt sal & aqua mensæ non desint, quæ in primis prouidus ministrator apponit. Aqua non solum pro temperando vino, immo sæpe pro aliis necessaria est in mensa. Cochlearia quoque sunt ad omne potagium opportuna, ne cum digito piscari oporteat: & ne iuxta Hugonem in eodem iure & manus ablutionem, ventris refectionem videatur quærere. Murilegos vel aues, quæ tenentur alicubi contra araneas nullatenus esse in refectorio, dum fratres reficiuntur, patiantur: nec enim hoc est expediens, vel bene factū. Sic & in aliis circa istud vel aliud quodcunque sibi impositum officium, sunt intenti. Scriptum est enim, Cuncta cum diligentia facite. Et iterum, Agite diligenter & erit Dominus vobiscum in bonis. Sic agetis in timore Domini, fideliter & corde perfecto. Honestas in operatione seruatur, si omnia quæ aguntur cum maturitate ac religiositate quadam exerceantur, & in omnibus nitor inueniatur munditiæ. hoc enim religiosum maxime decet.

Margin notes: Festi dies vt sint agēdi. — *Hugo à S. Vict. to. 2. instit. mon. ad monit. cap. 4.* — *Bened. reg. cap. 43.* — *Ben. reg. c. 43.* — Cito accurrendum ad cōmunitatem. — *Greg. lib. 2. dialog. c. 4.* — *Oseæ 10. c* — Vita conuētualis angelica est. — *1. Reg. 10. b* — *Ioan. 24. f* — *Act. 2. a* — In conuentu Dominus requiescit. — *Eccli. 3. c* — *Eccli. 31. c* — Operandum velociter. — *Rom. 15. g* — Portio sua cuique apponatur. — *Hugo à S. Vict. to. 2. instit. mon. ad monit. cap. 21.* — *2. Par. 19. b* — *Ibid. 11. d* — *Ibid. 9. c* — Munditia decet religiosum.

CAPVT XXIII.

De disciplina in incessu.

Disciplinam circa incessum, penes modum & discretionem in ambulando considerent. Honestus enim modus requirit, vt nō impetuosis & fractis gressibus ambulent: nec erecta ceruice, non prominenti pectore, seu etiam inclinato super humerum capite, aut vagabunde pendentibus manibus: quæ omnia vel leuitatem, vel superbiam, vel remissionem, vel hypocrisim sapiunt. Debent etiam in eundo discretionem habere, ne de illorum numero censeantur, de quibus dicitur per Prophetam, Non est iudicium in gressibus eorum. In eorum gressibus nō inuenitur iudicium, qui eundo necessitatem, vel

Margin note: *Isa. 59. a*

ordinem

ordinem non attendunt. Necessitas discursum inutilem, ordo inordinationis confusionem excludit. Discursum igitur per domum, per hortum & extra domum, qui magnum est instabilis mentis indicium, caute vitent. In domo, ne scilicet per officinas de loco ad locum, de fratre ad fratrem inutiliter euagentur, aut loca rumoribus audiendis vel collocutionibus apta frequentent: sed in locis sibi concessis, vt sunt ecclesia, cellæ, capitulum, si extranei affuerint, vel aliis locis, si qua sibi fuerint specialiter deputata, cum silentio residentes. Officinis priuatis, puta vbi cibaria præparantur, infirmi vel hospites recreantur, aut fratrum congregationi, vel comedentibus & bibentibus se nullatenus ingerant nō vocati. Erubescant præcipue ad reficientiū mensam accedere, vel eis nisi pro euidenti ministerij necessitate assistere. Effrontis est hominis, nō erubescere comedentes. Verumtamen si quando eos loca sibi non concessa, necessitas adire compulerit, ad ostium pulsare aliquantulum possunt, vt aliquis egrediatur ad eos, vel vt ipsi vocati securius & honestius intrent. In hortum non erant absque licentia, nisi eos vel ab aliquo professo mitti contigerit, aut vocati: ad loca sua postquam ab eo recesserint, vel eius negotium fecerint, quam citius reuersuri. Verumtamen eorum instructor iuxta superiorum dispositionem nunc hos, nunc illos, aut etiam omnes simul ad spatiandū in horto, causa recreationis vel alicuius bonæ collationis, poterit per se vel per alium fratrem professum, cum expedire viderit, vocare. Tempore probationis domum exire, propinquos suos visitare non curent: nec enim inter cognatos & notos Dominus inuenitur. vnde Bernardus, Quomodo te bone Iesu inter meos cognatos inueniam, qui inter tuos minime es inuentus? Si quando domū, quamuis de superioris licentia exeunt, nihilominus tamen idipsum significent suo instructori: quod & de suis aliis notabilius factis obseruent. Ordo circa incessum est religioso in conuentu specialiter seruandus: vt in processionibus fratrem sibi collateralem attendat, vt chori sui partem in refectorio & in claustro, cum pro gratiis ad Ecclesiam itur, in omni teneat loco: nec se ad chorum alium vel in refectorio, vel in claustro, seu alibi transferat, nisi causa rationabili perurgente. In Ecclesia vero inter pulpitum in medio chori positum & altare, dum maxime ibi aliquid dicitur, non facile transeat; nisi forte alibi liber non pateat transitus; & tunc ab ipso pulpito transiens, & inclinans ne pulpitum videatur venerari, non ante ipsum directe, sed à latere decentius inclinabit. est & ordo reuerentiæ & decentiæ in incessu, vt non passim seniorem iunior antecedat; aut quando vitari facile potest, frequentes & nimis propinquos ei transitus faciat ante ipsum. In Ecclesia quoque inter ministros altaris, subdiaconum videlicet, diaconum & sacerdotem in officio suo sollemniter celebrantes, nec non & ante fratres infra deambulatorium sedilium, & formatum minus honeste præter necessitatem transitur. Sed illud deambulatorium intraturi, ad vacua debent sedilia per introitum sedilibus ipsis propinquiorem accedere, nisi ob aliquam personarum reuerentiam, si forte intermediæ fuerint, sit aliter faciendum.

Non vagādum per cōuentum.

Luc. 2. g

Bernar. ep. 107. in fin.

CAPVT XXIV.

De disciplina in gestu membrorum.

EST in aliis membrorum corporis, siue oculorum, siue oris, siue brachiorum manuumque officiis disciplinæ studendum: de quibus adhuc aliqua breuiter supponentur. Amatores igitur honestati, oculos ab inordinata euagatione & exultatione in mēsa, & in choro præcipue diligenter custodiant. Scriptū est enim, Oculi stultorum in finibus terræ: Et, Dilatatio cordis exaltatio oculorum. Leuat quidē Propheta oculos vt petat auxilium: Dominus vt impēdat. Tu quoque si locū, causam & tempus considerans, tua vel fratris necessitate oculos leuas, non solum non culpo, sed plurimum laudo: hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dinæ, aut Euæ, immo potius satanæ te imitatorem dixerim. Non sint in risu faciles, nec in voce clamosi. Cachinnus præcipue grauitatem religiosi plurimum dehonestat. Vile prorsus est religiosum virū, vt puerum cachinnare. Non licet religiosum virum dissolutis labiis risum proferre, sed hilari vultu cordis hilaritatem prętēdere. In datione pacis labia semper claudant, quibus apertis turpiter exhibetur. Nares non in aliorum aspectu, sed ad partem cum duorum tantum aut trium appositione digitorum emungant. Seorsum etiam spuendum est, maxime in conuentu fratrum; ne loca publica, siue in choro, siue alibi sputo fœdentur, & adstantium oculi offendantur. Patet quosdam in ipso chori deambulatorio, ad pedes suos palam fratribus spuere, nec pudere. A notabilibus corporis seu membrorum extensionibus, quæ cum oscitationibus vel aliis non sine quadam inhonestate fieri solent, omnino abstineant. Tunc enim sunt corpus & brachia comprimenda, ne cum huiusmodi pigritia extendantur. Honesto in congruum viro, pigra membra distensione resolui. Dissolutiones fugiant manuales: grandia namque causa pericula, soletque luctus ludo accidere corporali. Et post comestionem præcipue se à iocositate notabili, & multiloquio studeant temperare. Siquidem licet omni tempore dissolutionis leuitas sit vitanda, post refectionem tamen, vel alias cum solo fratre & iterum coram conuentu turpius agitur. Turpissima est dissolutio in conuentu. Ad hæc alium quempiam præter necessitatem ad cingulum vel manum accipere, flores, fructus, vel baculum in manu otiose gestare, cingulum inter digitos voluendo rotare, honestati non consonat, immo lasciuiæ signum quodammodo prætendit. In lotione manuum, quando de vase manuali aqua recipitur, vas ipsum numquam à parte superiori, præcipue manibus distillantibus, sed per ansam potius, vel à latere, vel à fundo accipiant; ne guttis manuum aqua residua sordidetur. In lecto se honestissime iacendo componant; nec resupini iaceant, nec genua leuando, calcaneos iungant ad tibias. Hæc & similia non sunt, vt minima temere aspernanda. Clara nonnumquam conuersationis insignia, quædam in minimis obfuscant ineptæ. Plerumque modicis paulatim per incuriam subrepentibus maculis, tota morum congeries inquinatur.

Oculorum custodia.

Prou. 17. d
Ibid. 21. a
Psal. 120. a
Ioan. 6. a

Ex Bern. tract. de gradib. humilitatis. Vbi de curiositate.
Gen. 34. a
Ibid. 3. a
Risus religiosus.

Ber. in formul. honesta vita, in fine.

CAPVT XXV.

De disciplina circa habitum seruanda.

DIsciplina in habitu potest tam circa pannum, quam circa formationem, & munditiæ conseruationem attendi. Circa pannum: vt non sit pretiositate, mollitie, & subtilitate notabilis. Vestis pretiositatem etiam mulieribus Petrus interdicit. Porro qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Inter diuites palatij & pauperes claustri, debet esse differentia. Mollia vestimenta animi mollitiem indicant. Molles (ait quidam) mollia quærunt. Subtilitas & nitor, reprehenditur in bysso diuitis epulantis. Nimia panni subtilitas, & si non pretiosa, nihilominus tamen in proposito pœnitentiæ vitiosa. Sit curæ nouitiis pannorum pretiositatem, subtilitatem, & incōgruam religioni mollitiem non curare. Vereantur & renitantur vt possunt, mutari ipsorum sanctorum de vestium vilitate censuram, & vitiosam consuetudinem induci. In signum sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum cui à multis vsque hodie contradicitur. Honesta exigit vestimentorum formatio, vt non sint nimis lata vel stricta. Amplitudo vel longitudo vestimenti superflua, siue in manicis, siue in capitio, siue in collario caputij est admodum fugiēda. Sed nec aperturis quibusdam circa cingulū, vel alibi, aut curiositatibus aliis quibuscunq; est habitus deformādus. Coaptatio quædā religioso decens, quædam indecens. Indecens est si præter

1. Pet. 3. a
Mat. 11. a
Ber. de concordantia statuū religiosor. post med.
Luc. 16. c

Luc. 2. b
Ber. ser. 4. de Natali Domini in prin.

morem religionis fuerit curiosa: vt verbi gratia si caputij collatium, quadam in gyro replicatione iuxta mūdanorum consuetudinem coaptetur, aut curiose ipsum replicetur caputium circa genas. Decens est, quando non curiositati, sed honestati deseruit, vt videlicet vestis honeste portetur, & honeste pro loco & tempore disponatur: vt honeste portetur succingenda est æqualiter & decenter. Si enim ex vna parte notabiliter pendere permittatur, vel in aliis præparatio debita omittatur, fatuitatem vel negligentiam, vel hypocrisim sapit. Aptanda est vestis maxime circa pectus per applicationem ad collum, ne collum ipsum vsque ad pectus, vel interiores pāni hominum aspectui exponantur; quod irreligiosum est valde. Cauendum est circa portandi modum, ne quis pereffluat: vt si os sub caputio, vel mentum abscondat: Si dominarum more tunicam à lateribus tenendo incedat, aut manū in sinu tenens tunicæ manicam exterius pendere permittat. Quando enim manum in sinu vel ad horam ponere cogit necessitas, à manu altera præsumpta tunica cautius est tenenda, ne pendeat indecenter, vt manum in sinu teneri vix à proxime astantibus percipi valeat. Ambas autem manus in sinu tenere quam irreligiosum sit, palam omnibus est: cum vnam vel diu teneri vix excusat ipsa necessitas. Emortui est corporis, membrorumque officia exequi non valentis, manicas non regere defluentes. Et quidem cum interius à sua custodia soluitur mens, & membra foris ad omnem actum inordinate mouentur, & tam in vestibus, quam in aliis disciplinæ cura negligitur, incompositio corporis qualitatem indicat mentis. Sunt & alia circa modus portandi vitanda. Sunt (inquit quidam) stulti, qui quodam officioso artificio, vestimenta sua circa se componuntur. Alij iactando & ventilando pannos suos leuitatē mentis suæ, ex ipsa sui habitus mobilitate ostendunt. Alij incedentes sinuoso syrmate terram verrunt, & lumbis dependentibus, immo retro consequētibus caudis, in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt, & quocumque perrexerint, quasi turbo tēpestatis puluerem concitant. Dispositio habitus aliquando ratione operis, aliquando ratione cōsortij variatur, res; ectu quorum habenda est consideratio disciplinæ. Ad exercitium operis tam propter expeditionem, quam propter custodiam munditiæ, honesta, prout res exigit, præparatio vestis requiritur: vt scilicet quantum necesse fuerit, succingatur. Manicæ vero retrahantur, & prout expedierit, componantur, ne super manus, vel super rem ipsam quæ tractatur, recidant indecēter: præcipue ad priuatas custodiendæ sunt manicæ diligenter. Dispositio huiusmodi tolerabilis, immo commendabilis est in priuato, quæ tamen in publico maxime corā extraneis non est decens. Quando ergo coram extraneis aut coram conuētu proceditur, quantum res patitur, ad dispositionem communem est habitus, tam in manicis, quam in aliis reuocandus. Caput si nudum fuerit, caputio congruit operiri. In omni siquidem publico loco, siue chorus, siue refectorium, siue alius fuerit locus, fratrum congregatione præsente, & multo magis inter extraneos, operto decenter capite, religiosus incedat, nisi ob reuerentiam alicuius ministerij vel personæ aliter sit agendū. Non est tamen caputium siue coram fratribus, siue coram extraneis, nimis in capite sine rationabili causa profundādum. Operta sub caputio facies, quandam hypocrisis notam infert, & aliorum in se oculos sua singularitate conuertit. Decet ergo caput in publico, non faciem operiri. In lotione quoque pedum, ille cui pro Christo tale ministerium exhibetur, operto si potest commode capite, humiliter & sine multiloquio debet esse, & charitatis obsequium cum timore ac deuotione suscipere. Nec debet quis ibi vel alibi tibias nimis exponere: sed magis tunica circumcingere diligenter. Turpe est enim religiosis personis, carnium nuditate occurrere. Cauet omnis honestus ne eius vmquam appareat caro nuda, nisi quantum compulerit necessitas manifesta. De sancto Antonio legitur, quod cum necesse haberet fluuium transuadare, rogauit socium suum, vt paulolum à suo separaretur aspectu, ne suam inuicem corpus nuditatem vterque conspiceret. Recessit socius: nihilominus tamen ille seipsum cum nudare se vellet, erubuit. Ipsum tamen hæc cogitantem, in alteram fluuij ripam virtus diuina transposuit. Hanc haud dubium honestatem Dominus acceptauit. Pannos quoque interiores, & quæ vltra communem seu regularem formam, siue in vestibus, siue in aliis indulgentur, quantum necessitas patitur, occultari oportet. Vnde nec almutia palam extra caputium religiose portantur. Restat de vsus habitus continuatione, & munditiæ in eo conseruatione videre. Vsus habitus prout habitus, pro speciali signo religionis accipitur, continuus debet esse: vt religiosus frater non sit, vel modicum sine ipso, nisi necessitas euidens eum cogat. Sæcularis personæ nuditas, & religiosus sine habitu comparantur. Cauendum etiam ne habitus dū sedetur, aut genuflectitur, aliquam inquinamenti maculam contrahat. Et si quam propter aliquam causam aliquando contraxerit, vel propter sudorem, mūdificari citius debet maxime si in loco fuerit apparenti. Propter hoc immunditia illa quæ in oris caputij circa genas contrahitur ex sudore, debet cum diligentia remoueri. Fœda est religio, quæ innititur fœditati, culpatur quidem & cultus munditiæ nimis & neglectus.

Vestis cōpositio.

De lotione pedum.

Refert Athanas. in vita sancti Antonij.

Habitus non depo- nēdus vnquam.

CAPVT XXVI.

De disciplina in officinis inter fratres.

Denique in officinis, maxime in refectorio, in oratorio, dormitorio, ceterisque quæ consueuit frequentare conuentus, etiam ad latrinas disciplinate se habeant & quiete. Numquam per susurrium & tumultum, occasione operis alicuius fratres orantes, studentes, aut quiescentes impediant. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vnde si forte aliquid etiam præter horas statutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Cum per dormitorium fratribus quiescentibus vadunt, non plane, immo quasi furtiue incedant. Parando lectum vel alio quouis modo, quiescentes reprehensibiliter inquietant. Surgentes à lecto, ipsum decenter operiant, ne velut irrationabilium cubile remaneat imparatus. De priuatis loqui, si cui turpe videtur, turpius nouerit ibi turpe aliquid committi. Ibi non congruit, vt quasi mox gelicidio perituri, amictus accessorij sarcinam deferant. Ibi religiosus cum summo silentio & operto profunde capite debet esse. Ibi confabulari, & præter necessitatem hac & illac capite discooperto respicere, religiosorum esse non dixerim, sed scurrarum. Ibi seruanda in manuum & vestis dispositione honestas. Ibi honestus quisque diligenti opera cauet, ne per ipsum, aut per eius incuriam aliquis offendatur. Ibi cauendum est eis, ne stantes vrinent, vel à loco minus honeste recedant. Sed nec per hortum est facile vrinandum, vel alibi vbi à sociis, aut ab aliis videri possint: quia, vt ait quidam: Multa possunt honeste fieri, quæ non possunt honeste videri. Denique singulis ad disciplinam per singulas officias & loca spectantibus, vix aut numquam singulariter posset edisseri. Ad multa tamen haberi potest disciplinæ consideratio ex prædictis. In ostiis aut officinarum, aut vbi fratrum communis est transitus, maxime circa priuatarum introitum, vnde ad necessaria euntes & redeuntes respici possunt, nūquam honesti fratres faciant stationem. Quando etiam intrant & exeunt, officinarum secretiorum ostia post se claudant: ne superuenientes extranei & intrantes, fratres inueniant imparatos. Numquam extraneos licet familiares ad visitandum officinas inuitentur. Si quando tamen ad aliquorum instantiam eas ostendere permittantur, domos tantum communiores, non intra per singula loca, seu angulos peragrando: sed ab ostiis expedire, quantum honestas permiserit, ostendentes, quidquid eorum aspectui

Aug. in Regula c. 7. Oratorium

aspectui subtrahere poterunt, subtrahant & fugentur. Non est religio, vbi omnibus omnia patent. In locis communibus, vbi fratrum occurrerit frequentia, nullo modo detineant aduentantes. Infirma hęc paruulis exprimens, grandium oscilla non vito: sed vbi proficit paruiducendus est illusor.

CAPVT XXVII.

De modo conuersandi in omni loco sæcularium.

Nunc videndum est qualiter in villa, itinere, ecclesia, domo, locutione, & comestione sit nouis fratribus inter extraneos conuersandum. Si quando exeunt domum, habenda est eis custodia disciplinæ respectu societatis & sui. Societas & solatium, & honestas religiosæ conuenit dignitati. Propter hoc in villa, præcipue senioris, cum quo fuerint, vestigiis semper inhærentes, se ab eo etiam sub vno tecto nullatenus separent: quin ad minus videri semper ab ipso libere possint. Seipsos autem quantum ad circumspectionem, locutionem, habitus & membrorum dispositionem in disciplina contineant. Non circumspiciant in vicis ciuitatis, vt Sapiens docet: auertant oculos suos ne hauriant vanitates. Et à sæcularium collocutionibus prudenter abstineant. Manus suas religiose componant. Numquam inter homines discooperto capite, vel almutiati vel alias indisciplinate incedant. Sed nec sæcularium vel religiosorum domos subitò eis ignorantibus introeant: sed vocando ab ostio, vel pulsando, seu alias quoquomodo propositum seu voluntatem ingrediendi pronuncient. Vir eruditus, ait Sapiens, foris stabit. Sed nec sine ductore per sæcularium domos, vel per religiosorum officinas est vagandum.

Fratres se non disiungant.

Eccli. 9.4
Psal. 118.c

Eccli. 21.d

CAPVT XXVIII.

De modo conseruandi in itinere constitutis.

Si fuerint extra domum in itinere constituti, & quantum ad societatem, & quantum ad seipsos caute se debent & religiose habere. Quantum ad societatem, debent sibi à mulieribus, à scurris, & ratione periculi à personis de maleficio notatis attendere. Talium personarum societas singularis, religiosis viris nisi forte ad horam pro salutis animæ causa, non conuenit. Debent se tamen prudenter à consortiis huiusmodi segregare. Ipsi autem fratres in itinere se ab inuicem non debent nimis disiungere, quin ad minus mutuo se videre & audire facile possint. Non est tutum aut decens religiosis quos congruit binos ire, alterum ab altero longius separari: talisque separatio eis in periculum, & occurrētibus cedit in scandalum. Quantum ad seipsos debent in factis & verbis disciplinate se gerere. In factis debet honestas, deuotio & discretio apparere. Propter honestatem dissolutiones tam manuales quam alias, quæ cursitando vel aliter quomodolibet fieri possunt, penitus vitent. Multa enim ex hoc inconueniētia (vt expertum est) possunt sequi, hominibus frequenter, de quibus non aduertitur, videntibus quæ aguntur. Non sunt brachia notabiliter denudanda, nec vestes nimium succingendæ, vel aliter irreligiose tenendæ. Ceterum ad deuotos pertinet fratres ecclesiis quando transeunt iuxta ipsas; necnon & crucibus, deuotis inclinationibus reuerentiam exhibere; cœmiteria vero absque oratione pro defunctis nullatenus pertransire. Discretionis est, agenda quæque præuia deliberatione metiri, & non agenda cauere: quia qui de futuro nihil præmeditatur, omnia incautus incidit. Moderandus est per senioris consilium labor itineris, ne spiritum deuotionis extinguat. Audienda est Missa, sanctæque exhortationis pro populo si affuerit, sermo fiendus. Et ante omnia semper in primis diuini pensum officij deuote soluendū, ne fratres se magis cursores quam religiosos exhibeant, & contra religionis propositū de accessorio principale facere conuincantur.

Ecclesiis caput inclinādum.

Missa audiēda ante omnia, & absoluendum officiū diuinum.

In solemnioribus festis est ab itineratione cessandum. Cauenda est per vias dormitio, tamquam periculosa & indecens: nec est tarde vel apud infames hospitandum personas. Disciplinam verborum debent attendere tam in materia, quam in sono. Si occurrerint homines, debent eos humiliter salutare. Seniorum erit coitinerantibus & his cum quibus aliquando loqui contigerit, aliquid ad ædificationem vel consolationem proponere. Peccantes in eorum præsentia non rigide, sed cum modestia & humilitate corripere & ad bonum per rationes & dulcem allocutionem inducere; & quodammodo omni creaturæ sanctum Euangelium prædicare. Sanctus Philippus Eunuchum in itinere baptizauit. Beatus Martinus latronem secum itinerantem conuertit. Si vero non affuerint homines, de Deo verbo fratrum conuenit esse: ipse nāque itinerantibus & loquentibus de se discipulis, itinerationis factus est comes. Tūc exempla patrum, vel alia quæuis bona, quæ vel accendant affectum, vel saltem instruant intellectum, sunt ad laboris alleuiationem narranda. Turpissimum est nescire tempus, nisi friuolis & fabulosis narrationibus detinere Væ tacentibus de te Domine; quoniam loquaces muti sunt. Solent fratres litanias, psalmos pænitentiales, canticum graduum & similia, aut simul aut singulariter frequentare, & maxime ante tertiam: aut certe in sanctis meditationibus occupari. Denique quoties mutuæ collationis verba interueniunt, sonum omnino decet esse demissum. Proinde clamosam locutionem, quæ numquam decet religiosam personam, penitus vitent: maxime inter frutera & nemora existentes. Siquidem iuxta vulgare prouerbium, Nemus aures, & campus seu planities oculos habere dicuntur. Ab omnibus ergo quæ coram sæcularibus dicere nolunt, in locis dumosis & nemorosis omnino abstineant: nisi forte aliquid quasi sub silentio & Latinis verbis dicere velint. Miserabiles confusiones quibusdam minus cautis, pluries ex hoc accidisse feruntur. Non cantent in itinere, maxime in cantu sæcularium cantionum aliqua licet bona, cum laici non intelligant nisi sonum. Et præter hæc religiosum non decet in cantu extraordinarie vocem efferre. Si qui forte dissolutiones, aut clamosas disputationes, verborum altercationes, vel alia, quæ offensionis materiam extraneis dare possunt, vitare inter homines negligunt, nequaquam eos timoratos dixerim, aut zelum religionis habere. Qui religionis suæ scandalo non occurrit, honori proprio detrahit & saluti. Qui fidelis religionis est filius, nequaquam eius scandalum parui ducit.

Vbi sit hospitandum.

Mat. 16.c

Act. 8.g
Sulp. in Vita sa. Martini, ... princip.
Luc. 24.b
... conf. ...4

De Deo loquēdum in itinere & orandum.

Nemus aures, campi oculos.
Bern. ep. 24 meminit pro... ante med.

Non cantandum in itinere.

CAPVT XXIX.

De modo conuersandi in ecclesiis sæcularium.

Peruenientes ad religiosorum vel sæcularium loca, cum ad ecclesiam si in loco fuerit, veniunt, in ingressu ecclesiæ illum secum versiculum memorantes. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Et nudato capite signum crucis super se cum reuerentia facientes, ante altare vel in alio loco orationi congruo, ad quem declinauerit senior, prosternere se humiliter debent. Vbi quantum Deus dederit deuote orantes, pariter ab oratione surgentes, procedere poterunt ad ea, quæ necesse habuerint iuxta propositum exequenda. Ecclesiam naq; sicut Euangelici & Ecclesiastici viri, semper prius si commode possimus, visitare debemus: sanctorum Patrum qui nos in ordine præcesserunt, immo ipsius Saluatoris exemplo; quem beatus Euāgelista Matthæus, Hierusalem ciuitatem ingressum, refert templum Domini adiisse. Super quem locum dicit Expositor, quod ingressus vrbem primo templum adiit, dans formam religionis: vt quoquo imus, primum domum orationis, si ibi est, adeamus. Missarum etiam solemniis vel alias diuino officio cum extraneis assistentes, gerāt se humiliter & honeste. Non stet in sedibus suis velut magnates, aut quasi laici lassi, de officio nō curātes:

Psal. 5.b

Ecclesia omnium primo adeunda.

Mat. 21.b
Ioan. 2.c

Glossa ordinaria in Mat.

sed ad librum si necesse fuerit honeste poterunt accedere: officiantes, cum maturitate tamen ac modestia tam in voce quam in gestibus obseruata, humiliter iuuent. Quod si propter euitandum discursum ad librum non duxerint, accedendum nihilominus tamen communia quæ nouerint, poterunt cum aliis honeste sine nimia vocis exaltatione cantare. Ad cantandum autem aliquid sequestratum, sicut est alleluia, responsorium, vel aliud quodlibet, nequaquam cum sæcularibus se combinent, si vitare poterunt bono modo. Tunc etiam non solum in prædictis, verumetiam in honesto se habendi modo, quantum ad disciplinam aspiciendi, loquendi, habitus & vniformitas, honestatisque custodia est habenda. Reprehensibile est ibi vagis circumspicere oculis, aut collocutionibus dum Missæ officium celebratur intendere: quod tunc etiam sæcularibus clericis ius Canonicum interdicit: aut per aliquam rem, habitus sæcularitatē prætendere. Vnde ibi non decet caputium inter homines extrahi, nisi ad Euangelium, vel ad alia pro quibus ex approbata consuetudine communiter fieri consueuit. Denique propter vniformitatem, dum intersunt officio solliciti sint circa duo. Vnū est ne diuersitate sua in his quæ ab honestate non discrepant, alios scandalizent: vt videlicet ad Magnificat in vesperis, ad Quicunque vult, in Prima, vel ad alia huiusmodi, cæteris cum reuerentia stātibus, ipsi non sedeant, licet illud officium tunc ipsi non dicant. Aliud est, vt in stando, sedendo, & se prosternēdo sint inuicem vniformes, vt pariter stent, sedeant & se prosternant. Qui cor vnum & animam vnam debent habere, difformes exterius non debent esse. Vniformitas morum, vniformitatem iuuat & indicat animorum. Senioris consuetudini debet se socius humiliter conformare. Religiosorum morem cum eis officiantes seruamus, cum aliis inclinationum ritus ignaris, festiuo tempore ad omnes collectas vultu ad altare verso cum reuerentia stantes: ad B. Virginis & Sanctorum duntaxat, qui speciali ex more veneratione colūtur nomina, inclinamus. In feria vero simus ad omnes orationes prostrati. Ad præfationem semper, & quando dicitur Agnus Dei, moris est stare. Verumtamen si quando apud extraneos duxerint celebrandum, modum ordinis sui in celebrando vniformitatis occasione non varient: nec ipsum dimittant, nisi aliter facere cogat necessitas: ne velut instabiles & modum proprium non habentes, cum variis ecclesiarum consuetudinibus temerarie varietur. Possunt tamen in benedictionibus post Missam, iuxta morem patriæ faciendis, & in omnibus huiusmodi quæ modo non præiudicant regulari, ecclesiarum in quibus fuerint, consuetudines obseruare.

Seniori se conformet iunior.

CAPVT XXX.

De disciplina in hospitio seruanda.

IN hospitij domo cum fuerint, studeant se in omnibus gerere humiliter ac prudenter circa custodiam disciplinæ: humilitatem erga personas in conuersatione ostendant, personis maioribus humiliter deferant, personis humilioribus & pauperibus tanquam confratribus suis, socialiter & benigne loquantur. Conuersatio quoque signum aliquod superbiæ non prætēdat. Nunquam ad prima se ingerant loca, nec tamen ad ea vocati prorsus refugiant. Senioris tamen fratris, quem præponere debent, semper in omnibus honore seruato. Quod honori vel certe delitiis deseruire videtur, humiliter vtique declinatur, & honesta modestia recusatur. Vbi autem senioris, aut sociorum accedit instantia, cedere magis quā diutius repugnare oportet. Parendo potius quam obstinatius repugnando, seruatur humilitas. Reprehensibilis difficultas, vbi palam nutui obuiatur senioris. Lectos sæcularium non ascendant indifferenter per diem: nec familiam hospitij obsequiorum exactione molestent. Decet pauperes paucis esse contentos: ipsique necessitati est pro loco & tempore detrahendum. Nunquam hospitium familiaritas, vel alicuius affinitatis propinquitas præsumptionem inducat: vt in domo præcipere, curiosa quærere, aut de factis domus, vel familiæ indagandis, vel disponendis se iterum intromittere velint, qui propriæ rei familiaris curam, vt Deo seruirent, liberius abiecerunt. Prudentiam quidem necessariam habent, vt sint in sui custodia circumspecti. vnde Apostolus, In sapientia, inquit, ambulate ad eos, qui foris sunt. Et Dominus, Cauete, inquit, ab hominibus. Caute ergo in disciplinæ censura non solum in publico, verum etiam in priuato se habeant. Nullum, ait quidam, putaueris locum sine teste. Narrabat quidam frater, se in quibusdam sæcularium domibus, occultas deprehendisse fenestras, per quas ea quæ in domibus illis existentes agebant, ipsis non percipientibus poterant aperte videri. In æstate meridiano tempore dormitionis iacentes, aliquod si possunt super habitum operimentum, saltem vsque ad cingulum habeant: ne quando dormiunt eos indecenter quidem inter homines discooperiri contingat. Erubescenda nimis quibusdam ex hoc accidisse feruntur. Habenda vbique prudentiæ circumspectio & cautela circa personas, loca, negotia, & res si quas habuerint reponendas. Circa personas, vt se nimis hominibus non committant, quantumcumque familiares fuerint, aut propinqui. Attendant sibi in omnibus quæ dicunt aut faciunt. Spiritualis ille qui omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur, omne opus suum trina quadam consideratione præueniet. Primum quidem, an quod possit liceat, denique an deceat: postremo an expediat. In omnibus semetipsos sicut Dei ministros exhibeant. Sint in aspectu, gestu & omni actione sua serij, religiosi & modesti sicut decet sanctos. Verumtamen modus quidam est religionis: superstitiosum ideo esse nimis non oportet. Dabit congruum inter homines modum discretio personarum. Status & qualitas hominum differens, differentiam exigit conseruari. Habet se prudens cum differentibus differenter, cum omnibus tamen caute. Erit simplex non stolidus, humilis non deiectus, mansuetus non blandus, hilaris non lasciuus, affabilis nō vaniloquus, aut scurrilis. Quinimo interest sapientis, sic, si res exigat, à rigore interdum remitti, vt modum tamen modestiæ nec in ipsa remissione dimittat. Potest grauitatis censura remitti pro tempore, non dimitti. Imputanda tamen remissio, vbi nulla decentiæ vel vtilitatis intentio. prudens Domini seruus, vtilitatis fructum ex sua nouit remissione afferre. Ad hoc quoniam attendenda est honestis congrua personarum honestas, honestioribus semper adhæreant. Mulierum tam propinquarum quam aliarum caute prout poterunt societatem declinent, earumque familiare nimis obsequium & tactum omnino refugiant. Nulla ratione sustineāt, quod pedes sibi à muliere lauentur. Nudam autem manum mulieris tangere, vel ad eius caput vel corpus vbilibet absque necessaria & euidenti causa manū extendere, ab omni prorsus religionis honestate quis dubitat alienum? Quādo religiosus cū muliere sedet, aut loquitur, manus suas occultare & ad se retrahere debet, quas etiā quandocunque cū personis extraneis loquitur, simul iunctas, & velut inuicem colligatas, vel alias religiose decet haberi. Locutio disciplinā requirit. Nunquā mulierē quantūcūque sibi affinitate coniunctā, siue sororem, siue neptem, quantumcumque pueriles, sed nec facile matrem propriam osculentur. Fugiant omnino feminea oscula mulieties Christi: cum osculum etiam viris offerri non deceat: nisi forte vbi de proprio patre vel aliis honestis personis, moris exactu, sine scandalo vitari non potest. Religionis personam, religionis honestas os indifferenter osculis communicare non patitur. Denique periculo animæ mulierum habetur societas. Igitur (vt docet quidam sanctus) vbique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia: sed quasi trāseunter feminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiua. Tutius est non posse perire, quam iuxta periculū non perisse. Illum autem nec castum dixerim, nec honestum, qui mulierem aut tangere, aut tactū eius admittere non abhorret.

Parendo [...]atur [...]militas.

Matt. 10. b
Colos. 4. a
Matt. 10. b

Nullus sine teste locus.

Seneca lib. de morib.

1. Cor. 2. d

Considera an liceat, deceat, expediat.

Ex Bern. 3. de consideratione in med.

Eph. 5. a

Mulierum tactus & obsequia non admittēda.

Mulierum colloquia vitanda.

Vide S. Bonau. in hist. S. Franc. c. 5.
Sententia D. Hieron. to. 1. ep. 47. paulo post princip. qua incipit Retulit mihi

Quomo-

De vitando suspecto contubernio. Nota. Simile quid contigit S. Bernardino Senensi.

Quomodo enim tangere licet, quod intueri non licet. Ad custodiendam cordis munditiam, exterior quoque sensuum disciplina est seruanda. Loca igitur quæ periculi vel suspicionis materiam dare possunt, caute declinet: nec soli cum muliere in locis huiusmodi, vel ad modicum morentur. Domina quædam, vt fertur, cum duo religiosi ad eius domum diuertissent, alterum seorsum vocauit in cameram, quasi secreto aliquid sibi locutura: quem ingressum mox ad turpitudinem prouocans, asseruit firmiter se continuo contra ipsum, quasi ei violentiam inferentem, nisi statim sibi acquiesceret, clamaturam. Tunc doctus à Domino frater, antequam mulier in vocem clamoris prorumpere ad fratrem consocium, qui cum pluribus personis in atrio domus erat, alta voce clamauit, librum sibi continuo afferri requirens: sicque adueniēte fratre, necesse habuit mulier ab huiusmodi nefaria sollicitatione cessare, & frater hominum confusionē euasit. Nonnulli ob causam similem confusi turpiter, & verberati grauiter fuisse dicuntur. Qui autem cauet laqueos, securus erit: qui autem non cauet, est aut stultissimus, aut peruersus: nec est eius excusatio admittenda.

Prou. 11.b

De nocte si per domos hospitum ad necessaria exeunt, simul quidem & cum lumine vt filij lucis eant. Ceterum de mundanis sæcularium negotiis expediendis, religiosus temerarie se non debet intromittere. Si de animæ negotio agitur, apponendum est quidem & petēdum consilium ab his qui habent officium & peritiam consulendi. Alias non est militantis Deo, si iterum occasione propinquorū, vel amicorum sęcularibus implicaretur negotiis, quæ mundo moriens abdicauit. Impius est qui animæ suæ pro parentibus suis est crudelis. Sed nec sæcularium litteræ ad portandum vel præsentādum alicui præcipi debent: nisi de ipsarum tenore opus forsitan aliquod pietatis habente constiterit. Nec veris religiosis expedit, quod verborum etiā sine litteris pro negotiis huiusmodi baiuli fiant, vel internuntij. Sed si super talibus requirantur, hoc per alios quos deceat fieri replicent. Circa rerum custodiam, siue libros, siue alia secum detulerint, nequaquam negligentes existant: sed omnia, libros pręcipue, antequam illa deponant de manibus, vel de sinū certę fidelique personæ commendent, quæ à suibus & canibus qui libros, vt experientia docuit, destruunt, & coopertura nō obstante corrodunt, custodiat diligenter. Ipsæ quoque personæ quibus res huiusmodi committuntur, sunt super his instruendæ. Noctibus tamen consultius propter pericula, in loco certo & propinquo habentur. Nam quidam quos recommendauerat libros, repentino superueniente incendio perdidit.

Impius est qui propter parentes crudelis est animæ suæ. Fratres nō sint nuntij aut litterarum baiuli.

CAPVT XXXI.

De disciplina verborum inter sæculares.

Disciplina in verbo est iunioribus & nouis, præcipue inter extraneos obseruanda: vt tarde, caute ac demissa voce loquantur. Tarde, vt vsque ad interrogationem taceant, interrogati responsionem seniori relinquant: nisi forte in speciali super leuibus, maxime ad propriam necessitatem spectantibus, vt de cibo & potu, & similibus requirantur. De talibus potest quisque pro se, non tamen pro socio sine ipsius assensu respondere. Communem requirit assensum responsio, q.. de communi necessitate profertur. Caute, vt cum pr[æ]medita tione loquantur: vt primo bis ad limam, quam semel ad linguam veniat sermo: maxime si seniore forte occupato, de ordine, de personis absentibus, de rumorib vel de notabilibus aliis requiratur. De factis ordinis, vt de modo ieiunandi, de silentio, vel de aliis requisiti se nouos in ordine dicant, seniorem requirendum prætendant, ne forte dum sapienter & bene respondere se putant, stultum aliquid & quod omnino dici non oporteat, dicant. Secreta ordinis quantumcumque religioso vel familiari non reuelent nec statutum aliquod publicent, nisi quod forte commode celari non potest. [I]dipsum autem non statutum, non præceptum, sed tantum ordinis intra domum consuetudinem vocent, vt per eorum responsum tentionis debitum excludatur extra domum: ne sæculares si quando contrarium viderint, reputent fratres sui ordinis transgressores: cum tamen multa possint licite ex ordinis, vel superiorum dispensatione mutari. ordinem nostrum numquam ad particularia descendēdo, sed si necesse fuerit in generali solum, absque aliorum ordinum collatione, vel obtrectatione commendent. Pessimus laudandi modus, seipsum cum aliorum iniuria prædicare. Pessima vitij corruptela detractio, quæ animam maculat, Deum offendit, proximum scandalizat. Et quia vt scriptum est, Sermo obscurus in vacuum non ibit, & tumultus murmurationum non abscondetur his coram quibus detrahitur, scandalum excitatur. Constat autem vbi veritas & veritas necessaria in causa nō est: nec licite scandalum quodlibet posse à quolibet committi, nec iuste præcipi, nec innoxie consentiri. Si de personis absentibus præsertim religiosis sinistre aliquid suggeratur: semper pro absentium parte loquentes, nullo modo ad fauendum detractoribus inclinētur. Accidit aliquando quosdam magis ad tentādum, quam ex animo de his obloqui. Narrabat, vt fertur, senior quidam fide dignissimus, ad se quandoque sæcularem venisse, qui aduersus quosdam religiosos plurimum inuehi videbatur. Cui frater viriliter se opponens, eum quoties aduenit, eadem semper constantia repulit, & incusatos pro viribus excusauit. Miratus oblocutor beneuolam senioris constantiam, aperuit tandem se id ad probandum de mutua illorum ordinum charitate fecisse, adiiciens se ordini senioris istius, qui pro aliis aduocabat, cum quodam prius incusati ordinis fratre ob causam similem oblocutum fuisse. Fratrem autem illum oblocutionis verba, in primis aliquantulum, deinde vero remissius refellentem tandem obloquenti cessisse: super quo idem sæcularis non modicum offensus, apud illos non esse charitatis veritatem asseruit, qui ad inuicem detractionem admittere non curassent. Denique religiosus non est, qui detractionibus pascit, aut pascitur alienis. Caueant etiam ne sint rumorum licet bonorum & verisimilium delatores. Religiosos viros passim rumigeros esse non decet. Falsitas quæ frequentissime rumoribus inest, vel quæ per secundarios relatores apponitur, primis earum auctoribus imputatur. Hinc est,

Rumores fuge, ne incipias nouus auctor haberi.

Sint in locutione honesti & serij, nec se in sæcularibus & ad risum mouentibus verbis sæculares ostendant. Seruum Dei, de Deo loqui decet: vt fiat quod scriptum est, Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Alioquin verba vana, mentis aperiunt vanitatem. Ex abundantia cordis os loquitur. Circa vocis sonum in locutione attendant, vt prout tactum est alibi, sit demissus pariter & suauis. Vitiosissimus plane religioso loquendi modus, si notabiliter suam in loquela communi vocem exaltat. Sufficiat ei quod proxime ei astantes possint loquentis intelligere verbum. Sapientis est loqui suauiter & demisse. Nox autem amplioris vocis depressionem requirit. Nox est tempus silentij & quietis. In nocte maxime post completorium in alta (vt prius) verba erūpere, silentij grauitate neglecta, sæcularium est, religionis non curantium honestatem. Proinde honesti fratres vbicumque fuerint, religiose semper in quibus poterint, ac si essent in fratrum collegio cum silentij sui obseruatione permanebunt.

Bis ad limā antequā ad linguā sermo veniat. Bern. in speculo Monac.

Secreta ordinis nō reuelanda.

Sap. 1.c

Bern. ep. 7. qua est ad Adam monachum in med.

Absentes semper excusandi.

Detractio minime religioso admittenda.

[Or]ato. Sermo religiosi qualis.

1. Petr. 4.c

Matt. 12.c

Sup. cap. 20. in princ.

CAPVT XXXII.

De disciplina comedendi inter sæculares.

Præcipue decet, vt cum extraneis comedentes honeste se habeāt: vt nec in cibo, nec in modo comedēdi, vel mora, aut in aliis quæ discōueniunt super mensam, vt est verborū multiplicatio: aut exterior corporis, vel habitus dispositio inhonesta, possint de irregularitate notari.

Circa

Circa cibum attendant, quod propter quantitatem vel qualitatem, de gulæ vitio iudicari non possint. De primo Sapiens ait, Vtere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: ne, dum multum manducas, odio habearis. Vnde inter sæculares nō expedit appositam semper portionem totam comedere, aut penitus euacuare scutellam; ne forte magis id homines voracitati quam necessitati attribuant. Inter cætera est habenda semper temperantia circa potum. Turpissimum enim est, si de nimia potatione notentur. Religionis quiuis insignia præferens, meribibuli nomen ignominiose sortitur. Hoc vitium hominem coram Deo & hominibus vilem reddit. Ad notam huius vitij fugiendam, cauere debent, ne post refectionem, etiamsi vinum sæpius offeratur, frequenter bibant: aut postquam in communi potatum est, seorsim sine vrgente necessitate potum in priuato requirant: nec omnino quod potus vbi dormitur, remaneat, patiantur, post cœnam non sunt ad verba & pocula vigiliæ protrahendæ. Vigilare ad ignem, sitim prouocat, & bibitare compellit: grauat corpus, exhaurit spiritum, tempus in verbis pene imperceptibili subductione consumit, tempestiue ad orationem surgere, officij debitum deuote, vt expedit soluere nō permittit. Et qui sero sobrietatis non obseruat sententiam, mane frequenter suspenditur à diuinis. Vsitatum est hosti, homines ad prunas seducere. Ad prunas, Dominum spreuit ex Ioakim, negauit Petrus. Et ne nobis de nocturna prædicatione ad prunas, propter fructum vel interrogationes hominum blandiamur, ad prunas Ioakim quidem audit sermones Domini, sed contemnit: ad prunas Petrus de Christo interrogatus offendit. O quoties est serotinis necessaria verbis correptio matutina Mane prædicant docti, sero concionantur indocti. Et in his omnibus honestius alibi quam ad ignem & pocula, prædicatur. Si hominum instet deuotio pro exemplis, senioris interest prouidere, vt narratione vna, paucis vel aliis si expedit verbis, instantiæ satisfiat. Verumtamen mutat interdum causa consilium, nec lex imponitur vnctioni. Vitanda tamen vigilia, quæ occasionem verbis, aut potationi ministrat. Qui vitium cauere desiderat, vitij occasionem præcaueat. Studeant ergo in cibo & potu sobrietatem seruare, sicut serui Dei & religiose viuentes. Sicut omnes cupiditates carnis abstinentia resecantur: ita omnes virtutes edacitatis vitio destruuntur. Immundi spiritus se ibi iniiciunt, vbi amplius vident cibum & potum. Circa secundum multum attendere sibi debent: ne videlicet cibos appetant delicatos. Qui vinum & pinguia diligit, numquam in virtutum possessione ditabitur. Horum quidem permittitur vsus, abusus & concupiscētia prohibetur. Semper itaque placeat eis lautioribus parcere cibis. De grossioribus cibis & facili vel valde temperato potu, necessitati vtcumque satisfieri potest: quamquam & ipsa necessitas inter homines sit arctanda. Qui de religione censetur, modestiam debet religionis habere: vt sit in temperantia speculum aliorum. Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus. Felix abstinentia, quæ palato imperat delicato. Debet vas cœlesti gratiæ mancipatum, à sæculi illecebris abstinere. Non erubescant aquā pro vino petere, si habuerint, temperando: quin potius erubescere decent, si vinum biberint nimis forte. Aquam requirere & minus limphato vino, vel modicum semper pro bibentis necessitate apponere, Deo placet, proximū ædificat, religiosum honestat, animæ simul & corpori est salubre. Verū quā turpe sit pauperibus hominibus cibaria quærere lautiora, & appositis non esse contentos, de modo præparandi cibum disponere, quomodo præparetur requirere, potum vel cibum aliquem in speciali laudare, vt de iisdem amplius apponatur, aut suas inter extraneos medicinas ostendere, quis sanæ mentis ignorat? Modus quoque honestus est in comedendo habendus: vt non ardenter, aut cum nimia festinatione comedatur, vel alias indecenter. Moram in mensa facere, religiosum non est. Caueant ne aliis à comestione cessantibus, ipsi comedendo vel loquendo mensam detineant: cum non sit hominum, sed magis pecudum, super mensam ruminando diutius immorari. Possunt tamen qui necesse habēt caute cum modestia sibi in principio mensæ aliis communiter comedentibus prouidere. Ad hoc vbique (vt ait Sanctus) frenanda est lingua præceps, maxime in conuiuio: ne scilicet ad loquendum superflue, vel indiscrete relaxetur. Taciturnitas, ait Hugo, inter epulas idcirco necessaria est: quoniam linguā, quæ in omni tempore ad peccatum prona labitur, periculosius tamen cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur. Discretionem quoque in verbis, eadem ibi ratio persuadet. Super mensam autem cum socio loqui, aut coram illitteratis, Latinis ibidem vel alibi verbis vti; dominum quoque domus, vel alios quoscumque ad comedendum, vel bibendum frequentius inuitare non decet. Subit animo quod quædam matrona cuidam frequenter inuitanti dixisse fertur: Fuisti, inquit, asinarius ruralium & imperitorum, qui sæpe asinos prouocare nouissent? esse proprium innuens his, qui inuitationes personis discretionem habentibus inculcare solent. Oportet etiam disciplinam in corporis & habitus dispositione seruare: vt comedentes se non appodient super mensam, vel accubitando, vel alio quocumque modo inordinato se gerant. Dum comedunt, caput in caputio nulla ratione profundent, sed aperta comedant facie. Ceterum religiosos & pauperes de mensa aliena viuentes, de portione sibi apposita encenia familiæ faciendo, patrisfamilias in domo gerere vices, canes vel murilegos de mensa pascere benedicta, à quo nonnulli etiam abstinent sæculares, non congruit. Principalis hucusque incisio nil his notæ impingens, qui sub institutionibus aliis militant, aut pro diuersis locis, & diuersitate causarum, diuersa ordinant instituta. Honesta quidem & sancta omnis traditio, quæ per prudentiam seniorum in timore Dei communiter traditur, communiter obseruatur. profecto ex communi surgit institutione religio, honestas ex ordinatione causatur. Omne ordinatum decorum esse necesse est.

[Margin: Eccli. 31.b — Potus sit parcus. — Producere vigilias vespertinas dehortatur. — Hier. 36.c Ioan. 18.d — Isidor. lib. 8. de sum. bo. cap. 42. sent. 10. — Isidor. vbi sup. cap. 44. sent. 3. — Prou. 21.c — Cibi delicatiores nō appetendi. — 1. Cor. 4.b — In mensa nō diu morandum. — Bern. 4. de consider. in fine. — Taciturnitas in mēsa. — Hugo à S. Victor. to. 2. in fin. Mon. ad Nouit. cap. 18.]

Explicit prima pars speculi disciplinæ.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS speculi ad Nouitios,

PARS SECVNDA.

PRINCIPALI huius opusculi particula expedita, Secundaria hæc pauca epilogat, & supplet quædam, vt qualiter noui discipuli Christi ad Deum, ad se, ad proximum, & ad res etiam quas aliquando seruare, vel tractare contingit, se habeant: quibus differentiarū indiciis de sua conuersione discernant, qualiter denique ipsi ad professionem recepti se gerere debeant, vel breuiter in aliquibus instruantur.

CAPVT I.

De ordinatione respectu Dei.

[Margin: Pura confessio cor mūdū Deo faciat habitaculum.]

ANte omnia cor suum per puram confessionem mundatum, dignum Deo habitaculum præparēt: illud excolant, illud exornent: nihil ibi sordidū vel obscurum: nihil ibi vel ad horam residere, quod dilecti sui oculos offendere valeat, patiantur. Tentationes & cogitationes malas humiliter & pure confiteri non differant. Veretur hostis consilium suū ingerere non celanti. Prouidendū est eis, vt qui iam sunt superni Regis milites annotati, secum omnino firment & statuant, se vsque in finem ei fideliter seruituros: nec villis ab eo tētationibus, tribula-

Psal. 118. e tribulationibus & angustijs deinceps recessuros. Iuraui, ait Propheta, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Religionem sanctam, ad quam eos Dominus sua miseratione vocauit, feruentissimo ac fidelissimo studeant amore diligere: & ei tamquam speciosissimæ ac Deo dilectissimæ sponsæ fide inuiolabili adhærere. Quæcunque sibi siue prospera, siue aduersa contigerint, Deum semper deuotis efferant laudibus, vt siue cespitent, siue cadant, siue aliam quamcunque molestiam seu læsionem incurrant, semper in ipsorum ore resonet diuina laus, semper vel Benedictus Deus, vel Aue Maria, vel aliquid quod ad laudem Dei pertineat, dicant. Et hoc in consuetudinem ducere studeant, nulla vnquam negligentia omittendum. Quidquid speciositatis vel delectabilitatis in creaturis inuenerint, quidquid circa statum humanæ conditionis vel dispositionis acciderit, totum semper assumant in materiam laudis Dei: & de omnib. quæ occurrerint, deuote studeant cogitare. In ipso suarum omnium operationum initio Dominum inuocare, & suam ad ipsum intentionem dirigere assuescant. Instent orationi frequenter, quæ nouam in horto Domini plantulam fouet, prouehit & confirmat. Discant ergo vna saltem diei vel noctis hora, tempus & otium vendicare: quando ad se reuersi, mentisq; cubiculum ingressi, orent in abscondito Patrem suum, & in corde contrito & humiliato vniuersorum Domino familiariter adstent. Mane aût adstabat Propheta Domino: quia qui mane vigilauerit ad Deum, inueniet eum. Subripienda erit carni, & si forte non semper, sæpe tamen somni requies matutini: cum illa hora Christus resurrexit. Tunc est tempus allidendis ad petram paruulis, mortificandæ carni, & recreando spiritui opportunum. Tunc spirituales auiculæ dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam. Ad hæc & aliæ temporis & quietis opportunitates quæ occurrunt, minime negligendæ sunt. Post horas Canonicas non statim oratorium exeant: sed in oratione aliquantulû subsistentes, qualiter opus Dei peregerint cogitent, an tepide vel feruenter: & defectus si quos ibi commiserint tunc emendent, gratiæq; deuotionis se offerant infundendæ, quam si Dominus dederit non repellant. Hoc autem in omni oratione obseruent, vt quod orantes dicunt, ex animo semper dicant: non enim vocibus, sed rebus agitur apud Deum. Porro qui ad oratione est negligens, suæ nimirum ingratitudinis & tepiditatis est testis. Frustra ꝓfectus virtutum sine oratione speratur. Ad ea igitur quæ ad cultum Dei pertinent, magno & prompto corde accingantur. Ad diuinum officium audito signo, statim omnibus occupationibus omissis accelerent. Si in lectis fuerint, statim surgant nec vltimum aliquatenus signum expectent. Oratione namq; aliqua vtiliter præuenitur officium. Qui sic ex studio præuenit, in benedictionibus meretur dulcedinis maioris deuotionis & gratiæ ad ipsius executionem præueniri. Ecclesiam intraturi, manus (si necesse habuerint) lauent. Vestes maxime in die, religiose componant: ne irreuerêter aut indecenter introeant aulam Dei. In ecclesia Deo psallentes, Creatorem suum totis viribus cum reuerentia debita laudent. Officium suum in choro & extra, non perfunctorie quidem, simiaticis vt aiunt labijs, sed deuote semper & integre dicere studeant; nec aliam ei occupationem admisceant. Cessent manus, oculorum euagatio reprimatur: vt mens ab exteriori cura penitus libera, soli valeat Deo vacare. Dies vel hora quæ negligenter officiata pertransierit, nequaquam vlterius poterit reuocari: cum præsertim temporis sequentis officium, suam nihilominus diligentiam & deuotionem requirat. Nec sibi de gratuitis orationibus blandiantur, si circa necessarias quæ primo loco habendæ sunt, desidiosi extiterint. Denique iuxta sancti verbum, pure ac semper strenue debent laudibus diuinis intendere. Pure quidem, vt dum psallunt, nihil aliud cogitant quam quod psallunt. Strenue vero, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Deo assistant. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes: non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam, balba de nare sonantes, sed virili (vt dignum est) sonitu & affectu voces sancta Spiritus depromentes. Reuerentiam in officio honesta corporis dispositio, quæ mentis deuotionem non modiocriter promouet, attestatur. In choro non stent in stallis suis molliter, aut quasi fractis renibus resoluti. Quando post psalmum, vel hymnum sanctæ Trinitati reuerentia exhibetur, humiliter & decenter inclinent. Tunc enim tardius surgere, segniter ac difformiter inclinare; vt quando corpore quidem sufficienter demisso, vultus tamen indecenter erigitur, oculis erratice circumlatis: imperfecte quoq; ad memoriam Trinitatis, inclinationis venerationem exsoluere, quasi sit honoris differentia in personis, irreuerentiæ arguit & teporis. Etiam extra chorum stent ad officium, præterquam ad lectiones & officium mortuorum. Specialiter tamen lectionibus plane dictis (de Domina tantum exceptis) irreuerentes & pigros se nouerint, si debitas Deo laudes sedendo vel iacendo exsoluant, nisi necessitas euidens cogat. Si quando per viam officium dixerint, etsi non vacat continue dum illud dicunt ab itineratione quiescere, saltem ad collectam præcedentium collectiuam, quando omnino tota est in Deum intentio colligenda, in vno sistant loco: immo si tempus exegerit & locus permiserit, cum reuerentia genu flectant, vt in oratione communi totum officium venerentur. Dispositio corporalis honesta, deuotionis prouocat affectum & designat. Non frustra sanctus Martinus, oculis ac manibus in cœlum semper intentus orasse describitur. Intrinsecos motus gestus exterior attestatur. Quamuis extra conuentum, conuentualis in omnibus disciplinæ nô seruetur districtio: in omnib. tamê religiosi operibus, religionis debet vestigiû relucere. Debent ergo ad opus Dei corpus honeste disponere: ad collectam & Trinitatis memoriam vel modicum inclinare, ordinem in prosequendo seruare, occupationem & interruptionem vitare. Ad Missas postpositis omnibus, tanto maiori promptitudine ac deuotione ministrent, quanto Deo ibi familiarius seruitur. Calicem & corporalia si tetigerint, reuerenter & mundissime tractent: manusq; post tactum huiusmodi antequam apponant communibus, lauent. Corpus Dominicum receptum, ante vt decet, ampliori confessionis, orationis, & tam à cibis quam verbis temperantiæ studio, acceptum Deo satagant hospitium præparare. Infusam autem ob tanti hospitis gratiam, reuerentiam in gratiarum actione attendant: *Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.*

Marginalia: *Psal. 118. e* — In omnibus prosperis & aduersis Deus laudandus. — Intentio actionum omnium feratur in Deum. Recollectio nô omittenda. — *Matt. 6. a* — *Psal. 50. a* — *Psal. 5. a* — *Prou. 8. b* — *Mar. 16. a* — *Psal. 136 b* — *Ambr. ser. 43. & lib. 5. Hexam. c. 12. proponit* auiculas imitandas mane summo, & vespere ante somnum cantillantes. — Orandum ex animo. — Officium diuinum quam deuotissime persoluendum. — *Bern. ser. 47. in Cât. in fine.* — Reuerêtia est opus in officio diuino. — *Sulpit. ep. 3. ad Bassulâ sub fin.*

Capvt II.

De ordinatione respectu sui.

CÆterum feruorem sanctum, & quandam debent magnanimitatem assumere; vt ad virtutum exercitia strenui ac deuoti, opera bona frequenter supererogare contêdant. Tunc enim vitia fideliter extirpata discedunt, si virtutibus cedant. Alioquin vel subsidunt ad tempus eiecta, vel redeût; nisi virtutes in locis vitiorum quę fuerint depulsa, successerint. Nô proderit omnia reliquisse, nisi virtutum passibus tota Christum intentione sequamur. Quid iuuat expeditum esse ad cursum, nec currere? exisse ad opus, & operis obliuisci? Non intrantib. vineam, sed operantibus merces datur. Et cum in vsu virtutum omnium perfecti esse non valent, in aliqua saltem se studeant specialiter exercere, & illa quanta possunt perfectione obseruare. Feruorê nouitiorum non decent illæ misericordes in seipsis discretiones, & discretionum dispensationes faciles: quia indulgentiæ suo iudicio non sunt admittendæ, nec tamen recusandæ sunt alieno. A seipso in seipsum, rigida debet esse censura & districta seueritas. Ad regentem vel consulentem, lenis &

Marginalia: *Prosp. lib. 3. de vita côtempl. c. 3.* — *Mat. 20. a* — In seipsû rigidum, in alios lenem esse oportet.

nis & obediens in omnibus humilitas. Si alterum desit, vel in deside & tepido, non spero cursus perseuerātiam, vel in præcipitio timeo ruinam. Sint occultatores virtutum, sicut alij vitiorum. Non tamen in præcipitio ardua siue multa præsumant, nec sine licentia aliquid notabile attentent: sed à minoribus virtutibus paulatim ad maiores ascendant. Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Communem ordinis obseruantiam sequantur: perfectioni in silentio & in alijs institutis plenius obtinēdis insistant; à qua nec exemplari leuium, vel negligentium aliquorum dissolutione diuertant. Optima religiosi perfectio, perfectè communia quæq; conuentualia seruare. Porro hic religionem offendit, qui religionis violat instituta. Turpis omnis pars, vniuerso suo non congruens. Cauet vir constans & honestus, ne consuetudinum ordinis temerarius violator existat. In victu & moribus, nouitatis nota, & singularitatis erit diuersitas fugienda. Ante omnia caueant, ne pro inchoato iam bono subrepat superbia, vt se alijs præferant, & se aliquid esse putēt. Perit omne quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Exteriorum gestuum disciplinam nō negligant. Disciplina ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulā, iram sedat, format incessum. Sit ergo aspectus verecundus & simplex, risus sine cachinno, vox sine clamore; incessus sine tumultu. Erecto vel discooperto passim capite, manibus dissolutis vel habitu non incedant. Sit eis grata nō scurrilitas, seu curiosa vrbanitas, sed sancta quædam rusticitas. salua semper modestia honestatis. Sint ad loquendum tardi, & in voce demissi, & in congregationibus aut seniorum præsentia, vix nisi pro præsenti necessitate vel interrogati loquantur. Non sint disputatores, nec facile de auditis præsertim seniore præsente sententient. Stulti sicut sunt in sensu leues, ita & in verbo præcipites. Infra tempus probationis cum extraneis, siue religiosi, siue alij fuerint, absq; licentia & dato sibi socio non loquantur. Religionis initium est linguæ frenum. Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio. Rem aliquam, licet paruam, sicut acum, siue aliud, occulte hoc est, sine licentia recipere vel habere, quasi furtum abhorreant. Superfluitatem in cibis & vestibus, & in alijs quibuscunque constanter despiciant: paupertatē & parcitatē quādam in omnib. quæ ad corpus pertinent, amplexantes. Vitiosæ consuetudini viriliter & feruenter resistant: nec eam in his quæ gulæ vitium sapiunt, succrescere patiantur. Extra communem refectionem, ad comedendum & bibendum vix eos inflectat ipsa necessitas. Sæpe quod necessitatis esse videtur, est vitij. Vltra duas vices in die, puerorum seu pecudum more comedere, potum extraordinariè frequentare, religionis temperantiam & decorem euidenter offendit. Quæ rogo religio, quæ paupertas, si mox vt esuris, mox vt sitis volito pares, satias appetitum, nec eum vsque ad statutam horam scias cōpescere? Si quando tamen extra horam exactus necessitate quis bibit, sedendo & socio præsente id faciat. Non decet vt stando, aut sine teste bibas. Si plures fuerint, omnes dum bibitur sileant: statimque vt biberint surgant cum aliqua laude Dei. Reprehensibilis admodum confabulatio, vel mora superflua iuxta potum. Nunquam otio torpeant: sed semper aut lectioni, aut orationi, vel officio addiscendo, aut alijs non quæ ipsi elegerint, sed quæ iniuncta fuerint facienda intendant. Spiritū tamen deuotionis, exteriores non exhauriant actiones. Deuotus frater numquam totus comedat, totus dormiat, aut totus in exterioribus occupetur: sed siue comedat, siue aliud faciat, sanctum in animo aliquid semper voluat, vnde spiritus recreetur. In somnum quoque iturus, semper aliquid in memoria secum deferat; in quo placide quidem obdormiat: quod nonnunquam iuuat somniare, & vigilantem excipiens, in statum hesternæ intentionis restituat. Lectum intraturus pro diurnis offensis orationē semper aliquam faciat, veniam petat, pectus percutiat; crucisque munitus signaculo, suum Deo spiritum humiliter recommendet, qui à somno surgens, cum aliquanta se denuo laude cōsignet. Quod si forte cum luxuriæ pompa concusserit, recordetur dilectum suum positum super lectum doloris, & vniuersum stratum eius in carnis infirmitate versatum, hæc dicens in corde suo; Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Sicque inuocato nomine Saluatoris, & sæpius geminando nomen salutis, cessabit quassatio.

Seneca lib. de virtutib. 6. cōtinētia. *Prou. 20. c*

Perfectio summa religiosi, cōmunia perfecte obseruare.

Aug. lib. 3. confess. c. 8

Superbia summopere fugienda nouitiis. *Ber. ep. 113 ad Sophiā virginem.*

Religionis initium, linguæ frenum. *Iac. 1. d*

Extra cōmunem refectionem nihil sumendum.

Otio nunquam

Ber. de vita solitaria ad fratres de monte Dei ante med.

Ber. in formula honestæ vita in fine. *Psal. 44. a*

CAPVT III.

De ordinatione circa proximum.

AD hæc qualiter se habere ad proximum debeant, Hugo docet: Superioribus, inquit, obedientiam, timorem, obsequium & venerationem exhibere debemus: cum æqualibus pacem & concordiam custodire, inuicem obsequio, beneficio & honore præuenire. In omni actione & verbo, superiorem eis locum tribuere: & si quando fortassis in aliquo negotio præire eos cogantur, cum omni humilitate & reuerentia, quæ facienda sunt non præcipere, sed demonstrare: & si eos præcedere contingat cum alacritate & deuotione, quasi ex necessitate subiecti, obedire. Inferioribus semper beneficium & auxilium impendere, venerationem non exigere, societatem atque æqualitatem amare. Maioribus, ait, debemus per timorem subdi, æqualibus per charitatem obsequi, minoribus per æqualitatem coæquari. Igitur deuoti fratres seniores suos reuereantur vt dominos, diligant vt parentes. Qui præsunt in Domino, sunt (secundum Apostolum) amplius in charitate habendi. Sane (iuxta Hugonem) reuerentia sine amore seruilis est: & amor sine reuerentia puerilis iudicari debet. Propterea docet Sanctus, vt transeunte maiore minor surgat, & det ei locum sedendi. Non præsumat, inquit, minor considere, nisi præcipiat ei senior suus. Prior hic ponit conuersio, vel gradus officij seniorem: quamquam & ætas sit iuxta legem Domini honoranda. Sic enim scriptum est, Coram cano capite surge: & honora personam senis. Discretio tamen caute pro loco & tempore, ac sine reuerentiæ congruæ detrimento, venerationem modificat. Habendus est modus in omnibus, nec vitiosam quidem superstitionem admittens, nec superstitionis euitandæ prætextu, humilitatis aut morum sanctionem euacuans. Obedientiæ se totos subijciant. Sit homo interior totus Deo, sit exterior totus Prælato subiectus. Quidquid superior eis vel præpositus, vel instructor iniunxerit, quasi diuinitus imperatum, statim vt veri obedientiæ filij deuote adimpleant. Quidquid statuerit, inuiolabiliter seruent; scienterque aliquid transgredi sacrilegium putent: & salutare credant quidquid ille præceperit. Perfecta obedientia est incipiente maxime indiscreta, idest, non discernere quid vel quare præcipiatur: sed tantum ad hoc niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur. Nouitium prudentem incipientem & sapientem, in cella diu posse consistere, & in congregatione durare, est impossibile. Stultus igitur fiat vt sit sapiens. Secure per omnia obeditur, vbi contra Deum nihil præcipitur. Discant ergo voluntates properas frangere, alienoq; iudicio & imperio ambulare. Nulla ars, ait Sanctus, absque magistro discitur. Ad illud, inquit, tendit oratio, vt tuo doceam te arbitrio non viuendum, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum: vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te silentium doceat, ille mansuetudinem. Non facias quod vis: subijciaris cui non vis. Lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Nihil absque instructoris cōscientia faciant, vel quocunque eant, cui ab alijs etiam superioribus demandata sibi significent. In quibus sufficit ipse, semper eius licentia sint contenti; pro his

Hugo de S. Victore, l. inst. Nou. ad Nouit. c. 5. in initio.

Seniores honorādi. *1. Tim. 5.* *Hugo vbi sup. in principio c. 5. & Bened. in Reg. c. 63.* *Leu. 19. f*

Quidquid à prælato præcipitur, quasi diuinitus imperatū seruetur. *Ber. de vita solitaria ad fratres de monte Dei, ante med.* *1. Cor. 3. d*

Hiero. to. 1. ep. 4. ad Rusticum monachum, in med.

Sine conscientia instructoris nihil agendum.

quæ

quæ inferioris sunt, non passim recurritur ad maiorem Fratres omnes & seinuicem honore, & obsequio præuenire, & eorum defectum in officijs humilioribus implere contendant. Seniores fratres versiculos dicere, de lumine seruire, librum ad officium tenere, vel huiusmodi humilia in choro & extra, quantũ in se fuerit non permittant. Omnibus se subijcientes propter Deum, non quod sibi vtile putant, sed quod alijs amplexantes, omnib. libenter obediant, omnib. satisfaciant prout possunt: vt in omnibus quibus vtitur transitoria necessitas, supereemineat quæ permanet charitas. Quidquid agunt fidelissime cum diligentia faciant, & tamquam Deo, non quasi hominibus seruientes. Non æstiment alios fratres, qui diutius in ordine laborauerunt, secum ex æquo laboribus occupandos: præsertim cum de se humiliter sentientes, pie debeant credere, quod sancti viri plus Deo placeant quiescentes, quam ipsi quantumlibet laborantes. Erubescant se nescire, quod in obsequijs religiose est sciendum. Quod igitur nesciunt, statim exercitio magistrante addiscant. Sint præcipue ad seruiendum communitati promptissimi. Si lumen in ecclesia in officinis, aut aqua in fratrum lauatorio desit; continuo de his & similibus necessitati ꝓuideant. Ad obsequium aduenientium fratrũ, qui sicut Angeli, immo sicut Christus in eis veniens, sunt suscipiendi, cum omni deuotione festinent. Et quia fratribus hospitibus, secundum quod religionis honestas & consuetudo requirit, prius orandum est, quam fratribus socientur in pace, quam cito ab oratione surrexerint ad eorum deosculandas manus, maxime si fuerint sacerdotes, deuote occurrant & humiliter genuflectant. Nullum fratrem puro appellant nomine: nec nisi fuerit patriæ consuetudo tuisent. Nulli prorsus, quantum in eis est, materiam præstent molestiæ alicuius: sed omnia quæ necessaria & vtilia æstimant, bono pietatis & charitatis componant. Quid pace honestius? quid vnitate iucundius? aut commodius socialitate? quid charitate melius, aut pretiosius inuenitur? Gloriosissimum quidem & potissimum liberalis animæ, & conscientiæ bonæ indicium, pacem proximi custodire: omnem quantum possibile est fratrum scandali occasionem vitare, verecundari si socium vel per surreptionẽ offendis. Si quem aduersum se fratrem motum, vel leuiter senserint, quiescere nesciant, quousq; ipsum humili studuerint satisfactione placare. Ad extraneos si quando procedunt, in verbis eorum, incessu & habitu, modestia fulgeat disciplinæ: breuiter & pauca loquantur, caput decenter operiant, manus abscondant, mulieris omnino quantumlibet propinquæ osculum, & nudæ manus contactum penitus vitent. Pro personis quæ in domo, vel in via fratrum se orationibus recommendant, statim post earum abscessum orationem faciant specialem. Defunctis fratribus, audito eorum transitu, quam citius possunt subueniant: & debitum saltem obsequium soluere, nulla occasione postponant. Talia siquidem non absque pertimescendæ offensæ periculo negliguntur.

Aug. in regula c. 34.

Fratres hospites cum charitate excipiendi.

Pacem cum omnibus habere liberalis animi, & bonæ conscientiæ indicium.

Orãdum mox pro illis qui preces efflagitauerint.

CAPVT IV.

De rerum custodia.

RES quas tenent, præcipue libros, munde teneant & honeste. A tactu libri nudam cohibeant manum: quæ licet munda, quia tamen porosa, ipsum facile inficit & deturpat. Turpe est nudos paginarum marginibus imprimere digitos, vel ipsos, vel certe laternam super librum legendo deducere. Semper pannus, si adsit, digito supponatur. Alioquin ita caute tangant & leniter, vt tangentes quasi non tangere videantur. Librum superflue apertum non teneant, vel incaute relinquant. Firmacula, libro paululum stricto, si violencia laxentur, apponent: violentiam sonitus probat. Indignus est libro, qui negligit custodire. Solent incurij quidam, libros digitis, & vestes præcipue in manicis munde seruandas, sordibus & pulueribus, vel rebus quas tractant pene indifferenter exponere: ipsas vero extremæ frequenter vilitati expositas, vix valent à sociorum cibo, vix ab altari, vix ab ipsis calicis mappulis prohibere. Qui ipsis placere sordibus cupiunt, custodiæ curam curiositatis condemnant infamia: suæque vitium incuriæ, virtutis specie colorare nituntur. Grauia hæc homini erudito. Qui munditia gaudet, honestatis pulchritudine delectatur,

Libri curiose seruandi.

CAPVT V.

De profectu & defectu Nouitiorum, siue differentia conuersorum.

ACcedit hinc Neophytorum conuersio differens intuenda. Sunt enim quidam tractabiles, simplices, deuoti, timorosi, qui nihil sibi Christo charius æstimantes, voluntates proprias ei sacrificant, voluntarie ꝓmpti ad nutum, nutu citius obedire. Ad difficilia quælibet ꝓpter Christum æquanimiter perferenda parati: suæ quoq; integritatis solliciti, cor suum per puram cõfessionem & assiduam orationem mundare non negligunt. Sunt in exteriori conuersatione disciplinati & humiles; student se in omnib. officiosos & amabiles exhibere. Siquidem studere propter Deum amari, charitati seruire est. Hi vero sunt Altissimi filij, fideles sanctæ religionis propagines, fratrum lætitia, consociorum solatium, sui gloria instructoris. Nam gloria patris est filius sapiens. Sunt & alij duræ ceruicis, disciplinæ insusceptibiles, mansuescere nescientes, tepidi, curiosi, superbi: qui quam suauis est Dominus, non gustantes, sæculari dumtaxat deposito habitu non affectu: quoniam adhuc in moribus, in verbis, in gestibus, & propriarum pertinacia voluntatum, sæculo fidem seruant: vt monstro mirabilius sub religiosa veste, hominem videas sæcularem. Hi sunt filij diffidentiæ, adulterina plantatio, fructus inutiles & acerbi, sociorum onus & scandalum, sui afflictio & confusio instructoris. Iuxta illud: Ita patris filius stultus: & confusio patris de filio indisciplinato. Ponenda sunt pauca torporis, curiositatis & superbiæ, prædictorum indicia, vt cognita deuitentur. Cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant. Tepidus in conuersione otiosa verba, & vanas cogitationes noxias esse non conspicit. Vitatis grandibus, reliqua omnia vix reputat imputanda: hebetati cordis ipse ad conscientiam de offensis, vt timoris filialis ignarus, timoratos & conscientiæ puritatem amantes, fatuos & superstitiosos sententiat. Quod si à torpore mentis euigilauerit: ea quæ leuia existimabat, quasi horrenda atque atrocia pertimescit. Vacuus gratia & tepidus, quod est gratiæ, seu minus necessariæ tentionis, quod disciplinæ, quod morum, quod virtutis perfectio conciliat, negligens: illud difficile, vel certe superfluum arbitratur, ægreque doctrinam ad talia patitur doctorem nimis perfectum ironica irrisione pronuncians. Nempe stultus sui patris disciplinam irridet: vt pateat quod iuxta Sapientem dicitur: Compedes in pedibus stulto doctrina. Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Tepidus in conuersione remissus, publicos mores & doctoris monita negligit, ea quæ Dei sunt languide operatur. Si quod inchoat bonum, vix perficit, tarde ad diuinum officium, & quæque conuentualia occurrit. Otio gaudet, labore vel modico læditur: & facile se infirmum, vel ad modicum se fatigatum prætendit: sed & amore priuato se diligens, quæ carnis sunt sapit, & prosequitur ex affectu. Aliorum quoq; defectibus, non virtutibus hærens, si quid minus vel negligenter actum inspexerit: illud in exemplum ad suæ velamen tepiditatis assumi. Ficta ei & indeuota confessio: rara & breuis compunctio. Insipida & sine attentione oratio, incircumspecta & sine ædificatione lectio: obedientiæ morosa & sine deuotionis affectu vix aliqualis impletio. Multos enim remissa conuersio in pristinos errores reducit; ac vi-

Bonorum nouitiorũ signa.

Nota. Ber. ep. 90. in med.

Prou. 10. A

Psal. 33. A

Eccl. 22. A

Improborum indicia.

Ber. li. 2. de considerat. post med. Isidorus de sum. bo. l. 2. c. 10. sent. 2. & Bern. ad sororem de modo bene viuẽdi c. 6. Isidor. vbi sup. & Ber. vbi sup.

Prou. 15. A

Eccl. 21. C

1. Cor. 2. D

Isidor. l. 2. de sum. bo. c. 10. ent. 1

ac viuendi torpore resoluit: vt nonnunquam ex ore Domini euomantur. Curiosus non curanda curat, necessaria negligit: & sui oblitus aliena considerat, notat, & explorat. Si quod insonuerit verbum, anhelat sollicitus ad sciendum: & honestate postposita id ab inuitis & celare forsan volentibus, inuerecunde requirit. Locis sibi non concessis, congregationi, & collocutionibus fratrum se ingerit non vocatus. Cum eum abesse putaueris, adest impudens lateri, adest auri, vt nec secretum valeas occultare sermonem. Obseruat angulos, vagis circumspicit oculis, hęret ad singula quę occurrunt. Communes obsidet transitus. Superuenientium & forensium gaudet occursu. Rumoribus & sęcularibus verbis hauriendis & referendis intendit. Res sibi non deputatas curiose reuoluere non quiescit. Litteras etiam alienas si casu apertas inueniat, inspicere non veretur: quas tamen licet apertas quomodolibet inuentas, vix aliquis nisi superior licite inspicit, vel alijs inspiciendas exponit. Rerum quoque apparatus, cura superflua, curiositatis vitium clamat. Signa vero superbiæ Prosper enumerans. Hos, inquit, dolens enuncio, quos iam conuersos superbia occulte captiuat. Hi, ait, seniorum suorum non obseruant imperata, sed iudicant de suis negligentijs. Obiurgati, aut rebellant insolenter, aut murmurant. Simplicitatem spiritualium fratrum irridenter exagitāt, præferri se etiam melioribus impudenter affectant. Obsequia delata fastidiunt, negata pertinaciter quærunt. Natales moribus anteponunt: minores suos elati despiciunt, conferri sibi aliquos non credunt. Non seruant in obsequio reuerentiam, in sermone modestiam, in moribus disciplinam: habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in sermocinatione iactantiam. Sunt in humilitate fallaces, in iocatione mordaces, subiectionis impatientes, temerarij in audiendo, clamorosi in loquendo, fastidiosi in aduertendo, præsumptuosi in docendo, effrenati deformiter in cachinnando: hæc sunt, infert, superbiæ grassantis indicia. Superbus se ad omnes propriæ voluntatis impulsus accommodat: nec se alijs, sed alios sibi applicare contendit: facile sibi fieri contumeliam iudicat, ad quam irrogandam est validus, ad tolerandam infirmus. Et se grande aliquid esse putans, deferre socijs dedignatur. Legibus subdi, & propriam cognoscere culpam erubescit. Et licet iuxta ordinis mores se regere nesciat, in suis oculis tamen sapiens & perfectus. Ad aliorum instructionem, suæ præsertim opinioni contrariam stomachatur. Reprehensus offenditur: nunc causam, vt insufficiētem, vel friuolam, nunc monitoris modum calumnians: vt si persuadere aliquid velis, instabit quod modus artem, monitio studium exigat: quo fit vt huiusmodi allegationum obsitus spinis, sicut ericius vel irrefragabili ratione, vel auctoritate non capiatur. Fit igitur ad obtemperandum difficilis, & ad correctionem impatiens, adeo interdum, vt se discipulum abnuens, ipsum etiam deputatum sibi refugiat instructorem. Hæc omnia serui Dei quasi pestem mortiferam detestantes, perfecte ad Dominum conuertantur: iuxta illud Deuteronomij: Perfectus eris & sine macula cum Domino Deo tuo. Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. Si quis vero sufficienter expectatus & monitus, mores corrigere, ac religionis formam induere negligit; præsertim si rebellis, aut contentiosus extiterit: nō est proficientium numero aggregandus. Infidelis si discedit, discedat, ne vna ouis morbida, contagione mortifera totum gregem contaminet. Peruersus & insolens, non nisi in onus religionis & dissolutionem admittitur.

Apoc.3.d — *Litteræ alienæ non legendæ.* — *Prosper lib. 3. de vita contēp. c. 8.* Signa superbiæ. — *Deut.18.c* *Eccle. 2. d* — *1.Cor.7.c*

CAPVT VI.

De nouiter professis in ordine.

AD professionem admissus sit quam maxima cura, nec defluant. Perfecti quiq; magna se discretionis subtilitate conspiciant, ne ad deteriora vnquam vel in opere, vel in cogitatione delabantur. Si curare parua negligimus, sensibiliter seducti audenter etiam maiora perpetramus. Susceptam examinis tempore disciplinam, prudens non abiicit, immo necsuum continuo quasi iam sibi sufficiens deserit instructorem. Eget rectore nouitius, eget nouus directore professus. Vanus & fictus vt instructoris curam euaserit, insolescit, assumit cornua, fit præsumptuosus & audax, & quasi vacca lasciuiens à prima informatione declinat. Cessat oratio, tepet deuotio, confessio peccatorum negligitur: vt putes eum aut sui oblitum, aut non habere peccatum. Facit quidem dilata confessio, vt negligens mundus appareat, licet non existat; dum culpas absorbet obliuio, absoluit. Multiplicantur dum non curantur offensæ; multiplicatæ ne discernantur & corrigantur impediūt. Multitudo peccatorum impedit, ne videantur. Vnde piger tunc est maxime vitiosus, cum vitia non agnoscit. Sic filia fatua in deminoratione erit. Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectam diem. Professi ergo profiteantur profectum, præsumptionem proscribant. Dabit ad hoc, humilitatis & paupertatis constantia perseuerans affectū, & curarum abiectio terrenarum, exercitatio charitatis, & quæ complectitur omnia considerationis attentio. Summa religiosi virtus humilitas, quæ ipsum curat, perficit, & conseruat. Sine humilitate nulla virtus, nulla perfectio aut acquiritur, aut seruatur. Virtutum siquidē bonū quoddā, ac stabile fundamentum est humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggregatio non est nisi ruina. Et quoniam ad humilitatē humiliatio via est: non erubescant humilia, nec humilitatis officia facile respuant; nec imposita recommendēt. Omnis ab eis præsumptionis audacia proscribatur. Antiquioribus fratribus in ordine deferant; ac semper eorum respectu se iuniores & nouitios reputent. Ad exteriora, vel honoris alicuius officia, prouehi non affectent. Multos propera nimis promotio, à virtutum iam profectu per vitium elationis deiecit. Qui mundum deserunt, ait sanctus, ad exteriora officia vehi non debent, nisi per humilitatem diutius in eiusdem mundi cōtemptu solidentur. Et quia nouorum & iuniorum tentatio solet esse facile superbire; nescire modum humilitatis seruare; & si forte in aliquo præsint, officij metas excedere; ac de minimis grandia iactare: attendant sibi super his vigilanter. Non potest intimo cōscientiæ testimonio gloriari veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfecte respuerit. Paupertas in omnibus placeat, ne iterum siue in libris, siue in alijs rerum se velint sarcinulis onustare. Perfecta rerum abiectio, à cura expedit mentem, ab infectione affectum. Nemo in Christi expeditione liberior nil habente. Si aliquibus egeant, studeant parcitati. Super omnes diuitias, dicit item facit paupertas. Hæc quoque in victu, & in his quæ carnis sunt maxime amplectenda. Non est Euangelici pauperis gaudere superfluis, luxibus indulgere: & quod nec diuites possunt, semper velle in omnibus abundare, nec penuriam scire pati. Familiaritates superfluas fugiant. Esto (ait quidam) omnibus benignus; nemini blādus, paucis familiaris, omnibus æquus. Et sanctus, Tria, inquit, religiosum quemlibet decent: pauca loqui, paucos habere familiares, & multum orare. Vbi multi familiares: ibi multæ locutiones, & sibili singulares. Si familiarem admittis, si quem ætas, mores, discretio, & honestas insignit & commendat. Familiaritas si fuerit ordinata, non erit blanda, improba, puerilis. Est modesta quædam in sancta familiaritate seueritas, est & iustitiæ rectitudo: vt nullatenus vitium foueatur, nec pro amico proximus offendatur. Noli, ait Sapiens, pro amico inimicus fieri proximo. Sæcularium denique familiaritas indiscreta, religiosi quietem multipliciter inquietat. Nullius gratiam munusculis comparent. Si quid forte alicui vel causa exacti necessaria (prius religionis lege licentia præobtenta) obtulerint; honestas rei & vilitas pretij, religiosorum & pauperum xenium esse probent. Non frequentent propinquos,

Greg. hom. 9. in Ezec. — *Raratio confessio quid efficiat.* — *Eccl.12.a* *Prou.4.c* — Humilitas summa virtus religiosi. — *Bernar. ep. 87. in fine.* — Propera promotio a virtutum deiicit profectu — *Greg. li.8. moral.c.33. in princ.* Iuniorum tentatio est superbia. — *Ber. ep. 42. ante med.* Paupertas commendatur. — *Phil.4.c* *Seneca lib. de 4. virtutib. cap. de Cōtinētia.* Obserua tria quæ religiosos decent. — *Eccl.6.a* — Munusculis nullius gratia cōparanda.

nec exterioribus se implicent curis: sed salutis propriæ memores, agendæ potius pœnitentiæ vacent. Non cadat à mente professio: sed semper ad quid venerint, cogitent. Pensent quod de quibusdam ait sanctus Gregorius. Sape, inquit, nonnulli apertæ prauitatis vias deserunt, sanctitatis habitum sumunt: sed mox vt prima limina bene viuendi contigerint, obliti quid fuerint, affligi iam per pœnitētiam de consummatis nequitijs nolunt. Laudari de inchoata iustitia appetunt: præesse etiam cæteris melioribus concupiscunt. Et post pauca: In rebus, ait, multiplicibus occupati, atque ipsa occupatione confusi: non solum perpetrata minime deplorant, sed adhuc quæ deplorentur exaggerant. Secundum Apostolum. Nemo militans Deo, implicat se negocijs sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit. De sancto igitur, quod quanto magis se ab humanis curis & colloquijs sequestrabat, tanto illi vicinior & propinquior Deus erat. Vitanda maxime colloquia mulierum. Non potest totò corde habitare cum Domino, qui mulierum accessibus copuletur. Charitatis obsequia libenter impendant. Charitas semper reddita, semper detinet debitorem. Hæc autem quomodo negetur amicis, quæ etiam debetur inimicis? Postquam vel orationi vacauerint, vel ad studium se dederint, ad seruiendum fratribus surgāt: & si necesse fuerit, officiales nunc hunc, nunc illum, discrete tamen & prout oportuerit, iuuent: vt secundum Apostolicam doctrinam & vitam, manibus suis laborātes quod bonum est, aliorum fratrum etiam corporaliter, si fieri potest, participantes laboribus, in charitatis semper exerceantur operibus, & cibum corporis non absq; labore comedant corporali: vt hæc sancta consuetudo ipsos in humilitate custodiat, in fraterna dilectione, & omni perfectione confirmet. Qui communibus instant, suisque obsequijs alios portant, sunt corporali simul & spirituali suffragio supportandi. Merito singuli pro his orant, qui pro communitate laborant. In spiritualibus bonis Martha participet cum Maria, quæ vtique sunt sorores, & æqua sit pars descendentis ad prœlium, & permanentis ad sarcinas, & æqualiter diuidant. Qui nobis corporaliter obsequuntur, iuste sortem in necessarijs spiritualiter assequuntur. Rursum communitatis operibus, familiaria nemo præponat. Charitas (de qua scriptum est) non quærit quæ sua sunt: sic intelligitur, quę communia proprijs, non propria communibus anteponit. Considerationi denique ante omnia & in omnib. vigilandum, quæ ad finem & directionem attendit. Filius ad quem nostra tendit professio, regnum Dei, vel potius ipse Deus. Directio qua illic tenditur, mentis est puritas, ad ipsum principaliter directiua. Hærendum iugiter his duobus. Necesse est enim mentem considerare quo recurrat, cuique principaliter inhæreat. Non hærentem enim per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accidunt in illum statum reformari, qui primus occurrerit, necesse est. Hinc est, quod multos pro Christi amore maxima contemnentes, pristinum tamen affectum in minimis retinentes pro graphio videmus, acu vel calamo commoueri. Irascuntur mobiliter & inflantur, velut qui non habent Apostolicam charitatem. Qui si contemplationem mundi cordis fixam tenerent? numquam pro paruis rebus admitterent, quod ne pro magnis ac pretiosis incurrerent opibus, easdem penitus abijcere maluerunt. Vnde liquet perfectionem non statim facultatum, seu dignitatum abiectione contingi, vbi non fuerit charitas illa, cuius Apostolus membra describit, quæ in sola cordis puritate cōsistit. Nam quid est non æmulari, non inflari, non irritari, & reliqua: nisi cor perfectum atq; mundissimum Deo offerre, & intactum à cunctis perturbationibus custodire? Quidquid ergo nos ad hanc puritatem potest dirigere, tota virtute sectandum est. Quidquid autem ab hac potest retrahere, quamuis necessarium & vtile videatur, vt pernitiosum & noxium deuitandum. Sine via tendentibus, labor est itineris non profectus. Operantur & seruant quam maxime puritatem, perfecta humilitas & expeditio mentis à terrenis. Erit denique vt purus animus pura Deum oratione frequenter, frequentando gustet, gustando probet quam suauis est Dominus. Erit denique vt diuino inebriatus amore, totam in Deum considerationem inflectat: toto in ipsum desiderio pergat: nihil ei sit dulcius, nihil iucundius in hac vita, quam vacare & videre: quoniam ipse est Deus, quod est in partibus considerationis potissimum. Affecta sic anima comprehendit, complectitur & stringit, & tenet, dicens: Tenui eum, nec dimittam. Puritas itaque via est regia, per quam ad sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam peruenitur. Per hanc tandem veri Israelitæ de virtute in virtutem donec videatur Deus deorum in Sion, desiderij gressu indeclinabili gradiuntur: Christum super omnia diligunt: nihil eius amori præponunt in via, quem habituri sunt mercedem in patria. Et nunc ego, qui licet admodum imperfectus & rudis, per obedientiam tamen erudiendis simplicibus aliqua hæc documenta congessi, pulchrum depingens hominem, pictor fœdus: eos supplex per Dominum obsecro, vt me sibi & si minus profectum, tamen beneuolum attendentes, in orationibus suis mei meminerint peccatores: quatenus eis orantibus meorum veniam peccatorum assecutus, in potentias Domini, vna cum eis merear introire, ipso misericordiarum Domino id præstante, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: Lib. 8. moral. c. 32. in fine. — al. confusi. — 2. Tim. 2. a — Ioannes Abbate in vit. Patrum lib. 1. cap. 1. circa med. — Fratres laborantes adiuuādi. — 1. Thes. 4. c — Luc. 10. g — 1. Reg. 30. f — Cōmunitatis opera omnib. prȩferēda. — 1 Cor. 13. b — Augu. reg. cap. 24. — Finis prof ssionis nostræ Deus, ad quem venitur mentis puritate. — Forte leg. Qui si cōtemptum mūdi cordis fixum. — 1. Cor. 13. a — Puritas mentis studiose sectanda. — Psal. 33. b — Psal. 45. c — Cant. 3. a]

S. BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

De profectu religiosorum.

LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.

COLLATIONES meas, quas pro exhortatione ad nouitios nostros, vel ad alios religiosos aliquādo facere solebam, simul pro aliqua parte collegi: & in vnum continuam materiam, quasi profectus spiritualis formulam ordinaui tribus de causis. Vna, vt eisdem nouitijs nostris, quibus priorem formulam scripseram de exterioris hominis compositione, tam intra domum quam extra, etiam de interioris hominis reformatione aliqualem notitiam ostenderem ad profectum: quæ reformatio cōsistit in vitiorum expugnatione, & virtutum assuefactione: vt & mores & omnes affectus & sensus interiores, prout est possibile, Deo conformentur. Altera causa est, vt ea quæ religiosis prædicare solebam, simul collecta promptius si quādo indiguerim, sub compendio inuenirem. Propter quod etiam per plures particulas istam diuisi formulam, & per capitula singulas particulas distinxi, vt facilius inuenirem quæ quærerem. Tertia, vt interim dum ista scriberem vel legerem, tempus non inutiliter expēderem, memoriam spiritualibus cogitationibus occuparem, intellectum ad videndum clarius interna spiritualis studij secreta dilatarem, affectum ad virtutis ꝓfectum & deuotionis feruorem accenderem, corpus ab euagationis discursu restringerem, negligētias & peccata mea huiusmodi labore purgarē: & vt quæ meditando inueni, scripta legerem, ne obliuio aboleret. Et quia nō potui in otio & quiete ista colligere, sed vagando per diuersas terras, vix vel raro ꝓpter multas occupationes habui opportunitatem scribendi modicum, ideo multa non ibi posui vt volui: quia distractus animus ad plura, non valet subito se ad vnum plene colligere. qui etiam cum iam aliquantulum se cœperit congregare, statim cogitur iterum ad illa foras egredi, & se relicto ea quæ vix

[Margin: Causas explicat huius operis.]

vix videre incœperat obliuisci,sicut qui de foris veniens internam cellam ingreditur,si diutius ibi moratur,incipit clarius videre quæ prius non vidit:si autem citius exeat, iterum ad ea videnda cæcatur. Quidquid igitur ibi reprehensibile videatur, ignoscatur imperitiæ meæ, excusetur præsumptio: cum hoc non tantum pro alijs,sed etiam pro me principaliter & pro nouitijs & rudibus in via Dei,meiq; similibus intenderim inchoare.

ALIVS PROLOGVS.

IN priori formula nouitiorum,quam quibusdam nouitijs nostris scripsi de exterioris hominis compositione, aliquam formam eis proposui,secundum quam se regerent tam in domo quam extra. Nunc de interioris hominis, idest, mentis reformatione, ad quam omnis vera religio ordinari debet,aliqua eisdem, sicut promisi, tradere dispono, verbis indoctis & materia inordinata. Est autem ratio quare corporalis exercitatio præcedit spiritualem : quia homo ab intimis & summis cadens per peccatum, in hæc exteriora & visibilia dilapsus est. Et quia iam non intelligit nisi corporalia, ideo ibi primo nititur resurgere vbi iacuit, & paulatim erigere se ad spiritualia & diuina, ad quæ conditus fuit. Ideo quamdiu religiosus nondum incœperit intelligere & sapere quæ sunt Spiritus Dei;sed in exterioribus obseruantijs adhuc putat totum constare quod ad veram religionem pertinet:nouitius est,etiam si pluribus annis stetit in habitu religionis: immo iuxta Apostolum animalis dicitur, qui nondum percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.Stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Ex hoc perpende, duos esse nouitiatus in religione. Vnus terminatur, quando completo tempore probationis promittit obedientiam & stabilitatem in ordine per verba. Alter durat quousq; religiosus statum bene viuendi in consuetudinem conuertit : quod tunc fit,cum tam verbis, quam factis promittit se stabilē in ordine permansurū. Quamdiu enim fluctuat mente, & nondum stabiliter apprehendit viam studij spiritualis, & modo vult hoc, modo illud, nesciens quid potius eligat, incipiens est nondum proficiens. Stet tamen constanter in bona voluntate, & attendat quare venerit, & ad quid:& opus iungat voluntati:&, cito incipiet videre viam qua pergat ad Deum.

1. Cor.2.d

Nouitiatus duo.

CAPVT I.

De quattuor cautelis nouitiorum.

Prima cautela, vt primus nouitiorum feruor nō extinguatur.

QVattuor autem sunt in quibus noui & incipientes cauti debent esse,si volunt proficere. Primum, vt ab illa voluntate qua ad religionem venerunt, & à primo nouitiatus feruore non tepescant:sicut cuidam in Apocalypsi im pperatur:Habeo aduersus de pauca,quod charitatem primam reliquisti:quapropter pœnitentiam age,& prima opera fac. Charitatem primam relinquūt, qui cum primo sint ferventes & deuoti ad omnia, postea tepidi effecti & desides,tradunt se leuitatibus : & vitia quæ expugnare venerant, permittunt sibi dominari, seruientes Deo pro suo libitu, non pro eius beneplacito voluntatis. Vnde Dominus filijs Israel præcepit. Mementote diei huius , in qua egressi estis de Ægypto. Dies qua de Ægypto egredimur, est bona voluntas qua educimur de sæculo. Huius semper meminisse debemus:vt à feruore illius nunquam retrocedamus. Vnde quidam volens religionem ingredi de sæculo, quæsiuit à quodam Sancto patre quomodo viuere deberet. At ille dixit ei : Vide qualis primo die futuris, & sic semper viue. Hoc est, considera statum voluntatis tuæ in prima die qua religionem intrare disposuisti: quam humilis tunc fueris,quam paratus tūc obedire ad omnia tam aspera quam despecta:quam patiens ad correctiones & penurias & labores, quam verecundus & timoratus, quam sollicitus vt emendares vitam tuam,& etiam dies quos in sęculo perdidisti recuperares:quam parū curans rumores sæculi quærere, vel referre: nec detractionibus intentus, nec aliquib. curiositatibus occupatus:& quomodo fugisti & abiecisti omnes carnales affectus & effectus: & te totum obtulisti Domino holocaustum viuum,vt nihil deinceps in te viuat de vita peccati:sed tota mactetur & immoletur Domino obedientiæ ferro per sacerdotis ministerium,idest,prælati tui.Secundum hāc formam semper postmodum stude viuere , ne aliter in schola religionis dediscere & retrocedere magis quam proficere videaris.Sicut illi qui vadunt ad studium litterarum, & tempus vane consumentes redeunt domum, expensas solum computant consumptas,quia quid profecerint non apparet : sic & nos quando tempus in religione expensum computamus,& profectus virtutū exiguus est,cum forte in nouitiatu deuotiores &feruentiores fuerimus,quam post plures annos. Hoc enim est verecundum , & valde nociuum *ad Heb.5.* Cum deberetis magistri esse virtutum propter tempus, quo diu in religione fuistis, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonum Dei : & necesse habetis doceri sicut rudes nouitij,quomodo incipiendū esset seruire Deo, & facti estis qui lacte opus habetis, nō solido cibo,& tales estis qui mollibus blandimētis pueriliū consolationū & carnaliū foueri indigeatis, & fortia exercitia virtutum pati non valeatis,in duris reprehensionibus & contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus pro Christo. Omnis n.qui lactis est particeps,expers est sermonis iustitiæ; paruulus enim est tā meritis quam virtute. Secundū est, à quo incipiens debet esse cautus, ne moueatur malis exemplis tepidorum ad imitandum ea : sicut quidam infirmi spiritu videntes alios apud se desides in seruitio Dei, otiosos & verbosos, elatos & rebelles, ambitiosos & alijs modis vitiosos, dicunt apud semetipsos:Si alijs hoc licet,quare non & mihi? Et proniores ad malum, exemplum sumunt de his quos deteriores vident, & gaudent se socios inuenisse vitiorum, ne soli possint erubescere : quia si parcitur alijs, volunt & sibi in similibus parci. Contra hoc deuotus Dei seruus apud se respondere debet : Ego veni pure pro Deo, non pro aliquo alio:& ideo nolo aliquem sequi ad hoc, vt à Deo retrocedam : quia si tantos hic dyscolos sciuissem, numquam societatem eorum elegissem. Vnde solos illos imitari debeo qui ad hoc informant me, ꝑpter quod religionem intraui,idest,vt apprehendam Deum, & satisfaciam ei de peccatis meis, vt promerear gloriam sempiternam. Pictor & artifex, notabile opus volens facere, quærit non alia quam meliora exemplaria quæ potest habere ; & viator non quærit viam ab ignorantibus, sed à scientibus eam. ideo noli imitari malum, sed bonum. Tertium est quod cauere debet, ne iudicet temere facta aliorum,maxime vbi nescit qua de causa, vel intentione fiant. Sicut enim non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum,quare hoc vel hoc fiat. Vnde quidquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, & cum alijs, & alios non turbare, & Deum non offendere: quia sæpe iudicamus malum esse quod in se non est malum, & peccamus per temeritatem, vsurpando nobis iudicia Dei de occultis cordium. Magistrum nostri vice Dei aliquando id possunt iudicare per coniecturas circumstantes: alios non expedit per nos esse iudicandos, donec plene eruditi in omnibus per donum discretionis spirituū,& vere spirituales effecti omnia diiudicemus,& nos à nemine iudicemur. sicut clare videns cæcum, videt,nec tamen à cæco videtur, cū cæcus non videat seipsum. *Ad Rom.14.* Tu quis es qui iudicas alienū seruū,suo domino stat aut cadit. Sæpe enim merētur temerarij iudices aliorum,vt aut in similibus,aut grauioribus excessibus cadere permittantur : vt discant ex sua infirmitate com-

Apoc.2.a

Exod.13.a

Agathonis Abbatis cō silium. l.4. Vitas patrum par. 10. cap.3.

Simile.

Heb.5.d

Heb.5.d

Secunda cautela, ne quem permoueant mala exempla.

Simile.

Tertia cautela, neminem iudicare.

1. Cor.2.d

Rom.14.a

Luc. 6. a

compati alienæ. *Luc. 6.* Nolite iudicare, & non iudicabimini, &c. Est tamen differentia inter timorem & suspicionem, temerarium iudicium & iustum.

Timor.

Timor est secundum istam acceptionem, quando nihil mali suspicor de aliquo, timeo tamen, quod malũ quod nondum euenit, possit euenire, nisi caueatur. Sicut cum obfirmantur seris monasteria, & iuuenes prohibentur ab incautis familiaritatibus: nõ quia malum iam velle facere præsumãtur, sed timetur mali occasio, si nõ præcaueatur.

Suspicio quid.

Suspicio est, quando sine rationabili præsumptione reputo aliquod factum esse malum, vel aliquem velle male facere, & non est ita. hoc vitium est etiam sæpe peccatum.

Iudicium temerarium.

Iudicium temerarium est, quando credo aliquid factum mala intentione, quod potuit & alia fieri intentione, cum actio sit in se indifferens. Et hoc vitium est: quia cordis intentio iudicatur, quæ soli Deo est manifesta. *Ier. 17.* Ego Dominus scrutans corda & probans renes.

Ier. 17. b *Iudicium iustum.*

Iustum iudicium est, quando inexcusabilibus coniecturis aliquid discernitur esse malum, vel quando ipse actus est in se malus & illicitus: vt cũ video aliquem hominẽ occidere iniuste: vel tales conatus ad peccatũ, qui semper sunt illiciti & incongrui.

Quarta cautela nõ frangi aliqua aduersitate.

Quartum, in quo cauti debent esse nouitij, est, vt non frangantur aduersitate vel tentatione, sed cogitent, quia ad hoc venerunt, vt omnia quæ eis in hac vita possunt accidere, sustineant propter Deum: sicut qui intrat bellum, scit quod non quietem & delitias, sed laborem & vulnera oportet eum expectare. Vnde & in Ecclesiastico *cap. 2.* Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. deprime cor tuum & sustine. *Act. 14.* Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. *Luc. 24.* Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. ergo aduersitas est via ad regnum Dei, & qui recusat viam, recusat ad regnum peruenire.

Eccl. 2. a *Act. 14. d* *Luc. 24. d*

Capvt II.

De quattuor tentationibus.

Tentatio autẽ quadruplex est, quasi quattuor venti à quattuor plagis flantes, qui mouent tempestates in hoc mari huius sæculi, & nauem cordis quassant & iactant fluctibus. A carne, à mũdo, à diabolo, & Deo procedunt tentationes.

Tentatio à carne.

Primo à carne tentamur, quando naturalibus vitiorum moribus ad peccandum sollicitamur: vt cũ luxuria vel gula nos tentat. Item à carne tentamur, quãdo delicata caro nostra horrendo labores retrahit nos, ne in studiis spiritualibus & virtutum conatibus sicut expedit, exerceamur. Et sic dupliciter impugnat nos caro, dum aut appetit mala, aut retardat ad bona. Licet autem ira & inuidia & inanis gloria nõ videantur esse in carne, sed in spiritu, tamen à carnis corruptione trahitur corruptio spiritualium affectionum. Et licet dicatur, quod dæmones huiusmodi vitia suggerant hominibus; tamen nos habemus tentationum materiam intra nos: vt etiam si non adessent dæmones, ipsa tamen concupiscentia nostra pareret peccatum, si ei consentiretur.

In nobis est omne quo peccamus.

In nobis est omne quo peccamus. Cogitationes enim & mentis affectiones, & voluntates, & membra corporis nostri, illa sunt quibus meremur & demeremur. Ista dedit nobis Creator quasi quædã instrumenta virtutum, quibus bona opera faceremus, & mansiones nobis in cœlo ædificaremus, & ipsi Creatori nostro militando per ea, quasi armis muniti hostem nostrum diabolum impugnaremus.

Hostis noster inermis est, & nos cogere nequit.

Ipse vero diabolus contra nos inermis est: & solis astutis suggestionibus nos impugnat, suadendo vt peccemus, non cogendo. Benignus enim Conditor noster non dedit hosti nostro posse nos vi ad peccatum impellere: quia nimis fortis esset contra nos fragiles, & vix possemus sine peccato subsistere: sed tantum permittit eum nobis mala suadere. In nostro autem arbitrio est, si velimus ei consentire. Insuper premuniuit nos ponens inimicitias implacabiles inter serpentem & hominẽ: vt quidquid suaderet nobis, non reciperemus quasi vtile, scientes quod numquam dabit nobis fidele consilium tam crudelis inimicus noster, cui nihil sufficit de nobis citra æternam damnationem nostram.

Gen. 4. b *Gen. 3. c*

Cum ergo suadet nobis peccatum, quodammodo exigit à nobis, vt præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat: vel vt ipsa arma, si ei præstemus, hebetet & retundat, vt nobis minus apta fiant & vtilia, & minus acuta & efficacia ad ipsum per ea impugnãdum. *Verbi gratia.* Cum immittit nobis cogitationes peruersas, & suadet vt malum faciamus, vel loquamur, nonne quasi aperte videtur homini dicere: Inermis sum ego contra te, non habeo vnde te lædere possim, nisi tu prçstes mihi arma tua, vt te vulnerem & occidam. Præsta ergo mihi cor tuum ad prauas affectiones vel cogitationes malas, linguam ad loquendum iniqua, & manus & alia membra ad actiones & opera praua, quibus lethale vulnus in anima accipias, & gratiam Domini Dei tui perdas, & gloriæ cœlestis merito spolieris. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tamquã ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo. Stultus vero est qui ei consentit ad hæc damna sua: & sibimet imputet potius quã inimico suadenti, qui more hostis hostiliter secum agit.

Rom. 6. b

Tentatio à mundo.

Mundus etiam dupliciter tentat nos: sic offerendo nobis ea quibus ad se alliciat, scilicet honores, diuitias, voluptates, curiositates, adulationes, & huiusmodi: siue quibus nos terreat, vt persecutiones, contumelias, & similia. Vtroque modo mult[illegible]trahit à Deo, quos aut amore sui, aut malo timore retinet in peccato.

Tentatio à diabolo.

Diabolus vero licet in omnibus tentationibus tentator soleat esse, tamen specialiter duabus tentationibus infestat nos, & maxime magis probatos in seruitio Dei; cum aut fidem veram conatur nobis auferre, & spiritu blasphemiæ subuertere. Et huiusmodi cogitationibus nos infestat quas naturaliter abhorremus, vt desperatione, vel nostri occisione, & similibus: licet quandoque & aliis ex causis ista proueniant: aut cum mala sub specie boni persuadet: quo improuidos, quos aliter non potest decipere, callide supplantet & à bono deiiciat. Et hoc est quod in Psalmo dicitur: Dæmonium meridianum, vel iuxta Apostolum, Angelus satanæ qui transformatur in Angelum lucis. quia cum sit princeps tenebrarum, & auctor malorũ, vt astute noceat, simulat se bona docere, & quasi lumen ostendere; vt ad tenebras peccati perducat.

Nota. *Psal. 90. b* *2. Cor. 11. c*

Tentatio à Deo. *1. Tim. 2. a*

Deus autem numquã tentat in malo, quia nõ lætatur in perditione nostra, qui omnes homines vult saluos fieri. Sed tamen dicitur quandoque tentare aliquos, cum aut flagellat eos in præsenti ad profectum eorum, & aliorum exemplum, sicut Iob & Tobiam: aut cum probat eos aliquibus arduis virtutum exercitiis; sicut tentauit Abraham, iubens eum immolare vnigenitum suum, hæredem diuinæ repromissionis: vt ostenderetur magna deuotio obediẽtiæ Abraham, & fidei ad Deum: quia nec hoc modo hæsitauit de eius promissione, quin impleret etiam de occiso, sicut pollicitus erat ei.

Gen. 22. a *Rom. 4. d*

Tentationes quomodo vincendæ.

Harum tentationum oportet nos quasdam maxime resistendo superare: vt spiritualia vitia, scilicet irã, acediam, superbiam, & inuidiam: quasdam vero fugiendo melius euadimus quam pugnando: vt luxuriam, gulam, auaritiam: licet etiam pugna contra eas sit necessaria. Sed tamen non est tutum diu cohabitare serpenti: nam multo tutior est castitas longe à mulierum frequentia semota, quã in medio earum. Facilius etiam abstinemus à delicatis cibis & potu, vel ab eorũ superfluitate, quando non videmus nec habemus, quam cum eis abundamus: & qui omnia reliquit propter Christum, & voluntariam paupertatem elegit, minus infestatur à curis auaritiæ, quam qui retinet diuitias, semper anxius quomodo eas augeat & seruet. Spiritualia autẽ vitia etsi quandoq; ex fuga videantur quasi remissius & rarius infestare, dum deest occasio impugnandi: tamen postea orta occasione durius ferire solent; sicut leo diu catenatus amplius fremit, cum fuerit emissus. Tentationes

vero contra fidem, & de spiritu blasphemiæ, & similes, nec fugere possumus, nec repugnãdo vincere: quia quãto plus indignamur nobismetipsis, & disputamus cum eis, tanto magis refricatur earum rabies & accenditur. Sed nec curandæ sunt, nec timendæ: tantummodo non consentiatur eis, & patienter earum infestatio quasi quoddam diabolicum susurrium supportetur, quod aliter compesci non potest. Non solent bonis periculosæ esse tales tentationes, sed sunt sæpe præsagia futuræ amplioris gratiæ & consolationis, & vitiorum purgatrices, & magni meriti operatrices. Diuinæ vero castigationes humiliter & patienter tolerandæ sunt, & iussionibus eius deuote obtemperandum est: vt & fortes simus in fide, & à mandatis eius numquam declinemus. Possent etiam plures tentationũ species inueniri à studiosis, sed ad præsens ista sufficiant. Sunt tamen quidam qui sibimet texunt laqueos tentationum, priusquam tentator accedat, & quodammodo procurant sibi vnde tententur: vt qui sponte cogitationes prauas versant in corde. Et hæ sunt intantum validæ, quod postmodum in delectationem versæ & roboratæ difficulter expelluntur. Item illi qui familiaritates incautas feminarum admittunt, quarum affectus ita imprimitur cordi, vt vix postea euellatur: & ita de similibus. Aliqui sibimet assumunt materiã, vnde postea occasionaliter oritur eis turbatio & tentatio periculosa. Quidam vero nõ habentes causam tentationis, ex sola suspicione vana somniant sibimet tentationis procellam. & hoc fit aliquando inter imperfecte bonos, inter quos fit turbatio & contentio; non de radice malitiæ, sed ex sola vana suspicione, dum vterq; nullius odij sibi conscius est aduersus alterũ, nec intendit eum in aliquo lædere: sed suspicatur alterum erga se inuidia stimulatum incedere, & ei insidiari, cum tamen hoc in nullo recolat se erga eum meruisse. Ille vero econtra nihil sibi conscius de his cõqueritur, quod iste sibi iniurietur sine causa: & incipit etiam ipse facta alterius ponderare, quasi aduersarij sui: & sic vterq; inflammatur odio contra alterum, cum neuter voluerit lædere: sed tantum suspicatus sit, & vane, quod alter alterum voluerit lædere sine causa. Et ita quandoque grauis turbatio oritur de modica scintilla, diabolo eam ad magnum ignem rancoris & odij conflãte. Qui ideo imperfecte boni dicuntur: quia in eo sunt aliquatenus boni, quod non intendunt proximo suo malum facere: & in eo à bonitate deficiũt, quod nimis proni sunt de alio malum suspicari sine causa sufficienti: & in eo efficiuntur minime boni, quod ex quacumque causa ad odium contra fratrem & proximum prouocantur.

Tẽtationes blasphemiæ nõ curandæ.

Suspicio tentationes generat.

CAPVT III.

De tribus generibus religiosorum.

TRia sunt autem genera religiosorum. Primi boni, secundi meliores, tertij optimi. Hi signantur per tres familias Leuitarum, Gersonitas, Meraritas, Caathithas, qui præ cæteris filiis Israel deputati erant ad cultum sanctuarij, sicut religiosi præ cæteris fidelibus in Ecclesia specialius videntur diuino cultui mancipati, differentes tamen habẽtes donationes secundum gratiam quæ data est eis, & secundum quod quilibet studuerit proficere ad virtutes. Nam secundum quod quisque se humiliat, aut habilitat ad gratiã per studium virtutum, iuxta hoc infunditur ei spiritus gratię in præsenti, & gloria in futuro dabitur ei. Si summos in virtutibus fueris imitatus, cum summis in gloria collocaberis: si medios, cum eisdem locaberis: si infimos, etiam cum infimis poneris. Omnes alta desideramus præmia: sed pauci perseueranter student ad alta virtutum exercitia. Gregorius: Ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Nota quod non dicit per graues labores, sed per magnos, id est, ad virtutes magnas promouentes, vel magnæ vtilitatis, & si non semper magnę austeritatis. Gustata namque vtilitas & suauitas virtutis, lenit pondus. Primi religiosi designati sunt per Gersonitas, qui in profectione castrorum portabant cortinas, & tectum tabernaculi, & vela, & quæque tactu mollia, & erectione castrorum ad occidentem post tabernaculum castrametabantur. Tabernaculum est vita Iesu Christi, & morum eius conuersatio, quam nemo pene in hac vita valet imitando portare: cum ipse non ad mensuram acceperit spiritum sanctitatis & sapientiæ: sed omnem plenitudinem, de qua nos omnes accepimus, particulariter secundum mensurã donationis Christi, alius quidem sic, alius vero sic: dum vnus imitatur eum in hoc dono, alius in alio, donec omnes in patria occurramus in virum perfectum & mensuram ætatis plenitudinis Christi: vbi quisque lætabitur in cœlesti mansione secundum meritum suum & studium, quo hic vitam Iesu Christi fuerit imitatus. Primi igitur religiosi fugiunt ardua & austera studia sanctitatis, sed leuia exercitia assumunt, & laxam vitam seruant quo ad corporis commoda, quantum licet salua salute: quibus sufficit, quod tantummodo caueant à peccatis mortalibus. Et tales procliues magis sunt ad lapsum peccati: quia sicut dicit beatus Gregorius: Illi soli in illicita non cadunt, qui se etiam à licitis restringunt. Arcta est via quæ ducit ad vitam & alta: & qui incaute & minus trepide per eam incedit, cito pedem in præcipitium ponit. Solent tamen vt religiosi videantur, aliquando sibiipsis magnam vim facere, & diligentiam habere in exterioribus obseruantiis, & traditionibus humanis, & honestatibus forinsecis, inclinationibus, & pulsationibus, in amplis cucullis, manicis & huiusmodi, quibus speciem religiositatis exterius repræsentant. Vnde Gersonitæ, qui interpretantur aduenæ, extrema tabernaculi portabant, scilicet tectum, cortinas, & funiculos: quia noui in religione pro magno habent prædictas obseruantias studiose obseruare, quamdiu meliora virtutum studia nõ cognoscunt. Hæc autem (secundum Domini sententiam loquentis ad Pharisæos de minutis talibus cærimonialibus obseruantiis) oportuit facere, sed illa meliora non mittere. In erectione tabernaculi isti Gersonitæ ad occidentalem plagam, post tabernaculum castrametabantur: quia qui hic extrema in exercitiis virtutum seruare contẽti sunt, in futuro cum postremis & quasi in occasu Solis in humiliori gloriæ splẽdore locabuntur. Secundi religiosi designati sunt per Meraritas, qui interpretantur amari: & portabant tabulas tabernaculi, & columnas & vectes, & illa maxime quę dura erant, & media inter cortinas & sanctuarium. Hi sunt, qui duram vitam in corporali exercitatione seruãt, affligentes corpora sua ieiuniis, vigiliis, & aliis laboribus corporalibus; & putant hoc summum in religionis obseruantia esse, interioris dulcedinis ignari, de veris virtutum studiis, quæ in spiritu & mente sunt, parum curant. Hi quia in se sicci sunt, & aliis in iudicando seueri esse solent, bene amari seu amacantes dici possunt. Et quia medium hic inter extremum & optimum in studio virtutum, statum habuerunt, in erectione sanctuarij nõ post ipsum, sed ex latere ad Aquilonem locum mansionis sortiuntur, vbi minor calor solis, & lux quam in Australi parte sentitur: vt quantum defuit eis de perfecto virtutũ studio, tantum illic desit eis in fulgore gloriæ & diuinæ fruitionis ardore. Tertij religiosi, qui & optimi, designari possunt per Caathitas, qui portabant ipsum sanctuarium, id est, arcam & altare, & mensam propositionis cum vasis suis, inuoluta tamen & cooperta. Hi sunt, qui student interiorem hominem suum, in quo Christus inhabitat per fidem, componere, & ad veras virtutes se exercere, & vitia carnis & spiritus extirpare: iram, inuidiam, auaritiam, acediam, superbiam, gulam, luxuriam viriliter expugnare: & his contrarias virtutes cordi inserere, humilitatem, charitatem, mansuetudinẽ, deuotionem, largitatem, sobrietatem, castitatem. Istæ enim virtutes sunt verum sanctuarium, & qui habet eas, sanctus est. Vnde Caathitæ interpretantur patientes vel componentes: quia per patientiam (quæ teste Iacobo opus perfectum

Num. 4. — Greg. homil. 37. in Euang. — Gersonitæ quos designent religiosos. — Ioan. 3. d — Ioan. 1. b — Ephes. 4. b — Greg. lib. 5. Mor. ca. 6. — Mat. 7. b — Mat. 23. c — Meraritæ quos designent. — Caathitæ quos significent. — Ephes. 3. c — Iac. 1. a

habet)

habet) componunt se & ordinant ad Deum & ad proximum in virtutibus, sicuti debent. Prioribus duabus familiis iussit Dominus dari plaustra: hi vero qui seruiunt in sanctuario, onera propriis portabant humeris: quia tam in humanis ordinationibus, quam in castigatione corporis permittitur aliqua remissio, vel etiam intermissio, immo iubetur, vt in talibus sit rationabile obsequium nostrū pro & loco & tempore, ne corpus deficiat sub onere laboris: sed in virtutum studiis nulla remissio datur, quia numquam indulgetur nobis vt simus iniurtuosi, elati, immites, inuidi, acediosi, auari, gulosi vel non casti. Et hæc onera propriis debemus portare humeris, id est, non confidere de alienis virtutibus, nisi & nos pro posse studeamus, vt eas in nobismetipsis habeamus: sicut quidam qui desiderant ideo esse cum pacificis, non vt exemplo eorum laborent fieri patientes, sed vt ab eis ad impatientiam non prouocentur. Quid prodest sanctorum contubernium habere, si nolumus eos in studio sanctitatis imitari? Onera Caathitarum secundum materiam dura erant, sed pretiosa & sancta, & interiora situ: quia studia spiritualium virtutum laboriosa sunt imperfectis adhuc, sed nobilia honestatis dignitate, & sancta, quia sanctificant: & interiora, quia in spiritu mentis, id est, in interiori homine. Velata tamē portabant ea: quia dum hic per fidem ambulamus, & non per speciem, nondum videmus virtutum decorem pure sicut est. In exteriorum operum exercitiis necesse est nos ea inuoluere, tam pro nostro exercitio, quam pro exemplo aliorum, qui mentem nostram non vident, nisi per vestigia exteriorum operum & morum. De hac tamen familia descenderunt sacerdotes per Amram, qui vigilans gratiæ interpretatur: qui sanctuarium reuelatum videre & contrectare ex officio debebāt, & Leuitis portandum disponere, singulis prout eis congruebat. Ipsi vero sacerdotes nō portabant, sed in erectione eius ante tabernaculum ad Orientem excubabant. Sicut per Caathitas, virtuosi, ita per sacerdotes contemplatiui figurantur. Soli virtuosi ad contemplationis gratiam proficiunt, qui pro remuneratione studij spiritualis vnctionem sancti Spiritus intus percipiunt: vt illuminati cœlestia secreta videant, quæ aliis sunt velata. Tales iam non laborant in studio virtutum, quod per laborē portandi significatur: quia per suauitatem internæ sapientiæ versus est eis labor in delectationem, ex amore conditoris. Ipsi vero disponunt onera singulorum deportantium: quia intus intelligendo cognoscunt rationes quarumlibet obseruantiarum in vita religiosa: quæ quia rudes & imperfecti nondum valent capere, inuoluunt ea corporalibus actionibus & exterioribus exercitiis, & tradunt cuique obseruāda quæ statui eius viderint conuenire. Vide igitur de qua familia esse velis, vel cuius spiritus sis: secundum hoc suscipe onus tibi deputatum, id est, serua regulam & viam, qua ad perfectionem illius status valeas peruenire. Impossibile namque est quemquam aliquam artem plene addiscere, qui regulas eius non vult attendere vel tenere: nec spiritualis fieri poterit, qui non vult spiritu ambulare.

[Marg.: Rom. 12. a — Exod. 6. c]

CAPVT IV.

De triplici statu religiosorum.

Beatus Bernardus in epistola ad fratres de monte Dei describit tres status religiosorum: scilicet incipientium, & proficientium, perfectorum. Primum vocat animalem, quasi rudem, qui nondum percipit quæ sunt spiritus Dei: & circa corporis compositionem adhuc maxime occupari necessarium habet, vt illud domet & castiget, ne rebellet spiritui sicut prius in peccato, quando caro spiritui dominabatur. Secundum vocat rationalem: vbi ratio quæ dignior pars hominis est, & per quam discernitur à ceteris animalibus irrationabilibus, quasi nobilior omnibus creaturis mundi, & dominus omnium, subiugata carne & in seruitutem spiritus redacta, seipsam studet agnoscere, purgare, & reformare in pristinam dignitatem & pulchritudinem, quam per peccati fœditatē amiserat. Tertium vocat spiritualem, vbi spiritus ad imaginem Dei conditus, gratia Spiritus sancti adiutus, supra se ascendit, & intendit in eum cuius est imago, vt ei imprimatur & conformetur per cognitionem intellectus, per affectum amoris & fruitionis iucunditatem. Per primum peruenitur ad secundum, per secundum ad tertium. Exemplum Ezechielis: Et platea erat in rotundum ascendens rursum per cochleā, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum. Idcircò latius erat templum in superioribus: & sic de inferioribus ad superiora ascendebatur* per medium. Rationalis autem spiritus est imago summę Trinitatis: & sicut Deus est trinus & vnus, ita anima, cū sit vna, habet tres potentias, quibus capax est Dei: scilicet rationem, memoriam, & voluntatem. Per rationem potens est capere sapientiam Dei: per memoriam potens est capere virtutem æternitatis Dei, vt in æternum numquam possit separari ab eo: per voluntatem potens est capere bonitatem Dei. Ne igitur otiosa sit in anima tanta similitudo ad Deum, per quam capax eius est, toto nisu studeat eum apprehendere, vt eum tenendo beatificetur: quia citra Deum nihil potest animæ sufficere. Et eo habito non est quod vltra requirat, cū habeat omne quo ad æternam felicitatem indiget, quo nihil melius esse potest, & in quo nullus defectus est omnis boni. Cum ergo summa dignitas animæ sit, quod est capax sum̄i boni, & summa vtilitas eius sit Deum in se habere, & cū ipso omne bonum, nec dignius aliquid quærit, nec vtilius inuenit: per hæc omnibus viribus suis & omni diligentia & toto desiderio debet eū quærere, & omnia facere, quæ promouent eam ad innouationem eius, & omnia vitare ac fugere quæ elongant eam à Deo, etiam si bona putentur. Quia sicut ille stultus esset, qui haberet hortulum qui esset fertilis balsami, sed neglecto eo plantaret ibi mentam & cyminum, quę licet bona sint, tamen in comparatione balsami sunt vilissima: in infinitum stultior est ille, qui cum possit summum bonum comprehendere, eo neglecto occupat se circa caduca & vilia, sordida & amara. Hoc autē intelligo de sæcularibus, qui mundana præponūt cœlestibus, & transitoria æternis bonis. Similiter ille stultus est, qui cum habeat viam cōpendiosam duarum vel trium dietarum, ad locum quo tendit, dimissa ea quærit viam dispendiosam & difficiliorem ac periculosiorem, itinere trium annorum & amplius. Sic etiam religiosi quidam minus sapienter videntur incedere, qui cum possent in paucis annis ad magnam Dei notitiam & familiarem amicitiam, per compendiosum studium virtutis, & deuotionis, & puritatis pertingere, relicto eo, occupant se aliis minus fructuosis & valde dispendiosis ad id quo tendunt, scilicet ad Dei cōgnitionem & notitiā veritatis; & ad studium perfectionis: cum Dominus ipse promittat, Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Si enim sciret aliquis plura artificia, quorum vnum præ aliis esset tam nobile & quæstuosum, vt per illud in breui posset ditari & sublimari vsq; ad nomen magnorum qui sunt in terra: imprudens esset nimis, si neglecto eo exerceret aliud vilius & ignobilius, & tanti laboris, per quod possit vix tenuē victum & potum acquirere. Ita est de homine maxime religioso magna imprudentia, si relicto directo studio virtutum, in quo est maximum meritum & maxima perfectio sanctitatis & sapientiæ, maxima etiam delectatio & securitas, occupat se circa alia minus vtilia & curiosa, & turbatur circa plurima, quando vnum solum bonum & summum est petendum & requirendum, quod valet ad omnia. Ipsa enim corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis, promissionē habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Pietas hæc cultus Dei est, quo studemus agnoscere Deum, & amare, & habere, & ipsi placere. Corporalis autem exercitatio vtilis est, sed ad modicum: quia non propter se, sed propter pietatem appetenda est, quæ per eam obtinetur si ordina-

[Marg.: Paulo post principiū. — Animalis. — Rationalis. — Spiritualis. — Ezec. 41. b — * alias, in. — Anima imago Dei, capere potest Deū. — Simile elegans. — Aliud simile. — Ioan. 16. b — Luc. 10. g — 1. Tim. 4. c — Pietas Dei cultus.]

ordinate exercetur. Sicut artifex per instrumentum artis suæ operatur: ita virtus per corporalia exercitia adipiscitur, & in habitum vertitur. & quanto plus appetit instrumenta aptiora, & dum ipse ea habuerit, si bene eis vtitur, tanto citius & melius perficit opus quod desiderat consummare. Omnia autem quæ ad religionis obseruantiam exterius videmus, ad interioris hominis reformationē Spiritus sancti inspiratione ordinata sunt. Quod qui nondum intelligit, ipse instrumenta portare reputat. Interior reformatio in spiritu mentis consistit: quia interior homo & imago Dei est mens rationalis. Exterior homo est corpus, quod ex defectu corruptionis, quæ ex peccato prouenit, languescit, moritur, & incineratur: interior autem homo in bonis de die in diem renouatur, & proficit in similitudinē eius, ad cuius imaginem creatus est. Ratio reformationis hæc est: Anima tres habet potentias, sicut dictum est, rationem, memoriam, & voluntatem. Ratio data erat ei, vt Deum agnosceret: voluntas, vt eum amaret: memoria, vt in eo quiesceret. Sed per peccatum ratio cæca facta est, voluntas curua & fœda, memoria instabilis & vaga. Ratio sæpius recipit falsum pro vero: voluntas eligit deterius pro bono: memoria occupat se illis, quibus semper inquietatur: quia vnum & summum bonum deseruit, in quo omnia poterat habere. Conuersa vero ad Deum incipit quærere quod perdidit: & videns se deformatam ab eo quod facta fuerat à Deo, laborat vt ad pristinum statum reparetur, & ad decorem quem amiserat, reformetur: quia non est ei accessus ad Deum propter dissimilitudinem in se factam. Sed quia non potest repente ad summum peruenire, studet paulatim accedere de infimo ad medium, de medio ad summum.

Simile.

Externa religiosorū ad reformationem interioris hominis ordinantur.

2 Cor. 4. d

Potentiæ animę peccato viciatæ.

CAPVT V.

De reformatione rationis.

INitium ergo reformationis rationis est, fidem Catholicam firmiter credere. Nam quia ratio nostra lippa facta est, & intellectus obscuratus per peccatū, quod non possumus veritatem per nos inuenire, Deus condescendit nobis, ne in errore essemus, deditque nobis notitiam veritatis in scripturis, quibus voluit nos credere: vbi omnia quæ nobis ad salutem sunt necessaria sufficienter & veraciter inueniremus: vt in eis sensum nostrum non sequamur, sed regulis fidei sensum nostrum humiliter subiiciamus, si non volumus deuiare. *Eccl. vlt.* Quæ per magistrorum seu doctorum fidei consiliū data sunt à pastore vno scilicet Deo, his amplius fili mi ne requiras. Profectus rationis est, ex illuminatione diuina rationes fidei aliquatenus intelligere. Quia etsi fides supra rationem sit, ita quod eam per se non valet comprehendere, illuminata tamē diuinitus ratio, videt nihil rationabilius esse, quam fides est Christiana, cui omnis natura attestatur, omnis mundi sapiētia famulatur. Perfectio rationis in hac vita est, per mentis excessum supra se rapi, & non per ænigmata corporearum similitudinum, nec per ratiocinationum argumēta: sed purissima mentis intelligentia Deum in contemplatione videre.

Eccl. vlt. d

CAPVT VI.

De reformatione voluntatis.

INitium reformationis voluntatis est, ex bonæ voluntatis assensu vitiis resistere, & operibus virtutum fideliter instare propter Deum. Quia enim curua & distorta fuit auersa à Deo, necesse habet vt conuersa cogat se concordare cum Deo, & motus rebelles per studium boni operis ad rectitudinem reflectere diuinæ voluntatis. Profectus eius est, omnes affectiones habere ordinatas, & in virtutes formatas sine rebellione vel coactione: vt iam non libeat, nisi quod est secundum voluntatem Dei. Perfectio voluntatis est, vnum cum Deo esse in spiritu per amorem: vt iam non possit velle nisi Deum, & eius suauitatis dulcedine inebriari.

CAPVT VII.

De reformatione memoriæ.

INitium reformationis memoriæ est, mentem ab euagatione sua ad memoriam Dei cum labore reducere, orando, legendo, recolendo, vel saltem superficialiter cogitando. Profectus memoriæ est, bonis meditationibus & orationibus sine importuna euagatione posse intentum esse: & in latitudine cordis sui secum deambulare. Perfectio eius est, ita in Deum esse absorptum per mentis excessum, vt etiā suiipsius & omnium quæ sunt, obliuiscatur homo, & in solo Deo absq; omni strepitu volubilium cogitationum & imaginationum suauiter quiescat. Isti sunt fines humanæ perfectionis, & profectus, & initia, ad quæ omne spirituale studium debet ordinari. Si quis ista via non ambulat, est, sicut qui nescit quo vadit, vagus & errabundus ad incertū finem tendens. Initia cuiuslibet istarum trium potentiarum sunt omnibus communia, qui sunt in statu salutis, nec sine eis est salus. Perfectio cuiuslibet harum trium est solummodo perfectorum, quando sunt in summa perfectione, id est, in raptu contemplationis. Medius status earum est perfectè proficientium, & singulariter respicit statum probatorum religiosorum, qui inter statum bonorum sæcularium & statum perfectorum sanctorum, quasi medium adhuc tenent iter. Non quia semper in eodem statu permanere valeant; quod etiam sanctissimis vix est possibile: sed quia media via illorum trium statuum sic distinguitur ab inchoatione & perfectione eorum, de quorum profectibus aliquanto latius est considerandum. Et primo de reformatione voluntatis: quia virtus & vitium & meritum dependent ab ea, & affectiones, quæ tam ad vitia quam ad virtutes inclinant: postea de memoria, ratione, & intellectu. Voluntas est in anima quasi imperans, ratio vero quasi docens, memoria quasi ministrans vtrique, illi quid iubeat, isti vnde doceat.

Perfectionis humanæ fines.

CAPVT VIII.

Quomodo naturales vires animæ & motus affectionum deformati sunt.

NVnc ergo breuiter intelligere oportet, quomodo naturales vires animæ, & motus affectionum in vitia deformati sunt, & ad quid dati sunt homini: postea aliqua remedia singulorum vitiorū subiungenda sunt, & virtutum ordo. Voluntas nulli debuit esse subiecta nisi Deo: nec tamen hoc coactè, sed sponte; vt possit ei ad meritum reputari, & ita poterat peccare, & non peccare: non ad hoc vt peccaret cum posset, sed ad hoc, vt si nō peccaret cum posset, ex hoc laudabilis fieret, & digna præmio apud Deum: vel si sponte peccaret, esset digna confusione & suppliciis: cum sciret, quod non deberet peccare, & posset vitare. Item cum facta esset anima, quod capax esset summæ beatitudinis, in qua haberet summam gloriam & summā delectationem in Deo, qui est summa & vera beatitudo, datus fuit animæ duplex appetitus naturaliter ad hoc, vt ista desideraret & studeret obtinere: & cum obtinuisset, tanto iucundius possideret, quanto ardentius concupisceret. Datus fuit ei appetitus glorię talis, vt nulla sufficeret ei pręter summam gloriā: & appetitus delectationis talis, vt non satiaret eam aliqua nisi summa delectatio: & vtraq; est in solo Deo: & ita nihil sufficit animæ præter Deū, & iste appetitus vocatur concupiscibilitas. Item ex hac orta est alia vis in anima: quia cum tantū concupisceret bonum summum docente vi rationali, per quod beatificanda erat, naturaliter horrebat, & detestabatur, & repellebat omne quod ad hanc obtinendam contrariabatur ei: & quidquid ad eam obtinendam prodesset & conseruandam, for-

Appetitus concupiscibilis cur homini datus.

dam, fortiter apprehendebat & tenebat. Et hæc vis vocatur irascibilitas, iuxta iræ similitudinem, quæ fortiter indignatur contrariis, & fortiter tenet quod cupit. Per vim rationabilem cognoscit bonum, & melius, & optimum. Per concupiscibilem, appetit bonum, & melius bonum amplius, & optimum bonum maxime. Per vim irascibilem, tenet & inhæret bono: & quæ ad hoc prodesse poterant, *feruide apprehēdit: & quæ ei obesse poterant, indignanter repellit & fugit. Sed cum homo diabolo suadenti sponte ad peccatum consensit contra Dei prohibitionem, tunc omnes vires animæ & potentiæ, quæ datæ ei fuerāt ad summum bonum agnoscendum, appetendum, & fruendum, deordinatæ sunt, & quasi subuersæ, non autem subtractæ, sed fœdatæ & peruerso modo se habētes, sicut organum musicum, quod quando integrum & bene ordinatum est, dulcem reddit melodiam, quando vero confractū fuerit & deordinatum, horrendum stridorem pro cantu emittit. Quia enim homo amore visibilium ab inuisibilium amore cecidit, sola iam visibilia ex peccati pœna cognoscit, sola ea diligit, solis eis inhæret, & inuisibilia quasi non sint, postponit, immo & nescit: ita quod pauci induci possunt ad credendum, si sit aliquid extra ea quæ videmus & corpore sentimus. Et ita ratio cæca est in anima, quod nec cognoscit seipsam, cū ipsa sit ex iis, quæ oculis carnis videri non possunt: & sic non solum cæca est, sed etiā stulta: quia cæcus credit multa, quæ non videt, & in hoc etiam est infidelis. Inde factum est, vt non appetat nisi terrena & vilia & fœda, & illis per amorem inhæreat, & pro magno reputet, si ea potuerit adipisci. Appetitus honoris datus ei fuerat, vt altissimum honorem desideraret, scilicet Deo placere, & amicus Dei esse, & filius & hæres: & Deo similari & ei conregnare, non ex æqualitate potentiæ, sed ex imitatione bonitatis: & vnus cum Deo fieri spiritus, & æqualis angelis, & nulli subesse, nisi soli summo Domino omnium. Item vt se tantæ dignitatis agnosceret, eo quod imaginem Dei in se habetet, vt nulli indigniori se dignaretur subiicere, soli omnium Domino subiectus & obediens: ei ex amore adhærens, & reliqua sub Deo pro cuiuscumque dignitate æstimans, vtens ministerio creaturæ pro sua vtilitate & Domini voluntate. Hæc erat sancta superbia, omne indecēs despicere, & solum bona appetere & diligere. E conuerso, modo appetit hominibus placere, gloriam ex hominibus quærere, quæ fallax est & vana: & aliquid magni existimans se homo cum nihil sit, seipsum seducit cum sit miser & vacuus omnis boni: & alios in comparatione sui spernit, & subiicere cupit sibi, qui forte meliores sunt: & gloriatur in diuitiis, quæ sunt terra, & lutum: iactat se de vanis, & malis, sicut fatui qui gloriantur quando inuoluti sunt in luto. Et sic homines mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum: quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Ita sancta superbia degenerata est in vitiosam.

Appetitus irascibilis. — *al. firmiter. — *Peccata debilitarunt potentias animæ.* — *Appetitus honoris.* — *Psal. 105. e* — *Isa. 40. a*

CAPVT IX.

De triplici superbia.

Est autem triplex superbia. Prima, sibimetipsi nimis placere, & maiorem reputare se quam sit in veritate; & hoc est initium omnis peccati. Secunda est, appetere, & studere aliis placere, & maiora velle ab eis credi, quam sit iustum. hæc est inanis gloria. Tertia est, ambire alios præire, & sub se velle eos esse. Sic decepta est superbia, & vult alios secum decipi, dum cupit se maiorem putari quam sit; sicut magus decipit garsionem, vt putet se in equo sedere, & sedet tamquam stultus super fasciculum paleæ. In hoc autem contrariatur Deo: quia cum omnia subiecta sunt ei, ipsa vult esse sui iuris, & spoliat eum debito honore suo, id est, vniuersali dominio, quantum est in se: & ingrata est ei de beneficiis, quæ accepit, de quibus propriam gloriam quærit, non Dei, à quo habetur omne bonum. De ramis autem superbiæ, qui de ipsa pullulant, prętereo, quia alibi frequentius reperiuntur, si quis quærat, præcipue in summa vitiorum. Periculosior autem sæpe illa est, quæ extollitur de bonis gratiæ, quam de bonis naturæ vel fortunæ. Bona gratiæ sunt virtutes, scientia, & opera de genere bonorum, vt prædicare, ieiunare. Bona naturæ sunt, quæ natura contulit: vt nobilitas, pulchritudo, fortitudo, ingeniū. Bona fortunæ sunt, dignitates, diuitiæ, honores, &c. quæ ex quadam fortuna plus quandoq; dantur illis, qui natura & virtutibus inferiores sunt aliis, tamen non sine aliqua Dei prouidentia, licet sæpe cedit eis ad malum ex merito suo. Superbia etiam ita excæcat mentem, vt cum plus habetur, sæpe minus agnoscatur. Hoc vitium præcipue impedit nos, ne maiora bona à Deo accipiamus (cum ipse sit largissimus, & desiderat multum communicare nobis de bonis suis, quia valde diligit nos) dum aut indignos nos reddit superbiæ reatus, gratia Dei: aut si plus daret nobis, extolleremur, aut ingrati efficeremur, aut non digne in gratia operaremur, & sic grauioris peccati rei efficeremur. Vnde sæpe magis est clementiæ parcentis Domini negare ampliora gratiæ dona quam irascentis. Deus superbis resistit, quasi suæ potentiæ rebellibus, humilibus autem dat gratiam, à quibus per tumorem elationis non defluit gratia, quam eis infundit. Superbia etiam perdit in nobis merita bonorum operum, quæ pro humano fauore fecimus. Et sæpe superbia sumit pallium humilitatis æmulæ suæ, vt sub nomine eius gloriam callide acquirat: vt quia captatio gloriæ non habet gloriā, saltem fugiendo eam assequatur, quæ sicut vmbra sequitur fugientem, & fugit insequentem.

Bona gratiæ, naturæ, fortunæ. — *Superbia præcedit bona maiora.* — *Iacob. 4. a* — *Gloria vmbra.*

CAPVT X.

Quando bona nostra, & mala ostendere debemus, vel occultare.

Nota, quod bona debemus quandoq; hominibus ostendere, & aliquando occultare: similiter mala nostra aliquando aperire, aliquādo celare. Bona nostra ad quæ tenemur ex præcepto Dei, vel Ecclesiæ, vel ad quæ ex manifesto voto astringimur, debemus omnibus ostendere, vt fidem, charitatem, iustitiam, veritatem, castitatem, obedientiam, & contemptum mundanorum. Quæ si homines in nobis non viderent, cum sciant nos ad ea teneri, scandalizarentur & reputarent nos præuaricatores voti nostri. De huiusmodi dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Aliquando vero nostra bona occultare debemus, quæ specialiter accepimus, vt gratiam internæ deuotionis, vel quæ possunt nobis singularem laudem parere, vt singularis abstinentia, & vigiliæ, & orationes, & eleemosynæ, ad quæ nō tenemur. De quibus Dominus docet in sermone habito in monte. Similiter mala nostra quādoq; abscondere debemus, ne quis scandalizetur de nobis, vel sumat malum exemplū imitandi in similibus. Vnde dupliciter peccant, qui aperte peccant: quia & Deū offendunt, & proximo fodiunt foueā quam incidat per malū exemplum. Si autē sine culpa nostra, vel specie mala, aliquis ex sua malitia suspicatur mala de bonis, & non vult recipere excusationem nostrā, tunc habeamus patientiam, sicut Christus tacuit, de multis in passione sua ex inuidia accusatus. Dixit enim: Si vobis dixero, non credetis mihi. Aliquando mala nostra aperire nude debemus, scil. in confessione priuata de priuatis, & in manifesta de manifestis, vt in visitationibus & redargutionibus. Imperfectiones quoq; nostras non debemus erubescere confiteri, & defectus virtutū; ne quis existimet nos supra id quod videt in nobis. Si autem in bono opere vana gloria pulsat nos, non acquiescamus ei, nec tamen bonum opus dimittamus, maxime si sit vtile & necessarium. Sæpe etiam putamus nos laudari pro aliquo dicto vel facto, quod forte alij nō aduertunt: quia sicut nos nō omnia pensamus quæ circa eos fiunt, ita nec ipsi omnia

Matt. 5. b — *Mat. 5. a* — *Dupliciter peccat qui publice peccat.* — *Luc. 22. g* — *Bonum propter vanā gloriam non omittendum.*

omnia attendunt quæ nos facimus. Aliquando vero despiciunt nos potius quam laudant, maxime si in aliquo deprehendunt nos appetere laudē pro his, quæ fecimus. Et si forte adulentur nobis in facie, sicut est consuetudo leuibus hominibus ad placitum cuique loqui, dum contra tales sagittas vanæ gloriæ non tam indigemus fortiter pugnare, quam prudenter eas manu consilij abigere, sicut muscas leues flagello remouemus. Appetitus etiam commodi vel delectationis datus fuit homini, vt desideraret summam delectationem, quæ est in Deo: & summam beatitudinem, & quietem, & impassibilitatem: & vt delectaretur in habitis, vt felicior esset: quia onerosæ sunt deliciæ sine delectatione. & quanto delectatio auidior est, tanto deliciæ iucundiores sunt. Nunc autem appetitus ille deliciarum spiritualium ex peccato mutatus est in carnales delicias, vt appetat ea in quibus sensualitas delectatur, quæ est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Concupiscentia carnis diffundit se in luxuriam, & mollitiem vestium, & quietem carnis, & somnolentiam; quæ omnia spectant ad sensum tactus. Item ad gulam, quæ est delectatio gustus. Item ad aliorum sensuum delectationes, vt audire carnaliter delectantia & odorari. Concupiscentia oculorum quærit videre pulchra, & habere pretiosa: & ita generatur auaritia ex omnibus his. Ex superbia vitæ generatur auaritia: quia ad hoc quærit ditari, vt amplius honoretur. Ex concupiscentia carnis generatur auaritia: quia ad hoc vult ditari, vt voluptuosius epuletur & luxurietur, ac commodius viuat absq; sollicitudine defectus. *Prima Io. 2.* Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ex concupiscentia oculorum etiā auaritia generatur, quia vt videat pulchra, & habeat ad libitum in quibus delectetur, desiderat aurum, argentum, gemas, vestes, agros, terras, familias, spectacula, & similia. Dederat autem homini corpus Deus, & spiritum rationalem, & concesserat ei delectari etiam in sensibilibus, sed ordinate, moderate & honeste: vt per sensuum delectationem sursum moueretur, & promoueretur ad spiritualium cognitionum delectationē & fruitionem: vt appeteret coitū honeste & sine vitiosa libidine, congruo tempore ad generandum filios, qui æternæ beatitudinis participes essent, vt appeteret cibum & potum pro sustentatione naturæ, & alia quibus indigebat. Sed dissipato ordine conditæ naturæ à Deo, per peccatum omnia modo peruersa sunt, & ad sensuales delectationes dilapsa: quas cum timet perdere, tristatur & irascitur; quas cum non habet pro libitu, tædio afficitur: & illos quos credit sibi fore impedimento, ne adipiscatur quæ cupit, vel per quos timet se amittere quæ diligit, odit: & illis quos videt habere quæ cupit, inuidet: quo quamdiu alius habet, oportet eum carere. Et sic oritur inuidia, cui annexum est odium vitiosum. Ita etiam oritur ira, sic etiam oritur acedia, habens ex vno latere annexam tristitiam, ex altro torporem dissolutionis & pigritiæ. Omnia vero vitia & peccata ex vno fonte oriuntur; id est, superbia: & ex duobus riuulis deriuantur, scilicet malo amore & malo timore: & triplex fomentum accendit ea, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Ista sunt quasi materia & occasio homini ad tentationem, quæ mundus proponit nobis: scilicet honores, diuitiæ, & voluptates.

Appetitus delectationis quorsum homini datus.

1. Ioan. 2. c

Auaritia vnde in nobis generetur.

Peccati origo.

CAPVT XI.

De quadruplici defectu.

IN nobis autē quadruplex defectus est, vnde ad malum proni sumus: ignorantia, concupiscētia, malitia, & infirmitas. Ignorantia excæcat ne verum agnoscamus, & erremus in iudicio boni & mali. Concupiscentia emollit ad appetendum & diligendum visibilia & delectabilia carni. Malitia exasperat & amaricat cor ad iram, tristitiam, inuidiam, & odium. Infirmitas debilitat ad resistendum malo, & adhærendum bono. Hæc quattuor incidimus ex pœna primi peccati, & ea originaliter contrahimus ex peccato, ex quo nascimur filij iræ. Ex his procedunt septem vitia capitalia, de quibus quasi de maioribus ramis cetera pullulant. Hæc sunt septem capita Draconis in Apocalypsi: & septem dæmonia in Marco, de Maria Magdalena per Christum eiecta. Item septem gentes, quæ terram promissionis occupauerāt, ne filij Israel in ea pacifice habitarent: quia arcent nos hæc vitia ab introitu regni cœlestis, nisi ea studeamus expugnare & subiugare. Docet autem vetus traditio, apud Græcos, sicut & Clemens testatur, quod istæ gentes primo expulerant filios Sem de terra illa, de cuius stirpe descenderant Abraham & Israel. Vnde cū Dominus præcepit filiis Israel gentes Chananæorum expugnare, & terram eorum possidere, videntur secundum hoc non alienam terram violenter vsurpasse, sed Domino vniuersorum obedisse, vt terram suam recuperarent, expulsis his qui eam iniuste detinebant. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt per vires animæ & affectiones, quæ à Creatore factæ sunt, & ad bonum vsum homini insitæ, æterna & vtilia quæramus: & quæ ex peccato in vitium mutatæ sunt, studeamus reformare & in virtutes mutare, expulsis corruptionibus vitiorum.

Ex peccato originali 4. defectus.

Apoc. 12. a
Mat. 16. b
Iud. 3. a
Exo. 34. b
Deut. 7. a

CAPVT XII.

Descriptio septem vitiorum capitalium.

SVperbia est amor propriæ excellentiæ, qua homo alta cupit, seipsum altum reputat, & ab aliis vult reputari, & alios præcellere. Inuidia est odium alienæ prosperitatis, qua homo dolet alium sibi æquari vel præferri: & cupit ei malum, & de bonis eius dolet. Ira est indignantis animi turbulenta commotio, qua quodammodo furit & æstuat, quando aliquid occurrit ei, quod est contrarium voluntati suæ. Acedia est tædiū boni et animi torpore, dū aut irrationabiliter tristitia mentem aggrauat, aut dissolutio cordis ad vana aliqua magis inclinat. Auaritia cupiditas est, plusquam necessarium sit habendi temporalia. Gula est inordinatus vel immoderatus alimenti appetitus. Luxuria est illicitus ardor libidinis, vel illicita expletio libidinosæ delectationis in actu, siue in morosa cogitatione. Et licet hæc omnia vitia & peccata sint, hoc tantum est ex culpa hominis & pœna peccati: in quantum tamen Deus ea dedit homini, sunt naturales affectus, & motus appetituū ad bonum, & ad motus virtutum: quia Deus nihil mali fecit, sed omnia valde bona. Expugnatio ergo omnium vitiorum nō est aliud, nisi reformatio naturalium affectionum, & motuum ad statū à Conditore dispositum: vt supra aliquantulum dictū est de appetitu sublimitatis, qui datus est homini, vt appetat cœlestia & diuina, & spernat terrena & vilia, quasi indigniora se. Hinc modo dilapsus est ad infima, vt appetat terrenos honores & vanos & falsos.

Superbia.
Inuidia.
Ira.
Acedia.
Auaritia.
Gula.
Luxuria.
Cap. 8. in fine.

CAPVT XIII.

De affectu inuidiæ.

INuidiæ affectus naturaliter homini insitus est, non vt inuideat proximo de bono quod habere potest, nec vt cupiat alicui malum aut faciat: sed vt odiat vitia & peccata in se & in aliis. Inuideat diabolo, quod tot animas aufert Deo, & aliis adiutoribus eius, immo vicariis eius, scilicet hæreticis & subuersoribus animarum, qui spoliant animas æterna beatitudine, & quantum in ipsis est, spoliant ipsum cœlum maiori gaudio, quod ibi esset, si plures illuc venirent: cum singuli qui ibi sunt, multam lætitiam faciant omnibus ciuibus cœli; salua tamen æternæ prædestinationis ratione, quæ nullum ibi defectum suspicari permittit. Isti sunt hostes nostri, & odio habēdi in quantū tales sunt, qui nos perdere æternaliter quærunt: non illi qui sperantur adhuc conciues

nostri futuri in gloria cœlesti, etiam si adhuc videantur inimici.

CAPVT XIV.

De affectu iræ.

IRæ affectus datus est homini, vt irascatur vitiis & malis suggestionibus, & ex indignatione non patiatur se trahi in consensum peccati, & reprimat malos motus in se & in aliis, vbi opportune potest, & vlciscatur Dei iniurias & transgressiones iustitiæ. Et tunc dicitur zelus iustitiæ. sic legitur Christus iratus fuisse pluries Pharisæis & aliis non recte agentibus, & alij sancti viri. Nunc ira in vitium deformata est, & contra rationem in furorem versa est, & quasi insaniam: vt more phrenetici irrationabiliter moueatur homo contra hominem, contra amicum & proximum, contra seipsum: aliquando etiam contra sanctos & contra Deum, & contra insensibilia & irrationabilia, quæ nec male, nec bene faciunt, nisi sicut natura impellit ea. Etiam vbi cognoscimus nos iniuste moueri, non possumus quandoque impetum iracundiæ cohibere.

CAPVT XV.

De affectu tristitiæ.

SImiliter affectus tristitiæ datus est homini, vt doleat de peccatis suis & alienis: & vt mœstus sit de dilatione patriæ, & timeat inferni supplicia, doleat de imperfectione sua, & compatiatur alienæ afflictioni: vt per maturitatem vtilis luctus, excludat leuitatem vanæ lætitiæ, quæ est nutrix dissolutionis. Sed hæc bona & secundum Deum tristitia peruersa facta, mutata est in tristitiam sæculi, quę mortem operatur, in desperationem, diffidentiam, & irrationabilem mœrorem. 2.Cor.7.c

CAPVT XVI.

De affectu gaudij.

AFfectus gaudij datus est homini, vt gauderet in Deo & in spe æternorum bonorum, & in intuitu beneficiorum Dei, & congauderet proximo in bonis eius, & delectaretur in laude Dei, & in bonis operibus, & fastidiret omnia vana & inutilia, & iucundaretur in operibus diuinis, & ex hoc efficeretur alacer & agilis ad seruitutem Dei. Sed modo peruersus est per dissolutionem & vanitatem, vt homo gaudeat de insaniis falsis, & de affluentia temporalium rerum & honorum, & voluptatum in risu & derisu, & fabulis & turpibus ludis, & fastidiat omnia quæ Dei sunt, & insipida sint ei, & tædeat cum interest diuinis: & ex hoc pigritetur ad studia deuotionis & virtutis, & euagetur cor circa inutilia & vana & immunda, & grauiores labores corporis libenter sustineret in aliis occupationibus & negotiis, quam vt insisteret spiritualibus & diuinis: vnde accelerat ab eis absolui quanto citius potest: & negligenter facit illud quod facit, nisi forte lucrum vel laudē inde speret consequi, vel aliud commodum temporale. Ex inordinata autem tristitia gignitur tædium boni, dum nil libet facere boni, vel cogitare, vel loqui. Similiter ex dissolutione tædium boni nascitur, dum tantū intenti sumus vanis leuitatibus, quod tædet nos spiritualibus studiis intendere, & quasi anxiamur, cum debemus auelli ab otio & iocis sæcularibus, & seriosis exercitiis occupari. Vnde quasi ligati catulli ad stipitem renitenti animo cogimur esse in diuinis, & hoc est acediæ vitium & tædium boni. In hoc multi religiosi laborant, & pauci superant.

CAPVT XVII.

De affectu auaritiæ.

AFfectus autem auaritiæ datus fuit homini, vt esset cupidus magni meriti apud Deum, & magnarum virtutum & multorum bonorum operum, & vt multas animas lucraretur Deo, docendo, orando, bonum exemplum dando, & iuuando ad profectum salutis, & vt non esset homo contentus bono, quod iam haberet, nisi laboraret vt multipliciter augeretur ei, & gratia, & opera virtutum. Sed nunc delapsa est ad cupiditatē temporalium rerum, pecuniæ, possessionum, & quarumlibet rerum etiam vilium, quæ colligit, quasi homo semper debeat viuere, & mundus perire: vt cōgreget quantum valet, ne pereunte mundo non inueniat vnde viuat. sicut Noe imminente diluuio comparauit escas, quas haberet, quādo omnia diluuio periissent. Et quanto magis homo morti appropinquat, tanto studiosius congregat & custodit: vt ex hoc ostendatur quam sit irrationabilis auaritia, eo magis colligere quo minus indiget. sicut qui multum viatici fert pro breui via, & qui sumptuosam domum construit pro vnius noctis hospitio. Ideo autem Deus voluit nos semper incertos esse de hora mortis, vt parum de temporalibus cogitemus: sed omni hora timeremus multa perdere de æternis, ad quæ semper sine intermissione properare debemus. Gen. 6. d Simile.

CAPVT XVIII.

De appetitu victualium.

APpetitus victualium datus est nobis pro corpore, vt sustentemus naturā, & possimus durare in seruitio Dei, & multum mereri. Etenim moderatus & parcus victus vniformis, diutius conseruat naturam, dum non opprimit vires eius, sed reficit & sanitatem conseruat vniformis dieta: quia natura contemperat se ei, & nō turbatur semper ex nouis & ignotis escis. Vnde quidam claustrales diutissime viuunt sani. Sed appetitus ille naturalis modo effusus est in voluptates & in superfluitates, vt non simus contenti vnde sustentetur natura, sed vnde palatum oblectetur. & cūm talibus assueti fuerimus, & natura se eis contemperauerit, cū aliquando tenuiori victu deberemus esse contenti, natura remurmurat propter dissuetudinem. Vnde statim putamus nos adeo debiles & infirmos, quod victu paupere non possumus viuere, & quasi sub discretionis velamine delicate importune & inuerecunde incipimus quærere: nolentes experiri quod natura, sicut per consuetudinem ad delicata dilapsa est, ita per contrariam assuefactionem possit reduci ad competens moderamē victus parcioris. sicut videmus in maxima parte mundi quam parce viuunt Gentiles, Iudæi, pauperes Christiani, quorum quidam depauperati modo tam sani sunt, sicut olim in deliciis fuerant. De spiritualibus deliciis & gustu internæ dulcedinis, quæ sine comparatione omnes mundi delicias superant, sicut mel fimum, vix est iam mentio, vel efficax desiderium aut studium, etiam inter illos qui sibi alti videntur in religione: immo despicitur & deridetur inebriatio talis desiderij seu dulcedinis, & quasi stultitia & abominatio iam habetur, & ab aliis religiosis persecutionem ob hoc patiuntur, & dæmoniaci reputantur & hæretici dicuntur, quamuis spirituales ipsi sint. Quam vero despicabiles Christo sint, qui deuotionis gratiā sic despiciunt & persequuntur, ab Apostolo discant qui animales eos appellat, qui non intelligunt ea quæ sunt Spiritus Dei, quia & stultitia est illis. Non tamen laudo vel approbo deceptores & deceptos, qui spiritum suum vel alienum pro Spiritu Dei sequuntur & seducuntur: sed probandi sunt spiritus, & sic iudicandi. 1.Cor.2.d

CAPVT XIX.

De affectu dilectionis.

AFfectus dilectionis etiam datus fuit homini, vt diligeret Deum super omnia, & se & proximum suum propter Deum, & secundū Deum: & omnia opera Dei di-

Dei diligeret propter factorem, quodlibet iuxta suam dignitatem, & vteretur ministerio creaturæ ad Dei voluntatem, & suam æternam salutem, & horum omnium delectationem & vsum referret ad Creatoris dilectionem & cognitionē, donec ad ipsum perueniret, in quo viuunt omnia secundum æternam rationem. Sed ille affectus quasi extinctus est, & dilapsus ad amorem carnis & turpis dilectionis: vt iam non diligat nisi pro sua temporali vtilitate, & carnali delectatione, & turpi voluptate. Licet vero vsus carnalis concubitus datus fuerit homini, & mandatus ad prolis propagationem Deo educandæ, & æternam beatitudinem cum Deo & Angelis possessuræ: tamen modo nō proles, sed delectatio in hoc opere quæritur, vel pro hæreditatis terrenæ successione, vel honoris augmento, vt plures amici habeātur in terra. Vnde dolent quando paruuli decedunt, qui multo tutius moriuntur post baptismum, antequam per mortale peccatum perdant vitā æternam, quam postea in ætate adulta propter dubiū quales futuri sint, & propter multiplices laqueos peccati, quos valde pauci euadunt.

CAPVT XX.

De spe.

SPes data est homini qua confidat de bonitate Dei, vt speret à Deo gratiam consequi in præsenti, & gloriam in futuro, peccatorum veniam si pœniteat: & temporalem sustentationem, sicut sibi expedit, & liberationem à malo, conseruationem in bono. Sed spes modo confusa est, vt aut minus sperent homines quā debent, aut plus quam iustum est. Tantum confidunt quidam de bonitate Dei, quod etiam saluet eos in peccatis contra iustitiam & veritatem suam, & immundos collocet in cœlo cum Angelis mundissimis. Et rursum tantum diffidunt Deo, quod si conuertantur, non velit eis dare perseuerantiam in spiritu, vel sustentationem pro corpore: quasi Deus propitius sit inimicis suis, dum in peccato manent; & non propitius amicis suis iustis & pœnitentibus, & conuertentibus se ad ipsum, vt peccatores pascat liberaliter & saluet, conuersos deserat & fame perire sinat. Non affliget Dominus fame animam iusti. Vnde Propheta dicit: Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, & cetera.

Prou. 10. a
Psal. 36. e

CAPVT XXI.

De timore.

TImor etiam datus fuit homini, vt timeret Deum, & timor ab eo separari, & eum offendere, & puniri ab ipso & damnari. Modo timet tantum temporalem aduersitatem & incommodum corporis, & detrimentum honoris. Futura & æterna mala non timet, quasi tantummodo minæ sint sine effectu, quod dicitur de futuro iudicio & æternis suppliciis, vel quod facilius euadet ea quam dicitur. Timet etiam hominem magis, vel bestiam, vel rem insensibilem, quam Deum omnipotentem quem offendit, cum tamen horrendum sit incidere in manus Dei viuentis.

Heb. 10. f

CAPVT XXII.

De pudore.

PVdor etiam datus est homini, vt pudeat indigna agere, vel egisse genere suo, hoc est, peccasse & seruum peccati factum esse, & mancipium diaboli, & omnis turpitudinis, vel inhonestatis & segniciei & vilitatis. Modo autem pudet nos seruitutis Dei, cui omnia seruiunt vel voluntate, vel necessitate. Pudet nos imitari Deum in humilitate, patientia, paupertate, religione, obedientia, & despectione, & contumeliis, & confusione: cum non sit Deo dignus, qui eum erubescit coram hominibus confiteri, vel etiam imitari, cum gloria magna sit seruo sequi dominum suum. Eodē modo sciendum de omnibus quæ à Deo suscepimus, de intellectu mentis, de ingenio, & de corpore & membris eius, & de substantia temporali & honore & potestate, & de tempore quo viuimus, & omnibus quæ in mundo seruiunt homini. Omnia hæc data sunt nobis, vt inde seruiamus Creatori nostro, & nobis vitam mereamur æternam, & proximos nobiscum trahamus ad vitam. Sed econtra nos omnia quæ ad vsum vitæ, vel meritum gloriæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ: ideo cuncta nobis ad vsum vertuntur vltionis, siue per pœnam, siue per pœnitentiam. Per pœnam videlicet, vt cum caro tentat nos, vel affectus carnalis, & appetitus inordinati affligunt nos, vel substantia exterior aufertur nobis, vel aeris intemperies, vel terræ sterilitas, vel corporis infirmitas nos excruciant; vel aliter affligimur, vt per quæ peccauimus, per hæc & puniamur. At si voluntarie pro Deo toleramus, purgamur à peccatis, & coronamur pro patientia & bona voluntate. Si autem inuite, nihilominus oportet nos puniri, vel hic, vel in futuro: vel per impatientiam augemus culpam, & per consequens etiam meritum pœnæ.

Luc. 9. e
Sap. 11.

CAPVT XXIII.

De singulorum vitiorum natura & descriptione.

NVnc de singulorum vitiorum natura, vel descriptione aliqua consideremus, & de remediis quibus curantur; cum virtus aliud non sit quam vitiorum perfecta curatio, vel carentia vitij, secundū quod istam materiam respicit. Quia si vitium inordinatus est motus, vel affectus naturalis corruptus; eius contrarium virtus est, affectus vel appetitus ordinatus ad id, & secundum id, ad quod à bono Conditore datus fuit, vt ante patuit in exemplis. Superbia triplex est, vt supra dictum est: cum aut homo plus placet sibi quam debet, & maiorem se existimat quam sit in veritate: aut cum aliis placere desiderat, & studet amore propriæ gloriæ, volens magnus reputari & honorari, & laudari: cum soli Deo honor & gloria proprie debeatur, qui solus essentialiter bonus, & à quo habetur omne bonum. Vnde quidquid gloriæ nobis vsurpamus, Deo furamur, immo decipimus nos attribuētes nobis quod non est nostrum: sicut meretrix mentitur se honestam & famosam, cum non sit. Hæc inanis gloria est, quia vacua veritate & vtilitate salutis. Tertia est, cum vult aliis præeminere singularitate gloriæ, vel dominio, prælatione & imperio, & despicit ceteros & deprimit. Decipitur autem quadrupliciter: vel putans se habere quod non habet, vel plus habere quam habet, aut singulariter præ ceteris habere, aut ex se, vel pro meritis suis habere.

Virtus quid.
Vitium quid.
Cap. 9. in initio.
1. Timot. 1.

CAPVT XIV.

De tribus quæ expellunt vitia.

TRia sunt autem quæ vitia à nobis expellunt, & virtutes operantur: scilicet gratia Dei, & industria propria, & necessitas. Gratia Dei infundit virtutes: industria cooperatur gratiæ ex libero arbitrio: & necessitas conuertit in virtutem. Sine necessitate sæpe, sed sine gratia numquā potest esse virtus, & sine liberi arbitrij consensu. Quibusdam infundit gratiæ virtutes cū modico vel nullo labore industriæ propriæ: licet non sine consensu voluntatis, cum sine consensu voluntatis nullum sit meritū: sicut illis quos præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis suæ. Qui de luce, id est, diluculo incipientis ætatis, capacis intelligentiæ vigilauerit ad illam, non laborabit: assistentem enim foribus suis inueniet illam, id est, gratiam sapientiæ & virtutis. Sic Apostolos & alios quandoq;, maxime in primitiua Ecclesia legimus repente Spiritu sancto repletos, ad virtutes &

Gratia vt expellat vitia.
Sap. 6. c

dona & diuersa charismata Spiritus sancti attigisse. Gratia excitat voluntatem, & instruit & roborat, vt industria agat ad profectum salutis. Necessitas autem, alia est, cui se homo voluntarie subiicit; vt qui obligant se voto ad obedientiam, castitatem, paupertatem, & similia: vel vt vadant ad infideles prædicare: si illis postea euenit aliquid agere vel pati quod libenter euaderent, videntur necessitate cogi, quæ tamẽ voluntaria est, quia ad hoc sponte se obtulerunt, & potius pati volunt quam à proposito resilire. Alia est coacta, quam homo inuitus tolerat, nec tamẽ potest effugere: vt paupertas sæculi, infirmitas corporis, despectio, persecutio, tentationes, vel aliæ tribulationes diuersæ: quas licet primo homo inuoluntarie toleret & cum murmure, tamen postea cũ videat eas esse ineuitabiles, incipit quandoq; voluntatem flectere & facere de necessitate virtutem, & tunc incipit mereri: & cooperatur illa necessitas ad magnum profectum virtutum, ad quas vix aliter perueniret. Et hoc est quod dicitur de quibusdam, Compelle intrare. Et illud quod orat Ecclesia Deũ, Et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates: fac de inuoluntariis voluntarios, ad ea quæ scis nobis expedire: etiam per aduersa, cum nolumus te in prosperis sequi. Industria in tribus consistit, in prouida consideratione, in labore conatus, & in perseueranti diligentia. Per ista tria, adiuuante gratia, vitia subiugantur, & virtutes obtinentur. Sed gratia quosdam ita præuenit, vt aut multa facilitate, immo cum multa suauitate faciant bonum, & declinent à malo: aut ita accendit voluntatem, vt cum magno feruore quæque facienda prompte aggrediantur, quamuis dura & difficilia. Quosdam vero ita sibi quodammodo relinquit, vt quidquid boni agere debent, necesse habent se stimulis & calcaribus pungere quasi pigrum animal: vt grauior sit eis difficultas superandi torporem cordis, quam laborẽ actionis sustinendi. Isti etsi nõ habent desiderium feruens ad currendum post Dominum, habent tamen desiderium desiderij, orantes se trahi cum sponsa; quasi qui agilitatem currendi non habent. Iuxta illud: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Voluntatem bonam habent, sed pigram & tepidam, non ferventem. Primum felicius est, secundum laboriosius. Quid autem horum maioris sit meriti, puto neminem perfecte æstimare posse, nisi eum qui* statuum ponderator est, scilicet Deum. Quia secundi, si feliciter luctando vincunt seipsos, vt per consuetudinem sui potentes fiant, magnæ virtutis est. Primi maiori indigent cautela ne seducantur: quia diuitiæ faciliter acquisitæ prodigalius solent effundi, quam quæ paulatim & cum difficultate elaborantur. Secundi antequam perfecte vincant difficultatis tentationem, sæpe quasi lassati vel territi ex labore desperant de victoria, & de peruentione ad finem quo tendunt, & remittunt studium perfectionis: & ad alias occupationes se conuertunt, quasi diffidentes de Deo, quod nolit eos introducere in terram promissionis, per quam significatur perfectio puritatis. Sicut filij Israel in deserto tædio laboris & difficultatis de superandis hostibus detraxerunt terræ Promissionis: & mortui sunt in deserto præter paucissimos, hoc est, præter Caleb & Iosue, qui designant eos qui caute & viriliter per tentationes pertranseunt vsque in finem perseuerando. Ideo inter tot de sæculo quasi de Ægypto egressos, tam pauci perueniunt ad consummatam perfectionem: quia aut seducti callidis deceptionibus inimici, aut tædio laboris & difficultatis fracti, viam perfectionis deserunt, vel aggredi non præsumunt.

Necessitas vitia fugit. — *Luc. 14. e* — *Industria quoque subiugantur vitia.* — *Cant. 1. a* — *Psal. 118. c* — * *al. spirituum.* — *Num. 32 b*

CAPVT XXII.

De generalibus remediis contra vitia.

QVædam etiam sunt generalia remedia contra vitia expugnanda, & virtutes obtinendas, quædam specialia, aliqua singula, vt contra luxuriam, fugere fœminas, viros, & similia. quædam autem sunt quæ cito & perfecte ducunt hominem ad sanitatem mentis, quædam tardius & imperfectius. Efficaciora remedia contra omnia vitia sunt ista. Primum paupertas; vt in omnibus penuriam patiaris, non solum in his quæ desideras, quia illa est omnium etiam ditissimorum, qui plus cupiunt quam habent; sed etiam in his quibus necessario indiges, in victu, vestitu, hospitio, ministris & similibus. Secundum est despectio hominum; vt sis contemptus, vt vilipendaris, & non cureris, & in nullo singulariter honoreris: sed potius confundaris, exprobreris & vituperreris, & hoc sæpe ab amicis, donec rumore elationis penitus in te comprimatur. Nonne vides, quanta mendici tolerant à diuitibus, quam patienter? quod non facerent, si haberent diuitias, vel honores. Tertium est strenuum magisterium: vt cogaris facere quod inuitissime faceres, & dimittere quod libenter faceres: & nihil habere, nisi quod tibi datur, nihil agere nisi quod tibi iubetur: nec loqui, nec esse nisi ad nutum alterius: & nihil dissimuletur quicquid negligis, quin aspere reprehendaris & puniaris, donec curuitas propriæ voluntatis plene in te ad formã rectitudinis reflectatur. Quartum est elongatio à consortio sæcularium: quia sicut aqua turbata, si ponatur seorsum à frequentia transeuntium, purificatur magis: ita mens religiosi à sæculo sequestrata minus afficitur circa terrena & cœlestia magis desiderare nititur, & prius intelligere & facilius inhærere de eis cogitando. Quintũ est frequens oratio, quia oratio eleuat mentem supra se ad Deum, & impetrat ab ipso curationem languoris vitiorum & sanitatem virtutum. Sextum est quælibet afflictio, vel tribulatio aduersitatis: vt labor, infirmitas, persecutio, tentationes, infamia, & similia. Quia sicut lima purgat & splendere facit metallum: ita tribulatio & angustia & afflictio abradit rubiginem vitiorum. Vnde Gregorius: Qui desiderat plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagellare. Si autem primo est amara ad sustinendum aduersitas, per consuetudinem continuam fit de die in diem tolerabilior, quousque iam non curetur, vel etiam diligatur propter profectum sanitatis, quæ inde prouenire sentitur. Exemplum de cauterio, quod primo acerbum est, sed emortua carne iam non dolet, & superfluos humores educit. Vnde orat Propheta, Proba me Domine & tenta me: vre renes meos & cor meum. Septimum est continua mortis & operum retributionis meditatio, quæ facit vitia timere, & virtutibus insistere. Sicut autem arte medicinæ contraria contrariis curantur, ita vitia contrariis exercitiorum remediis sanantur: vt superbia humiliatione, gula sobrietate, impatientia aduersitate, & sic de ceteris.

Efficacissima remedia cõtra vitia. — *Simile elegans.* — *Greg. homil. 15. in Euang.* — *Psal. 25. a*

CAPVT XXVI.

De remediis specialibus singulorum vitiorum.

NVnc ergo de specialibus remediis singulorum vitiorum videndum est; quæ si non omnia possumus scire vel describere, pauca tamen de pluribus consideremus: sicut pauperes qui non possunt multas medicinarum diuersitates & efficaces habere, conficiunt de vilibus herbis vnguenta, quibus liniant dolores suos.

CAPVT XXVII.

De remediis superbiæ.

PRimum superbiæ remedium est, consideratio propriæ vilitatis tam in corpore, quam in anima: tam illius quæ nobis cum ceteris communis est, quam illius, quam in nobis singulariter agnoscimus in occulto, vel in aperto, siue sit naturalis, siue accidentalis. Considera vilitates & infirmitates corporis: quid fuimus, quomodo concepti sumus, quomodo in vtero nutriti & nati: quid sumus intrinsecus sub cute, quæ sordes ebulliunt

Nosse seipsum, efficax remedium contra superbiam.

per aperturas, quam facile deperit quidquid in nobis pulchrum est, & validum apparet; quod mors semper propinquat, & quales post mortem erimus. Item quod exteriores honores non sunt nostri naturaliter. Diuitiæ terra sunt, & de terra tolluntur: vt pecuniæ, possessiones: & honores non impenduntur homini pro se, sed pro quæstu qui inde speratur. Sicut vultures & canes accurrunt ad cadauer, quamdiu sperant inde satiari: sed cum totum corroserint, quod nisi sicca ossa remanent, tunc relinquunt cadauer. Item bona mentis nostræ non sunt nostra, sed dona Dei: & rationem inde reddituri sumus districte: vt sunt scientia, ingenium, virtutes. Mala nostra pure mala sunt, & ex pluribus circumstantiis grauia, & grauibus suppliciis digna. Bona nostra non pure bona sunt, sed multipliciter imperfecta: vt pigritia, desidia, vanagloria, hypocrisis, tepiditas, & vanæ cogitationes, & imperseuerantia, & cetera vitia sæpe vitiant bona opera nostra quæ facimus, & maculant sacrificium nostrum tam actionum quam orationum, vt minus sit Deo acceptum, & minus nobis meritorium. Item expositi sumus pluribus periculis & æternæ damnationi: & pluribus vitiis & peccatis onerati & miseriis subiecti. Vnde ergo superbit terra & cinis homo tam vilis? Secundum est exercere se in humilibus operibus, vilibus & despectis officiis, & rusticanis laboribus: humili habitu incedere, humiles mores & verba habere, locum nouissimum eligere, nihil iactantiæ & ostentationis prætendere. Hæc & his similia cum in consuetudinem versa fuerint, mentem ad humilitatem inclinant. Si autem vana gloria, vel superbia pulsat mentem, pro huiusmodi humiliatione, hoc est, ex nouitate vel raritate huius humiliationis iam per longum vsum ista vanitas euanescit, vt legitur in Psal. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Tertium est, quod superiores & meliores se debent attendere tam homines, quam ipsum Iesum Christum Deum & hominem, vt eorum comparatione sibimet vilescat homo, qui se aliquid esse putat, sicut locusta ad gigantem, calculus ad montem, gutta ad flumen: & hoc tam in faciendo bona, quam patiendo aduersa. Pannosus garsio vilescit inter purpuratos: sic nos debiles in virtutibus respectu maiorum & sanctorum, siue ante nos fuerint siue nobiscum.

Eccli. 10. a *Humilia exercitia vsurpanda.* *Psal. 59. c*

CAPVT XXVIII.

De triplici inuidia.

INuidia triplex est. Prima, non gaudere de bonis alterius, & non dolere de malis eius. Et hoc est contra charitatem proximi, quem tenemur diligere sicut nosmetipsos: cum nemo de proprio bono non gaudeat, vel de malo non doleat. Secunda est dolere & torqueri in bonis alterius, & gaudere & optare malum eius ex odio personæ. Nam qui dolet de prosperitate temporali alicuius, vel gaudet de aduersitate eius, quia videt eidem expedire, vel communi vtilitati aliorum, non ex odio personæ: non est inuidiæ deputandū. Sicut iustus iudex destruit malefactores, ne vel ipsi grauius damnentur si diutius in malis prosperentur, vel per eos pax communis turbetur. Tertia est, insuper promouere malum alterius verbis & factis, & bonum impedire, vel deprimere. Grauis inuidia est, malum pro malo reddere. Grauior autem odire illum, qui nihil nocuit tibi: Grauissima autem, malum pro bono restituere, vel odio habere aliquem quia bonus est, sicut Iudæi Christum. Item malū est aliquem lædere in rebus, vel honoribus, peius in corpore, pessimum autem, immo diabolicum lædere, nocere alicui in anima, quo ad salutē æternam. Item negare indigenti beneficiū peccatum est, licet sit inimicus: non impedire autem malum eius cum posset, grauius. Perfectorum est bonum inimici diligere, & promouere etiam ex affectu. Quidam putant se innocentes, si negant illis quos non diligunt salutationem suam: sed examinant se quomodo esurienti inimico cibum ministrarent, si salutationem quam sine damno dare possunt, negāt, maxime si desideret & affectet. Ideo autem inuidia vel odium Deo contraria sunt: quia singulariter charitati, quæ Deus est, opposita sunt, & commune bonum, quod Dei largitas omnibus æqualiter creauit, inuidet: & eos odit quos Deus creauit & redemit & diligit, de quibus spes est quod ad vitā æternam perueniant.

Prou. 25. d

CAPVT XXIX.

De remediis inuidiæ.

PRimum remedium contra inuidiā est, quod etiam summum est, nihil amare & cupere eorū quæ mundus amat, id est, diuitias, honores, voluptates. Temporalia enim quo pluries diuiduntur; eo partes minores fiunt: & qui ea appetit, inuidet aliis ea habentibus, dum necesse est alium carere quod alter habet. Cœlestia autem & diuina, quo plures participant, eo magis dilatantur & abundant: vt virtutes & sapiētia, & dona Spiritus sancti, & similia, quæ participatione non minuuntur. Secundum est, cogitare, quod si alius non haberet illud vnde ei inuides, tamen tu non haberes: vnde nec inuideas alteri, quod sine damno tuo habet, ne frustra de aliena felicitate torquearis. Remedium contra odium est, timere vindictam Dei, qui non remittit homini peccata sua quamdiu ipse tenet odiū ad proximum suum. Tertiū est, cogitare, quod quandoq; oportet cum proximo reconciliari, si vult saluari. Vnde melius est hoc cito fieri quam tardius, ne homo sit in periculo damnationis, & perdat bona quæ interim operatur. Futuri enim domestici in domo Patris cœlestis, hic debent æternæ pacis fœdus inchoare: quia quanto hic feruentior dilectio, tanto illic erit iucundior fruitio æternæ pacis. Quartum est, vt studeas illi qui magis est tibi contrarius, obsequentior esse & affabilior. Per hoc enim lenis cor eius, si est intelligens, vel saltem cor tuum. Noli vinci à malo: sed vince in bono malū. Quid prodest homini diu meminisse iniuriarum, nisi vt amplius inquietet & affligat semetipsum? Sufficit diei malitia sua. Tanta enim sunt nobis molesta, quantumcunq; studeamus in nobis esse pacifici: quod si super hæc volumus ea nobis aggrauare per odij & rancoris conseruationem, citius obruemur quam omnia resistendo vincamus. Potius iuxta Apostolum dare locum iræ debemus, & cedere, & non resistere malo, malum pro malo reddendo. Quia si velimus omnes opprimere, quos aduersarios patimur, iterum alij insurgent, & nos prius succumbemus quam omnes eliminemus. Qui seipsum per patientiam vincit, omnes aduersarios superat. Bellabunt aduersum te, sed non præualebunt. Exemplum in sanctis martyribus. Odium aliquando generatur ex ira diu retenta.

Mat. 18. d *Rom. 12. b* *Matt. 6. d* *Rom. 12. d* *Ier. 1. d*

CAPVT XXX.

De ira.

IRæ triplex est qualitas. Prima subito & ex facili causa moueri, vt ex leui facto vel verbo, vel etiam ex vana suspicione. Aliquando etiam contra insensata commouemur, & irascimur brutis & lapidi, & ligno vel calamo, & huiusmodi sine ratione. Secunda est vehementer inflammari. Aliquādo enim ira tantum in corde accenditur, quod etiam facies inflammatur & deformatur. Aliquando etiam gestus & mores mobilitate quidam notabili agitantur, ex qua interior animi cōmotio demonstratur: vt sternutatio narium, pallor vel rubor vultus, depressio palbebrarū, tremor labiorum, inquietudo totius corporis. Aliquando per verba erumpit vel clamores, per conuitia, contumelias, maledicta, & minas, periuria, & blasphemias. Aliquando quasi febris concutit corpus, vel quasi phrenesis mentē in furorem vertit. Aliquando manus mouet ad lædendum alium

vel ter-

velfeipfum: ita vt fibimet aliquando manus iniiciat, vel ea quæ parauerat, abiiciat, vel deftruat. Aliquando non finit admittere quæ fibi vtilia funt, vt cibum vel aliud commodum. Et multa huiufmodi ira operatur, & pacem cordis turbat, & rationem obnubilat, & memoriam confundit. Et ficut fumus hofpitem de domo expellit: ita ira Spiritum fanctum, qui fuper quietū quiefcere tantummodo quærit, de cordis habitaculo excludit. Tertia qualitas iræ eft, diuturna commotio, quæ aliquando rancorem fouet. Quidam habent de prima qualitate magis, & minus de fecunda & tertia, quidam de fecunda magis, quidam de tertia: quidam abundant duabus ipfarum: quidam vero omnibus tribus, & hi peffimi funt. Ira contrariatur virtuti manfuetudinis, patientiæ, & mititatis, & dehoneftat difciplinam morum: & facit inconfideratum, quia nec Deum timet, nec hominem veretur. Ira etiam non habet mifericordiam, nec humilitatem prætendit, & excæcat intellectum: & ficut fumus nocet oculis, fic ira cordi.

Simile.

Prou. 16. d

CAPVT XXXI.

De remediis iræ.

REmedia iræ. Primum, prouida præmeditatio illorum quæ poffunt occurrere, tam verborum, quam factorum contrariorum: vt ante pugnam fe homo ad patientiam præparet, & hoftem quafi in infidiis paratus expectet: vt eo minus perturbent venientia, quo fuerint ante præuifa. Qui enim debent in bello pugnare, ante pugnam folent artem pugnandi exercitando addifcere: vt ictus aduerfarij fciant fcuto excipere, ne improuidi vulnerentur & fuperentur. Nam qui tunc primo vult armari, quando iam hoftes irruunt fuper eum; nec fpatium dabitur ei ad muniendum fe, nec etiam pre ftupore confilium inueniet quo euadat. Secundum eft, os comprimere tacendo, & accenfam flammam iræ in corde fuffocare: ne fi euaporare permittatur, increfcat & alios incendat, ficut de igne materiali fæpius experimur. Ad hoc enim duo oftia Deus linguæ dedit, dentes & labia: ne facile profiliat ad nocendum, maxime cum intus accenfa fuerit igne furoris. Facito oftia ori tuo. Et, Pone Domine ori meo cuftodiam, vt non delinquam, &c. Tertium eft, conuertere fe ad alia negotia quibus cor occupetur, loquendo vel alia tractando, vt fi obliuifcatur commotionis fuæ: ficut qui vult extinguere ignem, fubtrahit ftipites ardentes, vt fic diuifus deficiat materia per partes ei fubtracta. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis. Quartum remedium eft, verecundia, qua homo modeftus erubefcit difcipline fuæ detrimentum incurrere, & alios fcandalizare: & vim facit fibimet reprimendo iram, vel etiā alios inordinatos motus, ne honeftatis fuæ difpendia patiatur. fic etiam timor reprimit iram. Sicut videmus in feruis, qui à dominis fuis fæpe dure caftigantur, nec aude nt leuiter econtra murmurare, ne forte peiora eis inferantur. Si hoc poteft timor humanus, quāto magis timor Dei, fi vere infit menti, & maxime amor ipfius boni. Tam potens eft quifque malo refiftere, quantum amor boni in cordis eius affectu conualuerit. Quintū eft, affuefacere fe ftatim (cum fentitur commotio) admittere confilia prudentiæ, perpendendo quam nociua fit iracundia, quæ lædit confcientiam, confundit famam, alios fcandalizat, cor inquietat, Spiritum fanctum effugat; tormenta meretur: & etiam quod illud pro quo irafcimur, iam ineuitabile eft, fi factum eft: & quod nihil proficimus irafcendo, nifi quod malum duplicamus. Tanta enim in hoc fæculo occurrunt aduerfa, quod fi etiā omnem diligentiam apponimus, qualiter ea nobifmet mitigemus leuiter patiendo; tamen vix omnia portabimus: quanto magis fi voluerimus ea nobis exaggerare per impatientiam, & retinere in corde per rancorem: fi ea noluerimus expellere, vt euanefcant ficut fumus, ante obruemur & fuffocabimur, quam poffimus omnia refiftēdo fuperare: ficut

Linguæ duo oftia.
Eccl. 28. d
Pf. 140. a

Prou. 26. c

Malo refiftitur, fi bonum diligitur.

illi qui continuum fluxum reumatis non excreant, fuffocantur. Ad quid volumus verba contumeliofa contra nos prolata retinere, quæ iam cum aura tranfierunt? quę nihil nocuerunt nobis quantum fuit in eis; nec in rebus, nec in corpore; nec gratiā Dei à nobis auferunt, nec honores apud homines, fi nos per impatientiam non offendimus nofmetipfos. Immo magis grati fumus Deo & hominibus, fi contumelias patimur, quam fi nihil pateremur aduerfi. Sic æftimemus verba maledicorum & detractorum, ficut latratus canum, vel clamores anferum, quos contra nos audimus & non curamus. Qui alterum contumeliofe vituperat, feipfum magis quam illum dehoneftat. Ecce aliquando in itinere intemperies aeris affligit nos; & cum euaferimus, lætamur, & triftitiæ prioris obliuifcimur, nec adiicimus, vt iterato contriftemus nos de priori incomodo, quando præteriit: fic etiam debemus præteritarum obliuifci iniuriatum ac fi non fuerint, & gaudere quod fuftinuimus. quia cum tribulatio pertranfierit, meritum eius adhuc manet. Cogitare etiam debemus, quod nemo in hac vita fine aduerfitate viuit: & qui fæculo feruiunt, fæpius grauiora tolerant. Item quanti fancti fuftinuerunt, & martyres, maxime & fuper omnes ipfe Dominus nofter Iefus Chriftus. Et fi ipfe tanta paffus eft pro nobis, non eft indignum fi nos aliqua toleramus pro ipfo, & pro magna gloria noftra, & pro merito peccatorum noftrorum, pro quibus vtilius hic modica pati debemus, quam in futuro plurima & acerbiora. Hæc & his fimilia prudenter & fæpe cogitando, impetum iracundiæ & impatientiæ facilius fuperamus.

Verba maledicorū latratus canum.

CAPVT XXXII.

De acedia.

ACediæ vitium tres habet fpecies. Prima eft quædam amaritudo mentis, qua nihil lætum, vel falubre libet, tædio pafcitur, faftidit hominum confortium. Hæc eft quam Apoftolus fæculi triftitiam appellat, quæ mortem operatur, procliuis in defperationem & diffidentiam, prona ad fufpiciones: quæ patientem aliquando inftigat ad necem fui ipfius, luctu irrationabili opreffa. Hæc aliquando nafcitur ex præcedenti impatientia, aliquando ex retardato & impedito defiderio cupitæ rei, aliquando ex prædominantibus melancholicis humoribus: & tunc medicorum eft adhibere remedium, potius quam religioforum, vel Theologorum. Secunda eft tepor quidam pigredinis qui fomnum amat, & omnia comoda corporis: horret labores, fugit afpera quæque, vitat operationem, otio delectatur. Hæc eft proprie pigritia. Tertia eft quæ folum faftidit ea quæ Dei funt: & ad omnia alia agilis eft & alacris. Oratio eft ei infipida, & à laudibus Dei fe abfentat, vbi caute poteft & audet, feftinat implere velociter orationes debitas: & ne nimis afficiatur tædio earum, affumit interim alias cogitationes vel occupationes quibus intendat, donec perficiat horas vel orationes confuetas: rumoribus pafcitur, ludis delectatur, excogitat negotia quibus occupetur. Nihil magis eft ei onerofum quam Deo intendere; & his quæ fpectant ad ftudium & profectum fpiritualem. Cellā ei carcer eft, euagari autem tam corpore quam mente extra clauftrum diligit, & quærit multifarias occafiones. Omnis rigor difciplinæ fpiritualis grauis eft ei; & murmurat & conqueritur de duritia prælatorum & difciplina zelantium. Hoc acediæ vitium, fignum eft ingratitudinis: quia tanta beneficia contulit nobis Dominus, & confert quotidie, quod fidelem feruum eius deceret numquam ab eius laude ceffare; numquam eius obfequium faftidire. Item fpoliat nos multis meritis & præmiis in cœlo. Tantam enim gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere poffemus, fi otiofe eam tranfigimus: & nulla vel modica hora præterit, qua nō mereamur vel demereamur. Cum in multis offendimus Deum, conueniens eft, vt tempus

2. Cor. 7. c

Nota.

Nota.

quod adhuc restat nobis ad viuendum, tanto melius expendamus, & redimamus tempus quod male amisimus.

CAPVT XXXIII.

De remediis Acediæ.

Remedia acediæ. Primum & efficacius, cogere se ad ea spiritualia studia, quę maxime fastidit homo, & præcipue ad orationem & celebrationē diuinorum, tamdiu quousq; per Dei gratiam vertatur nobis in oblectationem. Si autem differatur talis gratia, nihilominus de labore luctaminis meritum accrescit & virtus roboratur, & per consuetudinē magis ac magis tædium minuitur. Deus enim non requirit à nobis quod nō dedit, scilicet gratiā deuotionis: sed hoc vult vt eam quæramus, & cum dederit, reseruemus, & gratias ei agamus. Possibile est enim, aliquem multo plus mereri in *pœna laboris pro obtinenda deuotione, etiam si non proficit, quam si multæ deuotionis foret sine labore: quia de isto posset forsitan extolli, & meritum diminui: de illo autem cor humiliatur, & meritum conseruatur. Contra tristitiam autem maxime valet frequēs memoria benignitatis Dei & intuitus beneficiorum eius: contra cuius bonitatem peccata omnium nostrum sunt velut gutta ad mare. Item esse libenter cum bona societate; maxime vbi de Deo sæpe loquuntur deuote. Item illud Iacobi, Tristatur aliquis in vobis? oret: Æquo animo est? psallat. sic enim cor hilarescit, & spiritus tristitiæ effugatur: sicut psallente Dauid, spiritus malus à Saul recedebat. Occupatio etiam prodest tristibus, vt obliuiscantur tristitiæ. Pigris vtilis est laboris exercitatio, & consuetudo incommodi, cogente strenuo magisterio, ne possint remisse agere præ tædio laboris, nisi debilitas sit in causa. Item contra tædium cordis, valet varietas actionis, vt ab vno transeat ad aliud opus bonum. Seruus Dei in his quattuor exercitiis debet versari vt Deo intendat, orando, psallendo, meditando, studendo deuotioni: aut de Deo tractet legendo, studēdo, secum conferendo, discendo, docendo: aut pro Deo laboret operando, seruiendo, corpus castigando, & virtutibus studendo: aut corporis refectioni moderate indulgendo, quiescendo, dormiendo, cibum vel potum sumendo, ad hoc vt corpus possit spiritui seruire. Panis & disciplina & opus seruo. Panis ad sustentationem, disciplina ad correctionem, opus ad exercitationem. Asinus indiget pabulo ne deficiat; onere, ne lasciuiat otiosus, virga eget qua impellatur, ne pigre ambulet vel deuiet. Grauis acedia est, negligenter persoluere ea ad quæ quis tenetur; grauior prætermittere omnino ex tædio; grauissimā alios impedire, & à bono retrahere, nec posse aliorum bona studia æquo animo sustinere.

* al. pugna.

Exercitia Religiosorū quatuor.

CAPVT XXXIV.

De auaritia.

Auaritia tres habet species. Prima est anxia cupido habendi vel acquirendi temporalia, siue sequatur effectus, siue non: & sic potest auarus etiam esse pauper, qui modicum habet, vel etiam nihil. Secunda tenacitas conseruandi habita, quæ non permittit ea quę erogari in pias causas, vel in vsus necessarios cōgrue expendi, nisi cum animi dolore. Tertia est augere diuitias, & vndecumque acquirere, etiam de iniusto & turpi quæstu, vt furto, rapina, fraude, vsura & aliis inhonestis modis. Quidam laborant in prima specie, quidam in secunda, quidam in tertia, quidā in duabus, quidam in omnibus. Hoc vitium videtur specialiter contra naturam esse, & ex sola praua consuetudine, vel corrupta voluntate inolitum. Quod ex hoc probatur, quia mundus multo tempore caruit hoc vitio: & aliquæ gentes adhuc putantur ab eo immunes esse vel fuisse, sicut Gymnosophistæ. Item quia multi sæculo perfecte renuntiantes, cum ab aliis vitiis sæpius impugnentur, ab hoc numquam deinceps pulsantur, nisi forte propria misera voluntate se ei subiiciant. Qui autem semel eius laqueo se alligari permiserit, vix vmquam de cetero ab eius compede libererit. Vnde videmus Religiosos quosdam post primam sæculi abrenunciationem, qua ab eis laqueis erepti fuerant, rursum inuolui auaritiæ retibus, & insatiabiliter sitire res alienas, qui prius proprias contempserant propter Deum. Sic Iudas omnibus suis renuntiauerat: postea fur factus est, & loculos habens, Dominum maiestatis vendidit, & laqueo se suspendit.

Auaritia contra naturam est.

CAPVT XXXV.

De remediis auaritiæ.

Remedia auaritiæ. Primum, omnia pro Christo relinquere, & sub alterius regimine viuere, & si qua habuerit, ei plene resignare; & in nullo sui iuris esse, sicut in primitiua Ecclesia fideles sub Apostolis erant, & in monasteriis bene ordinatis claustrales, hoc est efficacius auaritiæ remedium: sicut Dominus docuit, Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Item, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Secundum est, considerare omnes perplexitates diuitiarum, & laqueos auaritiæ, & paupertatis libertatem & vtilitatem. Diuitiæ enim periculose acquiruntur; & cum labore & cum multa sollicitudine conseruantur: quia multorum inuidiæ patent, furum, raptorum, potentum, fraudulentorum. Vbi multæ sunt opes, ibi multi qui comedunt eas, tam consumentium quàm subtrahentium: à nullo securus diues, nec ab extraneis, nec à proximis. Sic est diues in medio cupidorum, sicut carnifex in medio canum famelicorum. Diuitiæ dira colliguntur, cito amittuntur. Multiplicatæ non minuunt, sed augent sitim auaritiæ, sicut potus hydropico. Quid ergo quæris vnde plus crucieris? Affligunt nondum habitæ, etiam habitæ & amissæ. Pauca sufficiunt necessitati. Mors cito rapit ab eis. Pœnas æternas amatoribus suis lucrantur. Ab his omnibus libera est paupertas. Rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Fructus diuitiarum est largitas eleemosynarum: sine qua infructuosæ sunt & periculosæ. Diuitiæ conseruatæ, in malum domini sui cedent. Semen accumulatum putrescit, seminatum fructificat. Tertium remedium est, confidentia de Deo, qui non derelinquit sperantes in se iuxta promissum ipsius: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia Gentes inquirunt: scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis. Qui enim sic fecit hominem, vt alimentis indigeat, nō patietur, eum perire per necessariorum subtractionem, si eius curæ se committat. Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & omnia necessaria corporis adiicietur vobis. Nam qui libenter vult homini dare cœlestia & maxima, quomodo neget ei minima, id est, terrestria? Si enim mali & crudeles homines, immo bestiæ & bruta, filios suos nutriunt, multo magis optimus & verus Dominus filios suos non deseret: qui etiam benignus est super ingratos & malos, quanto magis super bonos, qui omnem sollicitudinem suam in eum proiiciunt? Non vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem. Vnum de tribus à Deo sperandum est, auaritiam proiicientibus pro Deo: quia aut procurabit homini necessaria, aut cum parco victu & penuria dabit homini vires, quas in abundantia posset habere; & hoc est iucundius de modico esse magis fortem: aut quod subtrahit corpori, refundet menti in consolatione spirituali: vt libenter careat corporali abundantia, quæ spiritualibus deliciis felicius recompensatur. Insuper magnam gloriam in cœlo meretur patienter tolerata pro Christo temporalis penuria: quia, Beati pauperes spiritu, &c.

CAPVT XXXVI.

De gula.

Cassian. li. 5. de spiritu gastrimargia c. 23.

GVlæ quattuor sunt species. Prima, ante debitum tempus, vel sæpius quam deceat comedere, præter necessitatem, more pecudum. Secunda, cum nimia auiditate & impetu quodam vorare, sicut lupi & canes famelici. Tertia, nimis se implere, potius quam reficere, & plus sumere quam sit necesse ex inconsideratione, vel delectatione. Quarta, nimis lauta, vel exquisita quærere Hæc nutrit auaritiam, sicut prior pigritiam vel acediam. Qui delicata quærit, cupit diuitias, vt possit habere quæ appetit. Nimia vero ciborum repletio pigrum reddit: quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, & affectum deuotionis obruit & refrigerat, & agilitas retardatur, & in somnum ducit superflua ciborum repletio.

CAPVT XXXVII.

De remediis gulæ.

REmedia gulæ. Contra primam speciem sufficit bona voluntas, vt nolit plus vel sæpius comedere quam sit conueniens. Infirmis autem non est lex posita Iuuenes vero & laborátes sicut exigit necessitas, discrete refici possunt, quando consuetudo, vel ecclesiastica institutio non repugnat. Contra secundam vtilis est disciplina verecundiæ, vt modeste se habeat, & impetum refrenet. Item consideratio: quia inordinata & nimis festinata refectio naturam grauat & minus nutrit, & plus æquo vult. Eadem etiam consideratio valet contra tertiam speciem, qua nimis sumitur; & quia vere impedit à bono opere sicut supra dictum est. Efficacius tamen remedium est contra tertiam & quartam speciem, non habere vnde possit gulæ satisfacere. Vnde quanto quis pauperior fuerit, tanto minus in hac parte peccabit. Hæc est secundum traditionem seniorum prima pugna, quam deuincere nos oportet: & quanto minus superata fuerit, tanto validiora sunt cætera vitia cótra nos, & nos debiliores sumus contra ea. Per gulæ peccatum mors intrauit in orbem. Vnde & Christum diabolus primitus per gulam tentauit, quasi per ianuam aliorum vitiorum aditum quærens ad vlteriora. Contra quam prout etiam contra alias voluptates vitiosas considerare debemus, quam cito pertransit, quam breuiter durat: & quando transacta fuerit, sic est quasi numquã fuerit. Vnde cum delectamenta mundi & carnis appetis, pone in corde tuo ac si iam habueris & satiatus sis, & hora præterierit: quia voluptas præterita est quasi somnium noctis transactum, immo contemptibilior: quia malam conscientiam facit perpetrata voluptas, euitata vero lætam & securam. Valet etiam contra omnes aduersitatum turbationes, si ponas in corde tuo iam durante aduersitate, quod ita debeat esse, & aliter esse non possit: & quod voluntas Dei sit quod ita est, & disposuerit, vt ita eueniret. Quod enim sponte quisque disponit, inde minus turbatur si euenerit. Cum autem turbaris quod non euenit quod optaueras, vel speraueras, cogita quod multa alia non euenerunt quæ prospera fuissent, si euenissent, & tamen non turbaris quod non euenerunt: quia de quibus cor hominis non disponit sibi gaudium si eueniant, de his etiam non tristatur si non eueniant. verbi gratia: Si speras in crastino habiturum bonum prandiũ, lætaris: sed si forte spes tua frustretur, turbaris, quia lætitia spei subtracta est. Sed si nihil speras, non tristaris si non euenerit: quia videris tibi nihil perdidisse, cum nihil habueris amittendum. Homo enim virtutis, sic debet omnem spem suam & solatium in Deum ponere, vt numquam ex toto figat animam in terrena consolatione: & quasi suspensum habeat desiderium ad omnia

Vide Cassian li. 5. de spiritu Gastrimargia. c. 13. & 14.

Matt. 4. a

In aduersis & prosperis quomodo philosophandum.

In consolatione terrena nõ figendus animus

A exteriora non fixum: sicut qui super glaciem incedit, leuiter ponit pedem tentando si crepitet, vt retrahat pedem ne submergatur. Cum ergo perdis aliquid quod diligis, pone in animo tuo quasi numquam habueris, & quasi somnium fuerit quod videris habuisse, quod tunc more suo euanuerit & in nihilum reductum sit. Hoc erat Propheta cum affectu sibi inspirari, dicés: Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Hoc est, redige memoriam istorum terrenorum in corde meo, quod est ciuitas habitationis tuæ, ad nihilum: vt nihil reputem esse, vel fuisse quod pertransijt, sicut somnium de statu surgentium obliuione traditum non curatur. Somnium est hæc vita malis & stultis, qui putant se esse quod non B sunt, idest, felices, & habere quod non habent. Et non sunt vera bona: quia falsa sunt quæ habent. Istæ considerationes non sunt phantasticæ dicendæ, sed veræ & sapientes: quia faciunt mentem tranquillam, & stabilem inter mundanæ prosperitatis & aduersitatis varietates. Cum ergo desideras quod non habes, cogita quasi habueris & iam fraudatus inde fueris, & modò pertrãsierit. Cum autem habes quod diligis, noli nimis inniti ei per delectationis affectum: sed cogita quod cito pertransiet ista lætitia, & nihil [illegible] se relinquet, nisi vestigia dolorum, & debitum [illegible]orum. Cum ergo amittis quod amasti, æstima quasi numquam habueris illud vere, sed tantum quasi in somno videris; vel in cogitatione imaginatus sis te talia habuisse: sicut si imaginarer mihi quod sim Rex Franciæ, & magnã gloriam & C pompam & delicias & diuitias habeam: & post modicum Rex Angeliæ debellet me, & capiat & spoliet me regno & gloria, & inanis remaneam ab omnibus. Si ergo peracta tali phantasia, grauiter vellem turbari & tristari de illa regni phantastici amissione, vel si valde exhilarari voluissem ex delectatione huiusmodi gloriæ phãtasticæ habitæ, nonne stulta tristitia, vel inanis gloria esset moueri de his quæ numquam fuerunt vel erunt? Tales enim vanas lætitias & tristitias semper habere possemus, imaginando nobiscum & fingendo quaslibet glorias & delectationes, & econuerso tristitias & dolores, sicut solent quidam insani & lunatici quibusdam phantasijs delusi ex confusione cerebri, etiam sine apparente causa exteriori, modo ridere, modo flere secundum imaginationes interius conceptas tristes vel lætas. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, idest, D viuens secundum hominem, non secundum Deum. Et quare? Verumtamen in imagine pertransit homo, velut in quadam imaginaria delusione, existimans se aliquid esse cum nihil sit: & ita nedum vane extollitur, sed etiam frustra conturbatur vanis timoribus & mœroribus deiectus. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea: quia ipse nescit an eis fruiturus sit, an alius cui forte non debentur. Contra hoc sibimet Propheta consilium inuenerat dicens: Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est. vbi iterum perdere non formido. Econtra pone in animo tuo, de futura aduersitate non turbari: quia cõtingentia ita se habent, quod possunt euenire vel non euenire. Et sæpe turbamus nos ante tempus timore illius quod numquam eueniet: sicut pueri aliquando flent recordantes E doloris, quem forte haberent, si parentes eorum moriantur, qui adhuc viui sunt, sani & incolumes. Quod si etiam aduersitas certa futura est, tunc sufficit diei malitia sua, vt non duplicemus nobis dolores præcedere angustia, cum sequens tribulatio per se satis excruciet. Hæc dico de temporali tribulatione, non de æterna, quam expedit nobis prætimere & præcauere. Gregorius: Ante supplicium de supplicio cogitate. Instante vero iam tribulatione vel aduersitate consideranda est vtilitas aduersitatis: quomodo peccata purgat, cautos reddit à peccato, & subtrahit occasionem peccandi in multis: & exercet ad virtutes, ad humilitatem, & ad compassionem similia sustinentium, ad confugiendum sollicitius ad diuinum adiutorium; ad experien-

Psal. 72. e

Somnium vita humana.

Psal. 38. a

Vt supra.

Matt. 6. d

Greg. hom. 40. in Euang.

tiam diuinæ clementiæ, quæ tribulatis corde iuxta esse solet, & ad examinationem propriarum virtutum; quia in aduersitate plenius videmus quantum profecerimus in eis. Item ad maiorem gloriam promerendam & super omnia ad reddendum vicem Christo passo pro nobis. Transacta autem aduersitate gaude: quia euasisti sicut qui de naufragio euadit, vel de tempestate, & de via mala ad bonum hospitium peruenit: & noli dupliciter te affligere rancore, vel odio ex memoria iniuriarum contra illum à quo passus es: cogitans quod si non meruisti apud illum, vt te affligeret, tamen forte meruisti apud Deum, vt puniri te permitteret; & ipse Deus iudex visus est illo quasi tortore tuo ad iustitiam exequendam circa reum suum. Sic Assur virga furoris Domini dicitur: quia eo vsus est quasi virga ad dandam disciplinam seruo suo Israel peccanti. Et sicut virga post correctionem filij in ignem proijcitur, sic & illi vltores Dei tandem punientur, maxime qui non recto zelo & iustitia proximos persequuntur. His quasi per excessum tactis, qualiter te inter aduersa & pspera immobilem conserues, ne prosperitates te extollant, vel aduersa deijciant (quia aduersitas maxime versatur circa carentiam, vel amissionem cupiti; & timorem vel tolerantiam exosi) ad remedia & qualitates vitiorum considerandas redeamus. Non mediocriter autem valet [illegible] morbos vitiorum sanandos, scire æquanimiter carere his quæ caro, vel carnalis affectus appetit, & patienter sustinere, & non pertimescere quæ horret & odit: sicut in medicina corporali, sanitati propinquat qui bene seruat dietam, & cauet à nociuis, & constanter recipit & sustinet amarum poculum confectionis. Gregorius: Qui appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare. Scio & abundare & penuriam pati, & esurire & saturari, vbiq; & in omnibus instructus sum.

Isa. 10. a

Greg. hom. 15. in Euang.

Philip. 4. c

Capvt XXXVIII.

De luxuria.

Lvxuria quadruplex est. Prima in corde, quando homo immundas & lubricas cogitationes scienter & voluntarie, causa prauæ delectationis versat in cogitatione, sine repugnantia consensus. Peruersæ cogitationes separant à Deo. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Secunda est cum citra opus generatiuum satiat se libidinosis gestibus, amplexando, osculando, palpando, impudice respiciendo, loquendo & auscultando turpia, vt sola delectatione praua, vel alijs meretricijs blanditijs carnali affectioni satisfaciat. Hæc tanto est grauior prima, quanto longius ad exteriores conatus causa prauæ delectationis est progressa. Si enim sola mens praua rea est in se per consensum malæ concupiscentiæ: quanto magis habenis laxatis ad vlteriora libidinis incitamenta exteriorum sensuum & membrorum ministerio adiuta & prouocata? Si solum concupiscere corde, mœchia à Domino iudicatur: quid ergo ex concupiscentia osculari, palpare, &c. nemo ergo stulte se seducat, vt putet solum tunc se peccasse, quando opus generatiuum perficit, vel laborat perficere, cum etiam præambula operis damnabilia sint. In ipso enim licito coniugio sæpe excusabilior est simplex concubitus, quam tales inhonestæ blanditiæ actuum indecentium, & spectaculorum, & collocutionum lasciuarum. Si autem aliquis dicat apud se, ex quo non quæro opus prauum fornicando perficere licite possum morosis blanditijs frui cum dilecta, munda intentione ad mutuæ & sanctæ dilectionis nutrimentum, vt ignis charitatis magis ac magis in nobis accendatur, cum ex dilectione proximi nutriatur & augeatur amor Dei: sciat quicunque talis est, se sub specie spiritualis amoris, carnali dilectione & delectatione deludi: quia spiritus spiritum diligit, nec corporalibus indiget amplexibus: quia hoc est carnalis amoris indicium, qui quanto plus crescit in corde, tanto magis spiritualis amor minuitur & refrigescit: & econuerso spiritualis amor carnalem reprimit & expellit. Triplicis autem peccati reus efficitur, qui talibus corporalibus blanditijs vti se licite posse putat, etiamsi nullam vlterius praui operis habeat voluntatem. Primo quia incaute se nimis exposuit tentationis periculo, cum proni sint sensus hominis & cogitatio in malum: & tentatio quæ nondum fuit occasione & opportunitate noxiæ familiaritatis accepta, potest corrumpere voluntatem, & in peccatum præcipitare, sicut sæpe accidit, quod qui munda intentione mutuis ingesserunt se familiaritatis societatibus, mutatis affectibus spiritualib. in carnales, lapsi sunt in peccatum. Tali ergo periculo se ingerere est contra Domini præceptum, Non tentabis Dominum Deum tuum: sicut qui super tenuem glaciem ex stulta curiositate incederet, si mergeretur, reus esset in seipso, immo ipsum stulte tentare grauis culpa esset, etiamsi mors non sequeretur. Secundo, quod & si in se nihil tentationis sentiret, tamen alteri daret occasionem tentationis & peccati, cum alteri fodit foueam, vt incidat in eam. Qui alteri poculum mortis propinat, non ideo erit innocens, quia ipse non bibit. Halitus eius, scilicet diaboli, prunas ardere facit. Igneus enim flatus ex igne gehennali cum duos carbones compositos inuenerit etiam semiuiuos, sufflat indefesse, donec eos incendat, nec curat moras si tandem aliquando perficiat, cum omni tempore ad nihil aliud vacet, nec alijs curis intendat, nisi animas seducere. Tertio, efficitur reus propter malum exemplum, ex quo alij grauiter scandalizantur, non carentes praua suspicione de familiaritate tali noxia: & iudicantes esse malum, indignantur, murmurant, detrahunt, & irrident innocentes eorum collegas, quasi & illi similia faciant. Et vilipenditur religionis reuerentia ex talibus, & plurima mala fiunt. Alij vero eorum exemplo audacius similia faciunt, putantes sibi licere quod istos facere arbitrantur: & discunt ab eis vel audent exemplo eorum quod ante non audebant: immo & ipsi peccatores temerarij fiunt, & quasi iustificant se in peccato, comparatione istorum corrumpentium religionis puritatem. Et hæc omnia redundāt in iniuriam Dei & offensam, & in honoris eius detrimentum; cum insolentia familiæ, paterfamilias dedecus videatur. Tertia species luxuriæ, est naturalis concubitus viri feminæ sine coniugij honestate. Hæc subdiuiditur in multas species, vt est simplex fornicatio, adulterium, sacrilegium, incestus, stuprum, raptus, &c. quæ non prosequor nec distinguo. Quarta est peccatum innaturale. Cum enim natura omnibus rebus nomina propria dederit quæ naturæ subiacent, hoc peccatum quasi extra vel contra naturam, sine speciali nomine reliquit: eo quod indignum sit nomine quod ipsam naturam destruit, & humanam naturam maculat & infamat. dicitur tamen aliquando passio ignominiæ vel immunditia, vel mollicies. Licet Apostolus de isto peccato plurima & grauia describat primo ad Romanos: tamen ad præsens nec nominari expedit, ne & ipse aer inficiatur, vel ne ex vsu tractandi minus horrendum, vel abominabile fiat audientibus: vel ne detur simplicibus materia inde cogitandi, & curiosis occasio mali. Quocunque autem studio vigilans voluntariæ delectationis consensu se prouocat ad pollutionis immunditiam, vel etiam aliunde hoc pati consentit, vel cooperatur alteri præter naturæ vsum, ad quartam luxuriæ speciem debet pertinere. De illusione somniorum prætermitto: quia sicut dormiens non est compos rationis, sic etiam non potest interim facere vnde damnetur. Nam si vigilans forte dedisset occasionem vnde dormiens illuderetur, cogitando, agendo, loquendo, vel etiam post somnium voluntarie delectando in memoria illusionis nocturnæ, hoc potius esset culpa vigilantis quam dormientis: cum dormienti illusio sit pœna tantum culpæ præcedentis, vel occasio subsequentis in vigilante.

Sap. 1. a

Matt. 5. d

Nota.

Grauiter peccat, qui illecebris istis operam dat, licere putat.

Gen. 6. a

Deut. 6. c

Iob. 14. b

Peccatum contra naturam.

Rom. 1. c

Caput XXXIX.

De remediis contra luxuriam.

Remedia contra luxuriam sunt septem, quæ ad præsens memoriæ occurrunt, sine quibus continentia non diu esse potest tuta. Primum est, vt vir feminarum & femina virorum continuam familiaritatem deuitet. A vestimento procedit tinea: & à muliere iniquitas viri. Gregorius: Qui corpus suum continentiæ dedicant, habitare cum feminis non præsumant. Nam quamdiu vitalis calor viuit in corpore, nemo præsumat ignem concupiscentiæ in se penitus extinctum esse. Et sæpe carbo videtur extinctus modica fauilla opertus: sed si tangitur, comburit: Diabolus vero cum duos carbones coadunauerit, afflat donec eos incendat. Halitus eius prunas ardere facit. Ignitus est enim igne gehennali. Carbo si solus relinquitur, extinguitur: si componitur alteri, ex mutuo calore incenduntur ambo. Et sæpe spiritu amor inceptus, consummatur carne. Bernardus: Cum femina semper esse, & feminam non cognoscere hoc ego maius reputo quā mortuos suscitare. Quid ergo quod minus est non potes, quod maius est, quomodo credam tibi? Astutus etiam diabolus, in principio incautæ familiaritatis occultat laqueos tentationis carnalis, reputans quod desisterent à mutua dilectione, si sentirent inde stimulos peccati, donec per longam familiaritatem & incautam securitatem affectus amborum ita conflati & conglutinati fuerint in amore, quod etiam si sentiant sibi inde imminere tentationis periculum nesciant resilire, nec ab inuicem separari, viribus spiritualibus ita debilitatis in eis, quod neuter eorum valet sibimet vim facere tantam, vt euellat se de laqueo: immo timet alterum in tantum contristare, quod etiam reputat se perfidum si deserat eum vel eam: & sic captus consentit alterius voluntati & propriæ infirmitati in omnē peccatum. Sic Samson fortissimus qui multas sæpe hostium acies strauerat, & aliquoties de vinculis eruperat, confidens de viribus suis, liquefactus est amore Dalilæ, & defecit anima eius, & vsque ad mortem lassata est, dum nullam daret ei requiem, quousque plene cor suum ei exposuisset; & sic deceptus hostibus aditum aperuit captiuandi se, & ligandi, & cæcandi, & molam vertendi, & in ludum se hostibus exhibendi tandem peruenit. Hæc autem omnia in figura facta sunt nostri, & scripta ad correptionem nostram. Secundum est vitare societatem & contubernium luxuriosorum, ne eorum exemplo ad similia trahantur. Qui se iungit fornicarijs, erit nequam. Item, Amicus, stultorum efficitur similis illis. Proni sunt sensus hominis & cogitatio in malum: & ideo facilius trahitur aliorum exemplo ad illud quod appetit eius sensus carnalis, dum non erubescit vitiosus videri, habens secum socios miseriæ suæ, quorum non solum exemplis, sed etiam persuasionibus & irrisionibus trahitur ad peccatum, & laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. Et hæc est iam quasi præcipua causa, quare ita multiplicata sunt mala in ecclesia: & quod in religione studia spiritualia defecerunt, & ad exteriora studia & negocia plurimi defluxerunt, scilicet mala conformitas: dum quilibet vult alios imitari; siue quia aliud nescit quam quod videt in alijs; siue quia non audet aliter viuere quam illi cum quibus versatur, ex malo pudore timens alijs videri dissimilis; siue etiam quod prauus tepor & carnalis libertas gaudet se habere occasionē, & quandam excusationem apud homines agendi quod libet, etiam si non licet. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, scilicet eum qui multitudine postposita studet vni Domino placere & seruire, vnam petens à Domino, & hanc requirens: vt inhabitet in domo Domini mente & conformitate, quod solum est necessarium. Vnde prouerbium apud homines est, Coululare lupis debet, qui commanet illis. Tertium est, corpus non delicate nutrire. Terra enim corporis nostri, quæ ex prima maledictione spinas & tribulos vltro satis germinat, si super hoc fuerit impinguata delicijs, tanta erit spinarum densitas, quod semen verbi veritatis in nobis penitus suffocabitur. Qui delicate nutrit seruum in iuuentute sua, postea sentiet illum contumacem. Bernardus: Sufficit diei malitia sua, scilicet concupiscentiæ naturali: quæ si cœperit accipere irritamenta ab his qui perpetuum suscepere bellum aduersus eius oblectamenta, fiunt duo contra vnum: & ideo periclitatur continentia, quia duo resistunt vni, scilicet continentiæ, innata concupiscentia carnis, & prouocatrix ipsa voluptas deliciarum. Vnde Apostolus: Vidua quæ in delicijs est, viuens mortua est per peccatum. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis & otium. Econtra Apostolus: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hostem suum armat qui carnem suam fouet delicijs vltra necessitatem debitæ sustentationis. Quod autem hosti præstas, inde tibi noces. Quartum est, otium fugere, quod præcipuum est animæ contrarium. Multam enim malitiam docuit otiositas. in desiderijs est omnis otiosus. Occupatus enim ab vno dæmone impugnatur, otiosus autem ab innumeris dæmonibus vastatur: quia quot cogitationes & desideria mala in corde versat, tot inimicorum iaculis patet. Bernardus: Omnium enim tentationum & malarum cogitationum sentina est otium. Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, & crescit donec nauis mergatur: ita ex otio cogitationes & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis succumbens in peccato periclitetur. Vnde & in monasterijs regionum nostrarum nostris temporibus pauci stabiles religiosi sunt respectu antiquorum in Ægypto, in qua quādoq; sub vno gubernatore simul tria vel quinq; millia morabantur, quiete viuentes magis, quam [illegible] apud nos possint decem vel pauciores obedienter & concorditer gubernari: quia de labore manuum sustentati, lata prædia & redditus amplos non requirebant, & erant tantū operando colligentes victū, quantum consumentes; nec superflua desiderantes, nec euagantes mendicando, vel adulando pro aliorū donatione, sed de proprijs laboribus se & multos debiles & pauperes sustentabant, & labori manuum intenti, rumoribus & rixis, & varijs desiderijs non permittebantur intendere. Nec quilibet in peram suam reposuit acquisita & elaborata, sed sicut semetipsos pro Christo abnegauerant, & alterius imperio se subiecerant, ita & omnia quæ habebant. Et quia hoc non strepitu clamoris, non secundum propriæ voluntatis arbitrium agebant, sed in summo silentio & quiete ad nutum Abbatis & gubernatorum suorum: ideo à spiritu deuotionis non solum non impediebantur per operis instantiam; sed & plurimum promouebantur, cū peracto quotidiano statuto labore operis reliquū temporis in lectione, vel oratione solebant expendere. Et ideo stabiles & perfecti in omni virtute erant, qui omne tempus in bonis operibus & virtutum studijs impendebant, nihil otiose & curiose transeuntes, nec pro voluntate sua viuentes, sed superioris, secundum regulas à sanctis patribus, instinctu sancti Spiritus institutas, ad vitia extirpanda & virtutes vsitandas. Vnde Poëta,

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Nec solum vitandum est otium, sed etiam otiosa. Otiosum est, quod nullam habet vtilitatē, vel vtilitatis intentionem. Et pro vitando otio, otiosa sectari ridiculum est. Quid autem sit agendum, require de remedijs acediæ. Item vt omni hora cōsideret homo, qualiter instans tempus possit vtilius expendere, vel illud opus quod tunc ei incumbit, optimo modo perficere, siue orando, siue laborando, vel refectioni corporis intendendo, vel aliud faciendo. Quintum est exteriores sensus abi-

Marginalia: Eccl. 42. c. — Greg. lib. 3. dialog. c. 7. — Iob. 41. b — Ber. ser. 63. in Cant. — Iudi. 16. a — Eccl. 19. a — Prou. 13. a — Gen. 6. a. & 8. d — Psal. 9. a — Cur tot scandala in Ecclesia. — Psal. 13. a — Psal. 26. a — Caro non delicate nutriēda. — Prou. 29. c — Matt. 6. d — 1. Tim. 5. a — Ezec. 16. f — 1. Cor. 9. d — Otium fugiendum. — Eccl. 33. d — Prou. 13. secundum 70. — Bern. epist. ad fratres de monte Dei ante med. — Hieron. to. 1 epist. 22 ad Eustoch. de custodia virginitatis sub fin. — Otiosa quoque viranda. — Ber. ep. ad fratres de monte Dei ante med. — er 9. f

ab illicitis custodire; qui sunt quasi fenestræ animæ, per quas mors peccati intrat, quasi fur vel corruptor castitatis nostræ, dum non custodiuntur. Dauid non respexit vxorem Vriæ, quod prius eam concupierit: sed ideo concupiuit, quia incaute respexit. Sic Eua vidit lignum quod esset pulchrum visu aspectuque delectabile, & concupiuit & gustauit. Gregorius: Non expedit intueri, quod non licet concupisci. Sic aures, sic manus, & alij sensus & membra coercenda sunt, ne hauriamus per ea mortiferum corruptionis. Dina quoque curiositatis causa egressa videre mulieres religionis illius, corrupta est. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filialibus vrbis meæ. E contra Iob ait: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Sic boni religiosi recludunt se in cellis & monasterijs, quasi in sepulchris; ne vel ipsi concupiscant mundum, vel concupiscantur. Quanto enim rarius vides, vel audis quæ mundi sunt, tanto affectus tuus ad ea concupiscenda frigidior erit, & minus cogitabis ea. Et econuerso quanto frequentius cum sæcularibus conuersatis, eo magis puluere sæculi respergeris; quo insensibiliter paulatim interius tenebrescis, & affectus tuus fit crudus & mores insuaues. In molendino non puluerulentum fieri vix possibile est. Sextum est interius reprimere cogitationes prauas & affectiones carnales: quia isti sunt domestici hominis inimici, quorum fraude vrbs mentis inimicis traditur, si non bene caueatur. Peruersæ enim cogitationes separant à Deo. De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Nulla exterior munitio sufficit ad custodiendum vrbis claustra, vbi domestici perfidi fuerint: ita nulla custodia forinseca castitatem conseruat sine custodia interna cogitationum & affectionum. Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit. Castis & honestis matronis non solum praua opera, sed etiam suspecta susurria fugienda sunt, per quæ tentari vel infamari potuerit earum castitas & honestas, & maritus prouocari in furorem, & zelotypiæ spiritu inflammari. Sic anima religiosi quæ Christo desponsata est per fidem votum castitatis, susurria prauarum suggestionum non recipiat, vel retineat in corde, quod Dominus semper intuetur. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Septimum est frequens studium orationis & deuotionis. Vt sciui quia aliter non possim esse continens, nisi Deus det, adij ad Dominum & oraui, & dixi ex totis præcordijs meis, &c. Et Psalm. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Et ideo semper est orandum, quia sine ipsius auxilio possumus facere nihil: vt rore gratiæ suæ extinguat in nobis ignem concupiscentiæ. Ipsa etiam orationis virtus, quia eleuat mentem supra se ad Deum, purificat eius affectiones, & desideria castificat, & intellectum illuminat, & Dei amorem infundit, ex quo generatur quidam horror peccati, & detestatio carnalis voluptatis, voluntas roboratur contra tentationes, & ipsæ tentationes debilitantur, vt facilius deuincantur. Vnde cum Moyses in monte orans manus eleuaret ad Dominum, vincebat Israel: cum vero remitteret eas, & deponeret, vincebat Amalec. Moyses est religiosus de aquis sæculi abstractus, Amalec vero tentatio carnis. Manus vero Moysi sunt affectus & memoria. Quando istas eleuamus ad Deum, hostis tentationis succumbit: quando ad terrena eas dimittimus, hostis roboratur.

[2. Reg. 11. a; Gen. 3. a; Lib. 21. Moral. c. 2.; Gen. 34. a; Thre. 3. f; Iob. 31. a; Cap. 1. a; Mat. 15. b; Prou. 4. d; Ier. 4. d; Sap. 8. d; Psal. 126. a; Exo. 17. c]

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

De profectu religiosorum.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quod profectus religiosi septem processibus distinguuntur.

PRofectus religiosi septem processibus distinguuntur, licet non ab omnibus attingantur. Primus est in feruore nouitiatus, quo conuersus quodam impetu bonæ voluntatis calet: ad omnia paratus in quibus se credit Deo placere: siue ex magna peccatorum contritione, & dolore, siue ex desiderio satisfaciendi Deo, siue recuperandi amissum tempus, & neglectum præmium per peccatum: sicut viator qui diu mane dormiens postea cum festinatione, & impetu laborat tempus neglectum currendo recompensare, & socios qui se præcesserunt insequens inuenire. Secundus processus est in labore corporalis exercitationis: quia cum sit pauper nondum inuenire valet pretiosa munera, quæ in opus sanctuarij Domino offerat: facit tamen quod potest, & pilos caprarum & pelles arietum offerens, exhibet corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem; licet quandoque minus rationabile sit eius obsequium, propter indiscretam corporis castigationem, qua corpus destruitur, & vires deficiunt, & sensus amittitur, & spiritus extinguitur, & totus profectus spiritualis dissipatur. In omni oblatione tua offeres sal, scilicet discretionis: vt nec ad dexteram per nimium laborem, nec ad sinistram per nimium teporem à via regia declines. Anima enim est immortalis & non potest deficere: & ideo corpus corruptibile; & vas fictile non potest æqualiter contendere cum ea currendo, & tantum ferre laboris quantum illa potest capere feruidæ voluntatis. Ebrius quandoque agitat equum cui sedet celeriter, non considerans quod cum ipse æstuet vino, eius rude animal non sit satiatum fœno: & ita dum supra posse laborare cogitur, sed sessore cadens tardius eum ad locum quo tendit peruenire facit, quam si morosius cursitaret. Rationabile sit obsequium vestrum. Glossa, idest, cum discretione, ne quid minus vel nimis fiat, sed cum temperantia corpora vestra castigetis, vt non naturæ defectu cogantur dissolui, sed vitijs mori. Oportet carnem restringere non extinguere, idest, reprimere non opprimere, vt seruiat, non lasciuiat; ancilletur, non dominetur. Terra fertilis si diu inculta fuerit, siluescit; si nimis cogitur fructificare fit macra: sed si medium tenetur, fertilis perseuerat. Sic etiam de agro corporis est agendum: vt nec de nimio otio vel delitijs lasciuiat, nec inedia, vel labore deficiat. Corporalis exercitatio in duobus consistit, in subtractione delectabilium secundum carnem, & in assuefactione asperitatum & laborum. Ab hac lege infirmi sunt excepti: quia nec suauia delectant propter amaritudinem doloris, & ipsa infirmitas acerbior est quam labores sanorum & validorum. Valet autem afflictio corporis ad peccatorum purgationem, ad vitiorum repressionem, ad augmentum virtutis, ad spiritualis consolationis expressionem, sicut in torculari vinum exprimitur, ad proximi ædificationem & meritum gloriæ. Tertius processus est in spiritualis consolationis infusione: quia Deus cum sit benignus & largus, remunerat hominem, qui fideliter offert ei totum quod habet & potest, idest, voluntatis feruorem & corporis

[Primus progressus feruor est nouitiorum.; Secundus cõsistit in exercitio corporali.; Exo. 25. a; Rom. 12. a; Leuit. 2. d; Discretio omnibus adhibẽda.; Simile elegans.; Rom. 12. a; Corporalis exercitatio in duobus consistit.; Tertius est in consolatione spirituali.]

Consolatio vera spiritualis in quo cõsistat.

seruitutem. Vera autem consolatio spiritualis consistit in duobus, in naturalium animæ potentiarum decoratione, & carnis ad spiritum quieta concordatione. Tunc enim homo vere spiritualis est, cum spiritus totus est ad Deum erectus, & ei coordinatus, & Deo plenus, & corpus spiritui non resistit in his quæ Dei sunt, sed pro modo suo prompte spiritui obtemperat, nec concupiscendo mala, nec horrendo dura, vel fastidiendo bona. Potentiæ animæ, in quibus imaginem summæ Trinitatis præfert, sunt tres: ratio, voluntas, & memoria, quæ tamen in seipsis inanes sunt & vacuæ bonis, & indigēt ornari & repleri ab illo, & de illo qui fecit illas, hoc est à Deo. Ratio illuminatur ad cognitionem veri: voluntas accenditur ad amorem boni: memoria tranquillatur ad inhærendum & fruendum vero bono. Nulla istarum valet esse, vel perfici sine aliis. Si ratio non videret, voluntas non amaret: quia nec sciret quid esset amandum: si non amaret, non delectaretur in bono. Item si non memoraretur boni, quomodo posset agnoscere, vel illud amare? Summum autem bonum Deus est, & ideo etiam summe verum, quia ab ipso fluunt omnia, vt sint, & vt bona sint. Sicut Deus machinam huius mundi ex nihilo creauit, postea distinxit & ordinauit: ita hominem format secundum corpus in vtero, deinde animam rationalem infundit: deinde per interualla ætatum, intellectus secundum actionem crescit, & voluntas mouetur, & memoria viget quasi requirens ornatum sibi competentem. Rationis ornatus est lucida intelligentia de Deo, & de his quæ de Deo sunt, & ad Deum conducunt: vt intellectus sacræ scripturæ, & rationes fidei & operum Dei: & intelligere quid sit beneplacitum Dei, & inter vitia & virtutes discernere, & naturas eorum cognoscere & remedia vitiorum, & vias virtutum: in operibus Dei admirari potentiam, sapientiam, & benignitatem ipsius. Et breuiter dicendo, ornatus rationis sunt sapientia & scientia, quæ de Deo est. Ornatus voluntatis sunt sanctæ affectiones & deuotio ad Deum, feruor fidei, fiducia spei, dulcedo charitatis, & bonæ voluntatis alacritas, spes de remissione peccatorum deuotio circa Christi humanitatem & passionem, necnon circa eius diuinitatem, & desiderium regni cælestis, & confidentia de exauditione orationis, & affectus diuinæ familiaritatis & similia, quæ afficiunt hominem ad Deum & amorem virtutum, & ad odium vitiorum, & ad dilectionem proximorum, & ad studium bonorum operum. Ornatus memoriæ est, sacrarum copia cogitationum, & affluentia vtilium meditationum, & stabilis memoria Dei, & excluso euagationis mentis, & tranquilla adhæsio Dei, & corporalium imaginationum repressio, & perfecta obliuio omnium mundanarum, & vnus spiritus esse cum Deo. Quia vero corpus datum est ad seruiendum spiritui, debet ei obedire sicut Domino in omnibus bonis, & non recalcitrare vel remurmurare, sicut contumax seruus vel piger. Et spiritus sicut prudens dominus debet ei prouidere sicut seruo in tribus, vt operetur vtiliter ne otio torpeat: vt castigare discrete, si in aliquo offenderit: vt sustentetur temperate, ne lasciuiat vel deficiat sub onere. Quanto plus quisque secundum has regulas ordinatus est, tanto spiritualior est. Ista habere, est spiritualibus consolationibus foueri. Nam aliæ consolationes sicut non sunt necessariæ saluti, sic etiam suspectæ sunt, & sæpe falsæ & fictæ & deceptoriæ: vt visiones, reuelationes, prophetię sensuales oblectationes, miraculorum operationes, maxime modernis temporibus, licet quandoque reperiātur veræ, sed in paucis. Datur autem spiritualis consolatio nouis religiosis quandoque, vt videant quam large Deus remunerat sibi seruientes, & quam bonum est seruire tam dulci Domino. Item ad confirmationem fidei, ad robur spei, ad charitatis accessionem, ac desiderij inflammationem & eruditionem, vt videant quo pergendum sit: sicut in tenebris lumen ostenditur, vt videatur quo sit eundum, & vbi cauendum: item ad muniendum contra futuras ten-

Tres potētiæ animæ quomodo à Deo decorentur.

Gen. 1. & 2.

Rationis ornatus.

Voluntatis ornatus.

Memoriæ ornatus.

1. Cor. 6. d. Corpus spiritui seruire, spiritus corpori prouidere debet.

Consolatio spiritualis cur subinde detur nouitiis.

A B C D E

tationes. Quartus processus est, tentationis & pugnæ & tribulationis, quibus probatur homo & purgatur & exercitatur, eruditur & humiliatur. Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certauerit. Quidquid diu debet durare, solet probari si durabile sit: & omne nobile & carum probatur si valeat sicut debet. Ita virtus hominis quæ nobilissima est & quæ in perpetuum durare debet, in tempore tentationis probatur si constans sit: & Deus probat amicos suos aduersitate, si fideliter in ipsa perseuerent. Vasa figuli probat fornax: & homines iustos tentatio tribulationis. Quia acceptus eras Deo, necesse erat vt tentatio probaret te. Purgatur etiam homo à peccatis per tribulationem tentationis, vt dignus fiat gloriæ cælestis celeri introitu, ne post mortem indigeat grauius & diutius purgari. Purgatur etiam vt maioris gratiæ capax fiat: sicut vitrum obscurum tergitur, vt luminis amplius sit capax. Exercitatur item vt agilior & promptior fiat ad opera iustitiæ virtutum exercitia: quia in statu consolationis sola quies mentis & studium deuotionis videbatur ei sufficere ad summam perfectionem: quæ ideo ei ad tempus subtrahitur, vt discat & in alijs virtutum studijs se exercere. Sicut enim mercator non in vno foro, vel apotheca omnia simul inuenit quæ desiderat, sed in diuersis diuersa: ita religiosus non tantum in quiete deuotionis & dulcedine consolationis spiritualis, sed etiam in labore certaminis & exercitio bonæ actionis, debet quærere studium perfectionis & merendi occasionem. Scio & abundare & penuriam pati: vbique & in omnibus instructus sum. Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Eruditur etiam homo tentationibus, quando discit quæ sit vtilitas tentationis, & profectus ex eis proueniens: quia ex hoc leuior fit ei tentatio, cum intelligit quare sic Deus permiserit, & quis sibi fructus inde accrescit. Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere. Eruditur etiam quod non tantum innitatur experientijs consolationum, quantum in fiducia ad Deum, vel fidei certitudine. Sicut quidam rudes in via Dei, qui statim cum subtrahi sibi sentiunt consolationis experiētiam, animo concidunt credentes Deum à se esse auersum: vel etiam in fide titubare incipiunt, an vera sint quæ de Deo senserunt. Vult autem Dominus erudire nos per subtractionem consolationis, & inniti veritati scripturæ & fidei potius quam nostræ qualicunque experientiæ: quia fides non haberet meritum, si in sola experientia consisteret: spes quæ iam teneretur experientia, spes non esset. Per patientiam autem & consolationem scripturarum, potius quam experientiam, spem habeamus, credentes nunquam Deum auerti à nobis, quamdiu voluntas nostra à Deo non est auersa per consensum peccati, vel torporem negligentiæ. Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis. Hæc sunt vera testimonia gratiæ Dei; iustitiam, in voluntate & operatione, & veritas Dei secundum promissiones sacræ scripturæ, quæ promittit nobis vitam æternam, si mandata eius obseruemus. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Noli ergo diffidere cum consolatio internæ dulcedinis tibi subtrahitur, quasi Deus dereliquerit te, & bona opera tua non sint ei accepta: sed recurre ad illa vera testimonia, & consolare in ipsis, scilicet vt cōfidas veritati Dei, quod quamdiu tu non decedas ab eo per consensum præuaricationis mandatorum eius, quod ipse non derelinquet te per propitiationem suam. Non enim nos eligimus eum, sed ipse elegit nos, & prius dilexit nos, & non deserit se non deserentes: qui etiam dilexit nos nondum existentes, vel etiam resistentes ei per peccatum. Vnde dilexit nos & elegit nos, non propter nos, sed propter seipsum ex sola bonitate sua: propter hoc etiam seruabit nos. Humiliat etiam nos Deus per tentationum tribulationes, vt agnoscamus quid sumus ex nobis, ne extollamur ex eo quod à Deo accepimus, vel accepisse putamus. In igne probatur argentum & aurum: homines vero receptibiles in cami-

Quartus pugnæ & tentationis est.

2. Tim. 2. a

Eccl. 27. a

Tob. 12. c

Tentatio probat & purgat, & erudit.

Consolatio spiritalis cur aliquando auferatur.

Phil. 4. c

2. Cor. 6. b

1. Cor. 10. c

Rom. 15. a

Psal. 118. f

Iob. 13. c

Tentatio humiliat.

Eccles. 2. a

camino humiliationis. Quidquid scoriæ vel falsitatis intus latuit, ignis tẽtationis prodit. De ipsis etiam bonis humiliamur, videntes quod nostra non sunt, sed Dei: qui quando & quantũ voluit, dedit nobis ex gratia sua, non ex meritis nostris. Si consolatio spiritualis homini non subtraheretur aliquando, extolleretur, & gratiam perderet, & periret. Subtrahitur ergo ei ne amittat, perdit ne perdat: sicut pater paruulo suo nummos negat, ne ludat & perdat, donec & proficit in prudentia & sciat prouide conseruare. Videmus quosdam pueros gratiosos nimis sibi inde placere & gloriam humanam quærere, & tandem euanuerunt coram Deo, & hominibus viluerunt. Qui delicate nutrit seruum suum ab adolescentia sua, postea illum sentiet contumacẽ. Benignus Deus, cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum, libenter impartitur has delicias seruis suis fidelibus ab adolescentia, id est, à nouitate conuersionis: sed heu postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali elati ceteros despiciunt, & in elationem versi dum famam laudis desiderant, iactantiæ vitio deprauati, hypocritæ fiunt: & dum meliores videri laborant quam sunt, Deo se opponunt, gloriam Dei sibi temere vsurpantes. Bonus autem Dominus sciens quam vtilis est homini tentatio & tribulatio, prius ostendit ei consolationes dulcedinis, quibus postmodum in tentatione confortetur ne deficiat, & alliciatur, vt semper eas desideret, & non desistat eas acquirere, donec denuo recuperet quod amisit. Sic laborantibus in via, prius copiosa paratur refectio, ne in labore deficiant. Sic columbæ longius emittendæ, prius nutriuntur tritico cum melle: vt quantumcumque longe emissæ fuerint, semper illuc redire contendant, vbi delicate se pastas esse meminerint. Sic Petrus prius in montem excelsum seorsum ducitur, vbi gloriam transfigurationis Christi videat: vt postea à Satana expetitus, vt cribraret eum, in tentatione recoleret priorum dulcedinem quam expertus erat, & rediret ad Dominũ, quem tam amabilem senserat, ne diffidens & deficiens desperaret. Sic filijs Israel prius manna in deserto datur, & postea longo itinere & certamine fatigantur.

Prou. 29. c. Prou. 8. d. Matth. 17. a. Luc. 22. d. Exo. 16. d.

CAPVT II.

De speciebus tentationum.

Tentatio à priuatione consolationis. Psal. 117. a. Psal. 26. a.

MVltæ autem sunt tentationum species. Vna est subtractio & inopia deuotionis. Aliæ tentationes sine ista nullam vel minorem virtutem habent, cum ipsa sit quasi domus refugij ab omni tribulatione. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Item, Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meũ. Subtracto ergo tam singulari refugio, homo quodammodo inermis expositus est hostibus tentationum: & ideo pauidus efficitur & pusillanimis, nisi fidei firmitate se muniat, & patientia & humilitate se defendat, quæ tunc maxime habent locum exercendi se, & magnam gloriam promerendi. Fides autem probatur, si credit vera esse quæ iam desijt per gustum dulcedinis experiri. Dulcia nimis sunt omnia, quæ de Deo credimus: sed gustus eorum ideo subtrahitur bonis, vt fides magis innitatur auctoritati Scripturarum quam experientiæ propriæ, & magis ex hoc meritoria sit. Spes autem probatur, si confidat Deum sibi esse propitium, etiam dum flagellat; & ita studiose studeat ei seruire & placere in omnibus, ac si sentiat & videat eum sibi esse placatum. Vnde Abraham laudatur quod contra spem credidit diuinæ promissioni, & non hæsitauit diffidentia: certissime sciens quod quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Patientia probatur, si non murmuret contra Deum, quasi sua duritia hominem tribulet vt desoletur: & si longanimiter sustineat beneplacitum Dei, & non deficiat in aduersis. Humilitas probatur, si cogitet se dignè puniri, qui quasi indignus sit consolatione spirituali: & si iustificet Deum, quod iuste iudicauerit puniendo reum, & ingratum priuando beneficio consolationis internæ. Tantum debet nobis Deus placere, & tantum debemus eum diligere, quando nos punit vt purget, ac si blandiatur vt consoletur. Quis enim filius quem non corripit pater? Ego quos amo, arguo & castigo. Quidam etiam tentantur ex difficultate bene operandi, & habent aliquam bonam voluntatem, sed non fortem: & ex difficultate obstaculum inueniunt, quasi graue saxum voluunt, & inde affliguntur, tam ex remorsu conscientiæ quæ accusat eos torporis, quam ex dolore tardi profectus, & desiderio vitæ sanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, & non valent ad ea exequenda seipsos vincere. Iuxta illud Apostoli, Velle mihi adiacet; perficere autem non inuenio. Aliqua vero possent, sed ita videntur eis arida & parua quod diffidunt ea placere Deo, vel alicuius meriti fore: sic vtrobique neglecti sunt, & incidunt in quandam tristitiam: sicut dicit de talibus Bernardus: Sunt qui in studijs spiritualibus fatigati, & versi in torporem ambulant tristes in vijs Domini: longos dies & longas conqueruntur noctes, frequenter murmurant, arido corde ad qualibet iniuncta accedunt, &c. Quidam enim horror terret eos, cum cogitant de profectu spirituali quasi dicant apud se: Bona est victoria; sed dura est pugna. Dulce præmium, sed labor merendi grauis. Sic exploratores missi in terram promissionis, reuersi commendabant vbertatem terræ, ostensis fructibus, sed terruerunt populum pro difficultate expugnationis hostium, & proceritate inhabitantium. Ita religiosi quidam explorantes terram per scripturas, magna gaudia cæli prædicant: sed pugnam tentationum & labores spiritualium exercitiorum ita exhorrent, quod potius in deserto mori volunt quam introduci in terram promissionis: hoc est, magis volunt in quodam medio statu manere inter sæcularem vitam & spiritualem quasi inter Ægyptum & terram Promissionis in deserto aridæ conuersationis, quam per laborem & tribulationes peruenire ad gratiam perfectionis. Gigantes etiam terræ mirantur, & timent quasi monstra Enacim, cum magnorum sanctorum virtutes considerant: & de propria paruitate diffidentes illorum perfectionem attingere, non ex humilitate, sed ex pauiditate desperant, causantes & murmurantes contra Dominum, quod tam dura seruitia ab homine requirat: sicut illi cum educti essent de Ægypto, ad tales miserias tolerandas. Inde etiam est quod tam pauci ad perfectionem perueniunt: sicut de omnibus supra ad pugnam numeratis, tantum duo ad terram promissionis intrauerunt: quia soli illi perfecti sunt inter religiosos qui in pugna tentationis & in exercitio virtutis infatigabiliter constantes fuerunt in pugna, resistendo malis, & in exercitio insistendo bonis vsque in finem. Et hoc sequitur alia tentatio, scilicet fastidij, quia fastidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari: tædet eum audire bona, vel loqui, vel operari, vel interesse diuinis, etiam quæ sine graui labore facere posset. Et exinde cum ad magna virtutum præmia peruenire diffidit, etiam in minoribus exerceri fastidit. Et quod hæc tentatio ex priori oriatur, ostenditur: quia statim post murmur populi pro labore, sequitur murmur pro fastidio mannæ, quod significat spiritualis refectionis alimentum, sicut sunt verba sacræ Scripturæ, & bona opera, quæ pascunt animam & reficiunt conscientiam. De hoc Propheta dicit: Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Ad duo autem trahit ista tentatio, aut ad exteriores consolatiunculas & sæculares leuitates: vt qui non habet in spiritualibus delectationem; saltem in carnalibus quærat & sæcularibus nugis, quo consulat fastidio quo vexatur. Sic & illi qui manna nauseant, carnes concupiscunt, & pepones & porros, &cet. id est, carnalia & terrena gaudia, & solicitudines exteriorum negotiorum, quæ

Consolationis spiritualis subtractione virtutes probantur. Rom. 4. c. Heb. 12. b. Apoc. 3. d. Tẽtatio à difficultate bene operandi. Rom. 7. Bern. serm. 21. in Cant. ante med. Num. 13. f. Cur pauci ad perfectionem perueniãt. Num. 14. e. Tentatio fastidii. Num. 21. a. Psal. 106. b. Num. 11. a.

quæ sua acredine quasi porri fastidientem gustum mutãdo delectant, sed postea conscientiam amaricatam ad fletum compellunt. Aut ad nimiam tristitiam trahit hæc tentatio fastidij, dum non habet in spiritualibus delectationem, & in carnalibus consolari renuit: & sic nusquam inueniens refugium magno mœrore consumitur: Solum ergo restat, vt instanter clament ad Dominum cum tribulantur, vt de necessitatibus suis liberentur, & sacrificent sacrificium laudis, & annuntient opera eius in exultatione, idest, recolant beneficia Dei: & ex illis ad laudem eius in exultatione spiritus prouocentur. Quæ si statim non successerit, sequitur alia tentatio grauis impatientiæ contra Deum, quare tam durus & immisericors sit tribulato, quare tam parcus in dando egeno gratiam, & tam anxie petenti, & tam importune pulsanti. Et hæc tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi mœrore: quia ibi non inuenit solatium quod deberet ei esse vnicum refugium, scilicet in oratione & in tanta supplicatione, cum Dominus dicat: Omnis qui quærit, inuenit. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum, super me continuerunt se. Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor vim patiens, & non saluabis? Vsquequo Domine obliuisceris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me: Item, Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem. Item illud murmur filiorum Israel: Est ne Deus in nobis an non? Hæc omnia illius tentationis anxietatem exprimunt, quæ non valet melius superari, quam patienter tolerando & humiliter expectando, donec nobis benignitatis suæ vultum dignetur ostendere, & manum largitatis aperire: vt cælum quod super nos quasi æneum sentitur, stillas gratiæ nobis influat: & terra cordis nostri quasi ferrea, emollita pluuijs benignitatis Domini fructum suum, & affectus pios & desiderium deuotionis germinet. Illa autem tentatio magis periculosa est, quæ minus molesta sentitur: quando ex longo vsu subtractionis gratiæ deuotionis, & post anxia multa desideria & labores pro recuperanda gratia homo quasi lassus remittit animum ab intentione quærendi: & sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes, quas habere se posse non videt: & indignanti humilitate cogitat se indignum tali gratia: quia forsitan aliud de illo præordinauit Dominus, vt ad exteriora conuersus multis prosit, & ideo ab interioribus sit repulsus: Vult etiam sub discretionis velamine deinceps parcere sibi, ne corpus nimis debilitetur, vel caput irrecuperabiliter destruatur. Et incipit remissior esse in studio orationis, & ad confabulationes promptior, ad euagandum paratior, ad corporis cõmoda studiosior, ad inanes iocos promptior, ad exteriores occupationes sub specie redimendi tempus vtiliter, voluntarius & intentus. Et ita paulatim subtrahitur à primo feruore & desiderium perficiendi refrigescit, & studiũ languescit, & subintrant affectiones religiosarum feminarum, & visitationes earum: & omnibus alijs extinctis solum remanet ei ad solatium debile, quod adhuc scit loqui de spiritualibus: per quod vel seipsum præfert multis inexpertis talium experientiarum spiritualium, vel acquirit sibi nomen apud religiosas feminas, quæ existimant eum loqui ex cordis abundantia, & esse bonum instructorem vitæ spiritualis & deuotionis internæ. In huius tentationis tempestate plurimi fluctuant, & pauci enauigant: quia nec amor Dei afficit, nec desiderium trahit, nec timor stimulat, nec feruor proficiendi vrget: remissi in omnibus, & si quæ bona videntur facere, ex vsu quodam, vel ex pudore humano faciunt; vel ex timore, ne deterius eis contingat. Vnde qui hoc superare desiderat, oportet vt vim sibimet faciat tam cordi, quam corpori: sicut pigrum animal quod calcaribus tunditur, flagellis agitatur: Quidam trahuntur impetu feruoris ad bonum

Psal. 106. b

Tentatio impatientiæ.

Mat. 7. b
Iob. 30. c
Isa. 63. d
Abac. 1. a
Psal. 12. a
Psal. 43. d
Exo. 17. b
Psal. 84. c

Tentatio minus molesta periculosior.

Sicut igitur illi indigent freno quo retrahantur ne præcipitentur: ita alij indigent flagello impellente, quod ad bonum quasi coacti incitentur. Misericors autem Deus quo difficilius quis in tentationis pugna certauerit, eo maioris perfectionis ei gratiam tribuet in præsenti, & maioris gloriæ præmium in futuro. Sunt aliæ plurimæ tentationum species, quarum naturam, origines & causas prosequi longum est. Si enim nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates & dolores plene potest cognoscere; quanto minus spirituales morbos tentationum & passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plene discernere, nisi Spiritu sancto plenissime illustratus. Acerbissimæ tamen tentationis videntur hæsitatio in fide Catholica, & desperatio de Dei misericordia, & spiritus blasphemiæ contra Deum & contra sanctos, & tentatio sibimet iniiciendi manus & se perimendi: & quædam perplexitas querulosæ conscientiæ medicinale consilium non admittens.

Tentationes grauissimæ.

CAPVT III.

De remedijs contra acerbissimas tentationes.

Contra tales, ista maxime valent remedia. Primo, vt consolentur, quod non timeant illas tentationes: quia magis proficiant ad meritum patiẽdi quam ad detrimentum. Secundo quod patienter tolerent: sicut si satanas visibiliter, vel sensibiliter aliquem turbaret. Tertio, quod non curent: nec ratiocinando eis resistatur: quia ex hoc magis quasi confricatæ inflammantur, sed ad alia tractanda se conuertat homo: quibus abstractus à se obliuiscatur passionis suæ: sicut corporali passione laborans; si habet quo occupatus obliuiscatur sui, leuius interim torquetur. Quarto, vt orationibus suis & aliorum bonorum hominum misericordiæ diuinæ remedium imploret.

CAPVT IV.

De generalissima tentatione.

Generalissima autem tentatio, qua omnes in hoc mari magno & spatioso quassamur, potest ad omnium vitiorum conflictum referri: in qua sæpe periclitamur quasi submergendi, & iterum resumptis viribus subleuamur, quasi deinceps ab eorum impugnatione securi. De qua dicitur: Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Mare est vitiorum profundnm, naues religiones, quibus enauigatur sæculi vitijs. Procellæ maris, tẽtationes sunt vitiorum: vbi vident nauigantes opera Domini, & mirabilia eius in profundo, quando considerant, quanta potentia & pietate custodit certantes à fluctibus peccatorum, & quanta sapientiæ ratione permittit eos tribulari, & dat eis victoriam per varia consilia, & remedia vitiorum. Qui non est tentatus, quid scit? & qui non est expertus, pauca recognoscit. Vir in multis expertus cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Ascendunt vsque ad cælos per fiduciæ securitatem: & rursum descendunt vsque ad abyssos per timorem succumbendi in tentatione: vel ascendunt vsque ad cælos aspiciendo diuinæ pietatis auxilium, & descendunt vsque ad abyssos, intuendo propriæ fragilitatis defectum.

Psal. 106. c

Eccl. 34. b

CAPVT V.

De vtilitate subtractionis spiritualis consolationis.

Tria autem discimus in subtractione consolationis internæ, scilicet de minimis beneficijs gratias agere,

agere, & minimas quaslibet culpas & negligentias timere & cauere, & minima quæque aduersa docemur patienter tolerare. De opulenta mensa multæ micæ, immo aliqua frusta cadunt quandoque, & neglectæ, vel pro nihilo reputatæ perduntur. Sic & homo abundans diuersis consolationum donis, quandoque plurima beneficia Dei, sine debita gratiarum actione præterit, plurimas gratias negligit opere exercere, plurima parua reputat quæ magna sunt, plurima nec cognoscit. Sed his omnibus subtractis, sicut vir videns paupertatem suam, recolit quanta prius habuit & potuit, quæ iam non habet vel potest: & sicut mendicus famelicus modicam buccellam gratanter acciperet & studiosè colligeret, qui prius delicata fercula paru pendebat. Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Beneficia Dei nobilia & pretiosa sunt ex dignitate dantis, & affectu liberalitatis & charitatis quo [illegible]: qui etiam parua si daret, grata esse deberent. Item ex pretiositate & vtilitate doni. Nam quid nobilius spiritu Dei quem dat nobis? Quid vtilius eo quo transformamur in Deum & deificamur & beatificamur & hæredes regni eius efficimur? Vnde, Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ consortes naturæ. Item ex vilitate eius cui datur. Quid enim Deo cum luto? Lutum enim sumus, viles, vitiosi, peccatores ingrati, inopes omnis boni, miseri & mortis rei: & tamen Deus memor esse nostri dignatur. Si Rex dignaretur pauperis tantum habere memoriam, etiamsi modicum daret, hoc ipsi pauperi magnum videri deberet. Quid est homo, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minimas etiam culpas cauere docemur: quia timendum nobis est, ne forte ex culpis nostris & ingratitudine, gratia sit nobis subtracta: vt eam recuperemus cauendo negligentias, quam amisimus in tanta vbertate, vel liberalitate. Qui spernit modica, paulatim decidet. Augustinus: Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Qui timet Deum, nihil negligit. Ex minimis guttis multiplicatis, inundationes aquarum fiunt, quæ quandoque etiam magna mœnia subruunt. Per modicam rimam aqua latenter in nauem influit, donec submergatur. Minima etiam aduersa patienter tolerare assuescimus: quia maiora non superat, qui minora tolerare non discit. Multi optant pro Christo mori, qui pro Christo nolunt verba leuia pati. Sed quem terret sonitus folij volantis, quomodo sustineret ictum gladij terribiliter vibrantis? Discamus ergo omnia peccata pro posse cauere, & pro his quæ commisimus omnia aduersa humiliter pati, & omnibus beneficijs Dei debitam considerationem cum gratiarum actione exhibere semper, & gratiam Dei non in vacuum recipere, & digni erimus, vt gratia nobis subtracta etiam augmentata reddatur, & vt ad magnum profectum virtutis peruenire mereamur. Tentatio autem quantum ad præsentem materiam, dici potest quilibet motus, vel affectus, vel sensus à vero bono retrahens. Fit autem hoc tribus modis, alliciendo per delectabilia, aut terrendo per contraria & aspera, aut decipiendo per falsa & verisimilia: & sic tres vires animæ corrumpuntur. Concupiscibilitas per delectabilia carni, oculis, & cordi, idest, per voluptates, diuitias, & honores mundanos. Irascibilitas, per timores varios debilitatur, in resistendo vitijs, & insistendo virtutibus. Rationabilitas cæcatur, vt bonum malum iudicet, & malum bonum: & lucem veritatis ponat tenebras, & tenebras falsitatis ponat esse lucem. Cor meum conturbatum est, sicut aqua luto turbata & immundata: dereliquit me virtus mea, qua debui vero bono veraciter & tenaciter inhærere: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum, in quo verum à falso discernere debui. Concupiscibilitas dupliciter tentatur: quia delectatio spiritualis ei subtrahitur & inde desolatur: & carnalis concupiscentia ei ingeritur, & inde fœdatur. Irascibilias dupliciter tentatur, dum infirmatur ad bonum, & procliuis est ad malum. Rationabilitas dupliciter tentatur, quia intelligit bonum & non agnoscit quod bonum sit, & sub specie veri à falsitate deluditur. Diabolus suggerit animæ interius praua consilia, mundus exterius ingerit malitiam contumeliæ, caro delectatur, mens recipit, & consentit tentationi, vel repugnat. Vtrum autem vtilius sit, habere tentationes, vel carere, solus rei exitus probat: quia habere eas & viriliter resistere, magnæ virtutis est; superasse vero & triumphasse de ipsis, gloriosum est. Carcere autem eis commodius & securius est: succumbere est periculosum. Appetere eas & sese ingerere incautum est, maxime infirmis & imperfectis. Exercitare tamen se ad pugnam contra spiritualia vitia, videlicet iram, inuidiam, & vanam gloriam, &c. aliquando vtile est ei, qui inter illos morari elegit, qui eum persequuntur & offendunt, vt sic discat patientiam: & ei qui sub districto magistro viuit, qui in omnibus frangit eius voluntatem, vt sic assuescat humiliter esse obediens & prompte: & sic de cæteris vitijs spiritualibus expugnandis. De carnalibus autem vitijs hoc periculosum & stultum est: sed fugiendæ sunt eorum pugnæ & à memoria excludendæ, & occasiones eorum tollendæ. Vnde Dominus noluit se permittere de luxuria tentari: vt doceret, non debere nos ingerere huic tentationi, etiam spe triumphi & præmij. Cum enim hæc tentatio magnam habeat delectationem admixtam, & in hoc vitio omnes concepti simus, & non solum mens, sed etiam corpus delectetur, ideo periculosus eius aditus conceditur: sicut hostis qui in vrbe aliquos fauentes sibi habet, si intra portas irruperit potentius ipsam capit. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur in corpus suum peccat, tentationibus in quibus delectatio consistit, maxime teneri, & infirmi superantur, in quibus amor mundi nondum extinctus est: & ideo reaccenditur ex concupiscentijs mundi, sicut candela adhuc fumigans cito capit flammam. Tentatio vero impetuosa & quasi violenta fortiores impetit: vt qui mollibus non flectuntur, duris & robustis tentationibus quasi ventis validis euellantur. Tentationes autem fraudulentæ quæ sub specie boni se palliant, licet quosque rudes & stultos decipiant, qui nondum cognouerunt altitudinem satanæ, idest, astutias eius, tamen singulariter perfectis & bene proficientibus insidiantur. Psalmista: In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. Si enim eis in sua figura, quæ turpis est, appareret, horrerent eum & fugerent: si aperte impugnaret, resisterent ei & auxilio Dei fugarent eum & vincerent: & sic nihil apud eos proficeret. Boni enim quia mundi sunt, detestantur immunda peccata; quia virtuosi sunt, viriliter contra omne malum repugnant, quod malum esse cognoscunt. Venit ergo satanas in specie Angeli boni, quem credit à bonis diligi: vt tanto facilius decipiat eos, quanto bonus nuncius putatur, & qui non soleat nisi bona nunciare & suadere. Bernardus: Bonus numquam nisi boni simulatione deceptus est. Et vt facilius recipiatur eius persuasio, primo sola bona proponit, postea mixta malis, tandem falsa bona, sed vera mala: postremo cum irretierit eos & illaqueauerit insolubiliter, aperte caput venenatum erigit, & in aperta peccata eos deijcit: sicut scorpius qui blandam faciem habet, sed caudam venenosam, qua occidit.

Sic Gabaonitæ, simulato peregrino habitu, deceperunt filios Israel, vt parcerent eis, cum de genere hostium essent. Quanti sub specie spiritualis dilectionis, spirituales feminas frequentauerunt, & orationum ipsarum obtentu! Ecce quanta puritas in intétione prima! scilicet charitas & deuotio. Postea sequuntur longæ cõfabulationes, modo de Deo, modo de ipsorũ mutuo amore & fide, & amorosi aspectus, & munu-

Marginal notes: Simile. — Ioan. 6. b — Beneficia Dei etsi parua videantur pretiosissima. — 2. Pet. 1. a — Psal. 8. a — Culpæ minimæ etiã cauendæ. — Eccl. 19. a — Aug. in illũ versum Ps. 39. Multiplicati sunt super capillos tom. 8. — Eccl. 7. c — Simile. Aduersa ferenda — Tentatio quid sit, & quomodo fiat. — Psal. 37. b — An sit vtilius tentari, vel non tentari. — 1. Cor. 6. d — Apoc. 2. g — Psal. 141. a — 2. Cor. 11. c — Ber. ser. 66. in Cant. in initio. — Iosue 9. a

ſcula pro memorialibus charitatis. Ecce quomodo mixta ſunt iam bona ſpiritualis conſolationis, & fidelis affectionis, cum malis inutilis confabulationis, & incautæ familiaritatis, & inutili occupatione cordis circa dilectam. Tandem ſequuntur falſa bona, ſed vera mala: ſcilicet amplexus, & oſcula, tactus manuum & vberum, & ſimilia: quæ omnia ſuſpecta ſunt carnalis dilectionis indicia, & turpis operis præludia. Poſtremo impudica ſuccedunt, quaſi fructus præcedentium, ſcilicet aperta opera iniquitatis. Auguſtinus: O quam parua & breuis concubitus hora, in qua amittitur vita æterna! In hunc modum palliat ſe ſæpe ſuperbia, ſæpe inuidia, & auaritia, & alia vitia: quæ cum non audeant bonos tentare aperta facie, quos ſciunt omne malum odire, aſſumunt aliquod virtutis velamen, ne agnoſcantur eſſe quod ſunt: ſicut qui mentitur ſe eſſe amicum, donec admiſſus doloſe & latenter alium interficiat: ſicut Ioab tenuit mentum Amaſæ quaſi oſculaturus eum, ne ſuſpicaretur eum hoſtem eſſe, & non obſeruaret gladium eius doloſum, & ita occidit eum dolo. Sic Iudas oſculo Chriſtum tradidit crucifigendum. In tentatione tria maxime dolemus: ſiue ex labore pugnæ & inquietudine cordis quam patimur: ſiue ex timore ne forte ſuperemur & ſuccumbamus, per tentationis conſenſum: ſiue quia timemus ne forte nimis debiliter reſiſtamus, & propter hoc Deum & propriam conſcientiam offendamus, licet tamen plane non conſentiamus.

Aug. ſimile ... to.10. ſer.250 de tim. c.3. Breuis cōcubitus hora perdit vitam æternam. *2.Reg.20.c* *Mat.26.b*

CAPVT VI.

Quibus modis ſit reſiſtendum tentationibus.

OMNIBVS tentationibus, his quattuor modis reſiſtendum eſt. Primus eſt, cogitationes auertere alias occupationes aſſumendo, quibus obliuiſcatur homo impugnationis, quantum poteſt. Secundus, materias & occaſiones tentationis fugere & declinare maxime carnales, quæ appropinquantes ſibi accendunt vt ignis. Tertius patienter, & humiliter virgam Domini ſuſtinere: vt & ſe dignū iudicet afflictione & labore pugnæ, & patienter toleret, confidens quod ei proueniet in bonum: quia ſic citius placabilis erit ei Dominus, & purgabitur à peccatis, & emundabitur vitijs, & ditabitur virtutibus, ſcientia, meritis, & gloria. Vnde Gregorius: Qui appetit plene vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare. Cum Deo enim non poſſumus contendere, nec per iuſtitiam, quia peccatores ſumus; nec per potentiam, quia infirmi & ſerui eius ſumus; nec aufugere ab eo per aſtutiam, quia nuſquam eum latere poſſumus, & dominij eius terminos exire. Quo cibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Sapiens corde eſt, & fortis robore: quis reſtitit ei pacem habuit? Humiliemus ergo nos coram ipſo, & ſic miſericordiam conſequemur. Quartus modus eſt orationi incumbere, & auxilium ſupernæ virtutis per ſe & aliorum ſuffragia implorare: quia nec noſtris meritis, nec viribus, nec prudentia poſſumus de tot hoſtibus triumphare: vel ſine lethali vulnere tranſire, niſi protecti manu Dei, & eius adiutorio confortati. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ad hoc enim quandoque Deus permittit hominem tentari & tribulari, & excitetur ad orationis ſtudium, & confugiat ad Dominum, & experiatur eius auxilium, & ad eius auditionis ſolatium amplius in eius amorem inardeſcat: & ſic tam in merito virtutum quam in fiducia * dignationis eius excreſcat. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, tam proſpera, quam aduerſa. Solet etiam quandoque Deus fidelem ſeruum ſuum poſtmodum amplius conſolari, & purioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis moleſtia grauiter tribulatus, ſicut de beato Benedicto ſcribit beatus Gregorius, qui dum carnis tentatione grauiter tentaretur, quia viriliter reſtitit, ita plene vicit vt Dei gratia numquam poſtea motus carnalis illecebræ in ſe ſentiret. Secundum multitudinem dolorem meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Sic enim in tentationibus contra fidem & blaſphemiam ſpiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clarius illuminari, & in amore Dei ardentius inflammari. Erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.

Patienter ferenda virga Domini. *Greg. hom. 15. in Euang.* *Pſal.138.a* *Iob.9.a* Orationi inſtādum. *Pſal.49.c* *al. dilectionis. *Rom.8.e* *Greg lib. 2. Dialog. c.2.* *Pſal.93.d* *Iſa.14.a*

CAPVT VII.

Quintus proceſſus.

QVintus modus eſt, qui etiam quintus religionis proceſſus eſt, ſingulis vitiorum tentationibus, ſingularibus remedijs mederi. Hic poteſt ſtatus curationis vel remediorum ſpiritualium dici, quod cura diligens morbis vitiorum adhibetur, vt ad ſtatum ſanitatis perueniatur, de quibus remedijs, quia in præcedentibus dictum eſt, hic non eſt opus repetere. Ea autem diligentia debet quiſque ſtudere remedia animæ ſuæ perquirere, & ſanandis ſpiritualibus morbis vitiorum inuigilare, qui lethali morbo laborans medicum qui eum curare poſſet, inquireret. Et tanto diligentius cura animabus curandis adhibenda eſt, quanto animarum morbus periculoſior eſt, & cura difficilior, & ſanitas præſtantior animę quam corporis morituri. In quantum vero plus de corporis ſanitate ſumus, quam de animæ ſalute ſolliciti, in tantum conuincimur illud plus diligere, & eius ſanitatem amplius deſiderare.

Quintus proceſſus. Quāta cura ægris corporibus tanta, immo maior eſt animis vitioſis adhibenda.

CAPVT VIII.

De ſanitate animæ.

SANITAS corporis conſiſtit in integritate membrorum, & ſenſuum, & inordinata qualitate humorum, & vigore ſpirituum. Sanitas animæ conſiſtit in recta & circumſpecta actione, in cautæ locutionis obſeruatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, & vtilitate cogitationis.

CAPVT IX.

De actione.

ACTIO in tribus debet eſſe circumſpecta, vt ſit meritoria. Primo, an liceat. Secundo, an deceat. Tertio, an expediat. Illicitum eſt omne quod eſt contra Dei præcepta, vel eccleſiaſtica inſtituta, vel contra voti proprij ſponſionem diſcretam: vt eſt votum continentiæ, obedientiæ, & abdicationis proprietatis, & aliorum ſub voto comprehenſorum. Indecens eſt, quod non bonam ſpeciem prætendit, & colorem illiciti habet, etiam ſi non expreſſam habeat veritatem, vt omne ſcandalum, & quod alicuius vitij vel peccati notam habere videtur, & ſecundum ſtatum agentis inconueniens iudicatur. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Seruo Dei vitandum eſt, ne percutiat conſcientias infirmorum exemplo minus ædificatorio, & Dominum inhonoret: quia indiſciplinatio famulorum, redundat in confuſionem dominorum ſuorum. Gloriaris in Deo quaſi ſeruus in domino: & per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes. In expediens eſt, quod caret fructu vtilitatis. Vacuus in conſpectu Domini apparet, cuius actio fructu piæ vtilitatis caret: ſicut ramus areſactus in arbore, & lignum infructuoſum in vinea, vel pomœrio. Deus namque qui omnes large remunerare deſiderat, tot occaſiones homini merendi prouidit, & tot actiones meritorias ei oſtendit, quod ſtultus & merito puniendus eſt, qui his neglectis inutilia & infructuoſa ſectatur:

In actione tria obſeruanda. Illicitum. Indecens. *1.Cor.10.e* *Rom.2.d* In expediens.

veluti si quis hortum plenum nobilibus fructibus ingrediens, sola vilia & amara carperet & nociua.

CAPVT VII.

De locutione.

In locutione tria obseruanda. *Eccl. 32 b* *Silentium obseruandum.* *Num. 19. c* *Simile.*

IN locutione tria sunt similiter obseruanda. Primum, vt tardus sit homo ad loquendum. Loquere adolescens in causa tua vix, cum necesse fuerit. Quanto magis in non tua, vel in non causa, scilicet in leui vanitate? Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum: vt vtilitas & opportunitas exigit esse loquendum. Vtilitas necessitate ædificationis, vitandi euidentis nocumenti, & honoris Dei promouendi. Opportunitas temporis, loci, causæ, & qualitatis audientium. Vas quod non habuerit operculum vel ligaturam desuper, immundum erit. Puluis enim incidit, & vermes & animalia immunda inquinabunt illud, & si quid pretiosi vel aromatici liquoris in eo reconditur, euaporat virtus eius. Sic qui per censuram silentij non ponit ori suo custodiam, frequenter immundatur sorde illicitorum verborum, mendacijs, maledictis, detractionibus, turpiloquijs, iactantijs, scurrilitatibus, & similibus. Siquid etiam deuotionis intus habet, vel occultæ virtutis, citius euaporat & infrigidatur, & euanescit, sicut sæpius possumus experiri, quando post compunctionis gratiam ad verba otiosa defluimus. mox & sapor minuitur & feruor extinguitur, & intelligentia obscuratur, & mentis ad Deum intentio dissipatur, & cor à bono quod prius habuerat, euacuatur. Secundum est, in loquendo circumspectum esse, vt consideret quid loquatur, & qualiter, & coram quo, disponens sermones suos in iudicio discretionis: ne alicui loquendo noceat, ne quem indebite offendat, vel scandalicet, ne quid falsi admisceat quod conscientiam postea remordeat & dixisse pœniteat. Cor stultorū in ore illorum. Et ideo cum aperiunt os, effundunt totum quod habent intus per stultitiam. Os autem sapientium in corde ipsorum: quia os eorum non profert nisi quod cor eorum prius deliberauit bene esse loquendum. Qui custodit os suum, custodit à periculo animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Gregorius: Otiosum verbum est, quod aut ratione caret iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis. Si ergo culpa non caret sermo otiosus qui nō prodest, quid de pernitioso qui etiam obest? Tertium est, vt breuiter loquantur, & sine vtilitate, & necessitate non multiplicentur verba. vnde, Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. In multiloquio enim peccatum non deerit. Duo enim verba quæ sola nobis permissa sunt inter omnia, cito dicta sunt, id est, quod necessarium est tibi vel alteri, vel vtile tibi vel alteri. Necessitas cito insinuata est sapienti. Nam apud insipientem nulla verba sufficiunt. Vtilitas si per nimia verba se effundit, onerosa erit & fastidiosa. Seneca: Non multis opus est verbis, sed paucis, & efficacibus. Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu: sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Gregorius: Quia murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis. Sic cautus & parcus sit homo in verbis, sicut auarus in nummis suis: quia verba quibus meremur gloriam cæli, pretiosiora sunt omni thesauro. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Auarus pecuniæ & parcus, profunde in absconditio recondit eam, nec profert eam largiendo nisi pro vrgenti necessitate, vel vtilitate sua, & cauet, ne vel obolum superflue effundat supra quam necesse sit. Sic etiam religiosus cordis sui thesaurum abscondit, raro loquendo, & nisi pro necessaria causa vel vtilitate ad loquendum aperit: & quod cum paucioribus verbis potest expedire prout sufficit, ad hoc plura superflue non effundat. Quadruplex autem bonum ex hoc ei proueniet: quia cauebit peccatum multiloquij vel vaniloquij: intellectus eius interius magis profundabitur & sublimabitur, sicut aqua conclusa, quæ non habet exitum per quem effluat, crescit in altum: Item quod loquitur apud homines magis habetur authenticum, cum sciant eum cum maturitate loqui, & non leuiter effundere verba sua: item singularem gloriam meretur in cælo.

Verba trutinanda antequā dicantur. *Eccl. 21. d* *Prou. 13. a* *Matt. 12. c* *Verbum otiosum.* *Loquendum breuiter.* *Eccl. 20. b* *Prou. 10. c* *Duo verba nobis permissa.* *Seneca lib. 5 epist. ep. 38.* *Prou. 25. d* *S. Gregor. lib. 7. Mor. cap. 25.* *Prou. 21. c* *Vt auarus nummis, ita religiosus parcet verbis.*

CAPVT XI.

De disciplina morum.

MOrum disciplina in religiosis triplici colore decoratur: si sunt maturi, humiles, & benigni. Maturi, vt non sint leues ad currendum, nec proni ad risum, vel curiosi, vel verbosi, nec ioculatores. Maturitas intus mentem componit, & totum corpus exterius ab insolentia custodit. Caput regit ne leuiter hinc inde circumferatur, oculos ne vagentur, aures ne curiose auscultent quæ minus expediunt, linguam refrenat ob otiosis & infructuosis verbis, manus ab inutilibus occupationibus: pedes à vanis deambulationibus & indecentibus diuaricationibus, & totum corpus ab inquieto motu cohibet, nisi secundum quod ratio exposcit. Vnde beatus Bernardus scribens de beato Malachia Episcopo, commendat eum, quod ita compositus fuit in moribus, quod nec manum: nec oculum, vel aliquod membrum leuiter mouebat aliquando, nisi secundum quod ratio, vel causa dictabat: vt nihil appareret in eo, quod posset offendere intuentes, totum corpus in eo disciplinatum fuit. Humilitas morum deprimit ceruicem, humile format responsum, gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter nouissimos locat, ostentationis declinat notam, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem se facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad descendendum, difficilem ad indignandum. Benignitas facit amabilem & compassiuum afflictis, tractabilem & exorabilem, & flexibilem ad consilia, communicatiuum sui & suorum, in bono hilarem, & modestum & iucundum, fidelem & socialem, nullum spernentem vel temere iudicantem, gratum, beneficum, omnibus gratiosum. Humilitas temperat grauitatem, ne fastuosa & elata videatur. Benignitas facit, ne austera & dedignabunda putetur. E contra, maturitas temperat benignitatem, ne leuis & carnaliter blandiens, vel adulatorie applaudens æstimetur. Temperat humilitatem ne nimis abiecta, vel affectata reputetur. Humilitas reddit* imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem.

Maturitas corpus & mentem componit. *Bernardus in vita S. Malachiæ, cap. Ascendit.* ** al. immutabilem.*

CAPVT XII.

De cordis compositione.

EXTERIORIBVS ordinatis in actione, locutione, & moribus: vt ad veram & de cælo allatam quadraturam spiritualis normæ, sacræ disciplinæ, tamquam viui lapides & in templo veri Salomonis locandi, disponi valeamus, de cordis dispositione & mentis bonitate aliqua proponamus: quia teste Salomone, omni custodia seruandum est cor, sicut ex quo vita spiritualis quasi ex fonte procedit. Sanitas cordis in tribus consistit. In voluntatis rectitudine, in affectionis sanctitate, & in cogitationis stabili puritate. Voluntas recta est, quæ bonum tantummodo vult, & propter bonum, & plene vult. Si enim aliquid vellet quod malum esset & peccatum, non esset bona voluntas. Non potest arbor bona fructus malos facere, &c. Si bonum vellet, sed non propter bonum, vt bona opera facere pro laude humana, sicut hypocritæ: vel aliqua alia non pura intentione, similiter bona non esset: cum non simpliciter bonum propter se

Prou. 4. d *Sanitas cordis in tribus consistit.* *Voluntas recta.* *Matt. 7. c*

vellet, sed propter aliud non bonum. Illud enim quisque magis vult, propter quod aliud vult. In fine namq; quiescit: sed id quod ad finem est tantummodo, transit & relinquit, obtento eo quod voluit. Si autem vult bonum & propter bonum, sed non sicut sufficit, licet pro parte recta sit, non tamen plene: vt qui viam Dei incedere vel docere vult, quamdiu inde nullam cogitur sustinere aduersitatem: sicut hi qui in tentationibus & persecutionibus deficiunt: vel ita volunt bona opera agere, vt tamen ab alijs illicitis nolint abstinere: vel quocunque modo nolunt bonum inceptum ad finem perducere: vel etiam plusquam debeant, vel expediat bonis operibus insudare, vt qui indiscrete castigando se perimunt, vel ad insaniam & destructionem sui pertrahunt semetipsos. Ad Romanos: Rationabile obsequium vestrum. Ieremias: Quia plus fecit quam potuit, idcirco perierunt: quia contriui Moab sicut vas inutile. Duplex est enim plenitudo. Vna necessitatis, altera perfectionis. Necessitatis est illa quæ minus habere non potest ad salutem: vt obseruantia mandatorum. Matth. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Plenitudo perfectionis, est impletio consiliorum. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, &c. cum reliquis consilijs Euangelicis. Ad hoc non tenetur, nisi qui ea sponte vouit: vt religiosi, quibus post votum fiunt necessaria ad salutem. Deuteronom. Cum votum voueris Domino, non tardabis reddere: quia requiret Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Quod ante votum liberum fuit vouere vel non vouere, & facere & non facere sine peccato, illud post votum iam necessarium est adimplere: & iam nō tam est in consilio quam in præcepto. & sicut de præcepti transgressione reus est damnationis æternæ, ita & de voti præuaricatione. Verbi gratia. Sicut sæcularis damnatur pro fornicatione, vel homicidio vel consimili, ita professus regulam, in religione damnatur si est proprietarius, vel inobediens, vel facit aliquid quod in regula præceptorie inhibetur. Iusta vero necessitas vel euidens magna vtilitas, admittit dispensationem: sed ab eo qui potest in talibus dispensare. Dubia etiam interpretatio præcepti periculosa est, sicut pons semiputridus aquæ præcipitis & profundæ, de quo dubium est an sub transeunte corruat, an subsistat. Quare vult aliquis qui maiora pro Christo decreuit subire certamina, & omnia dereliquit in hoc sæculo, se committere, periculo pro modico motu propriæ voluntatis; vel pro paruo commodo in incerta opinione sua vel alterius? vt si Deus approbet illam opinionem euadat sine lucro meriti: si autem reprobet eam, damnetur, maxime cum tales opiniones quandoque periculosiores sint quam apertæ transgressiones: quia vbi scit se homo delinquere, inde facile corrigitur: vbi autem nescit se peccare, & insuper credit licere, inde nec in morte pure conteritur, propter falsam spem, quod forte sibi licuerit, vel minus in eo peccauerit, baculo arundineo & confracto innitens. Voluntas bona, plana via regia & secura debet incedere, & relictis dubietatum diuerticulis, quasi suspectis latronum semitis, apertos & certos iustorum calles ambulare: ne velut pœnitens boni inchoati quærat diuerticula declinandi a via perfectionis, in qua vouerat ambulare. Quid enim est vnde omnes damnationem incidimus, nisi talis dubia interpretatio præcepti Dei de ligno vetito, vbi callidus serpens persuasit mulieri, non ita stricte & simpliciter intelligendum præceptum illud, cuius obseruantia potius nociua foret, ne fierent sicut dij scientes bonum & malum, & cuius transgressio nequaquam sicut Deus comminatus fuerat, mortem corporis & animæ mereretur? Credidit ergo insipiens mulier falso interpreti, & consensit suadenti, cui nequaquam consensisset, si consilium eius fallax & inutile credidisset. Non tamen putandum quod conditio religiosorum peior facta sit ex voluntaria altioris voti promissione, eo quod de strictiori ponte facilior & periculosior sit lapsus, quā de latiori: sed quanto difficilior via, tanto sequetur maior gloria, & quanto laboriosior pugna, tanto gloriosior triumphus. Talem autem timorem altioris perfectionis incutit religioso aut pusillanimitas, aut formidolosa tentatio, aut inueteratus tepor, quo primi feruoris oblitus, & primam charitatem relinquens, horret altam vitam quam aggressus fuerat, stupens præcipitij profundum, & fastidit laborem pugnæ dum non videt præmium: nec sicut debet, desiderat quod sequitur. Vnde prius in probatione debuit deliberasse, si volens ædificare turrim Euangelicæ perfectionis, haberet sumptus constantis feruoris ad perficiendum, vt vltima primis responderant: ne postea cum posuerit fundamentum altæ perfectionis, & non potuerit perficere sicut cœperat ex voluntatis torpore, omnes incipiant illudere ei tam hominesquam dæmones dicentes: Hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare, sicut structura imperfecta & labefacta ostendit structoris defectum.

Rom. 12. a — Ier. 48. f — Mat. 19. b — Deu. 23. d — Dubia præcepti interpretatio periculosa omnes perdit. — Gen. 3. a — Apoc. 2. a — Luc. 14. f

Caput XIII.

De quibusdam communibus exercitiis spiritualibus.

Ad euitandum ergo apostaticæ præuaricationis opprobrium, & perfectæ sanitatis gratiam obtinendam, & repromissæ beatitudinis gloriam religioso consequendam, quædam communia spiritualia exercitia ponenda videntur: in quibus qui fideliter perseuerauerit, cito sentiet se in spiritualis vitæ profectu crescere, quousque ad perfectam perueniet sanitatem virtutis.

Septem exercitia.

Caput XIV.

De agilitate ad incipiendum bonum.

Primum est, vt homo sit impiger & agilis ad incipiendum & faciendum bonum, quo ex alterius admonitione, vel ex diuina inspiratione intelligit faciendum. Multum enim profectum negligimus, tam meritorum quam præmiorum eo quod tædet nos bonis studijs insistere, ex horrore difficultatis. Si autem voluntatem faciendi habemus, hanc de tempore in tempus differimus & procrastinamus: & interim irrecuperabiliter perdimus & tempus, & meritum, quod lucrari poteramus, aut ita desidiose & indeuote facimus, quod nec Deo est valde gratum, nec conscientiæ nostræ meritorium vel consolatorium: immo ita corrosiuum conscientiæ, quod etiam inde puniri timemus, & ex insipiditate tædet nos laborare, & festinamus inde cito absolui, & tędet simile aliud inchoare. Exemplum de studio orationis, vel obsequij in coquina, in infirmitorio, vel alterius boni operis, in quo nullum honorem, vel temporale commodum, vel propriæ voluntatis solatium expectamus. Et hoc est contra boni operis naturam: quod si debito modo fiat, semper lætificat conscientiam, & accendit affectum ad aliud bonum faciendum. Eccle. Qui edunt me, adhuc esurient. Sic Deus iussit terram producere herbam virentem, & lignum pomiferum, habens vnumquodque in semetipso generis sui, idest, bona opera tam minora quam maiora: quæ si vitent debito vigore peracta, habent semen sui generis in se; idest, desiderium alterius boni, quod quasi germen pullulet ex priore. Si autem ex desidia elangueat, etiam semen ipsius infructuosum manebit, & ideo tædet nos aliud bonum incipere; quia ex iam facto paruum, aut nullum concepimus deuotionis affectum. Omni ergo tempore seruus Dei prouideat, quid illa hora magis sit sibi expediens vt faciat: & quod faciendum viderit, penset qualiter illud congrue & secundum virtutis regulam magis apte perficiat, quantum valet. Sic enim assuefaciendū est corpus & animus, vt ex vsu boni operis nullo modo territus, paratus sit sicut seruus fidelis, & agilis, imperanti Domino ad omnia rationabilia seruitia obedire. Sic videmus in seruis sæcularibus, qui nec præ frigore, vel labore, vel inopia, vel

I. Exercitiū. Bonum alacriter incipiēdum perficiendumque. — Eccl. 24. c — Gen. 1. b — Simile.

pia, vel alia difficultate pigritantur dominis suis, pro parua mercede, per longa terrarum spatia, etiam in periculo mortis obedire, gratum habentes, si pro gratiarum actione, cum redierint, non magnas alapas & vituperia à dominis receperint: nihil de incommodis infirmitatis vel domus, vel hospitij cogitãtes. Claustrales vero serui delicati sunt & elati; parum volunt laborare, & bene procurari: & cum illi dominos suos debite honorent, ipsi volunt dominis suis in omnibus esse quasi æquales, voluntate propria pro lege vtentes. Prouerb. Qui delicate seruum suum, idest, corpus suum nutrit, ab infantia scilicet nouitiatus, postea illum sentiet contumacem: vel quia pigerrit ad bona, vel ad peccatum procliuior, maxime carnis. Ex consuetudine otij homo mollis & piger efficitur, vt nihil velit pati, vel facere nisi quod libet. E contra fidelis seruus ita debet humilitare semetipsum, & mansuefacere, sicut ioculator catulum suum: vt statim cum iubetur, saliat de lecto ad orationes nocturnas, & quasi ad nutum rationis sit promptus ad quæq; spiritualia exercitia, quæ vel obedientia iusserit, vel charitas fraterna requirit, vel deuotionis studia apta sunt, vel cuiuslibet alterius virtutis.

Prou. 29. c

Caput XV.

De velocitate abstrahendi se à malis.

II. Exercitium. Mala celeriter repellenda.

SECVNDVM est, vt sicut ad agenda bona agilis, ita sit ad abstrahẽdum se velox à quibuslibet malis, statim cum sentit se aliquo eorum interius pulsari, vel exterius occupari, scilicet ab otiosis verbis, à iocis, ab actionibus infructuosis, & maxime à cogitationibus vanis, & affectionibus vitiosis, & carnalibus concupiscentijs, quę nec ad horam debemus in corde permittere morari, ne offendamus Deum, & sanctos Angelos præsentes, & conscientiam sordidemus, & pœnam mereamur, & bona quæ possemus cogitare & agere interim negligamus. Sic Abraham quandoque Deo iubente sacrificia offerens, descendentes supra ea volucres ad dilacerandum vel fœdandum sollicite abigebat. Et nos ne aliquando in Dei conspectu appareamus vacui, quandoque sacrificia ei offerentes, scilicet bonæ voluntatis, bonæ actionis, bonæ locutionis, sacræ meditationis, & piæ affectionis, volucres malarum cogitationum & affectionum statim abigere debemus, ne ea nobis dissimulantibus aliqua maculent, & Deo ingratæ efficiant, & nobis in efficacia ad meritum ad spiritualem profectum. Nec solum carnales & turpes cogitationes statim debemus abigere: sed etiam vanas & amaras, & gulosas, & similium vitiorum simulacra in cordis nostri templo imaginando non pingamus. Theatra & tabernæ solent sæcularibus & ludicris fabulis depingi: templa autem sacris historijs & mysticis picturis decorari. Ex qualitate picturæ, consideratur qualitas domus, & domini in ea morantis. Aliquando superbia pingit sibi prælaturas & dominia, famulorum obsequia, & quæque alia pomposa. Vana gloria pingit sibi quoslibet ornatus, & vnde posset laus hominum acquiri: aliquando etiam sanctitates & miracula, prophetias, & magnas deuotiones, & ædificatorias prædicationes, & multa similia ex quibus admiratio oriatur hominibus, & sibi latens laudatio & reuerentia exhibeatur. Sic inuidia fraudes & detractiones; ira rixas & contentiones, bella & conuitia mouet, & pugnat cum absentibus, & lassatur à nullo fatigatus. Sic auaritia pecunia, & diuersa ædificat, & destruit, & acquirit. Qui ergo bonum hospitium Christum non vult effugare de hospitio cordis sui, inimicos eius, scilicet vitia secum nõ recipiat. Quę enim conuentio Christi ad Belial? Et quis consensus templo Dei cum huiusmodi Idolis? Si citius eijcis hostem de vrbe tua, securus eris. Si tarde obstas ei, inualescit contra te, & capiet vrbem, & occidet te. Sic de cogitationibus malis. Curiositas, quæque pulchra & curiosa depingit. Gula mensas amplas, & varios ciborum & potuum apparatus. Luxuria etiam quæ sibi congruunt fantastice depingit. Hæc sunt idola quæ Deus Ezechieli intra parietem templi depicta ostendit, quæ etiam abominationes appellauit. Hæc de templo cordis nostri sollicite detergamus, ne fiamus Deo abominabiles, sicut & ille sunt. Ierem. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?

Gen. 15. b

Quinque sacrifiia nostra.

2. Cor. 6. c

Ezech. 8. A

Iere. 4. d

Caput XVI.

De pace cordis.

III. Exercitiũ. Cor pacificum semper habendum.

TERTIVM est, vt semper cor pacificum cum omnibus habere studeamus. Quod consistit in duobus, vt nulli malum facere vel cupere studeamus, vt si quis nos in aliquo offendat, patientiæ scuto vtamur. In medio prælij versamur, & difficile est, quin sæpe iacula super nos mittantur tam verborum acutorum, quam factorum nobis molestorum, & à superioribus nostris durorum imperiorum & increpationum, quibus clypeum patientiæ opponere debemus, quem clypeum, vt impenetrabilior sit inimici iaculis, munire debemus sanctorum martyrum & aliorum bonorum exemplis, quasi pellibus animalium mortuorum. Iacobus: Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, laboris & patientiæ, prophetas. Ecce benedicimus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Semper ergo muniti incedamus contra iacula verborum, & ictus factorum aduersorum, vt pacem quam exterius non possumus in hac vita sperare durabilem, saltem intus per patientiam conseruemus. Luc. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Iac. 5. b

Luc. 21. d

Caput XVII.

De parcitate vtendi his quæ sunt mundi.

IV. Exercit. Mundanis rebus parcissime vtendum.

QVARTVM est, vt quanto parcius potest quis, quæ sunt mundi vtatur & habeat & cupiat. Aliena à nobis sunt omnia mundana: quia nec naturæ nostræ sunt, nec à nobis facta, nec diu nobiscum mansura, nec salus nostra in ipsis consistit: & ideo habemus ea quasi à mundo mutata, pro quotidiana, immo pro continua & graui vsura solicitudinum & laborum. Quantam putas Principes & potentes & diuites huius sæculi vsuram omni tempore exoluere pro mutuo suo, anxietatis & occupationis & afflictionis? & quomodo ambiant aliena, quomodo augeant, vel custodia sua, quæ timent perdere per amicos & inimicos, per fratres, vxores & filios? A potentiore timent violentiam, ab inferiori furtum, ab æquali fraudem. Nulli ad plenum confidit auarus, omnes suspectos habet, nec tamen potest eorum carere consortio: & ideo nullum potest vere diligere, cum à nullo se vere diligi suspicetur. Timor enim suspiciosus non est in perfecta dilectione. Timet de rebus, timet de corpore propter substantiam: & tot timoribus plenus non potest vtiliter timere de anima, de qua tamen maximum periculum adhuc restat. Sicut enim principes à subiectis suis exigunt quotidiana seruitia & munera ratione officij sui, & tandem cruciant eos in carcere, & omnino despoliant: sic & mundus post multas exactiones vsurarum, ratione substantiæ & honoris, quæ officialibus suis diuitibus mutuauit, tandem omnino euacuatos emittit in carcerem infernalem. Vnde bella & lites in sæculo, nisi quia mutuo inter nos certatim cupimus præripere alter alteri, quod vterque non potest integre possidere? In spiritualibus diuitijs nullus ex alterius abundantia patitur detrimentum, cum alius non sit minus sapiens vel virtuosus, eo quod eis alter abundat. Sed secus est de sæcularib' diuitijs & honoribus, quia tot necesse est habere portiones, quot sunt participantes: & ideo alter alteri inuidet habenti, quod ipse habere non potest. Hæc fuit occasio quare Loth discessit ab Abrahã, & Esau à Iacob:

Gen. 13. a

Gen. 36. a

quia

quia multa habebant pecora, & non poterat eos capere terra, vt simul, id est, concorditer habitarent, rixantibus inter se & pastoribus gregum: quia multiplicatis pecorinis desideriis, scilicet mundanis, fit rixa inter voluntates eorum, qui volunt pascere sua desideria in pratis huius sæculi; & cum omnibus non sufficit pro libitu, diuiditur frater à fratre per inuidiæ diffidium. quæ pecora si pauca forent, modico contenta essent. Zacharias: Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant. quod etiam sic potest intelligi, pecora occidebant eos, qui se possidebant. Augustinus: Rixentur immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus: beati autem mites, quoniā ipsi hæreditate possidebunt terram, de qua pelli non possunt. Habentes autem alimenta & vestimenta, quibus tegamur, his contenti simus: & quidquid penuriæ patimur, loco illius Deum in corde ponamus, qui omnia implet. Beati pauperes spiritu, id est, voluntate & amore spiritualis profectus, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quanto enim se hic angustant in terra nihil cupiendo, tanto in cœlo dilatabuntur, & econuerso.

Zach. 11. a

Aug. to. 4. lib. 1. de ser. Domini in monte, c. 2.

2 Tim. 6. a

Matt. 5. a

CAPVT XVIII.

De humili æstimatione sui.

QVintum est, vt semper & intus apud se, & extra coram hominibus, in omnibus humiliet se, & deprimat in sua æstimatione, item in verbis, in gestibus: & in omni facto suo nouissimum locum eligat, sicut fuerit opportunum. Ad humiliandum autem se in oculis suis, consideret qualis sit, quam vilia & fœtida sunt omnia quæ corporis sunt. vnde venerit, quid erit, quid intus sit, quam leuiter emarcescunt etiam, quæ pulchra in homine apparent: quanta deceptio in honoribus sæcularibus: quia non honorant etiam diuites qui videntur, sed sua lucra sequuntur, sicut canes & aues cadauer; quod cum abrasum fuerit & nudatum, nec plus rodendum in eo inueniunt, relinquunt, & alia requirunt. Item in anima quanta sunt ibi vitia & peccata, quanta impuritas & simulatio in bonis quæ facimus, & desidia & tepor: quanta bona omittimus & negligimus vtilia: quanta inopia virtutum, quanta cæcitas intelligentiæ, lubricitas memoriæ, inordinatio affectuum: quod mala nostra pure mala sunt, & nostra totaliter sunt, & bona nostra nobis tantum mutuata sunt cum vsura repetenda, & imperfecta & impura sunt, & ex nobis materiam humiliationis assumunt. Verum enim est nos esse inopes & viles: & quantum ab hac æstimatione deuiamus, tantum erramus à veritate.

V. Exercit. Studendum humilitati semper.

CAPVT XIX.

De maturitate & seriositate.

SExtum est, vt si maturus & seriosus cum quadam mœroris dulcedine, non cum tędij amaritudine, vel rancoris. Morum leuitas aliquando potest inesse bono ad horam, sed deuoto numquam: sicut habemus exemplum in viris perfectis, quos leues in moribus & ad risum vel iocum pronos rarissime videmus. Vnde cum vtile sit homini esse in luctu, ideo beatos dicit Dominus hic lugentes: & tot causas luctus eis dedit & ostendit, scilicet pro seipsis, proximis, & pro Deo. Pro seipsis, quia peccatores sunt, Deum offenderunt, & quotidie offendunt: inopes sunt virtutum, tarde proficiunt expositi mille periculis, & adhuc dubij an damnentur, multis miseriis inuoluti, alieni à Deo, exclusi à regno, proni ad malum, multis suppliciis obnoxij, mortis, purgatorij, & inferni. Pro proximis, compatiendo pauperibus afflictis, periclitantibus, peccantibus, damnandis, tentatis, subuersis, & expositis similibus malis, quibus & nosipsi. Pro Deo, compatiendo eius passioni, & iniuriis à perfidis peccatoribus ei quotidie illatis, & subuersioni iustitiæ, & animarum perditioni, fidei conculcationi, & ingratitudini pro omnibus beneficiis, quæ omnibus largitur: pro scandalis quibus inhonoratur & à famulis suis, & multis aliis. Seruus bonus, intus amorem ad proximum habet, exterius plenam benignitatem. Malus autem seruus, amarum & fastidiens bonum habet, indignabundus, suspiciosus, rancorosus, sine ratione turbulentus & aliis onerosus. Dissolutio est deuotioni sicut aqua igni: & qui ducit in consuetudinem vix desuescit maxime ioculari.

VI. Exercit. Maturitas morum semper obseruanda. Nota.

Matt. 5. a

CAPVT XX.

De suspensione mentis in Deum.

SEptimum est, mentem semper habere ad Deum suspensam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona contemplando. Vnde quandocumque seruus Dei, vel ad modicum Dei non meminit, contremiscit & dolet, quasi grauiter offenderit, tanta amici defraudatus intuitu, qui nostri numquā obliuiscitur. Cum summa beatitudo & gloria cōsistat in iugi visione Dei, huiusmodi beatitudinis imitatio quædam est iugis memoria Dei. Ista est meritum, sed illa præmium. Quamdiu illum videre non possumus præsentes, saltem memoremur eius absentes: tanto quisque lætius & plenius eum videbit in patria, quanto frequentius & deuotius eius meminerit in hoc exilio. Vnde Psalmista dicit: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Nec tantum in otio, sed etiam in occupationibus eius esse debemus memores, imitatione sanctorum Angelorum, qui missi in ministerium nostrum sic exteriora disponunt, vt tamen ab intimis numquam recedant. Quanto cœlum amplius est quam terra, tanto spiritualis meditatio & contemplatio latiores habet materias & vias, quam cogitatio terrenorum. Quales autem sint istæ viæ vel materiæ, & quales profectus & processus meditandi & intuendi spiritualia, non est huius temporis, vel materiæ: sed istud pertinet ad septimum spiritualis vitæ processum, qui in sapientia versatur.

VII. Exercit. Mentem habere in Deum suspensam.

Psal. 15. b

Matt. 18. a

CAPVT XXI.

Sequitur processus sextus.

NVnc de sexto processu, qui in virtutibus puris constat, aliqua simplicibus conuenientia, & nouis in religione competentia proponamus, alta & subtilia magis exercitatis in his reseruantes. Quanto enim quisque altius profecerit, & in anteriora se extendere studuerit: tanto altiora & perfectiora intelliget; tam de his quæ iam attingit, quam de illis quæ nondū actualiter comprehendit. Sicut qui montē ascendit, quo altius ascēdit, eo altius videt quantū adhuc distat à cacumine summitatis: & quod in imo positus æstimauerat esse verticem montis, sublimatus videt vix montis pedem esse: sic & de perfectione nemo proprie nisi perfectus & perfectioni proximus potest loqui. Virtus est ordinatus secūdum veritatis iudicium mentis affectus. Sed iudiciū veritatis circa quattuor generaliter versatur, circa bonum, & malum, & malum magis malum, & bonum magis bonum. Bonum aliud est corporale & temporale, aliud spirituale & perpetuum, quod sine dubio melius est quā corporale & temporale. Malum autē aliud est culpæ, aliud est pœnæ. Culpa alia venialis, alia mortalis. Pœna alia trāsitoria, alia sempiterna. Malum ergo culpę peius est quod meretur malum pœnæ: quia si culpa non esset, nec pœna esset. Pœna vero transitoria minor est quam sempiterna. Et quia lex veritatis scripta est in corde hominis per iudicium rationis, datæ sunt etiam ei in adiutorium affectiones ad fugam mali & apprehensionem boni: quia in his duobus omnis beatitudo consistit, scilicet in elongatione omnis mali, & in fruitione omnis boni.

Simile pulchrum.

Virtus quid.

Affectiones septē.

Septem autem sunt affectiones mentis communiter: spes, timor, gaudium, mœror, amor, odium, & pudor. Harum quattuor ordinantur contra malum, tres autem ad bonum. Nam timor, mœror, odium, & pudor contra malum sunt: spes, amor, gaudium ad bonum se habent. Nam bonum non est timendum, sed optandum & sperandum: nec pro bono est dolendum, sed gaudendum, nisi forte priuatio boni timeatur, vel doleatur; quod non est bonum, sed proprie malum. Nam malum est priuatio boni vel corruptio. Item bonum non est odiendum, sed amandum: nec de bono pudendum est, sed gloriandum. Gloriatio ideo non dicitur affectio per se, quia sub gaudio comprehenditur & amore. Cum ergo istæ affectiones ordinatæ sunt ad quod debent, iuxta rationis & veritatis iudicium, tunc homo est virtuosus cum sola mala timet, & magis timenda, id est, magis mala plus timet, & dolenda dolet, & odienda odit, & pudenda erubescit, secundū plus & minus, sicut ipsa & dolenda & odienda, & pudenda plus vel minus sunt mala. Item cum sola speranda sperat, sicut debet, & amanda amat, & de gaudendis gaudet, secundum quod magis vel minus sunt bona. Summum autem bonum, quod est Deus, summe amandum est, & ante omnia sperandum, & super omnia in ipso gaudendum, & ea quæ ab ipso retrahunt, summe fugienda & execranda, quæ sunt præcipue vitia & peccata: quia hæc vere & proprie mala sunt, & omnibus mala, & nulli bona, & ad nihilum bona quibus insunt; licet quandoq; bonis cooperentur in bonum mala aliena, vel etiam propria post conuersionem: vt ex eis magis humilientur & amplius inardescant in amore Dei, qui eos in talibus vitiis tolerauit, & à talibus liberauit. Sanctis etiam in gloria augebit lætitiam damnatio reproborum: quia gaudebunt se ab his saluatos, in quibus poterant sicut & illi, nisi Deus eos liberasset, incidisse. Multæ sunt aliæ virtutum artificiales diuisiones, secundum quod aliæ dicuntur Theologicæ, vt fides, spes, charitas; aliæ Cardinales, vt prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: item aliæ politicæ, aliæ purgatoriæ, aliæ animi purgati, aliæ exemplares: quas sicut rudis rudibus loquens prætereo: solum illum ordinem sequar, quo virtutes principales septem vitiis opponuntur, cum virtus secundum hunc sensum non aliud sit quam vitiorum carentia: & quanto quisque ab omni vitio purior fuerit, tanto virtuosior est & perfectior.

Summum bonum Deus.

CAPVT XXII.

De habitu religionis.

Virtus in obseruantia, nucleus in testa.

SIcut nucleus in testa vel in cortice, sic est virtus interior ceteris obseruantiis in religione. Omnia enim quæ in obseruantia religionis apparent, inuenta & statuta sunt propter obtinendas & conseruandas virtutes. Cetera autem sine virtute sunt, sicut testa carēs nucleo. Et sicut in tabernaculo fœderis plura erant velaminum genera intra se protegentia, vel decorantia sanctuarium, scilicet pelles hyacinthinæ, pelles arietum rubricatæ, saga cilicina, cortinæ, & tabulæ parietum, præter alia: ita in religione plura sunt virtutis tegumenta, vel ad decorem, vel ad custodiam virtutis ordinata; in quibus non pura virtus consistit, sed quædam virtutis vmbra, & latentis intrinsecus demonstratio figuralis. Vnde qui istis exterioribus contentus interiora postponit, sic est quasi qui corticem vel testam vacuam sine nucleo habet. Primum est habitus exterior in vestibus & tonsura: quæ si per se religiosum facerent, etiā simiæ, vel moriones religiosi forent: quibus talis habitus quandoq; ioculatorie formatur. Sed hæc sunt tantum signa interiorum, sicut circulus ad tabernam potum venalem designat, & vexillum super Ecclesiam denuntiat dedicationem. Vnde si signa falsa fuerint, decipiuntur homines putantes inuenire significata: ita de ficto religioso, qui exterius in habitu prætendit, quod non habet in moribus & vita. Secundum, sunt exteriores cæremoniales obseruantiæ: vt inclinationes, geniculationes, & in horis pausationes & omnes gestus, quibus claustrales vtuntur in diuino officio, vel in aliis: de quibus sæpe minus virtuosi maiorem vim faciunt, quam perfecti & magis deuoti. Tertium, sunt mores exteriores compositi, & exteriorum membrorum disciplina in loquendo, in gradiendo, in totius corporis gestu: quæ etiam curiales sæculares commendabiles faciunt, & secularis virtus appellatur: sed religiosis magis competit, licet humiliori & planiori modo. Quartum, sunt opera pœnitentiæ, vt ieiunia, vigiliæ, flagella & aliæ corporales exercitationes & castigationes: quæ licet magis propinquant virtuti quam præcedentia, tamen non sunt puræ virtutes: quia & hypocritæ possunt habere, & in mortali peccato positi sæpe in talibus exercent seipsos. Quintum, studium familiare ad expurganda vel mortificanda vitia & virtutes vsitandas: vt seipsum humiliare, iræ motus reprimere, luxuriam domare: & ceteris vitiis impugnantibus resistere. Quamuis enim omnia opera bona sint virtutis exercitia; quia nec opus bonum esset, quod nullam virtutem respiceret: tamen aliud est aliquod bonum opus exercere simpliciter propter Deum, & intentionem merendi veniam & gloriam: & aliud est ipsum exercere, non tantum causa promerendi prædicta, sed etiā pet hoc obtinendi virtutem sibi cohærentem, & vsitandi eam per operis exercitium, & vitium contrarium expugnandi. & hoc est multo vtilius quam illud prius. verbi gratia: Alius orat simpliciter, vt per hoc impetret peccatorum veniam, vel vitam æternam: alius etiam præter istam intentionē orat, vt assuefaciat seipsum in orationis studio, & per hoc consequatur gratiam deuotionis, & gustum diuinæ dulcedinis, & gratiam Dei clarius per mentis illuminationem consequatur. Et licet oratio prioris sit bona & meritoria veniæ, & gratiæ, & gloriæ: tamen intentio secundi cooperatur, vt & celerius & plenius hoc quod expressius desideratur, assequatur. Vnde multum valet ad perfectionē sanctitatis, scire intentionem dirigere ad eam quærendam, & studiū suum ad hoc ordinare, in tantum vt aliquis faciliori labore, quo ad corporale exercitium, maiores mentales virtutes obtineat, qui scit prudenter disponere gressus suos, quam alius difficiliori labore. Exemplum de quolibet perito artifice, qui melius & citius & leuius operatur quodcumque, quā alter imperitus cum labore maiori. Sextum, est ipse nucleus affectualis virtutis, qui est perfectio vitæ actiuæ, & ingressus ordinatus contemplatiuæ: sine illa frustra speratur puritas contemplationis vel stabilitas, sicut aqua fontis non erit pura, quamdiu fundus non est mundatus sordibus eiectis. Sicut autem ex nucleo pinguedo olei exprimitur: ita ex affectu virtutis sapor deuotionis procedit, maxime diuini amoris & desiderij cœlestis & gaudij spiritualis, qui nobilior & efficacior est, quam compunctio timoris vel mœroris. Hi sunt sex dies, in quibus operari oportet opus salutis, & cibos vitæ quærere, ne ieiuni deficiamus in via hac qua ambulamus: ita vt sexto die duplices cibos colligamus, scilicet bonæ actionis & piæ affectionis: vt in septimo, id est, sabbato quiescamus: & toti sani facti à vitiorum languoribus, in requie opulenta vacare possimus diuinæ contemplationi, & videre quoniā ipse est Deus, & gustare quoniam suauis est vniuersis. Qui sexto die duplices non colligit cibos, septimo inanis remanebit, nihil reperiens de dulcedine contemplationis: qui sextum statum, qui est in virtutum affectualium sanitate, nondum attigerit, septimi status dulcedine, qui est in sapientiæ gustu & intelligentiæ lumine, non fruetur. Inde est quod Iacob prius de Lia sex filios genuit: post hæc Rachel peperit filium Ioseph decorum aspectu: quo nato cœpit Iacob petere dimitti, & in patriam suam reuerti: quia prius in actiua vita debet homo perfectus esse in sex prædictis profectuū statibus, & tunc gustato fructu vitæ contemplatiuæ cupiet dissolui & esse cū Christo in patria cœlesti, cuius iam primitias in sapore superne dul-

Exo. 26.

Habitus religiosū non facit.

Mat. 8. a

Exo. 16. f

Psal. 45. c

Ps. 144. b

Gen. 30.

Philip. 1. d

næ dulcedinis prælibauit. Sed quia proficientibus hæc formula scribitur, vt sciant quantum in singulis virtutibus profecerint, vel quantum à perfectione earum adhuc distent, quamlibet ipsarum in tres gradus longe inter se differentes describédo distinguamus, multos medios profectuum passus festinando transiliétes propter fastidium deuitandum. Ordo septem capitalium vitiorum hic est. Primum superbia initium omnis peccati, secundum inuidia, deinde ira, acedia, auaritia, gula, luxuria. Huic per contrarium opponitur ordo virtutum, scilicet humilitas contra superbiam, dilectio proximi contra inuidiã, mititas contra iram, charitas Dei contra acediam, contemptus diuitiarum contra auaritiam, sobrietas contra gulam, castitas contra luxuriam. Sed quia teste beato Gregorio, sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt; ita ex charitate Dei ceteræ virtutes oriuntur: ideo de ipsa tamquam de omnium matre & nutrice primo dicamus, & postea de filiabus. Ante ipsam nulla virtus meritoria est. Ipsa enim omnes informat, vt virtutes sanctæ sint; & vigorem tribuit eis, vt sint magis vel minus meritoriæ & Deo acceptæ, secundum quod de ipsius nutrimento minus, vel amplius acceperunt: sicut ramus arboris à radice nascitur, & ex succo ab ea procedente nutritur, & vt magis fructificet, magnus efficitur. Initia autem singularum virtutum ad incipiétes pertinent, sine quibus non possunt esse salui, & Deo placere ad salutem. Profectus ad religiosos magis congrue pertinent, qui meliores esse debent, quam popularis communitas, vel laici sæculares: qui tamen sunt de numero saluandorum. Quid prodest altiora profiteri, & exterius in habitu perfectiora prætendere, si in studio virtutum & exercitio operis non distamus ab infimis, qui tamen in spe sunt saluationis? Immo maior est confusio & species fallendi. Magna promittere & exigua persoluere, est potius supplicio dignum quam præmio. Perfectio autem ad perfectos pertinet, qui transcenso difficultatis obstaculo, & in quo proficere volentes laborant quasi in montis ascensu, iam in ipso culmine, Christo duce constituti, transfigurationis eius gloriam desiderant speculari. Nemo tamen in hac vita, vel perfecte alicuius virtutis apicem valet apprehendere, vel stabiliter in summo gradu semper manere: sed pro modo viæ perfectus quis dicitur respectu inferiorum.

Septem vitiis capitalibus, septem virtutes opponũtur.

Greg. homil. 27. in Euang.

Charitas omnes virtutes informat.

Mat. 17. a
2. Pet. 1. d

Nemo in hac vita absolute perfectus.

CAPVT XXIII.

De charitate.

CHaritas est ordinata & magna voluntas seruiendi Deo, placendi Deo, fruendi Deo. Charitas, dilectio Dei, & amor idem sunt. Tamen beatus Bernardus distinguit ea, dicens: Magna ad Deum voluntas amor est: sed cum lactatur à gratia, dilectio est: cũ vero fruitur cui adhæret Deo, charitas est. Diligere debemus Deum super omnia propter tria, quia bonus est in se, nec tantummodo bonus, sed etiam ipsa bonitas est, quia nihil melius vel cogitari, vel esse potest: & quo omne quod aliquo modo bonum est, bonum est. Si enim omne quod bonum est, diligendum est inquantum bonum, ille qui summe bonus est, & infinitum bonum est, summe & si possibile esset in infinitum, diligendus est iuxta meritum dignitatis eius. Item, quia ipse prior dilexit nos, & plus diligit nos, quam nosipsi nos. Ille enim qui infinitus est, & cui non est aliud esse quam amare, quia ipse Deus charitas est, diligit nos pauperes & viles & miseros: & dilexit ab æterno nondum existentes, nondum eum diligentes, immo & nescientes & resistentes, & offendentes ipsum: & ideo iustum est nos eum vicissim diligere ex omni quod sumus, & scimus & possumus: vt saltem cum exigua mensura nostræ possibilitatis, fideliter remetiamur ei diligendo, cuius magnitudinis non est finis. Tertio propter eiusdem dilectionis multiplicem effectum, qui cognoscitur in beneficiis eius: quia non sufficit ei diligere solo affectu, nisi etiam nobis ostendat in effectu. Gregorius: Probatio namq; dilectionis, exhibitio est operis. De quibus beneficiis modo nõ prosequimur causa prolixitatis, alterius temporis opportunitatem ad hoc expectantes. Dilectio autem nostra in tribus consistit, in voluntate, in opere, in affectu. Voluntas informata à ratione, consentit eius consilio, vt velit bonum: & ne otiosa sit voluntas, progreditur in actum boni operis, omnem familiã imperio suo subiectam in adiutorium inuocans, scilicet membrorum corporis, sensuum, & cogitationum: siue ad promouẽdum bonum, siue ad remouendum malum. Cumq; hoc fideliter fecerit, quasi pro remuneratione, vel releuatione laboris, ex vsu exercitij suscitatur etiam ei affectus in solatium, à gratia demulcente sua dulcedine affectum: vt iam non tantum ex instinctu rationis velit bonum, & cum conatu laboris illud agat, sed etiam ex desiderio optet, & per affectum amplectatur & diligat, & contrarium illi odiat, & horreat & fugiat, id est, malum. Et hæc est vere sanitas voluntatis, cum non tantum ex instinctu rationis cogit se ad volendum bonum, vel faciendum, aut nolendum, aut vitandum malum: sed etiam ex affectu & desiderio mentis amplectitur bonum, & odit malum. Et hæc est virtus & mens bona, de qua Philosophi multi dixerunt, sed vtinam vere cognouissent eam. Voluntas quandoque sine opere, sufficit ad meritum & debitũ, vbi facultas & opportunitas operis non subest, verbi gratia: Pauper libenter subueniret pauperi, sed non habet vnde: diues etiam quandoque libenter id faceret, sed non habet cui: vtriusque ergo voluntas tunc pro facto reputatur. Si autem facultas operis & opportunitas subesset, & non sequeretur effectus operis, tunc non sufficeret voluntas: quia nec voluntas esset cũ posset quod expedit perficere, & nollet. Quantum enim vis, tantum facis, quod expedit cum potes: sed si non facis, non vis.

Charitas. Dilectio. Amor.

Bern. epist. ad fratres de monte Dei, paulo post med.

1. Ioan. 4. d

Greg. homil. 30. in Euang.

Dilectio nostra in quibus cõsistat.

Voluntas pro facto reputatur.

CAPVT XXIV.

De virtutum connexione.

LIcet etiam multæ virtutes esse videantur, & inter se differentes, vt humilitas alia est quam castitas, & patientia, alia est quam misericordia, & sic de aliis: tamen quadam consideratione omnes vnum sunt: & ita quælibet non tantum cohæret, sed etiam inest alteri: vt qui vnam habeat, vere omnes habere dicatur in habitu etsi non actu. Quod ostendens Apostolus, ait: Charitas patiens est, benigna est; non æmulatur; nõ agit perperam; non inflatur; non est ambitiosa; nõ quærit quæ sua sunt, &c. Sicut enim Deus est vnum, simplex & perfectissimum bonum, in quo est omne bonum perfecte, & cui nullum bonum deest: ita charitas est vna virtus in se omnem habens virtutem: sed propter diuersos effectus eius, ex diuersis intrinsecis occasionibus & actionibus, vel causis illatis, quibus se vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diuersa officia vel nomina sortitur. Virtus enim secundum Augustinum est amor ordinatus: videlicet vt amet solum quod debet, & quantum debet. Quantum vero amas aliquid, tantum odis & fugis eius contrarium vbi potes. Charitas ergo cum se extendit ad diligendum Deum, dilectio Dei dicitur: cum ad proximum, dicitur dilectio proximi. Cum eius miseriæ compatitur, misericordia appellatur. Cum eius bono congaudet, congratulatio vocatur. Cum æquanimiter aduersa tolerat, patientia dicitur. Cum benefacit se odientibus, benignitas nuncupatur. Cum non extollitur in prosperis inaniter super se, humilitas reputatur. Cum obtemperat superioribus vt iustum est, obedientia est. Cum execratur turpia, castitas est. Cum resecat superflua corporalis necessitatis, sobrietas est. Cum diuitias abiicit, paupertas est. Cum ad pauperes eas liberaliter effundit, largitas est. Cum tædio expectationis promissorum non frangitur, longanimitas est. Cum inter bonum & melius, & inter malum & peius discer-

Virtutes connexæ vna charitas.

1. Cor. 13. a

Augustin. lib. 15. de ciuit. c. 22.

Charitas varia sortitur nomina propter effectus diuersos.

nit, pru-

nit, prudentia est. Cum ius suum cuique tribuit, iustitia est. Cum delectationibus non emollitur, temperantia est. Cum duris non terretur, fortitudo est. Cum credit credenda, fides est. Cum sperat speranda, spes est. Vnde & Spiritus sanctus & vnicus & multiplex dicitur. Quia cum in se vnus sit, diuersa dona tribuit secundum diuersos donorum effectus: sicut aliqua nobilis & efficax medicina diuersos curationum effectus operatur, vel virtutem confert varia operandi, vt vni acuat visum, alteri clarificet vocem, alij auditum referet, alij gustum reparet, in alio aliud & aliud operetur. Secundum quod Charitas opponitur septem capitalibus vitiis, septem virtutes format: quæ, vt prædictum est de profectuum gradibus, distinguuntur. Vnaquæque enim virtus (teste beato Gregorio) habet initium suum, & profectum, & perfectionem. Marci 4. Terra profert germen suum. Primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Herba est initium virtutis, spica profectus, frumentum plena perfectio. Charitas Dei mater & nutrix omnium virtutum tres habet gradus: scilicet, infimum, medium, & summum. sic & aliæ virtutes per singulas. Nec inconueniens est distinctio. Si enim cœlestis hierarchiæ (dicente beato Dionysio) singulæ per ternas differentias distinguuntur; cur non & spirituales virtutum hierarchię eumdem ordinem in terris imitentur? præsertim cum cœlestis pulchritudinis exemplar ad hoc nobis cœlitus allatum est, vt pro viribus studeamus Domino in nobis sanctuarium facere: vt in medio nostri habitare dignetur, secundum exemplar in monte cœlesti nobis demonstratum. Vtrum autem qui in primo gradu quasi in infima virtutũ hierarchia hic stant, ad infimam in cœlo hierarchiam pertineant: & qui in media ad mediam in cœlo; & qui in summa ad summam in cœlo hierarchiam pertineant, cum illuc Domino perducente venerimus, agnoscemus. Laboremus tantum hic fideliter de virtute in virtutem proficere, certi quod nequaquam inferior erit retributio gloriæ, proportionata meritorum mensuræ. Luc. Mensuram bonam & confertam, &c. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Eiusdem mensuræ hydria implebitur tibi vino gloriæ in nuptiis cœlestibus, cuius tu hic implere studueris aqua iustitiæ præsentis, quę in comparatione cœlestis est sicut aqua ad vinum optimum in valore. Mille millium metretæ aquæ fluminis vel marium non valerent vnam electi vini, quo ad pretium vtriusq;.

Sap. 7. c

Gregorius Hom. 15. in Ezech.

Mar. 4. c

Charitatis & virtutũ tres gradus.

Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 6.

Exo. 25. d

Luc. 6. e

CAPVT XXV.

De tribus gradibus charitatis.

CHaritatis Dei primus gradus est, sic diligere concessa & eis vti, vt tamen illicita deuitet, & amori Dei nullius rei amorẽ præponat, sicut illi qui sic ea quæ sunt mundi diligunt, vt tamen in eorum dilectione vel cupiditate peccata mortalia deuitent, seruando quæ Deus præcepit facere, & cauẽdo quæ Deus prohibet per præceptum. Si vis ad vitam ingredi, id est, in ingressu vitæ consistere, non in progressu altiori, serua mandata. Secundus gradus potest esse, cum homo voluntarie pleniori affectu & feruentiori, non solum communia contentus est seruare præcepta, sine quibus non est salus; sed etiam ad omnia quę Dei sunt, studiosus est & voluntarius, tam faciendo in se, quam in aliis promouendo & desiderando. Hoc proprium est bonorũ religiosorum, qui non solum præcepta Dei, sed consilia ipsius implere, & ipsum specialiter imitando sequi desiderant, omnis iustitiæ doctorem Dominum Iesum Christum. Talibus dicit Bernardus: Non est vestrum circa præcepta communia languere, neque hoc solum attendere, quid pręcipiat Deus, sed quid velit: probantes quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Quantum enim amas Dominum, tantum studiosior eris promouere beneplacitum eius, vbi potes, & honorem, & cauere eius offensam & inhonorationem. Gregorius: Numquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna si est; si vero operari renuit, amor non est. Fidelis autem famulus Dei ea diligentia, qua cauet Dominum suum offendere in se per peccatum, ea etiam cauet & dolet eum inhonorari ab aliis per scandalum & malum exemplum: quia indisciplina famulorum redundat in dedecus dominorum. Quis enim famulus fidelis patienter sustineat contemptum domini sui, & iniurias, ne dicam, promoueat & augeat? Huiusmodi vero Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri. Si tu pro velle tuo seruis Domino, ipse te remunerabit pro velle suo. Si autem tu studueris ei seruire pro velle suo, ipse remunerabit te pro omni velle tuo. Matth. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis non tantum secundum mensuram, sed etiã supra: secundum omne desiderium tuum remuneraberis. Tertius gradus est, tanto affectu æstuare ad Deum, quod sine ipso quasi viuere non possis, coarctatus desiderio dissoluendi, & esse cum Christo. Talibus est viuere in patientia, vel potius in fastidio, & mors in ardenti desiderio etiã per dura tormenta. Hoc desiderium fecit Andream amplecti crucem: Stephanum orare pro lapidantibus, qui ei cœlum patefaciebant, quo anhelabat ingredi: Laurentium deridere carnifices: Vincentium prouocare tortores: Agatham lætissime & glorianter ire ad supplicia, quasi ad epulas inuitatam: & ceteros gloriosos martyres gaudere in tribulationibus, & inimicos diligere persequentes: à quibus ad desiderata gaudia velocius adipiscenda promouebantur. Amici sanctorum desiderant eos secum diu retinere hic: inimici autem eorum dolent eos aliquo tempore secum in mundo morari. Et ideo diligendi eis sunt, qui optant & promouent eos: vt hoc citius & plenius obtineant, quod super omnia diligunt, quo nihil vtilius eis esse potest. Nihil est quod talium valet æstum extinguere desiderij, quamdiu non datur eis copia de fonte vitæ pro libitu potari, cuius siti mirabiliter cruciantur. Tribus tamen interim vtcumq; refocillantur guttis consolationum spiritualium: scilicet internæ suauitatis recreatione, sacramentali corporis Christi perceptione, quod deuotis solet esse singulare solatium pro releuando huius exilij tædio: quia & si non manifeste, tamen vere & salutifere ipsum quem amant, suscipiunt Dominum Iesum Christum. Item spiritualis fructus multiplicatione, in quo & animarum profectum & Dei honorem sentientes, exilij sui molestias tolerabilius sustinent spe lucrorum Dei. Vnde sponsa dicit adolescentulis: Fulcite me floribus, scilicet nouæ conuersationis bonæ: stipate me malis, id est, proficientibus, ad perfectionem tendentibus: quia amore langueo, desidero dissolui, & esse cum sponso: vt quamdiu ad hoc differor, saltem consoler conuersione peccatorum & profectu bonorum: & ita meum exilium erit mihi tolerabilius, si videro aliis esse fructuosum: vt si tardius ad sponsum veniam, tamen plures mecum ducam. Sic & Paulus coarctatus inter desiderium dissoluendi, & profectum subditorum, consolabatur se interim ex eorum profectu, de sua dilatione à regno.

Primus gradus.

Mat. 19. b

Secundus.

Bernar. ep. ad fratres de monte Dei, in princ.

Rom. 12. a

Hom. 30. in Euang.

Rom. 16. c

Mat. 6. a

Tertius charitatis gradus.

Phil. 1. d

Tres guttæ consolationis in hac vita.

Cant. 2. a

Phil. 1. d

CAPVT XXVI.

De dilectione proximi.

DIlectio proximi ex dilectione Dei nascitur: quia propter Deum & in Deo & secundum Deum est proximus diligendus. Propter Deum: quia ipse mandauit. Ioan. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligat Deum, diligat & fratrem suum. In Deo, id est, ea affectione diligere debet proximum qua Deum, id est, ea forma. Secundum Deum, id est, ad hoc diligere debemus proximum, ad quod nos diligit Deus, id est, ad salutem animæ & profectum in spiritu, hoc est, vere & pure & ordinate diligere. Vere & non ficte, sicut illi qui verbo tantum & lingua diligunt, non opere & veritate. Pure & non ex carnali affectione, non pro vtilitate pro-

Quomodo proximus diligendus.

1 Ioan. 4. d

pria, non ex carnali affectione & sæculari societate tantum: quæ & si non sint semper mala, tamen non sunt meritoria, nisi ex spirituali dilectione accipiant condimentum. Ordinate, vt non ad vitia & commoda carnis & temporalem prosperitatem, sed ad æternam salutem. Vnde notandum, quod est dilectio carnalis, & dilectio cupiditatis, & dilectio naturalis & socialis, & est dilectio spiritualis. Carnalis est, quæ carnalibus nutritur: vt inter virum & fœminam in copula carnali. Cupiditatis, vt qui diligit pro muneribus: sicut & canis diligit eum, qui dat ei cibum. Naturalis, hæc est inter cognatos, & propinquos sanguine vel patria. Hac etiam dilectione diligimus illa, quę natura magis venustauit; vt pulchros homines & alia naturaliter delectabilia, & etiam illa quæ naturæ nostræ sunt aliquo modo similiora: sicut cum è duobus æque ignotis vni magis inhæret affectus, quia forte nobis similior est in natura. Ecclesiasticus: Omne animal diligit suum simile, &c. sic & omnis homo proximum suum. Ista sicut à bonis & à malis, & etiam à brutis habetur, ita bona & mala esse potest, licet originem trahat à natura quæ bona est in se. Vnde in necessitate plus tenemur ex iure naturali propinquioribus, quam extraneis subuenire. Socialis est, qua notos & familiares & contubernales magis diligimus, quam ignotos & alienos. Ista similiter per se indifferens est: quia & bonos & malos videmus eam habere; boni ad bonum, mali vero ad malum illam conuertunt, fauendo sociis ad quæ volunt.

Dilectio multiplex. — *Eccl. 13. b*

CAPVT XXVII.

Detestatio carnalis amoris.

SPiritualis dilectio à Spiritu sancto denominata est, à quo fluit qui amor Patris & Filij dicitur. Illa est, quæ mandatur nobis à Domino: & meritoria est per se sola, & duas priores efficit meritorias, quando ab ea reguntur, scilicet naturalem & socialem. Cupidam autem non ordinat, sed tolerat, & temperat, ne excedat: quia magis quærit vtilitatem propriam, quam illius quem videtur amare. Carnalem vero odit & fugit, vel fugat & execratur & exterminat, nec vnquam erit fida societas inter eas: & quantum vna ipsarum augetur, tantum altera minuitur: licet inter coniuges propter sacramenti virtutem si moderata fuerit, excusetur, sed à spiritualibus, qui plenam Deo vouerunt continentiam, tanto magis premenda est carnalis dilectio & euellenda, quanto indecentior apparet macula in candida bysso, quam in rudi sacco. Quæ enim societas luci ad tenebras, & quæ conuentio Christi ad Belial? Vnde bene dicitur in libro Sapientiæ: O quam pulchra est casta generatio cum charitate! Sed quia solet quandoque se palliare carnalis dilectio sub spe spiritualis, sicut zizania sub tritico, vt de viridario religiosæ vitæ euelli possit, aliquas eius species quasi noxias herbas ad cautelam inexpertis breuiter ostendamus, per quas dinoscatur distãtia spiritualis amoris à carnali. Spiritualis enim dilectio nobilis virtus est: & ideo ne vilescat admixtione carnalis amoris, sicut balsamus sophisticatus vilibus liquoribus, vel sicut aliquæ nobiles species falsitatis admixtione vitiantur, longe est inde & subtiliter segreganda. Isa. Vinum tuum mixtum est aqua, id est, amor spiritualis vitiatus est amore carnali. Sic praui caupones vendunt viliora sub specie melioris: & hoc maxime inebriatis & rudibus, qui nesciunt discernere pretiosum à vili. Ioan. Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, &c. Sic sæpe mutatur amor, qui primo bonus & spiritualis videbatur, cum discretionis & sobrietatis metas excesserit, in carnalem: quia astutus diabolus primo occultat tentationis laqueum, donec amor increscat & tenax fiat (sicut viscus quo capiuntur auiculæ) vt cum sibi mutuo conglutinati fuerint inseparabili amore dilectus & dilecta, improuidos simul in inguine transfodiat carnalis concupiscentiæ mucrone, cum ab inuicem iam nequeunt separari. Potius namque sibi mutuo consentiunt ad quæque aperta vitia, quam velint fidem, quam iam ex longo tempore integram sibi seruauerũt, aliquatenus violare, vel omnia seruitia perdere, quæ sibi mutuo impenderunt. Et licet hoc cum multo cordis dolore faciunt, præualet tamen amoris violentia, quæ mentis vigorem solita est emollire: sicut Dalila Samsonem fortissimum virum suis blanditiis eneruauit, & ceteris hominibus similem effecit, & spiritu Dei effugato tradidit eum hostibus ligandum, cæcandum, incarcerandum, ad molam trahendum, circumagitandum & illudendum. Nec tædio vincitur hostis nequissimus, nec labore, nec diuturnitate lassatur, si quo modo post longa tẽpora potuerit efficere quod intendit, cum ad nihil aliud omni tempore vacet, vel studeat: nec alia cura sit occupatus, nisi quo modo subuertat bonos, & malos præcipitet in deterius, & retineat in peccato, & impediat à profectu salutis. Primũ ergo indicium carnalis amoris est, quod cum spiritualis dilectio spiritualibus tantum eruditionibus & ædificatoriis collationibus pasci soleat, & nugas & otiosas fabulas fastidiat; isti econuerso pauca de spiritualibus, & plurima de inutilibus confabulationibus, & maxime de mutua dilectione insatiabiliter ruminant, quantum ipse eam & illa ipsum diligat: ita quod ad huiusmodi colloquia nõ sufficiant horæ, non dies, non qualibet tempora, sed semper quando conuenire possunt, copiosam habent loquendi materiã indeficienter. Secundum carnalis amoris indicium est, insolentia gestuum & morum, quando sunt pariter se taliter amantes, amorose se mutuo respiciunt: latus lateri, femur femori: manus ad manũ tenent & comprimunt: deinde brachia & lacertos, humeros & vbera sub vestibus, & vlteriora tangendo blandiuntur. Aliquando amplexus & furtiua oscula iunguntur, & similia: sicut in sæcularibus amatoribus notari potest. Econuerso spiritualis dilectio tantam disciplinam seruat in occulto sicut in publico, quæ nec angulos quærit, sed fugit, nisi quando secum quis habitare desiderat, & soli Deo vacare. Cum homine autem colloquens, maxime si vir cum fœmina loquitur, continet oculos, & manus & omnia membra sub custodia modesta: ita quod etiam studiosus obseruator non inueniret, in quo eos reprehenderet. Tertium est inquietudo cordis: quando sunt absentes cogitando de se inuicem vbi sit ille dilectus, quid agat, quando veniet, quamdiu me deseruit, si de me cogitet, si ex absentia eius amor circa me forte in aliquo tepuerit: quam longo tempore iam nihil mihi demãdauerit, & quid in causa esse possit: quomodo valet in corpore: & ita suspenso corde nec orare libere potest, nec de Deo quiete meditari, vel aliud agere distracto & occupato animo circa dilectum, nisi quando audit aliquid de eo prosperum, vel loquitur, hoc est ei refrigerium qualecumque. Spiritualis dilectio hæc non curat, sed quiescit in Deo, & amicum suum fideliter in oratione Deo commendat, cum fuerit opportunum sine inutili distractione, compatitur ei & cõgaudet sicut ratio dictauerit faciendum. Quartum indicium carnalis amoris est, impatientia condilecti; scilicet si aliquam secum diligat, si benigne aliquam salutet, si aliqua beneficia ei exhibeat: ex quibus timet ne forte amor alterius præualeat, & erga se tepescat, inde dolet & tristatur. Spiritualis autem dilectio vult omnes secum diligi, & in hoc gaudet: quia charitas est sui communicatiua: & quanto magis dilatatur, tanto amplius augetur: sicut ignis quo plura fomẽta accipit, eo magis excrescit. Quintum est ira & conturbatio: quia tantum (vt vulgo dicitur) se diligunt, quod præ nimia dilectione nõ possunt sibi parcere à molestia læsionis. Sicut enim metas excedit aliquando eorum dilectio inordinata in blandiendo: ita quandoque excedit in conturbando, maxime cum vnus alterum in aliquo offendit, non satisfaciendo sibi in his quæ desiderat, vel aliam personam, vt ei videtur, plus amando: quia quo tenerior est dilectio, eo molestior est offensio. Inde surgunt querelæ

1. Cor. 6. c — *Sap. 4. a* — *Isa. 1. f* — *Ioan. 2. b Simile elegans.* — *Iud. 16.* — *Hostis noster non dormit, nec vnquam fatigatur.* — *Carnalis amoris indicia.*

& improperia impensorum beneficiorum, & magnæ fidei, quæ iam perdita videntur apud ingratum. Sequuntur etiam detestationes & iuratoriæ promissiones, quod numquam deinceps velit ipsum diligere, qui sic retribuit sibi mala pro bonis, & odium pro dilectione. Aliquando adiunguntur clamores, contumeliæ, vituperia, maledicta, infamationes, proditiones secretorum, & multa inconuenientia huiusmodi, sicut sæpe experimur. Spiritualis vero amor pacificus est, tractabilis, ignoscens errori & infirmitati proximi, & in spiritu lenitatis instruens in aliquo præoccupatum delicto. Sextum est munuscula & dulces litteræ amatorij dictaminis, conuiuiola, & morselli ab ore dilecti rapti, & quælibet alia quæ dilectus contrectauit, vel quibus vsus est; quæ quasi pro reliquiis venerantur, & pro memoriali conseruantur pro incentiuo continui amoris. Et contra sicut dicit Hieronymus, Crebra munuscula, & fasciolas, & zonas, & prægustatos cibos, & dulces & suaues amoris litteras sanctus amor non habet. Puræ orationes, ædificatoriæ, & in spiritu instructiones, & in necessitate piæ subuentiones sunt spiritualis amoris fulcimenta. Septimum est inordinata dissimulatio vitiorum adinuicem, scilicet quod ita se diligunt mutuo, quod etiam vitia sua diligunt & fouent: & excusant & astant sibi mutuo contra arguentes & corrigentes ea, confœderati ad malum, sicut fur furem, adulter adulterum diligit in malo. Spiritualis autem dilectio cum omnium vitia detestetur, singulariter tamen odit ea in specialiter dilectis. Sicut enim pater magis dolet deformitatis maculam in filio, quam in alieno: sic Deus peccata omnium odit, & tamen quodammodo durius punit ea in amicis suis singularibus, quam in aliis. sicut apparet in Dauid qui grauissime pro peccatis punitus est. Apocal. Ego quos amo, arguo & castigo. Ostensis ad cautelam carnalis amoris indiciis, quæ se quandoque palliant sub specie spiritualis, dilectionis profectus considerando redeamus, & quibus gradibus constant, videamus.

Hiero. to. 1 epist. 2. ad Nepot.

2. Reg. 12. b, & 16. d

Apoc. 3. d

CAPVT XXVIII.

De gradibus dilectionis proximi.

Primus gradus. DIlectionis proximi primus gradus esse videtur, Nullum odire, nulli malum cupere, nullius velle bonum impedire, in necessitate proximo auxilium subuentionis nõ subtrahere: & breuiter, vt nulli faciat malum, vel cupiat cum voluntatis consensu, & bonũ proximo optet & faciat, sicut sibi velle deberet, si indigeret. In his duobus consistit impletio illius præcepti. Diliges proximum tuum sicut teipsum. scilicet quod tibi odis ab alio fieri, tu ne alteri facias. & quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est Lex & Prophetæ. Hoc enim docet lex naturæ & scripturæ, pariter secundum expositionem sanctorum orthodoxorum. Profectus dilectionis est, sic alterius profectui congaudere; & bonum alterius diligere quasi proprium, & sic eius aduersitati compati sicut propriæ, vel aliena lucra, sua deputare ex affectione pietatis. Ad Romanos: Gaudete cum gaudentibus: flete cũ flentibus, id ipsum inuicem sentientes. Item sic bona aliena vel mala sentire sicut propria. Ad Corinthios: Quis enim infirmatur, & ego non infirmor, &c. Vbi autem talis inest affectus, ibi necessario non deerit subuentionis effectus, quantum patitur opportunitas. Sicut enim sana membra corporis congaudent sibi: & compatiuntur mutuo: ita apparet illum affectum sanatum esse à stupore insensibilitatis vitiosæ, qui iam nouit intelligere quæ proximi sunt ex seipso. Ad Ephesios: Sumus enim inuicẽ membra. Vnde Dominus noster Iesus Christus, à quo omnis doctrina perfectionis nobis influit, sicut membris à capite sensus & motus, deputat sibi fieri quicquid membris etiam infimis infertur: sicut ipse dicit, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Perfectio dilectionis proximi est, diligere inimicos ex affectu, & ea dulcedine erga odientes & persequentes se affici, sicut erga singulariter dilectos, & non solum res temporales, sed etiam corpus pro fratribus ponere paratum esse, non tantum pro spe præmij martyrij, sed magis pro affectu fraternæ salutis. Hanc Christus docuit, qui pro peccatoribus inimicis suis mori dignatus est: vt illa peccata, quibus ipsum offendimus & contempsimus, expiaret. Ioannes: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Hanc didicerunt ab ipso sancti, qui se morti pro fratribus obtulerũt, qui se in seruos pro aliorum redemptione vendiderunt: vt Paulinus, qui vt aliorum fami consuleret, ipse fame cruciabatur: qui pro interfectoribus suis deuote orabant; & sua benignitate inimicorum sæuitiam lenire, & malum in bono vincere studuerunt. Hanc Ioseph patriarcha, Moyses, Samuel, & Dauid, Iob, & alij quamplures sancti multipliciter ostenderunt. Et reuera tales sunt vere sapientes, qui sic diligunt inimicos: quia centies maiora bona præstant eis persequendo quam subueniendo: sicut qui raperet mihi talentum plumbi, & poneret in eundem locum talentum auri puri. Quid potest homini sancto nocere inimicus? Honorem mundi, vel delicias, vel diuitias, ex quibus nutritur carnalis concupiscentia, potest ei aduersarius subtrahere, spoliando, detrahendo, persequendo: sed ista sancti non amant: ideo non contristantur, cum ista subtrahuntur eis. Nam si ista quæ mundi sunt, diligerent, & de amissis valde dolerent, non esset charitas Dei Patris in eis. Cum ergo aufert eis mundana inimicus, quæ eis sunt odiosa, & onerosa, cumulantur eis dona spiritualia, & merita cœlestia. Vnde Dauid: Iudicia Domini vera iustificate in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & desiderabilia super mel & fauum. Et qui occasionem dat homini tanti lucri, merito est ei diligendus. Matthæus: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, & cetera.

Mat. 19. c
Mat. 22. d
Tob. 4. c
Mat. 7. b

Secundus gradus.

Rom. 12. c

2. Cor. 1. g

Eph. 4. e

Mat. 25. d
Gradus tertius.

Ioan. 15. b

Greg. lib. 3 Mor. ca. 1.

Psal. 18. b

Mat. 5. g

CAPVT XXIX.

De humilitate.

NVnc dicendum de humilitate: vbi sciẽdum, quod vera beatitudo consistit in cognitione summæ veritatis, & dilectione summæ bonitatis, & in fruitione æternæ iucunditatis. Omnes autem virtutes ordinant nos ad ista tria: & ideo quanto quisque magis fuerit ordinatus in virtutibus, tanto magis capax erit supernæ beatitudinis. Sicut ergo charitas ordinat nos ad bonitatem, ita humilitas habet nos ordinare ad veritatem. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio. Bernardus: Humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione sui sibimetipsi vilescit. Duo sunt quæ admonent nos vt humiles simus: videlicet, quod sumus, & quod nõ sumus. Quod sumus, non habemus à nobis, nec ex meritis nostris: & ideo nõ oportet nos inde extolli, quia alienæ potestatis est & bonitatis quidquid boni sumus & habemus: & inde solus ille extollendus est, cuius gratia sumus id quod sumus. Hæc est humilitas sanctorum & magnorum, qui quanto maiores se vident, tanto magis humiliant se in omnibus quæ habent, totum reddẽtes illi à quo totum habent: quia furti reus est, qui sibi aliquid retinet de his, quæ sibi commodata sunt inuito domino, cum ipse dicat: Gloriam meam alteri non dabo. Profectum nobis libenter communicat in donis suis, sed gloriam sibi seruat. Quod autem non sumus, similiter monet nos humiliari: quia vana & inanis gloria est, extolli de eo quod non est, velut si lutum glorietur se esse aurum, & nanus iactet se esse gigantem, & mendicus credat se esse regem, & æthiops niue candidiorem. Apocalypsi: Dicis quia diues sum, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Hæc humili-

Humilitas quid.
Tract. de 12. gradib. humilitatis & superbiæ.
Humilitatis duæ causæ in nobis.
Humilitas sanctorum.

Isa. 42. b

Apoc. 3. d

Humilitas imperfectorum.

humilitas est pauperum & imperfectorum, qui considerata sua inopia & imperfectione, in comparatione sublimitatis aliorum, resiliunt in se, & ex iudicio veritatis sibimetipsis vilescunt. Sic Dominus nos cæcos natos, per nostri ignorantiam, illuminat, lutum, vnde facti sumus liniendo super oculos nostros: vt primo incipiamus nos ipsos agnoscere, deinde ipsum illuminatorem nostrum credendo proni adorare. Ex luto visum recipit, qui ex conditionis propriæ fragilitate seipsum humiliatus agnoscit.

Ioan. 9. a

CAPVT XXX.

De humilitate ad nos ipsos.

TRIPLICEM vero humilitatem habere debemus. Humiles enim esse debemus in nobis, humiles ad proximum, & humiles ad Deum. In nobis debemus esse humiles, nosmetipsos ex consideratione propriæ vilitatis despiciendo: vt omnia quæ in nobis despicabilia agnoscimus, tam in naturalibus defectibus, quàm fortuitis, & maxime culpabilibus & vitiosis diligenter attendamus, vt ex eorum intuitu apud nos humiliemur. Secundo, in nobis simus humiles, mores & gestus humiles habendo, & verba humilia & responsa. Vnde Dauid: Quasi lugens & contristatus sic humiliabar. Tertio, vt in humilibus obsequiis, operibus, & officiis nosmetipsos exerceamus, in quibus apparet vilitas, & quæ alii horrent & despiciunt: vt sordes purgare, rusticalia opera facere. & vestibus viliotibus contentos esse, & cibis & aliis similibus. Vnde Dauid: Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.

Psal. 34. c

2. Reg. 6. d

CAPVT XXXI.

De humilitate ad proximum.

AD proximum debemus esse humiles. Primo, meliores & digniores ipsos nobis reputando, non eos despiciendo, vel temere iudicando. Vnde Apostolus ad Philippenses: Humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes. Secundo, honore exteriori inuicem præuenientes, reuerendo, inclinando, locum primum vbique præbendo, non eis detrahendo, sed obediendo, obsequendo, promouendo: & eos apud cæteros exaltare, & facta eorum commendare, laudare, & extollere, dummodo bona sint, & mala eorum tegere, non ficte, sed pure. Tertio, patienter eorum infirma opera tolerare, & læsiones sustinere, si quas inferunt nobis, & malum pro malo non reddere, nec odium, nec iurgia, nec clamores contra eos exercere, & correptiones eorum patienter recipere. Psalmus: Cum mihi molesti essent, humiliabam animam meam. Item proximorum alii sunt æquales nobis, alii superiores, alii subditi. De æqualibus plana est regula prædicta. De superioribus addit Apostolus; scilicet Obedite præpositis vestris, & subiacere eis. Obedire pertinet ad impletionem iussionis eorum, subiacere & humiliter eis subesse, quasi vicariis Dei omni subiectione secundum Deum. De prælatis ergo tres regulas nota: Prima Ecclesiastici: Rectorem te posuerunt, esto inter illos quasi vnus ex eis. Secunda, ad Thessalonicenses: Facti sumus paruuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos, &c. Tertia, Lucæ: Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Secundum has tres regulas rector inter subditos sit, quasi vnus ex illis communis in victu, in vestitu, in labore, & in aliis exterioribus. Sicut paruulus in medio eorum; vt ex hoc quòd præest eis, non putet se sanctiorem, vel aliis sapientiorem vel digniorem, sed viliorem & obligatiorem in reddendo rationem pro se, & pro illis. Sit quasi ministrans in medio eorum, infirma eorum portando, & curando, & exemplo præeundo.

Philip. 2. a

Psal. 34. c

Heb. 13. c

Regulæ tres omnibus Prælatis obseruandæ.

Eccl. 32. a
1. Thes. 2. b
Luc. 22. c

* * *

CAPVT XXXII.

De humilitate ad Deum.

AD Deum debemus esse humiles. Primo, vt ipsum esse Deum, ac Dominum, & iudicem nostrum humiliter cognoscamus, & ei in omnibus obediamus, sicut serui domino suo, & opus factori suo: & si peccauerimus ei, vt cito & digne pœniteamus, & satisfaciamus, & emendemus. Secundo, vt flagella eius humiliter toleremus, & non remurmuremus correpti: sed iustum eius iudicium commendemus, & nos correptione dignos agnoscamus, dicendo: Iram Domini portabo, quoniam ipsi peccaui. Tertio, vt de beneficiis eius non extollamur: sed agnoscamus quod non pro merito nostro, sed pure pro sua bonitate dilexit nos, & elegit nos, & vocauit nos, & iustificauit & magnificauit nos. Vnde debemus ei gratias pure & humiliter referre, & nihil nobis de bonis eius ascribere arrogando. Vnde Psalmus: Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.

Mich. 7. b

Rom. 8. f

Psal. 113. b

CAPVT XXXIII.

De triplici gradu humilitatis.

LICET autem ex prædictis possint gradus humilitatis discerni, tamen vt magis in promptu sint ad intuendum, nota tres gradus humilitatis, licet multum inter se distantes. Primus est, vt homo se, quod est vilem, infirmum, inopem boni vitiosum, peccatorem, & aliquos alios defectus habeat, agnoscat & sciat: & nò mentiatur sibi, esse se maiorem quacumq; dignitate fulgeat, & non eleuet se supra se, quasi in ventum, vel super alios insolenter; nec vanas laudes hominũ vel honores quærat, & si aliquando delectat eum aliquod istorum, semetipsum redarguat & castiget quasi deceptum, & in quo veritas non sit. Vnde Psalmus: Filii hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Cum enim Deus omnia possit, vt quid non fecit nos æquales Angelis in gloria, nisi vt ipsa depressio nostra humiliet nos, ne eleuemur sicut seducti & seductores Angeli, & corruamus & pereamus? Inde est, quòd cum Deus in Baptismo tollat penitus reatum peccati originalis, pœnam tamen corruptionis non tollit in hac vita: vt semper maneat nobis ad memoriale humiliationis, quo cauti simus, ne superbiamus sicut primi parentes nostri, ex quorum superbia & transgressione omnes corruimus in culpam, & pœnam miseriæ quam portamus, & adhuc deteriora, nisi Deus auertat. expectamus. Secundus gradus potest dici, cum non solum seipsum agnoscens homo, spernit se pro vilitate sua, sed etiam ab aliis sperni se patienter accipit; imo quia veritatem amat, & se priuato amore non diligit contra veritatem, etiam desiderat ab aliis reputari talis qualem se reputat, scilicet vilem, vitiosum, & ignobilem, & qualem seipsum homo in veritate cognoscit, in quantum credit agnoscenti non obesse. Gregorius: Sicut superbi honoribus, ita plerumque humiles sui despectione gaudent: quia iudicium quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari. Item cum dolet homo, & fastidit honores sibi exhibitos, & vilipendit. Iste gradus altus est, & satis rari sunt, qui eum ascenderunt, etiam inter religiosos & bonos. Vnde non est mirum, si inopes simus virtutum, cum matrem & custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quod ille qui est diues in misericordia Pater cœlestis, qui etiam pro dilectione qua dilexit nos, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid, inquam, causæ est, quod nos tam inopes gratiarum & virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in causa est, quod non instanter quærimus eum, vt debemus: aut superbia; quia etsi quærimus instanter, videt tamen nos Deus pronos esse, vt inde extollamur,

Primus gradus suam agnoscere vilitatem.

Psal. 4. a

Secundus gradus est sui gaudere contemptu.

Greg. lib. 1. dialog. c. 5.

Humilitas virtutum mater & custos.

Rom. 8. f

Cur simus virtutum inopes.

tollamur, & fieret nobis ipsa donorum eius sublimatio altioris occasio ruinæ. Altiora ædificia profundiori fundamento indigent, & arbor excelsa, si radicata profunde non fuerit, facilius ventorum impulsu euertitur. Qui ergo cito desiderat virtutis culmen attingere, studeat se in humilitatis fundo solidare: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Tertius gradus humilitatis est, quando etiam in magnis virtutibus & donis & honoribus homo nihil extollitur, nihil sibi ex hoc blanditur, totum illi refundens, & in integrum restituens, à quo fluit omne bonum. Talis fuit humilitas B. Virginis, quæ cum electam se sciret, vt mater Dei fieret, ancillam eius humiliter se recognouit dicens: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Talis est humilitas Christi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed seipsum exinaniuit, &c. Matthæus: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Talis est humilitas Angelorum & Sanctorum in gloria, qui cum sint pleni summo bono, & honore summo sublimati, nullum motum habent de hoc superbiæ, sed sunt in se eo humiliores quo altiores in Deo: vnde & ouibus in montibus in Euangelio assimilantur. Ouibus propter humilitatis mansuetudinem, in montibus propter altitudinem dignitatis. Hæc est humilitas perfectorum, qui quanto maiores sunt, tanto magis humiliantur in omnibus; in sensu, in affectu, in verbo, in actione, in habitu. Vnde Psalmus: Domine non est exaltatum cor meum, &c. Si enim humiliatur & despicit se, qui non habet vnde glorietur, sed multa habet vnde confunditur; licet bona sit ista humilitas, tamen non miranda. Vt si filius rustici non vult filius regis putari, laudanda est in eo simplex puritas, sed non prædicanda, nec ex hoc miranda humilitas. Item si pauper se pauperem reputat, & ab aliis vult pauper agnosci, veritati consentit in istis: sed non est admirationi talis humilitas. Si vero diues se pauperibus conformat, & altus nihil altum sapit, & gloriosus nihil de gloria sibi attribuit, sed totum refundit ei, à quo habet vnde gloriosus videtur; hic est humilis non cogente necessitate, sed veritatis charitate.

Prou. 3. d *Iac. 4. b* Tertius gradus est magnis virtutibus non efferri. *Luc. 1. e* *Philip. 2. a* *Matt. 11. d* *Matt. 18. b* Humilitas perfectorum. *Psal. 130. a*

CAPVT XXXIV.

De patientia.

Ex charitate & humilitate nascitur virtus patientiæ: hæc ordinat nos ad fruitionem summæ pacis. Nihil enim pati molestiæ, est pacem habere: quod fit duobus modis, scilicet aut nullam molestiam sentiendo, quod erit tantum in patria: aut molestias moleste non ferendo, quod est magnanimorum etiam in via; & hæc est patientia. Magnanimus enim est qui ad vniuersa sustinenda patiens est, qui nullis passionibus perturbatur. Patientia est æternæ gloriæ respectu, voluntaria & insuperabilis perpessio laborum. Patientia alia est simulationis, alia necessitatis, alia virtutis. Simulationis est, quando aut pro humana gloria aliquis patientem se in aduersis ostendit, aut cum interim dissimulat iniuriam quam patitur, vt in aliud tempus opportunum differat vltionem. Gregorius: Qui mala proximi ita tolerat, vt tamen intrinsecus doleat, & tempus retributionis exquirat, patientiam non exhibet, sed ostendit. Patientia necessitatis est, cum aliquis ideo aduersa vlcisci non præsumit, quia non potest, vel non audet, timens sibi maius ex hoc imminere dispendium, vel commodum deperire: vt serui à dominis verberati, vel pauperes à diuitibus obiurgati, vel discipuli à magistris castigati. Patientia virtutis est, de qua B. Augustinus ait in libro De patientia: Patientia est, qua mala æquo animo toleramus: hoc est, sine perturbatione tristitiæ. Prima vitiosa est, & meretur supplicium: secunda cauta, & euadit temporale dispendium; tertia virtuosa, & meretur gratiam in præsenti, & gloriam in futuro.

Magnanimus. Patientia quid & quotuplex. *Greg. hom. 35. in Euāg. in med.* *Aug. to. 4. de patient. c. 1.*

CAPVT XXXV.

De probatione patientiæ.

Omnis passio, aut est ex eo quod negantur, vel auferuntur nobis concupita & amata: aut quod inferuntur & intentantur nobis odio habita & nociua, quæ possumus diuidere in quinque, in quibus patientia discernitur vel probatur. Primum est, corporis læsio: secundum, temporalis penuria substantiæ: tertium, detrimentum honoris: quartum, carorum offensio, vel subtractio: quintum, tranquillitatis mentis quæcumque perturbatio. Istud tamen omnia priora sub se continet, licet etiam per se singulariter aliquoties valeat discerni, & sine aliis reperiri: vt sublata aliqua lætitia vel consolatione minus vtili, vel nociua verbi gratia: vt cum propter pluuiam, vel aliam innoxiam causam nō possumus spatiari, vel alios conceptus animi perficere pro libitu. Cum autē turbamur pro defectu iustitiæ, vel nocumento salutis æternæ, hæc turbatio non est impatientiæ deputanda, sed zelo iustitiæ & virtutis, nisi sit immoderata, vel indiscreta. Vnde ad Corinthios: Tristitia quæ est secundum Deum, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, &c. Patientia directè opponitur vitio iræ, sicut charitas Dei opponitur acediæ, & charitas proximi inuidiæ, humilitas superbiæ. Sicut autem iræ vitium hominem stultum, & furioso similem reddit iuxta illud Iob: Vere stultum interficit iracundia: ita patientiæ virtus sapientem ostendit. Prouerbia: Doctrina viri per patientiam noscitur. Sicut ergo pro prædictis quinque causis se non turbare, virtus patientiæ est; ita pro defectu iustitiæ non turbari, vitium est teporis, vel obstinationis. Pro se enim quilibet cōtristari debet pro præteritis defectibus iustitiæ, & tunc est virtus pœnitentiæ: pro præsentibus, & tunc est feruor proficiendi: pro futuris, & tunc est cautela timoris. Item pro proximis contristari debet homo, moderate tamen pro temporalibus eorum defectibus, amplius autem pro spiritualibus, & quæ pertinent ad salutem animæ. Ad hoc autem maxime prælati tenentur, qui si patienter subditorum vitia tolerent non corrigendo pro posse, ex hac patientia non gloriæ meritum sperare debent, sed iram Dei; cuius damna, & iniurias cum cauere & prohibere debuerint, tolerando fouerunt. Vnde & Heli, quia filiorum suorum mala non acriter redarguit, iram Dei cum pœna sensit. Et quamuis aliqua differentia esse videatur inter patientiam, & fortitudinem, & constantiam, & magnanimitatem, & longanimitatem, & mititatem, & mansuetudinem, sicut etiam ex eorum definitionibus colligitur, tamen sæpe vnum pro altero ponitur, & mutuo se inter se definiunt, vel describunt. Patientia, est honestatis causa, rerum difficilium voluntaria perpessio. Fortitudo, est immobilis inter aduersa animi laborum & periculorum æqua susceptio. Constantia, est inter fluctuantes causas & personas nulla mentis trepidatione concuti. Magnanimitas, est difficilium spontanea, & rationabilis aggressio. Longanimitas, est spes cum longa expectatione bonorum. Mititas, est quam mentis asperitas, seu amaritudo non afficit. Mansuetudo, est animi tranquillitas, alterius non cedens improbitati. Possent etiam singula istorum singulis tolerandis quoquo modo appropriari. Verbi gratia: Patiens dici potest, qui dolores æquo animo tolerat, vt Iob, Tobias. Fortis, est quem tentationum certamina non eneruant, vt Ioseph. Constans, quem terrores & labores non pusillanimem faciunt, vt Machabæi. Magnanimus, qui ardua & difficilia aggredi non expauescit, vt Dauid, Ioannes Baptista. Longanimis, quem longa expectatio à spe desiderii non frangit, vt Abraham. Mitis, est qui obedientium iaculis nequaquam irritatur, vt malum pro malo retribuat, vt Moyses. Mansuetus, qui corde tranquillus est, & moribus tractabilis, vt Iohannes Euangelista.

Passio vnde nascatur. *2. Cor. 7. c* *Iob 5. a* *Prou. 19. b* Patientia sapientem virum ostendit. *1. Reg. 4. d* Patientia cæteris virtutibus est affinis.

CAPVT XXXVI.

Ad quid valet patientia.

Patientiæ effecta.

VALET autem virtus patientiæ ad multa. Primo tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda: quia aduersitas, quando cum impatientia est, triplex incommodum dat: extrinsecus homo affligitur, & intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. Secundo, patientia est magna mentis refectio: quia sicut corpus pascitur conuiuio, ita mens virtutum dapibus saginatur. Tertio, magna est ædificatio proximorum, & tanto maior, quanto rarior. Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, eleemosynas facientes, orationibus instantes, bona dicentes, fide constantes: sed paucos admodum in contumeliis, & detractionibus, & despectionibus humiliter patientes. Excusamus & defendimus nos, ne forte alii scandalizentur de nobis, putantes nos esse culpabiles, si taceamus: cum ex hoc magis reprehensibiles iudicemur, quòd per impatientiam nos vindicamus, & mordentes nos acriter remordemus. Sicut dicit Gregorius: Imitanti Deum gloriosius est iniuriam tacendo sustinere, quàm respondendo superare. Quarto, patientia purgat peccata præterita, & præcauet à futuris. Quinto, auget gratiam in præsenti virtutum, & spiritualium donorum. Iuxta illud Psalmi: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Sexto, meretur magnam gloriam in cœlo. Lucas: Gaudete & exultate, ecce merces vestra multa est in cœlis. Septimo, singularis est retributrix passionis Christi. talia enim studet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores nostros portauit. Et hæc est singularis lætitia Sanctorum in tribulatione patientium & gaudentium, quòd sic occasionem habent, & opportunitatem aliquo modo retribuendi Domino pro illa magna charitate, qua pro nobis animam suam posuit, saltem aliquid sustinendo: quia bonorum nostrorum non indiget, vt aliquid ei de nostro dare possimus. Cum in iudicio veniens, ostendet indicia passionis suæ omnibus, magna erit confusio illis, qui pro ipso nihil pati voluerunt: & magna gloria illis, qui pro ipso multa & magna patienter sustinuerunt. Signum etiam specialis dilectionis videtur, cui dat Dominus aduersa pati, quasi impartiri ei dignetur partem oneris sui portandi, sicut ille Simon Cyrenæus crucem Dominicam portauit. Solent enim socii in via, cum lassantur, rogare eos, quibus plus confidunt, & quos diligunt specialius, vt partem oneris sui pro se ad horam ferant: vt hoc quasi indicium sit illis, quòd maiorem habeant de eorum dilectione fiduciam, quibus onera sua portanda imponunt, quàm de illis quibus formidant imponere, ne forte nolint æquo animo portare. Sic & Dominus qui nobiscum est omnibus diebus in via hac qua ambulamus, lassatus vsque ad mortem labore suæ passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, & onus tribulationum suarum, quod adhuc in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, sustinet, secum portare: quia hanc passionem, quam caput in se pro nobis instituit, & sustinuit in carne, diuisit per omnia membra fidelium suorum: vt sicut oportebat pati Christum, & ita in gloriam suam intrare, ita & membra eius, si capiti fideliter compatiantur, & conglorificabuntur: sicut socii fuerint passionis, ita & resurrectionis erunt. Qui enim plus compassus CHRISTO fuerit, etiam propius cum eo regnabit.

Patientia rara est. — Greg. hom. 18. in Euangel. — Psal. 63. d — Luc. 6. d — Isa. 51. b — Psal. 15. a — Mat. 24. c — Luc. 23. d — Mat. 27. — Luc. 24. d — Rom. 8. c — 2. Cor. 1. b

* *
* *

CAPVT XXXVII.

De gradibus siue profectibus patientiæ.

Gradus I. In verba & facta illicita non erumpere.

GRADVS siue profectus patientiæ. Primus, vt dicat homo motus iræ & impatientiæ per pugnam cohibere & reprimere, ne erumpat foras in verba, vel facta illicita. Sicut ignis suffocatus fumo suo extinguitur, si autem non cohibetur, crescit, & omnia quæ attingere poterit cremabilia incendit. Quatuor autem modis solet ignis extingui perfusione, obstructione, dissipatione, & defectu materiæ. Simili modo ignis impatientiæ deferuescere consueuit. Perfusione prudentium consiliorum: vt mature deliberet homo, quantum ei nocere possit impatientia & quantum patientia prodesse. Quæ quia superius de remediis dicta sunt, prætereo immorari. Obruitione vel obstructione oris & labiorum, ne lingua prosiliat in verba falsa & nugigerula, vel ne manus erumpat in facta furibunda. Vnde Psalm. Pone Domine custodiam ori meo. Dissipatione, vt ad alios actus vel tractus homo se conuertat, quibus abstractus obliuiscatur materiæ, qua succensus est ad iram: sicut cum ligna dissipantur à se inuicem, ignis diuisus deficit. Defectu materiæ, vt homo abstrahat se ab illis negotiis & cupiditatibus, quæ solent ministrare occupationes iræ & impatientiæ. Prouerb. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto, iurgia conquiescunt. Susurratio est occulta suggestio, quæ hominē instigat ad materias litium. Secundus gradus patientiæ est, cum ex longo vsu patiendi & impatientiam refrenandi, homo didicerit iam non terreri vel turbari aduersis; sed quasi in loco munito inconcussus circumcursitantes aduersarios intuetur, quos nihil sibi posse nocere confidit. Tamdiu autem homo aduersis terretur, quamdiu aliquid diligit temporale in se vel extra se, quod timet perdere, vel dolet, vt corpus, res, honores, amicos & propriam voluntatem. Qui autem ista inordinate non diligit, sicut non valde delectatur in eis, ita nec grauiter contristatur pro eis: sicut qui vxorem non dilectam habet, nec de vita eius iocundatur, nec de morte contristatur. Quid igitur potest tibi aduersarius nocere, vnde turberis? Si odit te in corde suo, malum suum intra semetipsum clausum est, & nihil te tangit pœna illius. Tantum tu esto in pace apud te. Ignis in sinu alterius inclusus illum vrit non te. Si verbum dixerit contra te, ventus sonans pertransit per aerem, non iaculum tibi infixit. Sicut ergo rideres, si iaculum contra te missum casso vulnere aerem feriret, & te non contingeret; ita facito ad verba maledicorum. Canis latrat contra te, & ridendo pertransit; si detrahit tibi absens, non turberis; te læsit, tibi non nocuit. Ipse prodit se esse inuidum & detractorem; & se apud intelligentes magis odibilem & contemptibilem reddit, & sic vindicauit te de seipso. Tace ergo, & alii pugnabunt pro te, & Dominus conteret aduersarium tuum. Si autem incipis cum eo remordendo contendere, qui prius tibi compassi sunt, stabunt & aspicient vos compugnantes, sicut duos gallos, & ambos vos despicient, & odient, & impatientiæ & inuidiæ arguent. Si ergo times detractori contra te credi, sustine humiliter, & patientia tua tollet suspicionem, vel mitigabit præsumptionem de te in cordibus aliorum. Si autem cor tuum vritur intus ex rancore, reprime intuitu secuturæ vtilitatis, sicut qui vritur vel secatur pro aliquo apostemate sanando, tolerat breuem dolorem pro spe salutis obtinendæ. Et sicut oportet nos pati morsus pulicum & similium bestiolarū, sic etiam sustineamus cum patientia punctiones vilium detractorum. Inopes honoris non possunt sine inuidia pati laudes meliorum, quas cum ipsi habere non valent, dolent se solos confundi: vellent secum socios habere miseriæ pro solatio, & ideo detrahunt aliis, sicut deformis vellet sibi alios esse similes. Corporis autem dolores & rerum amissionem, & amicorum offensas, & confusiones patienter tolerare, supradictis remediis disci-

Quomodo ignis ita impatientia extinguitur. — Psal. 140. a — Prou. 26. c — Susurratio. — Gradus II. Patientiæ non terreri aduersis nec turbari. — Obserua.

tur, & maximè vsu sæpe talia sustinendi. Vix enim aliquid in hac vita tam asperum est, quod vsu & studio patientiæ non fiat leuius ad portandum. Iuxta illud: Quod male fers, assuesce & feres. In isto gradu nec perturbatur homo aduersis nec gaudet: sed sustinet & tacet. Tertius gradus patientiæ est, gaudere in tribulationibus: & gloriari cum adsunt, & desiderare cū desunt. sicut famosus & nobilis tyro gloriatur cū debet tyrocinium cōtra aliū nobilem exercere. Iob: Quis det, vt veniat petitio mea, &c. Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat. Ad Cor. Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis & necessitatibus, in angustiis, in persecutionibus pro Christo. Deuteron. Immolabunt victimas iustitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent; qui excrescente amaritudine cuiuslibet aduersitatis quasi lacte consolationis hilarescunt. Et hi victimas iustitiæ immolant: quia secundum beatum Gregorium, maioris est meriti aduersa patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare. Qui ergo ex desiderio placendi Deo, sibi aduersa aliquando infert castigando corpus, & mentem mœrore & contritione afficiendo; cur non etiam libenter sufferat, cum ab alio infertur ei occasio patiendi, vnde vel corpus affligitur, vel animus humiliatur, cum maioris sit meriti hæc pati æquanimiter ab alio quàm à semetipso? Et qui semetipsum vilem & reprehensibilem iudicat, cur non patienter accipit, quando alius idem sibi infert, quod de seipso sentit? cum nullius iudicium tam timendum sit post Dei, sicut suiipsius? Conscientia enim cuiuslibet grauior in iudicio, quàm omnium aliorum erit præter Deum. Hic apparet quod rara virtus perfecta. Vera enim humilitas sic gaudet ab alio humiliari, sicut à se, & vera patientia ita libenter sustinet aduersa ab aliis illata, sicut à se procurata, quantum spectat ad se.

Grad⁹ III. Patientiæ gaudere tribulationibus. Iob 6.b 2.Cor.12.c Deut.33.c

CAPVT XXXVIII.

De obedientia.

ET quia obedientia ex charitate, & humilitate & patientia nascitur, de ea aliquid ad ædificationem aliorum breuiter videamus: quia in omni religione summe vtilis & necessaria est. Obedientia igitur est propriæ voluntatis subiectio arbitrio superioris ad licita & honesta. Obediendum est autem soli Deo propter se, cuius serui sumus proprii; vel creaturæ rationali vice Dei, Angelo vel homini, in his quæ Deus à nobis requirit, & quæ ad Deum ducunt.

Obedientia quid.

CAPVT XXXIX.

Cur sit obediendum aliis.

RATIO obedientiæ triplex est. Vna quia omnis creatura ita est ordinata à Deo, quòd licet ipse Deus omnibus & singulis ita præsit, vt ab ipso solo accipiunt, quod sunt & habent & possunt; tamen propinquiora sibi non loco, sed similitudine, plenius accipiunt ab ipso, quod inferioribus & sibi propinquioribus influant; & illa iterum suis inferioribus vsque ad infimum: vt inferiora superioribus subdita sint, & superiora inferioribus præsint, & ea regant; vt summa mediis, & media præsint imis. Sic Angeli superiores inferioribus præsunt; & cœlestia terrenis; & irrationabilibus rationabilia. Genes. Faciamus hominem, &c. & præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis terræ. ad Roman. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Substantia enim diuina ita eleuata & segregata est ab omni creato, quod inferiora immediate motum eius sustinere vel suscipere non possunt, nisi mediantibus superioribus, cum ipse immotus in se omnia ineffabiliter moueat & gubernet: ita vt nihil sit omnibus eo præsentius, & nihil incomprehensibilius.

Alii aliis cur debeant subiici. Gen.1.c Rom.13.a

Secunda ratio est, quod cum nondum sit omnibus datum esse docibiles Dei, ne ignari errent à via Dei, quia necesse est eos peruenire ad gloriam cœlestem, expedit vt sequantur ducatum Doctorum suorum: sicut cœcus dat manum ductori ne cadat, vel impingat, vel erret.

Tertia ratio est, vt homo qui sub Deo esse noluit peccando, & ita superbiendo gratiam Dei perdidit, satisfaciat ei, subiiciendo se homini propter Deum: & ita per humilitatis meritum, gratiam Dei recuperet quàm amisit. Quanto maior autem & purior fuerit humiliatio & promptior, tanto plenior erit gratiæ recuperatio, & gloriæ remuneratio. Magnitudo humiliationis attenditur in difficultate iniuncti operis; puritas in simplicitate intentionis: promptitudo in alacritate executionis.

CAPVT XL.

De triplici obedientia.

EST autem triplex obedientia, scilicet necessitatis, cupiditatis, & charitatis. Necessitate obedit, qui cogitur inuitus; & libenter esset liber, si posset, vel auderet: vt asinus, & serui maleuoli & similes. Cupiditate obedit, qui mercede terrena, vel pro commodo corporis vel consolatione exteriori libenter facit, quod iniungitur: vt canis & accipiter, & mercenarii, & similes illis. Quanto autem obedientia plus habet de temporali commodo vel solatio, tanto minus habet de merito coram DEO. Merces primi est euasio pœnæ, quam timet incurrere, si non obediat. Merces secundi, est spes adipiscendi quod desiderat obediendo obtinere; vt munus vel solatium temporale. Obedientia charitatis est, quando ex charitate Dei, & propter Deum, & propter diuinam remunerationem obeditur, large sumto nomine charitatis, quo tam timor pœnæ quàm desiderium præmii, quàm affectus amoris Dei includitur. primum est incipientium, secundum proficientium, tertium perfectorum. Item alia est distinctio obedientiæ. Alia est generalis, alia generalior, alia generalissima. Item alia specialis, alia specialior, alia specialissima. Generalis est illa, qua omnes fideles in Ecclesia generaliter obligātur obedire suis prælatis, Papæ, Episcopis, & Plebanis, in his quæ canones præcipiunt, & iura pro omnibus promulgata. Generalior est, qua omnis creatura ratione vtens, tenetur voluntatem propriam voluntati sui conditoris conformare ex arbitrii libertate: vt Angelus & homo. Generalissima est, qua omnis creatura obedit suo Creatori; siue naturali motu insitæ conditionis, vt irrationabilia: siue impulsu potentiæ præsidentis, vt dæmones & maleuolæ mentes; quæ etsi quandoque volunt, quod Deus non vult, non tamen possunt, nisi quod Deus vult. Specialis est illa, qua clerici specialiter tenentur ad obedientiam suorum Prælatorum, in his quæ ad officium eorum spectant, & ad ordinem clericalem: vt continenter viuere, & debitam tonsuram deferre, & similia in sacris canonibus pro eis statuta. Specialior est illa, qua propria voluntate obligat se aliquis certæ personæ vel religioni, ad obseruantiam limitatam pro arbitrio vouentis determinatam: vt, Promitto tibi obedientiam in istis, & non in aliis; vel tanto tempore, & non vltra; vel tali conditione & non aliter; vel in his quæ regula illa iubet, & non amplius. Specialissima obedientia est illa, qua sine exceptione promittit, quis obedientiam ad omnia, quæ non sunt contra animam suam & regulam talem: vbi tam ad ea quæ sunt regulæ, quàm ad alia quæ iubentur, se obligat bona quæ conueniunt rationi, & liberi arbitrii subsunt potestati: cum ad irrationabilia vel impossibilia nemo debeat cogi, sicut ad illicita nemo debet obedire.

Obedientiæ distinctio.

CAPVT XLI.

De triplici gradu obedientiæ.

PROFECTVS vel gradus obedientiæ, quantum ad illa, in quibus obediendum est, colligi possunt ex

prædictis, id eſt, obedire ad præcepta, & obedire ad omnia bona & poſſibilia. Quantum vero ad mentem vel affectum obedientis, breuiter videamus, qui ſunt obedientiæ profectus. Quanto autem quis altius in obedientiæ virtute profecerit, tanto ei Deus erit exorabilior, & omnis creatura ad obediendum homini ordinata ſubiectior & obſequioſior. Infimus obedientiæ gradus eſt, ex timore ſupplicii obedire: ſicut illi qui tantum obediunt ſuperioribus ſuis in his quæ præceptorie iuſſerint: ad alia vero tepidi ſunt & negligentes, niſi in quantum cõmunis conſuetudo cogit, vel pudor humanus impellit, vel timor temporalis caſtigationis. Sufficit his qui huiuſmodi ſunt, vt mortale peccatum per inobedientiam non incidant, nec damnationem incurrant: & hoc eſt valde periculoſum in profeſſis obedientiam regularem: quia priuſquam diſcutiant, an teneantur facere, quod iubetur, forte mortalis inobedientiæ laqueum aliquando incidunt, ſicut qui nimis appropinquat præcipitio ſubito, dum non caute circumſpicit, in præceps labitur. Cum Deo autem diſputare velle ſtultum eſt, quaſi velle conuincere eum, vt non debeat iudicare, hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua æſtimatio eſt regula iuſtitiæ infallibilis, non noſtra arguloſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus. Solis radius numquam facit angulum, ſed ſemper directe in oppoſita ſibi feruere ſolet. Ita in nobis, ſiue ita videatur, ſiue aliter æſtimemus, in profeſſione obedientiæ non exprimimus hanc exceptionem, vt nolimus ad ea teneri, quando non adiungitur hoc verbum, Præcipio, vel, Per obedientiam hoc tibi dico. Vnde bonus obediens tam ſtudioſe debet facere, quod iubetur ſimpliciter, cum conſtat Prælatum ſuum tam plene id velle, quàm ſi apponeret, Præcipio, vel, Per obedientiam iubeo hoc vel illud. Secundus gradus obedientiæ eſt, pro ſpe præmii potius quàm timore ſupplicii ad iniuncta voluntarie obedire. Iſte non diſputat, in quo teneatur vel non teneatur obedire: quia ſiue teneatur, ſiue non, confidit ſibi eſſe meritorium, dum modo malum nõ ſit quod iubetur, etiam ſi mala intentione Prælatus aliqua iuberet, quæ mala tamen non eſſent: ſcilicet pro odio illius, cui iniungeret, vt eum ſic tribularet: vel pro commodo proprio magis quàm pro obedientis profectu; nõ ſolum non nocet humiliter obedienti, ſed etiam duplex meritum ex hoc habet, ſcilicet obedientiæ & inſuper patientiæ. Sicut inobedienti magis nocet bona intentio præcipientis Prælati & præcepti vtilitas, ex quibus duritia eius perpenditur; ita bono obedienti magis ad profectum prouenit indiſcreti Prælati præceps præcepti fulminatio, dummodo non fuerit contra Deum: vt ſi quis in ira pauperi pro lapide maſſam argenti in gremium iactaret, pauper non indignaretur pro ira iacientis, ſed iocundaretur pro argento taliter acquiſito. Tertius gradus eſt ex ſola dilectione Dei, non tantum voluntarie, ſed etiam cum gaudio obedire: non ſolum ad facilia, ſed & ad difficilia & dura etiam vſque ad mortem: ſicut Chriſtus factus pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Pudeat Dei ſeruos, tali Domino ſic pigre obedire pro regno cœleſti, ſicut eſt conſuetudo quibuſdam: cum ſæcularium principum & nobilium ſerui pro incerto merito & pro paruiſſima mercede tot labores in bellis, tot pericula, tot penurias, tot etiam à dominis opprobria & verbera dura patienter ſuſtineant, tot itinera longa in legationibus dominorum prompte ſubeant; nec procraſtinant; nec ſegniter exequuntur mandatum; nec difficultatem viarum, vel pericula prætendunt; nec pactum pro labore præmittunt, ſed incerti de præmio in tenera ſpe omnia imperata perficiunt, gloriantes quòd præ cæteris conſeruis ad tale negotium ſint electi. Vide quàm ſeduli ſunt circa dominos circumſpicientes, in quibus eis ſeruire & placere poſſint: & cum nõ tam verbum iuſſionis audierint quàm nutum oculorum aduerterint, ſtatim quaſi præcipites exiliunt, & auide auſcultant quid eis placeat, & quid velint. Et licet ſeruorum Dei obedientia quantum ad affectum ex maiori feruore prodeat; tamen quo ad effectum ille videtur perfectior, qui ita promptus & conſtans eſſet ad omnia iuſſa implẽda, ſicut in ſeruis ſæcularibus inuenitur. Sicut de ſanctiſſimo Patre noſtro Franciſco legimus, & primis eius ſociis, qui non ſolum ea quæ B. Pater eis verbo expreſſit, prompte adimplebant; ſed etiam ſi aliquo indicio beneplacitum eius poterant cognoſcere, ſtudioſiſſime perficiebant, ſicut ab ipſo didicerant S. Patre. Hac virtute Abraham obediuit; non tantum exire de terra ſua, & peregrinus eſſe in aliena ſed etiam vnicum filium ſuum Iſaac voluit immolare. Pro hac Prophetæ & Apoſtoli, & alii Sancti expoſuerunt ſe omnibus laboribus, periculis, perſecutionibus, & tandem morti pro Chriſto. de quibus Dominus ſpeciali ter dicit: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Semetipſum abnegat, qui ſui iuris eſſe recuſat, & totum ſe alterius arbitrio ſubiicit propter Chriſtum: ſicut Chriſtus non venit facere voluntatem ſuam, ſed Patris ſui.

Primus gradus eſt obedire pœnæ formidine.

Simile.

Secundus gradus obedire ſpe præmii.

Tertius gradus obedire amore Dei.

Phil. 2. b

Obſerua.

Gen. 12. a

Mat. 16. d

Ioan. 4. e

CAPVT XLII.

De paupertate.

CONTEMPTVS diuitiarum opponitur auaritiæ rerum temporalium. Hic quandoque & paupertas ſpiritus appellatur. Quidam autem ſunt pauperes rebus, & non ſpiritu; ſicut qui libenter eſſent diuites, ſed non poſſunt, vt pauperes mundi. Quidam ſunt pauperes ſpiritu, & non rebus; veluti qui diuitias non pro ipſarum amore poſſident, ſed pro amore Dei, vt cultum Dei per eas amplificent, & defendant pauperes, vel pro amore Chriſti, vt proximis inde ſubueniant: ſicut Abraham, Dauid, Iob, Loth, & Ioſias, & conſimiles. vel pro obedientia principatus, vel dignitates ſuſcipiunt; vt B. Gregorius Papa, & alii ſancti Epiſcopi, qui pauperes eſſe elegerant, ſed iuſſu diuino aliter factum eſt, vt principes terræ conſtituerentur, & diſpenſatores rerum Eccleſiaſticarum præ aliis: ſed in ſe paupertatis propoſitum non abiicientes, tanto laudabiliores paupertatis ſectatores, quanto etiam in diuitiis ab eius amore non ſunt ſeparati. Quidam vero ſunt pauperes ſpiritu & rebus; qui nec habent diuitias, nec habere volunt, etſi poſſent commode ſine peccato. Hi tanto feliciores ſunt, quanto à laqueo cupiditatis elongati. Horum ſunt duo genera. Primi, qui non habentes diuitias, fecerunt de neceſſitate virtutem, nolentes etiam eas habere, ſi poſſent. Secundi, qui potuerunt habere diuitias, vel habuerunt, & abiecerunt eas, & recuſant habere propter Deum.

Pauperum varia genera.

Ioan. Diacõ. in Vita Greg. li. 1. c. 39. Vide Proſp. de Vita contemp. &c.

CAPVT XLIII.

De duplici contemptu diuitiarum.

CONTEMPTVS autem diuitiarum duplex eſt, cum aut liberaliter effunduntur in pauperes per opera miſericordiæ, & ad cultum DEI largiter expenduntur: ſicut ſancti reges & alii diuites fecerunt, turbas pauperum hominum alentes, & monaſteria, & Eccleſias ædificantes. Aut cum penitus deſpiciuntur diuitiæ; ſicut Sancti fecerunt in mẽdicitate & inopia rerum viuentes: vt S. Pater Franciſcus, & S. Dominicus, & alii Chriſti ſectatores, Euangelicæ perfectionis æmulatores. Iuxta illud: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Mat. 19. c

CAPVT XLIV.

De quatuor cauſis quare contemptus diuitiarum conſulitur.

QVATVOR autem de cauſis conſulitur diuitiarum contemptus. Prima, quia earum amor retrahit ab amore Dei, & patriæ cœleſtis, iuxta ipſius veritatis teſti-

Diuitiæ abſtrahũt a Dei amore.

Matt. 6. c

monium: Nemo potest Deo seruire & mãmonæ, id est, diuitiis. Sicut enim de profundo terræ tolluntur, ita suo pondere ad infima terræ suos detrahunt amatores, hoc est, in profundum inferni. Vnde ait Apostolus ad Timotheum: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes & laqueos diaboli, qui mergunt homines in interitum. Secunda causa est, quia retardant hominem à profectu virtutum. Sicut enim oneratus non potest velociter currere: sic mundanis curis pressus non potest in spiritu expedite proficere. Si vis ergo festinare ad patriam, si vis non teneri laqueo venantium, si vis non comprehendi in via & in captiuitatem, vnde euaseras, non reduci proiice auaritiam, & extrahe pedem de viscosa cupiditate terrenorum. Ideo Iudæi tardi erant ad reditum in Hierusalem de Babylone: quia filios, & vxores, & possessiones iam acquisierant in Babylone: sic & religiosi tardius desiderant cęlestia, cum in terrenis cœperint dilatari. Tertia causa ratione meriti amplioris: quia quanto minus tibi de terrenis indulges, tanto amplius recõpensabitur tibi de cœlestibus in gloria sempiterna. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cœlorum; non portio aliqua, sed tota gloria regni. Vnde filius Dei dans nobis exemplum perfectionis, nihil possessionis voluit habere in terra: non agros, non domum, vel redditus aliquos, prꝑter solum vestitum, quem etiam ante crucem permisit sibi auferri; vt doceret nos quòd omnia relinquere non tantum consistit in non habere volendo, sed sponte omnia pauperibus tribuendo, & etiam patienter amittendo, si habita vi tollantur; quod plerumque maioris est meriti, quàm pauperibus tribuisse: quia ratior virtus est illa tam mala æquanimiter perpeti quàm sponte operari bona. Cum ergo boni viri ob hoc solum vel maxime substantiam terrenã habere debeant, vt inde benefaciant, & ad meritum gloriæ æternæ expendant; quia aliter boni non essent, si terrena nõ pia intentione quærerent, & creaturam non propter Creatorem diligerent: debent eadem ratione nõ minus gaudere, cum ipsam substantiam quocumq; casu amittunt, quàm si eam in vsus pios expendissent; eo quod eumdẽ fructum cœlestis meriti tam impatienter tolerata amissione, quàm & in pia dispensatione consequi non dubitant: sicut mercator illas merces æqualiter diligit, de quibus æquale lucrum sibi prouenire confidit. Diuitias autem quærere, vt in malos vsus expendantur; scilicet in vanitates, in voluptates carnis, & concupiscentias oculorum, impium est: quia per beneficium Creatoris largitori eorum, scilicet Deo despectus & contumeliæ irrogatur, sed ad hoc quærere eas tantum, vt cumulatæ seruentur, stultum est: quia tantũ valet congeries lapidũ, fiant sicut argenti, vel auri, si nulli vsui expendatur. Quarta causa, quia temporalis substantia contemptibilis est multis considerationibus. Ex sui natura, cum terra sit ignobilius elementum inter omnia. Item quia non multum est necessaria. Modicus enim victus, & vestitus, & tectum sufficit homini pro necessitate ad viuendum, quod superest, superfluum est. Item multis est nociua, & damnationis æternæ occasio. Item multorum patet inuidiæ, qui libenter eam auferrent habenti per multas artes. Item multo labore & sollicitudine acquiritur & seruatur, etiam cum periculo vitæ. Item non satiat appetitum habentis, sed quo plus habetur, eo inquietius sititur. Item quia tam bonis, quàm malis datur: & ideo non sunt feliciores, qui ea abundant; imo frequentius infeliciores: quia eis est occasio multorum malorum. Item quia diu cum homine non perseuerat. Nam si aliter non adimitur, mors separat nos ab ea, & nihil potest homo post mortem secum deferre ex ipsa, nisi quod meruit hic per ipsam. Sapiens ergo debet paruipendere, quod vile est, & non multum laborare pro eo, quod parum est vtile, & fugere quod perniciosum est, & liberaliter spargere, quod conseruatum perit, & distributum fructificat, si in pauperes erogetur.

1. Tim. 6. b

Diuitiæ perfectionem præpediunt.

Diuitiarũ contemptus meriti est magni.

Matt. 5. a

Nota. Diuitiæ natura pretiosæ non sunt.

CAPVT XLV.

De triplici gradu contemptus diuitiarum.

PRIMVS autem gradus in contemtu diuitiarum est, nihil habere velle iniusti lucri, nec per se acquisitum, nec ab aliis datum vel relictum: & reddere omnibus debita pro posse, & de iuste habitis eleemosynam facere, & non abuti propria facultate ad peccatum superbiæ, lasciuiæ, gulæ, & aliorum vitiorum. Tribus autem modis aliquis videtur iniusta bona habere: cum aut ipse male acquisiuit quocumque modo, aut ab alio datum, vel venditum, vel relictum aliquid est ei ab illo, qui ius in eo non habuit; aut cum nocuit alteri in rebus suis iniuste, etiamsi nihil de illis habuit. In quantum enim teneor alteri restituere, in tantum mea non sunt mea, sed illius cui teneor. Vnde qui plus tenetur certis personis quàm habeat, si dat alicui gratis de bonis suis, vnde scitur impotens fieri ad reddendum, qui accipit scienter, debet pro eo tantum soluere, quantum accepit: cum ille sua non dederit, sed quæ sunt aliorum. Secundus gradus est, nihil velle superfluum habere, sed necessariis esse cõtentum in victu & vestitu, hospitio, vtensilibus, & obsequentium famulatu: reliqua habita pauperibus erogare, vel oblata nõ recipere, nec acquirere supra necessitatem. Lucas: Quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Sic monachi in Ægypto, & alii eorum similes de labore proprio victum & vestitum habentes, reliqua pauperibus distribuebant. Apostolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Sed ne nimis latos faciamus terminos sufficientiæ, sciendum est quòd duplex est sufficientia, indigentiæ & concupiscentiæ. Sufficientia indigentiæ sufficit sustentare naturam, vt possit ad seruiendum Deo perdurare, & hanc sufficientiam natura docet; sicut videmus in irrationalibus animalibus, immo & in plantis quæ contentæ sunt naturali alimento, & amplius non requirunt. Sufficientia concupiscentiæ excedit mensuram, limites non habet nisi impossibilitatis, hoc solum relinquit, quod non sperat adipisci. Diues auarus in Euangelio cum vberibus fructibus agri se vidisset ditatum non dixit, diues sum & abundo, plus non cupio, quia non capio, sed cogitauit horrea vetera destruere, & maiora facere. Prima horrea sunt iustæ necessitatis; hæc parua sunt & paruis implentur: sed hæc auarus destruit, & maiora facit, scilicet horrea concupiscentiæ & superfluitatis; quæ numquam replentur: quia semper cum plura habere cœperit, etiam ampliora facere disponit; ad quæ non sufficiunt iam habita, nisi adiiciat adhuc plura, sic procedit in infinitum. Cor auari est quasi fouea sine fundo; quæ quo plus recipit, plus deglutit, vt numquam videatur impleta. Auarus non impletur pecunia, Ecclesiastes. Tertius gradus est, nihil velle possidere in hoc mundo & in omnibus necessitatibus multiplicem pati penuriã propter Deum. Hoc est efficacissimum contra auaritiam remedium; quæ sicut ignis insaturabilis numquam dicit sufficit, non extinguetur melius, nisi cum materia temporalis substantiæ penitus subtrahitur. Hoc remedium Christus docuit verus animarum medicus, qui in omnibus illam viam tenuit, quæ est aptissima ad doctrinam virtutum, & curationem vitiorum. Diuitiæ enim & honores sæculi, & voluptates carnis sunt præcipua sanctitatis impedimenta, quæ magister virtutum & Dominus docuit viuendo declinare suos discipulos in exemplum. Matthæus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Hæc est quam Apostolus notat, altissima paupertas, primorum Sanctorum in Ecclesia, qui omnia reliquerunt propter DEVM. Huic multæ virtutes & plurima dona gratiarum annexa sunt, quæ tamen à paucis capiuntur: eo quod licet multi sint, qui quasi nihil habeant in mundo, tamen admodum rari sunt in religione, qui non plus habere cupiant, vel pro se, vel pro aliis.

Primus gradus, nil iniuste possidere.

Secundus gradus, nihil habere superflui.

Luc. 11. f
Hiero. to. 1. epist. 22. ad Eustoch. de custod. virginitatis.
1. Tim. 6. a

Luc. 12. c

Eccle. 5. c

Tertius gradus est nihil velle possidere, & penuriã pati propter Deũ.

Matt. 19. c
2. Cor. 8. a
Mat. 19. d

Omne quod est melius, est etiam rarius in hoc mundo. Qui propter se sollicitus est in temporalibus, relinquitur suæ prouisioni: similiter qui habet alios prouisores, relinquitur illis. Qui vero omnem sollicitudinem suam in Deum iactat & omnem cogitatum, habet ipsum Dominum in prouisorem. Matthæus: Primum quærite regnũ Dei & iustitiam eius: & hæc omnia, scilicet temporalia necessaria adiicientur vobis. Qui enim ex gratia vult donare cælestia, cui etiam temporalia & parua ab eo non speremus? Aut ergo dabit nobis necessaria in quantum expedit nobis: aut vires corporis ad sustinendum penurias: aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali, & insuper præmium cæleste.

Matt. 6. d

CAPVT XLVI.

De sobrietate.

SOBRIETAS est virtus qua corporis alimenta cum moderamine admittūtur, in cibo & potu & somno. Sumitur etiam generaliter pro moderamine ab omni superfluitate & intemperantia mentis & corporis. Vnde dicitur: Sobria mens & sobrius sensus. Sed prout accipitur pro restrictione alimētorum, illa est quæ dicitur parsimonia, vel abstinentia: & opponitur vitio gulæ, vel gastrimargiæ, quæ est ventris ingluuies. Est autem alia sobrietas medicinæ, alia auaritiæ, alia hypocrisis, alia paupertatis, alia religiositatis. Medicinalis, fit propter sanitatem corporis conseruandam, vel recuperandam. Auaritia, ad parcendum expensis. Hypocrisis, pro laude humana. Paupertatis, pro necessitate penuriæ. Religiositatis, pro virtute obtinenda, pro vitiis calcandis, pro pœnitentia agenda, pro ædificatione proximorum, pro gloria promerenda, pro acuendo intellectu & sapientia acquirēda. Nam sicut fenestra obstructa limo obtenebratur, sic intellectus cibo obrutus obscuratur, sicut sæpe experimur. Sobrietas autem, sicut omnis virtus, tunc solum coram Deo est meritoria, cum Deus est causa prima & forma, id est, si propter Deum principaliter fiat & secundum Deum. Sicut enim Deus mundum gubernat, nec plus, nec minus adhibens diligentiæ quam iustum est, omnem diligentiam suam (vt ita loquamur) circa cælestia impendens: ita homo, cui minor mundus regendus commissus est, hoc est, corpus proprium, sic debet ei prouidere prudenter, vt nec de necessaria prouisione aliquid ei desit pro posse, nec aliquid superflui impendatur, vt non deficiat ante tempus ex penuria vel labore, nec lasciuiat ex abundantia, vel quiete. Tota autem intentio debet esse circa optimum occupata, circa profectum animæ, in Dei notitia & amore, & in his quæ ad hunc profectum promouent & conducunt: quia non propter corpus creata est anima, sed corpus propter animam, vt illi seruiat & cooperetur ad profectum præfatū. Anima vero propter Deum creata est, vt ei inhæreat, & inhærendo suauitate eius fruatur, & fruendo beata sit: Solius enim Dei est eam destruere & occidere, cuius etiam creare & viuificare est: ideo nisi eius ussu, vel permissu nihil licet nobis destruere eorum quæ ipse fecit. Irrationales creaturas permittit nos occidere, sed non irrationabiliter. Rationales vero prohibet occidi, id est, homines, nisi secundum leges ab ipso promulgatas. Vnde iudices secundum leges diuinas iudicantes, non sua, sed Dei auctoritate malefactores occidūt: quia ipse præcepit: Qui hoc vel hoc fecerit, tali pœna puniatur. Sicut autem non licet cuiquam alterum occidere: sic nec semetipsum: cum nemo plus alterum teneatur diligere, quam semetipsum. Semetipsum autem occidit qui indiscrete se per abstinentiam & per alios labores debilitans, ante cogitur deficere quam requirit ordo naturæ: licet aliquos deuotionis feruor, vel pura simplicitas excuset. Ad Romanos: Rationabile sit obsequium vestrum.

Sobrietas quid.

Sobrietas varia.

Rom. 12. a

* * *

CAPVT XLVII.

In quibus consistit sobrietas.

SOBRIETAS in tribus consistit: in qualitate, in quantitate, & modo. In qualitate, vt non delicata & pretiosa, aut sumptuosa requirat, sed simplicia, quibus valeat sustentari natura, & gula non irritari, & quę de facili possunt haberi. In quantitate, vt non nimis & sæpius quam decet, sed temperate: vt sit refectio corpori, non onus. Infirmi sunt liberi ab vtraque lege. In modo, vt nō importune requiratur, nec impetuose & indisciplinate, & inordinate sumatur: sed modeste, mature, & religiose: sicut in priori formula nouitiorum tractatum fuit. Sic enim sapit suauius, sumitur iucundius, reficit salubrius, minus grauat stomachum, & facilius digeritur, & minus peccatur, & est honestius & religiosius. Valet autem sobrietas ad illa quæ supra dicta sunt. Valet etiam ad satisfactionem pro peccatis: vt sicut corporis voluptate peccamus, ita & eius castigatione emendemur. Item ad carnis lasciuiam reprimendam: vt quæ impinguata insolens & inobediens facta est, macerata discat spiritui obedire. Ad Corinthios: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Item ad corporis sanitatem: quia noxios humores desiccat, quos crapula & quies superflua generare cōsueuit. Item ad sollicitudines mundanas abscindendas: quia qui modicis contentus est, modica habet prouidere. Item ad multarum virtutum habilitationem Sobrius enim agilior est ad bonum, castior est, minus habet inuidendi materiam, magis cautus in lingua, promptior ad deuotionem, & purior in affectu ad sapientiam acquirendam, sensum magis vigilem facit & subtilem, & memoriam hominis tenacem. Item ad aliorum ædificationem: quia qui exteriora nostra ordinata vident & temperata, coniiciunt quid de interioribus æstiment, quæ non vident. Minus etiam sumus eis graues ad recipiendum nos in mensa, videntes quod modicis contenti sumus, & quod facile possunt nobis satisfacere: minus etiam aliis mendicis nociui sumus: quia quo plura ab hominibus petimus, eo minus aliis mēdicis dandum relinquimus. Et hoc vere est quoddā genus rapinæ, quod à paucis aduertitur, cum aliquis vltra necessitatem veram mendicat, vnde alter magis indigens patitur detrimentum: quia postea superueniens non inuenit, quod iste præueniens præripuit. Item valet ad meritum gloriæ, tam pro seipsa quam pro virtutibus sibi connexis: quia quo magis hic nobis de voluptate subtrahimus, eo magis & hic spiritualibus, & illic cælestibus deliciis abundabimus.

Sobrietatis grandis vtilitas.

1. Cor. 9. d

CAPVT XLVIII.

De triplici gradu sobrietatis.

PRIMVS gradus sobrietatis esse potest, à crapula & ebrietate cauere, & debita tempora & horas in cōedendo seruare: ne iuiunia statuta leuiter frangantur, vel tempore incongruo epulis & potibus temere inseruiatur: & ne magis ad luxuriam quā ad naturæ refectionem edendo, vel bibendo studeatur. Ecclesiastes: Vę terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Pecus quod solum ventri seruire nouit, seruat in edēdo, vel bibendo modum naturę conuenientem: sic & homo debet qui regitur ratione: alioquin melius esset ei carere ratione, quam non regi ab ea, quia non peccaret carens ratione. Secundus gradus esse potest, etiam à quibusdam licitis abstinere, vt à carne, vino, lacte, piscibus, vel pulmentis, sed asperiori victu contentum esse, sc. licet pane rudi, & pulmento non condito: vel sæpe ieiunare, & à delectabilibus abstinere, & quæ magis appetuntur: vt religiosi & deuoti solent & pœnitentes. Ad Romanos, Bonum est non comedere carnem, & non bibere vinum, &c. sicut Nazaræi, & filij Rechab. Daniel:

Gradus primus.

Eccle. 10. d

Gradus secundus.

Rom. 14. d
Num. 6. a
Hier. 35. a
Dan. 10. a

Gradus tertius.

Caro & vinum non introierunt in os meum. Tertius gradus est, sic domuisse gulam, & sic docuisse palatum, vt homo solis sit contentus illis, quæ extremæ sufficiant necessitati, in qualitate & quātitate cibi & potus: vt quo simplicior est victus, eo magis diligat: & si delicata aliquando sumere oporteat, non delectationem in eis, sed solam necessariam refectionem requirat. Ad Romanos: Carnis curam ne feceritis in desideriis.

Rom. 13. d

CAPVT XLIX.

Alia distinctio graduum abstinentiæ, vel sobrietatis.

POSSET & alia distinctio dari de profectibus abstinentiæ vel sobrietatis. Primus videlicet gradus, patienter carere cum non potest haberi cibus, vel potus delectabilis, non contristari, cum non habentur interdum desiderata: sicut quidam si quando non habent quæ in mensa desiderant, contristantur, indignantur, murmurant, verecundiam abiiciunt, & non cogitant professionem suam, & quod aliquando diuites sæculi non habēt omnia quæ cupiunt, quanto magis pauperes & mendici! Secundus gradus abstinentiæ est, velle carere pro Deo etiam illis quę possent haberi, amore sobrietatis, & paupertatis, & boni exempli. Sic boni & fideles serui Dei sępe ditiores hospites pretereunt, & apud pauperes hospitantur: & lautiora fercula prohibent sibi dari contenti simplicibus & paucis, amore Dei & pro ædificatione aliorum. Ad Corinthios: Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nam licet secundum Euangelium liceat comedere quæ apponuntur, tamen magis ędificat si lauta & multa nobis apponi non permittamus: quia sicut recipientes decet liberalis hospitalitas, ita nos decet religiosa frugalitas: quam etiam nos fortius conuenit defendere, quam illos suam sæcularem ostendere honestatem, qua volunt nos abunde procurare. Quamuis autē illa vice videntur contristari, quod non permittimus eos suæ deuotioni satisfacere multa ministrando: tamen apud se de nostra temperantia ędificantur, & alio tempore recipiunt nos hilarius, quo minus sumus eis onerosi, & vbi modo paucos receptores habemus, ibi nūc plurimos haberemus, cum intelligerent quod nos pauperes pascere commode valerent. Tertius abstinentiæ gradus est, posse sine difficultate abstinere ab habitis delectabilibus: vel tantum inde sumere puram necessitatem: & hoc nō amore delectationis, sed recreationis. Et quamuis quo ad paupertatē maior virtus sit, non habere quod cupias: tamen quo ad fortitudinem abstinentiæ maius est, posse appetitū retrahere ab vsu & delectatione præsentis voluptatis, quam absentia non desiderare. Securius autem est fugere delectationes carnales, quia sæpe victi sunt in certamine qui nimis voluerunt esse securi. Et qui ex præsumptione victoriam sibi spoponderant, victi & confusi didicerunt: quod stultum est se committere periculis præliorum, vbi possunt opportune vitari. Facilius in littore non submergeris, quam in gurgite aquarum.

Gradus primus. Gradus secundus. 1. Cor. 6. c & 10. e Gradus tertius.

CAPVT L.

Quod virtus tenet medium vitiorum.

SCIENDVM tamen est, quod virtus tenet medium vitiorum: & in vtroque latere, tam à dextris, quam à sinistris, vitiis est obsessa: ita vt si modice à discretionis tramite deuiauerit, iam virtus non sit. Verbi gratia: Parsimonia, vel abstinentia si metas suas excedit in superfluitate alimenti, declinat in vitium gulæ. Si nimis modicum admittat de necessario alimēto, vitium indiscretionis incurrit, per quam vires corporis destruat, vigorem mentis extinguat, naturam debilitet, & bona quæ promereri potuit, negligat, & vitam citius perimat, vel sensum perdat: vel si vires recuperare debeat, tanta postmodum studeat cura corpus suum reficere commodis & fomentis, quanta prius indiscrete eadem subtraxerat ei. Similiter contemptus diuitiarum si vltra quam iustu est, congreget temporalem substantiam, in auaritiæ vitium cadet. Si nihil temporale velit ad vsum admittere, ex tali indiscretione necabit naturam fame, frigore, & ęgritudine. Patientia si nimis declinat impatientiæ vitiū, incidit in torporem, vt zelum iustitiæ perdat, & dissimulet tam in se, quam in aliis vitia crescere, quę deberet persequi & vlcisci. Humilitas dum in se nimis timet extolli ex indiscreta abiectione sui, perdit cōfidentiam salutis, vel profectus spiritualis. Charitas proximi si indiscrete teneatur, facit proximo fauere, vel cooperari in detrimentum salutis propriæ vel illius: vt qui periturat amore proximi, & aliis multis modis. Castitatis amor aliquos membra virilia sibimet amputare fecit, & dum voluerunt tentationis ardorem temperare, se periculo proprię interfectionis exposuerunt. Agilitas boni operis quandoque sic fugat pigritiam, vt quietem deuotionis extinguat. Spiritualis lætitia sic accediam, vel tristitiam declinat, vt quandoque in dissolutionem incidat & vanam lætitiam. Taciturnitas verba otiosa declinans, quandoque vtilia & necessaria reticet in detrimentum proximi & sui. Obedientia si indiscreta sit, ita fugit propriæ voluntatis vitium, vt obediat superiori etiam ad peccatum: cum tamen obedire magis Deo oporteat, prohibenti omne peccatum. Et sic de aliis virtutibus sentiendum.

CAPVT LI.

Quod vitia se esse virtutes mentiuntur.

ET quia virtus tam nobilis & venerabilis omnibus & præ omnibus est, quod etiam vitiosi eam super omnia venerantur: ideo & vitia quandoque se virtutes esse mentiuntur, & velamen virtutis assumunt: vt aut securius dissimulentur & non arguantur: aut etiam laudem virtutis assequantur. Vnde videmus ea quandoque etiā à quibusdam religiosis & studiose exerceri, & ex auctoritate quasi pro virtute defendi: ita vt vera virtus eis in aliis quandoque displiceat, & eam pro vitio despiciant & impugnent, & interpretentur esse vitium quod virtus pura est. & è contrario virtutem asserant quod est vere vitium, sed virtutis colore velatum. Verbi gratia: Paupertas Spiritus, id est, voluntaria pro Christo paupertas, magna & vera virtus est, quam multi religiosi profitentur: & tamen videmus plures sub prætextu necessitatis, pietatis, & honestatis diuitias desiderare in pecunia, in prædiis, in ædificiis, vestitu & victu, & libris, & aliis quę veræ diuitiæ reputantur: ita vt satiari nequeant: quia etiamsi quod cupiunt haberent, si quis plus offerret, acciperent plus, vsque ad magnam quantitatem, quia non dicerent sufficit, nolumus plus habere. Econtra parce viuere & paucis esse contentum, tenacitas & auaritia appellatur, quasi non audeant vti his quæ habent. Silentiū tristitia appellatur, maturitas amaritudo, zelus iustitiæ temerarium iudicium dicitur. Quies deuotionis, pigritia vocatur. Corporis castigatio, indiscretio censetur. Simplicitas stultitia creditur. Timor Dei, litigiosa conscientia æstimatur. Fugere publicum, singularitas vocatur. Cauere scandalum, hypocrisis iudicatur. Ecce quomodo virtus proscribitur, & peruerse vitium interpretatur. Econuerso autem plerumque dissolutio, socialis iucunditas putatur. Curiositas ædificiorum & librorum & aliorum, honestas habetur. Laxa conscientia, libertas deputatur. Corpus delicate fouere, discretio reputatur. Garrulitas, affabilitas dicitur. Inuidia fraterna, zelus iustitiæ dicitur. Duritia & inclementia, rigor ordinis putatur. Auaritia acquirendi, prouisio fidelis nuncupatur. Astutia, prudentia nominatur. Elatio, auctoritatis ostensio monstratur, zelus & contentio, ordinis defensio appellatur. Iactantia de bonis, ædificatio proximi vult videri. Detractio, detestatio vitij alterius vult putari. Conformitas vitiosa, vult credi fuga singularitatis: torpor

negligentiæ,

negligentiæ vult humilitas videri: & pusillanimitas altiora se non quærere. Inquietudo euagandi & negotiandi, vult agilitas dici bene operandi. Prodigalitas, largitas vult videri. Et sic de aliis. Sciendum itaque est, quod discretio Spiritus medium virtutis iter elegit, non declinã ad dexteram, vel ad sinistram, regia gradiẽs via, ne dicat bonum malum: vel malum bonum, ponendo lucem tenebras, & tenebras lucem, diuidens diem virtutis à nocte vitiorum: ne Angelum satanæ pro Angelo lucis recipiat, verum à falso distinguens, & quod bonum est tenens.

Isa. 5. e

CAPVT LII.

De castitate.

CASTITAS est sobrietatis filia, & nutritur ab ea, sicut è contrario luxuria nutritur à vẽtris ingluuie. Membra enim genitalia sub ventre posita, ex eius redundantia in libidinem resoluuntur. Sic etiam è conuerso ventris exinanitio humorem luxuriæ arefacit: sicut cum fons obturatur, riuulus ex eo profluens desiccatur. Vnde pro generali regula ab omnibus spiritualibus hactenus obseruatũ est: Qui castus esse desiderat, studeat sobrietati: quia sine ea non diu castitas est secura, & cum proficiente proficit, & cum decrescente decrescit: licet quidã sine ea modo sibimet aliud nescio qua præsumptione promittant: Omnis laus in fine canitur. Nec credo tot & tantos virtutum inquisitores, qui prædictam secuti sunt regulam, in sua æstimatione deceptos. Vnusquisque enim in sua arte sapiens est. Et studiosi virtutum fiunt in earum exercitiis sapientes. Studiosi vero deliciarum & diuitiarum sæcularium, efficiuntur in earum prouisione prudentes. Lucas: Filij sæculi huius prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Castitas est virtus origine cælestis. Hanc ipsi Angeli sancti ab ipso Domino omniũ virtutum fontali principio primitus didicerunt, & indeclinabiliter seruauerunt. Hanc summus & vnus magister noster, qui in cælis Angelorum magister est Christus Dominus noster de cælesti schola ad terras, publice docendo attulit, & matrem suam gloriosam Virginem perfectam & primam post se huius disciplinæ magistram, in cathedra virginalis munditiæ ceteris mirandam & imitandam præfecit.

Vide S. Hier. in illud ad Tit. 1. Oportet Episc.

Sine Sobrietate nemo castus.

Luc. 6. a

Castitas virtus cælestis.

CAPVT LIII.

De quattuor vtilitatibus castitatis.

CASTITAS quattuor facit in præsenti. Corpus mundificat: sicut è contrario luxuria inquinat, ita vt si non esset alia merces castitatis, quam præsens munditia, nec aliud luxuriæ supplicium nisi eius fœditas, castitatis honestas esset amplectenda, & turpitudo luxuriæ horrẽda. Item mentem liberam facit & expeditam: quia nec pro vxoris prouisione: nec pro filiorum educatione sollicitum reddit: nec affectus dilectionis ad coniugem & ad filios ligat: nec Spiritus zelotypiæ castum exagitat: nec sollicitus est quomodo vxori placeat, vel qualiter heredes diuites faciat: nec quærit generos vel nurus: nec est seruus affinium suorum, soli sibi viuens, & pro se solo sollicitus est, in seipso quiescens. Multa sunt de quibus oportet coniugio ligatos esse sollicitos, ita quod illa carnis delectatio, nullo modo est eis tam iucũda, quam anxietas variarũ curarum quas patiuntur onerosa: quas Apostolus tribulationem carnis appellat. Vnde idẽ Apostolus ad Corinthios: Volo vos sine sollicitudine esse, &c. Item conscientiam lætificat: quia gratum Deo præstat obsequium, qui carnis dulcedinem respuit, quam mundus pro magno concupiscit. Lætificat autem, quia Deo placet, Deum placat, & Deo proximare facit, & Dei offensam cauet in delectatione carnali, & præmium cæleste meretur, & Deum auctorem mũditiæ per castitatem imitando sequitur: cum sit gloria magna sequi Dominũ, qui nos præcessit in munditia castitatis, virgo Virginis filius, virginum sponsus. Item tam hominibus quam Angelis amabilem facit & spectabilem. Hominibus, quia tam boni quam mali venerãtur eam: Angelis, quia cum naturaliter omne animal diligat simile sibi, etiam Angeli casti, homines castos familiarius diligunt.

1. Cor. 7. f

CAPVT LIV.

De his quæ valent ad acquisitionem castitatis.

AD castitatis autem acquisitionem & profectum & obseruationem, valent ea quæ supra posita sunt de remediis luxuriæ, scilicet alienatio & separatio feminarum à viris, & consortium contubernale castorum, quorum exemplo doceatur. Item deliciarum fuga, quæ nutriunt carnis illecebras. Item exteriorum sensuum custodia, vt non videat, vel audiat, vel tangat vnde tentetur. Item otij deuitatio quod est ianua omnium vitiorum, maxime carnalium. Item custodia interiorum cogitationum & affectionum cordis, per quas coluber primo caput venenatum ingerit. Item orationis freqũtia, qua obtinetur auxilium à Deo contra omnes impugnationes.

Lib. 1. c. 39.

CAPVT LV.

De diuisione castitatis.

PROFECTVS vel gradus castitatis pluribus modis distinguuntur. Est enim castitas coniugalis, vidualis, & castitas virginalis. Est etiam castitas in actu, alia in affectu. Quidam sunt casti corpore, sed non mẽte: & quidam casti mente, licet corpore oporteat eos reddere debitum coniugale.

CAPVT LVI.

De gradibus castitatis prout religiosis competit.

NVNC de gradibus castitatis sicut religiosis competit videamus. Primus gradus est continentia ab actu carnali, cum proposito sic manendi, & omnibus illicitis motibus consensum negandi. Iste gradus cum adhuc vicinus est terrenæ voluptati propter nouitatem cõuersionis, vapor tãgit eum carnalis tentationis, quasi fœtor Sodomæ ardentis. Ne igitur quasi vxor Loth retrospiciens pereat, festinet ad montem, & sublimioris castitatis gradum laboret attingere vt saluetur, ne pereat in scelere ciuitatis, in peccato luxuriæ, quo plurimi perierunt. Primus iste gradus est adhuc in labore pugnæ, & in incerto victoriæ, cum sola voluntas cum adiutorio gratiæ pugnat contra quattuor hostes, scilicet carnis pruritum, & affectionis appetitum, mundi prouocamenta ad libidinem, & dæmonum suggestionem, & ita sunt quattuor contra duos. Confidat tamen voluntas bona, & inhæreat fideliter ei qui dicit: In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum, qui etiam diabolum fortius alligauit, & spolia diripuit, & cito inimicos eius conuertet ad pacem, & subiiciet exactores suos, scilicet carnis, & libidinosum pruritum, & affectionis illecebrosum appetitum. Secundus gradus est, cum per macerationem carnis, & per alia spiritualia studia affectus mundatur, & caro ita spiritui subiugatur, vt rarius & minus tentetur: vt quamuis adhuc non plene careat concupiscentiarum stimulis, quasi spinarum aculeis, lebusæus adhuc intra terminos habitationis eius latet, tamen ita depressus sit & imminutus, vt etiam facili labore sedetur eius commotio: & imperando magis quam reluctando insurgentem compescat, nisi forte ex propria negligentia, vel desidia vires resumere, & grauius impugnare permittatur. sicut filiis Israel Dominus minatur, quando ex negligentia propria, hostes qui sibi à Domino sunt subiecti, noluerunt delere: ideo Dominus noluit eos à facie eorum delere, vt per quæ peccauerant, per hæc

Gradus primus. Actui carnali & motibus non consentire.

Gen. 19. e
Luc. 17. g

Ioan. 16. d
Matt. 12. b
Luc. 11. b

Gradus secundus. Macerationem carnem spiritui subiugare.

Iudic. 2. a
Sap. 11. c

per hæc & punirentur: vnde postea sæpius ab eis grauiter tribulati sunt & subiugati. Si hostibus vitiorum fideliter resisteremus, quando nos impugnare incipiunt; non solum non vinceremur ab ipsis vlla vice: sed etiam ita debilitarentur, quod postea rarius auderent nos impetere, & si impeterent, facile vincerentur, donec penitus delerentur, quod vix auderent resurgere, sed tepide reluctando damus eis vires & ausum sæpius & acrius nos deinceps impugnandi. Sciendum tamen, quod aduersarius quando fortiter vincitur, aliquando diu expectat, quod de eodem vicio non impugnat, donec interim diffuescat homo pugnare: & tunc iterum subito improuisus irruit, vt improuidos tanto securius prosternat, quanto ad repugnandum inuenit imparatos. Exemplum de illo qui super hostem irruit, quando iam arma deposuit, & se ad quiescendum composuit, & adiutores suos post prælium dimisit: quia imminentis pugnæ suspicionem non habuit Machabæus: Sic hostes Iudæ bellum constituerunt in die sabbathi, populo in quiete & otio existente, & ita plurimos occiderunt. Semper ergo simus parati hostibus viriliter resistere: quia ipsi non quiescunt nos impugnare, etiamsi videantur quiescere. quia hoc ipsum cessare ab impugnatione, impugnare est: quia illud cessare non eorum clementiæ est, vel lassitudinis: sed astutię & fraudis. Vnde Nehemiæ quarto dicitur: Nesciant hostes & ignorent, donec veniamus in medio eorum & interficiamus eos. Inimicus cum in corde tractauerit dolos, si submiserit vocem suam cessando à suggestione, ne credas ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius, &c. Tertius gradus castitatis est, ita domitas habere carnis concupiscētias, quod vix rarissime & tenuissime sentiantur: & ex affectu talem induisse castitatis amorem, vt horreat & ita detestetur omnes carnales motus, quod quasi nauseam inde patiatur: nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore & execratione. Si quando vero pro vtilitate aliorum, de matrimonialibus casibus aliqui tractandum occurrit: ita quietos motus carnis suæ sentiat, ac si de luto, vel lapidibus, aut similibus tractaretur. Et cum per soporem somni humorum redundantia naturaliter se resoluit, ita quiete & insensibiliter profluant, vt nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec sensu fœdæ delectationis titilletur. Ista est perfecta castitatis descriptio, prout in hoc peccati corpore potest à raris & perfectissimis obtineri. Vt autem stabiliter in hoc gradu & continue perseuerent, puto ad hoc priuilegium requiri singulare: eo quod supra naturalis possibilitatis metas esse videatur, in carne viuere & carnis vitia non sentire. Frigidi tamen ex natura, vel ex debilitate corporis, carnis motibus plerumque carere possunt: vt patet in senibus & infirmis, qui carnis motibus plerumq; carent: quia ex debilitate corporis & defectu naturæ multum frigidi sunt. Sed mentis castitas cum prędicta carnis puritate, ex sola virtute cum Dei gratia possidetur. Vnde & Propheta hoc quasi prodigium miratur cum dicit: Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella tentationum carnalium vsque ad fines terræ, id est, ad terminos motus. Sequitur ergo: Vacate & videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, &c. Vacatio notat quietem, visio intentionem: quia bellis vitiorum sopitis, & hostibus subiugatis, mens iam valet in se quiescere, & Deo intendere, & intelligere: quoniam ipse est Deus, qui tam potenter potuit, & tam pie voluit impetus tentationum & vitiorum opprimere: & pacem quam per scripturas sæpe promittit hominibus bonæ voluntatis donare. Leuiticus: Dabo pacem in finibus vestris: & dormietis, & non erit qui exterreat, auferam malas bestias, &c. Qui Deo vult intendere, necesse habet vacare, & se super se leuare. Threni: Bonum est præstolari cū silentio salutare Dei, &c. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuabit se super se. Psalmus: Elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit, &c. Vacandum est à concupiscentiis & à perturbationibus, & ab occupationibus mūdanis. Ista tria maxime impediunt vocationem spiritualem. qui autem nihil concupiscit in mundo pro se, vel pro charis suis, iam nō habet vnde turbetur: quia nihil timet amittere commodi, honoris vel rerum. Et si eximat se à factis alienis, vt nec curiose discutiat nec temere iudicet ea, nec occupetur cogitando ea & tractando, potest se tanto liberius ad interiora transferre intuendo, quanto ab exterioribus est magis expeditus. Nam qui superioribus vult intendere, debet ab inferioribus liber esse. Auis si habet pennas ligatas, vel infectas, vel præcisas, non potest se in altum volando subleuare. In spiritualibus illa sunt superiora quæ interiora, quo ad experientias spirituales.

(Margin: 2. Isd. 4. c — Pro. 26. d — Gradus tertius. Carnis illecebras vix sentire, sed prorsus execrari. — Castitas perfecta. — Psal. 45. b — Leu. 26. b — Thre. 3. c — Psal. 54. b)

CAPVT LVII.

Incipit processus septimus.

ET quia de voluntatis profectu supra tractatum est, qui consistit in ordinata affectuum dispositione, in qua attenditur actiuæ vitæ perfectio: consequenter ad contemplatiuæ vitæ profectum appropinquare considerationis passibus studeamus: eo quod volentibus in spiritu proficere, istud non inutile videatur.

CAPVT LVIII.

De profectu vitæ contemplatiuæ.

IN contemplationis profectu primus status vitæ religiosæ, scilicet processus sapientiæ consistit, habens intelligentiæ lumen, & suauitatis internæ saporem. Vnde sapientia, id est, sapida scientia. Dictum est autem supra, quod profectus siue perfectio spiritualis vitæ, in tribus principaliter consistit: in rationis illuminatione, in voluntatis rectitudine, in memoriæ iugi circa Deum occupatione. Memoria vt in Deum intendere iugiter assuescat, eique inhæreat, quinque vias terere & frequentare addiscat, quæ sunt: lectio, collatio, meditatio de Deo, oratio, & contemplatio. Lectio & collatio bonæ sunt, quasi semina & materia meditationis. Vnde qualia vis tibi meditanti, vel oranti occurrere in cogitatione, talibus colloquiis, lectionibus, aut negotiis prius occupare stude memoriam: quia qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit: & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabunt. Collatio spiritualis instruit intellectum, affectum inflammat, memoriam bonæ & sanctæ cogitationis prole fœcundat. Sicut è cōuerso otiosa fabulatio tempus perdit infructuose, affectum infrigidat, inutiles cogitationes cordis inserit, cōscientiam rodit, profectum spiritualem impedit, pœnam meretur. Lectio talis frequentetur, de qua postea non sit inutile in oratione cogitare quæ illuminet ad Dei notitiam, accendat ad eius amorem, mores bonos instruat, animet ad tolerandum aduersa, mundi cōtemptum ingerat, desiderium patriæ cælestis inferat, doceat discernere inter vitia & virtutes, & vincere tentationes, & alia vtilia ad salutem. Lectionem sæpe interrumpat oratio, sicut & alias actiones: vt sæpe mens ad Deum eleuetur, à quo omne bonum fluere necesse est.

(Margin: Lib. 1. c. 4. & seq. — Memoria quinque modis Deo inhærere docetur. — Hier. ep. 18. ad Marcell. tom. 1.)

CAPVT LIX.

De intentione.

INTENTIO nostra aliquando mouetur pro Deo, aliquando ad Deum, aliquando in Deum. Pro Deo mouetur in actione, quam pro ipso specialiter facimus, licet de ipso interim non cogitemus. Ad Deum mouetur in lectione, & aliqua meditatione, quādo de Deo est quod tunc mente versamus, & quodammodo circa Deum: licet in ipsum quasi ad secundam personam mentis intuitum non dirigamus. In Deum mouetur in oratione, quādo mens ipsum cogitat, & ipsum amplectitur, eique affectu

fectu deuotionis adhęret. Quid autem horum vtilius sit simpliciter, est sciendum quod illud quod magis vnit hominem cum Deo, scilicet oratio, cum tota beatitudo hominis sit in Deum transformari. Alia tamen, quo ad quid quandoque vtiliora sunt: vt cum propter obedientiam, vel charitatem proximi intermittitur oratio, & operibus pietatis insistitur, vel cum discitur in quo magis ad beneplacitum Deo seruiatur.

CAPVT LX.

De tribus modis orandi.

Primus orandi modus vocalis.

ORANDI tres sunt modi. Vnus vocalis, per verba composita & vsitata: sicut cum psalmos, hymnos, collectas, & alias orationes, vel laudes cōpositas, ad excitandam deuotionem, vel soluendum debitum recitamus. Triplex autem est attentio. Vna superficialis tantum: vt scilicet attendat quid dicat, quem psalmum interim dicat, vel quam antiphonam vel orationem. Fructus attentionis huius est, quod non cogitur repetere cū sciat se dixisse. Pro labore etiam corporis, quem bona intentione Deo orando obtulit, quo se cogit seruire Deo, mercedem qualemcunque merito expectabit. Alia attentio est litteralis, qua homo sensum litteralem tātummodo attendit, quid exterius verba sonent. Hæc dat fructum, cum aliquid sonat in superficie deuotum, vt ibi: Miserere mei Deus, &c. & in similibus locis, vbi etiam ab illiteratis si tantum verba intelligerent, aliqua deuotio caperetur. Sed illis verbis pertransitis, vbi intellectus mutatur verborum, & deuotio refrigescit. Qualis enim deuotio haberetur ex litterali sensu in istis verbis: Qui emittis fontes in conuallibus, &c. quæ tamen omnia ibi scripta sunt iuxta sensum spiritualem. Tertia attentio est intellectualis, quando ex verbis psalmodiæ quæritur sensus spiritualis: vt cum historia exitus filiorum Israel ex Ægypto, & plagarum Ægypti refertur ad spiritualem nostram ereptionem de peccato, vel sæculo, vel ad peccatorum submersionem in fletibus compunctionis, & dæmonum cruciatus, & multa alia. In tali attentione maximus fructus: quia & erudit animam per spiritualem intelligentiam, & afficit eam per deuotionis affectum: & iste præcipuus est orationis fructus. Secundus modus orandi est sæpe efficacior per verba proprio affectu formata: vt cum Deo familiariter cōfabulatur verbis suis, vel etiam vtitur verbis alterius affectui sui consonantibus, quasi coram Deo præsente cor suum effundens, vel necessitates suas conquerens, vel peccata confitens, & misericordiam postulans: gratiam petens, & auxilium implorans contra tentationum pericula & tribulationum grauamina, vel quascumque suas, vel suorum necessitates. Hic modus orandi magis requirit opportunitatem solitudinis, vel silentij circa se, & otij & quietis, quo plenius & securius se in Deum effundat affectus. Maior etiam in eo labor est capiti & corpori: ideo non potest ita frequens esse, vel durabilis, sicut prior in prima & secunda attentionis specie, maxime debilibus corpore: & aliqui indiscrete eam frequentantes destructi sunt. Vnde tales sæpe & breuiter sic orent & leuiter, vt ex frequentia à Dei familiaritate non elongentur, & ex breuitate & leuitate non destituantur.

Psal. 103. b

Secundus orandi modus, per verba affectu proprio formata.

CAPVT LXI.

De diuersis affectibus, & imaginationibus diuersarum personarum in orante, & in eo quem orat.

SECVNDVM autem diuersas causas, hic modus diuersarum personarum format affectus, & voces in orante, & diuersarum personarum imaginationes in eo quem orat. Aliquando enim homo personam rei assumit, coram Deo iudice astans cum tremore, & dicens Deo: Noli me condemnare. Item: Non intres in iudiciū cum seruo tuo, & his similia. Hoc oramus cum dicimus: Libera nos à malo, scilicet ęternę dānationis. Aliquando quasi obsessus ab hostibus tentationū, tribulationum, & non valens per se effugere, insuper timens se offendisse Deū, & per peccata sua meruisse vt tradatur hostibus, inuocat auxiliū, dicens: Ne memineris iniquitatū nostrarū. &c. Item: Ne proiicias me à facie tua, &c. Pręter finalē damnationē nulla Dei ira grauior, quam non defendere à peccato. Hanc maxime meretur superbia & ingratitudo & incuria, vt homo profundius cadere permittatur. Hoc est contra quod oramus: Et ne nos inducas in tētationem peccati. Inducere Deus dicitur, cum non custodit ne inducamur: sicut indurare dicitur cor peccatoris, cum per gratiam nō emollit internæ vnctionis. Hoc maxime in pugna tentationis & tribulationis onere timendum est, ne suo pondere nos opprimat, & in peccatum deiiciat. Alioquin optanda esset tribulatio non horrenda; quia animam purgatiorem redderet, & maioris esset meriti viriliter tolerantī. Aliquādo quasi seruus qui gratiam Domini perdidit peccando, supplicat sibi peccata sua & negligentias suas ignosci, quas commisit, omittendo debita, & perpetrando illicita, vel ea quæ debuit negligentius, & impurius persoluendo, dicens: Secundum multitudinē miserationū tuarū Domine dele iniquitatem meā. Item: Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim, &c. Hoc petimus, dicēdo: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quia ea benignitate debemus dimittere in nos quomodolibet peccantibus, qua desideramus nobis dimitti quod peccamus. Aliquādo quasi mendicus & pauper coram diuite patrefamilias procumbens, & inopiam suam ostendens, flagitat tamen gratię amplioris, quo confortetur, quo consoletur, & sustentetur ad resistendum malis. Triplici autem pane indigemus, quem nos instanter ab amico commodari poscere debemus: hoc est, cælesti, spirituali, & terrestri. Cælestis, est corpus Christi. Ioannes: Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Spiritualis est, verbum Dei, & gratia interna mentem ab interiori inedia virtutum, & donorum alimento reficiens. Psalmus: Panis cor hominis confirmat. Terrestris, est victus & alimentum quo corpus hic sustentari necesse habet: quia esuriem & sitim aliter temperare non potest. Hunc poscimus, dicendo: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sine quo nullo die subsistere valemus: omni enim hora Dei gratia indigemus: & ideo semper eam postulare iubemur ad omnia aggredienda. Aliquando quasi filius patri per omnia parere, & placare affectans, patrem deuotissime orat, vt eum à voluntatis suæ beneplacito in nullo discrepare patiatur, in actibus, & voluntatibus, & moribus ad omnia & in omnibus eum sibi ita conformem faciens, vt nihil in eo paternos oculos offendat, hoc solum sibi reputans solamen, & super omnia desiderans, vt ipse cælestis Pater tantum suam in eo voluntatem perficiat: siue exercendo in aduersis, siue consolando in prosperis, siue deprimendo vel quocunque modo sibi magis placet. Verè filialis & fidelis affectus est, nulla quæ sua sunt, quærere, non commoda, non honores, non consolationes: sed solummodo placitum pij Patris. Magnum est hoc à Deo petere, & magnum obtinere, vt tales nos in hoc peccati corpore faciat, vt illi summæ veritati placeamus, & ab eius directionis regula non deuiemus. Nihil melius, nihil vtilius in mundo posset nobis conferre etiam summus Pater, quem tales nos facere vt ei per omnia placeamus. Vnde Psalmus: Ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, &c. Hoc petimus cum dicimus: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra: vt sicut illi superni ciues ad voluntatem tuam sunt dispositi, ita & nos hic pro modulo nostro ad voluntatis tuæ beneplacitum disponamur. Aliquando anima quasi sponsa Dei in ipso vnico dilecto quiescere desiderans, & eius frui solum amplexibus ardenter sitiens, pro cuius amore omnia ei inferiora viluerunt, quia sitim suam aliter temperari non sperat, nisi

Iob. 10. a
Psal. 142. a
Matt. 6. b

Orationis Dominicæ breuis & dilucida explicatio.
Psal. 78. c
Psal. 50. c
Ira Dei grauior.
Psal. 50. a
Psal. 24. c
Triplici pane indigemus omnes.
Ioan. 6. b
Psal. 103. b
Psal. 142. c

tota illic transeat vbi cum facie ad faciem irrepercussa videat acie, flagitando precatur hoc citius adimpleri, cupiens cum beato Apostolo dissolui & esse cum Christo: quia multo melius est tã iucunditate fruitionis Dei, quã securitate euasionis mali: & quia magis esset ad placitum illi summæ veritati, quam possit in hoc corpore quãtumcunque proficiens fieri: quia dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, & in multis offendimus omnes: ita vt si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cùm enim peccatum dicatur auersio à summo bono, & ad bonum inferius conuersio: in quantum inde auertimur, in tantum peccato non caremus: & qui magis auertitur, magis peccat: & qui minus, minus. Nihil autem inde auerti, non est peregrinantium, sed peruenientium: quia etsi voluntatis intentio vtcumque ei adhæret, affectus tamen sæpius hinc inde distrahitur, memoria multis aliis occupatur, & intelligentia cæcutiens ipsam veritatis lucem pure non intuetur. Ex his fit, quod aliquãdo in inferioribus istis impellimur vt cadamus, nisi à Domino sustentemur. Vnde gemens dicit Propheta: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, &c. Hoc oramus, cum dicimus: Adueniat regnum tuum. Ac si dicamus: Pondere peccati & corpore prægrauati non valemus ad illud citius volarẽ. Adueniat igitur regnum tuum, & nos celeriter hinc assumas, vt ab ista miseria liberemur. Interim in nobis operare tibi regnum in iustitia, & pace & gaudio Spiritus sancti. Aliquando quasi inebriatus spiritu, immemor sui met homo Deo deditus, & ei per amorem inhærens, super omnia ipsius gloriam & honorem promoueri, & eius notitiam ad omnes dilatari desiderans, tam pro ipsius quam pro aliorum salute rogat patrem, vt sanctificationis suæ notitiam omnibus manifestet, infideles ad lumen suæ cognitionis vocando per fidem, & fideles ad gratiam suæ sanctificationis conuertendo per amorem, & rebelles per ostensionem suæ potentiæ vtiliter contundendo: & quasi nõ possit, vel nolit sine aliis cælesti gaudio frui, anhelat & satagit plures secum trahere orando, docendo, bono exemplo præcedẽdo, & quocumque alio modo honorem Dei, & proximorum salutem, & profectum spiritualem promouendo. Et hoc affectu videtur loqui Apostolus ad Romanos: Tristitia est mihi magna, & dolor continuus cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. Moyses quoque eodem affectu videtur orasse, dicens: Aut dimitte populo tuo noxam hanc: aut si non vis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Non quod Apostolus vellet à Christo separari, vel Moyses deleri: sed quod affectum quem ad proximorum salutem habebant, euidentius exprimere non valebant: quasi non reputãtes sibi esse plenum gaudium introduci ad epulas cælestes, illis quos diligebant, & pro quibus mori optabant, foris fame pereuntibus. Hoc oramus, cum dicimus: Sanctificetur nomen tuum, vt nominis tui sanctificatio nobis plenius innotescat, quo te perfectius agnoscere & amare & reuereri possimus, & sanctitatis tuæ similitudinem induendo, tibi Patri sicut veri filii conformemur: vt vnus tecum spiritus efficiamur, in tuam transformati claritatem. Hanc orationis formam Christus docuit, & his septem petitionibus omnia petenda conclusit, & omnes orationum affectus comprehendit, sicut patere potest diligenter intuenti. Dignitatis autem ordinem in petendis seruauit, & ideo quæ vltima hic ponitur, illam ipse primo ponit. Quid autem plus peti potest, nisi liberari à futuræ damnationis malo, custodiri in discrimine præsentis tribulationis, peccata nobis ignosci, gratiam augeri & infundi, vt ad voluntatem Dei viuamus, & regnum eius consequamur, & honorem nominis eius videamus ad omnes peruenire, & sanctitatem eius ab omnibus cognosci, & imitari, siue singulatim, siue commixtim. Quidquid oramus ad aliquid, vel aliqua respicit: quia aliquando pro vno obtinendo singulariter oramus, aliquando duo vel plura simul petendo proponimus: & sicut solent orantes coram principibus, vt petitio eorum sit efficacior, modo commendare ipsorum clementiam quos rogant, modo proprias aggrauare miserias, vt ad misericordiam citius flectantur: modo aduersarii accusare fraudes & malitias, vt sibi sit in auxilio, hosti in odio: sic & nos in oratione facere debemus coram Domino, sicut sacræ Scripturæ eruditione docemur.

Phil. 1. a — 1. Cor. 5. a — Iac. 3. a — 1. Ioan. 1. d — Psal. 41. a — Rom. 9. a — Exod. 32. f

Oratione Dominica omnes nostræ petitiones comprehenduntur.

CAPVT LXII.

De gratiarum actione.

SVNT adhuc duæ species orationis, scilicet gratiarum actio, & vox laudis, large sumpto nomine orationis, secundum quod oratio dicitur pia mentis in Deum intentio. Gratiarum actio, est omnia bona à Deo data* sentire, & pro his eum laudare corde, voce, & opere. Gratias agimus, cum bona quæ accepimus, gratiæ Dei, non nostris meritis ascribimus. Laudare Deum, est Deũ laudabilem intelligere, & eius magnificentiam cum exultatione & admiratione extollere, vel pro eo quod in seipso est, vel pro his quæ facit. Gratias Deo agimus, cum de bono quod nobis ab ipso profluit, eius bonitatem commendamus. Ad gratiarum actionem pertinet, beneficia quæ accepimus, diligenter recolere, subtiliter intelligere, fideliter confiteri, studiose seruare, benefactorem diligere, & eius offensam cauere, & gratiam acceptam non otiose negligere, sicut ille piger seruus, qui abscondit pecuniam domini sui: sed ad id ad quod datur eam exercere, & inde non insolescere vel extolli. Ad gratiarum actionem accendit septuplex consideratio: triplex circa ipsum beneficium, duplex circa benefactorem, & duplex circa eum, cui præstatur beneficium.

Gratiarum actio quid. *al. scire. — Mat. 25. b

CAPVT LXIII.

De septuplici consideratione, quæ accendit ad gratiarum actionem.

BENEFICIVM commendatur, si est nobile & pretiosum in se, si est vtile accipienti, si est multiplex & sæpius iteratum. In benefactore duo consideranda sunt: Nempe si sit magnæ dignitatis: & si magno affectu dat beneficium. In illo cui præstatur beneficium, duo similiter consideranda sunt: si vilis est & contemptibilis, si indignus & immeritus: qui non meruit, sed demeruit, vt tale beneficium reciperet à tali. Hæc omnia in diuinis beneficiis excellentissime reperimus. Ipse dator est summus omnium, & immensę dignitatis, à quo magnum est si dignetur etiam cogitare de nobis. Tanto etiam affectu, & beneuolentia dat beneficia sua homini, quod si etiam modica daret gratanter essent recipienda: charitas enim eius superem net omni scientiæ, ita quod à nullo sensu potest æstimari. Ipsa beneficia eius, quibus in nobis operatur salutem, tam pretiosa sunt, quod nullo pretio sunt condigna. Quid enim potest condignum gratiæ Spiritus sancti excogitari, quam dat fidelibus suis? vel corpori Christi & sanguini, & gloriæ cælesti, præterea alia absque æstimatione & numero, quæ ab eo percepimus? Quanta vtilitas nobis ex his donis proueniat, penset qui valet: vt iustificatio à peccato, gratia sanctitatis, adoptio filiorum Dei, consolatio interna, defensio à periculis, consortium Angelorum, & beatitudo corporis, & animæ ex visionis Dei fruitione. Istæ & aliæ sunt vtilitates beneficiorum Dei. In his omnis felicitas consistit. Quam sæpe nobis ista conferat attende. Quoties enim perdimus per peccatum gratiam, toties reddit nobis offerendo, si volumus recipere. Item quoties abutimur donis eius, vel negligentes sumus in eius seruitio, vel ingrati, vel elati de donis eius, toties meremur ea amittere, siue sint spiritualia, siue temporalia, vel corporalia: & quoties non aufert cum demeremur, toties dat. Quibus autem tanta beneficia præstet tantus Dominus, in promptu patet. Quid enim sumus nisi puluis & cinis, miseri

Deus benefactor, & eius grandis affectus considerandus.

Beneficia Dei studiose contẽplanda.

Quanta quibus Deus præstet.

miseri & inopes, repleti multis miseriis, expositi omnibus periculis, & pene nihil à nobis, nisi labi continue possumus: & tamen cum ista vilitate & miseria Deo omnipotenti rebelles sumus, & pro dilectione & beneficiis reddimus ei contumelias & contemptum, inobedientes, negligentes, ingrati & elati. Quanta est ergo pietas Dei, illis tanto affectu, & studio sic benefacere, qui beneficia eius, nec agnoscere, nec conseruare, nec regratiando digne recipere student? Benefacere merenti, iustum est. Benefacere nihil merenti, sed tamen humiliter petenti, pium est. Benefacere nec promerenti, nec desideranti, magis est pium. Pissimum autem, & non nisi diuini cordis est, benefacere contemnenti, & aduersanti: & hoc vili, & seruo proprio, & figmento suo. Gratiarum actio meretur bona accepta conseruari & augeri, & ad maiorem profectum coueti, & maiorem fructum inde prouenire. Verbi gratia: Qui dono sapientiæ gratus fuerit, quod acceptum conseruatur in eo ne perdat, augetur vt plus, & plus sapiat, & vt maior vtilitas inde proueniat, tam in proprio merito, quam in aliorum ædificatione. E contra ingratitudo meretur amittere quę habet, nec alia accipere, & quæ retinet infructuose tenere, & fraudari præmio, & maius supplicium mereri pro negligentia & contemptu. Cui enim plus donatum est, plus repetetur ab eo. *Luc. 7. g* Ex semetipso potest quisque perpendere, quam detestabile sit vitium ingratitudo: cum hoc omnes odio habere soleant in aliis quibus benefecerunt, si nullas vel paruas ab eis inde gratias acceperint, vel amorem. Et ideo non indignationis est, sed clementiæ in Deo, quandoque negare petita ingratis: ne forte grauioris culpæ reatum incurrant, si pluribus beneficiis acceptis, plus fiant ingrati.

CAPVT LXIV.

De Laudatione Dei.

LAVDATIO Dei dignissimus est affectus: & nascitur ex consideratione diuinæ bonitatis, & ex admiratione profunditatis sapientiæ Dei, & ex stupore altitudinis diuinæ potentiæ, & immensitate maiestatis: quæ de ipso, vel per Catholicā doctrinam fidei intelligimus: vel per operum eius vestigia colligimus: vel per illuminationem inspirationis internæ puro mentis intuitu cōtemplamur. Omnia quæ de Deo cogitari, vel dici secundum veritatem possunt, vel sentiri, non nisi laus ipsius sunt: eo quod nihil in Deo sit, nisi summe laudabile & * amabile & venerandum: & quanto perfectius cognoscitur, tanto verius laudatur, & ardentius amatur. (* *al. admirabile.*) Diuinæ laudis amplissima est materia: quia tam ipse Deus, quam omnia opera eius docent eum super omnia laudabilem esse. Laudare Deum, est eum laudabilem cognoscere, & ostendere. Vnde Sancti, omnes creaturas non solum rationales, sed irrationales, & insensibiles, ad Dei laudem inuitant, quia omnia opera eius ostendunt eum laudabilem in se, & in omnibus agnoscitur laudabilis eius virtutis potentia: & prouida sapientia, & clemens misericordia, benigna patientia, & tolerantia, iusta meritorum retributio, larga remuneratio, & incomprehensibilis super omnia eius dignitatis exaltatio.

CAPVT LXV.

De septuplici materia laudis Dei.

SECVNDVM ista septem, intelligimus septuplicem Dei laudis materiam, cui omnia quæ laudem Dei sonant, possunt includi. Sex enim sunt principalia Dei opera, ad quæ omnia alia reducuntur. Septimum vero non est opus, sed ipse operans Deus, in se quiescens, & ab omnibus operibus suis supereleuatus. Horū figura sunt opera primorum sex dierum, quibus Deus omnia fecit, & compleuit quæ fecerat Deus in sex diebus: Sed cum omnia fecisset Deus in sex diebus, & nihil in septimo legatur addidisse quo facta perficeret, sed potius ab omni opere cessasse & requieuisse, quomodo ea perfecit si nihil addendo fecit? nisi quia per hoc nobis datur intelligi, quod omnis creatura de se imperfecta est, & ipse Deus est omniū operum suorū perfectio: & in ipsum reflectitur omnis creatura à quo fluit sicut in primam causam: ex quo omnia per causam formalem: per quem omnia per causam efficientem, in quo omnia per causam finalem: & hoc fit per glorificationem rationalis creaturæ: in qua clauduntur omnes aliæ creaturæ, cū propter rationalem creaturam omnia reliqua sint creata, & ipsa sit omniū capax per intellectum, & naturæ similitudinem, & hoc maxime apparet in homine, cui ad seruiendum omnia ista visibilia sunt creata. Primum opus Dei potest dici creatio, in quo laudabilis apparet eius mira virtutis potētia, quod tam multa, tam magna, tam varia tam solida, tam nobilia virtute plena potuit sic facile, sic subito, sic decenter, ex nihilo producere, & sic naturaliter collocare: cum extra mundum nihil sit, supra quod mundi moles quasi super basim collocetur. Sapientia: Si virtutem & opera eorum, id est, visibilium & factorum mirati sunt, intelligant ab ipsis, quoniam qui hæc constituit, fortior est illis. Secūdum opus Dei est vniuersorum gubernatio, in quo euidenter apparet laudabilis sapienprouidentię Dei: quia nihil omnium quę sunt, à maximo vsque ad minimum latet eius scientiam, sed omnium nouit proprietates, virtutes, operationes, & singulorum multiplices rationes naturales & causales, quare singula sint sicut sunt, & non aliter. Et hæc omnia præordinauit sic, vt quasi naturaliter, vel causaliter videantur fieri: tamen ita librata sunt in eius prouidentia, vt nunquam excedant dispositionis eius limites, & omnia bonis cedunt in bonum per eius prouidentiam, & malis in malum per eius æquitatis iustitiam. Et licet in his & in aliis specialiter dicatur laudabilis videri eius potentia & prouidentia, vel alio in Deo laudabilia: tamen in singulis eius operibus omnia simul intelliguntur, sed causa breuitatis transeo. Tertium opus Dei est humani generis redemptio: in quo specialiter apparet laudabilis clementiæ eius misericordia, qua nostræ miserię compatiens decreuit nostrā naturam assumere, & debitum satisfactionis nostræ pro peccato nostro moriens exoluere: & sic nos de mortis debito eripere, & in pristinam restituere dignitatem. Quid clemētius quid misericordius cogitari possit, quam summum Dominum pro vili seruo fieri minimum innocentem pro reo liberando se morti tradere, pro inimicis glorificandis inglorium fieri, & ab ipsis pro quib[9] patitur, se occidi permittere? Quartum opus Dei, est opus iustificationis nostræ: in quo laudabilis apparet eius patientiæ sustinentia, qua peccatores non solum patienter tolerat, sed & benigne à peccato iustificat, & à peccato defendit, & gratiam merendi donat, & occasiones merendi prouidet, & sacramenta quasi gratiæ vasa instituit, vt per ea infundatur gratia iustificationis à peccato, & Spiritum sanctum dat fidelibus ad compunctionem & consolationem, & ad varias virtutes, & gratiarū operationes, & faciens de inimicis amicos Dei, & filios & heredes, liberū arbitriū ad bonum promouens, nec tamen libertatē auferens: inuoluntarios faciens voluntarios, non cogendo, sed inspirando, & occasiones procurando. Quintum opus Dei, est iusta meritorum retributio, quoad reprobos: in qua laudatur eius munditia, qua detestatur omne vitium & peccatum, & omne bonum diligit, & congaudet quasi sibi condecenti. Laudabilis est eius iustitia, qua malum impunitum non patitur, & secundum meritum suum locat in peccato perseuerantem: & quo fructu se spoliauit peccator, priuat eum, & fructum operum suorum facit eum in tormentis gustare. Et laudatur eius sapiētia qua scit etiam de malis eligere bona: & cogere sibi seruire in pœna, qui nolebāt ei subesse in culpa Et ordinat omnia malis cedere in pœnā, quę hic couerterūt ad peccatū, vt corpus, intellectū, tēpus præsens: & alia quę data eis

Per sex opera Dei mirifice docet Deū semper laudandum. *Primum opus Creatio omnium.* *Sap. 13. a* *Secundū gubernatio conditorum.* *Tertium redemptio generis humani.* *Quartum iustificatio nostra.* *Quintum reproborum punitio.*

eis fuerant, vel oblata ad occasionem merendi & gloriæ augmentum, quæ ipsi conuerterunt ad peccandi instrumentum: sed iustitia Dei conuertit ad cumulum pœnæ. Corpus per quod hic peccauerũt, illic in pœna recipiẽt: & per hoc plus cruciabuntur. Intellectum ad temporalia conuerterunt: & per hunc inexcusabilius accusabuntur. Tempus quod ad seruiendum Deo acceperant, in peccato consumpserunt: & ideo sine fine punientur, sicut hic finem non posuerunt in peccato: vt qui peccant in suo æterno hic, puniantur in æterno Dei illic: & qui in Deum infinitum semper peccauerunt, in infinitũ quoad durationem pœnarum crucientur. Laudatur & bonitas Dei, qui hanc malorum pœnam ordinat ad beatorum lætitiam, qui talia per Dei gratiam euaserunt. Ita autem ordinatur per Dei iustitiam reproborum damnatio, sicut per eius bonitatem beatorum saluatio. Sextum opus Dei est gloria beatorũ: in qua laudatur eius larga, & mirifica remuneratio, qua pro paruo & breui merito æternam, & ineffabilem Sanctis dat in cælo gloriam, & lætitiam, & felicitatem, & omnia eis ordinat in bonum, tam bona, quàm mala, & propria & aliena: & non solum mala pœnæ, sed etiam mala culpæ: vt de bonis propriis glorientur, & de alienis congaudendo delectentur. De malis propriis gaudent quæ euaserunt: de alienis quod similia non inciderunt. Gaudent de propria felicitate quæ est multiplex. Gaudent de omnium electorum gloria, tam multipliciter, quam multiplex est omnium gloria simul tam in numero, quam in magnitudine: & de quolibet sicut de se gaudent: qui tantum diligunt illum habere quæ habet, quod nollent ea habere, vt alter careret eis. Sed de gloria Dei tanto plus super omnem & suam, & Sanctorum gloriam gaudent, quanto plus Deu diligunt supra seipsos, & supra omnes alios, & maxime cum gloria Dei infinita sit: & ideo supra omnem mensuram debet esse gaudium de gloria eius, licet creatura nõ valeat infinite diligere & gaudere, & adhuc gaudet quisque se diligi ab omnibus, sicut diligunt seipsos. Insuper gaudet se diligi à Deo plus ineffabiliter quam à seipso. Et omnium gaudia sibi gaudent esse communia, & ad plene participandũ exposita: & hauriunt de omnibus quantum capiunt & capere possunt sicut proprium. Ibi erit gloria spirituum & corporum. Ibi videbitur Deus secundum diuinitatem facie ad faciem, & secundum humanitatem gloriosam in quam desiderant etiam Angeli prospicere. Sicut etiam certi sunt electi se gloriam illam habere: ita certi sunt quod nunquam possunt eam amittere. Ibi est satietas sine fastidio, & desiderium desiderati plena adeptione. Ibi plena & pura laus resonat de omni corde laudantium Deum, pro tam magnifica bonitate eius, quæ eos ab æterno ad hãc gloriã prædestinauit. Posset qui vellet ista sex opera Dei, in quibus est omnium operum eius consummatio referre ad primorum sex dierum significationem: vt opus creationis assignetur primæ diei, in qua post omnium materialium creationem facta est lux, distinguens noctem & diem: quia spiritualis creatura à corporea est distincta luce intelligentiæ rationalis. Opus gubernationis significatur per opus secũdæ diei: in qua aquæ superiores interpositione firmamẽti distinguuntur ab inferioribus: quia cælestia quantum situ distant à terrenis, tantum & qualitate, & tanto nobiliori modo diuinas influentias recipiunt, quibus iuxta modum sibi congruum ordinantur. Opus redemptionis significatur opere tertiæ diei, in qua aquis inferioribus segregatis à terra, terra apparuit arida, & fructifera: quia peccatis totum genus humanum occupantibus semotis ab Ecclesia, & apud infideles remanentibus, Ecclesia diuersis gratiarum germinibus fœcundatur. Opus iustificationis significatur opere quartæ diei, in qua luminaria cæli facta sunt: quia per solem charitatis, & lunam fidei, & stellas aliarum virtutum, corda fidelium illuminantur, & vitam, & ordinem, & meritorum vigorem quasi per lucem & calorem siderum consequũtur. Opus iudicationis & condemnationis reproborum significatur opere quintæ diei, in qua ex aquis natantia & volatilia facta sunt: quia ex eodem genere hominum, alij eleuantur sursum ad cælestia per gratiam, alij relinquuntur in reatu damnationis, in qua nati sunt per meritum culpæ originalis & actualis. Opus glorificationis significatur per opus sextæ diei, in qua homo ad imaginem Dei factus omnibus mundanis præficitur: quia per gloriam fit homo Deiformis, & illi vnitur, sicut membrum capiti, qui omnibus sicut verus Dominus principatur IESVS CHRISTVS Dominus noster. Septimum Dei non est opus, sed operis Dei impletio per quietem in Deo: qua Deus quiescit in se & nos in Deo. Vnde sabbathum appellatur; id est, requies: quia per quietem in Deo perficitur rationalis creatura, quæ est causa & forma omnis irrationabilis creaturæ: cum ad hoc semper omnis natura conetur, vt rationalem mẽtem doceat se, & Dominum suum agnoscere, & ei ad hoc seruiat, vt eum ad Domini sui seruitiũ semper admoneat, & ad laudandum eum accendat. Qui hoc sabbathum quiescendo non celebrat, pactum Dei cum homine violat, qui super omnia vult hominem in se quiescere: & sibi per amorem tenaciter inhærere. Ipse summa est suæ laudis materia, quem nulla operum suorum magnificẽtia valet docere laudabilem, sicut est. Sicut opus mutum nescit artificis sui peritiam vocaliter enũciare: sed tacendo innuit quam sit laudabilis qui talia voluit & sciuit, & potuit tam feliciter operari. Ecclesiasticus: Maior est omni laude. Septem autem verbis visitatoribus Ecclesia vtitur ad laudẽ Dei, quasi septem iubileorũ tubis mysticis: scilicet laudare, benedicere, magnificare, confiteri, honorificare, glorificare, & superexaltare. Tertius orandi modus est mentalis, cum tacito ore sola mens sua desideria pandit Deo, & affectũ cordis Deo effundit, & eũ intus per amorẽ amplectitur, vel cũ reuerẽtia adorat: tãto se latius in Deũ diffundens, quãto plura valet affectus cõprehẽdere quàm lingua exprimere, dicens cum Psalmista: Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. De hac te dicit Dominus: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus, & qui adorant eũ in spiritu oportet adorare. Et hæc oratio videtur magis propria: cũ Deus magis cor attendat quàm verba oris. Sed verba ideo apponimus, vt cũ mens pigra est ad se eleuãdũ in Deũ, per verba orationis sustentata eleuetur, vt memoria Deo inhæreat, intellectus sursum tendat, affectus per deuotionem inflammatus gustet quam suauis est Dominus, ex intẽtione sacræ orationis afflatus. Deus enim qui creauit nos, scit quid nobis necesse sit antequam petamus eum: & ideo non indiget, vt per orationem insinuemus ei quid desideremus. Item qui ad hoc fecit nos vt benefaceret nobis gratuito propter semetipsum, oratione nostra non indiget flecti ad miserandum, quod & ante disposuerat facere: sed ampliorem nobis in hoc perfectum procurat, cum gratis nobis benefacit, sicut ab æterno disposuit: & tamen orationis nostræ studium ad multiplicem nobis vtilitatem conuertit: atque oratio nõ est causa eius beneficientiæ, sed via: vt si non propter illam, tamẽ per illam nobis misereatur. Multiplex est orationis vtilitas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima quia facilius & citius per eã impetramus quæ à Domino desideramus: ita vt quãdoque citius breui oratione aliquis obtineat, quod diutius ieiuniis, vel alijs laboribus, & pijs operibus vix obtineret, licet & alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur. Vnde in omni casu in omni periculo, pro omni desiderio desiderato, sẽper inueniemus sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius quod petebant consecuturi. Matthæus: Omnia quæcumq; petieritis in oratione credentes, accipietis. Quid enim non potest oratio efficere.

* * *

Sextum glorificatio beatorum.

Elegans collatio præcedẽtium cum operibus sex dierum.

Sabbathum.

Eccl. 43.d

Tertius orandi modus mentalis.

Psal. 37.b

Ioa. 4.c

Mat. 6.b

Oratio misericordiæ Dei non est causa, sed via.

Mat. 21.b

CAPVT LXVI.

De effectibus orationis.

ORATIO iram Dei placat. Moyses orabat Dominum, & placatus est Dominus. Peccatorum veniam impetrat. Matthæus: Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Item: Dimitte nobis debita nostra, &c. Tentationis impetum sedat. Numeri: Orauit Moyses, & absorptus est ignis. Vitia cordis expellit. Psalmus: Disperge illos in virtute tua, & destrue eos, &c. In periculo liberat. Psalmus: Inuoca me in die tribulationis. A periculis defendit. Matthæus: Orate ne fiat fuga vestra, &c. De hostibus vindicat. Secundo Paralipomenon: Orauerunt Ezechias, & Isaias aduersus Sennacherib. Difficultates complanat. Iosue: Vociferante populo muri Iericho corruerunt. Familiaritatem Dei confert. Psalmus: Prope est Dominus omnibus inuocantibus eũ. Isaias: Clamabis, & dicet, Ecce adsum. Impetrat dona Spiritus sancti. Actus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Lucas: Pater dabit Spiritum bonum petentibus se. Item donum sapientiæ, Iacobus: Si quis vestrum indiget sapientia, &c. Item gratiam prædicandi. Ad Ephesios: Orãtes pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei. Item reuelationem secretorum. Hieremiæ: Clama ad me, & annunciabo tibi grandia, & firma. Item potestatem quorumlibet miraculorum. Elias orauit vt nõ plueret: item pro puero suscitando. Item temporalia subsidia confert. Psalmus: Oculi omnium in te sperant Domine. Item subleuationem quarumlibet aduersitatum. Regum: Fames si oborta fuerit, vel pestilentia, &c. Item quorumlibet vtilium, vel necessariorum donationem. Ad Romanos: Nam quid oremus sicut oportet, &c. Itẽ vitam æternam. Ad Romanos: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et breuiter, omnia contraria saluti reprimit, & necessaria confert, & conseruat, & perficit. Vult enim Deus non tantum orari pro eo quod & ante dare disposuit, sed vult vt plus orando mereamur per fidem, qua credimus quod non videmus: per spem, qua obtinere confidimus petita: per charitatem, qua exauditorem amplius amemus: Iuxta illud: Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Item per humilitatem, qua in supplicatione perseueremus. Item per desiderium, quo bona adipisci cupimus. Oratio est quasi speculum: nam clarius facit hominem agnoscere defectus suos, vel profectus: quia conscientia melius ibi se sibi repræsentat: & vel ex profectus consideratione in fiduciam spei læta erigitur: vel ex defectus consideratione confunditur. Oratio quoque mentem à terrenis magis leuat & elongat, quam ceteræ actiones: quia cum illæ negotientur cum Martha circa frequens ministerium in seruitiis, ista cum Maria pedibus Domini inhærens, eum solum sibi propitium esse exorat.

Exo. 32. d. Mat. 18. d. Matt. 6. b. Num. 11. a. Psal. 58. c. Psal. 49. c. Mat. 24. b. 2. Parali. 32. e. Isa. 37. c. Ios. 6. c. Ps. 144. d. Isa. 58. c. Act. 2. a. Luc. 11. b. Iac. 1. a. Ephes. 6. d. Hier. 33. a. Iac. 5. d. 3. Reg. 17. a & d. Psa. 144. c. 3. Reg. 8. e. Rom. 8. e. Rom. 10. c. Psa. 114. a. Oratio speculum. Luc. 10. g.

CAPVT LXVII.

De præsentatione Dei in affectu orantis.

MVLTIS autem modis affectus orantis, Dei respectum sibi repræsentari sentit. Aliquando videtur affectui dum orat, quasi Deus nec audire dignetur, nec attendere. Iuxta illud: Auertisti faciem tuam à me, &c. Item Iob: Ecce clamo ad te, & non exaudis me: sto & nõ respicis me. Inde oritur aliquando tædium orandi, quasi vana sit oratio quam Deus non dignetur acceptare. Aliquando quasi iratus apparet & implacabilis: & inde conscientia confunditur, & timore perturbatur. Iob: Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Vnde Hieremias Propheta orat: Non sis mihi tu formidini spes mea in die afflictionis. Et Psalmus: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Isaias: Multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum continuerunt se super me. Quanta sit illa animę tribulatio & mæror, ille nouit qui propter hoc ab instantia supplicandi non desistit. Non enim propterea à prece cessandum est, quia Deus non acceptat, sed eo instantius orandum est: quia Deus probat per hoc orantis constantiam expurgat humiliati conscientiam, & remunerat afflicti patientiam. Bernardus: Obsecrationibus insistendum est, sed in omni humilitate & patientia: quia non afferunt fructum nisi in patientia. Quasi enim cælum desuper sentit æneum, dum nullam deuotionis velut roris cælestis stillam pulsando in oratione percipit: & terram cordis sui ferream, dum nullo psalmorum, vel orationum irriguo ad fructum compunctionis emollitur, sed veluti mulier Chananæa auersum à se Domini vultum æstimans, peccata sua quasi canis immunditiam sibi exprobrari reputat, & pane filiorum se arbitratur indignam. Sed tamen prudenter aduertendum est, quod ista pauidæ mentis imaginatio, qua durum & austerum sibi proponit Deum, qui vere mitis & benignus est, & in veritate pius & misericors: aut est deceptæ mentis propria confictio, qua format sibi idolum, pro eo quod non est ipse: aut est dispensatiua permissio ad terrendum, vel humiliandum & corrigendum, vel purgandum animũ, quo postmodum suauius sapiat ei benigna Dei respectio: sicut post expertam amaritudinem desiderabilior fit dulcedo. Aliquando quasi aliis occupatus orantis affectum Deus non curare videtur: quasi videat & orantem tranquille sustineat, sed non respondeat ei aliis intentus. Hoc videtur Propheta sensisse, cum ait: Exaudi Deus orationem meam: ne despexeris deprecationem meam: intende mihi & exaudi me. Et iterum: Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. Aliquando videtur quasi benigne oranti intendere, sed tacendo non annuere, vt preces illas suscipiat cum affectu. Iob: Cum inuocantem exaudierit me, non credo quod exaudierit vocem meam, id est, nescio si exaudierit me. Aliquando etiam benigne orantem respicere, & clementer eius orationibus assensum præbere, & fauorabiliter annuere desiderio obsecrantis. Et hæc deuotæ mentis confidentia solet esse indicium exauditionis. De qua dicit Dominus: Qui non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Iacobus: Postulet autem in fide nisi hæsitans: qui enim hæsitat, non æstimet quasi aliquid accipiat. Nec tamen statim diffidendum est de exauditione, quando non pro voto succedit oranti: sed perseuerare debet pulsando, donec amicus quasi victus improbitate supplicantis ei det quod postulat.

Quam variè se Deus orantibus offerat. Psal. 29. a. Iob. 30. c. Ibid. c. Hier. 17. c. Psa. 142. a. Isa. 63. d. Bern. epist. ad fratres de monte Dei, paulo post med. Mat. 15. c. Psal. 54. a. Psal. 5. a. Iob. 9. b. Mat. 11. c. Iac. 1. a. Luc. 11. a.

CAPVT LXVIII.

De formis orantis.

QVANDOQVE petitio nostra vno modo formata hæsitationem facit, quasi non debeat admitti: si aliter formetur, fiduciam exauditionis reportat. Aliquãdo orans formam assumit serui, Dominum & iudicem suum humiliter, & timorate ad misericordiam prouocando: sicut Publicanus ille, qui nec oculos audebat ad cęlum leuare, sed percutiens pectus suum, dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Aliquando assumit formam familiaris amici & domestici: & cum reuerentia & fiducia rogat, & quasi consulit Domino, vt hoc faciat, vel hoc: exponens rationes vel causas quare sic decet fieri, vel expediat. Sicut in Genesi Abraham orat pro Sodomitis, & Moyses pro populo Israel, dicens in Exodo: Ne quæso dicant Ægyptij, Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret de terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis, &c. Item in Numeris: Ne audiant Ægyptij quod occideris tãtam multitudinem quasi hominem vnum, & dicant: Non poterat introducere eos in terram pro qua iurauerat: idcirco occidit eos in solitudine. Aliquando quasi filius confidens de dilectione paterna,

Luc. 18. c. Gen. 18. c. Exod. 32. c. Num. 14. c.

paterna, non tam obsecrat quam imperat patri vt exaudiat eum, expertam erga se beneuolentiam patris allegans, sicut Moyses in Exodo: Cum dixeris, noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me: si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciã te: & respice populum tuum gentem hanc. Item: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum: & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. Item: Obsecro Domine, peccauit populus tuus peccatum magnum: aut dimitte eis hanc noxam: aut si non dimittis, dele me de libro quem scripsisti. Magna fiducia hominis ad Deum. Non rogat se deleri de libro Dei, sed ea fiducia qua præsumit se non delendum de libro vitæ, petit illud remitti, non dubitãs se exaudiendum, vnde & quod petiit, impetrauit.

Exod. 33. c
Exo. 34. b
Exod. 32. f

CAPVT LXIX.

De vtilitate orationis.

VALDE autem Deus delectatur in hoc, quod frequenter oratur propter multiplicem orantis vtilitatem: scilicet vt Deo indesinenter inhæreat, quod summe est homini vtile inter omnia. Iuxta illud: Maria optimam partem elegit. Item, vt Dei beneficia multiplicius experiatur per multarum precum exauditiones. Item, vt abundantiori affectu deuotionis in amorẽ Dei excrescat. Ideo benigne prouidet nobis plures orãdi occasiones, quibus ad orationem sæpius stimulemur: siue pro nobisipsis, siue pro aliis orando: aut pro malis euadendis, aut pro bonis assequendis: vt cum affectus deuotionis tepescit ad vnũ in alio recalescat: sicut ignis subiiciẽdo ligna quotidie ne deficiat, restauratur. Leuiticus: Ignis in altari semper ardebit, quẽ nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies imposito desuper holocausto. Ignis iste erit perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Tu ergo Dei sacerdos, id est, sacris deditus, cum per noctem negligentiæ deprehenderis ignem deuotionis in altari cordis tui tepuisse, mane, id est, apparẽte prima lucis cognitione, subiice ligna orationis, diuersis occasionibus quasi adiacẽtibus variis siluis collecta. Magna silua & abunde ligna supplicationum ministrans, sunt peccata propria, quotidiana & antiqua. Magna silua negligentiæ nostræ, & miseriæ, & defectus virtutum & gratiarum, & vitia tam spiritualia quã carnalia, & tẽtationes & varij euẽtus quibus pulsamur, & incommoda quæ patimur, vel timemus, vel pro quibus dolemus, tam pro nobis quam pro aliis quorum miseriis compatimur. Magnæ siluæ sunt omnia quæ desideramus habere, pro quibus omnibus oramus vt impetremus. Similiter omnia beneficia nobis collata, pro quibus gratias agere debemus. Item pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur: & pro gloria sanctorum Deum collaudare multam deuotionis materiam quasi perpetui ignis nutrimẽta ministrat, quo superpositi operis holocaustum reddat odorem suauitatis. Affectus enim amoris Dei & sancti timoris, cum feruore bonæ voluntatis, in spiritu humilitatis, & motu pietatis, & gaudio spei, nunquam debet in corde serui Dei extingui. Ista namque sunt in quibus virtus deuotionis maxime consistit. Semper enim debet mens Deo dedita per aliquam piam occasionem se assuefacere ad Deum erigere, orando, supplicando, gratias agendo, laudando pro diuersis causis se omni tempore offerentibus. Iuxta illud Lucæ: Oportet semper orare, & non deficere. Item: Sine intermissione orate in omnibus gratias agite. Psalmus: Benedicam Dominum in omni tempore, &c. Quanto frequentius quis orat, tanto fiet ei oratio delectabilior & efficacior: & quanto rarius, tanto insipidior & tædiosior: sicut experientia sæpe docet. Videmus autem quandoque sæculares adhuc in statu peccati positos, ex multo orationis vsu magna deuotionis plerumque perfundi dulcedine, quælicet ex veræ charitatis radice non profluat, ostendit tamen Deus per hoc quam paratus sit iustis gratiam infundere, si non negligant quærere, qui adhuc in peccato positis, sed per orationis studium eius se familiaritati quoquo modo applicantibus suę dulcedinis experientiam non abscondit. Quid erit fidelibus amicis, si sic se dulcem quandoque Deus exhibet adhuc inimicis? Nehemias: Manna tuum non prohibuisti ab ore eorum. De quibus præmittit quod fecerunt vitulum sibi, & adorauerunt. Quid ergo religiosi excusationis habent prætendere, qui diuinæ dulcedinis expertes sunt, quam etiam sæcularibus si studiose quæsierint, videmus non negari? Vnde beatus Bernardus: Arguit nos pro certo negligentiæ & incuriæ ipsa inopia nostra: Sicut fauus sine melle, & murus absque temperamento, & cibus sine condimento: ita vita religiosi sine studio internæ deuotionis. Quamuis plurimi temporibus istis non solum non sentiant, sed neque curant, nec desiderant, nec quærunt, immo nec credunt, sed irrident & persequuntur in aliis deuotionis gratiam: tamen scire debent, quod omnis religio arida est & imperfecta, & ad ruinam pronior, quæ spiritum diuinæ suauitatis non quærit, quæ præcipuum conamen ad orationis studium & internæ puritatis non impendit: in quo expressissime Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Austeram vitam corporalis exercitationis, quasi ad modicum vtilẽ despicimus, & ardua pietatis opera actualiter non habemus, sicut olim sancti, qui pro fratribus animas posuerunt, & similia magna gesserunt. Item sublimia virtutum exercitia pauci habemus: vt eximiæ obedientiæ, perfectæ patientiæ, humilitatis præcipuæ, & paupertatis extremæ. Si ergo istis caremus, & adhuc orationis studium postponimus, in quo gloriari de nostra religione poterimus, nisi forte, de solo nomine & exteriori habitu, & verbis scripturæ quę in foliis & in ore magis quam in affectu, & opere gestamus: Sed nisi abundauerit iustitia vestra (ait Dominus) plus quam Scribarum & Pharisæorum, nõn intrabitis in regnum cælorum. Pharisæi in exteriori apparentia & religionis nomine tantum gloriabantur. Scribæ autem in verbis scripturæ sibi laudem & nomen magisterij acquirebant. Qui autem tãtum verba sectatur, nihil habebit: & qui omnia opera sua facit vt videatur & laudetur ab hominibus, mercedem non habebit apud Patrem qui in cælis est. Qui orationis studio vult intendere, assuescat primo aliquando orationi vacare, deinde sæpius ad orationem recurrere, deinde in oratione persistere diutius: tandem frequenter quantumlibet in oratione incumbere, nec pro fastidio, vel leuitate desistere, nisi quando corporis debilitas, vel vrgens necessitas, vel rationabilis vtilitas inde auocat, & iterum reuertatur in idipsum: ne per diutinam abstractionem redeat in desuetudinem orandi, & refrigescat affectus. Percurrat quoque singulos modos orandi, & diuersis modis suas petitiones formet, & diuersas petitiones attendet: vt tandem in aliqua deuotionis affectum concipiat, & illi quamdiu sibi sapit, inhæreat. Si autem debilitas capitis vel corporis impedit, tunc breuius & sæpius oret, & euagationes mentis cohibeat, & sensus exteriores sub disciplina retineat, & Dei auxilium ad singula humiliter inuocet, & patienter si pro suo voto non succedit, assidue sustineat. Ipsa quoque quãdoque retardatio proficiendi, est via perfectionis dum humiliat. Et ideo Deus pie cursum nostrum tẽperat, vt longius procedat, & per hoc melius à superbia defendimur: quia sæpe nimia proficiendi securitas, & feruor continuatus, vires corporis exhaurit.

Luc. 10. g
Leuit. 6. b
Deuotionis ignis perpetua oratione fouendus.
Luc. 18. a
1. Thess. 5. c
Psal. 33. a
2. Esd. 9. d
Ber. serm. 17. in Cant. ante med.
Simile. Absque Spiritu deuotionis & suauitatis, ad quam ducit oratio, omnis imperfecta religio.
Rom. 8. c
Matt. 5. c
Prou. 19. d
Matt. 23. a
Qua ratione studium orationis acquiratur.

CAPVT LXX.

De retrahentibus à profectu sine salute.

TRIA sunt quæ maxime à profectu retrahunt, non solum perfectionis, sed etiam salutis, sicut in pluribus experimur: scilicet remissa voluntas, horror difficultatis, diffidentia de auxilio gratiæ diuinæ. Remissa volũtas vult bonũ, sed sine conatu laboris: & ideo cõsuetudo leuitatis cito retrahit eam à proposito proficiendi. Ideo

Voluntas remissa.

pigra

pigra voluntas seipsam rationis instinctu cogere debet, & quasi pigrum animal stimulis timoris Dei & spo præmij agitare, & violenter impellere. Horror difficultatis per discretum & assiduum mitigatur & vincitur vsum. Gratia Dei sicut adest incipientibus, ita non deerit proficere studentibus: & vtilius est nobis semper timere, ne forte subtrahatur nobis, vt tanto studiosius eam conseruare laboremus, quam si certi essemus quod non perderemus: quia tunc negligentius eam recuperaremus, & minus proficeremus. Timor enim facit sollicitum & agilem, & securitas plerumque desidem & torpentem. Dominus noluit filiis Israel dare manna simul cum tanta quantitate, vt pluribus diebus sufficeret, sed vt singulis diebus colligerent, excepto Sabbatho: designãs quod quotidie panẽ gratiæ & cibum animæ petere debemus, dicẽtes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & qui dat hodie, cras quoque dare paratus est, tantum non negligamus petendo colligere, quantum sufficit ad salutis profectum. Cum in oratione te sentis exauditum & id quod petieras esse impletum, noli extolli, quasi pro sanctitate tua te Deus exaudierit, & pro tui dilectione fecerit quod rogasti: sed cogita quod pro sua bonitate id facere per se disposuerit, vel aliorum bonorum preces potius attenderit: & gratias age Deo, qui te suæ dispositionis cooperatorem habere, & aliorum suorum amicorum orantium in hoc participem facere dignatus est, vt in orationis actu & pietatis affectu merearis exaudiri, & in exauditionis fiducia consoleris, & ex petitionis tuæ impletione lætificeris, & ex his crescas in amore Dei, qui benigne procurat nobis occasiones quibus ad orationis præsidium compellimur, vt imminentes molestias euadamus: vel bona desideria inspirat, quæ orando compleri postulamus: vt cum rogatus exaudierit, magis ametur à nobis, & tanto sollicitius eius voluntati parere studeamus, quo eum nostris desideriis pie & prompte fauere, & obedire videmus.

Horror difficultatis.

Exod. 16. f

Luc. 11. a

CAPVT LXXI.

De causis quare non exaudiuntur orantes.

CAVSÆ autem quare non exaudiuntur orantes plures sunt, aut ex meritis culparum orantis. Isaias: Cũ multiplicaueritis orationem nõ exaudiã. Et causam subiungit: Manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccato Ioannes: Scimus quia peccatores Deus non audit. Isaias: Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Aut ex tepore orandi: quia non feruenter & deuote oramus. Hieremias: Orabitis & exaudiam vos cum quæsieritis me in toto corde vestro. quasi dicat, nõ aliter. Aut quia non perseuerat in orando, donec obtineat. Lucas: Si perseuerauerit pulsans, propter improbitatem eius surget & dabit ei. Iudith: Scitote quoniam exaudiet preces vestras si permanseritis. Aut ex diffidentia exauditionis Iacobus: Qui enim hæsitat, non æstimet quod aliquid accipiat. Ecclesiasticus: Ante orationẽ præpara animam tuam; & noli esse quasi homo qui tentat Deum, scilicet si velit audire. Aut quia nociuum, vel indiscretũ est quod petitur, sicut filij Zebedæi. Matthæus: Nescitis quid petatis. Iacobus. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis. Deuteronomium: Cum ploraretis coram Domino, non audiuit vos, neque voluit acquiescere voci vestræ. Aut vt magis ad petendũ quis prouocetur. Gregorius: Sancta desideria dilatione crescunt. Aut vt tanto cautius custodiatur acceptum, quo difficilius impetratur. Chrysostomus: Deus ad hoc beneficium suum protrahit, vt non sit nobis vile quod donat. Aut vt humilietur orans dum tardius exauditur: & sic duo bona proueniunt, videlicet vt insolens reprimatur elatio: & tamen petitionis non cassetur effectus. Aut vt in aliud tempus exauditio differatur magis congruum & vtile petenti. Sic Moyses gloriam Dei sibi ostendi petiuit, quam non tunc, sed postea meruit videre. Aut vt aliorum etiam suffragiis quærat iuuari, ne forte ardua petitio, vel præsumptio eum reprimat. Sicut Ezechias misit ad Isaiam, vt oraret pro se, & pro populo. Et Iosias ad Holdam Prophetissam. Item ad Romanos: Obsecro vt iuuetis me in orationibus vestris: vt liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa: Matthæus: Si duo ex vobis consenserint, &c. Aliquando etsi negatur vnum quod forte minus expedit, pro eo datur aliud vtilius, & melius. Vt Paulo cui stimulus carnis non est ablatus, vt virtus in infirmitate perficeretur in eo. Vtilior sæpe est exercitatio tribulationis, quam quies prosperitatis, licet hanc plus optemus. Ex his per contrarium potest aduerti quæ valeant ad exauditionẽ orationis, id est, culpę remotio, feruor & instantia, fidei confidentia, humilitas, & aliorum suffragia, & acceptæ gratiæ cum gratiarum actione studiosa conseruatio, & vt ea tantum petantur à Domino, quæ ipse nouit magis expedire, & quando.

Isa. 1. d

Ioan. 9. f

Isa. 59. d

Hier. 29. c

Luc. 11. b

Iudith. 4. c

Iac. 1. b

Eccl. 18. c

Matt. 20. c

Iac. 4. a

Deut. 1. g

Greg hom. 25. in Euã.

Vide Chrysost. homil. 30. in Gen. sub finem.

Exod. 33. c

4. Reg. 19. a

Isa. 37. a

4. Reg. 22. c.

Rom. 15. a

Matt. 18. c

2. Cor. 12. c

CAPVT LXXII.

De specialibus orationibus.

DE specialibus autem orationibus, quas quidam habere solent, vtrum expediat eas dici certis horis vel diebus. Nota quod quibusdam magis expediunt, & quibusdam minus. Incipientibus, & rudibus hominibus, & affectu deuotionis necdum imbutis magis expediunt: vt saltem consuetudo moueat ad orationis studium, ne semper vagi circa exteriora, à Deo fiant alieni, & frigidi torpeant & nunquam aliquo deuotionis igne calescant. Deuotionis autem affectu imbuti, & amplioris cũ Deo familiaritatis gratia subleuati, si nimis psalmorum, & similium orationum multiplicationibus intendunt, & spiritum obruunt, deuotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægrauant, dum melioribus oblatis, minus pro illo tempore vtilibus scrupulosius inhærent. Vtuntur tamen & ipsi plerumque huiusmodi orationum subleuamento quasi quodam afflatu, donec flamma deuotionis accensa, verborum follibus non indigeat: purius per se flagrans, & tranquillius in sublime extollens. Et iste modus videtur expeditior, vt speciales orationes tunc ex bona consuetudine ruminentur, quando maior non habetur deuotio: quando vero superuenit melior deuotionis infusio, vel vtilior, vel plus vrgens occupatio, consuetæ intermittantur orationes, ad quas quis non tenetur, donec tempus redeat opportunum. Quales autem orationes sunt vtiliores, puto non posse super hoc vniformem dari regulam: sicut de cibis corporis diuersa diuersis conueniunt, cum modo illud magis delectet edentem, modo aliud. Sed hoc videtur tunc esse fructuosius, quod orantem magis secũdum Deum delectet, & deuotionis spiritum promptius excitet, & mentis fiduciam erigat in Deum. Omnis ergo orationis fructus, & finis est Deo inhærere, & vnum cum eo spiritum fieri per liquefactionem purissimi amoris, & speculationem serenissimæ cognitionis, & absconsionem in Dei vultu ab omni mundanorum strepitu, per excessum quietissimæ fruitionis, vbi omnes vires animæ, & potentiæ à suis dispersionibus simul collectæ, & in vnum verum & simplicissimum, & summũ, bonum fixæ, in quandam diuinæ conformationis, & æternæ stabilitatis similitudinem transformantur. Sunt quidam inferiores gradus quasi scalares ascensus, quibus paulatim proficit anima, & illi fini propinquat. Primo enim assuescit dispersiones memoriæ, quibus per diuersa mundi oblectamenta & implicamenta distracta vagabatur, per vsum orandi colligere, & in vnum bonum defigere: quod est finis omnium desideratorum & delectabilium. Sed quia adhuc memoria lubrica, & instabilis, eo quod multis & multiformibus rebus diu adhæsit, quærens in quibus delectaretur, vel curiose occuparetur, non stabiliter valet inhærere diuinis, vel propter euagandi consuetudinem, vel propter tenuem spiritualium notitiã: ideo vtitur sustẽtaculo verborum in oratione, quæ Spiritus sanctus ad hoc inspirando hominibus

Orationis fructus & finis.

Quomodo poteris Deo inhærere.

bus ministrauit. vt per ea more paruulorum quasi baculis sustentati, assuescant assurgere & erigere se ad Deum. Et hoc fit cũ homo conatur verbis orationũ & psalmorũ intendere, & intellectum spiritualem ex eis elicere, & deuotionis affectum exprimere: sicut qui ex duro silice & ferro ignem excutit, qui illuminet & accendat. Si per assiduum vsum orandi cum adiutorio gratiæ Dei, quæ studiosis proficiendi semper subuenire parata est, memoria aliquando perficitur & stabilitur: iam sine graui difficultate valet orationi intendere, & euagationes mentis faciliter cohibere. Iuxta illud Psalmi: Ædificans Hierusalem Dominus dispersiones Israelis congregabit. Intelligentia etiam quæ prius quasi cæcutiens fuit exterioribus, & visibilibus inuoluta, incipit dilatari, & illustrari, ad videndum quæ prius non videbat. Velut qui cubiculum deforis veniens subintret: primo quasi nihil videns impingit in parietes & scabella: deinde paulatim incipit agnoscere grossiora, & tandem clare videt etiam minima: ita quod etiam miratur superuenientes non plane videre omnia quæ sibi iam sunt manifesta. Et hac illustratione dilatatur ad multa cogitanda, & alia colligit ex ratione, alia ex spirituali intelligit illuminatione, alia discit ex diuina reuelatione, & confert illa cum his quæ apprehendit ex humana eruditione, & imbibit ex sacra lectione: & consolatur non modicum quod videt alios eruditos & sanctos eadem sensisse, quæ ipse Spiritu sancto illustratus intellexit. Ex quo securus redditur quod non ab alieno spiritu, vel à proprij sensus opinione seducatur: cum eundem spiritum sentit in se esse locutum, quem & in prioribus sanctis. Caute tamen & humiliter in talibus est agendum: ne forte ex præsumptionis culpa homo decipi mereatur, & pro spiritu veritatis sequatur spiritum erroris, credens Spiritum sanctum loqui quod est proprij cordis opinio, vel immissio per Angelum malum, qui sæpe transfigurat se in Angelum lucis: persuadens falsa sub veritatis colore. Ioannes, Nolite omni spiritui credere: sed probate Spiritus si ex Deo sint. Nihil recipiendum est quod ab Ecclesiasticorum doctrina Magistrorum & approbatorum Theologorum traditione dissonat, nec reuocandum in dubium, quod ab eis vniuersaliter cum testimoniis sanctorum Patrum fuerit rationabiliter definitum: quia veritate reperta qui curiose per superuacuam subtilitatem altius perscrutando fodere nititur profunda scripturarum, quasi noui aliquid reperturus, quod ab aliis non fuerit inuentum, vanitatem diligens, mendacium quærit. Et quia Deus summe suauis & bonus est, & omnia quæ ab ipso fluunt sapida sunt & bona: ideo cum intellectus cœperit in agnitione veri dilatari, statim etiam gustus animæ, hoc est interior affectus incipit quodam spirituali sapore in cognitis delectari. Et sic quod in solo intellectu fuerat scientia accedente sapore affectus, dicitur sapientia, id est, sapida scientia: scientia est ex cognitione veri, sapientia ex adiuncto amore boni. Licet enim omnes animæ affectiones suos habeant proprios sapores, id est, motus sibi conuenientes, amor tamen quasi principalis suo motu omnes alios informat: maxime cum ipse ad summum & verum bonum debito modo fuerit conuersus: qui natus est nihil solidius amare quam summum bonum. Omnia alia quę propter id non diligit, tẽtando magis quam in eis quiescendo diligit. Et ideo cito per satietatem ei in fastidium vertuntur. Et rursum alia quærit si forte vel in aliis quiescat: sed non inuenit, nisi attingat summum bonum: quod cum attigerit quasi in debito fine suo quiescit: & tunc reliquæ affectiones debitos motus suos exercent, iuxta ipsius amoris mensuram. Quantum enim amas quodcumque bonum, tantum gaudes de eius adeptione. Et quantum speras, vel quantum cupis illud adipisci, tantum times vel odis id, quod posset id quod amas tibi auferre. Et quantum doles de non habito, tantum pudet de contrario, si quod diligis sit honestum. Quamdiu autem amor contrarios sentit affectus, id est, timoris, doloris, pudoris, & odij: tunc minor est in se & debilior, & quasi distractus & nondum totus in se collectus. Etiam cum adhuc spei locus est, nondum perfectus potest esse: dum non habet quod amat in fruitione, sed tantum in expectatione: quantoque expectatio incertior, tanto & amor tepidior sequitur. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc euacuabitur quod ex parte est: quia fruitionis gaudium erit perfectum, cum amor quæ cupit iã tenuerit, nec amittere vltra timuerit: nec de contrario aliquid inesse sibi senserit, quod vel pudendum sit vel dolendum. Perfecta enim charitas foras mittit timorem: cum iam nullam in se habuerit materiam odij, vel causam erubescentiæ vel doloris. Quanto ergo charitas magis augetur, tanto & aliæ virtutes & virtuosæ affectiones amplius purificantur: quousque omnes in eam solam transformentur: vt iam non sit timor vel dolor, spes vel pudor, sed tantum * suo gaudio fruens amor, & illi bono tenaciter inhærens, quod solum sufficit animæ desiderium adimplere, & ipsum * amore eius in se potenter transformare: vt iam agnoscat sicut & cognita est, & amet sicut amata est: quamuis non quantum amata est: vt sit similitudo, non æqualitas. Nulla creatura tantum potest amare Deum, sicut amata est ab ipso: sed tantum sicut accepit ab ipso. Deus enim sicut est causa omnium causarum, ita & diligit omnia in seipso & propter seipsum. Et ideo sicut eius cognitioni nostra non approximat, ita & amor noster eius amori non poterit comparari: nec in patria quanto minus in via, vbi multipliciter distractus, vix vel nunquam potest se colligere ad se, vt totus simul feratur in Deum. Proficit autem homo Deo deditus in studio inhærendi Deo sic, vt primo cum labore mentis euagationes comprimat & ad Deum colligat: Deinde ex vsu studij istius facilius iam cor suum cohibere, & secum habitare discit. Iuxta illud Exod.: Maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur ostiũ domus suæ die Sabbathi, & sabbatizabit populus. Tandem non solũ faciliter, sed & delectabiliter Deo valet inhærere: vt auulsio ab huius quiete sit ei desolatio, aut tribulatio non modica: sed semper vellet, si posset, talibus deliciis inhærere. Deuteronomium, Amantissimus Domini habitabit in eo confidenter, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requiescet. Sunt tamen gradus & profectus in hac commoratione. Primo, vt delectabiliter Deo inhæreat, & inuitus auellatur ab eo, sicut paruulus à matre blandiente, vel famelicus à cibo inuitus separatur. Nec mirum. Spiritualis enim iucunditas non solum delectabilis est fruendo, sed etiam pulchra & honorifica inhærendo, & pro merendo delectat, honestat, & locupletat. Suauis est gustus cælestium deliciarum, honorabilis amicitia Dei, & ciuium familiaritas supernorum, fructuosa charitas & meritoria sublimium prẽmiorum. Omne quod appetitur, propter istorũ trium aliquid desideratur: vel quia putatur delectabile, vel honorabile vel vtile: sed in quo omnia simul & plene conueniant, non inuenitur nisi in fructibus spiritualium deliciarum. Alia autem aut delectant, & turpia sunt & nociua: aut honesta vel vtilia, sed difficilia & laboriosa. Virtutis autem affectus & sapientiæ gustus, & diuinæ suauitatis fruitio dulcis est & venerabilis, & conscientiam lætificat & magnificat. Vnde Psalmus, Gustate quoniam suauis est Dominus, &c. Sed cum Sponsi amplexibus anima deuota inhianter inhæret, incipit inter eius brachia aliquo modo cõsopiri, sicut potatus nobili vino in soporem resoluitur: vt non solum delectabiliter, sed etiam tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibili sensu & memoria: sic tamen tẽperate, vt nec plene suimet oblita: nec tamen vere compos sit sui. vnde Psalmista: Si dormiatis inter medios cleros, id est, inter medios terminos mundi & cæli. Item in Canticis, Ego dormio, & cor meum vigilat. Est enim talis iste somnus sicut illorum qui incipiunt dormitare, & videntur tamen sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire & intelligere: sed præ sopore non aduertunt, nisi velint sibi vim facere, vt ad se plenius reuertantur. Amor enim Dei cum pura intel-

Margin notes (left): Psal. 146.a — Simile eleganis. — 2. Cor. 11.c — 1. Ioa. 4.a — A recepta Theologorum Catholicorum traditione non recedendum. — Sapientia sapida scientia.

Margin notes (right): 1. Cor. 13.c — 1. Ioa. 4.d — * summo gaudio feruens. * amorem — Nulla creatura amat Deum, quomodo ipsa amatur à Deo. — Gradus quibus venitur ad Deo inhęrendum. — Exod. 16.f — Deut. 33.b — Psal. 33.b — Psal. 67.b — Cant. 5.a — Amor Dei mentem inebriat.

ligentia conditus inebriat mentem: & ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat & coniungit. & quanto amor vehementior & intelligentior & lucidior, tanto validius mentem in se rapit, quousque tandem omnium quæ sub Deo sunt plene oblita, in solo diuinæ contemplationis radio libere figatur, licet breuiter velut in quodam corusco luminis cælitus emicantis: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa simul cogitantem. Sensus enim hominis per se pauca potest, & vix tenuiter cogitare. Subleuatus autem affectu superni luminis, tanto plura simul intuetur, quanto supra se sublimius eleuatur. Sed corruptio terreni corporis, & variæ huius vitæ occupationes, deprimunt animam, & reuocant ad seipsam, vt gemens clamare cogatur cum Apostolo ad Romanos: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Item cum Propheta: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Quanto plus mens sollicita est ad ista inferiora cogitanda, & humana meditanda, tanto plus à superioribus & cœlestibus deuotionis intuitu elongatur: & quanto feruentius ab inferiorum memoria, affectu & intellectu ad superna sustollitur, tanto perfectior est deuotio & purior eius contemplatio: quia simul perfecte non potest vtrisque esse intenta, quæ ab inuicem sicut lux & tenebræ sunt diuisa. Qui Deo inhæret, in lumine versatur: qui mundo inhæret, in tenebris est. Hæc est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhærere Deo, vt tota anima cum omnibus potentiis suis & viribus in Deum collecta, vnus fiat spiritus cum eo: vt nil meminerit nisi Deum, nil sentiat vel intelligat nisi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio vniti in sola conditoris fruitione suauiter quiescant. Imago enim Dei in anima, in tribus eius potentiis expressa consistit, scilicet in ratione, memoria, & voluntate: quamdiu istæ non sunt ex toto Deo impressæ, non est anima deiformis. Forma enim animæ Deus est, cui debet imprimi sicut sigillo signatum. Hoc numquam plene fit, nisi cum ratio perfecte iuxta capacitatem suam illuminatur ad cognitionem Dei, qui est summa veritas; & voluntas perfecte afficitur ad amandum summã bonitatem; & memoria plene absorbetur ad intuendam & tenendam & fruendam summam fælicitatem: & quia in eorum consummata adeptione constat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria: liquet quod istorum perfecta inchoatio, est perfectio viæ in hac vita. Quamuis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur, tamen specialiter orationis studium ad hoc nititur, vt anima toto intellectu & affectu & memoria in Deum feratur; quia aliis postpositis, soli Deo anima inhærere desiderat cum oratione. Vnde orationis perfectio est, cum id obtinet anima, ad quod orando tendit, vt tota ab infimis abstracta, solum vniatur diuinis: nec volens, nec valens aliud sentire, nisi Deum. Ibi vere quiescit anima, ibi deliciatur in splendore lucis, in amœnitate diuinæ dulcedinis, & in securitate pacis. Hæc autem spiritualis amœnitas non potest per aliquas imaginabiles describi similitudines, nec per sensibilium depingi comparationes: quia pure spiritualia tantum differunt à sensibilibus, sicut & spiritus à corpore. Spiritus vero rationalis nec corpus est, nec corporis similitudo. Circa vero hunc contemplationis excessum sunt diuersæ deuotionum species, quas breuitatis causa prætereo, quibus vel scriptura vel scripturę tractatores diuersa nomina imposuerunt: vt iubilum, ebrietas spiritus, spiritualis iucunditas, liquefactio, &c. quæ expertis & vacantibus explananda relinquo, aliqua tamẽ breuiter tangam istorum. Et quia iubilum vsitatum nomen habet ex scriptura, videtur quod iubilũ sit quoddam spirituale gaudium cordi repente ex aliqua deuota cogitatione vel collatione infusum, quod cor totum concutit ex sui vehementia, & quodam tremore commouet, & delectabiliter cruciat: quia motus gaudii consolatur, sed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur: & aliquando per risum, aliquando per quosdam clamores, aliquando per aliquos gestus & singultus quasi euaporando erumpit, non valens se intra se tacitum continere. Gregorius: Iubilum namque dicimus, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit, nec sermonibus aperiri: & tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis suis proprietatibus exprimatur. Vnde Psalmus. Beatus populus qui scit iubilationem. Non ait, qui dicit, sed qui scit: quia sciri quidem iubilatio potest, sed dictu exprimi non potest. Ebrietas spiritus potest dici quęlibet magna amoris & gaudii deuotio, ex qua quasi ex vini fortitudine feruor spiritus exhilarescit, quod se intra se cohibere nõ valet. Vnde Apostoli S. Spiritus feruore æstuantes, musto pleni dicebãtur. Iob: Venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Nouas dicit, non veteres, vel quia veteribus cordibus non infunditur talis deuotio, sed nouis, in nouitate vitæ ambulantibus: vel nouas dicit, propter fortitudinem impetus spiritus: qui si nouas dirumpit, quanto magis veteres? id est, fragiliora corda & infirma: vel nouas dicit, quia talis feruor spiritus nouis & nondum exercitatis mentibus nuper infusus, minus se valet cohibere, quin erumpat per insuetatos gestus, vel voces, vel singultus, sicut vinum nouum in vase ebullit, quod inueteratum quiescit. Quandoque etiam corpus quasi obrigescit, & membra inhabilia & inflexibilia fiunt ex subita feruoris & suauitatis influentia: & hoc potest esse quia spiritus omnes accenduntur affectu cordis inflammato, quia extensione * terminorũ & obstructione viarum spiritualium membra amittunt habilitatem officiorum suorum: vt lingua loquelæ, manus operationum, & pedes & crura gradiendi; quousque feruor iterum remittatur, & viæ spirituum apertæ fiant vt prius. Nec mirum si hæc affectiones diuinæ possunt efficere, quarum virtus fortior est, cum etiam humanæ affectiones hęc interdum valeant: vt subitus terror, & immoderata lætitia; & subitus dolor, & odium immensum, & intemperatus amor; sicut sæpe compertum est, etiam in ecstasim & in stuporem vel in phrenesim aliquos ex huiusmodi raptos esse, & membra in rigorem vel tremorem versa, vel etiam febres ex vehementi molestia incidisse. Quid etiam mirum, si ex magna spiritus hilaritate, quam Spiritus sanctus cordi infundit, aliquando erumpat in aliqua aperta hilaritatis indicia, vel si quandoque singultibus & fletibus apertis imperare nõ valeat, & huiusmodi internæ deuotionis motus abscondere? cum videamus sæpe aliquos ex stulta leuitate à risu, & insolentibus cachinnis nõ posse se cohibere, etiam vbi pudor humanus imperat disciplinam? & aliquando ex humana tristitia oborto fletui non potest homo, quamuis libenter faceret, imperare? Cum enim scriptum sit: Deus noster ignis consumens est, & Deus charitas est: quid mirum si feruor diuinæ charitatis cordi infusus totum hominem cõmouet? sicut si vitro fragili, & vasi fictili bullientem liquorem vel ignem ardẽtem infundas, crepitationis fragorem concitas. Cor namque diuini amoris gaudio, vel diuinæ fruitionis inflammatum desiderio, in se dilatatur & extenditur, & quasi intra angariam pectoris se capere non sufficiens, quodammodo erumpere conatur, vt flãmam quam intus patitur, foras eructet, & ardoris sui refrigerium qualecunque inueniens euaporet. Quod cum non potest, vel humano pudore non audet, mirabiliter in semetipso cruciatur, & corpus valde ex talibus motibus debilitatur: quia virtus diuinæ dulcedinis intolerabilis est imbecillitati terreni corporis, sicut si ignem vitro immittas. Vnde legimus sanctos ex diuinis visitationibus vel reuelationibus corruisse & viribus emarcuisse. Daniel, Vidi visionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo, & emarcui, nec habui quicquam viriũ, & iacebam consternatus super faciem meam, &c. Thr. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me: ideo Spiritus sanctus in igne super Apostolos venit: quia virtus amoris diuini sicut ignis illuminat & inflammat. Spiritualis iucunditas dici potest gaudium quoddam in Spiritu S. quod à Spiritu S. infunditur, quo gaudet ani-

Marginalia: Sap. 9. 6 — Rom. 7. 6 — Psal. 119. A — Perfectio hominis in hac vita. — Orationis perfectio. — Deuotionum contemplationis species diuersæ. — Iubilum. — Greg. li. 24. Mor. cap. 6. & lib. 28. cap. 14. — Psal. 88. c — Ebrietas Spiritus. — Act. 2. b — Iob 32. d — * neruorum. — Deut. 4. d — 1. Ioan. 4. c — Dan. 10. b — Thren. 1. c — Act. 2. a — Spiritualis iucunditas.

mus in Deo, siue pro perceptis diuinis beneficiis, vel promissis: & licet aliqui putent spiritualem esse lętitiam, cum aliquando inter se iucundi sunt, tamen sciant quod spiritualis lætitia sicut caret amaritudine tristitiæ sæculi & acediæ torpore, ita & dissolutionis leuitate. Spiritualis enim lætitia dupliciter accipitur, specialiter & generaliter. Specialiter, & tunc est motus spiritualis specialis gaudii in Spiritu S. ex intuitu beneficiorum Dei & futuræ gloriæ & bonitatis diuinæ. Generaliter, & tunc est quędam mentis hilaritas ex bona confidentia ad Deum, & bonæ conscientiæ testimonio; reddens hominem beneuolum & deuotum ad omnia agenda & sufferenda pro Deo, & omnia quæ Dei sunt diligenda & promouenda. Ideo bis dicit Apostolus ad Philippenses: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Primo generaliter. Secundo specialiter. Liquefactio autem animæ aliud non videtur esse, nisi quædam emollitio à sua duritia, per quã flexibilis redditur & voluntaria ad amandum se amantem Deum, & liquescens ad recipiendum diuinæ virtutis impressiones: vt sicut liquor liquori, ita spiritus Dei spiritui hominis influens misceatur, & vnus fiat anima spiritus cum Deo.

Phil. 4. a — *Liquefactio.*

Capvt LXXIII.

De septem generibus deuotionum siue compunctionum.

Cvm autem multa videantur esse deuotionum genera vel compunctionũ, possunt tamen in septem distingui differentias maxime singulares, iuxta affectionum varietates. Aut enim surgit deuotio ex timore, aut ex dolore, aut ex desiderio, aut ex compassione, aut ex amore, aut ex gaudio, aut ex admirationis stupore. Ex timore, vt cum quis compungitur timore futuri supplicii, vel cum timet à Deo derelinqui propter demeritum peccatorum suorum, dicens Deo: Ne proiicias me à facie, &c. Ne derelinquas me Domine Deus, &c. Ex dolore, cum dolet se offendisse Deum, & gratiam eius amisisse, vel cum dolet se tam parum profecisse, & tam parui esse meriti apud Deum, & in tantum oculis Dei displicere. Psalmus: Auerte faciem tuam à peccatis meis, &c. Ex desiderio, cum suspirat & anhelat ad gratiam ampliorem virtutum, & ad familiaritatis diuinæ suauitatem, & ad Christi præsentiam in cœlo, vel ad alia sancta desideria adimplenda. Psalmus: Domine ante te omne desiderium meum, &c. Isaias: Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, &c. Ex compassione, cum Christo passo pie compatitur, & gladius ille animam Deo fidelem transuerberat & vulnerat, qui Mariæ matris eius animam totaliter pertransiuit. Aut cum proximorum incommodis & animarum periculis compatitur, & zelus domus Dei, & iniuriæ Deo illatæ comedunt eam; nec sinunt eam dormire somno dissimulationis, quin contristetur ad singulorum scandala, & torqueatur ad singulorum calamitates. Iob: Flebam super eo qui afflictus erat; & compatiebatur anima mea pauperi. Ex amore diuino, cum recolit quàm benigne secum egerit, & quanta sibi beneficia indigno & immerito contulerit; vel cum pensat generalia beneficia omni humano generi impensa, per incarnationis & passionis beneficia, & sacramenti altaris, & Spiritus sancti sacrosancta charismata; vel cum ipsius Dei ingenitam intuetur bonitatẽ, quæ tanta est, sicut eius immensitas & æternitas, quæ nec mensuram habent, nec finem, & ideo sine mensura diligendus est. Et sic amore Dei nihil potest esse delectabilius, nil honorabilius, nil vtilius. Per hanc affectionem dilectionis Dei, singulariter Spiritus sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. De hac specialiter dicitur: Qui diligit Deũ, hic cognitus est ab eo. &, Ego diligẽtes me, diligo. Cognosci à Deo & diligi, est ab eo approbari. Amor Dei est omnium affectionum bonarum condimentum: & tanto plus sapiunt Deo cæteræ virtutum affectiones, quanto plus de hoc habuerint condimento: nec potest esse virtus vel deuotio, quæ ex amoris Dei radice non pullulat. Ex gaudio surgit deuotio, cum exultat in Domino, memor beneficiorum eius, vel cum in spe gratiæ eius confidit se esse de numero saluandorum, vel congratulatur saluti & profectui proximorum; vel cum in exultatione spiritus cõgaudet gloriæ beatorum, & mente perambulat cœlestis patriæ varias mansiones; ex quibus omnibus conexhilaratur, & quasi iocunda volucris, quandoque clauso pectore ludit in iubilo & affectu exultationis & laudis, quasi quærat exire de angaria pectoris. Psalmus: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ex admirationis stupore cum illuminato intellectu fulgore sapientiæ, stupet magnitudinem potentiæ, & suauitatem & benignitatem eius, vel discretionem iudiciorum eius, vel abyssum claritatis, & incomprehensibilitatem immensitatis eius, vel quidquid est de natura diuinitatis eius, & gloria maiestatis, vel quorumlibet operum eius admirabili ratione. Iob: Magnus fortitudine & iudicio & iustitia Deus, & enarrari non potest: ideo timebunt eum viri.

1. Ex timore. Psal. 50. c. Psal. 37. d. 2. Ex dolore. Psal. 50. b. 3. Ex desiderio. Psal. 37. b. Isai. 26. b. 4. Ex compassione. Luca 2. e. Iob 30. d. 5. Ex amore. Rom. 8. c. 1. Cor. 8. a. Prou. 8. b. Amor Dei omnium affectionum condimentũ. 6. Ex gaudio. Psal. 83. a. 7. Ex admirationis stupore. Iob 37. d.

Aliquando commixtim ex diuersarum affectionum motibus deuotio conflatur, vt timor cum dolore, amor cum gaudio & admiratione, compassio cum desiderii ardore iungitur: & quasi aromata simul trita, liquore supernæ vnctionis compacta, & calore ignis diuini decocta, pigmentum salutare efficiunt, sanandis animarum languoribus efficax & salubre: sicut illi qui pigmenta sanitatis conficiunt, aliquando de singulis, aliquando de pluribus, & modo de illis, modo de istis compositionem faciunt, pro variis remediorum causis. Cum autem deuotio sit piæ affectionis pinguedo, & magis se habeat ad affectum, quàm ad intellectũ, sicut videri potest in simplicibus deuotis, & litteratis pluribus indeuotis: perfecta tamen non est deuotio sine lumine intellectus. Sed aliter se habet intelligentia simplicium deuotorum, & aliter litteratorum. Litterati enim sciunt subtiliter loqui de quacumque spirituali materia, & verbis propriis exprimere quæ volunt, pulchre diuidere & distinguere, causas & rationes congruas assignare, & sermone composito persuasibiliter & ordinate proponere, & ex paruis quandoq; longum texere tractatum, & ea quæ plana sunt, & nota per se verbis artificiosis inuoluere: vt rudib' de intimis * Prophetiæ medullis extracta videantur. Deuoti autem simplices clarius vident veritatem in se, & profundius sciunt de ea cogitare, & pondus eius pensare, & saporis intimi venas per gustum affectus scrutari, & per puræ intelligentiæ radium quęcunq; lucidius discernere: vt licet nesciant verbis expressis proprie distinguere, tamen ex ipso saporis gustu naturales veritatis differentias cognoscere magis valent, quàm per argumentorum coniecturas. Exemplum de quolibet mechanico artifice in arte sua perito, & de subtili Philosopho, quorum alter scit pulchre de arte disserere, & alter proprie operari.

*Ex mistis affectionum motibus. Deuotio docti & deuotio indocti inter se conferuntur. * Philosophiæ.*

Capvt LXXIV.

De reuelationibus & visionibus & imaginariis demonstrationibus.

Dicto de illis quæ ad affectum specialius spectant, videndum est breuiter de his, quæ in spiritualibus experientiis magis pertinent ad intellectum: vt sunt reuelationes secretorum, & visiones & imaginariæ demonstrationes; in quibus quidam de veritate aliquando erudiuntur, & plurimi deluduntur. His autem tanto minus immorandum est, quanto frequentius eis innitentes decipiunt, & minor profectus est in talibus, etiam si vera sunt: licet à rudibus & spiritualium charismatum ignaris, magnæ sanctitatis & sapientiæ virtus in huiusmodi consistere æstimetur.

Capvt LXXV.

De quatuor generibus visionum.

Qvatvor sunt genera visionum, & totidem sunt genera reuelationum, quamuis & visiones dici possunt & reuelationes: quia in eis aliqua secreta reue-

lantur. Quædam visiones proprie possunt dici corporales, quę vigilanti corporaliter ostenduntur: vt Moyses vidit Dominum in rubo ardenti, & Patres sæpe Angelos visibiliter susceperunt. Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia: vt auditus, gustus, odoratus, & tactus: quia visus pro quolibet sensu poni potest. Exodus: Populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, &c. Voces namque, & sonitum buccinæ non visu, sed auditu percipere potuerunt. Aliæ sunt imaginariæ visiones, quæ vigilanti non corporaliter, sed imaginarie ostenduntur siue in somno, siue in excessu mentis rapto: vt visiones Ezechielis & Danielis, & aliorum Sanctorum in Nouo & in Veteri Testamento. Aliæ similiter imaginariæ, quę dormientibus ostenduntur: vt Iacob vidit Dominum innixum scalæ: & Pharao, & Nabuchodonosor somnia viderunt præsagia futurorum. Istæ omnes conueniunt simul in hoc, quod nō solum bonis, sed & malis sæpe ostenduntur. Item quod quandoque veræ sunt, & per eas erudiuntur aliqui; & quandoque deceptoriæ, quod aliqui per eas deluduntur. Ezechiel: Visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis. Item quod nec faciunt sanctum, nec ostendunt: alioquin Balaam sanctus esset, & eius asina, quæ vidit Angelum; & Pharao sanctus esset, qui futurorum præsagia in somno vidit. Item quod etiam si veræ sunt, tamen per se meritoriæ non sunt: & qui multa talia videt, non est melior; & qui nulla, non est minor: sicut de miraculis aliquibus. Item quod pluribus sæpe magis nocuerunt talia quam profuerunt: quia inaniter inde gloriantes extollebantur. Multi etiam putantes se visionem vidisse, cum nil viderunt, seducunt se & alios, vel ad quæstum auaritiæ retorserunt. Multi finxerunt mendaciter se vidisse visiones, ne aut haberentur inferiores cæteris, aut vt præ cæteris honorarentur quasi sanctiores, quibus secreta Dei ostendantur. In quibusdam etiam solent huiusmodi visiones esse præludia insaniæ: quia cerebro confuso & fumo ipsum obnubilante, etiam visus oculorum confunditur, vt putet sibi aliquid apparere veraciter, quod phantasticum est & falsum. Ecclesiasticus: Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, ne dederis cor tuum in illis. Alia visio est intellectualis, qua illuminatus oculus luce veritatis, pure ipsam veritatem in se contemplatur, vel intelligit in visione imaginaria veritatem, quæ in illa significatur: sicut Paulus cum raptus in Paradisum, vel in tertium cœlum, vidit inuisibilia & audiuit verba ineffabilia: quia non corporearum rerum imagines, sed ipsius veritatis splendorem pure intuitus est. Similiter & Ioannes Euangelista licet sub figuris corporearum rerum describat Apocalypsim, creditur tamen omnia pure vidisse & intellexisse, quæ ibi figuraliter descripsit, vel propter capacitatem aliorum, quibus ipsa pura veritas præ sui splendore imperceptibilis fuit, vel magis propter mysteriorum reuelationem, quæ non passim omnibus propalanda sunt, vt exerceantur digni, & excludantur indigni à sacratorum mysteriorum intelligentia; sicut & reliqua sanctarum Scripturarum velaminibus sunt operta. Hoc signabat velum ante Sancta Sanctorum oppansum, intra quod non licebat populo, sed solis Sacerdotibus introire. Similiter sanctuarium inuolutum in profectione Leuitis imponebatur portandum, quod antequam inuolueretur, non licebat aliis quàm Sacerdotibus contingere vel videre: hoc significante Spiritu S. quod profunda Scripturæ mysteria perfecti aliquatenus vident: alii autem inuoluta portare debent, dum sumus in hac vita velamine figurarum. Ipsæ enim imaginariarum vel corporalium visionum figuræ, etiam cum veræ sunt secundum spiritualem significantiam, non sunt veræ secundum rei existentiam. Non enim verum est substantialiter esse boues in cœlo, vel leones vel aquilas, & alia quæ in Apocalypsi & aliis Prophetarum visionibus describuntur, sed ibi sunt cœlestes virtutes, quarum merita vel officia istarum bestiarum & aliarum rerum proprietatibus, figuraliter designantur. Credimus Christū glorificatum corporaliter esse in cœlo, nec vltra secundum suę substantiæ veritatem nasci de virgine, lactari vel pati, vel alia quæ Euangelica docet historia eum fecisse, cum corporaliter cum hominibus in terra conuersabatur: & tamen sic sæpe refertur aliquibus Sanctis & deuotis apparuisse in visione, vel nascens vel in matris gremio contentus, vel extensus in cruce: nō quod ita secundum veritatem fieret, sed quod illis propter aliquam singularem consolationem & deuotionis exercitationem, vel propter aliquam spiritualem significationē sic apparet. Scimus enim quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur: sic nec vltra corporaliter lactabitur vel nascetur. Ita de aliis Sanctorū vel Angelorū apparitionibus est tenendum. Non videtur autem prætereundum, quia quidam decepti à seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel eius gloriosissimam genitricem; & non solū amplexibus & osculis, sed & aliis indecentioribus gestibus ab eis demulceri: vt sicut spiritus ipsorum interius, ita & caro exterius sibi congruo oblationis sensu sensibiliter demulceatur, & carnaliter consoletur: quod non solum est falsum & seductorium, sed etiam blasphemia grauis esse liquido cōprobatur. Spiritus S. visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda & detestanda infunditur; ita etiam singulariter contra carnales illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ suo iubare resplēduerit, cōtinuo omnes prauæ voluptatis motus euanescere, & velut tenebras superueniente lumine disparere necesse est. De his vero, qui cum aliquando dulcedinē spiritualem sentiunt, & mox carnalis delectationis prurito fœdantur: nescio quid iudicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos de luti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque in spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excusare nequeo, qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur.

CAPVT LXXVI.

De modis reuelationum.

Revelatio secretorum vel futurorum pluribus modis fieri videtur: in quibus sicut in visionibus plurimi seducuntur, putantes spiritum esse, quod proprius sensus finxerit, vel spirit⁹ erroris suggesserit: & ideo vaticiniis iam vsque ad fastidium repleti sumus de Antichristi aduentu, de signis appropinquantibus iudicii, de destructione religionum, de persecutione Ecclesiæ, de regni defectione & variis mundi pressuris, & aliis pluribus, quibus etiam viri graues & deuoti plusquam oportuit creduli extiterunt: de scripturis Ioachim, & aliorum vaticiniis varias interpretationes extrahentes: quæ etsi vera essent & authentica, tamen religiosi plurima inuenirent, in quibus fructuosius occuparetur: cum & Christus Dominus in Apostolis tales curiosas temporum inquisitiones represserit, dicens: Non est vestrū nosse tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Reuelatio aliquando fit per vocem & verba expressa: vt Petro & Ioanni & Iacobo in monte cum Iesu, vox de nube dixit: Hic est Filius meus dilectus, &c. Vnde Petro dictum est: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Vel sicut Samueli primo sermo Domini factus est in Silo. Aliquando fit per somnum: vt Ioseph viro Mariæ dictū est in somnis, vt acciperet Mariam & fugeret in Ægyptū & rediret. Et Magis similiter in somnis dicitur, ne redeant ad Herodem. Et in aliis pluribus locis simile inuenitur. Aliquando per spiritum Angelicum vigilanti & intrinsecus loquenti. vnde Zacharias: Angelus qui loquebatur in me, dixit ad me: Nunquid nescis quid sunt hæc? &c. Aliquando fit per spiritum interius in mente. Psalm. Audiam quid loquatur in me Deus. Et hoc duobus modis. Vno modo, cum inspirat menti aliquid agendum, vel dicendum, vel de propriis docet, vel de alienis: sicut Prophetis inspirauit quid facerent vel dicerent; vel cum futura, vel absentia, vel abscondita eis reuelauit.

Secundo

Secundo modo, cum non de speciali facto illo vel illo, sed generaliter ad plura per mentis illuminationem ostendit, quid secundum veritatis iudicium sit melius vel non melius. Sicut docet omnes iustos declinare à malo, & facere bonum, & per spiritum scientiæ, vel consilii, vel intellectus, vel sapientiæ, Dei placitum agnoscere, vel eligere potiora. Est & alius modus reuelationum per Spiritũ S. cũ homo ex Dei inspiratione orat Deũ ꝓ aliqua speciali causa propria vel aliena, & per affectũ deuotionis & fiduciam exauditionis intelligit se exauditũ in hac petitione. Sed licet cõfidat ꝙ illud pro quo orauit, habiturum sit prosperum successum; nescit tamen sæpe qua via habebit processum. Econtrario cum non sentit sibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit se non habiturum effectum suæ petitionis, licet non sit in hoc omnino certus: quia nescit an hoc sit defectus deuotionis, vel indicium negatæ petitionis. Hoc tamen genus reuelationis est specialiter deuotis mentibus familiare. In hoc tamen aliquãdo quidam deuoti inueniuntur decepti, sicut & in interna inspiratione. Et hoc taliter posse fieri videtur, cum homo deuotus Deo aliquando intendit, & per magnę deuotionis affectum confidit Deum sibi esse fauorabilem, optat vel orat sibi vel alteri istud vel illud, quod tunc desiderat euenire: & cum fuerit iam in affectu deuotionis, & fiducia diuinæ propitiationis, ante quã istud optaret, accedente vero optatæ rei desiderio fit affectus feruentior, & fiducia ad Deum ex feruore constantior. & quia præsumit Spiritum S. hanc deuotionem operari, cum spiritus malignus non possit affectum deuotionis infundere quem numquam habet; confidit se non decipi, & in concepta spe desiderii sui non confundi: quia testimonium adauctæ per spiritum deuotionis & fiduciæ creditur approbasse. Sed in hoc potest esse deceptio, quod spiritus hominis ex desiderio rei quam diligit, cum de illa studiose cogitat, hilarescit; etiam cum in nulla prius erat deuotione ad Deum, ita quod aliquãdo pro desiderio illius rei facile prouocaretur ad lachrymas, maxime si est res quæ spectat ad deuotionem qualemcunque. Sicut sæpe etiam cum pro vana gloria quis optat gratiam bene prædicandi, vel prophetandi, vel miracula faciendi, vel aliud vnde mirandus videretur agendi, cor delusum huiusmodi phantasmatibus hilarescit, & in vanam affectionem pinguescit. Quanto ergo magis cordis affectus exhilaratur, & deuotio afficitur in se, cum cogitat & optat quod desiderat, non ex leuitate vel vanitate, sed ex maturitate & charitate: dum interim est in aliqua spiritus consolatione, quæ facili occasione potest per ampliora incitamenta deuotionis subleuari, tunc confidentia proprii spiritus loquitur, & putat loqui Spiritum S. dum nõ subtrahit deuotionis gratiam quam dedit, imo dilatato cordi per desiderii appetentiam, eo profusiorem gratiam infundit, quo cordis exhilarati capacitas locum ampliorem in se gratiæ præparauit. Cor enim liberum & beneuolentia iucundum aptius est ad deuotionis gratiam recipiendam, quàm tristitia & amaritudine constrictum: quia Spiritus S. amor est, & beneuolentia, & iucunditas Patris & Filii: & similia similibus magis gaudent naturaliter. Lætitia enim est proprium cœlestis patriæ. Mœror tristitiæ, est huius exilii negotium. Amaritudo desperationis, est infernale suppliciũ. In omnibus ergo reuelationum vel visionum generibus magna cautela habenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, & incerta pro certis recipiantur. Solus autem Spiritus S. per donum consilii, & per gratiam discretionis spirituum, facit hominem expedire & certum reddere quid in illis recipiendum sit, vel respuendum, & quomodo eis vtendum: sicut & Prophetas & Sanctos docuit, quibus non solum vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent interius demonstrauit. Aliis autem videtur esse securius talia non quærere, oblatis non cito credere, deceptionis caueam cauere. Aliquando etiam oblata velut minus fructuosa paruipendere: vt si vera sint, se habeant indifferenter ad ea: si falsa, non innitantur eis ne decipiantur.

2. Reuelatio per Spiritum sanctum.

Et si velint aduertere, quærant super his consilium sapientum solummodo & paucorum: & ad illa studiose sese exerceant, quæ sunt secura, meritoria & fructuosa: scilicet vt sunt vitia extirpare, & virtutum studiis fideliter insudare, Scripturæ sacræ sanum scrutari intellectum, & per orationis vsum mentem accendere ad deuotionis effectum. Hæc sunt salubria & secura & fructuosa studia religiosorum. Et quanto quis se in istis magis exercuerit, tanto maioris meriti & maioris gloriæ apud Deum erit. Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines & suauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur: vt mirabilis fragrantia odorum, ineffabilis suauitatis saporum, & hymnidicæ melodiæ vocum & sonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium suauitatum. Quæ cum vere sint à Deo, possumus æstimare, quod aut dentur quibusdam nouis & rudibus, qui spiritualia nondum lucide intelligunt, vt saltem per sensib. lia consolentur in Domino, qui virtutem pure spiritualium non cognoscunt; in quibus maior vis est & certior veritas, & fructuosior profectus & purior perfectio. Etiam prouectioribus in spiritu consolationes sensibiles dantur propter redundantiam interioris dulcedinis: vt sicut anima communicat corpori suo quasi comiti & socio viæ passiones suas, ita communicet ei & consolationes. Tristante enim interius anima, etiam corpus tabescit exterius. Sicut ergo corpus collaborat spiritui & compatitur in merito: ita digne comparticipat & contemuneratur ei in præmio: non solum futuræ gloriæ, sed etiam præsentis gratiæ: sicut domini in conuiuio epularum seruis transmittunt reliquias ferculorum. Apostolus: Sicut socii passionum estis, ita & consolationum eritis. Et hoc ex superfluenti mensura datur dilectis, cuius redundantia ne effusa depereat, excipitur à corpore, quod particeps fuit in labore. Sed sicut de visionibus & reuelationibus, ita & de huiusmodi sensibilibus experientiis est sentiendũ, quod aliqui seducuntur in eis, putantes esse à Deo, quod forte phantastica deceptio est; & aliqui putant esse aliquid magni, quod nullius est in se meriti vel momenti; & aliqui extolluntur de talibus apud se, & iactant se quasi de singularis gratiæ sanctitate. Etiam habent hoc proprium diuinæ dulcedinis experientiæ, maxime cum frequentiori vsu & valentiori motu influunt, vt spiritum reficiendo, corpus debilitent, & ita quodammodo delectando affligant. Sicut rusticum cibis grossioribus assuetum, deliciosa fercula sæpius sumpta alterando calefaciunt & dissoluunt. Ignobile namque corpus & corruptibile sicut pecus brutalibus, sic est assuetum terrestribus & vilibus. Genesis: Comedes herbas terræ, & hoc post peccatum. Quærunt autem deuoti aliquando ex deuotionis vehementia corpore debilitati, vtrum sit melius debilitatem corporis potius subire, & spiritum per deuotionis studium cum Deo roborare, & gratiam oblatam nõ abiicere, vel præ nimia debilitate se abstrahere à deuotione, & spiritum extinguere, & exterioribus occupationibus se dare pro corporis releuatione. Ad hoc, saluo meliori consilio, videtur consulendum nimis debilibus, ꝙ interdũ possunt se vtiliter subtrahere à studio deuotionis, & conatu proprio nõ ad hoc instare, ne quasi extorquendo exprimant deuotionis affectũ: quia talis conatus violentus debilitat etiam validiores. Si autem sine laborioso conatu offert se gratia, & ingerit se illis non quæsita, nec abiiciant eam, nec omnino totos se immergant ei. maxime si vehemẽter ex hoc se debilitari sentiant, sed temperate ei inhæreant. Iuxta illud: Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, id est, quod satis est iuxta virium tuarum mensuram. Vtilius enim est ad horam temperantius frui gratia deuotionis, quàm omnino exhaustis viribus, & destructa virtute naturali totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter carere. Quia sic destructi, postea nimis incipiunt sibimet compati: & vt reparent vires amissas per indiscretionem, non solum delicatius, sed etiam dissolutius quàm expedit se habere. Exhaustis namque viribus maxime capitis & cordis, vix audent etiam per moram aliquam ad deuotionis studium

Dulcedines sensibiles.

2. Cor. 1. b

Gen. 3. c

Quæstio insignis.

Prou. 16. c

dium aspirare: quia retrahit eos continuo molestia debilitatis: & quo magis volunt contra eam conari, eo minus possunt. Et ideo consultius videtur consolationes diuinas moderatius quærere, cum debilitas corporis obsistit, vt diutius eis frui possint, & auctas valeant tolerare; quàm ad breue in eis delectari ita indiscretè, vt postea fugere eas oporteat, & sine spe recuperandi amittere propter virium defectionem. Vase enim contrito, liquor effunditur. Vnde Psalmus: Defecit caro mea & cor meũ: quia cum corporis virtus omnino defecit, etiam cordis vigor à deuotione languescit. Contingit etiam plerumque studiosis deuotionis, vt cum magis conantur habere deuotionis gratiam, minus habeant; & cum vehementius instant, aridiores & duriores corde fiant: sicut in summis festiuitatibus, & deuotis temporibus passionis Christi & natiuitatis, & similibus, & maxime cum se ad sacram communionem student sollicite præparare. Et multi ex hoc sæpissime grauiter contristantur: & ad illam partem conturbati corde pusillanimiter interpretatur quod forte indigni sint visitatione diuina, & quod nō placeant Deo, vt sicut indigni & indeuoti ad sacram communionem accedant: & sic sæpe se subtrahunt à cibo vitæ, & medicina salutis. Sed cum homini incertum sit, an sit dignus amore vel odio, secundum rationem dispositionis & merita singulorum Deo soli nota, non possumus secundum veritatem cuique consulere, quid in huiusmodi sentire debeat & facere. Tamen cur tunc Deus subtrahit bonis & studiosis deuotionis gratiam, cum eam libentius haberent, & instantius quærunt, si per hoc possunt quinque rationes assignari. Prima, humiliatio: quia magis humiliatur homo, cum non habet tunc deuotionem quàm alio tempore: & magis confunditur in seipso: sicut sæculares plus confunduntur, si in Pascha non communicant, cum solitum est communicare cæteros, quàm toto reliquo tempore anni. Secunda est purgatio peccati: quia forte per alia exercitia minus purgatus est, vel aliqua habet delicta quæ non recolit: & vt dignius accedat ad Eucharistiam, & amplius purgetur à peccatis; & in hoc punitur, in quo magis dolet; & quo dolor grauior, eo purgatio efficacior: & maxime, quia forte alio tempore minus studiose quæsiuit deuotionis gratiam, vel oblatam negligentius recepit, nec dignas pro ea gratias retulit. Punitur modo in quo peccauit, vt tunc illa careat gratia, cum eam desiderat, quam ante neglexit, cum habere poterat, & cautior de cætero in hac parte fiat. Tertia, vt ex hoc eruditior in gratia fiat, quod à Deo sit, non ab homine: cum non potest eam homo pro voluntate habere sui arbitrii: sed Deus qui dat ex se, quando infundit, quando vult, subtrahit, prout sibi placet, & prout accipienti iudicat conuenire. Item, quia ex gratia sua dat, non pro meritis hominis: quia si daret semper, cum quæritur, & non daret, nisi quærere tur, putaretur iam tantum dare secundum merita requirentium, & non secundum gratiæ liberalitatem: ideo quandoque studiose quærentibus negatur ex iustitia, & non quærentibus quandoque datur ex gratia.

Psal. 26. d — *Eccle. 9. a* — Cur Deus subtrahit bonis deuotionis gratiam.

CAPVT LXXVII.

De tentationibus deuotorum.

DVÆ sunt enim tentationes deuotorum satis consuetæ, maxime nouis & imperfectis, hæsitatio & elatio. Hæsitant enim sæpe an à Deo talis sit gratia, vel homo per se istos motus suo conatu procuret, & est satis importuna tentatio. Aliquando etiam videtur homini, quòd forte possit esse dæmonis illusio, & fit perplexior: quod quandoque studium deuotionis cogitat omnino postponere, & simpliciter vocalibus orationibus, & actionibus solum intentus esse; quasi in illis sit securior, quàm in studio internæ deuotionis, & hoc præcipue patitur cum deuotionis gratia sibi subtrahitur, & sic dupliciter tribulatur, scilicet de subtractione gratiæ & de hæsitatione, si fuerit à Deo gratia quam habebat. Sic discipuli ante plenam Spiritus sancti missionem sæpe vacillabant in fide Christi; dum modo visis eius miraculis & excellenti doctrina credebant eum esse verum Dei Filium: modo visis eius passionibus pro nobis susceptis, titubantes hæsitabant, sicut eo passo, antequam certi essent de eius resurrectione, inter se dicebant: Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel, quasi dicerent: Ab hac spe frustrati sumus. Sic & post resurrectionem suam, viso eo gaudebant & dubitabant, donec per multa argumenta de veritate eius certificati sunt, maxime post ascensionem eius, & sancti Spiritus emissionem. Ita & deuoti Christi fideles modo gaudent de consolatione internæ gratiæ, modo dubitant & tristantur: immo varie operatur in eis Spiritus S. nunc illo modo, postea alio modo. Iam infundit eis consolationem, & iam subtrahit: donec pluribus indiciis experti veritatem & vtilitatem suæ visitationis, præsente gratia gaudent de consolatione & securi sunt de veritate, absente ea vtriusque muneris solatio carent. Sapiens autem in die malorum non immemor studet esse bonorum; quorum recordatio reuocat eum à pusillanimitate spiritus & tempestate. Et hoc valet contra primam illam tentationem hæsitationis. Rursum in die bonorum non immemor studet esse malorum, per quæ humilietur, & timore ab elationis tumore comprimatur: & sic secunda tentatio sanatur. Extolluntur enim deuoti quadrupliciter; quia aut gloriantur se deuotionis gratiam præcedentibus studiis & laboribus meruisse, aut præ cæteris, qui hanc gratiam non videntur habere, se à Deo dilectos esse aut maiorem gratiam sibi esse datam, quàm sit in veritate, aut se melius ea scire vti & gratiosius recipere, & fructuosius impendere, & minus negligere, quàm alii, qui simile donum gratiæ acceperunt. Contra priorem tentationem hæsitationis valet constans fiducia credulitatis, quod à Deo sit illa gratia & diligens consideratio gratiæ ipsius, si semper sit motus eius ad bonum tantum, & humilis consultatio super illa apud aliquem peritum & exercitatum in talibus & prompta voluntas acquiescendi qualiter in gratia debeat se habere, & supplex oratio ad Deum, ne permittat hominem decipi à sensu proprio, vel spiritu alieno. Contra alteram tentationem elationis valet diligens cognitio propriæ indignitatis, & torporis, & negligentiæ, & ingratitudinis, & inanis gloriæ, & timida expectatio reddēdæ rationis de gratia collata & neglecta, & pauida suspicatio subtrahendæ gratiæ & derelictionis à Deo, propter vitia prænotata, iamdiu causa correctionis tolerata, & non emendata, & studiosa consideratio aliorum, qui in gratia, in virtutibus, in orationibus, & studiis bonis incomparabiliter eos præcellunt. Quarta ratio negatæ deuotionis cum quandoque studiosius quæritur, quia aliquando ex impetuoso cordis conatu libertas mentis obruitur, dum quasi per violentam extorsionem accelerat deuotionis affectum exprimere; & si non iuxta desiderium cordis statim potest elicere gratiam deuotionis quæsitam, contristatur, & amplius ex hoc induratur: & quo impetuosius cupit se ad deuotionem cogere, tanto minus proficit, & amplius arescit: sicut qui botros in torculari, vel oliuas in prælo subito & nimis vehementer comprimit, liquor magis turbidus & insipidus fluit, quàm si paulatim & moderatius compressisset. Quo enim liberior eo pinguior deuotionis affectus. Ideo alio tempore sæpe est homo deuotior: quia tunc spiritus suæ libertati relictus, sponte se eleuat in sublime. Violenta namque acceleratio præfocat spiritum etiam in corpore. Morosa autem respiratio est cordis refrigeratio. Quinta ratio potest esse meritum maioris gratiæ & gloriæ dum desiderium non adimpletum affligendo purgat animam, & patientia desolationis, & humilis sufferentia mæroris quasi lima reddit animam clariorem, & magis susceptibilem splendoris diuini, & amplioris gratiæ & gloriæ capacem. Lux enim vultus Dei, & fulgor claritatis eius omnibus æqualiter superfulget, qui autem purior est, & à vitio obscurante liberior magis capax est lucis, & illuminationis desuper

Deuotorũ tentationes duæ, hæsitatio & elatio. — *Luc. 24. c* — *Eccle. 11. c* — Elatio deuotorum, tentatio altera. — Contra hæsitationem remedium. — Contra elationē remediũ.

influen-

influentis. sicut vitrum clarum, vel metallum bene limatum & politum radios luminis amplius recipit, & splendidius efficitur. Quia igitur afflictio lima est animæ, quæ rubiginem vitiorũ abradit, vt deterso peccato, quod sua obscuritate radios diuini luminis & fulgoris velut obex ab anima excluserat, lucẽ gratiæ recuperet, purgat Deus aliquando deuotorum corda per subtractionem illius consolationis, cuius carentia est eis maxima afflictio; vt sic purgati aptiores fiant abundantiori gratiæ percipiendæ in præsenti, & gloriæ in futuro, etiam si hanc afflictionem specialis culpa non contraxit. Si vero aliquis desiderat experiri, vtrum sit melius, sæpius, an rarius corporis Christi suscipere Sacramentum, videtur mihi quod non possit super hoc omnibus dari regula vniformis. Varia sunt hominum merita, & diuersa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, & diuersi etiam status in religione. Et ideo sicut ægrotantibus non potest vna forma seruari in dandis medicinis corporis, propter diuersitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum, pro quibus, aut rarius, aut sæpius, aut maiori, aut minori quantitate eadem medicina datur ita, & de medicina spirituali, quæ est corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quàm illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti: & alii magis, & alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, & morum, & conscientiæ suæ puritate. Alii etiam ardentiori desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum deberent accedere: & nisi conscientia vrgeret, & consuetudo religionis induceret, vel timor maioris elongationis à Deo impelleret, valde raro accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, vel ratio plus suadeat, infirmitas superueniens, vel singulariter festiuitas solemnis, vel insuetatæ deuotionis feruor, & intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi ab Spiritu S. vt creditur, infunditur, ideo legibus humanæ consuetudinis, & statutis mortalium non arctatur. Sicut aliquos quandoque vidimus, licet paucos quibus viuere Christus erat: ita vt si non frequentius pane vitæ reficerentur sacramentaliter, quasi videbantur vita corporis iam velle deficere, patentibus indiciis hunc defectum prodentibus. Et qui ante tam debiles erant, quod nec incessum debitum habere poterant, post susceptionem illius Sacramenti intantum confortabantur, quasi nullam ante sensissent debilitatem manifeste apparentem. Iuxta illud: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Quia nullus cibus materialis, vel potus posset sic celeriter, & efficaciter nõ solum corpus, sed etiam animam recreare. Salubre tamen est, & vtile, quod homo sæpe se ad illius medicamenti susceptionem præparet, & quanto deuotius valeat illud percipere studeat, & post perceptionem in studio deuotionis se conseruet: attentius tamen religiosi, & qui obtulerunt se Deo, sic enim erunt in maiori custodia vitæ suæ, & conscientiæ, dum & ante, & post Eucharistiæ perceptionem ob reuerentiam ipsius student magis innocenter viuere, & studio deuotionis frequentius intendere. Et licet quandoque tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedat: quia si se indignum reputat, cogitet quod tanto magis æger necesse habet requirere medicum, quanto magis senserit se ægrotum. Non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Nec ideo quæris te iungere Christo, vt tu eum sanctifices, sed vt tu sanctificeris ab illo. Nec propterea prætermittenda est sacra communio, si quandoq; non sentit homo specialem deuotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cum in ipsa perceptione, vel post forte minus deuotum se sentit, quàm vellet, quia ex aliqua supradictarum causarum ratione solet illud euenire. Circa Sacerdotes autem potest hæc forma teneri, vt nec nimis raro, nec nimis continue celebrare, vel intermisse sacrã hostiam studeant immolare. Nimis enim continue celebrare aliquam videtur notare irreuerentiam, cum vix aliquis tam deuotus sit, qui semper eadem deuotione ferueat, quod semper cum debita reuerentia illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque quod eum impediat. Nimis etiam raro celebrare, quamuis ex reuerentia aliquando solet fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est vsquequaque secura, quod diu se subtrahat: quia sicut non est dignus sæpe corpus Christi percipere, sic nec semel. Ideo eum non recipimus quasi qui digni sumus: sed vt illo nos sæpe visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrãte magis ac magis digni efficiamur. Quo enim introierit, Dominus benedicet: sicut olim domui Obededom benedixit propter arcam Domini, in qua mãna seruabatur: propter hoc voluit Dauid eam reducere cum benedictione. Sapientia: Proposui hanc adducere mihi, sciens, quoniam communicabit mecum de bonis suis. Quæ bona prætereo: quia in scripturæ pluribus locis inueniuntur.

Afflictio lima animæ.

Raro an sæpe sit cõmunicandum.

Ioan. 6. g

Matt. 9. b

Sacerdotes nec cõmunicet, nec nimis raro sacrificent.

2. Reg. 6. b

Sap. 8. b

CAPVT LXXVIII.

De diuersis affectibus quibus trahimur ad communicandum.

DIVERSIS autem affectionibus, & intentionibus diuersi ad communicandum trahuntur, vel ad celebrandum. Aliquos trahit amor Dei, vt dilectum sæpius ad se inuitent, eumque in semetipsis delectabiliter amplexentur. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, vt eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos conscientia delictorum suorum vt per eum, quasi per hostiam placationis ab omnibus peccatis expiati purgentur. Aliquos pressura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia potest ab omni aduersitate citius liberentur, & tutius protegantur. Aliquos desiderium alicuius gratiæ, vel beneficii impetrandi per eum, cui Pater nil potest negare, pro se intercedentem. Aliquos gratiarum actio pro beneficiis diuinis, cum nil dignius habemus reddere Deo pro omnibus, quæ nobis tribuit, quàm calicem salutaris accipere, id est, ipsum Iesum. Aliquos laus & honor Dei, & Sanctorum, cum non habemus maius quo possimus Deum, vel Sanctos pro sua dignitate venerari, quàm Christum immolare Deo Patri. Aliquos charitas & compassio proximorum, cum pro salute viuorum, & pro requie defunctorum, nil efficacius interpellet quàm sanguis Christi pro nobis effusus. Hoc est summum auxilium nostrum, cum oramus Deum, & illum intercessorem inuocamus qui nos Patri reconciliauit, & semper interpellat pro nobis. Multis de orationis studio, & virtute omissis, quæ studiosus melius orando per experientiam discet, hoc in fine dicendum, quod omnia quæ orantes petimus sunt ista: Aut oramus pro malis quæ fecimus ignoscendis, aut pro malis, quæ patimur amouendis, aut pro bonis quæ cupimus adipiscendis, aut gratias agimus pro acceptis, vel promissis.

Quæ nobis Dominus concedat adipisci, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Psal. 115. a

Rom. 8. f

SANCTI BONAVENTURÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum,

DE INSTITVTIONE Nouitiorum,

PARS PRIMA.

Hoc Opusculum Trithemius de Institutione Nouitiorum inscribit, & inter Opuscula S. Bonauenturæ connumerat. In antiquis impressis non reperitur, sed in recentioribus Venetiis editis prodiit, sub hoc titulo quamuis etiam de triplici statu religiosorum, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum prænotari, in eadem editione Veneta scribatur. Instituit in eo Auctor Nouitios, sicut fecerat in Speculo disciplinæ, sed paulo breuius.

CAPVT I.

Quid semper Nouitiis considerandum.

PRIMO semper debes considerare, ad quid veneris, quare veneris, & propter quid veneris. Propter quid enim venisti? nonne solum modo propter Deum, vt ipse fieret merces laboris tui in vita æterna? Sicut ergo propter nullum alium, nec propter alicuius exempla te peruerte, quin studeas ad illud, quod venisti. Venisti enim ad seruitutem Dei, cui seruire debet omnis creatura, quia nihil habet ab ipso. Et ideo debet ei dare totum quod est, & quod scit, & potest. Et si omnia seruiunt creatori pro omni posse suo, multo magis homo tenetur, quem non solum creauit, sicut & cætera, sed insuper intellectu decorauit, libero arbitrio nobilitauit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, naturam eius assumpsit, verbo & exemplo proprio instruxit, proprio sanguine suo de æterna damnatione redemit, Spiritum S. ei infudit, carnem suam in cibum tradidit, curam eius habet sicut mater paruuli sui, & æternam hereditatem ei dare instituit. Ecce quantum tenemur nos Deum præ cæteris, & super omnia diligere, qui nos præ omnibus mundi creaturis sic amauit.

CAPVT II.

De obedientia.

ET quia non confidis tibi ipsi, vt præsumas te scire quid velit Deus, ideo commisisti te superiori tuo, vt ipse te regat, & dedisti ei manum tuam in professione, vt ipse te in viam Dei inducat. vnde non licet tibi viuere de cætero pro velle tuo, sed quo ductor tuus ire iubet, & quod ipse prohibet, cauere debes: quia qui artem aliquã addiscere cupit, sui Doctoris regulas debet tenere, & proprias adinuentiones relinquere, & infirmus qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet seruare dietam, quam ei medicus suus indicit, si cito & plene vult curari. Ita & tu mihi facias siue dicas, quod magistrum tuum velle præsumas. Tu enim dedisti te ei propter Dominũ, & propter regnum cœlorum, & iam non es tuus, sed eius cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te sine eius voluntate. Ipse enim est Dominus voluntatis tuæ. Et contrectatio rei alienæ inuito domino, furtum est. Fur autem cœlo non appropiat. Ipsi rectores nostri sunt vicarii Dei super nos, & ideo debemus eis sicut Domino obedire, & non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subiacemus, Talem enim te exhibeas ei, vt libere iubeat te facere vel omittere, quidquid viderit expedire, quia si ipse timet te, iam seruus maior est domino suo, & discipulus est super magistrum.

CAPVT III.

De pace cum prælatis.

HABE semper pacem cum prælatis, non eis detrahas, nec libenter audias eis detrahentes; quia Deus specialiter hoc vitium odit in subditis & in præsenti, vt in Cham patet, qui verenda patris sui nudata fratribus nunciauit, & sibi maledictionem in hoc irremediabilem acquisiuit. (Gen. 9. d) Non ponderes excessus eorum, sed ignosce eis quasi hominibus, quia in multis curis non potest aliquando negligentia vitari. Et sæpe quod in eis reprehendimus, ex nostro vitio magis est, quam ex eorum culpa, quia sæpe aliquid quod pro bono faciunt, quia eorum intentionem non intelligimus, pro malo iudicamus, quod ad nos non pertinet, nobis non vsurpemus, nec reprehendamus ea quæ quo animo fiant, nescimus. Honora eos in corde tuo, non spernas, ne forte & Deum spernas, cuius vicem gerunt. Crede etiam quod Deus inspirauit eis, quidquid iubent te facere propter animæ tuæ vtilitatem. Ordinationes eorum, & constitutiones ne fastidias, quia non sine causa faciunt, licet tu nescias omnes causas. Qui autem simpliciter ambulat in via Dei, ei non nocet, sed ad meritum maius sibi prodest. Nam qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. (Prou. 10. b) Seruus DEI sic debet incedere via recta in mandatis, quod statuta humana eum non arctent in aliquo, quia semetipsum debet arctare, ita quod etiamsi non esset illud statutum, tamen sibi caueret ab omni quod sibi expediens non esset. Per talia enim statuta tantum reprimitur eorum excessus, qui metas disciplinæ transgrediuntur. His de obedientia præmissis, quæ est initium boni in religione, ad aliud transeo, & primo ad corporalia exercitia, & ad spiritualia consequenter, quia non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. (1. Cor. 15. f)

CAPVT IV.

De surgendo à somno.

ASSVESCE cum opportune potes, parum ante matutinas euigilare, vt spiritus tuus dirigatur ad Deum in oratione, & vt orationi & Dei laudibus magis sis sobrius & deuotus. Cum euigilas, statim omnes cogitationes tuas abiice de corde tuo, somnia quæ somniasti in nocte, quibus te diabolus vellet occupare, & primitias cogitationum tuarum offerre Deo in cogitatione, vel aliqua bona meditatione, cum corporis exercitatione, vel genuflexione, donec aliquem affectum deuotionis concipias, & cogitationes vanas, quæ tunc maxime infestant mentem, à te abiicias, & ex hoc eris ad omne opus deuotior, & expeditior tota die.

CAPVT V.

Qualiter in choro te gubernare debeat.

IN diuino officio non sis piger, & fastidiosus, sed coge corpus spiritui seruire, & sta reuerenter, & psalle alacriter in Ecclesia, & deuote coram Angelis, qui ibi iuxta te sunt præsentes. Non circumspicias hinc inde, nisi necessitas adsit. Risus & verba inutilia penitus detestare, vbi coram Domino maiestatis cum metu & reuerentia debes assistere. Verba psalmodiæ distincte, & integre pronuntia. Non discurras per chorum, nec ante finem horarum exeas, nisi oporteat. Prius quàm incipiatur of-

ficium, præuenire studeas, si potes, vt cor ad aliquam deuotionem sit adaptatum quando officium inchoatur. Ideo enim tam desides & tepidi sumus in diuino officio, quia ante non sumus in aliqua deuotione excitati, & ita sicut intrauimus frigidi, eximus corde dissoluti. Stude in ipso initio cogitationes vagas abiicere, & intende his quæ psalluntur, alioquin tumultus earum vix poteris euitare. Post officium etiam stude te seruare in deuotione quam concepisti, nec statim te ad inania effundas. Si autem non habes deuotionem interius, saltem conserua disciplinam, & morum grauitatem humiliter exterius, propter reuerentiam Dei & aliorum exemplum.

CAPVT VI.

Qualiter in capitulo te habeas.

IN capitulo non multum loquaris, & multo minus in Ecclesia, nisi valde vtile sit, & hoc humiliter, & mansuete & submisse culpam humiliter dic. Et correctus humiliter responde, nec te excuses quando corriperis. Si de consilio interrogatus fueris, libere & humiliter dic quod tibi videtur expedire. Si autem tuum consilium non requiritur, non sit tibi curæ, nec velis pertinaciter defendere sententiam tuam. Sufficiat tibi acquietasse conscientiam tuam. In accusationibus non sis annexus, dic tantum quod scis factum contra rationem, & ordinis instituta, sine odio alicuius, & cum verbis mansuetis, & placido vultu. Et quod nescis non teneris dicere. Noli opinando aliquem accusare, quia opinio sæpe fallit. Ille qui dixit tibi quod nesciebas, dicet ipse si verum est & si præsens erit. Si autem præsens non fuerit, tunc non potest probare cum eum testem non habeas. Non graueris pro accusationibus tuis, sed tantum dic humiliter culpam tuam, licet magnæ sint, vel paruæ, quia maior tibi surget confusio, si procaciter te excuses, quam si humiliter confundaris. Si vero graues essent, & non veræ, maxime quæ possent alios scandalizare, tunc humiliter audientia petita, indica eis paucis verbis & modestis, quod non sis tibi conscius, de quibus accusaris. Seruus Dei nõ timet confusionem coram hominibus, vbi eum coram Deo conscientia non accusat, sed sustinet patienter, quicquid Deus voluerit eum sustinere.

CAPVT VII.

De correctione.

CONSVESCE vbique dum à superiore corriperis, siue in choro, siue extra, quod statim genibus flexis dicas tuam culpam. Hæc est lex antiqua religionis, à S. Francisco, & aliis Sanctis tradita. Vnde & tu debes studere, tibi ordo à maioribus tuis traditus est, ita & tu tradas eum posteris tuis, quantum in te est verbo, & exemplo. Nec aliquam non bonam consuetudinem inducas, vel discas, nec aliquam bonam consuetudinem neglectam per incuriam diaboli permittas in te & in aliis, quibus cum modestia persuadere potens. Quicumque enim aliquod exemplum aliis relinquit siue bonum siue malum, particeps est imitatorum suorum, siue in supplicio, siue in præmio sempiterno.

CAPVT VIII.

Qualiter in mensa te habeas.

IN mensa non sint oculi tui gyrouagi, nec hinc inde conspicias, ita quod nescias quis sedet in latere tuo, vel quid faciat, vel quid coram se habeat. Tibi soli intentus sis, vel Deo vel lectioni. Cum disciplina, timore, & silentio comede, non cum impetu gulæ quasi famelicus, nec vagis oculis, & inquieto corde circumspicias, quid sit in mensa delicatius, nec ante quæras satiare oculum quàm palatum, sed cum gratiarum actione sufficiat habere quod potes. Et semper velis penuriam aliquam potius sustinere, quàm plus abundare. Nihil spernas quod tibi apponitur, nec indigneris, si aliquis defectus sit in condimento, vel salis, vel coctura, sed cogita quod multo meliores te, vilioribus & paucioribus cibis sunt contenti, qui illud quod abiicis pro magnis delitiis reputarent.

Paupertas CHRISTI familiaris amica placeat tibi in omnibus, & ipsam cum summo conatu amplectere in mensis, cibis, & potu, in vestibus, in vtensilibus, in libris, in ædificiis, & in omnibus. Videmus quàm humiles gestus pauperes habent, quàm simplex responsum, quàm pauidum animum. Numquam audiatur aliqua querimonia de te, pro aliquo defectu in cibo, vel potu, vel vestitu. Reputa te indignum esse de his quæ habes, quia inopia exterior crescit in augmentum gratiæ interioris, & in diuitias conscientiæ bonæ: econtra exterior abundantia inopiam generat interiorum. De mensura vero comedendi difficile est dare certam regulam, nisi quod inter duo semper medium teneas. Ne ita parum sumas, vt in viribus deficias, & nec communi labore frangaris. Similiter nec ita multum sumas, vt propter multum cibum sumptum non possis orare, vel legere, vel agilis esse ad ea quæ præcipiuntur. Et inter ista, propria experientia est melior magistra, cum bona voluntate.

CAPVT IX.

De dormitione.

IN dormitorio esto quietus, ne aliquis per te aliquo modo inquietetur, siue orans, siue dormire volens. Quoties autem euigilaueris, statim occurrat tibi memoria DEI & eius passionis, cum gratiarum actione, quia ipse vigilat super nos, quando dormimus, vt ipse custodiat nos. Quando vis ire dormitum, prius attende orationi, vel deuotæ meditationi, & si ita hac occupatione dormies, tunc somnus erit tibi dulcior, pulchra somnia somniabis, & euigilabis deuotior, sic surges alacrior, & facilius redibis ad eandem deuotionem, in qua ante somnia tu fuisti. Et licet dormientibus non imputandum esse videatur, quod dormientes faciunt vel patiuntur, indecens tamen est religioso, obrutum esse somno sicut pecus, & iacere membris dissolutus, aut incompositus & manibus in sinu retractus, cum ob hoc maxime vestiti dormimus & cincti, vt non habeamus potestatem circumducendi manus hincinde in nudo corpore, & vt magis simus parati ad surgendum ad orationem. De quantitate somni, tene te sicut supra dictum est de cibi mensura, vt membra & sensus ex quiete somni reficiantur, & ne nimio torpore somni corpus reddatur pigrius, animus tepidior, & sensus obtusior. Nam diuturna quies, vitiis alimenta ministrat. Non potest tamen medium semper in talibus custodiri, sed virtuti vicinius est, si ex bonæ voluntatis feruore necessitati corporis aliquid interdum subtrahitur, quam si ex tepiditate cordis, carnis vitia quasi sub discretionis pallio impinguato corpore nutriantur. Iuxta illud: Melior est iniquitas viri, quam mulier bene faciens. (Eccl. 42.) Hoc est, melior est qui per cœleste desiderium accensus, carnem ei necessaria subtrahendo affligit, quam qui per delectationem resolutus circa omnia q̃ necessaria sunt ei satisfacere contendit. Et licet hoc bonum & aptum sit ad profectum spiritualem, tamen caute faciendum est, ne corpus deficiat in via antequam ad metam perueniat, vt possit sequi conuentum sine murmure destructi corporis, & communem ordinis rigorem cum ceteris tenere. Quia qui post te ad ordinem veniunt, non attendunt quid ante eos laboraueris, sed solum aspiciunt quale eis exemplum præferas in præsenti, in laboribus, vigiliis, in cibis, & aliis obseruantiis ordinis, in quibus vellent sibi seniores suos præire. Alioquin aut scandalizantur de ipsis aut imitari eos incipiunt, parcendo corpori plusquam expediat. Non enim

attendunt, quid boni intus meruerint, sed quid exterius rigoris ostendant; deuotionem Deo debemus intrinsecus, sed proximis bonum exemplum extrinsecus. vt ita congrue possimus nos vtrique exhibere, discretio necessaria est, per quam corpus castigetur prudenter, ne aduersus spiritum rebellet, & rursum discrete foueat, ne sub sarcina corruat, & spiritualis vitæ profectum præ nimia debilitate impediat.

CAPVT X.

De obsequiis.

AD labores communes, & ad humilitatis officia esto paratus. In coquina, in Ecclesia, & in aliis officiis, & maxime in illis officiis, quæ alii pro sua vilitate abhorrent, vt ligna portare, domum scopare, ollas & alia vtensilia purgare, pedes lauare, & fratrum tunicam excutere, & mundare.

CAPVT XI.

De obsequio ad Missam.

AD Missas libenter ministra, quia hoc est [illegible] ministrant Angelorum, ipsi enim Deo suo vbi [illegible] multiplex fructus deuotissime. In hoc enim minis[illegible] est. Secunde, opus est. Primo, boni operis ex[illegible] proximum in bono. Tertio, charitatis est, & prom[illegible] est, quia Deo appropinquat in oratione. [illegible] opus deuotion[illegible], opus angelicum est, cum quibus Deo ibi p[illegible]enti ministras sicut & illi. Et ex hoc non solum sacerdos cui ministras, tunc orare pro te specialiter, sed & omnes circumstantes quorum vices geris, debent; imo tota Ecclesia vbique terrarum, quia tu geris vicem omnium fidelium, qui Deo suo de cœlo venienti, cum gratissima gratiarum actione deberet ministrare, si possent adesse. Et vix potest esse quin Dominus speciali gratia remuneret, etiam in præsenti, qui libenter & deuote ministrat ad illud Sacramentum, quo nihil sanctius & deuotius potest esse in cœlo, & in terra, & quod est admodum præcipuum indicium diuinæ dignationis, & dilectionis ad hominem.

Non enim minus videtur facere Deus in hoc, quod quotidie dignatur descendere de cœlo super altare, quã cum de cœlo descendens, naturam humani generis assumpsit factus homo. Et ideo hoc est memoriale totius dilectionis suæ, & quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit, incarnationis, redemptionis, glorificationis, & iustificationis figuram in hoc inclusit. Sicut patet his, qui considerant huius Sacramenti institutionem, celebrationem, & fructus participationem. Vnde salubre est, sæpe communicare ei, qui cum deuotione, & studio virtutum, & custodia sui non solum à magnis peccatis, sed etiam à leuitatibus verborum, operum, & cogitationum se abstinent, & studet ad hoc se aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti de omnibus quæ bona sunt, tamen tunc maxime conueniens est, cum ad sumptionem Christi nos præparamus, vel susceptum nobiscum habemus.

CAPVT XII.

De confessione.

SÆPE confiteri, ad minus ter in septimana, & simpliciter sicut Angelo, qui sciret secretã cordis tui. Non adducas velamẽ excusationis, vel alleuiationis, nec implices te, ita quod confessor non intelligat, quid dicas. Specifica ei quid feceris, historias autem, & facta aliorum noli recitare. Singulos articulos, quos recolis te fecisse à tempore quo nuper confessus es, dic breuiter, & pure, & noli longum tractatum texere cuiusdam generalis & * affirmatæ confessionis, quia generatur tædium confessori. Ita enim omnia potes Deo in oratione quotidie conf[illegible]eri, & defectus tuos ei exponere, quos feceris in singu[illegible] virtutibus, de his, quæ confiteris, studeas te emend[illegible].

*affectatæ

CAPVT XIII.

De cella & obedientia.

IN cella libenter esto, & aliquid semper age quod a[illegible]ficet te, vel à maiore tibi iniungitur. Nam tam voluntarius debes esse ad obedientiam, quod si in omni [illegible]ta tibi præciperetur quid facere deberes, libenter acciperes; & intantum quod tui iuris non esses, quod non posses loqui verbum, nec ad alias necessitates proprias eundi sine licentia liberum habere arbitrium, sicut olim Sanctos in Ægypto, & alibi legimus, vixisse, quorum gloriam si cupimus adipisci, imitemur eorum virtutem.

CAPVT XIV.

De lectione.

LEGE Sanctorum vitam & doctrinam, vt in comparatione eorum semper humilieris, & instruaris, & accendaris ad [illegible]nem, & prouoceris ad studium, vt informeris in intellectu [illegible] & illumineris ad fidem. Et scias discernere verum à falso, bonum à malo, vitium à virtute, & remedia vitiorum ac tentationũ, vt possis intelligere legas, non vt doctior sis, nec causa curiositatis. Nec legas quæ non ædificant, quia vana lectio vanas generat cogitationes & extinguit mentis deuotionem.

CAPVT XV.

De non desiderando officium prædicationis, vel confessionis.

NON affectes fieri prædicator, & confessor, quia si dignus fueris, Dominus ad hoc te vocabit. Si autem indignus & non idoneus, erit tibi confusio maior, ideo quia te inieceris. Inde est, quod aliquando parum consequimur fructum de prædicationibus nostris, vel confessionibus, quia non vocati à Deo veniunt, & non missi currunt, prius volentes facere fructum in aliis, quã in se fixerint radices virtutis. Et ideo fructus eorum non est durabilis, quia immaturus producitur. Hinc est, quod in Leuitico legimus: Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea pomifera ligna, auferetis præputia eorum poma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec ederitis ex eis. Quarto autem anno, omnis fructus eorum, sanctificabitur Domino. Quinto anno comedetis, congregantes poma quæ proferunt. Arbor in terra plantata est homo de sæculo sumptus, & in religione plantatus, qui fructum salutis debet proferre in se, & in aliis tempore opportuno. Si autem intempestiuos fructus protulerit, immundi erunt & inutiles ad profectum spiritualem propter præsumptionem. Primus annus, est vera pœnitentia de peccatis præteritis. Secundus, est vera conuersatio in statu emendationis. Tertius, est iam vsus bonæ consuetudinis. Quartus, est pro bono opere laudes & humanos honores contemnere & fastidire, & quærere solius Dei gloriam & salutem animarum.

Leuit. 19. d.

Quicumque autem ante hunc annum se ingerit, nec salutem animarum profert, nec Deo est acceptus, nec sibi meritorius propter vanitatem & leuitatem, nec aliis est proficuus. Post vero hunc annum, id est, quinto anno puræ charitatis comedat fructus, & congreget poma, quia tunc eius prædicatio erit fructuosa in illis & in aliis, & sibi meritoria, vt congreget fructus in vitam æternam. Hoc dixi, vt videas, quibus sacra scriptura consulat subire officium prædicationis. Stude ergo teipsum compo-

nere prius exterius in bonis moribus, internis sanctis affectionibus, & cogitationibus ordinare. Tunc demum vtiliter procedes ad alios in sana doctrina; quia nemo præsumit docere artem aliquam, quam non prius habuerit addiscendo.

CAPVT XVI.

De disciplina vbique seruanda.

NVMQVAM ita securus sis & absconsus, quin ita disciplinate, & caste te habeas in visu, gestu, tactu, & in omnibus aliis, ac si ab aliquo videreris, quia sancti Angeli qui nobiscum sunt, semper vident omnia opera quæ facimus, quorum aspectus debemus vbique vereri, & præsentiam reueeri. Videt nos etiam ipse Deus, & iudex noster. Videt etiam nos ipsa conscientia nostra testis eorum quæ facimus & accusatrix. Qui autem magis veretur hominum aspectus quàm Dei, & conscientiæ propriæ, & sanctorum Angelorum, non est castus amator boni. Et qui non declinat ex amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris, talis non est verus Christi seruus, qui adhuc magis placere cupit hominibus quàm Deo. Vnde Apostolus: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Cui enim plus doles displicere, ei plus appetis placere ... potest duobus domini ...

Gal. 1. b
Matt. 6. c
Luc. 16. d

CAPVT XVII.

De conuersatione inter fratres habenda.

INTER fratres habe te verecunde, gratiose & modeste, affabiliter, & dulciter, seruitiosus non onerosus aliis, iocos dissolutos nequaquam exerceas, nec verba scurrilia alicui proferas, nec libenter audias: quæ enim te delectat audire, si auderes, libenter ipse proferres. Seruus autem Dei ita castus debet esse in omnibus factis, & verbis suis, vt non tantum horreat, quæ indecenter sonant, sed etiam quæ nocent, vt turpia, licet sint palliata aliqua honestate.

CAPVT XVIII.

De verecundia habenda.

OMNES gestus tui, mores, sermo, aspectus, & incessus, quadam humili verecundia debent esse coorata, vt in te nihil appareat elatum, vel audaciæ præsumptione notabile. Verecundia enim est maximus decor in religioso maxime in iuuenibus ita vt qui eam post ponit, vix aliqua spes haberi possit de eo, quod fiat vnquam bonus religiosus vel virtuosus. Sicut enim timor Dei hominem componit, & ordinat intrinsecus ad bonitatem, ita verecundia componit eum exterius ad disciplinam. Gregorius: Verecundia est omnium virtutum ornatus, innocentiæ testis, pudicitiæ mentis indicium, disciplinæ specialis gloria, famæ custos, castitatis socia, & totius sanctitatis insigne. Nemo sit ita familiaris tibi, cum quo penitus obliuiscaris verecundiæ, tamen quando ipsa impediret in his quæ expediunt, vel necessaria sunt, tunc est premenda, non tamen abiicienda, nec extinguenda quasi vitium, sed regenda & ordinanda in virtutem, sicut & aliæ affectiones naturales.

Est hæc sententia apud Bern. serm. 86. in Cant. ante med.

CAPVT XIX.

De incessu.

INCESSVS tuus sit maturus, non leuiter curras, & sine necessitate, nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum, nec vagus sis oculis, nec brachiis gentiles, nec aliter more sæcularium incomposito ingressu incedas, sed plano & humili modo, quasi à deuota oratione decedas.

CAPVT XX.

De sessione.

SEDENS non pigre in latus reclines te, nec crura longa extendas maxime præsentibus aliis. Exterior enim incompositio corporis, est indicium indeuotæ mentis.

CAPVT XXI.

De risu.

RISVS tuus sit rarus, & sine cachinno, & benignitatem magis ostendens, quam dissolutionem. Stude multum esse serenus, non turbulentus, nec indignabundus.

CAPVT XXII.

De lenitate verborum.

VERBA tua lenia sint, & responsio humilis sine compunctione amaritudinis, vel obliquæ redargutionis, aut irrisionis. Sic verba tua forma ad alterum, sicut tu non haberes pro malo ab altero.

CAPVT XXIII.

De detractione.

SIC loquere de absente, ac si scires eum prope assistere & auscultare. Non timeat te quisquam, quod in absentia sua famam eius denigres. Magnum vitium est religioso dicere de absente, quod erubesceret loqui, si audiret. Non libenter audias detrahere, sed aut fuge detractionem, aut opportune cōpesce, si potes. Nihil enim prodest tibi, nisi quod aggrauaberis super illum, de quo est sermo, aut super eum qui refert. Quære potius si potes, aliquid inuenire laudabile in aliquo, quod ædificet te, & auditiones tuas.

CAPVT XXIV.

De rumoribus rescindendis.

RVMORES nescias, quia inquietant cor, & mentem distrahunt, & deuotionem exhauriunt, & tempus sine vtilitate consumunt. Etiam quæ scias non omnia effundas quasi vas sine operculo, quod statim cum inclinatur, effundit quidquid continet in se, & omni puluerí & immunditiæ patet. Non sis libenter in turba, nisi tractetur de Deo, & deuotione, & animæ ædificatione. Non sis clamosus in loquendo, nec impetuosus ad euaporandum, quod intus tenes inclusum, sicut de amicis Iob euenisse legitur. Caue etiam vt sicut nulli detrahis, ita ne prodas detractionem apud illum cui detrahitur, ne magis grauetur contra detrahentem sibi, quàm ex relatione tua minuatur.

Potest namque esse, quòd ille qui dixit de altero verbum, non ita intendit derogare ei, sicut ille suspicatur, de quo dicit: & incitatur ad odium contra eum, vel ad vindictam prouocatur, cum tamen ille, aut simpliciter non animo detrahendi dixerit, aut forte statim pœnitnit, proponens de cætero à simili cauere. Si autem talia dicerentur de aliquo, quæ omnino expediret eum scire, de quo dicuntur, potes ei referre, si vis non exprimendo quis dixerit, vt sciat, quid cauere debeat, & tamen contra nullum in odio exardescat.

CAPVT XXV.

De iactantia.

IACTANTIAM quàm diligentissime caue, & numquam des alicui intelligere, quod aliquid sit in te commendabile, vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin etiam alii intelligant. Et si tu taces, & abscondis, plus placebis; si autem prodis & commendes, irrideberis, & vilesces; & vnde prius ædificabantur, inde postea despicient te.

CAPVT XXVI.

De multiloquio.

MALEDICTA conuitia, mendacia etiam leuia, friuola iuramenta, & turpia verba licet iocosa, ab ore religiosi perpetuo anathemate sunt arcenda. Vnde Iacobus: Qui se putat religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.

Iacob. 1. d

CAPVT XXVII.

De lenitate verborum.

VERBA otiosa vndecumque sint, semper fuge, licet enim grande peccatum non putetur esse, tamen eorum consuetudo graue generat detrimentum circa spiritualium profectum, & sæpe dum quasi licenter relaxamus linguam in verba otiosa, dum non aduertimus, paulatim dilabimur ad nociua. Ex quibus oriuntur quandoque turbationes, dissolutiones, & graues conscientiæ corrosiones.

CAPVT XXVIII.

De collocutione Dei.

DE DEO libenter loquere, & libentius audi, quia incitat cor ad studium virtutis, & affectum deuotionis.

CAPVT XXIX.

De pacifico auditu.

AVDI humiliter, & pacifice bona, quæ ab aliis dicuntur. Nec dispute econtra: sicut quidam faciunt, quando audiunt aliquid boni, ne ipsi videantur ignorare, quod alter proposuit. statim de hoc volunt disputare, vt videantur etiam ipsi aliquid scire. Non enim quærunt sui ædificationem, sed ostentationem apud alios, & ideo multæ bonæ collationes inter religiosos negliguntur. Noli esse contentiosus in aliquo. Cito cede, quia si bonum est, & verum quod alter proponit, tuum non est resistere propter aliquam ostentationem. Si autem bonum non esset, melius eum corrigis pacifice aduertendo, & humiliter ei veritatem ostendendo, quàm acriter astruendo.

CAPVT XXX.

De modo loquendi.

CVM loqueris, voce remissa, & vultu placido, moribus disciplinatus, & quietus esse studeas, & quidquid tunc loqueris magis authenticum, & vtile erit. Non sis audax coram senioribus tuis, sed verecundus auscultator doctrinæ eorum. Seniorum docere, iuuenum est humiliter addiscere.

CAPVT XXXI.

De otio.

NOLI esse otiosus, & intendere rumoribus, & fabulis: quia duplex in hoc malum contrahis: perdis enim tempus inutiliter, & verecundiæ tuæ, & humilitatis patieris detrimentum ex tali consuetudine. Insuper non bonum dabis ex hoc aliis exemplum.

CAPVT XXXII.

De exemplo Christi in omnibus habendo.

IN omnibus virtutibus, & bonis moribus propone semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vitam & mores filii Dei Domini nostri Iesu Christi. Qui ad hoc nobis de cælo missus est, vt aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinæ suo exemplo daret nobis, & erudiret nos per semetipsum, vt sicut ad imaginem eius naturaliter creati sumus, ita ad morum eius similitudinem per imitationem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui eius imaginē in nobis fœdauimus per peccatum. Quanto enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tanto ei in prima gloria, & claritate appropinquabit, & similior erit. Describe tibi in corde tuo mores & actus suos, quàm humiliter se habuit inter homines: quàm benignus inter discipulos, quàm modestus in edendo & bibendo, quàm misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, & qui de eius specialiter familia videbantur, quomodo nullum spreuit, vel horruit etiam si erat leprosus, quomodo diuitibus non adulabatur, quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus, quàm verecundus in visu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in responsis, non enim studuit se vindicare verbo mordaci, & amaro, sed blando & humili responso alterius malitiam sanare. Item quàm compositus in omnibus gestis suis: quàm sollicitus de animarum salute, quarum amore voluit incarnari, & mori dignatus est. Quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni, quomodo mulierum familiaria colloquia vitauit causa exempli, vnde etiam discipuli mirabantur, quando solus cum Samaritana loquebatur, eo quod quasi insolitū videbatur in ipso. Item quàm patiens laboris, & penuriæ: quàm compatiens afflictioni. Quomodo condescendit infirmorum imperfectioni: quomodo omne scandalum cauebat, quomodo peccatores non spreuit, quomodo pœnitentes clementer suscepit. Quàm placidus in omnibus dictis suis, quàm studiosus ad orationem, quàm promptus in ministrando, sicut ipse dixit. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Item quàm sobrius ad vigilias: quàm obediens parentibus. Quomodo omnem iactantiam, & singularitatis ostētationem declinauit, quomodo omnem gloriam, & potestatem huius mundi fugit, & multa alia ipsius acta memoriæ tuæ propinqua sint, vt in omnibus factis & verbis tuis semper adhuc quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens, & comedens, tacens, & loquens, solus, & cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam & fiduciam assequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, vnde vel prouoceris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando, & ruminando, tempus vtiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Iesum Christum, & mores tuos emendas ad formam vitæ ipsius, & conuersationis, semper ad eum respiciens, qualiter in his se habuit, vel se habere potuit secundum existimationem tuam, quia qui in omnibus semper est optimus, optimo, & perfectissimo modo se gerebat.

Descriptio vitæ Christi.

Ioan. 4. d

Luce 22. c

CAPVT XXXIII.

De vana gloria, & modo cantandi.

IN omnibus quæ facis, caue vitium ostentationis, & iactantiæ. Esto planus in omnibus, sicut decet religiosum, & pauperem. Non habeas curialem incessum, vel gestus curiales, nec vocem curialiter frangas in cantando. Quia si quæris Deo placere, quanto cantabis simplicius, tanto magis ei placebis. si quæris auditoribus placere, inanis est gloria tua. si tibi placeas, vana leuitas est. Si ædificationem auditorum in cantando quæris, quanto magis cantando vanitatem fugis, tanto magis ædificas: omnem cordis deuotionem, & puritatem cordis Deus magis attendit, quàm sonoritatem vocis. Facile clamabis ad Deum, prope enim est omnibus inuocantibus eum in veritate. Intentio in diuino officio debet magis esse ad hoc, vt ex verbis sacræ Scripturæ elicias spiritualem intellectum, & deuotionis affectum, quàm vt curialitatis exprimas n[illegible]s, & cantando vocem exaltes. Licet quidam religiosi in hoc frustra arbitrantur se obsequium præstare Deo. Quia si Deum delectaret vocis sonoritas, tunc & ipsa musica instrumentorum, vel auium cantus Deum mulcerent, quæ satis dulcia sunt suo modo. Puritas mentis, & cordis deuotio, sunt illa in quibus delectatur Deus. Quidquid est de quo non est Deo curæ, de hoc etiam seruo Dei non debet multum esse curæ. Sufficit tibi ad omnem curiositatem morum, vocis & verborum, si nil appareat in te, quod offendat vel scandalizet intuentes, si nil elatum, vel laicum, vel dissolutum, vel impatientia turbidum, vel singularitatis colore notabile in te videatur.

CAPVT XXXIV.

De egrediendo foras.

CVM exire domum aliquando te continget, tamdiu differas, vt per hoc aduertant, quod tardus esse desideras ad egrediendum, nisi quando obedientiæ cogit mandatum, vel alia vtilis & rationabilis causa hoc requirit. In domo enim consistere, & turbæ & hominibus absconditum latere, semper est vtile religioso, qui sibi desiderat, & Deo vacare. Quicquid deuotionis in domo colligis, hæc foris egrediens spargis, potius quàm augeas & conserues. Vnde sæpe experti sumus, tam in nobis, quàm in aliis, quod frequens exitus & conuersatio cum sæculo & occupatio nimia exteriorũ, deuotionem mentis extinguit, feruorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissoluit, studium proficiendi debilitat, delitias docet amare, sine fructu tempus expendere, verba otiosa multiplicare, iocis & truffis intendere, orationes negligere, horas canonicas desidiose, & in cursu dicere. Tandem subintrant aquæ tentationum nauem cordis, per rimas dissolutionis, ex deuotionis ariditate, quæ cum nõ exhauriuntur per discussionem proprii status, & puram confessionem, vel non fortiter obstruuntur rimæ per diligentem custodiam, paulatim augentur, donec submergant hominem in peccatum & confusionem. Hoc tamen non dico, vt difficilem te reddas ad obediendum, quando iuberis exire, sed non debet tibi esse consolatio euagari extra domum, ita vt quantum in te est, semper magis diligas domi latere, quã nisi obedientia vel vtilitas animæ requirat, domum exire. Quia melior est obedientia, quàm victimæ.

1. Reg. 15. e

CAPVT XXXV.

De non circumspiciendo per loca.

2. Reg. 11. a

QVANDO extra domum egredieris, non multum circumspicias in plateis, ne forte videas, vnde tenteris postmodum, vel ab oratione impediaris vel fantasias contrahas eorum quæ intente respexisti. Dauid in culpam cecidit adulterii ex incauto aspectu mulieris, quam forte numquam ante concupierat, nisi postquam eam incaute respexit. Oculi tui sint in capite tuo. Hoc est, quod cogitatio tua versetur circa DEVM, scilicet Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesiæ, ita etiam non consideres, quæ coram te foris sunt, nisi quantum necessitas viæ, vel vtilitas alia requirit, ita vt quantum vales, talem te domum reportes, qualis existi: hoc est, ita deuotum, ita mundum corde, & vacuum rumoribus, vt ames silentium colere.

CAPVT XXXVI.

Quomodo te habeas cum socio in via.

PER terram autem vadens, esto pacificus cum socio. Numquam contendas de aliquo, etiam si tu melius vel plus sentis quam ipse, vel iustius noueris, sed cito tace tranquillitate animæ, quia contentionibus raro aliquis emendatur. Cogita in teipso, quod si tu pacificus non es, vix vel numquam poteris alium placare. Incipe prius à teipso, & tunc facilius alium corriges. Quicumque turbatus turbatum docet, magis reputat ex patientia docere, vt eum pungat, quàm maturo consilio, vt eum fraterne erudiat. Magis autem ædificabitur exemplo patientiæ tuæ, quàm à quibuscumque rationibus, quas ei propones. Virtus cum vitio non docetur, sicut per impatientiam non potes alios patientiam docere, nec humilitatem per superbiam. Socialis esto in via & non dissolutus, ne deuotionis spiritum pro societate extinguas.

CAPVT XXXVII.

De oratione & meditatione facienda inter exercitia.

CAPTA horas ad orandum & meditandum, tam in via, quàm in hospitio. Noli ex toto negligere. Nec etiam cogites, quod velis vsque domum differre. Quia si tu nimis infrigidatus fueris à feruore deuotionis, postea difficilius recuperabis. Hoc tamen non dico, quod possis ita foris in ea grauitate & deuotione plene te conseruare, sicut in domo: sed vt scias metam ad quam studium dirigere debeas quantum potes, Deo adiuuante.

CAPVT XXXVIII.

De bono exemplo dando in conuersatione.

INTER homines quantum in te est, caue omne, quod potest eis esse non bonum exemplum, sicut decet fidelem seruum Dei, qui debet Domini sui honorem promouere, & in honoratione cauere vbi potest. Nos enim sumus familia ipsius. Sicut ergo paterfamilias ex disciplina familiæ suæ honoratur, vel ex indisciplina inhonoratur, ita scias, quicquid nos facimus inter homines, hoc aliquo modo redundat, vel in laudem Domini nostri, vel in contemptum. Et quia specialiter positi sumus inter homines, vt ipsi ædificentur ex nobis, parum proficient verba nostra si non etiam ædificemus bono exemplo. Et si non sumus tam perfecti, vt possumus eis magnum virtutis exemplum ostendere, saltem caueamus omnia mala exempla, quæ nos ipsi solemus reprehẽdere in aliis, videlicet: ne rumores sæculares recitemus apud eos, vel libenter audiamus, vel delicata fercula, vel multa fieri pro nobis diligamus vel nimis mollia, vel pretiosa instrumenta, nec iræ vel discordiæ scintillas emittamus, vel verba scurrilia, vel iocos dissolutos moueamus, & maxime ne auari pro muneribus possimus notari, quia ex hoc cito vilescimus apud eos, si viderint nos ea ambire, & auare quærere, ad quorum contemptum nos eos hortamur prædicando.

CAPVT XXXIX.

De vitandis mulieribus.

CAVE etiam ne cum feminis loquens, eorum vultus studiose respicias, vel manus contrectes, vel nimis prope sedeas, vel leuiter eis arrideas, nec diligenter cum eis susurres, nec angulos, ad colloquia earum requiras: quia hæc omnia etiam si nil tentationis ingererent, tamen non effugies notam suspicionis ab aliis, & facile posses infamiæ maculam contrahere: quia vix postmodum detergeres cum pudore. Sed habe te cum omni femina, ac si maritus eius, vel prælatus iuxta vos sederet, considerans vel audiens omnia quæ facitis vel dicitis. Vt quicumque superueniat, & videat te loquentem cum ea, in nullo necesse sit te erubescere, nec aliquis postea tibi possit notam suspicionis impingere. Et si meum consilium non spernis, consulo, quod nunquam cum aliqua muliere contrahas singularem familiaritatem, etiam si religiosa sit, & sancta. Quia excepto periculo carnalis tentationis, quæ ex tali familiaritate semper incurritur, dum non timetur malum quod sub specie boni latet: excepta etiam macula infamiæ, & suspicionis, quam alij ob hoc sæpe concipiunt, magnam generat inquietem cordi talis priuata affectio, dum semper illi cupis ostendere dilectionem, quam habes ad eam, & hoc sibi notum fieri desideras. Et cum aliquando non fit doles, & times quod indignetur illa, & quod affectus eius tepescat, & quod minus ores pro eo. Econtra etiam ista turbatur, si videt quod aliam benigne salutes, vel si aliquo tempore differas, quod eam non videas, vel non salutes. Improperat quod aliam diligis præ se, & quod minus ores pro ea, & irascitur, quæ vere sunt truffæ: & bonus homo nō debet ista aliquatenus admittere, nec cor suum in talibus occupare. Oratio enim earum non potest tantum cuiquam prodesse, quantum potest talis occupatio in spiritualibus studiis impedire: quia etiam ipsa eius oratio tali carnali affectioni permixta Deo est insipida. Quod autem carnalis sit ista dilectio, ex maxima parte potest hoc perpendi in hoc, quia magis te vellet apud se minus perfectum, vt sæpe posset tui copiam habere, quam longe à se plus perfectum. Quibus autem indiciis discernatur spiritualis dilectio à carnali, modo prætermitto, quia nimis ab aliis retardaret nos. Hoc tibi sufficiat, si vis habere pacem cordis cum Deo, honorem spiritualem inter fratres: abscinde à te familiaritatem feminarum, dilige communiter omnes bonas, & deuotas, & in nullo exasperes aliquam earum, & meliores in corde tuo reuerere, propter abundantiorem gratiam Spiritus sancti in eis. Noli te occupare cum eis, nisi breuiter. Benigne salutes eas quando ita occurreret, quod non posses bono modo declinare, & cum maturitate earum orationibus te recommenda. Si enim discretæ sunt, ex hoc placebo eis. Si vero importunæ, tunc melius est tibi non occupari cum eis. Feminam quam videris bene conuersantem, mente eam dilige, non carnali dilectione.

CAPVT XXXX.

De cordis libertate.

ESTO Dominus tuiipsius, nec des alicui potestatem cordis tui nisi Deo, & prælato tuo propter Deum. Esto ita expeditus ab omnibus alienis occupationibus, vel affectionibus, quod in nullo prælato tuo aliquando molestus sis pro licentiis aliquid agendi, vel eundi, vel dandi, vel accipiendi. Et ita libere arbitrio suo te committas, quod tibi secure dicere possit. Fac hoc, & dimitte illud: Et tu sine murmuratione cordis, & difficultate facias, vel dimittas: Alioquin paruam fiduciam potes habere de merito obedientiæ tuæ, quam vouisti Deo in manibus sui vicarij, vel tui prælati. Si tu per impatientiam, vel importunitatem, cum volueris eum tibi seruire, vel te licentiare quo tempore velles, noluerit, murmurarés, tunc non intrares per ostium, quod est Christus, in ouile sanctæ religionis, quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris. Ita enim tu fur esses & latro: fur, quia rem alienam hoc est voluntatem propriam, quam prælato resignaueras, eo inuito vsurpares: latro, quia tali exemplo animas simplices necares.

CAPVT XLI.

Epilogus siue compendium omnium supradictorum.

VT ergo percurram omnia quæ supra dixi. Esto deuotus Deo, & cor tuum semper quantum potes compara cum ipso. Esto prælatis humiliter obediens, nec rancores contra eos teneas, nec spernas eos, nec iudices, nec murmures de eis. Esto cum fratribus pacificus. Patiēs ad verba pura, & ad reprehēsiones. Noli facile iudicare aliquem. Nec sis suspiciosus. Esto obsequiosus, maxime infirmis, & in humilibus obsequiis. Sæpissime ora. Esto in choro disciplinatus, & Deo intentus. In victu discrete modestus, & his quæ corporis necessitas requirit. Esto in cella libenter. Fuge verba ociosa. Plane loquere, & modeste. Iucundus, & verax valde. Verba tua sint sicut iuramentum. Nulli detrahas, nec detrahentem audias. Odium contra nullum teneas. Nō sis elatus in verbis, vel moribus. Pecuniam odito. Ama paupertatem. In omnibus fuge mulieres. Esto compatiens afflictis. Castus in omnibus.

DE INSTITVTIONE NOVITIORVM.

PARS SECVNDA.

CAPVT I.

De voluntaria nouitiorum subiectione.

SI vis in spiritu proficere, & hic esse propter quod vt hic fieres, ad scholas virtutum, id est, ad religionem venisti, ne fias similis illis, qui longo tempore in scholis manendo multum temporis & sumptum consumunt, & minime discunt. Istius formulæ compendium ante oculos habeto, & ad eius regulam ordina vitam tuam, & mores compone, & studium impende, & tempus expende. In primis esto sub tali rectore & magistro, qui te prædicta doceat verbo & exemplo: vel si talem habere non potes, tu ipse magister esto. Sis strenuus, vt ad huius formulæ regulam viuere compellaris, & in nullo tuæ propriæ voluntatis libertati relinquaris. Puer enim qui dimittitur voluntati suæ, id est, puerili lasciuiæ, confundit matrem suam, id est, religionem. Ideoque tot ordines confunduntur, quia puériles mentes sibimet dimittuntur sine freno retrahente à noxiis, & sine virga ad salubria compellente, aut ex negligentia seniorum, aut ex nociua condescensione. Sicut imprudens medicus, qui ne contristet ægrum, quem curare deberet, patitur eum nociua comedere, ex quibus grauius, & diutius infirmatur, & cum in vno dissimulatur excessus eius & vitia, cito ab aliis trahitur in exemplum, ita vt etiam sibi impune talia permittantur, quæ vident in aliis sustineri. Caueant tamen tales magistri, ne teneros animos frangant, seuera cohibitione.

* * *

CAPVT II.

De negligentia prælatorum, seu mala libertate.

TANDEM ad hoc ista mala libertas dilatatur & fluit quod hoc à pluribus videntur fieri, vt quasi pro lege & pro iure ordinis descendant. Et si quis contra docere arguendo præsumpserit, singularis superstitionis improperium sustinebit. Et quasi qui nouum ordinem & insolitum morem inducere velit, vt delirus & vanus irridebitur, & omnibus fiet onerosus, & tanquam temerarius iudex aliorũ actuum, persecutiones amarissimas sustinebit. Timent enim distracti, & à via Dei exorbitantes, ne si parcerent zelantibus pro iustitia & religionis disciplina, multos ad partem suam traherent, & ita paulatim ad ordinis obseruantiam, etiam ipsi tandem cogerentur. Et præcauent ardentissime, ne ad hoc perueniant, & sub specie singularitatis extirpandæ, eiiciunt à se illos & opprimunt quam desiderant religionem ad statum debitum reformari. Quod videntes alii quibus hoc displicet, aliquam bonæ voluntatis scintillam habentes, sed tamen infirmam, terrentur, & potius student se illis conformare, quos fortiorem partem habere vident in multitudine & potentia, quam cum illis tribulari, & insuper infirmari Iuxta illud. Et qui recessit à malo, prædæ patuit. Hæc omnia experti sumus in ordine nigro, & in aliis. Nunquam autem contingat nostram religionem ad statum similem peruenire.

CAPVT III.

De religionis feruore.

QVI tali feruore ad religionem venit quod pro omnibus quæ ei mundus promittere vel dare potuit, noluit damnari in hoc sæculo, nec pro diuitiis, honoribus vel delitiis, nec amore amicorum, vel proprij corporis dubitauit se tradere carceri pœnitentiæ propter Deũ, non debet modo vilior esse quam tunc fuit, vt pro verbis hominum deserat modo viam Dei, à cuius ingressu, nec terroribus, nec blanditiis potuit auerti. Quod si timet de singularitate notari, & ob hoc aliis fieri odiosus, sciat, quod nullus sanctorum singularis gloriæ factus est in cælo, nisi qui inter homines positus, studuit esse in sanctitate vitæ singularis, quod tamen de singularitate virtutum dico, non tantum de cærimonialibus obseruantiis, paruam aut nullam habentibus vtilitatem virtutis: Studia autem sanctitatis in his consistunt. In cauendo omne peccatum, omne scandalum, quantum in se est, in studendo omnibus virtutibus humiliter, & in quærendo familiaritatem Dei per affectum deuotionis internæ. Aduersus huiusmodi nulla est bona conformitas, per quam hæc studia destruuntur. Cum vero pro iustitia, sicut & pro fide potius debeamus pati non solum irrisiones & despectiones, sed etiam persecutiones quaslibet, & mortem, sicut passi sunt Sancti ante nos, & patientur post nos in diebus nouissimis: quam fidem deserere, vel iustitiam vitę peccando relinquere. Discamus in paruis verborum & despectionum tribulatiunculis vt si grauiora nobis imminerent pro Christo certamina, sciamus per patientiã superare. Nã qui à leui flatu deiicitur, quomodo stabit à vento maximæ tempestatis? Hoc ad pręmuniendum cor pręmisi, contra retrahentes à studio proficiendi in virtutibus. Quia qui tale studium non in se diligit, vix potest pro aliis secum morantibus æquanimiter sustinere. Vnde sicut illi non dimittunt consuetudines suas malas propter nos, & noxias, sic non oportet nos bona & vtilia studia abiicere propter illos, quia si volunt ad vitam æternam venire, oportet eos nobiscum viam Dei, non suam ambulare.

CAPVT IIII.

De otio vitando, & vanitate sensuum.

NVNQVAM debes otiosus vagari, nec rumoribus vacare, & verbis otiosis, nec lusui, nec scurrilitatibus deditus esse, quia hæc faciunt mentem vagam, & inanem. Et licentia istorum dissoluitur cor à pondere timoris Dei, & affectum internæ deuotionis exhauriunt. Nõ euageris tuis oculis hinc inde singula intuendo, quia leuitatis est indicium. Et ea quæ foris aut per oculos, vel per aures strepitum quemdam interius suscitant, quo puritas intelligentiæ, quæ in bonis meditationibus mẽtem pascit, quasi quodam puluere obscuratur. Quidquid non est necessarium tibi, vel vtile ad tuum, vel alterius profectum, pertransi: & noli immorari, nec cor tuum in eo figatur, vel in eo tempus expendatur. Semper aliquid defer tecum in memoria, quod de Deo rumines cogitando: & mentis tuæ intuitum, semper in eo defigere stude, sicut docet Propheta dicẽs, Prouidebam Dominum in conspectu mèo semper, &c. Hæc enim cõtinet cor apud se, ne commoueatur à se per vanam lætitiam, vel irrationabilem tristitiam. Mũdus enim in quo fluctuamus, variis tempestatum ventis agitatur, & qui non vult nauem cordis sui quassationibus conteri, vndarum influxione demergi, vel in extremas plagas ventorum flatibus impelli, affigere eam funibus bonarum cogitationum assuescat ad petram immobilem, quæ est Christus. Funem ne facile rumpatur, ex triplici resticulo componas, videlicet ex sacrarum scripturarum deuota lectione, ex sedulæ orationis compunctione, ex bonarum actionum humili exercitatione. Lectio dat materiam & quasi semen bonæ cogitationis. Oratio rigat, & ad perfectum roborat, & cor illuminat ad intelligentiam & impinguat affectum ad saporẽ. Bona actio maxime condita pinguedine charitatis, & obedientiæ, vel alterius virtutis, lætificat conscientiam, & dat fiduciam spei in Deum, etsi ad horam intercipit deuotionis quietem, tamen meretur postea maiorem dulcedinis infusionem, & gratiam puritatis.

Psal. 15. b

CAPVT V.

De euitatione prauarum cogitationum, & inutilium occupationum.

FERIATVS & vacans caue tibi à vanis, & à prauis cogitationibus ne vel modicum in te moretur, quia cito inquinant cuiuscumque vitij colorem habeant, vt luxuriæ, vanæ gloriæ, odij, vel aliorum. Item caue tibi ab inutilibus occupationibus, quæ tempus perdunt cor inquietant, & vtilia impediunt, & deuotionem dissipant. Item à torpore acediæ, & pigritiæ, quæ mentem tepidã, & corpus delicatũ reddunt, & ad bona opera desidiosũ.

CAPVT VI.

De vitanda nobilitate, & curiositate.

INTER homines existens, caue tibi à duobus quo ad te ipsum, & à duobus quo ad alios. Quo ad te caue ne aliquid facias, vt ab eis noteris vnde gloriam quæras, in gestu, in sermone, in voce vel actu, quia peccatum est, & vanum, & cum putas eis placere, forte displices, & iudicant te quasi inanis gloriæ cupidus sis, vel forte non aduertunt quid agis. Et sic perdis conatum tuum inutiliter, & vane, sicut stulti qui puris imaginibus quasi viuis hominibus obsequuntur, sicut habetur in Psalmis: Qui hominibus placent, id est, placere volunt, confusi sunt, &c. Item ne pudore superfluo obruaris in his quæ coram hominibus agere debes, loquẽdo, cantando, vel aliud agendo, sed ita liber esse stude coram eis, sicut si sine eis esses, & si intus verecundia æstuas, foris reprime.

Psal. 52. b

quia

quia quo magis te notabilem facis ex pudore, eo plus considerant te, & ita plus confunderis. Signum superbię videtur, nimis erubescere de illis defectibus quos natura indidit, vt de deformitate corporis, vel vocis, ruditate, & similibus. De vilitate autē vestis, vel de humilibus obsequiis erubescere, in paupere religioso superbia est. Vitium autem vel scandalum erubesce, vnde Deus offenditur, vel aliquis scandalizatur. Apud temetipsum erubesce de peccatis tuis, de torpore in seruitio Dei, de negligentia bonorum quæ posses facere & debetes: quod tempus defluit, & profectus virtutis non crescit: de hypocrisi, quod foris vis putari melior, quam intus te inuenias: quod vitia tua occultas non timore nocumenti alterius, sed timore displicendi, & ne vilipendaris: quod bona quę ostendis vis videri & placere hominibus, vt ex his suspicentur aliquem multo plura, & maiora in occulto te habere, ex quo talia foras prodeunt, quasi te dolente: quod vix adeo familiarem aliquem habes vnanimem, quē velles te in omnibus agnoscere, sicut te ipsum agnoscis, quod etiam fit in confessione quandoque. Et si non audes peccata tua supprimere, quin ipsa accuses: tamen de illis in quibus te magis displicere times, ita ordinas verba submittendo, subiungendo, vel colorando, quod minus appareant verecunda, vel si forte plus bene profers, gloriaris, & vis inde apud confessorem sanctus reputari, quod tam humilis sis, cui te magis quam necesse sit, studeas confundere confitendo. Quod cum tentationibus vitiorum maxime carnalium ita desidiose cōpungeris, vt solo timore periculi vel confusionis pudore eas repellas, & quantum audes in affectu arrideas solo consensu operis, vel morosæ delectationis excluso. In hoc apparet maior peruersitas, quod cum facile quandoque huiusmodi tentationes quasi muscas immundas non abigis, ex negligentia eas permittis calescere, & conualescere, donec confortatæ iam periculosiores fiunt, & difficilius vincuntur, & conscientiam sæpius confundunt. Quod ita desidiosus es ad ea, quæ Dei sunt, & quæ ad virtutis, & deuotionis studium pertinent, vt pudor humanus plura ex his à te extorqueat, quam amor diuinus. Quod ita ingratus es de beneficiis Dei, vt nō solum debitas non agas gratias de perceptis, sed etiam gratiam oblatam & paratam in vacuum recipias & negligas: atque cum gratiam sentis tibi arridere, occupas te vanioribus studiis, quasi qui texit aranearum telas, quæ non proderunt ad vestimentum salutis. Quod illa ad quæ teneris facienda, sicut sunt horæ canonicæ, & similia, ita negligenter & desidiose persoluis, vt non tā meritū inde speres, quam supplicium expectes: quia & si verba vtcumque proferas, tamen corde tam vagus es, & affectu frigidus, quod nec sensum orationis percipis, nec deuotionis affectum. Et de ipsis verbis plurima defluunt accelerando, & vtinam non multa transilias omittēdo dum non attendis si dixeris, vel non dixeris, nisi forte ex coniectura alicuius verbi, quasi ex caudæ apprehensione reputes te dixisse. Deus autem & si patienter dissimulat, & attendit nostras negligentias, tamē non minus odit eas, sed integre dinumerat, distincte diiudicat, seuere puniet, nisi nos præueniamus faciem eius in humili confessione, in forti satisfactione, & in seriosa emēdatione. Quod ad omnia quæ ad corporis curam vel commodum spectant studiosissimus es, quæ vero ad Spiritus profectum, vel ad fraternæ charitatis exhibitionem, vel ad prælati obedientiam, vel ad carnis castigationem spectant, desidiosus es. Quod etiam hos & similes plurimos defectus in te aduertens, nec terreris, nec compungeris, nec discutis, nec corrigis, quasi Deus tecum aliter acturus sit, quā cum omnibus aliis, vt mala tua incorrecta non puniat, & bona neglecta remuneret. Pro his & similibus erubesce apud te, & ab aliis in te diiudicari non mireris, nec indigneris, sed verecunderis. Hæc & alia plura in memetipso veraciter recognoscens erubesco, & doleo, sed non tantum sicut debeo, & non emendo sicut possem, & expediret. Ex meipso autem intelligo quod hæc vel aliqua istorum etiam proximo meo inesse possunt, & ideo vnusquisque iudicet, & discutiat semetipsum, considerās ex vno latere qualis sit, maxime quid sibi desit boni, & insit mali ex vitio proprio. Ex altera parte qualis esse debeat in virtutibus & moribus bonis, vt ex hoc humilietur ex cognitione defectus sui, & prouocetur ad studiū proficiendi ad illa quę videt se debere facere vel habere, & ideo regratietur Deus, si in aliquibus forte ex eius gratia profecerit. Quo ad alios caue à duobus, id est, vt non curiose respicias vel perquiras eorum personas, vultus dispositiones, habitum, gestus, facta, vel verba, vel officia. Inquantum tibi non attinet ista perscrutari, vtilitatis causa, ita pertransi, ita cogita, ac si oues essent, vel alia animalia, vt in nullo circa illos occupes visum tuum, vel cor, vt non iudices, vel diiudices de aliis, quales sint, vel esse possint in mente, in merito, in moribus vel in aliis, quia talis discussio vana est, & sæpissime falsa, immo temeraria. Et insuper cor inquietatur, & aliquando inclinatur, & conscientia læditur, & alia bona negliguntur ex tali occupatione. Si aliqua videris de aliquo vel audias, quæ non placent, pertrāsi & obliuiscere cito, committens ea sibi & Deo, maxime vbi ad te non spectat eius correctio ex debito magisterij, vel ex sociali familiaritate, vel denunciandi necessitate.

CAPVT VII.

De compassione peccantibus habenda.

COMPATERE tamen peccantibus quasi in tempestatibus maris naufragantibus: quia longe miserabilius est in lacum inferni demergi, quam in profundum maris submergi. Ora pro eis & plora cum potes, ex hoc enim merebeiris, vt à simili naufragio libereris. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. (*Mat. 5. a*) Sic etiam omnium miserorum afflictiones animo & oculo intuere, & singulas eorum miserias aggrauantes studiose computa, diligenter pondera, vt ex his affectus miserationis in te pinguescant. Et si quas tu miserias pateris, tibi leuiores in eorum comparatione videantur. Collige etiam in his quæ vides, passiones, labores, dolores, & paupertates IESV CHRISTI, qui cum esset diues pro nobis egenus factus est, vt illius inopia, diuites in cælestibus nos essemus. (*2. Cor. 8. b*)

CAPVT VIII.

De tribus vitiis communibus.

TRIA sunt vitia communia apud homines, videlicet pronitas reprehendendi quæ in aliis vident, & non est secundum affectum eorum. Alterum est adulatio, qua solent sibi inuicem blandiri, laudando, arridendo, quærendo quomodo valeant, cum non curent eos quandoque valere, honores inutiles offerendo, & in aliis multis modis in quibus nec est vtilitas, nec ex affectu faciunt, sed ex vsu vt placeant. Tertium est propria gloriatio de seipso, quia ea quæ nos facimus, dicimus, sentimus, & scimus, placent nobis, & præferimus ea aliorum factis commendando, vel occulte cogitando: & dedignamur, si alij non mirantur ea quasi non habeāt sanum iudicium, & delectamur in laude nostra. Et si aliquādo nos ipsos atterendo humiliamus, non pure hoc facimus, sed volumus per hoc astute alium prouocare ad laudem nostram, quasi nō debeat pati, vt nos vituperemus quod in nobis laudandum est, vel hoc sæpe facimus, vt humiles reputemur, & saltem ex hoc placeamus, si alia placentia non habemus. Qui ab istis tribus esset liber, in magna puritate viueret, & quiete. vnde versus.

Esse reprehensor, adulator, laudis amator
Noli, sic pura tibi mens erit, atque quieta.

CAPVT

CAPVT IX.

De non habendo res curiosas.

NVLLA curiosa habere cures, vt imagines, tabulas, sudariola, pater noster, & similia: Nec recipias, nec des aliis pro munusculis; quia occupant cor, & magistris nostris non placent, & facient te notabilem inter ceteros, & sæpe sine licentia recipiuntur, vel dantur talia incaute, dum pudet eos, toties pro istis recurrere ad magistros. Species aromaticas non habeas, nisi pro euidenti necessitate non possis carere. Qui omnibus rebus peculiaribus carere posset, felix esset, quia multæ distractionis materiam abscidisset. Si autem aliqua volueris habere, vt libros ratione studij, & scriptoriola, nulla superflua collige, vel curiosa: solum contentus sis solis necessariis in numero & valore. Ipse habitus, & communia instrumenta tua, simplicia sint, & inculta. Corporis gestus, & omnia foris apparentia, plana sint & pura. Nihil notabiliter curiale & curiosum, vel singularitate coloris respersum affectes.

CAPVT X.

Quod religiosus non debet affectare hominibus placere.

STVDE humano iudicio non moueri, nec delectari fauoribus, nec despectu contristari, quia iudicium humanum cæcum est frequentius, & ignorat veritatem, & fallitur sæpissime, nec si laudaris ab homine es ideo laudabilior, nec si despiceris es ideo vilior. Stultus est, qui stulte placere laborat. Quia sicut cæcus nō discernit inter colores, nec surdus inter sonos, insipiens homo nescit pensare meritorum dignitates, vnde cum aliquid agere te contingit æstimabile, vt prędicare, vel simile non anxieris quod ad placitum hominum hoc facias, sed inuocato auxilio Dei prout melius expedire secundū Deū intelligis, stude facere. Et si bene successerit, Dei adiutorio refer gratias & noli extolli, quia non propter te, sed magis propter aliorum orationes & merita, gratiam tibi datam debes æstimare. Si autem minus bene successerit, noli turbari, nec pudore confundi, sed gratias Deo refer, qui sic te ab eleuatione defendit. Siue autem bene, siue minus bene successerit, statim habe te interius & exterius, ac si non feceris. Laudet qui vult, vel despiciat, quid ad te? Tu tace, excusationes caue, quando debes aliqua huiusmodi facere. Ad hoc sæpissime fiunt, vt despiciamur, & præsumptuosi videamur qui talia audeamus. Vnde videtur melius, purius, & humilius simpliciter facere quod est faciendum, vel obedientia iubēte, vel charitate instigante. Si placet eis, bene, si non, quid est tunc perditum? Nam cum oportet te prædicare, vel simile facere, quod aliquid honoris videatur habere, si bene feceris, lucrum habes de laboris tui profectu: si minus bene iterum lucraris meritum humiliationis tuæ, & post hoc minus ad huiusmodi cogeris ab illis quibus nō placuisti. Omnes sumus alterutrum expositi, vt alter alteri placeat, vel displiceat, cum in mea non sit potestate vt tibi placeam, sed in tuo arbitrio, vel affectu quæ tibi dare non valeo. Si multum tibi placere laborabo, forsitan nihil proficiam, quia aliter consilium tuum dirigitur: & ideo nihil in hac parte melius video, quā quod soli Deo studeat homo placere, & proximum non scandalizare, vel scienter offendere, & committere Deo si hominibus placeat, vel displiceat humiliter, & patienter, iuxta illud: Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer. Quibus places, adscribe eorum beneuolentiæ, non tuæ probitati. Quibus autem displices, attribue tuo merito, & cogita quod si tantillo eis displices, sicut exterius cognoscere valent tuam vilitatem, quid fieret si radicitus perspicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhonesta quæcumque? Mirum si non eiicerent, vel lapidarent te, pro me loquor. Nunquam enim à fidelibus tantum despectus sum, sicut sum despicabilis in veritate: vnde non debeo indignari: cum aliquando despicior, sed mirari, & reputare de beneficio Dei, quod non omnibus sum odiosus.

1. Cor. 4. a

CAPVT XI.

De patiendis humiliter odio, & detractione.

ET cum detrahi tibi intelligis, non mouearis, quia si verum est quod dicitur, non est inconueniens hoc loqui homines, quod facere ausus es. Si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Vt si albus esses, & diceret quis te nigrum esse, quid obesset tibi illud dicere? Nihil, cum tu esses quod es, & non aliud. Et si quis æstimaret te capram esse, tamen homo es. Si autem ad primos motus huiusmodi aduersitatis turbaris, & inflāmaris, ex patientia reprime iram, & sustine ad modicū, sicut qui sustinet adustionem cauterij, vel secationem chirurgici cogitans vtilitatem patientiæ, & cito sanari incipias, & melius habere. Immo hoc ipsum ex pugna intus exercitata, magnæ vtilitatis est, quia est purgatio peccati, vitij lima, exercitatio virtutis, meritum gloriæ, præparatio pacis. Non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Rancorem erga nullum retine in corde. Ad omnes cor mite, & pacificum habere stude, nec pro tua offensa, nec pro vllius vitio aliquem odito, ne fias cū illo sub specie zeli pariter vitiosus. Si non conuenit tibi eius habere familiaritatem propter vitæ ipsius deformitatem, sic displiceat tibi malum quod habet ex se, vt non sit tibi execrabile bonum quod est ex natura in præsenti, vel ex gratia forsitan in futuro. Multi enim sunt mali, qui fient boni postea, propter quod de omnibus viuentibus est sperandum. Quod si aliquis te odiret, & detraheret, & niteretur te confundere, & grauare; tu etiam si ex similibus vis contendere, non vincis eum, nec placas, sed prouocas sicut qui canem latrantem minando prouocat ad mordendum, qui si latratus eius non aduertendo trāsiret, citius eum compesceret, & abiret. Nam cum hoc intendat omnis aduersarius, vt molestet, & prouocet illum cui aduersatur, si videt te exacerbari, & contristari, ita habet quod quærit, & tanto fortius instat quomodo grauet, quanto plus videt valere conatus suos ad id quod intendit. Si autem viderit quod patienter sustines, & pertransis, ac si non sentias, confunditur in seipso, & confringens tumentes fluctus eius, ex indignatione quiescit videns quod nec valet efficere, quod quærebat, scilicet vt te conturbaret, vel certe confusus compungitur, & corrigitur exemplo patientiæ tuæ emēdatus. Quod si forte obstinatus, nec corrigitur, nec desistit te persequi, disce aliquid pati posse pro Deo, quia ille qui tibi aduersatur grauius torquet seipsum, quam te. Qui autē seipsum morderet, & laniaret in odiū tui, quid te læderet? Immo de se te vindicaret, ipse nū tu, morosus vulnera sentiret. Ita sentias de illo quia odit te, quod se laniat non te. vnde tu habeto pacem tecum, & aliena malitia non tibi nocebit. Quod & si verba contumeliæ tibi intulerit discere debes, vt omnia verba habeas pro sono transeunte, nisi quantum valeas ex eis ædificationē accipere, sed inquantum perturbare possunt, & scandalizare, sint tibi, sicut auium garritus, & latratus canum. Hoc cum audis pertransi, & non cura. Noli illi similis fieri, qui tibi detrahit: quia sicut in illo odibile est vitium detractionis, ita etiam esset in te. Nemo autem in odium aduersarij sui sibimet præcidit nasum, vel eruit oculos: sic nemo sapiens deturpat seipsum, vt se vindicet de inimico, quia tunc non tristitiam, sed lætitiam inimico afferret. Si patienter fers iacula aduersantis, alij compatientur tibi, & impugnabunt pro te aduersarium tuū te tacente, & diligent te. Si autē vindicare volueris te resistendo, aspicient te, & respicient vos pariter mordentes, & scandalizabuntur in vtroq;. Doctrina Christi magistri nostri & Domini est, cui9 te esse discipulū professus es in professio-

2. Tim. 2. 4

Mat. 5. g

professione Regulæ: Diligere inimicos, benedicere odientes nos. Et nostra benignitate vincere illorum malitiam. Sicut ille malos mutat in bonos, patienter eos, vt conuertantur expectando, & beneficiis alliciendo.

CAPVT XII.

De sui ipsius correctione.

CORRIGE in te quod in alio reprehendis, & doce te quod vtile cuique cognoscis. furor tuus agat in teipsum, & ita inflammatus alios calefac, sicut ignis qui proxima prius, & postea remotiora calefacit. Tu igitur esto proximus tibi in correctione tui. Regula ingenij tui, & zelus iustitiæ tuæ primo reformet te, exemplar artis tuæ aliis imitandæ. Ostende in proprio, cuius peritiæ sis in opere alieno. Quidam sciunt in aliis multa corrigere, & vitā aliorum ordinare, in seipsis autem multa incorrecta relinquunt, & minimam diligentiā adhibent, vt statum proprium ordinent ad profectū virtutis. Quandoque somniant si essent in alio statu in tali, vel tali officio, vel dignitate, quantum bene valerēt illam bene disponere, suum autem statum in quo iam sunt nec sollicite discutiunt, nec emendant, sed aliquando per aliū moniti, vel ex casu forte ad se reuersi, cogitant ad meliora se extendere, nec prouide disponunt qualiter hæc faciant vel in eo quod prouident non perseuerant, consuetudine dissolutionis, & torpore eos ad solita reuocante.

CAPVT XIII.

De eodem.

ESTO tuimet potens, vt statim ad nutum rationis assuescas, tam cogitationes cordis, quam membra, & sensus corporis à noxiis retrahere, & in bonis studiis occupare, & oculos, manus, linguam, auditum, & cogitatum, quasi in freno manus tuæ, ne insolerter euagentur extra disciplinæ terminos. Quia sicut auis, vel bestia ex coactione domita, rursus ex relaxatione fiunt indomita, ita sensus exteriores, & affectiones interiores, nisi sub discreta cautela refrenentur, ex libertatis licentia insolescunt, ita vt postea difficilius redigātur sub rationis magisterio, quam in principio conuersionis, quia peruersi difficilius corriguntur quam nunquam conuersi, sicut animalia difficilius domantur, vel mansuescunt in senectute, quam in iuuētute, & sensus iuuenum capacior est scientię, quam senum & inueterata arbusta inflexibiliora sunt, quam recentia, & tenera, sæpissime discute teipsum, & considera statum mentis, corporis, quid desit, quid deficiat, vel quid proficiat, quid impediat profectum, & quomodo illi obuietur declinādo, vel resistendo, aut regendo, aut tolerando. Peccata declināda sunt, & fugienda. Vitiis impugnantibus est resistendum, officium vel alia actio occasionaliter impediens, regenda & ordinanda est discrete ad profectus materiam. Aduersitas est toleranda, & per vsum tolerandi fit magis tolerabilis, & ideo tam odiosa est nobis aduersitas, quia nolumus assuescere. Si aliquis domesticus tuus, vel vicinus, tibi fuerit in corde onerosus, illi stude magis obsequiosus esse, & affabilis, cito senties remedium illius morbi.

CAPVT XIV.

Quare non sit affectanda hominum dilectio.

NON multum affectes diligi, quia distractio cordis est, & à quo quæris diligi, illi etiam affectas placere, & tibi admiscet se adulatio, & sæpe simulatio, ne forte displicere incipias, & minus diligi. Turbaris etiā quā do suspicaris te minus diligi, vt desideraueras, vel sperauetas. Pauci etiam sunt in sensu, & affectionibus, & moribus ita conformes, vt non sit dissensionis materia aliqua inter eos, quæ est dilectionis aduersatrix. Item à feminis velle diligi, etiam præter tentationis laqueum, & occupationis materiam, & turbationis occasiones continuas, nota suspicionis, & obseruationis non carebis. Committe te Deo, & ab illo stude diligi fideliter, & aliorum certam dilectionem relinque illorum arbitrio, & diuinæ voluntati. Dilectio hominum fallax est, & instabilis, facile cedit, facile lædit: ad modicum vtilis, & sæpe nociua. Si dignus fueris diligeris, sin autem, iustum est non diligi indignum, nec ei vllam reuerentiam exhiberi. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum, cui titulus est:

REGVLA NOVITIORVM.

Qua de instructione Nouitiorum in superioribus opusculis docuit S. Bonauentura, videtur in hoc opusculo in compendium redigere: in quo breuiter nouitios instituit ad vitæ reformationem.

PRÆFATIVNCVLA.

RENOVAMINI in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Hoc dicit Apostolus ad Romanos in persona nouitiorum, his qui fuerunt per peccatum in sęculo deformati, & erant tenebrosi, vt modo in religione positi, per finalem sententiam reformentur, & fiant luminosi, vt dicatur de eis. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Qui ergo desiderant in spiritu & moribus reformari, studeant vitam suā subscriptis rationibus reformare. Cognoscēt enim quia voluntas Dei erit eis bona, quantum ad remissionem culpæ deformantis, beneplacens quantum ad infusionem gratiæ reformantis, sed perfecta, quantum ad fruitionem gloriæ præmiantis, in qua recipient diadema decoris de manu Domini IESV, qui retribuet vnicuique iuxta opera sua, iustus est, & iustitiam dilexit.

Rom. 12. a

Ephes. 5. b

CAPVT I.

De officio.

CVM spiritualia sint semper vbique omnibus præponenda: idcirco cum fueris in ecclesia, vel alibi ad diuinum officium celebrandum, non sis ibi cum vagatione cordis, interponendo nociua, & cogitando diuersa, quia dicit Bernardus: Magna abusio est habere os in choro, & cor in foro. Nam de talibus dicitur per Prophetam: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Sed dicas cū profunda cordis humilitate, & reuerentiā, & timore. Nam teste Scriptura. Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium, & lętitiā: & stude intelligere ea quę dicis si potes, si vero non potes intelligere, reuerere: quia sicut dicit Sapiens, per reuerentiā accedet tibi bona gratia: & semper ad totū officium sis erectus, tam in officio beatæ Mariæ Virginis, quam in alio, hoc modo excepto, quia in nocte, dicto matutino beatę Virginis licet tibi apodiare. Officium vero beatæ Virginis nunquam dimittas, & quamdiu stas in officio totaliter

Psal. 61. a

Eccli. 1. b

Eccli. 32. a

liter sis honestus, vt non respicias circumstãtes, nec cum aliquo loquaris ibidem, sed inclinato aliquantulum capite dimissas manus habeas ante, aut in modum crucis, aut manum in manu portans, nunquam autem ante pectus, vel in sinu, vel in loco inhonesto portes, cogitans te esse non solum coram fratribus: sed etiam coram Deo, & Angelis eius. Nam teste Propheta, qui dicit: Præuenerunt principes, id est, Angeli coniuncti psallentibus. Et sis semper sollicitus ad horam, ne aliquando negligentia, vel verecundia ductus, aliquod verbum prætermittas, & non dicas horas tuas solummodo prolatione vocis exterioris, vt Pharisæi versipelles. de quibus conqueritur Dominus per Prophetam, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Caue tibi multum, ne aliquid facias, vel dicas ibidem, quod alios prouocet ad risum, quia sicut dicit Isidorus: Nullus habebit accessum ad compositionem, vbi fuerit immoderatus iocus, vel risus, sed iucundatio tua sit semper in IESV, & meditatio tua sit semper in IESV, vt psallendo, & meditando possis dicere cum Propheta: Et erunt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, & dicta qualibet hora, dicas: Miserere mei Deus cum oratione: Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ matris, &c.

Psal. 67.c

Isa. 29.d

Matt. 15.a

Psal. 18.d

CAPVT II.

De oratione.

Luc. 18.a

CVM Dominus dicat in Euangelio, quia oportet semper orare, & non deficere. Stude semper expendere tempus tuum aut in oratione, aut in lectione, aut in bona meditatione, aut in seruitiis: non enim cessat orare: qui non cessat benefacere. In oratione autem frequenter & morose permaneas, cum profunda cordis deuotione & humilitate. Oratio autem humiliantis se nubes penetrat iuxta sententiam Sapientis. Quidquid autem in oratione petieris, cum fiducia impetrandi petas. Veritas enim dicit: Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis: & fiet vobis. Sit autem oratio tua in excelsa charitate fundata. Gregorius enim dicit: Quia virtus perfectæ orationis, est celsitudo charitatis. Sit secreta, verecunda, iusta lacrymosa, & frequens, & quia oratio nil aliud est, quam ascensus intellectus ad Deũ, idcirco antequam incipias orationem præpara te ad intimam deuotionem, si vis attingere ad diuinam prægustationem. nam teste Gregorio: oratio est cordis non labiorum. Nec inquit, verba deprecantis tantum Deus intendit, sed cor orantis aspicit, & ideo dicit Sapiens: Fili, ante orationem præpara animam tuam, & noli esse tanquam ille qui tentat Deum. Tunc enim orator dicitur tentare Deum, quando absque cordis præparatione currit ad vocalem orationem, & petit ibi diuinam speculationem. Sic vix aut numquam poterit impetrare, quia talis dicitur non deuotus orator, sed verborum latrator. Si ergo vis affici in oratione, præpara cor tuum ad deuotionem, nam de cordis præparatione, dicit Dominus per Prophetam: Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. vnde legitur in vitis Patrum: Quales volumus orantes inueniri, tales debemus ante tempus præparare nos. Ad istam autem præparationem tria occurrũt. primo vt dicit Gregorius: Quinq; sensuũ reuocationes, scilicet ab exterioribus, vt ad nihil intendat, nisi ad quietem mẽtis, ne forte anima quæ soli Deo vacare intendit, per eos ad plura diffundatur. Nam si inuisibilis anima inuisibili Deo cõformis est, dum Deũ orat, debet omnium visibilium obliuisci vt impermixta terrenis ad cælestia cito tendat. Anima enim in modũ arboris cogitatur leuari. Vnde Gregorius dicit: Tanto auidius gustum sapientiæ orator intus acciperet, quanto saporem carnis pro eodem sapientiæ fonte robusti⁹ repressisset, propter quod dicebat Dominus. Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio ora Patrem tuum. Sed quia nemo ascendit ad Dei contemplationem, nisi prius descẽdat per sui humilitatem, ideo sequitur secundum, scilicet propriæ paruitatis consideratio. Si autem vis videre tuam paruitatem qui oras, considera illius immensitatem quẽ oras: nam nihil es respectu Dei viuentis. Tu enim es vermiculus putridus, ipse vero Deus est æternus. Tu creatura mortalis & infirma, ipse vero Creator omnipotens, tamẽ cum nihil sis, non ipsum Deum honorasti tanquam creatorem tuum, & tanquam seruus dominum suum, & quod periculosius est, peccando eum ad iram prouocasti, & semper eum suis stipendiis impugnasti, & ideo non es dignus exaudiri, sed potius cruciari æternaliter. Et sic mentaliter descende ad infernum cogitando, scilicet grauia peccata quę commisisti, & quantam gloriam perdidisti, & quam dura supplicia incurristi, vt cogitando cognoscas tuam trãsgressionem, & quam iuste damnatus es, & diuinam passionem, qua redemptus es. Nunc igitur sequitur tertium, scilicet Christi redemptoris ignita dilectio. Si autem vis diligere Christum, considera quantum fueris dilectus à Christo. Nam maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis, sed CHRISTVS plus, quia pro nobis inimicis suis mortuus est. Cogita ergo hęc grandia beneficia Dei, qui deberes meritis tuis æternaliter cruciari, voluit tamen ipse Dei filius pro te redimendo de muliere paupercula nasci, & crudelissima supplicia pati, & horribili morte mori, & mortuus ad inferna descendere, vt nos de inferni pelago liberaret, & in cælesti collegio collocaret. Et ascende mentaliter ad illud collegium beatorum, & tunc diuina charitate ignitus incipias orare feruenter, vt possis dicere cum Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis: & dum diu oras, speculare illam Hierusalem triumphalem, vt orando possis dicere cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in cælis est. Orationes autem quas facias, semper habeas sub certo numero terminatas, quas nunquam dimittas, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate coactus, quæ sunt hæ. Primo ad laudem Dei, & beatæ Virginis, quotidie inter diem, & noctem dicas cẽtum Pater noster cum Gloria Patri: & totidem Aue Maria cũ genuflexionibus. Itẽ dicas quotidie Psalmos pœnitentiales cũ Letania, pro benefactoribus viuis, & Vespetis defunctorum, hoc est, Placebo, & aliá facias sicut tibi Dominus ministrabit. Hic tamen attende, vt in oratione quam facis, magis studeas ad deuotionem, quã ad consummationem, vt statim cum inueneris Christum, orationem vlterius non protendas, sed eo fruere quem quærebas, dicens cum sponsa: Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, & subtrahente se IESV, orationem perficias quam incœpisti, & consulo tibi, vt nunquã prædicta dimittas: nõ enim qui incipit emendatur, sed qui finaliter perseuerat. Ora ergo charissime, & te in oratione exerce, quia pauperi non oranti, æterna supplicia promittuntur. Ait enim Bernardus: Ora frater instanter, ora quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperis sudore. Cantando vobis, inquit, ista bona proueniũt. graues ergo pro eis effundite gemitus, alioquin quod hic in deliciis sumitis, in tormentis euomitis. Studeas ergo tãto feruentius, & morosius cũ feruore deuotionis orare, quanto plus ceteris maiora beneficia tibi conferuntur, quia sicut dicit Gregorius: Tanto ergo humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem conspicit in reddenda ratione. Et omnis oratio tua semper voluatur circa Dei beneficia collata, cum gratiarum actione, aut circa tua & proximi scelera perpetrata, cum omni dolore & lacrymarum effusione. Ista est scala per quam vidit Iacob Angelos ascẽdentes, & descendentes. Et quotidie semel à fratrum cõsortio separatus stude animum tuum ab omni sollicitudine reuocare, & illicitis cogitationibus permixtus, cum profunda cordis humilitate, deuotione, & gratiarum actione recogita circa beneficia Creatoris, & maxime quoniam pro te voluit humiliter incarnari, & acerbissima supplicia pati, & morte turpissima mori. Quę autem

Eccl. 35.c

Matt. 11.c

Greg. hom. 17. in Euã. post med.

Est apud Isid. de sum. bo. li. 3. c. 7. sent. 4.

Eccl. 18.c

Psal. 9.d

Mat. 6.a

Ioan. 15.b

Psal. 38.a

Phil. 3.d

Cant. 3.b

Greg. hom. 9. in Euan. fere in pri.

Gen. 28.c

de paſ

de passione tunc debeas cogitare, dicit Bernardus: O homo respice mentali oculo, quanto remunerationis debito Domino tuo sis astrictus. Respice sanguinem, alaparum contumeliam, flagellorum duritiam, coronam spineam: verborum blasphemiam, sputi ludibria, crucis angariam, suspendium patibuli, oculos languentes, oris pallorem, felita cibaria, acetosa pocula, caput inclinatum, mortis supplicium. Et quid plura? Vita pro nobis mortua est Et cum hæc prolixius cogitasti, côuertere protinus ad teipsum, & considera quod Christus nô solum supradicta, sed etiam alias multas sustinuit passiones, vt te de seruitute diaboli liberaret. Et tu ingratus, beneficia Creatoris tui nô cognoscis, cû sis sua morte redemptus, non solum ardentius non amasti, sed peccando potius impugnasti, sicut ipse conqueritur per Prophetam, dicens: Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Et prolixa hora cogita cum dolore, quantum & qualiter Deû offendisti, & per côsequens quantã gloriam amisisti, & quanta supplicia acquisisti, & in hoc liquefiat anima tua dolendo, & pœnitendo in amaritudine lacrymarum, vt possis dicere cum Propheta: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ad vltimum vero surge sperando de misericordia Iesu Christi. Patiens enim est, & multum misericors, sicut dicitur in Psalmo. Et ideo confidenter, & humiliter roga eum, vt qui sua morte te redemit, & redemptum de mundo te vocauit in religione positum, immaculatum finaliter te conseruet in sanctorum collegio. Deinde roga Deum pro Ecclesia Romana.

Psal. 34. b & 108. a

Psal. 118. r

Psal. 85. d

CAPVT III.

De confessione.

QVia ad remissionem peccatorum requiritur contritio amara, confessio pura, & satisfactio condigna: idcirco antequam vadas ad confessionem, omnia peccata quæ post prædictã confessionê fecisti, vel corde, vel ore, vel opere, aut omittendo bona, aut committendo contraria, cum profunda contritione ad mentem reuoca diligenter, ne ea in confessione prætermittas. Cum singula ad mentem reuocaueris verecunde, vade ad sacerdotem, & deposito mantello humiliter genu flecte, & cum extracto caputio, & iunctis manibus dicas: Confiteor, vsque, Ideo precor: & hic incipias dicere peccata quæ cogitasti sæpius, & pro singulo peccato, dicas tuam culpam. Quibus dictis, finias vltimo dicens, Et de istis, & de aliis multis peccatis meis mortalibus, venialibus confessis, & omissis, quibus offendi Creatorem meum: visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu,: dico meam culpam. Ista sufficiunt ad confessionem frequentem: cum volueris prolixius confiteri, dicas de offensionibus regulæ, maxime de obedientia, paupertate, & castitate, & exprimas si in aliquo istorum offendisti. Item de multa ingratitudine & irreuerentia quam habes, circa temporalia & spiritualia beneficia, nam spiritualia non cognoscis, iuxta beneficium redemptionis, & religionis, quia cum gratiarum actione frequenter ruminare debuisti, & etiam de beneficiis corporalibus es ingratus, quia pro eleemosynis acceptis, non reddis Deo debitas gratias, sicut debes, & parum pro benefactoribus oras. Item de modica charitate quam habes circa Deum & proximum, quia Deum non diligis, sicut debes toto corde, nec obedis consiliis & præceptis, sicut debes, sed quod periculosius est, eius voluntati resistis frequenter, nec etiam diligis proximû sicut debes, quia non congaudes ei in prosperitate, nec in aduersitate côpateris, sicut debes. Item de perditione temporis, quia stas otiosus in die audiendo verba vana, & otiosa, & nociua ad risum prouocantia. Item de inhonestis & nociuis cogitationibus, luxuriosis & otiosis, quibus non resistis humiliter sicut potes, sed forte quod peius est, negligis principia motuum carnalium qui insurgunt. Item de multa superfluitate in comedendo & bibendo, & alia non necessaria faciendo. Item de falso & temerario iudicio. Item de vana lætitia & tristitia. Item quia tu es pronus ad malum, & remissus ad bonum. Item de multa superbia, vana gloria, inuidia, iactantia, auaritia, acedia, & luxuria. Item de modico quem habes de peccatis tuis dolore, & non doles de confessis sicut debes, & de aliquibus dicas quæ conscientia reprehendit: & dum hæc omnia dicis descende ad similia quæ fecisti, & semper accepta pœnitentia osculare terram, & sit côfessio frequens, aperta & integra, verecunda, & lacrymosa, & cum contritione, & sine excusatione. Et si potes confiteri quotidie bene quidem, sin autem de tertio in tertium diem saltem studeas confiteri, & studeas generaliter annuatim confiteri.

CAPVT IV.

De sacramento Eucharistiæ.

CVm Apostolus dicat, quod qui illud incogitabile sacramentum indigne manducat, iudicium sibi manducat & bibit: idcirco quandocumque communicare proponis, studeas per totam hebdomadam præcedentem te præparare, per peccatorum contritionem continuam, confessionê, & deuotam orationem. Nam de hac præparatione loquebatur Apostolus cum dicebat: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quod si in die Dominico proponis communicare, studeas te ante per triduum ad feruorem spiritus ordinare, vt sis in sexta feria præcedenti ab omni cogitatione immunda abstractus. Semper autem habeas mentales oculos ad Iesum crucifixum, spinis coronatum, aceto & felle potatum, sputis & contumeliis saturatum, à peccatoribus blasphematum, acerbissima morte consumptum, lancea perforatum, à mortalibus iam sepultum. Hæc cogita illa die, siue comedas, siue bibas, siue aliquid aliud facias, vt cogitando Creatorem crucifixum, dolorem in corde habeas, tota die ostendas tristitiam in corde, & in corpore, dicens cum Apostolo: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Sabbato proponas penitus fratrum consortia declinare, & quietem mentis eligere: dies enim requietionis est, & pone strictum ori tuo silentium, vt saltem illo die non solum otiosa verba succidas, sed ipsa necessaria vix loquaris. Nam teste Hieremia: Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei nostri, & vsque ad completorium exerceas te, aut in lectione, aut in bona meditatione. Post completorium vade in ecclesiam, & ibi reuoca mentem tuam, & quidquid côtra Creatorem tuum fecisti, recogita cum dolore, & amaritudine cordis, dicendo cum Propheta: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et semper quãdo communicare proponis die præcedenti ieiunes, & post matutinum non dormias, sed vigila in oratione, sciens quo in vigilia post matutinum. Saluator noster potissime inuenitur, ipso attestante qui ait: Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me. Cum communicatus fueris, statim vade ad cellam tuam, & cum gaudio magno ipsius communicationis, affectes illum quem quidem ipsa veritas promittit, dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternã. & immediate dicas Pœnitentiales cum Letaniis, & caue illa die similiter ne egrediatur verba nociua, vel otiosa de ore tuo, per quod intrauit Iesu refectio gloriosa, teste Apostolo: Nemo potest digne calicem Domini, & calicem dæmoniorû sumere, de frequentatione vero cômunionis non audeo suadere, nisi quod Augustinus suadet, ait enim: Quotidie Eucharistiam recipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor, si tamen mens in affectu peccandi est, magis grauatur quã purificatur. Et tamê licet quis peccato mordeatur, si tamen de cetero nô habet voluntatem peccãdi, & satisfaciat lacrymis, & orationibus, accedat securus. sed de illo dico, quê mortalia peccata nô grauant

1. Cor. 11. g

1. Cor. 11. f

Gal. 6. d

Thren. 3. c

Isa. 38. c

Prou. 8. b

Ioan. 6. f

1. Cor. 10. e

Aug. lib. de Eccles. dog. mat. c. 53. refertur de côsecr. d. 2. c. Quotidie.

CAPVT V.

De comestione.

CVm pulsatur campanella ad mensam, vel ad comedendum, stes in silentio, & examina teipsum quomodo in oratione, vel lectione, vel in seruitiis laborasti, vt præparatas eleemosynas possis secura cõscientia manducare: nam peccatores tibi eleemosynas largiuntur, non vt loquaris de partibus, vel de guerris, vel maneas otiosus, sed vt pro eis incessanter ad Dominum fundas preces. Quod si te inueneris otiosum stetisse, aut dixisse illicita, timeas cum dolore cordis, sciens, quod de eleemosynis acceptis oportebit te reddere rationem villicationis tuæ, & vsque ad secundam pulsationem cogita supradicta, semper pro benefactoribus exorando. Cum autem intraueris ad mensam, sede circa honestiores si fieri potest bono modo. Et antequam incipias manducare, dicas gloria in excelsis Deo, vel tribus vicibus pater noster, & inuocando nomen sanctæ Trinitatis, dicendo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Et tunc incipies manducare cum timore, & dolore cordis, vt verificetur in te illud: Antequam comedo, suspiro, sic Bernardus dicit: Cum comedis non totus comedas, sed attendas lectioni, si fueris vbi legatur; si vero non legitur, ibidem cogita de Deo, vt vterque homo sit propria refectione refectus. Sis ergo in mensa honeste, capite semper cooperto, oculis non diffusis, & nulli loquaris inde nisi necessitate coactus, nec cures scire, quid vel quantũ, vel qualiter alij mãducent. Paulatim incidas panem, & vinum moderate propina, vt cum comedas nec panis incisus, nec vinum in scypho sit, nec sis primus in comedendo, nec vltimus in finiendo. Et dum sanus es, numquam panem eligas meliorem, nec deteriorem tantum dimittas, ne Deum offendas, & proximum scandalizes, sed comiter manduca illum: & non comedas rapaciter sicut gulosi, quorum Deus venter est, sicut dicit Apostolus: sed curialiter & honeste manduca, sicut decet religiosum, & paupertatis sanctissimæ sectatorem. Et cum biberis dicta Aue Maria cum duabus manibus bibas, ne quod datur tibi ad nutrimentum, fiat tibi in detrimentum, habet enim ad libidinem prouocare, sicut dicit Sapiens, quia luxuriosa res est vinum. Et ideo dicit Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, & alibi,: Semper modico vtere vino. Appone igitur semper aquam in vino: Specialia tibi numquam procures, nec oblata recipias, si euitare poteris bono modo. xenia non mittas per mensam, nisi forte illis qui iuxta te sunt. In fine vero micas diligenter collige & manduca, quia dicit Dominus, colligite fragmenta ne pereant.

Iob. 3. d — *Philip. 3. d* — *Prou. 20. a* — *Ephes. 5. d* — *1. Tim. 5. d* — *Ioan. 6. b*

CAPVT VI.

De abstinentia.

CVm Dominus dicat in Euangelio: Attendite ne grauentur corpora vestra crapula, & ebrietate. In huiusmodi semper stude crapulam fugere & ebrietatem, & sobrietatem elige, quia dicit Sapiens: Multi per crapulam perierunt, qui abstinens est adiiciet sibi vitam. Si autem fueris ad comedendum, non sapor, sed fames te prouocet, vt dicit Bernardus, vt numquam voluptate, sed necessitate pascaris, quia dicit Augustinus: Mens lassata nimietate ciborum, perdit orationis vigorem. Toto tempore vitæ tuæ modico, & communi cibo vtere, quia dicit Isidorus: Vbicumque satietas, & ebrietas, ibi libido, & furor dominatur: Et ne modum excedas in comedendo, & bibendo (sicut dicit Isidorus) tantum tibi ieiunij impones, quantum ferre potes. Melius est enim, inquit, quotidie parum, quam multum raro sumere. Augustinus: Quid enim prodest tota die longum ieiunium durare, & postea satietate, vel nimietate animam saturare? Et caue, ne de cetero specialitatem, vel singularitatem tibi procures: sed omni tempore quando sanus es, iis cibariis esto contentus, vt pane, & vino, & coquina tantum, & si aliquid apponatur, si indiges, accipias moderate, sicut decet seruum Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatorem. Cibaria vero quæ magis prouocent ad gulam, quam sustentationem naturæ semper deuita, sicut sunt cibaria inusitata, vel delicata, scilicet speciebus composita, & similia. Nam sicut dicit Bernardus; Satis est ad omne condimentum sal cum pane, & fame. Nec tamen ea occasione permittas aliud tibi dari, quia tunc non esset abstinentia, sed simulatæ sanctitatis apparentia. Caue etiam vt non manducando manducantes iudices, vel condemnes, quia sicut ait Apostolus: Qui non manducat, manducantes non spernat, & è contrario. Qui enim manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat. Extra refectorium numquam comedas, nisi necessitate, vel infirmitate coactus, sed communem vitam semper in bono sequaris, & omni tempore quando sanus es, Quadragesimam Epiphaniæ, & aliam Apostolorum, quæ incipit ab Ascensione, vsque ad Pentecosten, & diem Sabbati semper ieiunare procures. & quando abstinentia tibi importabilis videretur, statim cogita de Iesu, qui cum esset Dominus omnium, in anxietate patibuli est fatigatus, spinis coronatus, clauis perforatus, sitiens potatus est aceto cum felle misto. Tunc enim talia cogitando, non solum ciborum abstinentias, sed quaslibet asperitates, & passiones, facile sustinere valebis. Ait enim Gregorius: Si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil adeo durum, quod æquo animo non toleretur. Abstineas igitur maxime frater à cibis delicatis, & calidis, qui sunt incitatiui ad nutrimentum luxuriæ, & semper in omni cibo, & potu superfluitatem, & auiditatem deuita, vt etiam post comestionem videare esurire, & famelicus esse, si vis in æterno conuiuio saturari. Ait enim Hieronymus: Impossibile est enim, vt præsentibus & futuris quis fruatur bonis, vt hic ventrem, & illic mentem impleat, & de delitiis mundi ad delitias angelorum transeat, & in cœlo, & in terra appareat gloriosus. Beati ergo qui esuriunt, & sitiunt in præsenti, quoniam ipsi saturabuntur in futuro.

Luc. 21. g — *Eccli. 37. d* — *Isidor. li. 2. de sum. bo. ca 43. sent. 1. in sensu.* — *Aug. ser. 2. in cap. Ieiunij de temp. 56. to. 10.* — *Ber. epist. 1. ad Robertum nepote post med.* — *Rom. 14. b* — *Meditatio passionis Christi multũ iuuat ieiunantibus.* — *Matt. 5. a*

CAPVT VII.

De dormitione.

SEmper cum ad horam perueneris dormiendi, non præuento tempore, primo asperges te aqua benedicta, & tunc vadens ad lectum aliquam orationem præmittas, & facto tibi signaculo crucis in lecto, & te Domino humiliter commendato, honeste & composite iaceas in dextro, vel sinistro latere, numquam tamen supinus vel aliter inhonestus: numquam dormias cum manibus in sinu positis, nec cruribus eleuatis, vel discoopertis, sed semper teneas tunicam inter crura, vt nullus te inueniat inhoneste iacentem. In lecto autem sic positus dicas Psalmos, vel aliud vtile meditare, vel quod vtilius est, imaginare Iesum in cruce pendentem. Quod si sollicite agitabis, vix aut numquam poterit te diabolus molestare: quia per deuotam meditationem Iesu, omnis dæmonum exercitus effugatur. Cum autem surrexeris de lecto, statim recurre ad memoriam crucifixi, vt cum Apostolo nihil scias inter homines, nisi solum Iesum, & hunc crucifixũ. Ait enim enim Bernardus. Totus sit tibi crucifixus in corde, qui pro te fuit fixus in cruce. Et facto tibi signo crucis, vade ad ecclesiã festinanter, & asperge te aqua benedicta, & ingrediens ecclesiã dicas: Introibo Domine in domũ tuam & adorabo ad tẽplum sanctũ tuũ in timore tuo. Domine deduc me in via tua, propter inimicos meos: dirige in conspectu tuo viam meã. Cum autẽ perueneris ad altare, humiliter genu flecte, & Deum adora, & lacrymare si potes, & facias ibi orationem quam Dominus monstrabit, & recõmenda te sibi cũ profunda cordis humilitate, & semper sis in ecclesia antequã officium inchoetur, vt congregato animo tuo coram Deo, liberius possis intendere his quæ dices.

1. Cor. 2. a — *Psal. 5. b*

Omnia seruitia quæ facis, semper radicentur in charitate, alioquin non expectes inde meritum apud Deum, quia sicut dicit Augustinus: Tanta est virtus charitatis, vt & prophetia, & martyrium sine ipsa nihil esse credatur. Celebrantibus autem Missas libentissime seruias, cum profunda cordis, & corporis humilitate, reuerentia & deuotione: quia ad illud deuotissimum sacramentum nemo debet accedere indeuote, nec expectes quod alius te inuitet, sed potius tu sollicita sacerdotes, & sis semper sollicitus circa omnia seruitia facienda, ne forte tua negligentia (quod absit) impediatur aliquando sacerdos. Alia autem seruitia quæ sunt necessitatis, & vtilitatis, libentius facias quam alia, sicut est lauare pãnos, scutellas, tunicas, & pedes infirmorum, & aliorum, & capita cum oportebit, & similia. Cum fueris cum fratribus pro aliquo seruitio faciendo, caue ne loquaris ibidem, nisi forte interrogatus, & tunc submisse, sed potius audi tacens, quia teste Psalmista: Vir linguosus non dirigetur in terra. Infirmos vero debes frequenter & sollicite visitare, saltem bis vel ter, cum exhibitione seruitij si oportet, sicut in Regula continetur, quod fratres debent eis seruire, sicut vellent sibi seruiri, & hoc fiat sine multiloquio, quia teste Sapiente, in multiloquio non deerit peccatum.

Psal. 139. b
S. Franc. in reg. c. 6.
Prou. 10. c

CAPVT VIII.

De otiositate fugienda.

CVm otiositas multis sit occasio delinquendi, teste Sapiente qui ait, Multa mala docuit otiositas, stude semper in diuinis laudibus vel charitatis operibus occupari. Nam otium diuina sapientia reprehendit, dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Nec mirum, quia diabolus frequenter eos præcipitat. Vnde Hieronymus: Semper aliquid boni facito, vt te semper diabolus inueniat occupatum. In his ergo maxime exerce te, scilicet in frequenti & feruenti oratione, & lectione, & in seruitiis, & per ista tria tota vita tua decurrat, & semper ores, aut legas, aut seruias, & potissime senibus, forensibus, & infirmis, & factis seruitiis non stes cum fratribus otiosus, sed statim vade ad cellam, & ibi ores vel legas, & sta in ea quotidie vsque ad tertiam, & non exeas, nisi vrgenti necessitate coactus, memorans illud Bernardi, quod Sancti Angeli cellas habent pro cœlis, à cella enim in cœlum sæpe ascenditur.

Eccli. 33. d
Matt. 20. a
Hieron. ep. 4. ad Rustic. ante med.

CAPVT IX.

De honestate.

CVm honestas sensuum exteriorum sit ornatiua virtutum, ideo cum omni verbo & actu tuo semper honestatem cum discretione prætendas. Ait enim Apostolus: Omnia honeste cum ordine fiant in vobis. Si ergo desideras honestatem & felicitatem virtutum inuenire, & inuentam facile retinere, stude semper habere subscripta: Et primo habeas feruentem & frequentem orationem, de qua dicere poteris illud sapientiæ: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Deinde stude semper omnia verba otiosa vitare, vt ea non proferas, nec audias proferentes, quia teste Paulo: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Postea inhonestorum & dissolutorum consortia caue. Adulatorum blandimenta deinde, dona contemne, colloquia susurronum & murmuratorum, bilinguium & detractorum semper abhorre. Nam teste scriptura: Murmuratores & detractores Deo odibiles sunt. Numquam loquaris cum aliquo nisi verbum permeditatum, ordinatum, vtile, & honestum. Duplicitates & simulationes in loquendo semper deuita, quia dicit Augustinus: Omnis simulatio, & omnis duplicitas mendaciũ est. Et propterea dicit ipse alibi: Omnia verba ante veniant ad limam, quam ad linguam. Ad lauandum

1. Cor. 14. f
Sap. 7. b
1. Cor. 15. d
Rom. 1. d

B

C

D

E

parapsides quotidie vade. Insuper non sis murmurator, nec iudicator aliorum, nec aliquem de cetero reprehendas, nisi aperte fecerit contra Deum, sed potius reprehensus statim dicas culpam tuam genuflectens, siue sis culpabilis siue non. Nam teste Gregorio: Bonarum mentium est ibi timere culpam, vbi culpa non est. Et quandocunque aliquis te offenderit, non respondeas ei, sed statim recurre ad patientiam, dicens: Dignũ est quippe vt omnes creaturæ me offendant, quia ergo superbus creatorem omnium semper offendi, & iniuste & frequenter offendo. Et semper quando vadis in ecclesiam, coram altari si fieri potest, congrue, ingrediẽdo vel egrediendo humiliter genuflecte, quia scriptum est: In nomine Iesu omne genuflectatur. Iterum quando vadis per domum vel extra, semper habeas gressum mitẽ: manus continentes, oculos demissos, stabiles, non vagantes, quia dicit Isidorus: Impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Et quando vides fratres loquentes de aliquo & non de Deo, vel etiam non de scriptura, statim recede, maxime si murmurant de aliquo, vel loquantur de guerris. Nam teste scriptura: Lingua eorum gladius acutus. Et vt melius hæc conserues, stude semper in corde & opere humilitatem habere, quia vt dicit Gregorius: Qui ceteras virtutes sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum portat.

Gregor. in Regist. lib. 11. ind. 7. ad 10. interrog. August.
Phil. 2. b
Est apud S. Aug. in regula ad seruos Dei to. 1.
Psal. 56. a
Greg. hom. 7. in Euang. circ. fin.

CAPVT X.

De tentatione.

QVia humani generis aduersator, nititur incessanter per impulsionem tentationum fidelibus obuiare lateter, testante Petro: Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: idcirco semper custodi animam tuam sollicite, iuxta consilium Sapientis. Et semper quando senseris te huiusmodi tentationibus impugnari, recurre ad Christum. Fidelis est enim vt faciat cum tentatione prouentum: & dicas immediate: Adiuua me Domine Deus meus, ne discesseris à me, intende in adiutorium mihi Domine Deus salutis meæ. Libera me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me. Pone Domine me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Quia si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et cogita statim, quia propter peccatum priuatur quis inæstimabili gloria beatorum, & condemnatur ad horribilissima & infinita supplicia damnatorum. Nam ista duo si bene habebis in mente, expellent tentationes omnino, quia si tentator adhuc præualet, cogita frequenter de acerbissima passione Iesu. Nam teste scriptura. Cogitare de ea sensus est consummatus, & qui vigilauerit propter eam cito erit securus. & hoc est, quod si bene imprimatur in mente passio Redemptoris, non habebit locum in carne tentatio detractoris. ipsa est enim armatura cõtra hostes, de qua dicebat Apostolus: Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli & merito, quia nulla est efficacior medicina, per quam citius inimicorum exercitus debellatur. Christo (inquit Petrus) in carne passo & vos eadem cogitatione armamini. Hoc ait etiam expressius Bernardus: Quotiens te senseris turpibus cogitationibus impugnari, & ad illicitas cogitationes affici, totiens pone tibi ante oculos mentis tuæ, quomodo Christus crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Iuda Iudæis traditus est, quã viliter pertractatus, blasphematus, & colaphizatus, iudicatus & condẽnatus, expoliatus & flagellatus: ad vltimũ vero contumeliis, & opprobriis affectus, inter duos latrones suspensus, clauis confixus, sputis derisus, spinis coronatus, felle potatus, lancea perforatus, ex omnibus partibus corporis sanguis emanauit, & inclinato capite emisit spiritum. Ita Redemptor tuus mortuus est pro te in cruce. & tu nescis cuiusmodi turpi cogitatione sordidaris in mente.

1. Pet. 5. a
Prou. 4. d
1. Cor. 10. c
Sap. 6. c
Ephes. 6. c
1. Pet. 4. a
Bern. de interiori domo c. 38. in princ.

CAPVT XI.

De familiaritate mundi.

TOto tempore vitæ tuæ studeas, quantum poteris bono modo familiaritates sæcularium deuitare; generatio enim peruersa est, & infidelis, scriptura. Cum autem fueris cum eis aliqua necessitate, vel vtilitate cogente, caue ne vmquam loquaris cum eis nisi verba vtilia & honesta, & si ipsi loquantur de sæculo, vel de guerris, vel de aliis inutilibus numquam sequaris eos etiam si scieris; dicens cum Propheta, Non loquatur os meum opera hominum & semper sis cum eis timidus non securus, humilis, breuiloquens & honestus, vt impleatur in te illud Euangelij: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Mulieres vero fugeas sicut serpentes, & numquam loquaris cum aliqua nisi vrgens necessitas te compellat, nec vsquam aspicias in faciem alicuius mulieris; & si mulier tecum loquatur, verba sua c tissime occide, nam teste Propheta: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula Ideo dicit Augustinus: Asper sermo, breuis & rigidus cum mulieribus habendus est. Nec quia sanctæ sunt, ideo minus cauendum est: quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis, immiscet se viscus impudicissimæ libidinis. Crede (inquit) mihi Episcopus sum, veritatem loquor in Christo, non mētior. Cedros Libani, & gregum arietes sub hac specie corruisse vidi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Gregorij Nazian. & Ambrosij. Fuge ergo laqueos mulierum, qui non est Dauid sanctior, nec Samsone fortior, nec sapientior Salomone.

Deut. 32. a
Psal. 16. a
Matt. 5. b
Psal. 54. d

CAPVT XII.

De iudicio vitando.

CVm non sit commissum alicui occulta cordis iudicare, sicut dicit Apostolus: Nolite iudicare quousque adueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Idcirco numquam te transferas ad aliorū iudicium vel contemptum, sed quandocunque videris aliquid fieri quod tibi displiceat antequam iudices facientem, primo respicias temetipsum, vtrum in te inuenias aliquid reprehensibile, quod si inueneris, tunc in illo in quo alium iudicas, temetipsum condemna, dicendo cū Propheta: Ego sum qui peccaui, ego sum qui inique egi. & non sis sicut hypocrita, quia numquam respicit defectus suos, sed præsumit de se, & omnes alios iudicat, detrahit & condemnat, & vult videre festucam in oculis eorum, trabem autem quæ est in oculo suo non considerat: quem veritas reprehendit, dicens: Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc prospicies, & videre poteris festucam in oculo fratres tui. Vnde versus.

O qui festucam fratris concernis ocello,
Qua tua conturbat lumina tolle trabem.

Bernardus dicit: Caue alienæ vitæ esse curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiam si perpetrat actum quod reprehendas, nec si videris, iudices proximum tuum, magis autem excusa, excusa intentionem, si opus excusari non potest, puta ignorantiam, puta casum, puta surreptionem. Quod si rei certitudo nullam omnino excusationem recepit, suade nihilominus ipse tibi, & dic apud temetipsum: O vehemens fuit prima tentatio, & quid de me illa fecisset, si accepisset in me similem potestatem? Non sis ergo pronus ad iudicandum vel ad murmurandum, sed potius iudica, & respice temetipsum dicendo cum Propheta: Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato tuo.

1. Cor. 4. a
2. Re. 24. c
Matt. 7. a & Luc. 6. f
Bernar. in Cant. ser. 40. prope fi.
Psal. 37. d

CAPVT XIII.

De obedientia.

QVoniam ad viam salutis nihil est tutius, quam per humilem obedientiam negare seipsum: idcirco sequentibus se veritas dicit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum per obedientię subiectionem, & tollat crucem suam per carnis macerationem, & sequatur me per finalem consummationem. Et merito inuitat eos ad obedientiæ subiectionem, quia per eam habetur mira victoria contra hostes, teste Sapiente qui ait: Vir obediens loquetur victorias: Et quod plus est, ipse Deus per obedientiam vinci potest. Dicit enim Gregorius: Si obedientes fuerimus prælatis nostris, Deus obediet orationibus nostris. & Augustinus: Citius, inquit, exauditur vna oratio peccatoris obedientis: quam decem millia contemptoris. Item, toto tēpore vitæ tuæ studeas omnibus secundum Deum subiacere & semper humiliter obedire, non solum prælatis, sed etiam subditis, & non cures dicere. Quis est qui præcipit? Ait enim Gregorius: Non licet subditis discernere, sed statim simpliciter obedire. Et caue ne vmquam per te vel per alios obedientiam extorqueas publice vel occulte, quia talis non dicitur obedire, sed propria voluntate abuti. Ait Bernardus: Si quis aperte vel occulte satagit, vt quod habet in voluntate hoc & pater spiritualis iniungat, ipse se seducit, sed forte sibi quasi de obedientia blanditur, neque enim in ea re ipse prælato, sed ei prælatus obedit. Caueat ergo talis, quia dicit idem Bernardus: Nihil ardet in inferno, nisi propria voluntas. Tolle, inquit, propriam voluntatem, & non erit infernus. Caue igitur in beneficiis tuis ne tuam proferas voluntatem, & maxime cum discordas à voluntate prælati. Nam Bernardus dicit: Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua bona nō sint: Et quandocūq; aliqua grauis obedientia te conturbat, citissime cogita de Iesu, qui cum esset Rex regum, & Dominus dominantium, Humiliauit semetipsum, teste Paulo, factus obediens vsque ad mortem. Dicebat enim descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me Patris. ita dicas si vis imitari Deum. Exiui de mundo, non vt faciam voluntatem meam, sed aliorum. Qualis autem debet esse perfectus, Bernardus describit dicens: Verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat, sed statim parat oculos visui, aures auditui, linguā voci, manus operi, pedes itineri, & totum se interius colligit, vt imperantis faciat voluntatem.

Luc. 9. e
Prou. 21. d
Aug. de ope. re monach. c. 17. to. 3.
Bern. ser. de tribus ordinib. Ecclesiæ in media fere.
Bern. de resurre. Domini serm. 3. post med.
Bernar. in Cant. ser. 11. prope fi.
Phil. 2. a
Ioan. 6. d
Bern. ser. de virtute obedientia, & eius gradibus. cir. med.

CAPVT XIV.

De paupertate.

CVm paupertas voluntaria sit totius spiritualis ędificij primarium fundamentum, idcirco toto tempore vitę tuę in omnibus transitoriis rebus strictam paupertatem obserua, vt nihil sub cœlo habeas, nisi ea quæ necessitati tuæ per Regulam conceduntur. Dicitur enim ibi: Quod fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec aliquam rem. & merito, quia teste Ioanne: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Nam ista transitoria sunt, & contraria æternis. vnde sis semper pauper in terra, si de cœlo desideras te non repelli. Ait enim Gregorius: Tanto enim vnusquisque à superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur: è contrario, quantum quis fastidiet terrena, tanto Deo erit propinquior. propter quod dicebat Apostolus: Omnia reputaui vt stercora, vt Christum lucrifacerem. Vnde si vis terrena bona contemnere, semper cœlestia meditare. Ait enim Gregorius: Si consideremus quæ, & quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Beati igitur pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

S. Francis. in Reg. c. 6.
1. Ioan. 2. d
Philip. 3. b
Greg. hom. 37. in Euāg. in princ.
Matt. 5. a

Igitur

Igitur si per paupertatem terrenorum peruenitur ad gloriam beatorum, stude semper tenere strictissimam paupertatem, maxime in libris, & soleis, & tunicis, vt eas nō habeas, nisi sicut tuæ necessitati stricte videris expedire, neq; superflua necessaria dicas, sed potius ipsa necessaria superflua time. Ait enim Gregor. Et soleis necessariis vtimur, probabitur multa superflua in vestris facultatib. habuisse. Vnde nihil habeas, nec per te, nec per interpositam personam, & attende semper vt nihil habeas in cella, nisi necessaria, & hoc dico etiam de minimis rebus, ne forte neglegēdo modica, paulatim cadas ad maiora. Ait enim Augustinus: Vitasti grandia, caue ne obruaris arena, quia teste scriptura. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & cui tenuerit eam beatus. Vnde si sanctam paupertatem finaliter retinebis, ad regnum cœlorum poteris peruenire, quia ita veritas repromisit perfectis pauperibus dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei: quod quidem regnum tanto est vtilius, quanto fœcundius, tanto securius, quanto sublimius, tanto iucundius, quanto lucidius; tanto nobilius, quāto à nobilioribus possidetur: ad quod nos perducat, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Mutile citatus videtur hoc loco Greg. *Eccli.19.a* *Aug.enar. in Psal.39. in illa verba, Multiplicata sunt super capillos, &c.to.8.* *Prou.3.c* *Matt.5.a*

CAPVT XXV.

De silentio.

QVia diuina consolatio sæpe per multiloquium denegatur, toto tempore vitæ tuæ tene strictum silentium in locis, & temporibus oportunis, & ad hoc ordinatis. Nam teste Scriptura: In silentio, & in spe erit fortitudo nostra. Et sileas semper vbicunque fueris, in diuino officio celebrando, in quolibet seruitio faciendo, & vbicunque fuerint vltra tres fratres. A completorio quotidie vsque ad tertiam non loquaris, nisi interrogatus, vel aliqua necessitate, vel vtilitate coactus. Nam sicut dicit Gregorius: Mens quæ non habet murum silentij, de facili penetratur iaculis inimici. Et ideo dicit Augustinus: Mutum, inquit, debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet ad laudem Dei, ad accusationem sui, & ad vtilitatem proximi. Sileas igitur, ita vt numquam verba detractionis, vel dissolutionis, vel inhonesta loquaris, sciendo, quod non solum de verbis otiosis, nociuis, & periculosis oportebit te reddere rationem, sed de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij, secundum sententiam Saluatoris. ideo dicit Propheta: Lætati sunt quia siluerunt. Vnde si bene vis fugere verba nociua supradicta, primo reprimes otiosa. Ait enim Augustinus: Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Ideo dicit Sapiens: Fili loquere in tua causa vix, & cum bis interrogatus fueris responsum habeat caput tuum. In hoc autem potissime sileas, vt numquam loquaris de sæculo, nec de guerris, nec audias referentem, cum id sit venenum mortiferum animarū. de talibus enim dicitur in Psalmo: Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Isa.30.c *Matt.12.c* *Psal.106.c* *Eccli.32.b* *Psal.13.a*

IN conuentu fratrum Minorum Parisiis, conuersante bonæ memoriæ fratre Bonauentura tunc generali ministro, & post Cardinali: frater iuuenis studens ibidem bonæ indolis, & ei satis familiaris, accessit ad eum semel, & deuote rogauit, vt sibi exponere dignaretur, quo iuuentus sua posset in ordine conseruari sine macula & querela, & ad vitam æternā proficere. Qui magno cum quodam suspirio sic respondit. Fili mi iuuenis, si vis sine macula, & sine labe infamiæ conseruari in religione, sex tibi mandata recole, & incessanter repone quæ documentis, & exemplis sanctorum patrum accepimus. Primo circa orationem, & sanctorum lectionem semper vigila, quæ duo vt perficere possis, & non perdere; ecclesiam valde frequenta, die & nocte cellam continua super omnia, ita quod extra eam, vel ecclesiam numquam inueniaris cum aliquo otiosus in via, vel in platea, sed semper finito officio, vel finita comestione, vel seruitio, vel alterius obedientiæ mandato, sine aliqua mora regrediaris ad cellam oculis inclinatis, & ibi redigas te. Secundo circa honestatem cordis & omnium sensuum coporis tui super omnia stude, quæ duo vt valeas adimplere, numquam cum aliqua persona spiritualem familiaritatem habeas, sed omnibus sis communis, ita quod nullus possit aduertere te, nisi communem, & nulli specialem, modo iam dicto. Tertio circa custodiam linguæ studiosissimus esto, ita quod quando stas cum aliis, numquam loquaris nisi necessaria, & tunc non nisi requisitus. Nec laudes aliquem, nec vituperes absentem, vel præsentem quandocumque audias alios similia dicentes. Quarto sis summe sollicitus, vt numquam referas, vel loquaris cum aliquo de his quæ audis de aliis nisi illa sint ædificatoria. Quinto versetur ad cor tuum frequenter memoria beneficiorum Dei, & peccatorum tuorum, & desideriorum paradisi, & pœnarum inferni, etiam omnium qui sunt in tribulatione constituti, & etiam miseriarum mundi. Sexto sis sollicitus non iudicare in corde tuo vel ore, nisi teipsum. Hæc faciens, saluaberis inter homines.

Sex documenta assidue recolēda.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum cui titulus est,

Remedium defectuum Religiosi.

Tredecim capita, quibus constat hoc Opusculum, repetuntur paucis immutatis supra hoc eodem tomo in Opusculo, quod inscribitur, Stimulus amoris, decem scilicet priora capita, in 2. par. stimuli amoris cap. 1. vndecimum caput in 1. parte eiusdem cap. 2. in fine. duodecimum, & decimumtertium, in 3. parte cap. 3. & 13. Et reuera saluberrima documenta sunt, quibus religiosus, & sibi, & aliis proficere possit.

PRÆFATIVNCVLA.

SImplicissimo animo hesterna luce ad me accedebas frater Roberte, & quomodo Deo placere posses, suppliciter expostulabas. Consolabar verbo serioso, zeloso, & operoso, satisfacere volens voto tuo. Cum ergo creuissent verba, creuit deuotio tua sancta. Tribus horis elapsis me fatigato, & lingua cessante respondebas. Dic pater: Ego libenter audio. Vsus ego admonitionis, & discretionis remedio, largam reportaui lacrimam, & eiulatum magnum, obedientiæque meæ necessitatibus constrictus, visitationis opus prosequi cogebar. Omnino conturbatus discedebas. Media autem nocte, vt solitus sum, misereri mihi Deum Creatorem meum intrimis præcordiis flagitabam, occurrit mihi textus Matthęi, vt non offerrem Deo laudes matutinas, quin prius reconciliatus tibi, te consolarer secundum gratiam à Deo datam. Breue ergo hoc verbum tibi obsigno, quo consolatus & perfecte conuersatus, tibi proficuus, & aliis exemplaris efficiatis. Hoc autem breue verbum toti huic congregationi pro remedio defectuum, & incremento profectuum derelinquo. Quod & in tredecim partes distinguo.

Matt.5.d

Primo. Studeat frater quilibet, quantum potest se vilissimum reputare, & indignum omni beneficio Dei, ipse sibi displiceat, soli Deo placere cupiat, ab aliis velis vilis, & non humilis reputari. Et quod ipse sit vilis, ex summa Dei clementia recognoscat, gratias agens quod tam vilem hominem, & proprium ad omne malum, & tardum ad omne bonū, dignatur sibi in seruum sumere,

Cap. I.

& quod maius est, in filium adoptare. Non ergo reputes magnum, quod Deo seruis, sed maximum reputa, quod ipse dignatur te habere seruum suum.

Cap. II. Secundo. De nullo nisi de peccato, & ad peccatum inducente, & à bono retrahente frater doleat, immo de qualicunque alia tribulatione, iniuria, & afflictione gaudeat, tribulantes instantissime diligat, & specialem orationem pro ipsis faciat, Deo inde copiosas gratias referat, & ad hoc se insufficientem esse recognoscat, quia quem Deus diligit, castigat, tam ipsæ tribulationes ad Deum nos ire compellunt.

Cap. III. Tertia. Nihil de temporalibus nisi strictam necessitatem requirat, aut quocumque modo appetat, sed Christo Domino in omni deiectione corporalis consolationis se conformare studeat. Et hoc maximum debet reputare, quod Rex regum, & Dominus dominantium Christus, sic vilem seruum suis ornamentis dignatur induere, & sibi lutum fœdum assimilare. Ideoque quanto videt se ditiorem, & pluribus corporis consolationibus abundare, tanto debet intimius & profundius cõtristari, cernens se eo magis à Christi similitudine elongari.

Cap. IV. Quarto. In bonis, & indifferentibus, alterius quam suam potius studeat adimplere voluntatem, imo semper in exterioribus actionibus studeat abnegare aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere: & hoc circa omnes, maxime circa suos superiores studeat obseruare.

Cap. V. Quinto. Nullum quantumcumque miserum despiciat, sed potius erga omnes materno moueatur affectu, vt sic omnibus compatiatur intime, sicut mater compateretur vnico filio suo. Omne eorum miserias reputet suas, & omnibus sicut sibiipsi, si potest, subueniat: omnes enim pauperes vt patronos reuereri debet, nam ipsi sunt, qui alios recipiunt in æterna tabernacula.

Cap. VI. Sexto. Nullum iudicet de peccato, cũ ignoret, quod diuina gratia in anima operetur. Si autem aliquem per signa euidentia conuincit peccatorem, plus de peccato illius doleat, quam si corpori proprio mors immineret. Recogitet animã sic lethaliter vulneratã, pretiosiorem corporibus vniuersis: & ideo sicut corpus meum à morte, sic, immo magis deberem proximum meum cum omni diligentia custodire, & à peccato retrahere, oratione exhortatione, & exemplo.

Cap. VII. Septimo. Bonum proximi diligat vt suum: & sicut mater in bonis filij iucundatur, sic ipse bonis omnium iucundari debet, & maxime de spiritualibus, & ad spiritualia inductiuis. Sicut etiam sua sic, & aliorum bona procurare debet, & procurata promouere. Semper de proximo plura bona credat, quam intueri valet.

Cap. VIII. Octauo. Nihil præter Deum diligat, vt in omnibus Deus sincere sine socio diligatur, nec alliciat quantacũque sanctitatis alicuius, aut beneficiorum immẽsitas, vt aliquem diligat amore singulari, sed diuina charitate omnium bona, & omne in Deum referat, & propter Deum meliorem plus diligat. Potest tamen beneficia beneficiis rependere, orationes ad Deum fundendo.

Cap. IX. Nono. Quidquid egerit, quibuscumque etiam negotiis implicetur, Deum in corde suo semper memoriter retinere studeat, & honorem Dei semper omnibus anteponat, sed ad hoc præcipue nitatur, vt Deum sic præsentem cogitet, ac si ipsum qui essentialiter, potentialiter, & præsentialiter vbique est, in sua essentia videret: sicque eum timeat, & reueratur, & intenso amore in ipsum referatur, & sic eo, vt potest, in via fruatur, vt in eo, & non in alio requiescat.

Cap. X. Decimo. Si dicta assequi potest, maxima Dei beneficia esse cognoscat, reminiscatur nihilominus ceterorum Dei beneficiorum, primo quod eum sua insigniuit imagine, secũdo quod naturam humanam assumpsit, & pro ipso mori dignatus est, tertio quod in præsenti se præbet in cibum, & in futuro in præmium. Quod vt percipiat in via, aspiciat ipsum in crucis patibulo, & sic ei compatiatur, ac si Christi vulnera in suo corpore sustineret, præcipue autem doleat, tot animas tam immenso beneficio frustrari. Sic igitur Christum cogitando ardenti amore, dicat orationem sequentem. Matri etiam Christi omnem quam potest, exhibeat reuerentiam, & dicat: Dulcissime Iesu dignare donare mihi misero peccatori, Matri tuæ digne seruire.

Cap. XI. Domine Iesu Christe meum cor vulneribus tuis saucia, & tuo sanguine inebria mentem meam: vt quocunque me vertam, semper te videam crucifixum, & quidquid aspexero, mihi appareat sanguine rubricatum, vt sic totus intendens, nihil præter te valeam inuenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Hæc sit mihi consolatio Domine mi, tecum mori, & tibi compati: hæc intima mea affectio continue meditetur. Non quiescat cor meum nisi in te bone Iesu, quia mihi semper mala erunt sine te, tu enim es virtus omnipotentis.

Cap. XII. Multum mirari debemus, quomodo homo semel degustans dulcedinem Dei, potest aliquatenus ab eo separari: quomodo non obliuiscatur omnium ex ebrietate vini cœlestis, quomodo possit comedere, bibere, & dormire, &c. quomodo possit aliquid aliud nisi suum benignissimum Dominum intueri, & in eo summa dulcedine oblectari, dum ipsum in omnibus sciat esse, & eum in omnibus valeat inuenire, vt in omnibus requiescat ipsum contemplando, & amando. O quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. *Psal. 72.* O quam suauis est spiritus tuus in eis. O quanta amaritudine repleri deberet animus, qui etiam ad momentum à tanta dulcedine sequestratur.

Cap. XIII. Si de prædestinatione aut præscientia Dei diabolus tibi aliquam tentationem immiserit, sic ei respondeas: Quidquid sit de me, certum est te esse damnatum, si autem & ego damnabor, & post hanc vitam Deum meum habere non debeo habebo per totum tempus vitæ præsentis, & tanto ardentius, quanto breuius nouero me habiturum. Momentum igitur temporis non omittam, quin secundum posse meum totaliter fruar ipso, & semper in ipso delectabor, ex quo in futuro sua præsentia priuabor: & tu diabole si tecum esse oportet, scias quod tamdiu in Dei seruitio perseuerabo corde, ore, opere, omni membro, omni momento, quãdiu possum. Quod si quis sic Deo adhæreret, ceteras consolationes reputaret absynthium. His ergo præmissis inferas te non damnari, quia omnino sua iudicia contrariantur damnationi, vt patet in omnibus regulis sancti Euangelij. Obseruatis enim prædictis, impossibile est me damnari. Aut certe cibo ad matrem, & magistram misericordiæ virginem Mariam, quæ non misereri non potest, & petam ab ea, vt Filium inclinet ad parcendum peccatis meis. Nam ipsa propter peccatores Mater Dei effecta & ipse Filius Dei propter redimendos voluit esse Filius hominis. Vnde proprium est amborum misereri, & parcere: nec propter me tam nobiles proprietates derelinquunt. Quod si prædestinatus sum, & æternam vitam cum Angelis possidere debeo, ex nunc Angelicam vitam ducam & cantabo: Pars mea Dominus, propterea expectabo eum. Hæc enim pars dignissima perditur per vnũ vilissimum mortale peccatum, ideo fortissimo studio hæc sunt custodienda. Sic ergo conclude diabolo: Quidquid futurum est, non desistam à Dei seruitio, & væ tibi qui non vis tanto Domino ministrare.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum,

De perfectione vitæ ad sorores.

Instituit in hoc opusculo Sanctus Bonauentura sorores suas, quatenus ad vitæ perfectionem conscendere cupientes ea obseruent, quæ ipse hic tradit, dictorum potius in his veritate, quam sermonis venustate, perspecta.

PROLOGVS.

Psal. 93. b

BEATVS *homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum:* Neminem censeri sapientem fateor, nisi eum solum, quem Spiritus Sancti docuerit vnctio. Ille enim, teste Dauid Propheta, solus vere beatus est, solus vere sapiens, cuius mentē Dominus erudierit. Lex enim Domini sola est immaculata, sola irreprehensibilis, sola conuertens animas ad salutem. Huius autem legis doctrina siue eruditio, non foris tantum quærenda est in littera; sed potius deuotæ mentis affectum. Est autem desideranda in spiritu, & virtute, vt ille videlicet intus doceat, qui solus nouit exteriorem legis asperitatem in interiorem dulcedinem commutare. Docet autem lex Domini quid agendum, quid fugiendum, quid credendum, quid orandum, quid desiderandum, quid timendum. Docet immaculatum esse & irreprehensibilem. Docet seruare promissa, deflere commissa. Docet mundana contemnere, carnalia respuere. Docet enim cor totum, animam totam, mentem totam in solum conuertere Iesum Christum. Ad huius doctrinæ comparationem, omnis mundana sapientia est stulta & fatua. Bernardus: Dicat quicunque vult, ego non dicam sapientem, dum non timebit Deum, neque diligit. Qui huius doctrinæ auditor nō obliuiosus, sed factor fuerit studiosus, hic vere sapiens erit, & beatus. Beatus ergo homo ille quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Tu itaque Deo deuota, dilecta mihi, reuerenda soror rogasti me, vt de cordis mei penuria aliquid dictando scriberem, in quo tuū animum deuotionis gratia valeas pro tempore erudire. Sed certe fateor pro insufficiētia mea huiusmodi eruditione me potius indigere, præsertim cum apud me nec vita foris resplendeat, nec deuotio intus ardeat, nec scientia suffragetur: tuæ tamen deuotionis prouocatus desiderio, & sicut cum humilitate suppliciter postulasti. Rogo autem beatitudinem tuam soror sanctissima, quatenus magis penses intentionis affectum, quam operis effectum, magis dictorum veritatem, quam sermonis venustatem, & vbi tuo non satisfeci desiderio propter breuitatem & occupationem, ipsum mihi benigne indulgeas & ignoscas. Vt autem facilius possis inuenire quod quæris, ideo singulorum capitulorū præmisi titulos: Et primo agitur de vera suiipsius cognitione. Secundo de humilitate. Tertio de perfecta paupertate. Quarto de silentio. Quinto de studio orationis. Sexto de passionis Christi memoria. Septimo de perfecta Dei charitate.

Diuinæ legis perfectio.

Quid diuina lex doceat.

CAPVT I.

Quomodo homo peruenit ad cognitionem suiipsius.

AD perfectionis vitæ fastigium sponsæ Christi conscendere cupienti, primum necesse est, vt à seipsa incipiat, ita vt omnium exteriorum oblita, ingrediatur A in secretum conscientiæ suæ, ibique omnes defectus suos omnesque consuetudines, omnes affectiones, omnes operationes, omnia peccata tam præsentia, quam præterita diligenti consideratione discutiat, examinet, & inspiciat; & si quod minimum peccatum apud se inuenerit, statim defleat in amaritudine cordis sui. Et vt ad hanc cognitionem dilecta soror melius possis venire, scire debes, quod omnia peccata nostra & mala, aut committimus per negligentiam, aut per concupiscentiam, aut per nequitiā. Et circa ista tria debet omnium tuorū versari recordatio: alioquin ad tuiipsius cognitionem perfectam numquam poteris peruenire. Si igitur teipsam cupis cognoscere, considera mala commissa & ea B deplange. Primo debes cogitare si aliqua in te sit vel fuerit negligentia. Debes, inquam, cogitare, qualiter cor tuum custodias, quam negligenter tempus tuum expendis, quam malum finem operi tuo imponis. Hæc enim tria sunt cum summa diligentia obseruanda scilicet, vt cor tuum bene custodiatur; tempus vtiliter expendatur, & consumatur; & finis bonus & debitus in omni opere præfigatur. Item debes cogitare quam negligens fueris in oratione, quā negligens in lectione, & in operis executione. In his .n. tribus debes diligētissime teipsam exercitare & excolere, si vis fructum bonum facere & dare in tempore suo, ita vt nequaquam vnum sufficiat sine aliquo istorum. Item debes cogitare quam negligens sis vel fueris ad pœnitendum, quam negligens ad resistendum, & quam negligens ad proficiendum. De- C bes enim cum summa diligentia deflere mala commissa, repellere diabolica tentamenta & proficere de vna virtute in aliam, vt possis peruenire ad terram promissionis. Sic debet circa negligentiam tuam versari cognitio.

Omnia peccata trifariam committi.

Tria cum summa sūt diligentia obseruanda.

Psal. 1. b.

Si autem melius teipsam cupis cognoscere, debes secundo cogitare, si in te viget, vel viguerit concupiscentia voluptatis, curiositatis, aut vanitatis. Certe tunc viget concupiscētia voluptatis in religioso homine, quando appetit dulcia, videlicet saporosa, quando appetit mollia, scilicet, vestimenta deliciosa, quando appetit carnalia, videlicet oblectamenta luxuriosa. Certe tunc viget concupiscentia curiositatis in Dei famula, quando appetit scire occulta, quando appetit videre pulchra, quando appetit habere rara. Certe tunc viget concupiscentia vanitatis in Christi sponsa, quando appetit ho- D minum fauorē, quādo quærit humanā laudem, quando desiderat humanum honorem. Ista omnia debet ancilla Iesu Christi tamquam venenum fugere, quia istæ sunt radices omnis mali.

Cōcupiscētia quando & quomodo in homine religioso vigeat.

Item si certam & perfectam vis habere notitiam debes tertio recogitare diligenter, si in te vigeant, vel viguerint nequitiæ, iracundiæ, inuidiæ, & acediæ. Audi quod dico sollicite. Certe tunc in religioso homine viget iracundia, quando vel animo, vel corde, vel affectu, vel signo, vel facie, vel verbo, vel clamore quantumcumque modicam indignationem, & ex corde rancorem proximo suo ostendit. Tunc autem in homine regnat in- E uidia, quando gaudet de proximi aduersitate, & tristatur de proximi prosperitate: quando lætatur de malis proximi, & tabescit de bonis ipsius. Tunc autem acedia regnat in religioso quando fuerit tepidus, somnolentus, otiosus, tardus ad chorū, negligens in cantando, remissus in exequendo torporē, dissolutus in colloquio, indeuotus in missa, tristis in facie, & tædiosus in cella. Hæc omnia debet sponsa Christi detestari, fugere tamquam venenum mortiferum, quia in his consistit corporis perditio & animæ. Si igitur Deo amabilis famula, ad tui ipsius perfectam vis venire notitiam, & cognitionem, redeas ad teipsam introrsus ad cor tuum, & discas scopare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, & esse debueris, quid esse poteris. Quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid adhuc esse poteris per gratiam. Audi adhuc soror, audi prophetam Dauid, quomodo se tibi in exemplum proponat cum dicit: Meditatus sum (inquit) nocte cum corde meo, exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Iracundia quando viget.

Inuidia.

Acedia.

Quid discutiendum.

Psal. 76. b

Meditabatur ille cum corde suo: meditare & tu cum corde tuo. Scopebat ille spiritum suum, scopa & tu spiritum tuum, exerce agrum istum. Attende ad te ipsam, absque dubio insistens huic exercitio, inuenies thesaurum nouum & absconditum pretiosum: ex hoc enim exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmentatur sapientia: ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, diligentia dilatatur. Nihil recte æstimat qui seipsum ignorat, qui conditionem suæ dignitatis nõ pensat. Nescit omnino, nescit de spiritu, quid de Angelico, quid de diuino sentire debeat qui spiritum suum primo non cogitat. Si nondum idonea es redire ad te ipsam, si nondum digna es intrare tabernaculum primum, qua fronte præsumes ingredi tabernaculum secundum? Si cupis eleuari ad secũdum & tertium cœlum, sit tibi transitus per primum, id est, cor tuum qualiter hoc possis vel debeas facere, ecce iam satis docuit te superius. Audi tamen qualiter beatus Bernardus optime te informat dicens; Integritatis tuæ esto curiosus explorator, vitam tuam assidua discussione examina, & cogita diligenter, quantum proficis, & quantum deficis, qualis sis in moribus, qualis in affectibus quam similis Deo, & quam dissimilis, quam prope, & quam longe. O quam magni periculi res est in homine religioso multa velle scire, & seipsum nescire. O quam prope ille religiosus est perditioni & interitui, qui in cognoscẽdis rebus est curiosus, in iudicando aliorum conscientias sollicitus, seipsum autem ignorat & nescit. O Deus meus vnde in religioso est tanta cæcitas? Ecce in promptu ratio est, quia mens sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam, quia phantasmatibus est obnubilata, non redit ad se per intelligentiam, quia cõcupiscentiis illicitis illecta, ad se nequaquam reuertitur per desiderium suauitatis internæ, & lætitiæ spiritualis, ideo totaliter in his sensibilibus iacens, non potest ad se tamquã ad Dei imaginem intrare, & sic totus miser se ignorat, & nescit. Omnibus ergo postpositis, tui ipsius habe memoriam, & notitiam. Hoc etiam beatus Bernardus orabat, dicens: Deus det mihi non aliud facere, & scire, quam vt meipsum cognoscam.

Bened. in medit. c. 5. in prin.

CAPVT II.

De humilitate, & quibus gradibus peruenitur ad humilitatem.

VErum qui vult defectus proprios cordis oculo contemplari, necesse est vere humiliari sub potenti manu Dei. Ideo te famulam Christi admoneo, vt cognitionem tuorum defectuum adepta, valde humiles spiritum tuum, & tibi ipsi vilescas. Humilitas enim virtus est, vt dicit Bernardus, qua homo verissima suipsius cognitione, sibi ipsi vilescit. Hac vilitate viluit pater noster Franciscus, hanc amauit, & exquisiuit ab initio religionis suæ, vsque ad finem, per hanc mũdum reliquit. Hanc virtutem maxime à filio Dei soror Deo deuota discere debes, quia ipse dicit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Qui enim virtutes sine humilitate congregat, in ventum paleas mittit, vt dicit beatus Gregorius. Sicut enim principium omnis peccati est superbia, sic fundamentum omnium virtutum est humilitas. Disce autem veraciter esse humilis non fallaciter, sicut qui nequiter se humiliat, vt hypocritæ. De quibus dicit Ecclesiasticus: Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Verus enim humilis, vt dicit Bernardus, semper vult vilis reputari, non humilis prædicari.

Ber. de 12. grad. humilitatis non lõge à prin. *Matt. 11. d* *Greg. hom. 7. in Euang. cir. finem.* *Eccli. 19. d* *Ber. in Cãt. serm. 16. post med.*

Si igitur soror dilectissima ad perfectam humilitatem vis peruenire, oportet te per triplicem semitam incedere. Prima semita, est consideratio Dei. Debes enim considerare Deum, vt auctorem omnium bonorum, ideo debes tibi dicere: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et quia talis est, ideo debes, sibi omnia bona attribuere, & nihil tibi: considerans quod non fortitudo tua, aut robur manuum tuarum fecit bona quæ habes, quia Dominus fecit nos, & non ipsi nos. Et talis cogitatio destruit totam superbiam eorum qui dicunt: Manus nostræ excelsæ, & non Dominus fecit hæc omnia. Hæc superbia exclusit à gloria cœli Luciferum. Non considerabat se Lucifer de nihilo factũ, sed potius aspiciebat suum decorem, suam pulchritudinem, qualiter omnis lapis pretiosus operimentum eius, & extulit eum superbia cordis sui: & quia superbiam sequitur humilitas, ideo statim eiectus est de sede nobilitatis suæ in locum extremæ vilitatis, & qui fuerat inter Angelos excellentissimus, factus est inter dæmones miserrimus. O quanti sunt hodie Luciferani, & imitatores Luciferi, filij & filiæ superbiæ, quos patienter tolerat Dominus. Cum autem tolerabilior sit superbia in diuite, quam in paupere, vt dicit Bernardus: oportet ergo ancillam Christi semper valde humilem inueniri, quæ debet intrare in locum Angeli repudiati. humilitas enim sola placet Deo, siue in homine, siue in Angelo. Non credamus, quod virginitas placeat Deo sine humilitate: certe nec Maria mater Dei fuisset effecta, si superbiam habuisset in se. Propterea dicit Bernardus: Sine humilitate, audeo dicere, nec Maria Deo placuisset, & ideo est virtus magna, sine cuius obtentu non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.

Isa. 26. c *Psal. 99. a* *Deut. 32. d* *Ezec. 28. d* *Prou. 29. d* *Ber. in Cãt. ser. 54. post med.* *Idem hom. 2. sup. Missus est, cir. med.*

Ad humilitatem perfectam triplex via.

Secunda semita est rememoratio Christi. Rememorari debes, quod Christus humiliatus fuit, vsque ad vituperatissimum genus mortis, & in tãtum factus est humilis, vt quasi leprosus reputaretur. Vnde dixit Isaias propheta: Reputauimus eum quasi leprosum, & à Deo humiliatum, immo in tantum fuit humiliatus, & tempore ipsius nihil vilius eo reputaretur. Vnde idem Isaias dicit: In humilitate iudicium eius sublatum est. Ac si diceret: Tanta eius humilitas fuit, tantum se deiecerat, vt nullus de eo daret rectum iudicium, vt à nullo crederetur Deus esse. Si ergo ipse Dominus & magister noster, ita vilis, & contemptibilis reputatus est, & non est seruus maior Domino suo, & discipulus non est super magistrũ; si ancilla Christi es, si discipula, vilis, & contemptibilis esse debes, & humilis. O quam abominabilis est ille religiosus Domino, qui vestem sumit humilem, & cor superbum. O quam inutilis est ille Christianus, qui Dominum suum videt humilem, & despectum, & ipse exaltat cor suum, & ambulat in magnis, & in mirabilibus super se. Quid amplius detestandum in sponsa Christi? quid grauius puniendum in ancilla Christi? quam quod postquam summus factus est imus, immensus paruus, homo putredo, & vermis, apponat se magnificare? De talibus dicit beatus Augustinus: O pellis morticina quid extenderis? O sanies fœtida, quid inflaris? Caput humile, & membrum superbum? quasi dicat: Non decet.

Philip. 2. a *Isa. 53. a* *Mat. 10. c* *Luc. 6. f* *Ioan. 13. b*

Tertia semita per quam debes incedere, si vis ad perfectam humilitatem peruenire, circumspectio tui est. Tunc teipsam charissima soror circumspicis, quando cogitas vnde veneris, aut quo vadis. Considera ergo vnde veneris & scias, quia de massa perditionis, de puluere, & limo terræ facta es, & in peccatis conuersata, & exultes de beatitudine paradisi. Et hæc consideratio spiritum tumoris abiicit & excludit, in tantum vel clamare incipias cum tribus pueris in Daniele: Sumus hodie humiles in vniuersa terra, propter peccata nostra. Considera etiam quo tendis, tendis enim ad corruptionem, & in cinerationem, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quid igitur superbis terra & cinis? Si hodie es, cras non eris. Si hodie sanus es, cras infirmaberis forte. Si hodie sapiens, cras forte stultus eris. Si hodie diues in virtutibus, cras forte mendicus eris, & miser. Quis ergo miser ille Christianus est qui audeat superbire, cum tantis miseriis, & calamitatibus, vndique se videat circumdatum? Discite igitur ô virgines sacræ humilẽ habere spiritum, humilem incessum, humilem habitum: sola enim humilitas est, quæ diuinam mitigat iram, quæ diuinam inuenit gratiam. Quãto enim magnus es, humilia te in omnibus

Dan. 3. d *Gen. 3. d* *Eccli. 10. a*

Eccli. 3.c Luc. 1.e

nibus, dicitur in Ecclesiastico: & coram Deo inuenies gratiam. Hoc modo Maria inuenit gratiam apud Dominum, sicut ipsa testatur dicens: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Nec mirum, quia humilitas charitati locum præparat, mentem, à vanitate euacuat. Propter quod dicit Augustinus: Quanto sumus à tumore superbiæ inaniores, tanto sumus dilectione pleniores. Et sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti confluit ad humiles, & sicut aqua quanto fortius fluit, tanto magis descendit: sic qui toto corde humiliatus procedit, magis propinquat ad Dominum, & impetrat gratiam. Propterea dicit Ecclesiasticus: Oratio humiliantis se nubes penetrat, donec appropinquat ad Altissimum non consolabitur, quia Dominus timentium se faciet voluntatem, & deprecationem eorum exaudiet. Sitis ergo ô famulæ Dei ancillæ Christi humiles, ita vt numquam superbiā in cordibus vestris permittatis, quia magistrum habuistis humilem, scil. Dominū nostrum Iesum Christum. Et quia dominam habuistis humilem, scilicet Virginem Mariam Reginam omnium. Sitis humiles, quia patrem habuistis humilem, scilicet beatum Franciscum. Sitis humiles, quia matrem habuistis humilem, scilicet beatam Claram, humilitatis exemplar. Sic tamen sitis humiles, vt testis vestræ humilitatis sit patientia. Virtus enim humilitatis per patientiam perficitur, neque enim est vera humilitas, cui non est adiuncta patientia. Et hoc bene testatur beatus Augustinus dicens: Facile est velum ante oculos ponere, vestes viles & despectas habere, demisso capite incedere: sed verum humilem probat patientia, iuxta illud: In humilitate tua patientiam habe. Sed, vt cum dolore loquar, multi sumus qui superbire volumus in claustro, qui certe non nisi humiles fuimus in mundo. Vnde beatus Bernardus dicit: Video, de quo multum doleo, post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri grauius insolescere, & impatientes magis fieri in claustro, quam fuissent in sæculo, quodque magis peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt. Consulo ergo tibi ô prædilecta soror, consulo & virginibus Deo sacratis, vt virginitatē in humilitate, & humilitatem in virginitate conseruent. Est enim humilitas mixta virginitati, sicut gemma auro superaddita. Propterea dicit beatus Bernardus: Pulchra permixtio virginitatis cum humilitate. Non mediocriter placet Deo illa anima, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas humilitatem exornat. Audi denique consilium fratris tui, audi soror, & placebit tibi. Fuge superbas famulas, velut viperas, sperne superbas virgines, tamquam dæmones, contemne societatem superborum, velut virus mortiferū. Et quare hoc? Audi quare. Quidam sapiens describit superbiam dicens: Omnis superbus intolerabilis, habitu superfluus, in incessu pomposus, ceruix erecta, facies torua, oculi truces, de loco superiori decertat, præferri se melioribus affectat, sententias, & verba, & facta iactat: reuerentiam in obsequio non seruat. Propterea debes famula Dei, sponsa Christi, Virgo Domini fugere superborum consortia, ne & tu eis similis efficiaris. Dicit enim Ecclesiasticus: Qui communicat superbo, induet superbiam.

Eccli. 35.c Psal. 144.d

Eccli. 2.a

Ber. hom. 4. sup. Missus est post med.

Idem homil. 1. sup. Missus est. circ. med.

Eccli. 13.a

CAPVT III.

De paupertate religiosorum.

EST etiam paupertas virtus ad perfectionis integritatem necessaria, in tantum, vt nullus omnino sine ea possit esse perfectus, teste Domino, qui dicit in Euangelio: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Cum enim summa Euangelicæ perfectionis consistat in excellentia paupertatis, credat se non apprehendisse perfectionis apicem, qui nondū imitator perfectus factus est Euangelicæ paupertatis. Ait namque Hugo de sancto Victore: Quidquid perfectionis in religiosis reperiri poterit, nec tamen æstimetur perfectionis integritas, nisi diligatur paupertas.

Matt. 19.c

Sunt autem duo, quæ quemlibet religiosum hominem mouere debent ad amorem paupertatis. Primum est diuinum exemplū, quod est irreprehensibile. Secundum est diuinum promissum, quod est inæstimabile. Primo dico, quod famulam Christi primo mouere debet ad amorem paupertatis amor Domini nostri Iesu Christi. Ipse enim fuit pauper nascendo, pauper conuersando, pauper moriendo. Vide quale exemplum paupertatis tibi reliquit, vt suo exemplo efficiaris amica paupertatis. Pauper fuit Dominus Iesus Christus in tantum, vt non haberet hospitium, nec vestimentum, nec alimentum; sed pro hospitio habuit stabulum, pro vestimento vilem panniculum, pro alimento lac virgineum. Item Apostolus hanc paupertatem considerans exclamauit, dicens: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum esset diues, pro nobis egenus factus est, vt eius inopia diuites essemus. Et beatus Bernardus: Bonorum omnium æterna affluentia suppetebat in cœlis, sed paupertas non inueniebatur in eis. Porro in terris abundabat, & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque Filius Dei concupiscens, descendit vt sibi eam eligeret, nobisque sua æstimatione faceret pretiosam.

2. Cor. 8.b

Prębuit etiam se nobis in exemplum paupertatis Dominus noster Iesus Christus conuersando in mundo. Audi Virgo beata, audite omnes qui professi estis paupertatem, quam pauper filius Dei extitit, Rex Angelorum dum vixit in mundo. In tantum fuit pauper quod aliquotiens hospitium habere non potuit, sed cum suis discipulis extra ciuitatem & villas dormire oportuit. Propterea dicit beatus Matthæus Euangelista: Circumspectis omnibus cum iam vespera esset, exiit in Bethaniam cum duodecim. Super hoc verbo, dicit Glossa: Circumspectis, si quis eum in hospitio susciperet, quia tantæ erat paupertatis, & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe hospitium non inueniret. Et Matthæus dicit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.

Mat. 11.b

Mat. 8.c

Non solum Dominus Angelorum fuit pauper nascendo, & conuersando: verumetiam, vt nos ad amorem paupertatis accenderet, fuit pauperrimus moriēdo. O vos omnes, qui vouistis paupertatem, attendite & videte, quam pauper ille diues Rex Angelorū & cœlorum, propter nos fuerit tempore mortis suæ. Fuit enim spoliatus vestibus, quando diuiserunt vestimenta sua, & super vestem suam miserunt sortem. Fuit etiam spoliatus corpore & anima, quando acerbissima mortis passione anima ipsius de corpore, eiecta fuit. Fuit etiam spoliatus diuina gloria, quando ipsum, non sicut Deum glorificauerunt, sed tamquam maledictum tractauerunt, sicut ipse Iob conqueritur: Spoliauerunt me gloria mea. De tantæ paupertatis exemplis loquitur beatus Bernardus, dicens: Videte pauperem Christum natum sine hospitio, iacentem inter bouem, & asinum in præsepio, inuolutum vili panniculo, fugientem in Ægyptum, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo. Quis igitur miser Christianus, quis ille despectus religiosus, qui adhuc diuitias amet, qui paupertatem detestetur, cum videat, & audiat Deū Deorum, & Dominū mundi, regem cœli vnigenitū Dei, tantæ paupertatis sustinuisse defectū? Magna vtique, vt dicit Bernardus, abusio est, & nimis magna, vt diues velit esse pauper, cū Deus Maiestatis, & Dominus Deus Sabaoth voluit pauper fieri. Quęrat diuitias Paganus, qui sine Deo viuit. Quærat diuitias Iudæus qui terrenas promissiones accepit. Sed tu Christi virgo, ancilla Domini, qua mente quæras diuitias, cum paupertatem voueris, cum inter pauperes Christi viuas, cum patris pauperis Francisci velis esse filia, cum puaperis matris Claræ promiseris esse imitatrix? Supra modū soror charissima, tua ac mea confunditur auaritia, quia cum simus professores paupertatis, paupertatem in auari-

Iob. 19.b Bern. serm. 3. de resurrect. non longe à prin.

auaritiam commutamus, quæ non licet appetentes, quæ regula prohibet, cùm tamen filius Dei pro nobis egenus factus sit. Scio quod ita sit, quod quanto feruentiores professæ paupertatis fueritis amatores, quãto perfectiores Euangelicæ paupertatis fueritis imitatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus, quam spiritualibus abundabitis. Si autem vos ad contrarium conuerteritis, si paupertatem quam professæ estis contempseritis, omnium bonorum tam temporalium, quam spiritualium egentes eritis. illa enim pauper genitrix pauperis Iesu Maria dicit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Hoc etiam testatur Propheta ille sanctissimus dicens: Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Numquid non legistis? Numquid non audistis Dominum Iesum loquentem Apostolis suis in Euangelio, & dicentem: Nolite solliciti esse dicentes. Quid emãducabimus? aut quid bibemus? Scit enim pater vester, &c. Audi igitur iterum in Euangelio Lucæ, quid dicit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Si inter Iudæos duros, & crudeles pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine, quid mirum, si pascat Fratres minores, & pauperes sorores paupertatis Euangelicæ imitatores, inter populos Christianos & fideles? Omnem itaque sollicitudinem vestram proiicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Cum igitur sit tanta Dei Patris circa nos sollicitudo, tanta sit sibi cura de nobis, mirum videtur, cur istis rebus curiosis, & defectibilibus tanta occupatione sollicitamur. Certe aliam causam non inuenio, nisi quia affectiones nostræ longe recesserunt à Deo salutari nostro. Alia causa non est, nisi quia feruor diuinæ charitatis refriguit, & congelatus est in nobis. certe si essemus bene feruentes, nudi nudum Christum sequeremur Nam homines cum magnum æstum habent, consueuerunt se denudare & expoliare. Signum magnæ frigiditatis est in nobis, quia ita attrahimus nobis ista temporalia. O Deus meus, quomodo possumus ita duri esse contra Christum, qui exiuit de terra sua id est, de cœlis, & de cognatione sua, id est de Angelis, & de domo Patris sui, id est de sinu Patris, & factus est pro nobis pauper, abiectus, & despectus, nos nolumus pro eo miserum & fœtidum mũdum derelinquere? Corpore quidem relinquimus mundum, sed heu totum cor, & tota mens totum desiderium nostrum occupatur & absorbetur à mundo. O beata Dei famula, recordare paupertatis Domini nostri Iesu Christi, imprime cordi tuo paupertatem pauperis patris tui Francisci, memorare matris tuæ Claræ, & toto studio, toto conamine inhære paupertati, amplectere dominam paupertatem, nec sub cœlo aliud pro nomine Domini velis quã paupertatem, non honorem, non diuitias, sed paupertatem sanctam quam vouisti, cura firmiter obseruare. Diuitias enim habere, & amare, infructuosum est; amare & nõ habere periculosum est: habere autem & non amare laboriosum est. Igitur nec habere diuitias nec amare, vtile est, securum est, delectabile est, & actus virtutis perfectæ. & ideo tam consilium Domini de paupertate, quam exemplum omnem Christianum mouere debet & accendere ad amorem paupertatis O quam beata paupertas, quam amabilem Deo, quam securum Deo in mundo reddis amatorem tuum. Qui enim (vt dicit Gregorius) nihil habet in mũdo quod diligit, nihil est in mundo quod pertimescit. Vnde legitur in vitis patrum, quod quidam pauper frater habebat vnum mattam, de medietate cooperiebat se in nocte, & alteram medietatem submittebat corpori, & cetera.

Secundum, quod ad amorem paupertatis te accendere debet, est diuinum promissum, quod est inæstimabile. O diues in omnes, ô bone Domine Iesu, quis potest digne verbo exprimere, corde percipere, manu scribere, illam cœlestem gloriam, quam tuis peuperibus te daturum promisisti? Ipsi enim paupertate voluntaria merentur gloriç conditoris assistere ipsa merentur intrare in potentia Domini, in illa æterna tabernacula, in illas lucidissimas mansiones. Ipsi merentur fieri ciues illius ciuitatis, cuius artifex & conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti eis dicens: Beati pauperes spiritu, &c. Non aliud est Domine Regnum cœlorum, nisi tu ipse, qui es Rex regum, & Dominus dominãtium. Teipsum dabis eis in præmium, in mercedem, & in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt & satiabuntur: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabuntur, &c.

Luc. 1. e — Psal. 33. b — Matt. 6. d — Luc. 22. d — 1. Pet. 5. b — Nota. — Matt. 5. a — Psal. 21. d

CAPVT IV.

De silentio, & quod omnibus religiosis sit necessarium silentium.

NOn mediocriter cooperatur ad perfectionem religioso homini virtus silentij, quia sicut in multiloquio non deerit peccatum, sic breuiter & raro loqui ad hoc valet, vt homo caueat sibi à peccato. Pro nimia loquela frequenter sequitur iniuria tam Dei quam proximi, sic ex silentio nutritur iustitia, ex qua velut ex quadam arbore, colligitur fructus pacis. Vnde cum claustralibus pax sit summe necessaria, valde necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis, quam corporis conseruatur. Propterea Isaias Propheta virtutem silentij considerans, ait: Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium quasi diceret: Tantę virtutis est silentium, quod in homine conseruat Dei iustitiam, & inter proximos pacem nutrit & custodit. Nisi homo diligentem ori suo adhibeat custodiam, & bona gratuita quę habet cito dissipat, & etiam in multa mala corruit. Lingua quidem (vt dicit beatus Iacobus in canonica sua) modicum membrum est, magna exaltat, & sequitur. Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis: Vbi dicit Glossa quod pene cuncta facinora concinnantur aut patrantur in ea. Vis audire, ô famula Dei, vis scire quãta mala ex lingua prodeunt, si diligenter non custodiatur? audi & dicam. Ex lingua prodeunt; blasphemiæ, murmurationes, dissensiones, periurium, mendacium, detractiones, adulatio, maledictio, conuitium, contentio, bonorum derisio, prauum consilium, rumor, iactantia, secreti reuelatio, indiscreta comminatio, indiscreta promissio, multiloquium, scurrilitas. In veritate magna confusio sexui femineo, & maximum dedecus est sacris virginibus, non habere oris custodiam, non seruare linguæ disciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur. Certe frustra audeo dicere, quod ille religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentij per inquietudinem multiloquij. Si quis, teste scriptura, putat se religiosum esse nõ refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. O Iesu Christe sponsæ, intuemini virtutum speculum Mariam, & discite ab ea silentij disciplinam. Quantæ maturitatis fuerit beata virgo, satis patet. Si enim percurras Euangelium perpauca, & cum paucis eam locutam inuenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem, & non nisi septem verba eam locutam fuisse. Cum Angelo duo, cum filio suo duo, cum Elisabeth duo, cum ministris in nuptiis vnum. In hoc confunditur nostra loquacitas, quia proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit vtilitas silentij. Vna vtilitas est, quia inducit compunctionem. Homo cum tacet, cogitat vias suas, & locum habet cogitandi, quam multiplex sit suus defectus, & ex hoc surgit compunctio. Item dicit propheta Dauid: Obmutui & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Alia vtilitas silentij est, quia demonstrat hominem cœlestem esse. Argumentum quasi infallibile est, vt si sit homo in Theutonia & non loquatur Theutonice: videtur, quod non sit Theutonicus. Sic qui est in mundo & mundana non loquitur, euidenter demonstrat, se in modo non esse. Qui enim de terra est, de terra loquitur, vt dicitur in Euangelio Ioannis: Nihil autem tantum in religioso homine valet ad conseruandum silentium nisi vt fugiat consortium hominum, & ducat vitam solitariam

Prou. 10. c — Isa. 32. d — Iac. 3. b — Quot mala ex lingua prodeant. — Iac. 1. d — Luc. 1. d — Ioan. 2. a — Luc. 2. g — Silentij vtilitates. — Psal. 38. a — Ioan. 3. f

tariam. Ille enim homo qui eleuatur iam supra statum hominum non debet habere consolationem & consolatorem, nisi solum Deum, & ideo debet esse solitarius, & tacere: ex quo enim Deum habet pro socio, non debet curare de humano consortio. Propterea dicitur in Threnis: Sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se. Sedebit solitarius, inquam, consortia hominum fugiendo, & tacebit de cœlestibus cogitando, & meditando, & leuabit se supra se, cœlestem dulcedinem degustando.

Thren.3.d

Etsi omnibus religiosis necessarium sit silentium ad perfectionem virtutum, maxime tamen virginibus dedicatis Iesu Christo est necessarium, vt disciplinam seruent silentij. Ita enim earum sermo deberet esse pretiosus, & ita deberent esse verecundæ in labiis, vt nunquam nisi magna necessitate loquerentur. Ideo beatus Hieronymus dicit: Sit sermo virginis modicus, & rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. Hoc etiam cōsuluit Philosophus. Ad summam perfectionem volo te esse breuiloquum; & submissa voce. Audi verbosa famula, audi virgo clamorosa & garrula, certe vt possis assuescere silentio, debes facere sicut fecit Agathon Abbas, de quo legitur in vitis patrum, quod lapidem in ore suo per triennium mittebat, donec taciturnitatem addisceret. Alliga & tu lapidem ad linguam, affige linguam tuam ad palatum: pone digitum super os tuum, vt possit taciturnitatem addiscere, quia magnū dedecus est sponsæ Christi, vt cum alio quam cum sponso suo Christo Iesu velit habere sermonem. Loquere ergo raro, & pauca, & breuiter, cum timore & pudore, immo in tua causa vix loquere. Tege faciem tuam velo verecundiæ, consue labia filo disciplinæ, & sermo tuus sit breuis, pretiosus, & vtilis: sit modestus & humilis. Loquere famula Dei raro, & parum, quia in multiloquio non deerit peccatum. Nō loquaris verbum otiosum, quia de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Verbum otiosum est, vt dicit Glossa, quod sine necessitate dicitur proferentis, aut vtilitate audientis. Semper igitur melius est tacere, & vtilius quàm loqui. Quia dicit sapiens, locutum me esse aliquādo pœnituit, tacuisse vero nunquam.

Prou.10.c
Matt.12.c

CAPVT V.

De studio orationis, & qualiter orandus est Deus.

Supra modum cupienti etiam proficere sponsæ Christi est necessarium, vt assiduis orationum studiis & deuotionibus animum suum exerceat: quia reuera religiosus orationem non frequentans assidue, non solum est miser & inutilis, quinimmo coram Deo fert animam mortuam in viuo corpore. Cum enim tantæ efficaciæ sit deuotionis virtus, vt ipsa sola hostis maligni deuincat tentamenta, & versutias diaboli, qui solus famulam Dei impedit ne sursum ad cœlos ascendat: non est mirum si tentationibus succumbat frequenter miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Vnde beatus Isidorus dicit: Hoc est remedium eius qui vitiorum tentamētis æstuat: quoties quolibet vitio tangitur, toties se ad orationem subdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Et hoc est quod Dominus dicit in Euangelio: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Est autem tantæ virtutis deuota oratio, vt ad omnia valeat, & in omni tempore homo possit per eam lucrari, in hieme, in æstate, in sereno, & in tempore pluuiali immo in quacumque hora lucratur homo oratione deuota, plusquam valeat totus mundus: quia tali oratione acquirit homo regnum cœlorū. Vt autem cognoscas, quomodo & qualiter orare debeas, quantum mihi donauerit Deus, te informabo licet ego in hac parte & in hoc negotio magis indigeam informari quam tu.

Isidor. de sum. bon. li.3.c.7. sent. 1.
Matt. 26. d
Mar. 14. d
Luc. 22. e
Orationis virtus.

Scias itaque Deo digna famula, quod ad perfectam orationem tria sunt necessaria. Primum quando in oratione constituta fueris, tunc erecto corpore & erecto corde omnibus sensibus clausis, debes sine strepitu ex amore & contrito corde de omnibus miseriis tuis cogitare; scilicet præsentibus, præteritis & futuris. Primo debes siquidem sollicite cogitare, quam magna & quam multa peccata omnibus diebus vitæ tuæ commisisti, quam magna & quam multa bona in sæculo & in ordine omisisti, quā magnam, & quam multam creatoris tui gratiam frequēter amisisti. Debes etiam cogitare, quam longe facta es à Deo per peccatum, quæ olim fueras prope: quam dissimilis facta es Deo, quæ aliquando fueras valde similis: quam pulchra aliquando fueras in anima, quæ modo valde turpis es & fœtida. Debes cogitare quo tendas per peccatum, quia ad portas inferni: quid tibi occurret, quia tremendus dies iudicij: quid pro omnibus his tibi dabitur, quia æternæ mortis incendium, & statim pro his omnibus debes pectus tuum cum publicano tundere. Cum propheta Dauid debes rugire à gemitu cordis tui. Et cum Maria Magdalena debes lachrymis rigare pedes Iesu. Nec debes aliquem modum habere in lachrymis, quia sine modo dilectum tuum Iesum offendisti. Et hoc est quod ait beatus Isidorus: Quando cum Deo in oratione assistimus, gemere & flere debemus, reminiscentes quam grauia sunt quæ commisimus, quam dura inferni supplicia quæ timemus. Et huiusmodi lacrymosæ cogitationes, meditationis debent esse principium.

Ad perfectā orationem tria requiruntur.

Luc.18.c
Psalm.37.b
Luc.7.f
Isidor. de sum. bon. li.3.cap.7. sent.5.

Secundum quod sponsæ Dei in oratione necessarium est, est gratiarum actio, vt videlicet suo creatori cum omni humilitate grates referat, pro beneficiis iam ab eo receptis. Et hoc consuluit Paulus Apostolus dicens: Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione. Nihil enim est, quod hominem ita dignum reddit diuinis muneribus, sicut semper Deo gratias reddere, & agere pro receptis donis. Vnde beatus Augustinus scribens ad Aurelium dicit: Quid melius animo gerimus, & ore pronunciamus, & calamo exprimimus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Debes ergo in oratione posita cum gratiarum actione meditari, quia Deus te hominem fecit, quia Christianam te fecit, quia innumerabilia peccata tibi indulsit, quia incidisses in multa peccata, si Dominus te non custodisset, quia mori in sæculo te non permisit, quia ad altissimam & perfectissimam te religionem elegit, & quia sine labore tuo te pauit, & pascit, quia pro te homo factus est, circumcisus & baptizatus est, quia pro te pauper & nudus, humilis, & despectibilis, quia pro te ieiunauit & esuriuit, laborauit & fatigatus fuit, quia propter te plorauit; sudorem sanguineum sudauit, te sanctissimo corpore suo cibauit & sanguine potauit, quia propter te colaphizatus est, consputus est, derisus & flagellatus est, vulneratus & crucifixus est: mortem turpissimam & amarissimam sustinuit, quia sepultus, resurrexit, ad cœlos ascendit, Spiritum Sanctum dedit & quia tibi & omnibus electis cœlorum regnum dare promisit. Est enim gratiarum actio supra modum vtilis, in oratione, nec sine ea aliqua potest valere oratio. Nam ingratitudo, vt dicit beatus Bernardus, est ventus vrens, & exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ.

Aug. ep. 77. ad Aurel. to.2.
Ber. ser. 51. sup. Cant. post med.

Tertium quod ad perfectionem orationis necessario requiritur, est, vt animus tuus nihil aliud in oratione cogitet præter illud solum, quod precatur. Valde enim indecens est, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde, & dimidium cor dirigat in cœlum, & dimidium maneat in terra, & talis oratio nunquam exauditur à Deo. Vnde super illo verbo Psalmistæ: Clamaui in toto corde meo. &c. dicit glossa: Diuisum cor non impetrat quod petit. Debet enim famula Dei tempore orationis, cor suum ab omnibus exterioribus curis & mundanis desideriis, ab omnibus carnalibus amoribus reuocare ad interiora, & illi soli in toto corde & tota mente intendere, ad quem suam orationem dirigit: Et hoc consuluit tibi sponsus tuus in Euangelio, dicens: Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, id est,

Psal.118.t
Matt.6.a

id est, corde tuo, ora patrem tuum. Tunc cubiculum es ingressa, quando omnes cogitationes, omnia desideria, omnes affectiones tuas, in secreto cordis tui reuocasti. Tunc clausisti ostium tuum, quando cor tuum diligenter custodis, vt per nullas cogitationes tuas phantasticas possis in deuotione impediri. Oratio enim est, vt dicit beatus Augustinus, conuersio mẽtis in Deum, per pium, & humilem affectum. Audi ô beatissima soror, audi ô famula Iesu Christi, & inclina aurem tuam ad verba oris mei. Noli falli. noli decipi, non amittas magnum orationis tuæ fructum, non perdas suauitatem, non frustreris dulcedine, quam in oratione haurire debes. Oratio enim haustorium est, quo Spiritus sancti gratia hauritur de fonte supereffluẽtis dulcedinis illius beatissimæ Trinitatis. Et hoc expertus erat ille deuotissimus propheta Dauid, qui dicebat: Os meum aperui & attraxi spiritum. Os meum aperui dicit, & hausi. Numquid iam non dixi tibi, quid sit oratio? Audi iterum: Oratio est conuersio mentis in Deum. Vis scire quomodo debes mentem tuam in Deum conuertere? intende. Cum stas in oratione, te totam debes in teipsam conuertere, & colligere, & cum dilecto in cubiculum cordis tui ingredi, & cum eo sola morari, omnium exteriorum obliuisci, & toto corpore, tota mente, toto affectu, toto desiderio, tota deuotione debes te leuare supra te. Nec debes spiritum tuum ab oratione relaxare, sed tãdiu, per deuotiones ardorem sursum ascendere, donec ingrediaris in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, & ibi vtroque cordis oculo dilecto tuo viso, & vtcumque degustato, quam suauis est Dominus, & quam magna dulcedo eius, in amplexus eius ruas, impressis labiis intimæ deuotionis oscula figas, vt sic tota à te alienata, tota in cœlum rapta, tota in Christum reformata, & transformata, non valeas cohibere spiritum tuum, sed exclama cum propheta Dauid, & dic: Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.

Aug. lib. de spir. & ani. c. 50. 10. 3.

Psal. 118. r

Psal. 76. a

Vt autem cor tuum soror charissima per deuotionis orationem in sublimius eleuetur, & feruentius in Deum inflammetur, nota diligenter, quod tribus de causis in mentis alienationem deducimur. Aliquando per magnitudinem deuotionis. Aliquando per magnitudinem admirationis. Aliquando per magnitudinem exultationis.

Tribus de causis in mentis alienationẽ deducimur.

Dico, quod si aliquando per magnitudinem deuotionis, vt mens seipsam nõ capiat, & supra seipsam eleuata in alienationem transeat, quando tota igne cœlestis desiderij succenditur, vt omne quod foris est, vertatur in amaritudinem & fastidium, & amoris intimi flamma vltra humanum modum excrescat, quæ animam ad ceræ similitudinem liquefactam in seipsa deficere faciat, ad instar fumi aromatum, in superna eleuet & ad summam patriam emittat, & tunc cum Propheta exclama & dic: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Psal. 72. d

Item aliquando fit per magnitudinem admirationis, quando diuino lumine mens irradiatur, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tunc vehementi concutitur stupore, vt à suo statu funditus excutiatur, & in modum fulgoris coruscantis, quanto profundius pro despectu sui visæ pulchritudinis respecta in ima deiicitur, tanto sublimius tantoque celerius per summorum desideriorum ardorem releuata, & super semetipsam rapta in sublime eleuatur, & tunc cogitur clamare cum sanctissima Esther: Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.

Esther. 15. d

Item aliquando præ multitudine exultationis, quando intima illa internæ suauitatis abundantia potata, immo plene inebriata, quid sit, quid fuerit penitus obliuiscatur, & in supermundanum quemdam affectum sub quodam miræ felicitatis statu rapta transformatur, & tunc cogitur clamare, & dicere illud Prophetæ: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Si ergo famula Dei debet exercere animum suum ex deuota in Deum oratione, & ducere per frequentem ordinis versum, per mundari, & purificati cordis oculum, per infatigabilem deuotionis spiritum, quatenus efficiatur idonea ad contemplanda diuina, & degustandam diuinæ dulcedinis suauitatem. Non enim decet animam insignitam Dei imagine, decoratam Dei similitudine, redemptam Dei sanguine, capacem beatitudinis, volutari circa ista temporalia, sed ascendere debet super Cherubin, & volare super pennas ventorum, id est, ordines angelorum, & ad contemplandam ipsam Trinitatem, & Christi humanitatem, & meditari gloriam & lætitiam supernorum ciuium, scilicet Angelorum & sanctorum omnium. Sed qui sunt hodie, qui huiusmodi meditationibus vacent? qui sint exploratores gaudij cœlestis? qui corde & animo conuersentur in cœlis? Rari sunt. Vnde bene potest dici de quibusdam religiosis, illud verbum, quod beatus Bernardus dicit: Quorum studium deberet esse deuotione cœlos penetrare, mentę circuire supernas mansiones, salutare Apostolos & choros prophetarum, martyrumque admirari triumphos, omnibus his postpositis, turpi se mancipant corporis seruituti, ad obediendum carni, & ad satisfaciendum gulæ & ventri.

Psal. 83. a

CAPVT VI.

De passionis Christi memoria.

Q Voniam deuotionis feruor per frequentem passionis Christi memoriam nutritur, & conseruatur in homine, ideo est dicendum consequenter, vt semper oculis cordis sui Christum in cruce tamquam morientem videat, qui deuotionem in se vult, conseruare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Leuitico: Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna per singulos dies. Audi soror deuotissima. Altare Dei est cor tuum: in hoc altari debet semper ardere ignis feruidæ deuotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna crucis Christi, & memoriam passionis ipsius. Et hoc est quod dicit Isaias propheta: Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris. Ac si diceret: Quicumque desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum, iste hauriat de fontibus Saluatoris, id est de vulneribus Iesu Christi. Accede ergo tu pedibus affectionum tuarum ad Iesum vulneratum, ad Iesum spinis coronatum, ad Iesum patibulo crucis affixum, & cum beato Thoma Apostolo, non solum intuere in manibus eius fixuras clauorum, non solum mitte manum tuam in latus eius, sed totaliter per ostium lateris eius ingredere vsque ad cor ipsius Iesu, vbique ardentissimo amore crucifixi in Christum transformata, clauis diuini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compassionis transuerberata, nihil aliud quæras, nihil aliud desideres, in nullo alio velis consolari, quam vt cum Christo tu possis mori in cruce. Et tunc cum Apostolo Paulo exclames, dicens: Christo confixus sum cruci. Viuo iam non ego, viuit vero in me Christus.

Leui. 6. b

Isa. 12. b

Ioan. 20. f

Gal. 2. d

Debes autem per hunc modum passionem Christi in memoria habere, vt cogites, quoniam passio eius fuit ignominiosissima, acerbissima, generalissima, & diuturnissima. Primum considera Deo dignissima famula, quam ignominiosissima fuit mors Iesu Christi sponsi tui. Fuit enim crucifixus, tamquam fur & latro. Nulli enim in veteri lege tali morte puniebantur, nisi pessimi, & sceleratissimi, & fures & latrones. Adhuc attẽde maiorẽ Christi ignominiã. Fuit enim in loco turpissimo & vilissimo crucifixus, scilicet in monte Caluarię, vbi multa ossa, & cadauera mortuorum iacebant. ille siquidem locus erat morti damnatorum deputatus, & ibi decollabantur, & suspendebãtur pessimi homines. Adhuc vide Christi maiorem ignominiam, quia inter latrones tamquam latro suspenditur, & in medio tamquam princeps latro-

Quomodo Christi passio memoranda sit.

latronum. Vnde dicit Isaias: Cum sceleratis reputatus est. Adhuc intuere sponsi tui ignominiam, quia aeri deputatus est, & inter cœlum & terram suspensus, ac si non esset dignus mori in terra, aut viuere. O digna indignatio & iniuria, Domino orbis totus negatus est orbis, vilius in mundo nihil æstimatum est Domino mundi. Sic ergo mors filij Dei fuit ignominiosissima propter genus mortis, quia in patibulo suspensus: propter socios mortis, quia cum iniquis deputatus & condemnatus; propter locum mortis, quia in monte Caluariæ fœtidissimo crucifixus, O bone Iesu, ô benigne Saluator, quia non semel, sed multoties confunderis. Quanto quis pluribus locis confunditur, tanto ignominiosior efficitur mundo. Ecce tu Domine Iesu, in horto ligaris, in domo Annæ alapa cæderis, in atrio Caiphæ conspueris, in hospitio Herodis illuderis, in via crucē baiulas, in golgotha crucifigeris. Heu me ecce libertas captiuorū, gloria angelorum, vita hominum occiditur. O Iudæi miseri, bene impleuistis quod promisistis. Dixistis enim: Morte turpissima condemnemus eum. Beatus vero Bernardus dicit: Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, vt subesset: Filius erat & factus est seruus, & non solum formam serui, vt subesset, accepit, sed etiam mali serui vt vapularet, vt pœnam solueret cum culpam non haberet: Et erat non solum seruus seruorum Dei, sed propter tria seruus seruorum diaboli factus seruiens infima peccata peccatorum expurgando. Nec hoc suffecit, sed mortem omni morte confusibiliorem elegit. Humiliauit enim semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, quæ ignominiosior est, vt dicit glossa.

Esa. 13. d
Sap. 2. d
Bern. ser. de pass. Do. fer. 4. hebd. pœnosa longe post medium.
Philip. 2. a

Secundo considera & attende virgo Deo deuota, passio Christi quam acerbissima fuit. Crux enim illa benedicta, membra extensa contrahi in dolore mortis non permisit, quod tamen solet esse quoddam leuamen & solatium cordis anxiati, nec habuit illud caput reuerendum diuinum, vbi ad dimissionem animæ se inclinaret. Attende adhuc melius, quam acerba mors Christi fuerit. Quanto quis tenerior, tanto patitur grauius, numquam autem fuit corpus ita tenerum ad sustinendum passiones, sicut corpus Saluatoris. Corpus enim mulieris tenerius est quā viri corpus, caro autem Christi tota virginea fuit, & de Spiritu sancto concepta, & de virgine nata, igitur passio Christi fuit omnium passionum acerbior, quia omnium virginum tenerior. Si enim ad solam mortis recordationem, Christus in sancta anima sua præ teneritudine carnis tantum afflictus est, vt sudor corporis fieret sicut sudor sanguinis decurrentis in terram, quantus superadditus est ei dolor, quanta eum afflixit pœna in degustatione acerbissimæ mortis, & passionis? Ideo dicit beatus Bernardus: Angustias corporis tui Domine Iesu Christe, certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne decurrebat in terram. Quid fecisti dulcissime puer, vt ita tractareris? Quid commisisti ô amantissime iuuenis, vt ita iudicareris? Ecce ego sum causa tui doloris, ego plaga tuæ occisionis. Adhuc vide diligentius quam amara Christi mors fuerit. Quanto quis innocentior, tanto pœna ad tolerandum grauior. Si enim Christus propter sua peccata sustinuisset, aliquantulum ei esset tolerabilior, sed ipse peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Et hoc ipsum testatur Pilatus, dicens: Ego nullam causam mortis inuenio in eo. Ipse enim est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis & bonitatis, imago illius sicut dicitur in libro Sapientiæ. Considera adhuc plenius, quam pœnalis fuerit mors sponsi tui Iesu Christi. Quanto generalior, tanto pœna acerbior; Christus autem sponsus tuus passus est in omni parte corporis sui, sic quod nullum ita paruum membrum in eo esset, quin pœnam haberet: nullus ita modicus locus, quin repletus esset amaritudine. A planta enim pedis vsque ad verticem non fuit in eo sanitas. Vnde præ nimia doloris vehementia clamauit, dicens: O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte dolorem meum. Reuera Domine Iesu Christe numquam fuit dolor similis dolori tuo: Tanta enim fuit doloris tui effusio, vt totum corpus tuum sanguine aspergeretur. O bone Iesu, ô dulcissime Domine, non gutta sed vnda sanguinis ita largiter per quinque partes corporis tui emanauit de manibus & pedibus tuis in crucifixione, de capite in capitis coronatione, de toto corpore, in flagellatione, de ipso corde in lateris apertione, mirum videtur si quid sanguinis remansit in te. Dic quæso dilecte mi Domine, dic cum vnica sanguinis tui gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo effundi permisisti? Scio Domine & vere scio, quia non propter aliud fecisti, nisi vt ostenderes quanto affectu diligeres me. Quid igitur retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Certe Domine quamdiu vixero, memor ero laborum tuorum, quos sustinuisti in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in oratione, lacrymarū in compassione, dolorum, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clauorum, vulnerum, alioquin requiretur à me sanguis, qui effusus est super terram. Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt possim flere die ac nocte mortem Domini mei Iesu Christi, quam non pro suis, sed pro meis peccatis sustinuit? Vulneratus est enim propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, sicut dicit Isaias propheta.

1. Pet. 2. d
Ioan. 18. g
Sap. 7. d
Isai. 41. a
Thren. 1. d
Bern. vbi sup. prox.
Hiere. 9. a
Isa. 53. b

Vlterius considera, & attende diligenter, quia mors & passio Christi fuit diutina. A prima enim die natiuitatis suæ vsque ad vltimum diem mortis suæ semper fuit in passionibus & doloribus, sicut ipse testatur per prophetam, dicens: Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Et alibi dicit: Fui flagellatus tota die, id est, toto tempore vitæ meæ.

Psal. 87. d
Psal. 72. b

Adhuc aliter considera, quam morosa fuit passio Christi, vt pœna eius magis duraret, vt dolor non cito finiretur, vt mors protraheretur, & sic diutius cruciaretur, & fortius vexaretur.

Ex his omnibus quæ dixi, colligere potes ô virgo Christi, ô famula Dei, quam probrosa, quam dolorosa, quam vilis, quam morosa fuit mors & passio dulcissimi sponsi tui Iesu Christi. Et hæc omnia sustinuit, vt ad amorem suum te accenderet, vt pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipsum diligeres. Quid enim beneuolētius, quam quod Dominus propter serui salutem accipiat serui formam? Quid magis informat hominem in salutem, quam exemplum tollendi mortem propter iustitiam & obedientiam diuinam? Quid vero magis incitat hominem ad diligendum Deum, quam tanta benignitas, quod pro nobis filius Dei altissimus absque meritis, immo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam? Hoc tantæ benignitatis est, vt nihil clementius, nihil benignius, nihil amicabilius cogitari possit. Hæc benignitas tanto magis ostenditur maior, quanto pro nobis grauiora & abiectiora sustinuit, vel pati voluit. Deus enim qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Ex quo inuitamur ad ipsum amandum, & amatum imitandum. Væ ergo illis, qui tantæ benignitatis beneficiis sunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Christi habet effectum. Vnde inquit Bernardus: Vide caput Christi inclinatum ad te deosculandū, manus perfossas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extensionem ad se totum impendendum. Væ iterum illis, qui suis peccatis rursum Christum in semetipsis crucifigentes, super dolorem vulnerum ipsius dolorem adiiciunt. Sed væ tertio illis, quorum corda ad planctum emolliri non possunt, neque ad beneuolentiam prouocari, & ad boni operis virtutem inflammare non valet tanta effusio sanguinis, effusio tanti pretij, tam ingens magnitudo. Certe isti tales inimici crucis Christi, plus Christum Dei filium hodie ad dexteram Dei pa-

Rom. 8. f
Heb. 6. b
Psal. 68. e

tris in cœlis sedentem crucifigunt, quam olim fecerunt in crucis patibulo pendentem. Ad tales, & de talibus Dominus conquerendo per beatum Bernardum loquitur, dicens: O homo vide quid patior pro te, si est dolor sicut quo crucior, ad te clamo qui pro te morior, vide pœnas quibus afficior, vide clauos quibus confodior, & cum sit tantus dolor interior & exterior, planctus est grauior, cum te sic experior. Caue tibi mater caue, ne tanto ingrata sis beneficio, ne tanto pro te dato indeuota sis pretio: sed pone istum crucifixum sicut signaculum super cor tuum, vt sicut sigillum in cera molli, sic Iesum sponsum tuum imprimas cordi tuo, & dicas cum Propheta: Factum est cor meum tamquam cera liquescens. Pone eum etiam vt signaculum super brachium tuum, vt videlicet numquã desinas operari, numquam fatigeris laborare pro nomine Domini Iesu, sed cum operata omnia fueris, tunc primum incipe, quasi nihil feceris. Si autem aliquando aliquid triste, aliquid graue, aliquid tædij, aliquid amaritudinis acciderit, vel certe si forte aliquod bonum desipuerit, statim recurras ad crucifixum Iesum pendentem in cruce. Ibi intuere coronam spineam, clauos ferreos, lanceam lateris, ibi contemplare vulnera Christi pedum, & vulnera manuum, vulnera capitis, vulnus lateris, vulnera totius corporis: recolens quia qui sic pro te passus fuit, qui pro te tanta sustinuit quantũ te amauerit. Crede mihi, quia statim tali intuitu omne triste lætum, omne graue leue, omne tædiosum amabile, omne asperum dulce & suaue reperies: sic vt & tu incipias exclamare cũ beato Iob, & dicere: Quæ prius noluit tangere anima mea, nunc propter angustias passionis Christi, cibi mei sunt, quam dulcia & delectabilia facta sunt mihi. Vnde legitur, quod cum quidam conuersus fuisset ad religionem, in tantum factus est impatiens propter asperitatem ciborum, & ceterarum disciplinarum religionis, & cum ex nimia impatientia angustiatus fuisset, procidit ante imaginem crucifixi, & ibi replicare cœpit cum multis lacrymis intolerabiles angustias, & labores ordinis, insipiditatem ciborum panis, & potus, & statim ex latere imaginis cœpit sanguis emanare, & cum ille fortiter flens suas angustias replicaret, respondens imago Christi, dixit, quod quandocumq; sentiret aliquam asperitatem in cibo vel in potu, vt intingeret in salsamento sanguinis Christi.

Psal. 21. b *Cant. 8. b* *Iob. 6. b*

CAPVT VII.

De perfecta Dei charitate.

SVperius te famulam Dei, prout Deus inspirauit, docui qualiter animum tuum exercere debeas, vt quasi gradatim ascendere possis, & de virtute in virtutem proficere. Nunc septimo loco restat dicendum de forma virtutum, scilicet charitate, quæ sola ducit hominem ad perfectionem: ad mortificandum enim vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendum omnium virtutum perfectionem summam, nihil potest dici melius, nihil excogitari vtilius charitate potest. Propterea dicit Prosper in libro de vita contemplatiua: Charitas est vita virtutum, mors vitiorũ, & sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt vitia à facie charitatis. Tantæ siquidem virtutis est charitas, quod ipsa claudit infernum, sola aperit cœlum, sola Deo amabilem reddit. Tantæ virtutis charitas est, quod ipsa sola inter virtutes virtus nominata est, quam qui habet, diues est, & locuples, & beatus: quam qui non habet, pauper & mendicus est, & miser. Vnde super illo verbo ad Corinthios: Si charitatẽ non habuero, dicit glossa: Attende quanta sit charitas, quæ si desit, frustra habentur cetera, si autem adsit, habentur omnia, quam qui habere cœperit, Spiritum sanctum habebit. Et beatus Augustinus dicit: Si virtus nos ad beatam ducit, nihil esse omnino virtutem affirmauerim, nisi tantum summum amorem Dei. Cum igitur charitas virtus tanta sit præ cunctis virtutibus, charitati est insistendum: & non cuilibet charitati, sed ei solum qua Deus diligitur super omnia, & proximus post Deum.

Prosper lib. 3. de vit. contempl. c. 13. *1 Cor. 13. a*

Qualiter autem creatorem tuum diligere debeas, ipse tuus sponsus docet in Euãgelio, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Intende diligenter famula Iesu Christi dulcissima, quam dilectionem dilectus tuus Iesus requirat à te. Vult certe amantissimus tuus, vt amori suo des cor tuum, totam animam tuam, totam mentem tuam, sic vt in toto corde tuo, in tota mente nullus omnino cum eo aliquã partem possideat. Quid ergo facies, vt certe Dominum Deum tuum ex toto corde diligas? Quomodo ex toto corde? Audi beatum Ioannem Chrysostomum dicentem: Ex toto corde diligere Deum est, vt ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum cor tuum, quã Dei, vt non delecteris in specie mundi amplius, quam in Deo, non in honoribus aut parentibus. si autem in aliquo istorum sit animus & amor cordis tui, iam nõ ex toto corde Deum diligis. Vnde Augustinus dicit: Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Si autem aliquid amas, ex cuius dilectione in amore Dei non proficis, iam non ex toto corde Deum diligis. Et si quid diligis, pro cuius amore ea, quæ Christo teneris, negligis, iam non ex toto corde diligis. Dilige itaque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, non solum ex toto corde, verum etiam ex tota anima diligendus est Dominus Iesus Christus. Quomodo ex tota anima? Audi beatum Augustinum docentem te. Ex tota anima, inquit, Dominum diligere, est ipsum diligere ex tota voluntate sine contrarietate. Certe tunc ex tota anima Deum diligis, quando non quod tu vis, non quod mundus consulit, non quod caro suggerit, sed quod Dominum Deum tuum scis velle, sine contradictione libenter facis. Certe tunc Deum ex tota anima diligis, quando pro amore Iesu Christi animam tuam si necesse fuerit, morti libenter exponis. Si autem in aliquo istorum negligens fueris, iam non ex tota anima Deum tuum diligis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & conforma voluntatem tuam voluntati diuinæ in omnibus. Et non solum ex tota anima, sed etiam ex tota mente. Audi iterum beatum Augustinum te docentem. Ex tota, inquit, mente diligere Deum, est diligere eum ex omni memoria sine obliuione. Amen.

Mat. 22. d *Quomodo Deus diligendus.* *Auct. oper. imper. in Matth. ho. 42. post medium.* *Aug. lib. 10. confess. c. 29. to. 1.*

CAPVT VIII.

De finali perseuerantia.

POstquam omnium virtutum adeptus est quis principium, nec tamen in conspectu Dei apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseuerantia, quia nullus omnino mortalis quantumcumque perfectus, est laudandus in vita sua, nisi prius hoc totum quod inchoauit, bono & felice concludat. Vnde beatus Bernardus dicit: Tolle perseuerantiam, nec obsequium, nec beneficium, nec gratiam, nec laudem fortitudo præstabit. Parum enim valet, hominem fuisse religiosum, sine fuisse humilem & patientem, fuisse deuotum, & continentem, Deum dilexisse, & cœlicas virtutes habuisse, nisi adesset perseuerantia: cum enim omnes virtutes currant, sola perseuerantia accipit brauium. Quia non ille qui incipit, sed qui perseuerauerit, saluus erit. Vnde Ioannes Chrysostomus dicit: Quæ vtilitas seminum florentium, & postea tabescentium? quasi diceret, penitus nulla. Si igitur Christi dilectissima, aliquas bonorum operum habens virtutes, immo quia multas habes, in his perseuera, in his profice, in his vsque ad mortem viriliter Christi age militiam, vt cum extrema dies finisq; vitæ aduenerit, pro stipendio & mercede laboris, detur tibi corona gloriæ & honoris. Vnde Iesus Christus vnice tibi dilectus, alloquitur te in Apocalypsi, dicẽs: Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hæc corona nihil aliud est quam præmium vitæ æternæ, ad quam

Bernar. ep. 129. ad Genuens. ante med. *Mat. 24. b* *Apoc. 2. c*

quam addiscendam, inflammare te debet desiderium omnium Christianorum. est enim tam magna, vt nullus omnino eam æstimare possit, sicut dicit beatus Gregorius tam multa, vt nullus eam dinumerare queat, est denique tam longa, & durabilis, vt numquam terminari possit, & finiri. Ad hanc mercedem, ad hanc coronam inuitat te dilectus spōsus tuus, dilectissimus Iesus Christus in Canticis canticorū dicens: Veni de Libano sposa mea, veni de Libano coronaberis. Surge ergo amica Dei, sponsa Iesu Christi, columba sponsi æterni, veni & propera ad nuptias filij Dei, quia tota cœlestis curia expectat te, quia omnia parata sunt. Est enim paratus speciosus seruus tuus, vt tibi seruiat, & nobilis cibus pretiosus & delectabilis, vt te reficiat, societas dulcis, & præamicabilis, vt tibi congaudeat. Surge ergo & propera festinanter ad nuptias, quia ibi est paratus seruus speciosus, vt tibi seruiat, iste seruus non est alter, nisi cœtus angelicus, immo ipse æternus Dei filius, qui de seipso testatur, dicens in Euangelio: Amen dico vobis, quia præcinget se, & faciet illos discumbere, &c. O quam magna gloria tunc erit pauperibus abiectis, quando ministrum habebunt filium Dei, & summi regis, & totum conuentum exercitus regni cœlestis. Est etiam ibi paratus cibus pretiosus, & delectabilis, vt reficiat; ipse enim Dei filius mensam propriis manibus posuit, sicut ipse de se in Euangelio testatur dicens: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. O quam suauis, & deliciosus est cibus ille, quem præparauit in dulcedine sua pauperi Deus. O quam beatus est ille, qui in regno cœlorum panem manducabit illum, qui in clibano virginalis vteri coctus est igne Sancti Spiritus. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Tali cibo, tali pane, cibat & reficit suos electos Rex cœlestis in mensa sua, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti ei sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatē, & deseruiens vniuscuiusque voluntati. Ecce talis est refectio diuinæ mensæ. Et nihilominus parata est ibi societas dulcis, & præamabilis, vt tibi congaudeat. Illic n. erit Iesus cum Patre & Spiritu sancto. Illic Maria cum florigero exercitu virginum. Illic Apostoli, Martyres, Confessores, & omnium electorum cœlestis exercitus. Miserabilis prorsus, qui tam nobilissimæ societati non fuerit sociatus. Valde mortuum habet desiderium, qui huic societati iungi non desiderat. Sed tu ô præclarissima Dei famula, scio te quidem desiderare Christum, ad hoc te niti totis viribus, quomodo regis æterni possis iungi consortiis, & amplexibus. O nunc excita cor tuum, & animam tuam, & erige totum cor tuum, & cogita quantum potes. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita mēte quam bonum sit illud delectabile, quod continet iucunditatem omnium bonorum! si bona est vita creata, quam bona est vita creatoris, si iucunda est salus facta, quam iucunda est salus quæ facit omnem salutem. Qui hoc bene fruetur, quid erit illi, & quid non erit? certe quidquid volet, hoc erit ibi, quidquid nollet hoc non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis intellexit. Cur ergo famula Dei per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia, & sufficit: desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Ibi est quod amas mater mea, quod desideras virgo beata. Ibi est quidquid amas, quidquid desideras. Si te delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol. Si te delectat longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, quia iusti in perpetuum viuunt, & salus iustorum æterna. Si delectat satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus suæ. Si te delectat dulcis melodia, ibi Angelorum chori concinunt alleluia laudantes. Si te delectat amicitia, ibi sancti diligunt Deum plusquam seipsos, & Deus diligit suos plusquam se ipsi. Si concordia delectaris, omnibus illis erit vna voluntas, quia nulla erit ibi, nisi Dei voluntas. Si te delectat honor & diuitiæ, Deus ancillas suas, & seruos bonos & fideles supra multa constituit, immo filij, & filiæ Dei vocabuntur, & erunt ibi ipsi hæreditas Dei, illi quidem hęredes Dei, cohæredes autem Christi. Quale autem, vel quantum gaudium vbi tale ac tantum est bonum? Certe Domine Iesu, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit in hac vita quantum amabunt te beati, & de te gaudebūt in illa beata vita. Quantumcumque enim quisque Deum amat, tantum ibi de Deo gaudebit. Ergo hic multum ama, vt multum gaudeas, crescat in te amor Dei, vt ibi plene possideas gaudium Dei. meditetur inde mens tua, loquatur inde lingua tua, amet illud cor tuum, sermocinetur os tuum, esuriat illud anima tua, sitiat illud caro tua, desideret tota substantia tua, donec intres in gaudium Dei tui, donec venias ad amplexus dilecti tui, & donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Marginalia: Cant. 4. c; Luc. 12. e; Luc. 22. c; Ioan. 6. f; Sap. 17. c; Ex Ansel. in Prolog. cap. 24.; 1. Cor. 2. c; Mat. 13. c; Sap. 5. c; Psal. 35. b; Apoc. 19. a; Rom. 8. c; 1. Cor. 2. c

Finis quartæ & vltimæ partis Opusculorum S. Bonauenturæ, eiusque Operum Tomi septimi.

APPENDIX AD SEPTIMVM TOMVM OPERVM S. BONAVENTVRÆ,

COMPLECTENS EA OPVSCVLA, DE quibus, an sint S.Bonauenturæ, controuersum est,& nonnulla alia, quorum subiicitur

INDEX.

SVMMA SANCTI HIERONYMI DE ESSENTIA,

ET INVISIBILITATE, ET IMMENSITATE DEI, quæ S. Bonauenturæ ascribitur.

Hoc titulo inscribitur iste Tractatus in omnibus impressis S.Bonauenturæ, sed in Editione Romana operum S. Hieronymi longe alio, & magis conformi rei, de qua in eo agitur: De his, quæ Deo in Scripturis sanctis attribuuntur. *In qua quidem editione illum tamquam Hieronymo falso adscriptum inter parerga ad tomum nonum reiecerunt. Et vero potius Bonauenturæ, quam Hieronymi videtur, quamuis vtrumque incertum sit.*

A OMNIPOTENS Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus est atque trinus, vnus videlicet in natura, trinus in personis, solus inuisibilis, solus incircumscriptus, incorporeus, & immortalis, vbique præsens, sed latens, vbique totus, sed immensus. Inuisibilis est, quia in essentia sua videri non potest, Apostolo testante, qui ait: Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. Et in Euangelio: Deum nemo vidit vmquam. Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus, siue compactus existit, sicut veritas in Euangelio dicit: Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Immensus est, quia quantitas eius, vel qualitas à nullo etiam metiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te non capiunt, quanto magis & domus ista, quam ædificaui? Incircumscriptus est, quia circumscribi non potest. Inlocalis est, quia de loco ad locum nequaquam transit, neque quolibet retinetur, ipso de se per Isaiam, testimonium perhibente: Cœlum sedes mea est, terra scabellum pedum meorum. Et per Hieremiam: Nonne cœlum, & terram impleo? Cuius immensitatem Propheta in Psalmo confitens, ait: Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. De cuius immensitate adhuc in libro Iob scriptum est: Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior est terra: immensitas eius latior est mari. Quia enim cœlum & terram implet, proculdubio nullus locus est ab eius præsentia absens. Super omnia quippe est regendo atque imperando. Subtus est omnia sustinendo atque portando, non pondere laboris, sed infatigabili virtute. Immutabilis est, quia ab eo quod mutari non potest, ipso dicente per Malachiam prophetam, qui ait: Ego Dominus, & non mutor. Ideo Deus immutabilis dicitur, quia in natura eius ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio, & alia his similia non accidunt. Simplex enim natura est, immutabilis, & imperturbata. Neque aliud ipse, & aliud quod habet, sed ipsum est, quod habet, & quod est. Immortalis est, quia nullo modo mori potest, Apostolo dicente: Qui solus habet immortalitatē, & lucem habitat inaccessibilem: quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest.

B Vbicumque autem sacra Scriptura sparsim per diuinos libros in Deo motus animi secundū humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, vultum, vterum, manus, dexteram, sinistram, digitos siue digitum, alas, scapulas, posteriora, pedes; item motus animæ, iram, furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & his similia, non carnaliter iuxta historiam à recte intelligentibus accipienda sunt, sicut à Iudæis plerisque & hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum

Marginalia: 1 Tim. 6. d; Ioan. 1. c; Ioan. 4. d; 3. Reg. 8. c; Isa. 66. a; Hier. 23. e; Psal. 138. b; Iob 11. b; Mala. 3. b; 1 Tim. 6. d; Corporea membra, & affectus humani cum Deo attribuuntur in Scripturis quid significent.

qui Deum corporeum atque localem opinantur; sed A spiritualiter omnia de eo intelligenda, & accipienda sunt. Si quis enim Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit, proculdubio in corde suo idola fabricat.

Caput, & capilli capitis quid. Cum igitur vt dictum est, figuraliter in Deo caput legimus, ipsam essentiam diuinitatis eius, quæ omnia præcedit, & cui omnia sunt subiecta, intelligere debemus. Capillos vero capitis eius sanctos Angelos, seu vniuersos electos typice accipi oportet. De quo sacramento in libro Danielis scriptum est: *Dan. 7. c* Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli capitis eius quasi lana munda. Hoc enim signat per vestiměta candida Dei, quod & per capillos capitis eius, sanctos videlicet Angelos, & multitudinem sanctorum dealbatorum. B Vel certe, ideo capilli eius lanæ mundæ comparantur, vt per hoc antiquus dierum esse credatur.

Oculi. Oculos dicitur Deus habere, pro eo quia videt, & nihil eum latet. In eius enim conspectu, vt ait Apostolus, *Heb. 4. d* nulla creatura est inuisibilis. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius. Aliter vero oculi respectus gratiæ eius intelliguntur, vt est illud in Psalmo: *Psal. 33. c* Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Item aliter, oculi Domini præcepta, per quæ nobis lumen scientiæ subministrat, mystice intelliguntur, vt est illud in Psalmo: *Psal. 18. c* Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Palpebræ. Palpebræ Domini occulta, & incomprehensibilia iudicia, siue spiritualis in diuinis libris eius locutio innuitur. De quibus occultis & incomprehensibilibus sacramentis atque iudiciis dictum est in Psalmo: *Psal. 10. b* C Palpebræ eius interrogant filios hominum, hoc est, probant.

Aures. Aures dicitur Deus habere, propterea quod omnia audit, & nil eum sub silentio latet. De quo in libro Sapientiæ: *Sap. 1. c* Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur.

Nares. Nares Dei, inspiratio eius in corde fidelium, vt est in libro secundo Regum: *2. Reg. 22. a* Ascendit fumus de naribus, id est, lacrymosa compunctio pœnitentium de inspiratione eius.

Facies. Facies Dei, cognitio diuinitatis eius ad homines. De qua cognitione in Psalmis scriptum est: *Psal. 79. d* Ostende nobis faciem tuam, hoc est, da nobis cognitionem tuam, quia cognitio per Filium. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Aliter vero facies Dei significat inuisibilem essentiam diuinitatis Dei Filij. D De qua ipse Dominus ad Moysen per Angelum respondit: *Exo. 33. d* Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. ac si diceret: Incarnationem meam videbis in nouissimis diebus, diuinitatem videre non poteris.

Os. Os Dei Filius Patris, id est, Christus Dominus. de quo Hieremias propheta ex persona Iudæorum effatus, ait: *Thren. 1. f* Quia os eius ad iracundiam prouocaui. Alterum vero os Domini, sermo eius siue iussio accipitur. De quo sermone Domini Isaias propheta ait: *Isa. 40. b* Os Domini locutum est, hoc est, Verbũ Dei, Filius Dei Patris, per quem omnia facta sunt. De quo in Psalmo dicitur: *Psal. 32. a* Verbo Domini cœli firmati sunt. Et alibi: *Ps. 106. b* Misit Verbum suum, & sanauit eos. Et in Euangelio secundum Ioannem: *Ioan. 1. a* In principio erat Verbum, &c.

Lingua. E Lingua Dei mystice significat Spiritum sanctum, per quem Deus Pater secretum suum manifestauit hominibus. Vnde dicitur in Psalmo: *Psal. 44. a* Lingua mea calam⁹ scribæ.

Labia. Labia Dei vtriusque testamenti consonantia intelliguntur, de quibus duobus testamentis in Prouerbiis dicitur: *Prou. 16. b* Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errauit os eius.

Brachia. Brachia Dei Patris, Filius, & Spiritus sanctus intelliguntur, sicut est in Isaia: *Isa. 51. a* Brachia mea populos iudicabunt. De quo Hieremias ad ipsum ait: *Hier. 32. d* Et nunc Domine Deus, qui eduxisti populũ tuum de terra Ægypti in manu forti, & brachio extento. Ideo autem Filius dicitur brachium Dei, quia creatura electa ab ipso continetur.

Dextera, & sinistra. Dextera Patris vnigenitus Filius accipitur. De quo in Psalmo dicitur ex persona hominis assumpti: *Psal. 117. c* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Aliter vero dextera Domini significat gloriam Patris, & æternam beatitudinem. De quo dicitur in Psalmo ex persona Patris ad Filium: *Psal. 109. a* Sede à dextris meis. Dicitur autem, & dextera Dei omnis electa creatura in cœlo & in terra. Sic per sinistram eius intelligitur reproba creatura, id est, dæmones, & omnes impij, qui ad læuam positi, æterna supplicia sustinebunt.

Manus. Manus Patris, Filius Dei accipitur, pro eo quod per ipsum omnia sunt facta, sicut est reperire in Isaia: *Isa. 66. a* Omnia hæc manus mea fecit, & per eam facta sunt omnia. Alia vero manus Dei, potestas eius intelligitur. De qua potestate in libro Hieremiæ dicitur: *Hier. 18. a* Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea domus Israel. Item manus Domini flagellum accipitur, de cuius percussione in Sophonia propheta scriptum est: *Soph. 1. a* Extendam manũ meam super Iudam, & super habitantes Hierusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal. Pro qua etiam Domini percussione beatus Iob de ipso, ait: *Iob 19. c* Manus Domini tetigit me.

Digitus. Digitus Domini singulariter Spiritus sanctus accipitur. A quo Spiritu sancto lex in duabus tabulis lapideis in monte Sinai scripta narratur. Ipse enim scripsit, qui scribenda dictauit, id est, Spiritus sanctus. De quo Spiritu Dominus in Euangelio: *Luc. 11. c* Ego in digito Dei eiicio dæmonia. Quod alius etiam Euangelista aperte declarans, ait: *Mat. 12. b* Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Sicut enim digitus cum manu, vel brachio; manus vero, vel brachium cum corpore sunt in natura vnum: ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ sunt, vna vero substantia diuinitatis. Digiti Dei pluraliter, sancti intelliguntur Prophetæ, per quos Spiritus sanctus libros legis ac Prophetarum sua inspiratione describit. De quibus dicitur in Psalmo: *Psal. 8. a* Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum. Per cœlos enim libros legis ac Prophetarum, per digitos vero sanctos, vt dictum est, Prophetas mystice insinuauit.

Imago. Imago Dei Patris inuisibilis, vnigenitus Filius eius intelligitur, de quo Apostolus: *Coloss. 1. b* Imago Dei inuisibilis. Aliter namque imago Dei Patris in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso; hoc est, ex substantia sua per omnia similem sibi, & æqualem genuit: aliter vero in anima hominis, quam non ex se de sua substantia, sicut plerique hæretici opinati sunt, genuit; sed ex nihilo creauit. Sicut aliter est imago cuiuslibet regis in filio eius, quem ex semetipso similem sibi genuit, id est, homo hominem: aliter vero in annulo, siue in cera imago eius impressa, quæ non est quod ipse: sic Filius, qui naturaliter est hoc quod & Pater.

Cor. Cor Dei Patris arcanum eius sapiětiæ mystice innuit, ex quo Verbum, id est, Filiũ suũ impassibiliter genuit, ipso dicente: *Psal. 44. a* Eructauit cor meum verbum bonum.

Alæ. Alas dicitur habere Deus, pro eo, quod more auis, electos suos tamquam pullos sub se fouet; & ab insidijs diaboli, & malorum hominum protegit. Vnde Propheta: *Psal. 16. b* Sub vmbra alarum tuarum protege me.

Scapulæ. Scapulas habere dicitur, quoniam infirma membra in scapulis portat. Sicut in Psalmo: *Psal. 90. a* Scapulis suis obumbrabit tibi.

Venter. Venter Dei, secreta origo substantiæ eius accipitur. Vnde in Psalmo: *Psal. 109. b* Ex vtero ante luciferum genui te. Aliter per vterum Dei, incomprehensibilia iudicia Dei, quæ timari nequeunt, mystice insinuantur. De quo occulto iudicio eius in libro Iob scriptum est: *Iob 38. c* De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?

Posteriora. Posteriora Filij Dei, incarnatio eius accipitur, de qua posteriori parte Filius in monte Sinai ad Moysen per Angelum loquens, ait: *Exo. 33. d* Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.

Pedes. Pedes Dei stabilimentum virtutis eius, eo quod vbique præsens, & vniuersa ei subiecta sunt. Illo ipso dicente per Isaiam prophetam: *Isa. 66. a* Cœlum mihi sedes est, terra autem

autem scabellum pedum meorũ. Aliter pedes filij Dei, incarnatio eius intelligitur, quæ diuinitati subiecta est, tamquam capiti pedes. Sicut per caput diuinitas, per pedes eius exprimitur humanitas: de humanitate in Exodo scriptum est: Viderunt Deum Israel, hoc est, Moyses, & Aaron, & Nadab, & Abiud, & septuaginta de senioribus populi: sub pedibꝰ eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlũ, dum serenum est. Sicut autem per lapidem sapphirum cœlestes, vel sanctos Angelos, ita per cœlum serenum sanctam Ecclesiam electorum, ex omnibus assumptam figuraliter demonstrare voluit: super quas duas creaturis homo assumptus filius Dei in perpetuum regnat. De quo in Psalmo: Omnia subiecisti sub pedibus eius.

Exo. 24. c *Psal. 8. b*

Vestimenta. Vestimentum filij Dei aliquando caro eius, quæ à diuinitate assumpta est in diuinis libris, figuraliter accipitur, de quo indumento carnis Isaias ait: Quis iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Rursus per vestimentum eiusdem Domini sancta accipitur Ecclesia, quę per fidem, & dilectionem ei coniuncta est. de quo in Psalmo dicitur: Dominus regnauit. Et in Psalmo alio ad ipsum Dominum: Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento.

Isa. 63. a *Psal. 92. a* *Psal. 103. a*

Pallium. Pallium Christi, iam dicta eius Ecclesia intelligitur. De quo in libro Geneseos scriptum est: Lauit in vino stolam, hoc est, in passionis sanguine carnem suam.

Gen. 49. b

Calceamenta. Calceamenta Domini nostri Iesu Christi, mystice significant incarnationem eius, quam ex mortalitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse dicit per Prophetam in Psalmis: In Idumæam extendam calceamentum meum, id est, in plebe Gentilium manifestabo incarnationem meam.

Ps. 107. b

Gressus. Gressus filij Dei, aduentus in mundum, & regressus eius ad Patrem. De quibus Psalmista ait: Visi sunt gressus tui Deus, egressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Ipse de cœlo venit in vterum Virginis. De vtero vero nascendo, positus est in præsepio. Postquã omnia impleuit, de quibus à Patre missus venerat, appensus est in ligno crucis. de cruce autem depositus secundum corpus sepultus est. Christi anima vero ad inferna descendit, tertia autem die per potentiam suæ diuinitatis carnem suã de sepulchro suscitauit, & post diem Resurrectionis suæ quadragesimo die, vidẽtibus Apostolis, ascendit in gloriã eius. Hi sunt enim egressus filij, qui ascẽdit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris. Iste est descensus, & ascensus eius, qui frequenter in sacris Scripturis legitur.

Psal. 67. c

Ascendere dicitur Deus, cum Filius carnem ex nobis assumptam in cœlum cum captiuis euexit, vt est reperire in Psalmo: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, quia naturam humani generis, quæ à diabolo in mundo captiua retinebatur, & assumens secum in cœlum, vbi numquam ante fuerat tamquam captiuam deportauit.

Psal. 67.

Abscondere, & ostendere Deus faciem, quomodo dicitur. Abscondere ab hominibus faciem suam Deus legitur, cum quibusdam eorum exigentibus culpis cognitionem suam abscondit. Sicut in populo Iudæorum nunc impletum videmus, qui negantes Filium Dei, scientiam veri Dei, ita perdiderunt, vt similes forent gentibus, quæ Dominum non nouerunt. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ, quibus vult, scilicet electis suis, seipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit.

Sedere. Sedere dicitur, non corporaliter humano more, sed potẽtialiter super omnem creaturam rationalem, vt est reperire in Psalmis: Regnauit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Sedere autem dicitur super Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ, per quod signantur sancti Angeli, siue mentes spiritualium virorum, in quibus inuisibiliter Deus sedet, & regnat. In illis enim sedet, qui scientia eius, & dilectione pleni sunt. Nam scriptum est: Anima iusti sedes sapientiæ est. Sapientia vero Dei Patris, Christus est, qui in animabus sanctorum Dei sedere dicitur.

Psal. 46. b *Psal. 79. a*

Descendere. Descendere Deus in mundum dicitur, quando aliquando nouum, quod ante non fecerat, in creatura humana operatur. Sicut Filius de Patre descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria Virgine propter redemptionem nostram suscepit: & homo verus fieri dignatus est, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat. De cuius descensione, id est, incarnatione, in Psalmo scriptum est: Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Cœlos inclinauit, quia aduentum suum prænuntians, Angelos siue Prophetas misit, qui eius aduentum hominibus annunciarent. Caligo sub pedibus eius, quia impij homines ob suam malitiam incarnationem eius agnoscere non potuerunt, nec adhuc possunt.

Psal. 17. a

Stare. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, & suam creaturam ad pœnitentiam & conuersionem patienter sustinet, vt est reperire in Habacuc propheta: Stetit, & mensus est terram, & dissoluit gentes, id est, stetit ad subueniendum, & dissoluit credentes in se à vinculis peccatorum.

Haba. 3. a

Transire. Transire dicitur Deus, cũ de cordibus quorumdam hominum, in quibus antea per fidem continebatur, postea subrepente perfidia, vel quolibet delicto, ab eis recedit, & ad alios transit, quemadmodum de Iudæis ad gentes, de hæreticis ad Catholicos. Sed & de quibuslibet irreligiosis, & negligentibus pro vitio suo recedere dicitur Deus, & ad alios transire: quod non localiter aut visibiliter, sed inuisibiliter, occulto iustoque iudicio, facere consueuit.

Ambulare. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transeundo, quia impium est ita credere, sed ambulatio eius est in cordibus sanctorum delectatio, sicut scriptum est: Et habitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus. Vel certe ambulare Dei est in sanctis prædicationibus suis de loco ad locum transire.

Leui. 26. b *2. Cor. 6. d*

Loqui. Loqui Dei, est inuisibiliter sine sono vocis, vel quolibet strepitu, occulte in mentibus sanctorum voluntatem suam, atque rectum intellectum inspirare, siue futura sicut in sanctis Prophetis reuelare. Quæ locutio Dei, vt quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subiectam creaturam, sicut ad Moysen in rubo in igne apparuit, vel sicut Abraham atque Iacob, & ceteris, quibus in Angelis apparuit. Secundo vero modo in somnis, sicut ad Iacob, & ad Zachariam prophetam, & ad Ioseph sponsum Mariæ, & alios sanctos, quibus secreta reuelare voluit. Tertio autem modo neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione inuisibiliter corda eorum tangendo, loquentes efficit, sicut in libris Prophetarum scriptum est, cum ibi Prophetæ subito afflati Spiritu sancto clamabant, dicentes: Hæc dicit Dominus.

Dei locutio tripliciter accepta.

Videre. Dei videre, est acta bona approbare, sicut est reperire in Genesi, vbi dicitur: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, id est, intelligentibus bona esse demonstrauit. Aliter videre Dei est, mala hominum, sciendo reprobare, sicut est illud in Isaia propheta: Et vidit Deus, & apparuit malum in oculis eius. Item aliter, videre Dei est nos videntes facere, vt est reperire in Psalmo: Proba me Deus, & scito cor meum, & cetera. Modus iste locutionis in libro beati Iob similiter reperitur, vbi de sapientia Dei patris postquam in figura locutus est de Deo patre, adiunxit, Tunc vidit illam, & enarrauit, & inuestigauit, & præparauit, id est, videntes fecit atque prædicantes, & inuestigantes, atque aliis annunciantes, & cetera.

Gen. 1. d *Isa. 59. c* *Psal. 138. d* *Iob 28. d*

Cognoscere. Cognoscere Dei est cognoscentes facere, sicut ait ad Abraham: Nunc cognoui quod timeas Deum. Neque enim in tempore nouit, qui scit omnia antequam fiant: sed cognoscere Dei dicitur cognoscentes facere, vt qui prius de se, quales essent, incogniti erant, per eius interrogationem & probationem, quales essent sibimetipsis, manifesti fierent. Tale est illud in lege Moysi de

Gen. 22. c

populo

Exo.16.b populo Israelitico. Tentabo eos, inquit, vtrum custodiant mandatum meum, an non.

Nescire. Matt.7.c Nescire dicitur Deus, quosdam reprobos reprobare, sicut & illud in Euangelio: Nescio vnde sitis. Recedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Zelare. Zelare dicitur Deus, cum creaturā suam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atq; flagellat, & flagellando ad se reducit. Vel zelare dicitur Deus, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus enim est, & ideo omnis iniustitia execrabilis est illi, quam, vt dictum est, nullo modo impunitam patitur.

Irasci. Irasci dicitur Deus nō animæ motu, vel qualibet perturbatione, quod illi omnino accidere non potest; sed creaturæ delinquenti, idest hominibus impijs, & peccatoribus iustam dicitur inferre vltionem, hoc est, reddere illis quæ merentur. Et hoc est vltio diuina, iste furor eius dicitur. B

Psal.6.a Pœnitere, & non pœnitere. Pœnitere dicitur Deus, non quod more hominum de transactis operibus pœniteat. Qui enim omnia nouit antequam fiant, pro suis prauis actibus pœnitere non potest. Sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius inchoatum est, in aliquid mutari, idest ex bono exigentibus culpis in malum, sicut de Saule legitur, pœnituisse Deum, quod constituisset eum regem, vel sicut nunc videmus in populo Iudæorū, qui cum esset populus Dei: ob impietatem suam factus est in Synagogam satanæ. De malo vero in bonum accidit in populo gentium, qui ante non populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei factus est. Hoc quippe modo, occulto Dei iudicio, Iudas Dei proditor de Apostolatus gradu lapsus, in inferni barathrum demersus est. Latro vero post crimen rapacitatis, de cruce ad Paradisum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, sicut dictum est, de malo ad bonum, quod occulto iustoq; iudicio Dei siue per seueritatem iustitiæ suæ, siue per misericordiam eius fiat, pœnitentiam Dei dicimus. Quod expressius in libro Hieremiæ prophetæ scriptum est. (1.Reg.15.c) C

Psal.109.b Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare, vt est illud in Psalmo: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, id est Pater ad Filium: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: Sacerdos Dei Patris dictus est Filius Dei, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionē & mortem in acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, vt ipse esset sacerdos qui & sacrificium. D

Obliuisci dicitur Deus, cum quibusdam impijs & peccatoribus non miseretur. Quod vtiq; non facit per crudelitatem, quæ in Deo non est, sed per occultum iustumq; iudicium suum.

Exod.7.a Indurare dicitur Deus quorundam corda malorum, sicut de Pharaone rege Ægypti scriptum est; non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere; sed exigentibus eorum culpis, cum duritia cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriunt, non auferunt, videtur quasi illos ipse induret, quod iusto iudicio indurati sunt.

Hier.31.e Dormire Dei est, cum vnigenitus Filius Patris in assumpta carne, pro nobis mori dignatus est. Cuius mors recte dulcis somnus prædictus est, ipso dicente per Hieremiam prophetā. Ideo quasi de somno excitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi. Aliter dormire dicitur Deus, cum fides eius inter prosperitates huius mundi, & intra quorundam corda fidelium non vigilat, sed dormit. Hanc dormitionem ipse Iesus significauit, cum in mari inter fluctus maris dormiuit. Vel certe dormire, est anxijs tarde subuenire, sicut est in Psalmista: Exurge, quare obdormis Domine? Vigilare Dei, est in defensionem suorum electorum, & vltionem inimicorum, se manifestum demonstrare. E (Mar.4.d; Psal.34.d)

DE SEX ALIS CHERVBIM TRACTATVS

QVI TAMEN AB ALIquibus Alano adscriptus fuit.

Hoc modo prænotatur Opusculum istud in omnibus impressis. Alanum autem de Insulis Ioannes Trithemius in suo de scriptoribus Ecclesiasticis catalogo, eius auctorem agnoscit, & Opusculum, De sex alis Cherubim inscribit. Cuiuscunque vero auctoris, sit continet breuem & sanam doctrinam de copunctione, confessione, satisfactione, carnis munditia, mentis puritate, Dei & proximi dilectione.

PRIMA ala est confessio. Confessio duplex est. Est enim confessio laudis, iuxta illud: Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in æternum misericordia eius. Et est confessio criminis. Vnde dicitur: Confitemini alterutrum peccata vestra. (Psal.117.a; Iac.5.d)

Hæc confessio peccati accusatoria manifestatio est. Hæ propriæ infirmitatis, & ignorantiæ, & malitię, compungente conscientia lugubris enarratio est.

Huius alæ penna prima est veritas; quæ omnem excludit simulationem. Vera namq; non ficta; non simulata debet esse confessio.

Secunda penna integritas est; quæ decurtationem excludit & diuisionem. Integra enim debet esse confessio, non decurtata, non diuisa. Decurtatio aliquid occultat, reseruat enim sibi, quod pœnitet peccasse, sed non omnino. Aliquid enim retinet, in quo homines delectentur. Sed infidelis impietas est, ab illo, qui iustus, & iustitia est diminutam sperare veniam, sed & vulnus vnum sufficit ad mortem. Diuisio autem omnia, sed non vni reuelat. Quidam enim sunt vt ait beatus Augustinus, quos omnino pœnitet peccasse, sed verecundia ducti, diuidunt apud se confessionem; vt diuersa diuersis sacerdotibus velint confiteri, & quæ vni celant, alij manifestanda conseruant, quod est quodammodo laudare se, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, quam per frusta putant inuenire. Omnia igitur, & vni præsertim criminalia confessione reuelanda sunt: nec solum actiones prauæ, sed & circumstantiæ earum, idest locus, tempus, modus, numerus, persona, & si qua sunt similia non negligenter reticenda, sed diligenter per confessionem explicanda sunt. Multa namque inter locum & locum, tempus & tempus, modum & modum, numerum & numerum, personam & personam distantia est. Consuetudinis quoque perseuerantia quæ ad tempus respicit, numerique multiplicatio Dei patientiam exacerbat, diuinamque in se prouocat vltionem. In persona autem sexus, ætas, scientia, conditio, necessitudo, & ordo studiose pensanda, & expresse manifestanda sunt. Qui confitetur, in singulis immoretur. (Aug. lib. de vera, & fal. pœnit. c. 15.10.4.)

Tertia penna est firmitas, quia fortis & firma debet esse confessio. Hęc firmitas decem; quæ confessionē impediunt, expellit. Quæ sunt illa: Pudor, timor, contemptus presbyteri, desperatio, præsumptio, peruersitas, ignorantia, obliuio, negligentia, & necessitas, quæ sola excusabilis est. Pudori autē fortitudinis virtus, periculi quod immineret, nisi reuelentur peccata, necessitatem pensans, viriliter resistat. Timorem vero, quem pœna iniungenda incurrit, patientiæ fructus expellat. Cōtemptum quoque presbyteri reuerentia, veneratio, & dile-

ctio Christi vicario debita, penitus euacuet. Desperationem etiam diuinæ misericordiæ benignitas excludat. Præsumptionem autem diuinæ iustitiæ districta seueritas extirpet. Peruersitatem vero fidei ratio exterminet. Sed & ignorantiam prouidentia deuitet, obliuiones tenebras viarum & operum studiosa perscrutatio, & in memoriam reuocatio illustret. Torporem autem & negligentiæ teporem feruor spiritus euellat, & destruat. Necessitatem vero nulla omnino præueniat negligentia.

Prou. 3. d Quarta penna est humilitas, quæ typhum superbiæ excludit. Mens humilis, lingua humilis, vultus humilis debet esse confitentis. Superbis enim Dominus resistit, Iac. 4. b humilibus autem dat gratiam.

Quinta penna est simplicitas. Hæc propriam infirmitatem, propriam ignorantiam, propriam accusat malitiam, nihil defendens, nihil excusans, nihil attenuans. B vera igitur, integra, firma, humilis & simplex debet esse confessio. Vera sine simulatione, integra sine diminutione, firma sine titubatione, hæsitatione, & desperatione, humilis sine iactantia, sine præsumptione, & sine alterius comparatione, simplex sine defensione, & sine excusatione. Hæc est prima ala cum pennis suis.

De compunctione cordis.

Confessionem sequitur satisfactio, has duas alas format & creat compunctio. In omni actione pœnitentię hæc tria probantur esse necessaria, nempe compunctio, confessio, & satisfactio. Compunctio autem turbat, confessio accusat, satisfactio confortat. Compunctio morbi occasionem inuestigat, confessio manifestat, & satisfactio curat. Compunctio mala enumerat, confessio condemnat, & satisfactio emendat. Compunctio apostema pungit, confessio saniem exprimit, & satisfactio cataplasma apponit. Compunctio vulnus inuenit, confessio aperit, satisfactio vero sanitati restituit. Compunctio autem est cordis contritio, sed quæ alligat contrita animæ amaritudo, & quæ miræ dulcedinis suauitatem generat. Scriptum est: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & alibi: In cubilibus vestris compungimini. Compunctionem duplex causa creat, timor scilicet & spes. Timor causa inchoatiua est, spes vero consummatiua. Timor, quam mire homo à creatore suo sit conditus, quam gratuito nutritus, quam in substantia rectus & in conditione ditatus, cæteraque bona, quæ conditor ei contulerit, & quæ ipse bonis ipsius mala rependerit, subtiliter enumerat. Si contra districtum est iudicium, animam turbat. Timor igitur culparum, modum & numerum examinans, iustitiæ quoque diuinæ rigorem, districtionemque iudicij futuri attendens animum pungit, & pungendo peccatum expellit. Vnde hæc timori, virtus expulsiua; hanc præstat, & corroborat spes confortatiua. Vanus enim timor est: quem non fiducia firmat. Timentibus Deum nihil deest. Si spes defuerit, nihil boni adest. Scriptum est: Quam magna multitudo dulcedinis, &c. Perfecisti eis, qui sperant in te. Nulla tamen erit, nisi à spe fuerit propinata. Est igitur contritio cordis ex timore, fructus autem laboris est spes. Sed vnde spei via confortatiua? ex promissione diuina. Audi scripturam: Spera in Domino, & pasceris in diuitijs eius. Item, Sperabo in Domino, & ipse faciet. Item. Non deserit Dominus sperantes in se. Item. Beati omnes qui confidunt in eo. Si ergo times vt puniaris, spera in Domino vt ei reconcilieris. Si times Deum, quia potest perdere in gehennam; spera in eo, quoniam non vult mortem peccatoris. Si times, quia sapiens nouit abscondita, spera, quia illuminabit abscondita tenebrarum. Si times, quia nihil impunitum relinquit; spera, quia redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Quemadmodum igitur timor compunctionis præuenit & comitatur virtutem, ita spes prouehitur & ad fructum recociliationis perducit. Per timorem ergo, compunctio suscitatur. Per spem, optatæ reconciliationis gratia meretur. Ait enim: Quacunque hora ingemuerit peccator, saluus erit. Gemitum tamen timor importat, salutem promeretur spes. Quid ergo, & vnde, & ad quid sit cordis compunctio, breuiter declaratum est.

(Ioel. 2. c; Psal. 4. a; Psal. 30. d; Psal. 36. a; Iudit. 13. c; Psal. 2. c; Ezec. 28. b; 1. Cor. 4. a; Psal. 129. a; Ezec. 33. c)

De secunda ala.

Satisfactio est iniunctæ pœnitentiæ expletiua executio, vel peccatorum condigna correctio, secundum namque qualitatem delicti mensura correctionis pensanda est. Agite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Aliud est enim ipsa pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ. Sicut aliud est arbor, & aliud fructus eius, sic aliud est pœnitentia, aliud fructus eius. Pœnitentia est dolor præteriti, quando doles te fecisse quod malum est. Quando ergo improbas & damnas mala tua, pœnitentiam habes. Si displicet tibi quod fecisti, pœnitentiam agis. Pœnitentia est facti improbatio, fructus pœnitentiæ est delicti correctio. Sed quia pro mensura delicti, correctionis mensura pensanda est, ideo fructus pœnitentiæ dignos facere oportet. Sed si in correctione minor est afflictio: quam in culpa delectatio fuerit, non est dignus fructus pœnitentiæ tuæ. Sed dicis mihi, quomodo scire possim, quando condigna sit pœnitentia mea? quia hoc scire non potes, ideo necesse habes semper pœnitere. Satis facere potes, nimis facere non potes, melius est vt plus facias, quam minus. Idcirco sollicitus esto, satage, da operam, studium impende, vt culpa sit cum fine, deuotio sine fine; tamen vt aliquando peccatrix conscientia consoletur, positus est C modus & mensura pœnitentiæ exterioris, vt illa expleta vel perfecta, fiduciam habere incipias, & facta quadam præsumptione in spe misericordiæ, de indulgentia & remissione peccatorum confidas, & tanto verius, quanto vtique sincerius iniunctam, pœnitentiam expleueris.

(Matt. 3. b; Luc. 3. b)

Huius alæ penna prima est peccati abrenuntiatio, quæ claudit ianuam diabolo. Peccatis abrenuntiare, est à malo declinare. Declina, inquit, à malo vanitatis, à malo iniquitatis, à malo malignitatis, & à malo impietatis, iuxta illud Psalmi: Non sedi cum concilio vanitatis & cum iniqua, &c. Odiui ecclesiam malignantium, &c. Hæc quattuor vitia quattuor generant affectiones, scilicet amorem sui, amorem mundi, fraternum odium, & remissum amorem Dei. Prima affectio vanitatem, secunda iniquitatem, tertia malignitatem, quarta vero D generat impietatē. Vanitas in se reciprocatur. Iniquitas reflectitur in proximum. Malignitas in fratrem extorquetur. Impietas in Deum extenditur. Vanus & vecors est, qui quærit quæ sua sunt; iniquus, vt in multitudine diuitiarum suarum glorietur, & auaritiæ saccum impleat, quæ proximorum sunt, vi & dolo sibi asciuerit vel acquisiuerit. Malignus, qui etiam cum non possit nocere, cupit. Impius, qui Deum vel non credit, vel si credit, contemnit.

(Psal. 36. c; Psal. 25. b)

Secunda penna est lacrymarum effusio: hæc peccatorum vulnera lauat & mundificat.

Tertia penna est carnis maceratio: hæc vulnerum loca tergit & siccat.

E Quarta penna est eleemosynarū largitio: hæc alligat contrita, fracta consolidat, & omnia sanat.

Quinta penna est orationis deuotio: hæc sanat & conseruat.

De tertia ala.

Tertia ala est carnis munditia, Caro munda est, quam non coinquinat luxuria. Luxuria omnium virtutum eradicat germina.

Huius alæ penna prima est visus pudicitia, hæc petulantiam excludit, hæc circumdat oculum, ne concupiscat alienum, ne videat ad concupiscendum mulierem. Cuius ergo erga feminarum formas lasciuus & curiosus oberrat aspectus, iste & mente est impudicus.

Penna

Penna secunda est auditus castimonia. Castæ sunt aures, quæ voces non recipiunt obtrectantis, maledici, & blasphemi verba non audiunt, falsis criminationibus, mendacio, irritationi, impudicis canticis, & dextralibus non patent, obdurantur, & clausæ sunt, ne iudicium sanguinis audiant. Nihil obscœnum recipiunt, sed ab omni cœno corruptionis auersæ sunt.

Tertia penna est olfactus modestia. Siqui odorem capit bonum, & operibus misericordiæ suauitatis odorem requirit, huius modesta est odoratio. Qui vero primis vnguentis delibutus incedit, huius odoratus non virtutis sed fœtoris spirat odorem. Huius enim suauitatis odor immanissimi vitij fœtor est.

Quarta penna est gustus temperantia, hæc gulæ & ebrietatis subruit immoderantiam. Væ illis, quorũ Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, &c. Vnde Gregorius: Dum venter à satietate non restringitur per concupiscentiam carnis, simul omnes virtutes obruuntur. Vnde legitur, quia princeps cocorum destruxit muros Hierusalem. Muros Hierusalem princeps cocorum destruxit, quia animæ virtutes dum ventri indulgetur, periclitantur. De crapula & ebrietate Dominus ait: Videte, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & superueniat in vos dies repentina. Ebrietas est parens litium, furoris mater, & petulantiæ deformis est magistra. Hanc qui habet se non habet, hanc qui habet, homo non est, hanc qui habet peccatum non facit, sed ipse est peccatum. Ebrietas est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebrosa honestatis iniuria. hanc nullus nouerit Christianus.

Phil.3.d — *4.Re.25.c secundum Græcam editionem.* — *Luc.21.g*

Quinta penna est tactus sanctimonia, peccati sordes ne contrectet manus Christiani, nihil immundum tangat caro eius si tetigerit. Si singula quæque membra in officijs mandatorum Dei deseruiant, munda dicenda sunt. Si vero vltra præscriptas, siue diuinitus datas luxuriant leges, immunda dicenda sunt vel reputanda, & hæc pudenda sunt. Et hoc puto esse, quod Apostolus dicit: Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitię in sanctificationem. Sit ergo oculus pudicus, auris casta, odor modestus, gustus sobrius, & tactus sanctus, &c.

Rom.6.c

De quarta ala.

Ala quarta est puritas mentis. Huius alę pennæ prima est affectus sinceri rectitudo. Affectus desiderij tui sit rectus, & sit sincerus. Rectus erit, si id appetas, quod appetere debes: sincerus vero, si eo modo quo honestatis virtus suadet. Amnõ sororem suam dilexit. Affectus amoris rectus fuit; sed quia non eo modo quo debuit sororem dilexit, ideo affectus iste sincerus non fuit.

2.Re.13.a

Penna secunda est mentis in Domino delectatio. Scriptum est: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Hanc pennam creat & format virtus contemplationis. De hac Dominus dicit: Maria optimam partem elegit, &c.

Psal.36.a — *Luc.10.g*

Tertia penna, est munda & ordinata cogitatio nihil immundum mens concipiat, sed & mundam conceptionem loco & tempori accommodet discretio.

Quarta penna, est voluntatis sanctitudo. Angeli pacem de cælo detulerunt hominibus bonæ voluntatis. Non est pax impijs, dicit Dominus. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est, &c. O quam desiderabile est nomen pacis, quam firmat religionis Christianæ stabile fundamentum. Bene autem cum diceretur, Gloria in excelsis Deo, adiunctum est: Et in terra pax hominib. bonę volũtatis; quia cum illis Angeli societatem habere festinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis inesse considerant. Illos secum post absolutionem carnis, ad contemplationẽ veræ pacis subuehere lætantur, quos in carne commorantes, omnia quæ agunt aut loquuntur de radice bonæ voluntatis proferre conspiciunt. Tales namq; & si infirmitas forte aliquando vel ignorantia, à perficienda bona operatione quam cupiunt, retardant; tamen ante summi arbitri oculos, integritas quam vel corde vel mente tenet bona voluntas, eos excusat.

Isa.48.d — *Psa.118.x* — *Luc.2.b*

Quinta penna est simplex & pura intentio. De hac Dominus dicit: Si oculus tuus nõ fuerit simplex, totum corpus tuum tenebrosum erit. Per oculum intentionem per corpus signat actionem. Locus enim iste Euangelij sic intelligendus est, vt nouerimus, omnia opera nostra non esse munda & placere in conspectu Dei, nisi fiant simplici corde, id est intentione superna, siue oculo charitatis, quia plenitudo legis charitas. Oculum igitur debemus hic accipere ipsam intentionẽ, qua facim⁹ quidquid facimus, quæ si simplex & pura fuerit, & illud aspiciens quod aspiciendũ est, omnia opera nostra, q̃ secundũ eam operamur, necesse est vt bona sint. Quę opera omnia totũ corpus appellauit, quia Apostolus dicit membra, quædam opera quæ improbat, & mortificanda præcipit. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationẽ, immunditiam, auaritiã, & cetera talia mala. Non ergo quid quisq; faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Fructus n. operis totus consistit in simplicitate intentionis. Quidquid igitur gerendum esse cogitatio nostra suggesserit, omni scrupulo retractantes, atq; in nostri pectoris trutina collocantes, æque liberatione iustissima perpendamus, an plenum sit honestate communi, an Dei timore sit graue, an integrum sensu, an humana ostentatione, an aliqua voluntatis præsumptione sit leue, an meriti eius pondus inanis cenodoxia non imminuerit, vel arriserit gloria, & sic ad examen publicum trutinantes, id est, ad prophetarum & Apostolorum actus, & testimonia conferentes, vel tamquam integra atq; perfecta, & illis compensanda teneamus, vel tamquam imperfecta atq; damnosa, nec illorum ponderi consonantia omni cautione atque diligentia refutemus.

Mat.6.e — *Rom.13.c* — *Coloss.3.a*

De quinta ala.

Quinta ala dilectio proximi est. Huius penna prima est, nulli nocere verbo, vel opere. De qua scriptum est: Quod non vis tibi fieri, ne facias alteri. Hanc pennam format virtus innocentiæ. Innocens est, qui etiam cum possit, nulli vult nocere. Quis ascendit, inquit, in montem Domini? Innocens manibus. Quis innocens manibus? Qui non fecit proximo suo malum. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. Quis est iste malignus, nisi diabolus: Qui nulli vult nocere, tempore excluso motum primũ sentit amoris.

Psal.23.a

Penna secunda est, omnibus prodesse verbo vel opere. Frater fratrẽ adiuuans, ciuitas munita, & fortis. Hanc pennam suscitat, & prouehit in culmen perfectionis, quæ nulli nescit condescendere virtus misericordiæ. Beati, inquit, misericordes. Qui omnibus studet prodesse, viuum calorem veri spirat amoris.

Prou.18.c — *Matt.5.a*

Tertia penna est, rerum propter amicum consumptarum detrimenta non tantum non deflere, sed libertatis fortitudine non sentire; de beneficiorum in vsus fratrum collatorum magnitudine semper gaudere in corde. Qui sentit, computator est, non largitor. Qui non gaudet, dolet. De hac penna scriptum est: Qui negligit damnum propter amicum iustus est, iter autem auari decipiet eum.

Prou.12.d

Quarta penna est, animam pro fratre ponere. Quid est animam ponere pro fratre? pro temporali etiam proximi salute propriam voluntatem deserere, & in articulo necessitatis pro æterna salute fratris mortis discrimina lubenter subire. De hac scriptum est; Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animã suam ponat quis pro amicis suis. Maior non ebulliret feruor amoris.

Ioan.15.b

Quinta penna est in his perseuerare. hanc perficit virtus perseuerantiæ; finis non pugna coronat. Qui perseuerat, cessare nescit.

De sexta ala.

SExta ala est dilectio Dei. Hæc, vt aliæ, quinq; pennas habet.

Primam harum habet qui aliud quàm Deum non concupiscit. Hæc est mobile huius amoris.

Secundam pennam habet, qui propter Deum sua distribuit, qui partem retinet, partem vero tribuit. Hæc est calidum huius amoris.

Tertiam pennam habet, qui propter Domini amorem nihil sibi reseruat, sed omnia relinquit. Hæc est acutum huius amoris.

Quartam pennam habet, qui propter Deum seipsum abnegat. Seipsum abnegat, qui suam deserit, vt Domini solam faciat voluntatem. Hæc est feruidum huius amoris.

Mat. 10. c Quintam habet pennam, qui in his perseuerat. Qui perseuerauerit, inquit, vsq; in finem, hic saluus erit. Hæc est incessabile huius amoris. Hæc sunt alæ de quib. Psalmista ait: *Psal. 16. a* Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Item: *Psal. 56. a* In vmbra alarum tuarũ sperabo, donec transeat iniquitas. Hæ sunt pennæ de quibus idem Psalmista ait: *Psal. 54. b* Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & requiescam. Volabo, inquit, terrena deserens, cælestia appetens; & requiescam, vera libertate, æternaq; fruens beatitudine. Amen.

SANCTI BONAVENTVRÆ EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

Opusculum.

DE MODO CONFITENDI, ET de puritate conscientiæ.

Tractatus iste de puritate conscientiæ inter Opuscula Sancti Bonauenturæ impressus fuit Argentinæ anno Domini M.CCCC.XCV. *& etiam in editione Veneta anno* M.CIↃ.LXXIV. *Sed in Opusculis quoque S. Thomæ recensetur in editione Romana sub Pio Quinto Pontifice: & Ioannes Trithemius sanctum Thomam Aquinatẽ eius auctorẽ agnoscit. Verum Ioannes Gerso Parisiensis Cancellarius pri. parte Opusc. in Opusculo de pollutione diurna propositione 12 in fine S. Bonauenturæ tribuit, his verbis:* Item tractatus, quem ascribunt aliqui S. Thomæ: sed magis apparet ex stylo, & materia, quod sit Bonauenturæ. Qui incipit: Quoniam fundamentum, & ianua. Et est valde vtilis. *Hæc Gerso. Cuiuscunque autem opus sit, legitimæ confessionis conditiones continet doctè & breuiter expressas: necnon quomodo conscientiæ puritas seruetur.*

QVONIAM fundamentum, & ianua virtutum, omnisque gratiæ spiritualis consolationis principium est conscientię puritas, ac cordis munditia; ad quam principaliter, & præcipue, per puram, & veram, ac integram & perfectam confessionem peccatorum acceditur: nobis qui vocati sumus ad statum gratię, & ad acquirendas virtutes, ac vitanda vitia de sufficienti confessione, ac modo confitendi, vt decet viros ad statum perfectionis electos, cum summa diligentia, & sollicitudine continua, præ cæteris mortalibus principaliter est videndum.

CAPVT I.

Quod plena, pura, & integra debeat esse confessio.

EST igitur primo videndum, quod confessio debet esse pura, quia peccata debent simpliciter dici absque duplicitate, & excusatione, sicut homo credit ea manifesta esse coram Deo: nec debent verba dici palliantia, aut cooperientia, vel minuentia peccatum, sicut faciunt multi magnas phylacterias, & historias longas dicentes antequam peccatum explicent, vt sic per illas ostendant se minus culpabiles de peccato. quod quidem peccatum in fine illorum verborum superfluorum excludant. Vitanda sunt igitur superflua, & excusatoria verba: sed pure dic peccata tua, & simpliciter te accusa. Similiter non debet dici, quod cadat in infamiam alicuius, aut quod possit præbere confessori occasionem turbationis contra aliquem, aut materiam contemnendi. Vnde si expediret nominare peccata alicuius confitendo propria; tunc taliter explicentur, quod confessor nullo modo possit intelligere personam, cum qua peccasti, nec possit venire in notitiam complicis in peccato. Sicut si dedisti Petro occasionem peccandi, cum peccauit, non debes nominare ipsum: sed sufficit tibi dicere: Fui causa committendi peccatum tale cuidam personæ.

Vera. Confessio debet esse vera, ita quod nulla falsitas dicatur scienter, nec aliquod dubium affirmetur: sed certa, vt certa, dubia, vt dubia sunt dicenda. Et ideo cum confiteris, non dicas: Dico culpam meam, si feci tale quid, aut si dedi materiam turbationis tali, aut fecissem tale peccatum si potuissem: sed dic simpliciter: Feci sic, & sic, & aperui sic, & sic, & habui voluntatem deliberatam faciendi tale peccatum, & non dimisi, nisi quia non potui, vel quia nesciui, vel quia timui verecundiam, aut pœnam temporalem.

Sunt tamen quidam qui nescientes, aut verecundantes, aut non curantes specificare peccata; aperte mentiuntur in confessione, quam faciunt, dicendo quædam ad quandam cautelam, quibus comprehendant peccata omnia, quæ fecerunt. Dicunt enim: Dico culpam meam de quinq; sensib. meis male custoditis scilicet visu, auditu, gustu, &c. & tamẽ si interrogarentur de quolibet per se inuenirentur non in quolibet offendisse prœmissorum, maxime postquam confessi fuerint. Et sic dicunt etiam de septem vitijs capitalibus, cum tamen non offenderint in omnibus, sicut sonant verba eorum. Talis ergo modus, maxime ab his, qui sæpe confitentur, est vitandus, sed dicant vera, & necessaria, & dimittant falsa, & superflua.

Similiter ante confessionem diligenter seipsos examinent, & dicant primo omnia vitiosa, & grauia, quæ pro certo nouerint fecisse, ita quod sub humilitatis specie, aut causa quacunq; nullatenus mentiantur. Sed postea possunt dicere generalia, & leuia, quæ non possunt specialiter explicare, sicut sunt cogitationes otiosæ, verba otiosa, negligẽtia, pigritia circa orationem, amissio temporis, distractio cordis in dicendo horas, vel orando, ingratitudo beneficiorum Dei, superflua cura de corpore, & de rebus temporalibus, turbationes leues contra proximum, iudicium leue alieni cordis, despectio proximi quo ad personam, mores, siue vitam, non contentari de omnibus, quæ Deus fecit, aut facit, aut fieri permittit, & his similia: quæ cum sint ineuitabilia, ab anima infirma non possunt in numero declarari, sed potius expedit ea quotidie delere cum lacrymis, aut per ipsa infirmitatem animæ recognoscere, & in humilitate debita permanere.

Integra. Confessio debet esse integra, vt omnia peccata, quæ habes in memoria, aut quæ oblitus fueras confiteri, & modo recordaris integre confitearis: nec dicas partem vni confessori, & partem alteri, quia nullo modo debet diuide-

diuidere confeſſionem. Hoc faciunt illi, qui timent deſpici à confeſſore, vel reputari minus boni, plus timentes humanam verecundiam, quam diuinam offenſam, & plus amantes laudem extrinſecam, quam intrinſecam pacem mentis, & conſcientiæ puritatem. Similiter ſi oblitus es, quando confiteris aliqua peccata, & poſtea die ſequenti, vel alia recordaris, ſi potes, debes recurrere ad eundem confeſſorem, vt confitearis ſi potes habere copiam, aut ad alium, alioquin ſufficit tibi bona voluntas. Quod ſi non ex obliuione, ſed ex malitia, ac verecundia oblitus es, vel omiſiſti confiteri aliquod peccatum, teneris recurrere ad primum confeſſorem. Et ſi vis recurrere ad alium, teneris confiteri omnia peccata prius cōfeſſa, & illud quod prius omiſeras, & omnia, quæ poſtea commiſiſti à prima confeſſione facta, & teneris confiteri de mendacio, aut ſimulatione quam commiſiſti: quia dediſti intelligere confeſſori tuo, quod primo integre confeſſus fuiſti.

CAPVT II.

De peccatorum circumſtantiis.

Confeſsio debet eſſe plena. Locus.

ITem confeſſio debet eſſe plena, quia debet continere circumſtantias aggrauantes peccata, quæ ſunt locus in quo peccas, quia grauius eſt peccare in Eccleſia, aut in loco ſacro, quā in domo, & grauius eſt cogitare aliquod inhoneſtum, quando dicis Miſſam, vel officium, vel quando oras, quam quando ſcribis. Et grauius eſt reſpicere, vel tangere animo impudico corpus hominis ſub pannis quam manum, vel pedem, quia magis libidinoſa delectatio eſt ibi, & ſic facias differentiam inter locum, & locum.

Tempus.

Tempus, in quo peccas, quia grauius eſt caueri à Miſſa, vel otiari in die Dominico, vel feſto ſolemni, quam in die alio ſimplici. Et grauius eſt quodcunque peccatum in magna ſolemnitate, quam alio tempore. Et grauius eſt non vacare orationi, vel eſſe diſſolutum in lingua, vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare, & die quo homo communicat, quam in alio tempore.

Coram quo.

Grauius eſt dicere, & facere aliquod coram eo, qui poteſt ex hoc ſumere occaſionem peccandi, quam illud dicere, & facere occulte. Et grauius eſt ſimulare ſe eſſe patientem, habendo iram in corde, quam oſtendere ſe eſſe turbatum, ſicut eſt, non dando tamen alicui per hoc turbationis, vel mali exempli occaſionem, vt dicit Gregorius. Et ideo non ſufficit dicere: Fui iratus de verbo mihi dicto; ſed debet dicere, & addere: Simulaui me eſſe patientem in verbis, & ſignis exterioribus, vt reputarer humilis, vbi eram ſuperbus, ita quod cū illa ſimulatione, addidi mendacium ad iram, quam occultaui. Adhuc grauius eſt tangere Bertam oſculando, quam ipſam in eodem loco tangere cum pede: quia iſte modus tangendi eſt magis impudicus. Vnde non ſufficit dicere Tetigi Bertam impudice, ſed oportet dicere locum corporis quem tetigiſti, ſcilicet manum, vel pectus, ſupra pannos, vel ad nudum, & dicas modum, ſcilicet cum ore, manu, vel cum pede, &c.

Mora.

Quoniam ibi maius eſt peccatum, vbi maior mora trahitur, ſiue ſit delectatio corporalis, ſiue mentalis, ſiue iram, ſiue odium teneas per menſem, aut annum. Et diligenter eſt mora examinanda in peccato cogitationis, quia videndum eſt, ſi in ipſa mora, ratio ſuccumbat ſenſualitati, conſentiendo in opus voluntate deliberata ſi poſſet, & tunc non eſt minor culpa, quam ſi peccatum opere perfeciſſet, quia ſic volūtas pro facto reputatur. Si autem ſuccumbat ratio conſentiendo in delectatione ſenſualitati tantum, ita quod non vult in opus procedere, ſed vult tantum interius in delectatione voluptuari, tunc licet ibi nō ſit plenus conſenſus, tamen eſt ibi peccatum mortale, ſicut dixit Auguſtinus, ſed eſt minus graue, quam primum, vbi eſt conſenſus in delectationem, & in opus. Si vero in neutrum conſentit, ſed ibi facit moram inuite, quia ſcilicet neſciuit, vel non poteſt expellere, tunc dicat occaſionem datam. Quamuis hęc ſentētia ſatis dura locum habeat in peccatis carnalibus; poteſt etiam notari in homicidio, & in aliis multis peccatis. Quidquid autem ſit, expedit conſcientiæ mundæ facere prædictam examinationem in quibuſcunq; cogitationibus vitioſis, moroſe multum protractis.

Quoties.

Nam grauius eſt facere quodcumque peccatum corde, aut aliquo ſenſu corporis bis quam ſemel. Et ideo ſi potes recordari, debes ſpecificare vices cogitatiōnum malarum, aut motus libidinoſos in carne, & voluntatem faciendi aliquod peccatum, aut quotiens iteraſti reſpicere in faciem alicuius, propter delectationem viſus, aut quotiens turbaſti aliquem, aut murmuraſti, & ſic de aliis. Quod ſi non es memor de numero, dic bona fide, ſecundum quod iudicas te totiens iteraſſe peccata. Et attende quod cogitationes leues, & leuia verba non ſunt numero explicanda: niſi eſſent occaſiones alicuius grauis peccati, vel vitij, aut eſſent de ſe in aliquo genere ſeptem vitiorum capitalium. Si tamen propter aliquam cogitationem leuem haberes nimis longam diſtractionem mentis in oratione, vel pſalmodia, credo quod bonum eſſet explicare ſi eſſes memor propter magnum diſpendium quod facit. Si etiam propter aliquod verbum ſolatioſum, vel leue aliquem turbaueris, aut oriretur aliqua mala ſuſpicio, aut aliquod malum, tunc debet ſpecificari, propter malum ipſius effectus, ſic quod talia otioſa, & leuia ſunt ſpecificanda, quādo propter ea incurritur aliquod graue vitium, vel delictum, aut datur alicui materia peccandi. Sufficit ergo dicere ſimul omnes diſtractiones mentis habitas in oratione, & in officio propter cogitationes leues; ſic dicēdo: Dico meam culpam de nimia diſtractione, & mentis vagatione, quam habui in oratione, audiendo Miſſam, & dicendo horas, propter cogitationes inutiles, & otioſas, in quibus cor meum nimis occupaui, ſic quod ibi non fui intentus, vt debui & potui. Cogitationes autem vitioſæ procuratæ, & cum delectatione receptæ, omnes ſunt explicandæ quantum poteſt homo, quantum ad qualitatem, moram, & vices, vt ſupra dictum eſt. Cogitationes vero quantumcunque malæ & vitioſæ, quæ non ſunt ſtudioſe procuratæ, nec non delectatione receptæ, nec cum mora ſeruatæ in corde, nec dediſti occaſionem veniendi propter cibi, & potus intemperantiam, aut propter occaſionem, ſed ſubito venerunt, & receſſerunt, & diſplicentiam habuiſti in illis, & ſtatim quando ſenſiſti, vt potuiſti, expuliſti, aut expellere procuraſti, occupando te in lectione, aut in meditatione ſancta, tales dico non ſunt confitendæ, quia non ſolum in iſtis homo non offendit, ſed multum meretur, tamquam pugil, pugnator, & victor. Vnde Hieronymus: Ille prædicatur beatus, qui ſtatim, vt cœpit cogitare, cogitatus interficit, & allidit ad petram Chriſtum. Sed hodie quidam tales cogitationes confitentur potius ad laudem, & vanam gloriam, vt confeſſor reputet ipſos ſpirituales. Cum tamen talia eſſent occultanda, & etiam in confeſſione tacenda, quia ſolum confitens debet ſe oſtendere ſimpliciter peccatorem. Vnde tales ſunt theſauri Dei latrones, quia vanæ gloriæ appetitores. Et ideo pœna latronum ſunt puniendi. Nam de talibus cogitationibus quibus ſic reſiſtitur, dicit Apoſtolus, quod Deus facit cum tentatione prouentum, Quod dicit, quia homo talibus reſiſtendo meretur, & ideo intelligo, quod digni ſunt ſuſpendio, quia ſub ſpecie charitatis, aut petēdi conſilii, aut alterius cauſæ coloratæ, quæ ſoli Deo ſunt aperta manifeſtant, & aperiunt malitioſe, & ſub dolo.

1. Cor. 10.

CAPVT III.

De motu vanæ gloriæ.

Peccatum vanæ gloriæ caute confitendum.

QVia grauius eſt habere vanam gloriam de gratia ſpirituali à Deo recepta, quam de opere hominis manua-

manuali. Vnde confiteri habes de vana gloria, aut spirituali, aut corporali. Et grauius est dolere de bono spirituali alterius, quam de bono corporali ipsius, quia primus dolor est de inuidia fraternæ gratiæ, quæ est peccatum in Spiritum sanctũ, quod est irremissibile. Secundus dolor ex simplici procedit inuidia: & ideo non sufficit dicere: Dolui de bono alterius propter inuidiam: sed debes specificare si de bono spirituali, vel temporali. Et eadem ratione, grauius est gaudere de spirituali damno proximi, sicut de peccato quod fecit, aut de ipsius infamia, aut quia misit Dei gratiam, quam habebat, quam gaudere de temporali damno hominis. Cauendum tamen est, qualiter confitearis peccatum prædictum vanæ gloriæ de gratia spirituali, ne forte incurras maiorem gloriam vanam, in confitendo primum defectum. Nam dando intelligere confessori, quod habuisti vanam gloriam, quia fuisti visus orare, vel in Missa plorare, vel laudatus, quod bene prædicaueras, ex hoc potes incurrere vanam gloriam, siue peccatum vanæ gloriæ, quod confessor ex hoc te reputet spiritualem. Debes igitur caute explicare tuo confessori, gratiam tibi à Deo datam in oratione lacrymis & huiusmodi. potes tamen dicere: Dum dicerem, vel audirem Missam, vel prædicarem, feci actum aliquem, propter quem personæ aliquæ me videntes, cogitaui quod crederent me habere aliquam spiritualem gratiam. Et quia in ipsa cogitatione habui complacentiam, & consensum, nec dolui, ideo me accuso: vel sic: Appetiui quod aliqui crederent me habere, cum non haberem; & ad hoc credendum, feci aliquos actus simulatorie. Et idem intelligas de alijs peccatis. Similiter caute confitearis vanam gloriam, quam habuisti exercendo aliquos actus virtuosos. Sufficit enim tibi non explicando dicere: Feci aliquem actum, propter quem appetiui non tantum laudem Dei, sed potius hominum, quia non solum volui reputari ab illo cui feci, vel dixi quoddam bonum, sed vt aliis publicaretur. Et nota quod cogitationes de vana gloria non sunt confitendæ, nisi quando est ibi complacentia, & consensus, & delectatio morosa. Si autem statim quando veniunt, cognoscis ea non debere venire, & ex hoc non statim displicet tibi quod veniunt, ac per hoc statim recurris ad Deum, vt eas expellat, aut saltem consentire non sinat, sis certus, quod in eis non peccas, sed potius per eas coronam acquiris. Dic ergo statim in corde tuo, quando sentis eas. Deus in adiutorium meum intende. vel, Domine vim patior, responde pro me. Et caueas ne propter huiusmodi tempestuosas cogitationes, dimittas aliquod bonum incipere, vel inceptum continuare, ex quo principale motiuum est bonum, sicut hodie multi faciunt, credentes spiritui diffidentiæ, qui facit eos credere, quod perdunt quidquid agunt, quia in bonis actibus suis, cogitationes vanitatis contrahunt. Respondeas ergo tali spiritui: Nec propter te facio, nec volo facere illud bonum, nec propter te dimittam. Vnde quantumcunque habeas in istis cogitationibus aliquando complacentiam, & consensum, doleas & pure confitearis, nec propter hoc cesses à bono, propter Deum principaliter incœpto, sed pugna viriliter, & constanter Deum orando, vt custodiat suum opus. Si autem esses naturaliter passionatus, & stimulatus de vana gloria, sicut sunt quidam qui nihil boni quasi faciunt, aut dicunt sine ea. Tunc consulo tibi, vt non delecteris in loquendo multum de Deo, aut vita spirituali, docendo alios sub specie charitatis, quia pro certo, sub hoc velo charitatis latet dulce venenum, sed puto esse securius, & magis expediens, humiliare se, & silere à bonis, ne forte curando infirmeris: quia mens tua adhuc eget custodia. Et frenum est necessarium linguæ tuæ, donec illa pestis in corde fluctuare non cessat, alioquin, sicut dixi, saluando, aut sanando alios, tuam destruis sanitatem. Experto crede. Nam docere & curare alios, est cibis perfectorum. Si vero necessitas ineuitabilis, vel magna, & rationabilis congruentia loquendi occurrat, tunc loquendum est taliter, quod ita te sicut & alios videaris arguere, & docere. Et quia tibi etiam non deerit spiritus vanæ gloriæ cupiens quod per hunc modum loquendi, reputeris humilis, & discretus. Si etiam occurrit tibi vana gloria quando tacebis, vel quando de locutione te humiliter excusabis, nescio tibi aliud remedium, nisi confessionem puram, & lacrymas adhibere, contra hanc maledictam pestilentiam. Est autem valde timendum, ne timore despectionis humanæ totiens hoc vitium confiteri negligas, quotiens te ab ipso noueris superari. Nec vt minus verecunderis, mutes sæpius confessorem, immo vt plus confundaris, studeas eidem sæpius, & clarius solito confiteri. Si enim virtute humilis confessionis spiritus ille citius expelletur, & si etiam tuæ confessioni se ingerat, ita vt de humili, & pura confessione appetas commendari. Certo si te senseris vulneratum, non timeas in fine confessionis detegere ipsum vulnus. Est enim sciendum, quod grauius est esse inobedientem, aut irreuerentem patri, vel matri propriæ, quam illi cui non sic teneris obedientiam, vel reuerentiam exhibere. Et grauius est turbare vnum sanctum hominem, aut deridere ipsum quam vnum hominem vitiosum. Et grauius est, prouocare vnam personam religiosam ad aliquod peccatum, quod est contra professionem eius, quam vnam personam sæcularem inducere ad idem peccatum. Et grauius est, inspicere impudice vnam iuuenem, & religiosam mulierem quam sæcularem. Secundum beatum Gregorium: Non licet intueri quod non licet concupisci. Et ideo dico esse grauius illud vitiose respicere, quod est grauius concupiscere vitiose. Hoc idem intelligo de tactu, & quocunq; actu, & verbo impudico. De conditione personę, cum qua peccasti, sufficit exemplum iam dictum. Non sis ergo contentus dicere: Non bene custodiui visum meum, aut discere: Iteraui plures aspectum in faciem alicuius personæ, cum complacentia, & imaginatione impudica, sed dic qualitatem, & conditionem personæ. Et si de visu expedit sic dicere, multo magis de verbo impudico dante prouocationem ad peccatum, & de tactu, aut commotione carnis libidinosa habita ex allocutione, vel appropinquatione ad corpus alicuius.

Nota. Psal. 69. a Isa. 38. c

Nota.

Caput IV.

De intentione habita in peccatis.

Intentio praua cōfitenda.

GRAVIVS est facere quodcunque peccatum, cum intentione prouocandi aliquem ad simile, aut ad aliquod peccatum, quam ad satisfaciendum sibiipsi tantum, vt si noueris defectum alicuius, facias ipsum despici, aut minus reputari propter inuidiam tuam, vel aliam malitiam, aut si fecisti aliquem actum, cum oculis, aut cum manibus versus aliquam personam, vt prouocares eam ad malum, & sic de alijs peccatis studiose, non tantum in damnum facientis, sed etiam in proximi detrimentum: quæ quidem peccata non sufficit confiteri, nisi explicentur intentiones malitiosæ. Tales recte assimilantur dæmonibus, & sunt inimici crucis Christi, quia student animas perdere pro quarum salute Christus sanguinem suum effudit. Item descensus de peccato in peccatum est diligenter perscrutandus. Non est ita graue vnum peccatum simpliciter, sicut est illud, cuius occasione plura alia peccata sunt commissa. Vnde si studiose fecisti aliquem defectum tali modo quod alius fuit culpatus de hoc, & non excusasti innocentem, sed permisisti eum iniuste pati. Vel si pro defensione vnius mendacij protulisti verba iniuriosa, aut incurristi plura mendacia, aut pro excusatione vnius mendacij, vel peccati commisisti periurium, & ob hoc fuit suspicio de alio, vel facta iniusta punitio super aliquē, aut ortum est odium, aut aliqua turbatio inter aliquos. Omnia hæc, & consimilia, quæ ex primo peccato sunt consecuta, debent cum primo peccato principali plenius explicari.

CAPVT V.

De peccati occasione.

Occasiones peccandi explicare oportet.

SImiliter de plenitudine confessionis est dicere, non solum circumstantias prædictas, vel similes, sed etiam occasiones, & causas peccatorum, propter quas incurristi ipsa peccata, videlicet, quia neglexisti ea vitare sicut potuisti, & sciuisti. Huiusmodi autem causæ sunt taliter dicendæ, quod te cum ipsis accuses, & non excuses, sicut quidam faciunt, imponentes culpam diabolo, sicut Eua quæ dixit: Serpens decepit me. Dicunt enim, Tantum me tentauit de tali peccato, quod oportuit me consentire, nec potui me defendere vllo modo. Sed illa non est confessio, nec expressio causæ peccati, immo est excusatio tui, & accusatio diaboli, qui forte non est culpabilis ibi. Non enim omne peccatum fit semper ex suggestione diaboli, nec omnis tentatio est à dæmone, sed secundum beatum Iacobum: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus, & illectus. Multi ergo mentiuntur dicentes: Demon seduxit me ad tale peccatum, quod sibi consensi, quia sola sua concupiscentia tentatus cecidit. Et ideo debet dicere: Cum sentirem me stimulari ad tale peccatum perpetrandum, fui negligens in euitando occasiones me incitantes ad hoc, scilicet locum, tempus, & personam, & fui negligens in adiuuando me cum in ieiunio, cum oratione, & alijs necessarijs, sicut sciui, & potui. Vnde propter negligentiam, & malitiam meam commisi ipsum peccatum, potius eligens seruire diabolo, superbiæ, & carni meæ hoc suggerenti, quam Spiritui sancto inspiranti mihi, quod illud non facerem. Reliqui vero imponunt culpam proximo, sicut fecit Adam, qui dixit Deo: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Dicunt enim: Quædam persona tantum institit me rogando, & blandiendo, & aliqua dona dando, quod nullus de mundo potuisset se defendere, sic quod oportuit me finaliter cōsentire. aliqui dicunt: Quidam dixit mihi tantum malum de quodam, quod fecit me murmurare de illo, & illum despicere. Sed hæc est vitiosa confessio. Dic ergo sic de primo: Dum viderem expresse, quod locutio, & conuersatio cum quadam persona esset mihi inutilis, & periculosa, & sentirem affectum cordis mei ad ipsam personam, aut ipsius ad me nō esse purum, nec secundum Deum, sed potius secundum carnem, & in aspectu, & præsentia eiusdem haberem nimiam complacentiam sensualem, & ex hoc semper haberem imaginationes impudicas de illa, cum libidinosis motibus carnis, ita quod propter debebam fugere ipsam, nihilominus fui secutus voluptatem carnis, intātum quod ad tale peccatum deueni cum ea, vnde me, & ipsam illaqueaui. De secundo dic sic: Audiens dici aliqua mala de quadam persona, facilius ea credidi, quam credidissem bona si audiuissem, propter leuitatem cordis mei, & defectum charitatis. Et quando debebam compati murmuranti, & excusare in corde meo eum, de quo ille murmurabat, ego statim murmuraui cum illo, confirmando malum, de quo dicebat, vel addendo ad illud quod dicebat, ac per hoc dedi sibi occasionem magis murmurandi. Et nota, quod non debet quis murmurantem nominare, nec factum de quo murmurauit, quando, scilicet talis nominatio esset in excusationem tui, vel in infamiam proximi. Item si te accuses de turbatione proximi, aut de turbatione habita contra aliquem, propter defectum eius principaliter non debes exprimere illum defectum, ne per hoc ostendas te habuisse rationabiles causas turbationis, & sic videaris minus peccasse, aut motus zelo iustitiæ. Sunt etiam qui dicunt in confessione: Vidi fieri talem defectum, vel audiui dicere tale verbum, & de hoc fui valde turbatus, qui erat contra honorem Dei, & contra bonos mores in malum exemplum aliorum. O stulte hypocrita, quid dicis? Nam te simpliciter laudas, & nihil penitus confiteris, taces peccatum suum, quod fecisti videndo alienum defectū, qui forte fuit grauior, quam defectus alterius, quia despexisti peccatum, cui debebas compati, & mentitis dicendo te fuisse turbatum propter amorem Dei, & proximi, cum tamen fueris turbatus propter superbiam tuam, & quia non habes charitatem proximi, quæ non permittit aliquem contra proximum turbari. Sic ergo dicas: Videns, vel audiens fieri, vel dici aliquid quod iudicaui esse malum, & forte peius, quam fuit, propter malitiam meam, quæ non permisit me excusare defectum, nec intentionem dicentis, vel facientis, sicut poteram, & debebam, non fui motus ad compatiendum illi, vel ad orandum pro ipso, sicut debui ex charitate, sed magis fui commotus ad iram contra ipsum, contemnendo, & iudicando ipsum, & appetendo statim punitionem eius, vel habere potestatē puniendo eum, & hoc accidit mihi propter duritiam cordis mei, & quia non recognosco patientiā Dei, quæ supportauit me in grauioribus peccatis, absque vlla punitione, & sic de alijs. Sunt alij, qui se clarius laudant in confessione dicentes: Per gratiam Dei satis bene custodiui me tali tempore, vel citra, à tali, vel tali peccato. Non bene continuaui officium, Missas, & prædicationes, & orationes meas. Faciant, qui volunt male, quia ego intendo bene facere facta mea, & me custodire à peccatis melius, quam faciat maior pars vicinorum meorum, quia prius me permitterem occidi, quam facere tale peccatum, & in me non sentio alium defectum, nisi quia sum ingratus de beneficijs Dei, nec sum sufficiens ad grates agendum Deo, qui me liberauit ab his peccatis, quæ faciunt multi alij. O Deus. Isti sunt similes Pharisæo, qui ascendit in templum, vt oraret, cuius oratio fuit tota sui exaltatio super alios. Sic, & isti, qui debent se simpliciter accusare in confessione, se super alios laudant, narrando bona, quæ faciunt, de superbia autem, & præsumptione, quæ latet interius, nihil dicunt. Sunt alij, qui confitendo peccata sua, totam culpam imponunt Deo. Sic enim dicunt: Deus dedit mihi naturam, ita peruersam, & promptam ad tale peccatum, quod non possum cauere. Isti dicūt cum Adam, qui dixit: Mulier quam dedisti mihi, &c. quasi dicat: Si non dedisses mihi, non peccassem. Sed isti aperte mentiuntur. Nam secundum beatum Gregorium, diabolus non potest vincere nisi volentem, cum tamen de ipso dicatur, quod non sit potestas super terram, quæ illius potestati valeat comparari. ergo multo minus potest quis violentari à concupisentia naturali. Sunt alij qui dicunt: Fui deceptus à tali tentatione, quia Deus noluit me adiuuare, cum tamen sæpe ieiunarem, & orarem, & ad ipsum recurrerem. Isti non accusant pigritiam suam, & negligentiam, qua noluerunt vitare occasionem peccandi, & perseuerare in oratione. Asserunt enim Deum impium, & mendacem, qui tamen dicit in Psalmo: Clamabit ad me: & ego exaudiam eum. Et alibi: Venite ad me omnes, qui laboratis. Et alibi: Petite & accipietis. Et Apostolus dicit: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari vltra illud, quod potestis, se faciet cum tentatione prouentum. Sciant ergo, quod ideo relinquuntur à Deo quia insipide, & sine fide orant, nec volunt pugnare contra seipsos, nec perseuerare patienter postulantes auxilium Dei, sicut decet. Sed volunt habere gratiam statim sine labore, petentes etiam illam à Deo non humiliter, sed præsumptuose, tamquam non indigni, ac si esset Deus obligatus eis orant ipsum cum securitate quadam, vt exaudiantur statim, vt ipsi volunt, & non sicut ipse vult. sicque putantes ipsum ducere ad auxiliandum, potius prouocant ad derelinquendum, quia superbe, & præsumptuose accedunt ad ipsum. Causa ergo lapsus eorum est superbia, & negligentia sua, quam debent simpliciter accusare.

Marginalia: Gen. 3. b — Iac. 1. c — Gen. 3. b — Veræ, & sanctæ cōfessionis praxis. — Luc. 18. c — Gen. 3. b — Greg. li. 34. Mor. c. 17. in sensu. — Iob. 41. d — Psal. 90. d — Matt. 11. d — Ioan. 16. c — 1. Cor. 10. c

CAPVT VI.

De occasionibus, quæ dantur aliis in peccando.

SVnt etiam in confessione explicandæ occasiones datæ alijs ad peccandum, quia omnium peccatorum homo est particeps, quibus occasionem præbuit malitiosè, vel non malitiosè. Vnde confiteri debes si malitiosè, vel ignoranter dedisti alicui occasionem peccandi, nec nominare debes directè, vel indirectè personã, cui dedisti causam, sed sola occasio est dicenda. Peccatum vero, quod factum est ab alio occasione tui, potest dici explicite, quando est notum confessori, non illum, qui fecit. alioquin dic solum qualitatem delicti, sic dicendo: Feci fieri quoddam peccatum mortale, vel graue, propter talia verba, quæ dixi, aut propter tale malum exemplum quod dedi. Item si habuisti turbationem cum socio in itinere, vel in aliquo opere, aut propter socium dixisti male officium, quia male proferebat, non debes dicere: Socius meus me turbauit tali facto, aut dixi male officium meum propter defectum socij mei, quia sic accusas socium, in cuius notitiam confessor posset venire. dic ergo: Habui turbationem cum aliquo propter meam superbiam, quia ipsi dixi verba iniuriosa, & ipsum prouocaui ad dicendum mihi. Et si est illius culpa, dic: Habui turbationem cum quodam, propter impatientiam meam, quia nolui supportare eum in charitate, ꝓpter aliqua verba ab eo dicta, vel dixi male officium cum aliquo in tali hora, & dictante mihi conscientia, vt redicerem, propter pigritiam meam non redixi.

CAPVT VII.

De pollutione.

SI habuisti pollutionem carnis vigilando, dic causam expresse. Si dormiendo, dic causam quam dedisse te credis. Causæ possunt esse cibus, & potus, & intemperantia diei præcedentis, aut alio modo. Et sic dicendo ipsam, dabis intelligere confessori vitium dierũ præteritorum, vt sunt cogitationes inhonestæ habitæ ante dormitionem quas explicare debes, potissime quando somnias ea quæ præcogitasti. Nec sunt recitanda somnia vitiosa, vel inhonesta, nisi ante cogitasses ea, aut post somnium cum delectatione, & mora, & motu carnis cogitasses. & hæc sunt dicenda magis, quia cogitata, quam somniata. Si vero somniasti, habere aliquem actum impudicum cum persona ad quam habes sensualem affectum, aut quam ante conspexisti oculo impudico, hoc debes exprimere, vt causam illius somnij, & quia homo plus in talibus delectantur, & multi post somnium gaudent se talia somniasse. Vbi vero non fuerit aliqua ex prædictis causis, vel similibus, nihil de somnio est dicendum, quia nulla culpa est ibi, & tunc sufficit dolere in corde, & ad quietandum conscientiam potes dicere. Habui somnium inhonestum, cui si dedissem causam, quam nescio, tunc dico culpam meam.

CAPVT VIII.

De causis pollutionis.

Tres causæ contingentis pollutionis nocturnæ.

SEcundum sanctos Patres, triplex est causa pollutionis nocturnæ. Prima prouenit ex voracitate gulę, & superabundantia cibi, & potus, quæ est diligenter examinanda ab illis, qui vocati sunt ad spirituale exercitiũ. Nam quandoque accidit, aliquos relaxari gula nimis aliquo tempore, & postea quando abstinent, polluuntur in somnis, credunt quod hoc non accidat ex culpa immoderantiæ, sed potius ex debilitate, vel necessitate naturæ: sed errant, quia debent iudicare, & cauere, ne euenerit ex nimietate saturitatis præteritæ. Quod enim per voracitatem, & ingluuiem congregatum fuerat in medullis, necesse est, vt aliquando per pruritum, vel per insensibilitatem corporis ieiunio afflicti, egeratur. Propter quod, non solum abstinendum est à delicatis cibis, verumetiam à vilibus, & cum æquali temperantia continendum est, immo panis, & aquæ satietas est timenda, vt possit in nobis acquisita puritas permanere. Isti ergo, qui nondum æqualis continentiæ, & moderantiæ gratiam sunt adepti, non minus præfatam pollutionem incidunt, quæ etiam hominibus abstinentibus sic accidit. Secunda causa est, quando per incuriam, & immunditiam mentis elabitur. Nam mens spiritualibus exercitijs vacua, & disciplinis interioribus non intenta, sensu corporis, per vanas, & immundas cogitationes euagatur. Ex quibus merito culpæ eliciuntur humores, & ideo volentibus obuiare, necesse est priuare, & hanc causam eradicare, videlicet mentis torporem excutere, & sensus refrenare, ne mens ad vana, & noxia discurrat, & excessibus illis assuefacta, ad immundissima incitamenta luxuriæ somnians perturbetur. Prædicta ergo negligentia acquirendi munditiam, & euitandi immunditiam, in confessione pariter explicetur. Tertia causa potest esse, quando illudentis inimici inuidia pollutio procuratur. Dum enim videt sanctum virum, qui per sollicitam victus moderationem, integram, & perfectam, ac frequentem peccatorum confessionem, perpetuam munditiæ puritatem acquirere conatur, eius conscientiam perturbare nititur, maxime diebus illis, quibus desiderat diuino aspectui complacere, fluxus illius emissione polluere procurat, vt sic à sancta communione retrahatur. Quibusdam vero contingere dicitur ex debilitate naturæ, quæ non est ita fortis, & valida sicut antiquitus dicitur extitisse. Hanc causam potest quis in seipso aduertere, quando in illo turpi, moderamine victus frequentius plus solito polluitur absq; turpis somni interuentu, sicut ego quosdam cognoui, hac peste certis temporibus ter, & quater in hebdomada sordidari, quamuis non minus prædictæ illusioni possit ascribi.

CAPVT IX.

Qualiter post pollutionem liceat, vel non liceat accedere ad diuina.

SEcundum sanctorum Patrum sententiam, vigilanti circumspectione cauendum est, ad communionem saluatoris conuiuij accedere, tempore quo sentimus nos somnij illusione pollutos. Sed si hostis inuidus, taliter menti nostræ illuserit, vt nobis cœlestis remedij subtrahat medicinam, dummodo nullus reprehensibilis interueniat pruritus, aut oblectationis assensus, si fluxus iste fuerit naturali necessitate profusus, aut impugnatione hostis antiqui procuratus, & absque sensu voluptatis adductus, debemus ad gratiam salutaris cibi nihilominus accedere confidenter. Quod si creditur euenisse occasione vitiosa, die illa debet se humiliter subtrahere ab altari, ne in nobis verificetur sententia Apostoli: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini, idest nõ faciens differentiam inter perceptionem cibi cœlestis, & carnalis, nec iudicãs ipsum corpus Domini esse, quod tale non nisi pura mente, & carne liceat manducare. Et ideo subinfert idem Apostolus: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, quasi dicat: Multi ex hac præsumptione, & manducatione indigna spiritualiter infirmantur, & somno mortali dormiunt multi per peccatum, quod ex ipsa indigna manducatione, & sumptione incurrunt. Probet ergo, idest examinet seipsum homo, antequam sacramentum percipiat, & diligenter se videat, vtrũ sit mundus, vel immundus, vtrum deuotus, vel indeuotus, vtrum reuerens, vel irreuerens, vtrum timens, vel præsumens accedat, etiam si certus sit, vel certum se putet, quod non sit vitiose

1. Cor. 11.

tiose pollutus, vel aliquo modo, mortali peccato infe- A ctus. Non enim debet volēs istum cœlestem panem sumere, esse contentus se non habere peccatum mortale, neq; præcedenti nocte vitiosa occasione fuisse pollutū, quia licet hæc duo quemlibet reddant ipso cibo indignum, alia tamen plura sunt quibus se homo debet ab hoc cibo subtrahere reuerenter, quæ explicare non audeo, quia à sanctis, & doctoribus ipsa expressa non reperi, atque illustratione gratiæ Dei, ea securius simpliciter relinquenda decreui. Id tamen quod pro me ipso retineo, est verbum illius, qui hoc sacramentum instituit, quem non credo illud frustra protulisse. dixit enim: Hęc quotiescunq; feceritis in mei memoriā facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod quoties volo id agere, quod ipse instituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ, ac præiudi- B cio animæ ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis charitate, ac eius passione, & morte, in cuius memoriam perpetue recolendam illud sacramentum debere confici, & percipi ipse præclare asseruit, & iniunxit. Considerans insuper circa huius sacramenti primordia, lotionem pedum factam, non absque mysterio, & sacramento, ibique dictum fuisse à Domino: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Agnosco per hoc, & iudico, non sine præsumptionis, & grauis offensæ periculo, aliquem velle habere partem secum ipsum sacramentum sumendo, non præhabita alicuius spiritualis gratiæ lotione, quam non solum per compunctionis lacrymas puto fieri, verum etiam per interiorem mentis deuotionem, & fidem in qua ipse Dominus vocat, & inuitat animam, & trahit, & quo- C dammodo cogit ad ipsum cibum Angelicum, & cœlestem. Vnde & ipse dixit illis, quos lauerat: Iam mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis. Non dixit, propter aquam, qua loti estis, sed propter sermonem. Hoc autem est verbum fidei, quo prædicamus secundum Apostolum. Vnde in actibus Apostolorum legitur: Fide purificans corda eorum. Hanc autem deuotionem, & fidem celebrantis, seu sacramentum sumentis, credo esse illam, quæ celebrat, & quæ facit ipsum sacramentum percipi cum effectu, sicut & verba Christi sunt illa quibus consecratur, & transsubstantiatur panis, & vinum, in corpus Christi, & sanguinem. Quam quidem deuotionem, voco Dei gratiam, quæ præuenit, & disponit, subsequitur, & infundit. Ad hoc ergo sacramentum, cum instantia ferentis, & assiduæ orationis, procuremus modo prædicto D vocari à Domino, videlicet præhabita ipsius memoria, atque compunctionis, & deuotionis, & fidei lotione ad quæ præparari nos oportet, per mentis, & corporis munditiam, & per linguæ, ac sensuum refrenationem, & per nostrarum passionum continentiam, & moderationem.

Ioan. 13. a

Ibid. 15. a

Rom. 10. d
Act. 15. b

CAPVT X.

De fluxu libidinis.

PRætermittendum quoq; non est, quod quibusdam contingit interdum conscientiæ dubietas, & perturbatio magna, vnde ipsis vigilantibus absq; vlla com- E motione carnis, & cogitatione immunda, humor quidam per membrum secretum egreditur sine delectatione, & quasi insensibiliter, ita vt multi de hoc aliter non perpendūt, nisi cū pannos senserunt madefactos. Cuius causa aliqui ignorantes turbantur, & errant, putantes se esse pollutos. Et ideo sciendum est, quod illius humoris effusio non est pollutio, quia, vt dicunt Medici, sine libidinosa delectatione, & carnis motione, nullus potest pollui vigilando. Ad ipsius tamen effusionem humoris videtur naturalis conditio causam exhibere primariam, sed deinde id quod ad naturam disponit causa vitiosa, & ineuitabilis perficit, & consummat. Quibusdam hoc prouenire agnoui, propter solam præsentiam, & allocutionem personæ alicuius, in cuius aspectu habuit complacentiam sensualem, & vanam, seu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum leuem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter, & morose. In his enim casibus, & similibus multi inueniuntur habere calefactiones, & commotiones carnis libidinosas, dictumq; humorem emittere, velint, nolint. Sed eas causas & similes quæ sunt euitabiles, debet quilibet fugere, & euitare pro posse, maxime, qui sentit de hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter inclinatum, siue ex vitio mentis, siue ex debilitate naturæ. & qui occasiones huiusmodi non euitauerit iuxta posse, relinquendo amicitiam, & familiaritatem personarum, ad quas inordinate afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aspectum personarum, licet non credam ipsum per dictam effusionem peccare mortaliter, nisi forte aliter conspiceret, aut impudice tangeret personam, quæ est causa illius defectus, tamen credo eum grauiter peccare, & magno peccati mortalis periculo subiacere. Et ideo consilium do tibi, vel tali, quod absque dilatione morosa ipse sibi violentiam faciat in hac parte fugiendo personas huiusmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis euitet. Hic itaque prædictus fluxus, qui à quibusdam vocatur libido, si potest euitari ipsius occasio, & si studiose non euitatur, est omnino confitendus cum suis occasionibus, & negligentia habita circa ipsas. Si vero contingat ex causa, quæ vitari non potest, sicut quando audiuntur verba impudica à casu, vel loquitur cum persona, vel sedet iuxta eam, de cuius præsentia habet complacentiam vanam, & ab ea separari non valet. In his & similibus credo sufficere, quod tam de occasione habita, & impotentia vitandi, quam de fluxu illius libidinis dolor est simpliciter habendus. Quia tamen dubitare in talibus, quæ spectant ad conscientiæ puritatem, est quandoq; valde proficuū, poteris hoc confiteri, propter quietudinem mentis, & pacem, quamuis expedire non credam.

CAPVT XI.

De complacentia habita in memoria peccati.

SCiendum est, quod quando cogitas de iniurijs receptis, & in illa memoria turbaris intra tecum aliqua mora, & appetis vindictam fieri, aut factam esse, aut doles, quod non fuit facta per te, aut per alium, aut imaginaris aliqua facere, aut aliquem motum tenere animo vindicatiuo. Hæc omnia sunt confitenda, & alia quæcūque similia in mēte tua ratione istius iniuriæ. Si autē rememorando mala præterita, quæ fecisti, nō haberes dolorem, sed potius delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem, non crede expedire, quod specifices ipsa peccata rememorata, si alias integre confessus es. Et si non habuisti aliquam delectationem in mente, sufficit tibi dicere: Mihi venerunt ad memoriam quædam vindictæ, vel iniuriæ quas feci, vel quædam peccata grauia quæ commisi, de quibus non solum non habui dolorem in tali cogitatione, sed de ipsis cum multa complacentia cogitaui. Et si aliud tibi occurrit in carne, vel in mente propter dictam complacentiam, quod tibi videtur aggrauare peccatum, ipsum etiam debes confiteri. Verbi gratia: Si de peccato luxuriæ per te facto habuisti memoriam, & de hoc habuisti motum carnis & pœnitudinem, quia ipsum peccatum non fecisti pluries, vel cum pluribus; tunc enim debes sic dicere: Ex imaginatione quam habui de quodam peccato luxuriæ, habui motum carnis, & complacentiam in mente, & appetiui illud fecisse multotiens, & cum multis personis. Et sic non oportet, te indicare confessori, te iam fecisse illud peccatum, nisi forte alias indicasses eidem, & nisi pro maiori humilitate, & merito velis ipsum ei simpliciter explicare. Si autem recordaris, te habuisse opportunitatem faciendi aliquod peccatum, quod non fecisti, & in ista recordatione

Morosa cogitatio quando sit confitenda.

datione non gaudes te euasisse illud peccatum, nec grates agis Deo, quia custodiuit te ab ipso, & abstulit opportunitatem, & voluntatem faciendi ipsum; omnia ista sunt plenius referenda. Videtur enim hæc magna ingratitudo, & peccati commissio voluntaria. Sed si in prædicta recordatione peccatorum, & maxime carnalium, non posses vitare complacentiam, & motus carnis, dum velles eam studiose recolere, causa te ipsum excitandi ad compunctionem, & dolorem, consulo tibi, quod non ea specialiter recolas, nec etiam alia peccata, quæ non potes, sine complacentia recolere, sicut est vindicta facta per te, vel per alium de inimico tuo, aut damnum, vel mors, quia aliquem occidisti. Debes ergo omnia peccata tua, si vis confiteri generaliter, sub duobus scilicet superbia, & delectatione carnis confiteri, dicendo sic corde meditando, & ore proferendo: Dico meam culpam de superbia, quam habui contra Deum, & proximum irascendo, inuidendo, alios prouocando mundi gloriam appetendo, proximos iudicando, Dei creaturas contemnendo, meipsum bonum reputando, & alios vilificando, de Dei operibus, ac iudicijs, & eius permissionibus murmurando, bonas eius inspirationes, & omnia eius beneficia negligendo, impetus vitiosos sectando, blasphemando, & nomen Dei in vanum proferendo, & linguam meam contra veritatem per mendacia, & simulationes, per duplicitates, & adulationes, per iuramenta, & multa alia verba vitiosa, loquendo otiose, acediose viuendo, de me nimis confidendo, de fide dubitando, de occultis Dei operibus rationem præsumptuose quærendo, plus quam oportet sapere de Deo, & proximo, & de hoc sæculo multa scire cupiendo, gratiam Dei non humiliter affectando, dona Dei occultando, temerarie propalando, non in veritate, sed in hypocrisi, & falsitate coram Deo, & hominibus ambulando, & multa alia per superbiam mentaliter, & corporaliter exercendo. Postquam confessus es, de animo tuo, maxime, quando vides te morti proximum: O anima mea egressus tuus appropinquat, & prope est terminus tuæ superbiæ, & prope est finis delectationis huius mundi, & miseriæ carnis tuæ, quas delectationibus carnalibus pertulisti, plus ipsas amando, quam Deum, plus sibi complacendo, quam tibi, plus laborando pro ipsa, quam pro te, plus obediendo eius concupiscentijs, quam diuinis inspirationibus & consilijs, scilicet dum contendisti satisfacere sibi in delectationibus gulæ, & luxuriæ, multis & diuersis modis opere, & voluntate, atque satiare eius visum, auditum, gustum, tactum, & odoratum, quantum, qualiter potuisti, consensisti amore ipsius carnis, amittere partem maximam tui temporis superflue dormiendo, & quiescendo in multis operibus vitiosis, ac occupando in nimia cura, & sollicitudine rerum temporalium, & corporalium te exercendo, plus propter auaritiam, & delectationem, quam propter necessitatem consensisti eius pigritiei, quam habuit semper ad operandum bonum, & eius sollicitudini, quam habuit ad peragendum malum quod potuit. In his fuit vita mea. In his expendi tempus meum. Vbi ergo es ô vanitas mea, & superbia mea? quo perrexistis delectationes carnis meæ, quid mihi attulistis, quid mihi reliquistis pro subiectione, & obedientia, qua vobis tot annis deseruiui? pro vobis commutaui vitam æternam, amisi Deum, acquisiui infernum, perdidi gaudia infinita, & lucratus sum lamenta æterna. priuatus sum societate sanctorum, & Angelorum, & merui fieri socius ciuium infernorum. Considera ergo ô anima mea qualem te fecit Deus, quia ad imaginem & similitudinem suam, & modo sic es denigrata peccatis, nec aliquam virtutem in te agnoscit. Considera in te imaginem tentatoris tui, qui te depinxit colore superbiæ, gulæ, luxuriæ, auaritiæ, vanæ gloriæ, inuidiæ, acediæ, & ingratitudinis, negligentiæ, odij, & vindictæ, tibi suasit contemptum Dei, & apposuit amorem sæculi, te induxit contra proximum ad murmurandum, iudicandum, despiciendum, despiciendum, detrahendum, & aliorum defectus ponderandum, & tua grauia vitia non videndum. Non video igitur ô anima mea, nisi vt prouoceris ad gemitum, fletum, planctum, tristitiam, & lamentum, & clames humiliter, & feruenter ad Dominum: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Miserere mei Deus, & cetera.

Compendiosa confessio.

Pro moribundis documentũ.

CAPVT XII.

Qualiter cogitationes inhonestæ sint confitendæ.

Plerique dubitant, si cogitationes inhonestæ sint exterius explicandæ. Credo quod hoc sit puritatis, & perfectionis, & magni meriti, sed non credo esse necessitatis semper, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa homo sentiret se inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum si haberet opportunitatem quam vellet, aut si pollueretur ex illa vehementi cogitatione morosa, aut si inordinate afficeretur ad aliquam personam, & de ipsa multum molestaretur in cogitatione, habendo motus carnis & imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipsa persona. Hunc enim affectum inordinatum debes exprimere, cum cogitationibus, & motibus carnis procedentibus ex ipso affectu, dicendo sic: Habui affectum sensualem, & inordinatum ad quandam mulierem, vel quandam iuuenem talis conditionis, & hunc affectum concepi ex complacentia habita in aspectu, vel collocutione, ac præsentia corporali ipsius, de ipsa, vel de ipsa tot vicibus. Habui etiam tot vicibus imaginationes turpes, respiciendo oculis corporeis, vel mentalibus, vel faciem, vel aliam partem corporis eius, & imaginando cum ipsa persona habere amplexus, & oscula, vel tale actum impudicum. Et in his feci moram per magnum spacium, habendo ibi motus carnis libidinosos, & specialiter mihi accidit in oratione, aut missa, & semper fui negligens laborare pro posse, ad expellendum talia per potentiam, propter nimiam delectationem quam habebam ibidem, nec curaui quantum potui, refrenare oculos ab aspectu illius personæ, quando fuit præsens. Quicunque igitur tales, vel tali modo, cogitationes, & affectiones exprimeret vitiosas, ab eis cito liberaretur, dummodo cum tali confessione continuaret orationem, & custodiam sensuum: quia dæmon non potest sustinere humilitatem confessionis puræ cum sit superbus, & immundus, & omnis humilitatis, & munditiæ inimicus. Et ideo, non est melior, & facilior via ad euadendum tentationes luxuriæ, & superbiæ, quam omnes cogitationes vitiosas, cum suis circumstantijs concurrentibus in carne, vel mente sæpe, & clare detegere confessori, & toties exprimere, quoties renouantur.

CAPVT XIII.

De motibus carnis.

Sciendum est, quod motus carnis, qui non prouenit ex cogitatione impudica absq; volũtate, & sine causa, scilicet visus, vel auditus, sine aliqua causa extrinseca inhonesta, sine dubio prouenit ex nimia repletione prius facta in cibo, & potu. Quidam tamen putant, quod proueniat ex nimia vigilia, q̃ potest esse maxime quando constat eis, quod non prouenit eis ex aliqua causa prædicta, & ideo oportet hominem esse parcum in dieta quo ad qualitatem, & quantitatem, quando de talibus molestatur contra voluntatem, & displicentiam suam. Nam intra corpus oritur causa. Quia secundum Hieronymum: Venter, & genitalia proxima sunt. Et hoc intelligo, quando non sunt à causa exteriori. Et tunc oportet cauere ipsum ab aspectibus, collocutione, & approximatione personarũ, in quarum præsentia sentit se sensua-

Quando tentatio carnis cõfessioni sit obnoxia.

sensualiter delectari, alioquin ille, qui videtur motus naturalis, fieret vitiosus. Et quamuis sit securum confiteri tales motus præcedentes sine causa vitiosa, quorum intemperantia videtur causa, dum tamen per ipsos non turbetur amor, & desiderium puritatis in corde, & corporalis castitas non maculetur in corpore. Si vero procedunt à causa vitiosa, confitendi sunt, & causæ locus & tempus, & mora contracta in eis, & vices motuum, sicut supra de circumstantiis peccatorum dictum est. Non enim sufficit generaliter dicere culpam de motibus, sed debes dicere sic: Dum essem in Ecclesia, vel oratione, vel missa, vel sermone, cogitaui talem actum turpem, aut habui memoriam alicuius personæ, in cuius aspectu iam habui vanam complacentiam, aut inordinatum amorem, aut aspexi in ecclesia talem personam cum complacentia impudica cuius causa, habui motus carnis impudicos toties, & per tantam moram. Et si dixisti illi personæ tibi gratiosæ aliqua verba prolixe, aut fecisti aliquod seruitium malitiose, vt scilicet haberes complacentiam libidinosam, & motus carnales per maiorem moram, totum confiteri debes, nisi de ipsius præsentia delectationem non habuisses.

Caput XIV.

De periculo familiaritatis dominarum.

QVoniam multi videntur negligere, vt agnoscant affectiones suas vitiosas, & per consequens non curant confiteri, cum tamen diligenter sint perscrutandæ, & cum vitijs orientibus ex ipsis exprimendæ, ideo prætermittere non intendo. Quia multi afficiuntur nimis ad seipsos, quidam ad alias personas, quidam ad honores, quidam ad diuitias temporales. Et quia hæc sunt sicut murus inter Deum, & animam, ideo nullus hominum habens aliquid de prædictis, potest in via Dei proficere, nec habere puram orationem, & maxime quando est carnalis affectio ad personam. Et de hac intendo modo loqui. Nam talis affectio multos spirituales sub specie amicitiæ spiritualis, à statu orationis impedit, & impediuit. Hæc est inquietudo mentis pestifera, orationem mentis, & oris inficiens, & dispergens, & affectus contrarios orationi in mente generat, & exercet. Nam sicut oratio pura mentem purificat, & illuminat, lætificat, & fortificat, & impinguat, sic carnalis affectio, & immunda, mentem inficit, & obscurat, contristat, debilitat, & deficcat, & corpus eiusdem maledictionibus implicatur. Et quoniam spiritualibus loquor, propter quos illa scribo, nouerint ipsi quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa, ipsis tamen magis pernitiosa, maxime quando conuersantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam quãuis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas, domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas, quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motiuum, & vtriusque puritas maculatur, non tamen de hoc statim perpendunt, quia sagittarius ille à principio non mittit sagittas venenatas, sed solum aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum vero in breui deueniunt, vt iam non velut Angelos, sicut incœperant, se inuicem alloquantur, & videant, sed tamquam carne vestitos se mutuo intueantur, & saucient mentes, quibusdam commendationibus, ac verbis blanditorijs, & adulatorijs, quæ videntur ex prima deuotione procedere; exinde, vnus incipit alterius appetere præsentiam corporalem, quia forma, vel species corporum in vtriusque mente concepta, incitat eos ad volendum præsentiam corporalem, quasi insit eis præsentia mentalis, sicque spiritualis deuotio paulatim conuertitur in corporalem, & carnalem, & sic ipsorum mentes, quæ solebant in oratione cum Deo absque intermedio loqui, tunc inter se, & Deum, alter alterius ponit corporalem effigiem, quam velant, & obtenebrant, ponentes sibijpsis faciem Dei cum facie creaturæ. Et non minus horrendum est, cum ij proprium errorem percipere & emendare deberent, potius in nutrimentum erroris totum illud iudicant ex maxima charitate procedere, cuius merito, puto, & sibiinuicem mentientes referunt, quod in oratione vnus alteri præsentatur, quo oratio reddatur delectabilis, ac si pro se inuicé orare coganrur gratia, & virtute diuina, ac per hoc consolationem simpliciter sensualem, quam habent in illa præsentatione de ipsis facta in oratione prædicta, æstimant, & affirmant, ac asserunt esse spiritualem gratiam, & diuinam. Quales autem illusiones recipiant à sagittario supradicto, specialiter mulieres, quæ citius fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile, & quasi impossibile declarare. Sentiunt namque in oratione prædicta & præsentatione mentali, calorem quendam ignitum à sagittario illo iactum, quem credunt, & dicunt, esse ignem charitatis à Spiritu sancto immissum volentem coniungere spiritum vnius spiritui alterius vinculo charitatis, cum tamen sit ignis libidinosi amoris, prout frequentia exempla manifestum, & inde deliberant se tamquam spiritualiter vnitos, posse securius, prolixius, & sæpius simul loqui, atque in hoc tempus non perdere, sed lucrari. Proinde modos mirabiles, & insolitos, & cautelas adinueniunt, quibus procurant simul colloqui & frequenter, allegantes vnus alteri causas vtilitate & necessitate depictas, cum tamen in veritate nihil aliud sit causa, nisi onus, cui ratio succumbit. Sic itaque carnali concupiscentia excæcati, tempus, quod olim in oratione consueuerant expendere, ac spiritualiter occupare, tunc in huiusmodi familiaritatibus, & colloquijs perdunt, & sic (quod dolendum est) allocutiones diuinas pro carnalibus commutantes, amodo igitur (nisi mora serotina cogente, aut alia ineuitabili causa) non possunt ab inuicem discedere, & tunc inuiti, & tristes discedunt. Hæc autem tristitia est certissimum indicium, quod carnis vinculo sunt alligati, & per hoc visitationes, & consolationes diuinæ à carnalibus, & diabolicis discernuntur. Deniq; quamuis se multis exponant periculis, & multa mala incurrant, dum eorum obtenebratis conscientijs iudicant quædam sibi tamquam spiritualibus esse licita, quæ fieri nequeunt absque periculo, & peccato; putaui tamen melius esse non multa de hoc, calamo exarare. Hæc tamen tacere non valeo, quin aliqualiter referam, maxime, quia non longe à temporibus istis similia contigerunt. Tandem spirituales prædicti, quandoque se deduci permittunt, vt se inuicem familiariter tangant sub specie charitatis, reserantes sibiinuicem immensum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant. Sed in hac reseratione amoris, est summum periculum, quia ex hoc fabricantur sagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mortaliter, ac venenant. Et quod super omnia videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, hominibus, & dæmonibus, fuerunt iam aliquę spirituales nomine, spiritu luxurioso imbutæ, quæ in excusationem suæ libidinis præsumpserunt dicere, se habuisse in illis actibus impudicis magna sentimenta de Deo, quod nihil aliud iudico, nisi quoddam incitamentum, & inductiuum ad similia secularius iterandum, & peiora perpetrandum. Dic mihi, qui talibus credis, & adhæres, si isti sunt vere spirituales, vt asseris, quid aliud loqui, aut facere deberent, nisi quod à Spiritu sancto procedere potest, vel procedit? Ab illo autem nihil procedit noxium, sed solum quod est vtile & honestum. Quid enim ad Spiritum sanctum de talibus osculis, aut qualem honorem inde consequitur Deus, & quæ vtilitas, aut quæ necessitas tibi ad salutem, vel alteri, vt hos tactus facias, vel patiaris? Quæ conuentio spiritus ad libidinem carnis? Quæ igitur præsumptio tua, vt hanc contumeliam inferas Spiritui sancto, scilicet attribuendo sibi tuæ impudicitiæ fœtorem, quem vix dæmones patiuntur? Quæ, inquam, temeritas tua mulier hypocrita, à facie Dei proiecta, vt dicas delectationem

Variæ, & noxiæ inclinationes hominum.

Spiritualis cautela.

tionem carnis libidinosam esse gratiam, & consolationem diuinā? Recede ergo fera pessima de finibus meis, quia dæmones nequeunt tuam præsentiam sustinere. Hæc itaq; fratres charissimi; non incongrue huic operi sunt inserta, vt sciat vnusquisq;, quod hæc venenosa affectio, sub colore spiritus acquisita, summe impedit puritatem confessionis, & cordis munditiam, vt sic hanc fugiat tamquam vitiosam rubiginem, quæ vix potest aboleri de mente, si alicui fuerit applicata, præcipue, quia tales personæ quamdiu sunt hac sagitta percussæ, quasi numquam pure, & integre confitentur, eo quod ipsum morbum despicabilem in persona spirituali, verecundantur totiens detegere plene, & integre confessori, quia verentur exprimere aliquas circumstantias tali affectioni annexas, quas vel tacent, vel imperfecte exprimunt, vtentes verbis operientibus dictum morbum, sicut sunt occupatio mentis quasi continua circa personam dilectam, & in oratione, & cunctis actibus suis, & imaginationes turpes de ipsa vana complacentia cordis, in memoria & aspectu mentali ipsius, & negligētia in euitando eius præsentiam, & colloquium, & alia, quæ experiuntur ipsi: propterea sæpe mutant confessorem, aut vellent mutare si possent. Sicq; tristes sunt, & acediosi frequenter, tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quam ratione confessionis imperfectæ, de qua ipsimet non contentantur, sed quod peius est, cum ipsi deberent quærere medicos spirituales cautos, & peritos ac expertos, qui scirent illam ægritudinem, & causas eius agnoscere, & congruum remediū adhibere, non solum non faciunt, sed potius si semel ad aliquem talem peruenerint, ipsum ex tunc fugiunt, nec reuertuntur ad ipsum. Quærunt ergo confessores idiotas, & simplices, qui nec morbum intelligunt, nec causas eius agnoscunt, & ideo nec sciunt congruam adhibere medelam. Tantum de hac materia dixisse sufficiat, vt per hoc confidenter animentur, per viam puram, & immaculatam incedere, & fugere periculosam pestem, familiaritatem mulierum spiritualium, quæ non melius, quam fugiendo vitatur. Satis enim posset quis hac sagitta percussus se ieiunijs, vigilijs, ac disciplinis affligere, & orare, quod si non fugiat personam, & omnem occasionem despiciat, numquam curabitur ab illo morbo, sed magis augebitur illud vulnus. Propter quod sequamur consilium beati Hieronymi dicentis: Feminā quam vides bene conuersantem mente dilige, non frequentia corporali: quia initium libidinis est in visitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non melius vincitur, quam fugiendo. quia ceteris vitijs, & morbis quis potest resistere, huic tamen non potest, nisi per fugam. Et alibi: Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in paradiso, non est mirum, si eos impediat, quia nondum ad paradisum peruenerunt. Et iterum: Solus cum sola non sedeat in secreto, absque arbitro, & teste. Et idem: Ne sub eodem tecto solus cum muliere manseris, nec in præterita castitate confidas, quia nec tu Samsone fortior, nec Salomone sapientior. Si forte dicas: Iam corpus emortuum est, dico tibi, quoniam diabolus viuit, cuius flatus, prunas extinctas ardere facit. Idem dicit: Omnes virgines Christi, & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Item beatus Augustinus dicit: Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus est habendus, nec tamen quia sanctiores fuerint, ideo minus cauendæ. Quæ enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & sub prætextu blandi sermonis, immiscent se vitijs impijssimæ libidinis. Crede mihi. Episcopus sum, in Christo loquor, non mentior. Cedros Libani, idest, contemplationis altissimæ homines, & gregum arietes, idest magnos prælatos Ecclesiæ sub hac specie corruisse reperi, de quorum casu non magis præsumebam, quam Hieronymi, & Ambrosii, Sic ait Bernandus; Quotidie conuersari vis cum muliere, & continens putari? Esto quod sis, maculam tamen suspicionis portas. Scandalum mihi es, tolle materiam, & causam scandali, quia, Væ homini illi per quem scandalum venit.

Familiaritas feminarum spiritualium maxime vitanda.

Hier. in ep. ad Oceanū de vita cleric. tom. 9.

Idem ad Nepot. ep. 2. Ibid. paulo ante.

Ibidem.

Ber. hom. 65. in Cant

Mat. 18. a

Caput XV.

De verbis vitiosis.

Sciendum, quod verba vitiosa, & grauia, distincte sunt confitenda secundum differentias suas, cum circumstantijs, & occasionibus earundem. De murmuratione, quæ fit quando narratur defectus personæ absentis, si confiteri habes, dic vtrum vere, vel false, & propter quam causam, scilicet ꝓpter odium, vel vindictam. Si induxisti, vel inducere cogitasti aliquem ad hoc, vel despexisti ex hoc, si alicui ex hoc nocuisti, vel alicui audienti generasti odium de illo, de quo dixisti, vel aliquid male accidit, aut accidere desiderasti: Non ergo sufficit dicere: Multotiens murmuraui, & de multis, nisi ista explices. Non tamen dicas defectum, de quo murmurasti si est verus, nec nomen personæ, sed dicatur qualitas personæ aggrauantis peccatum, sicut si de patre tuo, de sancto viro, de prælato, & propter quam causam. Et si defectus est falsus confitere defectum, & personam cui falsum imposuisti, & debes reuocare coram illis, quibus propalasti, maxime si defectus esset grauis. Sunt tamen quidam, qui vt minus displiceant confessori, exprimunt personam cui fecerunt iniuriam, vel de qua murmurauerunt, quando ipsa persona mala reputatur, quasi ab omnibus, vel præ omnibus odiosa, vt per hoc iudicentur minus peccasse. Sed hoc est vitiose dictum, quia debent in cordibus suis, reputare, & per confessionem ostendere, seipsos esse peiores, quam illa persona sit, quam in sui excusationem nominare præsumunt. Quidam adhuc peius faciunt, qui vt placeant confessori, personam exprimunt de qua murmurauerunt, vel offenderunt, auferendo rem, vel impediendo eius bonum, quia sciunt illam personam displicibilem confessori. Isti grauius peccant sic confitendo, quam sit peccatum confessum, quia contra charitatem proximi dupliciter peccant, quia faciunt confessorem de peccato gaudere, quod confitentur, & iniuriam inferunt alteri, & sic non dolent de peccato confesso, sed potius gaudent putantes per hoc captare beneuolentiam de detractione, quod grauius est, licet detractio sit quasi quoddam spirituale homicidium occultum. Sicut quando aliquis audit aliquem laudari, de aliqua virtute, & sufficientia, conatur auferre de corde laudantis, aut cuiuslibet audientis illam bonam opinionem, quæ habetur de illo, negando illud, & potius defectum istius declarando, aut hypocritam appellando, quia dicit, quod quidquid facit, pro humana laude facit. Hoc autem vitium committitur propter inuidiam, aut vanam gloriam. Nam detractor quærit laudari super alios, & potissime super illum cui detrahit, aut timet minus reputari, quam ille, qui laudatur, & inde oritur graue peccatum, quia affectat mortem, aut expulsionem, aut tribulationem, aut casum illius de cuius laude tristatur, & statim sunt dispositi ad audiendum hoc de ipso cum gaudio. Quod vitium nonnullos spirituales pulsat, qui nondum paracletum receperunt. Quidam autem ore non murmurant, nec detrahunt, ne & ipsi despiciantur, aut de ipsis murmuretur; appetunt tamen illud fieri ab alijs. Et omnia talia cum motiuis, & causis, sunt integre confitenda. De duplicitate, quæ mendacium dicitur, quæ est quando lingua, & intentio non concordat, quia facit intelligi, & credi quod non est. Tales quandoque sunt duplicitates proditoriæ, sicut in Iuda quando dixit: Aue Rabi. Isti mel in ore gerunt, & retro pungere quærunt. Nam post osculum fecit capi Christum. De simulatione, quæ est in verbis, signis, & operibus exterioribus, cuius contrarium est in mente, hoc est, proprium hypocritarum. Est autem simulatio, falsitas veritate depicta. Vel est vitium, verbis, & actibus virtuosis opertum. Simulatio in verbis est quando te dicis insipientem, & vitiosum, vt per hoc humilis reputeris, & humilia præ-

De peccatis linguæ.

Varia hypocritarum, simulatio.

eligis, vt non credatur, quod virtuosus, & sufficiens reputari velis. si autem non virtuosus reputaris, tunc turbaris. Est ergo humilitas, in verbo, superbia, in mente. Simulatio in opere est, quando fit actus virtuosus, vt solum fama acquiratur. Simulatio in signo est, quando prætenditur honestas in sensibus, & cor plenum est inhonestate, nec trahitur quis ab opere malo, nisi quia caret opportunitate quam vellet. Sic quidam religiosi de die quando videntur, vt reputentur sancti, & honesti, sensus suos valde componunt, & maxime in officio, & choro, inclinationes profundas & similia faciendo, sed de nocte nulla signa deuotionis ostendunt, dum non sentiunt se videri. Sic quidam se macerant abstinendo, vt spirituales appareant, & iudicentur. Aliqui exterius apparent patientes subridendo; qui tamen pleni ira & tristitia dolent de iniuria eis facta. & sic omnis hypocrita est simulator, duplex, & falsus, & per consequens inimicus, & proditor veritatis. Et ideo quia huic vitio multa sunt annexa alia, cum diligenti examinatione, debent in confessione euomere virus suum. Mendacia sunt secundum species suas confitenda, quia quædam sunt aliis noxia, & hæc sunt grauiora non noxiis, quædam deliberate prolata grauiora à casu prolatis, quædam iocosa ad gaudium prouocantia, quæ tamen à viris perfectis sunt arcenda. Qui vero dicunt mendacium per quamdam inaduertentiam, sicut narrantes historias, aut multum, aut prolixe loquentes, debent confiteri quæ noscunt falsa. Qui vero in prædicationibus narrant miracula non vera, aut historias deriuas, seu fabulas, aut textum Scripturæ sacræ trahunt indebite, vt coaptent verba, male faciunt, & debent confiteri, quia tot veritates sunt in Scriptura, quæ possunt dici, quod non oportet taliter facere, quoniam mendaciis non eget Deus. Adulatoria, vt sunt verba blanditoria ad complacendum, vel vt commendetur, vel vt beneuolus fiat, vel seruitium recipiat, sunt confitenda tamquam mendacia, exprimendo intentionem quam habuit in prædictis, & potissime qui adulantur gestibus corporis, & actibus manuum, & oculorum, vt ostendant affectionem, & compassionem ad aliquem, quia omnes tales sunt mendaces, & falsi.

Mendacia.

Adulatio.

CAPVT XVI.

Eruditio vtilis ad omnia supradicta.

VT autem scias melius confiteri, studeas saltem semel in die examinare, quomodo tempus expendisti, & discurre per singulas horas cogitando loca, in quibus fuisti, cum quibus personis, quid cogitasti, quid dixisti, quid audiuisti, quid fecisti, vt cognoscas relaxationes linguæ, cordis, & sensuum, in quibus, & quotiens offendisti, aut dedisti aliis materiam offendendi, & sic ordina in mente tua, sicut ea fueris memor commisisse: quia melius explicabis omnia quorum fueris memor, & illa pluries pertracta, & ordinate repete in mente tua. nec te pigeat in tali examinatione exercere, quia pax, & lætitia mentis, quam inde consequeris, superexcedit omne gaudium mundanum. Quod si absque difficultate magna, & cum magna tranquillitate animi, istum modum volueris obseruare, stude in paucis delinquere, vt pauca possis recolere, & confiteri. Confessorem eligas compassiuum, probatum in tentationibus, & in via continentiæ se exercentem, cui sæpe confitearis, & aperias omnes defectus clare & lucide, & stimulos quibus molestaris. Sit ille discretus, charitatiuus, humilis, & intelligens, sic quod possis ad ipsum confidenter recurrere, & sciat tibi remedium adhibere. Aliter autem si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Ad ista melius obtinenda, necessaria est tibi solitudo, quæ est via primaria ad cordis munditiam, & tutela ad custodiam. Vnde si es religiosus, si pacem quæris, hinc minime egredieris. Versus.

Qualis debeat esse confessor.

Mat. 15. b

Cella quasi cœlum sit tibi, quæ cœlica cernas.
Hic legas, hic ores, mediteris, crimina plangas.
Pax est in cella: foris autem plurima bella.

Si autem es sæcularis, fuge consortium quantum potes, nisi pro euidenti vtilitate, aut necessitate. Expedit etiam, vt portes, in corde propositū tibi cauendi pro posse ab omni offensa Dei, & proximi, & debes te armare cum oratione dicendo, Deus in adiutorium meum intende, &c. quia sine auxilio Dei, impossibile est te à quantumcumq; minimo peccato liberari. Et quamuis Deus permittat, quantumcumq; ipsum rogaueris in oratione, vt in aliqua peccata incidas, non tamen propter hoc desistas à bono proposito bene operandi: quia hoc Deus permittit, vt agnoscas te infirmum, & continue diuino auxilio te indigere, nihilque boni per te ipsum posse perficere, quantumcumq; cupias, & proponas. Propter quod oportet semper orare & non deficere. Ille autem semper orat qui non cessat bene facere, & mala vitare desiderat. Si autē ab incœpto opere bono destiteris, eo quod in oratione non exaudiris, tunc est signum quod spiritualis officij, quod est conscientiæ puritas, cares principio, cui est annexa cognitio propriæ vilitatis, ad quod cōsequitur virtus humilitatis, quæ mentem in bono confirmat, & facit hominem contentari de omnibus iudiciis, & permissionibus diuinis, circa omnes creaturas & se. Dum enim in veritate teipsum agnoscis, omnibus compateris, nullum odis, nulli inimicaris, plus gaudes de passionibus, & pœnis corporalibus, quam de consolationibus carnalibus, quia te vides ista meruisse, & esse vtilia, hæc autem esse periculosa. Sic ergo omnia præter peccatum diligas, nihil te præter Deum afficiat, nihil te nisi culpa contristet. Et quoniam cognitio, & accusatio sui ipsius acquiritur per mentis munditiam in solitudine & mentali oratione, necesse est, quisquis ad hanc puritatem peruenire affectat, solitudinem veluti matrem orationis, & munditiæ amplectatur, & ibi in lectione & sui cordis scrutatione se quotidie sic exerceat: quod omni otiositate vitata, omnique humana verecundia postposita, & despecta, ad veram, & puram, & integram, & plenam confessionem nunc se præparet, & disponat.

CAPVT XVII.

De modo cognoscendi seipsum.

POstremo qui vult ad sui perfectam cognitionem cito & faciliter peruenire, ac perfectè pacē conscientiæ possidere. Primo cor suum spoliet omni amore, & affectione sensuali à quacumq; persona, & re temporali, sic quod inter Deum, & cor tuum nullū sit medium, & nihil diligas extra Deum, nec præter Deum, & tunc talis affectio non erit medium impediens, sed adiuuans, & cooperans. Secundo exuat cor suum ab amore inordinato ad seipsum, videlicet, quod non sit fur, & latro honoris, & laudis, appetendo aliquid de his quæ debentur soli Deo simpliciter. Nihil etiam terrenum appetat, nisi pro Dei seruitio, & vtilitate animæ suæ, vel proximi, & abneget propriam voluntatem, cupiat alienum velle potius quam suum perficere, nec à voluntate Dei, ac eius permissione animus suus discordet. Tertio ad suę conscientiæ stimulum frequēter se exerceat, memorando præterita delicta, seipsum arguendo de negligentia, concupiscentia, & nequitia. De negligentia quidem se arguat, si cor suum non bene custodiuit, si tempus inutiliter expendit, si opera sua in finem debitum non reduxit. Adhuc si fuit negligens in oratione, in lectione, & boni operis executione, quorum vnum non sufficit sine altero. Adhuc si fuit negligens ad agendū pœnitentiam de commissis, ad resistendum tentationibus à Deo permissis, ad proficiendum in bonis sibi impensis. De concupiscentia autem se reprehendat, cogitando si in se viuit, aut vixit, concupiscentia, & voluptas, appetendo dulcia, mollia, & cibaria sapida, vestimenta delitiosa, & oblectamenta luxuriosa, quæ omnia in primo motu

sunt fugienda. Item si viuit in se, vel vixit concupiscentia curiositatis, appetendo scire occulta Dei, aut creaturarum, videre pulchra, habere pretiosa, & similia, quæ omnia procedunt ex auaritia. Item si in se viuit, aut vixit concupiscentia vanitatis appetendo humanum fauorem, vel honorem, laudem, & propriam gloriã. Hæc & omnia quæ faciunt hominem vanum, sunt fugienda à quocumque, & maxime religioso, qui debet ambulare in veritate coram Deo, & hominibus, in cunctis bonis operibus suis, & ordinare cor, verba, & opera in laudem Dei, & ædificationem proximi, & vtilitatem sui nihil extra Deum vllatenus appetendo. De nequitia vero se arguat cogitando si in se viuat, aut vixit iracundia in verbo, in animo, vel in exteriori signo, & si aliquem ad iracundiam prouocauit. Hoc autem vitium non potest corrigi, nisi per spiritum veritatis, vt scilicet homo consideret quid meruit per peccatum mortale, ac per hoc bonitatem Dei attendat, & patientiam quæ ipsum sustinuit vsque nunc. Nec adhuc eum damnare vult, cum iuste possit, ac poterit, quoties mortaliter peccauerit. Cum ergo veritas ingreditur animam, & ibi permanet, omne cor impatiens, & furiosum efficitur humile, & mansuetum, & omne cor durum, & impium, efficitur pium, & compassiuum. Hæc autem virtus ingreditur solummodo in cor mundatum. Item cogitet si in se viuit, aut vixit nequitia inuidiæ, quæ de bono alterius contristatur, & de malo iucundatur, quod vitium directe contradicit Spiritui sancto, & ideo ex inuidia oritur peccatum in Spiritum sanctum, quod dicitur inuidentia fraternæ charitatis, contra quod scriptum est in Matthæo: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et ideo hoc peccatum non remittitur in hoc sæculo, nec in futuro. Item cogitet si in eo est, vel fuit nequitia acediæ, quæ consurgit ex tædio boni, aut si ex otiositate nimia, aut ex timore, vel dolore alicuius mali. Et ex hoc oriuntur pessima, videlicet, suspiciones, malignæ cogitationes, blasphemiæ, diffidentia de Deo, & finalis desperatio. Ad hanc sæpissime deueniunt insolentiæ dediti, & qui se negligunt in bonis exercere, & tempus suum vtiliter expendere, necnon qui nimis est ambitiosus appetendo excessiue honorem, talis, qui appetit supra meritum suæ sufficientiæ, numquam habet quod appetit, sed quod peius est, iusto Dei iudicio, tanto magis ad ima trahuntur, quanto magis seipsos eleuauerunt, & procurauerunt per alios trahi sursum. Qui ergo hoc vitium vitare desiderat, studeat otium euitare, ac mentis, & corporis superare pigritiam, eorumq; occasiones præcidere, quæ sunt amor quietis, & immoderantia victus, propter has duas causas, peccata pessima sunt perpetrata. Ex his occasionaliter, venit ira Dei super Sodomam, & Gomorrham. Idcirco sancti Patres fugientes de sæculo ad desertum, contra illud vitium acediæ quæ inficit, & dissipat omne bonum, statim armis temperantiæ, & occupationis, & continentiæ, vt otiositatem radicem omnis mali inciderent, se principaliter muniebant.

Matt. 20. b

CAPVT XVIII.

De peccatorum origine.

De ingratitudine, siue elatione.

OMnium vitiorum capitalium vnum est initium, scilicet ingratitudo. Duplex est enim radix, scilicet timor male humilians, & amor male inflammans. Triplex fomentum est, concupiscentia carnis & oculorum, & superbia vitæ. Septiforme caput est, superbia, ira, inuidia, acedia, auaritia, gula, luxuria. Inter quæ sunt quinque peccata spiritualia, & duo carnalia. Cum tamen peccatum mortale, non sit aliud quam recessus à Deo, per ipsius contemptum, in se vel in suo præcepto. Contemptus autem Dei fit superbia, igitur necesse est, vt omnis peccati mortalis culpa sumat initium à superbia. Quia vero nullus contemnit Deum, vel suum præceptum, nisi quia aliquid ab ipso timet perdere, aut vellet acquirere, ideo oportet, quod omne actuale peccatum trahat originem ab hac duplici radice, aut amoris, aut timoris. Omnis autem timor habet ortum ab amore, quia nullus timet perdere nisi quod amat, ideo amor, timor ab eodem fouentur. Et quia amor inordinatus est respectu boni temporalis, & illud est interius excellentia, & exterius pecunia, inferius lasciuia carnis. Ideo tria sunt fomenta vitiorum capitalium, & actualium, ad quę dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia ordiuntur. Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo sunt septem peccata capitalia, ex quibus generatur vniuersitas peccatorum.

CAPVT XIX.

De peccato in Spiritum sanctum.

QVamuis omne peccatum sit contra Deum trinum & vnum, appropriatur tamen aliquod peccatum in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum sanctum. Peccatum autem in Spiritum sanctum est irremissibile in hoc sæculo, & in futuro, non quia in hoc sæculo non possit remitti, sed quia non dimittitur nisi raro, aut vix in hoc sæculo quantum ad culpam, & modicum in futuro quantum ad pœnam. Huius autem peccati sunt sex differentiæ. Inuidia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, desperatio, præsumptio, obstinatio, finalis impœnitentia. Primum est contra charitatem Dei inquantum dolet, quod Dominus Deus est bonus, qui ex bonitate sua dat gratiam, & etiã est contra charitatem proximi. Secundum est contra veritatem fidei, quæ est fundamentum nostræ salutis. Tertium est contra misericordiam Dei, quia credit se plus peccasse, quã Deus possit parcere. Quartum est contra iustitiam Dei, quia tantũ præsumit de misericordia Dei, quod credit se non debere puniri de peccatis, ac per hoc se relaxat ad peccandum, & pœnitere non curat. Quintum est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit resilire à peccatis commissis. Sextum est contra gratiam pœnitentialem, quæ facit præcauere à committendis secundum quod ipsa finalis impœnitentia dicitur propositum non pœnitendi. Sic enim est species peccati in Spiritum sanctum. Secundum autem quod dicit continuationem peccati vsque in finem, sic est sequela omnium mortalium, quæ in hac vita non remittuntur, & maxime omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Et sic omne peccatum initium sumit à superbia, & finem habet à finali impœnitentia in quam qui deuenit, punitur in gehenna, à qua finali impœnitentia nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi interueniat gratia mediatoris Christi.

Peccati in Spiritum sanctum, sex differentiæ.

CAPVT XX.

Peccati descriptio.

CVm omne peccatum dicat recessum voluntatis à primo principio, inquantum ipsa voluntas nata est agi ab ipso, & secundũ ipsum, & propter ipsum, ideo omne peccatum est inordinatio mentis, vel voluntatis, circa quam nata sunt, esse virtus, & vitium. Peccatum igitur actuale, secundum Augustinum, est dictum, vel factum, vel concupitũ contra legem Dei. Vel est actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista, aut est tanta quod ordinem exterminat iustitiæ, & sic dicitur peccatum mortale, quod natum est auferre vitam ab anima, separando ipsam à Deo, per quem viuificatur anima iusti: aut est tam modica, quod ordinem istum non perimit, sed aliquantulum perturbat, & sic dicitur veniale peccatum, quia de ipso cito possumus veniam obtinere, pro eo quod ipsum non tollit gratiam, non incurritur inimicitia Dei. Ordo autem iustitiæ est, vt bonum æternum præferatur temporali, & bonum honestum vtili, & Dei voluntas propriæ, & iudicium rationis

Peccatum mortale & veniale.

præſit ſenſualitati humanæ. Et quia lex Dei præcipit hoc, & vetat oppoſitum, ideo quando præfertur temporale æterno, vtile honeſto, ſenſualitas rationi, voluntas propria diuinæ, tunc committitur peccatum mortale. De quo dicit Ambroſius, quod eſt præuaricatio legis Dei, & cœleſtium inobedientia mandatorum. Hæc autem committitur, quando omittitur quod lex præcipit, ſiue fit quod lex vetat. Ex quo oritur duplex genus peccati, ſcilicet, delictum, & commiſſum. Quando vero bonum temporale plus debito diligitur, ſed non præfertur æterno: & quando honeſto præfertur vtile, & naturalis voluntas plus debito amatur; ſic tamen quod non præfertur diuinæ, & caro concupiſcit, non præfertur iudicio rationis rectæ, tunc eſt tantum peccatum veniale, quia licet hoc ſit præter legem Dei, nō tamen eſt directe contra eā. Senſualis autē appetitus non præfertur rectæ rationi, ſi quando ratio ei conſentit, ideo peccatū mortale non committitur ſine conſenſu. Si autem ſenſualitas inordinate moueatur, cum iſta inordinatio ad malum declinet, & in hoc ratio non conſentiat, non eſt aliquod peccatū, quia nec aliquo modo lædit ordinem iuſtitiæ. Et quia in ſtatu innocētiæ non mouebatur ſenſualitas, niſi ſecundum motum rationis, ideo ſtante hoc non poterat ibi eſſe veniale peccatum. Nunc autē quia rationi repugnat ſenſualitas, velimus, nolimus, ideo neceſſe habemus, committere veniale peccatum aliquod per primos motus. Et licet particulariter ac ſingillatim poſſint deuitari, omnia tamen nullo modo poſſunt caueri, quia ſicut peccata ſunt, ita & pœnæ peccati originalis, vel actualis. Et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipſo digna ſunt venia. Verum quia ratio his conſentire non compellitur, ſi poſt conſenſum delectationis conſentiatur in opus, tunc eſt plenus conſenſus, ac per hoc eſt peccati conſūmatio, quæ peruenit vſq; ad ſupremam portionem rationis, ex qua pendet plenitudo conſenſus. Quia vero non ſolum conſenſus in opus verum, etiam in delectationem, eſt, in quo inferior pars ſequitur ſenſualitatem, ideo ſi in delectationem ſenſualem ratio ſenſualitati conſentiat, & ſuccumbat, propterea fit ſubuerſio ordinis recti & iuſtitiæ, propter quod committitur peccatum mortale, quamuis minus graue, quia non ſolum imputatur inferiori parti rationis, ſed etiam ſuperiori, qua debuit compeſcere, & cohibere inferiorem, ne conſentiat.

CAPVT XXI.

Confeſſio ſiue humiliatio ſuipſius.

Recognitio modeſtiſſima auctoris.

ECce deſcripſi cor mundū, & conſcientiam puram, vir ergo immundus & maculatus, multum me oſtendere ſciens, & meipſum neſciens, alienos defectus dijudicans, & meos non inſpiciens, vitia & occaſiones vitiorum vobis aperiens, & ipſa vitia in meipſo corrigere negligens, feſtucam in oculo alieno perſpiciens, & in meo trabem non conſiderans, alienæ vitæ dux eſſe præſumens, & moderamina vitæ propriæ non tenens, omnium mores diſcutiens, & meos non deſerens, erga meipſum cæcus permanens, & circa alios oculatus exiſtens, fraterna tamen charitate coactus, quia omniū fratrum animos ſincere amplector, eo maxime quo eos ſentio perfectam cordis affectare munditiam, mundumq; cor ſollicite ac ſtudioſe perquirere, quo ipſam attingere valeatis (vt ſupra ſcriptum eſt) veſtra charitatiua dilectio humiliter, & benigne ſuſcipiat, vbi ſicut in ſpeculo & exemplo veriſſimo viam & ianuam, per quam ingreditur anima in atrium domus Domini, quod eſt conſcientiæ puritas, diligentiſſime ſpeculetur, firmiter attendentes, quod ad dictum atrium nullus vmquam in hac vita peruenit, niſi modo prędicto ſeipſum agnoſcere ſtudeat ſecundum notitiam ſibi datam à Domino, ſuamq; conſcientiam mundam, & immaculatam ſeruare, & hoc per confeſſionem purā, veram & integram ſuperius memoratam. Ipſe namque modus confitendi ſuper humilitate perfecta fundatur, procedens ex filiali Dei timore, qui non patitur in corde habitare peccatum, nec circumſtantias peccati, quibus putet Deum eſſe offenſum, dummodo ſtatim euomat per confeſſionem, ſecundum ſui poſſibilitatem, & notitiam habitam de peccato. Et huiuſmodi ſollicitudo ſeruandi cor mundum, & conſcientiam puram, eſt ſignum congruū & euidens, quod quis inter electos Dei filios computetur. Vnde talis anima ſecure poteſt dicere: Domine dilexi decorem domus tuæ, id eſt, munditiam animæ meæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, id eſt, puritatem conſcientiæ meæ. Et ratio: Quia in voluntate tua præſtitiſti decori puritatis meæ virtutē, & in iuſtitia apparebo purus & mundus in conſpectu tuo, & ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Ad quam nos perducat ipſe Deus, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 25. b

INCIPIT

MYSTICA THEOLOGIA DOCTORIS SERAPHICI S. BONAVENTVRÆ ORDINIS MINORVM

A QVIBVSDAM ASCRIPTA HENRICO de PALMA: à quibuſdam, alijs:

A PLVRIBVS TAMEN ASCRIbitur S. BONAVENTVRÆ.

Præcedens titulus eſt in antiquis impreſſis Argētinæ Anno M.CCCC.XCV. ex quo apparet iam tum addubitatum de Auctore huius Opuſculi. Sed quod nec S. Bonauenturæ ſit, nec alicuius ordinis Minorum videtur colligi manifeſte ex antiquo manuſcripto exemplari: Cuius hæc eſt inſcriptio : Ieſus Chriſtus Mariæ filius. Incipit liber, qui dicitur, Myſtica Theologia. *Vbi enim de beneficiis ſpecialibus agitur cap. 1. part. 2. loco illorum verborum:* Quem maxime ad religionem fratrum Minorum diuina clementia prouocauit. *Mſ. ſic habet*: Qui maxime ipſum ad religionem Carthuſienſis ordinis diuina clementia prouocauit. *Et mox infra, Mſ.* Tertio recolat illud, ad quod vocatur; quia non ad regulam Beati Benedicti. *Et ſubditur:* Sed ad ipſam ſacratiſſimam, quam ipſemet elegit, quando ductus eſt in deſertum, vbi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit, & Præcurſor ſuus, &c. *Impreſſa inter illa verba*, Ieiunauit, *atque*, Et præcurſor ſuus, *interſerunt hæc:* Et in maxima paupertate per mundum prædicauit, & ſaluti omnium ardentiſſime intendit. *Vnde ab aliquo Carthuſienſi compoſitum Opuſculum videtur, & quibuſdam immutatis, & auctis illud S. Bonauenturæ adſcriptum; niſi quis idem retorqueat argumentum. Stylus vero non eſſe Bonauenturæ perſuadet. eſt enim Sanctus is Doctor conciſus quidem, ſed quantum fieri poteſt in breuitate perſpicuus. At vero Tractatus iſte diffuſus eſt & obſcurus, ſed ad anagogicos exceſſus affectui admodum vtilis.*

PROLOGVS.

VIæ Sion lugent, eo quod non ſit, qui vadat ad ſolemnitatē. Licet Hieremias propheta dixerit hoc verbum, captiuitatē populi ſui deplorans: tamē hoc poterit ſpeculator quiuiſ; intelligēs exclamare, tantā captiuitatem animarum, tantam declinationem à ſemitis

Thren. 1. b

iustitiæ, & viis æquitatis in mundo viuendo dicentes. Viæ enim dicuntur amantium desideria animarum, quibus ad Deum, & ad supernam ciuitatem Hierusalem super omnem rationem & intellectum, etiam in terreno corpore habitantes animæ subleuantur. Quæ viæ etiam lugere dicuntur, eo quod non sit qui ad tantam solemnitatem aspiciat. Eo quod abiecta vera sapientia, tam clerus quam populus mundanis deliciis, vel inutilibus curiositatibus se immergat. Sed, quod multo magis est dolendum, & cordis lacrymis incessibiliter lamentandum, quod multi religiosi, multi etiam viri famosi reputati, veluti quondam populus Israeliticus recto cultu creatoris manufactis idolis seruierunt, sic relicta vera sapientia, qua Deus solus perfecte interius colitur, & à solis amantibus adoratur, diuersis scientiis, & fabricationibus multiplicium argumentorum inuentitiis, quasi quibusdam idolis miserabiliter mentem impleuerunt. In quibus sic absorbentur diabolo instigante, & sic mens ipsorum in istis totaliter possidetur, vt vera sapientia locum in eis non inueniat. Nam hac pessima occupatione, quam Deus dedit filiis hominum, infeliciter captiuantur, ita vt non sit spiraculum, quo suum creatorem anima per flammigeras amoris affectiones contingat. Non enim ad hoc animã creauerat, vt contra suam generositatem multitudine quaternorum quinarũ pellium repleretur, sed ad hoc vt esset sedes sapientiæ, & in ipsa rex pacificus ciuitatis supernæ, scilicet Deus altissimus, resideret. Sapientia enim hæc quæ Mystica Theologia dicitur, à Paulo Apostolo est edocta, à Dionysio Areopagita suo discipulo conscripta, quę idem est quod extensio amoris in Deum per amoris desideriũ. Quantum distat ortus ab occidente, omnium creaturarum scientiã incomparabiliter præexcellit. Nam alias scientias mundi doctores edocent, sed de hac à solo Deo immediate, non à mortali homine spiritus edocetur. Ista diuinis illuminationibus, & distillationibus cœlestibus scribitur in corde: illa vero penna anseris, & atramento scribitur in pelle. Ista vero dicit, Sufficit: nam per istam animus causam inuenit, scilicet Deum creatorem suum, & in ipso, qui est fons bonitatis totius, & beatitudinis immediatissimæ, conquiescit. Alia vero numquã dicit, Sufficit. Nam iustum iudicium est, vt qui non curando de summa sapientia, à summa veritate deuiat, veluti cæcus in tenebris inuoluatur, & sic per vana, & deuia anima infatuata humanis inuentionibus insensata discurrat. Item ista affectum inflammat, intellectum illuminat: alia vero quam pluries inueniens vera sapientia cor euacuatum, inflat, quam pluries variis opinionibus, & diuersis erroribus intellectum obtenebrat.

Vera sapientia in inutilibus scientiis impeditur. — *Eccli. 1.* — *Mysticæ Theologiæ definitio, & eius excellentia.*

Suasio.

Igitur relicta humana sapientia, curiositate scientiæ inutilis, argumentationum, & opinionum capturis, religiosa anima per amoris ascensionem ad fontem omnium desiderando ascendat, in quo solo reperiat veritatem. Sed quia hæc summa sapientia non potest ab homine edoceri, subditur, quomodo quilibet quantumcumq; laicus in schola Dei existens, hanc sapientiam ab ipso immediate recipiat super omnem intellectum, per amoris affectum, quam nullus philosophus, nullusque alius scholaris sæcularisque magister, nulla humana intelligentia quantumcumque studeat, apprehendit.

Triplex via ad perfectam sapientiam.

Triplex est igitur via ista ad Deum, scilicet purgatiua, qua mens ad discendam veram sapientiam disponitur. Secunda vero illuminatiua dicitur, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accenditur. Tertia vnitiua, qua mens super omnem intellectum, rationem, & intelligentiam à solo Deo sursum actu dirigitur. Nam sicut videmus in pontibus dum fiunt, quod prius ligna supponuntur, vt firmitas muri lapidei superius ædificetur, & perfecto ædificio iam ligna supposita penitus admouentur: sic & mens cum primo sit in amore imperfecta, post ad amoris perfectionem meditando consurgit: & cum per multum exercitium in amore vnitiuo fuerit confirmata, & propter multas flammigeras amoris affectiones, siue aspirationes supra seipsam creatoris sui dextera subleuata, citius quam cogitari possit, sine omni cogitatione præuia, vel concomitante, quotiescumq; placet, centies vel millesies de die, vel de nocte in Deo afficitur, ad ipsum solum possidendum, innumerabilibus desideriis aspirando. Sic enim quilibet nouus discipulus ad perfectionem huius scientiæ gradatim ascendat; vt primo in via purgatiua, quæ est via puerilis & incipientium studiosissime se exerceat, quæ hic incipit: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Postea autem per spatium modici temporis, scilicet per mensem vnum, vel per duos, secundum quod diuino super irradiante lumine, sibi videbitur expedire, ad amorem cogitando consurgat. Quod si præsumptuosum forte alicui videatur, quod anima inuoluta peccatis multiplicibus, audeat à Christo amoris petere vnionem, in seipso cogitet nihil esse periculi. Dũ primo osculatur in pede, per peccatorum recordationem. Secundo in manu, per beneficiorum sibi collatorum recognitionẽ. Tertio ascendat ad osculum amoris, ipsum solum desiderando, & ipsi soli affectibus flammigeris adhærendo, vt secundũ quod subsequenter videbitur dicendo orationẽ Dominicam, prout per ipsam mens cogitando consurgit, ordinate ascendat. Quarto se exercendo secundum viam illã, quæ illuminatiua dicitur, quæ ibi incipit; Nox illuminatio mea in deliciis meis; conscendit anima ad multo eminentiorem gradum & statum, in quo etiã quotiescumque vult sine aliqua cognitione præuia, anima Deo immediate afficitur, quæ ad plenum non potest aliqua humana industria edoceri, sed exercendo se per viam purgatiuam, & illuminatiuam anima experimentaliter percipit, solo Deo interius dirigente & docente, quod non potest vi aliqua mortali, vel eloquentia reserari. Quod nec Aristoteles, nec Plato, nec aliquis mortalis aliqua philosophia, vel scientia potest, nec potuit, nec poterit intelligere, quod solus Dominus, siue amor docet interius, vt discat omnis rationalis anima à summo doctore, & æterno acquirere scientiam: in qua omnis ratio, & intellectus deficit, & affectus per amorem dispositus, transcendens omnem humanam intelligentiam supernatat, sola amoris vnitiui regula, ad ipsum qui est fons totius bonitatis, spiritum dirigente.

Psal. 88. — *Psal. 138.*

Hæc igitur est Mystica Theologia, id est, occultus sermo diuinus, quo mens ardore disposita, linguis affectionum Christum suum dilectum occulto alloquitur, in cuius mystico tractatu sic proceditur. Primo manifestatur via purgatiua, in qua declarantur tria: primo quomodo anima purgari debeat: secundo quomodo vera oratione, gratię abundantia impetretur: tertio, quomodo peccator plenam de peccatis indulgentiam consequatur. Secundo duo manifestantur. Primo de via illuminatiua subditur, vbi primo docetur, quomodo mens vsualiter per Dominicam orationem meditando, ad amorem consurgat: secundo, quomodo per eandẽ viam expositione orationis Dominicæ, omnis scriptura anagogice totum referendo in Deum spiritualiter exponatur. tertio determinatur de via vnitiua, quæ incipit ibi: O sapientia, quæ ex ore altissimi, &c. Vbi primo manifestatur quanta vitæ sublimitas, & quanta virtutũ consummatio per mysticam sapientiam, ad hoc vt magis appetatur, & ab ipsis exercentibus acquiratur. Quod si forte alicui legenti nimis difficile videatur, propter scientiæ profunditatem, vel propter verborum obscuritatem: iam illud tangat tertia via, quæ est super omnem intellectum, exerceat se in via purgatiua, & via illuminatiua subsequente, & statim experietur, & intelliget in seipso, solo Deo interius operante, quidquid de tertia via inueniet in scripto, vel audiet ab aliquo. Nam in hac sapientia necesse est, vt in seipso primo percipiat experimentaliter veritatem, & deinde sententiam omnium verborum, quæ ad mysticam sapientiã pertinent, in comparatione cuiuslibet doctrinæ facillimã iudicabit. Hæc enim sapientia in hoc differt ab omnibus aliis scientiis, quia in hac primo oportet vsum habere in seipso, quã verba intelligere, & practica hic præcedit theo-

Diuisio totius operis. — *Eccli. 24.* — *Quomodo sapientia mystica differt ab aliis scientiis.*

ricam

ricam. In alijs scientijs necesse est, primo verba intelligere, quam quæ addiscitur, scientia habeatur. Quæ inquantum à nobiliore doctore acquiritur, intantū citius possidetur, & ita fit, vt in ipsa aliquis Deo docente sit perfectior discipulus, quam in aliqua liberalium artium perfecte intelligens magister, vel in arte mechanica bonus faber. Secundo, scil. in illo loco: Accedite ad eū & illuminamini, &c. docetur quomodo per omnes creaturas tā superiores, quam inferiores, anima rationalis ad amorem Creatoris obtinendum, perfecte instruitur. Tertio ipsius Mysticæ Theologiæ textus manifeste exponitur, in quo licet sint pauca verba, tamen est quasi infinita sententia. Qua perfecte intellecta, tam librorum beati Dionysij difficultas, quam totius veteris & noui testamenti sensus mysticus veris amantibus elucescit. Nam sicut ab vno fonte deriuātur plures riuuli, qui quasi in infinitos fluuios deriuantur: & sicut ab vno puncto centrali procedunt quasi infinitæ lineæ, sic intellectis illis pauculis verbis, quę ibi exponuntur, in quibus spiritus edocetur, quomodo vniri Deo debeat, in suo summo apice constitutus, & ibidem experimentaliter inueniet totius sapientiæ originem. Ex qua coniunctione mens de inferioribus scientijs præclare intelligendis, sacræ Scripturæ expositionibus verbis idoneis in prædicatione, ad inflamanda corda audientium fidelis discipulus multipliciter & affluentissime eruditur. Quarto subduntur octo industriæ, in quibus anima ad acquirendam istam sapientiam, & conseruandam habitam, sagaciter edocetur. Vltimo contra aliquos sciolos hanc supremam sapientiam impugnantes, & dicentes, quod numquam consurgit affectus, nisi præmeditando & cogitando, disputatio subditur, āuctoritatibus, & rationibus ipsorum error conuincitur, & huius sapientiæ veritas efficacius enodatur, quod sine media præeunte discretione, sed solo amoris vehiculo supra seipsam quotienscumque vult experimentaliter anima subleuatur, quod nec ratio intelligit, nec intellectus speculatur, sicut ibi dicitur: Gustate & videte.

Psal. 33. a *Psal. 33. b*

CAPVT I.

De via purgatiua, in duas particulas distinctum.

PARTICVLA I.

IVstitia & iudicium præparatio sedis tuæ, &c. Cum enim anima per mentis affectum ad perfectam sponsi cœlestis vnionem peruenire desiderat, necesse est, vt qui pane Angelorum, quo beati spiritus reficiuntur in gloria, adhuc in miseria degens, quasi quibusdam micis cadentibus appetit satiari, triplici officio Angelorum quasi gradatim ascendendo, in missione diuinæ influentiæ subleuetur. Cum enim dicat beatus Dionysius in hierarchia Angelorum, quod triplex sit Angeli officium, scilicet purgare, illuminare, & perficere: oportet, vt anima quæ vult ascendere ad illum altissimum panem in præsenti, in quo mentes Angelicæ absorbentur in gloria, vel vt eorum imitatrix primo purgetur, secundo diuinis fulgoribus illuminetur, tertio in supremo apice affectiue constituta vnitiui amoris culmine perficiatur.

Psal. 88. c *Dionys. de cal. hierar. cap. 10.* *Via purgatiua.*

Primo ergo dicendum est de prima via, scilicet purgatiua, quæ est quasi puerilis, & incipientium, per quam mens adhuc rudis disponitur sine mortaliū hominum documento, solis insistens doctrinis cœlestibus, vt experimentaliter quamquam sit simplex, vel laicus, ad practicam non ad theoricam illuminationem, diuina manifestatione necessario subleuetur. Ante enim quam illa sapientia, quæ Deus est beatissimus in spiritu rationali veluti in domo propria conquiescat, iuxta illud: Anima iusti sedes est sapientiæ, oportet, vt de ipsa iudicium & iustitia fiat. Iudicium, vt sicut à Creatore suo se auertendo (sicut fit in omni peccato mortali) ipsum contempsit Creatorem, pro creatura lamentabiliter relinquendo: sic ipsa humilietur totaliter, vt humiliatio ipsius incipientis, intantum ipsius clementiam prouocet, inquantum ipsius contemptus diuinam contra se sententiā in peccatis anterioribus prouocauit. Oportet etiam, vt ibi sit iustitia, vt illa anima quæ aliquando delectationem Creatoris, in delectationem creaturæ peccatis suis exigentibus commutauit, quod intantum doleat, vel saltem se non dolere doleat: vt diuinę iniuriæ secundum iudicium ipsius tam misericordis, videatur secundum humanam iniuriam aliquatenus satisfactum, iuxta illud: Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum: vt secundum artem medicinæ per duo contraria, scilicet per humilitatem contra pristinum contemptum, per dolorem de peccatis contra pristinam delectationem, quasi nascens denuo, illi qui est summa maiestas, & indefitiens bonitas, per vnitiuum glutinum ardentissimi amoris vniatur. Dicendū est ergo, quomodo humiliatio & dolor de peccatis, quadā necessitate congruēte acquiratur. Et licet hæc via purgationis puerilis aliquib[9] videatur, maxime respectu sequentium; tamen nisi per istam mens circa diuina negociari attendens, sollicita & attenta pertranseat, numquam in præsenti vita ad cognitionem de diuinis, nec ad amorem vnitiui amoris practici poterit accedere, nec ab istis inferioribus suos possessores deuorantibus sequestrari.

Apoc. 18. b

CAPVT I.

De modo purgatiuo.

PARTICVLA II.

SIc ergo debet anima se humiliare, vt primo recolat peccata sua in aliquo loco occultissimo, & maxime in secreto noctis silentio, & maiora, succincte, ne diabolus sibi inferat ad delectationem, vnde debuit habere medicinam, faciem suam dirigendo in cœlum, & prout potest, sic maiora peccata sua vsque ad decem vel duodecim coram Deo quasi ipsi loquendo enumeret, & enumerando suspiret, ipsum Deum in omnibus exaltando, & se in omnibus deprimendo prout poterit, dicendo: Domine Iesu Christe (vel quocumque modo sibi melius placuerit) ego sum ille peccator nequissimus, miserrimus, infelicior, nequissimis abominabilior, qui tuam maiestatem in tot & tantis criminibus offendi, vt illa enumerare non sufficiam, sicut nec arena maris præ multitudine numerari potest: & ibi suspiret vel gemat, prout efficacius poterit. Quia sicut lima operatur in ferro, vt in qualibet ipsius singulari fricatione aliquid de ipsius ferri rubigine expellatur: sic quodlibet suspirium, vel gemitus aliquid de rubignie peccati, etiā post infusionem gratiæ relictum eliminat. Et sic magis ac magis anima se purgans, ad percipienda quæ ratio non inuestigat, vel intellectus speculatur, diuino subsidio, vel desiderio eleuetur. Et vt intentius dolore constringatur animus ad sui confusionem, & humiliationē diuina beneficia, primo in generali, secūdo in speciali attentissime coram Deo, prout melius poterit, sibi ingrato diuinitus collata recordetur. Primo quod ipsum quo ad speciem suam tam nobilem creaturam de nihilo sic creauit dicens: Nonne tu Domine me ad imaginem tuam, cum nihil antea essem, in tam nobile esse produxisti, vt te tenerem per gratiā in præsenti, & te facie ad faciem contemplarer in gloria? Et ego intantum prouocaui districtum iudicium tuum, vt nisi mihi subuenias, magis non nasci, quam ad lucem præsentis vitæ perduci, mihi misero profuisset. Secundo beneficium incarnationis recordetur, sic dicens: Nonne tu Domine es ille Rex altissimus Angelorū, intantum pro me teipsum annihilās, vt nostras miserias, & peregrinationes itineris ad similitudinem cuiusdā pauperis humiliter sustineres. Et ego Domine non me humiliando, sed intantum impudenter extollendo, tuā maiestatem contempsi, in miserias huius vitę momentaneas te fonte totius beatitudinis commutando. Quo ergo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. De secundo aliquantulum insistendo, percurrat ad tertium, scilicet ad recorda-

Anima quomodo se debeat humiliare. *Beneficia generalia creationis, incarnationis, & passionis.* *Psal. 138. b*

recordationem Dominicæ passionis, sic dicens: Non sufficit tibi dulcissime Domine Iesu Christe, quod intantum teipsum inclinares vt manens Deus, carnis mortalis humanitatem assumeres, sed insuper propter vniuersorum mortalium miserias subleuãdas, tam dira verbera, tam innumerabilia vulnera tolerasti, vt à planta pedis vsq; ad verticem non esset membrum in corpore tuo, quod non sanguine tuo sacratissimo spargeretur? Quid ergo faciam miserrimus, cum mortis tuæ sim causa, non tantum vicem pro vice non rependens; sed intantum te in fæcibus meis prouocans, vt digno iudicio deberet contra me pugnare totus orbis terrarum, à summo cœli cardine vsq; ad vltimum centrum inferni? Surgant ergo creaturæ omnes, & veluti Domino proprio famulantes, de me vindicent suum proprium Dominum & creatorem. Et ibi cogitet de passione Domini aliquantulum, vt per vulnus lateris vsque ad contactum diuinitatis occultæ latentis interius, per experimentum amoris attingere mereatur. Hæc enim tria sunt in generali, quæ non sibi tantum, sed & omnibus aliis altissimus condonauit. Quæ inquantum sunt generaliora, intantum indicant maiorem diuinam clementiam.

Beneficia specialia.

Postea cogitet in speciali, quæ sibi, non omnibus aliis pater totius consolationis contulerit, quem maxime ad religionem fratrum Minorum diuina clementia prouocauit: quoniam ista via purgatiua solum est eorum, qui à via sæculari veluti columba, vel turtur in desertum, in secessum videlicet contemplationis, licet adhuc debiles, supra seipsos auolare nituntur, amotionem omnis culpæ mortalis, quo ad iudicium conscientiæ necessariam supponens. Primo ergo recogitet, quot digniores, quot potentiores, quot etiam ad abundantiorem influentiam diuinæ gratiæ magis multipliciter præparatos, reliquit ipse Altissimus in miseriis, & mundanis voraginibus inuolutos, & se de tenebris miseriæ conuocauit ad suam incommutabilem veritatem. Secundo non tantũ respectu miseriæ mundanæ sibi beneficium collatum recogitet, sed & illud diuinum beneficium respectu infernalis miseriæ pertractet: quia multi, qui non tantum quantum ipsæ diuinę maiestatis oculos offenderũt, sempiternæ maledictionis pœnis perpetuis detinentur, & ipse qui multo plus idem meruerat, non meritis proprijs, sed dono conditoris gratuito, ad gratiæ stadium in præsenti vocatur, & ad præmium æternæ beatitudinis in futuro. Similitudinem duorum latronum recolens, quorum vnus ab aliquo rege terreno condignus suspenditur, alter vero plus priore delinquens, sola regis terreni clementia, licet meritis contradicentibus, ipsi efficitur commensalis, gloriã non ignominiam reportando. Tertio illud ad quod vocatur, recolat, quia eum non ad regulam beati Augustini, vel Benedicti Redemptoris gratia reuocauit, sed ad illam sacratissimam, quam ipsemet elegit, quando ductus est in deserto, vbi quadraginta diebus & noctibus continuis ieiunauit, & in maxima paupertate per mundum prædicauit, & saluti omnium ardentissime intendit, & præcursor suus proprie instituit, & ipsam in seipso seruans, & nobis seruandam monstrauit. Intantum alijs regiminibus hæc regula est sublimior, inquantum doctrinam humanam diuinum eloquium præexcellit. Sed & sic persistens in oratione, non tantum cogitet in seipso, sed ad Deum immediate dirigat eloquium suum, tam peccata sua quam beneficia in generali, & in speciali humiliter referendo: tamẽ cum quodam ordine ista vel alia, secundum quod ipsum Dominus intus docuerit, recolendo.

Mat. 4. a

De humiliatione quam peccator coram Deo facere debet.

Sic per recordationem peccatorũ, & diuinorum beneficiorum confusus, iam viam humiliationis incipiat, sic dicens: Domine pater totius miserationis, non possum tibi satisfacere de malis, quæ coram te miserabiliter perpetraui; non tibi respondere valeo ad beneficia, quæ mihi miserrimo contulisti: sed quia me interficere non debeo, nec valeo, tu me infelicem interfice, sed si tibi hoc non placet, mitte Angelum tuum gladiatorem, qui de me vindictam accipiat. Sed si hoc propter misericordiam non vis adimplere quod merui, quia me interficere non possum: tamen hoc quod in me est, faciens, me quasi latronem tuum tibi reddo in perpetuum seruientem, numquam diebus meis vlterius à tuo seruitio recedentem. Tunc prosternat se in faciem, & quantumcumque poterit, seipsum humiliter deprimendo, & Altissimum offensum exaltando, & inquantum humilius, intantum etiam citius & abundantius gratiam diuinæ misericordiæ prouocabit. Et tunc de necessitate diuinæ congruentiæ oportet, quod quando pijssimus Pater videt ipsum sic coram se humiliatum, dolorem conferat de peccatis, vel saltẽm dolorem, quia non dolet: vt per ista duo contra duo prædicta, anima purgata recuperet, iam quondam quod erat deperditum, & sibi quandoq; multo amplius, quam antea idipsum restauretur. Sed si etiam dolorem non poterit quo ad effectum consequi, per ea quæ dicta sunt, in qualibet nocte succincte hoc teneat, quod dictum est: quia Creatori sufficit, quando homo fecit quod in se est, necnon ipse Dominus rei exitum expectans quandoq; se subtrahit, vt & ista faciens, dolorem nullum ad consolationem inueniat, vt eius patientia ad tempus per diuinam sustinentiam comprobetur, & vt sibi postea amplior consolatio, & de peccatis contritio diuinitus conferatur.

Sed quia quæ prædicta sunt, non possunt fieri sine gratia speciali, sequitur de impetratione gratiæ per modum orandi, prout ad viam purgatiuam pertinet. Sicut enim oculo corporis vel sensuali de ioculatoribus in curijs magnatũ cernitur, quod cupientes aliquod temporale commodum à principe inconfusibiliter obtinere, primo ipsum multipliciter commendant, deinde quod intendunt, sibi postulant condonari, sic & nouus ioculator spiritualis, mundum deceptorem despiciens, debet ordinate procedere. Cum enim Deus in se sit innominabilis, ipsum tamẽ in suis effectibus nominamus, & per ipsos ipsius magnificentiam collaudamus. Primo enim secundum quod ipse est omnis creaturæ tam corporalis, quam spiritualis principium, & origo. Secundo aliquantulũ sublimius, prout se habet ad contemplantes in gloria, scilicet mentes Angelicas & humanas, & ipsa cõtẽplatione sua indicibilis pulchritudinis, quam vident, sicut est beatificans, ab ipsis omnem eliminans egestatem. Tertio adhuc iste sublimius, prout ad omnes creaturas se habet, quibus ipse tamquam altissimus imperat, & omnes tam rationales, quam irrationales suæ obtemperant maiestati. Quarto respectu nobilissimæ creaturæ, quæ est homo: & primo respectu eorum, qui sunt in charitate famulãtium suo creatori, in hoc quod ipsis adhuc degentibus in hac vita miseriæ superpositus pater suppositis filijs multa xenia internarum consolationum, veluti quædam futuræ diuinæ beatitudinis, siue beatificationis indicia, hominibus quasi nihilum existentibus, veluti filijs altissimis præostendit. Quinto & vltimo respectu existentium in peccatis, quibus in quantiscumque peccatis diutius sua scelera protelantes extiterint, pulsantibus ad ianuam diuinæ pietatis, ipsos diuina clementia in sinum suæ charitatis recolliget: & perpetratis peccatis misericorditer sic indulget, vt sæpius ab ipso, quẽ sic abominabiliter offenderunt, quandoq; plusquam innocentes, vberiora & pretiosiora beneficia illapsa cœlitus consequantur. In his enim diuina bonitas ex primordiali diffusionis gratiæ manifestatione vsque ad fæces existentium in peccatis ostenditur. Et hæc quinq; breuiter in quinque his vocabulis includuntur, scilicet bonus, pulcherrimus, Dominus, dulcis, misericors. Et postquam in his commendatus fuerit, illud quod intendit, plenariam remissionem de perpetratis sceleribus secure poterit postulare. Iste enim modus postulandi & orandi edocetur, vbi sponsus dicit sponsæ: Vox tua dulcis, & facies tua decora, scilicet per interiorem purgationem, obtenebrantem caliginẽ expellendo, & vox dulcis, vt in quolibet verbo sponsus æternus in aliquo specialiter commendatur. Et hæ proprie appellationes sunt Cantica Canticorũ, & intantum à

In quinq; Deus est commendandus.

Cant. 2. d

tum à parte an[i]mæ, vt quandocunque mens ad Deum se erigit, in ip[s]is vocabulis inuolutam dulcedinem inueniat, ne per [mu]ltiloquas enarrationes, & vocales prolationes anim[us] in tãto colloquio euagetur, sed in his ille[ctus], vel alle[ct]us intra se totaliter adunetur. Si ergo dicat, quoti[es] poterit vel modo hoc isti consimili: Bone, pulcherrim[e] Domine, dulcis, misericors, miserere huius peccatoris quem redemisti sanguine tuo pretioso. In hoc solu[m] attendens, quod sibi de malis perpetratis parcat cl[e]mentia Saluatoris, non quod in quolibet verborum [in]cluditur theorice speculando, sed affectuose orand[o] potest illa velcõsimilia dicere, prout dicẽs nouerit, m[aio]rem affectionẽ in istis, vel cõsimilibus reperire.

Se[d] ad hoc vt mens desiderij completionẽ obtineat, nec[e]sse est, ipsam diuinam influentiam imitari, vt sicut ip[se] sol spiritualis Hierusalem ciuitatis supernæ, quantũ e[st] de se, bonos & malos radiis bonitatis suæ illustrat, sic n[o]n tantum pro propinquis, sed pro omnibus illis, qui[cu]mque sunt, beatissimæ Trinitatis imagine insigniti, [t]otis visceribus deprecetur illius clementiam Saluatoris: vt sicut omnes creauit, & omnes re[de]mit, ita omnibus indistincte dignetur misericorditer subuenire. Et in hoc irrefragabiliter citius diuinam misericordiam prouocabit, vel obtinebit, inquantum hominum creatoris vniuersorum, & omnium mortalium redemptoris vestigia (suam charitatem super omnes latissime diffundentis) fuerit imitatus, nisi quandoque ad horam, pro se & pro aliis, singularibus orationibus coarctetur petitio, licet semper charitas habeat se diffundere, eundem affectuosum modum quem pro se, etiam pro omnibus exorans, sollicitus alleget, quantum est de modulo suæ paruitatis, sic dicendo: Bone, Domine, pulcherrime, dulcis & misericors, miserere omnium peccatorum, quos redemisti pretioso sanguine tuo. Et tunc inquantum poterit, habeat istam imaginationem, quando dicit: Miserere, vt totus mũdus suo creatori inclinetur, per verum cultum & reuerentiam condignam.

Similitudine ostenditur Sanctos esse inuocandos.

Sed quia mens omnia ista non potest præ nimia carnalitate, & versibilitate prout esset expediens, impetrare, oportet, quod ad instar illorum qui habent aliquod magnum in curiæ regalis palatio, vel summi Pontificis expedire, qui videntes se non posse propositum consequi, adeunt aliquem magnum de curia, vt quod per se non possunt, ipsius mediatoris intercedentis reuerentia impetretur. Quod si ille pauper aliquem magnum, & præexcellentem inuenerit, qui has conditiones habeat, vt sit humilis ad audiendum preces pauperum, gloriosus in curia, vt cum ipso, si necesse fuerit, multi alij pro alio intercedant, dilectus summo Pontifici, vt eius dilectione astrictus, nihil velit penitus denegare, absque vlla calumnia pauper suum desideriũ obtinebit. Sed quia ista inter sanctos alios, in superlatiuo gradu excellentissime in beata Virgine reperiuntur, ad ipsam confugiat sic dicens: Tu quæ es misericordissima præ omnibus aliis, humilius peccatoribus te inclinans, potentissima, quia per te ruinæ Angelicæ reparantur, per te sanctis vitæ ianua aperitur, & ideo te clamãte pro paupere, tecum omnes pariter acclamabunt regi æterno amãtissimo, quem tuis sacris vberibus lactasti, & ideo ineffabili glutino charitatis tibi coniunctus est: rogo, vt per te mea inopia subleuetur, vt sic per te de peccatis meis propriã purgationem obtineam, vt tandem ipsum in isto amore constringam, quem tu totis visceribus dilexisti. Et tunc dicat ei: Aue Maria, quadraginta vicibus, vel quinquaginta, sub certo numero si voluerit diuidendo, vel consimile prout sibi melius videbitur. Hoc quasi in signum dilectionis, & spiritualis homagij reddens ei quotidie pro tributo, ipsam non in pictura parietis, non in sculptura lignea, sed in cælo attẽte, & affectuose salutans ad ipsam immediate suam faciem dirigendo. Hęc est via purgatiua, & ipsius expeditio, quam multo plus in corde potest citius recolligi, quã scripto, vel verbo tenus numerari, hanc purgationem recordetur incipiens breuiter succincte & vera sibi latissima via citò apparebit.

Beatissima Virgo Maria inuocanda.

CAPVT II.

PARTICVLA I.

De via illuminatiua in tres particulas distinctum.

PER viam purgatiuam mens ad illuminatiuam immediate erigitur, secundum illud Psalmistæ dicentis: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum: quia per gemitus, & lacrymas anima à rubiginibus peccatorũ abluitur, & per hoc immediate ad susceptionem diuini radij præparatur. Cuius necessitas sic apparet, primo à parte recipientis. Nam sicut in speculo materiali videmus, quod si sit ibi flatus, vel aliquod obtenebrans, facies humana, quamuis se ei obiiciat, non tamen resultat: sed cum absterfum fuerit, in ipso facies humana apparet, vt si etiam speculum ratione humana vteretur, ad instar spiritus, per illud quod in seipso recipit, ipsum cuius est similitudo repræsentans cognosceret. Sic cum à rationali spiritu erit eliminata caligo offuscans, iã ille sol spiritualis gratiæ suæ radios immittit, qui quantũ est de se, æqualiter omnib. se infundit, immo quod plus est, quia sicut radius solis materialis stat immobilis ad fenestram, & statim cum sibi apertum est nunquam retrocedens, nunquam de sua naturali bonitate se retrahens, sed potius domum interiorem prius obscuratam irradiat: sic verus sol iustitiæ ciuitatis supernæ, cuius sol iste materialis obscuram gerit similitudinem vel imaginem, nihil aliud expectat etiam immobiliter præsto stans ad ianuam, nisi vt per aliquam abstersionẽ sibi aditus præparetur, vt in mente veluti in lectulo feliciter conquiescat, per spiritualium splẽdorum irradiationes, animam sibi desponsatam insigniens: & sic à parte recipientis, & à parte influentis irradiatio spiritualis purgationem cõsequitur. Sed hoc idem manifestatur, per ipsorum distantium coniunctionem vnitiuam. Sicut enim in Sapientia dicitur: Ipsa sapientia est candor lucis æternæ, & speculum sine macula. Oportet ergo vt si aliqua consimilata conformitas, quãdo per veram amoris vnionem mens humana candori lucis æternæ vnitur, & prius semota ab ipsa omni obtenebrante caligine, speculo sine macula conformetur, vel cõparetur. Vnde oportet primo, quod mens sit quasi speculum sine macula, & statim ad suscipiendum lucis splendores diuino radio disponitur, & sic cum fuerit curata æternæ sapientiæ conformetur.

Psal. 83.b

Similitudo pulchra.

Sap. 7. d

Sed de quo lumine intelligatur, quod mens anagogice consurgens ad tertiam viam vnitiuam erigitur, sciendum quod sicut sol materialis videtur in corpore terminato inferius, vt ipsum videmus in pariete, videtur etiam in radio suo, scilicet in aere, videtur etiam in seipso, vt in fonte solari: sic radius diuinus etiam spiritui apparet tripliciter. Apparet enim in sacra Scriptura, quando sub cortice litteræ, per aliquod donum intelligentiæ sensus anagogicus inuenitur, quo mens sicut per quendam radium ad amorem sui creatoris multipliciter, & mirabiliter erudita erigitur. De isto radio, qui facit semper splẽdere spiritum, beatus Dionysius de diuinis nominibus, sic dicit: Indicibilia autem casto silentio venantes, ad illucescentes nobis in sanctis eloquiis splendores exercemur & ab ipsis illuminamur. Secundus radius à sole spirituali missus resplendet in spiritu, & his solis radiis mẽs æternis spectaculis suspensa, cum quadam etiam admiratione ad meditandum de supercælestibus eruditur, de rationibus æternis, vel æterna generatione, vel nexu Spiritus sancti, & de huiusmodi. Quia sicut per solares radios resplendentes in aere, non per aliquod aliud lumen sensibile, oculus materialis ad contemplationem solis erigitur: sic oculus intelligentiæ per radios immissos à sole spirituali, nõ per aliquam aliam disciplinatam scientiam, vel mortalis doctoris industriam, ad cognitionem occultorum supercælestium eleuatur. Et de hac beatus Dionysius dicit: Verte te ad radium, quasi dicat:

Similitudo solis materialis cum solis radiis iustitiæ.

Dionys. de diuin. nom. c. 1.

Dionys. ep. ad Titum

cat: Non alium doctorem, non aliud exemplar assumas ad percipienda diuina: sed intra teipsum ingredere, & per radios tibi datos desuper, ad contemplationem diuinorum arctius te exerce. Quia sicut rationalis spiritus nobilior est inferioribus creaturis ceteris: sic nobilius per immissos bonitatis radios apparet diuina clementia in ipso. De tertio vero radio vbi ipse fōs totius beatitudinis apparet (quod raptu fit) prætermitto quod fit, quando mens rapitur à corruptione, & sensificatione mēbrorum carnalium remota. quantum possibile est gratia trahente naturam, dono conditoris gratuito mens ad superna rapitur, ipsum facie ad faciem contemplans, cuius glorioso aspectu superna curia iucundatur. De primo radio latitante sub scriptura est præsens intētio, per quem ad amorem vnitiuum ascenditur. Secundus radius amorem sæpius comitatur: quia quanto plus per affectiones amoris mens fonti luminis appropinquat, intantum efficacius veluti ipsi vicinior (sicut de aurora consurgente videmus, quod primo partes propinquas illuminat) radiis diuinioribus adimpletur. Per viam vero tertiā quando mens suspirijs insatiabilibus suspirat dilecto totaliter vniri, ad tertiam irradiationem, in qua plus agitur, quā agat diuinitus subleuatur, & sibi diutius suspiranti dicitur à dilecto: Amice ascende superius. De hac Dionysius in Mystica Theologia postquam dixit: Consurge ignote ad eius vnitionem quę est supra mentem, & cognitionē, vbi tradit amoris vnitiui practicam, vbi scilicet ad ineffabile mysterium consurgit affectus, quod ignorat intellectus, postea subdit dicens ad Timotheum sic: Sic enim omnia à te auferens, & ab omni irretentibili, & absoluto, munde ad diuinarum tenebrarum radium sursum ageris. Vnde & in cōsurrectione vnitiui amoris dicit: Cōsurge, quia simul ibi operatur natura, & gratia. Postea dicit: Sursum ageris, quia non natura, sed gratia mens ad experimentalem, & immediatam cognitionem cælestiū eleuatur, & per illam animus ad istam disponitur. Sed quia de via illuminatiua est præsens intentio, dicendum est quomodo lumen in Scripturis apparet: deinde quomodo per istud lumē ad tertiam viam, scilicet vnitiuam ascendamus: & quod omnib. pateat, quod in omni scriptura sancta iste radius latitat, velut lumen in testa subditur exemplum in vno, scilicet in oratione Dominica, vt simul ex vniuerso nouo, & veteri testamento ab vniuersis veritatis discipulis comprobetur, & vt non sit aliquod verbum, quod non colloquiis sponsi, & sponsę interius repleatur.

Luc. 14. b
Dionys. de Myst. Theolog. cap. 1.

CAPVT II.

PARTICVLA II.

De triplici anagogia.

Psal. 138. b

NOx illuminatio mea in delitijs meis, &c. Nox enim hic vocatur obscurus cortex scripturæ exterior, vel etiam omnis sensibilis creatura, per quam mens interius irradiatur ad hoc, quod anagogice in vnitiui amoris delitijs conquiescat. Via enim purgatiua respondet ordini Thronorū. nā ibi tunc primo purgatur anima, ad hoc quod primo Deus in ipsa veluti in loco mundo resideat. Ista autē, vt dictum est, respondet Cherubim: Cherubim plenitudo scientię interpretatur. Tantū autē per artem huius theoricæ scientiæ lumen acquiritur, & tanta sapiētię dilatatio in scripturis, vt quod verba in nouo & veteri testamento, quot creaturæ in mundo, tot habeat anima intelligentias, vel sermones, totū ad Deū ad punctum amoris omnia referendo, vt postea apparebit. Tertia autē, scilicet vnitiua respondet Seraphim, qui interpretatur ardens: ibi enim in tanto ardore fertur anima in Deum, vt maxime corpus per extensionem affectuum & motuum quandoque mirabiliter affligatur.

Sciendum est igitur, quod triplex est Anagogia. Vna quæ est de Deo in se, vt mētes cælestes beatificans in gloria, vt dicitur de Dauid, qui erat quidam, imo ad litteram, qui dicitur optimus propugnator, moraliter significat animam, quæ ita debet viriliter pugnare contra diabolum, contra ipsum etiam insurgentem, & spernendo, ne seipsam permittat tam vili Domino subiugare, & à dulcissimo IESV CHRISTO in perpetuum separari. Dauid etiam dicitur Goliam percussisse, signans allegorice Dominum IESVM CHRISTVM, qui diabolum superauit, pacem populo suo acquirens, &c. Dicitur etiā Dauid pulcher aspectu, inæstimabilem pulchritudinem diuinæ substantiæ significans, in suæ pulchritudinis visione, lætitiæ indicibili lætificantis in requie beatitudinis æternæ omnem mentem Angelicā & humanā. Vnde in Ioanne dicitur: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Et hęc est anagogica expositio secundum quod Deum beatificantem respicit. Alia est anagogia, quæ respicit Ecclesiam triumphantem, inquantum in sponsi amplexibus totaliter inauertibiliter perseuerat, vt Hierusalē ad litteram, quędam dicitur ciuitas. Hierusalē enim ciuitas optimè munita & fortissimis muris circumdata dicebatur, & significat ipsam fidelē animam mortalē: quę debet interius muniri armis virtutū, gratię, & amoris, sine quibus armis, nullus vnquam potuit, nec poterit diabolo resistere aduersanti, quæ etiam debet exterius muris fortibus circumdata esse, & hoc in honesta conuersatione, & quinq; sensuum mortificatione, quibus amore vnitiui regnātis integritas inexpugnabiliter conseruabitur. Secundo in hoc, quod sedes regni dicitur, Ecclesiam venturam fidelium sub Christo principe figurabat, *in qua regnat ipse rex pacificus*: sub cuius persona quondam dicebat Isaias: Deus legifer noster, ipse veniet, & saluabit nos, regens militantem Ecclesiam exemplo vitæ, & verbo doctrinæ. Tertio Hierusalem interpretatur visio pacis, quod Ecclesiam triumphantem signat, in qua sunt habitatores pacifici, qui illius felici pręsentia gratulantur, dicentes, & clamantes & gaudiorum ciuitatis æternæ super plenissima præmia admirantes: Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Et hæc est anagogica expositio.

1. Re. 17. g
Ioan. 17. a
Isa. 33. d
Psal. 84. b
Anagogia quid.

Proprie dicitur anagogia, idem quod sursum actio. Vbi etiam recte inter sursum actum, & illum ad quē supra se aspirando ardentius eleuatur distantia annotatur. Vnde proprie, neq; inter beatificantem. Altissimum, & illos quos ipse pax vera beatificat, neque similiter ē contra est proprie sursum actio extensiua, sed potius tanquā cum rege existētes feliciter in thalamo, in ipso tranquillitate admirabili conquiescunt & tanquam supra se iam in ipso existētes, ad ipsius vnionem, vel imitationem desiderabilem vlterius non aspirant. Sed hoc proprie sponsæ adhuc à sponso peregrinanti cōpetit, quæ adhuc tanquam distans, ipsi insatiabilibus suspirijs vniri desiderat, quod in separatione animæ à corpore in tranquillitate vitæ plenissime obtinebit, secundum quam sapientiam anagogicam currunt cantica canticorum, cum dicit: Osculetur me osculo oris, &c. Et illud: Trahe me post te, &c. Et iterum: Veni dilecte mi, & egrediamur in agrum, &c. Quæ petitiones nihil aliud sunt, quam ignita suspiria, & inquietæ affectiones, dilectū ad sui sursum actionem felicius obtinendam ardentius prouocantes. Similiter, & ex parte sponsi ad spōsam, cum dicit: Aperi mihi soror mea, sponsa mea. Et iterum dicit: Veni de Libano, veni, &c. Et iterum dicit: Surge, propera amica mea, &c. Quæ sponsi colloquia nihil aliud sunt, quam radiationes scintillantes emissæ ab ipso, affectum ad ardentiora desideria, & inquieta suspiria importune incitantes.

Cant. 1. a
Ibid.
Ibid. 5. a
Ibid. 4. e
Ibid. 2. c

Acquiritur enim ista ars magis per amoris vnionem, secundum quam, vt dictum est, præsens est intentio. Hanc vbique inclusam in sacra pagina ostendentes, exemplum ponamus in vno, vt simile in alijs sacræ paginæ locis idem ostendatur, & ne longius hoc exemplum protraham, primo subditur in oratione Dominica.

Per quid ars anagogica acquiratur.

Pater noster, &c. Sicut enim in sensu litterali artificialiter

Triplicis anagogiæ expositio.

Orationis Dominicę anagogica declaratio.

ficialiter procedendo, sic etiam in anagogico primo captatur beneuolentia infundentis, secundo petitiones suas multiplicis. Sed primo ab ipsa dilectus in tribus præcipue commendatur, captando ipsius beneuolentiã in suis petitionibus, vt sua beneficia conferenti Domino ascribens, idq Dominus fauorabilior habeatur. Primo vt perfectæ spiritualis generationis principium: secũdo vt suæ bonitatis velut quoddam diffusiuum: tertio in habitaculi & mansionis dignitate qui tanquam rex præcellens habitare non dignaretur, nisi vbi est firmum habitaculum, siue tabernaculum, & decore multiplici interius decoratum. Primum per *Pater*, secundum per *noster*, tertium per *cœlis*, importatur. Primo illud, quod est secundum proprietatem vocabuli anagogice ad sensum mystiam transferendo. Verbi gratia: Pater ad litteram nihil aliud est, nisi qui de se aliquid emittendo filium progenerat, sic anagogice trãsferẽdo verissime pater ille dicitur, qui tamẽ nõ naturaliter, sed adoptiue multos filios generat, à se germen amoris deificantis emittendo, quo mens perfecta natiuitate gignitur, quando viuere iam in vera vita incipit: sine quo à natura quantum ad verum omne nihil penitus efficitur, verius & efficacius progrediens, quando de Deo vero qui est vera vita nascitur per amorem, quam quando de nihilo, quantum ad esse naturæ in natiuitate culpabili duxit primordialem originem, à quo non tantum vt principio affluentissimo vitam emittendo cœlitus generatur ab ipso sensum, & motum spiritualem recipiens, qui veræ vitæ principaliter attestantur, sed vsque ad perfectam ætatem claritatis æternæ, & quando ipse videbitur facie ad faciem, micas panis consolationis internæ recipiens, scilicet Dei corroborantis, & confortantis amorem, ab ipso paterno affectu misericorditer educatur. & hoc totum importat hoc quod dicit, *Pater*, mystice occultatum, vt est totius vitæ fontale principium. Sequitur, *noster*, vbi laudatur ipsius beatitudinis inclusæ diffusio, quasi dicat: Tu es ille, qui ratione tuæ latissimæ bonitatis, non singulares personas consideras, sed omnes rationales spiritus quantum ex te est per immissos à te radios ad te trahis, vt non aliqui quantumcũque excellentiori, & præclara religione eminentes, te fontaneam bonitatis originem sibi appropriare valeant, sed vt non sit mens humana, vel Angelica, quæ se abscondat à calore tuo naturaliter abstractiuo. Et hoc per, *noster*, anagogice importatur.

Sequitur, *qui es in cœlis*. Hic captatur beneuolentia à ratione excessiuæ, vel præcelsiuæ mansionis. Cælum inter alia præcellit triplici proprietate. Est enim continue mobile, firmum, & variis sideribus in ipso refulgentibus adornatum, hoc ad sensum anagogicum transferendo, sponsa sponsum in suo cubiculo collocans, in secreto cordis armario debet hac proprietate triplici adornari. Primo quod sit firma, & secundum hoc loquitur sic: O dulcissime tu qui es in cælis, id est illarum mentium thalamum inhabitans interiorem, iam non tantum præsentialiter potentialiter, & essentialiter, vt in aliis creaturis: sed vere teipsum qui es hospes iucũditatis, & solatij sensibiliter, & familiariter repræsentans, his qui ob amorem tuum efficacius obtinendum, vale facientes ceteris delectationibus dederunt libellum repudij, & tibi soli quietanti mentes in amore viuentes, continuata suspiria, impedimentis resecatis, glutino amoris suauissimi colligati, tibi firmissime & ineradicabiliter adhæserunt, vt sic etiam ipsis fortis, vt mors dilectio, vt in canticis dicitur ad suam radicationem firmiorem sponsa proclamans ad paranymphorum subsidia, scilicet Angelorum, quibus tamen sociis adiuuatur, ita dicẽs: Fulcite me floribus, id est, fulcite obsecro irreuerberatis affectionibus, non à vobis, sed à dilecto per vos hoc obtinere cupiens, stipate me, vos qui videtis eum facie ad faciem, vestris consolationibus ipsum ad mihi subueniendum vberius prouocando, quia langueo, calore vnitiuo æstuãs ipsum totaliter amplecti desidero, quem adhuc paupercula in miseria existens, tam iucundum Dominum experimentaliter præcognosco. Sequitur alia proprietas, continue mobile, tunc enim mentem verissimus sponsus æternus certissime visitat, & eam inhabitat, quando non iam laboriosa tarditate in vnitiuis motibus, sicut cum esset in statu incipientis exordio, se sursum erigendo affligatur, sed diuturno exercitio tantum agilitatem affectionum diuino meretur beneficio, & gratiam affluentissimæ largitatis accipere, vt quotiescumque vult, quasi sine afflictione inquietatiua suorum desideriorum dilectio mentis, vt sursum ardenter agatur, afficitur, tunc ipsam Deus virtutum spiritualiter inhabitat, non tamen actu continuo (quod est super vires conditionis humanæ, propter laxationes virtutum) sed continua habilitate motus amoris, secundum libitum suum eliciente facilitatur, & affectus motui firmamenti similatur. Vnde qui in primis lento gradu & debili, vago & tepido ad modum testitudinis ambulabat, nunc currẽdo celeriter, ita vt mõtes & colles, id est dignitates tam Ecclesiasticas quã mũdanas ipsas vilipendendo trãsiliat, & hoc est quia in parte exaudita est eius petitio, cum interius voce suspiriorũ diutissime proclamet ita, Trahe me post te. Quia ergo tracta est ab illo, qui solus potest ipsam supra se eminentius eleuare, prius lenta, iam currit in odorem vnguentorum suorum, quia nimirum ardẽtioribus desideriis, plus solito, ad sponsi amplexus erigitur, quia de xeniis Hierusalem ciuitatis supernæ veluti quibusdam micis cadentibus de mensa dominorum suorum, quæ experimentaliter præcesserunt, degustauit. Quia ergo non tantum sponso aperuit, ob cuius amorem mũdana gaudia ipsam obfuscantia conculcando respuit, sed pulsanti ad ostium cupienti introire, in occursum perrexit in affectiones flãmigeras consurgendo, qui non propter seipsum, sed propter ipsam intrando inhabitat, cibum solidæ affectionis apportans, vt cenet cum ea, & ipsa secum. Sic enim in loco continuo mobili dilectus requiescit.

Sequitur de tertia proprietate, diuersis sideribus adornatum. Cum enim virtutes efficaciore virtute, siue purgatiore indigeant, nondum plene floridus, & pręclarus dilectus mẽtem inhabitat, cum inordinatio virium, & immodesta delectatio sensuum, mentem nubilosa caligine obtenebrent, & quia lippos adhuc habet oculos, non est accepta acceptione gratissima æterno Iacob, qui Deus altissimus est, cuius pedibus omnia sunt subiecta, vt ab ipso in copulam desponsationis indiuiduam assumatur. Quare? quia nulla conuenientia lucis ad tenebras, sed cum virtutes sunt purgatæ lumine, virtutum clariori, ab interiori immunditia, vt mens virtutũ splendore fulgeat, sicut firmamentum sideribus resplendet, ita vt suæ irradiationis claritate multiplici, & dignitate sui luminis aspectu sponsi ad sui placidam conspectionẽ promoueat, vt etiam luminosa gratiæ, & virtutum in mente multiplicata claritate, placidas exterius in conspectu hominum faciat apparere, & sic ipsum dilectum altissimum in suo decore iam prouocat, vt ipsam familiarius inhabitare dignetur. Quod cito assequitur, cum ipse dilectus istud amplius quam ipsa desideret, vt prius mendica, modo regina: prius mundanis delitiis intenta miserabiliter sedeat ad sinistram, modo transformatione amoris transeat ad dexteram. Quæ etiam prius offuscata, & inuoluta peccato leuitatis, modo pretiosissimi amoris auro textũ induitur vestimentũ: prius sordida diuersis vitiis, modo formosa virtutum fulgentium multiplici colore refulgeat, intantum, vt paranymphi, id est, amici sponsi, scilicet Angeli purgationem victoriosam acceptantes, dicant sponso: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.

Cant. 2.a · Cant. 1.a · Psal. 44.b

Prima petitio.

CAPTATA beneuolentia subditur de petitionibus. *Sanctificetur nomen tuum*. Septem petit, quorum prima quattuor, boni adeptionem, alia mali remotionem respiciunt. Primo enim petit illa quattuor, vt dilectum suum sine contrario retardante possideat. Secũdo vt non in aliquo se obliquans, limites regularum veritatis

ritatis transiliat. Tertio vt ipse beatissimus non tantum sibi id quod ipsa sentit, sed omnibus aliis peccatoribus per ipsius misericordiam innotescat. Quarto vt in consecutis ab ipso beneficiis, per ipsius manuductiuam sustentationem inauertibiliter in omnibus perseueret. Primo (vt dictum est) vocabuli proprietas assumitur, ad sensum anagogicum transferendo sanctum, & idẽ est quod sine terra. Sine terra ergo efficiatur nomen tuum in me, quod nomen est mirabile: Vnde in lib. Iudicum dicitur: Quid quæris nomen meũ, quod est mirabile? Tũc enim mundanus delitiis deturpantibus, & imbuta terrenis desideriis anima male viuens in amore, tranquillitatem serenam ingentẽ intelligere, cordis lętitiam nec sentire vllatenus potuit: quia erat homo, & non Deus, carnalis, & non diuinus: amore deificante est ab hominibus omnib. separatus, cum equis terrenis, scilicet affectionibus ineptis, insensatis, & carnalibus desideriis traheretur, secundum illud Isaiæ: Ægyptus homo, & non Deus. Sed cum extensionibus ignitis aliquãtulum ad experimentalem, & diuiniorem lætitiam mens amantis attingit, cum nõdum terrenis affectibus se sentiat expeditã, quia ad hoc virtus propria non sufficit, sciens se duo contraria simul non posse possidere, terrenam ponderositatem ob carnem corruptibilem inferius attrahentem, petit à dilecto instantius remoueri: cum prior oblectatio respectu dignitatis sequentis lætitiæ iam vilescat, cum ratione oppositionis spiritualis iucunditas, prioris gaudij denudet amaritudinem: cum radius interior licet non sit in perfecta plenitudine, tamen mundi deceptionem, & turpitudinem apertius manifestet, vt sic rubigine consumpta igne amoris leuis effecta, pennis affectionum superius eleuata & stupefacta, admirabilem in præsenti certissime sentiat, quẽ aduenam ignorabat, vt per multas affectiones, & continuata desideria multo tempore desideratum inueniens, dicat admirans præ gaudio: Vere tu es Deus absconditus. Tunc enim nomen quod est mirabile sanctificatur, quando in sua petitione exauditur, vt terra remota, id est carnalitate, solus sponsus cum sola sponsa mirabiliter præsentetur.

Iudic. 13. c — *Isa. 31. b* — *Isa. 45. a*

Secunda petitio.

A*Dueniat regnum tuum.* Tunc enim regnum Dei in animam venit perpetuo solio stabilitum, quando intantum virtus ardentis amoris præualet in spiritu, vt non solum inordinationes interiorum sensuum velocissima insurrectione viriliter comprimens, domina totius regni spiritualis appareat, sed cum virtute ipsius amoris omnia acta iudicio rationis præsentantur, vt illud quod plus dilecto placere decreuerit, semper in omni actu exerceat, iam se cum suo corpore in obsequio ipsius dilecti adnihilans, per radios immissos ab ipso, pręcogitans quę beneplacita sunt illi, & ipsa cum discretione inauertibiliter exequatur. Et si non semper actu, hora tamen consueta faciat orationem, nisi aliqua de causa exteriori, vel maiori obedientia præpeditus: voluntas tamen in conspectu dilecti appareat non inanis, vt iam in omnibus non quærat quæ sua sunt, sed quæ Dei, secundum Apostolum, vt iam in ipsa regnet solus Deus, cum iã seipsam volũtas sacrificium medullatum obtulerit: quia iustum est, vt in ipso à quo creata est, finaliter conquiescat, ipse solus in ipsa solus resideat vt sub ipsius regno reseruetur intacta, vt in ipso refrigerium suaue inueniat, & dicat præ gaudio: Sub vmbra illius quem desideraui, sedi. Et subdit rationem, quia fructus eius dulcis gutturi meo. Tunc enim vere regnum aduenit, quia sub vmbra illius altissimi sedet, qui est rex regum, & Dominus dominantium: quem ipsa perfecte obtinet, quando, vt dictum est, voluntatem suam secundum quod humanæ fragilitati competit, Deo totaliter consecrauit, nulli creaturæ penitus subiacendo.

Philip. 2. a — *Cant. 2. a* — *Apoc. 19. c*

* * *

Tertia petitio.

F*iat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.* [Qu]um enim vere non diligat, nisi quem diligit, & vel eum ab omnibus venerari, petit sponsa (quæ per cælum signatur, vt dictum est) vt id quod sentit aliis peccatoribus (qui per terram donotantur) misericorditer innotescat, vt ipse qui solus est colendus, & insatiabiliter adorandus, sic se benignum in sua reuelatione peccatoribus exhibeat, vt scintillam veritatis, & stillam roris ipsum vnice attingẽtis, ipsorum mentibus impartiendo distribuat: omnis lingua exardescentis affectionis interior, qua suus Spiritus creatus Spiritum increatum alloquitur, conteatur experimentaliter cognoscendo, vbi est ineffabile iudicium, quod Dominus noster IESVS CHRISTVS in gloria est Dei patris, diligentibus ipsum, & derelinquẽtibus terrena gaudia, ad multo illis pretiosiora munera multipliciter conferenda. Secunda ratio quare in gloria Patris esse dicitur, vt per amoris desideria vere diligentẽ ipsum ad suæ integritatis vnitatem misericorditer erigendo, suæ sollicitudini compatiens, in sinu suo immobiliter collocet, sicut Dominus dicit: In perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. Ait ergo: *Fiat voluntas tua sicut in cælo*, scilicet firmo, continuo mobili, diuersis luminibus adornato, vt dictum est anagogice reducẽdo, *& in terra*, id est, peccatoribus, scilicet qui nõ immerito terra proprie nominantur, quia longe à regione ignis sunt positi, per cuius cõsummationem purgatiuam, anima leuigatur, vt in terris existens, cælestes amando & desiderando obtineat mansiones, quia vbi amat ibi proprie inhabitat. Hoc nomen *terra*, non potest exponi anagogice per essentiam, sed tantum per causam: quia sicut amor est causa, vt mens omnia bona per amorem obtineat, sic absentia illius est causa omnis defectus, scilicet pœnalis, & culpabilis, id est, venialis, & mortalis. Et hoc est quod dictum est: quod peccator terra dicitur, quia à leuitate amoris igniti distantius elõgatur: & in talibus, quæ culpam dicunt, vel defectum, est ars alia exponenda anagogice, vel quia proprietatem de se non habent, quæ sponsæ tendentiã ad dilectum respiciat, & alia quæ hic exponuntur per amoris absentiam: sicut alia creatura, vel scriptura aliquam proprietatem habet in se inclusam, qua sponsa ad sponsum erigitur, ad sensum anagogicum transferendo, vt sicut vnitiui amoris præsentia fit causa omnis boni, sic eius absentia occasionaliter est pręsentia omnis mali, non quod carentia sit aliquid in spiritu. sed quia per carentiam amoris, anima non habet retinaculum, iam vaga per deuia, quasi effrenata discurrit, & incurrit omnem miseriam, & nõ immerito, quia, Denigrata est super carbones facies eius, & intantum viluit regio diademate priuata, scilicet Deo omnipotenti amatore suo, quod omnes amici eius spreuerunt eã, scilicet Angeli, & facti sunt ei inimici, quia iam non est ipsis mẽtibus cælestibus conformis affinitate amoris, ideo ipsi, scilicet animę inimicari dicuntur, quia à sui subsidio, scilicet Deo omnipotenti, priuata regali signaculo elongatur. Non igitur immerito dicitur, quod anima caret omni bono cum amore priuatur, quia iniquitates, suæ diuiserũt inter se, & Deũ suum, scilicet illum quem nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quem præparauit Deus his qui diligunt illum. Subtiliter ergo, & luculẽter ista mediretur, quomodo per causam, vel per essentiam, vel per amorem salientem in vitam æternam, claritatis æternæ ampliorem radium, gaudium haurientem in his se exerceat: quomodo etiam ista quæ nunc dicta sunt manifestissime comprobantur.

Philip. 2. a — *Hier. 31. a* — Peccatores terra sunt. — *Thre. 4. b* — *Ibid. 1. a* — *1. Cor. 2. b* — *Isa. 64. a*

Quarta petitio.

P*Anem nostrum. &c.* Pro se enim, & pro aliis per augmentũ amoris sursum agi desiderat, vt supra se eleuata fonti totius beatitudinis existẽs propinquior, sic in verbo refectibili satietur vere, vt in ipso immutabiliter

confir-

confirmata electatione inferiorem miserabilem, tanquam ea nendigens, de cetero non mendicet. Scit enim quod itim ad creaturæ, vel carnis consolationem cito prolatur, si non refectione supercælesti, pane videlicet Angelorum qui est amor, cuius haustu sugens delitias fronte beatitudinis æternæ continue aliquantulum satur. Ideo panem petit, id est, augmentum amoris, quo solo infirma solidantur, & debilia fortificantur, & fœlica satiantur. Et petit ipsum *hodie*, sed *quotidianum* præmittit ordinate procedens.

Panis quotidianus quid.

Quotidianum nominat, quia nec per diem, nec per horam, nec per instans potest mens vera vita viuere, nisi stilla ros viuificante continue perfundatur: quia sicut anima à vita corporum, sic amor vita spirituum. De qua & etiam de his pro quibus anima non sufficit, paranymphi dilecto referendo gratias, dicunt illi: Vitam petiit à te, & tribuisti ei Domine, quæ non est ad tempus momentanea, vt est vita corporis, sed in longitudinem dierum, vsq; in sæculum, & in sæculum sæculi permanebit: quia amor quo sponsa viuendo totaliter adamauit sponsum, non deficiet in futuro, sed tantum augmentabitur, vt compleatur sermo propheticus, quem ipse Altissimus per os Isaiæ edidit, dicens: Dicit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus in Hierusalem, &c. Vel aliter potest dici, secundum quod de mēte anagogica est præsens intentio. Nisi enim semel in die pane sensibili corpus reficeretur animale, corporalis fortitudinis amitteret vigorem: sic nisi mens in motibus amoris vnitiui, semel in die aspirando ad osculum se extendat (nisi forte quandoque in agrum ad se exercendum exiuerit, vel aliqua modesta requie corporali, vel aliqua de causa spirituali) vix est quin in se ipsa efficiatur tepida, & de perfectione suæ altitudinis aliquid non amittat: nec mirum, quia sponsus præstolatur ad ostium, dicens: Surge, propera amica mea, & veni. Si ergo in nimia moræ protelatione se absentat, ipse non immerito indignatur, & ab ipsa se subtrahit ad tempus sæpius. Et licet ita intenso habitu, vt prius hunc diligat, tamen dicit: Quæsiui per noctem, quem diligit anima mea, quæsiui, nec inueni. Hoc est proprie per noctes quærere, videlicet per creaturas consurgere, & dilectum in eisdem quærere, vt quidam dicere voluerunt, quod quærere per noctes, erat quęrere per creaturas, vel per vestigia creaturarum: sed hoc anagogico, & vnitiuo motui non conuenit, cum sine omni speculo affectus amore subleuante, ipsi fonti bonitatis æternæ inhæreat. Sed tunc per noctem dicitur quærere, quando aliqua de causa mens in suis sursum actionibus impeditur, vt in quem primo lucide, & expedite, & pręclare sine tenebra mouebatur, quandoque caliginosam se sentiat, vt etiam affectus à cogitatione phantastica in illo in quem mouetur, vix valeat separari. quod fit quandoque propter suam negligentiam, vel aliis de causis, vt postea apparebit. Quæsiui ergo, & non inueni in tanta agilitate affectionum ardentium, vt solebam.

Psal. 20. a

Isa. 31. d

Cant. 2. c

Cant. 3. a

Quid sit per noctē quærere sponsum.

Quid importet hodie.

Petit etiam *hodie*, hoc est, in præsenti vita, ratione æternitatis, quæ est simplex, & vnica, quæ in amore viuentibus incipit in præsenti vita: quia amor ille quo sponsus in vita ista diligitur, idem est numero cum illo, quo in æternitate gloriæ gubernatori omnium vnietur. Et hoc est, quod dicitur, *hodie*, quod vnitatem, & claritatem significat. Et ideo præsens vita dicitur, vt dictum est in ratione continuationis. Præsens dicitur, quia cum amore inhæret, verius, & veracius vino & pane reficitur, quam aliquod corpus alij corpori sensibili per aliquod glutinū, vel vinculū materiale copuletur. Et hoc est quod ait diuinus Apostolus, aspirantis animæ vnitiua suspiria collaudans: Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est, &c. Bene ergo debent præsentia non immerito appellari, vbi non tantum præsentialiter sponsa dilecti astat aspectibus, sed cū ipsa vnum à diuino Apostolo hierarcha istius sapientiæ nominatur. *Hodie*, etiā lucem importat, quia tunc sibi vere oritur sol iustitiæ, cum radiis solaribus ad superiora instruitur eleuari, & ideo in canticis aurora meretur appellari, vbi dicitur: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Tunc enim pane vitæ iam incipit refici, cum ad modum auroræ crescendo, & in amorem se eleuando, virtute ipsius amoris in motibus egredientibus se sentit experimentaliter sursum agi. Quod experimentum (ne facultas errandi indoctis, & pueris detur) nihil aliud est, nisi expeditio motuum, & consurrectio ardentissima per eosdem, quod non minus à mente exercitatā percipitur, quam oculus corporalis bouem sensibilem transeuntem per semitam contempletur. Quod ad præsens supponitur, cum in sequentibus hoc argumētis irrefragabilibus cōprobetur. Quia ergo sibi iam incipit æternitas, & sponsi præsentia, & lux etiam refulgere interius, dicit de talibus magnus hierarcha Apostolicus: Nostra conuersatio in cęlis est. quia est iam lux solis iustitiæ super terram, id est, mentē amantem adhuc terrestri corpori sociatam, per quod licet à sui tendentia multipliciter retardetur, tamen flante austro manuductiuæ inspirationis, per radios diuinitus immissos ad diuiniora suscipienda desuper aperitur, cum maxime à parte inferiori respectu mūdanorum delectabilium obturatur. Et hæc superior portio, quæ Deo vnitur, & pane etiam vitæ, & amoris reficitur, licet à parte inferiori terrestris non cælica, multas importunitates sentiat sæpissime, vel inuita. Claudat ergo quantumcunque potest affectus ostiō, ne ad inferiora respiciat, sed ad diuina sursum actione fideliter ad hoc aspiret, vt sibi à dilecto dicatur iam cenante cum ipsa: Hortus conclusus es, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: qui hortus dicitur florens rosa odoris: qui ideo conclusus dicitur, vt nullus aduersarius, vel propinquus particulam veri amoris obtineat, nisi ille de quo dicit, qui solus ratione suæ floridæ honestatis nihil aufert penitus, sed potius reficit, de seipso iucundum perhibens testimonium, dicit: Ego flos campi, & lilium conuallium. qui non extra ipsam, sed potius interiorem habitationem appetens, & ad hoc efficacius implendum, menti pauperculæ altissimus se inuitans, vt ipsam vino & pane reficiat, id est, consolationem iucundæ diuinitatis tribuat, sic dicit: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, quia caput meū plenum est rore. Iam cōditionem prouocatricem apponit, & multiplicem, ipsam multipliciter, & dulciter prouocādo, vt ex parte dilecti plena designatio habeatur, quod per ipsum non steterit, quin mens profundis beneficiis, donis, & fulgoribus, plenarie repleatur. Caput plenum rore nominat, quia sicut à capite descēdit motus, & sensus ad membra inferiora, quæ vitam veraciter attestantur: sic ab ipso altissimo, qui caput est totius Ecclesię, vita amoris, & sensus lætitiæ vnitiuis mentibus illabuntur.

1. Cor. 6. d

Cant. 6. c

Philip. 3. d

Cant. 4. c

Cant. 2. a

Cant. 5. a

Quinta petitio.

ET *dimitte nobis debita nostra, &c.* Vbi requirit sponsa à tribus instantibus liberari. Primo à malo culpæ venialis, quia mala mortalia elongata sunt ab ipsa propter ipsius radicationem in Deo ab ipsa dilecto: secundo à malo periculi, quod est vtrumque, & culpæ & pœnæ respiciens: tertio à malo pœnæ, per quod contractum in culpam frequenter incidimus.

Primo à malo veniali quærit sollicite liberari, quod non nisi per donum amoris poterit ab ipso totaliter obtineri. Quia enim mens luminis nihil habet, nisi inquātum præparando se à suo sole spirituali ipsi præparatæ, se inauertibiliter infundente irradiationē recipit. Quando vero per inordinationes virium interiorum, vel ineptas delectationes sensuum, quærens alibi requiem quam in fonte bonitatis, vel beatitudinis, aliquantulum ab ipso obliquatur, & obliquata dispergitur, nisi ab ipso lumine fonte claritatis illustretur. Anima enim per venialia aliquantulum obfuscata quærens alibi delectari, quasi ille sibi non sufficeret, qui sola visione pulchritudinis suæ & attractu dulcedinis reficit omnem mentem angelicam & humanam, non immerito à suo desiderio retardatur.

Petit ergo attentissime liberari, ne à suauibus deside-

riorum eloquiis sponsus ad sui subsidium, vel subuentionem vocatus retrahatur, & ideo sub persona gementis terrenas cogitationes extirpare radicitus non valentis, dicitur in libro Sapientiæ: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ. Cũ enim multa de inferioribus cogitat, & voces creaturarum recipit afficiẽtes interius, in tanto à summis subuentionibus distantius elongatur. Quia inquantum mens plus circa diuersa cogitando distrahitur, in tantũm minus in fonte beatitudinis adunatur. & tunc corpus animã aggrauare dicitur, quia quodlibet horum ad sibi locum naturaliter competentem tẽdit. Ideo est ibi pugna cõtinua, & mẽtis aggrauatio; quia anima tendit ad Deum, qui solus est locus naturaliter sibi sufficiens: corpus vero ratione ponderositatis semper habet circa terrestria delectari. Vel aliter potest dici, ne propter suam offuscationem, & obliquationẽ à decorãte lumine in tanti sponsi præsentia, quẽ intimis visceribus amplecti desiderat, indecenter ornata iudicetur ab ipso, cũ minus speciosa sponsa eius illi appareat, qui in ipsa solũ pulchritudinẽ interiorẽ ad sibi sponsam assumendam specialiter contẽplatur: quia tunc est acceptum eius eloquiũ, quãdo per mentis interiorẽ pulchritudinem super cælesti pulchritudini conformatur. De qua ipsam præcipue admonet, in canticis dulciter alloquens hanc: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. quia tuus affectus non sapit nisi cælestia, & facies tua non est multitudine venialium, vel carnalibus affectionibus deturpata. Ideo tuũ mihi suaue est colloquium, cũ hoc clamo, te per pulsum affectionũ alloquens, & facies tua decora & ad dignitatem nuptiarũ regalium pręparata, quia non est macula in te, quæ tamen non nisi per sanctum amorẽ extinguitur. Quia cũ mens consurgendo ad vnitionem quæ immediate per motum amoris acquiritur, prius obliquata rectificatur, vt per istam rectificationem & consurrectionem, affectus tanquam gutta aquæ, quæ cadẽs in ignem culpa venialis per sui concrescentiam, vel adunationem importunum nullo modo valeat ingerere nocumentũ. Illa etiam debita cognominat, quibus obligati propter illam, ratione iusta alicuius pœnæ debitores efficimur, cum mens in ipso qui est vera beatitudo minus delectatur, cum ex deliberatione alibi, quam in ipso requies appetitur, qui solus mentis humanæ desiderio est plenissimus, & sufficiens consolator, ita vt ipsamet veritas de sua plenitudine protestetur, ad suam sufficiẽtiam alios prouocando, sic dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, in superiorum affectionum laborioso exercitio, sed tamen dulci: quia cum propter elongationem incolatus miseriæ, & dilationem gloriæ oneratos vos esse dicitis, & corporeæ sarcinæ corpulenta substantia retardari. Et ego reficiam vos non alius, qui sum sapientia æterna oriens ex alto, qui diuinas consolationes vestra desideria quietantes, non tantum in futuro, sed impartiar etiam in præsenti. Nam quia mitis sum, & humilis corde, ideo prouocantibus meam affluentiã per continua desideria me inclino, non pauperes despiciens, qũia humilis sum corde: quia inquantum terrenis diuitiis mens fuerit pauperior, in tantum ad regales nuptias veluti conformior super humanæ naturæ limites, mihi vniendo citius eleuabo. Quod vos non per speculationem attendatis, sed videte per gustum interius præeuntem: quia non videbitis nisi sermonem Prophetę impleueritis, sic dicẽtis: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus: quia tunc erit requies, & proprie murmur aspirantis animæ iam cessabit, cum Creatorẽ seipsa maiorem, in seipsa persenserit quiescentem. & hoc est, quod postea dicitur: Et inuenietis requiẽ animabus vestris. & tunc amoris iugum erit leue, & onus facile. Nam iugum amoris sua dignitate & iucunda alliciencia sic ligat interius voluntatẽ, vt nihil pœnæ sentiat, qui ceruicem suam supposuerit ad iugũ suauissimum sustinendũ. Nam cõtra consuetudinem aliorum iugorum, illud manifestime suis sustinentibus comprobatur, nam aliud iugum trahentes, ab ipso ceruices inclinent inferius: iugum autem illud intantum sustinentes eleuat, vt commorantes in terra, faciat in cælestibus habitare, vt sua nosmetipsos extendendo, spirituum cõciues faciat [...]ernorum. Ideo vere leue dicitur, quia ab inferioribus [...] alleuians, & ipsum ad superiora supra seipsum [...]endo est leuigans. Suaue etiam dicitur, quia ipsum sustinens, viuit vita Angelorũ nõ hominum, quamuis modo imperfectius, sed in separatione corporis, & animæ plenissime feliciter obtinebit. Vel ideo suaue dicitur, quia in tanta lætitia, & iucunditate interioris animę facit vitam istam amaram deducere, quia sibi iam vita gloriæ incipit, vt iucunditas mentis pœnalitates corporis propter superabundantiã exuperet absorbẽdo. Leue etiam dicitur propter interioris animæ pinguedinem, veluti aurem pinguem, & pinguedine repletam carbonibus in veru appositum, vt frigoris egestas, vel æstus, vel calor importunus non sibi ingenerent aliquod nocumentum, vt merito præsentiat quod sibi antea spõsus promiserat, dicens: Ego protector tuus sum, cum iugo meo suaui alliceris & merces tua magna nimis, cum me in gloria videbis: meipsum nõ aliud tunc tuæ militiæ stipendiũ recipies, sed nimis, quia tuum gaudium vsq; ad completam cognitionẽ non tibi subtraho, sed cum meum iugum sustines parum in miseria, qualis ero in gloria, misericorditer tibi communico.

Sexta petitio.

ET *ne nos, &c.* Tunc enim mens in tentationem inducitur, quando tantis blanditiis, vel seductionibus mens illaqueata voluitur, vt iam in parte consentiat huic necessario operi, ad quod inclinari à seductore versutissimo instantius admonetur. Petit ergo sponsa, non de dilecti continua subuentione diffidens, sed carnis humanę fragilitatẽ considerans, vt ab isto periculo liberetur: quo tunc scit se firmiter liberari, quando benignissimo protectori per radiantissima amoris desideria præsentatur. Et ideo obnixe semper intendit per affectiones sursum agi, vt illum mereatur attingere, & suis affectionis clamoribus prouocare, de cuius misericordia, cõfisa, hostium cuneos, tentatores fortissimos conspuẽdo, ob dilecti confidentiam vilipendit, qui sibi iamdudũ per Psalmistam promiserat: Qui in me sperauerit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomẽ meum. Item alia est ratio, videlicet propter importunas hostiũ insidias, qui intãtum secundum quod aduersari permittuntur concurrentes in sponsam insaniunt, inquantum creatori immediate subiecta se ab ipsorum dominio distantius elongauit, & quod fortiori tentatione non præualent, multiplici importunitate, & frequẽtia tentationis multiplicis, hanc furibundius persequuntur, sperantes hoc, quod Iordanis adhuc influat in os eorũ, & sternant sibi aurum quasi lutum. Tunc enim Iordanis influit in os dæmonum, quando riuulo amoris à fonte bonitatis, vel beatitudinis æternæ exeunte, per quẽ vita descendit in spiritum, interrupto veluti secretissimo aquæductu, per partes corporis riuuli mũdanarum cupiditatum, & vndæ præcipitantes dignitatum terrestrium, suffocato balsamo affectuosi amoris, per quem anima in suis desiderijs loquitur, impetuosis fluctibus animam repleuerint. Et tunc aurum quasi lutum sternitur, quando amor suauissimus creatoris suo decore animam pulchrificans, & dignitate præexcelsa insigniens, in amorem creaturæ faciem superiorem animæ sordidantem, lamentabiliter cõmutatur. Ideo liberari se postulat, ipsũ desiderijs prouocando, vt sibi ille iã nolit deficere, ob cuius amorẽ efficacius obtinendum, terrena gaudia, & regnum diaboli conculcauit. Et ideo sibi per Prophetam desideranti dilectus repromisit, vt videlicet suam petitionem non solum exaudiens, sed in sua tentatione tanquam felix dux, & comes sua iucunda præsentia ipsam totaliter liberabit, & pro victoria, & fidelitate ipsius pugnando ipsam corona gloriæ præmiabit, sic dicẽns: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, &c.

Tertia ratio est, propter quam petit à periculo liberari: quia

Sap. 9. d

Cant. 2. c

Mat. 11. d

Psal. 33. b

Iugum Christi amore Dei fit suaue.

Cant. 15. a

Psal. 90. d

Iob. 40. c & 41. d

Psal. 90. d

rij; quia mens vnita Deo iam non quærit, quæ sua sunt, felicem insequens magistrum, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, id est, bonitatis suæ radios in bonis submittens, & deinde per ipsos ad seipsum attrahens, super malos etiam expectans forinsecus, sicut radius solaris ad fenestrā clausam expectat, de natura bonitatis suæ nullatenus retrocedens, sed pulsans continue, ne per defectum ipsius conferentis, vllus spiritus rationalis Christianus videlicet, infidelis aliquis, vel Iudæus diuini amoris inopiam patiatur. Qui ergo fideliter diligit, laboret attentius tam oratione interiori, quàm etiam spirituali quodam exercitio, cum viderit multiplicem, vel, vt planius, & verius proferam, infinitam stragem animarum, vt omnes ad vitam amoris mutui suscitentur, & excæcati oculis interioribus, ad cognitionem perueniant lucidissimæ veritatis. Quia ergo mens vnita Deo, ratione amicitiæ à dilecto potest, quàm plurima beneficia peccatoribus impetrare, quia fidelium ac veracium amicorum est per omnia idem velle, & idem nolle, & cum ad hoc dat operam sollicitam, potest multam, orando & obsecrando dilectum, auferre prædam ab hostibus, & in hoc indignationem furibundam incurrere, & ideo petit pro omnibus, ab ipsorum laqueis liberari.

Matt. 5. g

Sed vltima est ratio, secundum quod magis conuenit præsenti tractatui, quia experimēto præcognouit, quàm suaue fuit dilectum tam benignum diligere, hoc morte amarius reputat, quòd in modico tantillo consentiat, vt à tam felici consortio, nec modo, nec in perpetuum separetur, immo etiam intolerabile dedecus, vt mens quæ sentit pie, quæ sit ista iucunditas, aurem inclinare ad inimicorum colloquia, mundana gaudia, vel terrenas diuitias dignetur, tamquam quid sit vere bonum, non experimentaliter cognouisset; cum ipsa maxime feliciter edocta, animas peccatrices iurgauerit, quia ab ista fontali bonitate miserabiliter recesserunt, sic dicens: Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Postea subdit rationem, dicens: Scito, & vide, quia durum & asperum est reliquisse te Dominum Deum tuum, duplicem infelicitatem, ipsam significans incurrisse; quia per malitiam, creaturæ inferiori inuerecunde adhæsit propter momētaneam delectationem, iusto Dei iudicio, non oblectationem, sed amaritudinem potius reportabit; vt qui satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur. quia quanto delectatio mundana spiritus secreta ingreditur, tanto veneno pestifero lamentabiliter anima adimpletur, non tantum malitia, qua spreto Creatore creaturæ adhæsit, sua inferiori vilitate arguit, sed diuisio à fonte totius beatitudinis increpat: quia sicut ipse est summum bonum & solum, & ideo omnia dicuntur bona, inquantum ipsum completius participant. Quod non bene participat bonum, non debet aliquid appellari, quod tamen impossibile est: & sic ipse fons iucunditatis, & lætitiæ riuulos suæ beatitudinis mentibus impartitur, & secundum recipientium præparationem, quibusdam minus, quibusdam magis misericorditer se infundit. Quando ergo anima diuiditur à fonte illo, sine quo nihil est gaudii, nisi inquantum ab ipso inferius deriuatur, non est mirum, si anima diuisa ab ipso tristis efficitur: quia aquæductus amoris, per quem iucundanter anima à Creatore experimentaliter lætitiam obtinebat, intercisus rumpitur. & ideo continuo corpore cum se mens infra seipsam colligit, increpatur; quia abscissa non sentit illum, à quo tota iucunditas emanat, & descendit, & anima ista considerans, inaudita lætitia circumdatur, & singulare gaudium comitatur, à quo periculo per affectiones, & dilecti desideria totaliter expeditur, & victoriosissime liberatur, quia propter illud quod sentit, subiectas sibi delitias vilipendit, intantum de inimicis triumphans, vt quod sibi credunt inferre ad ignominiam, ipsa exinde per virilem insurrectionem in ipsis, ampliorem dilecti gratiam, & vnionem stricriorem, & coronam gloriæ consequatur.

Hiere. 2. d

Septima petitio.

SED *libera nos à malo, Amen.* Petit hic liberari à multis pronitatibus excitantibus ad peccatum; quia cum supra omnem æstimationem mens experimentaliter edocta, ad intimiorem vnitionem aspiret, & ad dilectum suum sursum agi desideret; tamen quandoque ratione corporis terrestris, & carnis inimicantis, spiritus sursum actioni intentus à cœlis ad sensuum concupiscibilia appetenda obliquatur, & quandoque nitens supra se erigendo habitare per amorem in cœlo, quandoque inuenit se per cognitionem in luto. Quia ergo hoc execrabiliter detestatur, vt mens, quæ est totius Trinitatis sacrarium, libidinosas allocutiones recipiat, vel ad aliud inuerecunde ex deliberatione se inclinet, propter quod spōso contemptibilis habeatur, petit ab istis multiplici desiderio liberari non propter pœnam vitandam quæ sibi debeatur, sed ne obfuscationem incurrat, qua possit in aliquo à suo dilecto minus appretiabilis iudicari. Vnde oportet, quod ad illum benignissimū Patrem, per quem est in vita amoris generata, sic aurem affectus inclinet, & oculum intellectus aperiat interius, vt tanto ardore dilectionis Patri spirituali adhæreat, & ad eius mansionem aspiret, vt pro ipsius amore obliuiscatur patriam & parentes vt sine contaminatione vniuscuiusque causati alterius vel creati, virgineo decore adornata, illi cœlesti sponso concupiscibilis habeatur, cui etiam ille Altissimus communicari cupiens, ipsam ad imaginem suam creauit ex nihilo, totius Trinitatis imagine insignitam, ad sibi solum, tam in via, quàm in patria igniti amoris obsequium impendendum. Audiat ergo iugiter per Dauid Prophetam ipsius admonitionem dulcissimam inuitantis: Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, &c Et ita multiplicatis suspiriis per amoris efficaciam plenarie poterit obtinere; quia prima natiuitate, quando anima infunditur, has corruptiones carne recipit, quibus sæpe ad inferiora prolabitur. Sic è conuerso secunda natiuitate, qua perfecte in Deo nascitur, perfecta existit, ordine præpostero caro aspergitur à mente interiori pinguedine, vt per quam anima in prima natiuitate fuerat sauciata, in secunda eius natiuitate perun cta affectu amoris vnguentum odoriferum distillantis, prius contra ab ipsa recipiat sanitatem; vt mens ratione obedientiæ inferiorum vitium, iam parte reformata, & suo primordiali principio concordans, regnet in carne cœlitus obtenta victoria, sponso laudes debitas referendo, decantet pro dulci beneficio exaltata, scilicet immissione ignis in spiritu, & roris in carne pœnalitates ipsius fœtidas extinguentis, iam ipsum sponsum in affectu libertatis possidens, iam in luce ambulans, iam de somno carnis expergefactus ipsius subsidio iam ad ipsum consurgēs, attentius vigilat, dicens: Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te, &c. Cum enim iam est à pœnalitatibus liberatus affectus. vt ipsis non subiaceat, vigilare ad ianuam ipsius incipit ardentius, affectionibus concupiscendo intentius, vt ab ipsa intentione iam caro silere incipiat, & spiritui consentire, cui diebus omnibus anima fuerat inimica. Si ergo patet per simile datum in vno, quàm mirabilis scientia absconditur in scripturis, quàm lata. quàm profunda. quàm saporosa, quàm nobilis, qua docetur spōsa ab inferioribus separari, vt regalibus nuptiis grata, & accepta in posterum habeatur. Nullus ergo ambigat, quin totus textus Noui & Veteris Testamenti, secundum viam anagogicam de sponsi, & sponsæ colloquiis, vel eorum altercationibus amore præuio, lumine concomitante valeat explicari. Nec solum scripturæ, sed etiam omnes creaturæ, quæcumque sint ab vltimo centro inferni, propriissime ad hoc idem induci valeant, cum istam sapientiam. secundum illas nobiliores proprietates in se occultatam habeant, quæ faciliter possunt desuper irradiante lumine denotari.

Psal. 44. c

Psal. 62. a

CAPVT II.

PARTICVLA III.

De duplici via illuminatiua.

SEQVITVR de via illuminatiua. illuminatiua duplex est, practica & theorica. Primo, dicendum de practica, qua mens actualiter cogitando conscendit ad Deum. Secundo, dicetur de theorica, quomodo omnis scriptura ad Deum anagogice reducatur. Dicto vero quomodo sensus anagogicus latitat in scriptura, dicendum est, quomodo per istam viam illuminatiuam ascẽditur ad vnitiuam, & iste decursus fundatur super hoc verbum Psalmistæ: In meditatione mea exardescit ignis, &c. Quia adhuc mens proficiens est indisposita, ad hoc, quod expedite feratur affectionibus anagogicis in dilectum, oportet, quod primo aliquantulum meditetur eo modo, quo dictum est; vt per cogitationem præuiam aliquantulum incipiat scintillando affici in illum, in quem in tertio statu sine omni cogitatione concomitante, vel præuia, quotiescumque vult sine obstaculo sursum eleuatur. Ad quam expeditionem cum perfecte poterit attingere, omnis ab ipsa sapientia in sua consurrectione cogitatio, vel meditatio abscindetur; quia cogitatio ibi non est, nisi vt per ipsam affectio accendatur. Sic ergo vsualiter per meditationem prædictam proficiat: primo sicut dictum est, proprietatem vocabuli ad sensum anagogicum transferat; postea illud ad amorem reducat; tertio, quod in ipso Deo afficiatur.

Psal. 38. a

Verbi gratia: *Pater*, id est, tu es, qui filios spirituales progeneras mediante viuificatiuo germine. Tunc ergo ero vere filius tuus, quando te vero amore constringam. O quando diligam te, cõstringam te intimis visceribus! Similiter per hoc quod dicitur, *noster*, id est, tu es ille, qui latissime diffundis bonitatem. Si ergo vere te amarem, tunc aliquid in me tuæ latissimæ diffusionis stillares. O quando te tam ardenter amabo, vt tua lata bonitas in me aliquantulum appareat! Similiter per hoc quod dicitur, *in cœlis*, & sic de aliis omnia anagogicè transferendo. Et sic per meditationem præuiam per istas aspirationes affectio amoris paulatim accenditur, & sicut stuppa radio solari exposita primo exsiccatur, & statim accenditur; sic per istas aspirationes dilectum prouocantes, ad mentis eleuationem magis ac magis accenditur, vsque quo ad vnitiuam eleuationem affectio sustollatur.

Sic dicatur: *Pater noster, qui es in cœlis.* Secundum igitur virtutem prædictam sic dicatur: *Pater*, id est, tu es ille, &c. vt supra. Sequitur: *qui es in cœlis.* O anima mea miserabilis, quando ad instar cœli clara efficieris, & nitida, vt diuersarum virtutum sideribus adornata! Tunc enim bone pater in me habitare dignanter, & libenter te sentiam, quando te amore ardentissimo constringam, & per flammam amoris anima miserabilis plena fæcibus expurgabitur, statim in me tunc certissime subintrabis, & mundum conscientiæ meæ hospitium inuenies.

Sequitur, *Sanctificetur nomen tuum.* O bone pater, quando tua notitia sanctificabitur, id est, sine terra efficietur in nobis miseris! quod tunc erit, quando omni carnalitate depulsa, tu solus super omnia diligeris. O quando igitur te tenebo; non enim tunc terra in me locum habebit, quando tu dulcis pater, per tuam gratiam & amorem in me habitabis!

Adueniat regnum tuum. Væ mihi peccatori, vult quandoque in me habitare, & regnare inanis gloria, quandoque gulositas, quandoque luxuria. Sed nolo regnare in me, nisi te pater bone: tunc vere in me regnares, si vere te ardenter amarem. nam in solo amore arderis animi veluti in proprio hospitio requiescis. O quando igitur per glutinum amoris ardentissimi te tenebo, vt in me regnare incipias, & solus ad regnandum in regno meo tenebroso aduenias!

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Tunc enim voluntas tua primordialiter efficietur in me, quando secundum fragilitatem humanam, ego miser vermis terrenus, tuæ voluntati omnino consentiam, sicut illi beati spiritus, qui in cœlis te facie ad faciem contemplantur. Sed quis me dulcissime Deus tibi faciat consentire, nisi sola amoris vehementia, quę contrarias voluntates coniungit, & hominem nouit in te ipso, qui diligeris, conformare, & miro modo transformat à claritate in claritatem? Quando igitur te ô bone Domine ex toto diligam, & glutino dilectionis vnitus tibi soli consentiam!

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. O panis Angelorum, quando tua refectione dulcissima reficiar! in hoc enim Angeli & Sancti beatè viuunt in patria, in quantum bone pater, affectionibus flammigeris te contingunt. O quando panem amoris habebo, vt de eodem cibo in præsenti nutriar, quo Angeli & Sancti in gloria satiantur, vt de micis comedam, quæ cadunt de mensa Domini mei! O bone pater hunc panem da nobis semper, quia inquietum est cor nostrum, donec cœlesti pane aliquantulum cõfortetur: qui ideo quotidianus dicitur, quia in quantum plus comeditur, in tantum desiderio quotidiano reficit abundantius.

Et dimitte nobis debita nostra, &c. O bone creditor, quando debita peccatorum meorum quoquo modo esse dimissa cognoscam! Nam sicut peccatum meum me tibi reddit inimicum, à te me miserum separando; sic amor me vniendo tibi, omnia dimitti cogeret, & te mihi quondam offensum placatum efficeret, & redderet gratiosum. O quando igitur te amore contingam, vt omni peccato dimisso, mihi placatum notitia experimentali te sentiam?

Et ne nos, &c. O bone pater hoc peto, non de bonitate diffidens tibi inseparabiliter colligari amoris glutino, sciens quod ex quo odor tuæ dilectionis me miserum ad se trahit, faciliter tanto ligamine ligatus sum astrictus omnia contraria vilipendendo, & te solo inuento tibi inseparabiliter adhærebo! O quis me iuuabit me, vt solum astringam, qui solus bonus & dulcis es hospes animæ meæ, modo turbidum securum efficias!

Sed libera nos à malo. Amen. A malo non tantum pœnæ infernalis, sed & purgatorii. Non tamen pater hoc peto, vt effugiam tormenta, sed quia vtrobiq; est dolor. Nam si essem in inferno, te numquam facie ad faciem viderem. Si in purgatorio diu post mortem meam stetero, nimis prolongabitur desiderium faciem tuam plenã gratiarum videndi, in quam Angeli desiderant semper prospicere. Sed si ego te ardenter diligerem, tunc amor reconciliationis pœnam infernalem pro offensa debitam absolueret. Si te amarem, sic flamma amoris peccatorum rubigines exueret, vt in vltimo mortis exitu affectionibus flammigeris expurgatus, ad te diu desideratum sine dilatione meus spiritus euolaret. Igitur quando te hoc ardore diligam, qui & pœnam infernalem excutiat, & à dilatione absoluat. Quod ipse præstare digneris, &c.

CAPVT III.

PARTICVLA I.

De via vnitiua in quatuor particulas distinctum.

DICTO de via illuminatiua, & quomodo actualiter per ipsam ad vnitiuam ascenditur; sequitur de via vnitiua, quæ sit. Secundo de persuasionibus ad ipsam. Tertio de industriis, quibus mens firmissime solidatur. & hoc pertinet ad practicam, & ad vsum. Quod etiam si aliquis simplex nesciat ordinare, saltem quoquomodo doleat: & si nescit meditari in scriptura, vt dictum est, saltem aspiret ad amorem, dicens semper in suis orationibus: O Domine, quando te dulcissimo amore constringam! & sic quantumcumque simplex, vel laicus poterit per dolorem de peccatis veluti per osculum pedis, per recordationem beneficiorum, veluti per osculum manus, vsq; ad osculum oris, quod est in desideriis amoris attin-

Cant. 1. a ris attingere, dicens: Osculetur me osculo oris sui, &c. Et hæc iam præsumtuosa non iudicabitur, si primo in osculo pedis, & manus se exerceat, & postea in alio tempore ad osculum oris aspiret. O sapientia quæ ex ore. &c. Hæc autem via vnitiua sumitur in verbis istis, vbi dicitur: O sapientia, quæ ex ore altissimi prodiisti, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, veni ad docendum nos viam prudentiæ. Verba enim sunt aspirantis Ecclesiæ, desiderantis edoceri ab ipso, qui est fons totius bonitatis, & origo. Licet enim verba ista de ipsa sapientia increata, quæ est Filius Dei, possint recte vel proprie intelligi, in cuius exitu æterno affluentia bonitatis summi Patris apparuit: tamen hic de ista sapientia prout temporaliter mittitur, seipsam rationali spiritui manifestans, est præsens intentio, quæ describitur à beato Dionysio Areopagita Doctore egregio, septimo de diuinis nominibus, sic dicente: Sapientia est dignissima Dei cognitio, per ignorantiam cognita, secundum vnionem, quæ est supra mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea seipsam dimittens vnita est super splendentibus radiis inscrutabili, & profundo sapientiæ splēdore illuminata. Hæc est illa sapientia Christianorum & totius Trinitatis inclusa, & deifica diffusione diuinitus illapsa fidelibus, qua mentes amantium cœlesti rore perfusæ, non aliquod emolumentum temporale, non aliqua dona sponsi, scilicet gratiam, virtutem, vel gloriam; sed ipsum qui est totius deiformis emanationis principium scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desideriis, vnitiuis aspirationibus ipsum solum tangere vel stringere non aliud affectantes, ipsi vniri desiderant.

Eccl. 24. a

Sapientia quid sit.

Consurrectio ergo per vnitiui amoris affectiones flammigeras supra omne officium intellectus in supremo affectiuæ apice constituta, ipsa est sapientia intenta ad præsens, quæ idem est quod Mystica Theologia, qua ipsa mens ignita, linguis affectionum occultissime dilectum alloquitur, quæ non alicuius mortalis industria referatur, sed solum diuina miseratione seipsam manifeste prodit, quæ in his verbis laudatur prout est æterna, inquantum ratione suæ immensitatis à fine vsq; ad finem attingit. Similiter prout est temporalis inquantum suauiter cuncta disponit, scilicet rationales spiritus.

Quomodo ergo per hanc rationalis spiritus ab ipsa feliciter instructus, respectu omnium suauiter disponatur, diuino desuper irradiante lumine ostendemus. Primo respectu supercœlestium. cum enim in ipsa beatissima Trinitate sit à Patre Filius egrediens, ab vtroque Spiritus sanctus amor verus procedens, connectens Patrem & Filium, sic à fonte bonitatis supernæ sapientia vnitiua procedens, menti adhuc vianti inferius illapsa. vniendo ipsam connectit increato Spiritui; vt sicut Pater, & Filius, licet sint distincti, tamen vnum dicuntur ratione amoris connectentis, sic per istam sapientiam, qua sola mens supremo spiritui inhæret, tanta nobilitate, licet nihil sit, perfrui promeretur, vt vnum dicatur esse cum illo ab Apostolo, sic dicente: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Hæc autem ordinatio non tantum apparet ratione ordinis personarum per vnitiui amoris sapientiam acquisitam, sed ratione diuinorum actuum: quia cum isti duo actus sint coæterni, & consubstantiales in ipso beatissimo Deo, videlicet seipsum cognoscere, & seipsum diligere; in hoc quod mens in ipso ardenter, & infallibili cognitione, per ardorem cognoscit, veluti in amoris inardescentis meridiano calore recubans, & ardens, in ipso quasi indicibili ardore se diligit, & per hoc ipsum intimius non tantum per creaturam sensibilem ipsi, prout possibile est, conformatur, & in ipsum amore deifico transformatur. Sic mens disposita expressissima æternorum actuum est imitatrix.

1. Cor. 6. d

Sed non tantum, vt est ordo personarum, nec tantum actuum diuinorum æternitas; sed ipse Deus beatissimus est totius creaturæ tam mentis Angelicæ, quàm humanæ, tam creaturæ sensibilis, quàm insensibilis fontale principium. Vnde & in hoc solum insinuatur excellentia creaturæ, quando in id principium, à quo habet originem primordialem, reuertitur: quia rationalis spiritus ab ipso immediate conditore creatus, ipsius Trinitatis insignitus imagine, ampliore dignitate cæteras inferiores excellit. & tunc diuino iudicio perfectus & reformatus existit, quando per amorem excessiuum cogentem limites transcendere naturales, ipsi vnitur ecstatica amoris consurrectione, à quo primordialiter exiuit, vt iam circulus æternus in ipso apparere incipiat ad illum, à quo exiuit primordialiter, reuertendo.

Sed & ipse conditor æternus non tantum est totius creaturæ principium & origo; sed & omnia suis rationalibus æternis sic ordine inconcussibili regulantur, vt omnia quæque, diuina regulante prouidentia, finaliter in suis ordinibus conquiescant. Sic mens per intimas affectiones consurgens, quodam medio mirabili ipsam carnem irrorando perfundit, saltem quo ad hoc, vt innata corruptio paulatim sic debilitetur in ipsa, inquantum mens per ardentius exercitium ad superna extenditur. Quoniam diuina miseratione hac victoria perfruitur, vt inquantum per amorem integrum se subiicit proprio creatori, intantum caro spiritui subiecta. contra naturalem inclinationem, ipsius iussioni obtemperet, & diuino iudicio consequatur; vt sicut mens est concors sui cōditoris per amorem prouecta, sic sequatur corporis subiecti, & mentis concordia; vt in proprio corpore veluti in regno præsideat, & dicat cum Psalmista: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.

Psal. 62. a

Sed & ipse altissimus Creator non tantum voluit creaturæ præesse, vt factor, vel dominari, vt rector; sed etiam à fine temporum quasi celsitudine maiestatis exiliens, cùm miseris peregrinari instituit, tandem in peregrinationis termino ad supernas mansiones conscendit. Sed & ipsi sic existenti in carne reuertenti in cœlum, mens per ecstaticum amorem disposita conformis efficitur, quæ in sua primordiali creatione libera à suo creatore progreditur. Sed & corruptioni corporeæ necessitatis coniuncta, subiecta multiplici seruituti mendica efficitur; sed in posterum super cœlesti immissione diuturno aspirationum ardentium exercitio eleuata, iam quodammodo arrham æternæ felicitatis pertingit: quia vbi amat, inhabitat, & in illo ad quem tendit, desideriorum importuna tendentia veluti in naturali termino conquiescit. Et sic qui in principio * altissimus existens: secundo quoad statum humanum mendicus: tertio glorificatus ascendens in cœlum, apparuit ipsi per vnitiuam sapientiam conformatus, vt merito dicatur in Apocalypsi de veris amantibus, iam quodammodo sibi reddita per purgamentum flammei amoris innocentia pueri li: Hi sequuntur agnum, quocumque ierit.

** al. tutissimus.*

Apoc. 14. a

Sed tamen non tantum in respectu ipsius conditoris, per istam sapientiam mens* vniens in amore modis prędictis disponitur, sed etiam respectu iubilantium beatorum in gloria, quo ad hoc quod vita, requies æterna, quæ est Deus beatissimus, finis vnicus, desideratissimus, immediatus constituitur vtrisque. Sed in hoc tantum est differentia, quod mens glorificata iam in eo per assistentiam præsentialiter conquiescit, hæc, id est, mens corpori vnita, insatiabilibus desideriis veluti absens sursum trahitur ineffabili ardore, vt tantum sibi intimius vniatur, aspirat, & ista dicat: Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus; illa, id est, mens glorificata. dicat: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & cætera. Item illa mens superna coniunctione cum sponso perfectissime iam obtenta fœlicitate indicibili delectatur; mens vero ista coniuncta, hac sapientia tendat superius, tamen quantum est de suis motibus anagogicis, in ipso actuali exercitio sine omni * mulcebri vnctione, vel delectatione consistit; sed potius est ibi miro modo corporalis afflictio, sed in hoc solum lętitia, quod in ista actuali tendentia directe, & sine aliqua obliquatione cōsurgit, veluti lapis ad centrum inferius in ipsum beatissimum, qui est suæ dignitati locus vnicus naturaliter correspondens.

** al. viuens*

Cant. 1. a

Ibidem.

** al. illecebri.*

Vnde

Vnde multi decipiuntur in hac philosophia minus experti, existimantes in motibus anagogicis cœlesti dulcore mentem consurgentem multipliciter irrorari; cum econtrario mens laboriosissima sursum actione agatur, & ex extensione spiritus fit quædam corporis eneruatio, & spiritualis separatio, & membrorum etiam corporalium ex impetuositate motuum anagogicorum protensio, secundum illud Iob: Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Vnde impetus anagogicos corpus sustinere nō posset, sine magna afflictione, nisi gaudium spiritus de ipsius directa tendentia temperaret. Item mens beata continuo, & indiuisibili exercitio in ipso summo bono veluti æterno dulcore afficitur, hæc tamen modo intercalari, & interciso in ipsum consurgit, cuius motus rectissime est ad instar emissionis sideris scintillantis, si illæ emissiones ex libera voluntate procederent: quia illi motus anagogici sunt quasi subitanei, vt statim post consurrectionem mens infra seipsam inferius prolabatur, iterum & iterum consurgit, & iterum infra seipsam cadit.

Iob 7.c

A

Item mens glorificata in ipso, cuius pulchritudinem facie ad faciem contemplatur, ardentissima vnitione coniungitur; & licet ibi sint cognitio simul & dilectio, tamen cognitio naturaliter præcedit dilectionem. Sed metis hæc huic cōsurrectioni actualiter intendens, prout est hic intentio, omnis rationis, & intelligentiæ suis motibus radicitus rescindit officia. Nam intellectus ex cōmunicatione carnis corruptæ, phantasiis est admixtus; ideo debet in consurrectione amoris amoueri; sed in patria purgabitur, in qua carnis corruptio deponetur, ideo per solam affectus igniti consurrectionem erigitur, quia ibi affectiua intelligentia incomparabiliter præexcellit, vt iam cito probabitur.

B

Et licet in his, & multis aliis mens anagogice consurgens à mentibus glorificatis incomparabiliter excedatur, tamen mediante ista sapientia vtraque eadem vita supercœlesti viuificatur, & eodem pane desiderabili vtraque reficitur: sed & per istam eamdem sapientiam ad conformitatem, prout possibile est spiritui viatori, mentibus Angelicis ordinate disponitur: quia ipse Angelus est substantia intellectualis, ab omni corporali depressione penitus absoluta, gaudiorum lucis æternæ impermutabili claritate absorptus. Sed cum diuina sapientia dono gratuito suæ ineffabilis bonitatis, menti vianti affectionum extensarū notitia experimentali seipsam præsentem denunciat, oculos intelligentiæ aperit ratione appropinquationis ad ipsam: quia ipsa in se propriissime est lux, & claritas, & exinde ex eo quòd spiritus ipsi, qui est superior, strictius per amoris contactum coniungitur, non immerito plus rescinditur carnalis affectio, & exinde in carne super carnem extensa, magis ac magis absorbetur, & sic per desideria amoris vitam ducens Angelicā, dicat cum Apostolo: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Inquantum ergo mens per pedes affectionum in ipso, qui est vera vita, aspirat ardentius quietari, intantum minus carnali affectioni coniungitur, cum sentiat ea quæ sunt spiritus, & per consequens magis ac magis in Deo absorbetur, & sic quodammodo per istam sapientiam, licet misera quo ad tria prædicta, in magna tamen distantia vitam Angelicam imitatur.

C

D

Philip. 1.c

Sed per istam eamdem sapientiam rationalis spiritus ordinatissime infra seipsum disponitur; quia illud signū mendicationis humanæ infallibile comprobatur, quando in alia creatura extra seipsam egrediens, tendētiæ suæ & sui etiam appetitus regimen existimat reperire: quia cum mens humana cæteris visibilibus creaturis excellētior iudicetur, ipsam eminentius, & plenius sapientia supercœlestis inhabitat, quia est imago, cætera vero vestigia. Tunc ergo cum thesaurum diuinæ sapientiæ antea occultatum reseratum diuina bonitate in seipsa percepit, iam non egena alterius delectabilis mendicitate fulcitur, iam non à sua primordiali nobilitate degenerans, infra seipsam inclusam, quadam iucunditate relicta, ex intimiore vnitione cum Deo continua iucunditate lætatur, dicens cum diuino Iob, nolens ab ipso de cætero separari: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Et non tantum disponit animam, in quantum facit ipsam infra seipsam quiescere, alienam mendicitatem extirpans; sed etiam ratione pretiositatis sui ipsius existentis in mente. Inquanto enim nobilior, seu magis sanus possessus habitus; intanto plus spiritus Angelicus: quia si omnes thesauri, omne pretiosum, delectabile, quidquid oculus potest videre, ratio inuestigare, intellectus percipere; nihil ipsa mens ratione ipsius, qua solus Deus in corde possidetur, reputat; sed coram omni sapiente affirmat. Tamquam lutum æstimabitur aurum in comparatione illius. Quare? quia tanta est nobilitas in ipsa & dignitas, & attrahentia, vt omnia quæ desiderantur, huic non valeant comparari.

E

Iob 29.c

Sap. 7.a

Nobilitas etiam ipsius, non tantum apparet ratione sui ipsius existentis in spiritu, sed & ratione aliorū multorum gratuitorum, vel gratis datorum, vel acquisitorum, quæ magis inter cætera appetibilia iudicantur. Per ipsam enim certificatur fides, corroboratur spes, & charitas inflammatur. Certificatur enim fides in hoc, quòd mens sensibiliter se sentit trahi infallibili notitia in illum, qui est solus desiderii quietatiuus, & hoc scit ita vere, vel verius, quàm oculus materialis videat materiale obiectum. Si ergo illum, in quem tendit istis consurrectionibus infallibiliter sic cognoscit, iam quodammodo mens certificatur, quod ille est verus Deus, verus Dominus quem fide colit: vel etiam cum incipientes, & proficientes ad istam sapientiam habeant per beneficia incarnationis, & passionis pertingere, & per huius considerationem in ipsa diuinitate affectus magis ac magis inflamatur; oportet, quod mens cum iam est in ipsa sapientia actualiter eleuata, quod recto ordine ad illud pertingat, & sic ex consequenti connexionem diuinitatis, & humanitatis cognoscat. Sed & cum mens per istam sapientiam dē multis, quæ ad fidem pertinent, licet adhuc misera, certificetur ad plenum, sciat quælibet fidelis anima, quod ex quo mens ad istam sapientiā pertingit, si omnes mundi sapientes, omnes philosophi protestarentur, & confiterentur, & dicerent: Tua fides non est vera fides, quin immo deciperis; ipse contrario responderet: Vos omnes fallimini, & ego solus veram fidem teneo multo felicius, quàm per rationes & inuestigationes, per amoris vnitionem, habens in corde infallibile firmamentum, vt dicat cum Apostolo: Scio cui credidi, & certus sum, &c. sic certificatur fides per hanc sapientiam.

2. Tim. 1.c

Sed & corroboratur spes: quia cum spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, intantum per istam sapientiam corroboratur, vt iam quasi de obtinēda futura gloria non timeat: quia sic videmus, quòd quanto domicelli alicui principi diuturniori exercitio familiarius obsequuntur, fit, vt quem primo timebant, vt dominum, ex quadam familiaritate iam timor ad reuerentiam maiestatis resiliens, penitus euanescit: vt de ipsius familiaritate, & bonitate confidentes, nullatenus se credant ab ipso de cætero separari. Isto modo ad intellectum anagogicum referendo, mens prius tepida per affectiones, & desideria, vnitiuam familiaritatem consequitur, vt ipsius dilecti dono in ipsa quædam mera confidentia relinquatur, vt omnis timor pungitiuus, nisi per modum cautelæ, ab ipsa radicitus extirpetur, vt dicat cum Apostolo: Quis me separabit à charitate Christi? fames, an gladius, &c. imo etiam nec instantia, nec futura.

Rom. 8.f

Per istam etiam sapientiam inflammatur, integratur & perficitur charitas: quia cum ipse Deus beatissimus sit ignis consumens, intantum à spiritu viatoris omnimodam frigiditatem expellit, inquantū per amoris extensiones ipsi interius appropinquatur. Quia cum sic per motus anagogicos ad ipsius intimiorē vnitionem aspirat, solis spiritualibus radiis exurentibus se exponit, & veluti stuppa solaribus radiis exposita, ab igne desuper immisso accenditur. Vnde iste sol mentes dicitur exurere tripliciter: quia & ipse per se augmentat ardorem in spiritu, & mediante ardore obstacula præseeat quę amorem im-

Deut. 4.d
Heb. 12.g

Eccle. 43.a

e m impediunt, vt ardentius inflammetur, ipſe ſpiritualia beneficia ſuperaddit, quibus ipſe amor in ipſo perficitur. Item ipſe facit mentem exurere, ad hoc quod ardentiſſime ipſe Deus vnice diligatur. Exurit etiam iſta ſapientia mentem, vt in omnem proximum ſicut in ſeipſum hoc amore ferueat, vt iterum ipſa inſatiabilibus deſideriis, vſque ad pleniſſimam vnitionem aſpirare languida non deſiſtat. Non tantum virtutes per iſtam ſapientiam perfectum obtinent principatum, ſed & mens omni Philoſophiæ, omni inueſtigationi rationis, omni ſpeculationi, Theologicæ etiam inquiſitioni præponitur. Naturalis enim Philoſophia ipſam cauſam omnium per hoc quod apparet in ſenſibilibus creaturis, cognouit Creatorem, affirmans infallibili argumento, quod tanta creaturarum bonitas, tam mirabilis ordo, tanta earumdem immenſitas, non niſi ab vno omnipotentiſſimo Creatore prodijt, ſecundum illud Apoſtoli: Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, &c. & ſic venit Philoſophus ad cognitionem. Sed cum totus mundus nihil ſit in comparatione ſpiritus rationalis, ſecundum ipſius ſapientiæ increatæ proteſtationem, dicentis: Ludens eram in orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filiis hominũ. Tandẽ totus mũdus eſt ſicut paruulus ludus, in quo paululum apparet pulchritudo reſpectu mentis Angelicæ, vel humanæ. Vnde quia nihil de intimis mentis conditionibus habuerunt, ſtricta & mendica eſt naturalis cognitio, & huic ſapientiæ quantum diſtat ortus ab occidente, incomparabiliter ſubſternitur. Item reſpectu conſiderationis metaphyſicæ, vel theoricæ, quæ ambæ ſub ratione entis, vel eius differentiarum, vel practicarum intentionum, ſcilicet ſub ratione vnius, veri, vel boni, Deum ſimpliciſſimum apprehendunt. Mens autem per iſtam ſapientiam ſub nulla ratione prædicta, ſine aliquo cogitatu concomitante, vel præcedente motum amoris, habet affectione, ipſum, qui eſt ſummum bonum, apprehendere modo indicibili: ad quam apprehenſionem, nec intellectus conſurgit, nec intelligentia ſpeculatur. Quomodo autem hoc fit, & quomodo intellectus poſſit diuidi ab affectu in theorica huius practicæ oſtenditur, & de his, quæ ad hoc pertinent ſuper illud Myſticæ Theologiæ: Conſurge ignote, &c.

Rom. 1. c — *Prou. 8. d*

Videndum eſt, quomodo reſpectu inferiorum mens ſuauiter diſponatur. reſpectu enim corporis ſubiecti, dictum eſt ſuperius, quando ſumæ ſapientiæ regenti mundum mens per iſtam ſapientiam conformatur: ſed tamen addendum vlterius, quòd ſicut ſeſſor in equo virtute freni iumentum ſibi ſubiectum vertit ad libitum ad dextrum, vel ſiniſtrum; ſic cum mens per iſtam ſapientiam erecta, non curuata exiſtat in corpore virtute ipſius amoris, veluti quodã freno ſpirituali ſenſuum exteriorũ reprimit inordinationes, vt ad nutũ, & ad imperium ipſius ad quem tendit, prout poteſt melius, omne regimen tam in viribus, quàm in ſenſibus æqualiter reguletur, & faciat in ſuo ſubiecto tabernaculum, ſecundum exemplar, quod ſibi in monte hoc monſtratum eſt, ſecundum quod diuino Moyſi, vt habetur in Exodo, ſub typo diuina ſapientia imperauit.

Exod. 25. d

Sed etiam per iſtam ſapientiam mens reſpectu omnium mundanorum diſponitur, quibus per ipſam veriſſime dominatur. Quod ſic apparet: Si enim aliquis princeps terrenus vniuerſo orbi præeſſet, & haberet tot delitias, diuitias, & honores, quot omnes mortales habuerunt ab initio mundi, & in his oblectari diſponeret, iam ipſis ſubijceretur, dum ab eis quietem, vel aliquam beatitudinem, vel perfectionem, quam non habent de ſe, obtinere appeteret. Qui ergo in his delectatur, ipſis vere ſubijcitur. Solus ergo ille eſt Dominus, qui ſic omnia inferiora vilipendit, vt nihil terrenum per amorem inquietum contingat; quia tunc in vilipenſionem omnia ſub ſuis pedibus conculcantur. In hoc ergo regno dominatur anima, cum non alibi quærens requiem, ſuperni deſiderijs ſe extendit, dicens cum Apoſtolo: Omnia reputaui vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifacerem. Idcirco Petrus & Paulus glorioſi principes terræ vocãtur. Sub typo etiam dictum eſt filijs Iſrael ab ipſa veritate inconfuſibiliter promittente: Omnis terra, quam calcauerit pes veſter, veſtra erit. Si ergo quis vilipendit, cũ calcat omnia; multo verius quàm mundi principes omnibus dominatur.

Philip. 3. b — *Deut. 11. c* — *Ioſue 1. a*

Sed & per hanc ſapientiam reſpectu inimicorum ſuauiter diſponitur, tum ratione irreptionis eorum, tum ratione fortitudinis. Sagaci enim verſutia inſtantius inimici peruigilant, quomodo Deo mentem vnitam à ſuo dilecto valeant ſeparare: ſed per iſtam ſapientiam liberantur: quia hauſtu amoris fonti luminis appropinquat, & ex ipſa appropinquatione diuinis radijs neceſſario illuſtratur, quibus etiam verſutiſſimas tentationes, & palliatas, & ſub ſpecie bonitatis prætentas cito, & ſagaciter deprehendit, tunc hoſtis ſagacitas confutatur, quia ſecundum quod in Prouerbiis dicitur: Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. qui per affectionum deſideria volant ſicut nubes, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas, ſicut legitur in Iſaia.

Prou. 1. b — *Iſa. 60. b*

Diſponitur etiam reſpectu ipſius fortitudinis, quia tanta vehementia ipſi inhæret, quem diligit veraciter, vt potius millesies ſe permitteret iugulari, quàm ſemel ex deliberatione, dilecti offenſam incurreret. Et ad iſtam fortitudinem ineradicabiliter obtinendam, habet iſta duo coadiutoria, vt veluti de propria familia ipſius dilecti Creatoris dirigente dextera protegatur, ſecundum illud Sapientiæ: Iuſtorũ animæ in manu Dei ſunt: & illud à parte ſui, quia ſi etiã fortiſſimis tentationibus ab inimicis propelleretur intenſius, veluti puer rimẽs lædi ab aliquo ad matrem confugeret cito. Sic mens in fortiſſimis tentationibus ad ſubſidium illius, quem diligit, conſurgit velociter, & ad ipſum aſpirans intenſius recurrit. Et iſte modus vincendi dæmones inter alios eſt præclarus.

Sap. 3. a

Per iſtam ſapientiam temperantiæ virtus ducitur ad perfectum. ex hoc enim eſt intemperãtia humana, quod homo in gula, vel luxuria, vel alijs carnis illecebris, omiſſa vera delectatione, quæ eſt ex coniunctione Dei, & animæ, miſerabiliter delectatur. Cum igitur multo maior ſit illa delectatio, quæ eſt in Deo, quàm quæ eſt in carne, ſicut Deus melior eſt, quàm vlla creatura, in qua carnales homines delectantur. Inquantum enim de vera illa delectatione mens ſenſibiliter experitur, intantum vehementius carnalem delectationem reſpuit, & illum inueniens in lectulo amoris, qui eſt vera iucunditas, ſic dicit: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Igitur hac habita, ab ipſa cætera alia de facili vilipendit.

Pſal. 72. d

Per myſticam etiam ſapientiam iuſtitia perfecta acquiritur: quia vera iuſtitia hæc, reddere Deo quod ſuum eſt, & ſibi quod ſuum eſt, & proximo ſuo quod ſuum eſt. Primo enim per iſtam ſapientiam vnitiuã redditur Deo quod ſuum eſt. Nam per quemlibet motum conſurrectionis anima conſtituitur ante Deum, per affectionem etiam amoris anima quærit quæ Dei ſunt, non quæ ſua ſunt. Nam aliter non eſt vera dilectio, niſi plus dilectum quàm ſeipſum amans diligat. Ipſe amor etiã ipſam quieſcere non permittit, niſi in eo quem diligit: quia ſicut pondus lapidis non permittit, ipſum quieſcere, donec ad terram ſuum locũ naturalem perueniat; ſic nec amor ſpiritualis permittit in alio, quàm in ſolo Deo quieſcere, qui eſt omnium ſpirituũ terminus naturalis, vltra quem nihil deſideratur. Non tantũ redditur Deo quod ſuum eſt per vnitiuam ſapiẽtiam, ſed & animæ redditur quod ſuum eſt, in eo quod per gratiã perficitur in ſe ipſa. Quia ſecundum Philoſophum: Anima perficitur virtutibus, & ſcientiis. igitur tunc eſt ibi ſumma animæ diligentis perfectio, quando ille qui eſt fons totius ſapientiæ, & omnis ſapientia ſiue ſcientia creata, tam in ſuperioribus, quàm in inferioribus ab ipſo emanauit, ſpiritualiter per ſeipſum mentem inhabitare dignatur. Vnde verius quã aliquis in loco materiali ſedeat, habitat Deus in anima ipſa, quæ diligit ipſum: & hoc ſpirituali habitatione, vt dictũ eſt. quia ipſe charitas eſt, & qui eſt in charitate, quæ eſt verus amor, in Deo manet, & Deus in eo, vt in

Cano-

Canonica Ioannis legitur. Per hanc igitur redditur proximo quod suum est, & in eodem amore quo diligitur pater, diligitur & filius. Ex hoc enim quòd anima suum Creatorem diligit, omnem etiam rationalem creaturam diligit, quæ ipsius Patris æterni est imagine insignita. Ex eo enim quòd Pater diligitur, ex eo venit feruens animarum sola dilectio. ex eo enim multiplicantur orationes pro animabus deperditis liberandis. Ille etiam idem amor gemitus multiplicat, vt animæ ad proprium Creatorem reuertantur, vt scilicet mortuæ per peccatum, per vitam gratiæ diuinæ suscitetur. Sicut Hieremias clamat, dicēs: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem super interfectos populi mei die ac nocte?

1. Ioan. 4. c *Hiere. 9. a*

Quomodo etiam per hanc disponitur respectu meriti secundum omnem affectionem Theologicam planū est: quia quotiescunque mens in Deum immediate mouetur, vitam æternam toties promeretur: & quia quotiescumque vult anima sic disposita, potest actualiter affici velocissimis motibus, tamen intercisis, & plusquam dicere valeamus, & eleuari meretur in gloria in qualibet consurrectione istorum. & quia singulari merito est respondens gloria singularis, excepta substantiali corona, de visione pulchritudinis diuinæ, constat, quod per hanc sapientiam sibi coronæ innumerab.les cumulantur.

Concludendo ergo à primis, sic per istam sapientiam mens ignita perficitur, vt ad instar circuli, qui est perfecta figura, inter alias, in præsenti & futuro mens à sublimibus egressa, reuertendo in id idem, quasi protractione ab eodem puncto in eundem punctum, directissima ordinatione regreditur. O ergo sapientia æterna, quia nullus mortalium potest manifestare illam admirabilem, & increatā sapientiam, quæ à te fonte vitæ immediatissime procedit, veni ad docendum nos viam prudentiæ; quia contra vsum aliarum scientiarum in ista sapientia, practica præcedit theoricam. Primo ergo subditur de practica, qua mens purgatur in prima via, in secunda illuminatur, in tertia perficitur: vt hæc sapientia secundum triplicem viam vltimæ hierarchiæ respondeat, scilicet purgatiua Thronis, illuminatiua Cherubim, vnitiua Seraphim. Quia ergo hæc sapientia, vt dictum est, persuaderi potest ab homine, sed nō doceri; ideo subditur hæc triplex via, per quam quilibet quantumcunque simplex doctrinam istam cœlestem non humanam quoad vsum diuinitus obtinebit.

Tu beatissime Deus, & altissime, qui natura es inuariabilis, incommutabilis, per te stans, omnium bonorum virtus principaliter conditiua, qui aspectu tuo Angelos reficis, tu, qui es increata sapientia, quæ mentes Angelicas, & cœlestes tuis radiis præclaris irradias, tanquam viuifica virtus, ita amatores tuos adamplia, vt ab infimis separatos suscites nos ad tui desiderium & cognitionem, & remota omni mentis distractione, conuertas nos ad aggregantis Patris vnitatem, qui in horrea claritatis æternæ dispersiones congregas Israelis. AMEN.

CAPVT III.

PARTICVLA II.

De triplici via ad diuinam sapientiam.

SEQVITVR ergo primo quæ sit ista sapientia. Secundo, de persuasionibus ad ipsam. Tertio, de industriis, per quas mens in ipsa firmissime solidatur, & hæc pertinent ad practicam, id est, ad vsum, quod etiam si anima simplex fuerit, ita quod nesciat ordinare, saltem adspiret, & quoquo modo doleat. Secundo, etiam si nesciat meditari in scriptura, vt dictum est, saltem adspiret ad amorem, dicens semper in omnibus suis orationibus & petitionibus: O Domine, quando te strictissimo amore cōstringam? Et sic quantumcunque simplex, vel laicus poterit per dolorem de peccatis, veluti per osculum pedis, per recordationem beneficiorū, veluti per osculū manus, vsq; ad osculum oris, quod est in desideriis amoris ascendere, dicens: Osculetur me osculo oris sui. Et hæc iam præsumtuosa non iudicabitur, si primo in osculo pedis, & manus se exerceat, & postea in alia hora ad osculum oris.

Cant. 1. a

Sequitur de tertia via. Accedite ad eum & illuminamini, &c. Cum enim Deus beatissimus lucem inhabitet inaccessibilem, secundum quod ait diuinus Apostolus: Cum omnis rationalis creatura distet ab ipso gradibus infinitis, ad hoc quod lucis æternæ super pulchris claritatibus illustretur, necesse est animam quasi à se egredi, & gratuito beneficio Creatoris superius eleuari, vt sit aliqua approximatio, & aliqua assimilata conformitas inter creaturam recipientem, & ipsum benignissimum influentem. ideo dicit diuinus Propheta: Accedite ad eum & illuminamini; vt illud præcedat, & immediate illuminatio consequatur. Ibi ergo tangit complete istius libri materiam, in quo cursū extraneo quasi contra omnes diuinos, & Theologicos tractatores, nō per speculum creaturæ, vel ingenii inuestigatione, vel intellectus exercitio, docet ad cognitionē immediatam Creatoris attingere, sed per amoris vnitiui aspirationes flammigeras, quibus non tantū, quia Deus est, sed etiam quid sit Deus beatissimus ipse principium totius beatitudinis & origo infallibiliter adhuc degentes in miseria prægustamus: quæ intantum excedit cognitionem rationis, vel intelligentiæ, vt dicetur postea, inquantum Sol cunctis aliis planetis pulchrior, & stella matutina cæteris sideribus fulgentibus fulgentior vniuersis, qua reuelantur abscondita, qua reserantur occulta, quæ non humanis & terrenis facit amantem intendere, sed potius supra seipsum eleuatum immediate diuinis, & cœlestibus insistere disciplinis. Quia ergo amor æstuans ad vnionem dilecti adspirat ardentius, sursum trahit spiritum, vt fonti veri luminis appropinquet, qui solus facit accedere ad illum, qui est oriens ex alto, hos qui in tenebris & in vmbra mortis sedent illuminans; vt per ipsum motiua & cognitiua completissime suas perfectiones obtineant, vt mens ardore amoris, & decore luminis à suo dilecto misericorditer decoretur. Quoniam non solum per amorem vnitiuum gloria æternæ beatitudinis in recessu spiritus à corpore possidetur, nec solum vitam cœlestem ducere contingit in terris: non tantum humanam suis sursum extensiuis, siue excessiuis actionibus mentem interius sollicitant, sed insuper in anima incomparabiliter per amoris vnitiui desideria perfectio amplioris cognitionis relinquitur, quàm studendo, vel audiendo, vel pro rationis exercitio conquiratur.

Psal. 33. a *1. Tim. 6. d* *Psal. 33. a*

In hoc ergo præsenti opere, quod à me ad declarandum B. Dionysii Mysticam Theologiam conscribitur, est præsens intentio ostendere theoricam ibi inclusam, quomodo anima Creatori suo inhæreat, & ipsi efficacius veluti dilecta dilectissimo radicab.liter vniatur. Vbi verba paucissima sunt, sed infinita sententia continetur, sicut manifestissime in sequentibus apparebit: quia in hac vnitiua sapientia, non ab eo quod extra in scripta redigitur; sed ab eo quod intus percipitur mentis extensa vnitio, ad suum dilectissimum cupientis attingere, ipsius dono gratuito recipit incrementum.

Intentio Auctoris in hoc libro.

Stylus autem istius libri simpliciter, & pure anagogicus est, nisi quandoque propter pium auditorem ad inferius aliquod descendat, ad sensum anagogicum manifestius explicandum, vt solum pure amantes hanc supremam sapientiam vnitiuā in seipsis percipiant, & à mundi sapientibus, vel mundana amantibus, neque quo ad intellectum, neque quoad affectum vllatenus capiatur.

Finis autem est, attendere quomodo anima ad sponsi vnionem totis visceribus debeat adspirare, vt arrham gloriæ, & diadema nuptiarum regalium valeat percipere in præsenti: quod omnis rationalis spiritus tamquam suam beatitudinem debet appetere, propter quinque rationes, quæ ante principale videndum ad auidius recipiendum, quæ in sequentibus dicentur, prolixius præmittuntur.

Finis.

Prima igitur ratio ſumitur reſpectu rationalium creaturarum, & mundanorum actuum, tres aliæ reſpectu perfectionis ipſarum perſonarum, quæ per vnionē amoris in præſenti feliciter obtinetur, vltima ratio ratione continuationis profectus, & augmenti, quo mens ſeipſa fortior efficitur ſemper, & pro amore dilecti ad maiora ſemper ſeipſum extendere cupiens, donec in receſſu ipſius à corpore ſibi ſol iuſtitiæ ipſum viſuræ facie ad faciem, ſicut eſt, oriatur. In prima enim inſipientia omnium mortalium, & maxime religioſorum oſtenditur. Sicut enim quidam Sanctus dicit: Vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores, & pericula, atque diſpendia æquanimiter libenterque ſuſtentat, & hoc in agricolis, & negotiatoribus, & in militibus exemplo ſenſibili comprobatur. Nam & agricola nunc torridos ſolis radios, nunc pruinas & glacies non declinat, terram infatigabiliter ſcindit, & indomitas agri glebas frequenti ſubigit vomere, vt eam cunctis ſentibus expurgatā, vniuerſiſq; graminibus abſolutam, in modum ſolubilis arenæ exercendo comminuat, hunc ſolum finem intendēs, ſcilicet perceptionem copioſarum frugū, exuberantium ſegetum, non alias adepturum ſe eſſe confidens, quo vel ipſe vitam ſecurus ducere, vel ſuam poſſit ſubſtantiā ampliare. Si ergo tot laboribus, tot calamitatibus inceſſanter æſtuat, vt poſſit terrenus terrena ſuſcipere per modicum temporis in ipſis quietudinem inuenturus, non immerito omnis anima totius Trinitatis inſignita imagine, & maxime religioſus, qui ad hoc obtinēdum efficacius, vt Deo æterno vniatur, ſtrictius præ alijs ſe ſuccinxit; in quo tamquam in fonte beatitudinis lætitiam in præſenti; & gloriam in futuro per vnitiua deſideria poterit exhaurire. Et ſi in principio aliqua forſitan difficultas, vel carni intolerabilitas videatur, tamen cito in tam iucundo dilecto deſideratam requiem poterit inuenire: quia in ingreſſu eſt via arctiſſima, ſecundum Salomonem in libro Sapientiæ, dicentem; In paucis vexati in multis bene diſponentur. & non immerito, quia ille citiſſime inuenitur, à quo omne gaudium, & omnis iucunditas emanauit. Secundo videmus, quod illi qui negotiationum ſolent exercere commercia, non incertos pelagi timent caſus, nulla diſcrimina perhorreſcunt, dum ad finem quæſtus ſollicite attendentes, hæc perpeti hilariter prouocantur. Quod ſi tales corpus, & animam tanto ſubiiciunt diſcrimini inceſſanter, quanto deberet rationalis ſpiritus inceſſabili deuotione inardeſcere, vt illum ſuauiſſimum inueniret, qui ſua iucunda præſentia per amorem vnionis obtenta, omnem ab ipſo eliminaret egeſtatem, & omnem ab ipſo inopiam remoueret, & non vltra ipſum vagari permitteret, non vltra oblectamenta adulterina in creaturis alijs mendicaret, cum ipſe beatiſſimus inueniretur experimentaliter hoſpitatus, qui eſt omnis mentis tendentiæ ſufficientiſſimus quietator. De quo dicit anima, cum ipſius ſentit iucundam præſentiam in Iob: In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies: nolens iam ad conſueta diſcurrere, iam humana conſolatione non indiget, quia iam illi vnita eſt, in quo omnium languorum ſuorum, tam corporalium, quàm ſpiritualium, inuenit ſaluberrimam medicinam. Tertio etiam videmus, quod hi qui malitiæ mundialis ambitione libidinoſa inflammantur, dum proſpiciunt honorum ac potentiæ finem, exercitia peregrinationum, vel pericula non ſentiunt, nec præſentibus ærumnis belliſque franguntur, dum propoſitum ſibi dignitatis finem cupiunt obtinere. Si ergo in tot miſerijs inuoluuntur, vt ad modicum temporis laudibus hominum vento inanis gloriæ eleuentur, hoc ſufficiens præmium reputantes pro omnibus perpeſſis multipliciter tam in ſpiritu, quàm in corpore fatigationibus; quid dignum poſſit peragere mens rationalis creaturarum nobiliſſima, reſpectu tamen ſui creatoris mendica, vt ad illa tanta dignitatis præmia perueniret, vt illi à quo creata de nihilo primordialem originem habuit, in amoris vnitiui deſiderijs vniretur, & tanto honore in conſpectu Creatoris digna valeat iudicari, vt minus quàm muſca, minus quàm nihil, principis vitæ ſponſa, regis Angelorū dilecta propriiſſime valeat appellari, & ad tantū honorē ab altiſſimo Creatore minima prouocetur, ſic dicente in Canticis: Aperi mihi ſoror mea, columba mea, &c.

Sap. 3. a

Iob 39. e

Cant. 5. b

Dicto quo modo per actus mundanorum, & ſæcularium mens ad tanta dilecti gaudia prouocatur; dicendum eſt, quomodo per creaturas rationales, & irrationales ad quieſcendum in ſuo Creatore multipliciter excitatur. Primo, in ſenſibilibus: ſecundo, in vegetabilibus: tertio, in animatis rationantibus, & irrationantibus. Vide quia ad illud edulium, ad quod aliqua experimentali notitia animal brutum guſtui delectabile exæſtuat, currendo cum impetu ſine diſcretione accelerat. Cum ergo ratione prædicta mens habeat vnum ſolum delectabile obiectum in quo vera requies, & omnis ſatietas pariter combinantur, diuino iudicio miſera iudicatur, vt tāto delectabili ſibi præſentialiter, & immutabiliter exiſtenti miſera defraudetur: cum bruta ad ſuum delectabile cum tanta feſtinatione accelerent ſenſibiliter obtinendum, & iſta non vult faciem ſuam erigere ad illam veram ſapientiam vnitiuam, de qua ab increata ſapientia in libro Sapientiæ dicitur: Omnia mihi bona venerunt pariter cum illa. Dicit enim, *omnia*, vt nihil in mente in ipſius præſentia remaneat incompletum. Dicit, *bona*, non bonum dicit, vt multiplicationem in mente diligentis diuinorum beneficiorum inſinuet. *Venerunt*, dicit, per hoc ſignificans nō à ſe, ſed ab alio hæc omnia obtinere, ſcilicet ex influentia ipſius dilecti miſericorditer influentis. Dicit, *pariter*, cum in ſeipſa anima nihil boni habuerit, & ſi ꝙ fuit multiplici amaritudine replebatur. *Cum illa* dicit, vt non ſolum poſſeſſione ipſius vnitiuæ ſapientiæ mens interius impinguetur, & medullarum ipſius multiplicatis fructibus irroretur: ſed & multa dilecti encænia, ſcilicet ſplendores, & diſtillationes multiplices præſentia vnitiuæ ſapientiæ comitantur, vt tam per ipſam, quàm cum ipſa mens experimenta gloriæ obtineat in præſenti. Miſerabilis ergo debet anima reputari, ſi illud quod videmus in ſenſibilibus, nos rationales non facimus, & reſpectu momentanei delectabilis pigritantes circa inferiora lamentabiliter occupati, contra etiam cordis humani generoſitatem, impudenter & miſerabiliter dormitemus. Hoc etiam apparet in vegetabilibus, vt in arboribus, quæ vt ſtabiles ſint, & in concuſſione ventorū immobiliter maneant in terra, radices immittunt profundius, ab humore ipſius terræ, in qua figuntur recipientes fortificabile nutrimentum, vt etiam ramos ſuperius emittentes, propter immiſſionem firmiſſimam ſine ſui confractione in ſuo loco firmiſſime perſeuerent. Sic mens per amorem vnitiuum ſupra ſe erecta, per penetratiuas affectionum radices in eo, cui per amorem vnitur radicata infigitur, in qua infixione vnionis, ſtillæ roris æterni exhauſtæ, per amorem maxime ratione redundantiæ ipſius fontis omnium deliciarum, & plenitudinis, per importunitatem vnitiui amoris, quaſi quibuſdam radicibus ad ſtipitem affectus deſcendunt inferius, mentem ſic fortificantes in ipſo, vt inauertibiliter ad ſponſum ſine obliquitate profectu continuo aſcēdat; vt etiam corroboratione motuum amoris, qui hic radices proprie nominantur, rami cæterarum potentiarum omnium perfundantur, & inde ſic fortificata, vt non iam ad modum arundinis ſpiritualium ventorum turbine quatiatur. Et ſicut humor arbores facit vireſcere, florere, & fructificare, & nihil horum ſine virtute ipſius humoris, arbor materialis obtineret penitus; ſic & humor amoris facit florere altioribus ad magis placendum dilecto, conceptionibus quàm plurimis, & fructū operum ſine exinanitione proferre folia verborum. non de ariditate mundanorum, niſi ea vilipendendo; ſed de his quæ placent illi, quem diligit, facit amor viriditate perpetua apparere, vt illius promiſſionis veritatem experimentali notitia in ſeipſis percipiant, quam iamdudū degens in terris, & cum miſeris habitans, dilectus promiſerat, dicens: Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.

Sap. 7. b

Luc. 6. g

Hoc enim promittit Deus altissimus animæ aspiranti, quæ ad instar insensibilium materialium arborũ per amoris motus ignitos in ipso infigitur, & quod videt in creatura, quam expertem, & insusceptibilem delectationis, & iucunditatis cognoscit, hoc ipsa misera appetat, cui tot delectabilia pręmia à collatore omnium promittuntur, & quæ sint ista in sententia prędicta insinuantur. *Mensuram* dicit; quia cuilibet se ad suam infixionem sollicite disponenti datur amor, id est, perfecti amoris vnitio, quæ mensura proprie dicitur. Nam ipsa sola quantitas animæ mensuratur, vt desideratam perfectiorem vnitionem citius, & efficacius apprehendat, ardentius quoque amare desideret, & secundum suorum desideriorum mensuram apportando secum encænia, ipse Altissimus pauperculæ se infundit, quæ vere bona affectũ mentis erigendo Deo æterno diligentè vniens nõ bono per participationem, sed summo bono, ampliori bonitate mentem sibi vnitam deificans, vt eo sola bona dicatur, & melior omnis mens Angelica, & humana, in qua amor transformans creaturã in creatorem, abundantior redundauerit, vt iste solus nobilissimus habitus, bonus antonomastice debeat nominari, quia in eo qui solus bonus est secundum ipsius sententiam facit in Deum sua extensione deifica animam transformari: cuius fructuũ multiplicatione, & exuberanti abundantia suæ bonitatis vires, & virtutes animæ perfundens, vt *ratione* redundãtiæ ipsius nihil maneat vacuum, & ideo conferta statim dicitur. Sed etiã quia ex præsentia vnitiui amoris, ex qua totus homo respergitur, est ibi quædam virtutũ creatio, vt vna motum alterius præoccupare cupiat, ideo coagitata dicitur. Et quia verus amor tanquam ignis æstuans, non potest sic adhibita diligentia cooperiri cineribus, quin semper quoad aliquid caloré emittendo aliis emineat, sic amor superaffluentiam operatur vsque ad verba exterius, quia de his circa quæ vertitur mentis affectio, verba libentius proferuntur, ipsa mens quadam limitatione amoris præponderans, vt os quod est nuntius quo mens præmittit, quod sentit interius proferat diuina nõ humana, cœlestia non terrena. Vnde potest dici mensura amoris, secundum quam affectus potentias suas dirigit, multiplici exhauritione corroborat, virtutes creatas ad operandum exagitat, vt etiam ad ea quæ sunt exterius se extendens, sua dignatione, & ex deliberatione, loqui vel facere, nisi de pertinentibus ad ipsum suum possessoré, non permittat vllo modo. In hoc ergo debet anima lamentabiliter excitari, vt laboret instantius, scil. vt principium inceptionis, vbi quasi tota est vnitiuæ sapiẽtiæ difficultas, aggrediatur audacius, vt tanto citius manens immobilis in loco sibi connaturali, suæ primordiali origini naturaliter competenti firmissime radicetur.

Dicto quomodo per exempla sensibilium, & vegetabilium mens ad suum delectabile obiectum debeat excitari, & in suo loco naturali inauertibiliter radicari, dicendum est, quomodo per exempla inanimatorum ad idem efficacius excitetur. Sicut omnia corporalia locis sibi competentibus conseruantur, sic spiritualia, scilicet mentes Angelicæ, & humanæ locum habent proprium, non ad instar corporalium dimensionũ, sed suæ contendentiæ, & ne redigantur in nihilum ipsa sua dextera cõtinentem. Sicut enim corpus ratione suæ ponderositatis statim ad locum, vt in ipso quiescat, naturaliter deportatur, sic mens donec perfecte constringat illum, qui sua dignitate non potest non appeti, per pondus amoris vsq; ad ipsius vnionem superius collocata, sine quiete vaga, sine refectione famelica mendicabit, quantumcumque extraneis delitiis, vel honoribus occupetur, tamen nullatenus satiabitur, nisi illum cuius naturalis est imago, ipsum per contactum amoris, quem vnicum naturaliter appetit, fuerit assecuta, & nisi in signo iugis lętitiæ in ipsa se pręsentem annuntiet, mentis importuna tendentia nõ quiescit. Et hoc in Ioannis Euangelio insinuatum habemus à diuino Petro cæteris amantibus ardentius sic dicente: Viderat enim vbique inopiam, & in ipso solo, cui loquebatur præsentialiter, perfectam quietem inueniens, dicit: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Dominum vocat, quia ipsum colit omni postposita creatura. Potest enim appellare Dominum, cum amor non deriuetur ad aliud, sed conuertatur ad ipsum, à quo tamquam à fonte primordialiter emanauit. Et sic dicit: Ad quem ibimus? quare vero non esset recedendum ab eo in persona amantium subdens efficacissimam rationem: Verba vitæ æternæ habes: non verba oris exterius, sed mentis interius, tuas distillationes multiloquas immittendo, quibus multo efficacius, quàm per argumenta, vel creaturas, vel quæcumque alia verba, vitæ æternæ incognita gaudia tuis amatoribus manifestas, vt ipsa sentientes, secundum diuinum Apostolum, cætera omnia, vt stercora reputent, vt te lucrifaciant.

Ioan. 6. g — *Phil. 3. b*

Quarto respectu rationalium. Cum naturaliter anima secundum suas potentias obiectis competentibus perfrui desideret, scilicet ad arduum, verum & delectabile aspiret, se extendendo superius, vt illi ineffabili vniatur, qui est summa maiestas, incommutabilis veritas, & indeficiens bonitas; de istis breuiter pertranseo, quia de his inferius oportet determinare prolixius. Tamen ad præsens sic veram arduitatem increatam esse anima non reputet in eis, in quibus quantumcumque aliis præexcellens altioribus honoribus eleuetur, ipsam necesse est, tam mentis, quàm corporis, vt sensibiliter comprobamus, mendicitati, & subiectioni multiplici subiacere. Sed tunc solum mens in obtentu veræ arduitatis congaudet, quanto per intimam amoris vnionem tanta libertate perfruitur, quæ non potest cognosci, nisi ab illis, qui ipsam experimentali notitia præsentiunt, vt diabolum non timeat, mortalem hominem nullatenus pertimescat, vt stimulos pœnæ æternæ non sentiat, vt susceptionem mortis amplectendo gaudeat, vt quæ immediate per veram vnitionem Creatori proprio se subiecit, in omnibus liberam ipsius promissionem consequatur, dicentis in Ioanne: Si filius Dei vos liberauerit, vere liberi eritis. Tunc enim vere filius Dei liberat, quando dexteram amoris ipsam extendendo porrigit, vt ipsi inhæreat omni creatura supposita, & nihil sub Deo pœnale amanti in vnitiuis desideriis dominetur. Et hæc est ratio, quia in loco tuto per infixionem amoris se firmiter collocauit, nihil aliud timet extrinsecum, nec etiam ipsum, in quo habitat, cum amor familiaris minas illius, quem diligit, facit obliuisci. Vnde dicit ipsa veritas in Ioanne: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram habebitis. Tunc enim quando Dominus menti loquitur, & seipsum per spiritualium influitionum colloquia præsentem denuntiat, statim pax sequitur; quia ipse est ab omni seruitute radicitus liberatus, qui etiam altissimus mundanis pressurã habendam promittit; quia dignum est, vt qui venerandissimæ maiestati seipsum per amorem verum non subiicit, ab omni creatura misera conculcetur, vt omnis creatura suum vindicet Creatorem, illum afflictione multiplici conculcando, qui nolens ei per amorem subiici, Dominum proprium derelinquens, & adhærens vilitatibus aliis, quasi ille non esset verus Deus, vilipendit. Vnde quanto anima inhæret per ardentiorem amorem intimius Deo, in tantum efficacius ab omni subiectione libera, in regno proprio felicius iucundatur.

Ioan. 8. d — *Ioan. 16. d*

Dicto quod ibi est verus honor in illius amoris vnione repositus, in quo est totius subiectionis priuatio, dicendum, quomodo ratio in ipso inuenit veritatem. Sed quia præsentis speculationis est, quod vera illuminatio ex amore relinquitur, ideo dicendum est, quomodo voluntas in ipso, & non in alio perfectissime satietur, cum ad ipsius pertigerit in præsenti existens viatrix beatissimam vnionem. Tamen sic diffusius dicetur postea, cum mens in re aliqua seipsa ignobiliori nõ quiescat, sibi consolatio vel delectatio terrena non sufficit, licet in ipsis quandoq; cõtra sua naturalia lamentabiliter occupetur. Et hoc, quia omne delectabile, si verum est, quietat appetentis desiderium, siue tendentiam, sed omne terrenũ

quantum-

quantumcumque suauius æstimari valeat, appetitum relinquit famelicum, & nisi forsan ad horam totaliter inquietum, vt apparet sensibiliter in omnibus. Ergo in mundanis oblectationibus, numquam appetitus tendētia conquiescit. Quidnam ergo mens prædicta faciet? Vnum scilicet solum restat, vt ad ipsius præsentialem vnionem acceleret, quem solum seipsa meliorem inuenit, qui solus habet thesaurū iucunditatis in seipso absconditum, quem cum quis per experimentalem notitiam inuenit, vadit, & vendit omnia præ gaudio, & emit agrum illum. Ager enim dicitur amoris vnitiui planities, in quo mens currit per ignota desideria pedibus affectionum fulcita: in quo thesaurus absconditus inuenitur, quando per amoris exercitia ille qui est vera iucunditas per spiritualem notitiam, vel xenium aliquod spirituale præsens esse sensibiliter comprobatur: pro cuius amore adepto mens hilariter cætera omnia vilipendit, cum quis, vel qualis sit ille quem diligit, in affectu perceperit, cum se supra se ad ipsum directe extenderit, dilecti dextera subleuatus, vt ea quæ prius audierat, verius quā illa quæ sensibiliter conspicit & manifestius comprobētur, non immerito propter hoc dicit sermo Dauidicus: Melior est dies vna in atrijs tuis super millia, quia dum per atria planitiei amoris mens aspirando percurrit celeriter, plus sentit in vna die de mentali lætitia, quàm in millibus dierum valeat in variarum rerum ineptis oblectationibus experiri. & diem in atrio nominat, quia mēs dum non per istam planitiem percurrit, sciat se multiplici obtenebrante caligine obfuscari.

Matt. 13. f

Psal. 83. d

Sequitur de obiecto rationali, quod etiam veritas dicitur. Ista enim veritas rationali spiritui respondens non in veritate creata conspicitur; quia omnis veritas à falsitate, à deceptione, ab opinione est penitus elongata, & non ibi de veritate increata fit mentio, sed de creata hic loquitur, quia propter hoc quod veritas ignoratur, ideo accommodatur falsitas, ideo sequitur deceptio, ideo multiplicatur opinio. Et hoc est, quia veritas occulta nō potest cognosci, nisi in lumine desuper radiante, scilicet quo abscondita diuina intelligimus, tamquam mediante lumine, sicut materiali lumine dirigente visualem radium ad obiectum sensu exteriori corporalia sensibilia indeceptibiliter capiuntur. Si ergo lumen diuinum deficiat, iam creata veritas in mendacium conuertetur, non propter defectum ipsius, sed propter, vel remanentem cæcutientis mentis obfuscationem, vel in se percipere intelligibilis veritatis radium non valentis. Cum ergo secundum quod sensibiliter videmus, quasi omnis veritas sit maxime de diuinis, nisi illa, quibus per fidem acquiescimus, in dubitationem, vel opinionem conuersa, iam non pure per humanam doctrinam, veritatem mens rationalis apprehendit. Vt ergo inueniat veritatem, ad amoris vnionem properet, & verius quàm corpus per materiale vinculum, vel artificiale glutinum, vel incastraturam labore operatoris industrij, corpori alij coniungatur, mens per amoris osculum vnitur illi, secundum diuinum Apostolum, qui lucem inhabitat inaccessibilem, & tunc sibi dilectum suum timore filiali timenti pariter, & amanti promissionem diuini Prophetæ Malachiæ consequitur, dicentis: Vobis timentibus nomen meum orietur Sol iustitiæ, tunc diuinam misericordiam supradictam misericorditer consequetur. Accedite ad eum, & illuminamini. cuius reddit in septimo diuinorum nominum Dionysius rationem. Quia quando mens circa illa, quæ sunt creatæ veritatis ad discenda immergit affectum finaliter, non vnitur illi, vt suo splendore multiplici decoretur, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, sic dicens: Quando mens ab omnibus alijs recedens, seipsam postea dimittens, vnita est supersplendentibus radijs, profunde & imperscrutabili sapientia illuminata. Vnde prius dicit, vnita, quàm inscrutabili sapiētia illuminata; vt omni menti insinuet, quod non nisi mediante vnione amoris, mentem summo, & inaccessibili lumine caligantis, veritas quoad profunda, & inscrutabilia penitus cognoscatur.

1. Tim. 6. a

Mala. 4. a

Psal. 33. a

Sequitur de vltimo, scilicet de profectu mentis diligentis pro amore dilecti ad maiora se extendere diligentis, vel cupientis. Non enim sicut humani Philosophi, qui illa quæ quoquo modo capere poterant intellectu, fastu superbiæ inflati, attribuere contempserunt illi fontali principio, à quo in mentibus omnium rationabilium spirituum omnis veritatis radius emanauit, sed è cōtrario, in quantum sensibilibus mens maiori desiderio inardescit, quia per veram sapientiam mens edocta scit se per sui merita quæ ipsa possidet, nullatenus posse obtinere, in gratiarum laudibus collatori omnium se diffundit: vt in quantum ab ipso ampliora recipit, in tantum se humiliorem in suis oculis reputando abijciat, vt non furti diuino iudicio arguatur, vt ea in quibus nihil habet, sibi tribuendo proprij animi elatione inanescat. Ista ergo sunt duo brachia, quibus mediantibus mentis sursum actio affectuum multiplicium recipit incrementum, quia ab vna parte seipsam disponendo præparat, ab alia parte diuinam influentiam prouocando, ipsius dono gratuito peruenire ad maiora, & copiosiora præmia, promeretur. In hoc enim quod ipsa quæ habet, non sibi attribuit, sed omnia redigit ad laudem omnium largitoris, concauitatem in se exarat contra seipsam verius propugnando, qua pluuia diuinarum gratiarum exuberans montes, & colles transiliens, locis humilioribus se infundit; vt quanto maioris humilitatis fuerit concauitas in tanto amplioris gratiæ susceptibilis habeatur. Et hoc, quia omnis creatura inquantū suum recognoscit principium seipsam annihilat; vt quæ de nihilo creata est, in tanto plus recognoscit magnificentiam Creatoris, cum ipsi soli esse, & omne bonum attribuat, iam non immerito dicitur: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Aliud autem est brachium etiam à parte dexteræ, quo iuuantur mentis desideria, vt ardentius solito mens in ipsius exercitijs exerceatur; quia dum per amoris vnionem anima sentit, quæ Dei sunt, prorumpit in laudem ipsius multimodam, quæ laus super omnia exceptis amoris exercitijs ad cōferendum collaudanti maiora, prouocat largientem, dum in persona talium collaudantium dicit Ioannes in Apocalypsi: Benedictio, claritas, & sapientia, & gratiarum actio, &c. Vnde frequens beneficiorum cogitatio, est quasi quædam tuba intonans in auribus dilecti, vt sibi ampliora condonentur. Ista enim beneficiorum diuinorum frequens meditatio stimulat spiritū, vt se totaliter diffundat in ardentioribus obsequijs affluentissimi Creatoris. Vnde Dauid in persona talium dicit: In meditatione mea exardescet, &c. quia dum diuina beneficia meditando recogitat, in tantum ad amplectenda maiora pro amore conferentis animus inardescit.

1. Pet. 5. b
Iacob. 4. c

Apoc. 7. c

Psal. 38. a

CAPVT III.

Particvla III.

Quomodo vnitiua, & mystica sapientia obtineri possit.

Dicto de his propter quæ vnitiua debet ab omni rationali spiritu concupisci, & per consequens illa, in quibus ipsa sapientia determinata diffusius cōtinetur, præsentis intentionis est inquirere, quomodo vnitiua, & mystica sapiētia valeat obtineri, tria principaliter in hoc opere ostendentes. Primo de sapientia ipsa in generali, secundum quod alternatim duplex intellectus theoricæ in scripturis conscribitur. Secundo de Mystica Theologia, quantū ad sui præparationem, id est, de remouendis obstaculis, vt prius inuia, in subsequenti planissima habeatur. Tertio de vnitiua sapientia in seipsa considerata.

Dicto quod nisi rationalis spiritus summo bono inhæreat, non potest in alio aliquo quietari, dicendum est de industrijs, per quas amor ardentius incitatur & iuuatur vnitiuum desiderium ad hoc, quod dilectus ipsum erigendo, oculo respiciat pietatis, & hoc intelligitur per hoc quod dicitur postea: Inspectrix diuinæ sapientiæ. Ad quod notandum, cum bona assuefactio sit omnis ardui possessi initiale principium, quatuor ibi de necessitate

concurrunt, ad hoc quod perfecte respiciatur diuinitus, & vnionem desideratissimam consequatur, quorum vnum est interius in mente, secundum à corpore, tertium à loco, quartum à tempore.

Primo enim sicut videmus, quod quando sol fulget in virtute sua in meridie reuerberantur oculi à solaribus radijs, & etiam obfuscantur; ideo necesse est, ad hoc quod fontem solis directe aspiciat, vti quodam ordine, primo videlicet clarum aliquod aspicere, vel etiam ipsum solem in ortu consurgentis auroræ, deinde ipsum circa horam tertiam, postea etiam per assuefactionem ipsum poterit in meridie videre; sic mens postquam iam omnia terrena dimisit, postquam etiam à gaudijs mundanis se penitus sequestrauit, tamen est inuoluta multiplici obtenebrante caligine, quæ adhuc non permittit ferri spiritum expeditis motibus in obiectum. Sibi ergo necessaria est industria, quia nemo repente fit summus, vt siue habeat deuotionem, siue non, siue sentiat se calidum, vel frigidum: tamen, vt postea prolixius dicetur, pulset ad ostium diuinæ bonitatis, affluentissimam misericordiam obsecrando: vt illum dilectum per amorem æstuantem sentiat, qui ipsum creauit ad suam imaginem, ad sibi soli amoris obsequia impendenda. Non ergo à suo proprio proposito desistat, sed tantum pulset secundum suæ paruitatis modulum, donec per quietam amoris vocem, dilectum suauius audiat consolantem: Ecce ego ipse sum, vt habetur in Ioanne: Et hoc est, quod dicit beatus Dionysius in libro De diuinis nominibus.

Ioan. 4. d

Secunda industria est, vt cum in principio multum elongatum ab ardore vnitiui amoris se sentiat, per quem debet dilectio cōiungi; (quia hoc est supra mortalis hominis facultatem quod misera, & distans tanti amoris vnionem appetat) necesse est, vt illos qui in epithalamio cum ipso lætantur, in gloria totis visceribus orando inclinet, vt illum qui iam non ipsum amant, sed ardent in ipso totaliter per ipsorum supplicationem scintillam ardoris existens in miseria recipere mereatur, non ardorem ipsorum desiderans, sed de micis quæ cadunt de mensa Domini, ad instar catuli desiderat satiari, maxime cum ista duo dederit secundum Psalmistæ consilium, dicentis: Leuaui oculos meos in montes, &c. statim subdit: Vnde veniat auxilium mihi, cum Iob consilium obliuioni non dederit dicentis: Et ad aliquem sanctorum conuertere: quia licet tamquam regales consortes omnes mentes Angelicæ, & sancti excellentiores sint attentione præcipua exorandi, tamen vnū specialem habeat, cui præcipuum impendat obsequium, vt cum semper nō possit ad diuina intendere, ille suos defectus impleat; qui in cœlesti gloria ipsius semper astat aspectibus, qui videt eum reuelata facie, quam ipse laudat incessanti iubilo, huius per suffragia amorem consequi desiderans, qui quantū etiam de se vix est dignus ad plantam pedis dilecti sui affectus oculum eleuare. Sed quia ibi dictum est, quod mentes Angelicæ, & sancti beati in gloria sunt præcipue deprecādi, cum illa felix ciuitas ex hominibus constet & Angelis, ipsos Angelos reuereri non negligat, sed vocem audiat Raphaelis loquētis, pio Tobiæ adhuc caliganti, dicētis: Ego obtuli orationem tuam Domino; hoc sibi dicēs in persona animæ ascendere cupientis. Hi sunt enim expeditissimi paranymphi, quia mētium pias affectiones dilecto offerunt, vt suis miserationibus de sua naturali bonitate impermutabiliter inclusis defectū supplere debeāt. Hi sunt qui tot insignia impendunt obsequia, qui nostræ beatissimæ redemptionis in incarnatione Verbi mediatores pacifici extiterunt, qui nobis pacem de cœlo redditā nuntiauerunt, Creatoris, & creaturæ iam pace reformata per vitæ principem Dominum nostrum Iesum Christū, ipsum pro nobis collaudando, gratias reddendo, solemniter beata gaudia humano generi nuntiando iucundi nuntii affuerunt: & suum Angelum à diuina bonitate à sua primordiali origine ad sui custodiam deputatū reuereatur, deprecando attentius, vt ipse pauper attingere valeat, per amorē illum in cuius

Psal. 120. d
Iob 5. a
Tob. 12. c

amplexibus ipse absorptus luce inaccessibili felice beatitudine iucundatur, vt audire valeat illud quod Danieli Prophetæ in persona animæ diligentis, dicitur ab eodē: Quia vir desideriorum es tu. Quid enim poterimus illi beatissimo conductori, & consolatori nostro rependere, qui tam dulciter admonet, vt Creatori suo perfecte etiā anima inhæreat, si in charitate debilis, si abscissa per peccatum est ab ipso, quod ad fontem vitæ mortua iam anima reuertatur, qui mentem perfectam tot splendoribus ea, quæ ipse percipit ipsi obijciens, multis modis irradiat suis excitationibus accendit, suo consortio magna lętitia iucundatur, & maxime cum secundum suam paruitatē mens facta est conformior, cum idem sapere desiderat, in quo ille totaliter absorbetur. Tunc enim facilis est transitus, vt mens ea quæ sibi Angelus obijcit, recipiat, quando nō tantum in natura, sed etiam in gratia est proportionabilis conuenientia, quando est eiusdem amoris affinitas, licet vnus minus alio radicetur. Et sicut est impossibile, arenam maris, & stellas cœli ab homine enumerari; sic sunt ipsius beneficia circa nos infinita. Ipse enim est orantibus assistens, euntes concomitans, dormientes protegens, & defendens.

Dan. 9. f

Sequitur de tertia industria, quæ est in modo quoad corpus quantum ad orātes in vnitiuis desiderijs existendi, & tamen modum multiplicem orandi nobis expressum in sacra pagina videamus. Primus in Moyse, qui erectus in corpore, manus extentas ad cœlum erigebat. Secundus Salomonis, qui genibus flexis, faciem suam versam ad terram manus ad cœlum dirigebat. Tertius est in Nouo Testamento in beata Magdalena, quæ prostrata ad terrā in faciem, beatos pedes benigni Redemptoris lacrymis rigauit. Quartus in sedendo, quem habemus in Luca, ab ipsa Magdalena dum ipsa sedebat ad pedes Domini in silentio, plus orans interius in desiderio cordis, quàm in labijs oris exterius. Quintus à Domino Iesu Christo, qui patrem vt ab eo calix passionis, si possibile esset, transiret, exorauit. Sextus in cruce, quando manibus extentis erectus corpore patri spiritum cōmendauit. Septimus ab Apostolis, qui Iesum ad Patrem ascendentem desiderio reuertendi ad ipsos, in corpore erecti facie versa ad cœlum orabant interius.

Exod. 17. c
2. Paralip. 6. c
Luc. 7. f
Luc. 10. g
Mat. 26. d
Luc. 23. f
Act. 1. b

Cum ergo secundum diuersas affectiones, vel cogitationes diuersus modus reperiatur ab orantibus opportunus, tamen in ista specialiter necesse est, quod corpus totaliter sit erectum, & facies versa ad cœlum superius; quia secundum dispositionem affectionum animæ necesse est esse conformitatem corporis, & secundum dispositionem actionis spiritui respondentem. Vnde si mēs quando se extendit in ardore motuum vnionem dilecti desiderans, faciem versus terram inclinaret, impediretur actualis tendentia, vel in parte maxima cessaret cum ipsum desiderando appetat, qui est supra ipsum ineffabiliter collocatus, secundum B. Dionysium sibi in Mystica Theologia desiderata gaudia promittendo dicentem: Sursum ageris ad illum, qui est supra omnem substantiā, & cognitionem. Vnde vel corpore totaliter erectus stando, vel genibus flexis necesse est mentem per modos anagogicos consurgere, ratione conuenientiæ, sicut dictum est. secundum quod etiam videmus in illis, qui de aliqua materia cogitant subtilius se profundendo, vel etiam in his, qui loquuntur de arduis, est necessaria corporis dispositio, vt semper se interioribus quod est exterius configuret. Tamen in meditando, vel flendo pro peccatis, potest ibi esse alia dispositio corporalis, vt ad similitudinem Publicani terram respiciat inferius, qui suum benignum Redemtorem contra se ad iracundiam prouocauit. Et similiter secundum alia spiritualia exercitia meditando, vel cogitando, potest esse dispositio alia & alia. Talis in anagogica actione necessaria est dispositio, quæ dicta est superius, quia cum ardēdo afficitur vnionē desiderans, loquitur ad eum sic attente, & veluti si eū videret facie ad faciem. Cum ergo licet sit vbique, tamen vt est in cœlo dirigatur amantis eloquium: Cum ergo loquatur ad eum, quem in cœlis adorat, superius

est

est necesse faciem conuertere; cum ibi eum desiderando prouocet ipsum totaliter transformari.

Dicto de industria, quæ est in dispositione corporis, ad hoc vt citius respiciatur ab illo, cui solum placere cõcupiscit, dicendum est, de quarta industria, quæ est ratione temporis. Sicut enim videmus in necessitudine corporis, quod esca sibi competens semel vel bis in die tempore suo propinatur, sic anima quæ in amore viuere desiderat, hora debita & tempore congruo lumbos suos accingendo se præparet, & tempus orationi constituat, vt mens pane & vino scilicet vitali amore refecta, quotidiano conuiuio non priuetur, cum multo nobilius, multo suauius ab amante illud inueniatur conuiuium, quàm in pastu corporis carnis refectio sentiatur: Non enim dignũ est, vt domina melliflui amoris prandii languescat inedia, & garrulæ famulæ hora debita, & tempore opportuno carnale desiderium impleatur. Et quod talis sit temporis opportunitas manifestũ est, quia sicut ex frequenti bene agere relinquitur habitus in anima, sic cum mens elegerit tempus orationi maxime de nocte specialiter deputatum, secundum illud Dauidicum Propheticum: Et nox illuminatio mea in delitijs meis, [*Psal. 138. b*] quædam affectabilis complacentia in mente remanet, vt semper suum exercitium illa hora impleat, in qua se ad Deum dirigere consueuit. & si etiam quandoque desistat, vt non in hora assueta propter aliquod aliud impedimentum mens se in oratione extendat, à seipsa arguitur, & non modicum quandoque affligitur, si pro causa minus honesta remaneat; quia iam hora pertransijt, in qua mens dilecto inhærere consueuerat, sibi firmam amoris refectionem ministranti, & spiritualis lætitiæ odorifera pocula propinanti. Si autem de hora cõpetenti sit quæstio, quo mens diuinis laudibus se extendat, audite Dominum per Prophetam, loquentem: In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius: [*Psal. 41. c*] quod maxime dicitur, quia tunc minus videtur ab omnibus hominibus, quia tunc quasi omnia silẽt tumultuantia, maxime quia tunc dormit populus Christianus: cuius ratione charitatis causam debet assumere, non tantum affinium, sed omnium filiorum baptismatis, vt ipse tunc vigilet viscerosis orationibus protegendo, vt leo circuiens quærens quem deuoret, in ipsis non præualeat, quos pater omniũ viuentium imagini filii sui conformauit. Tunc enim ad amplexum Domini sui inardescet consurgere, stet peruigil custos, qui de nocte pro quolibet, vt pater suus seipsum immolauit hostiam viuentem.

[*Locus orationi quis aptus*]

Sequitur de quinta industria, quæ est ratione loci. Cum enim antiquus seductor per pium laboris initium, & per alios effectus videat, quòd mens à sui dominio totaliter volens recedere aspirans ad regnum, multo nobilius sub alis dilecti desiderãs protegi: ad eius dominium se transferri eius felicitati inuidens tentando circuit, vt quem sub specie apertæ malitiæ non potest decipere, sub specie boni suspirantem ad alta miserabiliter decipiat, sic ei obiiciens: Veritas in Euangelio suos discipulos admonet: [*Iob 3. d*] Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Tu ergo debes in loco publico, & aperto insistere orationi, vt alii insipientiores per tuum exemplum manuductiue superius attrahantur. Rustica sanctitate non solum tuum profectum proprium desideres, sed per te multitudo nõ modica ad consimile tibi spirituale exercitium, multo plus exemplo vitæ quàm verbo doctrinæ eminentius prouocetur. Ideo locus occultus requiratur, vt ex illo per quod debet consequi vnitiui amoris gloriam, per omissionem circumstantiæ non incidat in ruinam, non tantum propriam sententiam, sed Creatoris sui audiat in Euangelio fideliter edocentem: [*Matt. 6. a*] Cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum, qui est in cęlis: quia licet per modicum temporis ab hoste maligno orans in publico, pacifice relinquatur, vt ipsius prædicta admonitio in corde orantis radicetur amabilius; tamen postea timeat, ne orationem suam ponat in ore hominum, & tamquam meliorem se aliis reputans, vel sanctum se iudicans, sic interius inanescat, vt sibi dicatur à Domino: Tu vero odisti disciplinam meam, [*Psal. 49. c*] Euangelij consilium non tenendo: & proiecisti sermones meos retrorsum, scilicet multipliciũ consolationũ attente orantium, quibus solus Deus in mente, tamquam ipsis loquens, se præsentem annunciat, vt vnde consurgendo superius collatori rependere debuerat gratiarum actiones multimodas, pro beneficio non suis meritis, sed gratis exhibito, retrorsum proijciat se ad fauorem humanum in laude hominum prosternendo. Et licet hæc industria propter instantia, & multimoda pericula attente ab omnibus obseruari debeat, tamen nouus amans de nouo consurgere cupiens, cum magna cautela custodiat, cum adhuc habeat arundineum amorem; quia multum plus siue maius periculum imminet ei, quàm illi, qui in duello spirituali diutius se exercens, tanquam clypeo amoris iam protectus, iam apertis oculis cognoscens machinationes hostiles, veluti expertus miles de inimico persecutore nouit sagacius triumphare: quia tunc securius potest se alijs ostendere, qui pondere amoris cor suum interius in Domino protectore benigno non sine multis laboribus collocauit.

Dicto de quinta industria, qua diuinam amans inspectionem occasionaliter promeretur, dicendum est de alia, quæ est ex multiplicatione ferculorum spiritualium; quia secundum quod videmus in materiali refectione animalium corporum, si aliquid cæteris magis delectabile ad vescendum continue propinetur, cum ex eiusdem continua, & diuturniori replicatione gustus sensibilis fatigetur, nouorum ciborum refectionem appetens, licet primum suauius, quantum in se est, ab omnibus iudicetur, & quando plus recentium epularum superuenerit copiosior multitudo, satiabilius quàm in vno reficitur, & plus interius ingeruntur: sic mens, si horam quam sibi ad diuina colloquia dedicauit, totaliter in extensiuis, siue excessiuis motibus aspirans ad sponsi vnionem expenderet, fatigationem corporis non sustineret spiritus, cum, sicut dictum est, ex amoris importuna tendentia non modica afflictio, immo maxima capiti & pectori, in quibus amplius spiritus radicatur, & per consequens membris alijs corporis ingeratur, ideo epulas recentes sibi multiplicet, & maxime circa tria, vnum præcipuum, & præclarum, & duo alia adiacentia comitentur: principale sit deuotissima oratio, & castissima affectio, qua sponso propter seipsum vniri desiderat.

Sed ad hoc primum principium maxime incipientibus sit cogitatio de passione Dominica, quomodo pro peccatis nostris radicitus extirpandis, Rex gloriosus seipsum obtulit, intantum pro nobis Deo patri obediens, vt morte crudelissima damnaretur, ita vt à planta pedis vsque ad verticem non fuerit in eo sanitas, & non esset pars, quæ non sanguine sacratissimo respersa vniuersis aspicientibus appareret.

Vnde cogitatio de carne est ad ingrediendum ad diuinitatem amoris interius latitantis ianua, & in signum illius, latus suum sacratissimum ferro lanceæ aperiri voluit, & non nisi per plagas illius mens in diuinitatis intimis radicetur; quia, secundum quod dicitur alibi, cogitatio de passione, & refectio in eadem, dignitati animæ non sufficit, sed solum ille qui carnis velamine seipsum ab humanis aspectibus abscondebat. Ideo diuinus Apostolus admonet omnem animam super se consurgere aspirantem: CHRISTO, inquit, semel in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini: [*1. Pet. 4. a*] quia iam multum diuinitati beatissimæ appropinquat, qui humanitati ipsi vnitæ per compassionem imitatricem passionis pertractando, tam pretiosa vulnera interius cõformatur, quod tunc sine aliquo retinaculo cogitationum de carnis passione poterit dimittere: quia iam finem in parte assecutus, solum in ipso intimius desiderat radicari, pro cuius obtentu de plagis ostiarijs cogitabat illud exercitij principium speciale.

Sequitur de tertio subsequente, scilicet quo non modicum

dicum diuinam misericordiam, siue respectionem misericordialiter prouocabit, hoc est aliorum peccatorum expositorum hostibus in peccatis, obdormitorum in fæcibus, in delitiis mortuorum compassio. In hoc enim apparet filialis & amarosa dilectio, quando illis compatiendo, qui ad patris sui imaginē creati sunt, vt illum imitantes in vita regnent sancti in gloria, videat sic miserabiliter alios laceratos, & alios sic excęcatos recognoscat, vt vix vnicus maxime de adultis inter centum inueniri valeat, qui illum videre in gloria mereatur, in quem desiderant Angeli prospicere, cum sibi illud decretum obstupescendum ediderit: Qui mihi ministrat, me sequatur, quia quicumque viuens homo sedulum famulatum præstiterit, siue Altissimo in bonis, siue diabolo in peccatis, iusto Dei iudicio post recessum animæ à corpore, illius gloriosis, vel miserabilibus agminibus coniungetur, cuius complebat, dum viueret, voluntatem. Si ergo materiali gladio videam aliquem corporaliter iugulari, vel perforari, vel cuiuscumque potentioribus pedibus suffocari, naturali affectu miseriæ ipsius compatior. Quomodo ergo mens se dicat Patrem amare rationalium spirituum, cum tot filios sua insignitos imagine videat, crudelissimorum hostium pedibus suffocari, & illuc eos introducere, vbi omnes guttæ aquarum, & folia arborum citius certo numero redderentur, quàm desistant lamentabiliter proclamare illa verba, quæ Dominus sibi per Iob, virum diuinum prædixerat: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua, dictum est; Conceptus est homo. Et postea immediatè: Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus, cur egressus de vtero non statim perij? Rationem huius rei duplicem reddit sibi diuinus Propheta.

1.Pet.1.c
Ioan.12.d
Iob 3.a

Prima erit ex mirabili cruciatu, in quo corpus, & anima quamdiu Deus erit in gloria, insimul punietur, quia pariter deliquerunt. Dicit Isaias: Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur: quia vermis est remorsus conscientiæ, quo pœnam doloris sensibilem, & pœnam damni incurrere meruit in æternum, dolens de perpetratis in sæculo, quæ iam non prosunt, sed singulariter dolorem incutiunt, secundum quod de talibus Dominus in libro Sapientiæ protestatur, cum ait: Quid nobis profuit superbia? &c. Sed & pœnam damni comminatur Altissimus per Isaiam Prophetam, dicentem: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et bene ipsum vocat impium, quia solus amor mentem in propria pietate facit vitā deducere, quo verus cultus Creatori proprio exhibetur. Digno ergo Dei iudicio à beatissima fruitione illius separando tollitur, qui dum vixit in corpore, non se sic præparando disposuit, vt bonitati increatæ amoris vinculo coniungeretur. Tunc enim vere tollitur, quando moriens in tenebris à felici visione diuinæ pulchritudinis peccatis suis exigentibus separatur. Et hoc est, quod sequitur, Ne videat gloriam Dei. Qui vita brutali vixit in terris, non esset iustum iudicium, quod vita Angelica in cognitione veritatis æternæ, & amore beatitudinis increatæ, in quibus consistit gloria, in cœlis iubilans perfruatur. Quomodo ergo iam hilaris apparebit, qui tot patris sui benignissimos filios vidit, in tā inæstimatis doloribus cruciari? Ideo dicebat diuinus Apostolus ad Corinthios, sollicitus sum non pro vno tantū, sed pro omni congregatione fidelium. Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nō vror? Quia membrum viuum & efficax, & vnitū Christo capiti non videtur, quod dolores cōmembrorum suorū, & eorum vulnera insanabilia nō præsentit. Hæc ergo diuina industria non modicum cœlestem ad se inclinans clementiam, vt sapientia oriens ex alto inferius profundatur, qui ad hoc totis visceribus, tam obsecrationibus, quàm pijs affectionibus compassione linitis, tam verbis ignitis in prædicatione ad populum in omnibus laborās attentius, vt diuina maiestas in immissione sapientiæ & doctrinæ, vel fidei, sic misericorditer inclinetur, vt omnis creatura, pro qua princeps gloriæ in terris dignatus est apparere, quicunq; sit ab Oriente in Occidentem, ab Aquilone in Septentrionem Christianus, Iudæus, vel Gentilis, sic ad veram cognitionem veritatis pertingat, vt illius fœlici consortio non priuetur, qui non pro vno tantum, sed pro omnibus seipsum in ara crucis inæstiabile pretium condonauit, & illius beata visione non careat, ad quem solum contemplandum, & amandum creata est, vt & mens patrem benignum Dominum nostrum Iesum Christum sectari desiderans, supportet pijs orationibus attentis, & accēsis, peccata omnium viuentium, vt illi conformetur, qui ouem perditam in ouile charitatis æternæ portans in proprijs humeris, Patri suo restaurauit. Non enim diuinus Propheta Hieremias fuit tamquam membrum mortuum, sed viuum, & efficax, qui videns suum populum à Rege nequissimo tam atrociter suffocari, dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt plorem super interfectos populi mei die ac nocte? Nabuchodonosor enim diabolum. Babylon confusionem tartaream, Hieremias animam Deo vnitam per amorem proprijssime signat. Sicut enim Moyses, qui solus vir fuit, licet esse mitis in gente sua, & cæteris mansuetior appareret, manus suas leuans ad cœlum orationis ignitæ clypeo, & hasta amoris fortitudinis extenta vsque ad cœlum Deum exercituum attingente, promeruit, vt virtute ipsius Israel populus Amalech superaret: sic etiam eiusdem virtute amoris, quo Deo erat vnitus eumdem populum sic protexit, vt Dominus ei diceret: Dimitte me, vt populum istum deleam: quia sic Dominum affectuosæ orationis vinculo ligauerat, ne populo Israel pœna condigna criminibus inferretur. Si enim duo principis al cuius negotiatores famulantes existerent, & alter eorum semper circa commodum proprium negotiaretur attentius, alter vero vtilitatem totius familiæ Domini sui se effundens sollicite procuraret, citius à Domini sui largitate potiora beneficia acciperet, quàm ille qui de singulari profectu pijs circa afflictos carens visceribus, seruili fidelitate lucra specialia procurauit. Ista duo tamquam duo cōcomitantia iucunda mentis desiderantis tendentiam adiuuant, vt à suo desiderio, & tendentiæ termino non fraudetur. Primum ergo, & præcipuum præcedit, vt dictum est, scilicet affici circa passionem, & plagas Redemptoris, per quæ ad perfectam inhærentiam subintramus. Tamen sæpe iam cessat maxime in quibusdam, quando mens in ipsa Diuinitate sine impediente obstaculo, via iam aperta per exarationem superiorum ardentium, potest dilecto solito perfectius adhærere. Sed ista quæ est ex compassione proximi, respectu diuini prouocatrix compassio numquam cessat, immo mens quanto ardentius afficitur, tanto ipsum orat attentius, vt ipse miserorum visceribus vulneratis salubrem misericordiæ, & pietatis adhibeat medicinam, vt in consummata iustitia existens, dicat cum B. Iob: Semper creuit mecum miseratio, & ab vtero egressa est mecum. Tunc enim semper crescit miseratio, quando nō propriis affectionibus spirituali iucunditate attendit continue, sed infelicium miseriæ condescendit. Tunc ab vtero secum egreditur ab illo instanti, scilicet quando ab emanatione fœcunditatis diuinæ vitalem amorem mens recipit, quo primitus natus diuino conspectui, & virtutibus Angelicis apparuit, ad ipsum in vitam consimilem transformatus.

Isa.vlt.g
Sap.5.a
Isa.26.b sec. lxx.
2.Cor.11.g
Cat.1.a
Hier.9.a
Exod.17.c
Exod.32.c
Dionys. de Myst. Theolog. cap.1.
Iob 31.b
Cat.4.

Vltima industria est, quæ in sapientia anagogica dinoscitur ab ipsius amatoribus totis visceribus amplectenda, quia si omne confusum, & inordinatum, eo ipso corruptibile, & instabile iudicatur: similiter è conuerso, omne ordinatum stabile & suæ ordinationis decentia iudicabitur stabilitum. Idcirco discipulis veritatis est cum diuturniori exercitio sagaciter laborandum, cum suas orationes, vel psalmos, val hymnos, vel quæcumque alia dixerint, vt stabiliant in se numerum dicendorum. Item quid primo, quid secundo, quid tertio: nisi fraterna charitate, vel necessitate aliqua, vel obedientia maioris, aliquantulum retardentur, semper id, & eo modo quo decreuerint, studeant adimplere: quia ex isto felici exercitio relinquitur quædā habilitatio in mente, de quo sæpe

animus

animus non modicum contristatur, si aliqua negligentia, vel inertia cōsuetum exercitium derelinquat. Immo quod in principio ipsius exercitij spiritualis laboriosum videbatur, spiritui postmodum quasi versum in consuetudinem suo decore alliciat: vt iam frigiditas versa in calorem, tarditas in velocitatem, maxime quia amore vnitiuo trahitur, experimento infallibili comprobetur. Vnde in canticis sponsa petit trahi, dicens: Trahe me post te. Et statim subditur: In odore curremus vnguentorum tuorum, quia ex quo amor attractiuus, & sursum actiuus in supremum affectus iam inflammando immittitur in ipsam sponsam, in sui dilecti desideratissimum sinum collocando: iam mira agilitate currere incipit, vt quotiescumque voluerit, vnitiui amoris desiderio veluti quodam ardore sibi sparso diuinitus, in ipsam ardentissime se extendit.

Cant. 1. a

CAPVT III.

PARTICVLA IIII.

Sapientia diuina à Deo edocta qualis sit.

DICTO de persuasionibus, & industrijs, quibus mēs super intellectum ad percipiendam scientiam vnitiuam attingit, subditur ipsa sapientia à Deo immediate edocta, à magistro hierarcha Paulo Apostolo tradita, à Dionysio Areopagita stylo anagogico, & occulto conscripta, ipsam ad Timotheum veritatis discipulum destinante, & sic dicente: Tu autem Timothee amice circa mysticas visiones forti concertatione sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intellectualia, & omnia existentia, & non existentia, & sicut possibile est ignote consurge ad eius vnitionem, quæ est super omnem substantiam & cognitionem, etenim excessu tui ipsius ab omni irretentibili, & absoluto, mūde ad supersubstantialem diuinarum tenebrarum radiū sursum ageris. Videas autem, vt nullus indoctorum ista audiat, &c. In hoc verbo Pauli Apostoli sapientia suprema includitur, & culmen totius perfectionis, vt possibile est in via: & tota profunditas librorū Dionysij Areopagitæ, quo perfecte cognito, quidquid est super intellectū in libris Dionysij, leuius omni æstimatione efficitur. Vnde ista consurrectio, quæ per ignorantiam dicitur, nihil aliud est, nisi immediate moueri per ardorem amoris sine omnis creaturæ speculo, absque breuia cogitatione, sine etiam motu intelligentiæ concomitante: vt solus affectus tangat, & in ipso actuali exercitio nihil cognoscat speculatiua cognitio, & ille est oculus, quo sponsus in canticis à sponsa dicitur vulnerari. Quod & vnum esse perhibetur ipsius testimonio dicentis: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum.

Dionys. de Myst. Theolog. cap. 1.

Cant. 4. c

Vnde cum sit triplex cognitio, vna videlicet quæ per speculum creaturarū sensibilium respicit, quę docetur à Richardo de sancto Victore in arca mystica, vbi per quadraginta duas considerationes olim in populo Israelitico ab Ægypto ad terram promissionis veniente expressissime figuratas docet peruenire, & per sex gradus ascēdere ad omnium Creatorem. Alia est quæ intelligentiæ exercitio per immissionem spiritualium radiorum, docet primam causam per effectum cognoscere, & in omne exemplatum per considerationem exemplaris ad veritatem immutabilem peruenire. De qua Augustinus in libro de magisterio, & vera religione, facit nō modicam intentionem Alia est istis multo excellentior, per amorem ardentissimum vnitiuum, quæ actualiter sine omni medio animum disponente, ardentissime facit in dilectum suis extensionibus sursum actiuis consurgere: quæ Mystica Theologia tradita in apice affectiuæ consurgit, quæ consurrectio ignorata, vel per ignorantiam dicitur, vt remoto omnis imaginationis, rationis, intellectus, vel intelligentiæ exercitio, per vnitionem ardentissimi amoris id sentiat in præsenti, quod intelligentia capere non sufficit: immo quod potius est, omnis speculatiua cognitio totaliter ignorat, quod inquantum Seraphim nobilior est Cherubim, intantum amor verus omni habitu ab origine primordiali indito, vel gratis dato, vel gratum faciente, est perfectior. Inquantum potentia motiua potentia cognitiua excellentior, intantum cognitio per amorem vnitiuum quantum ad diuinorum secretissima penetranda, omni cognitiuá apprehensione præclarior est. Vnde & hæc á beato Dionysio incomparabiliter omnes alias excedens, definitur sic: Sapientia est Dei diuinissima cognitio per ignorantiam cognita, & non tantum præclarior, immo etiam est vniuersalior & vtilior alijs scientijs, cognitionibus, & apprehensionibus dicitur. Quæ non tantum affectum supra se erigit, & amore ecstatico perfecte vnit sponso altissimo creaturam, sed insuper intantum eleuat intellectum, vt multo plus omni prudentia, & cognitione diuinis fulgoribus illustretur, quam aliquo ingenij exercitio valeat obtineri. Vnde de illa dicit Dionysius: Hanc igitur irrationabilem, & amentem, stultam sapientiam excedentem laudantes dicimus, quod est omnis mentis & rationis, & omnis sapientiæ, & prudentiæ causa: ab ipsa est omne cōsilium, ab ipsa etiam omnis cognitio, & prudentia, & in ipsa sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. vbi per sapiētiam, & cognitionem completa vtriusque potentiæ perfectio denotatur affectione, scilicet & intellectione. Ipsam enim vocat irrationabilē, quia nec ipsam ratio apprehendit, nec ratione inuestigando vtitur: amentem etiam vocat, id est, sine mente, & sine intellectu, quia nec ipsa in suo exercitio vtitur intellectu, qua vsque ad tam summam cognitionē intellectus peruenire non sufficit: stultam etiam vocat, quia sine vsu omnimodæ intelligentiæ in affectu ista sapientia consurgit, quam nulla intelligentia penitus apprehēdit. In verbis enim propositis à Dionysio perfecte traditur hæc sapientia.

Dionys. lib. 7. de diuin. nom.

Subditur primo quid sit amouendum, secundo quomodo consurgendum. Et cum etiam in ista consurrectione anima sit in statu duplici, scilicet vt perficiens, & vt perfecta: primo subditur quid remouendum in primo statu, ibi *sensus derelinque*: secundo consurrectio, quando dicitur: *Consurge ignote*, vsque ibi, *etenim excessu tui ipsius, &c.* Mysticas enim visiones appellat ipse Dionysius in tota philosophia sua, quæ transcendit omnis entis considerationes, quando intellectiua cognoscit ex ipso affectu præcedente, nec è contra, & ista est verissima, & certitudinalis cognitio ab omni errore, & opinione, & phantastica deceptione penitus elongata. Vnde & hæc quæ dicta sunt, & quæ dicentur, siue in theorica, siue in practica huius sapientiæ, quæ affectiuæ directionē conspiciunt, sine dubitatione, & opinione coram totius mundi philosophis, & doctoribus irrefragabiliter affirmantur, & ideo hæc cognitio mystica vocatur, id est, occulta, tum quia pauci ad ipsam recipiendam se disponunt, tum quia occulte consistit in corde, vt nec stylo, nec verbo ad plenum valeat enodari.

In illa mystica cognitione vbi affectus dominatur, iubetur & sensus, & intellectus radicitus derelinqui. Primo à parte ipsarum virium apprehendentium, vbi dicit, *sensus & intellectuales operationes*: secundo à parte ipsorum obiectorum, scilicet sensibilium, & intelligibilium, cum dicit: *sensibilia, & intelligibilia*. Sed ne absurdum illud videatur sensus debere derelinqui, subditur ratio: *quia ista sapientia non est sicut alia scientia, quæ est ex præexistenti sensibilium cognitione, sed est potius desuper secundum regulam beati Iacobi dicentis, à quo hæc sapientia vocatur, Omne bonum, omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, & descendens, &c.* Si omne donum, multo fortius hæc sapientia quæ est omnia portio Mariæ, quæ amoris dilecti igne succensa ardebat desiderio. Quia igitur hæc apprehensio est desuper, & non subtus, iubetur sensus exterior extirpari. Quod non tantum de sensuū exteriorū officio intelligendū est, sed etiā de sensibus interioribus: quia nec sub ratione dulcis vel

Iac. 1. c

odorabilis, siue olfactibilis, quod idem est, vel pulchri, vel melodiosi, vel suauis ipse Deus beatissimus apprehenditur, cum hęc omnia apprehensione rationis pręuia dirigantur, & hæc vnitiua apprehensio sit supra mentem, & rationem sicut dictum est. Oportet ergo speculatiuum discipulum hanc alibi haurire sapientiam quã in eis quæ apprehensionem speculatiuæ cognitionis respiciunt: & in hoc apparet huius sapientiæ mira, & appretiãda nobilitas, & eiusdem diuinitas, & quare diuinissima in diffinitione Dionysij appellatur, in hoc ꝙ anima quasi seipsã expoliare necesse est, & amorẽ diuinitus collatũ affectui veluti pedissequũ insectari, & per istã diuinam sursum actionẽ intellectui habituali cognitione cũ tactu amoris relicta, diuinissima informari, nõ tantum de simplici apprehensione ipsorum sensuum intelligendum est, sed etiam de delectatione eorundem prout motiuam respiciunt: quia hæc est ipsius sapientiæ quasi summe præparatiuum, quod à sensibus exterioribꝰ inordinata delectatio in creatura, prout melius poterit, efficaciter rescindatur, vt quoquomodo Deus finis mediatus, vel immediatus, vel finis vltimus requiratur. Quia quanto plus in ipsis immergitur, tanto debilius ad diuina consurgit, vt dicat cũ Psalmista: Renuit consolari anima mea: à quo etiã redditur illius renuitionis delectationum ratio, ab eo sic dicente: Et delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus, supple, dum se exercet mens motibus anagogicis ad diuina, & directa tendentia sui ipsius ad Deum delectatur, deficit spiritus ab his delectationibus, quæ sibi à sensibus corporis exterius instigatione diabolica offeruntur. Quod etiam de delectatione sensuum interiorum dicendũ est, quia nec ab ipso vero diligente debet diligi dulcedo, vel suauitas concupisci, quia ipse solus appetitur, nisi quandoq; hac de causa ipsam dulcedinem, vel suauitatem appetat, vt ad intimiorem vnionem efficacius affectus, & importunius inardescat. Vnde tota ista sapiẽtia est in ardenti desiderio collocata, vbi omne ens vel vis, & officium intellectualis virtutis extirpari, & derelinqui pręcipitur. Nam quandoque vis intellectualis multa de diuinis participat, maxime quando theorijs diuinioribus illustratur. Sed quia alia vis est in mente multo illa eminẽtior, cuius motibus mens ignita erigitur ad sapientiam profundiorem, tum ratione superioris apicis ipsius affectiuę, tũ ratione ardoris ipsam superius erigentis, qui super habitus gratuitos, & infusos ratione suæ importunæ extensionis, & dignitatis, in rationali spiritu obtinet principatum. Vnde commentator Vercellensis super Mysticã Theologiam, sic dicit: In hoc libro alium & incomparabiliter profundiorem modum cognoscendi Deum tradit superintellectualem, & supersubstantialem, quem ideo gentilis Prophetia non apprehendit, quia non quęsiuit, nec esse putauit, nec vim secũdum quam diffunditur in animam deprehendit. Putauit enim summam vim cognitiuã inesse intellectui, cum sit alia, quæ nõ minus excedit intellectum, quam intellectus rationem, vel ratio imaginationem, scilicet principalis affectio: & ipsa est scintilla synderesis, quæ sola vnibilis est Spiritui sancto, id est, diuino. Et hac de causa cum incomparabiliter totius intellectus suspendat officium mentis suprema affectio, ab ea secludi præcipitur, non tantum operationes prout exeunt à vi sensitiua, vel intellectiua eliminari iubentur, sed etiam obiecta ipsarum omnia sensibilia, & intelligibilia, primo ea quæ sensu exteriori percipiuntur.

Cum vero rationalis creatura constet ex duplici natura, corporali scilicet & spirituali, vtraque habet sibi obiectum respondens, cũ secundum cuiuslibet capacitatẽ æterna veritas percipiatur: quomodo sensibiles homines sunt, qui non nisi sensibilia cognouerunt, veluti habentes intellectum obtusum, & affectum recuruum: ideo nec bonitatem, nec veritatem diuinam in se percipiunt. Si tamen ne sint omnino expertes cognitionis diuinæ posuit Deus altissimus sensibiles creaturas, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerentur, vt secundum Dauidicum sermonem aliquis excusationem non habeat, vt se abscondat à calore eius: cum egressus bonitatis ipsius à summo vsque ad summum in omnibus creaturis resplendeat: sed à filijs voluit in creata sapiẽtia ista sensibilia amoueri, vt multo felicius, multoque verius in thalamo affectus secretiori interius in lectulo amoris collocatum sentiant: quem Iudæi, & ceteri Philosophi per creaturas discurrendo mendicant. Vnde ab ipsa veritate verus orans in spiritu ingredi infra cubiculum (vbi inueniat thesaurum occultum) præcipitur, non tantummodo sensibilem prout sensui exteriori respondet, sed etiam prout est obiectum sensuum interiorum: nec sub ratione apprehensiua ipsius beatissimi Dei, prout est dilectus, pulcherrimus, & suauis per mẽtis desideria anagogica appetatur, ne ipsa anima quæ velut filia habet sub desiderio conditoris inhærere, refectionem suam veluti mercenaria * impudenter inquirat, nisi ratione superius dicta scilicet, vt in ipsum aliquo dulcedinis, vel suauitatis nutrimento allecto, insatiabilius, & immensius inardescat. Intelligibilia enim generaliter euelli admonentur, quia secundum quod alibi dicitur, cum omnes homines naturaliter scire desiderant, in nulla tamen scientiæ notitia, vel cognitione rationalis spiritus tendentia conquiescit, nisi primæ veritatis iucunda cognitione lætetur, quam solam inuenit nobilitati humanæ intelligentiæ respondentem. Si ergo sciat omnem naturam elementorum, complexiones corporum, virtutem astrorum, cum omnia illa viliora sint, rationalis spiritus penitus non quiescit, sed potius sic labitur, vel etiã luxuriatur, cum idolo creaturæ, seipsa infirmioris (nisi redigat ad finem vltimum) inuoluatur. Cum etiam tantæ nobilitatis sit Spiritus, vt species Angelicas etiam fastidiat penitus constrictus, & errabundus, nisi quoquomodo ad cognitionem illius à quo exijt originaliter & victor & triumphãs virtualiter reuertatur. Quod etiam si omnia creata vellent scire, reducendo ad finem debitum, vt per illa Creator cognosceretur, ab ipso tamen respectu illius sapientiæ totum oportet relinquere, quia mens immediate ipsum per ineffabilem cognitionẽ relictũ, ex amoris vnitione cognoscit. Et de illa cognitione in mystica theoria secundum tertiam translationem sic dicitur per vnitionem dilectionis, quæ est effectiua veræ cognitionis vnitur Deo intellectualiter ignota: cognitione multo meliori quam sit aliqua intellectualis cognitio, &c. Non tantum intelligibilia, in quo verbo respectu exercitij istius, omnis finalis complacentia cognitionis de omni creatura tam inferiori quam superiori relinqui persuadetur, & etiam existentia, & non existentia, per quæ duo omnis modus speculatiuus apprehendendi diuinam naturam excluditur. Existentia hic dicuntur rationes æternæ in mente diuina, quibus aliquid extractum in creatura inferius correspondet: quia ordinatissimus procedendi modus in humanis ad diuina certitudinaliter reperitur, quando mens supra se pronecta, mouetur immediate in Deum veluti in terminum sine etiam commixtione alterius cuiuscumque creaturæ superioris, vel inferioris.

Quia ergo considerando rationes æternas mens inquantum ab ipsis egredientem creaturam considerat, intantum à parte altera infra seipsam finitur, vt non totaliter supra seipsam integraliter erigatur: quia ergo sapientia vnitiua omnem contemplationem, vel considerationem in suis motibus creaturæ relinquit ad suum vnicum intelligibile supra seipsam aspirans, ideo respectu ipsius existentium (licet sit nobilis contemplatio) dimitti præcipitur: cum sit ibi aliqua incuruatio, & perceptio naturalis, & ideo mens per istam relatiuam contemplationem non relinquit omnimodam humanam apprehensionem, vt omnino veluti per aliam mens super naturales limites collocetur.

Sed & non existentia iubentur amoueri, respectu ascensionis illius sapientię. Non existentia vero hic appellantur, secundum quæ nihil exemplatum in creatura reperitur, vt omnis consideratio de Trinitate, & ordine personarum, quia illud nunquam in creaturis apparet exempla-

Marginalia: Psal. 76.a; Rom. 1.e; Psal. 18.b; * imprudenter.

exemplatum, quod aliquis generet aliquem qui ſit idem quod ipſe, quorum quilibet ſit vere exiſtens ſubſtantia: nunquam quod amor connectens aliquos ſit æqualis & exiſtens ſubſtantia cum ipſis amantibus. Iſta ergo ſpeculatio inter ſpeculatiuas contemplationes excellentiſſima relinqui iubetur: non quia bona non ſit & nobilis, ſed quia eſt alia ſuperior apprehenſio in mente humana, per quam ſolam excellentiſſime ſupremus ſpirituum attingatur, quæ ſola optima portio Mariæ dicitur. Alia vero per Rachel ſignatur: contemplatio vero ſenſibilis in creaturis per Lyam: & hæc eſt ratio: quia intantum mens diuinius ad ſupercæleſtia, & eminentius attingit, inquãtum ipſis magis appropinquat, vel in ipſum Deum intimius transformatur: quod quia nulla eſt contemplatio ſpeculatiua, quæ habet virtutem träſformandi, ſed ſolus amor extenſiuus deificans, ideo ille ſolus diuina apprehendit, ad cuius pedem nulla contemplatio cognitiua, ſed potius quaſi de longe proſpiciens aliquatenus ſe extendit. Ideo in ſeptimo, De diuinis nominibus ſic dicitur: Oportet autem videre mentem noſtram habere virtutem ad intelligendum, per quam inuiſibilia reſpicit, vnitionem autem excedentem mẽtis naturam, per quam coniungitur ad ea quę ſunt ſupra ipſam. Secundum hanc igitur differentiam oportet intelligere non ſecundum noſipſos, ſed totos noſipſos inſtitutos, & totos deificatos, &c. Quod quia ita derelinquere eſt difficile, ideo cõcertatione, & forti conatu mentis iſta reſecari iubentur.

Dicto de his quæ oportet derelinqui neceſſario, ſubditur de ipſa conſurrectione vnitiua. Vbi primo notatur conditio conſurgentis, quando *per ignorantiam* dicitur, & in ipſa conſurrectio extenſiua, vbi dicitur: *Conſurge*. Et illud quod ipſa conſurrectio ſolum, & præcipue aſcendat, cum dicitur, *ad eius vnitionem quæ eſt, &c.* Sed cum omnis apprehenſio iam dicta ſit extra myſticam conſurrectionem, cũ in illa oporteat eſſe ignorantiam: ideo totaliter oculũ intellectus reſcindere oportet, quia in ipſa conſurrectione ſemper vult illud apprehẽdere, ad quod tendit affectio. Vnde, maxima aduerſatio in iſta conſurrectione eſt vehemens inhærentia intellectus cum affectu, quam tamen reſcindere neceſſe eſt per magnũ exercitium. Cuius cauſæ dictæ ſunt ſuperius, quia vel phantaſtice, vel circũſcriptibiliter, vel modo limitato apprehendit: & quomodo hoc poſſit fieri, dicitur in Myſtica Theologia ſuper illud: *Conſurge ignote*: quia ibi eleuatio eſt vehementia tendẽtiæ affectus, quæ intellectum poſt ſe relinquit. Pura ergo affectiua conſurrectio nunquam eſt, niſi totaliter intellectiuus oculus reſcindatur: & hoc eſt quod in ipſo Myſticæ Theologiæ principio dicitur. Omnino autem ignorata nõtatio omnis cognitionis, & melius vnitur ex eo, quod nihil cognoſcit ſuper mentem eleuata cognitio. Vnde hæc eſt neceſſaria conditio ad iſtam eleuatiſſimam apprehenſionem, quod in ipſa eleuatione vacet omnis cognitio ſpeculatiua: quia ipſa eſt ignota intellectui, & ipſam relinqui neceſſe eſt, ſi ad cognitionem ſuper mentem deſiderat peruenire. Et quantum in ipſa conſurrectione intellectus ſe commiſcet affectui, tantum eſt hic de impuritate, & inquantum plus intellectiuus oculus totaliter excæcatur (quod fit non niſi per magnum exercitium & laborem) intantum oculus affectiuus in ſuis extenſionibus liberius, & incomparabiliter eminentius eleuatur. Et per qualecumque exemplum materiale, illud poteſt videri in aſpiratione, & reſpiratione anhelitus: quia ſicut ex interiorib⁹ ſine omni deliberatione procedit iſta emiſſio, ſic ſine deliberatione affectus ignitus, qui eſt ſuper omnem intellectum, tendit ad illum cui ſoli perfectius vniri deſiderat: & habet ſuam actionẽ ab omni intelligẽtia totaliter ſeparatã, tanta latitudine à parte ſuperiori, & promptitudine coadiutus, vt mira velocitate motuum citius etiã quam cogitare valeat ratione, ad inſtar aſpirãtis, & reſpirantis cõſurgat. Cuius (vt ſupra dictum eſt) velocitate motuũ, ardore extenſiuo, & importuniſſimo eorundẽ, ſicut mendicans nullius valoris reputatur, & reſcinditur, licet importune ſe miſceat omnis ſpeculatiuæ cognitionis exercitium. Quod quia non poteſt dici, nec ſufficienter verbotenus explicari, ſecundum illud myſticæ Theologiæ. 3 Nunc autem ab inferioribus ad ſupremum aſcendens, ſecundũ menſuram aſcenſionis contrahitur, & poſt omnẽ aſcenſionem totus ſine voce erit, & totus vnietur & ineffabiliter, &c. Quia doctrinam huius præclaræ ſapiẽtiæ ſibi ſoli increata ſapientia reſeruare voluit, vt ſciat omnis mortalis creatura, quod eſt doctor in cælo, qui ſolam ſapientiam veram ſuis ſcholaribus per cæleſtes immiſſiones, & ſuę claritatis radios manifeſtet. Secunda ratio eſt, vt omnes ſapientes mundi confutet, cum ſimplex vetula, vel ruſticus paſcualis ad iſtius ſapientiæ conſurrectionem perfecte poſſit attingere, dum tamen modo prædicto ſe præparet, quod nulla præhabita ſcientia, vel mortali induſtria apprehendit. Tertia etiam ratio in libro ſapientiæ dicitur, quia omnium ſuperborum ſublimium colla propria virtute calcauit: quia quãtumcunq; pręclarus, quantumcunq; clericus omnibus alijs glorioſior exiſtat, fimbrias huius ſapientię non attingit, quę ſuper mẽtem eleuata cognoſcitur: niſi per viam puerilem, ſcilicet purgatiuã, ſuppoſito quod mortaliter peccauerit, ad vnitiuam ſe præparet: dolens & gemens quod collatorem totius ſapientiæ, & omnium bonorum ad indignationem contra ſe peccatis anterioribus prouocauit. Colla ergo ſuperborũ, & ſublimium, vſq; ad humilitatẽ puerorũ incipientium, neceſſe eſt incuruari. Vnde eſt ibi illud Propheticum impletum, in quo ſapientia ſapientium reprobatur, & ſola purgatiuæ inferioris humilitas ab illo ſupremo exigitur, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.

Eccl. 24. a

Iſa. 33. c

Luc. 1. e

Subditur etiam reſpectu cuius fit illa conſurrectio, cũ dicitur: *Conſurge ignote*, ſcilicet ad vnitionem illius altiſſimi, qui ſuper mẽtem & cognitionem: & hæc cauſa partim ſupradicta eſt, quia nec ibi gratia, nec gloria vel dimiſſio pœnæ, vel aliquid aliud requiritur iſtis deſiderijs ſurſum actiuæ conſurrectionis, ſed ipſe ſolus cui ſoli propter ſe in conculcatione vehementiũ deſideriorũ mens vniri aſpirat, qui ſub iſta apprehẽſione obtentus prout ab affectu tendente percipitur, ſupra omnẽ mẽtem humanã & cognitionẽ attingitur: vt non ſolum eſſe ipſum abſolute reſpiciatur, ſed & modus apprehendendi ipſum, quia vt dictũ eſt, quando affectu tangitur, ſuper mẽtem ducitur, & rationem. Vnde tota iſta ſapientia in hoc ſolo perficitur, vt ipſa affectiua in ſuo ſupremo apice conſtituta, per abſciſionem totius intellectualis operationis nihil aliud, quam ſoli Deo vniri deſiderat. Et quia hoc eſt difficile ſubditur propter hoc: *Et ſicut eſt poſſibile, vſq; quo poſſit cum Pſalmiſta dicere: Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Quia cum prędicta impedimenta mediante diuino auxilio (ſcilicet omnia ſenſibilia, & intelligibilia, & maxime immixto intellectiuæ, quę ſemper vult apprehẽdere illum in quem tendit affectus) perfectę ſicut extenſionis vnitiuę vincula dirumpũtur, tunc libera ipſa affectiua veluti quædam auicula ſolis pennis affectionum ardentium prouecta, tãta libertate perfruitur, vt quotieſcumque vult, moueatur ardentiſſime in Deum: ſic etiam, vt orans affectionum deſiderio in mẽtis affectu quantum poſſibile eſt in via, ſic attente exoret, ac ſi ipſum videret facie ad faciem: quandoq; etiam vt ſupra ipſam mẽs erecta motu, & conſurrectione quaſi totaliter extra corpus videatur, ideo dicit: *Sicut poſſibile eſt.* Quia nulla mẽs niſi immiſſione diuina hoc percipit, ſecundũ illud in primo de diuinis nominibus. Nam ſuperſubſtantialẽ ſcientiã ignotæ ſuperſubſtãtialitatis, quę ſupra rationem, & intellectum, & ſubſtãtiam ipſam ipſi tribuere conuenit, tantũ ad ſuperius reſpicienti, quantũ theoricorũ eloquiorum radius ſe immittit ad ſplendores ſuperiores etiã quod idem eſt, quod illa ſcientia quæ eſt per ignorantiam, vt dictum eſt, ſolius Dei doctrina percipitur: & in quantum plus affectus de theoricis eloquiis, ſcilicet diuinis influitionibus, quibus mens cum dilecto garrula iucũdatur, recipit, in tantũ Deus ſolus in mente intimius ſe immittit, vt ipſe qui eſt vera ſapientia, per diuiniores radios præclarius cognoſcatur.

Pſal. 115. d

Poſtea

Postea subditur: *Etenim excessu tuipsius*, quia non tantum creaturam sapientia vnitiua funditus eradicari perurget, sed ipsum specialiter intellectum mortificat, & soli diuinæ influentiæ se submittit, & de illo excessu Apostolus dicit ad Corinthios: *Siue mente excedimus Deo*, &c. & per istum continuatum excessum, igne amoris anima efficaciorem consequens separationem & purgationem, per suas extensiones flammeas, & consumentes rubigines efficacius promeretur, quam primo: cum per istam incipit consurgere. Quia sicut est duplex purgatio scilicet, per aquam, & per ignem in corporalibus: sic & in spiritualibus. quia via prima purgatiua per dolores, & frequentes attritiones purgat & per lacrymas, sed multo efficacius illa quæ est per consurrectionem ardoris. Vnde per istum excessum ardoris iam leuis ab omni irretentibili, scilicet mundano delectabili, & absolutus, scilicet ab omni aliena affectione, mundus ad diuinæ incomprehensibilitatis claritatem, iam penitus ablatis obstaculis, & absolutus spiritus à vinculis agillime sursum agitur. Vnde, iste est ordo consurgendi.

2.Cor.5.c

Primo oportet, quod considerationem, & amorem sensibilium derelinquat, & contemplationem omnium intelligibilium, & purus consurgat affectus sine admixtione intellectus, in illum quem in sua tendentia cognoscit quietatiuum desiderij, vt ipsi intimius vniatur. Et per istam diuturniorum motuum anagogicorum cōsurrectionem, magis ac magis affectus extēditur, & quasi quibusdam flāmeis scintillis mens purgatur efficacius, & ab amore carnalium alibi requiem inueniēs, sine carnis murmuratione necessario sequestratur multo plus quam antea, & exinde affectus puris motibus fit agilior, vt quotiescumq; vult, sine meditatione intellectus præuij ardentissime moueatur. Vnde primo dicit: *Consurge ignote*: & post hoc dicit: *Sursum ageris*. quasi diceret, quod in principio exercitij consurrectionum anagogicarum affectus apex cum difficultate cōsurgit, sed per amorem excessiuum ipsius supra se, & per efficaciorem purgationem quasi sine difficultate ad libitum consurgit, & motuū agilitate mirabiliter leuigatur: vt licet in ipso motu anagogico natura, & amor pariter concurrat, tamen efficacius iam remotis impedimētis, & exinde maiori immissione desuper adueniente, multo plus ardor amoris, quam vigor affectus naturalis facilitatem: & agilitatem motuum incomparabiliter operetur. & hoc est quod dicebatur, *Cuncta auferens, &c.* vbi duo maximè quæ oportet derelinqui, tanguntur, scilicet omne irretentibile, & omne absolutum, quorum primum respicit affectum, quia in quocumq; afficitur creatura, illi necessitate coniungitur: & per consequens irretitur, & tunc minus agilis ad consurrectionē diuinorum efficitur: sed non tantū irretentibile, sed omne absolutum dicitur. Absolutum dicitur omne quod sua propria forma cognoscitur habēs esse distinctum, cuius omnem speculationē, vel con templationem amoueri necesse est: quia sicut omne irretentibile immundum reddit affectum, dum in creatura seipsa viliori delectatur affectus: ita per secundum immūdus efficitur intellectus, id est, tenebrosus, quia dum tantum humana scientia speculatiua repletur, in comparatione illius sapientiæ quæ est per supersplendentes diuinos radios, quasi quadam obtenebrante caligine obfuscatur. Sed & illud verbum vltimum non tantum de agiliori consurrectione est, sed de cognitione suprema ipsius intelligentiæ, quia secundum sapiētiam beati Dionysij, illa sola vera est cognitio de diuinis, quę experimētali notitia sursum actiuæ consurrectionis relinquitur. Vnde diuina miseratione secundum quod competit, cōsurgenti hoc accidit, vt quando mens per multorum tēporum curricula aspirauit, vt suum dilectum intimius sibi coniuncta ardentiori vinculo amoris cōstringeret, ad modicum prout capax est, prout fit in raptu, visio beata cōceditur, maxime cum ab irretentibili, & absoluto sit mūda, & erigitur tunc ad diuinarum tenebrarum radiū, scilicet lumen diuinæ incomprehensibilitatis, quæ ibi vocatur tenebra, secundum quod in epistola dicitur ad Timotheum sic: Diuina caligo lumen est inaccessibile, in qua habitare Deus dicitur, & inuisibilis quidem existens propter excedentem claritatem, &c. Vnde sapiētia illa est immediate ante cognitionem raptus, & sic diutius aspirāti à dilecto dicitur. Amice ascēde superius. Vnde primo dicitur: *Consurge, & ibi sursum ageris*: quia in consurrectione vnitiuę sapientiæ natura operatur & gratia: in ista autem suprema operatione intelligentiæ sola gratia eleuans immediatissime operatur, quantum ad ipsam eleuationem raptus, prout mens sic in corpore erigitur, vt à sensibus corporis sequestretur, cum in ista vltima intelligentiæ eleuatione tam intellectiua quam affectiua potissime officium consummatum, non per modum patiendi, sed agendi actum suum obtineant.

Dionys. in epist. ad Timoth. Luc.14.b

Postea dicitur: *Vide autem ne quis indoctorum ista audiat.* Et hoc quidem admonet in fine primi de diuinis nominibus, sic scribens ad Timotheum loquens de cognitione per amorem præuium dicit: Apponamus sanctis sancta, secundum diuinam traditionem collocātes, & ipsa ab indoctorum vsibus, & derisionibus auferentes magis ipsos illos si taliter sunt, tales quidem homines ab impugnatione Dei in hoc liberantes, &c. Hoc idem sæpissime admonet in alijs libris suis. Et hęc est ratio, quam ipse assignat statim postea: quia putant ea quę secundum ipsos est cognitione, cognoscere eum qui ponit tenebras latibulum suum: quia non possunt Deum apprehendere, nisi sub ratione boni, vel veri, vel dulcis, & sic de alijs Et ista sapientia anagogica est quędā theorica per se distincta, & diuersa ab omni speculatiua sapiētia, quæ omnem rationis apprehensionem transcendit. Et quia multi sapientes, & doctores hoc videre non præualent, hanc summam sapientiam irrident, & in hoc per consequens Deum altissimum collatorem huiusmodi sapientiæ impugnant, ideo cum beato Dionysio, sed quod magis, cum Domino IESV CHRISTO rogo illum, quicumq; hoc scriptum inspexerit, ne indoctus huius mundi doctoribus philosophis, carnalem vitam ducentibus vllatenus manifestet, nisi hac via puerili velint incipere, scilicet purgatiua via, & citius quam aliquis esse non tantum in aliqua liberalium artium, sed in arte mechanica industrius operator in seipsos sola diuina immissione gradatim ascendentes, omnia quæ dicta sunt multo melius, & multo iucundius experimentali notitia verassissima approbabunt. Sed hæc scribere volui, ad hoc quod minus experti in ista sapientia, corroborato itinere semitas dirigāt, scientes quod citissime inuenitur. Quod si in principio purgationis, vel ecstaticę consurrectionis difficultas mirabilis sentiatur: nec tamen in paucis vexati citissime in multis bene disponentur: ita vt experimento videant, omne quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc etiam in præsenti videre possunt, qui ipsi per dilectionem huius supremæ sapientiæ inhærebunt, vt iam mēs dicat: Teneo eum nec dimittam, sed licet ab indoctis quasi stulta hæc sapientia videatur, subditur theorica, vbi per rationes, & argumenta proceditur: vt quomodo mens consurgere valeat, quomodo remouenda obstacula, qua vnitione media, & multa alia quæ ad hoc pertinent ad confutationem humanæ philosophiæ. Sed & ne ascensus tantæ sapientiæ videatur irrationabilis, argumentis tam naturalibus, quam theologicis quam anagogicis sumptis à rationibus æternis, euidentius disputatur. Et ideo sapientia Dionysij difficillima videtur: quia modus procedēdi super omnem rationem existit, & sola Spiritus sancti influitione percipitur, maxime de diuinis nominibus: vt dicitur, quod nō asseueratur hæc doctrina in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione à Spiritu sancto more virtutis in supremo apice, secundū quam ineffabilibus, & ignotis ineffabiliter, & ignote cōiungitur, &c. Quando ergo Spiritus sanctus mouet apicem affectiuæ, secundum Psalmistam: Tange montes & fumigabunt: tunc tota profunditas sapientiæ Dionysij, vt intellectum excedit, super omnem disciplinæ alterius leuitatem certissima & leuissima comprobatur. Et ideo

Psal.17.b

Sap.3.a

Cant.3.b

Psal.103.d

amantis-

amantissima, quia sine omni dubitatione, & opinione procedit: & ideò, quia primo oportet cognoscere practicam quam theoricam, vt illa leuissime cognoscatur, ideo theorica operatiuam consequitur. Pax ergo omnibus amatoribus veræ sapientiæ, & diuinæ bonitatis influentia concedatur. Amen.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum anima secundum suum affectum possit aspirando, vel desiderando moueri in Deum sine aliqua cogitatione intellectus præuia, vel concomitante.

AD manifestationem illorum occultorum, & mysticorum, quæ dicta sunt super veritate, quæritur difficilis quæstio, in qua cuilibet intelligẽti, veritas huius sapientiæ manifestius illucescit. Quæritur igitur, vtrum scilicet anima secundum suum affectum possit aspirando, vel desiderando moueri in Deum, sine aliqua cogitatione intellectus præuia, vel concomitante.

Argumẽta partis negatiuæ. I. Argum. *Psal. 38. a*

Videtur quod semper sit necessarium præcogitare antequam per extensionem amoris affectus moueatur in Deum. Primo auctoritatibus sic, quia dicitur in Psalmo: In meditatione mea exardescit ignis: ergo primo oportet quod mens præmeditetur cogitando, antequam in ipsum dilectum igne amoris consurgendo per affectionem, affectus interius inardescat.

II. Arg.

Item Augustinus: Inuisa possumus diligere, incognita autem nequaquam: ergo primo oportet ratiocinando, vel intellectualiter cogitando cognoscere, antequam affectu amoris aliquod diligatur: cogitatio igitur affectionem amoris necessario præcedit.

III. Arg.

Hoc idem probatur rationibus, & primo ratione sumpta in diuinis sic. Anima enim in Deum quem diligit, per amoris desideriũ actualiter se extendẽs, vocatur deifica, vel deificata in 7. de diuinis nominibus: nam secundum quod possibile est creaturæ, per extẽsionem amoris Trinitati superexcellentissimæ conformatur. Sed in Trinitate ita est, quod secundum ordinem naturæ primo est Pater, qui est summa potentia: secundo Filius, qui est Patris notitia, vel summa sapientia: tertio est Spiritus sanctus qui est verus amor. Ergo sic erit in anima, quæ per extensionem amoris secundum modum suæ paruitatis, vt possibile est, Trinitatem beatissimam nititur imitari, quod primo ibi erit, de ipso ad quem tendit aliqua cogitando, vel intelligẽdo notitia, antequam amoris desiderio in ipsum possit aspirando consurgere, ergo cogitãdo cognoscere, semper præcedit affectionem amoris.

IV. Arg.

Item secundum quod dicit beatus Dionysius, Ecclesia militans imitatur, secundum quod possibile est, Ecclesiam triumphantem: ergo anima fidelis volens per amorem consurgere gradatim, secundum quod est in ordinibus Angelorum, consurgit, & maxime mentes amantium vltimæ hierarchiæ comparantur, in qua sunt tres ordines, scilicet Throni, Cherubim, & Seraphim. Igitur necessarium est in anima consurgere actualiter volente, quod tres proprietates, vel officia istorum trium ordinum imitetur. Primo quod sit Thronus, id est, quod cetera scilicet mundanos honores, carnales affectiones, terrenas delitias, vt solus Deus iam sede pręparata in ipsa resideat, penitus derelinquat. Secundo quod sit Cherubim, quod intelligitur plenitudo scientiæ, & hoc fit mediante lumine diuinitus immisso, quo mediante mens supra intellectualiter cogitando, secundum humanam intelligentiam, diuina cognoscit, & cælestia apprehendit. Postea oportet quod sit Seraphim, qui est ordo supremus, id est, quod in illum quem iam mens cherubica cognouit, postea affectus ipsum solum desiderando non aliud, per affectiones flammigeras inardescat, & tunc est Seraphim qui interpretatur ardens. Cum enim Cherubim, cui appropriatur cogitatis cognitio, ordinate præcedat Seraphim, qui interpretatur ardor amoris: igitur sic erit in anima, quæ hoc triplex officium Angelorum nititur imitari, quod per cogitationem cognoscere præcedit actualiter ardere, vt sine cogitatione præuia nullatenus consurgat amoris affectio.

V. Arg.

Item anima per amorem consurgens, nititur illis beatis mentibus sanctorum, qui contemplantur Deum, facie ad faciem conformari. Sed illis illic primo est videre quam amore inhærere: quia nisi illam indicibilem plenitudinẽ intelligendo cognoscerent, nullatenus ipsi ignitis affectionibus, in quarum delectatione beatitudo completur, inauertibiliter adhærerent. Ideo nisi nobis prius esset cogitatio, seu cognitio quam affectio amoris, iam non cõformaremur mentibus sanctorum in gloria: quia sic vident diuinam pulchritudinem, vt in ipsa per amorem supra omnem intelligentiam interius affectionibus delectentur. In his ergo intelligere præcedit amare.

VI. Arg.

Item secundum quod anima in suis potentiis ordinatur, sic eodẽ modo naturaliter ordinate videtur moueri. Sed ego video quod à sua primordiali creatione anima tres habet potentias naturaliter distinctas, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Memoria nihil aliud est in nobis, quam intentio diuinæ similitudinis, Intelligentia est in nobis illud, mediante quo naturaliter non inuestigando, nec ratiocinando, qualibet anima suum Creatorem cognoscit. Voluntas est illa potentia, per quam anima suum Creatorẽ diligit, & in ipsum naturaliter tendit, & ex isto vltimo est ratio, quare affectus humanus non potest satiari ad plenum terrenis diuitiis, & honoribus cum in solum Deum tendat, vt in ipso finaliter conquiescat. Cum igitur potentia intelligentiæ in qua est cogitatio, præcedit potentiam voluntatis naturaliter, in qua est ardor, vel amoris affectio: igitur motus intelligentiæ, qui est cogitare, præcedit motum voluntatis, qui est amare, nullus igitur intellectus sine cogitatione præuia poterit amoris affectione cõsurgere quãtumcunque ignitis affectionibus, vt diuinitus eleuetur.

VII. Arg.

Item hoc idem videtur in apprehensiua, & in motiua sensibili: Nam primo necessarium est, vt illud ad quod imaginarie diligendum moueor, quod illud antea sensibiliter præcognoscam: ante igitur oportet me comprehendere oculo exteriori, vel alio sensu aliquod delectabile, quam in ipso delecter, vt illud habendum desiderem. Igitur sic erit in cognitiua, & motiua ratione superiorum, quod Deum siue aliquod aliud delectabile anterius cogitem, quam ad ipsum possim interius affectionibus aspirare, vel in ipso aliquatenus delectari. Ergo præcogitare semper præcedit amore consurgere.

VIII. Arg.

Item secundum quod dicit beatus Dionysius in principio Mysticæ Theologiæ, in consurrectione amoris oportet omnem intellectum derelinquere, & cogitationem de creaturis sensibilibus, & etiam tam de Deo quã de Angelis, sed illud ponere videtur stultissimum. Quod enim faciat animus, si non poterit cogitare de Deo vel Trinitate, vel Angelis? Videtur etiam tunc esse in nube, vel in mari, quasi cũ semper cognitio intellectus ipsum amorem dirigat: aliter enim sapientia mystica non videtur sapientia, sed abusio, vel stultitia.

IX. Arg.

Item omne illud quod apprehenditur, apprehenditur sub aliqua intentione entis, scilicet aut vt verum, aut vt bonum: ergo Deus quoquomodo apprehendatur, apprehendetur sub ratione entis, aut vt est summa vnitas, aut vt est summa veritas, aut etiam vt est summa bonitas. Cum igitur nullo istorum modorum possit apprehendendi nisi per cognitionem, nam si apprehenderem vt vnum, oporteret me cogitare de vnitate, & si verum de veritate, si vt bonum de bonitate. Igitur cum amoris apprehẽsio apprehendat Deum, inquantum est bonum, oportet necessario, vt prius ibi sit cogitatio præuia de ipsa bonitate, quam in ipsum actualiter per amoris affectionem moueri. ergo, &c.

Argumẽta in oppositum.

Contra: Videtur, quod sine cogitatione præuia, vel cõcomitante affectus per amorem dispositus libere moueatur in Deum, & primo auctoritate magni hierarchæ Dionysii in principio mysticæ Theologiæ dicentis

ad Timotheum ſic: Tu autem amice Timothee circa myſticas viſiones forti contritione ſenſus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia ſenſibilia, & intelligibilia, & omnia exiſtẽtia & non exiſtentia, & ſicut poſſibile eſt ignote conſurge ad eius vnitionem, quæ eſt ſuper omnem ſubſtantiam, & cognitionem, &c. Cum igitur ſecundum hoc, in conſurrectione amoris myſtica, oportet derelinquere omnem intellectualem operationem, vel cognitionem, & ſolum ſecundum vnitionem amoris affectuoſi conſurge, quæ eſt ſuper omnem intellectum, & cognitionem: igitur ſine cogitatione præuia vere amans amoris affectione conſurgit.

In tertia tráſlatione Dionyſij dicitur in Myſtica Theologia, per vnitionem dilectionis, quæ eſt affectiua veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignota cognitione multo nobiliori, quam ſit cogitatio intellectualis, & in eo quod cogitationem intellectualem derelinquit, ſuper intellectum, & mentem Deum cognoſcit, &c. Cũ igitur, vt ibidem dicitur, Deus non poſſit cognoſci per intellectualem cogitationem, cognoſcitur veriſſime per tactum amoris. Igitur vt plane dicitur, neceſſe eſt omnẽ intellectum derelinquere, & ſolum per amoris affectum in Deum conſurgere.

Item dicitur in 7. de diuinis nominibus, oportet autem videre, noſtram mentem habere virtutem ad intelligendum, per quam intelligẽda inſpicit, vnitionem autem excedentem naturam mentis, per quam coniungitur ad ea quæ ſunt ſupra ipſam: ſecundum hanc igitur diuina oportet intelligere, non ſecundum nos, ſed nos totos, totos ipſis ſtatutos, & totos deificos, &c. Igitur licet in humanis primos oporteat intelligere quam affici: in vera tamen, & experimentali cognitione diuinorum, oportet primũ ſentire per amorẽ, quã ipſum Deum qui ſentitur intelligendo cogitare. Ergo oportet cõſurgere per amorem, vt ex illo ſtatu cognitionis in ipſa mẽte vera cognitio relinquatur. nã illud ſcilicet de diuinis quod experimẽtaliter ſentit affectus, vere intelligit etiã intellectus.

Item in eodem capitulo dicitur de myſtica ſapientia ſic: Hanc igitur irrationabilem ſtultam, & amentem ſapientiam excedenter laudantes dicimus, quod eſt omnis mentis, & rationis, & omnis ſapientię, & prudentiæ cauſa, & in ipſa eſt omne conſilium, & ab ipſa omnis cognitio & prudentia, & in ipſa theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, &c. Cum igitur ipſam irrationabilem vocet, nõ ergo per rationum inueſtigationem procedit, & cum ipſam ſtultam appellet, non procedit, ſicut alia ſcholaſtica ſcientia: nam ordinate procedendo, primo cognoſcimus omne illud quod diligimus. Si ergo Myſtica Theologia primo per rationes cogitando, vel meditando procederet, ſicut videmus in alijs, non ſtulta à beato Dionyſio vocaretur, nec amens, id eſt, ſine mente, nam ſine omni mentali cogitatione, vel meditatione affectus amoris accenditur. Igitur ex affectu amoris relinquitur in mente cognitio, non è conuerſo, &c.

Pſal. 33. a

Item Pſalmiſta: Guſtate & videte, &c. Cum igitur guſtare affectum reſpiciat amoris, videre autem intellectus cogitationem, vel meditationem: ergo primo oportet motu amoris conſurgere, quam occultiſſimum Deum intellectualiter cogitando cognoſcere. Nam hæc eſt regula generalis in myſtica Theologia, quod primo oportet habere practicam, quam theoricam, id eſt, vſum exercitij in corde, quam ipſius rei, vel eorum quæ dicuntur habere notitiam.

Item illud idẽ apparet auctoritate cõmentatoris Vercellenſis ſuper myſticã Theologiam dicentis: Iſtud ſapiẽtię negotium ſenſus, imaginationis, rationis, intellectus, tam practici, quam theorici vſus & officia ſuſpendit, & excludit omnẽ intellectũ, & omne intelligibile, & ens, & vnum, & verum, & tranſcendit ſpeculũ, & ænigma, & ipſi diuino ſpiritui apicem affectionis principalis diuina dignatione vnit, &c. Igitur non requiritur in myſtica affectione aliqua cogitatio, vel cognitio intellectus.

Item hoc idem probatur per rationem in diuinis ſumptam, quia mens ratione perficitur, ſecundum quod gradatim aſcendendo ordinate ad diuina conſurgit: ſed ego video, quod in ipſa diuinitate ſunt tres perſonæ, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Pater eſt ſumma potentia, Filius ſumma ſapientia, Spiritus ſanctus amor connectens. Sed Spiritus ſanctus qui eſt verus amor ſecundum naturam, & etiam ſecundum noſtram intelligentiam, nõ ſecundum tempus eſt vltima perſona in diuinis. Nam primo eſt intelligere Patrem generantem, ſecundo Filium genitum, tertio Spiritum ſanctum procedentẽ ab vtroque. vltimus ergo, & nobis propinquior eſt Spiritus ſanctus. Cum ergo anima gradatim aſcendendo ordinate proficiat, oportet, quod habeat primo amorem, qui appropriatur Spiritui ſancto, qui Spiritus ſanctus nobis eſt affinior, antequam habeat intelligentiam cogitando, vel etiam ſapientiam quæ appropriatur Filio. Amoris igitur affectio præcedit cognoſcere, & non è conuerſo.

Item anima ſecundum quod à Deo fonte totius beatitudinis recipit influentiam, ad inſtar Eccleſiæ triumphantis perficitur, ſed conſtat ſecundum Dionyſium quod ordo Seraphim qui interpretatur ardens, primo vberius, & perfectius recipit influentiam à Deo quam ordo Cherubim qui interpretatur plenitudo ſcientiæ: ergo affectus per ardorem amoris qui reſpondet Seraphim, primo & principaliter afficitur, & mouetur in Deum, quam intellectus illud quod affectus deſiderat cogitando intelligit, quod intelligere reſpondit Cherubim. Ergo primo affectus mouetur in Deum ſine cogitatione præuia intellectus, ſed potius ipſum ſequitur.

Item Spiritus rationalis recipit à Deo influentiam primo & principaliter, inquantum ipſi eſt affinior. Sed affectus maxime per amorem diſpoſitus eſt ſupremus in rationali ſpiritu, & per conſequens ſpiritui increato propinquior: igitur tangitur apex affectus à Deo per immiſſionem igni amoris in ſpiritu tãquam Deo propinquior antequam habeat ipſum apprehendere intellectus, qui eſt potentia, multo plus affectu à Creatore ſupremo diſtãtior. Igitur ſemper mouetur primo affectus in Deum quam intellectus cogitando intelligat.

Item cum Deus quaſi gradibus infinitis diſtet à qualibet creatura, ad hoc quod ipſe in iſta miſeria aliquantum cognoſcatur, oportet animam ſic appropinquare eidem, vt quoquomodo attingatur ab ipſa. Cum ergo ſolus amor faciat animam appropinquare ad Deum per ſui extenſionem: igitur inquantum mens amat attentius, intantum fonti luminis appropinquat, & per conſequens inquantum propinquior eſt fonti luminis per amorem, intantum plus intellectus illuminatur ab eo per cognitionem. primo igitur in diuinis eſt ardendo amare, quam intelligendo cognoſcere.

Solutio quæſtionis.

Solutio. Dicendum ſecundum beatum Dionyſium in principio Myſticæ Theologiæ. Sapientia iſta dicitur ſolum Chriſtianorum: vnde fidei cognitionem ſupponit, & charitatis fundamentum. Vnde nullus mortalis quantumcunq; ſit philoſophus, vel ſciens, hanc ſapientiam quæ eſt in ſupremo affectu, mentis humanæ facultatem tranſcendens, nec potuit, nec poterit apprehendere rationum inueſtigatione, vel intelligentiæ exercitio, ſed ſolis filijs à ſolo Patre æterno conſolationem expectantibus: paterno etiam affectu miſericorditer reſeratur, & ideo Myſtica, id eſt, clauſa vel occulta dicitur, quia à paucis cognita.

Vnde notandum, quod duplex eſt modus apprehendendi, ſecundum duplicem naturalem potentiam pertingendi ad Deum. nam quælibet anima habet potentiam intelligendi, & hæc eſt potentia intellectus, & potentiã amandi, quæ affectus dicitur, quibus Deũ apprehendimus: qui eſt ſumma veritas, & ſumma bonitas. Vnde intellectu apprehendimus veritatẽ, & affectu attingimus bonitatem. Secũdum hæc duo eſt duplex via excellentiæ. Vna quæ dicitur contẽplatio, & hæc figuratur per Rachelem, quæ dicitur venuſta aſpectu, quando mens,

ſcilicet lumine deſuper infuſo diuinitus, habet meditando, vel cogitando ſolum cœleſtia contemplari. Alia eſt in affectu, & hæc dicitur ardor amoris, quando ſcilicet igne Spiritus ſancti deſuper miſſo anima flammigeris affectionibus ad ſolum Deum aſpirans, ipſum ſolum deſiderat, vt ſibi per ſtrictiorem amorem intimius vniatur, & hæc dicitur optima portio Mariæ, quæ ardebat deſiderio, vt dicitur in Ioanne. Vnde ſicut nouum teſtamentum præſtantius eſt veteri; ſic via amoris ſiue perfectionis, quæ eſt in ardore amoris, quæ eſt deſignata per Mariam, eſt nobilior omni meditatione, vel contentione intellectuali, quæ deſignatur per Rachelem.

Ioan. 20. c

Sed notandum, quod ad hoc quod veritas efficacius videatur, quod duplex eſt contemplatio in intellectu: ſimiliter, & ardor amoris dupliciter acquiritur in affectu. Quædam enim eſt meditatio, vel contemplatio ab inferioribus ad ſuperiora, quædam econuerſo, ſcilicet deſcendens à ſuperioribus ad inferiora. De prima determinat Richardus de ſancto Victore in arca myſtica, oſtendens per quadraginta duas meditationes, vel conſiderationes in creaturis, quomodo mens lumine intelligentiæ decorata ad cognitionem ſummi Creatoris debet attingere. & ſicut Iſraeliticus populus peruenit ab Ægypto per quadragintaduas manſiones ad terram promiſſionis; ſic anima fidelis per illas quadragintaduas conſiderationes, in ſex gradibus ordinatas, vſque ad cognitionem ſummæ veritatis attingit, omni rationali ſpiritui adoptatam.

Alia vero contemplatio eſt è conuerſo procedens. nam mens lumine deſuper immiſſo, ſecundum regulas veritatis, & rationes æternas, quas ſecundum diuinas illuminationes in ſeipſa percipit meditando, de inferioribus creaturis iudicat, & ſecundum quod ampliori lumine anima deſuper irradiando infunditur, ſic intanto infallibilius, ſecundum illas cauſas, & rationes quæ ſunt idem quod Deus, à quo omnis creatura exemplata, & ideata primordialiter exiuit, veritatem in creaturis, & in omnibus affectibus multo melius quam ratiocinando animus perſcrutatur. Non tamen intelligendum eſt, quin iſta contemplatio in affectione terminetur, aliter nulla eſſet. de iſtis vero nihil ad præſens. Multo enim excellentior, & multo amabilior, & ad obtinendum facilior eſt ardor amoris. Sed ad iſtum ardorem amoris eſt duplex modus attingendi, vnus ſcholaſticus, & communis; alius myſticus, & ſecretus. Primus enim eſt per modum inquiſitionis, & eleuationis, & incipitur ab inferioribus vſque ad ſummum per exercitium diuturnius aſcēdendo. Verbi gratia: modus enim amandi Deum per meditationem præuiam iſte eſt.

Modus amandi Dei per meditationem.

Primo enim fidelis diſcipulus ſenſu exteriori, ſiue oculo conſpicit creaturas exteriores, deinde etiam aliquantulum aſcendendo, quod iam percipit oculo exteriori, in imaginatione repoſitum conſeruat: deinde magis eleuando, ratiocinando, & conferendo, vna cauſa creatrix omnium neceſſaria inuenitur, & ſic peruenerunt philoſophi ad cognitionem Dei. Nam ipſi videntes tantam creaturarum magnitudinem, tam decoram ordinationem, tantam vtilitatem earundem, per hoc ipſi, & quilibet alius vnum Creatorem potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum infallibiliter cognouerunt, & hoc per potentiam animæ ſuperiorem ſenſu exteriori, & imaginatione, quæ ratio nuncupatur. Deinde ex iſta conſideratione creaturarum, quidam habitus per prædicta in intellectu relinquitur, vbi primordiale fundamentum creaturarum relinquitur, & eſſe non tantum per conſpectionem creaturarum, ſed per irradiationem, & illuminationem immiſſam, quodammodo mens à Deo ad contemplanda diuina præclarius eleuatur, & hæc potentia vocatur intellectiua, ſiue intellectus, quæ ſolum in meditatione pura conſiſtit.

Vltimo omnis meditatio vel comtemplatio, ſine affectione amoris ſubſequente parum prodeſt, aut nihil. Vnde dicit Auguſtinus quod licet ſemper volitando cogitare, & amando inhærere, vt ſemper cognitio vel meditatio præcedat affectionem amoris. ſecundo etiam anima fidelis ſine omnibus aliis creaturis, per ſolam cognitionem immiſſam à Deo, in ipſo afficitur.

Alius autem modus conſurgendi in Deum eſt multo his omnibus nobilior, prædictis etiam ad habendum facilior, & hęc eſt ſapientia vnitiua, quæ eſt in amoris deſiderio per affectiones flammigeras ſuperius aſpirando, quæ diffinitur à beato Dionyſio libro ſeptimo de diuinis nominibus ſic: Sapientia eſt diuiniſſima Dei cognitio per ignorantiam cognita, ſecundum vnitionem ſuper mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, poſtea etiam ſeipſam dimittens, vnita eſt ſuperſplendentibus radiis inſcrutabili, & profundo ſapientiæ illuminata. Vnde in hac ſapientia, ſecundum quod dicitur in principio Myſticæ Theologiæ, ſic ſenſus, & ſenſibilia derelinque, intelligibilia, & non intelligibilia, &cet. Vnde iſta ſapientia ſine omni inueſtigatione, vel meditatione præuia, amantis affectum ſurſum trahit. Vnde non ibi oportet cogitare, nec de creaturis, nec de Angelis, nec de Trinitate; quia hæc ſapientia non per meditationem præuiam, ſed per affectus deſiderium habet aſpirando conſurgere.

Sed notandum, quod iſta ſapientia alio modo intelligitur in proficientibus, aliter in perfectis. Proficientes enim neceſſe habent ſe purgare per viam quę dicta eſt, ſcilicet per humilitatem, & cognitionem, & illuminationem per modum orationis, & poſteà aliquantulum cogitando ipſi Deo deſuper inflammanti occurre, non tamen meditando de Deo, vel Angelis, vt dictum eſt; ſed conſurgendo ſecundum illam viam quæ immediate ſequitur viam purgatiuam, in expoſitione minori, de *Pater noſter*, quæ eſt oratio in ſpiritu, & veritate. Sed poſtquam affectus ſe exercendo diuturnius, vel cogitando ſecundum quod ibi dicitur, diligentius ſe erexerit, tunc dimittitur omnis cogitatio, vel meditatio, & ſolum per amoris deſiderium quotieſcūq; vult, vel de die, vel de nocte, intus vel extra, ad vnitionem ipſius dilecti ſolum aſpirans, animus conſurgentis ſe erigit, & ibi amoris affectio præcedit cogitationem. nam illud quod ſentit affectus, vere intelligit intellectus; & ſicut dictum eſt de contemplatione, quod duplex eſt; vna quæ aſcendit, alia quæ deſcendit; ſic in affectione amoris: nam ſecundum viam ſcholaſticam quæ dicta eſt, aſcenditur ab inferioribus creaturis vſque ad affectum amoris; in ſapientia autem myſtica contrarium eſt. nam ille verus amor qui eſt Spiritus ſanctus, tertia perſona in diuinis, vltima reſpectu ordinis perſonarum, nobis eſt propinquior, & prima in cōſurrectione affectiua in Deum. Vnde ipſe Spiritus ſanctus per ignē amoris tangit, & inflāmat ſupremū affectiuæ apicē, & indicibiliter ſine omni cogitatione, vel rationis diſcretione ad ſe trahit. Vnde ſicut lapis ſuo pōdere trahitur, & fertur naturaliter ad ſuū centrū inferius; ſic apex affectus ſuo pondere, & directione immediate, & ſine obliqua obliquatione abſque omni pręuia, vel concomitante cogitatione: ſurſum fertur in Deum. Vnde illa potentia quæ eſt affectus, & ſupremum in ſpiritu hominis, Spiritui ſancto immediate amoris vinculo eſt vnibilis. Et hæc potentia, vt eſt ſupremum in ſpiritu, quaſi ab omnibus ignoratur. niſi ab illis in quibus ab igne Sancti Spiritus mediate affectus tangitur, & mouetur. Vnde Dionyſius hanc virtutem vocat immediate motam à Spiritu ſancto, & ſecundum iſtam procedit tota ipſa Myſtica Theologia, & dicit ſic: Eſt & nunc nobis lex prædefinita, veritatem de Deo docens nos aſſeuerare, non in perſuaſibilibus ſummæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione à ſpiritu more theoricarum virtutum, ſecundum quam ineffabiliter ignite, ineffabiliter, & ignote coniungimur, ſecundum meliorem noſtræ intellectualis virtutis, & operationis vnionem, & cetera. Vnde ſecundum iſtam virtutem motam à Spiritu ſancto, immediate eſt multo maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum, vel rationem inueſtigando. Vnde primum tangitur ſupremus apex affectus, ſecundum quem mouetur per ardorem in

Deum, & ex isto contactu relinquitur in mente verissima cognitio intellectus. nam illud solum quod sentit de diuinis, verissime apprehendit intellectus, vt dicitur in fine principij Mysticæ Theologiæ, sic: Per vnitionem dilectionis quæ est affectiua veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto, & cetera. Ex qua etiam vnitione ingenium ad inuestiganda occulta mirabiliter clarescit, per hanc etiam imaginaria, & phantastica dirumpuntur, per hanc etiam sensuum exteriorum inordinatio quasi quodam retinaculo interiori refrenatur, vsque etiam ad carnis sensualitatem, corruptionem corporum pestiferorum mortificando affectus ibi, ignite affectus redundat. nam quanto mens plus aspirando erigitur, tanto plus debilitatur ipsius carnis male inflammantis corruptio. Per hoc pro magna parte scholastici, & mystici doctoris diuersitas patet: nam secundum diuersos intellectus vtriusque procedunt argumenta.

Ad I. Nunc respondendum est ad rationes prius factas. Ad primum dicendum, quod illud, In meditatione mea exardescet ignis, & cetera. intelligitur in proficientibus. quia in talibus nondum adhuc ardor amoris abundat, propter hoc oportet, quod aliquantulum affectus meditando secundum illam viam, quæ dicta est in expositione minori Dominicæ orationis, non autem cogitando de Angelis, de supercælestibus, de Deo, vel de Trinitate efficacius excitetur, quod tamen in tertio statu in via vnitiui amoris perfecto iã excitato cogitatio præuia dimittit. Sicut videmus in pontibus, quod in pontis ædificatione ligna lapidibus supponuntur, postea iam constructo ædificio, muri lapidei firmitate perfecta cuncta ligna amouentur, quia sine ipsorum obsequio structura muri lapidei potest perstare immobilis. Sic etiam hic in proficientibus cogitatio prædicto modo præmittitur, deinde sequitur affectio amoris, qua perfectione obtenta totius cogitationis, vel meditationis præuiæ, vel comitantis obsequium, vt supra dictum est, amouetur.

Ad II. Ad secundum dicendum quod illud bene concedimus: Inuisa possumus diligere, incognita nequaquam: nam sapientia mystica supponit cogitationem Dei. Vnde in principio Mysticæ Theologiæ vocatur sapientia Christianorum. Vel aliter, quia duplex est cognitio, vna præcedit amoris affectum. In primo enim affectu vel processu secundum viam scholasticam communem, est ibi primo cognitio per creaturas de Deo, vel per intellectum antequam in ipso amoris affectio accendatur, & secundum hoc illud Augustini intelligitur. Sed in processu mystico secundum Dionysium amoris affectus intellectus cogitationem præcedit, vt dictum est, & de vtraque loquitur propheta Dauid. Vnde quantum ad primum dicit: In meditatione mea exardescit ignis. De alia: Accedite ad eum, & illuminamini, scilicet per cognitionem veritatis, & ista cognitio est certior quam prima, & infallibilior. Sicut multoties aliquid per aliqua signa quæ videntur in ipso, esse delectabile ad vescendum cognoscitur, ex qua cognitione ad hoc vt comedatur, appetitus videntis quam pluries inardescit. postea quando illud gustatur, amplior & certior cognitio ex ipso gustu relinquitur, quam illa esset quæ ipsum gustum præcesserat. sic & in his eodem modo intelligitur. *Psal. 38. a* *Psal. 33. a*

Ad III. Ad tertium, In diuinis, & cetera, Dicendum quod verum est secundum modum communem, & ipsa anima actualiter conscendente; secundum autem processum mysticum contrarium est, & sic procedit ista obiectio alterius partis, quod patet in processu ipsorum argumentorum.

Ad IV. Per hoc patet aliud de Cherubim, & Seraphim, verum est quantum ab infimis superius ascendendo, & sic cogitatio præcedit amorem, sicut Cherubim præcedit Seraphim: contrarium autem est descendendo, nam primo & principaliter recipit influentiam à Deo Seraphim quam Cherubim, & sic similiter descendendo, primo mouetur affectus per amorem in Deum quam illud quod sentiat affectus, percipiat intellectus, & sic currit secunda pars contrariæ partis.

Ad V. Ad quintum dicendum, quod non est simile de beatis, & viatoribus. nam beati ipsam claritatem lucis æternæ vident facie ad faciem, absque vlla admixtione phantastica, vel corporis corruptione, obtenebrante caligine, vel medio contemplantes. & ideo est ibi summa ordinatio, quia nullum est ibi impedimentum, ideo primo naturaliter intellectus diuinam pulchritudinem apprehendit, quam in ipsa affectus vnione indissolubili delectetur. In viatoribus licet ament existentes in corpore, tamen, sicut dicit philosophus, intellectus humanus est phantasiæ admixtus, ideo omne intelligibile, & maxime summum intelligibile, quod est Deus, ipse phantastice apprehendit. quod si etiam per amorem, & illuminationem, diuinitus immissam, ab intellectu admixtio phantastica separaretur, semper tamen intellectus quantumcumque cœlitus illuminetur, Deum modo finito, & limitato apprehendit, qui tamen immensus, & infinitus est: & ideo omnis intellectualis cogitatio semper est impura, & immunda Et ideo in præsenti si vera sit consurrectio mystica, iubet ipsam Dionysius ab amoris affectu totaliter sequestrari, & per solum ardoris amorem consurgere; quia & si totus sit desiderabilis, sicut in canticis dicitur, non tamen totus comprehensibilis, nec in præsenti, nec in futuro. Et inquantum efficacius in ipsa consurrectione omnis intellectiua cognitio rescinditur, intantum ardoris affectu veluti liber supernatans, citius quod desiderat, apprehendit. Et hoc summe cauendum est, vt nulla cognitio intellectualis se amoris vnitiui consurrectione admisceat. *Cant. 5. d*

Ad VI. & VII. Ad sextum dicendum est, quod solutum est secundum duplicem modum consurgendi per amorem, vt dictum est, neque de Trinitate, neque de Angelis. Per illud idem soluitur septimum.

Ad VIII. Ad octauum dicendum est, quod licet modus consurgendi mystice stultus, & irrationabilis ignorantibus hanc sapientiã videatur; tamẽ sapientissime, & mira procedit ordinatione. nam solo pondere, & discretione amoris affectus verius, & certius, infallibilius in ipsum quem diligit, fertur, quam oculus corporalis aliquod sensibile videat. vel intellectus possit de Deo per cogitationem aliquam apprehendere veritatem.

Si quæritur, quid igitur cogitabo, cum de Deo cogitare non debeam, nec de Angelis? dicendum, quod solum aspirat, & cogitabit. Vnde tunc sine aliqua cogitatione de Deo, vel de aliis, si mens secundum viam purgatiuam est aliquatenus præparata, si nesciret alia dicere nisi hoc modo consurgere, dicens sic: O Domine quando te diligam? quando te constringam? si hoc sæpissime frequentaret, citius se sciret experimentaliter inflammari, quam si de secretissimis cœlestibus, & æterna generatione, vel processione millies cogitaret. Vnde ista est optima stultitia, de qua dicit beatus Dionysius sic: Hanc igitur stultam & irrationabilem, & amentẽ sapientiam excedenter laudantes dicimus, quod omnis est mẽtis & rationis, & prudentiæ causa, sicut dictum est superius in opponendo. *Dionys. lib. de mystica Theol. c. 1.*

Ad IX. Ad nonum dicendum, quod Deus secundũ consurrectionem illius sapientiæ apprehẽditur per modũ entis, nec vt vnum, nec vt verum, nec vt bonum. Sed quando ista vis animæ suprema, quæ est apex affectus, tãgitur ab igne amoris illo motu & tactu scintillat affectus aspirando in Deũ. Ideo B. Dionysius istos doctores scholasticos & speculatiuos confutat; qui omnia se scire existimant, cum tamen de vera sapientia, qua mens ad Deum trahitur, parum aut nihil, nisi forte coniecturando, vel opinando cognoscant, & talibus nõ debere vllatenus istam verã sapientiã propalari, ad Timotheum scribens, dicit sic: Vide autẽ ne quis indoctorũ ista audiat, indoctos dico, qui existentibus sunt firmati, &c. & in tales irridens, sic infert statim post; Qui sua æstimatione credunt diuina percipere ingenio, vel scientiæ plenitudine. Sic indoctos autem dico, & cet. post vere putantes ea quæ secundum ipsos de cognitione scire eũ qui ponit tenebras la- *Dionys. ubi sup. prox. cap. 1.*

tibulum suum, & cetera. Et hoc est, quia ista cognitio est totaliter supra mentem, & vbi omnis intellectus deficit, qui non apprehendit nisi sub ratione veri vel boni: Mystica vero Theologia, per apicem affectionis docet discipulos veritatis consurgere per amorem, immo quod plus est, numquam actualiter mens posset istis motibus consurgere, si aliquid cogitatet consurgens, immo miserabiliter deprimeretur à sua eleuatione affectio; sed potius intellectiuam quasi pedissequam subtractam relinquit inferius, & sine sui obsequio ad dilecti vnionem consurgit motibus sursum actiuis, ab ipsa eminentius eleuata plus distat ab ea, quam ab ortu solis meridies, & hoc quotiescumque vult de die siue nocte, centies vel millesies, si corpus posset sustinere, & quod ita sit, exemplo materiali ad præsens vtar, vt valeas intelligere. Considero motum lapidis, suo pondere naturaliter descendentis ad centrum. Sic per pondus amoris affectus dispositus in Deum sine omni cogitatione, vel deliberatione consurgit, veluti in suum centrum se extendens, & motibus istis se eleuat in continuo desiderio, cuius complementum, & intuitus quietem in æterna beatitudine obtinebit, nisi quandoque ad modicum temporis, sicut est in raptu, diuina subleuatione supra seipsum non natura, sed gratia sublimetur. Sed si hoc non potest percipere doctor speculatiuus, vel scholasticus discipulus, audiat ab Apostolo qui fuit principalis hierarcha sapientiæ, quam nullus sapientium Græcorum intelligere potuit, quoniam hæc sapientia solum spirituali examinatione cognoscitur. De qua loquitur Corinthiis dicens: Spiritus noster spiritui diuino vnitus, sentit quæ sunt eius, & hæc sapientia est, quam inter perfectos loquebatur. Vnde hoc est illud quod Dominus promisit Apostolis, cum dixit: Induimini virtute ex alto. Vnde sicut sacerdos induit se à capite, sic anima induitur à parte summi affectus. Vnde primo tangitur igne Spiritus sancti, quam aliqua cogitatio veniat. Patet ergo euidenter, quod anima vere amans, potest consurgere in Deum per affectum accenso amoris desiderio, sine aliqua cogitatione præuia, &c.

Luc. 24. g
1. Cor. 2. b.

Finis Mysticæ Theologiæ.

COMPENDIVM THEOLOGICÆ VERITATIS.

S. BONAVENTVRÆ ADSCRIPTVM.

Ioannes Combis ex ordine Minorum iamdiu Compendium hoc in luce emisit, nec de eius auctore quidquam statuit: cum in manuscriptis antiquis exemplaribus nulli forsan inscriptū inuenerit. Nec propterea sine auctore est, immo eo plures eius existimantur auctores, quo nullus est certus. Ioānes enim Trithemius Aegidio Romano illud tribuit in suo de scriptoribus Ecclesiasticis catalogo. alij sanctum Thomam seu eius magistrum Albertum magnum eiusdem auctores opinantur. Sed esse S. Bonauenturæ opus ex his persuadetur. In primis quia in antiquo manuscripto exemplari Vaticano post finem Opusculi, forma scripturæ recētiori, sic habetur exaratum: Compendium Theologicæ veritatis Bonauenturæ. *Tum etiam quia in alio peruetusto codice extra bibliothecam Vaticanam in ipso statim principio à parte superiori chartæ depictus est sanctus Bonauentura docens è suggesto, in quo duæ sunt paruulæ cruces intra duos quadratos ante suggestum expressæ, quæ insignia videntur eiusdem Sancti: à parte vero inferiori cernitur imago S. Francisci stigmata Christi suscipientis: ex quo non leuis coniectura deducitur ad idem comprobandum. Præterea diuisus est iste tractatus iuxta diuisionem Breuiloquij in septem libros, & doctrina eius conformis est valde doctrinæ S. Bonauenturæ tum in breuiloquio & Centiloquio, tum etiam in libris Sententiarum, immo sæpius verba omnino sunt eadem. Hæc auctorem probant esse S. Bonauenturam. Nisi malueris existimare ab incerto aliquo recentiori ex doctrina S. Bonauenturæ, & aliorum fuisse compilatum, vt ex principio præfationis licet colligere. Quisquis eius sit auctor, Compendium hoc studiosis Theologiæ vtile valde est, & quantum patitur angustia Compendii satis copiosum, ac nunc demum ope trium Bibliothecæ Vaticanæ, & alterius extra eam manuscriptorum exemplarium sibi restitutum. necnon conquisitis, quoad fieri potuit, & citatis ad marginem sanctorum locis locupletatum.*

CAPITA LIBRI PRIMI.

PRÆFATIO.

VERITATIS Theologicæ sublimitas, cum sit superni splendoris radius illuminans intellectum, & regalium delitiarum conuiuium, reficiens affectum, de magnorum Theologorum scriptis breue Compendium colligere dignum duxi: quo & euitetur mater fastidii prolixitas, & tamen ad inuestigandum plura via detur, & occasio sapienti. Theologia certe scientiarum est princeps omnium & regina, cui artes cæteræ tanquam pedisse-

pediſſequæ famulantur. Nam de naturis rerum illa ſolum recipit ad vſum ſuum, de quibus ſibi ſpeculum fabricare valeat, in quo conſpiciat Conditorem. Hæc dicitur ſcientia ſcientiarum, quæ ſuper omnem ſpeculationem Philoſophicam extollitur, & dignitate ac vtilitate omnibus anteferrur. Ipſa enim philoſophia cũ in naturalem, & rationalem, & moralem diſtinguatur, Philoſophia quidem naturalis, licet doceat cognoſcere creaturas, non tamen Creatorem: rationalis vero, licet doceat concludere hominibus, non tamen diabolo: & moralis, licet doceat acquirere virtutes conſuetudinales, non tamen docet acquirere charitatem. Noſtra vero Philoſophia, ſcilicet veritas Theologica, hæc omnia operatur. Docet enim Deum cognoſcere, diabolo reſiſtere, & charitatis exercitiis inſudare. Hæc eſt diuinorum pigmentorum apotheca, delectabilis ſuper mel & fauum. Hæc quoque theſaurus eſt deſiderabilis, ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum. Hæc eſt fons voluptatis egrediens, Eccleſiæ militantis irrigans paradiſum.

Pſal.18.b.
Gen.2.a.

Denique præſens ſcriptum in ſeptem libellos diſtinxi, & ſingulas in vnoquoque materias rubricis propriis aſſignaui.

Primus eſt de natura Deitatis.
Secundus, de operibus conditoris.
Tertius, de corruptela peccati.
Quartus, de humanitate Chriſti.
Quintus, de ſanctificatione gratiarum.
Sextus, de virtute ſacramentorum.
Septimus, de vltimis temporibus, & de pœnis malorum, ac præmiis bonorum. Sicubi ergo in hoc ſcripto deuiaui, parcatur mihi, quia ignorans feci: vbi vero recte proceſſi, laudetur gratia Ieſu Chriſti: ad cuius honorem, & beatiſſimæ matris eius præſens Opuſculum compilaui.

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS

Liber primus.

DE NATVRA DEI. CAPVT .I.

Quod Deus eſt.

DEVM eſſe, multis modis oſtenditur. Hoc enim fides recta teſtatur, ſacra Scriptura loquitur, comparatio rerum ad ipſum idipſum indicat, Sancti prædicant, creaturæ clamant, ratio naturalis dictat.

Primo igitur Deum eſſe fides teſtatur: quia fides Catholica credit Deum, credit in Deum, & credit Deo. Credere vero Deum eſt credere ipſum eſſe. Credere in Deum eſt credendo Deum amare, & amando in eum ire, ac membris eius incorporari. Credere autem Deo, eſt credere verbis eius. Primum & tertium bonorum, & malorum eſt, ſed ſecundum bonorum tantum: quia credere Deum, & credere Deo, bonis & malis eſt commune: ſed credere in Deum, bonorum ſpecialiter eſt. Deus itaque ſolus habet eſſe perfectum. Illud enim perfectum eſt, cuius nihil eſt extra ipſum: vnde quia eſſe noſtrum habet aliquid extra ſe imperfectũ eſt. Deeſt enim nobis aliquid quod de noſtro eſſe iã præteriit, vel quod futurum eſt. Diuinum autem eſſe, cum ſimul totum ſit: nec quidquam de eo præteriit, aut futurum ſit, perfectiſſimum eſt.

Secundo Deum eſſe, ſcriptura loquitur. Ab æterno, & vſque in ſæculum tu es. Qui eſt, miſit me. Ioannes Damaſcenus: Videtur omnibus principalius eorum, quę de Deo dicuntur, nominibus eſſe, Qui eſt.

Pſal.89.a
Exo.3.d
Damaſc. li.1.orthod. fide.c.12.

Tertio Deum eſſe, rerum comparatio ad ipſum facta indicat. Tam verum enim eſſe Deus habet, quod noſtrum eſſe ſuo comparatum, nihil eſt: immo Deus ſuo præſentiali eſſe dat omnibus rebus eſſe, ita quod ſi ſe rebus ſubtraheret, ſicut de nihilo factæ ſunt, ſic in nihilum defluerent vniuerſa. Gregorius: Omnia humana, quæ iuſta, quæ pulchra ſunt, Dei iuſtitiæ pulchritudini comparata, nec iuſta nec pulchra ſunt, nec omnino ſunt.

Greg. li.35. Mor.c.14.

Quarto ſancti prædicant. Anſelmus in ſuo Monologio: Credimus te Domine eſſe aliquid, quo nihil maius cogitari poſſit. Dionyſius: Eſſe omnium eſt ſuperſubſtantialis diuinitas, ſed hoc intelligitur cauſaliter, non formaliter. Præterea ſicut dicit Anſelmus: Illud maxime habet eſſe, quod maxime diſtat à non eſſe: quod ſcilicet non habet non eſſe poſt eſſe, nec eſſe poſt non eſſe, nec poteſt cogitari non eſſe.

Anſel. hoc habet in Proſlog. cap.2.
Dionyſ. de diuin. nom. cap.8.
Anſ. vbi ſup. c.3.

Quinto Deum eſſe creaturæ clamant. Omnia namque ſuo modo dicunt: Quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos; quia ipſe Deus eſt vox naturæ, quia omnia pulchra teſtantur ipſum pulcherrimum, dulcia dulciſſimum, ſublimia altiſſimum, pura puriſſimum, fortia fortiſſimum, & ſic de aliis, quia ſicut in patria Deus eſt, ſpeculum, in quo relucent creaturæ, ſic in via è conuerſo creaturæ ſunt ſpeculum, quo Creator videtur. Vnde Apoſtolus: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Idem, Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.

Pſal.99.a
Sap.7.d
1.Cor.13.d
Rom.1.c

Sexto Deum eſſe ratio naturalis dictat, quæ per effectum in cognitionem cauſæ peruenit. Omne namque creatum indiget alio vt ſit, & illud iterum alio vt ſit, & ita erit, vt in infinitum procedere, vel erit ibi circulus, vel peruenietur ad aliquid quod ſit cauſa omnium. Circulus autem non eſt in rebus ſingulis: quoniam oporteret aliquid eſſe prius, & poſterius ſeipſo. nec erit proceſſus in infinitum, quia vniuerſitas creaturarum tota cauſata eſt, ſiue ſit finita, ſiue infinita: ergo indiget alio, vt ſit, quod erit extra vniuerſitatem cauſatorum: & hoc Deus eſt, à quo fluunt omnia.

CAPVT II.

Quod vnus Deus eſt.

VNum Deum eſſe oſtenditur auctoritate. Vnde in Deuteronomio: Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Apoſtolus: Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Bernardus: Si dici poteſt, vniſſimus eſt. Idem eſt ſemper & vno modo: nihil in ſe, niſi ſe habet. Hoc vere vnum eſt, in quo nullus eſt numerus, nullum in eo aliud eſt, præter id, quod eſt. Idem oſtenditur & ratione: quia ſimplex forma diuinitatis ſi non eſſet vna, & eadem numero, ſed communicabilis pluribus, vt forma humanitatis Socrati, & Platoni, iam contraheretur alteri, nec eſſet ſimpliciſſima, quod falſum eſt: quia in ſummo bono nulla poteſt fieri adiectio, cum ſit omnino ſimplex.

Deut.32.f
Epheſ.4.a
Bern. lib.5. de conſ. c.7. poſt med.

Notandum autem, quod vnum ſumitur prout eſt principium numeri, & ſic Deo non conuenit; alio modo prout conuertitur cum ente, & ſic Deo conuenit potius, quam alicui creaturæ: quia cum vnum ſit indiuiſum in ſe, & diuiſum ab aliis, excepto Deo ſolo, nihil eſt in quo nõ intelligatur aliqua diuiſio, vel actualis, vel potentialis. Cum enim vnitas, vel numerus aliquis de Deo dicitur, nihil ponit, vt quidam dicunt, ſed tantum priuat. Vnde cum dicitur, Deus vnus, intelligitur quod non ſint plures.

Aliquid non eſt vnum tribus modis, ſcilicet, vel pluralitate ſecundum ſpecies diuerſas, ſicut Angeli & ſtellæ non ſunt vnum; vel mutabilitate, ſecundum quod vnus homo plures dicitur, qui modo ſanus eſt, modo æger, modo diues, modo pauper; vel propagatione ſecũdum eamdẽ ſpeciem, prout vnus homo plures eſt in filiis, qui propagantur ab ipſo. Sed nihil prædictorum in Deo eſt. De primo enim contrarium habemus in ſymbolo Athanaſij: Hæc eſt fides Catholica, vt vnum Deum in

Trini-

Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. De secundo Psalmus: Ipsi peribunt, tu autem permanes. Bernardus: Non ex tempore alterationem habet Deus, non in substantia alteritatem. Leo Papa: Simplicis diuinitatis naturæ nihil addi, aut minui potest. De tertio, Psalmus: Non erit in te Deus recens, recens, id est, recenter formatum, vel natum. Diuinitatem tria genera hominum multiplicant, scilicet idololatræ. Psalmus: Omnes dij gentium dæmonia. Necromantici, qui attribuũt virtutem characteribus, & huiusmodi stultitiis. Carnales homines, vt gulosi colentes ventrē. Apostolus: Quorum Deus venter est. Et auari, qui super omnia pecuniam amant. Apostolus: Auaritia, quæ idolorum est seruitus.

Psal. 101. d. Bern. lib. 5. de consid. cap. 7. post med. Psal. 80. b. Psal. 95. a. Philip. 3. d. Ephes. 5. b.

Est itaque in Deo vera vnitas propter simplicitatem, immutabilitatem, & singularitatem, & propter vnitatis creatæ similitudinem: quia sicut vnitas à nullo descendit, & omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus à nullo, & omnia ab ipso. Item sicut vnitas de se gignit vnitatem, ita Deus Pater de se gignit alterum se, vt dicit Augustinus, id est, alterum similem sibi, vel alterum à se scilicet Filium.

Hoc nomen Deus tripliciter accipitur, scilicet naturaliter, adoptiue, & nuncupatiue. Primo modo soli Deo conuenit. Secundo modo conuenit bonis hominibus, qui diuinæ bonitatis participes sunt per gratiam prouidentiæ, vel doctrinam, & potestatem prælationis, & potestatem miraculorum. Psalmista: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Tertio modo dij dicuntur idola, sed solo nomine, quia res nominis, scilicet diuinitas, illis non conuenit. Primo modo non habet plurale hoc nomen Deus per se, cum sit vnus solus verus Deus, nec diuinitas recipiat distinctionem: sed secundo, & tertio modo plurale habet.

Psal. 81. b.

CAPVT III.

Quod vnum solum principium est.

Sicut vnus solus Deus est, sic vnum solum principium est, quod ostenditur, multiplici ratione. Primo sic, quoniam si duo principia sunt, vnum scilicet, summe bonum, & aliud summe malum, aut communicant in existere per se, vt Socrates, & Plato, aut non. Si non, ergo alterum illorum erit ens per aliud, & ita non erunt duo principia. Si sic, sed existere per se bonum est, malum autem plus esset malum, si nõ haberet illud bonum: ergo non est summe malum: quia si esse per se haberet, hoc ipsum esse quod est bonum, summe malum esse non sineret. Pręterea in creaturis quatuor inueniuntur, scilicet, multitudo, ordo, imperfectio, & connexio. Secundum quodlibet istorum probatur vnum tantum esse principium. Omnis multitudo secundum Dionysium ab vnitate trahit originem. Ergo necesse est omnis multitudinis vnum esse principium. Item omnis ordo cum habeat prius & posterius, oportet quod vnum habeat principium. Item secundum Boetium: Omne imperfectum ab aliquo simpliciter perfecto trahit originem, & hoc est Deus noster. Item omnis connexio diuersorum, causam habet suæ connexionis, & conseruationis ad vnum, & hoc est Deus. Item si esset vnum summe malum, à quo omnia mala essent, sequeretur quod secundum corpus Christus esset ab illo malo principio, cum in eo fuerit malum pœnæ, quod absurdum est dicere.

Dionys. de diuin. nom. cap. 13.

Ex prædictis patet, quod Deus est principium, & summum, & vnum solum principium, tum ratione dignitatis, tum ratione antecessionis, tum ratione causalitatis.

CAPVT IV.

Quod Pater est.

Aeternum Patrem esse per hoc ostẽditur, quod cum Deus sit potentissimus, sapiẽtissimus, & optimus, potest, scit & vult se summe communicare: hoc autẽ est, alteri maiestatis suæ plenitudinem dare: ergo Deus Pater ab æterno Filium sibi æqualem genuit: cui diuinitatis suæ essentiam communicauit. Dicit enim Dominus in Isaia: Si generationem aliis tribuo ipse sterilis ero? quasi dicat, non.

Isa. 66. c.

Pater enim multipliciter sumitur. Dicitur enim Pater æterna generatione. Isaias: Generationem eius quis enarrabit? Prædestinatione, ad Ephesios: Gratia vobis, & pax à Deo Patre qui prædestinauit vos in adoptionem filiorum. Creatione, in Deuteronomio: Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit, fecit, & creauit te? Fecit, inquam, secundum corpus, creauit secundum animam, possedit secundum vtrumque. Redemptione Isaias: Tu Domine Pater noster, & redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Sacramentali regeneratione. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos. Fidei instructione, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Gratiæ adoptione: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Gloriæ collatione: Itaque iam nõ est seruus, sed filius: quod si filius & heres per Deum, id est, per opera Dei. opera enim nostra magis sunt per Deum vitæ æternæ meritoria, quam per nos.

Isa. 53. c. Ephes. Isa. 63. d. 1. Pet. 1. a. Ioan. 1. b. Rom. 8. c. Gal. 4. a.

Primo modo sumitur Deus Pater personaliter: & iste modus soli Patri conuenit. Quarto modo, scilicet redemptione, non solum effectiue sumitur, sed etiam per ministerij exhibitionem. Sumitur etiam personaliter: & iste modus soli Filio conuenit, secundum quod modus redemptionis fuit per mortem Filij. Omnes autem alij modi tribus personis simul conueniunt: quia indiuisa sunt opera Trinitatis: nisi forte aliquis illorum modorum conueniat alicui personæ per appropriationem.

Circa generationem nota quattuor propositiones, in quibus videri poterit, vtrum essentia diuina generet, vel generetur. Prima est, Essentia generat essentiam. Secunda est, Essentia generat personam. Tertia est, Persona generat essentiam. Quarta est, Persona generat personam. Harum propositionum tres primæ falsæ sunt, quarta autem vera est. Est enim regula in Theologia, quod essentia diuina non generat, nec generatur: dicendum tamen quod Pater virtute essentiæ existentis in se generat: & quod Filio per generationem communicatur essentia: sicut & Spiritui sancto per processionem.

CAPVT V.

Quod filius est.

Qvum sint correlatiua Pater, & Filius, per easdem rationes ostenditur Filium esse, per quas & ostensum est Patrem esse. Præterea inter omnes emanationes perfectissima est generatio, qua penitus genitus assimilatur suo genitori, quod emanationes aliæ non faciunt. Cum igitur copiosissimo fonti bonitatis competat emanatio perfectissima, constat quod persona quæ Pater est, qui est, fons totius bonitatis, generat Flium sibi æqualem, cui communicat suæ plenitudinem maiestatis.

Aliquis est Filius Dei per gratiam vnionis, vt Christus homo. Aliquis per veritatem natiuitatis, vt Christus inquantum Deus. Aliquis per adoptionem, vt sancti. Aliquis per creationem, vt quæuis creatura. De Filio Dei dicit Athanasius in altercatione contra Arrium, quod ipse dicitur sensus, quo omnia cogitantur: sapientia, qua cogitata disponuntur: virtus, qua disposita perficiuntur: Verbum, quo perfecta nũtiantur: lumen quo nuntiata clarescunt. Filius ergo Dei dicitur sapientia Patris, non quod Pater sit sapiens sapientia genita, sed quia Filium genuit, cui appropriatur sapientia. Vnde Pater dicitur omnia fecisse in sapientia, id est in filio Dei, vel cum sapientia, quæ est filius: quoniam indiuisa sunt opera Trinitatis. Vnde hæc præpositio, In, notat subauctoritatem in filio, qui hoc ipsum habet à patre, quod res creat. Generaliter enim verum est, quod quidquid habet persona, vel operatur, hoc habet ab eo, à quo est. Qualiter autem

Gal. 4. a. Sap. 6. a. Heb. 1. a. Ioan. 1. a. Psal. 103. c. Ioan. 8. b.

autem Filius sit de Patre, nota quod hæc præpositio, De, quandoque notat causam efficientem, vt cum dicitur, Christus conceptus est de Spiritu sancto. Quandoque causam materialem, vt cum dicitur: Christus natus de Maria Virgine. Quandoque identitatem essentiæ, vt cum dicitur, Filius natus de Patre. Quãdoque transsubstantiationem, vt cum dicitur, corpus Christi fieri de pane. Quandoque ordinem, secundum quod creatura dicitur fieri de nihilo.

CAPVT VI.

Filius est imago Patris.

IMago triplex est, scilicet, æqualitatis, imitationis, & repræsentationis. Primo modo, filius est imago patris. Secundo modo homo factus est ad imaginem Dei, vel imago Dei. Faciamus hominem ad imaginem Dei. Tertio modo mundus dicitur speculum Creatoris.

Gen. 1.c

Nota quod imago relatiue dicitur ad illud cuius similitudinem gerit, & ad quod imitandum facta est. Hoc autem contingit dupliciter: aut quantum ad speciem, & signum speciei: & sic imago hominis est in filio suo, qui ipsum in humana specie, & figura imitatur: & hæc est perfecta imago: aut quantum ad signum tantum & non ad veritatem speciei: sicut imago hominis est statua lapidea, & hæc est imperfecta imago. Primo modo, filius est imago patris, in natura communicans. Secundo modo, imago Dei est in homine licet minus perfecte.

Sap. 7. d
Heb. 1. a
Coloss. 1. b

Est igitur imago, non ad imaginem, sicut filius. Nam hæc præpositio, ad, dicit distantiam inter imaginatum & imaginantem: hoc autem non cadit in filium: vnde bene dicitur imago patris, sed non ad imaginem. Et est imago ad imaginem, sicut homo & Angelus. Est aliquid non imago, sed ad imaginem, vt mundus hic, qui proprie non dicitur imago, sed vestigium Creatoris: quia licet Trinitatem repræsentet, non tamen imitatur, nec est capax eius, sicut homo. Est tamen mundus ad imaginem Dei factus: quia Deus aliud exemplar non habuit, ad cuius similitudinem creaturas faceret, nisi semetipsum, est imago genita, vt filius, & est imago creata, vt homo & Angelus: & est imago facta, vt statua Herculis, quæ ipsum repræsentat. Ex his patet quod esse imaginem, conuenit Creatori, & creaturæ. Creatori quidem, quia filio, qui est imago patris, creaturæ vero conuenit tam corporali, quam spirituali, quam etiam compositæ. Proprie tamen loquendo dicitur quod creatura corporalis est Creatoris vestigium. Vnde Apostolus: Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c. Ibi hæc præpositio per, non dicit medium disponens, inquantum creatura consideratur in se, sed excitans, inquantum est similitudo Creatoris: quia non disponit ad cognitionem Creatoris, immo per talem modum potius impediret cognitionem, cum inter Creatorem & creaturam maior sit dissimilitudo, quam similitudo. Creatura vero spiritualis dicitur creatoris similitudo. In Ezechiele: Tu signaculum similitudinis, &c. & hoc ideo, quia in Angelo propter naturæ simplicitatem expressior est similitudo ad Deum, quam in homine. Creatura vero composita, idest homo, dicitur imago Dei. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem, &c. & hoc ideo, quia in homine inueniuntur plures trinitates, quam in Angelo. vnde quoad hoc potius dicitur imago Trinitatis.

Coloss. 1. b
Rom. 1. c
Ezec. 28. c
Gen. 1. c

Filius Dei possidet triplicem excellẽtiam, sicut innuit Apostolus: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ. Primam scilicet respectu Patris à quo producitur, & sic est splendor gloriæ paternæ. Est enim, vt ait Dionysius fontalis radius, in se manifestans gloriam paternam. Secundam respectu Spiritus sancti, quem producit ex se: & sic est figura: id est similitudo substantiæ patris. Est enim alia persona ab ipso, sicut à patre, quod non accepit Spiritus sanctus à patre, sicut filius. Tertiam respectu creaturarum, quæ per eum producuntur, & sic est portans omnia verbo virtutis suæ. Propter primum dicitur verbum filius patris, quoniam perfecte loquitur bonitatem, & summam patris liberalitatem, qui nihil habere voluit, quod filio suo non communicaret. Istud est Verbum essentialiter, & æternaliter genitum, temporaliter promissum, à Prophetis, & Apostolis prædicatum, ab Angelo in incarnatione nuntiatũ. Propter secundũ dicitur filius imago patris. Quamuis. n. tres personę sint ęquales in æternitate, & maiestate, ac potestate: tamen filius dicitur potius imago patris, quam Spiritus sanctus, qui non solum habet conuenientiam intus cum patre in essentiæ identitate, sicut & Spiritus sanctus: sed habet etiam conuenientiam extra cum patre, ex eo quod sicut à patre procedit filius, sic & à filio Spiritus sanctus: sed à Spiritu sancto nullus. Nam secundum rationem intelligendi respectus huiusmodi relationum sunt extrinsecus assistentes, quia potius ab aliquo sunt, quam in aliquo. Intelligentia enim relationum ad hoc ad quod refertur aliquid respicit: vnde si patrem non habeo, filius non sum, & è conuerso. Propter tertium dicitur filius virtus patris, ad Corinthios: Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Inuenitur etiam imago Trinitatis in nobis, videlicet in memoria, intelligentia, & voluntate, vel in mente, notitia & amore: in quibus per ordinem Patri, & Filio, & Spiritui sancto assimilamur.

Heb. 1. a
Dionys. de diuin. nom. cap. 2.
1. Cor. 1. d

CAPVT VII.

Quod Spiritus sanctus est.

EManatio duplex est in diuinis. Vna per modum naturæ: & hæc est generatio, secundum quam filius est à pater. Alia est per modum voluntatis: & hæc est processio appropriata. Proprie vero dicitur spiratio, secundum quam Spiritus sanctus est à patre & filio. Idcirco autem hæc emanatio per modum voluntatis esse dicitur, quia Spiritus sanctus amor est. Amor autem secundum voluntatem est. Procedit autem Spiritus sanctus à patre mediate & immediate. Mediate, quia filius ipsum spirat, qui hoc habet à patre: immediate vero, quia ipse pater ipsum spirat.

Ioan. 15. d
Ioan. 16. b

CAPVT VIII.

Spiritus sanctus amor Patris, & Filij est.

SPiritus sanctus amor Dei est: & hoc tripliciter, videlicet, essentialiter, personaliter, & exemplariter. Essentialiter Spiritus sanctus dicitur amor, inquantum ipse cum patre, & filio vnus Deus est. Ipsi enim tres inquantum vnum sunt in essentia, diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto. Personaliter vero dicitur Spiritus sanctus amor, in quantum ipse est nexus patris, & filij. Pater enim & filius diligunt se amore ab eis procedente, qui non est pater, nec filius, sed Spiritus sanctus. De hoc nexu dicit Augustinus: Est ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate, non genitus, sed genitoris genitique suauitas, ingenti largitate perfundens omnes creaturas pro captu earum. Exemplariter quoque dicitur Spiritus sanctus amor: quoniam amoris gratuiti qui est in nobis, Spiritus sanctus non solum causa est efficiens, sed etiam exemplar atque finis. Amor enim qui est in nobis, est à spiritu sancto efficienter: & hoc inquantum ipse spiritus sanctus est Deus. Exemplariter autem est in nobis, inquantum ipse spiritus sanctus procedens per modum amoris à patre & filio. Sed finaliter est in nobis noster amor, inquantum spiritus sanctus, à quo amor noster est, habet rationem primi boni, in quod tendit amor noster. Notandum quod amor qui est spiritus sanctus, ex modo procedendi est nexus, sed propter ipsam processionem est distinctus à patre, & filio: propter naturæ vero diuinæ perfectionem est persona, & suppositum: propter diuinam vero simplicitatem est ipse Deus, & summe bonus.

Igitur

IgiturSpiritus sanctus est amor, quo pater, & filius se diligunt. Cum autem dicitur, pater & filius diligunt se spiritu sancto, dupliciter exponi potest. Primo sic, diligunt se spiritu sancto, id est, amore, qui est spiritus sanctus: & secundum hoc propositio est vera. Secundo sic, diligunt se spiritu sancto, id est, per spiritum sanctum, vel per amorem, qui est spiritus sanctus: & sic non est concedenda, quia non est ibi aliquid respectu cuius hæc dictio, Per, dicat principium. Est enim regula, quod hæc dictio Per, semper dicit rationem principij respectu alicuius positi in locutione: sicut quando dicitur, Pater operatur creaturas per filium, ibi enim notatur ratio principij in filio respectu operis. Similiter hæc conceditur, Filius operatur per patrem: nam ibi ratio principij in patre est, & hoc duplici respectu, scilicet respectu filij, & respectu operis.

CAPVT IX.

Spiritus sanctus charitatis, & donum sanctorum est.

CVm inueniatur sæpe in scripturis quod spiritus sanctus charitas, & donum dicitur, diligenter notandum est, qualiter hoc debeat intelligi, & vtrum spiritus sanctus sit charitas, qua nos Deum, & proximũ diligimus. Vnde notandum est, quod amor, siue charitas tribus modus sumitur. Vno modo effectiue, & sic absque dubio verum est, quod spiritus sanctus est amor, quo diligimus Deum: quia spiritus sanctus operatur in nobis habitum, & motum charitatis. Alio modo sumitur exemplariter, sic etiam spiritus sanctus est charitas, qua diligimus Deum, & proximum. Charitas enim, quæ est spiritus sanctus, est exemplar nostræ charitatis. Tertio modo sumitur charitas formaliter per modum inhærentiæ: & sic charitas dicitur virtutis habitus in anima quo diligimus Deum, & proximum. Et secundum hunc mundum spiritus sanctus non dicitur charitas: nec contrariatur dictum Augustini quod eadem est charitas, qua nos diligit Deus, & nos ipsum: quia licet verum sit, tamẽ aliter, & aliter est, nam Deus diligit nos ea formaliter, nos vero ipsum diligimus efficienter, & exemplariter, non formaliter: nam omne esse, & agere est à forma inhærente agenti, quæ est principium agendi, & forma, sicut caliditas igni. Sciendum est tamen quod spiritus sanctus datur, cum datur eius donum: quia spiritus sanctus est amor, & primum donum, posterius autem non datur sine priori. Præterea corpus mysticum est vnum per amorem. Cum ergo nihil creatum sit vnum in diuersis particularibus, oportet quod membra corporis mystici vniantur vno amore increato, qui est spiritus sanctus. Præterea quia secundum Augustinum, totum malum hominis est vti fruendis, & frui vtendis: constat ergo quod totum oppositum est donum eius, scilicet, frui fruendis, & vti vtendis. Sed ad fruendum eo, quo fruendum est, requiritur præsentia fruibilis, & etiam dispositio debita fruentis: vnde requiritur præsentia Spiritus sancti, & eius donum, scilicet, amor, quo inhæreatur ei: verumtamẽ cum datur nobis Spiritus sanctus, non incipit esse in loco nouo, sed nouo modo per productionem noui effectus, & noui respectus, ex quo creatura se aliter habet ad Spiritum sanctum, quam prius: propter quod & ipse dicitur aliter esse in creatura quam prius: quia est in ipsa, vt in cognoscente, & amante ipsum, quod non fuit prius.

Aug. li.15. de Trinit. c.17. to.3.

Ex iam dictis patet quod in iustificatione duplex charitas nobis datur, scilicet, creata, & increata: illa qua diligimus, & illa qua diligimur. Vel datur nobis charitas creata, qua diligimus formaliter: & increata, qua diligimus effectiue: quia nostrum diligere ipse causat. Ex his colligitur quod licet Deus sit in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, non tamen habetur ab omnibus hominibus per gratiam.

Missio autem Spiritus sancti duplex est, sicut & filij. Vna visibilis, sicut apparuit super Christum in columba, & super Apostolos in linguis igneis. Alia inuisibilis, qua mittitur in mentem ad sanctificandam creaturam: & ista missio fit ad inhabitationem creaturæ rationalis: sed prior fit ad inhabitationem demonstrandam aliis. Eodem modo missio filij duplex est, vna, scilicet visibilis, vt incarnatio: & alia inuisibilis, vt est interna mentis illuminatio. Notandum quod missio filij, & spiritus sancti inseparabilia sunt: sed dicitur filij, quando mens per gratiam illuminatur ad Deum cognoscendum: dicitur spiritus sancti, quando affectus accenditur ad amandum. Sciendum est quod solius patris est mittere, & non mitti. Cum enim pater à nullo procedat, nusquam mitti dicitur: quia vero filius & producit, & producitur, ideo mittit, & mittitur. Spiritus vero sanctus quia producitur æternaliter, sed non producit, nisi ex tempore: ideo ipsius est propriũ mitti, & non mittere, nisi respectu creaturæ, vt ad conuersionem populi dicuntur Apostoli missi à spiritu sancto. Nisi forte dicatur mittere hominem assumptum. Sed spiritus sanctus mittere dicitur, inquantum cum patre, & filio idem est in essentia Trinitatis, non inquantum persona. Sic etiam filius mittit seipsum, vnde Augustin. in lib. de Trinitate. Intelligamus illam incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in qua intelligitur filius missus, vna eademque operatione patris, & filij inseparabiliter esse factam, non separato etiam spiritu sancto. Ex his patet quod hæ sunt impropriæ, & exponendæ, spiritus sanctus mittit se, & mittit filium, & filius mittit seipsum: nisi intelligatur inquantum est de Virgine natus: quia filius Deus mittit se hominem: & secundum hoc vera est. Hæc autem est ratio, quia mittere dicit auctoritatem ratione productionis æternæ.

Aug. lib.2. de Trinit. cap.5. post. med. to.2.

Quibus modis datus sit spiritus sanctus in signo visibili. Sciendum quod in igne apparuit spiritus sanctus, vt calefaceret frigidos. Et in linguis, vt doceret ignaros. Et in sono, vt terreret rebelles. Apparuit etiam in aliis tribus signis, scilicet in nube ipsi Moysi, vt ductor eius in columna nubis esset: sicut legitur in Isaia: Item in columna super Christum baptizatum, ad ostendendam gratiæ plenitudinem, quæ in ipso erat. Item in flatu post resurrectionem, ad significandam viuificationem affectus: quia flatus ab interiori procedit. Datus est igitur spiritus sanctus bis post resurrectionem, scilicet in terra, propter dilectionem proximi, & de cœlo, propter dilectionem Dei. Vel datus est in terra, ad relaxanda peccata aliorum. Ioannes: Insufflauit in eos. & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum, &c. Datus est de cœlo in Pentecoste ad robur, & ad operationem miraculorum: de his duobus Psalmista: Verbo Domini cœli firmati sunt, quoad primum: & spiritu oris eius omnis virtus eorum, quoad secundum. Tertia fuit collatio spiritus sancti Apostolis facta ante passionem, quando fuerunt baptizati. Eorum enim baptismus innuitur ibi: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. In signum prædictorum trium ter inungitur homo, ad significandam hanc triplicem spiritus sancti inunctionem, scilicet in baptismo, in confirmatione, & in morte.

Act.2.a — Exo.3.a — Matt.3.d — Ioan.20.f — Ioan.20.f — Act.2.a — Ioan.20.f — Psal.32.a — Ioan.13.b

Quadruplicem effectum consecuti sunt Apostoli ex præsentia spiritus sancti: Primo eloquentiam in linguis. Secundo audaciam in tormentis. Tertio efficaciam in miraculis. Quarto protectionem à vitiis: quia post Pentecosten, numquam peccauerunt mortaliter. Accipiunt & modo vtiliter spiritum sanctum: peccatores quidem ad purgandum, Matthæus: Ipse baptizabit vos in spiritu sancto, & igne. Item pœnitentes ad proficiendum. Psalmus: Spiritus tuus bonus deducet me. Item perfecti ad sanctificandum, ad Corinthios: Qui dedit nobis pignus spiritus sancti. Item beati ad fruendum, Psalmus: Renuit consolari anima mea, &c. Item tribulati ad consolandũ: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, &c. Item ignorantes ad instruendum, Ioannes: Paracletus autẽ spiritus sanctus, quem mittet pater, &c.

Act.2.b — Matt.3.c — Psal.143.c — 2.Cor.5.a — Psal.76.a — Rom.8.c — Ioan.14.d

Quo tempore datus sit SpiritusS. attendendũ est quod in die quinquagesima, vt ostẽdatur auctor esse remissionis: nam annus iubileus seruiebat remissioni. Venit

Act.2.a etiam in die Dominica, vt esset dies renouationis, qui fuit etiam creationis. Datus quoque fuit tertia hora, quia dicitur primus homo hora tertia perdidisse gratiam: vnde conueniens fuit, quod eadem hora Apostolus mitteretur. *Act.2.b* Item alia ratione datus est hora tertia, scilicet, vt ostenderetur quod etiam nobis hora tertia datur gratia Dei. Sunt enim tres horæ morales, scilicet, contritio, confessio & satisfactio. De hoc nomine, Spiritus sanctus, sciendum est, quod potest esse circumlocutio vnius proprij nominis, & tunc conuenit tantum personæ tertiæ in Trinitate: vel possunt istæ dictiones sumi diuisim, & sic quælibet trium personarum est Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus multa habet nomina. Dicitur enim spiritus à spirando actiue eo quod spiret, Ioannes: Spiritus vbi vult spirat: *Ioan.3.a* & secundum hunc modum, hoc nomen spiritus commune est omnibus tribus personis, sed Spiritui sancto conuenit per appropriationem. Alio modo dicitur spiritus à spirando passiue, eo quod spiretur, & hoc modo proprium est Spiritui sancto, qui procedit per modum spirationis. Non solum autem dicitur Spiritus, sed additur sanctus: quia sanctus idẽ est quod mundus, vel firmus, vel sine terra. Ista autem non solum conueniunt ei quoad se, sed etiam in comparatione quoad nos: nam per gratiam Spiritus sancti à peccatis mundamur, in bonis firmamur, à terrenis separamur. Sanctus ergo non solum est in se, sed quia nos facit ea sanctitate, de qua dicit Dionysius: *Dionys. de diuin. nom. cap.12. cir. prin.* Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia. Præterea Spiritus sanctus vocatur nexus, vnitas, & amplexus, & hoc prout cõparatur ad Patrem & Filium. Idem dicitur donum Altissimi: *Iac.1.c Ioan.4.b & 7.f* & hoc prout comparatur ad nos: quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, &c. Item dicitur fons viuus: quia septemplici riuo donorum nobis fluit. Isaias: *Isa.11.a* Spiritus sapientiæ, intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus sciẽtiæ, & pietatis & spiritus timoris Domini. Item dicitur ignis: quia affectum nobis accendit. Item dicitur charitas, non solum quia est amor Patris & Filij, sed quia nos amantes facit. Item dicitur spiritualis vnctio, quia omnes tribulationes mundanas suaues facit, & iucundas: secundum illud prosæ: *Luc.11.c* In labore requies, in æstu temperies, &c. Item dicitur dextræ Dei digitus: quia sicut corporales res digito demonstrãtur, ita per Spiritum sanctum ostendũtur res spirituales oculo spirituali. Item dicitur paracletus, quia consolationes cœlestes mentibus instillat. Item magistrorum optimus, quia intellectum ad Dei cognitionem, & sui ipsius illuminat.

CAPVT X.

In Trinitate personarum vnitas essentiæ est.

1. Ioan.5.b IN vnitate naturæ diuinæ tres sunt personæ: quarum prima est à nulla: secunda est per generationem à sola prima. tertia est per communem spirationem à prima & secunda. Istud tamen sic est intelligendum, quod Trinitas personarum non excludit ab essentia vnitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, & incommutabilitatem. Huius ratio per hoc patet, quia qui crederet Deum non posse se summe communicare, negaret in eo potentiam. Qui vero crederet hoc eum posse, sed nescire, negaret in eo sapientiam. Qui crederet eum hoc posse, & scire, sed nolle, ille negaret in eo bonitatem. Cum igitur Pater potuerit, sciuerit, & voluerit se summe communicare, hoc fecit æternaliter, scilicet, habendo dilectionem & dilectum, hoc est Filium & Spiritum sanctum. Præterea omne bonũ est sui diffusiuum, vt dicit Dionysius, *Dionys. de diuin. nom. cap.4. cir. prin.* vnde cum Pater sit fons bonitatis, emanatio erit ab ipso perfectissima, quæ est generatio. Erit etiam emanatio iucundissima, quæ est per modum benignitatis & liberalitatis: hæc autem emanatio, amor est, qui est Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens. Et bene dicitur amor, emanatio liberalitatis, quia amor primum donum est, quod à liberalitate procedit, cum sit donum intrinsecum in ipso dante, in quo scilicet amore omnia alia donantur.

Hæc beata Trinitas tribus modis nobis innotescit. Ipsa enim patet in scripturis, ostenditur in figuris, relucet in creaturis. Primo, inquam, beata Trinitas patet in scripturis. Vnde Leo Papa: Credimus sanctam Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum vnũ Deum omnipotentem, vnius substantiæ, vnius essentiæ, vnius potestatis. Item Isaias audiuit Seraphim ter dicentia, *Isa.6.a* Sanctus, in laudem beatæ Trinitatis, subiungentia in singulari, Dominus Deus Sabaoth propter confessionem vnitatis diuinæ. Si ergo non essent tres personæ, non diceretur in Genesi: *Gen.1.c* Faciamus hominem ad similitudinem nostram, sed meam: & tunc si essent tres personæ, & non vna substantia, non diceretur ad imaginem, sed ad imagines nostras. Ad id ostẽdendũ ponitur in Psalmo ter Deus, cum dicitur: *Psal.66.a* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & tamen solum ponitur hoc pronomen eum, vbi subiungitur: Et metuant eum omnes fines terræ. Item: *Hiere.1.b* A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui. Vide ꝙ a, triplicauit, & in singulari dixit: Domine Deus, ꝙ notat Trinitatẽ, & vnitatem. Item Apostolus: *Rom.11.d* Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula. Et nota quod hæc præpositio ex, dicit auctoritatem, & esse à nullo. hoc autem Patri conuenit: qui est principium, sine principio. Sed hæc præpositio, per, notat operationem, siue medium, & esse ab alio: vnde per hoc intelligitur Filius, qui est principium de principio. Hæc autem præpositio, in, notat conseruationem, & esse ab alio: & propterea competit Spiritui sancto, qui est continentia omnis boni.

Ostenditur etiam beata Trinitas in figuris. Significatur enim per tres amicos Iob. *Iob.2.c* Item per tres Angelos quos Abraham hospitio recepit: *Gen.18.a* Tres vidit, & vnum adorauit. *Isa.40.c* Item per tres digitos, quibus appenditur moles terræ. *Deut.4.g* Item per tres ciuitates refugij ęquali spatio à se distantes. *Prouer.30.c* Item per tria difficilia ad inuestigandum. *Ezec.48.d* Item per tres portas ciuitatis, quas vidit Ezechiel.

Relucet quoque in creaturis vestigium beatæ Trinitatis. Cognoscitur enim in magnitudine creaturarum potentia Patris, in dispositione sapientia Filij, in ornatu bonitas Spiritus Sancti. *Psal.32.b* Item in quolibet indiuiduo inuenies virtutem, speciem, & vtilitatem, quorum primum conuenit Patri, secundum Filio, tertium Spiritui sancto. Item in sole vide essentiam, splendorem, & calorem: in quibus Patrem & Filium & Spiritum sanctum cognosces. Item in anima secundum memoriam, intellectum, & voluntatem considera personarum trinitatem, & vnitatem substantiæ. Item in hierarchia cœlesti superiori Deus est in thronis, vt maiestas: in Cherubim, vt veritas, in Seraphim, vt charitas, per quæ notatur personarum Trinitas. Item in virtutibus Theologicis, scilicet fide, spe, charitate idem intellige. Item in tribus dotibus animæ, scilicet cogitatione, comprehensione, & delectatione.

Notandum autem quod aliter relucet Deus in creaturis viatoribus, aliter in beatis. Exemplum de speculo, in quo alio modo videtur à nobis notus, & aliter ignotus: nam notum videtur in speculo, ignotum per speculum. Ex prædictis patet, quod licet tam in creatura corporali, quam in spirituali, quam etiam ex his composita beata Trinitas cognoscitur, tamen diuersimode, Prout vnumquodque istorum dicitur vestigium Creatoris, quia aliud dicitur eius similitudo, & aliud eius imago: sicut superius est notatum in titulo, Quod Filius est imago Patris.

Denique sciendum est quod pluralitatem personarum in vnitate essentiæ, & vnitatem essentiæ in personarum pluralitate, secundum Bernardum, *Ber. lib.5. de consid. cap.8.* scrutari temeritas est, credere pietas est, nosse vita æterna est.

CAPVT XI.

Multiplex Trinitas est.

MVltiplex inuenitur in scripturis Trinitas. Est enim Trinitas increata, quæ summa & ineffabilis est. Aliæ Trinitates sunt creatæ: inter has vna est quæ cecidit, scilicet rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Alia est per quam homo cecidit, scilicet suggestio diaboli, delectatio sensualitatis, & consensus rationis: quæ tria significata sunt per serpentem, mulierem & virum in paradiso. Tertia est in quam cecidit, scilicet ignorantia veri, impotentia boni, & concupiscentia mali. Quarta est per quam resurgit, scilicet fides, spes, charitas. Item est Trinitas, per quam ad gratiam reparamur, scilicet triplex substantia, quæ est in Christo, scilicet diuinitas, anima, & caro. Est autem alia per quam regeneramur, scilicet, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus, inquam sanctificationis, aqua ablutionis, sanguis redemptionis. Hanc nobis Ioannes in epistola sua recitat. Est quoque Trinitas alia, per quam ad gloriam reformamur, vt sunt tres dotes animæ, scilicet, cognitio, dilectio, cōprehensio. Est & multiplex Trinitas in creaturis, quæ est vestigium beatæ & increatæ Trinitatis. & de hoc habes in titulo supra quod Trinitas personarum, & vnitas essentiæ est.

1. Ioan. 5. b

CAPVT XII.

Aequalitas personarum est.

AEqualitas personarum in tribus consistit. Vnde Augustinus: Nullus alium præcedit Æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Quod æqualitas secundum hæc tria sit in Deo, sic ostenditur: quia in istis inferioribus tria sunt hæc, scilicet substantia, qualitas, & quantitas: igitur vnitas in substantia causat identitatem: vnitas autem in qualitate causat similitudinem, sed vnitas in quantitate causat æqualitatem: in diuinis autem est æqualitas tantummodo secundum triplicem quantitatem, prout quantitas in Deo esse dicitur licet improprie. Primo secundum quantitatem virtutis, quæ est potentia. Alio modo secundum quantatem durationis, quæ est æternitas. Tertio modo secundum quantitatem magnitudinis, qua ipse est intra omnia, & extra omnia: quæ continet & locat omnia.

Aug. lib. 1. de fid. ad Pet. cap. 1. ante med. tom. 3.

Æqualitas personarum aliter in istis tribus ostenditur: quoniam in creaturis triplex magnitudo reperitur, scilicet temporalis, dimensionis, & virtutis. Prima magnitudo est in rebus mutabilibus. Secunda in corporeis. Tertia in spiritibus creatis. Istis tribus respondent in Creatore alia tria, in quibus etiam personæ diuinæ sunt æquales, scilicet æternitas in esse, magnitudo in immensitate, & virtus in posse. Hæc tamen, licet secundum rei veritatem sint in Deo, secundum differentiam rei in ipso, non habent esse, sed secundum quod nostrum respiciunt intellectum. Dicendum est ergo, quod tanta est æqualitas in Trinitate, quod secundum Augustinum, nec est maius aliquid, vel duo, vel omnes, quam vnus: nec maius aliquid omnes quam singuli.

Aug lib. 3. cont. Maximin. c. 10. 30.

Coæternæ quoque sunt personæ diuinæ, quia in diuinis non est ponere nisi duo genera, scilicet, substantiæ, & ad aliquid: quantitas vero, & qualitas transeunt in genus substantię, sicut æqualitas, & similitudo dicunt relationes, sed substantia communis est tribus personis. Relatiuorum autem proprium est simul esse: ergo nullo modo Pater est prior Filio, nec secundum id quod ad aliquid est, nec secundum id quod absolutum est. Idem ostenditur per exemplum in natura: quia licet splendor sit à sole, tamen esset soli coæternus, si sol esset æternus.

CAPVT XIII.

Inter essentiam, & personam differentia est.

APud Græcos quattuor sunt vocabula, scilicet, vsia, vsiosis, hypostasis, prosopon. hæc apud Latinos æquipollent istis quattuor, videlicet, essentia, substantia, subsistentia, persona. Inter hæc talis est differentia: quia vsia, siue essentia dicit naturam vt humanitas: vsiosis siue substantia dicit habens naturam, siue substans naturæ, vt homo: hypostasis dicit distinguibile, non tamen distinctum determinata proprietate, vt aliquis homo: prosopon siue persona dicit distinctum cum determinata proprietate ad dignitatem pertinente, vt Petrus. vt sicut homines particulares distincti sunt propriis qualitatibus, ita Pater & Filius, & Spiritus sanctus propriis notionibus. Sicut autem Græci dixerunt Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, scilicet tres hypostases, idest, tres res: ita & nos dicimus tres subsistentias. idest, tres res nō indigentes alia re vt sint. Considerata igitur essentia diuina in se, omnino indistincta est: persona vero in se distincta est suis proprietatibus. Considerata autem essentia in personis, vel persona in essentia, modum medium tenet, scilicet vnitatem & distinctionem, & hoc patet in appropriatis, quæ omnibus personis conueniunt, vt potentia, sapientia, bonitas: sed ad vnam magis determinantur. Nota quod semper substantia sumitur pro essentia, & quod essentia numquam transfertur ad significandam personam.

Tres sunt diffinitiones personæ: Persona est creaturæ rationalis indiuidua substantia, hæc sumitur penes naturam rei. Secunda Hugonis de sancto Victore talis est: Persona est subsistens per se solam iuxta quendam singularem modum, hæc sumitur iuxta etymologiam nominis. dicitur enim persona quasi per se vna. Tertia est diffinitio magistralis sic, Persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Nota etiam quod ista quattuor, prout supra sunt exposita, & exemplificata, scilicet essentia, substantia, subsistentia, persona differunt in creatura, re, & nomine: sed in diuinis differunt ratione.

CAPVT XIV.

De immensitate Dei.

NOn est in Deo quantitas dimensionis, sed virtutis: nec vbique est Deus mole corporis, sed præsentia maiestatis, & per hunc modum dicitur immensus. Sed nota quod immensitas quattuor in Deo complectitur, scilicet infinitatem, incomprehensibilitatem, incircumscriptibilitatem, æternitatem. Si enim consideratur Deus in se, sic est infinitus. Psalmus: Magnitudinis eius non est finis. Si vero consideratur in comparatione ad intellectum, sic est incomprehensibilis. Apostolus: O altitudo diuitiarum, &c. Et propter hoc etiam dicitur sedere super Cherubim, id est super penitudinem scientię, & super omnem intellectum. Si in comparatione ad locum, sic est incircumscriptibilis. Ambrosius: Nihil præscriptum, nihil circumscriptum, nihil dimensum Trinitas habet, non loco clauditur, non terminatione concluditur, non ætate variatur. Sed si consideratur in comparatione ad durationem, sic est æternus. Apostolus: Regi sæculorum immortali, &c. De his quattuor dicendum est in sequentibus per ordinem.

Psal. 144. a — *Rom. 11. d* — *Psal. 79. a* — *Amb. lib. 2. cōm. in Luc. cap. 2. in ea verba Et cum Angeli, &c.* — *1. Tim. 1. d*

Tenendum est certissime quod in Deo non est proprie longitudo, nec latitudo, nec sublimitas, nec profundum: sed hæc metaphorice sunt in Deo. Est enim in Deo latitudo charitatis, qua nos ab errore reuocat. Hiemias: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. Est & longitudo patientiæ, qua malos portat. dissimulat namque peccata hominum propter pœnitentiam. Est in eo sublimitas sapientiæ, qua omnē sensum superat. Apostolus: Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Est etiā in eo profundū iustitię, qua peccatores damnat. Matthæus: Ite maledicti in ignem æternum

Hiere. 31. a — *Sap. 11. d* — *Heb. 4. d* — *Matt. 25. c*

CAPVT XV.

De infinitate Dei.

DVbitandum vero non est Deum esse infinitum. quia cum in Deo idem sit potentia & essentia, patet quod essentia eius est infinita, sicut & potentia. Vnde sicut potentia Dei non ita potest in tot, quin possit in plura, sic & essentia Dei non est ita in aliquibus rebus, quin possit esse in pluribus; immo si mundi essent infiniti, omnes repleret. Præterea cum Deus sit rerum causa efficiens, formalis, & finalis, sicut non est dicere de Deo inquantum est causa efficiens, quod sit effecta, nec inquantum est causa formalis, quod sit formata: eadem ratione non est dicere cum sit causa finalis: quod sit finita. Nullo ergo modo dicendum est, Deum esse finitum secundum substantiam, nisi finitum dicatur completum & perfectum.

Sane triplex dicitur infinitum, scilicet negatiue, priuatiue, contrarie, seu disparate. Infinitum negatiue dicitur per abnegationem finis: & sic dicitur infinitum illud, quod non finitur: & hoc modo infinitum est, quod non est natum finiri. Infinitum priuatiue est, quod natum est finiri, non tamen finitur. Infinitum contrarie est, quod habet contrariam dispositionem ad finiendum. Primo modo essentia diuina est infinita, quia non habet finem, nec est nata finiri. Similiter si dicatur infinitum tertio modo. Si vero dicatur infinitum priuatiue, sic non potest dici finita, quia non est nata fieri, immo est finiens omnia.

Item finis dicitur tripliciter. dicitur enim terminus, & secundum hoc quod quantitas continua est potentia infinita, quia est diuisibilis in infinitum: & hoc ideo, quia in continuo non est terminus in diuisione: sicut nec in numero est terminus in additione. Alio modo dicitur finis idem quod perfectio. Tertio modo dicitur finis, id propter quod vnũquodque finitur. Primo modo Deus est infinitus, non secundum quantitatem dimensiuam, quæ in Deo non est, sed secundum quantitatem virtualem, quæ in ipso est. Sed quia in Deo omnimoda est indiuisio virtutis & essentiæ, non potest esse infinitas virtutis, quin etiam sit essentiæ. Secundo modo materia dicitur infinita, quia caret perfectione. Tertio modo malum culpę dicitur infinitum, quia non est ordinatum ad finem.

CAPVT XVI.

De incomprehensibilitate Dei.

CReator à creatura cognosci non potest ad plenum in via, vel etiã in patria, quia finiti nulla est proportio ad infinitum. Trinitas sibi soli nota est, & homini Christo. Vnde Bernardus: Nihil Deo præsentius: & nihil incomprehensibilius: quid nempe cuilibet rei præsentius quam esse suum? Sane esse omnium dixerim Deum, non quod illa sint quod est ipse, sed quia ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Est enim intelligentia nostra ad illam lucem inaccessibilem multo minus, quam visus noctuæ, vel vespertilionis ad lucem. vnde dicitur in Psalmo: Ambulauit super pennas ventorum, hoc est, super intelligentias etiam Angelicas. Veruntamen comprehenditur Deus aliquo modo per fidem in via. Augustinus: Mentis humanæ acies inualida in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur. ad idem Bernardus: Ita Deus est in irrationalibus creaturis, vt non capiatur ab ipsis. A rationalibus tamen capi potest omnibus per fidei cognitionem, sed à bonis tantum capitur per amorem. Dicamus ergo quod de Deo scire possumus, quid non sit, non quid sit. Augustinus: Intelligimus Deum sine qualitate bonũ, sine quantitate magnum, sine indigẽtia Creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu, vel ambitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem.

[Margin: Ber in Cãt. serm. 14. circ. fin. — Rom. 11. d — 1. Tim. 6. c — Psal. 103. a — Ber. hom. 3. sup. Missus est an. med. — Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 1. to. 3.]

Comprehenditur quoque Deus per speciem pro dignitate meritorum in patria. Augustinus: Videbimus tuę maiestatis essentiam, & vnusquisque eo perspicacius, quo hic vixerit purius. Et est exemplum in mari, quod se offert visui, & tamen secundum ambitum totũ videri non potest: & hoc est tam propter maris latitudinem, quam propter ipsius nostri visus ad tantam superficiem improportionabilitatem. Hoc igitur tenendum est, quod in via Deum cognoscere possumus, quia est, & in patria, sicut est, numquam tamẽ, nec hic, necibi quid est.

Visus corporalis impeditur tripliciter, scilicet, per tenebras, per falsam lucem, per auersionem à re visibili. Eodem modo impeditur visus spiritualis circa cognitionem Dei. Primo, per tenebras peccati, vel erroris. Ioannes: Qui facit peccatum, in tenebris est. Ad Corinthios. Adhuc cum legitur Moyses, velamen positum est super corda ipsorum. Secundo per falsam lucem: hoc autem fit, quando quis metitur æterna secundum naturalia. Exemplũ habetur in ligno putrido, quod in nocte quamdam lucem videtur habere, sed cum dies venerit nihil est. Tertio, per auersionem à re visibili, siue cognoscibili, hoc est, quando quis spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhæret, talium oculis, cum sint ægri, odiosa est lux, & puris est amabilissima. Deus cognoscitur interius, & exterius. Interius dupliciter: quia quandoque per inspirationem, quod paucis datum est. Apostolus ad Corinthios: Scio hominem in Christo Iesu, &c. quandoque per ratiocinationẽ per quem modum plures Philosophi de Deo notitiam habuerunt. Ad Romanos: Inuisibilia Dei, &cet. Exterius etiam cognoscitur dupliciter: scilicet per creaturas. Apostolus: Videmus nunc per speculum, scilicet creaturarum, quæ modo sunt speculum Creatoris in præsenti: sic è conuerso ipse Deus erit speculum creaturarum in futuro, in quo omnia videbimus, quæ ad gaudium nostrum pertinebunt. Item per doctrinam Apostoli, Fides ex auditu, sicut cognoscitur vinum quandoque ex auditu, quãdoque visu, quandoque gustu, sic Deus quodammodo cognoscitur auditu. Cognoscunt enim Deum qui audiunt verbum Dei, & per illud credunt: viso cognoscunt Theologi, qui legunt Deum in scripturis: & Philosophi, qui speculantur eum in creaturis: gustu cognoscunt soli boni. Psalmus: Gustate & videte, quoniam suauis, &c. Et iste vltimus modus perfectissimus est, & certissimus. Dionysius dicit, quod tribus modis cognoscitur Deus, scilicet per remotionem, siue abnegationem: vt cum dicitur, Deus non est hoc, vel illud. Vnde Dionysius: Negatiuæ de Deo sunt veræ: affirmatiuæ vero incompactæ. Item per eminentiam: vt cum in creatura inueniatur potentia, attribuenda est Deo summa potentia, & sic de aliis. Item per causam, secundum quod per effectus venitur ad cognitionem causæ, vel per cognitionẽ motuum ad cognitionem mouentis. Item nota quod anima sensu percipit corpora, quia formam in materia tantum pręsente corpore: imaginatione vero corporum similitudines, hoc est formas abstractas à materia, etiam præsente corpore, vel absente: ratione autem corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia vero spiritum increatum.

[Margin: 1. Ioan. 1. b — 2. Cor. 3. d — 2. Cor. 12. a — Rom. 5. b — 1. Cor. 13. d — Rom. 10. c — Psal. 33. b. — Dionys. de diu. nom. cap. 7. post. med.]

Sciendum est etiam quod cognoscibilia quędam sunt infra rationẽ, quædã iuxta, quædam supra. Infra rationem sunt, quæ sensu percipimus, vt alba, nigra, & huiusmodi. Iuxta rationem sunt quæ ratione percipimus, vt vera, falsa, iusta, vel iniusta. Supra rationem sunt, quæ sola diuina reuelatione comprehenduntur, aut auctoritate scripturarum creduntur, vt tres esse personas, vnum Deum.

[Margin: 1. Ioan. 5. b]

CAPVT XVII.

De incircumscriptibilitate Dei.

VBique Deus est, & tamen nusquã est, quia nec abest vlli loco, nec vllo capitur loco. August. Deus est in

est in mundo non inclusus, extra mundum non exclusus, supra mundum non elatus, infra mundum non depressus. Ex his patet quod Deus est intra omnia, & hoc quia omnia replet, & vbique præsens est. Item extra omnia est, quia omnia continet, nec vsquam valet coarctari.

Sed nota quod hæc præpositio, extra, dicit ibi, non actualem præsentiam ad locum, sed potentialem, quæ est Dei immensitas, quæ infinitos mundos potest replere, si essent. Item ipse est supra omnia: quia omnibus præstat, nec aliquid ei æquatur. Item infra omnia est: quia cuncta sustinet, & sine ipso nihil subsisteret. Dicimus etiam quod vbique est, non vt indigeat rebus quod in eis sit, sed potius res sui indigeant, vt per eum subsistant. Deus enim ante mundi constitutionem fuit, vbi nunc est, scilicet, in se, quoniam ipse sufficit sibi. Sciendum est ergo, quod aliquid est in loco circumscriptiue, & diffinitiue, vt corpus: aliquid diffinitiue, non circumscriptiue, vt Angelus: aliquid nec sic, nec sic, vt Deus. & hoc ideo, quia non indiuiduatur per materiam, vt corpus, neque per suppositum, vt Angelus. Aliquid est etiam in loco, partim circumscriptiue, partim diffinitiue, vt corpus Christi in sacramento: quod est totum sub tota hostia, ita quod non excedit, & secundum hoc est circumscriptiue: est quoque sic sub hostia quod non vbique, & sic est ibi quodammodo diffinitiue. Corpus autem Christi licet non sit vbique, cum sit creatura, nec æquari possit in huiusmodi Creatori, in pluribus tamen locis est, idest, sub diuersis hostiis: & hoc est propter vnionem carnis ad Verbum, vnde merito habet amplius, quam alia creatura, scilicet, quod in locis pluribus possit esse. Ex prædictis patet, quod esse vbique simpliciter soli conuenit Creatori, sed in loco vno esse, conuenit creaturæ. In pluribus vero locis esse, sed non vbique, conuenit corpori Iesu Christi.

Nota quod Deus est multipliciter in rebus, scilicet per naturam, & sic est vbique potentialiter, præsentialiter, essentialiter. Item per gratiam, sic est in bonis. Qui manet in me, & ego in eo, hic, &c. item per gloriam, sic est in rationali virtute animæ, vt veritas: in concupiscibili, vt bonitas: in irascibili, vt potestas. Item per vnionem: sic fuit in vtero Virginis vnitus humanæ naturæ, & in sepulchro vnitus carni, & in inferno vnitus animæ Christi. Item Deus dicitur esse alicubi per occultorum reuelationem. In Genesi. Vere Deus est in loco isto. Item per vestigiorum eius excellentem repræsentationem: sic dicitur esse in cœlo, quia ibi maxime relucet sua potentia: sapientia, bonitas. Item per naturæ identitatem, sicut est Filius in Patre, & Pater in Filio, & Spiritus sanctus in vtroque. Item per miraculorum operationem. In Exodo: Digitus Dei est hic. Item, per conseruationem, & gubernationem, sic est in mundo. Item Deus est in seipso vt α, & ω: secundum illud.

Dic vbi tunc esset, cum præter eum nihil esset?
Tunc vbi? nunc in se. quoniam sibi sufficit ipse.

Per quod patet solutio quæstionis quorumdam simplicium, qui quærunt, Vbi Deus fuerit priusquam mundus esset. vbi tunc esset, &c. Item ipse est in mundo sicut Rex in regno. Bernardus: Deus vbique regnat, vbique imperat, vbique maiestas eius omnia replet, & complectitur vniuersa. Item in angelo, vt decor, inquantum veritas in anima, & sicut sapor, inquantum bonitas. Item in Ecclesia est, sicut paterfamilias in domo. Vnde illud: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Item in electis, vt liberator à malis, adiutor in bonis, & hoc est quod dicit Bernardus: Deus est in creaturis, mirabilis: in hominibus, amabilis: in Angelis, desiderabilis: in seipso incomprehensibilis: in reprobis, intolerabilis. Item in damnatis, vt terror & horror. Augustinus: Qui te dimittit, quo it? nisi à te placato ad te iratum. Non enim manum Domini possumus effugere, Psalmus: Si ascendero in cœlum, tu, &c. Si vero dubitatur, vtrum Deus sit in diabolo: Sciendum quod quædam nomina sunt, quæ important naturas, prout naturæ sunt, in his concedendum est quod Deus insit. Sunt alia per quæ intelliguntur deformitates, vt diabolus: de quibus non est dicendum quod Deus insit, nisi addatur inquantum spiritus est, vel aliquid tale. Deus est in anima fideli, vt sponsus in thalamo, rex in regno, turris in castro. Item sicut magister in scholis, fons in hortis, lux in tenebris. Item sicut thesaurus in agro, vinum in cellario, carbunculus in auro. Item sicut manna in arca, sigillum in charta, medicina in apotheca. Item sicut cithara in conuiuio, imago in speculo, mel in fauo. Item sicut fructus in arbore, oleum in lampade, lilium in conualle.

(Ioan. 15. a; Gen. 28. c; Ioan. 10. f; Exod. 8. c; Apoc. 1. b; Matt. 28. d; Ber. in medit. cap. 1.; Psal. 138. a)

CAPVT XVIII.

De Aeternitate Dei.

SIcut Deus vbique est, & tamen nullo loco circumscribitur, vel continetur, sic æternus est: & tamen nullo tempore mensuratur. Non enim ei competit tempus præsens, nec preteritum, nec futurum. Nam tempus præsens manens esse non habet, quia pertransit, Deus autẽ semper manet idẽ. Vnde Hilar. Esse nõ est accidens Deo, sed subsistens veritas, & manens causa. Similiter tempus preteritum modo non est, nec habet esse subsistens: sed de Deo dicitur, in Psalmo: Ipsi peribunt, tu autem permanes. Similiter tempus futurum non est, sed expectatur, Deus autem semper est. Vnde Mercurius: Sola monas est α, & ω, sine α, & ω, hoc est quia Deus est principium, sine principio, & finis sine fine. Cum enim simplex sit omnino, non habet in se principium contrarietatis, quod est causa corruptionis. Quid autem sit æternitas secundum rem, sciendũ quod proprie dicitur diuturnitas sine principio, & sine fine, & mutabilitate. & secundum hoc conuenit æternitas soli diuinæ naturæ in qua est diuturnitas immensa. Æternitas vero secundum etymologiã dicitur quasi extra terminos, quia termino caret, tam initiali, quam finali: sed secundum diffinitionem Boetij in libro de consolatione, Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.

Ad huius diffinitionis intelligentiam notandum, quod in quibusdam est determinabilitas simpliciter, quia ex parte ante, & ex parte post, vt sunt generabilia, & corruptibilia, ad quorum differẽtiam ponitur interminabilis. Et bene ponitur illud per negationem, quia simplicia & præcipue diuina nullo modo melius manifestantur quã per remotionem, vt ait Dionysius. Et huius ratio est, quia simplicium esse non potest intellectus perfecte cõprehendere, & ideo ex negationibus eorum, quæ ab ipsis remouentur, manuducitur intellectus ad ea aliqualiter cognoscenda. Item in quibusdam est interminabilitas essentiæ, sed non vitæ: vt in corporibus cœlestibus, ad quorum differentiam additur, vitæ. De Deo autem dicit Apostolus quod solus habet immortalitatem. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est, ipsa mutatio: quia facit in ea aliquid non esse, quod prius erat. Vnde & homo quando nascitur, quodammodo incipit mori. In quibusdam autem est interminabilitas vitę sed tamen cum miseria, & infelicitate, vt in dæmonibus, & damnatis: ad quorum differentiam additur possessio, in cuius intellectu est iucunditas felicitatis, quia tunc possessio alicuius rei iucunda dicitur quando ad libitum habetur. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio, sed nõ tota, vt in hominibus beatis ante iudicium: quorum est beatitudo secundum partem animæ, & non corporis: ad quorum differentiam dicitur tota, quia totum est quod non est diminutum, vel cuius nihil est extra. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota, vt in Angelis beatis ante iudicium, quia secundum totam sui substantiam habent felicem, & interminabilem vitam, sed non simul, cum aliqua sit in eis successio reuelationum, & gaudiorum: ad quorum differentiam ponitur simul. In quibusdam est interminabilis vitæ possessio tota simul, sed tamen non perfecta, eo modo quo dicimus perfectum nullo indigens, sicut est in Angelis, & in hominibus beatis post iudicium: ad quo-

(Psal. 101. d; Boet. de cõsolat. lib. 5. pros. 6.; Dionys. de diu. nom. c. 7. post med.; 1. Tim. 6. d)

ad quorum differentiam additur perfecta, id est, nullo indigens ad suum beatum esse.

Patet igitur ex prædicta diffinitione, quod tres ponuntur ibi conditiones, quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata, quæ Deus est, scilicet interminabilitas, ibi, *Interminabilis vitæ possessio*. Item inuariabilitas, ibi, *tota simul*: nihil enim variabile est in Deo, sed totum simul. Item simplicitas, ibi, *perfecta*. Illud enim summe perfectum est, cui non est possibilis aliqua additio. Per primum separatur Deus ab omni corruptibili. Per secundum ab omni variabili. Per tertium, ab omni composito. Item nota quod illud quod caret principio & fine, dicitur æternum, vt Deus, cuius esse interminatum est. Sed quæ principium habent, & carent fine, dicuntur perpetua, vt Angelus, & homo. Quæ vero principium & finem, habent, dicuntur temporalia, vt sunt corruptibilia, sicut vegetabilia, bruta, & sensibilia, & huiusmodi.

CAPVT XIX.

De incommutabilitate Dei.

IMmutabilis est Deus, & impermutabilis, & incommutabilis. Immutabilis quia non cadit in eo motus accidentalis, scilicet accidentium. Leo Papa: Simplici naturæ diuinitatis nihil addi, vel diminui potest: quia semper est quod est. Item nec diminutio. Malachias: Ego Deus, & non mutor. Item nec alteratio, Iacobus: Apud quem non est transmutatio, &c. Item nec secundum locum mutatio, quia vbique præsens. Hieremias: Cælum & terram impleo. Impermutabilis autem est, quia non cadit in eum motus substantialis, quia est de non esse ad esse generatio, quia initium non habuit, nec ille, qui est de esse ad non esse, vt quia finem non habebit: illud enim solum in nihil est vertibile, quod est de nihilo. Incommutabilis est etiam Deus, ex eo quod non cadit in eum motus ex operatione. Nam soli Deo conuenit in operatione quietum esse. Vnde Boetius:

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri.

(Malac. 3. b; Iac. 1. c; Hiere. 23. e; Boet. lib. 3. de consolat. metr. 9.)

Vnde quando Deus facit aliquam rem, non fit in ipso Deo aliqua mutatio, sed in re circa quam operatur. Quod autem fecit Deus prædicare subuersionem Niniue, & prædicere mortem Ezechiæ, quorum neutrum accidit, in talibus non mutauit Deus consilium, quod ab æterno secum habuit, sed sententiam, quæ respectum habuit ad ipsa negotia: quia Niniue subuertenda erat secundum merita: & Ezechias moriturus erat secundum causas inferiores: sed hæc non imposuerunt necessitatem diuinæ potentiæ.

(Ion. 3. a; Isa. 38. a)

Item tres distinguuntur motus, scilicet naturalis, voluntarius, & violentus. Naturalis est quo naturaliter res tendunt ad locum proprium. Motus autem violentus est, quando coguntur res esse extra locum proprium: sed motus voluntarius est in hominibus, vel in Angelis: nam bruta naturaliter mouentur, quando currunt, vel mouentur, vel operantur: & iste motus est medius inter naturalem, & violentum: quia partim est naturalis, scilicet inquantum voluntas coniungitur suo actui, sicut causa suo effectui: & partim est violentus, inquantum scilicet mouentur membra contra motum suum naturalem: propter quod etiam lassantur, quæ ex motu naturali numquam lassarentur.

Igitur primo modo motus non est in Deo, scilicet naturalis, & hoc probatur per quattuor rationes. Prima est, quia omnis motus est ad quietem, & propter indigentiam, sicut dicit Philosophus: sed Deus nullius eget. Secunda est, cum sit vbique non habet necesse de loco ad locum moueri. Tertia est, quia non est in eo grauitas vel leuitas, propter quam sursum & deorsum moueatur. Quarta est, quod cum Deus in seipso semper maneat, non habet necesse locum proprium, & sibi naturalem extra se quærere, sicut aliæ creaturæ. Item secundo modo non mouetur, scilicet motu violento, quia non fit ei violentia. Iob: Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Item tertio modo non mouetur, scilicet motu voluntario, quia in opere non lassatur, vt animalia. Præterea nostra mens est instabilis, quia modo proficimus, modo deficimus, modo reminiscimur, modo obliuiscimur, modo volumus, modo nolumus, modo diffusis cogitationibus, atque affectionibus, & consiliis huc atque illuc vagamur. Deus autem semper se habet æqualiter, & immobiliter.

(Iob 9. a)

Item alius est motus circularis, alius rectus, alius obliquus. Circularis est corporum superiorum, prout firmamentum mouetur secundum formam quidem, vt dicit Philosophus, non secundum substantiam. Hoc est dicere, quod non mouetur ad locum, sed in loco. Motus autem rectus sursum est, vel deorsum, secundum quod corpora inferiora mouentur propter leuitatem, vel grauitatem. Motus obliquus compositus est ex recto & circulari: vnde quod reflectitur, habet à motu circulari: quod vero linealiter procedit, habet à recto. Nullo autem istorum modorum mouetur Deus, quia proprietates istorum motuum non conueniunt ei. Possumus autem dicere, quod isti motus Deo conueniunt mystice, vt dicatur moueri motu circulari, omnia regendo, & gubernando. Item motu recto, bonos remunerando. Item motu obliquo, peruersos à peccato mundando. Eodem modo posset dici quod Deus mouetur motu naturali, quo solita scilicet bonitate omnibus creaturis pro captu earum se communicat. Item motu violento quo peccatores iuste damnat. Item motu voluntario, quo cuncta in esse conseruat. Sic potest exponi dictum Philosophi, qui assignauit motum à centro, & ad centrum, & circa centrum, quoniam Deus mouetur ad centrum in Incarnatione, & à centro in Ascensione, & circa centrum in prædicatione. Propter hæc & his similia dicitur in libro Sapientiæ: Spiritus sanctus est mobilis, & stabilis: mobilis, quia facit sanctos mobiles ad bene operandum, & in bono proficere. Stabilis autem, quia dat in bono perseuerare: vel mobilis in via, stabilis in patria: vel mobilis in actiuis, stabilis in contemplatiuis: vel mobilis in aliis sanctis, stabilis in Christo. Isaias: Requiescet super eum spiritus Domini, &c. Sciendum quod quædam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem & essentiam, vt scire: quædam secundum causalitatem, & non essentiam, vt comedere & currere: quædam secundum essentiam, & non causalitatem, vt creare & iustificare: quædam auctoritate, vt docere, & prædicare: quædam nec sic, nec sic, vt peccare & mentiri, & huiusmodi.

(Sap. 7. a; Isa. 11. a)

CAPVT XXI.

De simplicitate Dei.

SImplex est Deus, & Angelus & anima, sed differenter: quia in Deo idem est quod est, & quo est: & hæc est perfecta simplicitas. Bernardus: Hæc sola increata natura hanc sibi vendicat simplicitatem, vt non aliud, & aliud alibi, & alibi, modo, & modo inueniatur in ea, nempe quod habet, & quod est, semper, & vno modo est. Sed in Angelo, & in anima differunt quod est, & quo est: & ideo est ibi quædam alteritas, & compositio quantitatis. vnde Mercurius: In supercælesti est vnitas, in cœlesti alteritas, in subcælesti pluralitas. Simplex est itaque Deus in essentia, quia nihil ei accidens esse potest, immo perfecta simplicitas ibi est, cum non sit ibi possibilis additio: quia quidquid est in Deo, Deus est. vnde Leo Papa: Simplici diuinitatis naturæ nihil addi, vel minui potest: quia semper est quod est, cui proprium est sempiternum esse, cui idem est viuere & intelligere. Verumtamen multiplex est in donis. Apostolus: Alij datur sermo sapientiæ, &c. Iacobus: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, &c. Non enim in Deo est compositio partium integralium vt in domo, nec partium potentialium, vt in anima: nec generis & differentiarum

(Ber. in Cant. serm. 80. post med.; 1. Cor. 12. a; Iac. 1. c)

tiarum, vt in specie, nec materiæ & formæ, vt in corporibus: nec coaceruationis vnitatum, vt in numero: nec quod est, & quo est, vt in Angelo: nec substantiæ & accidentis, vt in indiuiduo: nec corporeæ substantiæ & incorporeæ, vt in homine. De his Bernardus: Non partibus constat Deus, vt corpus: nec affectibus distat, vt anima: nec formis substat, vt omne quod factum est. Hoc etiam ostenditur ratione, quia cum omne compositum sit posterius omnibus suis componentibus, nec primo principio quidquam sit prius, oportet Deum, qui est primum principium, non esse compositum. Præterea nullum compositum est totum suum esse: Deus igitur cum sit suū esse, non erit compositus. Vnde Bernardus: Non est formatus Deus, forma est: non est effectus Deus, omnium efficiens causa est: non est compositus Deus, simplex est.

Ber. lib. 5. de consid. c. 7. cir. med.

CAPVT XXI.

De excellentia Dei.

Diuinæ dignitatis excellentia tanta est, quod mens de Deo cogitans deficit, cum sit incomprehensibilis. Sensus eum non percipit, cum sit inuisibilis, lingua ipsum non explicat, cum sit ineffabilis: locus eum non capit, cum sit incircumscriptibilis: scriptura eum non explicat, cum sit inæstimabilis: tempus eum non mensurat, cum sit immensurabilis, virtus eum non attingit, cum sit inaccessibilis: desideria & vota transgreditur, cum sit insuperabilis, vel incomparabilis: & breuiter omnis creatura ad Deum comparata, defectum habet: quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Ecce patet quod diuina excellentia nullius eget, quia sibi sufficit. Non enim indiget corpore, vt sit, nec loco, vt alicubi sit: nec tempore, vt aliquando sit: nec causa, vt aliunde: nec forma, vt materia sit: nec subiecto in quo subsistat, vel cui assistat.

Sunt & alia quæ soli diuinæ maiestati conueniunt, & nulli alij creaturæ, in quibus excellentiæ suæ dignitas apparet: sicut est esse omnipotentem, omnibonum, omniscientem: quia cognoscit omnia præsentia, præterita, & futura: & omnia singularia simul actu solus cognoscit: ea quæ subsunt libero arbitrio, & cogitationes hominum solus cognoscit per seipsum. Item ad ipsum solum pertinet vbique præsentem esse, de nihilo res creare, in instanti operari, in operatione quietum esse, mirabilia facere ex auctoritate, de qualibet creatura facere quod vult, voluntatem hominis cognoscere*, in ictu oculi mortuos suscitare, essentiæ animæ illabi, peccata dimittere, gratiam infundere, in igne perpetuo corpus seruare.

** als. cogere.*

Quando aliquid creaturæ conuenit, quod competit Creatori, tamen excellentius de Deo dicitur, vt si in creatura est potentia, in Deo sit summa potentia: si sapientia, in Deo sit summa sapientia, & sic de alijs. Vnde & huiusmodi dicuntur de Deo in superlatiuo, propter quod Deus dicitur potentissimus, sapientissimus, iustissimus, optimus, pulcherrimus, & sic de alijs. Augustinus in libro de Trinitate: Oportet Deum vt est, & summe viuere, & cuncta sentire atque intelligere, nec mori, nec corrumpi, nec mutari posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur. Potest etiam præter auctoritatem ratiocinari: quia bona sunt excellentius in Deo, quam in creatura, quia semper est aliquid nobilius in causa, quam in causato: videmus etiam quod aqua purior est in fonte, quam in riuo. Radij quoque solis lucidiores sunt in ipso Sole, quam in aere, & dulcedo maior est in melle, quam in mellito.

Aug. lib. 15 de Trinit. cap. 4. to. 3

CAPVT XXII.

De notionibus Dei.

Notiones Dei sunt quinque, scilicet paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, & communis spiratio. Prima est Patris, secunda Filij, tertia Spiritus sancti, quarta Patris, quinta Patris & Filij. Tres primæ notiones dicuntur personales, eo quod personas faciunt, & eas proprie distinguunt: & illæ solæ sunt tres vnitates trium personarum, quibus personæ dicuntur tres: vnde licet Pater plures habeat proprietates, tamen Pater paternitate tantum vnus est, indiuisus est in se, & diuisus ab alijs. Innascibilitas autem est in Patre, & sumitur priuatiue, eo quod Pater sit à nullo: & tamen Pater notificat: sicut ouis non signata per hoc ipsum distinguitur à signatis. Similiter communis spiratio est vna notio, & illa vnitas est idem in Patre & Filio, & est distincta ab omni alia notione. Notandum igitur quod proprie loquendo, tres sunt proprietates personales, scilicet, Paternitas, Filiatio, & processio: quia personalis proprietas est, quæ vni soli personæ conuenit, & eam ab omni alia re distinguit.

Relationes vero sunt quattuor: quia vna est Patris ad Filium, scilicet, Paternitas: alia Filij ad Patrem, scilicet, Filiatio: tertia est Patris & Filij ad Spiritum sanctum, scilicet communis spiratio: quarta Spiritus sancti ad Patrem & Filium, scilicet processio.

Notiones autem sunt quinque: quia quælibet relatio est notio, & præterea innascibilitas, quæ Patri conuenit per priuationem relationis ad aliquod principium, non est relatio. Notiones habent multa nomina: dicuntur enim notiones, quia notificant personas: dicuntur etiam distinctiones, quia personas distinguunt: dicuntur relationes, quia personæ per eas ad se inuicem referuntur: dicuntur quoque proprietates, quia proprie personis insunt.

Nota regulas notionum: Nulla notio de alia prædicatur. Item quælibet notio est essentia diuina, quæ Deus est. Item omnes notiones sunt vna essentia. Item nulla notio inest diuinæ essentiæ, distinguens eam, quia ipsa non distinguit, nec distinguitur. Item notiones sumptæ abstractiue prædicantur de essentia, sed sumptæ concretiue, non: vnde bene dicitur essentia est Paternitas, sed non dicitur essentia generans. Item notio semper importat dignitatem. Item supposita notione non ponitur persona: quia aliquid conuenit notioni, quod non conuenit personæ. Notioni enim conuenit proprie distinguere: sed personæ distingui.

CAPVT XXIII.

De nominibus diuinis.

Omne nomen quod de Deo dicitur, aut essentiale, aut personale, aut notionale est. Essentialiū quædam sunt substantiua, vt Deus, Creator, & similia: quædam vero adiectiua, vt bonus, æternus, immensus, & huiusmodi. Personalia, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Notionalia sunt, vt Paternitas, Filiatio, innascibilitas, & huiusmodi. De his notandum, quod nomen substantiale, vel essentiale substantiuum, & abstractum nullo modo potest trahi ad supponendum pro persona: vnde falsæ sunt hæ, Essentia genuit essentiam, vel diuinitas diuinitatem. Actus enim generationis semper ponendus est in concreto. Sed concreta licet sint essentialia, trahi tamen possunt ad supponendum pro persona, & hæc per verba notionalia, vel per propositiones notionales, vnde veræ sunt hæ, Deus genuit Deum, Creator Creatorem, vel Deus de Deo. Similiter de nominibus quæ media sunt, vt lumen de lumine. Item hoc nomen sapientia, licet sit abstractum, vt sapiētia de sapientia, tamen potest ex vsu sumi, vt non abstractum. Essentialium autem adiectiuorum quædam prædicant pure diuinam substantiam, vt bonus, & ens: quædam essentiam diuinam connotando priuationem principij, & finis, vt æternus, vel certæ mensuræ localis, vt immensus: quædam principaliter significant essentiam diuinam, & connotant effectum in creatura actu, vt creat, iustificat, vel in habitu, vt iustus, & misericors, vel in potentia,

vt omnipotens. Sunt quædam verba, quorum nec significatio, nec modus significandi Deo cõuenit, vt currere & ambulare: nam modus est varia inclinatio animi varios eius effectus demonstrans. Modus significandi nihil aliud est, quam dispositio vocis, quæ constituit intellectum sub tali modo intelligendi, & per consequens ipsam rem. Cum ergo dicitur de Deo ambulare, vel currere, & huiusmodi, significatio horum prout sunt actu, Deo non conuenit. Modus autẽ significandi quamdam importat imperfectionem, dico quo ad motũ, qui quidem motus necessitatis conuenire nõ potest. Quædam sunt quorum significatio Deo conuenit, sed non modus significandi, vt creare, facere. Quædam sunt quorum significatio, & modus significandi Deo conuenit, vt patet in hoc verbo Exodi: Qui est, misit me ad vos.

Exo. 3. d

Et notandum quod omnia, quæ sunt perfectionis, de Deo vere dicuntur: quæ autem sunt imperfectionis non dicuntur. cum dicuntur, aut secundum assumptionem humanæ naturæ, aut translatiue dicuntur.

Item in diuinis tantum sunt duo modi prædicandi, scilicet per modum substantiæ, & per modum relationis: sed substantia continet vnitatem, & relatio multiplicat Trinitatem.

Quædam sunt nomina quæ de Deo dicuntur æternaliter, vt Dominus & misericors, quæ connotant effectum in creatura secundum habitum. Quædam vero temporaliter, vt dominator & miserator, quæ cõnotant effectum in creatura secundum actum. Quædam pluraliter, vt personæ. Quædam singulariter, vt Deus. Quædam proprie, vt proprietates personarum. Quædam appropriate, vt potentia, sapientia. Quædam positiue, vt iustus. Quædam priuatiue, vt immortalis, & hæc magis proprie dicuntur de Deo, quã positiua: quia melius dicitur de Deo, quod nõ sit quam quid sit. Quædam translatiue, sicut leo, quæ symbolice de Deo dicuntur, vt agnus, leo. Duplex est enim theologia, symbolica videlicet, & mystica. Symbolica nominat Deum ab inferiori, mystica à superiori. Symbolica nominat Deum per conuenientiam rerum, cum dicitur leo, agnus, & huiusmodi. Mystica vero, id est, occulta, nominat Deum per hoc, quod in occulto de ipso sentit per intellectualem visionem, siue contemplationem, vt quando nominat Deum suauem, dulcem, dilectum, & huiusmodi. Vtrobique tamen per creaturas nominatur, sed in symbolica per exteriores, in mystica per interiores, & digniores affectus, quos anima supra se recipit: & ita imponit per donum sapientiæ, cuius proprium experimentum est cognoscere qualis sit Deus. Quædam dicuntur collectiue, vt Trinitas, trinus. Quædam relatiue, vt æqualis, similis. Quædam respectiue ad creaturas, vt Creator, refugium. Et hæc nomina non dicunt relationem Dei ad aliud: sed aliorum ad Deum. Duo sunt principalia nomina Dei, scilicet Qui est, & bonum. Per primum significatur Dei esse absolutum in se, & sic consideratur, vt infinitum, quia Qui est, dicit substantiam infinitam, cum sit nomen infinitum. Per secundum notatur esse diuinum, vt causa: fecit enim Deus omnia propter bonitatem suam. In Theologia supponitur quid, & hoc per nomina essentialia, vt Deus, diuinitas, potentia, essentia, natura. Item supponitur quis, vt cum supponitur persona. Item supponitur quæ, vt cum supponitur ratio. Præterea per neutrum genus dicitur substantia diuina; per masculinum persona, per fœmininum notio: & per hoc patet, quod non debet cantari in hymno, Vnus Patri cum Filio: quia Pater, & Filius non sunt vnus in persona, sed vnum in substantia: vnde magis cantandum est, Vnum Patri cum Filio.

CAPVT XXIV.

Deus est ineffabilis.

Nihil digne vel proprie de Deo dicitur propter eius excellentiam. Non enim per nomina propria de Deo loquimur, quia nomina significant substantiam cum qualitate, & ita intelligitur ibi compositio formæ, cum materia, quæ in Deo non est. Nec per pronomina, quia de Deo dicta cadunt à demonstratione: non enim potest esse ibi demonstratio ad sensum, cum sit incorporeus: nec demonstratio ad intellectum, cum sit incognoscibilis. Si ergo dicis, quod huiusmodi pronomina secundum Priscianum, si cadunt à demonstratione, cassa essent & vana: dicendum est quod ibi est demonstratio ad fidem. Nec per verba quæ cum modis & formis, cum tempore, sine casu, agendi, vel patiendi significatiua sunt: sed talia non cadunt in Deum. Neque per participia, quæ sequuntur naturam nominis, & verbi. Nec per alias partes orationis, quæ non sunt subiicibiles, vel prædicabiles. Ex his patet, quod Deum non possumus notificare per diffinitionem: sed qualitercumque per circumlocutionem. Vnde Bernardus: Quid est Deus? ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Quid est Deus? voluntas omnipotens, beneuolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, inuisibilis, inaccessibilis in se, in suis spectabilis, & solus mirabilis.

Ber. de cons. lib. 5. cap. 6. & 7.

Multis modis asseritur aliquid de Deo. Primo, per naturalem rationem, quæ dictat, quod vnus Deus est remunerator bonorum, & punitor malorum. Secundo, per fidem, qua dicimus Deum vnum esse in substantia, & trinum in personis. Tertio, per sacram Scripturam. Quarto, per rationes probabiles. Quinto per exteriores prædicationes. Sed in his duobus vltimis modis non est innitendum, nisi firmitatem habeat ab aliquo prædictorum trium. Est enim regula, quod quicumque asserit aliquid de Deo, quod non est sibi certum, per naturalem rationem, vel per fidem, vel per sacram Scripturam præsumit, & peccat.

Heb. 11. b

CAPVT XXV.

De ideis & libro vitæ.

Ideæ rerum, & exemplar, & rationes sic in Deo sunt, quod idea importat causam efficientem conformem effectui, sed exemplar causam formalem, ratio vero causam finalem. Deus enim omnium rerum est principium, à quo sunt; forma & exemplar, ad cuius imitationem sunt; & finis ad quem sunt. Hæc tria sic à se differunt, quod exemplar vnum est, quia exemplar connotat causalitatem: causata vero in causa sunt vnum: sed rationes, & ideæ sunt plures: quia ista respectu rerum dicuntur. Sunt itaque plures ideæ quæ connotant cognitionem. Cognoscibilia autem distinguuntur in cognoscente. Similiter & rationes in Deo plures sunt: quia singula causata sunt suis rationibus. Absurdum enim est dicere, vt ait Augustinus, equum creatum esse ea ratione, qua hominem.

Aug. li. 83. quæst. q. 46. tom. 4.

Sciendum autem est, quod duplex est pluralitas: vna quidem est rerum, & secundum hoc non sunt plures ideæ, siue exemplaria in Deo; immo vna res est, quæ omnium est exemplar, scilicet essentia diuina, quã omnia imitantur, inquantum bona sunt: alia vero est secundum intelligentiæ rationem, & secundum hoc plures ideæ sunt in Deo. Quia omnes res inquantum sunt, diuinam imitantur essentiam, prout est imitabilis, non tantum vno modo, sed diuersimode, & secundum diuersos gradus. Sic igitur diuina essentia secundũ quod est imitabilis, hoc modo ab hac creatura est propria ratio huius creaturæ. & similiter de alijs. Vnde secundum hoc plures ideæ in Deo sunt, quia intelligitur diuina essentia secundum diuersos respectus, quos res habent ad ipsam, eam imitantes diuersimode: huiusmodi autem non solum intelliguntur ab intellectu creato, sed etiam ab increato ipsius Dei. Sic enim Deus & ab æterno sciuit, quod diuersæ creaturæ diuersimode ipsius essentiam essent imitaturæ, & secundum hoc ab æterno

fuerunt

fuerunt in mente diuina, plures ideæ secundum quod intelliguntur, sicut rationes propriæ rerum intellectæ in Deo. hoc enim importat nomē ideæ, vt sit, scilicet quædam forma intellecta ab agente, ad cuius exemplum exterius opus producere intendit. Dicendum est ergo, quod licet rationes in Deo & ideæ sint vna veritas, vna lux, & vna essentia, dicuntur tamen plures rationes, & ideæ, propter pluralitatem ideatorum: cuius exemplum habemus in naturis. Videmus enim quod omnes lineæ circuli vniuntur in centro: remotæ autem à centro differunt ab inuicem. Item ideæ sunt, vt dicit Augustinus, formæ principales rerum, quæ diuina intelligentia continentur. Dicendum est igitur, quod sicut in mente artificis prius est forma rei, quam opus exeat, sic ideæ rerum ante mundi constitutionem in mente Creatoris erant. Non enim aliquid extra se aspiciebat secundum quod mundum faceret. Ex hoc patet quod omnis creatura prius in Deo existit, quam in seipsa: vnde cum ab ipso per creationem processit, ab ipso quodamodo distare cœpit: vnde rationalis creatura ad ipsum redire debet, cui primo coniuncta fuit, antequam esset, & hoc per ideas, quæ non aliud, quam ipse Deus sunt, & erunt: sic autem ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur.

Augus. vbi sup. prox.

Eccli. 1. a

Ioan. 1. a

Res, prout sunt in Deo, dicuntur vita, quæ importat rationem boni. Quod factum est in ipso vita erat. Dicuntur etiam lux, quæ importat rationem veri. Augustinus super Genesim: Creaturæ in Deo sunt lux: hæc ideo dicuntur, quia in Deo non sunt mala, neque falsa.

Differentia est inter exemplar, & librum vitæ, & speculum. Exemplar enim dicitur respectu rerum, vt redeuntium tamquam ad causam primam, quia connotat creaturam, vt supra dictum est. Speculum dicitur respectu rerum euntium. De libro vitæ dicit Hugo de sancto Victore, quod liber vitæ est cuius origo æterna, incorruptibilis essentia, cognitio vera, scriptura indelebilis, inspectio desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas imperscrutabilis: verba innumerabilia, tamen vnum Verbum omnia. Idea vero, moraliter loquendo, multipliciter est in Deo, scilicet sicut ramus in arbore, apis in flore, nauis in littore, sessus in thalamo, thesaurus in agro, scriptura in libro, auicula in nido, piscis in riuo: quælibet res in sibi proprio, stella in firmamento, imago in speculo, cera in sigillo, gemma in auro, mel in fauo.

CAPVT XXVI.

De appropriatis diuinis personis.

QVamuis omnia essētialia omnibus personis æqualiter conueniant, appropriatur tamen Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas: & hoc propter exclusionem carnalis intellectus, ne videlicet Pater ratione antiquitatis credatur impotens, Filius ratione iuuentutis credatur insipiens, Spiritus sanctus ratione impetuositatis credatur crudelis. Hæc ratio pertinet ad simplices, alia pertinet ad sapientes, scilicet quod potentia naturaliter præcedit sapientiam, & vtraq; bonam voluntatem. De attributis itaque est loqui dupliciter, aut secundum rem, & sic omnino idem sunt, nec appropriantur: aut secundum rationem, & sic eorum quædam appropriantur, quædam non. nam appropriatio nihil aliud est quam specialis attributio ratione alicuius conformitatis cum proprio illius personæ, sicut potentia habet similitudinem cum Patre, qui est principium vniuersale: & sapientia cum Verbo, & bonitas cum amore. Prædictā appropriationem habet consuetudo scripturarum, quæ opera manifestatiua potentiæ attribuit Patri, sapientiæ Filio, bonitatis Spiritui sancto. Alia est appropriatio Hilarij. Æternitas in Patre, qui non habet principium inceptionis in se, nec principium essendi ab alio. Species in imagine, id est, in Verbo, quia summe pulchrum. Vsus in munere, hoc est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum, & communicatiuum est. Istud per alia verba sic insinuat Augustinus: In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatisque concordia. Conuenit autem Patri vnitas: quia sicut vnitas à nullo descendit, & omnis pluralitas ab ea defluit, sic Deus Pater à nullo est, & aliæ personæ ab ipso sunt. Præterea sicut vnitas de se gignit vnitatem, ita de se pater gignit alterum se, id est, Filium. In Filio dicitur esse æqualitas, quæ æquatur Patri non solum in potentia, & sapientia, & bonitate: sed etiam in hoc, quia sicut Pater dat suam bonitatem alteri personæ, sic & Filius. In Spiritu sancto autem vnitatis, æqualitatisque concordia, seu connexio: quia est amor amborum, id est, Patris & Filij. Item quarta appropriatio est, quod in Patre est ratio principiandi & originandi, quia summe primum. In Filio vero ratio exemplandi, quia summe pulchrum: sed in Spiritu sancto ratio faciendi, quia summe bonum.

Hil. lib. 2. de Trin.

Aug. lib. 1. de Doctri. Christiana cap. 5. to. 3.

CAPVT XXVII.

De potentia Dei.

POtentia Dei duplex est, scilicet absoluta, & ordinata. Multa vero potest primo modo, quæ non potest secundo modo, quia multa subsunt suæ potentiæ, quæ non congruunt sibi vt nunc facere, posset tamen facere ea congruentia, & sic posset ea facere. Deus omnia potest omnibus modis, quia potest perducere de non esse in esse, & hoc per creationem. Item potest ex incompleto completum facere, & hoc per propagationem. Item potest mutare vnum completum in aliud completum, sicut patet in transsubstantiatione panis in corpus Christi. De talibus dicit Augustinus: Demus Deo aliquid posse, & nos intelligere non posse. Potentia Dei apparet in mundi initio, medio, ac fine. In principio quidem, quia res creauit de nihilo. In medio autē, quia res ne in nihilum vertantur, sua potentia continet. In fine vero, quia mortuos mira celeritate suscitabit. Apparet quoque potentia Dei in rebus spiritualibus, quia cum diabolus potestatem habeat in nobis immutandi sensum, & phantasiam; Angelus autem habeat potestatem super hoc, & super intellectum, solus Deus non solum habet potestatem super tria prædicta, sed etiam potest mutare voluntatem. Augustinus dicit, quia Deus nos præuenit vt velimus, & subsequitur ne frustra velimus. Licet Deus sit omnipotens, tamen non attribuuntur ei actus culpabiles, mentiri, & male velle: nec pœnales, vt metuere, & dolere: nec corporales, vt comedere, & dormire, nisi forte transsumptiue: nec actus inconuenientes, qui possunt esse tripliciter. Primo, si aliquis actus contradicit diuinæ potentiæ, vt est facere maiorem se. Secundo, si contradicit eius veritati, vt est facere aliquid simul esse, & non esse, vel quod præteritum sit futurum. Tertio, si contradicit eius bonitati, vt damnare Petrum, & saluare Iudam. De his Anselmus: Quodlibet inconueniens, etiam minimum impossibile est apud Deum. Horum autem hæc est ratio. Quia potentia Dei cum sit perfectissima, nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec eget aliquo. vnde non potest deficere peccando, nec succumbere patiendo, nec egere subsidium in temporalibus quærendo, ac per hoc, nec culpabilia, nec pœnalia, nec materialia potest.

Aug. ep. 3. ad Volusiā. ante med. to. 2.

Gen. 1. a

1 Cor. 15. g

Aug. in Enchirid. cap. 32. tom. 3.

Dicendum quoque quod Deus potest omnia per se, vel per creaturam. Illa dico omnia posse, quæ sunt potentiæ: hoc autem ideo dicitur, quia posse peccare non est potentiæ, sed infirmitatis: Deo autem competit perfectum posse, & perfectum dominium. de quo Dionysius: Dominatio est non peiorum excessus tantum, sed omnium pulchrorum, & bonorum omnimoda, & perfecta possessio firma, & non valens cadere fortitudo. Notandum ergo quod quędam operationes attribuuntur Deo secundum causalitatem, & secundum essentiam, vt scire: quædam secundum causalitatem, & non secundum essentiam, vt comedere, currere: quædam secun-

Dionys. de diuin. nom. cap. 12.

secundum essentiam, & non secundum causalitatem: vt iustificare, creare: quædam nec sic, nec sic, vt peccare.

CAPVT XXVIII.

De virtute miraculorum.

Ex August. cont. Faust. lib. 17. c. 3. tom. 6.

QVoniam per diuinam potentiam fiunt miracula, ideo de miraculis est agendum, Augustinus autem illum vocat miraculum, quidquid arduum, aut insolitum, supra spem, vel facultatem admirantis apparet. Ad hoc quod aliquid sit miraculum, quattuor requiruntur, vel concurrunt: primum est quod sit à Deo: secundum quod sit præter naturam: tertium quod sit euidens: quartum quod sit ad fidei corroborationem. Vnde si aliquid istorum quattuor defuerit, mirum dici potest, non miraculum.

Nota quod quædam sunt supra naturam, quædam contra naturam, quædam præter naturam. Supra naturam sunt illa, quibus non est simile in natura, nec in potentia naturæ, sicut est virginem parere. *Luc. 2. c* Contra naturam sunt, quæ fiunt vsu contrario naturæ, tamen terminantur ad conformitatem naturæ, sicut cæci illuminatio. *Ioan. 9. f* Sed præter naturam sunt, quæ fiunt ordine simili naturæ, non tamen per principium naturæ, vt in mutatione virgarum in serpentes: *Exo. 7. a* quia illud potuisset fieri ordine naturæ per longam putrefactionem, vt patet per ea, quæ fiunt secundum rationes seminales: verumtamen quia non fuit ibi operatio naturæ, miraculum fuit.

Res quandoque producitur ab agente simili successiue, hoc attribuitur naturæ, & dicitur naturale: quandoque producitur ab agente dissimili repente, & hoc attribuitur Angelis, & dicitur mirabile: quandoq; producitur res ab agente dissimili in instāti, & hoc attribuitur Deo, & dicitur miraculum. Sciendum, quod quandoque potentia aliqua, & eius actus est naturalis, sicut visus, & videre: quandoque potentia est miraculosa, & actus eius naturalis, vt quando cæcus illuminatus videt: quandoque vtrumque est miraculosum, vt partus Virginis. Nota quod miracula vel mira fiunt quandoq; in ente, vt statio solis, & eius retrocessio: quandoq; fiunt in vegetabili, sicut quando virga Aaron floruit: quandoq; in sensibili, sicut fuit in locutione asinæ Balaam: quandoq; in ratione, sicut fuit in ambulatione claudorum, suscitatione mortuorum, in partu Virginis. *Iosue 10. c et Isa. 38. b Num. 17 e Num. 22 e Matt. 11. a*

Vt autem sciamus quando aliquod miraculum fit, nota differentiam inter rationes causales, seminales, & naturales: quia ratio causalis est potentia passiua creaturæ, absque omni dispositione naturæ, vt solummodo Deus ex ea faciat quod vult, sicut fuit in partu Virginis: & in talibus simpliciter est miraculum. Ratio autem seminalis est potentia passiua creaturæ, sed cum dispositione remota, sicut fuit in virgis, de quibus facti sunt serpentes: *Exod. 7. a* & hoc factum fuit in instanti: natura autem fecisset idem, sed non nisi paulatim per longā putrefactionem. Vnde patet, quod ea quæ fiunt secundum rationes seminales, partim sunt naturalia, partim miraculosa. Ratio naturalis est potentia cum dispositione propinqua, sicut patet in materia, quando est in vltima sui dispositione, vt formam recipiat: & secundum hunc modum est ratio naturalis in grano seminato ad productionem segetis: & hoc non est miraculum.

CAPVT XXIX.

De scientia Dei.

SCit Deus omnia præsentialiter, & simul, perfecte quoque, & immutabiliter. Præsentialiter dico, hoc est, ita limpide, ac si cuncta essent præsentialiter existentia. Simul etiam scit omnia, quia videndo se, qui sibi præsens est, omnia videt. Perfecte quoque, quia cognitio eius nec potest augeri, nec minui. Scit & immutabiliter, quia noscit omnia per naturam sui intellectus, qui est immutabilis. Dicendum ergo quod Deus cognoscit temporalia æternaliter, mutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præsentialiter, dependentia independenter, creata increate. Alia vero à se, in se, & per se. Nota differentiam inter scientiam Dei, Christi, Angeli, & hominis: quia Deus scit omnia simul: videt enim multa in vno, id est, in seipso: vnde in visione Dei non differt id quod videt, & per quod videt, quia videt se per se, & in se videt omnia. Christus autem secundum quod homo scit omnia, quæ scit Deus scientia visionis, licet non ita limpide sicut Deus. Angelus vero Deiformem habet intellectum, id est, illa quæ scit illa scientia, quæ est in Verbo, scit simul actu, sicut Deus: licet nesciat omnia quæ scit Deus. Sed homo vnum solum scit actu, quia licet videat multa, illa tamen non videt vno actu videndi, sed multis, id est, per multas rerum similitudines.

Sapientia Dei licet in seipsa non diuersificetur, diuersa tamen sortitur nomina: inquantum enim sapientia Dei cognoscitiua est possibilium, dicitur scientia, siue cognitio. Item inquantum est cognoscitiua omnium, quæ fiunt in mundo, dicitur esse visio: inquantum est cognoscitiua eorum, quæ bene fiunt, dicitur approbatio: inquantum est cognoscitiua futurorum, dicitur præuisio: inquantum est cognoscitiua eorum, quæ ab ipso Deo facienda sunt, dicitur dispositio: inquantum est cognoscitiua præmiandorum, dicitur prædestinatio: inquantum est cognoscitiua damnandorum, dicitur reprobatio.

Cognitio diuina cum sit perfectissima, omnia cognoscit distinctissime sub omnibus conditionibus, quas res habent, & propter hoc futura scit futura, præsentia præsentia, & bona approbanda, mala que reprobanda. Si autem scire volueris qualiter Deus cognoscit mala, notandum quod contingit aliquid cognosci dupliciter, aut per speciem propriam, aut per speciem alienam. Primo modo cognoscitur habitus, secundo modo priuatio. Item primo modo cognoscitur lux, secundo modo tenebræ. Eodem modo dicendum est, quod primo modo cognoscitur bonum: secundo modo malum, scilicet per speciem oppositi habitus. Nihil enim est malum, nisi boni priuatio. Vnde dicendum est, quod Deus cognoscit bonum per vnicum medium, scilicet per propriam essentiam, mala autem per duplex medium: nam per essentiam suam cognoscit habitum oppositum malitiæ, & illo habitu mediante, vt est in ipso Deo cognoscente, cognoscit defectum eius: & ideo dicitur mala à longe cognoscere.

CAPVT XXX.

De prædestinatione.

PRædestinationis diffinitiones assignantur ab Augustino quattuor. Prima est, prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei. Secunda est, prædestinatio est alicuius ad gloriam præordinatio. Tertia est, prædestinatio est propositum miserendi. Quarta est, prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. In prima diffinitione notatur diuina cognitio, in secunda electio, in tertia voluntas, in quarta directio in finem. Prædestinationis causa efficiens Deus est quantum ad effectus notatos in nomine prædestinationis. Materialis autē causa est ille, qui prædestinatur: sed formalis est modus, vel ordo prædestinationis, quia primo datur gratia, & post hoc gloria. Causa finalis est duplex, scilicet, vt simus sancti, & immaculati in conspectu Dei. *Ephes. 1. a* Nota differentiam inter hæc, quæ ponit Apostolus, scilicet vocationem, iustificationem, prædestinationem, & magnificationem. *Rom. 8. f* Vocatio enim retrahit à malo. Iustificatio respicit initiale donum gratiæ. Prædestinatio respicit gratiæ bonum finale. Magnificatio vero est bonum gloriæ futuræ. Vel dicas, quod prædestinatio gratiam præparat. Vocatio gratiam offert. Iustificatio

illam

illam confert, sed magnificatio illam per gloriam multiplicat. Sciendum quod prædestinatio non infert rebus necessitatem: sicut verbi gratia, Deus scit si iste sit comesturus hodie, vel non: nihilominus iste habet potestatem comedendi, & manum ad os porrigendi: quia si prædestinatio rebus necessitatem imponeret, multa sequerentur inconuenientia. Nam frustra proponerentur bonis præmia, & malis supplicia. Item iniuste remunerarentur boni, & punirentur mali. Item malorũ nostrorum Deus auctor esset. Item nec sperandi aliquid, nec supplicandi vlla esset ratio. Item euacuaretur libertas arbitrij quæ se habet ad vtrumque. Item nec bona facientes essent laudabiles, nec mala facientes vituperabiles. Sciendum tamen quod hoc est dupliciter. Si Deus præuidet hoc, hoc necessario eueniet: quia coniunctim est vera, diuisim falsa: & est ibi necessitas consequentiæ, non consequentis: quia licet ibi sit habitudo, siue illatio vnius categoricæ ad aliam, non tamen necesse est, quod ipsius termini sint actu. Verbi gratia, Si homo est, animal est: necessitas est consequentiæ, nõ consequentis: nam homo potest nõ esse; consequentia tamẽ necessaria manet, & de hoc habemus exemplum Boetij in libro de consequẽtiis: Si aliquis videt aliquem facientem rotam, necesse est quod iste faciat rotam: nec tamen visus eius est causa illius factionis: sic Deus videt mala illius opera, nec tamen est causa quare male operetur, veruntamen fiet si præuisum est. Item Boetij exemplum. Si aliquis haberet oculum tantæ perspicacitatis, vt videret futura, non ideo ligaret res ad euentum. Item artifex in materia nodosa bene videt defectũ effectus, nec tamen est causa effectus. Item duæ sunt paginæ libri vitæ. Vna est præsentis iustitiæ, à qua potest quis deleri. Alia est dispositionis æternæ, de qua nullus delebitur. Differentia est inter prædestinationẽ & præscientiam: quia prædestinatio est præcognitio bonorum, cum causalitate eorumdem, sed præscientia dicit præcognitionem malorum, sine causalitate, quæ potius residet penes liberum arbitriũ. Cum dicitur à sanctis, quod prædestinatio orationibus adiuuatur, non est sic intelligendum, quod temporale causet æternũ, sed hoc quantum ad effectũ prædestinationis iuuat oratio, scilicet, quantum ad gratiam & gloriam, quia secundum illa bene cooperatur liberum arbitrium prædestinationi. vnde sicut Deus aliquem saluandum præuidet, sic & modum quo saluari debet: propter quod stultus est, qui dicit: Volo facere quod placuerit, quia si saluari debeo, saluabor: vel si damnari, damnabor. Sicut stultus esset infirmus, qui diceret, Volo comedere & bibere quod placuerit: quia si curare debeo, curabor, vel si mori debeo, moriar: sic enim inutiles essent, & medici & medicinæ. Sane si Deus permittit liberum arbitrium, quod se habeat ad vtrumlibet, in malum cadere hoc non permittit, nisi iuste. Rursus si per gratiam non præueniat, nisi facit iniuriam. Cum ergo Deus malos damnat, & reprobat, operatur secundum iustitiam: quando vero prædestinat, agit secundum gratiam, & misericordiam, quæ non excludit iustitiam. Voluntate autem prima vult Deus omnem hominẽ saluum fieri, inquantum homo est. Voluntate autem secunda nõ vult iustum hominem reprobum, in quantum ipse est talis. Voluntas igitur antecedens respicit ordinem naturæ in finem, prout à Deo condita est. Voluntas vero consequẽs respicit ordinem personę, prout est libero arbitrio suo vel alieno in finem disposita. Hæc de realitate dicta sunt: sed logice loquendo, cum saluatio hominis sit contingẽs, de necessitate determinari non potest: quod enim potest esse, & non esse, contingens est, non necessarium, sicut Philosophus dicit in libro secundo Peri hermenias. Si vero quæritur, quare Deus hunc prædestinauit, siue elegit, & non illum: hoc inexplicabile est in hac vita mortali. Propter hoc enim exclamat Apostolus ad Romanos: O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Si enim dicimus, quod reprobi repellunt gratiam, hoc verum est; sed si essent prædestinati, non repellerent finaliter. vnde Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum. Gratia, inquit, quæ occulte humanis cordibus attribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, vt duritia cordium auferatur.

Mat. 25. d — 1. Tim. 2. b — Rom. 11. d

CAPVT XXXI.

De præscientia, & reprobatione.

Reprobatio est, vt ait Augustinus, præscientia iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorumdem. Vnde nota quod in reprobatione tria sunt. Vnum est præuisio iniquitatis ab æterno: alterum obduratio, id est, subtractio gratiæ in præsenti: tertium est præparatio pœnæ æternæ in futuro. Si ergo quæritur, vtrũ reprobatio habeat causam ex parte hominis, quantum ad primum meritum hominis non est causa: quo ad secundum causa est meritoria, & effectiua: quo ad tertium causa est meritoria, sed non effectiua. E contra in prædestinatione sunt tria contraria, sed in hoc est differentia, quia prædestinatio præparat gloriam secundum beneplacitum, sed reprobatio præparat pœnam secundum exigentiam meritorum. De obduratione, sciendum est quod translatiue dicitur secundum similitudinem obdurationis in corporibus. Duritiam autem corporum sequitur triplex proprietas, primum est inhabilitas ad suscipiendum impressionem: secundum est stabilitas ad permanendum in se: tertium est fortitudo ad resistendum. His modis dicitur cor obdurari tripliciter. Vno modo per inhabilitatem ad suscipiendam gratiam. Secundo per firmã adhæsionem ad peccatum. Tertio modo per rebellionem diuinarum inspirationum, & mandatorum Dei. Vnde quærendũ est, vtrum præsciti à Deo possint demereri, & econtrario. Ad quod dicendum, quod scientia Dei comparatur ad res creatas, sicut ars ad artificiata: vnde sicut ars non solum est cognoscitiua, sed etiam factiua eorum, quæ secundum artem fiunt, eorum vero quibus ab artis regulis deuiatur, est cognoscitiua tantum: ita & scientia Dei est cognoscitiua, & factiua omnium bonorum, malorum autem non, siue peccatorum, quæ sunt deuiationes quædam ab æterna lege ipsius. Scientia Dei est cognoscitiua tantum, non autem causatiua: & sic patet quod boni, qui per gratiam iustificantur, non solum sunt ab æterno cogniti à Deo, sed etiam ad gratiam habendam electi. Peccatores autem neque iustificantur per gratiam, nec sunt electi, vel præordinati à Deo ad culpam, sed solum præsciti, quod non sunt gratiam habituri, sed suæ naturæ relinquendi: quia non omne agens potest id, quod est supra se. natura sibi relicta non potest in actum meritorium, qui est supra facultatem naturæ: potest autem in actum peccati, qui est demeritorius, sicut & in aliquid infra naturam humanam existens. homo enim peccando descendit à dignitate suæ naturæ: & sic patet, quod præsciti possunt demereri facilius, quam mereri.

CAPVT XXXII.

De voluntate Dei.

Voluntas Dei duplex est, scilicet beneplaciti. Et hæc est duplex, antecedens, quæ sæpe non expletur; & consequens, hæc numquam remanet inexpleta. Alia est voluntas signi, & hæc quandoque remanet inexpleta. Huiusmodi ratio est, quia voluntas Dei potest sumi dupliciter; vel proprie, sic accipitur voluntas beneplaciti; vel metaphorice, & sic accipitur voluntas signi. Primo modo dicitur Deus aliquid velle, & hoc velle ipse Deus est. Secundo modo metaphorice est ad modum volentis se habere, & hoc velle non est Deus. Hæc igitur diuisio non rei, sed vocis est. sicut ira potest dici, vel proprie motus iræ, vel metaphorice signum iræ.

Voluntas beneplaciti Dei consequens est recta, & efficax, & irreprehensibilis: vnde quia est recta, nullus est rectus, nisi conformetur ei. Item quia est efficax, nihil sine illa potest effici, nihil contra illam potest fieri: per nullum potest impediri. Item quia irreprehensibilis est, nihil præcipit, aut permittit nisi iuste: nil agit, aut consulit, nisi bene. Signa beneplaciti sunt quinque, scilicet præceptio, prohibitio, consilium, permissio, & operatio: quorum numerus sic accipitur. Voluntas diuina proprie loquendo, aut præsentium, aut futurorum est. Si respectu præsentium, aut id est bonum, & sic est impletio, aut malum, & sic est permissio. Si respectu futurorum, sic est triplex. Aut est malum, & sic est prohibitio: aut bonum necessarium, & sic est præceptio: aut bonum supererogationis, & sic est consilium. Contra tria prima potest aliquid fieri, quia se habent, vt in fieri: sed contra duo vltima, scilicet permissionem, & operationem, nihil potest fieri: quia se habent, vt in facto esse, & quod factum est, non potest non fieri. De his signis nota quod præceptum dicit obligationem, ad faciendum bonum: prohibitio dicit obligationem, ad vitandum malum: consilium dicit doctrinam, per quam scimus, quod id quod consulitur, si fiat, affert præmium, si non fiat, non affert supplicium. Permissio dicit priuationem cohibitionis, & est signum diuinæ voluntatis, non respectu mali, quod permittitur, sed respectu boni, quod ex malo permisso elicitur. Non enim permittit Deus malum fieri, nisi ex eo aliquod bonum eliciat, vt patet in tentationibus diaboli, quæ prosunt multipliciter sanctis. Præterea si non esset malum, non esset in bono pulchritudo, nisi absoluta: nunc vero propter comparationem ad malum, clarius elucescit. Operatio notat factionem in re, per quam refertur creatura ad Creatorem.

De conformitate voluntatis nostræ ad Deum sciendum, quod si hanc attendimus in forma volendi, tunc si volumus habere mercedem nostri operis, oportet quod ratio semper conformetur ei in forma volendi. Si autem quæritur vtrum absolute teneamur, dicendum est, quod conformitas est quædam in actu, ad quam non tenemur, nisi habita charitate: nec tunc nisi pro tempore, & loco, vt quando quis cogitat Dei veritatem, scilicet articulos fidei, tenetur credere: quando cogitat Dei bonitatem, tenetur diligere. Est alia conformitas in habitu, ad quam non tenetur quis, nisi quando actu Dei bonitatem recogitat, quia tunc tenetur se ad charitatem Dei præparare.

De conformitate autem in volito, sciendum quod voluntate sensualitatis non tenemur conformari voluntati diuinæ, nec in volito, nec in forma volendi. Voluntas enim sensualitatis tantum, est in brutis. Vnde quantum ad hoc nos hac voluntate non peccaremus, si ratio huic voluntati iuncta non foret, cuius est animalitatem reprimere, sed voluntate rationis deliberatiua tenemur Deo conformari in volito, quod constat nobis Deum absolute velle, vel congruit nobis velle. Si vero non congruit nobis, quamuis bonum sit in se, non vult Deus id nos velle. Vnde hoc non tenemur velle, nisi inquantum est volitum à Deo. vnde si scio Deum velle mortem patris mei, tamen possum vitam eius velle, & laborare ad hoc: quia non vult Deus velle me contrarium. Item voluntate conditionatiua non tenemur Deo conformari, vt quando pluit, vellemus quod non plueret, si Deus vellet: quia volendo conditionaliter non discordamus à voluntate Dei: quia hoc non est velle simpliciter. Item id quod Deus non vult simpliciter, & absolute, vt sententiam comminationis, quam aliquando mutat, quando merita mutantur, non tenemur velle.

Conformitas diuinæ voluntatis quadrupliciter potest considerari secundum habitudinem quatuor causarum. Primo secundum causam materialem, quando idem est volitum quod se habet vt materia, circa quam est actus voluntatis, & ideo ista conformitas est secundum quid tantum, & non simpliciter, quia esse simpliciter, non est materia, vel forma. Secundo modo accipitur conformitas secundum causam efficientem, sicut quando aliquis vult hoc, quod Deus vult eũ velle, quia Deus hanc voluntatem in eo fecit. Deus enim vnamquamque voluntatem in bonum ordinauit: & hoc vult nos velle. Tertio secundum causam finalem, vt quando quis in gloriam Dei sua facta ordinat, propter quam & Deus fecit omnia: & in his duobus essentialiter omnis conformitas consistit. Quarto secundum causam formalem, vt scilicet ex charitate velit quis quod vult, sicut & Deus ex charitate vult omnia: & in isto consistit perfectio conformitatis, vt scilicet actus voluntatis nostræ tanto sit voluntati diuinæ conformior, quanto est melior, & perfectior.

Ex prædictis collige, quod plena conformitas ad Deum comprehẽdit quattuor. Primo vt velimus, quod Deus vult: secundo vt velimus, quod vult nos velle: tertio vt velimus propter quod vult: quarto vt velimus eo modo quo vult. Sed conformitas non plena est triplex. Primo conformatur quis Deo in volito tantum, sicut & Iudæi conformes erant Deo in morte Christi. Secundo si conformatur quis in volito, & in fine, sed non in modo, vt quando quid non fit ex charitate. Tertio, quando quis conformatur in volito, & in modo, sed non in fine, vt cum ad alium finem, tamen bonum retorquetur intentio.

CAPVT XXXIII.

De iustitia Dei.

IVstitia Dei tribus modis sumitur. Primo modo, quando redditur alicui quod meruit. Secundo modo quando promissum soluitur. Tertio modo, quando imperfectum perficitur. Primo modo, remuneratio bonorum, & punitio reproborum est opus iustitiæ. Secundo modo, incarnatio Christi opus est iustitiæ, quia promissum fuit hoc per prophetas. Tertio modo dicitur opus iustitiæ, quando Deus peccatorem iustificat, cum se ad gratiam habilitat, faciendo quod in se est. Nota quod in omnibus operibus Dei inuenitur iustitia, & misericordia: sed iustitia quandoque est occulta, & misericordia manifesta, vt in iustificatione impij, & in primo aduentu Christi. Aliquando est econtrario, scilicet aperta iustitia, & occulta misericordia, vt in punitione paruulorum, sine baptismo decedentium, & in secundo aduentu Christi. Aliquando vtrumque est occultum, vt in tribulatione iustorum & innocentum, sicut fuit in infirmitatibus paruulorum. Aliquando vtrumque est apertum, vt in remuneratione iustorum, & damnatione reproborum: quia illos remunerat supra meritum, & istos punit citra condignum, quod est misericordiæ: sed vtrisque retribuit secundum merita, hoc est, bonis bona, & malis mala, quod est iustitiæ. Si vis scire qua iustitia puniatur homo pro peccato momentaneo æternaliter, vide primo auctoritates Isaiæ: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Psalmus: Ibunt in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbunt lumen. Matthæus: Ite maledicti in ignem æternum. In Apocalypsi: Ascendit fumus eorum in sæcula sæculorum. Item Gregorius in quarto dialogorum: Si Deus non plus attenderet cor, quam facta iniusta, posset dici talis iustitia. Sed quia Deus intuetur cor, iustum est, vt sine fine puniantur, qui numquam vellent viuere sine peccato. Rationibus idem ostenditur. Quia enim homo peccauit in suo æterno, merito punietur in æterno Dei. Item materia ignis est æterna, scilicet macula peccati, ergo & pœna. Item peccatum est contra illũ qui est infinitus, ergo pœna debet esse infinita: sed hoc nõ potest esse acerbitate: vnde oportet quod fiat diuturnitate. Item cum homo peccat, errat in infinitum quodammodo rationalis, irascibilis, & concupiscibilis, quãdo finitum præponit infinito: illa quidem

Isa. 66. Psal. 48. Mat. 25. Apoc. 14. Greg. lib. 4. dial. c. 44.

iudicando, ista adhærendo, & vltima appetendo: vnde congrue debet esse pœna infinita. Item mala voluntas reproborum æterna est, ergo & pœna. Item ostenditur exemplis, quia venditio momentanea dat ius possidendi perpetuum: & vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam. Item casus in foueam temporalis est, detentio perpetua. Item offensio oculorum temporalis est, & cæcitatem operatur perpetuam. Item crimen læsæ maiestatis temporale est, seruitus perpetua. Item potio veneni momentanea, mortem operatur perpetuam. Dicit Augustinus, quod reddit Deus mala pro malis, hoc est, pœnam pro iniustitia, quia iustus est: vel reddit bonum pro malis, hoc est, gratiam iniustis, quoniam bonus est: vel reddit bona pro bonis, hoc est, gratiam pro gratia, quia iustus & bonus est, numquam reddit mala pro bonis, quoniam iniustus non est. Aliquis punitur in præsenti propter seipsum, vt scilicet peccatum præteritum in eo purgetur. Ioannes: Ecce sanus factus es, vade & amplius noli peccare. Ita vt propter peccatum perpetuo crucietur tam hic quam in futuro. Exemplum habes de Herode, & de Antiocho. Item vt culpa declinetur, vt de Paulo ad Corinthios: Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. Item vt gloria in futuro detur. In Actibus: Oportet nos per multas tribulationes intrare, &c. In primis duabus causis exercet Deus iustitiam, in duabus sequentibus misericordiam. Quinto, punitur quis propter Deum, scilicet, vt glorificetur. Neque hic peccauit, neque parentes eius. &cet. Sexto, punitur quis propter proximum, scilicet vt ædificetur: sic fuit punitus Tobias, vt alijs daretur exemplum patientiæ: sic puniuntur etiam innocentes pueri, ne videatur inconueniens peccatoribus, si quandoque tribulantur. Iusto Dei iudicio puniuntur qui vel concessis abutuntur, vt Adam: vel non concessa rapere conantur vt Lucifer.

Ioan. 5. c | 2 Mac. 9. b | 2 Cor. 12. c | Act. 14. d | Ioan. 9. a | Tob. 2. b | Gen. 3. c | Isa. 14. c

CAPVT XXXIV.

De misericordia Dei.

Misericordia secundum etymologiam dicitur tribus modis. Primo dicitur misericordia, quasi miseriam cordis diuidẽs, sicut accipitur in illa auctoritate. Cœli non indigent misericordia, quia in eis nulla est miseria. Secundum hunc modum misericordia solummodo est in terra. Secundo modo dicitur quasi mittens seorsum cordis rigorem, sicut accipitur ibi, Misericordia & veritas obuiarunt sibi: nam veritas per rigorem procedit, sed misericordia hunc rigorem temperat, remunerans supra meritum, & puniens citra condignũ: sic est misericordia in cœlo, & in inferno. Tertio modo dicitur misericordia, quasi mira suauitas rigẽs corda, sic misericordia maxime est in cœlo. Licet enim Deus sit iustus sicut & misericors, tamen dicitur ei proprium esse misereri potius quam esse iustum, quia nihil requiritur ad complendum opus misericordiæ, nisi voluntas eius: sed ad complendum opus iustitiæ requiritur etiam aliquid ex parte hominis, exigentia scilicet meritorum. Misericordia Dei patet in effectibus diuinorum beneficiorum: dat enim reis veniam, dimittendo tam peccati reatum, quam peccati sequelas de quibus duobus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, quo ad primum. Qui sanat omnes infirmitates tuas, quo ad secundum. Item largitur iustis gratiam, dando, scilicet virtutis habitum, & virtutis motum, vt per primum faciat hominem Deo gratum, ac vita æterna dignum: sed per secundum augeatur ei meritum. De his duobus Psalmista: Qui coronat te in misericordia, quo ad primum: & miserationibus, quo ad secundum: & loquitur de corona gratiæ. Item confert sanctis gloriam, & hoc dupliciter, quia nunc in spe, & tandem in re. De his Psalmista: Qui replet in bonis desiderium tuum, quo ad primum. Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, quo ad secundum. Item ex misericordia Deus patienter expectat peccatores, benigne reuocat, vlcisci dissimulat, de multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatam conseruat, conseruatam in cœlo præmiat. Item ex misericordia Deus peccatorem ad se redeuntem hilariter suscepit, ad pœnitendum cor emollit, offensam cito remittit, iniuriæ post remissionem non meminit. Item ex misericordia dat Deus aduersa, vt peccatum purget: dat prospera vt ad amorem prouocet: dat sacramenta, vt meritum cumulet: dat præcepta, vt præmio ditet. Item ex misericordia errantes ad se reducit, euntes ad se conducit, cadentes erigit, stantes tenere non desinit: peruenientes in gloriam introducit.

Psal. 84. c | Psal. 102. a | 102. a | Rom. 8. e | Sap. 11. d | Luc. 15. e | Ez. c. 18. e

COMPENDIVM THEOLOGICÆ VERITATIS.

De operibus conditoris.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAPVT I.

De ipsa rerum creatione.

SVMMÆ bonitatis triplex est effluxio, scilicet per generationem, per spirationem, & per creationem. Duæ priores emanationes sunt ab æterno, tertia est in tempore, de qua nunc est agendum. Inter creare, generare & facere differentia est: quia res de nihilo exit in esse per creationem; sed exit in esse de aliquo per factionem; quia facere est operari de aliena materia: sed de substantia exit in esse per generationem. Deus est rerum triplex causa, scilicet efficiens, exemplaris, & finalis, sed nullo modo materialis. Inter operari Dei, & creaturæ differentia est, quia Deus operatur in instanti. Angelus autem repente, sed natura paulatim. Prima rerum principia sunt à Deo, & immediate, scilicet materia & forma: effectus vero consequentes sunt ab ipso mediante natura, nihil autem est à Deo immediate tantum.

Circa mundi creationem quattuor erant errores. Quidam dicebant mundum æternum. Alij dicebant mundum quidem factum, se habuisse materiale principium, & non esse de nihilo. Alij dicebant Deum superiores creaturas per se produxisse, sed inferiores per ministerium Angelorum. Alij ponebant duo principia, sicut Manichæi, vnum scilicet summe bonum, & aliud summe malũ, dicentes: incorruptibilia esse à bono principio, corruptibilia à malo. Hos omnes errores excludit Moyses, primum, cum dicit: In principio. secundum, ibi: Creauit. tertium, quando dicit: Deus. quartum, cum sequitur: Cœlum & terram. Tenendum est etiam quod Deus omnia simul creauit, nec aliquam nouam speciem postmodum addidit, quam prius non fecerit, vel in se, vel in suo simili, vt hominum animas, vel in ratione seminali, sicut patet in his quæ naturaliter introducuntur in esse: & hoc est quod dicitur Deum die septima quieuisse, non quidem à labore, vel ab opere, sed, sicut dictũ est, à nouarum specierum conditione. De operibus vero sex dierum dicunt quidam, numquam in illis debere intelligi ordinem temporis, sed naturę, quia dicunt omnia simul tempore fuisse facta creata, & disposita, ac in suis speciebus distincta. Alij dicunt omnia simul creata in materia, sed non in tali forma sicut in diebus sequentibus receperunt: & hæc opinio magis sequitur vltimam literam, sed prima magis sequitur rationem. Deus enim dupliciter operatur. Aliqua namque facit mediante natura, & hæc fiunt successiue: aliqua facit per se immediate, vt creare, peccata dimittere, gratiam infundere, & huiusmodi. & talia fiunt in instanti, & perfecte, & complete. Cum ergo Deus primordiales res non produxerit mediante natura, sed immediate & per se, videtur quod in instanti fecerit eas perfectas & completas tam in materia, quam in forma. Coæuæ sunt quattuor hæ primitiæ rerum creaturæ, cœlum empyreum, Angeli, materia mundi & tempus.

Gen. 1.a

Eccle. 18.a

Gen. 2.a

CAPVT II.

De distinctione creaturarum in generali.

CReatura mundi triplex est, scilicet corporalis tantum, vt elementa spiritualis tantum, vt Angelus: composita ex his, vt homo. Corporalis quoq; natura distinguitur in corpora lucida, vt sidera: & opaca, vt terra, & metalla, & huiusmodi: atque perspicua, sicut diaphana, vt aër, & aqua. Creaturæ quædam secundum Gregorium habent esse tantum, vt lapides: quædam viuere, vt arbores: quædam sentire, vt animalia: quædam intelligere, vt homines & Angeli. Distinguitur autem triplex mũdus, scilicet, archetypus, idest, Deus, & dicitur archetypus ab archos, quod est princeps, & typus, quod est figura, idest principalis figura, quia ipsa est exemplar mundi sensibilis. Item est mundus qui dicitur microcosmus, idest maior mundus, vt est iste mundus sensibilis. Item est mundus qui dicitur microcosmus, idest minor mundus, vt est homo. De his tribus Ioannes: In mundo erat: ecce primum. Et mundus per ipsum factus est: ecce secundum. Et mundus eum non cognouit: ecce tertium. Differentia est inter elementum & elementatum, & quintam essentiam. Elementum est primum principium componibilium, non tamen compositum: vnde nec terra, nec aqua, nec aër, nec ignis primum elementum est, & simplex apud nos, quia ista inter se commiscentur, & maxime in ea parte vbi se contingunt. Elementum est quodlibet corpus compositum ex quattuor elementis. Quinta essentia est corpus per se differẽs ab omnibus elementis, & elementatis, tam in materia, quam in forma, tam in natura, quam in virtute, non habens in se contrarietatẽ, vnde nec causam corruptionis. Opera sex dierum, prout Moyses distinxit moraliter sic habentur. Significat enim rerum creatio de nihilo impij iustificationem. Firmamenti operatio boni propositi confirmationem. Aquarum congregatio, cordis adunationem. Siderum perfectio, exemplum bonæ operationis. Piscium & auium formatio, statum actionis & contemplationis. Hominis plasmatio, rectitudinem intentionis. Postea vero sequitur septima dies, Æternitatis scilicet requies.

Greg. hom. 29. in Euang.

Ioan. 1.b

Est locus summus, idest, cœlum, vbi sola lætitia est: & est infimus, idest, infernus, vbi sola tristitia: & est medius scilicet mundus, in quo sunt summa speranda, & infima timenda. Diabolus igitur à summo corruit, & in imum detrusus est: quia reparandus non erat. Homo vero à summo non cecidit, & in medio collocatus est, vt esset ei locus quo ascenderet per iustitiam, vel descenderet per culpam. Item Hugo de sancto Victore dicit, quod aliquis locus est, in quo solum & summum bonum est, scilicet cœlum: aliquis in quo solum summum malum est, scilicet infernus: aliquis in quo solum malum est, sed non summum, scilicet purgatorium: aliquis in quo bonum & malum est, sed neutrum summum, scilicet mundus iste.

CAPVT III.

De distinctione orbium tam cœlestium, quam elementorum.

COrporalis mundi machina tota consistit in duobus, scilicet in natura cœlesti, & in natura elementari. Cœlestis autem distinguitur in tres cœlos principales, scilicet in cœlum crystallinum, & empyreum, & firmamentum. Intra firmamentum quod est cœlum stellatum, continentur septem orbes planetarum, qui sunt

Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Nomine autem cœli crystallini, siue aquei, intelligitur illa pars materiæ primæ, quæ secundum Philosophos formata in duos orbes, quorum superior est primũ mobile. Istorum orbium natura est quod omnes mouentur excepto empyreo, quod quietum est. Natura vero elementaris in quattuor sphæras principales distinguitur, scilicet ignis, aëris, terræ & aquæ. Sphæra ignis tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur igneum, & medium, ac infimum, quod vocatur olympium. Similiter aër tria habet interstitia, scilicet supremum, quod vocatur æthereum, & medium, ac infimum, quod vocatur aëreum, & in supremo est calor, & lux propter solis propinquitatẽ. Similiter est & in infimo, scilicet propter radiorum repercussionem à terra. In medio autem interstitio, ad quod non potest pertingere repercussio radiorum est frigiditas & obscuritas, & ibi dicuntur habitare dæmones, qui detrusi sunt in hunc aërem caliginosum. Ibi etiam fiunt tempestates, tonitrua, grando, niues & similia. Ex his collige septem orbes, terram & aquam ambientes, qui omnes possunt vocari cœli: istos autem excellit cœlum trinitatis, ipse Deus, qui est in omnibus, & super omnes. Distantia dictorum orbium & planetarum hæc est, à terra vsque ad Lunam sunt milliaria 15625. hæc sunt stadia 1260. à Luna vsque ad Mercurium sunt milliaria 7612. & semisse. à Mercurio vsque ad Venerem tantundem. à Venere vsque ad Solem sunt 24433. à Sole vsque ad Martem sunt milliaria 15625. à Marte vsq; ad Iouem 6812. à Ioue vsque ad Saturnum tantundem. à Saturno vsque ad firmamentum 24412. Ex his colligitur quod à terra vsque ad cœlum stellatum sunt milliaria 109375.

CAPVT IV.

De natura cælorum, & superiorum corporum.

CÆlum est corpus purum, & primum natura simplicissimum, essentia subtilissimum, incorruptibilitate solidissimum, quantitate maximum, qualitate lucidum, diaphaneitate perspicuum, materia purissimum, figura sphæricum, situ locali supremum, amplitudine creaturam aliarum in se contentiuum. Istæ proprietates tam cœlo conueniunt empyreo, quam primo mobili. Sed præter hoc est cœlum empyreum à motu extraneũ beatorum spirituum habitaculum, specialiter sedes Dei nuncupatum. Cœlo autem crystallino specialiter conuenit, quod est motu velocissimum, ad inferiora virtutis influxiuum. Eodem modo dicendum est de firmamento, quod plurimæ conueniunt ei de proprietatibus supradictis, & insuper est aquarum diuisiuum, ac stellis decoratum.

Corpora cœlestia diuiduntur in lucentia, & non lucentia, ac diaphana. Nam corpus lucens est sol, qui solus inter sidera lucet. Sed non lucentia sunt ceteræ stellæ, & planetæ quæ lumẽ suum à sole mutuantur. Corpora vero diaphana sunt omnes sphæræ cœlestes. Item sphæræ cœlestes cum mouentur, non mutant locum, sed mouentur in locis suis. Superiora influunt in inferiora virtutem motiuam, vegetatiuam, sensitiuam, ac omnium generabilium productiuam. Item licet careant qualitatibus elementaribus: non enim sunt calida, vel frigida, sicca, vel humida, tamen ista causent in inferioribus, veruntamen non influunt super liberum arbitrium nec habent virtutem immutandi hominis voluntatem: licet bene immutent, vel disponant complexionem hominis aliquando, quæ voluntatem non habent quidem cogere, sed magis vel minus in diuersis hominibus inclinare. Operantur quoque corpora superiora distinctiuam significationem dierum secundum lumen Solis, & distinctionem mensium, secundum lumen Lunæ, ac distinctionem annorum secundum motum Solis in aliquo circulo, atque distinctionem temporum secundum varium cursum planetarum, distantiam, & cursum, ascensum, & descensum, retrogradationem, & statum. Circulus quidam est in sphæra intersecant æquinoctiale, qui intersecatur ab eodẽ in duas partes æquales, & vna medietas declinat versus Septentrionem, alia versus Austrum: & dicitur ille circulus zodiacus, à zoe, quod est vita nam secundum motum planetarum sub illa omnis vita rebus inferioribus est: vel dicitur à zodiõ, quod est animal: quia cum diuidatur in duodecim partes æquales, quælibet pars appellatur signum, & habet nomen speciale à nomine animalis propter proprietatem aliquam conuenientem tam ipsi, quàm animali, vel propter dispositionem stellarum fixarum in illis partibus ad modum animalis. Iste vero circulus dicitur Latine signifer, quia fert signa, vel quia diuiditur in ea: ab Aristotele vero in secundo de generatione dicitur circulus obliquus: vbi dicit quod secundum accessum & recessum Solis in obliquo circulo fiunt generationes, & corruptiones in rebus. Nomina vero signorum, & ordinatio, & numerus in his versibus notantur:

Sunt aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo:
Libraque, scorpius, arcitenens, caper, amphora, pisces.

CAPVT V.

De natura stellarum in communi.

STellæ supremæ in firmamento figuntur, & cum illo semper mouentur, materia sunt purissimæ, figura sphæricæ, quantitate magnæ, apparentia paruæ, qualitate lucidæ, radiorum diffusiuæ, rerum inferiorum generatiuæ, à Sole illuminationum receptiuæ, tenebrarum expulsiuæ, quanto nox obscurior, tanto plus sui manifestatiuæ, in præsentia Solis sui luminis occultatiuę, tempestatis & serenitatis concitatiuæ, viarum nauigantium directiuæ: quanto coniunctiores, tanto in communi lucidiores sed singulæ minus apparentes, vt patet in galaxia, claritate & quantitate differunt ac virtute. Galaxia est multitudo paruarum stellarum, quasi contiguarum illi loco orbis, vbi diffunditur lumen Solis. Fit autem eclipsis, cum se Soli Luna subnectit, vt tenebras orbis efficiat. Nota quod omnes stellæ eclipsantur, & hoc à seipsis, vel à terra, vel à planetis. Planetæ dicuntur quandoque retrogradi, quandoque progressiui, quandoque stationarij, prout in epicyclis suis diuersimode mouentur. Planetæ sunt sidera inter cœlum, & terram errantia, firmamento contrarium cursum agentia. Cursu, quem habent ab influxu primi mobilis, mouentur directe, sed proprio cursu mouentur oblique non scintillant, singuli suos colores & circulos habent, & cum circulos aliorum ingrediuntur, etiam illorum participant qualitatem, cum Sole micantes occultantur: quanto terræ propinquiores, tanto circulos habent breuiores: quanto sunt altiores, tanto cursus eorum naturalis videtur esse tardior. Corpora eorum non sunt lucida vel perspicua, sed opaca. Alioquin non eclipsarent se inuicem.

Motus primi mobilis, scilicet, nonæ sphæræ ab Oriente in Occidentem, rediens iterum in Orientem, dicitur rationalis, ad similitudinem motus rationis in microcosmo, quando fit consideratio à Creatore per creaturas, rediens in Creatorem, & ibi sistendo. Secundus motus firmamenti, & planetarum est huic contrarius, ab Occidente in Orientem rediens in occidentem, qui dicitur irrationalis, siue sensualis, ad similitudinem microcosmi, qui est à corruptibilibus ad Creatorem, & iterum rediens ad corruptibilia.

CAPVT VI.

De luce.

LVx est, vt ait Philosophus, actus lucidi, secundum quod lucidum. Vnde sciendum est quod lux est qualitas actiua corporis luminosi, sicut calor ignis. *Arist. lib. 2. de Ani. c. 7.*

Lux

Lux quoque dat coloribus esse intentionale, sicut intellectus agens phantasmatibus dat esse intellectuale. Ipsa est medium deferens omnia, quæ à cœlo ad nos descendunt. Ipsa quoque mutuat corpus non lucens à lucido. Ipsa est secundum Philosophum cœli purpura, maleficorum inimica, nauigantium directio, oculus noctis, facies omnium rerum. Lux, vt ait Augustinus, rectum habet incessum, & nullo modo incedit per curuum. Hæc omnibus rebus, & decorem tribuit, & absque illa cuncta sunt ignota & abscondita. Motus enim est subitus, quia sine mora replet omnia. Hæc in superficie corporis vmbrosi non se perfundit, sed in corpore diaphano: vnde secundum corporis grossitiem, vel subtilitatem magis & minus participatur. Lux enim sine sui diminutione vbique se diffundit. Plures proprietates lucis habes infra de Sole, quæ illi conueniunt inquantum lucet. Sciendum est quod lux vocatur in corpore luminoso lux; sed lumen, prout est in lucido transparendi: splendor autem in denso terso, & color prout est in corpore opaco.

CAPVT VII.

De planetis in specie.

Saturnus est à nobis remotissimus, frigidus, & siccus: hoc intelligas in effectu, sicut in alijs planetis. Ex vicinitate eius calor Solis remittitur. Ex coniunctione eius cum Ioue clarior efficitur, cum naturaliter sit pallidus. Nociuus est: & ipso dominante tantam habet virtutem, vt si influat in inferiora, fetus nascitur mortificatus, aut debilis. Plus nocet retrocedendo, quam procedendo. Moratur in quolibet signo triginta mensibus: ex quo sequitur quod cursum suum complet, scilicet triginta annis.

Iupiter est clarus, & quasi ad instar lactis candidus: in qualitatibus est bene temperatus, quia calidus est & humidus. In superiori parte suæ absidis temperat malitiam Saturni, Cum ascenderit in circulum Saturni, contrahit pallorem, licet sit clarus. In quolibet signo moratur per annum, & ita complet cursum suum in duodecim annis.

Mars calidus est, & siccus, & ideo nociuus. Ex proprietatibus suis homines incitat, ac prouocat ad bellandum, ex interpositione Veneris, & Iouis eius nociuitas reprimitur. Igneus apparet, & radiosus. In quolibet signo moratur quadraginta diebus.

Sol dicitur decies maior terra, sed secundum Ptolæmeum est 140. vicibus maior terra, calidus & luminosus eclipsim patitur, communis est omnibus, nube celatur, solus per se lucet, quod nulli sideri magis competit: vnde & nomen accipit, stellas illuminat, & tamen eas per præsentiam suam apparentia sui luminis priuat. Medius est planetarum, odiosus ægris oculis, sed amabilis puris. Tempora distinguit, locis immundis non inquinatur, testea consolidat, gelida resoluit, flores reperit, fructus maturat, corpora diaphana penetrat, nō quiescit, visum retundit, vapores eleuat, hemisphæria vicissim perlustrat, appropinquans nobis æstatem facit, recedens verò hyemem efficit, oculus est mundi. In quolibet signo moratur triginta diebus, & decem horis, cursum per annum facit motu proprio, sed diem perficit non primi mobilis.

Venus est lucifer, calidus, & humidus: malitiam Martis temperat: semper comitatur solem, sed cum præcedit dicitur lucifer: quando sequitur, dicitur vesper: colorem habet candentem, & refulgentem, electro similem. Inter sidera plus splendet: complet cursum suum in 348. diebus.

Mercurius semper cum Sole graditur, numquam ab eo plus 30. gradibus distans. Colorem habet radiantem: rato propter vicinitatem Solis cernitur: eloquentia sub ipso est, a quis dicitur dominari, & seminibus, cursum complet 338. diebus.

Luna noctem illuminat, lumen mutuat, augmentum patitur & detrimentum. Infima est inter planetas, eclipsim patitur, & efficit, maculas habet propter coniunctionem eius cum inferioribus. Item corniculata interdum apparet, ex eo quod pars eius illuminata à nobis absconditur. Item regina cœli appellatur, quia Sol tamquam medius planetarum participat omnes proprietates omnium, & eas ad Lunam cum lumine suo transmittit: ipsa vero Luna quæcunque à Sole sic recipit, influit. Vnde quia per eam tali modo virtutes planetarum recipimus, merito regina cœli vocatur. His visis patet, quod quando Luna primo incenditur, optimum est semina iacere, quia tunc virtutes planetarum, quas inferioribus influit, incipit colligere, frigida est & humida, Solē præcedens minuitur, sed eundem sequens crescit, & ab eo elongatur: accessus, & recessus maris per eam causatur. Signa autem zodiaci quolibet mense percurrit.

CAPVT VIII.

De quattuor elementis.

Ignis consumit & incinerat, in similitudinem suam sibi appropinquātia conuertit, motum facit de centro ad circumferentiam, ardet, & lucet in materia aliena, sed nō in sua sphæra. Inferiora reducit ad superiora, quia resoluit terrea in aquosa, aquosa in aerea, aerea in se. Mollificat dura, & indurat mollia, subtiliat, vt patet in resolutione glaciei, & condensat lutum; depurat, vt in auro: & corrumpit, sicut ea, quæ consumit: frigefacit per accidēs, vt patet in aceto: est & penetratiuus, communicatiuus & diuisiuus. Item ignis in sphæra sua non relucet, quia cōpactus non est. Nullum enim corpus diaphanum lucet, sed potius est illuminabile. Si autem ignis in sphæra sua compactus esset, eclipsaret omnes stellas, quæ supra ipsum sunt. Ignis vero hic lucet apud nos propter materiam coadunatam, in qua est: & hoc patet, quia vna candela alteri opposita vmbram facit.

Aer est subtilis, mobilis, perspicuus, per inspirationem & respirationem, caloris cordis temperatiuus, decoratur volatilibus, locus impressionum, mansio spirituum damnatorum, est & alterabilis, subtilis, leuis, atque rarus: non lucet, sicut nec aliquod corpus diaphanum, sed est illuminabilis.

Aqua super cœlos eleuatur, piscibus decoratur, tempestatibus subijcitur, omnes fontes, & flumina ad mare continuantur, ad locum vnde venerunt, reuertuntur. Aeri præbet aqua informationem, volatilibus ornamētum, & vegetabilibus nutrimentum, & optime est terminabilis termino alieno, sed minime termino proprio. Aqua corpus est diaphanum, omnibus est communis, in crystallum congelatur, irim in nubibus causat, sordes purgat, hortos irrigat, febricitantes sua frigiditate, & humiditate delectat, naues vehit, lumen recipit, ad suum principium recurrit, loca vacua subit, lapides cauat, ignem extinguit, olim mundum purgauit. In mari rubro populo Dei cessit, de latere Christi fluxit, hanc Christus in vinum mutauit, ac de ipsa baptismi materiam ordinauit.

Eccle. 1. b

Terra in alia elemēta est infima, nigra, magis despecta, ponderosa, rotunda, elementis alijs circumdata, mater fructuum, radix plantarum, nutrix animalium, ædificiorum fundamentum, mortuorum receptaculum, machinæ mundialis centrum, concludit in se infernum, frigida, sicca, opaca, corporis humani materia. Seruat metalla, centro tenetur, motu ex vaporibus inclusis concutitur, herbis & floribus ac arboribus suis decoratur: circa eam motu circulari cœlum cum sideribus voluitur, ab hominibus & iumentis calcatur: horum quædam terræ competunt secundum esse suum, quædam secundum situm, quædam secundum contentum, quædam secundum ornatum, quædam secundum vtilitatem.

CAPVT IX.

De impressionibus aeris.

COmetes licet appareat, quasi stella; non est tamen aliud quam vapor inflammatus ex vicinitate ignis. Hic comas luminis fundit, & dicitur significare mutationē, aut bella aut pestilentias. Corona est albus circulus, qui quandoq; apparet circa Solem, vel Lunam, aut stellas alias: & causatur ex reliquijs nubium per planetarum radios attractis & illuminatis. Talis autem circulus signum est serenitatis. Albus duplex est, ascendens scilicet, & descendens. Ascendens fit ex partibus vaporis inflammati in supremo aeris, & videtur ascendere: sicut si euolarent scintillæ de fornace. Albus vero descendens est ignis retentus in nube, qui tamen expellitur obuiante nube frigida, & cadit continue propter quod videtur quod stella cadens sit longa, quia relinquit vestigia casus post se. Lumen quod videtur de nocte discurrentibus se præcedere, est vapor compactus descendens, cui cum nihil obuiet, confricatione sui ipsius accenditur, & aliquandiu stat in aere. Draco dicitur vapor fortis cōglobatus, qui est nubes frigida ad latus vnum, & calida ad aliud, & tunc propter conuenientiam ad calidum, trahitur ad illud, & ita incenditur pars anterior: & hæc videtur quasi spiramen draconis: media vero pars incuruatur vt serpens, & volat semper ad latus vbi calidum circumstat ipsum.

Nubes fiunt quando à virtute Solis extrahuntur vapores de aquis & paludibus, & locis humidis & feruntur sursum. Nebula est id, quod ex nubibus aquam pluentibus relinquitur: & ideo secundum Aristotelem signum est serenitatis. Caligo est vapor tenebrosus, quem vulgo appellant nebulam. Iste vapor non eleuatur, sed priusquam conuertatur in nubes, vel pluuiam, deprimitur, & remanet iuxta terram. Ros, est id, quod descendit ex vapore paruo, & in descensu suo traditur in paruis minutijs. Pluuia est aqua descendens ex nubibus resolutis, velocitatem habens suæ descensionis, & hoc guttatim. Pruina, est ex vapore rorido, quæ congelatur antequàm ex ipso resoluatur aqua. Nix generatur in nube calidissima, cuius congelatio fit cum conuersione in aquam: & ideo partes eius non inspissantur. Grando generatur ex nube calidissima virtute Solis multum eleuata, quæ postquam in aquam resoluitur, tunc demum in medio interstitio aerea congelatur. Tonitruum est vaporis sicci egredientis de nube humida, vel in nube frigida & humida, & scindit quidquid inuenit. Coruscatio est illuminatio vaporis sicci incensi in vapore humido. Fulgur generatur ex vapore grosso eleuato, & calore siccato: quia cum sit igneæ naturæ vi ventorum contra naturam descendit, & vrit, & nihil ei resistit, æstate præcipue, & in montibus percutit frequenter. Fulmen est vapor terrestris, & inflammatus, qui quādo tangit nubem, quæ iam est in conuersione ad aquam conglutinatur, sicque decoquitur fortissimo calido, & induratur in lapidem, qui vocatur telum tonitrui, & scindit, quidquid inuenit.

Iris est lumen Solis receptum in nube concaua, & aquosa, ac Soli ex aduerso opposita. Glacies est aqua congelata. Ventus est vapor terreus aeris superiora transcēdens, & aerem fortiter percutiens & impellens. Venti sunt quattuor principales, scilicet Subsolanus ab Oriente, temperatus, habens à dextris Vulturnum desiccantem, à sinistris Eurum, nubes generantem. Item à meridie est Auster calidus, qui fulmina gignit, & pluuias largas, habēs à dextris Africum calidum, à sinistris Notum temperatum quidem, sed pestilentias inducentem. Item à Septentrione est Aquilo frigidus, habens à dextris Draciam niues facientem & grandines, & à sinistris Boream nubes constringentem, ac pluuias prohibentem. Item ab Occidente est Zephyrus flores producens, habens à dextris Circium, tempestates & pluuias, ac tonitrua generantem, à sinistris Fauonium Oriente nubila, sed serena in meridie facientem. Turbo est ventus egrediens de nube in seipsum reflexus, vel duo venti lateraliter sibi concurrentes, seseque iuxta terram orbiculariter inuoluentes. Terræmotus est vapor grossus extractus de profundo terræ, non potens exire superficiem terræ propter illius soliditatem: sicq; coarctatus in interioribus concauitatibus terram concutit.

CAPVT X.

De tempore.

TEmpus est mensura motus primi mobilis, & rerum mutabilium. Et hoc patet, quia hic est tempus, & non in cœlo secundum suam substantiam: quia hic mutantur omnia, & non ibi: hic est enim nunc hiems, & non æstas, nunc pax, nunc discordia, nunc tranquillitas, nunc tempestas. Mutabilitas rerum ostenditur in hoc, quod ea quæ præcipue mundus amplectitur, scilicet sapientia & potentia in Oriente incœperunt, & terram habitabilem percurrerunt vsque ad Occidentem, in signū quod omnia tendunt ad Occasum. Nam studium sapientiæ cœpit in Ægypto, postea fuit in Græcia, post hoc Romæ, deinde Francia, & Anglia. Similiter regna primo fuerunt in Oriente, post in Græcia, post apud Romanos, nunc potestas imperij residet in Germania. Propterea Iacobus comparat vitam nostram, & hęc mutabilia vapori, Isaias somno, & baculo arundineo, & liber Regum aquæ dilabenti. Differentia autem est inter tempus, & æuum, & æternitatem. Nam tempus habet principium & finem. Æuum caret fine, sed non principio. Æternitas caret vtroq; termino, quia est mensura interminata.

Iac.4.d
Isa.36.b
2.Reg.14.c

Istæ sunt ætates mundi. Prima est ab Adam vsque ad Noe, habens iuxta Hebræos, annos 1656. sed secundum 72. interpretes habens 2242. Secunda est à Noe vsque ad Abraham, habens secundum Hebræos annos 292. sed secundum 72. 1072. Tertia est ab Abrahām vsq; ad Dauid, habens annos secundum Hebræos 972. sed secundum 72. 1130. Quarta est à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, habens annos secundum Hebræos 473. secundum 72. 485. Quinta est à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, habens annos secundum Hebræos 585. sed secundum 72. 578. Igitur ab exordio mundi vsque ad Christum secundum Hebræos habemus annos 3952. sed secundum Hieronymum est hęc computatio: secundum vero 72. quos Gręci sequuntur 5508. Eusebius autem quem Orosius secutus est, inter vtrosque incedens, numerat annos 5198. quos pene omnes Latini sequuntur. Sexta ætas est à Christo vsq; ad finem mundi. Septima est quiescentium, & concurrit cum sexta. Octaua est resurgentium. Porro secundum Hebræos in prima ætate sunt generationes 12. In secunda 10. In tertia 14. In quarta 17. (quas tamen Matthæus gratia mysterij 14. ponit in cap.1.) In quinta 14. Ætates hominis sunt istæ. Prima est infantia, à natiuitate vsque ad 7. annos: secunda est pueritia vsque ad annos 14. tertia est adolescentia à 15. anno vsque ad 28. quarta est iuuentus, à 28. vsque ad 49. quinta est senectus, à 50. vsque ad 78. sexta est decrepita ab anno 78. quousque vita finitur. Dignitas Dominici diei notatur in hoc, quod fuit prima dierum. Item, vt dicitur erit vltima dies. Item nox illam non præcessit. Item nox illi non successit. Item cœlum & terra in ea sunt creata. Item Angelus in ea conuersus est ad Deum. Item primo data sunt in ea filijs Israel mandata, vt dicit Origenes. Item in ea Christus natus est. Item Christus in ea resurrexit. Item in ea Spiritus sanctus datus est Apostolis. Item omnes in ea resurgemus, atque iudicabimur. Item in ea perpetuo continuandum est in laude Dei.

Gene.1.a
Act.2.a

CAPVT

CAPVT XI.

De Angelis in communi.

Damasc. li. 2. de f. orth. c. 3. non longe à prin.

ANgelus est, secundum Damascenum, substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem suscipiens, secundum gratiam non naturam. Substantia ponitur in hac diffinitione pro genere, & ponitur ad differentiam accidentis. Intelligitur etiam hic substantia qualitercunq; composita, scilicet, ex eo, quod est, & quo est. Intellectualis dicitur potius, quam rationalis, quia ratio est virtus collatiua causæ, & causati, & ideo composita, vt omnis homo est animal, Sortes est, &c. Syllogismus enim nihil aliud est, quam discursus à causa in causatum. Intellectus autem de ratione sui non habet compositionem, & collationem, sed est sine inquisitione & compositione, & ideo competit naturæ magis simplici pro differentia, vt est Angelus. Ratio autem differentia est naturæ minus simplicis, scilicet hominis. Semper mobilis, non dico, de loco ad locum, sed mobilitas dicit hic triplicem mobilitatem in Angelo, scilicet naturæ, intelligentiæ, & voluntatis. Mobilitatem enim habet naturæ, quia omne creatum vertibile est in nihilum, nisi manu omnipotentiæ diuinæ contineatur. Similiter Angelus mobilitatem intelligentiæ habet, quia licet in Angelo non sit vicissitudo intelligentiæ quo ad scita in verbo, cum Dei formam habeat intellectum secundum Dionysium: potest tamen in eo quo ad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiæ, & quo ad discenda: & hoc est quod dicit Augustinus quod omne creatum habés intellectum, intelligit vnum post aliud. Item in voluntate mobilis est Angelus, quia non simul vult hoc & illud. Item potest dici semper mobilis motu dilectionis. Arbitrio libera, hoc non dicitur propter deflexionem ad bonum indifferenter, & ad malum; sed propter liberam electionem eorum quæ voluerit: vnde Angelus bonus semper libere eligit bonum. Et Angelus malus libere, & sine coactione eligit malum. Incorporea substantia dicitur, quia Angelus habet proprietatem corporis, non naturam, scilicet in loco contineri. Cum enim corpus sit in loco circumscriptiue, & diffinitiue, Angelus tantum diffinitiue est in loco Deo ministrans. Ministerium hic ponitur pro quocunque obsequio: & secundum hunc modum tam assistentes, quam ministrantes, quam etiam dæmones ministrant. Immortalitatem suscipiens secundum gratiam, non naturam, quia rediret in nihilum, nisi per gratiam conseruationis contineretur. Angelo attribuuntur quattuor, scilicet essentiæ subtilitas, intellectus perspicacitas, liberi arbitrij facultas, discretio personalis. In primis tribus conuenit anima cum Angelo, in quarto non: quia anima non est persona. Habet & alia tria Angelus, scilicet virtuositatem in operando, officiositatem in ministrando, immutabilitatem post electionem, siue in bono, siue in malo. Differentiæ quattuor assignantur inter Angelum & animam. Prima & principalis penes esse naturale, quia anima est vnibilis corpori, etiam actu separata, Angelus non. Secunda est penes esse logicum, idest, diffinitionem, quia anima rationalis est: sed Angelus intellectualis. Anima enim apprehendit inquirendo, & conferendo: Angelus vero intuendo. Tertia est penes esse metaphysicum, idest separatum à materia, & à motu: quia Angelus non habet passibilitatem, nisi respectu superiorum, anima vero respectu inferiorum, quia immutatur à sensibilibus. Quarta est penes esse theologicum, quia anima vertibilis est à bono in malum, & è contrario: Angelus vero non, quia manet in eo ad quod se conuertit, siue bonum sit illud, siue malum: Angeli enim sunt omnes similes in eo quod immortales, inuisibiles, & indissolubiles, simplices, discreti personis, incommutabiles, incommunicabiles sunt alteri naturæ: sed dissimiles sunt in donis gratiæ, & naturæ. Præterea dicit Dionysius quod in omni natura spirituali creata aliud est essentia, aliud est virtus, aliud est operatio.

CAPVT XII.

De distinctione cælestium hierarchiarum.

HIerarchia triplex est, scilicet supercœlestis, cœlestis, & subcœlestis. Supercœlestis est in tribus personis. Cœlestis est in ordinibus Angelicis. Subcœlestis in hominibus sanctis. Porro hierarchia cœlestis diuiditur in superiorem, mediam, & inferiorem. Superior continet tres ordines, scilicet Cherubim, Seraphim, Thronos: quorum primi considerant Dei bonitatem, secundi veritatem, tertij æquitatem. Item in primis Deus amat, vt charitas: in secundis noscit, vt veritas: in tertijs sedet, vt æquitas. Media continet Dominationes, Principatus, & Potestates: quorum primi regunt officia Angelorum: sequentes capitibus præsunt populorum: vltimi potestatem coercent dæmonum. Item in primis Deus dominatur, vt maiestas: in sequentibus regit, vt principatus: in vltimis tuetur, vt salus. Inferior hierarchia similiter continet tres ordines, scilicet Virtutes, Archangelos, Angelos: ad quorum priores pertinet miraculorum operatio: ad secundos, maiorum negotiorum denuntiatio: ad tertios, humanæ custodię sollicitudo. In primis Deus operatur, vt virtus, in secundis Deus reuelat, vt lux, in tertijs, mittit, vt inspirans. Hæc dicta sunt secundum beatum Gregorium, & secundum Bernardum. Sed secundum Dionysium, Virtutes sunt medius ordo secundæ hierarchiæ, & Principatus primus ordo tertiæ hierarchiæ. Hic attendendum quod in qualibet trium hierarchiarum præmissarum notatur Trinitas diuinarum personarum, vt patet cœlesti hierarchia, tam superiori, quam media, quam etiam inferiori.

Greg. hom. 34. in Euang.

CAPVT XIII.

De proprietatibus Angelorum.

Isid. lib. 1. de sum. bono cap. 12.

ANgeli secundum Isidorum sunt spirituales facti, ante omnem creaturam creati, natura mutabiles conditi, sed contemplatione immutabiles facti, animo impassibiles, mente rationales, felicitate securi, futurorum præscij, iussi mundum regunt, missi corpora aerea assumunt, in cœlestibus commorantur. Bernardus de eodem, Inuestigemus inuestigabilia: & primo spiritus esse potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personis, dispositos in dignitate; ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, vnanimitate indiuisos, pace securos, diuinis laudibus, & obsequiis deditos. Item secundum Bernardum, in Angelis est dignitas creationis, gratia confirmationis, amor Creatoris, visio diuinitatis. Est etiam in Angelis potentia, sicut supra dictum est, essentiæ subtilitas, intelligentiæ perspicacitas, liberi arbitrij facultas, agilitatis velocitas. Prompte omnes obediunt. Maiores sine elatione præsunt, minores sine vitio subsunt, qui ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione non recedunt. Omnem virtutem inferiorum superiores participant, non è contra. Qui excellunt in natura, præcedunt in gratia & gloria. In eodem ordine creduntur alij esse alijs digniores. Duplicem habent visionem, scilicet, matutinam, & vespertinam. Illuminationes, quas à superioribus recipiunt, alijs tribuunt.

Ber. lib. 5. de consid. c. 4.

Idem.

CAPVT XIV.

De proprietatibus, & officiis singulorum ordinum.

PRoprium est Seraphim in amore Dei ardere, & alios ad incendium diuini amoris promouere, & in

Deum

Deum ordinare, & Deum ordinate diligendi formam tribuere. Isti immediate Deo iunguntur:& ideo purius, & perfectius in ipsos operantes theophaniæ deferuntur: ad aliud quoque extra amatum non diuertunt. Cherubim quoque primo & principaliter relucent diuini luminis radio, pro eo quod vicinius primæ veritati iungũtur. Horũ officium est promouere homines ad diuinam cognitionem: ideo præ ceteris dicuntur lucere: quia plenitudinem luminis quam suscipiunt, alijs inferioribus communicando transfundunt. Throni dicuntur, eo quod in eis Dominus sedeat, & iudicia sua per eos determinet. In his ergo præcipue relucet rectitudo diuini iudicij. Hi quoque virtutem Dei quam supra se accipiunt, ad inferiores transfundunt. Dominationes dicuntur, eo quod cæteris Angelis dominantur, & ab omni oppressione sunt liberi, & nulli inferiori subiiciuntur. Horum officium secundum Gregorium est in bello spirituali instruere, qualiter oporteat prælationis officium exercere, & qualiter debeat subditis dominari. Horum etiam officium est secundum Dionysium, timore seruili deposito, in Deum moueri, & incessanter ei famulari. Principatus subditis Angelis præsunt, & eos ad ministerium diuinum explendum disponunt. Ad hos pertinet secundum Dionysium, vniuersale regimen, vnius regni gentes ducere ad Dei similitudinem. Ministerium quoque eorum est secundum Gregorium, docere homines exhibere reuerentiam vnicuique secundum gradum suum. Horum etiam officium est promouere homines, vt non propter vtilitatem propriam, sed propter solius Dei amorem, & honorem, faciant iustitiam. Potestatibus secundum Isidorum, virtutes aduersæ subiectæ sunt, ne mundo tantum noceant, quantum cupiunt. Horum officium secundum Gregorium est, illos qui in spirituali certamine desudant, confortare, & ne spirituale regnum amittant, defendere. Et secundum Dionysium ad ipsos spectat, Angelos inferiores quantum possibile est, diuinæ potentiæ conformare. Virtutes sunt infatigabiles ad executionem faciendorum, & robusti ad præceptionem munerum. Horum officium est secundum Dionysium docere prælatos, vt facile & perseueranter, quæ ad officium prælationis pertinent, exequantur, & ipsius onera sustineant patienter. Item per istos miracula fiunt, & virtutes faciendi mirabilia perfectis conceduntur. Archangeli summi nuntij nuncupantur, & summa nuntiant. Horum officium est secundum Gregorium, de his quæ pertinent ad promotionem fidei, vt de natiuitate Christi, & factis eius homines erudire, & dæmones ab hominibus remouere, secũdum Dionysium prophetias reuelare. Isti illuminationes, quas à superioribus suscipiunt, inferioribus annuntiant, & per eosdem nobis Angeli sunt in cœlesti dispositione vltimi, & hominibus magis propinqui. Angelus nomen est officij, non naturæ. Isti minima nuntiant, & homines ad diuinam cognitionem ducunt, & vt iuste viuant, instruunt. Hi sursum extenduntur per dilectionem Dei, in seipsis firmantur per custodiam sui ac sub se progrediuntur ad auxilium proximi. Nos autem assimilari debemus Seraphim per charitatem, Cherubim per cognitionem, Thr[illegible]nis per æquitatem, Dominationibus carnem spiritui subiugando, Principatibus reuerentiam maioribus nostris exhibendo, Potestatibus tentationibus diabolicis resistendo. Item debemus assimilari Virtutibus per compassionem, Archangelis per instructionem, Angelis per obsequij exhibitionem.

Greg. hom. 34. in Euang.

Greg. vbi sup. prox.

Isidor. vbi supra.
Greg. vbi supra.

Greg. hom. 34. in Euang.
Dionys. de cœl. Hierar. cap. 9.

CAPVT XV.

De cognitione & motu Angelorum.

Angeli cognitionem habent matutinam, hoc est, cognitionem rerum in Verbo. Item vespertinam, idest, cognitionem rerum in se. Item meridianam, idest, apertam Dei visionem. Est & alia cognitio Angelica, videlicet, prout maiores indicant minoribus, quæ per diuinas theophanias perceperunt. Theophania vero est ostensio alicuius cognoscibilis de Deo per illuminationem de Deo venientem: & hoc potest esse vel in symbolis, vel facie ad faciem. Nota quod Angelus in cognitione rerum in propria natura, cognoscit plura habitu, & non actu. Circa incarnationem, & passionem Christi sciuerunt Angeli substantiam facti, sed non omnes circumstantias vt quare, vel quomodo. Præterea quæcũq; Angeli cognoscunt, cognoscunt remota sicut propinqua: quia cognitio eorum non per sensum, sed per intellectum est.

Status autem Angeli triplex est, scilicet innocentiæ, gratiæ, & gloriæ. Distinguitur motus Angelorum tripliciter secundum Dionysium, scilicet circularis, rectus & obliquus. Circularis est ab eodem in idem, & circa idem centrum immobile. hunc motum habent Angeli qui immediate recipiunt illuminationes à Deo, & per illas reuertuntur ad Deum. Istud autem conuenit superiori hierarchiæ tantum. Item motu recto mouentur, quando procedunt ad prouidentiam subiectorum recte omnia transeuntes, & non reuertũtur ab eodem in idem, sed de vno in aliud. Item est in Angelis motus obliquus, quando scilicet cognitionem inferiorum quibus prouident, reflectunt in Deum principium & finem boni, & pulchri.

Nota differentiam inter assistere & ministrare: quia assistere est faciem Dei contemplari: sic assistunt omnes boni Angeli. Item assistere est immediate recipere illuminationes à Deo: sic tantum assistunt tres primi ordines. Item assistere est appropinquare Deo, & extraneum esse ad exterius missioni. sic assistunt quatuor primi ordines. Ministrare vero est nuntiare pro temporis opportunitate, vel operari secundum officium. Est enim ministerium nuntij & officij.

Erratum est circa motum Angelorum tribus modis. Dicebant enim quidam philosophi, quod Angeli nunquam mouentur, sed mouent sphæras, & per eas voluntates hominum. Item dixerunt alij, quod Angelus sit in pluribus locis, & etiam vbicunque si voluerit. Item dixerunt alij, quod Angelus sic venit de fine spatij, quod non transit media, sed transilit. Illud quoque prætermittendum non est, quod vnusquisque ordo ab eo denominatur, secundum quod respectu inferiorum ordinum excellentias accipit in munere.

CAPVT XVI.

De prælatione Angelorum.

Præsunt quidam Angeli regionibus, vt dicitur in Daniele: Princeps Græcorum, & princeps Persarum, &c. Quidam vero præsunt Ecclesiis, in Apocalypsi. Angelo in Ephesi Ecclesiæ scribe. Item alij præsunt personis. In Actis Angelus Petri credebatur ad ostium stare. Quidam etiam maligni spiritus dicuntur vitijs præesse, vnde vocatur aliquis spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ, & huiusmodi. Quæ autem prælationes permaneant, vel quæ cessent post hanc vitam, sciendum est quod hierarchię semper stabunt: quantum ad instantiam beatitudinis, & quantum ad gradum dignitatis, & no[illegible] ilitatem doni gratuiti, ac naturæ. Cessabunt autem prælationes Angelicæ super homines, & Angelos, quo ad actum regiminis, secundum gubernationem mundi, & electorum, secundum viam ad patriam. Prælatio autem est in dæmonibus quo ad officium insultandi & irridendi, & secundum quod vnus prouocat alterum in malitia & hoc non destruetur. Psalmista: Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper, nec destruetur quantum ad malitiam & naturam. Cessabit autem eorum prælatio quo ad officium tentandi eos qui sunt in via. In hominibus etiam prælationes euacuabuntur: quia non erunt decani, centuriones, chiliarchæ: & huiusmodi. In creaturis

Dan. 10. c. d
Apoc. 2. a
Act. 12. c

Psal. 73. d.

turis similiter cessabit prælatio, quia superiora non mouebunt tunc inferiora, sicut modo.

Caput XVII.

De confirmatione Angelorum.

Confirmationem habet Angelus ex tribus, scilicet ex natura, gratia & gloria. Ex natura quidem, quia natura spiritualis semel tantum vertibilis est, vel in bonum, vel in malum: nisi ex vnione vnius cum altero, sicut patet in anima, quæ dum est in corpore, potest mutari sæpius de bono in malum, & contra: soluta vero non. Huius autem ratio est, quia natura spiritualis propter suam simplicitatẽ se totam conuertit ad id quod eligit, quod nõ facit natura vnita, quia habet corpus retrahẽs. Ex gratia similiter habet cõfirmationem, quia si aliquid connectitur stabili, æterno vinculo perpetuo, illa connexio semper manet. Sic Angeli colligati sunt stabili æterno, scilicet Deo, & hoc vinculo indissolubili, scilicet charitatis. Apostolus: Charitas numquam excidit, &c. Ex gloria quoq; habent eam, quia cum Deum habeant per gloriã, qui est forma completiua angelici desiderij, non vagantur extra ipsum, vt quærant aliquid illo melius, vel desiderabilius, atque iucundius. Nihil enim in creaturis inueniunt, quod possit eos à fonte diuinæ dulcedinis auertere.

1. Cor. 13. c

Tenendum itaque quod Angeli boni ex libertate arbitrij ad Deum conuersi, statim fuerunt per gratiam & gloriam in voluntate confirmati, fideles ac felices effecti, atq; in oratione illuminati, vt non solum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in arte, hoc est, in Verbo. Filius enim dicitur ars Patris per quam operatur. Acceperunt insuper perfectionem in virtute operatiua, siue exequantur illam assumpto corpore, siue alias, atq; perfectionem in virtute contemplatiua, qua quocumq; mittantur, intra Deum currunt.

Caput XVIII.

De custodia Angelorum.

Angeli nobis ad custodiam deputati tenent nos stantes, ne cadamus, & cadentes nos adiuuant, vt surgamus: nec vmquam nos deserunt, etiam peccantes, quin semper sint parati auxiliari, si velimus. Hoc tamen fallit in obstinatis à quorum custodia desistit Angelus actualiter: paratus est tamen custodire, si redire voluerint, quia numquam deseritur homo ex toto ab Angelis.

Nota quod Christus non habuit Angelum sibi deputatum, quia anima eius superior fuit omni Angelo, sicut, & habebit vnum Antichristus, quem licet propter nimiam obstinationem, non sit habiturus ad promotionem suam, habebit tamen ad accusationem.

Effectus autem angelicæ custodiæ multiplex est. Primus est impedimenta boni, & occasiones mali, & actiones peccandi remouere. Exodus: Mittã Angelũ præcursorem, qui eijciat Iebusæum. Secundus est, tentationes mitigare. Daniel: Angelus Domini descendit in fornacem, &c. Tertius est, contra hostes visibiles adiuuare, in libro Regum: Elisæus vidit castra Angelorum. Quartus est, orationes nostras, & eleemosynas Deo præsentare & pro nobis orare. In Tobia: Quando orabas cum lacrymis, &c. Quintus est, viam ostendere. In Tobia. Ego sanum ducam, & reducam, &c. Sextus est, in agendis docere. Zacharias: De Angelo qui instruit eum de quattuor fabris. Septimus est, seipsum & alia secreta reuelare. In Tobia: Ego sum Raphael Angelus. Octauus est à peccatis excitare. In Actis: Surge velociter. Nonus est, ad feruorem excitare. In libro Regum: Surge, comede; grãdis enim tibi restat via. Decimus est, consolari. In Tobia: Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris. Vndecimus est, de peccatis increpare. In libro Iudicum: Dixit Angelus populo Israel: Cur contra Deum fecistis. Duodecimus est, contrarias potestates arcere ne tantum nocere valeant, quantum vellent. In Tobia: Qualiter Angelus Asmodeum ligauit.

Exo. 33. a; Dan. 3. d; 4 Re. 6. c, d; Tob. 12. c; Tob. 5. d; Zach. 2. a; Tob. 12. d; Act. 13. b; 3 R. 19. b; Tob. 5. d; Iudic. 2. a; Tob. 8. a

Angeli seruiunt nobis propter tria, scilicet propter ruinæ suæ reparationem, quia homines saluandi intrabunt in locum cadentium Angelorum. Item propter meriti accidentalis cumulationem, quod augetur in eis vsq; ad diem iudicij. Item propter amoris erga nos demonstrationem.

Dionysius attribuit Angelo tres actus, scilicet purgare, illuminare, & perficere. Purgant itaque Angeli remouendo phantasmata, quæ impediunt illuminationem, quam Angelus intendit facere in nobis. Vnde tria remouent ab anima, scilicet ignorantiam, & nubila phantasiarum, ac falsas opiniones philosophicarum rationum reuelationi contrariarum. Illuminant vero animam tripliciter, scilicet ad sensum, vt patet quando aliquid manifestatur in assumpto corpore. Item ad imaginationem, scilicet cum fumositates, quæ per spiritum animalem ad cerebrum eleuantur, transmittunt in diuersa phantasmata: & hanc potestatem habet etiam diabolus. Item ad intellectum, & talis illuminatio solum perfecta est. Nondum autem quod Angelus non illuminat intellectum efficiendo nouam cognitionem in anima, quia non potest in intellectu nouam speciem imprimere, nec habitum noui luminis dare, sed nec eius intentionem quo vult conuertere, quia hoc est contra naturam liberi arbitrij. Hæc enim tria requiruntur, vt intellectus noster intelligat aliquid, scilicet species, qua cognoscatur, & lumen in quo cognoscatur, & intentio qua conuertatur intellectus super speciem. Illuminat autem Angelus intellectũ nostrum excitando, & disponendo, & lumen diuinum in nos transferendo. Facit enim, vt dictum est, in phantasia transmutationem specierum componendo, & diuidendo, secundum exigentiam rei, quam vult reuelare. Item irradiat lumen intellectus sui super illas species: vt moueant intellectum nostrum, & sic plura & subtiliora videre possunt in lumine duplicato. Item excitat intentionem animæ aliquo motu, vt ipsa conuertat se super illa phantasmata, abstrahendo se ab alijs: perficiunt autem, idest promouent ad melius.

4. Reg. 6

Sed vtrum Angelus accendere possit affectum humanum, tripliciter potest intelligi, scilicet, vel efficiendo, vel excitando, & adiuuando, vel mouendo. Primo modo solus Deus potest inflammare affectum, scilicet, per effectum. Secundo modo ipsum desideratum inflammat affectum, scilicet excitando, & iuuando. Tertio modo potest Angelus affectum nostrum incendere per motum. De his habemus exemplum in naturis; quia primo modo ignis accendit ligna. Secundo modo ligna incendunt ignem. Et tertio modo, quia ligna igni apponit, ignem accendit. Differentia autem est inter immittere cogitationem, & incendere, & mentem illuminare: quia cogitationem immittere est, vt dicit Beda, intus creare, & facere cogitationem: sed incendere, est cogitationem iam factam inflammare: illuminare vero est dare reuelationem de aliquo occulto intelligibili.

Caput XIX.

De locutione Angelorum.

Verbum triplex est, scilicet, mentis, oris, & operis. Verbo mentis loquitur Deus Angelo, & è conuerso. Item Deus animæ, & è conuerso: item diabolus Deo: cuius tamen intentio Deum latere non potest. Verbo autem oris loquitur homo homini in corpore vnito animæ, Angelus vero homini corpore assumpto: sed verbo operis loquitur Deus diabolo, & Angelus diabolo. De locutione itaq; Angelorum, nota quod Angelus loquitur Deo, cum ex visis in motũ admirationis exurgit,

vel

vel cum affectus suos ei præsentat, quos tamen eum latere minime dubitat. Angelus vero loquitur Angelo verbo mentis suæ, species ostendendo mediante illuminatione quadam spirituali irradiante ab ipso. Item Angelus facit aliquid coram Angelo, quo facto intelligit quod non intelligebat ante. Et sic loquuntur omnes omnibus, idest, superiores inferioribus, & è conuerso. Item loquitur Angelus Angelo per communicationem diuini luminis ipsum instruendo. sic non loquuntur omnes omnibus, nec omnia, sed tantum superiores inferioribus de his quæ per diuinas theophanias perceperunt.

Loquitur autem Angelus homini dupliciter. Primo modo verbo vocali in assumpto corpore, sed tunc sicut non profert somnum in organis materialibus secundum naturam, ita nec circulariter immutat mediũ, quemadmodum in voce naturali: vnde non auditur, nisi ab illo, ad quem ordinatur. & est simile in apparitionibus Angelorum, quos quidam vident, & alij æque propinqui non vident, vt apparet in Elisæo, & puero eius. Dicunt tamen aliqui, quod Angelus numquam apparuit, vel apparet, aut loquitur homini in subiecta creatura, sed intentionem, siue similitudinem ponit in oculo eius, vel intentionem vocis ponit in aure eius: & ibi recipit sensus communis species illas, ac deinde perueniunt ad imaginationem, post hæc ad intellectum: & hoc est, quod Angelus dicitur apparere, aut loqui homini.

4. Reg. 6. c

Secundo modo loquitur Angelus homini per impressionem rerum sensibilium, moto instrumento imaginationis, & sic loquitur vigilantibus, & dormientibus.

Item loquitur Angelus diabolo species sui intellectus ei sine aliqua illuminatione ostendendo.

Item loquitur diabolus homini dupliciter. Primo modo sensum immutando, & hoc vel imaginationem alicuius rei imprimendo instrumẽto visus, vel obijciendo visui similitudinem alicuius rei. Secundo modo loquitur diabolus homini per impressionem rerum sensibilium in instrumento imaginationis, & hoc facit quãdoque vigilantibus, quandoque dormientibus: & sic immittit cogitationem mali. Cogitationem vero malam non potest immittere, quæ tantum per consensum mala sit.

Est & locutio animarum, quia anima loquitur Deo per desiderium: cuius affectiones nudæ sunt, & apertæ oculis Dei. Anima similiter Angelo loquitur, & hoc per voces corporis, quas bene percipit Angelus, sicut & alia sensibilia. Vnde anima existens in corpore alia spirituali potestate loquendi ad Angelos non indiget, sed hanc habebit exuta à corpore. Item anima loquitur diabolo, quia similitudines affectionum imprimuntur sensibus, vbi diabolus legit eas.

CAPVT XX.

De specialibus nominibus Angelorum.

DE his nominibus Michael, Gabriel, Raphael, sciendum est, quod hæc sunt propria nomina Archangelorum, licet eorum interpretationes alijs sunt communes: sed eorũ propria sunt, quia his horum nominum interpretationes conueniunt excellentius. Michael interpretatur, Quis vt Deus. Hic est ordine Principatuum, & attribuuntur ei quattuor, scilicet esse præpositum paradisi, idest, Ecclesiæ: sicut & olim fuit princeps synagogæ. Item deferre animas in paradisum: sed hoc intelligas, quod gloriosius deferat quam alij. Item pugnare cum dracone, idest, diabolo, sicut legitur in Apocalypsi: Item venire in adiutorium populo Dei.

Apoc. 12. b
Dan. 10. d

Gabriel interpretatur fortitudo Dei. Hic est de ordine Angelorum, & merito, quia magna annuntiauit. Raphael interpretatur medicina Dei, & est de ordine Virtutum, quia mirabilia magna fecit.

CAPVT XXI.

De casu Angeli.

OMnes Angelos fecit Deus bonos, non tamen summos, sed medios inter summum bonũ & bonum commutabile, quod est creatura, ita quod si conuerterẽtur ad amandum Deum, qui supra se erat, ascenderent ad statum gratiæ, & gloriæ. Si vero conuerterentur ad bonum commutabile, quod fuit infra se, hoc ipso ruerent in malũ culpæ, & pœnæ, quia non est dedecus peccati sine decore iustitiæ.

CAPVT XXII.

De spirituali casu dæmonis.

CAsus diaboli duplex fuit, scilicet spiritualis, & localis. Spiritualis, quia cecidit de naturæ puritate, de flexibilitate liberi arbitrij ad bonum, de luce in tenebras, de scientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de felicitate in pœnam, de dilectione in odium. Post casum enim factus est impœnitens, & obstinatus in malo, & excæcatus à vero, & deordinatus in bono, & infirmatus in virtute, & exclusus à Dei contemplatione. Præterea voluntas eius impia conuersa est ad hominis odium, & inuidiam: vnde toto conamine nititur ad eius subuersionem, per tentationem multiplicem. In tantum autem excæcatus est, quod potius vult esse, quam non esse, vt pugnet contra Deum, licet ex hoc sciat sibi malum semper euenire: quia quolibet facto suo, quod ex libero suo arbitrio procedit, peccat mortaliter.

CAPVT XXIII.

De locali casu diaboli.

CAsus etiam diaboli localis fuit, quia vel in infernum, vel in caliginosum aerem, qui est in medio interstitio aeris, corruit. Dæmones enim non sunt in superiori parte aeris, ne lumine gaudeant: nec sunt in parte inferiori, ne nimis contra nos sæuiant. Vnde notandum est, quod in dæmonibus est tria considerare, scilicet, naturam, officium, & peccatum. Et naturæ quidem conuenit locus summus, idest, cælum, in quo tamquam in loco congruo sunt creati, & postmodum in natura, si stetissent, perficiendi. Ex officio vero quod habent exercendi homines, conuenit locus medius, idest, aer caliginosus, vbi & satis propinqui sunt nobis ad tentandum, & tamen non habent lumen ad gaudendum. Sed peccato conuenit locus infimus, scilicet infernus. Vnde & dæmones post finem mundi, quando cessabit eorum officium, detrudentur simul in infernum. Dicunt quidam quod Angelus cecidit secunda die. Sed communior est opinio quod prima die subito post creationem suam ceciderit. Dicitur communiter, quod decimus chorus Angelorum cecidit: sed hoc non dicitur quod decem ordines Angelorum fuerint, sed quod tot de singulis ordinibus ceciderunt, quod poterant facere chorum vnum. Vnde nouem sunt ordines Angelorum: quilibet ordo habet suas legiones. Legio autem Angelorum habet 6666. vnitates. Tot autem in singulis ordinibus sunt legiones, quot in legione sunt vnitates.

Mat. 25. c

CAPVT XXIV.

De restauratione ruinæ Angelorum.

Aug in Enchir. c. 29. to 3. & lib. 22. de ciu. c. 1. 10. 5. *Greg. homil. 34. in Euang.*

ANgelorum ruina restaurabitur per saluandos. Dicit autem Augustinus, quod tot saluabuntur homines, quot Angeli ceciderunt.* Gregorius vero dicit quod tot homines saluabūtur, quot Angeli perstiterunt. Dixerunt etiam quidam quod duo parietes erunt in cœlo, scilicet vnus hominum, & alius Angelorum: & quod ruina Angelica restaurabitur per Virgines: & de alio pariete tot erunt saluandi, quot in alio pariete sunt Virgines & Angeli.

CAPVT XXV.

Cur peccatum diaboli sit irremissibile.

Aug. lib. 1. de mirabil. Script. ca. 2. tom 3. Damasc. li. 2 de fi. ort. cap. 3. Luc. 12. f Ibid. Dam.

QVare peccatum diaboli sit irremissibile, assignantur plurimæ rationes. Prima quia secundum Augustinum, nullo suggerente peccauit, & ideo nullo reparante redibit. Secunda est secundum Damascenum, quia contra Deiformem intellectum peccauit. Quanto autem nobilior est cognitio, tanto peior est error. Seruus enim sciens voluntatem Domini, &c. Tertia secundum eundem Damascenum est, quia Angelus non est susceptibilis pœnitentiæ, vnde nec veniæ. Quarta est, quia in diabolo extincta est synderesis quantum ad boni promotionem. Quinta est, quia natura spiritualis semel tantū vertibilis est, eo quod tota se cōuertat: quod non facit homo, quia caro semper repugnat spiritui. Status autē Angeli mali triplex est, vt patere potuit ex prædictis. Primus, scilicet innocentiæ. Secundus culpæ. Tertius pœnæ & miseriæ.

CAPVT XXVI.

De proprietatibus dæmonum.

DÆmones sunt spiritus impuri, humani generis inimici, mente rationales, in nequitia subtiles, cupidi nocendi, per superbiam tumidi, semper in fraude noui, immutant sensus, inquinant affectus, vigilantes turbant dormientes per somnia inquietant, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis Angelos se transformāt, semper infernum suum secum portant, in idolis sibi cultum diuinum vsurpant, super bonos dominari appetunt, magicæ artes per eos fiunt, bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur. *2. Cor. 11. c*

Triplici acumine scientiæ vigent dæmones. Primo subtilitate naturæ, & hoc per cognitionem vespertinam. Secundo experientia temporum. Tertio reuelatione superiorum spirituum. Primo modo intelligunt naturalia præsentia. Secundo modo naturalia futura. Tertio modo cognoscunt etiam voluntaria.

Multipliciter vero diabolus nominatur, per quod & proprietates suæ cognoscūtur. Vocatur enim diabolus, quod interpretatur defluens, quia defluit, idest corruit spiritualiter, & localiter sicut dictum est. Grece interpretatur diabolus clausus ergastulo, & hoc sibi conuenit, quia non permittitur tantum nocere quantum vellet. Præterea secundū etymologiam diabolus dicitur à dia, quod est duo, & bolus, quod est morsellus, quia duo occidit, scilicet corpus & animam. Item vocatur dæmon, idest, sanguineus, & hoc propter peccatum: vel sciens, quia viget triplici scientia, sicut dictum est. Item Belial, quod interpretatur absq; iugo, vel absq; domino: quia pro posse cōtra eum pugnat, cui deberet esse subiectus. Item Beelzebub, quod interpretatur vir muscarum, idest, animarum peccatricum, quæ reliquerunt verum sponsum Christum. Item Satanas, idest, aduersarius, vnde Petrus: Aduersarius vester diabolus, &c. Item Behemoth, idest, bestia, quia facit homines bestiales. Item Leuiathan idest, additamentum eorum qui peccata peccatis cumulant. *1. Pet. 5. 8* *Luc. 11. b* *1. Pet. 5. c* *Iob. 40. b* *Isa. 27. a*

CAPVT XXVII.

De malitia diaboli contra nos.

DIabolus nocet homini multipliciter, quia per violentiam, & hoc quandoque exterius corpus lædendo, sicut fecit Iob: quandoq; intra membra ligando, sicut in obsessis: & propter hoc datur paruulis Angelus bonus, ne diabolus in his lædat eos vel excedat. Item nocet per impressionem imaginum mala suggerendo, vel per commotionem sanguinis ad peccatum accendendo, vel sensus exteriores per obiectionem falsarum formarum decipiendo. De his & similibus dicit Gregorius: Aut opprimendo rapit, aut insidiando circumuolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut desperando frangit, aut promittendo decipit. *Iob. 2. b* *Mat. 18. b* *Greg. li. 32. Mor. c. 1.*

Diabolus decipit homines quattuor modis. Primo suadendo bonum, sed hoc propter malum, vt cum homini instabili suadet ingressum religionis, & hoc vt postmodum apostatet. Secundo suadēdo malum, & hoc sub specie boni: vt peierare pro rebus alterius conseruandis. Tertio dissuadendo bonum tamquam nociuū, vt cum dissuadet bono viro religionis ingressum, ne de hoc pœniteat, & egrediens confundatur. Vel quando dissuadet alicui oratione vel eleemosynam, ne per hoc incurrat vanam gloriam. Quarto dissuadendo malum vt ducat ad peius: vt quando dissuadet temperantiam in victu & somno, vt per hoc inducat ad indiscretam abstinentiam, quod peius est. *Gen. 3. a*

Impeditur diabolus in effectu suæ malitiæ multis modis, quandoq, scilicet per terminum suæ potestatis à Deo impositum. Item quandoq; per resistentiam bonorum spirituum. Habet enim quælibet anima duos Angelos: vnum bonum ad custodiam, alium malum ad exercitium. Item per arbitrium hominis non consentientis. Item per peccati abominationem, quia quandoque dæmones nobilioris naturæ peccata vilia detestantur. Item propter cautelam quandoq; omittit facere mala, vt peius fiat sicut modo non vexat excommunicatos, vt minus timeant tales sententias.

Vtrū autē virtus tentandi minuatur in diabolo, quando vincitur, diuersæ sunt opiniones. Dicunt enim quidam quod superatus in vno vitio, ipsum victorem non possit amplius tentare de eodem vitio, sed alius diabolus potest. Alij dicunt quod superatus in vno vitio, nullū amplius de illo vitio possit tentare. Origenes dicit, quod superatus ab vno, neminem possit tentare de cetero.

Data est potestas dæmonibus exercendi magicas artes multiplici ratione. Primo ad fallēdum fallaces, sicut Ægyptios, & ipsos magos. Vnde etiam quæ ipsi per talem modum acturi sunt, quasi diuinando prædicunt. Secundo ad monendum fideles, ne scilicet, tale quid pro magno desiderent, cum videant etiam malos facere huiusmodi. Tertio ad probandam & exercendam patientiam & fidem iustorum. *Exo. 7. b* *Tob. 2. c*

CAPVT XXVIII.

De Lucifero.

DE Lucifero sciendum est, quod fuit de supremo ordine superioris hierarchiæ, ac in illo ordine supremum gradum tenuit: cui tamquam principi de singulis ordinibus magna multitudo adhæsit, quos omnes secum traxit. Dictus est autem Lucifer quia præ cæteris luxit, suæque pulchritudinis consideratio eum excæcauit. Primum hominem tentauit, & vicit. Christum tentauit, & victus est. Potestatem tunc amisit, quam vltimis temporibus recuperabit. Nunc religatus est, & in fine soluetur. Peccatum Luciferi fuit, quod se & suum, priuatum bonum dilexit. Excæcatus de altitudine habita præsumpsit, ac propriam excellentiam ambiuit, quasi habiturus fuerit à se, non ab alio, & sine meritis habere voluit. *Gen. 3. b* *Matt. 4. b* *Apoc. 20. a* *Isa. 14. d*

voluit. Stare vel sperare cum posset quousque gratia apponeretur, noluit. Dei similitudinem concupiuit, non quidem causa imitationis, sed potestatis, idest, subditos habere voluit, & nulli subiectus esse concupiuit.

CAPVT XXIX.

Quid sit anima secundum diffinitionem.

POst naturam corpoream, & incorpoream dicendum est de natura ex vtrisque composita. Sed primo ex parte mentis, secundo ex parte corporis, tertio ex parte totius hominis. De anima igitur videndum est quid sit, secundum diffinitionem. Porro à quibusdam diffinitur, vt spiritus, à quibusdam, vt anima, à quibusdam vero, vt spiritus, & anima. In quantum igitur anima naturam habet spiritus, diffinitur ab Augustino sic in libro de motu cordis, Anima est substantia incorporea, intellectualis, illuminationis capax, vltima reuelatione perceptiua. Ex hac diffinitione cognoscimus quod spiritus humanus, qui est anima, inter omnes creaturas immediate post Angelos illuminationis diuinæ sit perceptiuus. Anima vero inquantum anima, sic diffinitur à Remigio. Anima est substantia incorporea, regens corpus. Ex hac diffinitione habemus quod anima est quasi corporis rector, & motor. Item anima inquantum anima diffinitur à Philosopho in libro de anima, sic Anima est entelechia corporis physici organici potētia vitam habentis. Entelechia hic dicitur actus primus, siue perfectio. Ex hac diffinitione habemus quod anima vnibilis est corpori, non omni, sed soli organico & physico, idest, naturali ad susceptionem animæ rationalis disposito. Item anima inquantum est spiritus, & anima, sic diffinitur ab Augustino: Anima est omnium similitudo. Hæc diffinitio data est per comparationem animæ ad creaturas. Anima enim ex sui natura ad suscipiendas omnium rerum tam corporalium, quam spiritualium similitudines apta est. Item animæ descriptio talis est. Anima est Dei formæ spiraculum vitæ. Hæc descriptio sumitur à Genesi, & datur secundum quod anima comparatur ad Deum, prout non ex traduce, vel seminali ratione ꝑpagatur, sed à Deo corpori creando infunditur, & infundendo creatur. Item Seneca sic diffinit animam, anima est spiritus intellectualis ad beatitudinem in se, & in corpore ordinatus. Hæc diffinitio datur in relatione animæ ad finem, secundum quod non solum separata beatificatur in se, sicut Angelus immo & in corpore glorificato ipsius beatitudo ampliatur.

Arist. lib. 2. de anima. tex. 5.

Aug. lib. de spir. & ani. cap. 6. to. 3.

CAPVT XXX.

Quid sit anima secundum rem.

QVid sit anima secundum rem, diuersas videntur sententias philosophi protulisse. Plato enim dicit animam numerum seipsum mouentem. Aristoteles entelechiam, Pythagoras harmoniam, Hippocrates spiritum tenuem, Heraclitus lucem, Democritus spiritum ex atomis compositum, Hepomenes igneum vigorem. Parmenides dicit eam esse de terra & igne. Epicurus autem ex aere & igne. Inter has diuersitates nos sequimur dicta sanctorum, & Catholicorum magistrorum dicentium, quod anima est substantia spiritualis & rationalis, ad viuificandum corpus humanum de nihilo creata. Creata est inquantum anima perfectibilis, & imperfecta quantum ad scientiam & virtutes, perfectissima tamen est quantum ad potentias naturales. Et quia incorporea est, sensui non est subiecta, neque secundum dimensionem extensiua. Quantitatem enim habet anima, vt dicit Augustinus, non dimensiuam, sed potestatiuam & virtualem. Et quia simplex est anima, ideo nec augmenti, nec detrimenti est susceptiua: quia nec in corpore maiori maior, nec in minori minor reperitur, vt dicit Augustinus. Multitudo quoque potentiarum in anima non ponit maioritatem in animæ natura, sed multiplicitatem effectuum. Anima etiam est vita perpetua, scilicet per memoriam, intelligentiam, & voluntatem ad imaginem Dei facta, capax virtutis, & vitij, susceptibilis pœnæ, vel præmij: arbitrio libera, potentijs & habitibus, ac affectionibus decorata. Caret pondere, figura, & colore. Passibilis & mutabilis est: eo magna, quo capax est æternitatis: eo recta, quo naturaliter appetens est bonitatis: eo bona, quo particeps est diuinitatis.

Ex Aug. li. de quant.

anima cap. 17. tom. 1. ibidem.

Gen. 1. d

CAPVT XXXI.

Quid sit anima secundum nomen.

ANima dicitur, inquantum corpus animat, & viuificat. Mens, inquantum recolit. Animus dum vult. Ratio dum rectum iudicat. Spiritus dum spirat, vel quia spiritualem naturam habet, sensus, dum sentit. Memoria dum recordatur. Voluntas dum consentit. Hæc nomina diuersa sunt animæ, non propter essentiæ pluralitatem, sed propter effectuum multiplicitatem, & operationem. Dicitur anima ab a, est sine: & æma quod est sanguis, eo quod sit sine sanguine. Vel dicitur ab a, & nemein, quod est tribuere, eo quod anima vitam tribuit. Vel dicitur anima quasi anemos, idest, ventus quod spiritus sit.

CAPVT XXXII.

De triplici anima.

ACtus animæ triplex est, scilicet vegetare, sentire, & ratiocinari: secundum hoc distinguitur animæ potentia triplex, scilicet vegetabilis, sensibilis, & rationalis. De quibus dicit Ambrosius, quod anima vegetabilis appetit esse, sensibilis bene esse, rationalis autem optime esse: & ideo numquam quiescit, donec optimo coniungatur: propter hoc vi amoris in Deum mouetur tamquam ad centrum, vt in ipso summe delectetur. Hæ autem tres potentiæ in diuersis substantijs tres animæ dici possunt. Nam vegetabilis est anima in plantis, sensibilis in brutis, rationalis in hominibus. In homine autem tres prædictæ animæ vna sunt essentia, sed differunt in potentijs: nec obstat quod in homine successiue, ac diuersis temporibus manifestantur: hoc enim est à virtute formatiua, quæ rationabiliter prius disponit ad vitam quam ad sensum, & prius ad sensum, quam ad rationem, præsertim cum natura non in instanti & subito, sed paulatim & successiue operetur. Cum autem anima rationalis infunditur corpori, tunc prædictæ primo infunduntur, non habens actiones suas deinceps à virtute formatiua, sed ab ipsa anima. Anima quoque duas primas potentias, scilicet vegetabilem, & sensibilem exercet tantum in corpore, tertiam vero habet etiam exuta à corpore. Animæ vegetabilis, & sensibilis nō debent dici animæ in homine, nec diuidi vt animæ, sed vt potentiæ, nec anima vegetabilis in sensibili dicenda est anima, sed potentia. Anima autem vegetabili dicenda est animā, non potentia.

CAPVT XXXIII.

De potentia animæ vegetatiua.

ANima vegetabilis tres potentias habet, scilicet generatiuam, augmentatiuam, & nutritiuam. Prima est ad speciei conseruationem: secunda est ad conseruationem indiuidui. Tertia est ad perfectionem subiecti. Virtuti autem nutritiuæ quattuor deseruiunt,

scilicet, virtus attractiua, quæ assumit necessaria in nutrimento. Item digestiua, quæ separat conueniens ab inconuenienti in alimento. Item retentiua, quæ cibum tamdiu retinet in vno loco, donec debitam recipiat alterationem. Item expulsiua, quæ expellit quod superfluum est in nutrimento: sed ante omnes has est appetitiua.

CAPVT XXXIV.

De potentiis apprehensiuis animæ sensibilis.

ANima sensibilis duplicem habet potentiam, scilicet apprehensiuam, & motiuam. Apprehensiua diuiditur in apprehensiuam de foris, & apprehensiuam de intus. Vires apprehensiuæ de foris sunt quinque sensus particulares, siue exteriores, scilicet visus, auditus, &c. Vires autem apprehensiuæ deintus sunt quinque potentiæ interiores animæ sensibilis, quæ sunt sensus communis, imaginatio, æstimatio, phantasia, & memoria. Tradunt Peripatetici omnes vires istas organicas esse, & quod per instrumenta corporalia suas operationes perficiunt, eo quod sint circa particularia tantum. Omnis enim forma particularis in materia aliqua est: quoniam forma sine omni materia accepta, vniuersalis est circa quam operatur intellectus. Ista facile est videre in sensibus particularibus: quoniam illi non apprehendunt, nisi per rei sensibilis præsentiam. De virtutibus autem interioribus, quæ sunt imaginatio, æstimatio, phantasia, idem est: quoniam in illis omnibus est apprehensio formæ singularis secundum situm partium eius, & liniamenta, & quantitatem. Omnes istæ potentiæ passiuæ sunt, & patiuntur à formis, & indiuiduis, quæ sunt principia cognitionis sensibilis. Sciendum autem quod nulla apprehensiua sensibilis retinet id quod apprehendit: immo quod vna apprehendit, alia retinet. Notandum ergo quod alia virtus est quæ bene tenet, alia quæ bene recipit, & ista quæ bene tenet, perficitur sicco & frigido: sed illa quæ bene recipit, perficitur humido.

CAPVT XXXV.

De sensibus particularibus.

SEnsus particularis in quinque diuiditur, scilicet in visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: qui in multis conueniunt, & in multis differunt. Conueniunt enim quinque sensus in hoc quod sunt vires passiuæ. Sentimus enim intra suscipientes, non extra mittentes. Sensibile autem positum supra sensum non sentitur. Omnes sensus sunt perceptibiles singularium non vniuersalium. Ad quemlibet sensum extenduntur nerui duo: vnus ad sentiendum, quid agitur circa exteriora: & alius ad motum voluntarium, qui agit vt vis animæ interior, & ad organum dirigit intentionem.

In omni sensu oportet esse proportionem sensibilis ad sensum, quia in medijs delectantur, & in extremis corrumpuntur. Ad sentiendum autem aliquid oportet esse obiectum præsens, & medium deferens, & organum sanum atque conueniens, & animæ intentio actualis. Omnes sensus vnam habent originem, scilicet sensum communem, à quo velut à centro quasi lineæ quædam exeunt. Differunt etiam sensus particulares in multis. Nam quilibet habet speciale instrumentum. Differunt etiam in obiectis, differunt in medio differente, quia tactus, & gustus habent medium intrinsecus, & alij extrinsecus. Differunt in apprehendendi velocitate: quia visus citissime etiam remota apprehendit. Differunt situ, quia visus est supremus, post auditus, deinde alij per ordinem. Differunt vtilitate, quia gustus, & tactus maxime sunt necessarij ad conseruationem indiuidui, & speciei. Gustus enim discernit cibum, per quem seruatur animal à nociuo: & tactus discernit qualitates sensatorum, sicut calidum & frigidum, & huiusmodi, vt animal declinet extrema talium qualitatum, ne corruptionem incurrat. Differunt generalitate, quia tactus est generalior, cum non habeat organum determinatum, sed in omnibus membris sit. Differunt etiam in impressionum retentione, sensus enim grossiores fortius retinent suas impressiones, sicut patet in tactu. Nota quod videmus visu & oculo, sed differenter: nam visu videmus effectiue, siue formaliter, sed oculo videmus instrumentaliter. Eodem modo dicendum est de ceteris sensibus. Anima autem alienatur à sensibus tripliciter. Primo in somno, secundo in ecstasi magis, tertio in morte maxime.

CAPVT XXXVI.

De sensu communi.

SEnsus communis est potentia quæ omnium sensuum particularium obiecta apprehendit. Omnes enim sensus exteriores à sensu communi, velut à centro particulariter exeunt. & sensatorum suorum similitudines ad sensum communem reducunt, quo mediante de singulorum proprietatibus iudicant, & discernunt. Vnde sciendum quod sensus communis est fons, ex quo omnes sensus oriuntur, & ad quem omnis motus sensibilium refertur sicut ad vltimum finem. Hæc potentia quædam habet inquantum est sensus, & quædam inquantum communis est. Inquantum enim sensus est, habet recipere rerum species sine materia, & tamen præsente materia. Inquantum communis est, habet duo quorum vnum est iudicium sensibilium, per quod nos apprehendimus videre, quando videmus, & audire, quando audimus, & sic de alijs. Si enim hoc iudicium non esset in animalibus, non satis esset videre, & audire vtile: & secundum alios sensus apprehendere. Secundum est multa sensata comparare, dicendo vnum esse dulce, & aliud dulcius esse: & hoc ideo sensus communis habet, quia ad ipsum referuntur omnium propriorum sensuum sensata. Hæc virtus in anteriori parte cerebri ponitur, in loco, vbi concurrunt nerui sensitiui quinque sensuum, qui locus medullosus est & humidus.

CAPVT XXXVII.

De vi imaginatiua.

VIrtus imaginatiua est potentia apprehensiua, in qua imagines rerum sensibilium reseruantur. Hæc virtus plus abstrahit quam sensus, quia sensus nō accipit formam nisi præsente re: ista autem reseruat formam, etiam re absente. In hoc etiam imaginatio differt à sensu communi, quia sensus communis præsentis rei exterioris indiget, sicut sensus particularis. Ista autem virtus, scilicet imaginatio, thesaurus formarum vocatur: quia in ea, sicut dictum est, formæ à particularibus sensibus receptæ retinentur, & immobilitantur. Hæc potentia in anteriori parte cerebri, seu interiori, sicut & sensus communis ponitur: & hic maior est durities ex frigiditate cerebri proueniens, vbi & imaginatiua retinet impressiones à sensu communi receptas.

CAPVT XXXVIII.

De vi æstimatiua.

AEstimatiua virtus est, quæ à forma acquisita intentiones elicit, quæ sensu non percipiuntur, secundum quam ouis fugit lupum, & lupus miseretur suo filio: hoc autem non posset fieri, nisi lupus haberet cognitionem eius indiuidui, & quod hoc indiuiduum

sit na-

ut natus eius, sicut & ouis apprehendit lupum sibi nocuum. ista vero non possunt fieri per sensum. Æstimatiua differt ab imaginatione: quoniam imaginatio solum retinet formas apprehensas per sensum communem, & ad imaginationem solam non sequitur affectus miseriæ, vel tristitiæ, vel fuga, vel insecutio. Ad æstimationem autem statim sequitur quodlibet istorum. Vnde sicut intellectus practicus se habet ad speculatiuum, ita se habet æstimatiua ad imaginatiuam, & propter hoc æstimatiua non solum apprehensiua est, sed etiam motiua, per hoc quod determinat ad quid moueri debeat animal, & à quo fugere. Cum enim animal mouetur ad cibum, oportet æstimationem cibi in animali esse. Sed æstimatio non solum mouet, immo etiam apprehendit. Oportet igitur animal habere æstimationem, qua moueatur. Officium igitur æstimatiuæ est apprehendere intentiones, non quidem rationis, sed naturæ. Vnde non apprehendit quid sit syllogismus, aut nomen, aut verbum, vel amicitia, vel inimicitia, commodum, vel incommodum, sicut dictum est. Hæc virtus ponitur in prima parte mediæ cellulæ cerebri, quæ calida est ex motu multi spiritus ad ipsam.

CAPVT XXXIX.

De phantasia.

PHantasia est virtus vel potentia componens imagines cum imaginibus, & intentiones cum intentionibus, & imagines cum intentionibus. Componit inquam, phantasia imagines cum imaginibus, vt est apprehendere aliquid esse album, vel nigrum, vel diuersas formas componere, & fingere chimæras. Componit etiam intentiones cum intentionibus, vt patet in oue, quæ apprehendit nato suo præbenda esse vbera, & alienum esse repellendum. Componit etiam imagines cum intentionibus, vt cum apprehendit ouis formam lupinam esse fugiendam. Per phantasiã maior habetur cognitio, quæ potest haberi in anima sensibili: per hanc enim non solum scit præsentia, sed etiam prouidet sibi in futurum. Per hanc enim quædam animalia faciunt sibi casas, & de cibo prouident in longinquum, per hanc etiam de illo scit quod sit idem, & de alio quod sit aliud: & sic de eo omni, de quo sententia profertur per modum affirmationis, & negationis. Per hanc quoque videmus aliquid eligere animalia, & aliquid refutare. Ad electionem autẽ & refutationem præexigitur scientia, & discretio: & ideo multi dixerunt, quod phantasia est aliquid rationis. Sed dicimus non esse veram electionem animę sensibilis, sed aliquid simile. Hæc à vulgo in homine vocatur cogitatiua, cum tamen cogitare proprie sit rationis. Phantasia operatur in somno, sicut in vigilia. Quod autem in somnis res videntur esse præsentes, hoc est, quia fit reuersio ad sensum communem. Ista potentia quando coniuncta est rationi, sicut est in homine, tunc accipit agendi, & operandi regimen à ratione. Sed quia ratio diuersificatur secundum diuersitatem eorum, de quibus ratiocinatio fit, ideo operationes phantasiæ multiplicantur in homine valde. Vbi autem phantasia non est cum ratione, vt est in brutis, tunc regitur solum secundum instinctum naturæ. Et quia natura vno modo est in habentibus speciem vnam, ideo conceptio phantasiæ operatur in talibus vno modo. Et inde est quod omnis hirundo facit vno modo nidum suum. Dixerunt autem quidam philosophi, quod istæ virtutes in brutis potius aguntur, quam agant, sed in homine potius agunt, quam agantur: quia bruta mouentur secundum impetum, & impulsum appetitus naturalis. Motus autem humani regulantur secundum regimen rationis.

Notandum autem quod melancholici, & infirmi, & amentes multas habent phantasias, sed hoc non est ex illustratione, quæ fit per imaginationes rerum sensibiliũ, sed ex passionibus naturæ, & confusione spirituum ascendentium ad cerebrum, & caput turbantium. Tales enim spiritus diuersarum imaginationum inuolutiones faciunt, generant horribiles visiones, & conceptiones. Præterea sciendum, quod bruta citius recipiunt influxus primi motoris, quam homines, sicut patet in formica, quæ quando cibum colligit, intra tres dies non pluit; & gallus cantum suum per tempus variat; quia mutationem auræ ex influxione primi motoris præsentiunt. Huius dicti hæc est ratio, quoniam homines multum occupantur circa conceptiones suas conferendo, & componendo, & diuidendo: quare & influxiones primi motoris non percipiunt ita cito sicut bruta, quæ non sic occupantur in suis conceptionibus, nec secundum illas operantur, sed tantum secundum instinctum naturæ. Ista vis, scilicet phantasia, plurimum impedit intellectum, eo quod nimis occupat animam compositione & diuisione imaginum, non solum acceptarum à sensibus, sed etiam fictarum, maxime autem impedit intellectum, quando aliquid de cœlestibus & diuinis imprimitur ei, & hoc ideo, quia conceptiones tales intellectus, vt frequenter, non sunt similes imaginationibus, & fictionibus phantasiæ. Phantasia vero ponitur in medio mediæ cellulæ cerebri, tanquam centrum, inter memoratiuam, & imaginatiuam: quia phantasia conuertit se tam super formas, quas accipit imaginatiua per sensum, quam super intentiones, quas reseruat memoria: & tunc istas formas ac intentiones diuidit ac componit.

CAPVT XL.

De memoria.

MEmoria est repositorium præteritorum. Reseruat enim memoria intentiones per æstimationem à figuris rerum elicitas. Anima per memoriam mediantibus rebus sensibilibus redit in ipsas res sensibiles, quæ sunt extra ipsam: & propter hoc oportet actum memoriæ duas præcedere operationes: quarum vna est hoc esse receptum, & hæc est operatio sensus communis: & in hoc memoria incipit. Secunda est hoc esse conseruatum apud nos, quod fit per imaginatiuam. Oportet etiam quod ante memoriã quædam virtus operetur, quæ ex figuris rerũ diuidat rerum intentiones singulares. In hoc aute differunt imaginatio & memoria, quia illa conseruat species rerum, hæc conseruat intentiones specierum. Sciendum quoque quod memoria differt à reminiscentia: quia memoria discrete, & distincte reuertitur ad res, componendo intentiones distinctas cum imaginibus. Reminiscentia autem siue recordatio est motus, quasi interceptus, & abscissus per obliuionem, & est cum collatione temporis, & loci, & huiusmodi. Reminiscentiæ enim motus non est vniformis, sed causatur ex pluribus principijs circumstantibus illud, cuius proprie est reminiscibilitas, cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio, quod eædem res prius fuerint in se, vel in sensibus alijs cognitæ; patet quod si quis res totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum. Sed si oblitus est in parte, tunc per id quod remansit, potest reminisci se quandoque sciuisse: vnde per collationem reminiscentiæ potest etiam ad id quod oblitus fuerat, redire cum illius adiutorio, quod remansit memoriæ. Alia etiam est differentia inter memoriam & reminiscentiam: quia memoriam multa participant animalia, sed reminiscentia solius hominis est, quia reminiscentia est quædam inuestigatio, quæ sine ordine rationis non est, ac sine deliberatione, per quã antecedens ordinatur ad consequens. Sane cũ quis reminisci voluerit ea quę non eo modo quo per sensum, sed per intellectum apprehendit: hoc nõ fit per memoriam, quia memoria talia non reseruat, sed intellectus conuertit se super ea, quæ habet apud se, & ea reducit ad actum, quæ habet in habitu: iste autẽ habitus manet

actualiter apud intellectum possibilem, qui est locus specierum vniuersalium: vnde & vniuersalia prius speculata remanent apud ipsum tamquam in loco suæ generationis, etiam actu, quando illa non considerat. Intellectus autem possibilis ad has species, quas sic habet apud se, conuertitur, vel ab eis auertitur, quando voluerit. Vltimo notandum est quod memoria ponitur in posteriori parte cerebri, qui locus est siccus propter neruos motiuos, qui oriuntur ex ipso.

CAPVT XLI.

De vi sensibili & motiua.

SEquitur de vi sensibili motiua: hæc mouet quandoque spiritualiter, quandoque corporaliter. Primo modo dicitur appetitiua, quæ mouet dupliciter, aut diligendo, aut odiendo. & diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem, per quas appetit anima bonum, vel insurgit contra malum. Ab his vero duabus, scilicet irascibili, & concupiscibili, oriuntur quattuor affectiones, scilicet gaudium, spes, dolor, & timor. Nam si præsens est, quod concupiscimus, gaudemus si absens est, speramus. Similiter si præsens est de quo irascimur, dolemus: si absens est, timemus.

Sensualitas autem est vis animæ sensibilis motiuæ, & ad idem mouet, ad quod concupiscibilis, & irascibilis. Sensualitas enim appetit, quæ delectabilia sunt corpori, ac nociua refugit. Differt tamen sensualitas à concupiscibili, & irascibili: quia sensualitas magis coniungitur corpori: & sicut in brutis, ita in homine nulla lege perstringitur, quin semper in appetitus rerũ ad corpus pertinentium moueatur. Sed concupiscibilis, & irascibilis coniunguntur rationi, & prout sunt in homine, frenantur ratione, ac reguntur in ipsis. Est enim temperantia in concupiscibili, & fortitudo in irascibili, & sic de aliis.

Secundum quod vis motiua sensibilis mouet corporaliter, sic diuiditur in virtutem naturalem, vitalem & animalem: quarum prima situm suum habet in hepate: secunda in corde, tertia in capite, vt in proximo principio, tamen primum principium est cor. Virtus enim naturalis est motiua humorum, vitalis motiua pulsuum, animalis motiua membrorum. Dicimus ergo quod virtus naturalis est motiua humorum mediantibus arteriis, & venis, quæ radicantur in hepate secundum Galenum, sed secundum Aristotelem radicantur in corde, & hoc per spiritum naturalem. Est autem spiritus naturalis, substantia subtilis, & aerea vi caloris in corde generata. hæc sanguinem ad singula membra impellit, ex quo corpus vegetatur. Virtus vitalis est motiua pulsuum mediantibus arteriis, quæ radicantur in corde. Spiritus autem vitalis est idem qui & naturalis. Idem dico in substantia, sed differens in virtute, hic per arterias ad membra corporis se diffundens, viuificat ipsum corpus tamquam instrumentum. Virtus animalis est motiua membrorum mediantibus neruis, qui radicantur in capite: & hoc per spiritum animalem. Est autem spiritus animalis idem qui & naturalis, & vitalis: sed animalis dicitur cum ad cerebrum deuenerit. Hic ceteris subtilior per neruos ad organa sentiendi dirigitur, vt sensus & motus secundum locum exinde generetur in corpore animalis.

Circa vires istas denique sciendum est, quod cum virtutes animales intenduntur, tunc naturales remittuntur, propter hoc in homine dedito studio, vel meditationibus, minus operatur virtus nutritiua, & generatiua, & augmentatiua. Ex quo patet quod concupiscentia carnis domatur in viro studioso. Vnde ait Hieronymus: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Præterea quando virtutes animales remittuntur, naturales intenduntur: sicut patet in somno, qui describitur esse quies virtutum animalium cum intentione naturalium.

CAPVT XLII.

De potentiis animæ rationalis.

TRia sunt in anima, vt ait Philosophus, scilicet potentiæ, habitus, & passiones. Et potentiæ quidem sunt innatæ, habitus autem sunt acquisiti, vel infusi, passiones vero sunt illatæ, vel innatæ. Habitus enim sunt acquisiti, vt patet in scientia, & virtute politica. Nam ex frequenti studio homo acquirit scientiam, & ex frequenti bene agere fit homo bonus, bonitate virtutis politicæ. Sunt & habitus quandoque non per acquisitionem, sed per infusionem: sicut sapientia fit infusa Salomoni, & virtutes Theologicæ conferuntur quotidie paruulis in baptismo, & etiam pœnitentibus in iustificatione, & ex actibus non generantur tales habitus, sed potius econuerso, ex talibus habitibus eliciuntur boni actus ex potentiis. Vnde in habitibus acquisitis sequitur, Quales sunt actus, tales sunt & habitus: sed in habitibus infusis est contrariũ, scilicet, Quales sunt habitus, tales sunt & actus. Est tamen verum, quod sicut habitus acquisiti generantur per actus, ita & generant actiones, sed non meritorias, inquantum tales passiones sunt illatæ ab extrinseco. Vocat autem passiones Philosophus ipsas receptiones obiectorum. Sumuntur & aliter passiones, vt dicantur affectiones, sicut dolor, timor, & spes & gaudium.

3. Reg. 3. 1

CAPVT XLIII.

De diuisione potentiarum animæ.

NVnc ad diuisionem potentiarum animæ accedamus. Philosophus ergo principaliter diuidit animæ potentias, in cogitatiuam & motiuam, quas Theologus appellat intellectum, & affectum: ipsum autem affectum intelligit voluntatem. Potentia autem animæ tunc dicitur intellectus, dum est apprehensiua: & dicitur voluntas, dum est motiua. Item quædam sunt vires animæ separatæ à corpore, vt velle, & intelligere, secundum quas anima non vtitur corpore, sed vtitur vtenti corpore, scilicet phantasia, quæ sic se habet ad intellectum sicut color ad visum, vt ait Philosophus. Quædam vero sunt vires inseparabiles à corpore, vt vegetabiles, & sensibiles, & quantum ad essentiam, & quantum ad operationem, vt in brutis. Sed in homine separantur vires istæ à corpore quantum ad essentiam, licet anima operationes earũ exercere nõ possit extra corpus. In brutis vero simpliciter pereunt quantũ ad vtrumq;. Item anima potentias quasdã habet cõmunes cũ brutis, vt est sensualitas, sensus particularis, sensus communis, imaginatio, memoria, æstimatio. Quasdã habet non communes cum illis, vt est ratio & intellectus, & huiusmodi. Item anima habet vires quasdam quo ad se, vt est ratio, voluntas, liberum arbitrium: quasdam habet quibus corpori permiscetur, vt est via naturalis, vitalis, & animalis, de quibus dictum est supra. Ex iam dictis patet, quod potentiæ quædam sunt organicæ, quædam non. Item ex prædictis collige, quod anima rationalis omnes potentias habet animæ vegetabilis, & sensibilis, sed non inquantum rationalis est: verum inquantum rationalis est, addit intellectum & liberum arbitrium, & huiusmodi. Et hoc est quod dicit Gregorius: Omnis inquit creaturæ aliquid habet homo. Habet namque homo commune esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Quidquid enim virtutis, aut nobilitatis habent naturæ inferiores, habent & superiores, sed perfectiori modo, & nobiliori: & quod possunt inferiores, possunt & superiores, sed nobiliori & perfectiori modo. Propter hoc manifestum est, quod omnes vires quibus communicamus cum brutis, differunt specie, prout sunt in nobis, & in brutis.

Greg. homil. 29. in Euang. in med.

CAPVT

CAPVT XLIV.

De potentijs cognitiuis.

QVattuor assignantur differentiæ virtutis intellectiuæ. Prima assignatur secundum differentiam naturæ: & sic intellectus diuiditur in agentem & possibilem. Secunda datur secundum differentiam obiecti, & sic diuiditur intellectus in speculatiuū & practicum. Tertia assignatur secundum differentiam dignitatis, & sic diuiditur ratio in partem superiorem & inferiorem. Quarta datur secundum comparationem ad actum, & sic diuiditur intellectus in habitum, & in actum. In habitum quidem, vt possit intelligere quando vult: in actum vero, cum actualiter ad intelligere se conuertit, & ad intelligibile. Differentia vero intellectus in effectu, & eius qui dicitur adeptus, sumitur secundum maiorem, & minorem perfectionem ipsius intellectus possibilis. Nam cum intellectus possibilis recipit species cum lumine intellectus agentis; tunc dicitur intellectus in effectu, & etiam in habitu. Intellectus vero cum recipit perfecte lumen secundum formalem coniunctionem, tunc vocatur intellectus adeptus. Diligenter autem notandum est, quod omnes differentiæ intellectuum iam prædictæ sumuntur, vel secundum actum, vel secundum habitum, vel secundum modum intelligendi: & nulla sumitur secundum diuisionem potentiæ cognitiuæ, nisi prima tantum, secundum quam diuiditur in agentem & possibilem.

CAPVT XLV.

De modo cognoscendi.

REs aliter cognoscit Deus, aliter Angelus, aliter homo. Ipse quoq; homo aliter per intellectū Deum cognoscit, & aliter creaturas. Intellectus enim diuinus cognoscit res ex seipso, intellectus autem Angeli cognoscit res per species sibi concreatas, quæ sunt similitudines rerum. Sed intellectus humanus cognoscit res per species abstractas à rebus particularibus per sensum prius cognitis. Vnde sciendum, quod sicut sensus cognoscit res præsente obiecto, & sicut imaginatio cognoscit absente obiecto, & tamen cum appendicijs materiæ: ita intellectus cognoscit sine appendicijs materiæ sub intentione vniuersali. Anima igitur per intellectum aliqualiter cognoscit omnia, & attingit. Cognoscit enim Deum supra se, & seipsam in se, & Angelos iuxta se, & quidquid cœli ambitu continetur, infra se. Quis sit autem modus cognoscendi Deum, nota quod intellectus humanus non cognoscit Deum per abstractionem, sicut alias res: & hoc ideo, quia similitudo abstracta simplicior est illo à quo fit abstractio: Deo autē nil simplicius est. Alia ratio est, quia in abstractione oportet esse vniuersale & particulare. Particulare quidem à quo fit abstractio: vniuersale autem, scilicet ipsum abstractum: sed nihil horum cadit in Deum. Cognoscitur igitur Deus naturali cognitione; quia intellectus possibilis ita informatus lumine intellectus agentis, quod est similitudo primæ lucis, in hac similitudine cognoscit lumen primum, quod est Deus.

Sciendum præterea, quod per sensum cognoscimus particularia, sed per intellectum vniuersalia: & quando se intellectus conuertit ad particulare, vt ipsum apprehendat, tunc similitudo abstracta à particulari erit vniuersalis, & non particularis. Item nihil venit in intellectum, nisi per sensum, & hoc fit duobus modis, scilicet vel simpliciter, vel per accidens. Simpliciter quidem, vt quando intelligimus sensibilia prius per sensum apprehensa. Per accidens autem, quando intelligimus insensibilia per effectum. Notandum est etiam, quod aliud est rem per cognitionem in intellectum venire, & aliud est in re iam intellecta versari: quia tunc cognitio rerum per sensum venit in intellectum, sicut dictum est, sed cum intellectus rem iam apprehendit, tunc delectatur, & negotiatur in illa, etiam sine sensus adminiculo.

Ad cognoscendum autem ista plenius nota, vtrumq; verum esse, scilicet quod per particularia cognoscuntur vniuersalia, & econtra per vniuersalia cognoscuntur particularia. Istud sic patet, quia duplex est vniuersale: vnum scilicet, prout est abstractum, & aliud confusum, videlicet, secundum quod est in particulari. Dicimus ergo quod ad cognitionem vniuersalis abstracti venimus per particularia, sicut in pueris in quibus prius operatur sensitiua, quam intellectiua: quia prius cognoscunt particularia per sensum, & postea vniuersalia per intellectum. Sic & Philosophi inuenerunt modum argumentandi per inductionem, quia ex multis propositionibus particularibus, vnam concluserunt vniuersalem, hoc modo: Socrates est animal, Plato est animal, Cicero est animal, ergo omnis homo est animal. Econtrario est in vniuersali confuso: quoniam per tale vniuersale venimus in cognitionem particularium: sicut patet, quando videmus hominem à remotis, tunc non cognoscimus, nisi eius substantiam corpoream: sed postea per motum cernitur esse animal: dum vero magis appropinquat, cernitur esse homo: tandem cognoscitur esse Petrus.

Nota, quod secundum Philosophum plura scire possumus, sed vnum solum intelligere: quoniam scire dicit habitum, per quem plura scimus: intelligere autem dicit actum, qui non potest esse in intellectu duplicatus. Intellectus enim ad vnum solum se potest actualiter conuertere, & hoc patet, quod quando quis agit duos actus rationis simul vno tempore, vnus est intellectus, & alius memoriæ, siue consuetudinis: verbi gratia, Aliquis dicit horas, & cum hoc in libro quærit concordantias, vel numerat denarios: vnum illorum, scilicet quærere concordantias, est actus intellectus, sed aliud, scilicet dicere horas, est actus memoriæ: sicut etiam animal brutum sine regimine intellectus vadit ad domum, ad quam sæpe iuit. Item nota, quod ad intelligentiam rei non requiritur præsentia rei intelligibilis, sed præsentia similitudinis eius tantum: quia res non cognoscitur per essentiam, sed per similitudinem tantum, & econuerso, & inde est quod intellectus apprehendit remota, sicut propinqua.

CAPVT XLVI.

De intellectu agente & possibili.

NVnc de intellectu agente & possibili specialiter est dicendum. Intellectus igitur agens est, qui abstrahit species ab imaginatione, siue phantasia, & sua irradiatione facit vniuersales, ac ponit res in intellectu possibili. Nam sicut ad visum corporalem exigitur lux abstrahens intentiones colorum, id est, similitudines à colorato, & ponit eas in aere, nō quidem secundum essentiam, sed secundum intentionem, id est, similitudinem: sic intellectus agens, qui est lux animæ, ponit species abstractas à phantasia in intellectu possibili, nō quidem actualiter, sed secundum intentionem, id est, similitudinem. Quare autem inter imaginationē & intellectum possibilē sit potentia media, quæ abstrahit, scilicet intellectus agens, sed inter sensum communem, & imaginationem non sit potentia media, quæ abstrahat? Huius ratio est, quia sensus communis, & imaginatio sunt eiusdem animæ potentiæ, scilicet animæ sensibilis: sed imaginatio & intellectus possibilis non sunt potentiæ eiusdem speciei, quoniā altera est potentia animæ sensibilis, altera animæ rationalis. Intellectus autem possibilis dicitur, quia potest recipere tales species, sed nondum recepit eas; cuius exemplum est tabula nuda nullam habens picturam, potest tamen habere quamcumque. Sane cum intellectus possibilis tales species receperit, tunc, sicut habes supra, vocatur intellectus in effectu, vel in habitu: cum vero illustratur multitudine specierum sensibilium, tunc est intellectus adeptus,

Qualiter autem istæ species remaneant in intellectu possibili, vel qualiter ad eas fiat per reminiscentiā conuersio, & reuersio, habes supra in cap. de memoria.

Porro intellectus agens & possibilis differunt, sicut lux & illuminatum, & sicut perficiens, & perfectibile: quia, vt ait Philosophus, intellectus agentis est omnia facere, & intellectus possibilis est omnia fieri. Et vt plenius innotescat, notandum, quod sicut ad hoc quod per speculum aliquid videatur, tria sunt necessaria, scilicet speculum quod aptum natum est recipere impressionem corporum obiectorum, color etiam in corporibus obiectis, & lux qua moueatur color & species corporum obiectorum, quæ sine luminis influxu quantumcumque obijciantur, non sunt receptibiles à speculo; sic similiter ad hoc, vt aliquid in intellectu videamus, oportet quod sit intellectus possibilis, qui aptus natus est recipere species, quemadmodum dictum est de speculo, oportet etiam quod sint species speculatæ apud intellectum possibilem, qui habet ipsas in habitu, cum sit locus specierum vniuersalium. Sed sicut color in corpore non mouetur, nec species, nisi mediante lumine imprimantur in speculo, sic nec phantasmata erunt actu intelligibilia, nisi intellectus agens irradiet, & diffundat super eum lumen suum, sicut lux super colores, vt sic secundum actum intelligibilia efficiantur.

Arist. lib. 3. de anima. cap. 5.

CAPVT XLVII.

De intellectu speculatiuo & practico.

SEquitur de intellectu speculatiuo & practico, qui ambo in cognitione consistūt: sed in hoc differunt, quod intellectus speculatiuus cognoscit verum in ratione veri, practicus autem cognoscit verum in ratione boni. Itē intellectus speculatiuus vocatur cognitio speculatiua; sed practicus dicitur cognitio affectiua. Item finis speculatiui est verum, finis autem practici est opus. Item per speculatiuum intelligimus recte, sed per practicum recte viuimus. Intellectus practicus vocatur operatiuus, quia dicitur à praxi, quod est operatio. Item intellectus practicus diuiditur in rationem, & synderesim. Ratio autem diuiditur in partem superiorem, & inferiorem: de quibus per ordinem est dicendum.

CAPVT XLVIII.

De ratione, & partibus eius.

RAtio est vis animæ non solum cognitiua, sed etiam motiua. Ratio autem cum iudicat aliquid esse bonum, vel malum, & ibi sistit, tunc dicitur cognitiua. Si autem procedit amplius, & iudicat esse bonum, vt fiat, sic dicitur motiua. Si vero adhuc vlterius procedit, vt non solum iudicet esse bonum, vt fiat, sed etiam id appetit, sic dicitur liberum arbitrium: quoniam liberum arbitrium comprehendit rationem & voluntatem. Ratio autem prout se habet ad bonum particulare, diuiditur in partem superiorem, & inferiorem. Superior pars diuinis ac æternis intendit, inferior autē de transitoriis iudicat, & ea disponit. Item superior pars accipit rationes per leges diuinas: vt, hoc est faciendum, quia Deus præcepit. Pars autem inferior accipit rationes per leges humanas: vt, Hoc est faciendum, quia honestum est, vel quia expedit reipublicæ. Item superior pars rationis dicitur virtus, quæ licet vsque ad contemplationem æternorum se extendat, differt tamen ab intelligentia, quia intelligentia negotiatur in æternis, per modum rationis, vel intentionis: ratio autem non sic, sed conferendo, & ratiocinando. Differt autem ratio etiam alio modo ab intellectu, quoniā intellectus apprehendit esse rei absolute, ratio autem cum collatione vnius ad alterum. Inferior vero pars rationis dicitur multipliciter: quæ quia circa res corporales versatur, coniuncta est sensualitati, & sæpe allicitur ab ea. videt enim semper sibi porrigi pomum, id est, illecebram vicinam. Ratio tamen inferior, & superior idem sunt in essentia, sed differunt in officio. Exemplum in oculo sursum & deorsum aspiciente.

CAPVT XLIX.

De potentiis animæ motiuis.

VIrium motiuarum animæ rationalis est diuisio. Diuiditur enim vis motiua in imperatiuā, & consiliatricem, & affectiuam; & affectiuam & consiliatricem simul. Vis imperatiua diuiditur in liberum arbitrium & synderesim. Consiliatrix est ipsa ratio, quæ diuiditur in partem superiorem & inferiorem. Vis autem affectiua est voluntas, quæ diuiditur in thelesin, & bulesin. Vis quæ simul & consiliatrix est, & affectiua, est ipse intellectus practicus.

CAPVT L.

De voluntate.

INter dictas potentias primo dicendum est de voluntate, quæ inter ceteras motiuas est præcipua, cum sit generalis motor omnium virium. Cum enim intellectus apprehendit aliquid, vt bonum, voluntas imperat viribus affixis ipsis organis, sicut visui ad videndum, auditui ad audiendum, & sic de alijs sensibus. Similiter in motu locali voluntas imperat virtuti animali, quæ est in neruis, & in musculis, & ita mouet ad ambulandum, vel currendum, & ad huiusmodi similia. Sed fallit istud in potentijs animæ vegetabilis, in quibus volūtas suum imperium non exercet. Nutritiua enim & generatiua, & augmentatiua, nō secundum nostrum arbitrium, sed naturaliter operantur. Voluntas autem in duas diuiditur partes, scilicet in thelesin, & bulesin, id est, voluntatem naturalem, & deliberatiuam: quarum prima, scilicet voluntas naturalis dirigitur per synderesin: secunda vero, scilicet deliberatiua, per rationem. Nota quod voluntas proprie & stricte tantummodo rationabilium est, sed large dicitur etiam brutorum esse: improprie vero & quasi metaphorice dicitur etiā esse vegetabilium. Vnde voluntas primo modo sumpta, scilicet prout est rationabilium, proprie voluntas dicitur. Secundo autem modo, prout est brutorum, vocatur proprie desiderium. Tertio modo prout est vegetabilium, vocatur appetitus. Inter potentias autem nulla est liberior, quam voluntas: quia nec obligatur organo, sicut imaginatio, æstimatio, & huiusmodi: nec cogitur à bono, sicut intellectus cogitur à vero. Vires etiam affixæ organis immutantur necessario immutato organo, quibus omnibus voluntas caret. Vnde ait Augustinus: Nihil adeo in nostra potestate est, sicut voluntas.

Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3. tom. 1.

Si autem scire volueris, quare voluntas non cogitur à bono, sicut intellectus à vero; hæc est ratio: quia citra primum bonum, nihil est ita bonum quod non aliquid imperfectionis habeat, sed aliquid ita verum est, quod nihil falsitatis habet: vt patet in hac propositione, Quodlibet totū maius est sua parte. Vnde tali vero cogitur intellectus assentiri, sed voluntas nulli bono creato cogitur adhærere. Item voluntas videtur inter dū cogi per inordinatum appetitū, prout voluntas quandoque trahit hominem, & allicit, vt bonum spernat incommutabile, & rebus mutabilibus adhæreat, sed in huiusmodi coactione libertas quædam est. Vnde Augustinus: Omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum.

Aug. lib. de vera relig. c. 14. to. 1.

CAPVT LI.

De synderesi.

SYnderesis vis est animæ motiua, quæ semper nata est figi in superioribus, naturaliter mouens, & stimulans ad

lans ad bonum, & abhorrens malum: & in istis numquam errat, neque secundum synderesim est peccare. Sciendum etiam quod synderesis numquam extinguitur totaliter, etiam in diabolo, & in damnatis: remanet enim in illis aliquis eius actus. Synderesis enim quantum ad instinctum boni, & quantum ad displicentiam mali culpæ absolute considerata, extincta est in diabolo & damnatis: secundum vero, quod culpa comparatur ad pœnam, sic non est extincta in illis synderesis: & in hunc modum remanet in eis ad pœnam. Isaias: Vermis eorum non morietur. Habent igitur displicentiam mali in comparatione, & collatione ad pœnam.

Isa. 66. g

CAPVT LII.

De conscientia.

HOc nomen conscientia componitur ab hac præpositione, con, & hoc nomine scientia, vnde conscientia dicit duo, scilicet scientiam, & secundum hoc conscientia est habitus naturalis, non solum cognitiuus, sed etiam motiuus: inclinat enim animam ad prosecutionem boni, & fugam mali. Alio modo conscientia dicit acceptionem ex parte rationis, quod notatur hac præpositione, con. Primo igitur modo, prout conscientia includit scientiam in se, habet se sicut superius, & coniungitur synderesi, & semper est recta. Secundo modo coniungitur magis rationi, & sic se habet sicut inferius: hoc modo recipit errorem & conturbationem. In conscientia enim ex parte inferiori bene potest accidere error. Nam ratio cum conscientia cum parti inferiori iungitur, habet versari circa particularia, in quibus sæpe contingit errare, sicut patet in syllogismo conscientiæ, in quo synderesis proponit maiorem sic: nullum malũ est faciendum; ratio subsumit minorem, sic scilicet, hoc est malum; conscientia concludit, ergo non est faciendum. Circa primam non est error: circa secundam quandoq; est error: & ex hoc falsitas in conclusione quandoque oritur. Cauenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sæpe malum bonum: secunda econtra bonum malum. Item prima sæpe saluat damnandum, secunda econtra damnat saluandum. Nota, quod aliud est conscientia, aliud est timor conscientiæ. Tunc enim est conscientia, quando quis sententialiter iudicat aliquid esse faciendum vel vitandum: & contra talẽ conscientiam facere, etiam si sit erronea, peccatum est. Sed contra timorem conscientiæ facere, non semper est peccatum, quia talis timor non est semper ex diffinitiua sententia rationis, per quam iudicet se teneri ad aliquid: sed ex eo quod vacillat inter dubia nesciens quid sit melius, vel ad quid teneatur potius, cum tamen non omitteretur quidquid sciret esse placitum diuinæ voluntati.

Isa. 5. d

De conscientia quoque sciendum, quod quandoque respicit præteritum, quandoque præsens, quandoq; futurum. Nam conscientia accusat de præterito, remurmurat de præsenti, & præcauet de futuro. Præterita namq; respicit, vt quando conscientia mentem de hoc, quod sibi conscia esse reprehendit, sicut de malo commisso, vel de bono omisso. Præsentia etiam respicit, contradicendo eis quorum per conscientiam habuimus oppositum. Futura quoque respicit, vt quando instituit & stimulat mentem ad ea facienda, vel vitanda, ad quæ ipsa conscientia iudicat nos teneri. Quod autem conscientia se extendat, vt dictum est, tam ad facta, quam ad facienda, potest colligi ex diffinitionibus conscientiæ, quæ tales sunt. Dicit enim Ioannes Damascenus, quod conscientia est lex intellectus nostri. Basilius autem dicit esse rationale iudicatorium. Diffinitiones istæ magistrales sunt, Conscientia est cognitio sui ipsius. Item, Conscientia est animi habitus agendorum, & non agendorum. Item, cõsciẽtia est habitus mentis boni & mali discretiuus. Item, conscientia est credulitas intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum animi deliberatione firmata.

Damascen. lib. 4. de fi. orth c. 23. Basil. hom. in princ. Prouerb.

Error conscientiæ octo modis causatur. Primo ex ignorantia, quando scilicet nescit quis quid eligendum sit, vel declinandum. De tali errore dicitur: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te. Secundo ex negligentia, vt cum quis negligit conscientiam discutere, vel si nescit se expedire, negligit tamen ab alijs quærere. Tertio ex superbia, vt quando quis non humiliat intellectum suum, vt melioribus, & sapientioribus se velit credere. Contra quos Apostolus: Captiuantes omnem intellectum vestrum in obsequium Christi, hoc est dicere, quod quilibet in credendis plus debet fidei consentire quam sibi: & in agendis plus debet alijs credere, quam sibi. Quarto ex singularitate, qua homo sequens sensum proprium, non conformat se alijs, nec sequitur vias communes bonorum. De his in Numeris: Extrema castrorum consumpsit ignis. Quinto ex affectu inordinato, qui sæpe inclinat conscientiam ad id quod tunc homo appetit: & sic facit eam à sua rectitudine deuiare. Seneca: Perit omne iudicium, cum res transit in affectum. Sexto ex pusillanimitate, qua quis timet non timenda secundum rectum iudicium rationis. Isaias: Dicite pusillanimis, Confortamini, nolite timere. Septimo ex perplexitate, qua homo se credit esse positum inter duo peccata, quorum alterũ sit impossibile declinare. Sed sciendũ quod perplexitas nihil est simpliciter: potest tamen quis esse perplexus secundum erroneam conscientiam, qua deposita erit liberatus. Octauo ex humilitate, & cordis puritate. Gregorius: Bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, vbi culpa non est. Error primis septem modis acceptus reprehensibilis est: octauo vero modo laudabilis est, immo nec error dici debet, sed humilis suorum defectuum recognitio, dummodo non sit nimia.

1. Paralip. 20. c

2. Cor. 10. b

Num. 11. a

Isa. 35. a

Greg. lib. 2. Regist. in respons. ad 10. interrog. Aug.

CAPVT LIII.

De operationibus animæ.

ANima secundum diuersas potentias, multas & diuersas habet operationes. Ipsa enim cognoscit verum per intellectum speculatiuum, affectat bonum per intellectum practicum. Discernit conferendo inter bonum & malum, verum & falsum per rationem. Discernit simul & eligit per liberum arbitrium. Consentit per voluntatem. Inuenit mediũ per ingenium, stimulat ad bonum per synderesim. Anima autem in actibus suis ordinem habet: nam quod sensus percipit, imaginatio repræsentat, cognitio format, ingenium inuestigat, ratio iudicat, memoria seruat, intelligentia apprehendit, & ad contemplationem adducit. Anima præterea cognoscit res præsentes per sensum, absentes vero per imaginationem, res autem immateriales per præsentiam sui in semetipsa, ac seipsam per reflexionem sui supra se. Habet etiam alios actus anima pertinentes ad corpus, sicut est vegetare per virtutem naturalem, sentire per virtutem animalem, & viuificare per virtutem vitalem, de quibus omnibus dictum est supra.

CAPVT LIV.

De quantitate animæ.

ANima cum sit simplex, nõ habet quantitatem dimensiuam, sed virtualem: vnde patet quod anima secundum essentiam non est in toto corpore: sed in parte corporis determinata, & inde virtutem influit toti corpori: & ad hoc ponit Chalcidius exemplum de aranea, quæ in medio telæ suæ residens, sentit quemlibet motũ, siue interius, siue exterius in tela factum. Eodem

modo anima in centro cordis posita, sine sui distensione totum corpus sibi vnitum sensificat, viuificat, atque mouet. Nec contra simplicitatem animæ est, quod tres dicuntur esse animæ, scilicet vegetabilis, sensibilis, & rationalis, cuius intelligentia superius est expressa. Anima quoque licet sit simplex, tamen secundum Boetium differt in eo quod est, & quo est: sicut & Angelus, & omne quod est creatum: quæ omnia differunt secundum rationem particularis & vniuersalis.

CAPVT LV.

De immortalitate animæ.

Animam esse immortalem auctoritate ostenditur & ratione. Dicitur enim in libro Sapientiæ: Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum. Et infra: Et spes illorum immortalitate plena est. Item in Euangelio: Quærent homines mortem, & non inuenient. Item Gregorius loquitur de malis inferni: ibi mors semper viuit, finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Itē Ioannes: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Itē per rationes. Prima talis est: Omnis corruptio ex contrarietate causatur: nihil autem est quod substantiæ animæ contrarietur. Præterea anima capax est beatitudinis: Deus autem, vt ait Augustinus, ingenti liberalitate replet omnes creaturas pro captu earū. ergo confert animæ beatitudinem: ad beatitudinem autem spectat vita æterna, & gloria perpetua. Præterea si anima moreretur cum corpore, homo nō timeretur mortuus, sicut nec lupus, nec canis mortuus: ergo relinquitur aliquid viuens post mortem hominis quod timetur: & hoc est anima. Prætereacum Deus sit iustus, habebunt iusti præmium, & mali pœnam: sed hoc non fit in hoc mundo, cum mali videantur florere, deducentes in bonis dies suos, vt dicit Iob, boni vero tribulentur: ergo fiet alibi. sed hoc non potest esse, nisi anima sit immortalis. Augustinus: Transeunt in præsenti tribulationes, & prospera cum tempore: sed cancellatis manibus more Iacob, eadem redeunt sine fine mensuræ vt hic tribulati & afflicti, sine fine gaudeant: iucundati vero, & ditati pœnas æternas sustineat. Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Beda super isto verbo: Ne indignemini fratres mei, si mali in mundo florent, & vos patimini: quia nō est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo, sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in via contingat, gaudere debetis. Hieronymus: Difficile, immo impossibile est, vt præsentibus bonis quis fruatur, & futuris: vt hic ventrem, illic mentem reficiat: vt de delitijs ad delicias transeat, vt in cœlo, & in terra gloriosus appareat. Præterea Deus fecit animam ad imaginem, & similitudinem suam, sed Deus est immortalis, ergo & anima.

Sap. 3. a
Greg. lib. 9. Mor. c. 39. cir. med.
Ioan. 6. f
Iob 21. b
Iac. 1. a
Gen. 1. d

CAPVT LVI.

De libero arbitrio.

Liberum arbitrium, vt ait Augustinus, est facultas rationis & voluntatis, qua eligitur bonum gratia existente, malum gratia desistente. In hac diffinitione simul ponitur ratio, & voluntas. Ratio quidem, vt consiliarius, voluntas autem, vt imperator. Nam ratio dicit aliquid esse bonum, vel malum; voluntas dicit, fiat. Nota quod libertas liberi arbitrij est libera à coactione sufficienti, sed non libera à coactione efficienti: nulla enim coactio exterior est causa sufficiens, vt aliquid fiat, licet quandoque sit efficiens: vt patet in multis qui coacti sunt negare Christum per tormenta: quoniam in huiusmodi coacta voluntas, voluntas est, vt ait Augustinus. Quādo vero peccator trahitur à gratia, tunc non destruitur libertas liberi arbitrij, quia cæcus, vel fessus, vel claudus in foueam cadens quando extrahitur, non fit hoc illo inuito. Libertas liberi arbitrij triplex est, scilicet à necessitate, à peccato, à miseria. Prima libertas est naturæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Item prima est bonorum & malorum, secunda est tantummodo bonorum, tertia est in cœlo regnantium. Ex his patet, quod libertas malorum est velle peccare, & etiam posse peccare: sed libertas in paradiso fuit posse non peccare, & etiam posse non turbari: libertas vero patriæ est nolle, & non posse peccare, nec posse turbari. Patet ergo quod liberum arbitrium liberius est in bonis quam in malis, quia in bonis est tantummodo seruitus miseriæ, in malis autem est seruitus miseriæ & peccati: sed in patria est liberrimum, quoniam omnis talis seruitus destruetur.

Ex Mag. 2. sent. dist. 24. & 25.

Nota quod licet Deus non possit male facere, & similiter Angelus, & animæ beatæ, tamen est in eis liberum arbitrium: quia bonum eligunt, & malum declinant, non ex infirma necessitate, sed libera volūtate. Eodem modo dicendū est de diabolo, quod habet liberum arbitrium, bonum tamen semper respuit, & malum eligit: sed hoc non facit in eo violenta coactio, sed voluntaria obstinatio. Liberum arbitrium habet se in quibusdā indifferenter ad bonum & ad malum, vt in primis parentibus, ante lapsum: in quibusdā plus se habet ad malum, quam ad bonum, vt in regeneratis per baptismū: in quibusdam plus se habet ad bonum quam ad malum, vt in sanctificatis in vtero: in quibusdam necessario se habet ad malum, vt in infidelibus non regeneratis: in quibusdam necessario se habet ad bonum, vt in confirmatis, sicut fuit beata Virgo post conceptionem filij.

CAPVT LVII.

De natura corporis humani.

Homo Græce anthropos dicitur, & est, arbor inuersa, habet enim se caput cū capillis ad modum radicis: brachia vero cum cruribus sunt quasi rami. Solus etiam homo est longi, & lati corporis. Solus quoque homo est erecti corporis, & huius ratio duplex est, scilicet naturalis, & moralis. Naturalis ratio est, quia in alijs animalibus abundat in capite materia terrea deprimēs, & deficit calor erigens, quod non est in homine. Est & ratio moralis, vt scilicet rectitudo staturæ corporis attestetur rectitudinem mentis sursum ad cœlestia tendentis. Accidentia animæ transmutant corpus; quia forma delectabilis imaginata mouet corpus, sicut tristabilis: & ideo dicit Auicenna, quod multum tristis, ac lepram timens; erit aliquando leprosus: sicut econuerso, quod corporis passiones redundant in animæ turbationem, sicut patet in somno. Item partes corporis humani habent similitudinem totius mundi, quia tanta est distantia inter extremitates duorum longorum digitorum vtriusq; manus, quanta est à vertice capitis vsq; ad plantam pedis, sicut tanta est distantia à centro capitis ad oppositum tropicum in cœlo, quanta est ab Oriente in Occidentem. Corpus humanum ex quattuor componitur elementis: sed apparet terra in ossibus & carne: aqua vero in humoribus, scilicet, sanguine, phlegmate, cholera, melancholia. Aer continetur in pulmone, & hoc patet, quia semper in motu est: nam pulmo ventilabrum cordis est, ne nimio calore dissoluatur. Ignis continetur in corde: & ideo inferius est latum, & superius acutum, quam formam ignis tenet. Membra corporis triplicia sunt. Sunt enim quædam radicalia, hepar, cor, cerebrum, genitalia, inter quæ tria prima sunt de esse indiuidui: in quibus, vt supra dictum est, sedem habet spiritus naturalis, vitalis, & animalis: sed membra genitalia sunt ad conseruationem speciei. Alia sunt ad conseruationem speciei. Alia sunt membra deseruientia, vt venæ, arteriæ, & nerui, per quæ vehitur ille triplex spiritus, vt habetur supra. Alia sunt membra officialia, vt manus, pedes, & huiusmodi. Sunt etiam membra, tam artificialiter ordinata, vt mutuo sibi

deser-

deseruiant: nam superiora inferioribus administrant gubernationem, vt patet in oculis. Item inferiora præbent superioribus supportationē, vt patet in pedibus & cruribus, quæ totum pondus aliorum membrorum sustinent. Item media impartiuntur vtrisque defensionem, & necessariorum conquisitionem, vt patet in manibus & brachijs. Item sic sunt ordinata, vt mutuo sibi condoleant. Nam si vnum membrum dolet, condolent et omnia membra, & hoc propter connexionem, & colligantiam. Item sic ordinata sunt, vt quādo vnum membrum deficit, alia eius defectum suppleant: vnde videmus aliquos carentes manibus comedere cum pedibus: & alios carentes pedibus, cum manibus ambulare. Item sic ordinata sunt, vt vnum membrum periculis se exponat pro alio, vt patet in capite, pro cuius defensione alia membra periculis se exponunt. Item magnus dolor in vno membro, facit minorem in alio non sentiri. Item membra, quorum motus subest libero arbitrio, tam promptam obedientiam seruant, vt inter imperium voluntatis & executionem operis quasi nulla mora videatur: & hanc obedientiam videmus seruare oculum in videndo, linguam in loquendo, os in comedendo, manus in operando, & huiusmodi.

CAPVT LVIII.

De physionomia hominis.

Diversæ membrorum dispositiones secundum artem physionomiæ diuersos effectus ac mores indicant in homine, non quod ista signa necessitatem imponant moribus hominum, sed ostendant inclinationē naturæ, quæ tamen retineri potest freno rationis. Sequimur igitur in hoc tractatu magnos huius artis auctores, scilicet Aristotelem, Auicennam, Constantium, Philemonem, Loxum, Palemotium, incipientes à complexionibus. Melancholicos, tristes & graues esse dicimus: sanguineos vero horum opposita habere videmus. Cholerici faciles sunt ad iram, & phlegmatici pigri sunt & somnolenti. Physionomia sexus est, quod masculus animus vehemens est ad impetus, studiosus, & animosus: feminæ autem misericordes sunt & timidę. Capilli molles, & rari, hebes ingenium proloquuntur. Item capilli crispi pronunciant hominem timidum, & lucri cupidum. Capilli nimium depressi, & fronti imminentes ferum declarant animum: his concordat capitis vrsini capillatura. Item capilli flaui, crassi, & albi indicant indociles. Capilli vero subnigri, si sint moderate tenues, mores indicant bonos, & bonam hominis complexionem. Caput nimis magnum, stolidum indicat. Caput autem globosum & breue, est sine sapientia & memoria. Caput humile superius, & quasi planum, insolentiæ & dissolutionis dat indicium. Caput oblongum aliquantulum, & malleo simile, hominem circumspectum ac prouidum indicat.

Frons angusta nimis indocilem & voracem declarat: lata vero paruitatem significat discretionis, sed rotunda designat iracundiam. Item humilis & demissa significat verecundum & non admittentem turpia. Item quadrata & moderatæ magnitudinis, magnæ sapientiæ, & magnanimitatis est indicium.

Supercilia arcuata, quæ coniunguntur vsq; ad cornu nasi, significant subtilem & studiosum in omnibus operibus suis. Si autem ibidem coeunt, tristem hominem, & parum sapientem demonstrant: Si autem arcuositas declinat ad tempora, & gibbositatem genarum, significant negligentem. Item supercilia si sint longorum & multorum pilorum significant ferum, & magna meditantem.

Oculi qui tanquam guttulæ liquoris nitidi relucent, mores compositos indicant. Quādo varie mouentur, vt modo currant, modo quiescant, significant mala reuolui iam in animo, sed nondū esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen micantes, significant audacem & peruigilem ad malitiam. Oculi magni trementes, & obscuri significant potationem vini, & intemperantiam veneris. Oculi pure nigri significant imbecillem, & sine virtute animum, & lucri auidum. Quando autem guttulæ rubentes aliquantulum ibi sunt, & tamen nigræ apparent, animum iustum, probum, & ingeniosum ostendunt. Vbi autem in nigris oculis guttulæ vehementer rubent, & aliquæ tendunt ad quadraturam, & quædam sunt pallidæ, quædam glaucæ, & circuli qui forinsecus ambiunt pupillas, sunt sanguinolenti, & sunt magni oculi, & nitor pupillæ mouetur, vt mouetur palpebra, tales, inquā, oculi significant animum, qui omnium excedit morem ferarum, quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis perpetrabile est, nec etiam à domestico cessabunt sanguine. Oculi nimium prominentes rubicundi, & parui, linguam declarant effrenatam, & corpus instabile. Oculi acriter intuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in agendis velocem ac prouidum. Oculi qui frequenter clauduntur, & frequēter reserantur, timidum ac imbecillem declarant. Oculi multæ apertionis significant stultum, & inuerecundum: Si autem multæ clausuræ sunt, significant mobilem, & inconstantem in omnibus factis suis.

Aures prominentes & valdæ magnæ significant stoliditatem, & garrulitatem, & imprudentiam: sed valde paruæ, malignitatis sunt indicia. Aures nimium rotundæ indocilem significant. Aures oblongæ & angustæ inuidię signa sunt. Aures iacentes, & supra caput applicatę pigritiam designant.

Genæ crassæ significant ignauiam, & somnolentiam, nimium autem tenues malignitatem. Genæ rotundæ inuidiæ arguuntur.

Nares patulæ, alacritatis & fortitudinis dant indiciū: longæ vero & tenues, mobilitatis, & leuitatis signum habent: Narium autem pars, quę iuxta frontem est, si nec alta nec humili, sed æquali linea descendat, virile signū est: & prudentiam & constantiam demonstrat. Nares minores debito furibus assignantur.

Omnis vultus cum plenus est, & crassus, ignauum & voluptatibus deditum significat: vultus dependens cogitatorem subdolum indicat.

Labia tenuia in ore maiori, si superius labium aliquātulum exuperet super inferius, magnanimum indicant & fortem. Tenuia vero, & parui oris imbecillem animū, & versutum indicant. Labia vero soluta aliquantulum ab ore dependentia inertem demonstrant. Nam in asinis, & equis antiquis ita inuenitur.

Os paruum cōuenit tam vultibus mulieb: ibus, quam hominibus effeminatis: sed quod vltra modum dilatatur, voracem indicat, & immitem, & impium. Talis etiam oris rictus marinis monstris conuenit.

Mentum prolixum aliquantulum demonstrat minus iracundum, & minus perturbatum. Qui os paruum & breue mentum habent, immites sunt & inuidi. Hos enim Plato ad serpentes referebat. Vtilius est mentum commensuratum, secundum aliquid ad quadraturam accedens. Mentum si longe in prolixum distendatur, dolis assuetum ostendit.

Vox similis existens voci ouium, aut caprarum, stultitiæ habet indicium. Qui autem in modum auium vocem intendunt, de facili fiunt leues. Vox tenuis, & quasi lugubris, tristem indicat, & suspiciosum. Quorum vox in nares incurrit, ita vt nares consonent, mendaces sunt & maleuoli, ac malis alienis gaudentes.

Ceruix longa & tenuis eum significat, qui maligna meditatur. Ceruix rotunda probat virtutem animi, & corporis humilitatem. Ceruix breuis indicium est eius, qui cum temeritate audax est. Ceruix nimis erecta insolentem & contumacem dicit.

Pectus quod multis carnibus est congestum, indociles & ignaros indicat. Pectus quod longius est, quam vēter prudentem indicat. Pectus si cum ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem instabilem, & animum sine religione ac pietate. Cum autem solum pectus capillos præfert, animosum designat.

Humeri tenues,& qui in acumine erecti sunt,insidiosum indicant hominem.

Brachia quando in tanta prolixitate extenduntur, vt erecto corpore extremitas medij digiti appropinquet ad genu,licet forte à mensura quattuor digitorum deficiat, huiusmodi habiles homines & fortes dicūt: cum autem prolixitas hæc ad femur desinit, vel parum vltra, declarat homines maleuolos,& malis alienis gaudentes.

Manus nimium breues & exiguæ,fortes designant & sagaces. Crassæ manus, si digitos breues vltra modum habeant, tergiuersorem declarant,insidiosum & furem. Manus intortæ & tenues loquaces significant & voraces.

Vngues albi,plani, & molles ,ac tenues, ac rubentes, & bene perlucidi,optimum ingenium indicant. Vngues inflexi,& curui, impudētes indicant,& rapaces. Vngues breues nimium, declarant malignum.

Digiti collecti & globati auarum dicunt,& malignū. Digiti parui & tenues stultum demonstrant. Digiti vero parui & grossi inuidum indicant & audacem.

Latera tenuia, & angusta timiditatem indicant. Latera referta carnibus & dura, ostendunt hominem indocilem, hæc enim ad ranas secundum Platonem referuntur.

Pars cruris quæ sub genu est, quæ vocatur sura,quando plena est, & quasi grauida intemperatum hominem significat, & impudentem: molles suræ effeminatis assignantur.

Pedes crassi & breues valde infirmum hominem indicant.Pedes nimium prolixi ad hominem dolosum referuntur. Pedes pertenues & breues produnt hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi esse solent,& efficaces. Qui celeriter incedendo se comprimit, & vultum deducit, atque totum corpus implicat,significat timidum,parcum & versutum.Qui breues passus habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur atque imbecillis.

Color cutis niger versutum indicat. Color albus rubeusque fortes animososque ostendit.Color vehementer albus cum pallore, defectum virtutis significat ex nimia victoria phlegmatis. Color ignitus lucentibus oculis ad insaniam vergit. Color medius inter nigrum & album qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenij,& bonorum motuum.

CAPVT LIX.

De regulis generalibus physionomiæ.

GENERALITER ergo tenēdum est,quod membra quæ in proportione sunt naturali quo ad figuram,colorem ,quantitatem, situm, & motum, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra vero quæ non habent proportionem debitam in figura, quātitate,situ, & motu,peruersam mētem indicant.Præterea dicebat Plato, quod quæcumque similitudo animalium aliquorum in hominibus est, tales homines etiam imitantur talium mores. Notandum insuper quod licet per signa membrorum naturalium mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem ,sed ostendunt inclinationem naturæ:nec semper denuntiant affectus hominum ,sed frequenter & probabiliter.Item propter signa exteriora, de quibus dictum est, non statim proferendum est iudicium: quia forte signum est per accidens, & non per naturam : & forte victum est per contrariam consuetudinem, & freno rationis tenetur. Vnde narrat Aristoteles, quod discipuli Hippocratis detulerunt Philemoni excellenti physionomo pictam imaginem Hipocratis, qui pronunciauit de ipso, quod esset vir luxuriosus. Illis autem indignantibus,& culpantibus Philemonem, quod de optimo viro taliter iudicasset, retulerunt hoc Hipocrati: qui confessus est Philemonem hoc recte iudicasse,sed ex amore Philosophiæ & honestatis dixit se concupiscentias cordis sui vicisse,& accepisse per studium,quod naturæ fuerat denegatum .Denique sciendum est quod signa exteriora non referuntur nisi ad eas passiones, quæ naturaliter insunt homini,sicut est ira, concupiscentia, & huiusmodi :non autem ad eas , quæ sunt animæ solius: sicut est musica, geometria, & similia. Sciendum quoque, quod in oculis principaliter consistit omnis perfectio physionomiæ: & sic oculorum indicium confirmat ceterorum membrorum indicium. Si autem contrariantur ,tunc præualent indicia oculorum: propter quod omnes physionomi affirmauerunt oculum esse verum cordis nuncium. Augustinus: Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius.

(Factum hoc de Zopyro physiognomone, & de Socrate narrat Cicero lib. de Fato.)

(Aug. regula 3. c. 11. to. 1. & ep. 109. ante med. to. 2.)

CAPVT LX.

De toto homine.

POSTQVAM expeditum est de homine ex parte mentis & ex parte corporis, nunc dicendum est de ipso prout est compositus ex vtroque, vbi specialiter ostenditur Dei potentia: quia naturas tam distantes coniunxit in vnam personam perfectam,scilicet corpoream, & incorpoream, quæ maxime distant in prædicamento substantiæ.Præterea cum esset vna sola creatura quæ habebat initus cognitionem per intellectum, vt Angelus: & alia, quæ habebat foris per sensum, vt quodlibet animal brutum,fieri debuit creatura, propter perfectionem vniuersitatis, quæ hac duplici cognitione esset prædita, vt posset legere in libro scripto intus & foris, hoc est in Creatore,& in opere suo. Vnita est anima corpori multiplici ratione , licet separata dignior videatur. Prima ratio est, vt per coniunctionem tam disparium naturarum erigeretur mens ad sperandam illam vnionem, quæ erit inter animam, & spiritum increatum. Alia ratio est, vt anima seruiendo Deo in corpore, habeat maius meritum: quia vbi maior pugna, ibi maior victoria, & per consequens maior corona. Difficultas enim corporis multum valet ad efficaciam merendi. Tertia ratio est propter complementum vniuersi.Cum enim,sicut dictum est, quædam esset creatura pure spiritualis, quædam pure corporalis,cōueniens fuit fieri creaturam mixtam, scilicet partim spiritualem,& partim corporalem. Quarta ratio est,quia sicut corpus viuum valet ad fructum pœnitentiæ: sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ: quia non solum anima , sed etiam corpus præmiabitur dote sua. Quinta ratio est , quia homo ex defectibus corporis multam habet materiam humiliationis, iuxta id, Humiliatio tua in medio tui. Sicut enim anima ex coniunctione ad corpus, plura consequitur bona: sic & multa contrahit incommoda. Primo,peccati originalis inquinationem: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?Secundo peccati pronitatem:Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.Tertio bene operandi difficultatem:Per agrum hominis pigri transiui,& ecce totum,&c.Quarto intellectus hebetudinem:Corpus quod corrumpitur,aggrauat animam. Quinto continuam impugnationem, ad Galatas: Caro concupiscit aduersus spiritum,&c. Sexto curarum sollicitudinem : Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid, &c. Septimo passionum multiplicitatem : Homo natus de muliere, breui viuens tempore,repletur multis miserijs. Octauo gloriæ retardationem , gloriam enim percipere non possumus, quamdiu in corpore detinemur : propter hoc Apostolus cupiebat dissolui & esse cum CHRISTO.

(Apoc. 5. a. — Mich. 6. d. — Iob. 14. a. — Gen. 8. d. — Pro. 24. d. — Sap. 9. c. — Gal. 5. e. — Matt. 6. d. — Iob. 14. a. — Philip. 1. d.)

CAPVT LXI.

De proprietatibus hominis.

PRoprietates hominis sunt istæ, discernere inter honestum,& turpe: vnde solius hominis est honestum

prose-

prosequi, cum omnia bruta non nisi vtilia & delectabilia prosequatur. Item passiones ordinare ad limitem rationis supra mundũ per intellectum eleuari: & ideo quando quis per adhæsionem in terrenis, se mundo inferiorẽ facit, iam quasi honore humanitatis exutus, proprietatem accipit bestiæ, ita vt dicatur fieri per immunditiam porcus, per iram canis, per rapinam leo, & sic de alijs: quod Plato vocauit secundam animarũ incorporationẽ. Amicitiam habere secundum omne genus amicitiæ: & in hoc differt à brutis, quæ non habent amicitiæ speciem, nisi quæ delectationis est, vel connutritorum, & huiusmodi. Intellectualibus theorematibus delectari, & speculari talia. Verecundari in turpi perpetrato. Propter quod inemendabiles dicuntur inuerecundi, quia in aliquo mutati sunt à rationis honore, pecorinam naturam assumentes. Perfecte esse coniugale animal, eo quod legibus ordinatis faciat honestas nuptias. Ciuile animal esse, quia distributiones, & cohabitationes, & fœdera & pugnas perfectas habet ex vrbanitatibus ordinatas. Disciplinę esse perceptibile propter rationis vsum. Esse animal mansuetum natura propter ciuilitatem. Esse animal risibile, gloriabile, propter perfectas gaudendi ratione, quæ soli contingunt homini. Esse microcosmum, id est, minorem mundum, eo quod de omnibus creaturis aliquid habeat homo, videlicet esse cum lapidibus, vegetari cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Ex duplici natura esse compositum, scilicet corporali, & spirituali. Creaturarum esse dignissimam. Esse animal rationale & mortale. Humana fragilitas in hoc consistit quod in homine est assiduitas deficiendi, impossibilitas standi, facilitas cadendi, difficultas resurgendi, vilitas nascendi, incertitudo moriendi. Defectus humanus est: quia quidquid habemus, aliunde habemus & imperfecte, insuper & amittere possumus. In homine quoque est moriendi necessitas, & hęc est, vel illata necessitas, sicut fuit in Adam: vel innata, sicut est in nobis: vel assumpta, sicut fuit in Christo.

Greg. hom. 29. in Euang. ante med.

CAPVT LXII.

De primis parentibus.

SVMMA bonitas volens communicare bonum suum alijs fecit creaturam rationalem, quæ summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret: possidendo beata esset. Fecit autem Deus primũ hominem, formando corpus eius per ministerium Angelorum de limo terræ in agro Damasceno, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitę: hoc est, animam creauit, quã corpori facto vniuit. Factus est autem homo ad imaginẽ Dei in naturalibus, & ad similitudinem in gratuitis. Dicitur autem homo factus ad imaginem Dei potius quam Angelus: quia conuenientiã habet homo cũ Deo intus & extra, quod non habet Angelus. Intus enim habet conuenientiam cum Deo secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem, sicut Angelus: sed extra, conuenientiam habet quam non habet Angelus. Nam sicut à Patre est Filius, sic ab homine homo eiusdem naturæ. Præterea sicut Deus prælatus est omni creaturæ simpliciter, sic homo omnibus in suo vniuerso. Item sicut Deus vbique est, sic anima vbique est in suo habitabili, id est, in corpore, non quidem per essentiam, sed per potentiam. Dignitas humana est in hoc, quod Deus fecit hominem ratione sapientem, vita innocentem, dominio potentem. Primum notatur in hoc quod homo factus est ad imaginem Dei: secundum, quod ad Dei similitudinem: tertium, quia præpositus est homo cunctis animantibus, & alijs creaturis, quæ omnia sibi seruiunt. Ex his nota quod voluntati bonorum hominum non solum subditur creatura, sed etiam ipse Deus omnipotens. Psalmista: Voluntatem timentium se faciet, &c. Item Angeli, qui deputantur ad custodiam. Item dæmones, qui dantur ad exercitium bonorum. Item homines boni, qui sunt socij tribulationum, & erunt socij consolationum. Item homines mali qui bonos magis promouent persequendo, quam possent facere seruiendo.

Gen. 1. d

Psal. 144. d

Corpus tale dedit Deus primo homini, quod animæ subiectum esset vt esset obtemperans sine rebellione, esset etiam propagabile sine libidine, esset vegetabile sine mortalitate, esset proportionabile quantum ad complexionem æqualem, esset quoque conforme animę, vt sicut anima erat innocens, & tamen poterat peccare, sic corpus esset impassibile, vt tamen posset mortalitatem incurrere: & ideo poterat mori, & non mori: poterat habere sufficientiam, & indigentiam: poterat obtemperare, & rebellare. & hoc fuit ratione naturæ defectiuæ ex nihilo creatæ, nec per gloriam confirmatæ. Fuit tamen corpus ita conditum, vt in eo nulla esset pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis. Hæc autem immortalitas corporis Adæ principaliter fuit ab anima, sicut ab influente: à corporis æquali compositione, sicut à disponente: à ligno vitæ, sicut à vegetante: à regimine vero prouidentiæ diuinæ, sicut ab interius conseruante, & exterius protegente. Factus est itaque homo absque omni culpa, & miseria, nec ad culpam habuit fomitis incitamentum. Insuper datum est ei quadruplex adiutorium. Primum ad recte volendum, quod est conscientia. Secundum ad murmurandum contra malum, & ad stimulandum ad bonum, quod est synderesis. Tertium fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum Deum suum, sic ut seipsum, & mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum. Quartum fuit charitas accẽdens affectum ad diligendum Deum super omnia, & proximum suum sicut seipsum. Prima duo pertinent ad perfectionem naturalium, alia duo ad perfectionem pertinent gratuitorum, quorum vnum fuit gratiæ gratis datæ, scilicet scientia: aliud gratiæ gratum facientis, scilicet charitas. Accepit homo triplicem oculum, primum carnis, quo videret mundum: secundum rationis, quo videret animum: tertium contemplationis, quo videret Deum. Et sic oculo carnis videt homo quæ extra se sunt, oculo rationis quæ intra se sunt, oculo contemplationis quæ sunt supra se. Notitiam enim Dei habuit, cuius præsentiam quodam interiori aspectu rationis contemplabatur, non tamen ita excellenter vt in patria, nec ita in ænigmate, vt modo in via. Res etiam factas nouit, quia animantibus omnibus nomina imposuit. Notitiam quoque sui habuit: quia qualis factus erat, sciuit: & quod agere, & quod cauere debet, intellexit. Fuit quoque sine pœnalitatibus, quia nec esuriuit, nec sitiuit. Item frigus vel æstus, labor aut infirmitas eum non læsit. Nec mortem expectauit, quia viuus erat ad gloriam transferendus: Vestibus non eguisset, & nudus verecundiam non sensisset. Natura in eo, quod ad deformitatem membrorum, non errasset. Conceptus fuisset sine pudore, partu sine dolore. Motus membrorum subiecti fuissent voluntati.

Gen. 3. d

Gen. 2. c

Gen. 2. d

CAPVT LXIII.

De præceptis Adæ datis.

ADAM factum Deus in paradisum transtulit, & ibi de costa dormientis Euam sibi sociam formauit. Hanc non fecit de capite, ne viro dominaretur: nec de pedibus, ne contemneretur: sed de latere: vt amoris vinculum probaretur. Duplex bonum illis Deus præparauit, vnum temporale, aliud æternum. Primum dedit, secũdum promisit. Ideo duplex præceptum primus homo habuit, vnum naturæ ad custodiendum bonum datum: aliud disciplinę, ad promerendum bonum promissum: & hoc nõ poterat promereri melius, quam per puram obedientiam, quæ tunc mera est, quando præceptũ ex se solo obligat, & non ex alia causa: & tale dicitur pręceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ. Vnde & disciplinæ præceptum dicitur: quia

tur: quia vitare lignum scientiæ non suadebat natura, sed disciplina. Præceptum vero naturæ duplex fuit: vnum de conseruatione indiuidui: vt ibi in Genesi: De omni ligno paradisi comedetis. Inter quæ ligna fuit in medio paradisi specialiter nominatum lignum vitæ, sic dictum ab effectu, quia corpora primorum parentum debebat continue vegetare. Aliud fuit præceptum naturæ pro conseruatione speciei, vt illud: Crescite & multiplicamini. Circa præceptum disciplinæ nota quod aliquid prohibetur, quia malum, Non furtum facies. Aliquid quia occasio mali. In Matthæo: Non iurare omnino: sicut prælatus multa prohibere potest, quæ tamen non sunt expressa in sua regula. Aliquid ad probationem obedientiæ, & tale fuit præceptum de ligno vitæ.

Gen. 2. c — *Gen. 1. d* — *Exo. 20. b* — *Matt. 5. f*

CAPVT LXIV.

De paradiso.

HOMO prædictis fultus auxilijs accepit locum paradisi terrestris in habitationem tranquillam. Fuit autem locus ille, vt ait Damascenus, exultationis vniuersæ promptuarium, qui terra excelsior est positus, & temperato ac purissimo aëre curcumfulget, plantis semper & floribus ornatus est, bono odore plenus, nullumque irrationabilium animalium ibi habitat. Præterea habetur in Genesi, quod à Domino paradisus plantatur, fonte, qui diuiditur in quattuor capita, irrigatur, ligno vitæ ac scientiæ boni, & mali decoratur, per Cherubim & flammeũ gladium custoditur. Notandũ insuper quod ibi nullę sunt tempestates. Duę quoque ibi sunt hiemes, & duæ æstates, & bis fructificant ibi arbores. In vtroque solstitio habent hiemem, & in vtroque æquinoctio æstatem. Huius autem ratio est, quia paradisus sub circulo ęquinoctiali situs est. Itẽ semper habent ęquinoctium.

Damasc. lib. 2. de fid. orth. c. 11. statim à prin. — *Gen. 2. b* — *Gen. 3. a & d*

CAPVT LXV.

De casu primi hominis.

INVIDENS ergo diabolus felicitati hominis, in specie serpentis ipsam mulierem, tanquam fragiliorem aggreditur tentandam: quam cum in responsione dubitantem cerneret, fortius institit: & tandem vincens eam, virum illa mediante deiecit. Processit ergo sic: Primo scilicet quærendo, Cur præcepit vobis Deus, &c. Secundo asserendo falsum. Nequaquam moriemini. Tertio promittendo. Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Processus iste fuit maximæ versutiæ, quia processit experiendo, impellendo, & alliciendo. Experiẽtiam enim accepit interrogatione, impulit in mendacij assertione, allexit in falsa promissione. Allexit autem diabolus mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quæ est appetibilis rationi: per excellentiam ad motum Dei quæ est appetibilis irascibili: per suauitatem ligni, quę est appetibilis concupiscibili. Igitur vir in vno peccauit, quia lignum vetitum gustauit: vnde & pœnam accepit, vt in sudore vultus sui pane suo vesceretur. Mulier autem in duobus peccauit. Nam superbiuit, & vetitum comedit: vnde & duplicem maledictionem habuit, scilicet, Sub viri potestate eris, & hoc propter primum. Item, In dolore paries, & hoc propter secundum. Diabolus vero in serpente tria fecit, inuidit, mentitus est, decepit: vnde propter primum dictum est ei: Supra pectus tuum gradieris: propter secundum, Terram comedes: Propter tertium. Ipsa conteret caput tuum. Si autem scire volueris quis eorum plus peccauit, scilicet vir an mulier, notandum est quod quantum ad aliqua plus peccauit mulier, & quãtum ad aliqua plus vir. Nam mulier plus peccauit quo ad peiorem finis intentionem. Voluit enim fieri sicut Deus: sed vir intendebat non contristare delitias suas. Item mulier peccauit in plures, quia in se, in Deum, & in proximum. Item damnosius peccauit mulier, quia plures maledictiones recipit. Vir autem peccauit plus A quantum ad originem, quia ex certa scientia. Item vir peccauit maiori ingratitudine.

Gen. 3. a — *Gen. 3. b, c* — *Gen. 3. c*

Quærunt multi cur Deus hominem fecerit qui peccare posset, & ad hoc assignantur plurimæ rationes. Prima est, vt ostendatur diuina potentia, qui solus inuertibilis est, omnis autem creatura vertibilis est. Secunda, vt declaretur Dei sapientia, quæ de malo scit elicere bonum: quod non potuit fieri nisi Deus creaturam fecisset vertibilem in malum: Tertia, vt manifestetur Dei clementia, qua Christus per mortem suam hominem perditum liberauit. Quarta, vt ostendatur Dei iustitia, qua non solum reddit bonis præmia, sed etiam malis supplicia. Quinta, vt homo non sit peioris conditionis, quam aliæ creaturæ, quas omnes Deus sic administrat, vt eas B propriis motibus agere sinat: vnde & hominem in proprio arbitrio relinquere debuit. Sexta est, laus humana. Laus enim est viri iusti, qui potuit trãsgredi, & nõ est trãsgressus. Septima est, decor vniuersi, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt, ita mali bonos commendant ad inuicem comparati. Octaua ratio est, quia boni exercitantur & probantur per malos. Adam autem & Eua ob peccatum de paradiso expulsi sunt, sicut Lucifer de cælo: & in hac valle miseriæ habitantes facti sunt mortales. Nam sicut in cælo est non posse mori, & in paradiso posse non mori: sic in terra est, non posse non mori: sic in inferno est semper mori. Ex his patet quod primus status hominis fuit innocentiæ: secundus gratiæ: tertius culpæ: quartus pœnitentiæ: quintus gloriæ. Dum enim inordinate erexit se supra se, cecidit C miserabiliter infra se, scilicet à statu innocentiæ, & gratiæ in statum culpæ & miseriæ. Item quia factus est inobediens suo superiori, iusto Dei iudicio factum est, vt sibi fieret inobediens suum inferius, scilicet caro, & maxime circa membra virtuti generatiuæ deseruientia.

Eccl. 31. b — *Gen. 3. d* — *Apoc. 12. b*

CAPVT LXVI.

De ordine tentationis in nobis.

ORDO tentationis qui fuit in primis parentibus, etiam in nobis completur. Nam sicut serpens vbi suggessit, mulier delectata est, vir comedit: sic in nobis secũdum Gregorium, diabolus gerit serpentis officium: sensualitas vero, quæ in carne est, officium mulieris, & D ratio tenet locum viri per cõsensum, vel dicas secundum Augustinum, quod suggestio serpentis est primus motus ex fomite: comestio vero mulieris, delectatio cogitationis, scilicet per inferiorem partem rationis, sed comestio viri est consensus superioris partis rationis. Per hæc enim tria, scilicet, suggestionem, delectationem, & consensum, homo in tentationem ducitur: quia tentatio per suggestionem inchoatur, sed per delectationem, progreditur, per consensum autem consummatur.

Greg. lib. 3. reg. Past. c. 1. admonit. 30. — *Aug. lib. 2. de Gen. con. Manich. c. 14. to. 1.*

Sunt autem alia tria, per quæ quis in tentatione detinetur, scilicet opus prauum, consuetudo, & desperatio. Sciendum item est quod tentatio est triplex. Prima est à diabolo, vel per modum suggestionis, vel per modum afflictionis. Secunda est à mundo, qui voluptate, vel vanitate allicit, vel persecutione frangit. Tertia est car- E nis, quæ per sensualitatem, ac fomitem ad peccatum impulit: quibus ratio consentiens peccatum perficit. Duæ sunt tentationis species: Prima scilicet diaboli, secunda mundi, & sunt extra nos, & non habent peccatum. vnde Augustinus: Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materiæ exercendæ virtutis. Tertius modus tentandi est intra nos, & est peccatum veniale, cum primus motus est tantum: sed mortale, si consensus aduenerit. Contra prędictos tentatores dedit nobis Deus tria remedia, quia contra diabolum habemus spiritus & Angelos bonos: qui ad bonum nos stimulant, & contra insultus diaboli defendunt. Item contra mundum habemus exempla Sanctorum, quos nec alliciebãt mundi blandimenta, nec terrebant supplicia. Item contra carnem habemus bona naturalia, scilicet synde-

Psal. 90. b

resim,

resim, & vim irascibilem, quæ naturaliter nos docent non acquiescere carni, sed spiritui. Habemus etiam gratuita, scilicet charitatem, temperantiam & huiusmodi, quibus carnis vitia mortificamus. Est autem differentia inter tẽtationes, quæ sunt à diabolo, & quæ sunt à carne. Tentationes enim quæ à diabolo sunt, sæpe oriũtur præter rationem, vt cum nuper satiatus famẽ patitur, & post longam dormitionem somno grauatur. Tentationes vero quæ sunt à carne frequenter surgunt propter necessitatem, sed interdum excrescunt in superfluitatem, vt si cibus post ieiunium immoderate appetitur, vel in comedendo mensura & modus non tenetur.

Tentatio autem multiplex est: quædam est probationis, & hæc est à Deo secundum quod Dominus tentauit Abraham. Quædam examinationis, & hæc est ab homine. Quædam præcipitatiois, & hæc est à diabolo, qui sic primos parentes tentauit. Quædam delectationis, & hæc est à carne. Quædam consensus, & hæc est rationis.

Gen. 22. a *Gen. 3. a*

Tentationum quattuor sunt species. Prima est aspera, hæc autem fit de laboribus inconsuetis in principio conuersionis. Secunda est vana, & oritur de spiritualibus prosperitatibus, vt cũ quis de virtutum successibus gloriatur. Tertia est dubia, vt quando quis ambigit quid certum de aliqua re tenere debeat: vnde accidit quod lentior quisque ad bonum redditur, quando id quod agit, bonum esse dubitatur: & pronior sit ad malum, quãdo malum esse nescitur. Quarta fraudulentia, vt quando diabolus in angelum lucis se transfigurat, sub specie scilicet virtutum inducens vitium, hæc fit quando suadendo honestatem, inducit superbiam, vel dissuadendo discretum obsequium, inducit nimium carnis commodum, vel suadendo iustum iudicium, inducit crudelitatem: vel suadendo misericordiam, inducit remissionem & negligentiam: vel suadendo largitatem, inducit prodigalitatem, & sic de alijs. In talibus autem periculosissimum est periculum non videre. Primam appellat Psalmista timorem nocturnum: per noctem enim aduersitas designatur. Secundam appellat, sagittam volantem in die: quia per diem prosperitas designatur. Tertiam appellat negotium perambulans in tenebris, & hæc propter dubium perplexitatis. Quartam vocat dæmonium, meridianum vnde ait: Non timebis à timore nocturno à sagitta, &c. De his quattuor generibus tentationum, idem ait: Super aspidem, quo ad primum, & basiliscum, quo ad secundum: & conculcabis leonem, quo ad tertium: & draconem, quo ad quartum.

2. Cor. 11. b *Psal. 90. a* *Ibid. d*

Propter prædictas tentationes: vel deceptiones diaboli non sunt etiam licita facienda: & hoc in quinque casibus Primus est, si diabolus suadet homini aliquid esse bonum faciendum, quod videtur suis consilijs consentire: vnde Christus ipso suadente noluit facere panem de lapidibus, quod tamen opus bonum fuisset. Secundus, si proponatur aliquod opus contra legem Dei, non est faciendum. Vnde Machabęi nolebant comedere carnes, quas tempore necessitatis comedere licuisset. Tertius, quando bonum fit cum scandalo aliorum. Peccantes in fratres, &c & loquitur de idolothytis. Quartus est quando bonum fit per ostentationem. Si osculatus sum manum meam quæ est iniquitas maxima. Quintus, cum impedit obedientiam superioris, quia licet propter mandatum prælati nunquam malum debeat fieri, potest tamen bonum aliquando propter obedientiam prætermitti. Remedia autem contra tentationes sunt, memoria Dominicæ passionis, mortificatio carnis, vtile exercitium, declinatio occasionum, conculcatio principij tentationum.

Matt. 4. a *2. Mac. 7.* *1. Cor. 8. d* *Iob. 31. c*

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER TERTIVS DE CORRVPTELA PECCATI.

Capita Hvivs Libri.

CAPVT I.

De malo in genere.

MALVM triplex est, videlicet culpę, pœnæ, & damni: quod opponitur triplici bono, scilicet honesto, delectabili, & vtili. Nam culpæ opponitur honestum, pœnæ opponitur delectabile, damno opponitur vtile. Malũ est vtile multis modis Primo propter suã ordinationem, quia per vilificationem ponitur in loco inferiori in vniuersitate rerũ, vnde bene ordinatur: sicut ordinate ponitur diabolus in inferno, & fur in patibulo. Secũdo, modo vtile est propter suã coactionẽ. Amaritudo enim conscientiæ cogit hominem à peccato recedere: Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Item in eodem: Vide quam malum & amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum. Tertio, est vtile per ipsius mali considerationem. Ex hoc enim quod homo malum videt, naturaliter proficit: quia sicut homo naturaliter bonum appetit, ita naturaliter horret malum & fugit.

Hier. 2. d

CAPVT II.

De peccati diffinitione.

POST malum in genere, sequitur de malo culpæ in specie: Diffinitur autem peccatum multis modis. Primo sic ab Augustino:[a] Peccatum est voluntas retinẽdi vel consequendi quod iustitia vetat. Secundo sic ab eodem:[b] Peccatum est dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Tertio sic ab Ambrosio:[c] Peccatum est præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia præceptorum. Quarto sic ab Augustino:[d] Peccatum est spreto incommutabili bono rebus mutabilibus adhærere. Prima diffinitio datur secundum causam efficientem, secunda secũdum causam materialem, tertia secundum causam formalem, quarta secundum causam finalem. In quarta diffinitione nota quod in peccato duo sunt, scilicet auersio à Creatore, & conuersio ad creaturam: quorum primum est quasi formale, secundũ quasi materiale. Et in actione non est peccatum ratione conuersionis, si nõ sistatur in creatura, sed ratione auersionis, in qua est deformitas & contemptus. Quod autẽ ratione conuersionis non sit peccatum principaliter, patet: quia potest fieri venialiter quandoq; vt quando quis delectatur in creatura plus debito, sed tamen citra Deũ. Quandoque etiam quis potest delectari in creatura sine omni peccato, vt cũ delectatio naturalis est tantum, secundum quod visus delectatur in viridi, & gustus in dulci, & sic de aliis. Interdum potest etiam quis delectari meritorie, quando, scilicet ad Deum refertur. vnde Psalmista: Delectasti me Domine in factura tua, &c. Sed tũc sumitur delectatio pro motu, non pro passione.

[a] Aug. li. 1. Retract. c. 15. to. 1. & li. de duab. animab. c. 11. to. 6.
[b] Idem lib. 22. contr. Faust. cap. 27. tom. 6.
[c] Ambros. lib. de Parad. c. 8.
[d] Aug. lib. 1. de li. arb. c. 16. to. 1.
Psal. 91. a

CAPVT III.

Quid sit peccatum secundum rem.

TENENDVM est de peccato quod non est substantia vel res aliqua, sed defectus & corruptela. Et dicitur peccatum nihil propter tria. Primo, propter defectum, quia peccatũ non est aliqua res naturalis, sed corruptio boni. Secũdo, propter effectũ, quia peccatum annihilat hominẽ, & deficere facit à vero esse. Tertio propter despectũ, quia vilem facit hominem & indignũ præmio. Circa prædicta tamen sciendum est quod aliud est peccati actus, aliud habitus, & aliud macula peccati, siue reatus. Actus peccati est aliquid: sed quando amplius nõ fit, esse desinit etiam sine gratia: sed peccati habitus qui relinquitur malis ex actibus, etiam aliquid est, & remanet interdum etiam cessantibus actibus, & post infusam gratiam ac peccati remissionem. Peccati vero macula secundum rem, nihil est, & tamen deformat animam non per modum positionis, sed priuationis, sicut truncatio membri deformat corpus & maculat. Dicit etiam Augustinus quod etiam sicut abstinentia nulla est res, & tamen ex ea corpus languet, ita peccatum non est res aliqua, vel substantia aliqua, & ex eo tamẽ natura corrumpitur, sed deletur per gratiam. Notãdum præterea quod peccatum quandoque transit actu, & remanet reatu, sicut peccatum actuale. Quandoque est è conuerso, cum peccatum transit reatu, & remanet actu, sicut patet in peccato originali post baptismum. Quandoque transit actu simul & reatu, sicut peccatum actuale post pœnitentiam perfectam. Quandoque remanet actu & reatu, sicut peccatum originale ante baptismum.

Aug. lib. de natura & grat. contr. Pelagian. c. 20. to. 7.

CAPVT IV.

Quid sit peccatum secundum nomen.

PECCATVM habet multa nomina. Vocatur enim macula, & hoc quia imaginem animæ deformat. Itẽ reatus, quoniam ad pœnam æternam obligat. Item pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Item vocatur pœna, in quãtum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta fuit. Item delictum, secundum quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Item vocatur culpa, prout respicit pœnam. Item offensa, & hoc quia contra Deum est. Item præuaricatio, & hoc inquantum mandatum Dei respicit. Item vitium, id est, defectus bonorum naturalium. Item peccatum, prout est conuersio ad bonum commutabile. Item vocatur scelus propter iniuriã Dei magnam. Item nefas, prout est illicitum personæ perpetranti. Item vocatur crimen, prout est dignum accusatione & pœna.

CAPVT V.

De origine peccati.

QVAMVIS peccatum sit contrarium ipsi bono, non tamen habet esse in bono, nec ortum trahit nisi à bono, quod quidem bonum est liberum arbitriũ, ac voluntas, à qua peccatum est sicut à prima origine, & in qua est sicut in proprio subiecto. Voluntas igitur est causa peccati: causa dico, non efficiens, sed deficiens. Voluntas enim secũdum quod habet respectũ ad suũ principium à quo est, scilicet ad Deum, non est nata elicere ex se, nisi bonum: sed secundum quod habet respectũ ad principium ex quo est, quod est nihil, cum ipsa voluntas sit ex nihilo, tendit ad defectum. Si ergo volumus scire: vnde sit malum culpæ materialiter, dicemus, quod ex nihilo. Si vero volumus scire, vnde sit formaliter, dicemus quod ex absẽtia debiti boni, scilicet speciei, modi, & ordinis. Sed si velimus scire vnde sit originaliter, dicimus quod sit à voluntate, siue à libero arbitrio.

De progressu autem peccati nota, quod peccatum initiatur in cogitatione, procedit & crescit in delectatione, perficitur in consensu.

Circa progressum peccati sciendum, quod quædam antecedunt ipsum peccatum, quædam sequuntur, quædam circumstant: Peccatum antecedunt aliqua ex parte auersionis, aliqua ex parte conuersionis. Ex parte auersionis antecedunt ipsum peccatum ista, contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, præuaricatio. Illa vero quæ peccatum antecedunt ex parte conuersionis, sunt hæc, cogitatio, libido, concupiscẽtia, delectatio, peruersa intentio, consensus. Alia sunt quæ sequuntur peccatũ, sicut est macula, id est, deformatio imaginis Dei: & reatus, id est, obligatio ad pœnam æternam. Sunt adhuc alia, quæ peccatum comitantur vt sunt peccatorum circumstantiæ, quæ peccatum aggrauant, aut diminuunt, quæ continentur in hoc versu:

Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando.

Actio etiam illa per peccatum deprauatur, quæ est de genere bonorum, quandoque in principio, quandoque in medio, quandoque in fine: & hoc per malam intentionem, vel per negligentiam, vel per vanam gloriam. Vnum peccatum dicitur maius altero multis modis, scilicet causalitate, vt peccatum Luciferi: vel generalitate, vt peccatum Adæ: vel deformitate, vt peccatum Iudæ: vel difficultate remittendi, vt peccatum in Spiritum sanctum: vel periculositate, vt peccatum ignorantiæ: vel inseparabilitate, vt peccatum cupiditatis: vel pronitate, vt peccatum carnis: vel offensione, vt peccatum idololatriæ: vel expurgandi difficultate, vt peccatum superbiæ: vel mentis cæcitate, vt peccatum iræ. Circa peccati grauitatem, nota quod nihil est peccatum in viro perfecto, quod non sit peccatum in imperfecto, nisi in his quæ nouit: Nam perfectio non mutat genus peccati, sed eius quantitatem auget.

* * *

CAPVT VI.

De diuisione peccati.

DIVISIO peccatorum multiplex est. Alia enim est secundum causam efficientem secundum se, vt hæc, Peccatorum aliud est ex impotentia, aliud ex ignorantia, aliud ex malitia. Alia sumitur secundum causam efficientem ratione annexi, secundũ quam sumitur hæc diuisio: Peccatorum aliud est ex amore male accendente: aliud ex timore male humiliante, hoc est dicere, quod homo potius vult peccatum committere, quàm amato carere, aut malum pœnę, quod timet, incurrere. Sumuntur etiam peccatorum diuisiones secũdum causam materialem, circa quam primo sumitur hæc diuisio: Peccatorum, aliud est cordis, aliud operis. Item hæc: Peccatorum, aliud cogitationis, aliud locutionis, aliud operationis. Secundo modo sumitur sic, Peccatorum, aliud est in Deum, aliud in seipsum, aliud in proximum. In Deum diuiditur sic: Aliud in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum sanctum. Aliis tribus modis peccatur in Deũ, scilicet male per infidelitatem de Deo sentiendo, item blasphemando, item sacra Dei indigne tractando. Alio modo peccat quis in Deum, scilicet ipsum tentando: & hoc fit tripliciter. Nam quandoque tentat quis Dei potentiam, vt cum signa petit. Quandoque Dei iustitiam, vt cum per candens ferrum, vel per duellum, vel similia quis iudicium petit. Quandoque Dei misericordiam, vt cum quis Dei bonitatem examinans committit se stultis periculis.

In seipsum peccat quis tripliciter, scilicet, necessaria sibi subtrahendo, item superflua sumendo, item vltra vires quippiam aggrediendo.

Item in proximum peccat quis tripliciter, scilicet proximo suo auferendo. Item sua sibi in necessitate non communicando. Item malo exemplo illum ad peccatum trahendo.

Sumuntur præterea diuisiones peccatorum secundum causam formalem: & hoc tribus modis: quandoq; naturaliter secundum qualitatem, vel secundum relationem. Secundum qualitatem sumitur hæc diuisio: Peccatorum aliud est commissi, aliud delicti: quorum primum est præuaricatio præceptorum negatiuorum: secundum vero est præuaricatio præceptorum affirmatiuorum. Item prædictum peccatũ est duplex contra duas partes iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Item alia diuisio sumitur secundum quantitatem sic: Peccatorum quædam sunt carnalia, quædam spiritualia, sed carnalia maioris sunt infamiæ, spiritualia maioris sunt culpæ. Secundum quantitatem sumitur hæc diuisio: Peccatorum aliud est mortale, aliud est veniale: quorum primum dicitur peruersio, secundum vero inordinatio: quoniam peccatum mortale est auersio totalis à bono incommutabili, & conuersio totalis ad bonũ commutabile. Sed peccatum veniale est amor voluptatum in creatura, citra Deum tamen. Secundum relationem sumitur hæc diuisio: Peccatorum aliud est originale, aliud actuale.

Vltima diuisio est secundum causam finalem: & hoc dupliciter, quia vel secundum ipsum appetibile, vel secundum actum hominis appetentis. Secundum ipsum appetibile sumitur hæc diuisio: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ: quorum primum est appetitus voluptatum, secundum appetitus diuitiarũ, tertium appetitus honorum. Secundum actum hominis appetentis diuiditur peccatum in septem vitia capitalia, scilicet superbiam, inuidiam, iram, acediam, auaritiam, gulam, luxuriam. *1. Ioan. 2. c*

Nota quod quinque sunt genera operum. Nam quædam sunt mala in se, vt illa, quæ secundum suam naturã mala sunt, possunt tamen per aliquam circumstantiam fieri bona, vt homicidium. Quædam sunt mala secundũ se, vt illa quæ per nullam circumstantiam possunt fieri bona, sicut odire Deum, fornicari, & huiusmodi. Quædam sunt bona in se, vt quæ sunt bona ex genere, & tamẽ possunt fieri mala ex circumstantia, sicut est dare eleemosynam. Quædam sunt bona secundum se, vt quæ per nullam circumstantiam possunt fieri mala, sicut diligere Deum ex charitate. Quædam sunt indifferentia, vt quæ nec bona, nec mala sunt, possunt tamen vel bona, vel mala fieri: sicut est mouere pedem sine deliberatione, vel quandoque comedere.

CAPVT VII.

De effectu peccati.

MVLTA mala facit homini peccatum, antẽ mortem, in morte, & post mortem. Ante mortem hæc mala operatur. Naturalia vulnerat, vt significatur in illo, qui incidit in latrones. Item intellectus obscuratur in cognitione veri, & affectus tepescit in operatione boni. Gratuitis spoliat. Dispersi sunt lapides sanctuarii, &c. Sed ne aliquod bonum pereat, illa bona quæ quis peccando mortificat, aliis saluandis dabuntur, sicut quando corporali morte quis moritur, fratres, & propinqui in bonis eius succedunt. Animam maculat: Denigrata est super carbones facies eorum. Ad pœnam æternam obligat: Quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Conscientiam amaricat: Vide quàm malum & amarum est te dereliquisse Deum tuum. Indurat: Peccator cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Insensibilem reddit: Visus est eis quasi ludens loqui. Simile habes in cane submergendo, qui non sentit lapidem in collo, donec in aquam extra nauem proiiciatur. Animam occidit, quia vera vita, id est, Deo priuat. Saul irruit in gladium suum. Sed nota quod peccatum veniale disponit ad mortem, mortale vero infert mortem: sed obstinatio detinet in morte. Ad alia peccata trahit. Exemplum habemus de Cain, qui egressus in agrum, occidit fratrem suum Abel. De hoc dicit Gregorius: Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. exemplum habes etiam in figura, Coruus egressus de arca, interceptus est aquis. Et Dina egressa, vt videret, &c. virginitatem amisit. Et Iudas egressus, Christum tradit. Et post adulterium Dauid, securum est homicidium. Et sic patet quod peccatum est pœna peccati. Peccatum enim secundum quod in se est culpa, præcedentis peccati dicitur pœna: & ita dicitur aliquid simul culpa & pœna; sed ratione actionis dicitur culpa, pœna vero ratione passionis: quia culpa est quod facimus: pœna vero quod patimur. Licet igitur omnis culpa sit à nobis, non tamen omnis pœna est à nobis, immo quædam est à nobis acta, quædam à Deo inflicta, quædam à primis parentibus contracta. Et quia eum qui facit, quod non debet, iustum est pati quod debet; ideo omnis pœna est iusta, & à diuina prouidentia ordinata. Quod autem vnum peccatum nascatur ex alio, sic apparet. Superbia enim quia vult omnes excellere, dolet si aliquis ei æquetur, & sic ex ea nascitur inuidia. Inuidus vero quia de facili irascitur ei, cui inuidet, ideo ex ea nascitur ira. Sed ira cum non potest se vindicare, tristatur: & ideo ex ea nascitur acedia. Acedia vero consolationem quærens in exterioribus, facit auarum. Auaritia autem quia in temporalibus abundat, potest magis exercere gulam. Gula vero propter ventris repletionem de facili spumat in libidinem, & ita generat luxuriam. Item bona, quæ fiunt, infructuosa reddit, & quantum ad meritum, & quantum ad præmium: sicut ramus præcisus ab arbore, non profert fructum, sed arescit, & habilitatur ad incendium. De talibus dicitur: Maledictus eris ingrediens, & egrediens, scilicet Ecclesiam materialem ad orandum: quia talium oratio non est meritoria, immo dicit Augustinus quod si tales cruce se signent, includunt potius in se diabolum, quàm excludãt, quia iam in eis per effectum habitat. Ex homine infernum facit: quia in peccatore est ignis auaritiæ, fœtor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis con-

Luc. 10. f — *Thrẽ. 4. a* — *Thrẽ. 4. b* — *Gene. 2. c* — *Hiere. 2. d* — *Prou. 18. e* — *Gen. 18. a* — *1. Reg. 31. b* — *Gen. 4. b* — *Greg. li. 25. Mor. c. 9. non longe à princ.* — *Gen. 8. a* — *Gen. 34. a* — *Matt. 26. d* — *2. Reg. 11. e* — *Ioan. 15. a* — *Deut. 28. b*

conscientiæ, sitis concupiscentiæ, dæmones per effectū, & huiusmodi. Vacuum tandem hominem relinquit. Terra erat inanis & vacua, & merito: quia mundo adhærentes sugunt vbera arida, eo quod relinquunt fontem vitæ, & venam aquarum viuentium, & paludibus turbidis se satiant. Item fallendo decipit, sicut lignum putridum de nocte lucens, & sicut esca in hamo latens piscem decipit. Stultum hominem demonstrat, quia peccando quis sibi onus ad se deprimendum imponit, & ligna super dorsum suum cremanda colligit, & illi seruit, qui eum pro seruitio torquebit. Augustinus: Stultum est in tali statu viuere, in quo quis non audet mori. Sequitur quod peccatū in morte grauat hominem: quia in morte priuatur homo solatio visibilium, quæ dilexit, scilicet cibo, potu, amicis, rebus, lumine, requie, & proprio corpore, quod numquam in tali forma suscipiet, imo vellet non habere, sicut quando pro dimidia parte corrosum est à vermibus, quia stupebit anima peccatoris, quando corpus resumendum videbit. Turbabitur peccator in morte, quando videbit concursum dæmonum ad animam: Omnes inimici eius apprehenderunt eam inter angustias.

Gen. 1. a *Hiere. 2. d* *Thren. 1. a*

Postremo videndum est, qualiter peccatum premat hominem post mortem. Confusionem habebit ex malorum operum denudatione. Propheta, Reuelabo pudenda tua in facie tua. Exprobrationē Christi audiet in iudicio: Esuriui, & non dedistis mihi, &c. Requie & luce priuabitur: Ligatis manibus, & pedibus mittite eum, &c. Vnde non valebit ei ille cantus, Requiem æternam, &c Suffragijs Ecclesiæ non gaudebit: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non, &c. In infernum præcipitabitur. Exemplum de lapide molari, quem Angelus in Apocalypsi proiecit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa, &c. A Deo, & electis, & omnibus bonis separabitur. Ite maledicti, &c. A statu pœnitendi cadet: Transit æstas, finita est messis. Omnis spes misericordiæ præcidetur: Non remanebit testa, vt portetur igniculus, scilicet charitatis, de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea, scilicet diuinæ misericordiæ. Sicut itaque peccatum nocet in peccato existenti, ac in peccato morienti, sic quoque multipliciter etiam nocet peccatum ipsum deserenti, & de illo pœnitēti, quia gloriam primæ innocentiæ numquam recuperabit. Sicut enim corrupta de cætero virgo nō erit, ita semel peccans numquam se non peccasse gaudebit. Istud multis ostenditur exemplis. Nam post sanationem vulneris semper manet cicatrix. Item qui semel furatur, semper fur dicitur. Item domus eius domus discalceati de cætero dici potest. Item Simon, quem Dominus à lepra mundauit, post mundationem semper vocabatur Simon leprosus. Item templum quod reædificatum fuit post destructionem primi, nullo modo fuit simile in pulchritudine templo priori. Ad temporalem pœnam obligat. Vnde non exibit inde, donec reddat nouissimum quadrantem. Item regnum cœlorum non intrabit, donec lignum, fœnum, stipula, id est, pœna peccatorum tam mortalium, quàm venialium, quæ in præsenti soluta non est, super ipsum cremetur. A gloria retardat, quod figuratum est in Absalon, qui postquam patri reconciliatus fuit, tamen mansit duobus annis, quod faciem eius non vidit: quia tamdiu differtur quis à gloria quousque fiat sine omni macula, sicut erat in Baptismo. Tempus amissum, & meritum quod sibi conquirere potuit cum præmio, numquā recuperabit. Qui vendit, ad id quod vendidit, non reuertetur. Obscurat oculum cognitionis, & hoc propter trabem quæ intus erat: & propter stercora hirundinum, quæ ipsum excæcauerant, vt patet in Tobia. Vnde Augustinus: Oculis ęgris odiosa est lux, sicut noctuis, & vespertilionibus. Ad hoc nota de quodam cæco, quem licet Dominus illuminauerit, non statim perfecte vidit, sed vidit homines primo quasi arbores ambulantes. Affectū reddit tepidum sicut in pede vulneratus, etiam sanatus claudicat: & arbor de loco suo mota, aliquid virtutis amittit. Vnde dictum est homini post peccatum: Spinas & tribulos germinabit tibi, & dictum est serpenti: Supra pectus tuum gradieris. Fastidium boni generat: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Augustinus: Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis. Idem de se dixit, postquam conuersus fuit: Plus valebat malum insolitum, quàm bonum insolitum. Ad bene operandum impedit: Vxor Loth respiciens retro, versa est in statuam salis, quod, scilicet, sterilem facit terram. Item: In dolore paries Filios, scilicet bonorum operum. Ad resistendum tentationibus debilitat. Samson post crinium abscissionem amisit vires, & arbor læsa per securim, cito à vento deiicitur. Feruorem minuit charitatis, sicut eclipsis Solis diu postmodum nocet terræ, eo quod modico tempore sibi virtus radiorum Solis subtrahitur. Rex Dauid senuerat, & cum operiretur vestimentis, non calefiebat. Et aqua calorem ignis minuit, vel extinguit. Dolorem & timorem de cętero semper infligit. Dolorem quidem, quia certus est de perpetrata culpa. Timorem autem, quia incertus est de venia. Augustinus: Pœnitens semper doleat, & de dolore gaudeat, non semper doluisse se doleat. Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrij dupliciter, scilicet in agendo, & suscipiendo. In agendo quidem, quia non potest semper facere, quod oportet, vel vitare quod nocet. In suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter, scilicet quantum ad discretionem iudicij inter bonum, & malum, & quantum ad deliberationem consilij inter expediens, & inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter, scilicet in ordine, & in modo, quia nec semper est ordinatus, nec semper moderatus. Peccatum multis nocet, scilicet ipsi facienti. Peccatum meum contra me est semper. His qui sunt in purgatorio, quos non possunt peccatores tam efficaciter iuuare, sicut si essent in gratia, ipsis damnatis, & hoc per modum coniunctionis: quanto enim plures sunt in inferno, tanto maior est horror & pœna. Fallit enim in inferno regula illa, Solatium est miseris, socios habere pœnarum. Saluatis & hoc per modum subtractionis. Nam ex consortio, & societate glorificatorum habetur gaudium accidentale. Denique ipsis viatoribus nocet, tum pro eo quod acies eorum cōtra dæmones minuitur in illo, qui peccatum perpetrat tum pro eo quod alios malo exemplo corrumpit, & scādalizat. Multa mala similiter eueniunt homini ex eo, quod in peccatum à quo per pœnitentiam surrexerat, recidiuat. Primum est, quia homo fit impotentior ad resurgendum. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, &c. & prolapsi sunt, iterum renouari. Secundum, quod vitium fortificatur ad impugnandum. Augustinus de se loquens, Plus, inquit, valet malum inolitum, quàm bonum insolitum. Tertium est, quod culpa fit difficilior ad remittendum. In Hieremia: O quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. Vnde etiam dicitur, quod vulnus iteratum tardius sanatur. Quartum est, quod Deus fit difficilior ad placandum, de Semei, qui ad primam petitionem inuenit misericordiam, eo tamen pacto, quod staret in Hierusalem: sed quando secundario peccauit, sine vlla misericordia occisus est. Quintum est quod diabolus difficilior est ad expellendum. Tunc assumpsit septem spiritus nequiores se, & ingressus habitat ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Nahum. 3. b *Mat. 25. d* *Mat. 22. b* *Isa. 66. d* *Apoc. 18. g* *Mat. 25. d* *Hiere. 8. d* *Isai. 30. c* *Matt. 5. d* *1. Cor. 3. c* *2. Reg. 14. f* *Ezech. 7. c* *Luc. 6. f* *Tob. 2. b* *Aug lib. 7. conf. c. 16. tom. 1.* *Mar. 8. c* *Gen. 3. c* *Num. 21. b* *Aug. ibid. vbi sup.* *Gen. 19. e* *Gene. 3. c* *Gen. 18. f* *Iudic. 16.* *3. Reg. 1. a* *Psal. 50. a* *Hebr. 6. a* *Hiere. 2. g* *3. Reg. 2. g* *Luc. 11. d*

Sequitur de corruptione speciei, modi, & ordinis. Vnde nota quod bonitas naturalium comparata ad animam quam speciosam facit, dicitur species: sed comparata ad opus quod modificat, dicitur modus: comparata vero ad finem, scilicet Deum ad quem ordinat, dicitur ordo. Alio modo corruptio speciei est dissimilitudo animæ ad Deum. Nam species animæ, similitudo Dei est. Corruptio vero modi est diminutio extensionis, virtualis, siue infirmatio potentiæ, quæ ex hoc est, quod animæ non sustentantur cibo spirituali, gustando, quàm suauis est Dominus. Corruptio autem ordinis est in anima cum aspectus & affectus deorsum est ad creaturas extra naturalem situm. Cum enim hæc, quæ sunt quasi

caput

caput animæ, sursum sunt ad Deum, in naturali situ & ordine sunt: alioquin homo erit quasi euersus. Aliter priuatio speciei est deformitas siue carentia debitæ rectitudinis voluntatis. Rectitudo autem voluntatis est, vt non declinet à suis extremis, scilicet à Deo principio, & à Deo fine, vt videlicet omnia, quæ habet à Deo principio, referat etiam ad Deum finem. Cum enim quis quod habet sibi attribuit, aut ponit alium finem, quàm Deum, curuus est. Item priuatio modi est excessus propriæ voluntatis, scilicet cum vult aliquid diuinæ voluntati contrariũ. Item priuatio ordinis est auersio volũtatis à Deo, & conuersio ipsius ad creaturam. Item & aliter: Creatura rationalis aliter à summo bono est secundum triplicem habitudinem, scilicet efficientis, formalis, ac finalis: & ideo nata est agere opera sua à Deo, & secundum Deũ & propter Deum, & hoc secundum modum, speciem & ordinem sibi insitum. Sed quoniam eadem rationalis creatura de nihilo facta fuit, potuit deficere in suis actionibus, vt scilicet operationes suæ non essent à Deo, ac per hoc, nec secundum Deum, nec propter Deum: hoc autem est peccatum ipsius speciei, & modi, & ordinis corruptiuum.

CAPVT VIII.

De peccato originali secundum rem.

EXPEDITO de peccato in genere, dicendum est de peccato in specie: & primo de originali, & post de actuali. Licet igitur anima non sit ex traduce, tamen originalis culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum mediante carne, per concupiscentiam generata. ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad libidinem; ita seminata caro secum trahens infectionem, vitiat animam. Ex quo patet quod peccatum originale est in carne, & in anima. In carne est materialiter, & originaliter: & in anima formaliter, tamquam in subiecto. Sola enim anima est susceptibilis virtutis & vitii, & tamen (sicut dictum est) ex coniunctione ad corpus cõtrahit illud vitium, sicut quando cadit quis in lutum, fœdatur & maculatur. Talis autem infectio animæ non tantum est pœna, sed etiam culpa. Ipsa vero culpa, quæ macula est, deletur in Baptismo: pœna autem quæ fomes appellatur, siue peccandi pronitas, remanet post Baptismum. Licet enim curetur in Baptismo culpa quantum ad reatum damnationis æternæ, tamen remanet ipsa pœna quantum ad actum, & motum concupiscentiæ, cum qua nos oportet quamdiu viuimus, pugnare: quia non extinguitur concupiscentia per gratiam cõmunem in aliquo homine: quod dico propter B. Mariã Virginem, in qua fuit extincta in conceptione Filii per gratiam singularem. Ex prædictis patet quod persona corrumpit naturam, & econtra natura corrupta corrumpit personam. Nam per peccatum primi hominis corrupta est humana natura, sed natura sic corrupta corrumpit alias personas. Notandum autem, quod corruptio personæ est reatus mentis: corruptio vero naturæ est infectio carnis, prout est principium ad carnem alteram. Denique nullo modo debet imputari Deo infectio animæ, licet eam creando infundat, & vniat cum carne infecta: quoniam ordinatissimum fuit, vt humana natura ita conderetur, quod condita propagaretur, & pro peccato puniretur. Vnde sicut in conditione seruatus est ordo sapientiæ, & in propagatione seruatus est ordo naturæ: sic in punitione seruari debuit ordo iustitiæ. Et ita patet quod non est contra diuinam æquitatem, si ad posteros culpa transmittitur. Dicendum igitur quod originalis culpæ transfusio, vel transmissio non est à Deo, nec à natura condita, sed à vitio primi hominis perpetrato. Et hoc est, quod ait Augustinus, quod peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio, sed libido. Sic enim conditus est homo, vt spiritus præesset corpori, & corpus subesset spiritui, quamdiu scilicet ille obediret suo conditori: & contra si spiritus non obediret Deo, iusto Dei iudicio corpus inciperet rebellare spiritui. Sicut ergo si Adam stetisset, corpus suum obediens ei esset, & tale ad posteros transmitteret: sic ex quo Adam peccauit, & caro eius facta est ei rebellis, oportet quod te talẽ ad posteros transmittat, & quod Deus secundum institutionem primariam animam corpori infundat. Ex quo patet quod pater est causa originalis peccati in filio, sed causam hic intelligas in genere causæ efficientis. Omnes per concupiscentiam generati nascimur filii iræ: propter quod incurrimus multiplicem defectum tam corporis, quàm animæ, ad quos subsequitur pœna mortis, & pœna carentiæ visionis diuinæ, & amissionis gloriæ cælestis, nõ solum in adultis, verumetiam in paruulis non baptizatis, qui pœna mitissima inter cæteros puniuntur, qui solam pœnam damni habent sine pœna sensus.

Originale peccatum sic lauatur & curatur per Baptismum in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est, & lauatus, transmittitur in prolem, sicut videmus, quod circumcisus generat filium cum præputio, & granum nudum seminatum generat granum cum palea: & hæc est ratio, quia homo generat filium, non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus est in carne: non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis.

CAPVT IX.

De peccato originali secundum nomen.

ORIGINALE peccatum habet multa nomina, & hoc multiplici de causa. Secundum enim quod originale peccatum comparatur ad animam, vocatur infirmitas, quia reddit animam impotentem ad resistendum motibus. Item fœditas, quia per ipsum anima fœdatur & maculatur. Item pronitas, propter continuam inclinationem appetitus ad malum. Item corruptio, quia ducit ad nihilum id est, ad peccatum. Item vitium, quia est diminutio bonorum naturalium. Item languor naturæ, quia durat in natura corrupta. Sed secundum quod comparatur ad corpus, vocatur lex carnis, eo quod lege diuina carni sit inflicta. Item lex membrorum, quia mouet organa ad opera concupiscentiæ. Item tyrannus, propter dominationem quam habet, quasi violentam in ipso concupiscibili. Item fomes, quia sicut cinis fouet ignem, ita per ipsum fouetur peccatum in carne secundum actum nutritiuæ & generatiuæ. Item stimulus carnis, quia stimulat carnem ad primos motus, & animum ad consensum. Sed prout comparatur ad actus delectabiles, vocatur concupiscentia, quæ sonat vitium in actu, prout est in adultis. Item concupiscibilitas quæ sonat vitium in potentia, prout est in paruulis. Secundum vero quod comparatur ad primum hominem, à quo contrahitur, vocatur peccatum originale, quod est carentia debitæ iustitiæ.

CAPVT X.

De primis motibus.

CVM peccatorum aliud sit actum, aliud cõtractum, ipsum peccatum actuale frequenter à primis motibus habet ortum. Vnde sciendum, quod in statu innocentiæ, non mouebatur sensualitas nisi secundum motum rationis. Ideo stante primo homine in eodem statu, non poterat in eo esse peccatum etiam veniale. Primi motus & si particulariter, & singulatim possunt declinari, tamen nullo modo omnes possunt caueri, quia sic tot sunt peccata, quot sunt etiam peccati pœnæ: & ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso sunt digna venia. Primus motus sic describitur, quod est motus sensualitatis secundum impulsum fomitis impetuose tendens ad fruitionem creaturæ delectabilis. Dupliciter primus motus distinguitur quantum spectat ad præsentem materiam, scilicet primo primus, qui est naturalis, & secundo primus, qui est sensualitatis.

Cum ergo loquimur de primis motibus, quod sunt peccata, intelligendum est de secundo primis, qui sunt sensualitatis, quia primo primi non sunt peccata, cum sint naturales, & extra genus moris: quod patet per hoc quod tales non sequuntur imaginationem, sed solummodo naturalium qualitatum actionem. Motus autem secundo primi sunt peccata, quia sunt actus inordinati in genere moris: quod patet per hoc, quod tales motus sunt sensualitatis, quæ subiacet in talibus dominio voluntatis. Voluntas autem est principium moralium, sicut habetur 7. Ethic. Hinc est quòd ibi genus moris incipit, vbi primo dominium voluntatis inuenitur, hoc autem est in sensualitate. Quamuis ergo per rationem prædictam sit in sensualitate peccatum, non tamen hoc erit mortale, sed tantummodo veniale: quia voluntas non habet dominium completum super primos motus, qui sunt sensualitatis, sicut in illis actibus, qui ex imperio voluntatis procedunt, sed habet in eis dominium incompletum, sicut in illis actibus, qui non imperium rationis præcedunt, & tamen voluntas tales motus sensualitatis impedire poterat, & ideo sunt peccata venialia. Primi quoq; motus ideo sensualitati ascribuntur, quia talium motuum principium sensualitas est & subiectum. Dicendum quoque quod primi motus secundum prædicta sunt peccata venialia, triplici ratione. Primo, quia mouent ad illicitum. Secundo, quia sunt quodammodo voluntarij, non secundum se, sed quia, sicut dictum est, non impediuntur à voluntate, vel etiam propter præcedentem apprehensionem. Tertio, propter delectationem annexam. Cum enim anima per delectationem coniungitur creaturæ, obtenebratur, & peioratur: sicut quando cõiungitur Deo, illuminatur & melioratur. Nota quod homo pronior est ad malum, quàm ad bonum, & hoc multis de causis. Primò, quia sicut dicitur: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam trahens illam ad malum, & non sic erigens ad bonum. Secundo, quia sicut dicit Augustinus: Plus valet malum insolitum, quàm bonum insolitum. Tertio, quia naturaliter facilius est descendere, quàm ascendere: & vnus magis trahit deorsum, quàm decem sursum. Quarto, quia incitans ad malum præsens est, sed finis virtutum incitans ad bonum absens est. Delectabile autem apprehensum per sensum. vel imaginationem, quasi de necessitate mouet concupiscentiam. Quinto, quia plures circumstantiæ requiruntur ad bonum, quàm ad malum. Sexto, quia tendimus ad nostrum principium, scilicet ad nihilum. Septimò, quia fomes, qui mouet ad malum, semper intra nos est: gloria vero quam quærimus, extra nos est. Octauo, quia vires animæ sunt actiuæ ad diligendum temporalia: sed passiuæ & materiales ad ea, quæ sunt gratiæ & gloriæ. Quia non possunt haberi virtutes per modum acquisitionis, sed per modum receptionis. Vnde malum possumus facere per nos, sed bonum non possumus facere sine gratia adiutrice.

Sap. 9. c

CAPVT XI.

De morosa delectatione, & consensu in peccatum.

DELECTATIO carnalis morosa peccatum est mortale. Sed nulla dicitur morosa, nisi quando ex consensu rationis est. vnde non intelligitur ibi mora temporis, sed consensus. Sciendum est ergo quod delectatio si sistit citra consensum, veniale peccatum est: si vero procedit vlterius, ita quod vult interius delectatione voluptuari, nec tamen vult in opus procedere: talis consensus est inter mortalia computandus, quod maxime debet intelligi in peccatis carnalibus. Verumtamen ille consensus in illecebram duplex est, quia consensus in illecebram, aliquis est subitus, non per præhabitam deliberationem, sed ex sola corruptione carnis, quàm præcedit appetitus sensualitatis in primo motu. Talis autem consensus dicitur subreptio, & est peccatum veniale. Alius cõsensus est in delectatione motuum carnis, qui est cum deliberatione rationis, & iste est peccatum mortale, vt dictum est. Si autem ratio consentit cum deliberatione, quæ fit per rationes diuinas, hoc modo, quia omne lege Dei prohibitum est vitandum: tunc dicitur, peccatum esse in superiori parte rationis. Sed si deliberatio fit per rationes humanas vel naturales, hoc modo, omne in quo transgreditur medium virtutis, est vitandum, tunc dicitur peccatum esse in inferiori parte rationis. Et si adhuc procedit consensus vlterius, quando scilicet proponit opus consummare, tunc voluntas pro facto reputatur, etiam si facultas desit perficiendi ipsum opus. Si vero consequitur consensus & opus in his, quæ diuina lege sunt prohibita, peccatum est mortale consummatum.

Ex prædictis collige distinctionem, quia delectatio duplex est, scilicet naturalis, & voluntaria. In delectatione pure naturali, nec est meritum, nec demeritum. Voluntaria duplex est, quia alia est in Creatore, alia in creatura. Delectatio, quæ in Creatore est, bona est. de qua Psalmus: Memor fui Dei, & delectatus sum, &c. Quæ autem in creatura est, duplex est: quædam enim est propter Deum, & hæc bona est: sed hic sumitur delectatio pro opere rationis, non pro passione. de qua Psalmista: Delectasti me Domine in factura tua: quædam est contra Deum: & hæc similiter duplex est, quia quædam est non contra Deum, sed præter Deum, & hæc est peccatum veniale: quædam vero est contra DEVM simpliciter, qua frangitur DEI præceptum, & hæc est peccatum mortale.

Psal. 76. Psal. 91. a

CAPVT XII.

De peccato veniali.

PECCATVM veniale minoris est culpæ. Nam in paruulis post Baptismum primo surgunt venialia, postea mortalia. Veniale autem peccatum est, vt ait Augustinus, quod hominem vsque ad reatum perpetuæ mortis non grauat, sed pœnam meretur, & facile indulgetur. Peccatũ veniale semper est à voluntate ad hoc mouente, vel permittente, vel non prohibente. Peccatum aliquod est veniale tribus modis. Primo modo ex genere, sic verbum otiosum est veniale. Secundo ex euentu, secundum quod per pœnitentiam de mortali fit veniale. Tertio ex causa, vt quando fiunt quædam ex infirmitate vel ignorantia, quæ licet quandoq; sint mortalia, tamen dicuntur venialia, siue remissibilia ex comparatione ad peccatum, quod fit ex certa malitia, quod est irremissibile. Sciendum quod peccatum veniale numquam potest fieri mortale, videlicet, si intelligatur idem secundũ substantiam, quod prius fuit veniale, mortale fieri numquam potest & hoc nec quantum ad actum, nec quantum ad maculam. Ratio huius est, quia nulla res potest mutare suam speciem. Peccatum autem veniale & mortale sunt diuersæ species peccati. Verumtamen actus qui ex se est de genere venialis, potest fieri mortalis quatuor modis. Primo ex conscientia: quia quidquid fit cõtra conscientiam, ædificat ad gehennam, etiam si fit cõtra conscientiam erroneam: & hæc est ratio, quia cum in peccato duo sint, scilicet auersio & conuersio: penes primum iudicatur peccatum, quoniam auersio à Deo, est quasi formale, & conuersio ad creaturam quasi materiale. Quamuis ergo leuare festucam, vel calamum dextera, videatur esse leue, & indifferens, tamen quando fit contra conscientiam, peccatum est mortale: quia spernitur bonum incommutabile, & ita fit auersio à Creatore. Secundo ex complacentia. Vnde Augustinus: Nullum peccatum adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum placet. Tertio, ex dispositione, quia frequenter per lapsum in venialia, disponitur homo ad mortalia: & hoc secundum illud Gregorij: * Vitasti saxa grandia, vide ne obruaris arena. Et hoc ideo dicit, quia sæpe de minimis peccatis venitur ad magna, sicut de modica scintilla quandoque surgit magnus ignis. Qui minima spernit, paulatim decidet. Quarto, ex progressu, quia quando

* Est apud August. enarr. in Ps. 39. tom. 8. Eccl. 19. a

insurgit

insurgit veniale, si non prohiberetur, posset progredi vsque ad mortale: non quia ipsum veniale in substantia posset fieri mortale, sed quia ex ipso occasionaliter fieret progressus ad mortale. Et istud patet in primis motibus, qui inter venialia computantur: sed quando delectatio conualescit intantum quod consensus accedit, iam peccatum est mortale.

Differentia est inter peccatum mortale & veniale, quia peccatum veniale est libido, siue voluptas in creatura citra Deum: mortale autem est libido, siue voluptas in creatura supra Deum, vel æque Deo. Rectus autem ordo est, vt bonum incõmutabile præferatur bono commutabili, & honestum vtili, & voluntas Dei voluntati nostræ, & ratio sensualitati: & quando iste ordo peruertitur, tunc peccatum committitur.

B Vtrum aliquis possit esse, vel viuere sine peccato veniali, dum est in hac vita præsenti? Dicendum est, quod si loquimur de tota vita hominis, qui peruenit iam ad ætatem adultam, de excellenti & speciali gratia est, quod talis sine veniali peccato sit, sicut B. Augustinus dicit de B. Virgine. Si autem loquimur de aliqua particula vitæ præsentis, sic potest aliquis esse sine peccato veniali. Istud patet per exemplum, quia nauta potest singula foramina nauis in numero obstruere, ne aqua intret, sed non potest simul omnia obstruere, vt aqua nusquam intret. Vnde charitas etiam perfecta non facit, quod peccatum veniale non adueniat, sed facit quod non duret, quemadmodum caminus ignis non facit, vt gutta aquæ sibi non apponatur, sed facit tamen vt apposita citius extinguatur. Perfecta enim charitas statim inflammat hominem, vt de peccato veniali doleat, & pœniteat, quod non facit charitas imperfecta, vnde in imperfectis aggregantur multa venialia, per quæ fit ad prostrationem maior dispositio.

August. De natura & gratia contra Pelag. c. 36 in ine. tom. 7.

CAPVT XIII.

De effectu peccati venialis.

EFFECTVS peccati venialis multiplex est. Primus, quia ad pœnam obligat, non autem determinate, neque præcise obligat ad pœnam æternam, vel purgatoriam, vel præsentis satisfactionis, sed ad aliquam illarum pœnarum: quoniam secundum forum Ecclesiæ præsentis satisfacit homo leniter, sed secundum forum purgatorii punietur grauius, secũdum vero forum inferni punietur grauissime pro veniali: quia æternaliter, si cum mortali & veniali decesserit. Exemplum habemus de hoc: quia mensura vini quæ in vno loco valet sex denarios, si ducatur vlterius, valet solidum vnum. & si ducatur adhuc vlterius, valet duos solidos. Pœna tamen illata pro veniali in inferno, incomparabiliter minor est, quàm illata pro mortali. Vnde solet dici quod pœna illata in inferno pro mortali, est sicut soliditas, illata vero pro veniali est sicut superficies. Illata pro veniali in purgatorio est sicut linea. Illata pro veniali in præsenti est sicut punctus. Vnde sicut ista quatuor sunt improportionabilia, ita inter prædictas pœnas magna est differentia. Secundus effectus est, quod peccatum veniale animã maculat: & ponitur tale exemplum. Aliquando enim denigratur aliqua imago depicta, intantum vt videri nõ possit. Aliquando vero sic obscuratur, vt videri quidem possit, sed non plene discerni, & ideo propter talem differentiam dicit Gregorius, quod veniale obscurat, mortale vero obtenebrat. De macula autẽ istã dicitur, quod in saluandis omne peccatum veniale deletur in præsenti à gratia finali, & hoc quantum ad culpam, & non quantum ad pœnam: imo illa soluetur in purgatorio. Delet autem gratia finalis peccatum veniale in ipsa dissolutione corporis, & animæ ex virtute suæ complexionis, & sui status, quamuis non sit motus contritionis ad illud directus, secundum quod intelligitur verbum Augustini, qui dicit, quod in purgatorio potest esse absolutio à pœna, & non à culpa. Hoc ab antiquis dictum est, sed nunc communiter tenetur, quod peccatum veniale cum hinc deferatur à multis, etiam quantum ad culpam, in purgatorio purgatur: quia etiam hoc, quod Dominus dicit de quibusdam peccatis, quod non remittentur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, exponit Gregorius, quod venalia remittentur in futuro: quod si intelligatur quantum ad pœnam tantum, tunc expositio Gregorii nulla est: quia etiam mortalia confessa, quantum ad pœnam purgantur, quæ hic soluta non sunt. Tertius effectus est, quod minuit feruorem charitatis, sicut aqua in igne projecta, licet ignem non extinguat, feruorem tamen illius temperat. Quartus est quod potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut quando ponitur pondus super equum, minus erit promptus ad ambulandum. Quintus est, quod retardat à gloria, quia homo qui decedens alioqui posset statim euolare ad cœlum, post mortem cogitur propter venialia ad tempus in purgatorio expectare. Numquam enim ab aliquo facies Dei videbitur, donec soluat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per pœnam. Oportet enim quemlibet ita mundum esse ante introitum Paradisi, sicut fuerat in innocentia baptismali. Sextus est, quod bona gloriæ cœlestis diminuit: non quidẽ illa, quæ iam debentur, & quæ iam habemus ibi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia nõ fierent, quia in eo tempore possent aliqua bona fieri quando illa fiunt. Propterea post perpetrationem venialium oportet nos opera quædam conuertere ad solutionem huiusmodi debitorũ, per quæ nobis deberet crescere cumulus æterni præmii. Septimus effectus est, quod venialia sæpe sunt occasio mortalium peccatorum, & hoc quatuor modis, sicut habes supra capite proximo, vbi dicitur, quod actus qui ex se venialis est, potest fieri mortalis quatuor modis. Hoc est etiam singulariter aduertendum, quod sicut ad remissionem peccati mortalis exigitur desertio actus peccandi cum voluntate in posterum abstinendi, sic quoque peccatum veniale in præsenti nondimittitur, nisi actu & proposito deseratur.

Greg. lib. 4 Dialog. c. 39.

Matt. 5. d

CAPVT XIV.

De septem vitiis capitalibus in specie.

PECCATORVM actualium mortalium vnum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput. Vnum initium dicimus superbia: iuxta illud, Initium omnis peccati superbia. Duplex vero radix est, scilicet timor male humilians, & amor male accendens. Omnis autẽ timor ortum habet ab amore: nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere. Triplex peccati fomentum, sunt tria quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorũ, & superbia vitæ. Septiforme caput sunt, Superbia, Inuidia, Ira, Acedia, Auaritia, Gula, & Luxuria. Inter quæ sunt duo carnalia, quinque vero spiritualia. Sufficientia horum vitiorum sic potest colligi, Voluntas nostra deordinatur, aut quia appetit non appetendum, aut quia refugit non refugiendum. Si primo modo, aut est interius, & sic est vana gloria: aut exterius, & sic est auaritia: aut inferius, & sic est delectabile. Sed illud delectabile, aut est ad conseruationem indiuidui, & sic est alimentum quod appetitur inordinate à gula: aut est ad conseruationem speciei, & sic est coitus, qui appetitur inordinate à luxuria. Si autem voluntas nostra deordinatur, quia refugit, quod non est refugiendum, hoc potest esse tripliciter. Aut enim refugit quod non est refugiendum, secundum peruersum instinctum rationalis, & sic est inuidia: aut secundum instinctum peruersum irascibilis, & sic est ira: aut secundum peruersum instinctum concupiscibilis, & sic est acedia. Ex his patet quod sunt quatuor appetibilia, & tres sunt vires secundum quarum instinctum est fuga: & ideo tantum sunt septem capitalia peccata.

Eccl. 10. b

1. Ioan. 2. c

Peccata quædam sunt, quæ quandoque se publice ostendunt, vt quando directe fiunt: quandoque vero sub quadam specie boni palliata decipiunt. Vnde superbia

quandoque

quandoq; dicit, Ad hoc volo præesse, vt possim prodesse. Ira dicit: Non debent illata mala tolerari, ne consuescant inferri. Inuidia dicit: Aliis bona non cupio, ne in successibus eleuentur. Acedia dicit, Ad hoc in laboribus mihi parco, ne temeritate indiscretionis arguar. Auaritia dicit, Ad hoc sunt multa congreganda, ne propter inopiam committatur furtum vel rapina. Gula dicit, Ad hoc est corpus cibis & potibus delicatioribus nutriendum, vt sit fortius ad Deo seruiendum. Luxuria dicit, Ad tempus debet quisque ad libitum viuere, vt possit postea fortiter pœnitere.

Septem vitia comparantur septem bestiis. Superbia comparatur leoni. Inuidia cani. Ira lupo. Acedia asino. Auaritia ericio. Gula vrso. Luxuria porco. Alio modo comparantur septem infirmitatibus. Superbia comparatur inflationi. Inuidia lepræ. Ira phrenesi. Acedia lethargiæ. Auaritia hydropisi. Gula epilepsiæ. Luxuria febri. Septem vitia Christi passione curantur. Capitis inclinatio in cruce curat superbiam. Oratio pro inimicis iram. Apertio lateris inuidiam. Portatio crucis acediam. Traditio spiritus Patri, corporis cruci, matris discipulo, vestium crucifixoribus, hæc curant auaritiam. Flagellatio luxuriam. Potatio fellis gulam.

Ioan. 19. f
Luc. 23. e
Ioan. 19. f

CAPVT XV.

De superbia.

NVnc dicendum est de septem vitiis capitalibus in specie, & primo de superbia, quæ est regina omniũ vitiorum, & mater. Est autem superbia, vt ait Augustinus peruersæ celsitudinis appetitus. Vnde sicut idem Augustinus, ait, Superbia omnibus inuidet, scilicet superioribus, quia eis non æquatur, inferioribus, quia eis æquari timet: paribus, quia eis æquatur.

Aug. li. 14. de ciu. Dei c. 13. tom. 5. Idem li. 11. in Gen. ca. 13. tom. 3.

Superbia dicitur initium omnis peccati triplici ratione. Primo, propter causam, quæ inuenitur in omni peccato: quia in omni peccato inuenitur contemptus Dei, qui est quædam causa peccati. Iste autem contemptus est auersio à Creatore, quæ in omni peccato est, vbi præponitur bonum commutabile bono incommutabili: quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Abstrahe superbiam, & habebis gratiam: quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Conuexum enim inquantum huiusmodi non est receptiuum, sed concauum. Secundo, quia primum peccatum fuit: hoc enim genere peccauit diabolus in cœlo, & primus homo in Paradiso. Tertio, quia ex ea nascuntur alia vitia secundum prius & posterius, hoc est, mediate & immediate, sicut habetur supra cap. De effectu vitiorum. Est autem inter superbiam & vanam gloriam differentia, quia licet vtrobique sit appetitus propriæ excellentiæ, tamẽ superbus sibi apparet magnus intus, sed vaniglorius appetit in ore aliorum per laudem apparere extra.

Iac. 4.

Diuersa peccata dicuntur radices, & initia siue causæ aliorum peccatorum, sed diuersis respectibus. Superbia enim dicitur initium omnis peccati, propter tres causas superius enarratas. Libido etiã dicitur causa omnis peccati, sicut ait Augustinus, & hoc propter delectationem creaturæ, quæ inordinate trahit animã & auertit à summo bono. Est enim libido improba voluptas, qua mouetur anima rationalis ad hoc quod delectetur in creatura. Cupiditas etiam dicitur radix omnium malorum: quam quidam appetentes errauerunt à fide, sicut dicit Apostolus: & hoc propter eamdem rationem sicut libido. Est enim cupiditas ex amore inordinato ad creaturam. Luxuria etiam secundum Cassianum dicitur radix omnis peccati: quia carnales delectationes nobis sunt naturales; ad naturalia autem prompti sumus, & difficulter resistimus.

1. Tim. 6. b
Cassia. li. 7. de institut renun. c. 1. Greg. li. 31 Mor. ca. 17.

Inanis gloriæ septem sunt filiæ secundum Gregorium. Prima est inobedientia, qua vaniglorius in nullo vult videri inferior: quod fieret, si faceret mandatum. Secunda est contentio, quia vult vincere cum clamore, & per hoc apparere. Tertia est iactantia, qua quis enumerat bona sua, vt laudabilis appareat. Quarta est hypocrisis, quæ quærit in exterioribus apparere. Quinta est pertinacia, quæ factum suum, vel dictum malum defendit, ne errasse videatur. Sexta est discordia, quæ contra omne dictum sustinet, vel assumit contrarium, propter vanam gloriam. Septima est nouitatum præsumptio, qua quis noua, vel dicit, vel inuenit, vt laudetur.

Quatuor sunt species superbiæ, quas assignat Gregorius. Prima est, cum homo à seipso æstimat habere bonũ quod habet. Secunda, si desuper datum credit, pro suis tamen meritis accepisse se putat. Tertia, cum iactat se habere bonum, quod non habet. Quarta, quando cæteris despectis singulariter vult videri. Per primam & secundam speciem iniuriatur homo Deo in se, quia per primam ponit se homo totam causam sui boni: sed in secunda ponit se causam principalem: in tertia vero specie iniuriatur homo Deo in proximo: in quarta autem iniuriatur homo Deo in eo, quod non habet.

Greg. li. 23. Mor. c. 4. non longe à prin.

Gradus superbiæ secundum Bernardum sunt duodecim, qui sunt, curiositas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, peccatorũ defensio, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo. Numerus istorum sic accipitur. Homo per superbiam iniuriatur Deo, & homini: Deo, cui debet esse inferior: homini, cui debet esse par. Sex primi gradus determinantur secundum iniuriam, quæ fit homini, cui debet esse par: quatuor alii secundum iniuriam, quæ fit homini superiori. Duo vltimi determinantur proprie quantum ad iniuriam, quæ Deo immediate fit. hoc ideo dicimus, quia & superiores gradus in Deum redundant, sed mediante proximo. Gradus autem vocantur, quia fit à minori progressus ad maius. Primus enim malus est, secundus peior est, & sic scandendo inuenitur, quod vltimus est pessimus. Vnde iniuria, quæ est respectu paris, est minor. Illa vero quæ est respectu superioris, est maior, sed illa quæ est respectu Dei, est maxima. Propter quod isti gradus taliter ordinantur. Superbia multa mala facit. Primo id quod Dei est, vsurpat, scilicet gloriã. Gloriam meam alteri, &c. In bonis enim operibus, quæ facimus, duo sunt, scilicet honor & vtilitas: sed primum Dominus sibi reseruat, aliud nobis tribuit. Vnde debemus Deo suam partem relinquere, si nostra parte nolumus spoliari. Secundo perfectos viros impugnat. Superbia est enim quasi turris Babel, quæ vsq; ad cœlos, id est, vsque ad viros cœlestes debebat pertingere. Augustinus: Superbia etiam bonis operibus insidiatur, vt pereãt. Vnde superbia inexpugnabilis est sicut castrum in alto monte situm. Tertio gratia Dei hominem denudat. Superbis Deus resistit, &c. Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos. Vnde secundum naturam conuexum non est receptiuum, sed concauum. Quarto hominem Deo priuat. Hugo de S. Victore: Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ira meipsum. Superbia Deo est odibilis. Tria sunt quæ odit Deus, Pauperem superbum, &c. Deum impugnat, quia vexillum inimici sui, id est, diaboli ponit in castro suo, & deponit vexillũ Christi, scilicet crucem, quam semper homo debet portare, iuxta illud: Qui vult venire post me, &c. Diabolo hominem assimilat. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ. Vnde, sicut Dominus ait de charitate: In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis adinuicem: ita potest diabolus dicere de superbia: In hoc cognoscent, &c. Hominem stultum demonstrat, quia ancillam ornat, & dominam nudam relinquit. Item quia magna pro modico vendit, id est, pro laude humana. Item quia credit se posse cum superbia illuc attingere, vbi diabolus iam existens nõ potuit cum superbia remanere. Hominem deiicit, quia scandentes in altum de facili cadunt: & qui se eleuant sub ostio humili facile caput lædunt.

Ber. tract. de grad. humil. §. Primus itaque & seq.
Isa. 42. b
Gen. 11. a Aug. Regula 3. c. 5. tom. 1.
Iac. 4. b 2. Reg. 1. d
Eccl. 25. a
Mat. 16. d Iob 41. d
Ioan. 13. d

CAPVT XVI.

De inuidia.

INVIDIA est, vt ait Augustinus, odium fælicitatis alienæ. Secundum Ioannem Damascenum: Inuidia est tristitia de alienis bonis. Dicitur autem inuidia à non videndo. quia non potest videre bona aliorum. Vnde displicentia boni, quæ est inuidia potest notari per visionem interiorem & exteriorem, sicut vult Seneca, dicens: Quidquid mente fugimus, ingestū oculis vix videmus.

Aug. enar. in Ps. 104. tom. 8. Damasc. orthod. fid. lib. 2. c. 14.

Inuidia quinque filias habet secundum Gregorium: Prima est odium, quod est velle malum alicui, & nolle bonum. Secunda est exultatio in aduersis proximi. Tertia est afflictio in prosperis proximi. Quarta est susurratio, quæ est detractio latens. Quinta est detractio, hæc autem fit in aperto, quia intendit melior apparere illo cui detrahit.

Greg. lib. 31 Mor. c. 17.

Inuidia multa mala facit. De lumine cæcatur, quia proximi bona videre non potest. Vnde inuidus comparatur noctuæ & vespertilioni. Augustinus: Ægris oculis odiosa est lux, quæ puris est amabilis.

Aug. lib. 7. confess. ca. 16. tom. 1.

De vita moritur. Gregorius: Panis vitam fortium roborat, paruulorum necat. Vnde inuidus comparatur febricitanti, cui etiam boni cibi sunt contrarii. Deo contrariatur, quia tam bonus est Deus, vt ait Augustinus vt etiam de malis bonum eliciat: sed econtra tam mali sunt isti, vt de bonis malum eliciant. Item diuina bonitas omnia sua communicat, isti vero non. Item Deo placet bonum hominis, ac malum displicet: isti autem econtra bonum gratiæ & naturæ peruertunt. Vnde sicut omnia munda mundis, sic istis omnia sunt immunda. Et sicut bonis mala cooperantur in bonum: ita inuidis bona cooperantur in malum. Vnde tales aurum conuertunt in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, gaudium in mœrorem, rosam in paliurum, balsamum in stercus, electuarium in venenum. Tales maledicit Isa. Væ qui dicitis bonum malum, &c. Stultum efficit. Nimis enim erat, qui idcirco sibi vult vnum oculum erui, vt aliis etiam duo eruatur: sic facit inuidus & diabolus, qui per hoc quod aliis inuidet, sibi magis nocet. Auctorem suum torquendo lædit. Seneca: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus oculos & aures haberent, vt de omnium profectibus torquerentur. Proximum fraudulenter decipit. Vnde inuidus cōparatur cani, qui blanditur in facie, & mordet à tergo. Item Iudæ, qui osculo Christum tradidit. Item homini perfido, qui lædit hominem, qui eum nunquam molestauit.

Isa. 5. d

Mat. 26. b

CAPVT XVII.

De ira.

IRA est, vt ait Augustinus, vlciscendi libido, & secundum Cassian. Ira est motus animi concitatus ad pœnam. Hæc est definitio iræ per vitium, non per zelum, de qua est hic agendum. Ira igitur duplex habet esse, scilicet esse naturæ, & esse moris. Prout ergo deordinat ab optimo, habet esse morale, quo vitium est, quia ira non est peccatum ratione puræ passionis, imo pœna: sed cum hoc dicit quamdam actionem, per quam deordinat hominem & quantū ad Deum, & quantum ad proximum. Vult enim à se expetere vindictam, quam non debet expetere nisi à Deo, vel à iudice sub Deo constituto.

Aug. lib. 14 de ciu. Dei, c. 16.

Vtrum autem teneatur quis remittere iniuriam inimico potenti? Nota distinctionem: quia ex iniuria solet oriri tria. Primum est rancor in affectu. Secundum est rancoris signum in effectu. Tertium est actio contra iniuriantem. Primum tenetur quis statim remittere, etiam si non rogetur. Secundum tenetur remittere veniam veraciter petenti, id est, parato emendare secundum facultatem suam. Tertium non tenetur remittere. Si vero volueris scire vtrum ille cui facta est iniuria, debeat amicitiam quærere: sciendum quod duplex est debitum. Primum est necessitatis, sine quo non est salus. Secundum est perfectionis. Quantum ad primum debitum non tenetur quis reconciliationem quærere siue amicitiam, sed de secundo dicit Chrysostomus, quod debet quærere reconciliationem, vt duplicem coronam consequatur. Vnam, quia iniuriam passus est. Aliam quia prior rogauit. Dominus autem ponit tres gradus circa reatum iræ, cum dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. De his dicendum est, quod vbi creuit gradus culpæ, creuit & ordo pœnæ. Vnde recte ira sine voce punienda est iudicio: ira cum voce concilio: ira cum voce contumeliæ gehennæ ignibus mancipatur. Secundum Augustinum enim in primo est ira tantum, in secundo ira & sermo, in tertio ira est, & certa expressio irrisionis.

Mat. 5. c

Dicit autem Gregorius, quod iudicium est causæ discussio, concilium sententiæ diffinitio, gehenna ignis sententiæ executio.

Greg. li. 21. Mor. ca. 4.

Notandum quod reddere malum pro malo, est fragilitatis, sicut fecit Ioab, quando interfecit Abner, scilicet interfectorem fratris sui Asael. Sed reddere malum pro bono, est peruersitatis, sicut fecit Iudas tradendo Christum. Reddere bonum pro bono, est æquitatis, sicut fecit Assuerus, quando Mardochæum honorauit. Reddere bonum pro malo, est perfectionis, sicut fecit beatus Stephanus, quando pro inimicis orauit.

2. Reg. 2. a *Mat. 26. b* *Esthe. 6. c* *Act. 7. g*

Filiæ iræ secundum Gregorium sunt sex. Prima est rixa, hæc est audax voluntas vindicandi iniuriam factam, per se. Secunda est tumor mentis, hæc est vindicandi causa fugiens aduersantem, ne cum eo colloquium habeatur propter æstimatas inimicitias. Tertia est contumelia, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationē malorum. Quarta est clamor, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, ad aliorum aures perueniēs. Quinta est indignatio, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. Sexta est blasphemia, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel sanctis illatum.

Greg. lib. 31 Mor. ca. 17.

Ex ira veniunt multa mala. Hospitium Spiritus S. turbat. Gregorius: Dum ira animum pulsat, Spiritui S. hospitium suum turbat. Nam sicut in pace factus est locus Dei, sic in discordia locus diaboli. Tales sunt incendiarii domus Dei. Vnde Psalmista: Incenderunt igni sanctuarium tuum Domine in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui. Vnde isti sunt similes draconi, qui emittit ex ore ignem. Quod Dei est, sibi vsurpat, scilicet vindictam. Propheta: Mihi vindictam, & ego retribuam. Talis se facit iudicem & Deum vult esse tortorem, sicut dicit Augustinus: Dicit enim malus in orationibus suis: Domine occide malum inimicum meum. Respondet ei Dominus: Quem vestrum? Ambo estis mali. Imo talis vult esse actor, & iudex in eadem causa. Sed stultum se demonstrat, qui per cor suum immittit gladium, vt lædat tunicam inimici sui. Imo si sapienter faceret, prius se de ipso vindicare deberet, iram scilicet, zelum aduersus iram suam propter vitium assumendo: sed è conuerso limam purgationis conuertit in rubiginem deprauationis. Aduersitates enim quæ ipsum deberent à peccato purgare, per impatientiam magis inquinant, & fornax probationis mutat ei aurum in cuprum, & flagellum ex grano facit paleam. Vnde duram sententiam talis in iudicio expectabit. Cum enim Dominus improperaturus sit quibusdam, Nudus fui, & non cooperuistis me, quid dicturus est illis, qui non solum nudos non vestiunt, sed vestitos spoliant? Bellum mundi, carnis, & diaboli contra se instaurant, sed sapientes sedant minores guerras propter maiores, quæ imminent. Malam faciunt commutationem, quia auferendo pallium bonæ famæ, dant tunicam innocentiæ. Remedia iræ sunt, Silentii obseruatio. Cum defecerint ligna extinguetur ignis: quia sicut ex collisione duorū corporū elicitur ignis, ita ex amaritudine

Psal. 75. a *Psal. 73. b* *Deu. 32. a* *Rom. 12. d* *Hebr. 10. f.*

Mat. 25. d *Pro. 26. c*

verbis aliquorum ira concitatur. Responsio mollis frangit iram, & sermo durus excitat furorem. Quasi qui apprehendit canem auribus, &c. Dominicæ passionis consideratio. Gregorius: Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. Hoc figuratum est, vbi respicientes serpentem æneum sanabantur. Item præmii tolerantiæ animaduersio. Vnde consideratio præmii minuit vim flagelli.

Prou. 15. a
Nu. 21. c

CAPVT XVIII.

De acedia.

ACEDIA est de virtutum laudabili exercitio vtriusque hominis languida deiectio. Item acedia est diffidentia de propriis viribus, & auxilio Dei, implendi ardua. Duo nomina sunt huius vitii, scilicet, Tristitia & Acedia. Horum autem nominum hæc est ratio, quia in isto peccato est auersio à spirituali bono, quod æstimatur graue, sicut est ieiunare, & huiusmodi: & ratione huius dicitur tristitia. Est etiam ibi conuersio ad creaturam, scilicet ad quietem, quæ æstimatur leuis, & ratione huius dicitur acedia. Patet ergo ex his, quod hoc vitium prout vocatur tristitia, opponitur lætitiæ spirituali, quæ est in exercitio spirituali. Sed prout vocatur acedia, opponitur fortitudini, quę consistit in aggrediendis arduis, & sustinendis aduersis.

Acedia denominatur ab acedine, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili.

Acedia secundum Gregorium habet sex filias. Prima vocatur malitia, quæ secundum Augustinum est voluntas machinandi malum alicui. Cum enim quis iniuriatur alii, tunc irascitur, & postea tristatur. Secunda est desperatio: quia diffidentia meritorum mater est diffidentiæ præmiorum, ex qua iterum oritur tristitia. Tertia est pusillanimitas, quæ nascitur ex diffidentia proueniente ex consideratione propriæ infirmitatis, vel operis arduitatis. Quarta est rancor, qui est inueteratum odium. Sicut enim ex charitate sunt opera bona, ex quibus est confirmatio charitatis, ita ex ira est acedia, ex acedia vetustas iræ. Quinta est torpor circa præcepta, id est, quædam insuasibilitas, propter quam homo non potest induci ad executionem mandatorũ Dei. Sexta est euagatio mentis circa illicita. Hæc autem euagatio quandoq; est particularis, & certam habet materiam, & sic conuenit omnibus vitiis: quandoque est generalis & incerta, & hæc est proprie euagatio acediæ. Qui enim est absorptus tristitia, non habens in se vnde delectetur, euagatur ad omnia quærens delectationem.

Greg. lib. 31 Mor. c. 17 post med.

Ex acedia eueniunt multa mala. Præceptum Domini negligit: In sudore vultus tui, &c. Maledictionem Dei incurrit. Exemplum de ficu, cui Dominus maledixit, quia folia tantum habuit. Discrepat à cæteris creaturis. Exemplum enim est in corporibus inanimatis, sicut in Sole, & Luna, qui quotidie surgunt & perficiunt cursum suum. Item patet in corporibus animatis, sicut sunt arbores, & herbæ: quæ licet in hyeme nudæ sint, tamen virtutem seruant; & in tempore suo redeunt ad consueta. Idem ostenditur in sensibilibus: Vade ad formicam ô piger. Pretiosum tempus perdit, quo nihil pretiosius est, quia breui hora posset quis obtinere veniam, gratiam, & gloriam. Et tamen, vt ait Bernardus, nihil vilius reputatur, quia dicunt homines otiosi, Venite, deducamus tempus. Spirituale lucrum negligit: quia qui non mercatur in nundinis, postea non habebit. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Incitamenta vitiorum colligit. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrticæ & cooperuerant superficiem eius spinæ.

Genes. 3. d
Mat. 21. d
Prou. 6. a
Ber. in declam. super Ecce nos longe post med.
Sap. 2. b
Prou. 20. a
Prou. 24. d

Nota quod aqua corrumpitur quiete, & ferrum contrahit rubiginem: & porcus mactandus permittitur in quiete pinguescere. Locum diabolo præparat, quia homo otiosus est, quasi puluinar diaboli, & in olla tepida libenter muscæ insident, quæ feruentem fugiunt. Tentationibus patet. Vnde legitur in collationibus Patrum, quod monachum operantem dæmon vnus pulsat, otiosum vero innumeri. Est enim homo acediosus quasi vrbs absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam. Mores peruertit, quia vult metere, & non seminare, sicut catus qui libenter pisces comedit, sed eos non libenter capit: Seneca: Incertum est, quo loco, quomodo mors te excipiat; & ideo tu illam in omni loco & tempore expecta. Furem fodientem parietem non repellit, quia mors fur est, & quotidie tollit vnum asserem, id est, vnum diem. Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, &c. Receptaculum sordium se facit. † Bernardus: Omnium tentationum sentina est otium. Ipsum enim est occasio luxuriæ. Factum est eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, &c. Item occasio est nugarum. Athenienses ad nihil aliud vacabant, &c. Item occasio curiositatis: Discunt circuire domos. Stultitiam ostendit, quia tonitrua audiens non surgit. Tonuit autem Christus in cruce, & in prædicatione: tonabit etiam in die iudicii. Item stultus est, qui immunditias de oculo non eiicit. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo. Ad cœlestia venire negligit: quia vix ad locum quis veniet, qui vnum pedem hodie mouet, & post annum, alium. Sic & illi quorum motus est pes intellectus, & nõ pes affectus, cum tamen sit affectibus ambulandum.

I. Cassian. lib. 10. de instit. renunc. c. 23.
† Bern. de vita solitaria ad frat. de Monte Dei longe ante med.
Mat. 24. d
2. Reg. 11. a
Act. 17. e
1. Tim. 5. b
Matt. 7. a

CAPVT XIX.

De auaritia.

AVARITIA, vt ait Tullius, est immoderatus amor habendi. Item secundum Bernardum: Auaritia est quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Secundum Apostolum: Auaritia est idolorum seruitus, quia homo auarus exhibet creaturæ, quod debet Creatori: scilicet fidem, spem, & delectationem, hæc enim auari exhibent pecuniæ. In hoc ergo specialiter reprehenduntur isti, quia rei vilissimæ amorem suum exhibent, scilicet pecuniæ, quæ de terra tollitur, quam natura infimam ordinauit. Dicitur in Ecclesiastico, quod auaro nihil est scelestius, & hoc propter quatuor causas. Primo, quia fere omnia scelera per auaritiam perpetrantur, vt furta, periuria, homicidia, & huiusmodi. Secundo, quia est contra legem naturæ. Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, &c. Tertio, quia est contra legem scriptam. Estote misericordes, sicut & pater vester, & cætera. Quarto, quia est contra legem vniuersalem, quæ est in omnibus rebus, quæ compelluntur se dare: auarus enim quasi captiuas detinet res, ne se communicare possint.

Ber. ep. 42. ad Henric. Senon. archiep. post med.
Ephes. 5. b
Eccl. 10. b
Luc. 6. e
Luc. 6. f

Vtrum autem cuiquam liceat thesauros congerere. Notandum quod est vno modo thesaurizare ex affectu auaritiæ absque intentione necessitatis propriæ vel alienæ: & hoc modo thesaurizare omnibus est prohibitum. Alio modo est thesaurizare ex prouidentia: & hoc vel ex consideratione necessitatis, & sic conceditur parentibus sæcularibus ob necessitatem filiorum educandorum, vel filiarum coniugio tradendarum, non autem ditandarũ, sed seruato modo vel statu personæ. Alio modo est thesaurizare ex consideratione publicæ vtilitatis, scilicet regni defendendi, vel cultus Dei ampliandi, & sic concessum est regibus thesaurizare. Personis autem Ecclesiasticis proprie numquam thesaurizare licet, nec pecuniam tenere intentione seruandi. Ambrosius: Aurum habet Ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget.

Amb. lib. 2 off. ca. 28.

Ex prædictis patet, quod duplex potest esse amor pecuniæ, siue temporalium, scilicet respectu necessarii, vel respectu superflui. Contra primum prohibet Dominus præfocantem sollicitudinem. Contra secundum prohibet thesaurizationem.

Ex auaritia sequuntur multa mala. Primo, quia à Deo maledicitur. Augustinus: Maledictus dispensator auarus, cuius largus est Dominus. Semper eget Hieronym. Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet.

Hieron. ep. 103. ad Paulin. prope fi.

Stultus mercator est qui regnum cœlorum, imo ipsum Christum vendit pro paucis denariis: & propter hoc sæpe peior est auarus homo, quàm ipse Iudas, qui vendidit Christum triginta denariis: iste autem interdum pro vno denario. Corpus euiscerat, quia diuitiæ acquiruntur cũ labore, possidentur cum timore, amittuntur cum dolore. Vnde ipsi laborant, & alii in labores eorum sæpe intrant, scilicet, fures, raptores, vel latrones, vel certe filii mali. Isti similes sunt araneæ, quæ faciendo telam pro capienda musca, seipsam euiscerat. Mentem suffocat. Augustinus: Naufragium fugis, & plumbum amplecteris. Vnde Socrates massam argenti proiiciens in mare, dixit: Mergam te, ne mergas me. Inquinat: Filii Israel seruiebant in luto & latere. Excæcat. Exemplum de Tobia, qui fuit excæcatus stercore hirundinum. Cor dilacerat. Vnde diuitiæ comparantur spinis. Insatiabilis est. Vnde comparatur sacco pertuso & inferno, qui nunquam dicit, sufficit. Et mari, cui omnia flumina influunt, & tamen non redundat. Et hydropico, qui quanto plus bibit, tanto plus sitit.

Mat. 26. b *Exod. 5.* *Tob. 2. b* *Luc. 8. b* *Agg. 1. b* *Prou. 30. c* *Eccle. 1. b*

Filiæ auaritiæ sunt septem secundum Gregorium. Prima est obduratio cordis quæ fit omittendo eleemosynam. Istam filiam vocat Isidorus inhumanitatem. Secunda est violentia, hæc fit nocendo alicui palam per facta mala: quam vocat Isidorus rapacitatem. Tertia est inquietudo hæc est appetitus lucri. Quarta est periuriũ, quod sæpe incidit in emptione & venditione. Quinta est fallacia, quæ fit per verba decipientis in occulto. Sexta est fraus, hæc est deceptio perfecta: & hoc in præsentia illius, qui decipitur. Septima proditio, quæ est idem quod deceptio, quæ fit in absentia decepti.

Greg. lib. 31 Mor. ca. 17. post med.

CAPVT XX.

De gula.

GVLA, vt ait Augustinus, est immoderata cibi auiditas. Item gula est vorax edacitas naturæ finibus non contenta.

Quinque modis peccatur circa gulam, vt dicit Gregorius: Primo, cum quis horam comedendi præuenit: & hoc fit per impatientiam expectandi tempus debitum. Secundo, cum quis quærit cibaria pretiosa & delicata, de quibus Ouidius: Est virtus placitis abstinuisse bonis. Sed contra hoc fecit diues ille, qui epulabatur quotidie splendide. Tertio, quando quis mensuram excedit, scilicet, nimis comedendo. Sciendum tamen, quod vni est medium, & mensura debita, hoc alteri est excessus. Vnde non consistit mensura in cibi quantitate, sed in comedentis qualitate. Veruntamen quidam ieiunium suũ recompensant postmodum nimietate superflua: sed hoc quid aliud est, quàm dare duos obolos pro vno denario? Quarto, quando nimis ardẽter, ac festine quis comedit. Non enim vsus ciborum, sed concupiscentia in vitio est. Quinto, quando quis cibaria sua nimis studiose præparat. Vnde Bernardus: Non sapor, sed fames excitet appetitum. In omnibus his sumenda sunt, non quæ voluptas, sed quæ requirit necessitas. Contingit etiam peccatum esse circa diminutionem cibi, sicut circa superfluitatem.

Greg. li. 30. Mor. ca. 13. cir. med. *Luc. 16. d* *Bern. tract. de formula honesta vita.*

Filiæ gulæ sunt quinque secundum Gregorium. Prima est scurrilitas, quia gula mouet ad verba scurrilia. Secunda multiloquium, scilicet detractio, vituperia, & alia verba inania. Tertia inepta lætitia, id est, lasciuia carnis, siue gestus corporis inordinatus, lasciuiam mentis demonstrans. Quarta immunditia, quæ solet prouenire ex gula, vt est vomitus, & eructationes fœtidæ ac luxuria. Quinta est hebetudo mentis, id est, subuersio rationis. Gula duo complectitur, scilicet comessationem & ebrietatem: & proprie loquẽdo parsimonia opponitur comessationi, & ebrietati sobrietas.

Greg. lib. 31 Mor. c. 17. post med.

Gula nocet multipliciter. De Paradiso eiicit hominem: exemplum in Adam. Spiritualia bona perdit. exemplum in Esau, qui pro cibo vendidit primogenituram. Diabolo domum præparat. Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos. Seruum contra dominum animat. Qui delicate nutrit seruum suum, sentiet eum contumacem. Luxuriam inducit, exemplum de Loth. Homicidia perficit. exemplum de Ioanne Baptista, qui in conuiuio periit. Inducit mortem naturæ. Propter crapulam multi perierunt. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Inducit mortem culpæ. Vidua in deliciis viuens, mortua est. Inducit mortem gehennæ. Diues epulo sepultus est in inferno. Remedia gulæ sunt quatuor. Primum est spiritualium ciborum frequens sumptio. Non in solo pane viuit homo, &c. Secundum futuræ carnis nostræ consideratio. Hieronymus: Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Tertium est æternæ cœnæ meditatio. Homo quidam fecit cænam magnam. Quartum est famis Christi, & suorum pensatio. Recordare paupertatis meæ, absynthii & fellis.

Gen. 3. d *Gen. 25. d* *Matt. 8. d* *Prou. 29. c* *Gen. 19. f* *Marc. 6. d* *Eccl. 37. d* *Genes. 2. c* *1. Tim. 5. a* *Luc. 16. d* *Matt. 4. a* *Hieron. ad Paulin. ep. 103. in fin.* *Luc. 14. d* *Thren. 3. c*

CAPVT XXI.

De luxuria.

LVXVRIA est ex immundis desideriis veniens lubrica mentis & carnis prostitutio. Item luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus, & intelligas hic appetitum, qui est ex consensu rationis, quia talis appetitus est peccatum mortale, & dicitur peccatum mortale, quando ratio non cohibet huiusmodi appetitum cum posset.

Differentiæ luxuriæ sunt octo. Prima est fornicatio, quæ est soluti cum soluta. Secunda meretricium, quod fit dupliciter, scilicet, per vagam libidinem cum diuersis peccando, vel cum publice venali concumbendo. Tertia est adulterium, quo cõiugalis thorus violatur. Quarta est stuprũ, quo virginalis integritas corrumpitur. Quinta sacrilegium, quo continentia Deo dicata læditur, vt in clericis & religiosis sacris ordinibus sublimatis, & in his, qui emiserunt votum continentiæ. Sexta est incestus, quo vinculum consanguinitatis, vel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur. Septima est peccatum contra naturam, siue Sodomia, quo naturalis vsus peruertitur. Notandum autem quod aliud est contra naturam speciei, aliud contra naturam generis. Primo modo omne peccatum mortale est cõtra naturam speciei, quia in rationali creatura remurmurat synderesis cõtra omne peccatum. Sed secundo modo peccatum Sodomiæ est contra naturam generis, quia non solum in homine, sed etiam in brutis diuersi sexus in coitu conueniunt. Vnde si isto modo fit, contra naturam generis est. Octaua est libidinosus coitus coniugalis, qui multipliciter accipitur. Coitus enim cõiugalis alius licitus est, alius fragilis, alius impetuosus. Licitus tripliciter: vt quando causa prolis fit, vel ad ampliandum cultum Dei, vel causa reddendi debitum, vel causa vitandæ fornicationis non in se, sed in coniuge. Primus est pietatis. Secundus iustitiæ. Tertius cautelæ. In his nullum dicitur peccatum esse. Fragilis est quando fit causa delectationis, & tunc distinguitur: quia si amor illius delectationis præponitur DEO, mortale peccatum est: si vero postponitur, veniale. Impetuosus est, qui ex sola libidine proueniens, metas honestatis, & rationis transcendit, quod fit, quinq; modis: primo causa satiandæ libidinis per meretricias blanditias: secundo cum fit contra naturalem modum: tertio cum fit tempore prohibito: quarto quando fit in loco prohibito: quinto quando acceditur ad mulierem prægnantem, & vicinam partui, vel quæ est in fluxu menstruo.

Filiæ luxuriæ sunt octo secundum Gregorium. Prima est cæcitas mentis, quia secundum Augustinum in opere luxuriæ tota ratio absorbetur. Secunda est inconsideratio, moris scilicet & inferni. Tertia inconstantia, scilicet ad cogitandum desiderandumque nunc istud, nunc illud. Quarta amor sui, scilicet quo aliquis desiderat longam vitam ad hoc, vt expleat voluptatem suam. Quinta præcipitatio, qua quis præcipitanter currit ad peccandum, exponens se periculo mortis propter luxuriam faciendam.

Greg. lib. 31 Mor. ca. 17.

ciendam. Sexta odium Dei, quia Deus abstrahit se ab eis, & punit eos qui sequuntur carnis delitias, ad quas inclinat luxuria. Septima affectus præsentis sæculi, scilicet appetitus honorum, diuitiarum, sanitatis, fortitudinis, & huiusmodi, per quæ luxuriosus finem suum cõsequitur. Octaua est desperatio futuri sæculi, quæ est diffidentia gloriæ, vel veniæ consequendæ, & hæc est filia luxuriæ consummatæ.

Luxuria nocet multipliciter. Deo est contumeliosa, quia templum eius inquinat. Dæmonibus placita. Behemoth dormit in locis, &c. Subiecto proprio nociua. Qui fornicatur in corpus, &c. Proximum scandalizat. Facti estis speculationi & rete expansum super, &c. Animam propriam damnat. Non recedet gladius de domo tua, hoc dictum fuit ad Dauid propter peccatum Bethsabee. Vilissimo domino se subiicit, scilicet carni & sensualitati. Quia obedisti voci vxoris tuæ, maledicta, &c. Mentem infatuat. Vinum & mulieres auferunt cor.

Iob 40.c *1.Cor.6.d* *Osee 5.a* *2.Reg.12.c* *Gen.3.c* *Osee 4.c*

Remedia luxuriæ sunt hæc, Occasiones fugere. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem, &c. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Qui tenet illam quasi qui apprehendit scorpionem. Mortis extrema cogitare. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. De se non præsumere: quia cecidit Dauid sanctissimus, Salomon sapientissimus, Samson fortissimus. Frequenter se occupare. Hieronymus:* Semper aliquid boni facito, vt te diabolus veniat occupatum. Tentationi in principio resistere. Ipsa conteret caput tuum. Carnem domare. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.

Iob 31.a *Eccl.13.a* *Eccl.26.b* *Eccl.7.d* ** Hieron. de reform. vita ad Rust. ep.4.* *Gen.3.c* *Mat.9.e*

CAPVT XXII.

Quomodo superbia sit mortale, vel veniale.

OMNIA prædicta quamuis semper sunt peccata, non tamen semper sunt mortalia. Vnde videndum est, quando vnumquodque mortale fit, & quando veniale. Vana igitur gloria ex suo genere est veniale, quia genus operis sumitur ex obiecto. Vanum autem secundum se non est obiectum peccati mortalis, sed venialis. Vnde cum vana laus sit huius peccati obiectum, patet quod non semper est peccatum mortale. Erit tamen vana gloria mortalis dupliciter, scilicet ratione finis, propter quem laus appetitur. Opus namque tale est, quale est id, propter quod appetitur. Item ratione operis, in quo laus quæritur.

Circa primum dicendum est, quod quadruplici fine laus appetitur. Primo, ad vitandum malum infamiæ, sicut Samuel se laudauit. Secundo, propter aliquam vtilitatem spiritualem, vt est gloria Dei, vel ædificatio proximi, sicut Paulus se commendauit. Tertio, propter lucrũ auaritiæ, sicut Pharisæi, qui deuorant domos viduarum, longas orationes simulantes. Quarto, propter aliquem actum venialis peccati, sicut quando quis laudari vult, eo quod venialiter in laude delectetur. Primum est prouidentiæ, secundum est charitatis: tertium est peccatum mortale, & idem intelligendum est, quandocumque mortale peccatum finis alicuius operis ponitur: quartum est veniale.

1.Reg.12.a,b *2.Cor.11.d* *Mat.23.c*

Sequitur secunda causa, quare vana gloria sit peccatum mortale, scilicet ratione operis, per quod laus quæritur. Hoc autem potest fieri tripliciter, quia laus quandoque quæritur per opera illicita, quandoque per opera ex se indifferentia, quandoque per opera virtutum. Si primo modo, sic tale est peccatum, quale & illud illicitum, scilicet mortale, aut veniale. Si secundo modo, sic est peccatum veniale, vt habere diuitias, vel vestes pretiosas, cum abusu talium in laudem. Verumtamen si talia sunt de se ordinata, vt sint occasio peccati mortalis, secundum quod mulier cum ornatu meretricio præparat se ad animas capiendas, vel si factum illud est illicitũ ex prohibitione superioris, vt torneamenta, & huiusmodi, cum excederet præceptum Ecclesiæ, sic sunt peccata mortalia. Si tertio modo, id est, si laus quæratur per opera virtutum, hoc est dupliciter, vel quia appetitus laudis adiungitur operi virtutis tamquam incidens, sicut contingit in cantu, vel in prædicatione quandoque, & tunc est veniale. Vel laus est finis principaliter præstitutus operi virtutis & operanti, ita quod ibi constituit finem vltimum, & sic est mortale: quia tunc inhæret ei, vt fini vltimo. Nota quod maius est peccatum gloriari de bonis spiritualibus, quàm de temporalibus: quia minus habent motiuum, eo quod minus appareant extra, quàm temporalia.

CAPVT XXIII.

Quomodo inuidia sit mortale, vel veniale.

INVIDIA ex suo genere est peccatum mortale, quia cum inuidia secundum Remigium sit dolor de alieno bono, contrariatur directe charitati, quæ non æmulatur, sed congaudet veritati. Charitati vero nihil est contrarium, nisi peccatum mortale. Tamen illud quod ex genere est mortale, potest esse veniale, vel prout in primo motu consistit, vel extra suam rationem trahitur. Dolor autem de alieno bono est quadruplex: vel quia est primo primus motus ex natura veniens, sicut quidam naturaliter inuidi sunt: & hoc nullum peccatum est, cũ nullo modo sit in potestate nostra. Vel est secundo primus motus, quando, scilicet appetitus sine completa deliberatione tali passione afficitur, & sic est veniale peccatum. Vel est actus voluntarius deliberatiue, & sic est mortale peccatum. Vel trahitur per intentionem extra suam rationem, vt quando dolor de alieno bono surgit cuiquam ex causa bona, sicut quando dolet aliquis de bono temporali alterius, quia videt illud redundare in detrimentum animæ illius, vel etiam in detrimentum communitatis: talis dolor bonus est, quia maius bonum magis est appetendum. Notandum vero quod per dolorem boni comprehenditur gaudium de malo, quod ex ipso causatur.

1.Cor.13.b

CAPVT XXIV.

Quomodo ira sit peccatum mortale, vel veniale.

IRA ex suo genere est peccatum mortale, quia secundum Isidorum: Ira est animus concitatus ad pœnam prouocanti inferendam. Talis autem motus contrariatur charitati, quæ non irritatur, nec cogitat malum. Ira igitur vel dicit iram zeli, quæ est detestatio vitii, & hæc non est peccatum sed est perfectionis. Potest etiam quis sibi per hunc modum irasci, sicut dicit Glossa super illud Psalmi: Irascimini & nolite peccare. Quid est, inquit, homo pœnitens, nisi irascens sibi? Vel dicit remissionem affectus circa proximum, per quem homo non dolet de malo proximi, nec gaudet de bono eius, licet etiam non doleat de bono, nec gaudeat de malo eius: sed est indifferens ei: & sic non est mortale, sed imperfectio charitatis. Vel dicit actualem impatientiam absque appetitu vindictæ: & talis motus etiam deliberatus est peccatum veniale, quia habet incompletam rationem iræ, sicut ex supradicta patet diffinitione. Vel dicit impatientiam cum appetitu vindictæ, & hoc est tripliciter. Quandoque enim hoc à natura, sicut in melancholicis, in quibus secundum Philosophum continue mordetur natura, propter quod semper sunt turbulenti: & sic nullum est peccatum, cum sit motus naturalis. Quandoque hoc est ab appetitu indeliberato, & sic est veniale, sicut alii primi motus. Quandoque est à voluntate deliberatiua, & tunc est peccatum mortale.

Psal.4.a

CAPVT XXV.

Quomodo acedia sit mortale, vel veniale.

ACEDIA ex suo genere est peccatum veniale: quia secundum Augustinum, Acedia est tædium interni boni: hoc autem non opponitur charitati, sed dicit diminutionem feruoris charitatis, in quo consistit omne veniale. Istud ergo tædium, vel est motus naturalis, & sic nullum est peccatum: vel est motus appetitus contristati de opere spirituali laborioso, & sic est veniale: quamuis etiam appetitus ille naturalis sit deliberatiuus, quia consensus in veniale non est nisi veniale; acedia vero ex genere, & per se venialis est: vel hoc tædium redundat in omissionem eorum, quæ sunt necessaria saluti, vt frangere præcepta Dei, vel Ecclesiæ sine causa rationabili, & tunc est mortale. Si autem tædium illud ex omissione boni, & difficultate aggrediendi bonum, ducit in desperationem: tunc iam accedit ad peccatum in Spiritum S. Et si tædium illud crescit, quod etiam ducit in tædium vitæ in tantum, quod iniiciat sibi manus, tunc iam similis est Iudæ, qui laqueo se suspendit. *Mat. 27. a*

CAPVT XXVI.

Quomodo auaritia sit mortale, vel veniale.

AVARITIA secundum Marcum Tullium Ciceronem est immoderatus amor habendi. Hæc igitur consistit in appetendo, vel in acquirendo, vel in retinendo.

Si primo modo, hoc est, quinque modis. Primo, quia appetit aliena appetitu completo, qui procederet in opus, si adesset facultas, & sic est peccatum mortale. Secundo, quia appetit illicita voluntate incompleta, vt si aliquis indignus conatur beneficium Ecclesiastici adipisci, sic iterum est mortale. Tertio, si appetit talia, siue sint illicita, siue aliena, cum voluntate conditionata, scilicet si posset habere sine offensa Dei, ac iniuria proximi, & tunc vel nullum, vel veniale est, si talem conditionem actualiter, vel habitualiter addat, vel intendat. Quarto, si simpliciter appetit habere superflua, & hoc appetitu suffocante mentem, scilicet à cura sui, & consideratione diuinorum, & hoc est peccatum mortale. Quinto, si superfluo amore inhæret temporalibus, tamen infra Dei amorem, hoc est veniale.

Si autem auaritia consistit in acquirendo, hoc est tripliciter, quia vel acquirit iniuste quocumque modo, & tunc est mortale: vel acquirit res per tale opus, aut artem, aut officium, quod per se est peccatum mortale, si etiam esset sine lucro, & tunc est mortale: vel acquirit talia per operam illicitam, quæ est veniale peccatum, vt cum aliquis verba iocosa componit ad lucrum, salua tamen honestate, & hoc est veniale, nisi aliquis propter delectationem dissolutionis totaliter se dedat talibus, tunc enim mortale est. Dico autem propter delectationem, quia si quis propter necessitatem, per talia sibi sustentationem acquireret, cum aliam artem lucrosam nesciret, non reputarem eum in statu damnandorum.

Si autem auaritia consistit in retinendo, hoc potest esse quinque modis. Primo, quia retinet scienter ea quæ restituere tenetur, & animo retinendi, sic est peccatum mortale. Secundo, quia retinet ea, quæ ad necessitatem suam, & suorum pertinent, vel ad conseruationem status sui, & suorum secundum quod decet dignitatem suã, & hoc non est peccatum. Tertio, quia retinet superflua respectu vtriusque iam dictorum & hoc tempore extremæ necessitatis alicuius, sic est peccatũ mortale. Quarto, quia retinet superflua, etiam citra extremam necessitatem ex insatiabili cupiditate, sic est peccatum mortale: præcipuum autem signum talis effectus est, quod quis res potius sinit putrescere penes se, quàm vtiliter aliis dispenset. Quinto, quia retinet superflua quædam ex inordinato amore temporalium, per quem modum deficit à medio largitatis, saluo tamen statu virtutis, & sic est veniale. Nota quod auaritia ex suo genere est mortale: quam Apostolus idololatriæ comparat, non quia sit de specie illius peccati, cum non habeat actum eius, sed quia facit aliquid simile idololatriæ seruiendo creaturæ potius, quàm Creatori. *Ephes. 5. b*

CAPVT XXVII.

Quomodo gula sit mortale, vel veniale.

GVLA ex genere suo est peccatum vniale, quia appetitus comedendi ex sua ratione nõ subiacet dominio voluntatis, sed natura nobis inest, quod potest esse quinque modis.

Primo, si est ibi solus appetitus cibi, & hic numquam est peccatum: nec etiam delectatio cibum consequens est peccatum, inquantum ordinatur contra defectum sibi contrarium: hæc enim sunt pure naturalia, in quibus non est meritum, nec demeritum. Secundo, si appetitui necessitatis adiungitur appetitus, delectationis, & voluptatis in cibo, & hoc est peccatum veniale. Tertio, si est ibi transgressio præcepti, vt cum aliquis sine necessitate soluit ieiunium Ecclesiæ, vel quando religiosus comedit carnes, cum hoc in suo ordine sit prohibitum, sub præcepto, sic est mortale peccatum. Quarto, si appetitus edendi est cum libidine, vt quando nimio & finali affectu inhæret delectationi cibi, & hoc est peccatum mortale. Quinto, si ducitur in consuetudinem talem, quæ facit totam vitam hominis delectationibus huiusmodi deputari hæc tam vicina sunt peccato mortali, quod ebrietas ab Apostolo inter peccata mortalia computatur. Ebrietas tamen quandoque est peccatum veniale, vt quando vltra necessitatem quis accepit, secundum mensuram tamen imperceptibilem. Quando vero quis egreditur à mensura perceptibili secundum rationem bene ordinatam ad discernendum, & hoc in tali mensura, ex qua euertitur status mentis effrenata libidine, quando hoc Deo preponit, tunc peccat mortaliter. Si quis autem inebriat alium, ita videlicet inuitans eum ad potũ, vt intendat statum mentis eius euertere, & hoc facit in eius nocumẽtum, peccat mortaliter: quia aufert ei plus, quàm si auferret aliquod bonum temporale, quia vsum rationis tollit ei. *Rom. 13. d*

CAPVT XXVIII.

Quomodo luxuria sit mortale, vel veniale.

LVXVRIA ex suo genere est peccatum mortale, quia est contra illud præceptum, Non mœchaberis. *Exo. 20. b Deut. 5. b*

Concupiscentia luxuriæ distinguitur septem modis. Primus est, cum concupiscentia consistit in primo motu tantum, & sic est peccatum veniale. Secundus est, cum sequitur consensus vsque in delectationem, licet non in opus, & sic est mortale peccatum. Tertius est, cum consentitur etiam in opus, & sic est iterum mortale. Quartus est, cum concupiscentia non solum tenetur corde, sed etiam pascitur visu, & sic iterum est mortale. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo, id est, si hoc fine & animo attendat mulierem, vt eam concupiscat: quia secundum Augustinum hoc non est tantum titillari, sed plene consentire libidini. Bene autem dicitur ad concupiscendum eam, quia si aliquis videret mulierem, vt rem pulchram, & vlterius non procederet, tunc nullum peccatum esset, vel solum peccatum curiositatis. Quintus modus est in stultiloquio: vt cum quis mulierem precatur, vel propter libidinem habet cum ea familiaria colloquia, & est mortale. Sextus modus vocatur ab Apostolo turpitudo. Glossa, vt in osculis & in amplexibus, hoc est etiam peccatum mortale: & tanto grauius præcedentibus, quanto magis libido per talia accenditur propter nimiam ap- *Matt. 5. d* *Aug. lib. 1. de sermon. Dom. in monte, c. 23 tom. 4.* *Ephes. 5. a*

proximationem ad ignem. Notandum vero quod tangere mulierem præter intentionem, non est peccatum: similiter cum intentione tangere, sed ex necessitate, non est peccatum. Sed tangere ex libidine, vel osculari ad se non pertinentem, peccatum mortale est. Septimus modus est, quando concupiscentia procedit in opus, & constat esse mortale.

Nota quod differentia est inter primos motus generatiuæ & nutritiuæ: quia primus motus in generatiua semper est peccatum, nisi per Sacramentum matrimonii excusetur, sed non semper in nutritiua: quoniam potentia concupiscibilis non tantum corrupta est in nutritiua, sicut in generatiua. De hac materia require supra titulo proximo, vbi agitur de speciebus luxuriæ.

CAPVT XXIX.

De peccato in Spiritum sanctum.

QVAMVIS generaliter omne peccatum sit contra Deum trinum, & vnum, appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritum S. In Patrem enim peccatur ex impotentia, in Filium ex ignorantia, in Spiritum S. ex malitia certa, hoc est, quando voluntas potest, & scit resistere alicui malo, & tamen ex sola malitia illud eligit.

Peccatum in Spiritum sanctum procedit ex libera & improba voluntate liberi arbitrii, & directe impugnat gratiam Spiritus sancti, & ideo non habet colorem excusationis, quia quantum est de se, directe impugnatiuum est medici, & remedii per quod fieri habet remissio peccati. Peccatum in Spiritum S. dicitur irremissibile in hoc sæculo, & in futuro, non quia dimitti non possit, sed quia raro aut vix dimittitur in hoc sæculo, quantum ad culpam, aut in futuro quantum ad pœnam. Item quia non legitur dimissum, propter quod dicitur irremissibile: sicut Melchisedech dicitur sine patre, quia non legitur de eius patre. Item quia aduersatur fonti remissionis, scilicet Spiritui S. Item propter impotentiam hominis, quia vix potest se preparare ad gratiam, quem tanta moles peccati premit.

Sciendum autem est, quod accipitur hoc nomen irremissibile tripliciter, scilicet negatiue, vt quia nullo modo potest remitti, hoc modo peccatum Angeli & damnatorum est irremissibile. Item priuatiue, vt quia non habet cōgruentiam de se, vt remitti debeat, licet ex congrua bonitate Dei possit omne peccatum remitti: hoc modo omne peccatum mortale est irremissibile. Item contrarie secundum quod habet aliqua culpa contrariā dispositionem ad remittendum: hoc modo peccatum in Spiritum S. est irremissibile, quia contrariatur gratiæ remittendi peccatum, & per hoc desperationem, vel præsumptionem, vel alias species huius peccati.

Sex sunt species peccati in Spiritum S. videlicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ inuidentia charitatis fraternæ, obstinatio, finalis impœnitentia. Horum numerus sic accipitur. In remissione tria scilicet ipse remittens, & ille cui remittitur, ac dispositio remittendi in eo cui remittitur. In ipso remittente duo sunt, scilicet misericordia, & iustitia. Contra primum est desperatio, contra secundum præsumptio. In eo cui remittitur, duo sunt, scilicet dolor de commisso, & propositum de non committendo. Contra primum est obstinatio, contra secundum finalis impœnitentia. Præterea dispositio remittendi in eo, cui remittitur, duplex est, sunt scil. cognitio veri, & amor boni. Contra primum est impugnatio veritatis agnitæ, contra secundum inuidentia fraternæ gratiæ. De finali impœnitentia nota, quod sicut dicit continuationem peccati vsque in finem, sic in omni peccato, in quo quis scienter decedit, est finalis impœnitentia: prout autem est vna species peccati in Spiritum S. secundum quod hic sumitur, sic dicitur propositum non pœnitendi.

CAPVT XXX.

Dinumeratio peccatorum cordis.

PECCATA cordis sunt hæc, cogitatio, delectatio, consensus, desiderium mali, voluntas peruersa, infidelitas, indeuotio, præsumptio, timor male humilians, amor male accendens, suspicio, ira, inuidia, odium, timere seruiliter, exultatio in aduersis proximi, contemptus pauperum vel peccatorum, personarum acceptio, perfidia, affectus parentum carnalis, inepta lætitia, sæculi tristitia, impatientia, auaritia, superbia, perplexitas, obstinatio mali, tædium boni, acedia, inconstantia, pœna pœnitentiæ, dolor quia non facit plus malum, hypocrisis, amor placendi, timor displicendi, verecundia de bono opere, amor priuatus, sensus singularis, ambitio dignitatū, vana gloria de bonis naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, verecundia de pauperibus amicis contemptus admonitionum, immisericordia.

CAPVT XXXI.

De peccatis oris.

PECCATA oris sunt hæc, crebra iuratio, periurium, blasphemia, nomen Dei irreuerenter assumere, veritatem impugnare, de mendacio & vanis alios instruere, contra Deum murmurare, irreuerenter horas dicere, detractio, adulatio, mendacium, vituperium, maledictio, infamatio, contentio, comminatio, impugnatio veritatis agnitæ, impugnatio charitatis fraternæ, seminatio discordiæ, proditio, falsum testimonium, mala consilia, derisio, contradictio obedientiæ, inuertere facta bona, in Ecclesiis placitare, ad iram hominem prouocare, reprehendere proximum in aliquo, quod ipse facis, vaniloquium, stultiloquium, proferre verba otiosa, vel superflua, vel curiosa, iactantia verborum, superflua politio peccatorum defensio, clamor, risus, cachinnus, turpiloquium, lenocinium, cantare cantilenas sæculares, in cantu diuino magis studere vocem frangere, quàm deuote psallere, murmurare, verba scurrilia proferre, in iniusta causa aduocare, malum commendare.

CAPVT XXXII.

De peccatis operis.

PECCATA operis sunt hæc, gula, luxuria, ebrietas, simonia, sortilegium, violatio dierum sollemnium, sacrilegium, indigne communicare, votorum fractio, apostasia, dissolutio in diuino officio, scandalizare suo malo exemplo, proximum corrumpere, lædere hominem, vel in rebus, vel in persona, vel in fama, furtum, rapina, vsura, deceptio, ludus, venditio iustitiæ, exactio indebita, telonea, iniusta, auscultare mala, ioculatoribus dare, necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, vltra vires proprias quiddam aggredi, consuetudo peccandi, recidiuatio, simulatio tenere officium, ad quod non sufficit, vel quod sine peccato non agitur, choreizare, nouitatem inuenire, maioribus rebellare, minores opprimere, delinquere visu, auditu, odoratu, gustu, & tactu, lucta, osculis, muneribus, itineribus, nutibus, mendaciis, scripturis, circumstantias aggrauantes omittere (quę sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ætas) tentationem præuenire, seipsum ad peccatum cogere.

CAPVT XXXIII.

De peccatis omissionis.

PECCATA omissionis sunt hæc, de Deo non cogitare, ipsum non timere, vel amare, gratias de beneficiis non agere, opera quæ quis facit ad ipsum non referre

de

de peccatis, sicut debe[..]on dolere, ad gratiam reci[pi]ē dam se non præparar[e] [gr]atia accepta non vti, nec eam seruare, ad inspiratio[ne]m diuinam se non conuertere, volūtatem suam vol[untati] diuinæ non conformare, ad orationes dicendas [no]n attendere, orationes debitas omittere, ea ad quæ [tene]tur ex voto, vel præcepto, vel officio, negligere, co[m]munionem, & confessionem semel in anno non exp[ete]re, parentes non honorare: seipsum non recognoscere, reprehendere conscientiam negligere, ecclesias & prædicationes fugere, tentationibus non resistere, pœnitentias iniunctas negligere, aut negligenter facere, & quæ statim facienda sunt, differre: bonis proximi [no]n gaudere, & malis non condolere, iniurias non [re]mittere, fidem proximo non seruare, & beneficijs ei[us n]on respondere, delinquentes non corripere, lite[s no]n sedare, ignorantes non instruere, afflictos non [con]solati, admonitionibus non acquiescere.

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS,

LIBER QVARTVS,

[D]E CHRISTI HVMANITATE.

Capita Hvivs Libri.

CAPVT I.

De incarnatione CHRISTI.

SICVT Deus est rerum principium in creatione, sic est refe[ctiuum i]n effectiuum in redemptione, & perfectiuum in [perfectio]ne: quoniam sicut Pater omnia [condidit] per Verbum increatum, sic omnia rec[reauit] & renouauit per Verbum incarnatum. Porro circ[a incar]nationem CHRISTI talis fuit ordo Salutatio A[ngeli]ca, responsio Virginis, sanctificatio materna, cōceptio diuina: de quibus nunc per ordinem est agendum.

CAPVT II.

De salutatione Angelica.

MISSVS est Angelus Gabriel, qui est de ordine Archangelorum, ad beatam Virginem, cui ad sensum apparuit visione corporali. quamuis ei loqueretur locutione spirituali. Ad illud nobile sacramentum nūcius debuit esse Angelus, propter tria: primo propter cognationem virginitatis ad naturam Angelicam. Secundo propter ordinem perditionis humanæ, quia sicut ibi venit diabolus in serpente ad mulierem, ita hic Deus venit per Angelum ad Virginem: vt sic ex opposito medicina respōdeat morbo, & reparatio lapsui, & remedium nocumento. Tertio quia sicut illa gratia fuit reparatio naturæ humanæ, sic fuit & ruinæ Angelicæ: vnde communi beneficio vtraque natura communiter debuit ministrare, Angelica scilicet, & humana. *Luc. 1. a*

Diuiditur autem salutatio beatæ Virginis in tres partes. Primam partem incœpit Angelus, cum dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Secundam subiunxit Elisabeth, cum ait: Et benedictus fructus ventris tui. Tertiam apposuit Ecclesia, vt in reuerentia nomen Mariæ haberetur: nam Maria non est de textu. Ista salutatio commendabilis est propter quattuor: primo propter auctorem, quia missus est Angelus à Deo. Secundo propter nuncium, non enim homo dignus fuit hoc nunciare, sed Angelus nec quilibet Angelus, sed Gabriel. Tertio ab a quæ salutatur, quia Virgo: nec qualibet Virgo, sed Maria. Quarto ab ipso modo salutandi, qui indicat innocentiam Virginis, cum dicitur, Aue: vel gratiam conuersationis cum dicitur, gratia plena. Item excellentiam conceptionis cum dicitur: Dominus tecum. Item priuilegium prærogatiuæ singularis, cum dicitur, Benedicta tu in, &c. Salutationes autem quædam inueniuntur optatiuæ salutis. Salue rex. Quædam gratiæ. Apostolus in pluribus locis. Gratia vobis & pax. Quędam gaudij. Gaudium tibi semper sit. Quędam benedictionis. Benedicat tibi Dominus. Hæc autem salutatio Angeli ex omnibus prædictis conflata videtur. Continet enim salutem cum dicit, Aue. Item Gratiam cum dicit: gratia plena. Item gaudium cum dicit: Dominus tecum. Item benedictionem, cum dicit, Benedicta tu in, &c. Preterea in hac salutatione notatur triplex prętogatiua beatæ Virginis, scilicet naturæ, cum dicitur, Aue: gratiæ, cum dicitur, gratia plena: gloriæ, cum dicitur, Benedicta tu, &c. *Luc. 1. c. 2. Reg. 16. c Rom. 1. a Tob. 5. b Ruth. 2. a*

Nota denique sex in Angelica legatione: primo quam reuerenter beatam Virginem salutauit, cum dixit: Aue gratia plena. Secundo quam excellenter commendauit, ibi: Benedicta tu in mulieribus. Tertio quam dulciter confortauit, ibi: Ne timeas Maria. Quarto quam diligenter legationem suam impleuit, ibi: Ecce concipies & paries Filium. Quinto quam eleganter modum exposuit, ibi: Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Sexto quàm conuenienter prolem nasciturum describit, ibi: Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

CAPVT III.

De responsione virginea.

DVos legimus in scriptura dialogos, vnum inter Euam & diabolum, quo mors concludebatur: alterum inter Mariam, & Archāgelum, quo vita oriebatur. Vide autē tria, quæ fecit beata Virgo in salutatione Angeli, scilicet cogitationem, seu deliberationem, quia cogitabat qualis esset ista salutatio. Interrogationem, quia querebat: Quomodo fiet istud? Consensum, quia respōdit: Ecce ancilla Domini, &c. Nec in deliberatione fuit subita, sicut Eua: nec in interrogando dubia, sicut Zacharias: nec in consentiendo tarda, sicut Sara. In respon- *Gen. 3. a Luc. 1. c Gen. 3. a Luc. 1. b Gen. 18. b*

sione consensus beatæ Virginis quattuor verba inuenies, quæ quattuor virtutes maxime redolent. Ait enim: Ecce, quod est obedientiæ promptę. Ancilla Domini, quod est humilitatis perfectæ. Fiat mihi, quod est charitatis inflammatæ. Secundum verbum tuum, quod est fidei indubitatæ.

Septem verba hæc locuta est beata Virgo in Euangelio. Primum fuit, Vinum non habent. Secundum, Fili quid fecisti nobis sic? Tertium, Quodcumque dixerit vobis, facite. Quartum, quando salutauit Elisabeth. Quintum, Quomodo fiet istud, &c. Sextum, Ecce ancilla Domini. Septimum, Magnificat anima mea Dominũ. Verbum primum fuit pietatis: secundum charitatis: tertium instructionis: quartum consolationis: quintum discretionis: sextum humilitatis: septimum orationis, & gratiarum actionis. Et nota quod verba prædicta fuerunt breuia præter vltimum.

Ioan. 2. a
Luc. 2. a
Luc. 1. c, d

CAPVT IV.

De sanctificatione materna.

SANCTIFICATIO triplex est: quędam communis, quæ fit per sacramenta: quædam specialis, quæ fit per gratiam specialem: quædam specialissima, quæ fit per gratiam singularem. Prima emouet culpam, & confert gratiam, remanet tamen fomes, & pronitas ad peccandum, & talis est in baptizati: Secunda remouet culpam & pronitatem peccandi motaliter, & talis fuit sanctificati Ioannis Baptistę, & Hieremiæ in vtero. Tertia remouet culpam originalem, & pronitatem ad peccandum tam venialiter, quã mortaliter, & talis fuit in beata Virgine. Et licet gratia sanctificationis in vtero sit quantum ad essentiam maior, quam sacramentalis: tamen quantũ ad aliquos effectus, maior est gratia sacramentalis: quia baptismus imprimit characterem, & aperit ianuam cęli, & habilitat hominem ad alia sacramenta, quorum nihil facit sanctificatio in vtero esse. Verumtamen gratia sanctificationis in vtero præcellit in hoc gratiam baptismalem, quia taliter sanctificatu non potest mortaliter peccare, & ad veniale minus inclinat eum fomes: propter quod minora & pauciora venialia cõmittit: & talis gratia fuit in Ioanne Baptista: & ideo ne in vanum gratiam Dei reciperet, fugit hominum societatem, & arctissimam in se pœnitẽtiam tenuit, ne leui saltem macula re vitam famine posset. Patet igitur quod in sanctificatione in vtero confertur gratia media inter gratiam sacramentalem, & gratiam plenæ confirmationis in patria, quæ habet coniunctum sibi finem vltimum. Ad confirmationem enim perfectam tria pertinent. Primum est inseparabilis adhæsio, & coniunctio rationis ad Deum. Secundum est indeflexibilis subiectio inferiorum potentiarum animæ sub imperio rationis. Tertium est indiscontinuabilis cõuersio actualis totius hominis in Deum, quando homo diuina dulcedine affectus, ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnib. viribus sẽper actu tendit in Deũ, & in quodcumque aliud in quo relucet Deus Primum horũ habet gratia sanctificationis simpliciter, vt scilicet nullus, qui particeps eius fuerit, possit peccare mortaliter. Secundum habuit beata Virgo, & ideo nec venialiter vnquam peccauit, sicut dicit Augustinus. Tertium autẽ non potest conuenire gratiæ viæ, eo quod illud ex fruitione Dei causetur, quæ tantum est in patria.

Luc. 1. b
Hier. 1. b
Aug. lib. de natura. & grat. c. 36. tom. 7.

Tres autem fuerunt sanctificationes matris Dei. Prima fuit sanctificatio in vtero, & hęc tres habuit effectus, scilicet originalis culpæ expiationem, & gratiæ infusionem, & fomitis tantam restrictionem, vt non posset in aliquod mortale peccatum duci: licet tamen ipse fomes maneret secundum essentiam. Secunda sanctificatio fuit in Spiritus sancti obumbratione, & filij Dei conceptione, quæ trib. præmissis duo superaddidit, scilicet omnimodam fomitis extinctionem & confirmationem in bono, ita quod quæ prius tantum poterat non peccare mortaliter, iam non posset peccare. Hos autem duos effectus expressit Angelus: Spiritus sanctus superueniet in te: quo ad primum. Et virtus altissimi obumbrabit tibi: quo ad secundum. Ista confirmatio non fuit liberi arbitrij ablatio, sed eius per gratiam completio. Pręterea Spiritus sanctus superuenit in eam non solum ad sanctificandum, sed etiam ad fecundandum, cuius virtute Virgo concepit. Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Tertia sanctificatio fuit in Filij Dei inhabitatione, qui nouem mensibus in vtero eius mansit, & his omnibus prædictis duos effectus addidit. Vnus fuit, quod omnes dispositiones fomitis sublatæ fuerũt, sicut quando morbus est curatus, adhuc interdum remanent reliquiæ curandæ. Secundus fuit dedicatio ad Deum, ita quod etiã licitis vsibus mundanis, scilicet matrimonialibus eam aptare esset impossibile: quia tunc nõ solum mens, sed etiam corpus luce diuinitatis resplenduit, & significatum est. Ex prædictis collige quod fomes & personam inficit, & naturam. Personam quidem, quia ad malum pronam facit, & stimulat ad peccatum. Naturã vero, quia carnem inficit, prout est principium ad alterã carnem. Sed beata Virgo in prima sanctificatione, quæ fuit in vtero, mundata fuit ab originali peccato, inquantum fomes respicit personam suam: quia nihil in persona sua purgandum remansit. In secunda vero sanctificatione quæ fuit quando Spiritus sanctus superuenit in eam, purgata fuit à fomite, prout ipse fomes respicit naturam in comparatione ad prolem propagandam, non opere naturę, sed opere Spiritus sancti. Remotus enim fuit essentialiter propter quod pars ab ea separanda in corpus Christi, nihil habuit de fomite, sicut nec mater.

Luc. 1. d

Nota similiter ex prædictis, & ex sequentibus, quod beata Virgo ex prima sanctificatione excellebat puritate omnes baptizatos, ex sanctificatione secunda excellebat puritatem Adæ, quam habuit ante peccatum: per confirmationem excellebat puritatem Angelorum, quoniã illi nec crescere possunt in præmio substãtiali siue essentiali, sicut nec decrescere: sed beata Virgo proficere potuit in merito, & non deficere.

Puritas matris Dei fuit quadruplex, in qua nulla creatura sibi poterit comparari. Prima est puritas sanctificationis in vtero. Omnis enim rationalis creaturæ puritas, vel est naturæ, vt in Angelis: vel est gratiæ gratis datæ: vt fuit innocentia primi status hominis: vel est gratiæ gratũ facientis, & ista est maior aliis duabus. Vnde cum in illa specie gratiæ sanctificatio matris Dei fuerit suprema, patet quod vincit puritatem omnis puræ creaturæ. Secunda est puritas innocentiæ in vita, in qua similiter omnes excellit: quia beata Virgo vixit sine omni peccato, & hoc oportuit esse maximæ gratiæ, quæ non solum ipsius naturam perficeret, sed eam supra legem naturæ corruptæ extolleret. Tertia est puritas virgineæ castitatis, in quã excellit & Angelos, & homines. Angelos quidem, quia secundum Hieronymum, hoc retinuit per virtutem castitatis, quod in Angelis est necessitatis naturæ. Item excellit homines in hoc, quia primum exemplar fuit huius integritatis. Adducentur regi virgines post eam, &c. Præterea ostenditur istud alia ratione: quia summa est hæc puritas quæ potius potest suum contrarium secum pati, quam posset violari: & talis fuit virginitas Dominæ nostræ, quæ gaudium matris habet cum virginitatis honore: & ideo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Quarta est puritas sanctificationis ex superuentione Spiritus sancti, & præsentiæ Dei, in qua excellit omnem creaturam. Cum enim esse matrem Dei, sit dignitas superior, quæ puræ creaturæ communicari possit, necesse est gratiam ad hoc disponentem esse maiorem omni gratia puræ creaturæ. Oportet ergo priuilegium sanctificationis suæ in hac parte omnem aliorum sanctificationem excedere.

Hier. in ep. 10. ad Paul. & Eustoc. tom. 9.
Psal. 44. d

CAPVT V.

De conceptione diuina.

Lucæ.1.d

MOx vt Virgo beatissima assensum Angelo præbuit dicens: Fiat mihi secundum Verbum tuum: Spiritus sanctus super eam venit, ac Filium Dei concepit. Hæc autem tria simul fuerunt tempore, non natura. Tunc impleta sunt præambula figurarum, & documenta scripturarũ, & desideria Prophetarum: propter quod etiam aduentus Christi dicitur plenitudo temporis.

Gal.4.a

Quare autem Christus, nec prius, nec posterius venerit, nonnullæ sunt rationes. Prima est, vt ordinem vniuersi non turbaret. Singula namque suis fiunt temporibus, quãto magis in maximo Dei opere, scilicet Filij Dei incarnatione? Secũda, ne fides & spes promissa incarnatione, & nimis tardata, perirent. Si enim tardasset venire, quotidie decreuissent homines in fide, & tepuissent. Sed prius venire non fuit necesse, quia non prodest medicina spiritualis sine affectu recipientis. Tertia est, vt supremæ infirmitati culpę immediate succederet melioratio, sicut summum statum acutæ febris sequitur crisis & sanatio. Quarta, vt homo de lege naturali & scripta prius conuinceretur, sicut ait Augustinus, quia si Christus statim venisset, diceret homo quod per legem naturæ saluari poterat, & superfluum crederet aduentum Christi. Similiter dicere poterat de lege scripta: sed cõperto quod nec sic, nec sic saluari poterat, cum omnes ad inferos descenderent, tunc venit ipse, quia tunc erat tempus miserendi eius. Quinta, vt sicut primus homo conditus fuit sexta die ad totius mundi complementum, sic Deus homo fieret in sexta ętate, ad totius creaturę perfectionem. Sexta enim ætas apta est ad exercitium sapientiæ, ad remissionem culpę, ad meritum vitæ æternæ, ad transitum de statu miseriæ ad statum gloriæ, & ista notantur in sexta ætate ratione perfectionis senarij. Sexta, quia Christus non debuit venire in principio temporis, quia aduentus eius nimis fuisset festinus: nec in fine vltimo, quia tunc nimis fuisset tardus: sed decebat Saluatorem inter tempus morbi, & tempus iudicij introducere tempus remedij. Septima, quia decebat ductorem perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad brauium, hoc est in fine temporum, & tamen ante terminum, vt per timorem iudicij stimulati, per spem præmij attracti, & per exempli perfectionem animati sequi possemus efficaciter ducem nostrum. Octaua, quia decebat mediatorem quædam membrorum suorum præcedere, quædam sequi Incarnationem Christi multæ figuræ præcesserunt, & prophetiæ, de quibus aliquas assignemus. Abraham descendit in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: Lapis præcisus est de monte sine manibus. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Thronũ fecit sibi Salomon de ebore grandem. Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circumdabit virum. Ionas in mare proijcitur, & mare sedatur. Stillabunt montes dulcedinem. Descendi in hortũ meum, vt viderem poma conuallium. Vellus Gedeonis rorificatur. Manna seruatur in vrna aurea. Virga Aaron floret. Flos de radice eius ascendet. Emittitur columba de arca Noë. Mittitur lignum in aquas Marath. Paradisus plantatur, Moyses ponitur in fiscellam scirpeam. Israël induit Ioseph tunica polimita. In sole posuit tabernaculum suum. Duo viri ferunt in vecte botrum de terra promissionis. Mittitur Ioseph in cisternam. Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus. Emitte agnum Domine. Rorate cæli desuper, &c. Ascendet Dominus super nubem leuem. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Gemma carbunculi in ornamento auri. Simul in vnum diues & pauper. Ergo primus & nouissimus. Charitate perpetua dilexi te. Mittitur Daniel in lacum leonum. Apparet in camino quartus similis Filio hominis. Vmbra descendit in horologio Achaz decem gradibus. Ignis apparet in rubo non comburens. Solem nube tegam. Quid lucidius Sole? & hic deficiet. Psalmus: A summo cælo egressio eius.

Gen.1.d; Gen.12.c; Dan.2.g; Gen.2.c; Prou.9.a; 3.Reg.10.c; Hier.31.d; Ion.1.d; Ioel.3.d; Cant.6.d; Iudic.6.g; Exo.16.g; Num.17.c; Isa.11.a; Gen.8.b; Exo.14.d; Exod.2.a; Gen.37.a; Psal.18.a; Num.13.c; Gen.38.e; Isa.16.a; Isa.45.b & 19.a; Psal.84.c, & 48.a; Apoc.1.d; Hier.31.a; Dan.15.b; & 43.g; Isa.38.b; Exod.3.a; Ezec.32.b; Eccli.17.d; Psal.18.b

CAPVT VI.

De rationibus incarnationis.

PER Verbum igitur incarnatum facta est humani generis reparatio, non quia aliter saluari non poterat, sed quia nullus alius modus fuit ita congruus ipsi reparatori, & reparabili, ac reparationi. Congruebat inquam iste modus reparatori, quem decebat suam potentiam, sapientiam, & bonitatem ostendere. Quid autem potẽtius quam coniungere extrema summe distantia, hoc est Creatorem & creaturam? Magna potentia fuit in coniunctione disparium elementorum: maior in coniunctione illorum ad spiritum creatum: maxima in coniunctione illorum omnium ad spiritum increatum, vbi & maxima disparitas est. Quid vero sapientius, quam quod ad perfectionem totius vniuersi fieret coniunctio primi & vltimi, hoc est, Verbi Dei, quod est omnium principium, & humanæ creaturæ, quę in operibus sex dierum fuit vltima omnium creaturarum? Quid autem beneuolẽtius, quam quod Creator rerum communicare se voluit rebus creatis? & hæc benignitas magna fuit in communicatione sui omnibus rebus per præsentiam: maior quia communicauit se bonis per gratiam: maxima, quia communicauit se homini per vnionem, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ.

Fuit etiam iste modus congruentissimus ipsi reparabili: quia homo per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam, per quæ ineptus factus est ad virtutem diuinam imitandam, & ad veritatem cognoscendam, & ad bonitatem diligendam. Ideo Deus factus est homo, per quod se reddidit homini imitabilem, cognoscibilem, & amabilem. Fuit etiam iste modus congruentissimus nostræ reparationi, quia Dominus in forma serui procurauit salutem serui.

Sunt & aliæ rationes quare conueniens fuit Deum incarnari. Prima est, quia præuaricator abstulit nobis Deũ. vnde cõueniens fuit vt reparator redderet nobis Deum. Secunda, quia humilitas decuit eum, sed non potuit humiliari vsque ad pœnas in natura diuina, oportuit ergo quod in alia. Tertia, vt prophetias impleret. Ego qui loquebar, ecce adsum. Apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet: vt, scilicet doceret potius vincere per iustitiã, quam per potentiam. Quarta, propter vitandum inconueniens, quia si Deus incarnari non potuisset, vel nesciuisset, vel noluisset, videretur ei inesse impotentia, vel ignorantia, vel inuidia, quod absit. Quinta, vt tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuit superbia in præuaricatore: quia tanta fuit superbia, vt homo vellet esse vt Deus: vnde humilitas tanta debuit esse, vt Deus fieret homo. Sexta, vt nostrum amorem excitaret, & nostram spem erigeret. Septima, vt exemplum imitandæ virtutis nobis daret in forma visibili & humana. Quamuis autem opera trinitatis sint indiuisa, ita quod aliquid operatur vna persona, operetur & alia, tamen solum Filius accepit carnem, & non Pater, vel Spiritus sanctus. Et habemus simile in tribus domicellis induentibus tertiam ipsarum, de quibus potest dici, quidquid facit vna, facit alia, vna tamen sola induitur. Eodem modo dicendum quod incarnationis opus quandoque attribuitur Patri, vt ibi: At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Quandoque attribuitur Filio, vt ibi: Exiui à Patre, & veni in mundum. Quandoque attribuitur Spiritui sancto, vt in Symbolo: Qui conceptus est de Spiritu sancto. Sed hæc ideo dicuntur: quia opus incarnationis fuit maximę potentiæ, sapientiæ, & bonitatis: quæ tribus personis attribuuntur.

Isa.52.b; Abac.2.a; Gal.4.a; Ioan.16.f

Sunt autẽ multæ rationes quare Filius incarnatus sit, & non Pater, vel Spiritus sanctus. Prima, vt per eandem sa-

dem sapientiam, quæ mundum condiderat, fieret reparatio. Secũda, vt qui Filius est in diuinitate, esset Filius in humanitate. Tertia, ne idem esset Pater & Filius, si Pater de homine nasceretur. Quarta, quia congruentius mittebatur, qui est ab alio quam qui est à nullo. Quinta, propter confirmationem hereditatis nobis promissæ, ne scilicet possemus dicere Patri, Domine tu habes Filium, cui competit hereditas quam homini promisisti. Sexta, vt Patris erga nos ostenderetur charitas. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Septima, vt ostendatur, quod Deus Pater nihil habet quod non sit nobis paratus dare, cum Filium suum vnigenitũ dederit. Octaua, vt sicut Dei filius factus est homo, sic homo fieret filius Dei. Apostolus ad Galatas: Misit Deus Filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus. Nona, vt esset occasio salutis, qui dicitur occasio ruinæ, quia homo appetendo scientiam diuinam, quę Filio appropriatur, cecidit. Decima, quia imago debuit per imaginem reparari. Vndecima, quia sicut verbum mentis mediante grossiori natura emittitur, scilicet per vocem, sic verbum æternum per assumptionem naturæ. Duodecima, quia medius inter personas debuit esse mediator Dei & hominũ. Decimatertia, quia sapientia Patris reparare debuit appetitorem sapientiæ. Eritis sicut dij, scientes, &c. Quartadecima, quia decentissimè coniungitur humilitas cum sapientia. Vbi humilitas, ibi & sapientia. vnde Filium Dei præcipue decuit incarnatio. Quintadecima, quia ideæ nõ sunt nisi sapientia Dei quæ filio Dei appropriatur. Vnde cum singulę ideę singulorũ ideatorũ sint causæ, tunc demũ omnia perfecta & cõpleta erunt, cum per vnionem ad suum principium redierint. Sextadecima, quia si Pater fuisset incarnatus, tunc nulla persona fuisset sine principio. Decimaseptima, quia oportuit incarnatam personam tanquam sacerdotem supplicare Patri pro natura assumpta, sed magis decuit Filium supplicare Patri, quam è conuerso. Decimaoctaua, quia si Spiritus sanctus fuisset incarnatus, tunc duo essent Filij. Decimanona, quia nullum magis decet reducere hominem ad diuinam cognitionem, quam Verbum, quo Pater se declarat, quod est vnibile carni, sicut & Verbum voci. Vigesima, quia nullum magis decet reducere hominem ad filiationem adoptiuam, quam filium naturalem.

Rom. 8. f *Ioan. 3. c* *Gal. 4. a* *Gen. 2. a* *Prou. 11. a*

CAPVT VII.

De modo incarnationis.

IN communi reparatione omnium decens erat, vt fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet diuina, angelica, & humana: vnde in mysterio incarnationis fuit concursus Angeli nunciantis, Virginis concipientis, & Verbi Dei carnem assumentis. Cum Filius Dei mittitur in mundum, nõ fit loci mutatio, sed naturæ humanæ assumptio, quia ipsius mitti, est esse vbi prius fuit, sed aliter ibi esse, quam prius fuit: & hæc alteritas non est ex parte eius qui est, cum sit immutabilis: sed ex parte eius, in quo est, quia vnitur nostræ carni: vnde mutatio nõ fuit ex parte Filij, sed ex parte assumpti. Præterea in mutatione loci exigitur non esse quis vbi prius erat, sed nec hoc est in Filij missione, quia post incarnationem fuit in Patre sicut semper.

CHRISTVS assumpsit naturam nostram quinque modis, scilicet misericorditer. Apostolus: Secundum suã misericordiam saluos nos fecit. Vtiliter, scilicet pro salute nostra. Operatus est salutem in medio terrę. Sapienter, quia assumpsit bonum naturæ, reprobando malum culpæ. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Fortiter, quia sic assumpsit naturam humanam, quod numquam deposuit eam: quia post mortem vnita fuit diuinitas carni in sepulchro, & animę in inferno. Mirabiliter, quia coniuncta sunt in incarnatione summum & imum, hoc est Deus & limus.

Tit. 3. a *Psa. 37. e* *Isa. 7. e* *Ioan. 1. a*

Verbum caro factum est quinque modis, scilicet secundum carnem, quia secundum veritatem carnis. Vere languores nostros ipse tulit. Præter carnem, quia præter operationem carnalem. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Supra carnem, quia meritis nostris non existentibus. Apostolus: Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos. Propter carnem, quia ad saluandam carnem. & hoc quantum ad fideles efficaciter, licet quantum ad omnes sufficienter. Vocabis nomen eius IESVM, ipse enim saluum faciet populum suum. Contra carnem, quia ad maiorem damnationem infidelium. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.

Isa. 53. d *Mat. 1. d* *Tit. 3. b* *Mat. 1. d* *Ioan. 15. d*

Opus assumptionis humanæ naturæ, non animatio, sed incarnatio nominatur, cum tamen à digniori res cõsueuerit nominari: hoc autem est propter quattuor rationes, scilicet, vt expressior fiat nominatio, & vt profundior explicetur dignatio miserentis, & quia nobis magis nota est pars carnis, vt maior humiliatio exprimatur, eo quod magis à Deo distat caro, quam anima, & quia caro est à parentibus propagata, anima à Deo creata.

CAPVT VIII.

De vnione & carne assumpta.

SICVT in diuinitate vna est essentia & tres personæ, ita in Christo est è conuerso vna persona, & tres essentiæ, scilicet deitas, anima & caro, hoc est æternum, nouum, & antiquum, quia deitas est æterna, anima est noua, quia in assumptione carnis creata: caro vero antiqua, quia ab Adam propagata: & Christus secũdum naturam diuinitatis est genitus, secundum animam vero creatus, & secundum carnem factus.

Vnio fuit triplex in Christo, scilicet deitatis ad animam, & è conuerso, & deitatis ad carnem, & è conuerso & animæ ad carnem, & è conuerso. Duæ primæ vniones semper manserunt, tertia separata fuit in morte. Vnio ergo deitatis ad humanam naturam non est in vnitate naturæ, sed personæ: non dico personæ humanæ, sed diuinæ, hoc est non assumptæ, sed assumentis: nec personæ cuiuslibet, sed solius Verbi. Quia enim impossibile est, quod natura diuina concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertij, vel quod ipsa transeat in aliam: vel alia in ipsam propter simplicitatem & vnitatem ipsius perfectissimam: propterea diuinitas & humanitas non vniuntur in vnitate naturæ, sed personæ, & sic intelligitur illud in Symbolo Athanasij: Nam sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Ibi namque ponitur similitudo quantum ad vnitatem personæ, & non naturæ, quia caro & anima differunt in homine quantum ad essentiam, & constituunt tamen vnam personam. Eodem modo inter diuinitatẽ & humanitatem Christi est differentia, & tamen est vna persona: & quia diuina natura in nullo supposito potest subsistere, præterquam in propria hypostasi, ideo vnio illa non potest esse in propria persona hominis, sed Dei: & propterea Deus in vna personarum suarum fecit seipsum suppositum humanæ naturæ: vnde tantum vna est ibi personalitas, & vnitas personalis, scilicet ex parte assumentis. Ad esse namque personæ triplex exigitur distinctio: scilicet singularitatis, & naturalis incommunicabilitatis, ac excellentiæ siue dignitatis. Propter primũ nullum vnibile est persona. Propter secundum anima non est persona: sed propter tertium Christus secundum quod est homo, non est persona. Ex his patet quæ sit vera, vel falsa inter has quattuor propositiones. Prima, persona assumpsit personã. Secunda, Natura assumpsit personã. Tertia, Natura assumpsit naturã. Quarta, Persona assumpsit naturã. Primæ duæ simpliciter sunt falsæ. Tertia vno modo est falsa, alio modo est vera. Si enim sumatur natura, prout est communis tribus personis, sic est falsa. Si vero sumatur prout est in persona filij, sic est vera. Quarta autem propositio simpliciter est vera.

Ad intelligentiam autem horum, nota quod tres fuerunt

runt opiniones de incarnatione Christi. Prima autem opinio dicebat quod Filius Dei assumpsit hominem. Secunda dicebat, quod assumpsit humanam naturam. Tertia dicebat, quod assumpsit hominem vt vestem. Prima opinio non tenetur, quia ponit quod in Christo sunt duæ personæ, quod est falsum. Secunda communis est, & vera, ac celebris: quia ponit quod Christus est vnum solum, licet sit aliquid secundum quod homo. Itē ponit, quod assumens non est assumptum. Item quod ille homo diuina est essentia, & è conuerso. Item quod omnis proprietas Filij Dei inest ei, & è conuerso. Tertia opinio tanquam hæretica reprobatur: quia ponit non esse in vna persona Christi duas naturas, & quod duæ substantiæ, humanæ naturæ, scilicet, & diuinæ, non personalitatem Filij constituunt, sed extrinsecus se habent ad ipsam. Dicimus ergo quod tāta est ibi vnio, vt quidquid dicitur de Filio Dei, dicatur de Filio hominis, & è conuerso, his tamen exceptis in quibus exprimitur vnio, vt clauditur negatio. Si enim sit vocabulum in quo aliqua repugnantia includitur, sicut est vniri, incarnari, assumi, assumere, in quibus includitur respectus vnionis vnius naturæ ad alteram: tunc non tenet prædicta regula. Similiter non tenet, quando in vocabulo includitur negatio alicuius, cuius oppositum alteri competit, sicut incipere esse, creari, &c.

Nota quod proprie loquendo, compositio est corporis & animæ, vnio est diuinæ naturæ ad humanam: tamen vnum quandoque ponitur pro reliquo.

Quinque fuerunt status primi hominis, & de quolibet statu accepit Christus aliquid. Primus status fuit innocētiæ de quo Christus accepit peccati immunitatem. Secundus gratiæ, de quo accepit plenitudinem gratiæ. Tertius culpæ, de quo accepit recompensationem pœnę. Quartus pœnitentiæ, de quo accepit passionem doloris & tristitiæ. Quintus gloriæ, de quo accepit plenam fruitionem.

Corpus Christi secundum Damascenum, formatum fuit ex sanguine beatæ Virginis, non ex carne. Nam veræ matris est, secundum Philosophum, materiam tantummodo ministrare: sed dare virtutem formatiuam, quæ actiue naturam, seu materiam formet, est patris, & non matris. Cum igitur beata Virgo proprietatem veræ matris habeat, oportet quod materiam contulerit, quæ secundum naturam sit materia conueniens humano corpori, & tamen integritatem virginalem non polluat. Talis autem materia non est caro, quia dicit Philosophus, quod id quod est actu pars, non est materia generationis, cum non sit potentia totum: caro autem est actu pars, vnde non est materia generationis. Talis quoque materia non fuit semen virgineum, vel femineum, quia hoc puritati Virginis non conueniebat: nec etiam secundum Philosophum est necessarium ad generationem, quia aliquæ mulieres concipiunt sine seminatione. Talis ergo materia fuit sanguis, quia ipse secundum Philosophum est etiam in nobis materia generationis. Quod autem dicit Apostolus: Qui factus est ei ex semine Dauid, intelligendum est originaliter, non materialiter. Virtus autem formatiua in beata Virgine non fuit ex patre carnali, sed ex virtute altissimi.

Rom. 1. a

CAPVT IX.

De vtilitate incarnationis.

AMISIMVS per peccatum propriam excellētiam, mentis innocētiam, ac Dei amicitiam. Hæc autem recuperare oportuit per beneficium Saluatoris. Excellentiam etiam recuperare non potuimus nisi per excellentissimum recuperatorem: quia si per aliquam meram creaturam reparati essemus, tunc oporteret nos esse subiectos illi creaturæ. Innocentia enim reparari non poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum, qui videlicet esset Deus & homo: Deus quidem qui pro homine satisfacere posset: homo vero de genere Adæ, qui peccauerat. Ille namq; congrue satisfacit, qui potest & debet, sed non potest, nisi Deus: nec debet, nisi homo. Amicitia similiter non poterat reformari, nisi per mediatorem cōuenientissimum, qui scilicet vtrique parti conformis esset, & vtrique parti amicus, hoc vero Christo conuenit, qui est Deo patri similis per diuinitatem, & homini lapso per humanitatem. Venit ergo Deus in carnem, tanquam Dominus ad seruos, vt eos corrigeret: tanquam magister ad discipulos, vt eos instrueret: tanquam medicus ad ęgrotos, vt eos sanaret. Per primum ostendit Deus potentiam: per secundum sapientiam: per tertium bonitatem.

Quattuor fructus incarnationis ponit Bernardus, dicens: Manna de cælo descendit, vt gaudeant esurientes: vinea cæli botrus erupit, vt gaudeant sitientes: oleum effusum est, vt gaudeant ægrotantes: lapis sine manibus de monte præcisus est, vt timeant negligentes.

Exo. 16. d Cant. 1. a Dan. 2. g

Christo homini plures actus conueniunt, nobis multū salutiferi: propter quod diuersis rebus naturalibus, & artificialibus comparatur. Ipse namque Christus dicitur caput nostrum propter sensum & motum spiritualem, quem suis membris influit. Mediator, quia participat proprietates diuinæ, & humanæ naturæ, & ideo inter Deum, & nos efficaciter potest mediare. Fundamētum, propter fidem, qua in nobis illuminat intellectum. Ostium propter charitatem, qua perficit affectum. Pastor in quantum incorporat nos Ecclesiæ per sacramentorū participationem. Hostia, quia soluit obligationem contractam per peccatum originale, & actuale. Sacerdos, quia ipse se rogat, ipse se exaudit, ipse seruus rogat se dominum, & ipse Deus exaudit se hominem. Via, exemplo, vita in præmio.

Item Bernardus enumerat quattuor vtilitates aduentus Domini, dicens: Venit medicus ad ægrotos, Redemptor ad venditos, via ad errantes, vita ad mortuos. Ostēduntur adhuc multæ vtilitates incarnationis Christi: quia, scilicet Deus factus est homo, vt fieret homo Deus, dominus factus est seruus, vt fieret seruus dominus: Deus de cælo ad terras descendit, vt homo de terris ad cælos ascenderet. Deus factus est Filius hominis, vt homo fieret Filius Dei. Immortalis factus est mortalis, vt mortales fierent immortales. Diues innocēs factus est pauper, vt pauperes fierent diuites. Obscurata est lux, vt nos illuminaret. Esuriuit panis, vt nos reficeret. Sitiuit fons, vt nos inebriaret. Tristata est lætitia, vt nos lætificaret. Pauebat fiducia, vt nos confortaret. Lassata est via, vt iter nostrum ad cælestia dirigeret.

Bern. ser. 3. in Vigilia Natiuit. in prin.

CAPVT X.

De mirabilibus circa incarnationem Domini.

EXCELLEBAT incarnatio Christi nostram conceptionem in pluribus: per quæ apparet, quod ibi natura perdidit sua iura. Inueniuntur enim multa tam ex parte matris, quam ex parte prolis, quam etiam ex parte modi, quæ non secundum vitam naturæ, sed secundum potentiam virtutis infinitæ, quæ solius est Dei. Mira igitur fuerunt in matre, quæ secundum Bernardum sine corruptione fecūda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Ibi portauit stella Solem, palmes vitem, riuus fontem, filia patrem, creatura Creatorem. Fuit inquam mater patris, filia nati. Fuit quoque prole posterior, contento minor, mater & virgo fuit, cum Deo filium communem habuit. Maledictionem legis euasit, vbi male dictæ fuerunt virgines & coniugatæ. Virgines quidem, quia non genuerunt: coniugatæ vero, quia in dolore pepererunt. Sed vtrumque beata Virgo euasit, quia Virgo genuit, & dolorem non sensit. Augustinus: Speculum non rumpit radius Solis: & ita integritatem Virginis ingressus, aut egressus Dei viriare non potuit.

Ber. ser. de B. Virgine ex Ver. Apoc. ante med.

Mirabilia quoque fuerunt in prole, quia in instāti fuit ibi sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, anima-

tio,

tio, deificatio. Et quod ista non fuerint successiua: patet ex scriptura. Femina circumdabit virum. Patet etiam ex virtute agentis, scilicet Spiritus sancti, cuius est subito operari. Quamuis autem membra corporis Christi fuerint in conceptione completa, & perfecta vsque ad animæ susceptionem, ipsorum tamen membrorum distinctio, secundum Augustinum, tam parua & tenuis fuit, quod humano visui vix posset subiici: quia in tanto fuit minus corpus illud, quam alius conceptus cum formatur, quantum augeri posset in vtero infra quadraginta sex dies. Vnde miraculosum fuit quod in tam paruo corpore recepta fuit anima sed hoc ideo factum fuit, vt conceptio Christi quantum ad tempus manendi in vtero non esset nostræ conceptioni dissimilis. Præterea ab instanti suæ conceptionis sciuit omnia etiam secundum quod homo. Item in fruitione perfecta fuit anima eius: vnde quantum ad hoc non solum fuit viator, sed etiam comprehēsor. Item mundus fuit ab omni peccato: & plenus omni gratia & virtute. Habuit quoque Patrem in cælis, & matrem in terris: sed patrem sine matre, & matrem sine Patre. Item per incarnationem ipse Dominus factus est seruus, ęternus factus est temporalis, immensus factus est paruulus. Summus fit imus, incomprehensibilis fit localis simplex fit compositus. Dicit Augustinus videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis, immortalis occiditur. Item Augustinus: Quis vnquam existimare posset, vt portaretur manibus femineis portatur orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cælorum infirmaretur, vita omnium moreretur.

Hier. 31. d — *Est expositio Mag. li. 3 sent. dist. 3. § Ille autem. E.* — *Aug. in Natali Dom. ser. 9 de temp. 13. tom. 10.*

Hic quoque notandum est, quod sicut in diuinis est trinitas personarum in vnitate essentiæ, sic in Christo est trinitas essentiarū, seu naturarū in vnitate personæ: quia sicut in diuinis per diuersas personas nō distinguitur, essentia sic in Christo per diuersas naturas nō distinguitur persona. Denique Christi incarnatio fuit mirabilis ex modo, quia cum tres modi producendi hominem præcessissent, primus videlicet nec de viro, nec de muliere sicut in Adam: secundus de viro sine muliere, sicut in Eua: tertius de viro & muliere, sicut in omnibus concupiscibiliter natis: ad complementū decuit vniuersi quartum modum introduci, vt scilicet homo de muliere fieret sine viro per virtutem summi operatoris. In conceptione ergo Filij Dei simul concurrerunt virtus innata, infusa, & increata. Virtus innata materiam ministrauit, virtus infusa purificando ad vnionem Verbi adaptauit: (adaptatione dico congruentiæ naturæ) Virtus increata subito perfecit, quod natura non potuit nisi successiue.

Gen. 2. b — *Ibid.*

CAPVT XI.

De natiuitate CHRISTI.

NATIVITAS CHRISTI triplex est, scilicet diuina, humana, gratuita. Prima est ex patre: secunda ex matre: tertia fit in mente. De patre nascitur ęternaliter, de matre temporaliter, in mente spiritualiter. Et istæ tres natiuitates sumuntur secundum tres substantias, quæ sunt in Christo, scilicet deitas, caro, & spiritus. Nam ex Patre nascitur Deus, ex matre caro, in mente nascitur spiritus, scilicet per gratiam. Ex patre nascitur semper, ex matre nascitur semel, in mente nascitur sæpe. Secundum natiuitatem diuinam Christus habet patrem sine matre, secundum humanam habet matrem sine Patre: secundum gratuitam habet Patrem & matrem secundum illud: Qui fecerit voluntatem patris, &c. Has tres Christi natiuitates repræsentat Ecclesia in die natiuitatis eius. Primam, scilicet diuinam, in Missa, quæ cantatur in nocte. Est enim hęc natiuitas nobis occulta. Generationem eius quis enarrabit? Secundam in Missa, quæ cantatur in aurora: quia natiuitas humana partim fuit occulta, partim manifesta. Occulta quidem quantum ad modum, quia natus est de Virgine: sed manifesta quantum ad factum. Tertiam, scilicet gratuitam, in Missa, quæ cantatur in die: quia natiuitas gratuita est manifesta, in qua Christus per affectum concipitur, per affectum nascitur & per amorem perfectum nutritur. A timore tuo concepimus, & peperimus, &c. De diuina itaque generatione habetur in 1. lib. sed nunc de humana prosequendum est.

Matt. 12. d — *Isa. 53. c* — *Isa. 26. d secd. lxx.*

Nota itaque quod secundum verba Apostoli, vbi ait: Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, &c. Natiuitas Christi fuit gratiosa, gloriosa, copiosa, fructuosa. Gratiosa, id est, gratis, non meritis nostris exhibita. Apparuit enim gratia. Gloriosa, quia Dei Saluatoris nostri. Copiosa, quia omnibus hominibus. Fructuosa, quia erudiens nos. Iste fructus natiuitatis Christi duplex est, scilicet respectu temporis præsentis & futuri. Item respectu temporis præsentis duplex est fructus, primus est declinatio mali, ibi: Vt abnegantes impietatem quo ad malum quod est contra fidem: & sæcularia desideria quo ad malum, quod est contra bonos mores. Secundus fructus est operatio boni, ibi: sobrie, quo ad nos: iuste, quo ad proximum: & pie quo ad Deum. Item respectu futuri temporis duplex est fructus: primus est spei in resurrectione, ibi: Expectantes beatam spem: secundus gaudij in glorificatione, ibi: & aduentum gloriæ magni Dei. Apparuit in natiuitate Christi benignitas & humanitas Saluatoris de triplici latibulo, scilicet de sinu Patris, in quo celabatur: de vmbra legis: in qua figurabatur: de ventre matris, in quo formabatur. Iste namque agnus soluit signacula libri signati.

Tit. 2. d — *Apoc. 5. a*

Natiuitas Christi fuit vtilis, honesta, & iucūda. Quid autem vtilius salute hominis? Vocabis, inquit, nomen eius IESVM, qui saluum faciet populum suum: certe à formidine timoris, ab immanitate languoris, à detentione carceris, à subiugatione hostis. Quid honestius partu Virginis, vbi Virgo est quæ generat, Deus est qui generatur, Spiritus sanctus, qui operatur in generatione? Quid iucūdius natiuitate Dei & hominis? Gauisi sunt, qui præcesserunt, vt Abraham, qui exultauit vt videret diē Domini. Item qui sequuntur: Gaudete in, &c. Item qui præsentes erāt, vt Angeli decantantes, & pastores videntes: & Ioannes eum in vtero sentiens, & Simeon amplexans, sed maxime Virgo ipsum generans. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Protulit in natiuitate nobis beata Virgo fructum, qui fuit seminatus in conceptione, germinauit in natiuitate, collectus in pannorum inuolutione, ad Dominum allatus in purificatione, flagellatus in stipite, ventilatus in falsorum testium accusatione, commolitus in passione, purgatus in resurrectione, comeditur in quotidiana Eucharistiæ susceptione, & in cælesti fruitione. Beata itaque Virgo est cælū quod Christum rorauit: ipsa nubes, quæ Christum pluit: ipsa terra, quæ Saluatorem germinauit. In natiuitate Domini fuit beata Virgo terra, de cuius limo formatus est nouus Adam: terra de qua orta est veritas: terra de qua ortus est fructus terræ sublimis: terra bona in qua semen cecidit: terra fluens lacte & melle: terra germinans herbam virentem: terra de qua oriebatur fons irrigans vniuersam superficiem terræ.

Matt. 1. d — *Ioan. 8. g* — *Philip. 4. a* — *Luc. 2. b* — *Luc. 1. e* — *Isa. 45. b* — *Isa. 4. a* — *Luc. 8. d* — *Num. 13. d* — *Gen. 2. a*

CAPVT XII.

De circumcisione Domini.

CIRCVMCISIONEM accepit Christus multiplici ratione. Primo, vt legem, quam dedit alijs, ipse cōpleret. Secundo, vt humilitatem ostenderet, quia cærimonialibus ad quæ non tenebatur, se subiecit: ipse namque dominus legis fuit. Tertio, vt sanguinem suum pro nobis non solum in ætate virili, sed etiam infantili funderet. Quarto, vt nos circumcidendos fore spiritualiter ostenderet. Quinto, vt hæreticos confunderet, qui dixerunt eum non verum corpus, sed phantasticum habuisse. Sexto, vt Iudæis satisfaceret qui scandalizati fuissent, si circumcisionem non accepisset. Septimo vt legem veterem approbaret, quæ vsque ad ipsum obseruanda fuit. Legalia enim secundum Augustinum fuerunt ante passionem

Gen. 17. b — *Aug. epist. 19. ad Hieron. to. 2.*

sionem viua, post passionem Domini mortua: sed postquam per mundum claruit Euangelium, sepulta.

Circumciditur IESVS non solum circumcisione legali, sed etiam circumcisione spirituali. Vnde possumus Domini circumcisionem quadruplicē assignare. Primo circumcidit eum Pater cultello paupertatis in natiuitate. Secundo circumciderunt eum parentes eius octauo die cultello legis. Tertio circūcidit seipsum in omni vita sua cultello humilitatis. Quarto circūciderunt eum Iudæi in passione cultello crucis: & hoc per milites Pilati. Circumciditur etiam IESVS in suis quadrupliciter. Primo per detractores, qui auferunt amicos, & famam. Secūdo per raptores, qui auferunt bona temporalia. Tertio per hæreticos, qui auferunt animam. Quarto per tyrannos qui auferunt corpus.

Circumcisio nostra spiritualis duplex est. Prima mentis in præsenti à culpa. Secunda corporis in futuro à pœna. Primo figurata fuit per circumcisionem sollemnem, quæ facta est in Ægypto: & hæc triplex est, scilicet incipientium, à vitijs, & hoc cultello iustitiæ. Item proficientium, à superfluis, cultello misericordiæ. Item perfectorum, à necessarijs cultello charitatis perfectæ. Secunda figurata est per circumcisionem factam in Galgalis in terra promissionis: quia in octaua resurrectionis per petrām Christū circumcidemur ab omnib. miserijs. Ex quo patet quod circumcisio nostra spiritualis efficacior est, quam Iudæorum carnalis, & legalis: quia illorum circumcisio licet peccatum originale tulerit, tamen ianuam paradisi non aperuit, sed nostra vtrumque facit.

Exod. 4.f *Iosue 5.b*

In hac materia duo nobis tanguntur: Primū est Christi humilitas in circumcisione, secundum eius sublimitas in nominis impositione. Vocatum est, inquit, nomen eius IESVS. Dignitas autem huius nominis multiplex est. Est enim ab æterno consecratum, vt dicit sanctus Bernardus: Ab antiquis præfiguratum, scilicet, In Iosue. A Prophetis desideratum. Nomen tuum in desiderio animæ. A sanctis Patribus prophetatum. Bernardus: Dulce nomen IESV prophetatum Salomonis oraculo. A Deo nominatum. Apostolus: Dedit illi nomen, &c. Ab Angelo prænunciatum, vt dicitur, A beata Virgine prædicatū Sanctum nomen eius. Ab Apostolis magnificatum: Ibāt Apostoli gaudentes, &c. A martyribus testificatum, quia pro nomine isto passi sunt. A cōfessoribus collaudatum: Laudate pueri Dominum, &c. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. A sanctis Virginibus prægustatum. Oleum effusum nomen tuum. Bernardus: IESVS est mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Ab omnibus sanctis exaltatum. Magnificate Dominū mecum, & exaltate nomen eius in idipsum Petrus: Non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri.

Isa. 26.b *Phil. 2.b* *Luc. 1.e* *Act. 5.g* *Psa. 112.a* *Cant. 1.a* *Bernar. in Cāt. ser. 15. post med.* *Psal. 33.a* *Act. 4.e*

In hoc nomine IESV sunt quinque litteræ, quæ possunt esse initia istarum dictionum, Iucunditas mærentium, eternitas viuentium, sanitas languentium, vbertas egentium, satietas esurientium. Et hoc nomen IESVS CHRISTO conuenit tripliciter. Primo ratione naturę, vt qui ex diuina natura erat Saluator auctoritate, ex humana natura fieret Saluator ministerio, & vendicaret sibi nomen Saluatoris. Secundo ratione decentiæ: quia decuit vt ex re nomē haberet. Vnde quia saluat à peccato, à diabolo, & ab inferno, merito nomen habet illi beneficio congruens. Tertio ratione efficaciæ, quia Christus nos sua passione saluauit.

CAPVT XIII.

De baptismo Christi.

IN baptismo Domini notatur ipsius humilitas, & nostra vtilitas. Ipsius humilitas notatur in quattuor. Primo, quia venit IESVS, scilicet dator salutis, & non indigens salute. Secundo quia ad Iordanem, vbi Creator elemētorū subiecit se humili elemēto aquæ. Tertio, quia ad hominē, id est, Ioannem, scilicet dominus ad seruum rex ad scutiferum, Sol ad Luciferum. Quarto, quia venit vt baptizaretur ab eo, scilicet fons à riuo plenitudo à stilla, auctor baptismi à baptismi ministro.

Mat. 3.d

Vtilitas nostra notatur in quattuor, quæ circa Christum baptizatum euenerunt. Primo quia Christus confestim cum baptizatus fuit, ascendit de aqua: per quod notatur in nobis gratiæ infusio: homo enim per baptismum liberatus à culpa, ad virtutes statim ascendit. Secundo apertum est cælū, per quod notatur hominis post baptismum ascendentis euolatio. Tertio descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: per quod notatur quod baptismus facit hominem Spiritus sancti templum. Quarto vox patris facta est: Hic est filius meus dilectus: in quo notatur quod per baptismū de filio iræ fit filius gratiæ. In baptismo Christi notantur substantialia baptismi nostri, scilicet baptizans, baptizatus, materia, forma, & intentio. Baptizans fuit Ioannes, in quo ministri sanctitas designatur. Baptizatus fuit Christus, nostrum baptismum consecrās: quia tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Materia fuit aqua, magis conueniens, & communis ceteris liquoribus ad baptismum existens. Forma notatur per testimonium Trinitatis. Fuit enim ibi Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in columbæ specie. Intentio consequitur formam. Voces enim, vt ait Philosophus, signa sunt earum, quæ sunt in anima, passionum.

Arist. lib. de interpretatione cap. 1.

Per vocem Patris, quæ audita est in baptismo Christi, notantur quinque dignitates & excellentiæ eiusdē Domini nostri IESV CHRISTI. Cum enim dicitur, hic est, commendatur Christus à vera essentia, qui solus Deus habet verum esse. Omne enim esse à forma est: Deus autem forma est sine materia, vt dicit Boëtius. Cū dicitur, Filius, commendatur Christus à similitudinis paternæ conuenientia. Ex eo namque dicitur Filius, Quia sit vt ille: propter quod Filius sic dicitur imago Patris potius etiam, quam Spiritus sancti, propter rationem quam habes supra in lib. 1. Cum dicitur Meus, commendatur à substantiæ indifferentia, dicitur enim, meus, id est, mihi consubstantialis. Cum dicitur, dilectus, commendatur ab amoris beneuolentia. Pater diligit Filium: & omnia, quæ habet, dedit in manu eius. Cum dicitur: In quo mihi complacui, commendatur à speciali complacentia. Sed nota quod placitum est quieta voluntas: vnde complacui, id est, cum Spiritu sancto in Filio secundum naturam assumptam quieui.

Coloss. 1.b *Ioan. 3.d*

CAPVT XIV.

De plenitudine gratiæ Christi.

POST hoc considerandum est Verbum incarnatum, quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium, quæ sunt plenitudo gratiæ in affectu: plenitudo sapientiæ in intellectu: ac plenitudo meriti in opere, & effectu.

Circa primum notandum est quod in Christo à sui conceptione fuit plenitudo gratiæ, quantum ad gratiam personæ singularis, & quantum ad gratiam capitis: & quantum ad gratiam vnionis: & hæc triplex gratia est eadē in essentia, sed differunt in effectu. Gratia enim personæ singularis est gratia habitualis, quam habuit Christus cōpletissime, & plenissime, excepta fide & spe, quas virtutes non habuit, sed quod eis in patria succedit: quia fidei succedit cognitio, spei vero succedit comprehensio rei. Sciendum autem quod prædicta gratia personæ singularis exuberat in Christo, ita quod influit in membra corporis sui mystici sensum & motum spiritualem, secundum fontalem plenitudinem omnis gratiæ in ipso habitantis.

Dicitur gratia capitis Christo inesse, vnde nota quod Christus secundum vtramque naturam dicitur caput Ecclesiæ, quia non solum inquantum Deus, sed etiam inquātum homo influit sensum & motum spiritus, & gratiæ in omnes qui adhærent ei, vel per fidem rectam, vel per

per fidei sacramentum. Sed inquantum homo influit eam per modum meriti, & meritum, quod non solum ex congruo, sed etiam ex cōdigno meruit membris gratiam, hoc habuit ex vnione ad Verbum. Ex prędictis collige quod Christus inquantum homo dicitur caput Ecclesiæ triplici ratione. Primo propter influentiam gratię, sicut dictum est. Secundo, propter conformitatē naturę, quam habet caput ad membra: quia licet Christus excellat membra sua, quantum ad naturam diuinitatis, tamē conformis est illis in natura humanitatis. Tertio dicitur caput metaphorice, quia sicut corpus Christi verum constat ex purissimis membris, ita corpus eius mysticum ex puris fidelibus. Nam de plenitudine eius omnes accipiunt beneficium gratiæ, & spiritus, qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramentum. *Ioan. 1.b* Alia ratione Christus secundum quod homo dicitur caput Ecclesiæ, scilicet propter naturæ conformitatem, quā caput habet ad totum corpus. Nam sicut corpus Christi naturale constat ex purissimis membris, ita corpus eius mysticum ex puris fidelibus. Præterea secundum quod eadem gratia singularis personę quę habilitauit humanā naturam Christi ad vnionem Verbi, vt, videlicet, digna esset vniri tantæ celsitudini, vocatur gratia vnionis, per quam Christus ipse non tantum felicitate gloriæ, verumetiam adoratione latriæ dignus fuit: dicendum quod verum est secundum quod est constructio trāsitiua cum dicitur gratia vnionis: tūc enim aliud est gratia, aliud est vnio. Sed secundum quod est constructio intransitiua, vt sit sensus gratia vnionis, id est, vnio humanæ naturæ ad diuinam, quæ gratis, & sine meritis data est humanitati Christi: sic differt gratia vnionis à gratia personali, & à gratia capitis: sicut vnio differt à gratia habituali: propter quod dicitur in Ioanne quod Spiritus sanctus datus est ei non ad mensuram: quod dupliciter exponitur. *Ioan. 3.d* Primo sic, non ad mensuram, id est, totaliter: nō particulariter, vt quidquid potuit Deus ei de Spiritu sancto dare, dedit ei: secundo sic, non ad mensuram, id est, super omnem proportionem respectu aliorum hominum.

De hoc quoque quod dicit Ioannes plenum gratiæ & veritatis, *Ioan. 1.b* nota quod quintupliciter distinguitur plenitudo. Prima est sufficientiæ, quæ in quolibet iusto reperitur. Secūda est copiæ, quæ fuit in Apostolis: Repleti sunt omnes, &c. *Act. 2.a* & in Stephano: Stephanus plenus gratia & fortitudine. *Act. 7.b* Tertia est vniuersitatis quæ est in Ecclesia, cui nullum donum deest. Quarta est excellentiæ, quæ fuit in beata Virgine quæ omnes sanctos excedebat in gratia. In me omnis gratia. *Eccl. 24.c* Aue gratia plena. *Luc. 1.c* Quinta superfluentiæ, quæ fuit in Christo. Plenum gratiæ, & veritatis. *Ioan. 1.b*

Circa innocentiam Christi hoc sciendum est, quod habuit immunitatem omnis culpæ, quantum ad actum, & quantum ad posse: quia nec peccauit, nec peccare potuit, nec peccatum originale à patre traxit, quia patrem non habuit carnalem, nec à matre habuit peccatum, quā Spiritus sanctus totaliter à fomite liberauit.

CAPVT XV.

De plenitudine sapientiæ Christi.

SICVT in Christo fuit omnis plenitudo gratiæ, ita & omnis plenitudo sapientiæ, non solum quantum ad cognitionem, verum etiam quantum ad modos, & differentias cognoscendi, qui sunt quinque. Primus est cognitio sempiternalis, ex parte diuinitatis, & hoc modo cognoscit omnia simul, scilicet, finita, & infinita, quia apud Deum omnis infinitas est finita. Deus enim videt multa vno, scilicet seipso: vnde non differt ibi quod videt, & per quod videt: quia videt se per se, & in se videt omnia: nō solum, quæ fecit, sed etiam quæ facere potest, quæ sunt infinita. Secundus modus est cognitio sensualitatis ex parte carnis, & iste modus est cognitio per experientiam, qua Christus non sensit omnia simul: quia sensus non est perceptiuus rerum, nisi ad præsentiam obiecti. Tertius modus est spiritualis ex parte mentis: & iste triplex fuit, scilicet per naturam, per gratiam, & per gloriam. Per naturam est igitur tertius modus cognoscendi, quo Christus cognouit omnia, quæ spectant ad vniuersi constitutionem, sed longe excellentius, quam Adam, etiam existens in natura instituta. Quartus modus est per gratiam: hoc modo, Christus cognouit omnia, quæ spectant ad humani generis redemptionem, longe tamen excellentius, quam aliquis Prophetarum, vel etiam Angelorum. Non solum enim habuit Christus scientiā per habitum innatum, vt Adam & Angeli, sed etiam per habitum infusum, velut sancti per gratiam illuminati. Cognitionē vero nō habuit per habitum acquisitū, qui propter imperfectionem in ipso non fuit. Quintus modus est per gloriam, hoc modo cognouit omnia Christus: finita quidem cognitione actuali, infinita vero non nisi cognitione habituali, vel excessiua. Anima enim Christi per gloriam comprehensionis, capiebat quæcumque capere potest natura finita vnita infinito.

Sciendum ergo quod res dupliciter habent cognosci in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio artem contemplante, vtroque modo cognouit Christus res. Primo modo per naturam diuinitatis, secundo modo per gloriam comprehensionis. Patent igitur ex præmissis quinque differētiæ cognitionis quæ erant in Christo. Per primum enim modum habuit cognitionem, vt Deus, per secundum, vt homo, per tertium, vt viator, per quartum, vt illuminator, per quintum, vt comprehensor.

Christus secundum vtramque naturam dicitur lux, quia secundum diuinitatem illuminat intus animam, & secūdum humanitatem informat exterius vitam, & hoc tripliciter scilicet miraculis, prædicationibus, & exemplis. Primum est potentiæ, secundum sapientiæ, tertium bonitatis. Nota præterea, quod sciētia Christi hominis limpidissima est inter scientias creatas, quia nihil habet admixtum de suo contrario, vel actu vel potentia: præsertim cum non possit aliquid ignorare propter sui vnionem ad verbum, tamen quia anima Christi creatura est, non est scientia eius ita limpida sicut Dei, quamuis sciat omnia, quæ scit Deus. Quod dicitur, IESVS proficiebat sapientia, & ætate coram Deo, & hominibus: *Luc. 2.g* non est intelligendum quod in se profecerit, quia ab instanti conceptionis sapientia plenus fuit: sed potius in aliis, qui doctrina sua & exemplo profecerunt, & hoc coram Deo, id est, ad gloriam Dei: & hominibus, id est, ad vtilitatem hominum. Proficiebat tamen IESVS etiam in se cognitione experimentali & sensuali, quia secundum Apostolum, Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. *Heb. 5.b*

CAPVT XVI.

De merito Christi.

SIMVL fuit Christus viator, & comprehensor ab instanti conceptionis suæ. Ex tunc enim cœpit mereri & frui. Meruit autem inquantum viator, non inquantum comprehensor. Perfectio autem & plenitudo meriti Christi notatur in istis.

Primo quantum ad eum qui merebatur, quia non tantum erat homo, sed etiam Deus.

Secundo, quantum ad tempus, quo merebatur, quia ab instanti conceptionis suæ vsque ad horam mortis.

Tertio, quantum ad id, per quod merebatur, quia per habitum perfectissimæ charitatis, & per exercitium perfectissimæ virtutis.

Quarto, quantum ad eum cui merebatur, quia non tantum sibi, sed etiam nobis. Omnibus enim operibus suis, quæ procedebant ex libero arbitrio, meruit sibi vitam æternam iam habitam, & nobis habendam.

Quinto, quantum ad id quod merebatur nobis, quia veniam, gratiam, & gloriam, stolam quoque carnis, & apertionem ianuæ cælestis. Ante incarnationem Christi diabolus habuit manum attrahentem, & manum impellentem. Attrahentem dico potenter in culpam: impel-

impellentem autem sine obstaculo ad limbum in pœnam. Sed Christus primam manum suo merito debilitauit, secundam vero penitus amputauit. Igitur in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, siue satisfactoria pœnæ, siue meritoria vitæ æternæ, quia nec ab offensa Creatoris digni sumus absolui, nec immensitatem premij quod Deus est, digni sumus assequi, nisi per meritum hominis Dei.

Sexto, quantum ad id quod merebatur sibi, quia licet non mereretur glorificationem mentis, quam iam habebat, meruit tamen sibi per humilitatem passionis accelerationem resurrectionis, glorificationem sui nominis, & dignitatem iudiciariæ potestatis, sicut ait Apostolus: Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, & sequitur, Propter quod & Deus exaltauit illum, quo ad primum, & dedit illi nomen, &c. quo ad secundum, vt in nomine IESV omne genu flectatur, quo ad tertium.

Philip. 2. a

Septimo quantum ad modum, quo merebatur. Dicitur enim mereri quis tripliciter, scilicet de indebito faciendo debitum, vel de debito magis debitum: vel de debito vno modo faciendo debitum alio modo. Primo, vel secundo modo meruit nobis, & non sibi: quia non poterat facere sibi de indebito debitum, vel de debito magis debitum, cum à principio fuerit sanctissimus, nec in sanctitate proficere potuerit. Tertio vero modo meruit sibi, quia bonum gloriæ, quod sibi fuit debitum per gratiam vnionis, fecit sibi debitum alio modo, scilicet per meritum bonæ operationis: meruit enim sibi vitam æternam iam habitam, sicut nobis habendam.

CAPVT XVII.

De voluntate Christi.

VOLVNTAS in Christo duplex fuit, scilicet creata, & increata. De voluntate increata supra lib. I dictu est: sed creata voluntas eius duplex fuit, scilicet rationis, & sensualitatis. Adhuc voluntas rationis duplex est, scilicet rationis, vt ratio est: & rationis, vt natura est: Voluntate rationis, vt ratio est, conformauit se in omnibus voluntati increatæ, sed voluntate rationis vt natura est, & voluntate sensualitatis voluit aliquid proprium, quod noluit voluntate rationis, vt ratio est, scilicet non mori: & in hoc istæ volũtates non fuerunt sibi contrariæ, licet volita contraria fuerunt: quoniam secundum voluntatem diuinam Christus quod iustum erat voluit, sed voluntati rationis iustæ consensit: secundum vero voluntatem carnis pœnam recusauit: & sic vnaquæque voluntas quod suum erat, tenuit, scilicet volũtas diuina iustitiam, voluntas rationis obedientiam, voluntas carnis naturã, id est, pœnę recusationem. Vnde patet quod aliquid velle est illicitum rationi, quod non est illicitum sensualitati, sicut fuit in Christo velle non mori. Quamuis autẽ voluntas nõ moriendi fuerit causaliter à sensualitate, fuit tamẽ occasionaliter à ratione: quia Christus sicut voluit fecit aliquid horribile venire in imaginationem, & æstimationem, quo facto naturaliter mortem refugit. Hoc autem voluit propter nostram instructionem: & sic ratio pro sensualitate aduocauit dicens: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, & hæc petitio fuit tam sensualitatis, quam rationis: sed sensualitatis fuit tanquam affectantis, rationis autem tanquam proponentis: & hoc Christus fieri voluit ad triplicem instructionem nostrã. Prima est, vt sciamus non esse peccatum aliquid velle ex sensualitate, quod est contrarium diuinæ voluntati. Secunda est, vt martyres Christi non desperent, si mortem horreant, cum illam etiam filius Dei horruerit. Tertia est, vt discamus discrete petere, scilicet, supponendo voluntatem nostram voluntati diuinæ: & hoc notatur in conditione apposita si fieri potest, & ibi: Veruntamen non sicut ego volo.

Matt. 11. Luc. 2. a Luc. 22. e Mat. 26. d

Mat. 26. d

* * *

CAPVT XVIII.

De defectibus, quos Christus assumpsit.

NON solum Christus assumpsit humanam naturã, sed etiam defectus circa naturam: quos, videlicet ipsum decuit assumere: vnde cum pœnæ sint exercitatiuæ virtutis perfectæ, & testificatiuæ humanæ naturæ nõ simulate assumpsit pœnalitates tam corporales, quam spirituales quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut famem, & sitim in absentia alimenti, tristitiam & dolorem in præsentia nocumenti, & huiusmodi, vt est calor, frigus, lassitudo, &c. Nec omnes defectus corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium: nec omnes defectus spirituales, sicut sunt peccatum, ignorãtia, rebellio carnis ad spiritum. Preterea, quia nullus innocens debet inuitus pœnam sustinere, cum hoc esset contra ordinem diuinæ iustitiæ, Christus sic pœnalitates suscepit, vt tamen pati non posset inuite, quia passio sua nec fuit contra ordinem diuinę voluntatis, nec contra ordinem rationis, licet fuerit contra volũtatem sensualitatis & carnis. Dicimus etiã quod Christus vere timuit, & vere doluit, & vere tristis fuit, prout ista notant propassionem non secundum quod significant passionem. Differt autem propassio à passione: quia tunc affectio dicitur propassio, quando anima sic afficitur quod oculum mẽtis nequaquam turbat: passio vero dicitur quando ita fortis est quod oculum mentis turbat, & facit à rectitudine, vel à Dei contemplatione deuiare, & tunc ratio læditur & patitur, vnde differunt ista duo, sicut dispositio & habitus.

Mat. 4. a Ioan. 4. a

CAPVT XIX.

De passione Christi.

CIRCA passionem Domini commendamus in opere patientiam insuperabilem, in modo humilitatem admirabilem, in causa charitatem inæstimabilem. Circa opus nota quod Christus sustinuit in tactu clauorum asperitatem, in auditu opprobriorum cõfusionem, in odoratu sputorum fœditatem, in gustu aceti & fellis amaritudinem: in oculis lacrymarum effusionẽ, in corde timorem.

De modo patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generali, quia secundum omnia corporis. Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Item passione acerba. O vos omnes qui transitis per viam. Fuit Christi passio maxima, tum ratione intensionis, propter optimam dispositionem ipsius patientis, tum propter innocentiam eius, tum propter honoris eius excellentiam. Honorabilis enim si confunditur, plus læditur, & præcipue inter suos. Item grauis fuit eius passio propter ipsius virtuositatem, quia homo vilis de morte sua dolere non debet, cum turpitudo sua tunc finem capiat. Item propter ignominiosam passionem. Vidimus eum despectum, &c. Hæc autem ignominia attenditur in patibulo crucis, quæ fuit supplicium pessimorum: & in consortio iniquorum, scilicet, latronum cum quibus erat deputatus. Curat autem Christus passione generali infectionem vniuersalem, passione acerba libidinẽ passione ignominiosa superbiæ præsumptionẽ.

Isa. 53. a Thr. 1. d

Isa. 53. a

In causa passionis attenditur charitas maxima, qua nos liberauit à peccato, renouauit gratiam largiendo, qua cælum apperuit gloriam conferendo. Hæc tria notantur in titulo crucis. Nam propter primum dicitur IESVS, propter secundum dicitur Nazarenus, propter tertium, rex Iudæorum.

Christus sex vicibus sanguinẽ suum fudit, quinquies viuus, & semel mortuus, scilicet in circumcisione, in oratione, in coronatione, in flagellatione in crucifixone, in lanceatione. Per primum docemur peccata abijcere, per secundum mentis angustiam pro salute nostra tene-

re, per tertium animam nostram virtutibus ornare, per quartum carnem nostram domare, per quintum membra nostra mandatis Dei ligare, per sextum vulneratum cor Dei amore habere. Postremo, quia istæ passiones nō attingebāt in Christo diuinam naturam, sed humanam: ideo in morte Christi facta est diuisio animæ sic à carne, vt tamen salua esset vnio tam carnis, quam animæ cum diuinitate. Hoc etiam sciendum est, quod Christus si passus non fuisset, tamen senio defecisset, quantum pertinebat ad conditionem humanæ naturæ in se considerata, sine vnione: sed in potestate naturæ vnitæ fuit, vel sic deficere, vel non deficere.

CAPVT XX.

De effectu passionis Christi.

Effectus passionis Christi multiplex est, sicut patet in his versibus.

Passio debilitat, spoliat, informat, honorat,
Excitat, inflammat, reparat, pacem dat, & armat,
Sanat, viuificat, ducit, dulcorat, obumbrat,
A culpa reuocat, reserat, illuminat, ornat.

Primo, passio Christi debilitat virtutem dæmonum. Quasi in hamo capiat Leuiathan. Spoliat infernum. Voca nomen eius, spolia detrahe. Informat per exemplum. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exēplū. vnde Christus est quasi liber positus in pulpito crucis, vt discamus obedientiam, patientiam, humilitatem, & charitatem. Disce autem specialiter quomodo se habuit in capitulo quando tenebatur. vnde Bernardus: Stetit IESVS coram præside inclinato capite, vultu placido, sermone raro, voce submissa, deflexis in terram aspectibus, paratus ad opprobria, & ad verbera promptus. Honorat imitatores suos. Sic honorabitur quem rex voluerit honorare. Excitat ad pugnam spiritualem. Ostenderunt elephantibus sanguinem. Inflammat ad diligendū Bernardus: Super omnia te mihi reddit amabilem, bone IESV, calix quem bibisti, opus redemptionis nostrę. Reparat naturam angelicam. Ipse enim Christus est lapis angularis, qui fecit vtraque vnum. Pacem dat inter Deū & hominem, & inter Angelum, & hominem. In tempore iracundię factus est reconciliatio. Armat contra mundum, carnem, & diabolum: vnde significatur per clypeū, quem leuauit contra Hai. Sanat mentis vulnera. Aspicientes in serpentem æneum sanabantur. Viuificat spiritualiter. Apostolus: Cum essemus mortui peccatis, cōuiu. &c. Augustinus: Mortuus est vnicus, ne maneret vnicus. Ducit per mare huius mundi de virga Moysi. Dulcorat de ligno misso in aquas Marath. Obumbrat: Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi. A culpa reuocat. Attritus est propter scelera nostra. Reserat cælum. Dabis clauem Dauid. i. crucem super humerum eius illuminat, vnde crux est quasi candelabrum tabernaculi. Item illuminatus est per fel piscis Ornat, vnde dixit beata Agnes: Et sanguis eius ornauit genas meas. Christus passione sua vicit diabolum, quem ligauit: infernum, quem spoliauit: mortem, quam superauit: mundum, quem contempsit: supplicium, quod pertulit: cælum, quod aperuit.

Iob. 40. c
Isa. 8. a
1. Pet. 2. d
Esther. 6. c
1. Mac. 6. d
Eccl. 44. c
Iosue 8. d
Num. 21 c
Ephes. 2. e
Exod. 15. d
Cant. 2. a
Isa. 53. b
Isa. 22. f
Tob. 11. c

Passio Christi tollit septem vitia capitalia. Tollit enim superbiam capitis inclinatio, per quam videbatur titulum crucis fugere, in quo scriptum erat, Rex Iudæorum. Inuidiam brachiorum extensio, quasi ad amplexū inuitans. Auaritiam, multorum erogatio, quę in passione tradidit. Bernardus: Disce, Christiane: quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem suum in potum, animam in pretium, aquam lateris in lauacrum, vestem crucifixoribus, corpus discipulis, matrem Ioanni. Acediam, festinatio ad passionem. Iram, mollis responsio. Gulam, fellis & aceti potatio. Luxuriam, lateris vulneratio.

In redemptione nostra fuit gratia mirabilis. Primo ex parte motiui, quia charitas Dei vidit quod nec per amicos, nec per pretium poteramus nos redimere: propterea fratrem nostrum se fecit, nostram naturam assumendo, & pretium dedit sanguinem suum pro nobis fundendo, Redime me Domine, & miserere mei, quia vnicus, id est, non habens amicos, & pauper, id est, non habens pretiū sum ego. Secundo ex parte redimentis, qui cum liberare nos posset ex potentia, fecit hoc potius ex misericordia, vt ad amorem suum nos adstringeret, & iustitiæ suæ satisfaceret. Tertio ex parte redempti, qui opprimebatur criminum seruitute, & detinebatur in carcere. Sed contra primum, magnum erat quod filius seruus fieret, & seruus fieret liber. Contra secundum magnum fuit quod dominus ad carcerem limbi descenderet, vt seruus exiēs cælum ascenderet. Quarto ex parte iustitiæ, quia nulla iustitia dictabat, vt innocens puniretur pro reo. Quinto ex parte excellentiæ diuinæ, quia mirum erat, quod impretiabile ponebatur sub pretio vilis creaturæ. Sexto ex parte pretij dati. Si enim redemisset nos solum: adhuc ad gratias teneremur: nunc autem redemit nos anima, corpore, & vita, vt nihil horum sibi subtraheremus.

Psal. 25. c

Circa passionem Domini nota septem suauitates, scilicet, capitis inclinationem ad osculum, in signum nostræ reconciliationis. Brachiorum extensionem ad amplexum, in signum receptionis in gratiam de peccato redeuntis. Lateris apertionem propter effusionem pretij nostræ redemptionis & ablutionis. Exiuit enim sanguis & aqua. Clauorum in manibus & pedibus infixionem, propter memoriam nostræ recordationis. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum? Corporis denudationem, in exemplum nostræ confessionis, quæ scilicet debet esse nuda, Crucis portationem, in exemplum nostræ imitationis. Coronæ spineæ impositionem, in figuram nostræ glorificationis.

Isa. 49. d

De effectu passionis Domini, ait Augustinus: Per Redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cæleste regnū vocati sumus. Item dicit Augustinus quod Christus fuit sacerdos, per quem reconciliati sumus, fuit templum in quo reconciliati sumus, fuit Deus, cui reconciliati sumus.

Christus fuit mediator populi Iudaici & Gentilis, & secundum hoc dicitur lapis angularis. Item hominum & Angelorum: & secūdum hoc dicitur pacificus. Item Dei & hominum, & secundum hoc dicitur Redemptor. Bernardus: Quid vltra debuit facere & non facit: Absoluit vinctum, illuminauit cæcum, reduxit erroneum, reconciliauit reum. Item Augustinus: Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas negatur, pro iniquo damnatur iustitia, pro crudeli misericordia affligitur, pro misero miserator repellitur, sinceritas aceto inebriatur, dulcedo felle amaricatur, pro mortuo vita moritur.

Bern. in Cant. ser. 22. cir. fin

Christus pro nostra infirmitate medicinas accepit in se. Curauit enim nos per dietam, quando ieiunauit quadraginta diebus, &c. Per sudorem, quando factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis. Per minutionem, quando fuit clauis & lancea vulneratus. Per potionem, quando gustauit acetum cum felle mixtum. Per emplastrum, quando eius facies fuit sputis illita. Per electuarium, quando corpus & sanguinem dedit in cena discipulis.

Matt. 4. a
Luc. 22. c
Mar. 15. c
Mat. 27. c
Mar. 15. d

CAPVT XVI.

De cruce Domini.

IN Cruce Christi notantur hæc. Supplicium, quo nullum maius. O vos omnes qui transitis per viam, &c. Nullum maius dico ex eo quod passus est ipse iustus pro iniustis, ab iniustis, cum iniustis, ex iniustis causis, sub iniustis iudicibus, & iniustis pœnis. Opprobrium, quo nullum

Thren. 1. c
1. Pet. 3. c

nullum vilius. Morte turpissima condemnemus eum. Pretium, quo nullum conuenientius: quia sicut per lignum venit culpa, sic & per lignum redemptio. Mysterium, quo nullum profundius, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, &c. quod exposuit Augustinus de cruce: Exemplum, quo nullum perfectius Christus passus est pro nobis, &c.

Crux multis rebus comparatur. Ipsa enim est clauis cæli, Vectis arcæ. Nauis maris, Arbor Danielis, Palma fructuum, Ferculum Salomonis, Baculus Iacob, quo transiuit Iordanem. Speculum imitationis. Scala ascensionis. Hamus, quo Leuiathan capitur. Torcular, quo Christi sanguis exprimitur. Cithara, qua dæmon Saulis compescitur. Palus, in quo serpens æneus suspenditur, Thau, quo frontes fidelium signātur. Cādelabrum, quo tabernaculum illuminatur. Lignum, aquas Marath dulcorans. Virga Moysi per mare rubrum populum Dei ducens. Gladius impium Goliam decapitans, Vexillum ad pugnā spiritualem colligens. Cathedra discipulos Christi erudiens. Equus Dei amicos honorans. Clypeus Iosue Hai impugnans, Liber mysteria profunda continens. Altare acceptissimam oblationem recipiens.

Septem verba Christus in cruce protulit: primum, Pater ignosce illis: Secundum, Hodie mecum eris in paradiso: Tertium, Mulier ecce filius tuus. Quartum, Sitio: Quintum, Eli, Eli, Lamazabatani: Sextum, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Septimum, Consummatum est. Per primum docemur iniurias dimittere. Per secundum petentes exaudire. Per tertium parentes honorare. Per quartum salutem nostram desiderare. Per quintum ad Deum in necessitatibus clamare. Per sextum auxilium nostrum in Deo ponere. Per septimum vitam nostram fine debito consummare.

Quattuor brachia crucis significant quattuor virtutes, quibus extendi debet homo noster interior. Signat enim pars superior charitatem, inferior humilitatem. A dextris obedientiam. A sinistris patiētiam. Item in quattuor brachiis crucis notantur beneficia crucis. Signat enim pars superior ianuæ cęlestis apertionem, inferior inferni destructionem. A dextris gratiæ collationem. A sinistris peccatorum remissionem. Quattuor ligna fuerūt in cruce, sicut dicit magister in historia: Pes namque crucis fuit de cedro. Stipes de cypresso. Transuersale de palma. Tabula de oliua. Versus.

Crux Domini palma, cedrus, cypressus, oliua.

Significat enim cedrus altitudinem contemplationis. Cypressus famam bonæ opinionis. Palma fructum iustitiæ. Oliua lenitatem misericordiæ.

CAPVT XXII.

De descensu Christi ad inferos.

ANIMA Christi post mortem descendit ad infernum, siue ad limbum, ad deliberationem eorum, qui Christi membra existentes de hoc sæculo transilierunt. Diabolus enim dum manus in eum extēdit, in quo nihil iuris habebat, merito in alijs amisit potestatem.

Alia causa quare Christus ad inferos descendit, est vt tantus esset descensus, quantus fuerat liberādorum causis. Primus enim homo sic in statera liberi arbitrij positus fuerat, vt posset ad vitam æternam ascendere, vel ad mortem descendere, prout vellet. Sed peccato peracto sic alterum brachium ſtateræ per onus culpæ depressum est, vt essent in imo inferni, alterum vero in summo cæli. Non autem ascenderet brachium depressum, nisi descenderet brachium aliud. Descendit ergo Dominus vsque ad infernum, vt hominem captiuum eleuaret vsque ad cælum.

Tertia ratio quare Christus descendit ad infernum, est, vt sicut viuus fuerat lumen mundi per præsentiam corporalem, ita mortuus esset inferni lumen per diuinitatis maiestatem.

Quarta ratio est, vt hoc idem Christus exequeretur per efficaciam, quod passione sua meruerat secundum sufficientiam. Duo quippe meruit per suam passionem, scilicet satisfactionem, & ianuæ apertionem: & ideo hęc duo effecit in descensu suo ad inferos: quia per satisfactionem soluta sunt vincula captiuitatis per apertionem autem ianuæ, facta est illuminatio ipsius carceris, etiam secundum lucem exteriorem.

Liberauit autem Christus omnes illos qui meriti sui capaces esse poterant, sicut fuerunt sancti Patres, qui nō propter reatum personæ, sed propter reatum naturæ detinebantur. Damnati autem huius meriti capaces non sunt, neque paruuli in limbo detenti, quia de corpore Christi non sunt nec per fidem, nec per fidei sacramentū.

Dicendum est quod anima Christi per triduum mortis suæ cum sanctis Patribus in limbo fuit, ibidem fuit & Latro, cui Dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso: quia nomine paradisi intelligitur Dei fruitio, quia peracta Dei passione, tam ipse latro, quam alij qui erant in limbo, viderunt Deum per essentiam.

Ad quem autem infernum Christus descenderit, si scire volueris, nota quod infernus sumitur dupliciter, scilicet pro pœna, & pro loco pœnæ. Secūdum primum modum dicitur quod dæmones infernum secum portant semper. Item prout infernus sumitur pro loco pœnæ, quadrupliciter distinguitur. Vnus est infernus damnatorum in quo est pœna sensus & damni, ac tenebræ interiores & exteriores, id est, absentia gratiæ, iste semper habet luctum. Super hūc est limbus puerorum, vbi est pœna damni, & non sensus, & sunt ibi tenebræ exteriores & interiores. Supra hunc locum est purgatorius, in quo est pœna sensus & damni ad tempus, & sunt ibi tenebræ exteriores, & non interiores, quia per gratiam habent lucem interiorem, quia vident se esse saluandos. Supremus locus inter hęc est limbus sanctorum Patrum, vbi fuit pœna damni, & non sensus. & fuerunt ibi tenebræ exteriores, & non tenebræ priuationis gratiæ. Ad hunc locum Christus descendit, ac suos inde liberauit, & sic infernum momordit: quia partem abstulit, & partem reliquit: mortem vero quo ad electos Deus penitus destruxit. sic dicitur: O mors, ero mors tua: ero morsus tuus ô inferne. Hic quoque locus sinus Abrahæ dicebatur, quia ibi Abraham fuit. Sed nunc cælum empyreum dicitur sinus Abrahæ: quia iam est ibi Abraham. A nullo prædictorum locorum est transitus ad alium, nisi quod olim à tertio ad quartum, hoc est à purgatorio, ad limbum sanctorum Patrum. Ex iam dictis patet, quare cantamus, Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: quia infernus ibi sumitur pro purgatorio, sicut & ibi sumitur pro limbo, quando dicitur Christus ad inferos descendisse, vel infernum destruxisse.

Ex prædictis collige quod Christus mortuus est in corpore, descendit ad inferos in anima, & surrexit in vtroque. Dicendum est etiam quod Christus illo triduo totus fuit in sepulchro, sed non totum: totus fuit in inferno, sed non totum: quia totus dicit personam, totum vero substantiam & naturam. Similiter dicendum quod cum vnio animæ cum corpore faciat hominem, Christus in illo triduo non fuit homo, licet anima & caro vnita tunc essent cum Verbo.

CAPVT XXIII.

De resurrectione CHRISTI.

CHRISTVS resurrexit tertia die à mortuis, resumēdo corpus non tale quale prius habuit, sed impassibile & immortale. Caro enim Christi, quæ in natiuitate floruit, in passione aruit, per gloriā resurrectionis refloruit, & renouata est, vt aquilæ iuuentus Christi: tunc leo catulum suum suscitauit: tunc phœnix reuixit: tunc, sicut dicit Hieremias: Figulus ex eodem luto fracti vasis fecit

Apoc. 3. d; Ephes. 3. d; 1. Pet. 2. d; Exod. 25. b; Gen. 32. c; Dan. 4. b; Gen. 28. c; Iob. 40. c; Isa. 63. a; 1. Reg. 18. e; Num. 21. c; Ezec. 9. b; Exod. 25. c; Exod. 15. d; 1. Reg. 17. f; Esther. 6. e; Iosue 8. d; Exo. 27. a; Luc. 23. c; Ioan. 19. c; Luc. 23. f; Osee 13. d; Iere. 18. a

vas aliud, ficut placuit in oculis eius. Tunc Ionas de ventre Ceti illæsus exiuit: tunc vestitum est candelabrum auro: tunc suscitatum est tabernaculum Dauid quod cecidit: tunc refulsit Sol, qui prius erat in nubilo: tunc viuificatum est granum frumenti quod cadens in terram mortuum fuerat: tunc ceruus resumpsit cornua: tunc Sãson tulit portas cum postibus: tunc Ioseph eductus de carcere tondetur, & constituitur Dominus Ægypti: tunc conscissus saccus circumdatur lætitia. Dominus probauit resurrectionem suam esse veram per Angelos, qui nõ mentiuntur. Respondens autem Angelus dixit mulieribus, &c. Item per inimicos, quorum validissimum est est testimonium. Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum, &c Item probauit eam nõ arte magica factam, & hoc per comestionem. Item non esse phantastici corporis, & hoc per tactum. Item probauit in eodem corpore, quo passus est factam, & hoc per ostensionem cicatricum. Item probauit eam fuisse in corpore glorificato vnito deitati, & hoc per ingressum in domum ianuis clausis. Item probauit eam multis apparitionibus. Apparuit enim ipsa die resurrectionis quinquies. Primo Mariæ Magdalenæ. Mulier quid ploras? Secundo mulieribus redeuntibus à monumento. Tertio Petro, sed non inuenitur modus. Quarto duobus discipulis euntibus Emmaus. Quinto discipulis congregatis propter metum Iudæorum, ianuis clausis, quando Thomas non fuit cum eis. Item apparuit inter resurrectionem & ascensionem quinquies, scilicet, Thomæ cum aliis. Secundo discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis. Tertio discipulis in monte Tabor. Quarto in Hierusalem. Quinto quando comedit cum discipulis.

Multis de causis surrexit Dominus. Vt scripturas impleret. Quando enim Dominus dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam, &c. subiunxit, & die tertia resurget. Vt nos ad surgendum spiritualiter prouocaret: quia turpe est, vt sedeat seruus, quando coram eo surgit Dominus Vt futuram resurrectionem esse probaret. Vt potentiam suæ diuinitatis ostenderet, quia mortuos suscitare non est opus naturæ, sed potentiæ diuinæ. Non est enim regressus à priuatione ad habitum. Vt nos ad contemnenda terrena pro adipiscenda tali gloria animaret. Surrexit Christus velociter, quia tertia die. Nam sicut ianuis clausis ad discipulos intrauit, & sicut salua virginitate de vtero matris exiuit, sic eum mortuum, nec petra in qua iacuit, nec militum custodia potuit retinere. Integraliter, quia in corpore & anima. Socialiter, quia multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Æternaliter. Apostolus: Christus resurgens ex mortuis iam non, &c. Similiter surgendum est nobis spiritualiter, sicut eisdem modis resurgemus die iudicij corporaliter. Resurrectio Christi est causa & figura nostræ resurrectionis spiritualis. Causam dico motiuam, & hoc dupliciter, quia causa motiua est, in comparatione nostri. Dum enim consideramus gloriam resurrectionis Christi, mouemur ad surgendum in nouitate vitæ. Item causa motiua est in consideratione Dei Patris: quoniam Pater dans resurrectionem filio, mouetur ad dandam eandem gloriam fratribus suis: sicut rex quãdo facit filium suum militem, mouetur amore filij, vt cum eo faciat multos milites. Figura vero fuit: quia sicut Christus surrexit in nouitate vitæ, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Item sicut diẽ resurrectionis Christi præcessit dies mortis in parasceue, & dies quietis in sabbatho sequenti, ita gloriam resurrectionis nostræ præcedat in nobis mortificatio membrorum & vitiorum, & quies contemplationis æternorum. Nota quod sicut duplex est mors, scilicet animæ per culpam, & corporis per extinctionem, ita duplex est resurrectio, scilicet, animæ per gratiam, & corporis per gloriã. Et sicut animæ mors causauit mortem corporis, sicut habetur in Genesi: ita è conuerso resurrectio animæ causabit resurrectionem corporis gloriosam. Sciendum autem quod quidam resuscitantur ficte, sicut Samuel, quilicet vere Sauli apparuerit, vt habetur in lib. Regũ: Non tamen vere resuscitatus fuit, vt quidam dicunt. Quidam imperfecte sicut Lazarus iterum moriturus. Quidam perfecte sicut CHRISTVS semper victurus. Prima resuscitatio significat conuersionem, siue pœnitentiam hypocritarum. Secunda recidiuantium. Tertia perseuerantium.

CAPVT XXIV.

De ascensione Christi.

DIFFERENTIA est inter ascensionem, & assumptionem, & euolationem: quoniam ascensio pertinet ad Christum: assumptio ad beatam Virginem: euolatio autem ad alios sanctos. Et ratio huius est. quoniam ascensio fit propria virtute ascendentis, assumptio autẽ virtute Christi assumẽtis, quia filius specialiter obsequitur matri. Euolatio vero fit ministerio Angelorum. Alia est differentia, quia locus euolantium est distinctio chorum. Locus vero assumptæ Virginis est super choros Angelorum. Locus vero Christi ascendentis est supra, vel vltra locum assumptæ Virginis.

Circa ascensionem Christi octo sunt consideranda quæ circumstant ascensionem, & colliguntur ex officio de ascensione. Primum est quod, scilicet eleuatus est videntibus omnibus discipulis, vt desiderium veniendi ad ipsum excitaretur in eis. Secundum est, quod nubes suscepit eum ab oculis eorum. Per vmbram nubis figuratur, quod in hoc mortali corpore IESVM in alto videre non possumus. Tertium est quod eleuatis manibus ferebatur in cælum. Eleuauit autem manus propter duo, scilicet vt suos patri offerret, & vt inimicos alte retracta manu percuteret. Quartum est, quod benedixit eis, vt eos contra hostem muniret, & bonis cælestibus augeret. Quintum est, quod ascendit in iubilatione, quod refertur ad vocem iocunditatis Redemptorum ascendentium cum ipso, qui prius voce lacrymabili in portis inferni clamauerunt, Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris. Sextum est, quod ascendit in voce tubæ, quod refertur ad sonum prædicationis Apostolorum, qui sonus fuit eis iniunctus dicente Domino. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Ex tunc enim in omnem terram exiuit sonus eorum. Septimum est, quod ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, id est, captiuos captiuitate inferni, quos secum victor captiuos eduxit. Octauum est, quod dedit dona hominibus: quia omnia bona nostra desursum sunt, quo Christus ascendit. Horum prima duo habentur ex Actibus, sed tertium & quartum ex fine Euangelij secundum Lucam, quintum & sextum ex Psalmista. Item septimum & octauum ex Psalm.

Ascendit Christus regressus ad cælum multipliciter, scilicet tanquam obediens completa obedientia, quo ad Patrem: tanquam bonus mediator facta pace, & concordia, quo ad homines: tanquam strenuus propugnator contra dæmones. Ascendit Christus pluribus de causis, scilicet ad quiescendum post labores quibus fatigatus fuit triginta tribus annis nobis seruiens. Ad intercedendum pro amicis, pro quibus vtiliter laborauit. Bernardus: Securum accessum habes ô homo ad Deũ, vbi habes Filium mediatorem, & matrem interuentricem. Filius ostendit patri latus, & vulnera: mater ostendit filio pectus & vbera. Ibi nulla potest esse repulsa, vbi tot concurrunt amoris insignia. Christus ergo optimus aduocatus est quia tot habet linguas pro nobis loquẽtes quot vulnera pro nobis accepit. Ad conquerendum de inimicis pro quibus vires suas inutiliter expendit. In vacuum laboraui. Item ascendit Christus, vt nobis locum præpararet. Vado vobis parare locum. Vt fiduciam in ipsum sperandi nobis tribueret, vt in corporalem possessionem æternæ hæreditatis nos mitteret. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Vt desiderium nostrum post se traheret. Trahe me post te. Vt viam nobis

Marginal references: Ionæ 2. d; Matt. 12. d; Amos. 9. d; Ioan. 12. d; Iudic. 16. a; Gen. 41. b; Mat. 28. a; Matt. 28. c; Ioan. 20. c; Mat. vlt. a; Ioan. 20. c; Ioan. 20. f; Ioan. 1. a; Luc. 18. f; Ioan. 20. e; Mat. 27. f; Rom. 6. b; Rom. 6. a; Gen. 3. a; 1. Reg. 27. c; Ioan. 11. f; Act. 1. c; Luc. 24. g; Psal. 46. a; Rom. 10. d; Mat. 16. c; Psal. 18. b; Ephes. 4. b; Psal. 67. a; Isa. 49. a; Ioan. 14. a; Ioan. 16. b

nobis ad cœlum ostenderet, quia sicut dicitur in Luca: Eduxit Dominus prius discipulos suos foras ciuitatem in Bethaniam, vt ipsa eductione cognoscerent se hic non habere manentem ciuitatem. Quod autem in Bethaniam eduxit eos prius, quæ interpretatur domus obedientiæ, significat quod per opera obedientiæ transituri essent ad cœlestia. post hoc fecit eos transire in môtem oliuarum, vt per montem intelligatur eminentia spiritus in contemplatione, per oliuas autem pinguissimi pectoris deuotio. Vlterius vero post ista non restat nisi saltus animæ in cœlum.

Luc. vlt. g

Exultatus autem fuit Christus tripliciter, scilicet in terra per vitæ meritum: super terram per crucis suspendium: super cœlos per ascensionis iubilum. Ascensio Christi fuit Angelis mirabilis. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Dæmonibus terribilis. Non fuit tantum gaudium heri & nudius tertius. Væ nobis. Hæc sunt verba Philistinorum, quando vociferabantur filii Israel, dum adduceretur arca fœderis in Silo in castra, vt per eam haberent diuinum adiutorium in prœlio. Hominibus salutaris, sicut supra patet de multiplici fructu ascensionis Christi.

Isa. 63. a *1. Reg. 4. b*

Ascendit Christus multipliciter, scilicet potenter: quia eleuatis manibus ferebatur in cœlum. Patenter, quia videntibus illis eleuatus est. Gaudenter, quia ascendit in iubilatione. Decenter, quia cum duabus turmis regrediebatur, scilicet hominum & Angelorum. Non autem dico, quod ibi fuerint Angeli in adiutorium necessitatis, sed in obsequium dignitatis. Homines quoque illos dico, quos de inferis liberauit, & qui post resurrectionem vsque ad ascensionem mortui sunt de numero saluandorum, nec purgatorio vlterius indigentes. Clementer, quia benedixit eis.

Act. 1. b *Psal. 46. a* *Gen. 32. c* *Luc. 24. g*

Christus non statim post resurrectionem cœlum adscendit, triplici ratione. Prima, quia differenda erat ascensio, vt multipliciter probaretur resurrectio, vt dicitur. In multis argumentis apparens eis per dies quadraginta. Secunda est, vt patientiam nostram informaret, quia mercedem debemus æquanimiter expectare, sicut agricola non statim post seminationem metit, sed fructuum maturitatem expectat. Tertia est propter discipulorum consolationem, vnde dicit Glossa: Sicut quadraginta fuerunt horæ mortis Christi, ita quadraginta diebus cum eis côuersatus est post resurrectionem, quia consolatio diuina excedit tristitiam humanam.

Act. 1. a *Act. 1. a*

Nota quod Christo conuenit descendere de cœlo tantummodo secundum diuinam naturam, quia Deus illuc venire dicitur, vbi speciali effectu apparet: sed ascêdere proprie ei côuenit secundum humanam naturam, quia secundum illam solummodo mutat locum, non secundum diuinam naturam.

CAPVT XXV.

De consessu Christi ad dexteram Dei Patris.

ASCENDENS Christus in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Duo intelliguntur per dexteram: Primum est æqualitas maiestatis, ad quam Christus sedet secundum diuinitatem. De hac dextera loquitur Apostolus, dicens: Talem habemus Pontificem, qui côsedet in dextera maiestatis in excelsis. Secundum est, per dexteram intelliguntur potiora bona gloriæ, in quibus Christus sedet secundum humanitatem, quoniam collatum est ei à Deo quidquid conferri potuit. Et licet ab instanti conceptionis Christus accepit bona gratiæ & gloriæ in anima, eadem tamen bona fuerunt in ascensione manifestata, & in loci congruentia côpleta. De hac dextera dicitur: Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, in dextera Dei sedens, vbi dicit Glossa, quod sursum vbi sedet Christus, sunt potiora bona gratiæ, & gloriæ. Dicimus ergo quod ascensio Christi fuit tam ad locû, quàm ad dignitatem. Inquantum quidem fuit ad locum, sic ascêdit super omnes cœlos, id est, ad dignissimum locum cœli empyrei, siue ad altissimam eius partem, eo quod nobilissimo Christi corpori congruit locus talis. Non tamen est dicendum quod corpus suum sit obligatum ad locum illum, sed quia locus ille sit sibi secundum congruentiam deputatus. Inquantum autem fuit ad dignitatem, sic sedet ad dexteram Patris, non tamen quo ad situm, qui Patri non conuenit, sed quo ad excellentiam duplicem, sicut dictum est: quia per dexteram intelligitur, vel æqualitas maiestatis, quæ competit Christo secundum diuinitatem, vel perfectio præmii, quæ sibi competit secundum humanitatem.

Mat. 16. d *Hebr. 8. a* *Coloss. 3. a*

Prætereundum quoq; non est, quod credimus Christum ad dexteram Dei Patris sedentem. Stephanus autem vidit eum stantem à dextris Dei: quia nos credimus eum regnantem & quiescentem, quod notatur in sessione: sed Stephanus in tribulatione positus habuit propugnatorem & susceptorem, vnde vidit eum stantem.

Merito Christus sedere dicitur ad dexteram Dei. Sedere quidem, quia laborauit. In labore fui à iuuentute mea. Ad dexteram autem, quia diu fuit in sinistra aduersitatis. Afflictus sum & humiliatus sum nimis, &cet. Dei vero dicitur, quia post abiectionem merito debet consequi gloriam: quia qui se humiliat, exaltabitur.

Ps. 87. d *Psal. 37. b*

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS,

LIBER QVINTVS

DE GRATIARVM SANctificatione.

CAPITA HVIVS LIBRI.

CAPVT I.

De virtutibus, & origine gratiæ.

QVEMADMODVM de cœlis Deus non descendit per essentiam suam incommutabilem, sed per influentiam ab ipso manantem; ita spiritus rationalis non eleuatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem, vnde necesse est spiritui rationali, si debet esse dignus æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ spiritualis.

CAPVT II.

De origine virtutum, & gratiæ.

AD bonum gratiæ nõ potest quis per se venire, cum hoc non fit secundum limites naturæ, sed secundum influentiam largitatis diuinæ. Sicut enim creatura pro sua defectibilitate suo principio semper eget, vt sit in esse naturæ, sic idem principium pro sua bonitate influere non cessat creaturæ rationali vitam spiritualem, vt bene sit et in esse gratiæ, quã habere non potest sine Deo largitore. Verumtamen inexcusabilis est homo, si gratiam gratum facientem nõ recipit: quia gratia gratis data semper præsto est liberum arbitrium excitare & commouere, cuius est huic admonitioni consentire: & hoc est quod in se est facere, quo facto potest homo gratiam gratum facientem habere, quia hoc est ad gratiam gratum facientem se præparare. Quamuis enim gratia Dei habeatur Dei dono efficiente, non tamen sine libero arbitrio consentire: quia sicut ait Augustinus: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Igitur gratia gratum faciens à tribus est, sed aliter & aliter. Est enim à Deo efficiente, à gratia gratis data liberum arbitrium excitante & mouente, & à libero arbitrio consentiente. Quamuis enim liberum arbitrium non possit gratiam efficere in homine, potest se ad hoc habilitare, & præparare vt habeat: sicut aliquis non potest illuminare domum, potest tamen aperire fenestram, quo facto sol intrat & domum illuminat. Quod autem dico de libero arbitrio consentiente, intelligo de adultis: quia in paruulis sufficit fides, & Sacramentum Ecclesiæ & meritum Christi, & excusat impotentia sui.

August. De Verbis Apostoli, ser. 15. post med. tom. 10.

Sciendum etiam quod habilitatio siue præparatio ad gratiam triplex est, scilicet efficiens, formalis & materialis. Prima est à Deo. Secunda à gratia gratis data. Tertia à nobis. Anima namq; habet facultatem, & instrumenta cognoscendi & diligendi Deum ex natura, sed non habet cognitionem veritatis, & ordinem dilectionis, nisi ex gratia.

Ad opera bona tria nos incitant, scilicet lex naturæ, quæ scripta est in corde hominis, dicens: Quæ vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite, &c. Ratio, quæ dicit ea esse delectabilia, vtilia & honesta. Gratia, quæ dicit seruiendum esse Deo, quia summe bonus: subueniendum proximo, quia Dei filius, quia imago Dei, quia in beatitudine socius.

Matt. 7. b

Gratia non datur ei, qui se non habilitat ad gratiam: & de hoc multa habes exempla, scilicet in illo, qui ad largiendum manum non extendit, quia Deus quantum in se est, dat omnibus affluenter. In illo qui contra lumẽ oculos claudit, cum Deus faciat oriri Solem suum super bonos & malos. In illo qui fontem recipiens, fundum vasis sursum erigit, quia Deus, sicut ait Augustinus ingenti liberalitate atque libertatis vbertate replet omnes creaturas pro captu earum. In illo qui domum suam sepit spinis, ne amicus ingrediatur. Ipse vero Deus semper stat ad ostium, & pulsat. In illo qui zizania non extirpat de agro suo, propter quod fructus proficere nõ possunt. In illo qui ligna igni subtrahit, quia tunc ignis deficit. In illo qui ad sumendum cibum negligit os aperire, quia talis deberet merito fame mori. In illo, qui tempore pugnæ arma proiicit, quia talis sæpe capitur & vulneratur. In illo, qui mouere negligit remos tempore tempestatis, quia talis submergitur. In illo, qui existens in ægritudine medico contradicit.

Iac. 1. b

Apoc. 3. d

Mat. 13. d

Gratia nobis procedit à Deo, sicut radius à Sole, sicut germen à radice, sicut mel à flore, sicut riuus à fonte, sicut imago ab artifice, secundum exemplar interius, & facturam exterius.

CAPVT III.

De distinctione gratiarum.

GRATIA dicitur tripliciter. Primo, generaliter, & sic gratia est adiutorium diuinum creaturæ gratis impensum, & indifferenter ad quemcumque actum, quia sine huiusmodi adiutorio gratiæ nihil possumus facere, immo nec in esse durare.

Secundo, dicitur gratia specialiter, & talis gratia dicitur gratis data, scilicet donum, quo se homo præparat ad suscipiendum donum Spiritus S. Huius enim gratiæ est reuocare liberum arbitrium à malo, & excitare ad bonum, sine qua nullus facit sufficienter quod in se est, vt præparet se ad salutem.

Tertio, dicitur gratia proprie, scilicet donum diuinitus datum ad merendum: quod quidem donum gratia gratum faciens appellatur. Sine ista gratia nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad gloriam peruenire. Ista triplex gratia sumitur ex verbis Apostoli, vbi ait: Gratia Dei sum id quod sum, ecce prima: & gratia eius in me vacua non fuit, ecce secunda: sed gratia eius semper in me manet, ecce tertia.

1. Cor. 15. b

Præter prædicta dicitur gratia gratis dans, scilicet Deus. Item gratia gratiæ signum, vt est Prophetia, & potestas faciendi miracula. Gratia gratum faciens distinguitur in operantem & cooperantem. Gratia operans dicitur præueniens, & incipiens, ac liberans, quia pecca-

tum expellit. Gratia cooperans dicitur subsequens, & perficiens, ac adiuuans. quia liberum arbitrium adiuuat, & ei cooperatur in merito.

Multipliciter distinguitur bonum. Est enim bonum per essentiam, & hoc est Deus. Vnde nemo bonus, nisi solus Deus. Est & bonum per participationem, & illud distinguitur in bonum gratiæ, & in bonum naturæ. Vnde Augustinus: Omne quod est, inquantum est, bonum est. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Item est bonum in genere, hoc est bonum in obiecto, sicut est eleemosyna. Nam ibi est actus in debita materia, etiam si desit forma circumstantiarum. Item est bonum ex circumstantia, hoc autem est quando bonum ex genere vestitur debitis circumstantiis, sicut est dare eleemosynam indigenti, tempore debito, ex compassione, & huiusmodi. Item est bonum virtutis, & hoc est, quando additur operi perfectio ex parte operantis, quæ est per habitum mentis bene constitutæ. Item est bonū meritorium: quando additur ipsi operi debiti finis intentio super motum naturalem. Item est bonum gratiæ, vt est ipse habitus gratum Deo faciens. Item est bonum gloriæ, vt bonum remunerationis æternæ.

Matt. 19. c *Aug. lib. de vera relig. tom. 1.* *Genes. 2. d*

CAPVT IV.

De effectu gratiæ.

EFFECTVS gratiæ est quod excitat liberum arbitrium ad bene cogitandum, & sanat ipsum mutando affectum, ipsumque corroborat perducendo ad actum. Item gratia hominem Deo reconciliat, à peccato liberat, & pœnam æternam in temporalem commutat. Item gratia opera nostra meritoria facit, & bona per peccatum amissa restituit, ac stabulum in palatium conuertit. Item per gratiam efficitur anima sponsa Christi, filia Regis æterni, & templum Spiritus S. Item gratia ipsam animam purgat, illuminat, & perficit. Item gratia mentem eleuat, Deo assimilat, & spirituali solatio cibat.

Nota quod quamuis virtus gratuita simul insit animæ, cum gratia, non tamen habet effectum suum tam cito sicut gratia: quoniam effectus gratiæ est facere gratum Deo, & facere dignum vita æterna, & hic effectus statim inest puero post Baptismum. Virtutis autem effectus est elicere actum meritorium de potentia, & hic effectus non statim inest puero post Baptismum. Hoc autem non est propter defectum virtutis, sed propter impotentiam naturæ agentis. Puer enim non est aptus ad actus voluntatis. Vnde sciendum quod triplex est perfectio. Prima est gratiæ, & causat esse gratuitum. Secunda est virtutis & causat bonum actum. Tertia est operis virtutis, & causat meritum. Prima perfectio perficit animam, secunda perficit animæ potentias, tertia perficit ipsos actus.

CAPVT V.

De virtutibus, & primo quid sit virtus.

NVNC de virtutibus est agendum, & primo quid sit virtus. Virtus est, vt ait Augustinus, bona qualitas mentis, qua bene viuitur, qua nullus male vtitur, quam solus Deus in homine operatur. Hæc diffinitio datur in comparatione ad agentem. Item secundum Augustinum: Virtus est habitus mentis bene constitutæ, hæc datur in comparatione ad bonum, in quo est. Item dicit Philosophus: Virtus est habitus voluntarius in mediocritate consistens, quo ad nos, terminata ratione prout sapiens determinauit. Hæc diffinitio datur in comparatione ad actum circa quem est. Item Philosophus, Virtus est dispositio perfecti ad optimum: hæc datur secundum comparationem ad finem. Item Isidorus, Virtus est naturæ habitus, animæ decus, vitæ ratio, morum pietas, cultus diuinitatis, honor hominis, æternæ beatitudinis meritum: hæc datur in comparatione ad effectum.

Colligitur ex Aug. l. 2. de lib. arb. c. 18. & 19. tom. 1. *Auct. de spir. & ani. ca. 4. apud Aug. tom. 3* *Arist. lib. 2 ethic. c. 6.* *Idem Arist. 7. physic. text. 17.*

Diffinitio Augustini sic exponitur, *Virtus est bona qualitas*, hic ponitur qualitas pro genere; *bona* vero dicitur ad differentiam malarum qualitatum animæ. Dicitur quoque *bona*, quoniam à bono Deo datur, & bonos tantum inhabitat, & bonos facit, & ad bonum perducit. *Mentis* ponitur ad differentiam qualitatum, quæ sunt in corpore. *Qua bene viuitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus recte intelligitur, sicut est scientia. *Qua nullus male vtitur*, ponitur ad differentiam qualitatum, quibus bene & male vti possumus. *Quam solus Deus operatur in homine*, ponitur ad differentiam virtutum Cardinalium, quæ habentur per acquisitionem.

Circa aliam diffinitionem Augustini notandum est, quod ibi ponitur, *habitus mentis instituta*, & hoc ad similitudinem regni, quod tunc bene instituitur, quando recte consulitur, & bene imperatur, & iuste obeditur. Eodem modo bene instituta est mens, si ratio recte consulit, si voluntas bene imperat, si sensualitas debito modo obtemperat.

Etymologia virtutis hæc est, Virtus dicitur quasi vis intus: & hæc vis consistit in aggressione arduorum, in tolerantia aduersorum, & in abstinentia placitorum. Item dicitur virtus quasi viror nitens. Item dicitur virtus quasi virum tuens. Item dicitur virtus quasi viribus nitens. Item dicitur virtus quasi viri status.

CAPVT VI.

De perfectione virtutum.

CVM virtus in medio consistat secundum Philosophum, illud medium est in tribus, scilicet in agendis, in habendis, & in sustinendis. In agendis, scilicet intra, supra, & citra modum. Apostolus: Rationabile sit obsequium vestrum. In habendis scilicet inter superfluum & indigentiam. Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. In sustinendis, scilicet inter eleuari in prosperis, & deiici in aduersis. vnde illud: Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Multiplex est perfectio, scilicet sufficientiæ: hanc habent omnes existentes in charitate. Ordinis, huius proprium est seruare continentiam. Religionis, huius proprium est renunciare omnibus. Prælationis, ad hanc pertinet ponere animā pro ouibus suis. Securitatis, huius proprium est habere mortem in desiderio, & vitam in patientia. Ad primam perfectionem tenetur quilibet: ad vltimam vero nullus tenetur: sed ad tres medias tenentur aliqui ex causis.

Arist. 2. eth. c. 6. *Rom. 12. a* *Prou. 30. b* *Deut. 5. d*

Virtus comparatur multis rebus, scilicet auro. Aurum probat fornax. Thesauro abscondito. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Gemmis. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Armis. Quomodo ceciderunt fortes in prœlio, & perierunt arma bellica. Arboribus. Omnis arbor bona, fructus bonos facit. De hoc Hugo de S. Victore. Arbor sapientiæ per timorem seminatur, per gratiam irrigatur, per fidem radicatur, per deuotionem germinat, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, per spem viret, per circumspectionem frondet, per disciplinam floret, per doctrinam fructificat. per patientiam maturescit. per mortem capitur. Item virtus comparatur floribus. Fulcite me floribus. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. Semitis. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Vestibus. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Stellis. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis. Pigmentis. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Cibariis. Vnde Dominus in Euangeliis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Alis. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ.

Prou. 27. c *Matt. 13. f* *Eccl. 50. d* *2. Reg. 1. d* *Matt. 7. c* *Cant. 2. a* *Cant. 4. d* *Prou. 3. b* *Psal. 44. c* *Baruc. 3. d* *Cant. 3. c* *Ioann. 4. e* *Psal. 54. a*

Tres sunt bonæ conditiones virtutis, quæ sunt tentationis remotio, actuum multiplicatio, & in bono delectatio. Primum ipsam virtutem in radice firmat: secundum, quasi floribus decorat: tertium, sapore fructuum delectat. Similiter dicendum est, quod ad consummationem virtutum quatuor ista concurrunt, scilicet dispositio præparans, habitus informans, operatio probans, præmium coronans.

CAPVT VII.

De æqualitate virtutum.

VIRTVTES omnes in homine sunt æquales, licet inter se distinctæ sint, per proprias excellentias: & hæc æqualitas in multis consistit. Æquales namque sunt virtutes. Primo, quantum ad essentiam: quia omnis virtus simplex est. Secundo, quantum ad æqualem radicationem in anima, secundum quod sunt in ipsa. Tertio, quantum ad relationem ad eundem finem, quia omnes propter Deum operantur. Quarto, quantum ad æqualem effectum, quia æqualiter faciunt dignum vita æterna. Quinto, quantum ad æqualem facilitatem ad actus suos quantum in ipsis est, nisi impediantur.

Sicut virtutes æquales sunt prædictis modis, ita inæquales sunt aliis modis. Primum quantum ad vsum, quia sunt sicut arma. Sed sicut miles non pugnat æqualiter cum omnibus generibus armorum, quæ habet, immo melius pugnat cum illis, quæ frequentius vsitauit, sic est de virtutibus. Secundo, quantum ad auctoritatem, quia secundum hoc maior omnibus virtutibus charitas. Et quælibet virtus potest esse maior alia secundum aliquã prærogatiuam, quam habet secundum aliquem effectũ. Tertio, quantum ad feruorem, quia virtus vna feruentius operatur, quàm alia.

1. Cor. 13. d

Sciendum est, quod eadem virtus numero non est æqualis sibi semper. Crescunt enim virtutes multis modis. scilicet quantum ad intensionem, quantum ad radicationem, quantum ad potentiam virtutis quantum ad maiorem expressionem diuinæ similitudinis, & quantum ad diuturniorem permanentiam. Præterea crescente vna virtute crescunt omnes. & habes exemplum in cithara: in qua si debet esse debita proportio sonorum, necesse est, vt quando vna chorda tenditur, etiam omnes aliæ tendantur, ne in harmonia fiat dissonantia.

Quare autem polleat aliquis vsu vnius virtutis potius, quàm alterius, multæ sunt rationes. Prima est, quia Deo sic placet, qui dator est virtutis. Secunda est natura complexionis, quæ magis est consona operibus vnius virtutis, quàm alterius. Tertia est vsitatio: quia exercitauit se quis magis circa vnam virtutem, quàm circa aliam. Quarta est quia minus impugnatur à vitio contrario illi virtuti. Quinta est, quia maiorem habet discretionem in operibus vnius virtutis, quàm alterius. Quælibet enim virtus habet suas proprias rationes. Sexta est difficultas status, quia cum de nouo quis conuertitur, licet habeat maiorem charitatem, quàm alius qui diu fuit in charitate, non tamen est ita bene expeditus ad bene agendum, sicut ille propter reliquias peccatorum, quæ adhuc inhærent.

Luc. 1. e

Magnitudini scientiæ respondere debet magnitudo virtutis, & hoc multiplici ratione scilicet ratione exempli diuini. Plenum gratiæ & veritatis. Potens in opere & sermone. Cœpit Iesus facere, & docere, &c. Ratione exempli Angelici, qui quanto plus cognoscunt, tanto plus diligunt. Ratione exempli humani. Qui autem fecerit, & docuerit, hic maior, &c. Ratione exempli naturalis, quoniam lux, & calor in Sole proportionantur. Ratione obligationis. Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis.

Ioan. 1. c Luc. vlti. c Act. 1. a Matt. 5. c Luc. 12. f

CAPVT VIII.

De connexione virtutum.

CONNEXÆ sunt sibi virtutes & coordinatæ, ita vt qui vnam habet, habeat omnes. Prima ratio est largitas Dei dantis, quia non dat vnam sine alia. Secunda ratio est, quia sicut vnum membrum indiget alio, sic est in virtutibus. Tertia ratio est, quia sicut in cithara, si defuerit vna chorda, non erit harmonia perfecta, ita nec in anima erit spiritualis melodia, nisi adsint omnes virtutes. Quarta ratio est, quia contra singula vitia sunt aliquæ virtutes. Vnde oportet omnes virtutes habere, vt omnia vitia impugnentur. Nam sicut miles mundi non est expeditus, nisi omnia sua arma habeat, ita nec miles Christi, si aliqua virtus sibi defuerit. Quinta ratio est, quia sicut stellæ & planetæ semper sunt in sphæris suis, ita virtutes in anima esse debent. Sexta ratio est, quia anima est sicut vas auri solidum ornatum, lapide pretioso, id est, virtutibus. Septima ratio est, quia anima est sicut hortus nobilis, cui non deest decor alicuius floris, vel arboris. Octaua, quia anima est sicut apotheca, cui deesse nõ debet alicuius radicis, vel pigmenti medicina.

Ea autem, quæ de connexione virtutum dicta sunt, intelligi debent de virtutibus gratuitis, quæ omnes quo ad habitus sunt connexæ, sicut quo ad actus meritorios sunt æquales. Et licet similes sint virtutes, tamen aliquæ dicuntur matres virtutum, nõ quod habitus virtutis generet habitum, sed motus motum, sicut dicit Bernardus, vbi inquit: Lectio parit cognitionem, cognitio amorem, amor frequentiam, frequentia familiaritatem, familiaritas fiduciam, fiducia facilem impetrationem.

Secundum huncmodum quatuor dicuntur esse matres virtutum, scilicet, fides origine, quia ex motibus fidei surgunt motus aliarum virtutum, Charitas educatione, Prudentia regimine, Humilitas conseruatione. Vitia vero non sunt connexa sicut virtutes: cuius ratio est, quia vitia sunt in nobis ex operationibus nostris, quæ simul non sunt. Virtutes autem Theologicæ non sunt in nobis per acquisitionẽ, sed per infusionem. Alia ratio est: quia vitia sunt opposita adinuicem, sicut auaritia, & prodigalitas, quod non est in virtutibus.

CAPVT IX.

De commendatione virtutum.

VIRTVS commendabilis est. Primo, à causa efficiente, quæ est Deus. Ipsam enim, vt ait Augustinus, solus Deus in homine operatur. Secundo, à causa materiali, in qua est, quia non nisi in bonis inhabitat Non est autem sic de bonis naturalibus & fortuitis, quia talia pluit Deus super iustos & iniustos. Tertio, à causa formali, quæ est decor spiritualis. Omnis gloria eius filiæ regis, &c. Quarto, à causa finali. Augustinus præmium virtutis est ipse, qui virtutem dedit.

Matt. 5. g Psal. 44. d

Virtus est bona multipliciter. Primo in se, quia sicut ait Augustinus, virtus est bona qualitas mentis. Nota quod bona possessio est, quæ propinqua est ciuitati, hæc autem est intra ciuitatem, quia in anima. Secundo, in cooperatione. Optimum est gratiã, &c. Tertio, in operatione, quia bonum facit hominis opus, quod non esset meritorium, nisi ex virtute procederet. Gregorius: Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis. Quarto, in commutatione, quia de lupo facit agnum, & tenebras conuertit in lucem. Malum enim culpæ mutat in bonum gratiæ, & malum pœnæ mutat in bonum gloriæ: quod significat aqua mutata in vinum. Quinto, in distinctione, quia per virtutes distinguuntur filii Dei, à filiis diaboli. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si diligatis vos ad inuicem. Sexto, in exemplificatione, quia omnes Sancti studebant virtutibus. Vnde commendamus in Abel innocentiam, in Abraham obedientiam, in Ioseph continentiam, in Moyse mansuetudinem, in Dauid humilitatem, & sic de aliis.

Aug. lib. 2. de lib. arb. c. 18. & 19. tom. 1.

Greg. hom. 27 in Euangel non longe à pri.

Genes. 4. b Gen. 22. a Nu. 12. a

Laudabilis est virtus propter multa. Quia magnæ dignitatis. Christum enim Doctorem habuit. Vnde in Matthæo: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Quia magnæ sublimitatis. Tullius: Virtus vna est altissimis defixa radicibus. Quia magnæ iucunditatis: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum. Quia magnæ retributionis. In custodiendis illis retributio multa. Quia magnæ vtilitatis Boetius: Numquam sine pœna sunt vitia, & nunquam sine præmio sunt virtutes. Quia magnæ securi-

Matt. 11. d

Psal. 132. a Psal. 18. d

securitatis. Tullius: Hæc demum sapientia est, vt omnia tua in te posita esse dicas.

Commendabilis est studium virtutis studio scientiæ. Ratione exempli, quia Sancti sic fecerunt. Ratione auctoritatis. Apostolus: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Ratione effectus, quia virtus peccatum expellit, scientia non. Ratione originis, quia virtus à Deo infunditur, scientia per studium acquiritur. Ratione finis, quia finis virtutis est gloria, & non scientia. Ratione obiecti, quia virtutis obiectum est bonum, scientiæ autem verum. Ratione materiæ, in qua est, quia virtus non nisi in filiis Dei, scientia non semper. Ratione securitatis, quia securius est esse bonum, quàm esse Philosophũ. Ratione honestatis, quia maior gloria est sequi Deum, quàm Aristotelem. Ratione vitandi mali, quia primi parentes, si extendissent ita manum ad lignum vitæ, sicut ad lignum scientiæ, non incurrissent tot mala in se & in posteris, sicut incurrerunt.

1. Cor. 4. d

CAPVT X.

De effectu virtutum.

Virtutis gaudium præcellit gaudium mundi, in iugitate, seu duratione. Secura mens quasi iuge cõuiuium: sed gaudium hypocritæ ad instar puncti. In puritate conscientiæ, sicut mundius quiescitur in floribus, quàm in luto. In dignitate. Glossa: Elatio animi de his, quæ digna sunt, gaudium mundi de indignis est. In salubritate. Nihil vtilius in vita hominis, econtra gaudium mundi. Extrema gaudii luctus occupat. In libertate. Ad Galatas: Qua libertate Christus nos liberauit, & rursum, in libertatem vocati sumus. Peccator autem ligatus est. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. In diuina præsentialitate. Augustinus: Tale bonum est DEVS, vt nemini eum deserenti bene sit. Sed nota contrarium in malis.

Prou. 15. b
Sap. 8. b
Prou. 14. b
Gal. 4. d & 5. a
Prou. 5. d

Virtus operatur mira multipliciter, scilicet in cœlo, cui vim facit. Vnde in Matthæo: Regnum cœlorum vim patitur, &c. In mundo, quia custodit hominem, ne comburatur igne concupiscentiæ, & ne mergatur in aquis voluptatis, ne inquinetur luto incontinentiæ, & ne laceretur spinis auaritiæ. in corde humano, quia vulneratum sanat, inquinatum mundat, mortuum viuificat, excæcatum illuminat. In inferno, quia ignis infernalis non potest lædere virtuosum, sicut nec ignis materialis Salamandram. Virtus rationabilem illuminat ad cognitionem veri, concupiscibilem excitat ad amorem boni, irascibilem confortat ad detestationem mali. Item Deo assimilat, quia Patri per virtutis vigorem, Filio per veritatis splendorem, Spiritui S. per charitatis feruorem. Angelis conformat. Hieronymus: In carne enim præter carnem viuere, naturæ est Angelicæ, non humanæ. Mentem iucundat, ornat, subleuat, honorat, sanat, viuificat, cibat, ditat, mundat. Item virtus mala præterita expellit, præsentia impugnat, & à futuris præmunit. Item virtus mentem bene instituit, dilectum Deo hominem facit, fructũ tam præmii, quàm meriti adducit, temporalia discrete disponit, opera quæ in se indifferentia sunt, bona facit. Sicut ea quæ dicta sunt, declarant nobis effectus virtutũ generales, ita sunt etiam singularum virtutum effectus aliqui speciales. Sicut est quod humilitas Deo subiicit, pœnitentia reducit, iustitia deducit, obedientia conducit, patientia perducit, perseuerantia introducit, puritas iungit, charitas Deo vnit.

Matt. 11. b

CAPVT XI.

De meritis virtutum.

Meritvm est boni operis efficacia ad obtinendum id quod non habetur, vel ad habendum iustius quod habetur. Vnde per meritum de non debito fit debitum, & ipsum debitum fit magis debitum. Sicut rex dat equum, quem miles non meruit, sed per vsum equi meretur eumdem equum iam datum.

Ad intelligendum autem prædicta sciendum, quod triplex distinguitur meritum, scilicet, congrui, digni, & condigni. Meritum cõgrui est per quod disponitur subiectum, vt possit recipere gratiam, secundum rationem

A diuinæ iustitiæ. Istud vocatur dispositio materiæ, scilicet dum quis facit quod in se est. Meritum digni dicit idoneitatem operantis ad assequendum, id quod meretur. Meritum condigni dicit æqualitatem meriti ad remunerationem. Dico autem æqualitatem non Arithmeticam, sed Geometricam, id est non quantitatis, sed proportionis. Et hoc patet, quia Deus semper remunerat supra meritum, sicut punit citra condignum. Vnde non est inter meritũ & præmium æqualis quantitas, sed proportio, quia apud Deum non est iustitia commutatiua, cum nulli debeat aliquid, sed distributiua. Vocatur autẽ iustitia cõmutatiua, iustitia fori, qua datur vnus panis pro vno denario, vel vlna panni pro solido. Iustitia vero distributiua est principium quo distribuuntur dona, B secundum proportionem ad merita, & ista est apud Deum. Vnde Apostolus: Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.

Rom. 11. d
1. Cor. 3. b

Dicendum ergo, quod nullus meretur sibi primam gratiam merito digni, vel merito condigni: sed tantummodo merito congrui. Similiter existens in charitate non potest alteri mereri primam gratiam merito condigni, sed merito digni, & merito congrui. Potest autem existens in gratia mereri sibi augmentum gratiæ ex condigno, & per consequens merito digni, & merito congrui prout superius exposita sunt. Præfati tres modi merendi generaliter habentur, vnde si alii inueniuntur, ad eosdem tres reduci poterunt. Cum ergo dicitur quod beata Virgo meruit portare Christum, intelligendum est comparatiue, id est, meruit ipsa potius quod portare C debuit, quàm alia. Item mali dicuntur mereri temporalia, quia nullum bonum irremuneratum, sicut nullum malum impunitum: sed hoc dicitur improprie, quia opera in mortali facta non sunt directe bona, cum nõ sint informata charitate: sed quia talia opera aliquid boni habent, Dominus interpretatur ea, vt bona, & aliquid dat pro eis. Item peccator quandoque meretur occasionaliter, quia pauperes interdum obtinent benefactoribus gratiam suis precibus, quarum precum occasio sunt eleemosynæ. Item satis improprie sumitur meritum, vbi dicitur: Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Ibi enim ponitur meruit, pro exigebat.

CAPVT XII.

De habilitate virtutum.

Qvamvis nullus sibi mereatur primam gratiam, D secundum quod dictum est, potest tamen peccator se habilitare ad gratiam faciendo, quod in se est, quia nulli talium gratia denegatur. Hoc autem non est ex merito digni, vel condigni, sed congrui. Hæc autem congruitas multo magis est ex parte Dei gratiam conferentis, quàm ex parte hominis se ad gratiam habilitantis: quia in præparatione ad gratiam & in infusione gratiæ habet se anima ad modum materiæ, ipse vero Deus vt primum mouens & efficiens. Alia ratione patet, quod huiusmodi congruitas magis est à Deo, quàm ab homine; quia habilitatio, quæ est ex parte hominis, solummodo dat locum diuinæ misericordiæ, vt salua iustitia possit alicui conferri gratia. quia iniuria fieret diuinæ iustitiæ, si tali daretur gratia in quo esset obex, id est, voluntas peccandi.

E Sufficiens igitur habilitatio ad gratiam est, si homo facit quod in se est. Facere autem quod in se est, tria complectitur, scilicet vt homo actum peccandi, & voluntatem peccandi deserat, & conetur in bonum prout est sibi possibile Nota quod omne meritum, vel demeritum acquiritur in hac vita. Item non bonum facere, sed bene facere, laudabile est. Non enim verbis, sed aduerbiis meremur. Vnde versus:

In vita meritis præsunt aduerbia verbis.

CAPVT XIII.

De operibus meritoriis.

Opera meritoria totaliter sunt à gratia, & totaliter sunt à libero arbitrio, licet principaliter à gratia: quia gratia cõparatur ad liberũ arbitrium, sicut sessor ad

equum. Sicut enim sessor equum dirigit: ita gratia dirigit liberum arbitrium, in exercitio virtutum. Per nos enim malum facere possumus, sed non bonum.

Ad efficaciam merendi tria valent. Primum est difficultas operis, quod patet in martyrio. Secundum promptitudo voluntatis. Apostolus: Hilarem datorem diligit Deus. Tertium est magnitudo charitatis. Ipsa enim charitas pondus est sanctuarii, secundum quod omnia, quæ erant in templo, ponderabantur.

2. Cor. 5. b
Leui. 27. a

Ad hoc quod aliquod opus sit meritorium, tria requiruntur. Primo, quod ipsum opus fiat in charitate: quia opera, quæ fiunt extra charitatem. mortua sunt, sicut carbo extinctus. Secundo, quod fiat ex charitate, multa enim fiunt in charitate, quæ tamen non sunt meritoria, ex eo quod non fiunt ex charitate, id est, quia nõ referuntur ad finem debitum. Tertio, quod ipsum opus sit referibile ad bonum. Hoc ideo dico, quia mala non possunt bona intentione fieri, alioquin sequeretur absurditas, quod idem opus esset meritorium & demeritorium.

Attenduntur autem tria in merito ex parte hominis, scilicet subiectum, hoc est anima. Item liberũ arbitrium. Item intentio, siue finis. His tribus respondent tria ex parte Dei, scilicet gratia, virtus, charitas. Et gratia quidẽ reddit subiectum Deo gratum: virtus autem habilitat liberum arbitrium: charitas vero dirigit intentionem ad debitum finem. Dicit Augustinus quod meritum consistit penes liberum arbitrium; occasionaliter hoc dicit, quia liberum arbitrium facit ad meritum, sed non sufficit. Item penes virtutem; formaliter hoc dicit, quia ex virtute tanquam ex forma procedit motus, & elicitur de potentia. Item penes motum virtutum; essentialiter hoc dicit, quia motus essentialiter est meritum: quia penes ipsum est. Item penes gratiam; efficaciter hoc dicit, quia sine gratia nullus motus est meritorius. Item penes opus; instrumentaliter hoc dicit, quia opus exterius est, quasi causa instrumentalis ipsius meriti.

Nota generaliter, quod non meremur sine gratia, neque passionibus inquantum passiones sunt, neque motibus naturæ. Dicit enim Philosophus: Natura neque boni neq; mali sumus, neque inuiti. Augustinus: Nemo inuitus bene facit, etiam si bonum est quod facit, neque libero arbitrio ligato. Quisquis enim nõ habet vsum rationis & liberi arbitrii, non meretur, vel demeretur, sicut sunt infantes, dormientes, insani, & animalia bruta.

CAPVT XIV.

De fine actionis.

QVIA meritum vel demeritum circa finem actionũ attenditur, ideo nota regulas de hac materia.

Ex fine dicitur actus bonus, vel malus. Malus actus non fit ex fine bonus. Vna intentio multos actus informat. Vnde si aliquis intendit vnum solidum dare pro Deo, ita quod quotidie det vnum denarium, si quandoque obliuiscitur, & non refert in Deum dationem huius denarii, tamen datio est meritoria, propter ipsam intentionem primam. Finem sub fine potest quis ponere, verbi gratia, Aliquis intendit ire ad forum, & hoc intendit, vt emat medicinas, & ad hoc emit eas, vt curetur ab infirmitate, & ad hoc curari desiderat, vt melius Deo seruiat. In isto vltimo præcedentes voluntates omnes sunt meritoriæ propter vltimum. secundum enim vltimum finem omnes præcedentes voluntates iudicantur bonæ vel malæ. Diuersi fines non sunt faciendi, quorum vnus non sit ad alium referibilis, verbi gratia: aliquis intendit ire ad quamdam domum, vt luxurietur, ad hoc vult luxuriari, vt sanior sit, ad hoc vult esse sanus, vt seruiat Deo. Iste finis vltimus illam voluntatem, quæ est luxuriari, nõ informat, sed potius è conuerso illa voluntas istam intentionem deformat: quia vna intentio peruersa plures deprauat voluntates.

Nota quod actio corporalis potest referri ad finem temporale, dummodo postea referatur ad Deum. Actio autem spiritualis, vt prædicatio, non potest referri ad finem temporalem, etiam si illud temporale referatur ad Deum. Et hoc est, quod dicit Augustinus: Debemus manducare, vt euangelizemus, nõ euangelizare, vt manducemus. Si autem in actionibus finis primus ponatur Deus, & finis vltimus aliquod temporale, peruersissimũ est. Bene autem licet constituere duos fines, scilicet temporalem & æternum, vt scilicet illud quod est æternum finis sit vltimus.

CAPVT XV.

Quid mereamur bonis operibus.

OPERA bona sunt meritoria trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ. Primum respondet radici operis, scilicet charitati: & hoc est præmium substantiale vitæ æternæ, præmium vero accidentale respondet generi operis, sicut & augmentum gratiæ, quia operibus excellentibus & supererogatiuis meremur magis augmentum gratiæ, quàm aliis operibus.

Remissio autem pœnæ respondet pœnalitati operis, quia opera, quæ magis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Est enim regula in Theologia, quod pœna pœnæ est resolutoria. Nota igitur quod licet tota vis merendi vitam æternam, & etiam alia, consistat in charitate, non tamen totus effectus: quia effectus merendi consideratur etiam penes magnitudinem operis, sicut patet in merito remissionis pœnæ, quod nõ solum consistit in charitate, sed etiam in operibus pœnalibus: & huius exemplum habemus in Christo, qui meruit nobis apertionem ianuæ Paradisi cum effectu. hoc autem meritum nõ erat in sola charitate, sed in charitate & excellentia operis, id est, in sua passione.

Sciendum est, quod de præmio substantiali meretur homo tantum per vnum actum, quantum per mille manente eadem radice & non crescente. Valent tamen huiusmodi opera ad multa alia. vnde versus, *Iocundat*, scilicet mentem, *stabilit*, scilicet virtutes, *auget*, scilicet meritum accidentalis præmii. *Peccata remittit*, quantum ad pœnam, quæ iam dimissa sunt quo ad reatum per gratiam. *Debilitat*, fomitem, *remouet*, acediam, *exercitat hominem*, id est, assuefactione boni, *atque repellit*, tentationes diaboli.

Nota quod primam gratiam nullus peccator potest mereri proprie, & hoc multiplici ratione. Prima, quia talis non habet radicem merendi, id est, gratiam. Secunda, propter status indignitatem, quia peccator non est dignus pane, quo vescitur. Tertia, quia nullius hominis opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Vnde prius respexit Deus in Abel, quàm ad munera eius, vt dicitur in Genesi. Quarta, quia naturaliter antecedit causa suum effectum, sic & gratia cum sit causa meriti præcedit meritum. Ipsa enim secundum Augustinum, voluntatem nostram præuenit, vt velimus, & sequitur, ne frustra velimus.

Genes. 4. a
Aug. in Enchir. cap. 32 post med. tom. 3.

Gratia, sicut supra dictum est, per bonum vsum eius, & merito condigni meretur augeri in via, vt aucta mereatur perfici in patria, & hoc à Deo, cuius est gratiã infundere, augere, & perficere secundum cooperationem voluntatis nostræ. Nam sicut Deus est ipsius gratiæ fontale principium influendi, sic ipse solus est principium augendi per modum infundentis, gratia vero per modum meriti & dignitatis, sed liberum arbitrium per modum cooperantis. Sicut liberum arbitrium per gratiam meretur merito condigni augmentum gratiæ in statu viæ, sic etiam meretur merito condigni ipsius complementum in statu patriæ

Quod autem ex condigno mereamur vitam æternã, multæ sunt causæ. Prima est efficacia doni Spiritus sancti cooperantis in merito. Secunda, veritas Dei promittentis. Tertia, persuasibilitas liberi arbitrii consentientis,

& finaliter perseuerantis. Quarta difficultas status merendi. Quinta, dignitas Christi capitis nostri interuenientis, quod glorificari debet cum membris suis. Sexta, liberalitas Dei tribuentis, quem non decet parua reddere. Septima est obsequium fideliter obtemperantis. Octaua, nobilitas operis quod ex charitate procedit, quod tantum ponderat in conspectu iudicis, quantum amor ex quo procedit, & ideo non potest sufficienter nisi summo bono remunerari.

Opera quæ non fiunt in charitate, licet non valeant ad vitam æternam, valent tamen ad alia multa, vnde versus; *Aptat cor*, scilicet ad susceptionem gratiæ, *minuit pœnam*, scilicet illam, quæ deberetur, si non fieret illud opus, non autem illam, quæ iam debetur, *& dat bona terræ*, scilicet temporalia, *Occupat*, scilicet ne sit homo interim otiosus, vel operi malo deditus, *assuescit*, scilicet ad bene operandum, *delectat*, scilicet mentem, *mitigat*, scilicet fomitem, *arcet* scilicet fluxum peccati. Vltimo sciendum quod nullum malum erit impunitum, & nullum bonum irremuneratum.

CAPVT XVI.

De diffinitionibus & differentiis virtutum.

Macrob. lib. 1. in somn. Scip. cap. 8.

Virtutes secundum Macrobium dicuntur quandoque politicæ, quandoque purgatoriæ, quandoque purgati animi, quandoque exemplares. Primas docet Salomon in Prouerbiis, secundas in Ecclesiaste, tertias in Canticis, quartas in Deo legimus. Politicæ namque dicuntur secundum quod regunt vitam humanam, quo ad opera exteriora: & secundum quod pugnant contra vitia. Purgatoriæ dicuntur secundum quod iam sunt in victoria vitiorum, & respiciunt partim interiora, partim exteriora. Purgati animi dicuntur, quando victis iam vitiis possessor virtutum quiescit, raro insurgentibus primis motibus. Exemplares dicuntur quæ in mente diuina consistunt. Nam ideę virtutum in Deo sunt, & ipse rerum omnium est exemplar.

Arist. lib. 1. ethic. c. 13.

Aristoteles diuidit virtutes in intellectuales & consuetudinales. Intellectuales diuidit in sophiam, idest, sapientiam, & intelligentiam & phronisin, idest, prudentiam spiritus. Et hęc tria ordinant nos ad Deum, quia sophia regit affectum, intelligentia intellectum, sed phronisis vtrumque. Prudentia enim spiritus regit cogitationes, & affectiones. Virtutes vero consuetudines diuidit in honestatem & liberalitatem. Hęc duo ordinant nos ad hominem: quia honestas ordinat hominem quo ad seipsum, liberalitas quo ad proximum. Item philosophia moralis diuiditur in ethicam, œconomicam, & politicam. Harum prima mores quo ad ipsum hominem, siue quo ad seipsum instruit: secunda familiam disponit; tertia vrbes & regna gubernat & regit.

Circa virtutes hoc tenendum est, quod cum sit vna gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes quibus humana vita regitur: tres scilicet theologicæ, & quattuor Cardinales. Et licet hæ virtutes sint gratuitæ per informantem diuinam gratiam, possunt tamen informes fieri per culpam, & iterum informari per pœnitentiam adueniente gratia, quæ est habituū virtutis origo, finis & forma. De hac lege sola charitas excipitur, quæ informis esse non poterit sicut ceteræ virtutes, cum sit virtutum forma. Nam cum habitus aliarum virtutum habeatur sine gratia & charitate, in quibus consistit vita virtutum: tunc sunt informes. Cum autem gratia superuenerit, tunc formantur & decorantur, & Deo fiunt acceptabiles. Vnde virtutes informes sunt sicut colores in tenebris, sicut carbones extincti, & sicut rami aridi, & sicut alæ mortuæ, sicut aurum obscuratum, & gemmæ conuersæ in silices. E conuerso virtutes formatæ sunt sicut colores in luce, visibiles quidem, & aspectui complacentes: & sicut carbones ardentes, & sicut rami virentes, & sicut alæ viuentes ac volantes, & sicut aurum fulgens, & sicut gemmæ vas aureum decorantes.

Differentia est inter virtutes, & præcepta & dona, & fructus, & beatitudines: quia virtutes potentias disponunt, præcepta opera respiciunt, dona operibus perfectionem addunt, fructus facultatem spiritui, siue gustui saporem spiritualem apponunt, beatitudines ipsis virtutibus præmium, siue vitæ, siue patriæ coniungunt. Alia est differentia, quia virtutibus bene operamur, donis expedite, beatitudinibus perfecte operamur, sed fructibus fruimur Deo.

CAPVT XVII.

Differentia virtutum Cardinalium, & Theologicarum.

Differentia virtutum Theologicarum, & Cardinalium hæc est, quia Theologicæ mouent ad finem, sed Cardinales ad ea, quæ sunt ad finem. Alia differentia est, quia theologicarum virtutum finis, & obiectum est ipse Deus: sed virtutum cardinaliū finis est ipse Deus, & non obiectum proprie, quia virtutes theologicæ habentur per infusionem, cardinales vero per acquisitionem. Item virtutes theologicæ mouent ad opera ex rationibus sumptis à iure diuino, sed cardinales à iure naturali. Item virtutes theologicæ attenduntur quantum ad actus interiores, cardinales vero ad opera exteriora. Item virtutes theologicæ non habentur sine donis, cardinales vero sine donis haberi possunt. Item virtutes theologicæ sunt discretiuæ actuum in Deum, cadinales vero in proximum. Item in theologicis sic est quod habitus generat actus, sed in cardinalibus est è contra, quia ibi actus generat habitus. Vnde Philosophus: Quales inquit sunt actus, tales sunt & habitus.

CAPVT XVIII.

De virtutibus theologicis in genere.

Anima quantum ad superiorem partem in qua consistit imago Trinitatis, rectificari habet per tres virtutes theologicas. Vnde sicut imago Creatoris consistit in Trinitate personarum, & vnitate essentiæ: sic imago recreationis, in Trinitate habituum cum vnitate gratiæ. Per hos autem tres habitus virtutum anima fertur in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus personis: ita quod fides dirigit in summe verum credendo, & assentiendo: spes vero in summe arduum innitendo & expectando: charitas autem in summe bonum desiderando & amando.

Virtutes theologicæ differunt inter se multipliciter. Primo secundum actus proprios. Nam fides facit Deo assentire, spes in Deo confidere, charitas facit Deum diligere. Secundo differunt ratione subiecti: quia fides est in rationali, spes in irascibili, charitas in concupiscibili: sed ambæ sunt in voluntate, quæ propter similitudinem actuum accipit nomina harum potentiarum. Tertio differunt ratione obiecti. Nam fides est circa verum, spes circa arduum, charitas circa bonum. Quarto ratione effectus differunt. Nam fides in præsenti Deum sequitur, spes in cœlum comitatur, charitas perenniter amplexatur. Quinto differunt ratione cognitionis: quia per fidem cognoscitur Deus vt veritas, per spem habetur, vt æternitas, per charitatem diligitur, vt bonitas.

CAPVT XIX.

De fidei vtilitate.

Heb. 11.a

Fides secundum Apostolum est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. In hac diffinitione fides dicitur substātia, id est, fundamētū substans ædificio spirituali, quod est gratia, & gloria. Ipsa namque fides facit aliqualiter res sperādas in nobis subsistere per gratiam, & faciet tandem per gloriam. Vel ideo fides est fundamentum gratię & glorię, quia ipsa est primus

primus habitus virtutum: primus dico non tempore, sed natura. Rerum sperandarum dicitur, quia fides per assensum facit in nobis subsistere res sperandas. Argumentum dicitur, id est, arguens mentem, quia fides inclinat intellectum ad credendum ea, quæ non apparent, & propter hoc dicitur fides potius argumentum quam conclusio: quia fides probat de non apparentibus quod sint, & non probatur. Non apparentium dicitur, quia fides sua luce & virtute manifestat ea quæ non apparent, tam præterita, quam præsentia, quam etiam futura. Præterita quidem, quia secundum Apostolum fide intelligimus aptata esse sæcula. Præsentia vero, sicut ait Augustinus: Demus, inquit, Deo aliquid posse, & nos intelligere non posse. Futura autem, qu.a per fidem credimus resurrectionem mortuorum, & huiusmodi.

Hebr. 11. a
Aug. epi. 3. ad Volusia. ante med. tom. 2.

Fides dicitur multipliciter, scilicet habitus informatus charitate, illuminans mentem ad credendum. Fide purificans corda eorum. Qualitas informis. Fides sine operibus mortua est. Motus fidei. Augustinus *: Fides est credere quod non vides. Facilitas credendi. Non inueni tantam fidem in Israel. Deuotio fidei. Mulier, magna est fides tua. Articulus fidei. Vnde in symbolo Athanasij: Hæc est fides Catholica, vt credamus & confiteamur.

Act. 15. c
Iac. 2. c
Matt. 8. b
Matt. 15. c
** August. tract. 27. in Ioan. to. 9*

Sicut in aliqua scientia quædam sunt antecedentia, vt suppositiones: quædam vero consequentia, vt conclusiones: quædam quasi media. vt propositiones probantes: ita in doctrina fidei quædam sunt ibi ad modum suppositionum, vt ea, quæ sunt de iure naturali, & vniuersali antecedentia articulos fidei, scilicet quod scriptura sit condita & exposita inspiratione Spiritus sancti, & quod vera sunt quæ loquitur Dominus in Scriptura, & per sanctos suos, & huiusmodi: quædam ad modum conclusionum, vt ea quæ ad mores pertinent, scilicet non esse fornicandum, fornicationem esse mortale peccatum, & huiusmodi: quædam ad modum propositionum, vt articuli fidei.

Et nota quod fides est quasi media inter opinionem & scientiam. quia opinio se habet ad vnam partem contradictionis, cum formidine alterius partis, & sine causæ cognitione. Scientia vero se habet ad aliam partem contradictionis sine formidine reliquæ, & cum causæ cognitione per media necessaria. Vnde scientia est necessariorum. & ita patet quod fides participat cum vtraque.

Ad fidei perfectionem septem pertinent. Primum est quod sit primæ veritati innixa. sicut fides Moysi, qui negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Secundum est. quod sit charitate formata, sicut Mariæ Magdalenæ, quam fides saluam fecit, & cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertium est quod sit deuotione feruida, sicut illius mulieris, cui dixit Dominus: O mulier, magna est fides tua. Quartum, quod sit bonis operibus probata, sicut fides Cornelij. Quintum, quod sit fortitudine roborata sicut fides Stephani, Laurentij & aliorum martyrum, qui per fidem fortes facti sunt in bello. Sextum, quod sit obedientia decorata, sicut fides Abrahæ. Septimum, quod sit humilitate subiecta, sicut fides beatę Virginis, quæ ait: Ecce ancilla Domini.

Heb. 11. c
Luc. 7. g
Matt. 15. c
Act. 10. a
Luc. 1. d

Nota quod fides magis innititur auctoritati, quam rationi, quia secundum Gregorium: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; intellige, sufficiens. Quamuis enim fides rationibus firmetur, tamen nec talibus, nec experimento sensibili debet quis credere contra fidem: sicut patet in Eucharistia, vbi & visus & gustus, & tactus & olfactus dicit esse panem, & vinum, sed fides dicit esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. vnde Augustinus: Quod intelligimus, debemus rationi, quod credimus, debemus auctoritati. quod opinamur, debemus errori.

Greg. homil. 26. in Euang. non longe a prin.
Aug. lib. de vtilit. credendi con. Manich. ... to. 6.

Nota quod duplex est cognitio de Deo, scilicet naturalis, & accidentalis. Naturalis cognitio duplex est, scilicet ante peccatum, qua homo cognoscebat aperte Deum in creaturis: & post peccatum, & hoc est per speculum & in ænigmate. Accidentalis cognitio triplex est. Prima est acquisita per rationes naturales, quam habuerunt Philosophi, & hæc dicitur scientia. Secunda est, quæ habetur testimonijs scripturarũ & miraculorum: & hæc cognitio dicitur fides informis. Tertia est, quæ habetur per infusionem gratiæ gratum facientis, & hæc dicitur fides formata, & per talem cognitionem assentit anima primæ veritati propter se. & supra omnia. Vnde ea adueniente pereunt omnes aliæ cogitationes accidentales, ad minus quo ad actum. Cum enim aliæ cognitiones veniunt in animam, tunc fides tamquam velocior præoccupat motus omnium, cum fides sit de non apparentibus, & difficile sit occulta credere.

Duo autem sunt necessaria ad hoc, vt firmiter credatur. Primum est illustratio veritatis animam eleuans. Secundum est rectificatio auctoritatis animam firmans: quorum primum est per fidem, secundum per scripturã authenticam, & per Spiritum sanctum editam. Auctoritas ergo præbet fulcimentum fidei, & fides assentit auctoritati. Vtrumque vero per Christum est, propter quod & splendor & verbum dicitur, quia mentem per fidem illuminat, & veritatem per doctrinam ostendit.

Heb. 1. a
Ioan. 1. a

Hoc quoque sciendum est, quod tantum vna est fides, tam in præteritis, quam in præsentibus, quam etiam in futuris, licet magis clara sit in eis & explicita, qui sequuntur Christum quam in eis qui præcesserunt eius aduentum, sicut nouum Testamentum clarius est quam vetus. Quod enim nos credimus esse factum, antiqui patres credebant esse futurum, exceptis articulis qui adhuc restant complendi, sicut est resurrectio mortuorum, & iudicium extremum, & remuneratio bonorum, & punitio reproborum.

CAPVT XX.

De effectu fidei.

Fides multa bona facit, hominem saluat. Vnde dictũ est Magdalenæ: Fides tua te saluam fecit. Mentem purgat. Fide purificans corda eorum. Contra mundum pugnat: Sancti per fidem vicerunt regna. Postulata impetrat. Vnde in Matthæo: O mulier magna est fides tua. fiat tibi sicut petisti. Perseuerantiam dat. Apostolus: Tu autem in fide stas. Temporalia contemnit. Fide Moyses grandis effectus, negauit se filium esse filiæ Pharaonis. Iustificat. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Beatificat: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & cetera.

Luc. 7. g
Actor. 15. c
Heb. 11. f
Matt. 15. c
Rom. 11. c
Hebr. 11. e
Rom. 4. a
Ioan. 20. f

Super fundamentum fidei quidam ædificant aurum contemplationis, quia qui contemplatur sine fide, quasi qui nititur videre solem sine oculis. Quidam argentum prædicationis, quia qui prædicat sine fide, non loquitur eum, qui secundum Deum est, fidelem sermonem. Quidam lapides pretiosos bonorum operum, quia qui bene operatur sine fide, est sicut qui facit structuram super arenam. Item alii ædificant ligna, id est, amorem ardentem temporalium. Alij fœnum, id est, fumum delectationum carnalium. Alij stipulam, scilicet otiosorum verborum, & operum infirmorum. Isti quidem saluantur merito fundamenti, sic tamen quasi per ignem purgatorij, quo exuretur ædificium non idoneum tanto fundamento.

Fides habet quosdam effectus essentiales & principales, vt est facere filios Dei, & facere dignos vita æterna, & facere similes Deo, & purgare animam à tenebris peccati siue infidelitatis: & isti effectus sunt à Deo. Alios habet effectus voluntarios & secundarios, vt est credere, & dirigere opera aliarum virtutum. & imperare omnibus suo modo. Et isti effectus à libero arbitrio sunt.

CAPUT XXI.

De articulis fidei.

SI respectus habeatur ad eos qui symbolum ediderunt, tunc articuli sunt duodecim secundum numerum duodecim Apostolorum. Si autem consideremus quæ radicaliter sunt credenda, tunc articuli sunt quartuordecim, quorum septem spectant ad diuinitatem, & septem ad Christi humanitatem, & hæc signata sunt in septem stellis, & septem candelabris aureis: in quorum medio filius hominis ambulabat. *Apoc.1.d*

Sunt igitur septem articuli fidei, qui pertinent ad diuinitatem. Primus est vnum Deum esse, qui ibi notatur, *Credo in Deum.* Secundus est, Patrem Deum esse, ibi, *Patrem omnipotentem.* Tertius est, Deum Filium esse, ibi: *Et in Iesum Christum Filium eius.* Quartus est: Deum Spiritum sanctum esse, ibi: *Credo in Spiritum sanctum.* Sic patet quod prædicti quattuor articuli sunt de vnitate diuinæ essentiæ, & Trinitate personarum. Quintus est credere remissionem peccatorum his qui sunt in Ecclesia: ibi, *Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Sextus est credere mortuorum resurrectionem. Septimus est credere bonorum remunerationem, sub quo comprehenditur & malorum punitio: ibi, *Vitam æternam.* Et isti tres articuli ad diuinitatem pertinent: quia virtute diuinitatis fit peccatorum remissio, quæ est animæ viuificatio & corporum resurrectio, atque corporis simul & animæ glorificatio.

Alij septem sunt articuli, qui pertinent ad humanitatem Christi. Primus est credere Filium Dei esse conceptum de Spiritu sancto, ibi: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus est credere Filium Dei natum ex Maria Virgine, ibi: *Ex Maria Virgine.* Tertius, Filium Dei pro nobis mortuum in cruce, ibi: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.* Quartus est, Filium Dei descendisse ad inferos secundum animam, ibi: *Descendit ad inferna.* Quintus est, Filium Dei resurrexisse à mortuis, ibi: *Tertia die resurrexit à mortuis.* Sextus est eundem ascendisse ad cœlos & sedere ad dexteram Patris, ibi: *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.* Septimus est, Filium Dei iudicaturum viuos & mortuos, siue bonos, siue malos, ibi: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

Isti quattuordecim articuli colliguntur ex symbolo quod Apostoli ediderunt. Articulum primum & secundum de diuinitate posuit Petrus, Tertium Andreas, Bartholomæus Quartum, Quintum Simon, Thaddæus Sextum, Septimum Matthias. Item primum articulum de humanitate Christi posuit Iacobus maior, Secundum & Tertium Ioannes, Quartum Thomas, Quintum Matthæus, Sextum Iacobus minor, Septimũ Philippus.

Tria sunt symbola. Primum Apostolorum. Secundum Niceni Concilij. Tertium Athanasij. Primum factum est ad fidei instructionem. Secundum ad fidei explanationem. Tertium ad fidei defensionem.

Nota quod aliud est credere Deum, aliud est credere in Deum, & aliud credere Deo: quoniam credere Deum, est credere ipsum esse. Credere autem in Deum, est credendo ipsum amare, & amando in Deum ire, ac membris eius incorporari. Credere vero Deo, est credere verbis eius.

CAPUT XXII.

De spe.

SPes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex Dei gratia & meritis propriis proueniens. In hac diffinitione nõ sumitur certitudo demõstrationis in qua plene vni parti cõsentitur, sed certitudo opinionis qua vni parti cõsentitur, quia ratione probari videtur nec tamẽ omnino, sed cũ formidine. Huius autẽ expectationis causa principalis est gratia Dei, & non nostra merita: quia opera nostra non sunt meritoria, nisi ex Dei gratia: Sine meritis tamen aliquid sperare, non est spes, sicut ait Gregorius, sed præsumptio. In prædicta diffinitione diffinitur, motus spei, & non virtus, sed virtus spei diffinitur sic, Spes est audacia mentis de largitate Dei concepta habendi vitam æternam per bona merita.

Inter fidem & spem talis est differentia: Fides enim est de præteritis & futuris, spes autem de futuris tantum. Fides est de bonis & malis, spes autem de bonis tantum. Fides est de bonis tam sibi, quam aliis, spes autem de bonis sibi tantum. Conueniunt tamen in hoc, quod tam fides, quam spes est de inuisibilibus. Certitudo spei ex tribus oritur, scilicet ex diuina largitate, ex abundantia meritorum, & ex prægustatione æternorum.

Nota quod spes prout est viatorum, sic est cum certitudine opinionis, vt dictum est. Spes illorum, qui sunt in purgatorio, & qui fuerunt in limbo, est cum certitudine scientiæ, & non opinionis, vt est illa viatorum: vnde declinat aliquo modo à spe proprie dicta. Spes vero, quæ fuit in Stephano, quando vidit cœlos apertos, & quæ fuit in Paulo, quando dixit, Scio cui credidi, &c. & quæ fuit in Adam ante peccatum, fuit cum certitudine visionis, tamen satis debilioris, quam in cœlo. Vnde spes sic sumpta adhuc est minus proprie dicta. *Act.7.g* *2.Tim.1.c*

Ex his patet quod in patria non est spes præmij: quia beatitudo est omnium bonorum simul tota possessio. Vnde ibi nihil est futurum, quod speretur. Et licet sanctis adhuc futura sit resurrectio corporum secundum rem, tamen præsens est secundum cognitionem. Spes autem sic futurum respicit, quod priuat tam præsentiam rei, quam cognitionis, prout spes proprie sumitur.

Duplex est spes, scilicet suffragij, & primæ auctoritatis. Prima posita est in sanctis, secunda in solo Deo: & hæc triplex est. scilicet veniæ. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Gratiæ. Sperantes autem in Domino misericordiam circumdabit. Gloriæ. Qui sperat in Deo, saluabitur. *Psal.30.a* *Psal.31.d* *Prou.28.d*

Effectus spei multiplex est. A tribulatione liberat. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. Exemplum de Susanna & Daniel. Confortat. Pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens mater bono animo ferebat, propter spem, quam in Deum habebat. Mentem eleuat: Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & assument pennas, &c. Saluat: Qui saluos facit sperantes in se. Temporalia ministrat. Oculi omnium in te sperant Domine, &c. *Psal.21.a* *Dan.13.g* *2.Mac.7.d* *Isa.40.g* *Psal.16.b* *Psal.144.c*

Spes multis rebus comparatur: dicitur enim galea, Induti galeam salutis. Anchora: Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Medicina: Sperans in Domino, &c. Gemma: Gemma gratissima expectatio, &c. Solatium: Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam nobis spem. Clauis. Glossa super illud Psalmi: Sperate in Domino: per spem enim intratur ad illud videndum quod creditur. Lignum vitæ: Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. *1.Thess.5.b* *Heb.6.d* *Psal.25.a* *Prou.17.b* *Heb.6.d* *Sap.3.a*

CAPUT XXIII.

De charitate.

CHaritas secundum Apostolum, sic definitur: Charitas est finis præcepti de corde puro, &c. Et sumitur hic finis pro cõsummatione, quia charitas est cõsummatio, siue perfectio omnis pręcepti. Potest etiã dici finis terminationis omniũ pręceptorum, quia omnia opera, quæ sunt in pręcepto, tendunt ad charitatem, vt magis ac magis habeatur. De corde puro, id est intellectu puro, dicit Glossa. Et sumitur hic intellectus pro actu intelligendi, secundum quem causatur motus charitatis. Quanto enim quis Deum magis intelligit, tanto magis diligit, nisi alias impediatur. Et hic ista præpositio de, notat causam *1.Tim.1.b*

causam efficientem. Et conscientia bona, id est, spe, quia qui puram habet conscientiam, secure sperat. Et fide non ficta, idest, simulata vel fragili, sed inter aduersa forti. Prosper in libro de vita contemplatiua describit charitatem sic, Charitas est, vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, & præsentibus, ac futuris prorsus auersa, iuncta Deo inseparabiliter & vnita, igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & ad quem refertur, incensa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa bonarum actionum, salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma iustorum, sanctarum mentium armatura, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum: sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis Deo displicere non potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus; ex qua quidquid est boni operis viuit.

Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 13.

Charitas quantum ad actum diffinitur quattuor modis. Primo sic in 3. lib. sentent. Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deum. Secundo sic, Quid est charitas? vita copulans amantem cum amato. Tertio sic secundum Augustinum: Charitas est virtus qua videre Deum, & perfrui desideramus. Quarto sic secundum Augustinum: Charitas est virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est. Harum diffinitionum prima datur in comparatione ad Deum, secunda in comparatione ad eius possessorem, tertia in comparatione ad terminum, quarta in comparatione dilecti ad dilectum.

Magist. sent. lib. 3. d. 27. Cum autem

Aug. lib. 1. de mor. Eccl. cap. 11. tom. 1.

CAPVT XXIV.

De differentia inter charitatem & alios amores.

Amor triplex est scilicet gratuitus, naturalis, & vitiosus. Amor gratuitus est laudabilis, quia virtus est, & habet finem principalem bonum incommutabile. Hic diuiditur in amicitiam, & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligit quis Deum purissime, non respiciens vtilitatem suam, sed bonitatem amati: hoc modo diligit homo, plus Deum quam seipsum. Secundum vero concupiscentiam diligit quis Deum, remunerationem in eo expectans.

Amor naturalis nec laudabilis est, nec vituperabilis: habet finem indigentiam vel vtilitatem propriam. Iste similiter diuiditur in amicitiam, & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus Deum hoc amore, vt nostram perfectionem & nostram conseruationem, sicut magis ea quæ sunt plus necessaria, vt caput pro quo totum corpus exponimus, hic communis est nobis & brutis. Secundum concupiscentiam vero diligimus Deum, quia necessitati nostræ subuenit: quia hoc amore non diligitur res propter se, sed propter vsum eius. Vnde hoc modo plus diligit homo seipsum dilectione naturali quam Deum.

Amor vitiosus vituperabilis est, quia peccatum est, & habet finem, voluptatem, siue delectationem in creatura. Hic amor diuiditur etiam in amicitiam & concupiscentiam. Secundum amicitiam diligimus hoc amore creaturam, siue delectationē creaturæ propter se, quamuis in nobis non habeatur: secundum concupiscentiam vero diligimus voluptatem creaturæ propter nos.

Amor rerum multiplex est, scilicet naturalis erga se, pius erga parentes, iucundus erga socios, iustus erga amicos, violētus erga inimicos, sanctus erga Deum. Item differentia est inter amorem, dilectionem, & charitatem: quia amor proprie est naturæ, & dicitur amor quasi animorum vnio; quia quietat appetitum in re amata. Dilectio est amor proximi, & dicitur dilectio quasi duo ligans, sociat enim amantem cum amato in amore, vt se mutuo diligant. Charitas est amor in Deum. Hæc amicum determinat & indicat omnibus chariorem, vnde dicitur charitas quasi chara vnitas, vel quasi charum faciens Deo. Alia est differentia inter prædicta: quia amamus Deum propter se, diligimus eum super omnia: charitas vtrumque complectitur, scilicet super omnia, & propter se. Diligere Deum in hoc differt à dilectione proximi, quia diligere Deum est velle ei bonum quod habet: scilicet quod sit omnipotens, & summe bonus, & huiusmodi. Item diligere Deū est velle præcepta eius seruare cum intentione fruendi eo. Item diligere Deū, est eū velle possidere, & ab ipso possideri. Itē diligere Deum est voluntatem eius voluntati nostrę in omnibus præferre. Diligere vero proximū, est velle ei summum bonum non per essentiam, sed per gratiam. Item diligere proximum, est idem velle, & idem nolle in bono. Item diligere proximum, est successiuum bonum ei optare, & quærere. Item diligere proximum, est velle ei hoc quod sibi. Est iterum differentia inter dilectionem Dei, & proximi: quia Deum diligimus in se, & propter se, proximum vero diligimus in Deo, & propter Deum.

Quando autem dicimus duplicem esse charitatem, scilicet Dei & proximi, hæc duplicitas non intelligitur quantum ad habitus, sed quantum ad actus, quia vno habitu charitatis diligitur Deus & proximus. Charitas quandoque dicit habitum. Charitas Dei diffusa est in &c. Quandoque dicit motum. Ordinauit in me charitatem. Quandoque signum. Vnde Ioannes: Maiorem charitatem nemo habet, id est, maius signum, scilicet charitatis. Quandoque tertiam personam in trinitate. Deus charitas est, & sic sumitur personaliter. Quandoque sumitur essentialiter, & sic tota trinitas dicitur charitas. Quandoque sumitur pro feruore charitatis. Vnde in Luca: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Rom. 5. a
Cant. 2. a
Ioan. 15. b
1. Ioann. 4. c
Luc. 7. g

CAPVT XXV.

De effectu charitatis.

Charitas peccatum expellit, vnde de Magdalena dicitur: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Legem custodit: Qui diligit proximum suum, &c. Deum homini iungit: Qui manet in charitate, in Deo manet, &c. Mentem virtutibus ornat, Charitas patiens est, benigna est, &c. Perfectionem adducit. Apostolus: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Gloriam tribuit: Si quis diligit me, &c. & sequitur, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Dilectione Dei dignum facit. Si quis diligit me, diligetur, &c. Charitas in cordibus nostris diffunditur, eum ad proximum dilatatur. Effunditur per prædicationem, & per opera misericordiæ, infunditur per illuminationem gratiæ, superfunditur per opera perfectionis & supererogationis. Per charitatem venit Deus ad homines in incarnatione, & in homines in gratiæ collatione. Per ipsam charitatem currūt homines ad Deum bona operatione, & perueniunt ad eum in glorificatione. Amoris est vulnerare, quia intima cordis penetrat. Vulnerata charitate ego sum. Languidum facere, & hoc per desiderium essendi cum amato. Nuncietis dilecto meo, quia amore langueo. Inebriare, quia sic tendit in amatum, quod sui ipsius & omnium rerum præter illum obliuiscitur. Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. Liquefacere, quia cor in diuina dulcedine sic resoluitur, quod appetens cum appetibili mirabili amicitia vnitur. Anima mea liquefacta est vt dilectus locutus est. Amor habet vim diffusiuam in bona operatione, vnitiuam in proximi dilectione, transformatiuam in iustificatione. Item aliter hoc ostenditur, quod habet vim diffusiuam, vt patet in creatione, vnitiuam vt patet in Christi incarnatione, transformatiuam, vt in glorificatione.

Luc. 7. g
Rom. 13. c
1. Ioan. 4. c
1. Cor. 13. a
1. Cor. 12. d
Ioan. 14.
Ioan. 14. c
Cant. 2. a sec. lxx.
Cant. 5. c
Cant. 5. a
Cant. 5. b

CAP.

CAPUT XXVI.

Quibus rebus charitas assimiletur.

CHaritas est bonorum principium, quia à Deo: bonorum medium, quia secundum Deum: bonorum finis, quia propter Deum. Charitas dicitur bonæ operationis principium, quia mouet ad id. Gregorius: Charitas magna operatur, si est. Dicitur etiam medium, quia opera informat. Dicitur quoque finis, quia opera dirigit, & ad debitum finem perducit.

Greg. homil. 30. in Euang. post princ.

Quomodo autem dicatur finis, sciendum est quod triplex est finis, scilicet consumptionis, consummationis, & terminationis. Primo modo charitas est finis peccatorum, quia ea consumit. Secundo modo est finis præceptorum, quia ea perficit. Tertio modo tam vita æterna, quā ipse Deus est finis nostri laboris: sed vita æterna, finis est qua quiescitur. Deus vero terminus in quo quiescitur.

Charitas dicitur forma virtutum multipliciter. Primo, quia mouet omnes virtutes ad opera exteriora, per quæ perficiuntur virtutes, & merentur augeri. Secundo, quia omnes virtutes mouentur ad finem charitatis, scilicet ad bonum. Charitas enim habet bonum pro fine, & obiecto: aliæ autem virtutes habent bonum, non pro obiecto, sed pro fine tantum, & ille finis virtutum perfectionem denotat. Tertio, quia charitas auget virtutum delectationem, & tollit fastidium, & alleuiat onera, propter ipsius desiderium. Quarto, quia componit animam, & perficit, non quidem in esse naturæ, sed in esse gratuito & meritorio. Charitas multis rebus assimilatur, quia comparatur auro quod fornax tribulationis probat. Auroræ, quam sequitur dies æternitatis. Arcæ Noe, in qua qui non fuit inuentus, periit. Arbori bonos fructus proferenti. Alæ ad cœlestia subleuanti. Bitumini animam Deo coniungenti. Claui cœlum aperienti, coronæ mentem decoranti, capiti sensum & motum influenti. Charitas.n. influit sensum, id est, ratione merendi aliis virtutibus: & motum, id est affectum mouendi meritorie. Deo mentem illuminanti. Sponsæ thronum Deo exhibenti. Funi Deo attrahenti. Firmamento aquas voluptatis ab aquis æternitatis diuidenti. Fonti mentem irriganti. Gemmæ animam ornanti. Gladio flammeo paradisum custodienti. Igni affectum accendenti. Iugo suauiter prementi. Mannæ de cœlo descendenti. Rosæ rubenti. Radici humorem gratiæ, quem à summo trahit, ad virtutes transmittenti, vt sic nutriantur & conseruentur in bono. Soli fulgenti. Thesauro latenti. Vinculo omnes rationes diligenti in dilecto colliganti. Vino inebrianti. Vesti peccatorum turpitudinem cooperienti. Vnguento vulnera letalia curanti.

Sap. 3. b
1. Pet. 3. d

CAPUT XXVII.

De excellentia charitatis.

CHaritas excellit alias virtutes in multis. Primo in Dei conformitate. Diligamus Deum, quoniam ipse prior. &c. Secundo in speciali dignitate. Richardus, Charitas est regina virtutum. Tertio in pretiositate, quia est aurum de Ophir. Quarto in speciositate, quia est planeta Veneris, & animæ pulchritudo: quia sicut pulchritudo exterioris hominis est in decenti membrorum ordinatione, & venustate coloris, sic etiam pulchritudo animæ est ex decenti ordinatione actuum, & habitu venusto: hoc autem facit charitas in anima, eius actus ordinatus est, & Venustus habitus. Quinto in supportatione laboris. Augustinus*: Omnia grauia & immania leuia facit amor. Sexto in vigorositate. Fortis est vt mors dilectio. Septimo in vtilitate. Augustinus: Habe charitatem, & fac quod vis. Octauo in delectatione, quia charitas secundum actum suum facit nos delectari in Deo, non solum in patria, sed etiam in via.

Richardus de S. Vict. in Psal. 44.
** Aug. de Verb. Dom. ser. 9. & de temp. serm. 48. Vers. fin. to. 10.*
Cant. 8. b
Aug. in 1. Canō. Ioan. hom. 7. post med. to. 9.

CAPUT XXVIII.

De signis dilectionis.

SIgna dilectionis sunt hæc, quia amicus amicum libenter audit, libenter de ipso loquitur, sæpe de illo cogitat, sine tædio illi obsequitur, corpus & res pro illo exponit, offensam cauet, offensum placat, congaudet prosperitati, condolet aduersitati. Gaudet de illius præsentia, dolet de absentia. Diligit & odit hoc quod ille. Conatur ei placere, timet displicere. Trahit alios ad eius amicitiam. Munera ab eo data non alienat. Consiliis illius acquiescit, petit ab eo fiducialiter.

Qualiter possit quis scire vtrum habeat charitatem. Nota quod quidam sciunt se non habere charitatem, vt qui sunt in actu peccandi vel in proposito. Quidam dubitant se habere charitatem, quia rationes habent pro vtraque parte, vt sunt illi qui incipiunt facere quod in se est. Quidam putant se habere charitatem, sicut qui multa bona fecerunt, & diu abstinuerunt à peccato, adhuc tamen sustinent motus tentationum, & imaginantur turpia. Quidam experiuntur se habere charitatem, vt illi qui gustant diuinam dulcedinem, in quibus fomes fere extinctus est, & quasi semper vel bona faciunt, vel affectant. Quidam certi sunt se habere charitatem, vt quibus Deus reuelauit, qualis fuit Paulus: cui Dominus dixit: Sufficit tibi gratia mea.

2. Cor. 12. b

CAPUT XXIX.

De gradibus amoris.

GRadus amoris sunt isti: Primus est, cum diligo me propter me, iste amor non est bonus. Secundus est, cum diligo Deum propter me. iste est mercenarius, sed tunc est bonus, si principalis finis est Deus. Tertius est, cum diligo Deum propter se, id est, quia bonus. Hic est valde bonus, quia talis amor vno tantum oculo, id est, dextero respicit Deum. Quartus est, cum diligo me propter Deum, hic est optimus, quia in tali amore nihil quærit homo de suo etiam in seipso, sed tantum quæ Dei sunt.

Super omnia diligendus est Deus: quia cum ipse sit principium, hoc ipso est summum, & hoc ipso quod summum est, summe bonum est: & hoc ipso quod summe bonum est, summe beatum est: & hoc ipso quod summe beatum est, summe beatificum est, & hoc ipso est summe fruendum: & propter hoc ipsum est ei summe per amorem inhærendum, & in eo tamquam in fine quiescendum.

Tria generaliter diliguntur, scilicet vtile, honestum, & delectabile. Propter primum diligenda est tribulatio, quia vtilis. Propter secundum diligenda est virtus, quia honesta. Propter tertium diligendus maxime est Deus, quia est delectabilis, immo propter hæc omnia diligendus est Deus, quia ipsum diligere est vtile, honestum, & delectabile.

Gradus amoris vel charitatis inquantum tollit peccatum sunt isti: Primo tollit charitas peccatum mortale, non quantum ad habitum, sed quantum ad actum: liberat enim à peccato mortali: sed non à potestate cadendi in illud. Secundo modo charitas tollit peccatū mortale quantum ad actum, & quantum ad habitum, sed veniale neutro modo, sicut patet in aliquibus sanctificatis. Tertio modo charitas tollit peccatum mortale vtroque modo, & veniale quo ad actum, sed non quo ad habitum: talis fuit charitas in beata Virgine ante conceptionem Christi. Quarto modo charitas tollit vtrumque vtroque modo, sicut fuit in beata Virgine in conceptione Christi, & post: tunc enim fuit in ipsa sublatus fomes peccandi totaliter. Quinto modo tollit charitas vtrumque vtroque modo, & insuper omnem miseriam: & hoc net in patria. Perfecta est charitas, quādo est habitu magna, motu interiori directa, opere exteriori sollicita, radice

radice stabilita, feruore discreta, dulcedine consolatoria. Diligendus est Deus toto corde, id est, intellectu sine errore: tota anima, id est, voluntate sine contrarietate, tota mente, id est, memoria sine obliuione.

CAPVT XXX.

De ordine charitatis.

Aug. lib. 1. de Doctr. Christiana c. 23. to. 3.

ORdo charitatis secundum Augustinum, est diligere primo quod supra nos est, id est, Deum; deinde quod nos sumus: post hoc quod iuxta nos est, idest, proximum. vltimo quod infra nos est, idest corpus nostrum proprium. In eodem gradu contineri debet corpus proximi: quia vtrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri. Secundum Ambrosium diligendus est primo Deus, secundo parentes, deinde filij, post domestici, vltimo inimici: sed hoc de exhibitione quidam intelligunt.

Citatur ex Amb. à Magist. in 3. d. 29. & habetur in Glos. ord. sup. 2. Cant.

Aliquis magis diligitur ab altero multipliciter, scilicet maiori affectu: sic super omnia diligendus est Deus: sed inter homines magis diligendi sunt parentes, quam filij, deinde consanguinei, secundum gradus cognationis. Maiori affectu diligendi sunt filij, quam parentes, sed æque parentibus succurrendum est, prius magis indigenti. Ad maiorem gratiam, sic magis diligendi sunt qui se magis ad gratiam præparant & habilitant. Ad gloriam, sic diligendi sunt secundum gradus participandi bonum gratiæ. Nota quod idem est ordo dilectionis naturæ & gratiæ, * hoc excepto, quod homo dilectione naturali se magis diligit, quam Deum: sed è conuerso est in dilectione gratuita. Præterea sciendum est quod idem ordo charitatis, qui secundum Augustinum est in via, erit etiam in patria: quia cum gloria perficiat naturam, quidquid non est imperfectionis in natura, manebit in gloria.

** Idem habet S. Bon. 3. sent. dist. 29. q. 2. ad 1. & q. 4. ad arg. contrarium tamen S. Tho. 2. 2. q. 26. ar. 3. in corp.*

CAPVT XXXI.

De dilectione proximi.

MVtuo se debent homines diligere, quia omnes sunt membra vnius corporis Christi mystici quia vno Spiritu sancto viuificantur spiritualiter, & vniuntur quia vnam fidem habent, quia vnum baptisma receperunt. quia vnum Patrem habent & Dominum, quia ad vnum regnum tendunt. Dilectionem proximi suadet ius naturæ. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ius scripturæ. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Exemplum creaturæ, quia similis simili gaudet, & omne simile diligit sibi simile.

Matt. 7. b

Matt. 22. d

Melius est diligere quam diligi, quadruplici ratione. Primo, quia quod diligimus, scimus: sed quod diligamur, nescimus, sed credimus. Secundo, quia diligere, propriæ virtutis est: sed diligi, alienæ. Tertio, quia cum vere diligimus, alios nobis obligamus: cum vero diligimur, aliis obligamur. Quarto, quia cum diligimus meremur nobis: cum autem diligimur, alij merentur sibi. Per dilectionem proximi efficimur imitatores Christi. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Discipuli Saluatoris. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, &c. Contemplatores Dei Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & videt Deum. Societas fraterna vtilis est ratione subleuationis. Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem. Ratione consolationis. Ecce quam bonum, & quam iucundum. Ratione exhortationis. Seneca: Semper ante oculos tuos ponendus est aliquis, cuius exemplo proficias, quia nisi ad regulam praua non corrigas, à modica scintilla augetur ignis.

Ioan. 15. b

Ioan. 13. d

1. Ioan. 2. b

Eccl. 4. c

Psal. 132. a

CAPVT XXXII.

De dilectione inimicorum.

CIrca dilectionem inimicorũ nota quod alia est dilectio affectus, & alia dilectio effectus. Dilectio A affectus duplex est, quia alia est innocentiæ, & alia beneficentiæ. Dilectione innocentiæ tenemur diligere inimicos, quia non debemus eis optare malum inquantum malum, sed inquantum est eis expediens, vel reipublicæ. Affectus dilectionis beneficentiæ duplex est, scil. principalis, & secundarius. Affectus principalis est velle & optare inimicis bona spiritualia, sicut est gratia, & gloria. & ita tenemur per affectum diligere inimicos. Affectus autem dilectionis secundarius est optare inimicis bona temporalia, hoc modo non tenemur semper diligere inimicos, quia non semper expedit eis habere bona temporalia.

Eodem modo distinguendum est de dilectione effectus, quia similiter duplex est, innocentiæ, & beneficentiæ. B Primo modo tenemur omnes diligere inimicos, quia tenemur eis non inferre mala, nisi forte propter bonum personæ, vel reipublicæ. Secundo modo distinguenda est dilectio beneficentiæ: quia si est beneficium spirituale ad salutem necessarium, tunc tenemur illud inimicis impendere: sicut orare pro eis, non quidem in speciali, sed in generali: ita scilicet, vt non excludamus eos ab orationibus communibus. Si vero est beneficium temporale, ad hoc non tenemur nisi in casu necessitatis.

Nota tamen esse duplicem inimicum, scilicet personę nostræ, & Ecclesiæ. Igitur inimico personæ nostrę benefacere perfectionis est, nisi inquantũ ipsi vel alteri beneficium occasionaliter nociuum esset: quia in tali casu beneficium subtrahere vtile est. C Inimico autem Ecclesiæ beneficium subtrahere perfectius est & melius, nisi inquantum per beneficium speratur reconciliandus Ecclesiæ. Ex prædictis patet quod optare bona temporalia inimicis Ecclesiæ imperfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando creduntur per hoc conuertendi. Inimicis vero personæ optare bona temporalia, perfectionis est, nisi per accidens, scilicet quando putatur eis, vel aliis nociua. Nota quod licet amicum diligere sit magis debitum, tamẽ diligere inimicum, magis est remissionis pœnæ meritorium, & ad alia multa valet. Primo, quia magis accedit ad perfectionẽ virtutis. Maioris enim perfectionis est, quia magis gratuitum. Secundo, quia motus charitatis quo diligimus inimicum, magis meritorius est remissionis pœnæ, & hoc ratione difficultatis: licet diligere amicum, sit magis meritorium vitæ æternæ ratione in D tentionis. Amor enim naturalis feruentiorem facit motum charitatis, sicut dispositio materialis confert formę. Tertio, quia inimicum diligere, est expressius signum charitatis, quia contra motum naturæ est: vnde valde difficile est, nisi adsit gratia, per quam vincatur natura. Nota quod ille cui iniuria facta est, non debet reconciliationem quærere ex debito necessitatis: sed si facit, complet debitum perfectionis: vnde ait Chrysostomus, quod talis debet reconciliationem quærere, vt duplicem gloriam consequatur: Vnam, quia iniuriam passus est, alteram, quia prior rogauit.

CAPVT XXXIV.

De virtutibus Cardinalibus in genere.

E PEr virtutes Cardinales anima rectificatur in suis viribus. Nam prudentia rectificat rationalem, fortitudo irascibilem, temperantia concupiscibilem. Iustitia vero rectificat omnes vires, prout natura iustitiæ comprehendit non solum specialem iustitiam, quæ est in commutationibus, vel distributionibus, sed etiam legalem, quæ est omnis virtus, prout eius actus pertinet ad debitum obedientiæ præceptorum. Ipsa enim iustitia generalis comprehendit virtutes ordinantes ad proximum. vt est æquitas & liberalitas: & ordinantes ad seipsum sicut innocentia, & pœnitentia, & ordinãtes ad Deum sicut est latria, pietas, & obedientia. Propter hoc iustitia dicitur circuire omnes virtutes, & quod non tantum est virtus specialis, sed etiam generalis comprehendens totius animę rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis.

tatis. Item per virtutes Cardinales instruitur homo in operibus & contra vitia armatur. Primũ fit dupliciter: quia instituitur quo ad se per prudentiam, & quo ad proximum per iustitiam. Secundum etiam fit dupliciter: quia homo armatur in prosperis per temperantiam, & in aduersis per fortitudinem. Item dicit Augustinus, quod prudẽtia est in eligendis, fortitudo in tolerandis, temperantia in vtendis, iustitia in distribuendis. Item dicit quod prudẽtia est in præcauendis insidiis, iustitia in subueniendis miseriis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus prauis. Augustinus ait, in musica sua, quod succedit prudentiæ contemplatio, fortitudini firmitas adhærentiæ, temperantiæ mensura delectationis, iustitiæ debita ordinatio ad Deum & proximum.

Aug. lib. de Spir. & ani. c. 20. 30. 3.

Aug. li. 6. de Musica c. 16. in fin. 10. 1.

Istæ quattuor virtutes appellantur cardinales, quia sicut ostium vertitur in cardine, sic in his vertitur, & regitur vita hominis. Vocantur etiam politicæ, quia ordinatur in his vita ciuilis, & hominem poliunt, & ornant. Dicuntur etiam humanæ, quia humano studio acquiruntur, nisi diuinitus infundantur. Appellantur etiam consuetudinales, quia non ex vno actu, sed ex consuetudine nascuntur: vel quia honestas humana se magis exercitat in istis, sicut & sanctorum deuotio se magis exercitat in virtutibus theologicis.

Nota quod prudẽtiæ est scire quod possit: temperantiæ est non præsumere quod non possit: iustitiæ est velle in omnibus quod æquum sit: fortitudinis est velle plus, quam possit. Istæ virtutes habent suos gradus perfectionis secundum quos aliter possident incipientes, aliter proficientes, aliter perfecti. Dicuntur etiam virtutes politicæ quandoque secundum quod regunt vitam hominis quo ad opera exteriora, & prout pugnant contra vitia, & hoc modo sunt incipientium. Purgatoriæ dicuntur secundum quod iam sunt in victoria vitiorum, & consistũt partim intra, partim extra, & sic sunt proficientium. Dicuntur autem purgati animi, secundum quod iam deuictis vitiis quiescit homo, ita quod raro primi motus insurgunt: & hoc modo pertinent ad perfectionem. Exemplares dicuntur prout sunt in mente diuina Nam sicut omnium rerum Deus exemplar est, ita & ideę virtutum in ipso consistunt.

CAPVT XXXIV.

De prudentia.

Macrob. lib. 1. in somn. Scipion.

PRudentia secundum quod est virtus politica, est, vt ait Macrobius, ad rationis normam, quæ cogitat quæcumque agit, vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle, vel facere. Prudentia vero, secundum quod est virtus purgatoria, est, vt idem ait, & mundum, & omnia, quæ in mundo sunt, diuinorum contemplatione despicere, & omnem animæ cognitionem in sola diuina erigere. Prudentia autem prout est virtus purgati animi, est sola diuina noscere, & ea tamquam nihil aliud sit intueri. Prudentia sane exemplaris est ipsa mens diuina, cui omnia nuda sunt & aperta.

Heb. 4. 8

Tullius lib. 2. de inuent.

Partes prudentiæ, secundum Tullium, sunt intelligentia, prouidentia, memoria. Intelligentia vero est per quam animus prospicit ea quę sunt. Prouidentia autem virtus est, vt idem ait, per quam aliquid videtur futurum antequam factum sit. Memoria secundum eundem est per quam repetit quis ea quæ fuerunt.

Nota quod duplex est iudiciũ rationis, discretiuum, scilicet & diffinitiuũ. Iudicium discretiuum est, quo ratio iudicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum. Circa tale iudicium est scientia, & non virtus. Iudicium vero diffinitiuum est, quo ratio imperat aliquid fieri, vel non fieri; & circa istud est virtus. Vnde in primo iudicio se habet scientia ad operationes bonas, vt consiliarius: in secundo vero iudicio se habet virtus, vt imperator.

Prudentia habet regere ceteras virtutes in actibus suis secundum omnes partes philosophiæ moralis, quæ sunt ethica siue moralis, œconomica, & politica: quarum prima mores quo ad se ipsum instruit: secunda familiam disponit: tertia vrbes & regna regit. Triplex est prudentia. Prima est cordis, & hæc est in dispositione præsentium, & recognitione præteritorum, & præuisione futurorũ. Vtinam saperent, scilicet præterita, & intelligerent, scilicet præsentia, ac nouissima prouiderent, scilicet futura. Secunda est oris, & est hæc in moderatione sermonum. Qui moderatur labia sua, prudẽtissimus est. Pone Domine custodiam ori meo. Tertia est operis & hoc consistit, vt ait Tullius, in fuga mali, & electione boni. Declina à malo, & fac bonum.

Deut. 32. c

Prou. 10. c

Psal. 140. a

Nota quod alia est prudẽntia mũdana, alia humana, alia diuina. Prima est in temporalibus acquirendis: secunda in commodo carnis: tertia in obsequiis diuinis. Officium prudentiæ est actus aliarum virtutum dirigere, sicut supra dictum est. Bernardus: Discretio non tam virtus est, quam auriga virtutum. Nolle enim fallere nec falli, vt dicit Seneca, est res secundum virtutem æstimare. Idem: Tunc per rationem recte viues, si diuina prius æstimes, si dignitatem rerum non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Nobis commissa ad Dei gloriam, & proximi ędificationem dispensare. Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam &c. Mutabilitatem fugere. Seneca: Scitote in quibusdam perseuerare debere, quia cœpisti, quædam nec incipere.

Bern. sup. Cant. ser. 49. cir. med.

Luc. 12.

CAPVT XXXV.

De temperantia.

Macrob. lib. 1. in somn. Scip. cap. 8.

TEmperantia secundum Macrobium, prout est virtus politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo legẽ moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Temperantia, prout est virtus purgatoria, est omnia relinquere inquantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit. Temperantia vero, prout est virtus purgati animi est: terrenas cupiditates non solum reprimere, sed pœnitus obliuisci. Temperantia, prout est virtus exemplaris, est quædam in se perpetua intentione conuersatio.

Cic. de inuent. lib. 2.

Partes temperãtiæ secundum Tullium sunt tres, continentia, clementia, seu abstinentia, & modestia. Continẽtia secundum eundem Tullium est virtus, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia est, per quam motus animi in odium alicuius temeritate concitati, comitate vel hilaritate retinentur. Modestia est virtus, per quam pudor honestus charam & stabilem auctoritatem comparat. Species temperantiæ sunt tres, sobrietas, continentia, & modestia. Prima consistit circa gustũ, in quo ponit modũ sobrietas. Secunda est circa tactũ, quantum ad vim generatiuã: cui imponit modum castitas. Habet enim homo vehementem appetitũ conseruãdi se in esse indiuidui per nutrimentũ, & conseruandi se in esse speciei per generationem. Isti autẽ appetitus restringuntur per sobrietatẽ & continentiã. Tertia consistit in dictis & factis. Factũ autẽ, prout hic accipitur, pertinet ad tres sensus circa proprias eorum materias, scil. visum, auditũ, olfactum. Pertinet etiam hoc factũ ad tactũ, non quidẽ qui est in generatiua, sed ad alios quorum organa sunt manus ad percutiendũ, vel capiẽdũ, & pedes ad ambulandum. In omnibus istis modum ponit modestia.

Dignitas temperantiæ in hoc est, quod animam decorat: quia sicut in naturis forma est decentior materia, sic & in moribus plus commendatur modus, quam ipsa actio. Propter hoc temperantia comparatur Soli, qui medius planetarum est, & decentior inter omnes. Meritum cumulat, quia medium tenuere beati. Vnde dicitur quod verbis non meremur, sed aduerbiis, id est, non eo quod aliquid facimus, sed in eo quod bene facimus. Istud patet in illa vidua, quæ obtulit duo minuta & magis cõmendata est, quam qui magna dona miserũt in gazophylacium. Vitiosos appetitus refrenat, sicut

Luc. 21. a

supra dictum est: vnde comparatur freno & remo, & limæ quæ superfluum rubiginis tollit de ferro. Actiones informat, secundum quod Apostolus instruit, dicens: Rationabile obsequium vestrum. Medium seruat. Bernardus: Tene medium, si non vis perdere modum. De hoc medio dicitur, Medio tutissimus ibis. Istud medium voluit Dominus nos tenere, quando fecit Euam non de capite vel de pede, sed de costa: & quando fecit hominem partim corporalem, & partim spiritualem: vt dignitate naturæ sub natura esset angelica, & super corpoream creaturam. Christo assimilat, qui stetit in medio discipulorum, sedit in medio doctorum, suspensus est in medio latronum, locatus est in medio duorum animalium, visus est à Ioanne in Apocalypsi in medio candelabrorum aureorum. Naturam conseruat, quia natura in mediis delectatur, & per extrema corrumpitur. Vnde Philosophus: Excellentia sensatorum corrumpitur sensus. Ferculis æternis cibat. Vnde temperantia comparatur ligno vitæ, quo erat in medio paradisi.

CAPVT XXXVI.

De fortitudine.

FOrtitudo secundum Macrobium, prout est virtus politica, est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter aduersa vel prospera. Fortitudinis purgatoriæ est animo non terreri à corpore recedente, nec altitudinem abhorrere. Fortitudinis purgati animi est passiones ignorare, non metuere, vt nesciat irasci, & nihil cupiat inhonestum. Fortitudinis exemplaris est esse immutabilem, quia semper idem est, nec aliquando mutatur.

Partes fortitudinis secundum Tullium sunt quattuor: Magnificentia, fiducia, patientia, & perseuerantia. Magnificentia secundum eundem est magnarum & excellarum rerum cum ampla quadam animi* proportione cogitatio atque administratio. Fiducia est virtus per quam in magnis & honestis rebus multum ipse animus cum certa spe fiduciæ in se collocatur. Patientia est honestatis & vtilitatis causa rerum arduarum atque difficilium voluntaria & diuturna perpessio. Perseuerentia est virtus in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio.

*al. propositione.

Multi sunt effectus fortitudinis: Primus est, quia de hostibus triumphat. Iudas Machabæus, & idem vir fortissimus. Secundus, quia homini sua bona conseruat, Cum fortis armatus, &c. Tertius, quia ditat: Manus fortium diuitias parat. Quartus, quia regnum cœlorum expugnat. Regnum cœlorum vim patitur, &c. Quintus, quia ornat. Fortitudo & decor, indumentum eius. Sextus, quia in extremis assecurat. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Septimus, qui remunerationem expectat. Mulierem fortem quis inueniet, &c.

Fortitudo consistit in quinque, scilicet in aggressione arduorum. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. In contemptu terrenorum. Moyses negauit se esse filium Pharaonis, &c. In sustinentia tribulationum. Fortis est, vt mors dilectio. In resistentia tentationum. Apostolus. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. In impugnatione vitiorum. Militia est vita hominis super terram.

Multa iuuant fortitudinem. Primum est exhortatio prudentium. Vnde legitur de Iuda Machabæo, quod armauit socios non clypei vel hastæ munitione, sed sermonibus optimis. Secundum, exempla robustorum, vt legitur de Eleazaro, quod elegit fortiter mori pro paternis legibus, exemplū virtutis, & fortitudinis posteris relinquēs. Tertiū est exercitatio in pugnis. Vnde legitur in Iosue, ꝙ Dominus nō deleuit statim omnes hostes filiorū Israel, sed reliquit aliquos, vt per eos haberent cōsuetudinem prœliandi. Quartum est spes remunerationis. Confortentur manus vestræ, & non dissoluantur: erit enim merces operi vestro. Quintum hostium debilitas. Gregorius: Debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. Sextum orationis adiutorium. Cum eleuaret manus Moyses, vincebant filij Israel &c. Septimum armorum spiritualium apparatus. Vnde Samson vicit Philistæos in mandibula asini, id est temperantia, & simplicitate. Octauum, memoria Dominicæ passionis: quod significatum est in Dauid, qui contra Goliam venit in baculo & funda. Nonum, cibus spiritualis. Panis cor hominis confirmat. Ambulauit Elias in fortitudine cibi illius, &c. Vnde & Petrus potatus Spiritus sancti gratia confortatus est, dicens: Oportet Deo obedire magis, quam hominibus. Idem vero Apostolus ante talem confortationem dicit: Nescio hominem hunc.

CAPVT XXXVII.

De iustitia.

IVstitiæ politicæ secundum Macrobium, est seruare vnicuique quod suum est. Iustitiæ purgatoriæ secundum eundem, est ad vnam cuiusque propositi viam vniuscuiusque virtutis officium conseruare. Iustitiæ autem purgati animi est, ita cum superna Mente sociari, vt seruet cum ea fœdus perpetuum imitando. Iustitiæ exemplaris est, quod perenni lege sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

Partes iustitiæ secundum Tullium sunt sex, scilicet religio, pietas, gratia, vindicatio, obseruantia, veritas. Religio secundum eundem Tullium, est virtus, quæ superioris cuiusdam naturæ quā diuinam vocant, curam, cærimoniamque affert. Pietas est per quam coniunctis sanguine & beneuolentiæ officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia est, in qua amicitia & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus per quam vis, & iniuria, & omne quod obscurum est defendendo atque vlciscendo propulsatur. Obseruantia est virtus per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur. Veritas est virtus per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

Nota quod iustitia non tam est virtus specialis quam generalis, vt habes supra de virtutibus Cardinalibus in genere. Iustitia, vt dicitur in libro Sapientiæ: est perpetua, multiplici ratione. Primo quia perpetuat animam, stabiliendo eam in debito loco, scilicet sub Deo, & supra corporales creaturas. Secundo, quia manebit in patria secundum essentiam, & vsum. Aliæ autem virtutes Cardinales & si maneant in patria secundum essentiam, non tamen secundum omnem vsum. Temperantia enim non refrenabit motus illicitos: prudentia non cauebit ab insidiis: fortitudo non aggredietur terribilia.

Iustitia peruertitur tripliciter, scilicet amore personę, vel pecunię. Vę qui iustificatis impiū pro munere. Timore: Nolite timere eos, &c. Rancore: Sciens quod per inuidiam tradidissent eum.

Multa mouent ad rectitudinem iustitiæ. Primum est rectitudo humani corporis, quia indecens valde est in recto corpore curuum habere animum. Secundum est naturalis inclinatio: quia, vt ait Augustinus: Iustitia est in corde hominis naturaliter. Tertium quia bruta animalia docent multa quæ pertinent ad iustitiam, vt est innocentia, concordia, & huiusmodi. Quartum est scriptura. Vsque ad mortem certa pro iustitia.

Effectus iustitiæ sunt, quod beatificat. Beati qui esuriunt, &c. Si quid patimini propter iustitiam, beati. Quod exaltat. Qui operatur iustitiam, exaltabitur. Appetitum concupiscentiæ refrenat. Erit iustitia cingulum lumborum eius. Locum Deo præparat. Iustitia & iudicium præparatio, &c. A morte ęterna liberat. Iustitia liberabit à morte. Coronat. Reposita est mihi corona iustitiæ. Remunerat. Retribuet mihi Dominus secundum, & cetera.

Iustitia consistit in fide. Apostolus. Credidit Abraham Deo, & reputatum, &c. Item in oratione. Clamaue-

runt

runt iusti, &c. In sancta meditatione. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, &c. In humiliatione. Sic decet nos implere omnem iustitiam. Glossa: Perfecta iustitia est subdere se minori. In eruditione. Seminanti iustitiam merces fidelis.

Psal.35.d Eccli.14.d Matt.3.d Prou.11.c

CAPVT XXXVIII.

De donis in communi.

LIcet omnes habitus dari diuinitus possint dici generaliter dona Dei: specialiter tamen & appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quæ per ordinem enumerat, à summo incipiens vsque ad vltimum descendēdo. Septem igitur sunt dona multiplici ratione. Primo scilicet, vt per hæc septem expellantur vitia septem, ita scilicet vt timor expellat superbiam, pietas inuidiam, scientia iram, quæ est quasi quædam insania, fortitudo acediam, consilium auaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam.

Isa.11.a

Secundo dicuntur esse septem dona propter expediendas vires naturales. Nam irascibilis indiget expediri tam in prosperis quam in aduersis: in prosperis quidem per timorem, in aduersis autem per fortitudinem. Concupiscibilis indiget expediri quantum ad affectum respectu proximi, quod fit per pietatem, & quantum ad affectum respectu Dei, quod fit per gustum sapientiæ. Rationalis quoque indiget expediri in veritatis speculatione, quod fit per donum intellectus: & in veri electione, quod fit per consilium: atque in electi executione, quod fit per donum scientiæ. Per hoc enim donum recte conuersamur in medio nationis prauæ & peruersæ.

Tertio dicuntur esse septem dona, propter regimen actiuæ & contemplatiuæ vitæ. Contemplatiua siquidem tria dona debet habere, scilicet timorem ad reuerentiam maiestatis, intellectum ad intelligentiā veritatis, sapientiam ad gustum bonitatis. Actiua vero vita debet habere pietatem ad agendum, fortitudinem ad sustinendum, scientiam ad directionem pietatis, consilium ad directionem fortitudinis. Plurima ergo dona sunt ad intellectum spectantia: quia lux cognitionis multum expedit ad dirigendos pedes nostros in viam rectam. Propter eandem causam fit donorum combinatio: vbi quasi semper adiungitur vnum directiuum cum alio, quod spectat ad actionem vel passionem. Vnde Gregorius super Ezechielem dicit, quod sumus per sapientiam maturi, per intellectum prouidi, per consilium cauti, per fortitudinem animosi, per scientiam discreti, per pietatem misericordes, per timorem humiles.

Greg. homil. 19. in Ezech. cir. med.

CAPVT XXXIX.

De timore in communi.

TImor est, vt ait Augustinus fuga mali. Species timoris sunt sex: primus est naturalis, quo quilibet naturaliter timet nocumentum naturæ. Iste non est meritorius neque demeritorius: quia non subiacet libero arbitrio, & dicitur naturalis non à natura instituta, sed destituta: quia iste timor est pro peccato primorum parentum inflictus; hoc timore Christus naturaliter mortem timuit. Secundus est timor humanus quo quis nimis timet pelli suæ. Iste timor nascitur ex nimio amore præsentis vitæ: & est quandoque mortalis actus eius, cum potius quis peccaret mortaliter, quam amitteret vitam suam: quandoque est venialis, vt cum quis faceret potius peccatum veniale, quam permitteret se occidi. Tertius est timor mundanus, quo quis nimis timet suis rebus spoliari. Hic nascitur ex nimio amore rerū temporaliū, & est quandoque mortalis, quādoque venialis, positus eodem modo quo dictum est de humano. Quartus est timor seruilis, quo quis timet peccare principaliter propter pœnam. Quintus est timor initialis, quo scilicet timet quis pœnam, & Dei offensam. Vnde quasi duos habet oculos: vnum ad gehennam, alium ad Deum: & hic est principalior. Sextus est timor filialis, quo scilicet quis timet offensam Dei, vel separationem à Deo.

Matt. 26.d

Numerus prædictorum timorum sic accipitur. Aliquis timor est à Spiritu sancto, & cum Spiritu sancto, sicut timor initialis & finalis. Aliquis à Spiritu sancto est, & non cum Spiritu sancto, sicut timor seruilis. Aliquis est cum Spiritu sancto, & non à Spiritu sancto, sicut timor naturalis. Aliquis nec à Spiritu sancto, nec cum Spiritu sancto, sicut timor humanus, & mundanus: quos nec Spiritus sancti gratia secum compatitur, nec per Spiritum sanctum dantur. Est adhuc alius timor reuerentię, qui solus inter omnes timores erit in patria: sicut dicit Psalmista: Timor Domini sanctus, & cetera. Reuerentia vero est resilitio à considerata magnitudine Dei in propriam paruitatem.

Psal. 18.c

Timor Domini multa bona facit: Primo, quia expellit peccatum. Timor Domini expellit peccatum. Sapientiam gignit. Qui timet, nihil negligit. Mentem stabilit. Nisi in timore Domini tenueris te instanter, &c. Spiritualiter ditat. non est inopia timentibus eum. Bona opera cumulat. Qui timet Deum, faciet bona. Cor delectat. Timor Domini delectat cor. Vitam prolongat. Timor Domini apponit vitam. Deuotionem irrigat. Timor Domini fons vitæ. Æternaliter remunerat. Timenti Deum bene erit in extremis.

Eccli.1.c Eccli.7.c Eccli.27.a Psal 32.b Eccli.15.a Eccli.1.b Prou.10.d Prou.14.d Eccli.1.b,c

CAPVT XL.

De timore seruili.

TImor seruilis donum Spiritus sancti est, nec tamen est cum Spiritu sancto, sicut aurora est à Sole. nec tamen cum Sole est. Timor seruilis Spiritui sancto locum præparat vt eum, sicut seta filum, introducat. Seta namque filum introducendo ipsum præcedit, non tamen cum ipso permanet, sicut ait Augustinus: Timor seruilis est bonum, quo nemo bene vtitur, quia licet habitus timoris seruilis bonus sit in se, secundum etiam quod donum Spiritus sancti est, tamen eius actus quandoque peccatum est.

Aug. tract. 9. in Epist. Ioan. longe ante med. tom. 9.

Timor seruilis duo facit. Primum est quod præparat viam charitati. Secundum est, quod retrahit à peccato motu pœnæ tantum. Ratione primi bonus est, sed ratione secundi distinguitur. Vnde notandum est, quod vsus timoris seruilis duplex est, scilicet cum quis vtitur essentia habitus tantum, vel cum vtitur seruilitate. Primo modo vsus eius bonus est. Nam ille est abhorrere pœnas æternas, quod bonum est cum timore initiali. Secundo modo vsus eius malus est, quia vsus eius est vitare malum ex coactione per pœnam, cuius tamen affectus habetur in voluntate. & sequeretur effectus, si speraretur impunitas, vt ait Augustinus. Et sic intelligitur dictum eius, qui ait quod timor seruilis bonus est, non tamen qui timet seruiliter, bene agit: quia agere bonum est ex volūtate facti, sed agere bene, id est, meritorie, est ex voluntate agentis, qui agit ex virtute charitatis, & gratię.

Aug. enar. in psal. 118. conc. 15. circa fin. to. 8.

CAPVT XLI.

De timore initiali.

TImor initialis ideo sic dictus est, quia est incipientium primo pœnitere. Vnde in Isaia: Domine à timore tuo concepimus, &c. Qui adhuc sunt in angustia pro peccato, quod commiserunt, sed hæc angustia foras mittitur, quando conscientia serenatur ad plenū: quia perfecta charitas foras mittit timorē initialem, inquantum habet naturā timoris seruilis: secundū hoc scilicet, quod habet oculū ad pœnam. Timor enim initialis habet duos oculos: vnum ad gloriam, qui est ei essentialis, alterum ad pœnam, qui est ei accidentalis, sed timori seruili est essentialis. Præterea timor initialis absti net à peccato veniali retrahenti à gloria propter pœnā purgatorii:

Isa.26.d

1. Ioan.4.c

torij: in quo potest conuenire cum perfecto, qui etiam timet pœnam purgatorij, inquantum est dilatiua gloriæ, siue separatiua ad tempus. Duplex est amor, scilicet filialis, quo Deum diligimus propter se tantum: & mercenarius, quo non diligimus principaliter, sed secundario, habito respectu ad mercedem. Huic duplici amori respondet duplex timor, scilicet initialis & filialis. Nam filialis timor respondet amori filiali, initialis vero respondet amori mercenario.

CAPVT XLII.

De timore filiali.

TImor filialis proprie timet offendere Deum, qui etiam si propter peccatum non separetur à Deo, tamen à peccato abstineret, ne Deum offenderet. & in hoc timor filialis differt ab initiali, quia initialis proprie est timor separationis, quia propter conscientiam peccati timet à Deo separari. Timor autem filialis tantum timet offendere Deum. Alia est differentia, quia timor initialis est imperfectorum, sed filialis perfectorum. Tertia est differentia, quia cum in timore pœnæ sint duo, scilicet punctio, & cautela: ipsa punctio pertinet ad timorem initialem (talis enim punctio est ex conscientia peccati, de quo nescit an sit dimissum) cautela vero pertinet ad timorem filialem. Sicut enim perfectus cauet peccatum, quod Deum offendit, ita per consequens cauet pœnam, sed tamen per accidens. Timor etiam filialis dicitur sanctus & castus.

CAPVT XLIII.

De dono pietatis.

DOnum pietatis in tribus consistit, scilicet in cultu Dei, in veneratione sacræ Scripturæ, & in honore proximi. Cultus Dei consistit in professione diuinæ maiestatis, & hoc est theosebia. Veneratio sacræ Scripturæ consistit in hoc, vt ei firmiter credatur, sollicite custodiatur, & fideliter dispensetur. Honor proximi consistit in reuerentia superiorum, in conformitate æqualium, & in subuentione inferiorum.

CAPVT XLIV.

De dono scientiæ.

SCientiæ donum, idem est in essentia quod prudentia, quæ est virtus politica; sed differunt in ratione agendi. Prudentia enim procedit ex principiis iuris naturalis, scientiæ vero donum ex principiis fidei. Proprius actus scientiæ doni est docere recte conuersari in medio nationis prauæ & peruersæ. Ad quod requiruntur tria: primum est, quod habeat rationes, quibus se defendat ab impugnātibus fidem suam. Secundum est quod à malo abstineat. Tertium, quod bene & prudenter temporalia administret. Præterea scientiæ doni est dirigere opera ad normam rationis, & ad conformitatem Dei. Item per scientiæ donum scitur, ne sub specie boni malum lateat. Item donum scientiæ regit pietatem, propter quod etiam hæc duo combinantur. Item per donum scientiæ, scit homo quid sit, & à quo sit, & ad quid sit. Scientiæ donum est scientia faciendorum: & ideo ratione scientiæ consistit in cognitione, secundum quam non est virtus, sed ratione faciendorum consistit in operatione, secundum quam est virtus.

CAPVT XLV.

De dono consilii.

COnsilium sumitur tribus modis, quandoque enim dicitur consilium deliberatio de rebus valentibus ad finem, ad quem tendimus, & tale consilium pertinet ad prudentiam, vel idem est, quod prudentia. Quandoque dicitur consilium persuasio rerum excellentium, ad quas non tenemur secundum quod dicitur hoc esse consilium: Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c. Quandoque dicitur consilium prudentia valde exercitata in medio contemplatiuorum & actiuorum donorum, & deliberatio de quibusdam operibus arduis, siue teneamur ad ea, siue non: & secundum hoc sumitur consilium donum, & ita consilium & prudentia sunt idem in essentia: tamen consilium abundat supra prudentiam in vno accidente, secundum quod eius est imperare.

Matt. 19.

Nota quod sicut ad scientiæ donum pertinet reprobare malum & eligere bonum, ita pertinet ad consilium cauere pericula, quæ sunt in hoc exilio. Item sicut scientiæ donum habet regere pietatem, ita donum consilij habet regere fortitudinem. In hoc autem differunt consilium & scientia, quia scientia est circa bonum & malum, sed consilium est circa difficile & arduum.

CAPVT XLVI.

De dono sapientiæ & intellectus.

SApientia & intellectus differunt, quia sapientia est cognitio Dei absolute, intellectus vero collatiue, scilicet in comparatione ad creaturas. Item alia differentia quia intellectu cognoscitur Deus per illuminationem de auditis in scriptura, sapientia autem cognoscitur experimento. Item per intellectum Deum cognoscimus, per sapientiam dulcedinem eius gustamus. Vnde sapientia dicitur quasi sapore virtutum condita. Item sicut dicit Gregorius, per intellectum sumus prouidi, per sapientiam maturi.

Greg. homil. 19. in Ezec. tir. med.

CAPVT XLVII.

De beatitudinibus in genere.

BEatitudines sunt septem secundum distinctionem graduum, quamuis sint octo secundum essentiam, quas Saluator enumerat in sermone de monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries iustitiæ, misericordia, munditia cordis, pax. quarum beatitudinum numerus accipitur secundum integritatem perfectionis.

Requiruntur ad integritatem perfectionis tria, scilicet, recessus à malo, processus in bono, & perfectus status in optimo. Sane malum omne procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ. Contra hæc tria sunt tres beatitudines, scilicet paupertas spiritus contra malum superbiæ, mititas contra malum rancoris, luctus contra malum libidinis. Item processus in bono attenditur secundum diuinam imitationem, quæ est secundum duas vias Domini, scilicet misericordiā, & veritatem, de quibus in Psalmis: Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Item secundum has duas vias sumuntur duæ beatitudines, scilicet esuries iustitiæ, & affectus misericordiæ. Præterea status in optimo attenditur in duobus scilicet in limpida cognitione, & tranquilla affectione, & secundum hoc sumuntur duæ vltimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videdum, & pax mentis ad perfecte fruendum. Per has septem beatitudines excluduntur septem vitia capitalia. Paupertas spiritus excludit superbiam, mititas iram, luctus inuidiam (quoniam qui luget pro peccatis aliorum, non inuidet illis) esuries iustitiæ acediam, misericordia auaritiam, munditia cordis gulam: quia cordis munditia non seruit ventri ad modum bruti animalis. Pax excludit luxuriam, quia gustato spiritu desipit omnis caro. Et sicut in enumeratione donorū est ordo artificialis, quo primo ponuntur digniora: ita in beatitudinibus est ordo naturalis, quia digniores ponuntur vltimo.

Psal. 24. b

CAP.

CAPVT XLVIII.

De prima beatitudine.

PAupertas spiritus ponitur hic pro abstinentia ab amore mundi, id est, ab amore carnalium voluptatum & deliciarum, ac propriæ excellentiæ. Hæc tria complectitur amor mundi. Vnde dicitur super Lucam: Pauperes sunt qui non quærunt illecebrosa. Super Matthæum: Gregorius. Pauperes spiritu sunt humiles & Deum timentes. Alia Glossa dicit quod pauperes sunt, qui nihil habent, & omnia possident.

Glossa inter. in Luc. ca. 6.

Greg. lib. 76. Mor. c. 10. in prin.

CAPVT XLIX.

De secunda beatitudine.

MItis est, sicut dicit Aristoteles, qui nec patitur, nec seducit. Est autem mititas eadem cum mansuetudine, habetur enim in Glossa super Matthæum, quod mansuetus est, qui nullam amaritudinem animi sentit. Ex quo patet quod mansuetudo est purgati animi, & potest dici quod mansuetudo est species fortitudinis mediante patientia. Differunt tamen mansuetudo & patientia: quoniam patientia est in sustinentia molestiarũ corporaliũ, mansuetudo vero in sustinẽtia contumeliarum.

CAPVT L.

De tertia beatitudine.

LVctus est lugere pro peccato, & ipsum odire, ita quod insurgamus ad destructionem ipsius. Lugere autem de malo vt fugiamus ipsum, inquantum auertit ab amico, sic lugere est solius charitatis. Lugere vero de quolibet malo speciali, est cuiuslibet virtutis. Qualibet enim virtus luget de suo contrario.

CAPVT LI.

De quarta beatitudine.

ESuries iustitiæ est vehemens desiderium iustitiæ, fine summi boni. Esuries autem iustitiæ potius est beatitudo, quam esuries aliarum virtutum Cardinalium: quia per iustitiam immediate coniungimur Deo: quod non fit per alias virtutes Cardinales. Iustitia vero prout hic sumitur, comprehendit fidem, spem, charitatem: quæ immediate coniungunt nos Deo.

CAPVT LII.

De quinta beatitudine.

MIsericordia est per quam pro terrenis cœlestia meremur. Opera misericordiæ sunt quattuordecim: septem scilicet corporalia, & septem spiritualia. Corporalia sunt hæc. Visitatio infirmorum, potatio sitientium, cibatio esurientium, redemptio captiuorum, vestitio nudorum, collectio peregrinorum, sepultura mortuorum. Prima sex de istis habemus in Euangelio, septimum in Tobia. Opera misericordiæ spiritualia sunt hæc, Delinquenti ignoscere, peccantem corripere, ignorantem docere, titubanti consulere, mæstum consolari, pro salute proximi orare, iniurias sustinere. Et hoc vltimum propterea dicitur opus misericordiæ; quia responsio mollis & humilis frangit iram: & hoc pium est, scilicet furorem irati mitigare.

Tob. 1. d & 2. a, b

Mat. 25. d

Prou. 15. a

CAPVT LIII.

De sexta beatitudine.

MVnditia cordis est, qua clarificatur cor, & mũdatur ad videndum Deũ, & ardentissime diligẽdum. Accipitur autem hic munditia cordis non pro virtute, sed pro statu quodam, qui est purgati animi.

CAPVT LIV.

De septima beatitudine.

PAx est status virtutum, in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi, & diaboli, vel si est aliqua, inefficax est. Vnde patet quod pax est status animi purgatissimi. Pacificis enim magis attribuitur esse filios Dei, quam aliis: quia licet misericordia maxime assimilet hominem Deo, quantum ad opera exteriora, tamen quantum ad interiora magis assimilat pax.

CAPVT LV.

De octaua beatitudine.

OCtaua beatitudo est, de qua dicitur: Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Hæc virtus, scilicet sustinentia persecutionis propter iustitiam, annexa est paci. Cum enim pacificus sit absque contradictione carnis, mundi, & diaboli: patet quod idem paratus est superare mortem, & tentationem mortis. Vnde sustinentia mortis pro Christo, in eodẽ gradu est cũ pace: propter hoc diximus quod octo sunt beatitudines quantum ad essentiam, sed tantum septem quantum ad distinctionem graduum. Et sciendum quod supra pacem nõ est virtus alia. Dicit enim Augustin. Pax est finis & consummatio omnium virtutũ. Octaua beatitudo dicitur redire ad caput duobus modis. Primo, quia idem præmium sibi promittitur, quod primę beatitudini, scilicet regnum cœlorum. secundo, quia omnes probat à prima vsque ad vltimam vtrum veræ sint, sicut ait Gregorius: Qualis vnusquisque apud se lateat, illata contumelia probat. Ex prędictis colligitur quod habitus virtutum Cardinalium principaliter disponunt ad exercitium actiuæ, habitus vero donorum disponunt ad actus contemplatiuæ, habitus autem beatitudinum disponunt ad perfectionem vtriusque.

CAPVT LVI.

De sensibus spiritualibus.

PEr sensus spirituales percipit anima spiritualia, quæ in sponsi sui pulchritudine percipere fas est. Sub ratione splendoris audit amœnissimam harmoniam, sub ratione Verbi incarnati gustat summam dulcedinem, sub ratione sapientiæ comprehendentis vtrumque, scilicet Verbum, & splendorem, odorat summam fragrantiam, sub ratione Verbi inspirati in corde tãgit summam suauitatem, sub ratione Verbi incarnati, & inter nos corporaliter habitantis, reddentis se nobis palpabilem & osculabilem percipit ardentissimã charitatem. Ex prædictis patet quod sensus spirituales dicuntur conceptiones mentales circa veritatem contemplandam, quæ quidem contemplatio incipit à sensu, & peruenit ad imaginationem, & de imaginatione ad rationem, & de ratione ad intellectum, & de intellectu ad intelligentiam, & de intelligentia ad sapientiam, siue notitiam excessiuam, quæ incipit hic in via, & consummatur in gloria.

CAPVT LVII.

De fructibus spiritualibus.

FRuctus duodecim spirituales non dicuntur noui habitus, sed status cõsolationum, quibus cõsolatur spiritus iustorum: & istæ consolationes consequuntur opera perfecta. Sunt autem isti fructus, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, &c.

CAPVT LVIII.

De dulia, & latria.

LAtria est seruitus, & reuerentia Deo exhibita: vnde si creaturæ exhibetur honor Deo debitus, est idololatria. Latria autem comprehendit quinq; scilicet fidem, sapientiam, reuerentiam, sacrificium, & orationem: prima duo sunt cordis, alia duo sunt operis, vltimum est oris. Dulia debetur creaturæ inquantum est imago Dei. Vnde dulia est honor, qui debetur sanctis. Vnde de beata Virgine sciendum est quod inquantum est persona sancta, debetur ei dulia: sed inquantum mater Dei, debetur ei hyperdulia, idest superior dulia. Sane si persona, cui debetur dulia, est in prælatione constituta, debetur ei reuerentia, quæ consistit in obedientia mandatorum, & in exhibitione honorum. Si autem est persona simplex, debetur reuerentia tantum, quæ consistit in exhibitione honorum. Hyperdulia autem debetur creaturę excellenti, sicut est caro Christi, beata Virgo, crux Christi. Vnde sciendum est quod veræ ligno crucis Christi, in quo pependit, si sit non figuratum ligno crucifixi, debetur hyperdulia, quia fuit instrumentum nostræ redemptionis. Crucibus autem factis, inquantum sunt ligna siue res tales, nihil debetur: sed crucibus factis in signum Christi crucifixi, debetur dulia. Imaginibus enim eadem debetur adoratio, quæ debetur & illis, quorum sunt imagines, non quod inquantum res factæ adorantur, sed quod illa quorum sunt imagines, adoramus.

CAPVT LIX.

De præceptis in g nere.

PRæceptum est imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Præceptorum alia sunt affirmatiua, vt Honora patrem: alia negatiua, vt non occides. Præcepta affirmatiua stricte sumendo dicuntur præcepta, sed negatiua dicuntur prohibitiones. Præcepta affimatiua obligant semper, sed non ad semper: negatiua vero obligant semper, & ad semper. Præcepta decalogi possunt dici data, vel innata. Primo modo tantum pertinent ad populum Israeliticum: secundo modo omnes obligant: quia quidquid continet decalogus explicite, hoc continet lex naturæ, quæ scripta est in corde cuiuslibet implicite. Istud enim præceptum legis naturæ, Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, includit hæc præcepta. Non occides, Non furtum facies, & huiusmodi, quæ decalogus ponit explicite. Quædam præcepta ponuntur imperatiue, illa scilicet quæ sunt affirmatiua: quædam indicatiue, scilicet negatiua: & hoc ideo, quia difficilius est facere bonum, quam declinare malum. Plures enim in faciendo bonum requiruntur circumstantiæ. In quibusdam præceptis prohibentur actus, habitus, & affectus: vt patet in his: Non mœchaberis, Non concupisces vxorem proximi tui, quia appetitus est nimis inordinatus ad illa. In quibusdam solummodo prohibentur actus, vt cum dicitur: Non occides. Hoc dico secundum formam tradendi, non secundum veritatem intelligendi, quia omnia præcepta negatiua manum, & animum ligant.

Multis modis ligamur, scilicet lege naturæ, vt est diligere Deum super omnia, & nulli facere quod nobis fieri nolumus. Præceptis diuinis, vt ligabatur Adam pręceptis sibi datis, & Iudæi suis. Voto, quia secundum Augustinum, vouere est voluntatis, sed reddere est necessitatis. Vnde quibusdam etiam consilia sunt præcepta, sicut religiosis qui vouerunt talia. Decretis patrum, vt est ieiunare aliquas vigilias, & huiusmodi. Consuetudine, secundum quod in Francia primogenitus succedit in regno. Mandatis prelatorum. Vnde super cathedram Moysi, &c. Conscientia, quia secundum Augustinum: Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

Numerus præceptorum sumitur sic: quia quædam ordinant nos ad Deum, quædam ad proximum: quod Deus insinuare voluit, quando in duabus tabulis legem dedit. In prima tabula sunt tria præcepta, quæ pertinent ad Deum, quorum primum pertinet ad Patrem, quia est de diuina vnitate. Secundum ad Dei Filium, quia est de iuramenti veritate. Tertium ad Spiritum sanctum, quia est de spirituali vacatione. In secunda tabula sunt septem præcepta ad proximum spectantia: quorum primum est de exhibendis bonis, vt est illud, Honora patrem tuum, &c. Reliqua sex sunt de cauendis malis, quæ inferri possunt corde, vel opere, vel ore. Opere lędimus proximum tripliciter, propter quod dantur tria præcepta. Primum est, Non occides. Secundum, Non mœchaberis. Tertium, Non furtum facies. Ore quoque lædimus proximum, & est contra illud, Non dices contra proximum tuum falsum testimonium. Corde lædimus proximum dupliciter: quandoque respectu rei irrationabilis, de hoc dicitur: Non concupisces rem proximi tui. Quandoque respectu rei rationalis, & de hoc dicitur: Non concupisces vxorem proximi tui.

CAPVT LX.

De primo præcepto.

PRimum præceptum tres habet clausulas. Prima est, Non habebis deos alienos coram me. Vbi prohibemur adorare creaturas spirituales, scilicet Angelos. Secunda est, Non facies tibi sculptile: hoc est imagines fictas, quæ nullius rei naturalis sunt repræsentatiuæ. Tertia est, neque omnem similitudinem, scilicet imaginem rei naturalis. & sequitur, quæ est in cœlo desuper. vt Solis & Lunæ, & quæ in terra: deorsum, vt hominis, bouis, & similium. Neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra, id est, piscium. Non adorabis ea, scilicet actu exteriori: neque coles, scilicet affectu interiori. Ex his patet quod non reprehenduntur Christiani, qui faciunt imagines, non quidem ad adorandum, sed ad memorandum. Honor autem, qui exhibetur sanctis, non est latriæ, sed duliæ. Secundum rationem allegoricam prima huius præcepti clausula ostendit Iudæos & Saracenos esse idololatras, qui deos habent alienos. Iudæi quidē Messiam, idest Antichristum, Saraceni, Mahometum. Contra secundam clausulam, scilicet, non facies tibi sculptile, faciunt hæretici qui non credunt de Deo, nisi quod imaginatione sua & phantasia confingunt. Contra tertiam faciunt mali Christiani, quia superbi colunt similitudinem eorum quæ sunt super terram, scilicet honores. nam diligunt super omnia prælaturas. Auari colunt similitudinem eorum, quæ sunt in terra, scilicet pecuniam, & diuitias. Voluptuosi colunt similitudinem eorum, quæ sunt in aquis, idest, delicias & voluptates.

CAPVT LXI.

De secundo præcepto.

SEcundum est: Non assumes nomen Dei tui in vanum. Hic prohibetur iuramentum quod fit sine causa, & periurium. Vterque enim peccat, scilicet pro nihilo iurans, & assumens, & falso iurans nomen Dei in vanum, quia primus sine causa nominat summam veritatem: secundus autem nominatam contemnit.

Tribus modis quis peccat in periurio: vel iurādo contra conscientiā, vel iurādo illicitum, vel veniendo cōtra iuramentum. Præterea sciendum est quod iuramenta, quę quis ex certa sciētia facit, vel sonāt in blasphemiam vt quando quis iurat per corpus Dei, intestina & similia; vel sonant in irreuerentiam, sicut quando iurat per vulnera Christi, sunt peccata mortalia, etiamsi verum est quod iuratur. Istud præceptum non solum intelligitur secundum prædictam rationem litteralē, sed secundum intentionem moralem. Assumitur enim nomen Dei in vanum multipliciter, scilicet corde, ore, & opere. Corde, sicut

sicut mali, qui tantum nomine sine re dicuntur Christiani, qui licet Sacramentum receperunt Baptismi, tamen rem Sacramenti, id est, gratiam nō habent. Ore, scilicet mala iuratione, voti transgressione, prædicatione, quæ fit mala intentione, & indeuota oratione; de qua dicitur: Populus hic labijs me honorat, &c. Opere, secundum quod hypocritæ nomē Dei assumunt in simulatione operis exterioris, nō in puritate cordis. Vnde sumunt illud in vanum, quia receperunt mercedem suam.

Mat. 15. a
Mat. 7. a

CAPVT LXII.

De tertio præcepto.

Exo. 20. b

TErtium est, Memento vt diem sabbati sanctifices; non facies opus in eo. In hoc præcepto quoddam est morale, vt vacatio ad Deum, orando, colendo, meditando: quoddam cærimoniale, vt assignatio diei septimæ, quæ figurabat tropologice cessationem peccati, allegorice quietem corporis Christi in sepulchro, anagogice requiem æternam in cœlo. Istud ergo præceptum potest tripliciter accipi. Primo generaliter, vt cessemus à vitijs. Secundo specialiter, vt cessemus ab operibus corporalibus, quæ impediunt vacationem ad Deum. Tertio specialissime, vt est in viris contemplatiuis, qui ab omnibus mundanis se separant, vt totaliter Deo vacent. Prima vacatio est necessaria, secunda debita, tertia perfecta. Secundum ergo quod sabbatum dicitur requies, siue vacatio ad Deum, sic dies Dominica potest dici dies Sabbati, & quælibet dies statuta ad venerationem diuinam, in quibus cessandum est ab opere seruili, id est, à peccato, & ab opere impediente vacationem ad Deum. Opera enim seruilia determinantur ab Ecclesia opera mechanica, quæ sunt agricultura, mercatum, placita, exercitia.

CAPVT LXIII.

De quarto præcepto.

QVartum est, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Huic præcepto additur promissio, scilicet, Vt longæuus sis super terram: quia iustum est, vt conseruatio vitæ alienæ mereatur conseruationem vitæ propriæ. Pater dicitur in hoc mandato qui est principium per generationem, quo ad esse naturæ, vt pater carnalis, vel qui est principium per ministerium regenerationis, quo ad esse gratiæ, vt pater spiritualis. Sumitur autem alio modo pater non secundum rationem propriam, sed secundum communem pro sene, qui dicitur pater ætate, vel pro rege, qui dicitur pater defensione. Honor intelligitur hic dupliciter, scilicet exhibitio corporalis in sustentatione, & spiritualis in reuerentia, & obedientia. Sed obedientia diuersificatur secundum diuersitatem patrum: quia patri spirituali debemus obedire in spiritualibus; prælato sæculari, scilicet regi in temporalibus reipublicæ: patri vero carnali in dispositione rei familiaris.

4. Reg. 5. d

CAPVT LXIV.

De quinto præcepto.

QVintum est, Non occides. Hic explicite prohibetur homicidium, sed implicite omnis motus iræ contra proximum, siue ille sit tantum cordis, vt ira; siue oris, vt contumelia: siue operis, vt percussio citra mortem, vel depilatio. Prohibetur hic omnis occisio iniusta, quæ fit tripliciter. Ex causa, vt in illo, qui occiditur sine culpa. Vel ex ordine, vt cum ille, qui non est minister legis, occidit. Vel ex animo, vt quando minister legis occidit non amore iustitiæ, sed libidine vindictæ. Distinguitur autem homicidij genus dupliciter, scilicet verum, quod dicitur corporale, & interpretatiuum, quod dicitur spirituale. Homicidium spirituale fit duobus modis. Vno modo omittendo, vt cum quis videt alium in extrema necessitate, & non subuenit ei, interpretatiue dicitur eum occidisse. Alio modo fit committendo: & hoc quandoque corde, scilicet odiendo. Qui odit fratrem suum, homicida est. Quandoque ore, scilicet, detrahendo: quia ille cui detrahitur, occiditur in conscientia illius, qui audit detractorem, in qua prius viuebat per bonam famam. Quandoque opere, scilicet malo exemplo alicui occasionem ruinæ præstando, & tunc interpretatiue dicitur illum occidisse.

1. Ioan. 3. c

CAPVT LXV.

De sexto præcepto.

Exo. 20. b
Aug. super Exod q. 7. tom. 4.

SExtum est, Non mœchaberis. In hoc præcepto, vt dicit Augustinus, prohibetur omnis illicitus concubitus; & omnis illegitimus vsus eorum membrorum. De hac materia quære supra libro tertio in capite, De luxuria, & in capite sequenti.

CAPVT LXVI.

De septimo præcepto.

Exo. 20. c
Aug. vbi sup.

SEptimum est, Non furtum facies. Hic secundum Augustinum prohibetur omnis contrectatio rei alienæ ex cupiditate. Contrectatio rei alienæ potest fieri licite tribus modis. Primo, quando fit non ex cupiditate, sed ex obedientia, sicut fecerunt filij Israel auferendo vasa Ægyptiorum. Secundo, quando fit cautela, vt si aliquis furetur gladium furiosi, ne sibi vel alijs noceat. Tertio, quando fit ex necessitate, vt cum aliquis ad mortem esuriens furatur panem, quia in necessitate omnia communia sunt.

Exo. 11. a

CAPVT LXVII.

De octauo præcepto.

Exo. 20. c
Aug. vbi sup.

OCtauum est, Non loqueris contra proximū tuum falsum testimonium. Hic prohibetur omne genus mendacij, sicut dicit Augustinus, quod determinatur per tres differentias. Est enim mendacium perniciosum, quod nocet: officiosum, quod prodest: iocosum, quod delectat. Includitur in hoc præcepto taciturnitas veritatis tempore necessitatis: tamen causa & opportunitas facit ipsam taciturnitatem veritatis esse licitam.

CAPVT LXVIII.

De nono præcepto & decimo.

Exo. 20. c
1. Ioan. 2. c

NOnum & decimum præceptum est, non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis vxorē eius, non seruum, non ancillam, non bouem, nec asinum, nec omnia quæ illius sunt. Duo prohibentur hic, scilicet concupiscētia carnis in vxore proximi, & concupiscentia oculorum in re aliena. Nam ad hæc duo maxime inclinatur natura corrupta. Ad vnum propter conseruationem sui in esse indiuidui. Ad alterum propter conseruationem sui in esse speciei. Hic non prohibetur appetitus, qui est corruptione fomitis, vel à delectatione sensualitatis, quia impossibile est, quod illæ cōcupiscentiæ non sint in nobis: sed prohibetur appetitus, qui est ex consensu rationis. Quamuis istud præceptum ad duo tantum determinetur, tamen prohibetur ibi vniuersaliter omnis concupiscentia malæ voluntatis.

CAPVT LXIX.

De consilijs in genere.

COnsilium prout diuiditur contra præceptum, est persuasio melioris boni, ad quod non tenemur. Consilia in multis differunt à præceptis. Primo, quia ad

Mat. 19. c præcepta tenemur, ad consilia vero non, quia præcepta seruare est necessitatis, consilia vero voluntatis. Item lex vetus dat præcepta, Euangelium vero superaddit consilia. Item consilium pertinet ad perfectos, præceptum ad perficiendos: sed permissio ad imperfectos, prohibitio ad peruersos. Itē præcepta separant nos ab illicitis, consilia vero à concessis. Item per præcepta declinamus peccata, sed per consilia occasiones peccati. Item per præcepta maxime negatiua pœnam fugimus, sed per consilia præmium cumulamus. Item consilia seruata afferunt præmium, non seruata non adducunt supplicium. Item ad præcepta constringimur ex debito, sed ad consilia non nisi ex voto. Item consilium per votum fit præceptum, sicut ait Augustinus. Vouere est voluntatis, sed reddere necessitatis. Item melius est esse deuotum in minoribus, quam in maioribus, indeuotum promissionibus inueniri. Vnde melius est nuda præcepta seruare cum deuotione, quam se ad consilia obligare, & in his negligentem esse.

Nota quod in lege Mosaica fuerunt iudicia cerimonialia & moralia. Lex autem Euangelica iudicia temperat, partem auferendo: figuras euacuat, rerum veritatem exhibendo: præcepta consummat adijciendo. Adijcit autem tria, scilicet instructionem documentorum, promissionem præmiorum, & perfectionem consiliorum. Et ideo dicitur lex Mosaica ab Euangelica differre: quia illa figurarum est, hæc veritatis: illa pœnæ, hæc gratiæ: illa litteralis, hæc spiritualis: illa occidens, hæc viuificans: illa timoris, hæc amoris: illa seruitutis, hæc libertatis: illa oneris, hæc honoris. (1. Cor. 10. b; 1. Cor. 3. b)

CAPVT LXX.

De consilijs Euangelicis.

Consilia quæ Christus adiecit præceptis, sunt ista. Primum est paupertatis, quæ consistit in abdicatione proprietatis. Vnde Lucas: Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (Luc. 14. g) Omnis qui reliquerit domum vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. (Mat. 19. d) De hoc Hieronymus: Monachus habens obolum, non valet obolum.

Secundum est obedientia, vnde illud: super cathedrā Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite, &c. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & cetera. (Mat. 16. d & Luc. 8. c) Sciendum autem quod duplex est obedientia, scilicet perfecta, quæ se extendit ad omnia quæ non sunt contra Deum, vel contra regulā, quam quis professus est, & quæ dispēsationi prælati non subduntur. De hac obedientia dicit Bernardus: perfecta obedientia legē nescit, terminis non arctatur, non continetur professionis angustia. (Bern. tract. de Præcep. & dispens. c. 9. in prin.; 1. Cor. 12. d) Ad hanc nullus tenetur debito necessitatis: sed solum perfectionis, sicut tenemur semper imitari charismata meliora. Alia est obedientia imperfecta: tamen sufficiens ad salutem, qua quis obedit tantum in his, quæ seruare promisit, vel in illis, quæ in his implicite continentur, sicut sunt illa sine quibus religionis professio non seruatur, vt recipere officia, & huiusmodi, & talis obedientia necessitatis est. Cum ergo dicit beatus Benedictus in regula: quod si prælatus præcipiat aliquid impossibile, tentandum est facere: loquitur de obedientia perfecta, quam dum obseruat subditus in his ad quę non obligatur ad prelati præceptum, consilij est & magnæ perfectionis, & non necessitatis. Sed si faciat ad simplicem monitionem tale quid maioris perfectionis est.

Tertium est castitas, de qua Dominus dicit: Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. (Mat. 19. b) Ad idem pertinet illud Matthæi: Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. (Matt. 5. d; Exo. 20. b) Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum, &c. Hic ostenditur quod non solum damnabilis est consensus ad opus mœchationis, sed etiam consensus ad delectationem. Nota autem quod concupiscere ex subito motu veniale est: sed concupiscere ex deliberatione perficiendi, mortale est. Prædicta tria consilia sunt specialia & substantialia omnis perfectæ religionis: quia suos obseruatores elongant à malo, non solum quantum ad culpam, sed etiam quantum ad causam. Omne namque malum oritur ex triplici radice, scilicet ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorū, & ex superbia vitæ. Prædicta vero tria consilia perfecte nos elongant ab radice triplici.

Quartum consilium est charitatis. Diligite inimicos vestros. Istud autem quantum ad dilectionem affectus est præceptum, sed quantum ad dilectionem effectus est consilium: quia inimico velle gratiam & gloriam, est necessitatis: sed ostendere ei signa beneuolentiæ, est perfectionis & consilij: vnde ad hoc non omnes tenentur. Sane negare huiusmodi signa familiaritatis quando veniam petit, vel necessitas exposcit, vindicta est: vel quando se ille, qui hostis erat, ad familiaritatem ingerit, si habeatur præsumptio quod non simulate, vel irrisorie faciat, tunc diligendus est, & inter amicos computandus. Sed quod aliquis vltro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis est. Vnde quod aliquis iniuriam passus reconciliationem quærat & amicitiam, non est debitum necessitatis, sine quo non est salus: sed est perfectionis & consilij, quo magnum expectatur præmium.

Quintum est mansuetudinis. Si quis te percusserit in vnam maxillam, &c. Hoc autem sic intelligitur, paratus sis aliam sustinere patienter, & istud consiliū est patientiæ respectu læsionis corporis. Sed ad idem pertinet aliud, quod est patientiæ respectu ablationis rerum, sicut est illud, ibidem: Qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tollere, &c. (Mat. 5. f) Nota quod contingit sua repetere coram iudice fideli dupliciter, aut cum contentione & fraude, aut cum charitate. Primum nulli licet, secundum vero licet infirmis & imperfectis, perfectis autem non. Vnde non repetere, consilium est infirmis, perfectis vero præceptum. Illis autem, qui renunciauerunt proprietati, non licet repetere sua, vt sua, sed vt congregationis, non propter se, sed propter commune bonum.

Sextum est misericordiæ, & supererogationis, vt illud, Omni petēti te tribue, & illud: Si vis perfectus esse, vade, &c. (Luc. 6. e; Mat. 19. c; Luc. 11. f) Nota quod dare superfluum, est necessitatis, necessitate extrema, sed date quibus egemus, consilij, Augustinus: Melius est minimis egere, quam plus habere. Quod autem dicit Dominus: Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, vos eadem facite illis, sic intelligendum est. Quæcumq; vultis rationabiliter, & dictante charitate, vt faciant vobis, &c. Vnde si peteremus rem aliquam, & non videremus illud esse rationabile, non vellemus iam rationabiliter dari nobis.

Septimum consilium est de simplicitate verborum, vt ibi: Sit sermo vester, est, est, non, non. (Matt. 5. f) Cuius sensus est. Si affirmatio, vel negatio est in ore, sic & in corde. Et ad hoc consilium reducitur illud Matthæi: Auditis, quia, dictum est antiquis, non periurabis. Ego autem dico vobis non iurare omnino. Nota, quod iurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est. Non iurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilij est. Prohibet etiam Dominus iurare per creaturas, scilicet per cœlum, vel terram, vel per capillum, propter idololatriam, ne scilicet credamus aliquid numinis esse in illis: Fiunt tamen interdum iuramenta per Euangelium, & cruces, id est, per eum cui hæc sunt dedicata.

Octauum est de vitanda occasione peccati. Vnde dicitur: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. (Matt. 5. & 18. f; Aug. lib. 1. de ser. in Do. mi. ni in mō. te c. 24. post med. to. 4.) Secundum Augustinum, nullum membrorum erui præcipitur ad litteram, sed occasio peccandi. Potest enim occasio esse ex aspectu, & tunc oculus sinister scandalizat. Vel potest esse occasio ex contactu, & tunc manus dextera scandalizat. Potest insuper esse occasio peccandi ex alio, & hoc à consiliario, qui dicitur oculus, vel ab adiutore, qui dicitur manus: & est dextera qui

consiliarius dicitur, & est adiutor in spiritualibus, sinistra in temporalibus, huiusmodi enim si scandalizant, abijciendi sunt, quia occasiones peccandi sunt abijciendæ.

Nonum consilium est de rectitudine intentionis ac finis. Vnde dicitur: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &cet. Item illud: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Item: Sic luceant opera vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum, &c. De his nota, quod contingit cõstituere duos fines, scilicet temporalem, & æternam: sed si æternus finis est vltimus, hoc bene licet. Actio autem spiritualis, vel prædicatio non potest referri ad finem temporalem, ita quod illud temporale referatur ad Deum, quia non sunt facienda mala vt veniant bona. Et hoc est quod dicit Augustinus, Non debemus euangelizare, vt manducemus: sed manducare, vt euangelizemus. Nota etiam, quod nos tenemur illos actus referre ad Deum, quorum habemus dominium ex imperio rationis, vt est manducare, cogitare, eligere, & similia: sed non tenemur actus referre inobedientes rationi, vt est nutritiua, respiratiua, & huiusmodi.

(Mat. 5. b — Rom. 3. b — Aug. lib. 2. de serm. Domini in mon. c. 24. to. 4.)

Decimum consilium est de conformitate operis ad doctrinã, vt ibi: Alligant onera grauia, & importabilia: digito autem suo nolunt ea mouere, &c. Ad idem est illud Matthæi: Hypocrita, eijce prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis, &c. Nota, quod aliquando in prædicatione asseritur intentio generaliter, scilicet de his quæ pertinent ad statum salutis: aliquando vero asseritur secundum statum perfectionis, vtpote religionis. Primo modo tenetur prædicator facere quod dicit, cum asserit ad hoc omnes teneri. Secundo modo non tenetur, nisi perfectionem illam ipse vouerit. Vtrum autem malus peccet prædicando: distinguitur, quia existens in peccato notorio peccat, quando prædicat, siue ex necessitate officij hoc faciat, siue ex voluntate, quia scandalizat. Existens autem in peccato occulto, si prædicat, & non studet ex dicto suo compungi, adhuc videtur peccare, quia videtur contemnere.

(Mat. 23. a — Matt. 7. a)

Vndecimum consilium est de vitanda sollicitudine, vt ibi: Nolite solliciti esse, &c. Et ibi: Nolite cogitare de crastino. Sciendum quod triplex est sollicitudo. Prima est laudabilis, vt est prouidentia spiritualis. Vnde Apostolus: Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Dei sunt, quomodo, &c. Item de prælatis: Qui præest in sollicitudine. Secunda est tolerabilis, & est illa sollicitudo curæ temporalis, quo ad corpus. Martha, Martha sollicita es, & turbaris, &c. Tertia est vituperabilis, & ista est superfluæ thesaurizationis, quo ad auaritiam. Peccatori autem dedit Deus afflictionem pessimam, vt addat, & congreget, & hæc vanitas cassa sollicitudo mentis. Sollicitudo prima præcipitur, secunda toleratur, tertia prohibetur.

(1. Cor. 7. f — Rom. 12. b — Luc. 10. g — Eccls. 2. d)

Duodecimum est fraternæ correctionis: vt in Matthæo: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Nota, quod fratrem corripere, quandoque est consilium, vt quando corripitur super venialibus. Quandoq; est præceptum, vt corripere de mortalibus: & isto secundo modo ad omnes pertinet, & obligat semper: quia pro loco & tempore, scilicet quando vacat, & videt quod vtilis sit correctio. Sciendũ quod triplex est correctio, scilicet amoris, timoris, & pudoris. Hunc ordinem fraternæ correctionis docet Dominus in Euangelio. Primo enim innuit fratrem reuocandum esse amore, cum iubet eum singulariter corripere, dicens: Corripe eum inter te, & ipsum solum. Sed si hoc non valet, docet eum esse reuocandum timore, vbi ait: Si te non audierit, adhibe vnum, vel duos tecum: si hoc non valuerit, docet eum esse reuocandum pudore, vbi dicit: Si nec illos audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, id est, excommunicari debet, & sic euitari. Sane prædictus ordo fraternæ correctionis intelligitur tantum de criminalibus: quia de culpis communibus solent claustrales se in suis capitulis accusare, non præmissa admonitione. Veruntamen accusans alium caueat diligenter, ne hoc faciat ad diffamandum, sed ad corrigendum: quoniam si quis ex deliberatione contrarium faceret, mortaliter peccaret.

(Mat. 18. c)

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER SEXTVS,

De Sacramentorum virtute.

CAPITA HVIVS LIBRI.

CAPVT I.

De medicina Sacramentorum.

COELESTIS medicus humani generis reparatiuus tali modo sanauit ægrotum, sicut optime competebat ægrotanti, & ægritudini, & occasioni ægrotandi & ipsius ægritudinis curationi. Ægrotus igitur homo est. Morbus autem originalis culpa est. Origo vero istius culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit ex sensibus carnis. Ad hoc ergo quod medicina respondeat morbo, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis: vt sicut sensibilia

fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Et propter hoc medicina nostri vulneris consistit in Ecclesiasticis Sacramentis.

CAPVT II.

De diffinitionibus Sacramenti.

Mag. lib. 4. sent. d. 1. B. Ex August. li. 2. de doctri. Christ. cap. 1. to. 3.

SAcramentum est, vt ait Augustinus, inuisibilis gratiæ visibilis forma. Hæc diffinitio generalis est, & côuenit Sacramentis tam nouæ, quam veteris legis: quia tam illa, quã ista sunt ex similitudine repræsentatiua, ex institutione significatiua. Sciendum autem, quod eadem diffinitio conuenit Sacramentis nouæ legis, sed sic supplenda est, ita vt eius similitudinem gerat, & causa existat: quia non solum ex similitudine repræsentant, vel ex institutione significant, sed etiam ex virtute diuina sanctificant, & gratiam conferunt, per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum, & hoc est quod insinuat Augustinus in alia diffinitione, dicens: Sacramentum est illud, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius operatur. Est & tertia diffinitio Hugonis de sancto Victore, qui ait: Sacramentum est materiale elementum extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, ex sanctificatione aliquam gratiam inuisibilem conferens. Tria autem hic tanguntur, quæ sunt de ratione Sacramenti stricte & proprie sumpti. Primum est naturalis similitudo, ex qua habet aptitudinem significandi. Secundum est actualis institutio, ex qua habet ordinem determinatum respectu huius significati. Tertium est spiritualis sanctificatio, ex qua habet virtutem efficiendi illud significatum. Item dicit Augustinus, quod Sacramentum est sacræ rei signum; istud autem non est diffinitio, sed potius etymologia Sacramenti.

Hug. de sacram. fid. lib. 1. p. 9. cap. 2.

Aug. 10. de Ciuit. ca. 5. ante med. tom. 5.

CAPVT III.

De Sacramentis nouæ legis, seu gratiæ.

SAcramenta legis gratiæ Christus instituit, tamquam nouæ legis lator, in qua vocans ad præmia, dedit præcepta, instituit Sacramenta. Christus enim Verbum Patris cum sit summæ bonitatis, & summæ veritatis, ratione summæ bonitatis promisit præmia beatificantia: ratione veritatis dedit præcepta dirigentia, ratione virtutis instituit Sacramenta adiuuantia, vt sic per Sacramenta reparetur virtus ad implenda præcepta, & per præcepta perueniatur ad præmia. Instituit autem Sacramenta in verbis, & elementis, vt ait Augustinus: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, & est ibi elementum pro materia, & forma verborum pro forma. Ad hoc vero instituta sunt Sacramenta in verbis & elementis, vt haberent euidentiam significandi, & efficaciam sanctificandi: quia dum elementa oculis, & verba auribus se offerunt, qui sunt duo sensus præcipue cognoscitiui, dant euidentiam significationis. Deinde verba sanctificant elementa, vt plenior fiat humanæ creationis efficacia.

Aug. tract. 80. in Ioan. post med. tom. 9.

Instituit autem Deus Sacramenta diuersimode: quædam, scilicet ante aduentum suum, vt matrimonium, & pœnitentiam. Sed hæc duo confirmauit, & consummauit in lege Euangelica, dum pœnitentiam prædicauit, & nuptijs interfuit. Alia quinq; Sacramenta solus Christus initiauit. Confirmationem quidem, paruulis manum imponendo: Vnctionem vero, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos vngebant oleo, sicut dicitur in Marco: Baptismum vero, suscipiendo, deinde formam dando: Ordinem autem, potestatem ligandi & soluendi tribuendo, & conficiendi Sacramentum altaris: Eucharistiam autem operando, comparando se grano sinapis: & conficiendo ac dando discipulis imminente passione Sacramentum corporis & sanguinis sui. Instituta sunt etiam Sacramenta multiplici de causa. Primo propter humiliationem, qua homo quærit salutem inferioribus se subijciendo. Secundo propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda inuisibilia rapitur. Tertio, propter exercitationem, qua homo noxiam declinet occupationem & otium. Quarto propter congruitatem medici ad medicinam, quia cum medicus sit Deus, & homo ægrotus, congruenter medicina debet continere aliquid diuinum, scilicet inuisibilem gratiam, & aliquid humanum, scilicet visibilem gratiæ formam. Quinto propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo constans ex corpore & spiritu: spiritus autem in corpore non bene capiat spiritualia, nisi in corporalibus congruũ fuit dare medicamenta spiritualia in rebus corporalibus, sicut pilulæ in nebula dantur. Sexto propter augmentationem meriti, multum enim valet ad meritum, quando Deus creditur in his, vbi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo ex prædictis, quæ sit Sacramentorum causa efficiens, quia diuina institutio: quæ formalis, quia gratiæ sanctificatio: quæ finalis, quia humanæ infirmitatis curatio.

Mar. 6. b Matt. 3. d

Rom. 1. f

CAPVT IV.

De effectu Sacramentorum nouæ legis.

EFfectus Sacramentorum nouæ legis multiplex est. Primo, à peccato mundant. Secundo in bono conseruant. Tertio, corpori Christi mystico incorporant. Quarto iustificant. Quinto ad futuram vitam præparant. Sexto erudiendo illuminant. Septimo à malo præseruant. Ista patent in septem Sacramentis per ordinem. Nam primum operatur Baptismus: secundum Confirmatio, & sic de alijs. Sacramenta dicuntur vasa gratiæ, & causa: non quod in eis gratia substantialiter contineatur, vel causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, & à solo Deo infundi: sed quia in illis & per illa gratiam curationis à summo medico Christo oportet hauriri: licet non alligauerit potentiam suam Sacramentis, quin & per alias vias gratiam conferre valeat, quando vult.

Sacramenta semper habent sanctificationem veritatis, non semper efficaciã curationis: & hoc non propter defectum ex parte sui, sed ex parte suscipientis: quia gratia nulli datur repugnãti & impugnanti gratiæ fontem. Vnde & Sacramenta non sanctificant, nisi digne accedentes, & absq; omni fictione. Nonnumquã tamen virtute Sacramentorum fit de attrito contritus, ita quod defectus dignitatis, vel præparationis ex parte suscipientis suppletur virtute diuina in Sacramentis contenta, dummodo non accedat sciens in mortali peccato, vel in proposito peccandi. Vnde sciendum, quod quidam suscipiunt Sacramentum tantum, vt ficte accedentes: quidam rem tantum, vt qui per contritionem & fidei deuotionem recipiunt gratiam prius, quam veniant ad Sacramenta: quidam & Sacramentum & rem suscipiunt, vt digne accedentes.

Sacramentum dicitur à sacrando, & hoc potest intelligi tripliciter: aut sanctitatem efficiendo tantũ, aut sanctitatẽ significando tantum, aut sanctitatem significãdo & efficiendo simul. Primo modo conuenit ratio Sacramenti rebus significatis per Sacramenta tã veteris, quam nouæ legis. Secundo modo côuenit signis veteris legis. Tertio modo conuenit Sacramentis nouæ legis. Huiusmodi exemplum habemus in naturis, quia medicina dicitur sanare efficiendo tantum, sed sudor sanat indicando tantum, exercitatio sanat efficiendo, & significando.

Quinq; sunt quæ animam iustificant, sed diuersimode. Deus enim iustificat auctoritate, gratia iustificat formaliter expellendo morbũ spiritualem, impletio mandatorum iustificat, vt dieta. Sacramenta vero tamquam vasa medicinalia, in quibus confertur gratia. Sacerdos autem ministerio. Exemplum autem horum habemus in curatione morbi corporalis. Deus enim sanat corpus auctoritate, medicina effectiue, dieta conseruatiue.

vas me-

vas medicinæ contentiue. Vnde dicitur vulgariter: Pyxis ista sanauit me, medicus vero sanat vt minister.

CAPVT V.

De numero Sacramentorum.

Sacramenta nouæ legis sunt septem secundum septem diuersitates hominum in Ecclesia. Primum est intrantium, vt baptismus. Secundum pugnantium, vt confirmatio. Tertium vires resumentium, vt Eucharistia. Quartum resurgentium, vt pœnitentia. Quintum exeuntium, vt extrema vnctio. Sextum ministrantium, vt ordo. Septimum nouos milites introducentium, vt matrimonium.

Sacramenta figurata sunt in septem signaculis, quibus fuit veteris testamenti pagina sigillata, quæ agnus qui habet clauem Dauid, qui claudit & nemo aperit, reserauit. Item in septé tubis quibus Angeli cecinerunt. Item septem stellis, quas habebat similis filio hominis in dextera sua. Item in septem panibus quibus Dominus turbam satiauit. Item in septem ocúlis super vnum lapidem. Item in septem lucernis tabernaculi superpositis candelabro. Item in septem lotionibus Naaman.

Apoc. 3. b & 5. a
Mat. 15. d
Zach. 3. d
Num. 8. a
4. Reg. 5. d

Sacramenta sunt septem, quæ disponunt ad septem virtutes habendas. Nam Baptismus est sacramentum fidei. Confirmatio spei. Eucharistia charitatis. Pœnitentia iustitiæ. Extrema vnctio perseuerantiæ: quæ est fortitudinis complementum. Ordo prudentiæ. Matrimonium temperantiæ. Alia etiam ratio numeri Sacramentorum est, quia ordinantur contra triplicem culpam, & contra quadruplicem pœnam. Vnde Baptismus ordinatur contra peccatum originale. Pœnitentia contra mortale. Extrema vnctio contra veniale. Ordo contra ignorantiã. Eucharistia contra malitiam. Confirmatio contra impotentiam. Matrimonium contra concupiscentiam, quam temperat & excusat. Alia adhuc ratio numeri, qua Sacramenta sunt causa sanatiua morbi spiritualis ad modum corporalium. Medicina vero corporalis quadruplex est; scilicet curatiua, conseruatiua, præseruatiua, & melioratiua. Simili modo & Sacramenta curant. Baptismus curat simul, & totaliter. Pœnitentia vero curat paulatim quantum ad pœnam, quousque nullius pœnæ homo debitor sit. Extrema vnctio curat à morbis leuioribus, scilicet à venialibus, sicut Baptismus, & Pœnitentia curat à letalibus. Sic ergo prædicta tria Sacramenta sunt quasi medicina curatiua. Confirmatio autem est medicina conseruatiua sanitatis spiritualis, in qua datur Spiritus sanctus ad robur & conseruationem gratiæ dat in Baptismo. Matrimonium est medicina præseruatiua. Ordo est medicina melioratiua, in quo augmentatur gratia. Eucharistia hæc omnia simul facit. Curat enim venialia, quæ sunt occasio ruinæ maioris: conseruat enim gratiam inuentam in homine, & augmentum, sicque meliorat, & nihilominus à peccato præseruat.

CAPVT VI.

De potestate dispensationis Sacramentorum.

Potestas dispensationis Sacramentorum regulariter spectat solum ad genus humanum. In omnibus Sacramentis dispensandis, necessaria est dispensationis intentio, qua quis intendit facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio prædicta: quia ipsa Ecclesia sicut Sacramenta à Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat. Rursum quia ordo dignitatis exigit, vt maiora maioribus, & minora minoribus committantur: quædam respiciunt excellentiam dignitatis, vt Sacramentum Confirmationis & Ordinis, vnde Confirmatio & Ordo conferuntur ab Episcopis. Quædam respiciunt indigentiam necessitatis, vt Matrimonium & Baptismus: quorum vnum generat, alterum vero regenerat: & horum dispensatio etiam personis inferioribus conceditur, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione Baptismi. Quædã autem Sacramenta sunt quasi media, vt Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Vnctio. Et istorum dispensatio ad solos pertinet sacerdotes, qui sunt quasi medij inter Episcopos, & minores personas constituti.

Sacramenta dispensari possunt à bonis & malis, à fidelibus & infidelibus, intra Ecclesiam, & extra: quia si dispensari possent tantum à bonis, nullus esset certus de susceptione Sacramenti: cum nullus sit certus de bonitate ministri, sicut nec de propria, & semper ita oporteret iterari, & malitia vnius præiudicaret alienæ saluti. Idcirco Sacramentorum dispensatio committitur homini non ratione sanctitatis, quæ variatur, sed ratione auctoritatis diuinæ, quæ semper manet quantum est de se.

Sciendum autem, quod in Sacramentis quædã sunt substantialia, quædam vero sacramentalia. Quãtum ad substantialia nõ plus valet operatio boni ministri, quam mali: quia Deus ibi operatur vt auctor, homo vero vt minister. Sed in sacramentalibus, vt sunt orationes, plus potest valere operatio boni ministri, quam mali: hoc est autem per accidens, non per se, id est, quantum ad alios effectus accidentales, non quantum ad essentiales.

Quamuis apud hæreticos sint Sacramenta vera, non tamen recipientibus sunt vtilia, nisi ad Ecclesiæ vnitatem redeant. Vnde Augustinus: Ecclesia comparata paradiso iudicat posse Baptismum homines & foris recipere, sed salutem non tenere. Nam & flumina de paradisi fonte largiter manauerunt, nõ tamen in Mesopotamia, nec in Ægypto, quo illa flumina peruenerunt, est fœlicitas vitæ, quæ de paradiso commemoratur.

Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas statim in princ. to. 7.

CAPVT VII.

De triplici statu fidelium.

Triplex est status fidelium in acie Ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet fidei genitæ, fidei roboratæ, & fidei multiplicatæ. Per primum fit distinctio fidelium ab incredulis in Baptismo, per secundum fit distinctio fortium ab infirmis, & hoc in confirmatione, per tertium fit distinctio clericorum à laicis, per Sacramentum Ordinis. Hinc est quod hæc tria Sacramenta characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguuntur: vnde nullatenus iterari possunt. Character ergo baptismalis incipientium est, Confirmationis vero proficientium, sed Ordinis perfectorum.

Prædicta triplex distinctio fit ad similitudinem distinctionis alicuius exercitus, Prima est communis, scilicet totius exercitus ab alio exercitu, & hæc fit principaliter per Baptismum. Secunda est specialis, scilicet militum à popularibus hæc autem fit per Confirmationem. Tertia est specialissima; scilicet ducum militumue ab vtrisq;, & hæc fit per Sacramentum Ordinis. Præterea quia character est signum distinctiuum spirituale & indelebile, ideo non confertur in Sacramentis, quæ solent iterari, sicut est Pœnitentia, Matrimoniũ, & huiusmodi.

Notandum ergo, quod character baptismalis est omnium characterum aliorum fundamentum, & ideo illo non habito non possunt ceteri characteres imprimi: vnde si quis ordinatur nõ baptizatus, nihil prorsus agitur.

Quamuis tria Sacramenta sint, vt dictũ est, quæ propter characteris impressionem non iterantur, tamen commune est hoc omnibus Sacramentis, non iterari circa eandem personam, & materiam; & ex eadem causa, & hoc est ideo, ne fiat contumelia Sacramento. Ex hoc enim credi posset, quod Sacramenta prius dispensata essent inefficacia & inepta: licet quædam ex necessitate, & alijs causis iterari possint.

Quædam sunt de Sacramentorum substantia, quædam de congruentia. Si ea quæ sunt de substantia, omittantur

tantur, euacuantur Sacramenta, & sunt iteranda. Omissione vero illorum, quæ sunt de congruentia, non euacuantur Sacramenta.

CAPVT VIII.

De institutione Sacramentorum.

AB initio instituta sunt Sacramenta ad curationem hominum, & semper cum morbo cucurrerunt. In lege enim naturæ fuerunt oblationes, sacrificia, & decimationes. In lege autē scripta introducta est circumcisio, & adiuncta est expiatio, atque superaddita oblationum & sacrificiorum multiformis distinctio. In lege autem noua statuta sunt Sacramenta numero pauciora, vtilitate potiora, virtute efficaciora, præeminentia digniora, atque significatione euidentiora: in quibus est impletio simul & euacuatio omnium prædictorum, sicut ait Hugo de S. Victore. Primi temporis Sacramenta fuerunt sicut vmbra, medij temporis sicut imago, siue figura, postremi vero temporis, scilicet gratiæ, sicut corpus, quod intra se veritatem continet & gratiam, quam significatione repræsentant, & principaliter conferunt & promittunt. Prædicta patent, quia eiusdem mundationis similitudo est in oblatione legis naturæ, sed occulte inuenitur. In circumcisione vero euidentius aliquantulum exprimitur, per Baptismum autem manifestius declaratur. Item Sacramenta veteris legis nutriebant paruulos, exercebant perfectos, & duros onerādo domabant. Sed hæc Sacramenta nouæ legis conferunt, quæ vetera de longinquo monstrabant. Vnde priora Sacramenta præparauerunt, & perduxerunt ad noua, sicut via ad terminum, sicut figura ad veritatem, & sicut imperfectum ad perfectū. Est & alia differentia, quia commune est omnibus Sacramentis consistunt in rebus sensibilibus, inuisibilem tamen gratiam significantibus: sed speciale est Sacramentis nouæ legis, quod consistant etiam, & in rebus. Item Sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurant, sed hoc non faciunt Sacramenta veteris legis. Item Sacramenta nouæ legis iustificant, & quantum ad opus operatum, & quantum ad opus operans: sed Sacramenta veteris legis iustificāt solum quantū ad opus operans, quia non valebant facientibus, nisi quantum illorū charitas & deuotio fidei se extendebat. Hoc non intelligitur de circumcisione, quæ cum non fuerit in lege data, nequaquam inter legalia computatur: quia ipsa in paruulis tollebat originale peccatum, & gratiam conferebat, quod nōn faciebant legalia. Item in lege distinguebat populum Dei ab alijs gentibus, sicut modo distinguit character baptismatis. Itē legalia, secundum Augustinum, fuerunt ante passionem Domini viua, & statim post passionem mortua, & postquam claruit veritas Euangelij fuerunt omnino sepulta. Nostra vero Sacramenta vsq; ad finē semper in suo vigore manebunt.

Hugo de sacram. fid. lib. 1. par. 8. cap. 12.

Aug. epist. 19. ad Hieron. to. 2.

CAPVT IX.

De Sacramento Baptismi.

BAptismus est ianua omnium Sacramentorum, quia nulli confertur in Ecclesia aliud Sacramentum ante ipsum. De substantia Baptismi sunt quinque. Primum est expressio formæ vocalis à Deo institutæ, quæ est hæc: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, absque omissione vel additione dictionis, absq; præposteratione ordinis, & absq; commutatione nominis: his enim quattuor modis forma verborum violatur, scilicet omissione, additione, transpositione, & commutatione, id est, si ponitur loco Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nomen potentis, sapientis, & benigni: quia in quocumque idiomate baptizetur, non debent poni appropriata tribus personis, sed expressa nomina personarum. Similiter loco verbi, baptizo, non debet dici, immergo, vel intingo. Secundum est ablutio per elementum aquæ cuiuslibet, vel maris, vel fontis, vel fluminis, siue frigidæ, vel calidæ in toto corpore facienda, vel saltem in digniori parte, scilicet in caput. Tertium est, quod immersio ista fiat ab vno, & in eodem tempore, quando forma verborum exprimitur, ita quod non vnus puerum immergat, & alius verba proferat. Quartum est intentio vel specialis, vel generalis. Specialis autem intētio est, vt iste baptizandus mundetur. Generalis autem est facere illud quod facit Ecclesia. Intētio quoque illius requiritur qui est baptizandus, si est adultus, quia qui inuiti baptizantur, non recipiunt Sacramentum. Quintum est fides ipsius baptizandi: quia in adultis requiritur fides propria, sed in paruulis aliena: quia paruuli in fide Ecclesiæ baptizentur.

Baptismus merito fit in aqua, & non in alio liquore: quia cum homo per peccatum primi parentis incurrit immunditiam & ignorantiam, & concupiscentiam, per Baptismum ab his tribus liberatur. Et hoc notatur in proprietatibus aquæ, scilicet puritate, perspicuitate & frigiditate. Nā baptismalis aqua sua puritate nos mundat, sua perspicuitate illuminat, atque sua frigiditate ab æstu concupiscentiæ nos temperat. Item Baptismus fit in aqua, ne quem inopia excusaret, & ne propter defectum homines salutis periculum incurrerent, si in alio aliquo liquore fieret: & vt inueniatur apud omnes communis Baptismi materia.

Triplex autem est Baptismus, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis. Inter hos talis est differentia, quia Baptismus fluminis à tota pœna liberat, & à culpa, & gratiam in habitu infundit, & characterem imprimit. Baptismus flaminis delet culpam non semel tantum, sed pluries, & habet gratiā in vsu, in quo consistit meritum. Baptismus sanguinis liberat ab omni tentatione, & confert statim præmium, quia proprium est martyrum statim euolare. Ex his patet quis sit melior inter hos Baptismos, quia se habent, vt excedentia, & excessa.

In Baptismo quoddam est Sacramentum tantum, vt ablutio exterior: quoddam est res tantum, vt gratia interior: quoddam res, & Sacramentum, vt character. Octo sunt de sollemnitate Baptismi, quæ non sunt de substantia. Vnde versus:

> *Sal, oleum, chrisma, cereus, chrismale, saliua,*
> *Flatus, virtutem Baptismatis ista figurant:*
> *Hac cum patrinis non mutant esse, sed ornant.*

In quattuor locis inungitur baptizandus, scilicet in fronte, vt fidem publice protestetur. In vertice, vt agenda ab eo subtilius intelligantur. Inter scapulas, vt iugum Christi suauius portetur. In pectore, vt dulci corde Deus diligatur.

Baptismus fuit materialiter institutus, quando Christus baptizatus fuit: formaliter, quando dixit: Ite, docete omnes gentes, &cæt. finaliter, quando dixit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit, &c. effectiue, quando Christus passus est.

Matt. 3. 4 *Mat. vlt. 4* *Ioan. 3. 4*

Effectus Baptismi multiplex est. Ad alia Sacramenta præparat, quia Baptismus est Sacramentum intrantium. A peccato mundat quod significatum est in mari rubro, vbi submersi sunt Ægyptij, sed filij Israel exierunt securi. Nota, quod in Baptismo deletur originalis peccati macula: fomes vero non tollitur, sed remittitur. Pœnam relaxat. Vnde pueri induuntur veste candida. Rationalem illuminat. Vnde ponitur sal in ore. Cōcupiscibilem ad bonum inflammat, vnde datur candela puero. Irascibilem confortat. Vnde Israel vicit Amalech post transitum maris rubri. Gratiam tribuit: quod figuratum est per columbam, quæ sedit super Iesum baptizatum. Characterem imprimit: hoc figuratur per mare vitreum in Apocalypsi: Fomitem mitigat, quod significat aquæ frigiditas. Communionem Ecclesiæ præstat, sicut Hieremias circumcisus fuit, quamuis sanctificatus fuerit in vtero. A satisfactione exteriori liberat, quia non requirit gemitum neque planctum, intellige exteriorem, non interiorem: nam interior requiritur in adulto, scilicet contritio. Potestatem diaboli minuit: quod significat ex-

Exo. 14. 8 *Exo. 17. 4* *Matt. 3. 4*

ficat exsufflatio. Ianuam cœli aperit, quod significatum est quando Christo baptizato aperti sunt cœli. Et notandum quod passio Christi aperuit ianuam cœli; per causam meritoriam, & satisfactoriam generalem. Baptismus autem aperit per causam efficientem singularem. Facit n. iustum hominem singularem euolare. Os ad laudandum, & aures ad audiendum aperit. Vnde ponitur saliua in aure pueri. Templum Christi efficit. Vnde dicitur baptizato: Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto. Laudabilem coram Deo reddit. Vnde balsamum est in chrismate. Solent pueri baptizandi vsque ad Pascha & Pentecosten, nisi vrgeat necessitas, vel timeatur periculum, reseruari ad significandum quod in baptismo fit resurrectio spiritualis, & quod gratia Spiritus sancti datur. Baptismus Christi, & Ioannis conueniunt in materia, & in mundo mergendi: sed differunt in forma, quia baptismus Ioannis tradebatur in nomine venturi. Differunt etiam in effectu, quia baptismus Christi viuificat, Ioannis autem non. Item in fine, quia baptismus Ioannis ad baptismum Christi inuitabat.

CAPVT X.

De catechismo, & exorcismo.

CAtechismus, & exorcismus tamquam præparatorij præmittuntur in baptismo, vt in ipso gratia efficacius operetur. Tribus de causis catechismus institutus est, primo propter instructionem de articulis communibus ad fidei susceptionem: secundo propter responsionem ad fidei professioné: tertio propter responsionem ad fidei obseruationem. Quia vero adultus peccatum proprium habet, & per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo. Paruulus autem, quia non habet peccatum actuale, nec per se respondere potest, requiruntur hæc ab eo per vicarium, qui pro ipso respondere de fidei obseruantia. Exorcismus ideo institutus est, vt à baptizando diaboli potestas repellatur. Nam propter peccatum hominis diabolus in hominem potestatem accipit, & etiam in illa, quæ veniunt in vsum hominis. Vnde tam adulti, quam paruuli exorcizari debent ad expulsionem diabolicæ potestatis.

CAPVT XI.

De confirmatione.

COnfirmatio sacramentum est pugnantium, de cuius substantia sex sunt. Duo ex parte sacramenti in se, scilicet materia chrismatis, & forma verborum, quæ talis est, secundum morem magis communem, Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Duo ex parte ministri, scilicet dignitas Pontificalis, & intentio debita. Duo ex parte suscipientis, scilicet frons in qua debet fieri chrismatio, & quod confirmandus sit baptizatus. Vnctio chrismatis triplex fit in trib. sacramentis, quorum diuersitas ex fine accipitur. In baptismo fit in vertice, ad signādum fidei susceptionem, quia vertex est locus cellulę rationalis. In confirmatione fit in fronte, ad significandū audaciam confessionis: cuius impedimentum est timor & verecundia, quæ specialiter manifestatur in pallore, vel rubore frontis ex propinquitate cellulæ imaginalis. In ordine fit in manibus, ad significandum potestatem consecrandi Dominici corporis sacramentum.

Huius sacramenti multiplex est vtilitas, quia gratiam in baptismo datam cōfirmat. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, scilicet in baptismo. *Psal. 67. d* Ad militiam spiritualem præparat. Vnde confirmandi tamquam pugiles pugnaturi inunguntur, ne ab inimicis de facili terreantur. Et quia omnes Christiani debent esse in bello Christi, propter hoc omnes debent sacramentum hoc accipere, vt facilius possint contra mundum, carnem & diabolum pugnare. Ad confessionem cōstantem nominis Christi amat, quoniam oportet verum Deum, & verum hominem confiteri. Primo, vt confiteamur eum secundum diuinam naturam Patri, & Spiritui sancto æqualem. Secundo, vt confiteamur eum secundum humanam naturam, crucis pertulisse supplicium. Primum apparet in forma Verborum in Trinitatis expressione, secundum claret in fronte crucis signatione. Intus & extra spirituali decore nos ornat. Intus quidem per conscientiæ puritatem: sed extra per odorem bonæ famæ. Et hæc duo significantur in chrismate quod conficitur ex oleo propter primum, & ex balsamo propter secundum. In bonis agendis & malis sustinendis roborat. Datur enim ibi Spiritus sanctus ad robur. Animam & corpus armat. Animam quidem per impressionem characteris cōtra pusillanimitatis vitium: corpus vero per clypeum crucis contra insultus dæmonum. Contra verecundiam & timorem in confessione nominis Christi audaciam præstat. Primum notatur in chrismatione frontis, qui est locus verecundiæ. Secundum in potestate ministri. Pugnantem coronat: quod notatur in vitta, quæ circa caput confirmati ligatur. Quædam sunt circa confirmationem quæ non sunt de esse sacramenti, sed de bene esse, quæ sunt hæc. Quod ieiunis, & à ieiuno detur: quod per aliquem Episcopo præsentetur, qui etiam patrinus efficitur, quod vitta capiti circumligetur. Per istud sacramentum fiunt fideles pleni Christiani. Plenitudine dico copiæ: qui tamen in baptismo pleni facti sunt plenitudine sufficientiæ.

Sacramenta se habent in dignitate, vt excedentia, & excessa. Nam Eucharistia præeminet in esse, Baptismus in effectu. Matrimonium in mysterio, quia significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Confirmatio in dignitate ministri, qui non confertur nisi ab Episcopis. Pœnitentia in frequenti peccatorum remissione, & sic de alijs sacramentis.

CAPVT XII.

De sacramento Eucharistiæ.

EVcharistia est sacramentum charitatis tam diuinæ, quam nostræ: quia Deus in hoc sacramento magnæ dilectionis nobis signum ostendit, & nostræ dilectionis affectum per idem sacramentum specialiter erga se inflammauit. De substantia huius sacramenti sunt quattuor. Primum est, quod consecrans Eucharistiam sit sacerdos. Secundum, species panis & vini. Tertium, intentio consecrantis. Quartum est forma verborum, videlicet, Hoc est enim corpus meum. Et ista super calicem. Hic est enim calix, &c. *Luc. 22. b* *1. Cor. 11. c*

Ad plenius intelligendum ista, nota circa intentionem, quod aliud est intentio, aliud attentio: quia intentio semper est necessaria, vel specialis, vel generalis, sicut dictum est de baptismo. Attentio autem non est de substantia, sicut quando mens rapitur in prolatione verborum ad alia, quod quandoq; contingit ex infirmitate, quandoq; ex negligentia, vel incuria, & tunc est peccatum. Sciendum præterea quod non solum requiritur intentio consecrantis, sed etiam intentio istud sacramentum instituētis. Vnde si aliquis sacerdos staret in foro, & super omnes panes formam verborū proferret, etiam cum intentione consecrandi, non fieret ibi transsubstantiatio: & hoc non esset propter defectum virtutis verborum, cum vna vice sacerdos possit consecrare tot hostias, quot toti mundo sufficerent, si esset necessarium Ecclesiæ, sed propter defectum intentionis illius, qui hoc sacramentum instituit, qui non intendit quod cum tali ludibrio, vt stultitia fieret consecratio, sed pro vtilitate, vel necessitate Ecclesiæ generalis, vel particularis.

Circa formam quoque verborum sciendū quod cum dicitur, Hoc est enim corpus meum, ista coniunctio enim, non est de substantia formę, sed de bene esse ipsius. vnde omitti non debet. Aliud namque est forma necessaria sine qua non potest transsubstantiatio fieri: aliud

forma debita sine qua non debet fieri. Eodem modo dicendum est de speciebus panis & vini. Vnde nota quod materia Eucharistiæ alia est necessaria, alia est debita. Materia necessaria Eucharistiæ est panis frumentitius, quia sine illo non potest fieri confectio. Materia vero debita est, quod panis ille sit azymus, quia licet in fermentato posset confici, tamen hoc non debet fieri, duplici de causa. Prima est, quia panis azymus conuenit institutioni. Christus enim dedit discipulis corpus suum confectum in tali materia. Secunda est, quia talis panis conuenit significato. Christus enim sine omni fermento peccati fuit. Similiter dicendum est de materia calicis: quia alia est materia necessaria, alia debita. Materia necessaria calicis est vinum, quia sanguis Christi non potest in alia materia confici, quam in vino. Materia vero debita est, quod aqua vino misceatur, & hoc duplici ratione. Prima, quia talis materia conuenit institutioni. Christus enim sanguinem suum sub tali specie dedit. Secunda, quia talis materia conuenit etiam significato: quia Ecclesia, quæ per aquam significatur, Christo per fidem & charitatem iungitur.

Luc. 22. b

Sciendum præterea quod in aceto & agresta non cóficitur, quia acetum non est vinum, sed fuit, sicut & agresta non est vinum, sed erit. In confectione autem sanguinis tam modicum aquæ debet admisceri vino, quod absorberi possit ab illo: alioquin impeditur consecratio si vinum ab aqua vincitur. Istud designat, quia cum nos ad Christum conuertimur, non ipse in nos, sed nos in ipsum mutamur: quia corpori eius mystico incorporamur.

Si vna gutta vini imponitur ex aliqua negligentia sanguini, non propter hoc desinit esse sanguis, nec propter admixtionem vinum in sanguinem mutatur, sed vtraq; species in sua natura permanet. Sed si de vino multum ponitur ad vnam guttam sanguinis, sicut quandoque fit in ablutione, tunc ibi desinit esse sanguis: quia species illius guttæ sub qua est sanguis, absorbetur à multo vino adiuncto.

Circa Eucharistiam est quoddam sacramentum tantum, vt species panis & vini: quoddam est ibi res tantum vt corpus Christi mysticum, quoddam est ibi res & sacramentum, vt corpus Christi verum, quod traxit de Virgine, istud enim est res primi, & sacramentum secundi.

Sub vtraq; specie totus Christus indiuisus est, scilicet corpus & anima, & Deus, ac per hoc vtrobiq; est vnum & simplicissimum sacramentum. Sub specie namq; panis est corpus Christi per conuersionem, & sanguis per connexionem, & anima per coniunctionem, & diuinitas per vnionem. Ista enim quattuor non possunt diuidi, nec ab inuicem separari. Eodem modo dicendum est de sanguine. Præterea Christus sic totus est in tota specie, quod est in qualibet parte eius, siue sit integra illa species siue diuisa: ac per hoc non est ibi vt circumscriptus, vel occupans locum, vel habens situm, vel perceptibilis per aliquem sensum corporeum. Exemplum huius habemus in speculo, quod si diuidatur in multas partes, in qualibet apparet imago, quę prius apparebat in integro. Item exemplum est de sermone, quem quis multis recitat, quia quilibet auditor recipit illum totum. Vnde quamuis sermo sit vnicus in proferente, totus tamen est in quolibet audiente.

Hostia frangitur in tres partes, propter multas rationes. Primo propter tres personas diuinas in vna essentia, sic sunt tres partes in diuisione hostiæ, vnus tamen Christus est. Secundo propter tres status Ecclesiæ, scilicet militantium, triumphantium, & in purgatorio ardentium. Tertio propter tres status Christi in quibus fuit, scilicet mortalis, mortuus, & immortalis. Quarto propter tres apertiones in corpore Christi tempore passionis, scilicet manuum, pedum, & lateris. Quinto propter tres substantias in Christo, scilicet diuinitatis, animæ, & corporis.

Sacramentum corporis Christi præfiguratum est multipliciter. scilicet in oblatione Melchisedech, in qua figurate habemus formam exteriorem sacramenti, & primum effectum, scilicet refectionem: ibi enim præcessit figura spiritualis refectionis in pane & vino; in Eucharistia est refectio spiritualis vitæ in re. Item in manna, vbi figurabatur effectus gratiæ. Item in agno paschali, in quo figurabatur liberatio à seruitute Ægyptiaca. Ita noster agnus est signum liberationis à diabolo. Item in diuersis sacrificijs, de quibus habetur in Leuitico, quibus figurabatur oblatio passionis Christi, vt fuit hostia quo ad reconciliationem, & victima quo ad satisfactionem pro peccatis nostris, & holocaustum quo ad totius corporis sui læsionem. Item in oblatione Manuæ, de quo legitur in libro Iudicum, per quam figurabatur in quo debet fieri oblatio, & super quid: quia in fide Iesu Christi, qui per petram designatur. Item in virga Ionathæ mellita, vbi figurabatur quis offerre debeat, quia Ionathas: per fauum vero mellis designatur deuotio offerentis. Figura sanguinis Christi fuit vinum ad designandum refectionem. Introduxit me Rex in cellam vinariam. Item aqua ad designandum ablutionem. Vnde illud. Vidi aquam egredientem, &c. Item sanguis ad designandum redemptionem: Sine sanguinis effusione non fit remissio.

Gen. 14. d — Exo. 16. d — Exo. 12. b — Iudic. 13. b — 1. Reg. 14. d — Cant. 2. a — Eze. 47. a — Heb. 9. f

CAPUT XIII.

De dignitate & excellentia sacramenti Eucharistiæ.

Dignitas & excellentia huius sacramenti apparet in multis. Primo, quia sicut iam dictum est, tam ante legem, quam in lege fuit præfiguratum. Secundo, quia à Prophetis prænunciatum. Panem Angelorum manducauit homo: ponitur hic præteritum pro futuro prophetali certitudine. Tertio quia à Christo institutum & hoc dupliciter: scilicet verbo, & facto. Verbo, vt patet in Ioanne, Ego sum, inquit, panis viuus, qui, &c. Facto: Accipite & comedite. hoc est, &c. Quarto, quia ab Apostolis obseruatū: Conuenietibus vobis in vnum, &c. Quinto, quia à summis Pontificibus sollemnizatum, qui ordinauerunt cantum & orationes, locum, & tempus, & vestimenta, & vasa diuersa, quæ omnia sunt ad decorem huius sacramenti.

Psal. 77. c — Ioan. 6. e — Mat. 26. c — 1. Cor. 11. c

Maxima dignitas apparet in hoc sacramento, quia cum Christus constet ex tribus substantijs, scilicet deitate, anima, & corpore. Ipsa quidem deitas excellit omnia. Magnus Dominus & laudabilis, &c. Item anima eius præcellit omnes animas, cum sit plena gratia & veritate, idest, perfectissima in affectiua & cognitiua. Item corpus eius excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore beatissimæ Virginis fuit sumptum, & diuinati vnitum: ergo in Christo nobilissimum quod est in cœlo, & nobilissimum in terra vnita sunt.

Psal. 47. a — Ioan. 1. c

CAPUT XIV.

De mirabilibus, quæ sunt in Eucharistia.

Mirabilia multa sunt in hoc sacramento: primum est, quod est ibi corpus Christi in tanta quantitate sicut fuit in cruce, & sicut iam est in cœlo, nec tamen excedit terminos illius formæ. Secundum quod ibi sunt accidentia sine subiecto. Tertium, quia ibi panis ita conuertitur in corpus Christi, quod non fit materia corporis Christi, nec annihilatur. Quartum quod corpus Christi non augetur ex multarum hostiarum consecratione, non minuitur ex hostiarum sumptione. Quintum, quod idem corpus in pluribus locis est sub omnibus hostijs consecratis. Sextum, quod quando diuiditur hostia, non diuiditur corpus, sed sub qualibet parte totus est Christus. Septimum quod quando tenetur hostia in manibus, & videtur oculis, corpus Christi

nec tangitur per se, nec videtur: sed hæc tantummodo circa species sunt. Octauum quia cum desinunt istæ formæ, tunc etiam desinit esse ibi corpus & sanguis Christi. Nonum, quod cum non sit ibi panis vel vinum, tamen accidentia eundem effectum habent, vt prius, scilicet satiare, inebriare, & huiusmodi.

Nota quod Deo conuenit esse vbiq; simpliciter & proprie, creaturæ conuenit esse in vno loco tantum. Corpus vero Christi medio modo se habet. Cum enim sit creatura non debet æquari Creatori in hoc quod sit vbique. Cum vero sit vnitum deitati, debet in hoc excellere alia corpora, vt simul & semel possit esse in pluribus locis, sub isto videlicet sacramento.

In sacramento Eucharistiæ quoddam est secundum naturam, vt hoc quod ibi accidentia sunt in loco determinato. Quoddam est ibi supra naturam, sed non supra intellectum, vt quod ibi sunt accidentia sine subiecto. Quoddam est ibi supra naturam & intellectum, vt quod ibi Christus est totus, & tantus quantus fuit in cruce, nec tamen excedit terminos illius paruæ formæ.

De mirabili transsubstantiatione, nota quod triplex est mutatio. Vna est artificialis, vt quando fit vitrum de cineribus. Alia naturalis, & hæc duplex est, scilicet accidentalis, & substantialis. Accidentalis est quando idem subiectum manet sub diuersis accidentibus sibi inuicem succedentibus. Substantialis est quando eadem materia manet sub diuersis formis substantialibus: sicut patet in transmutatione elementorum adinuicem. Tertia est mutatio supernaturalis: vt quando nec materia nec subiectum manet, sed tantum accidentia sine subiecto: & talis mutatio est in transsubstantiatione corporis Christi.

In rerum mutatione potest notari triplex difficultas, vel ex parte termini à quo, vel ex parte termini ad quem vel ex parte distantiæ terminorũ ad inuicẽ. Primo modo creatio est mirabilior omnibus mutationibus, quia est de non ente simpliciter. Secundo modo conuersio in corpus Christi est mirabilior omnibus, quia est in ens in actu prius existens. Tertio modo incarnatio Christi est mirabilior quacunque mutatione: quia ibi est vnio infinite distantium.

Guitmun. de veritate Eucharist. lib. 1. post med.

Guitmundus distinguit quadruplicem mutationem substantialem. Prima est à non ente in ens, & hæc dicitur generatio. Secunda est ab ente in non ens, vt corruptio. Tertia est ab ente in ens, quod modo non est, sed iam erit, vt productio. Quarta est ab ente in ens iam existens, & talis est conuersio panis in corpus Christi. Hæc mutatio non habet similitudinem in natura, sed est alterationi quasi contraria: quia hic mutatur vna substantia in aliam, & manent eadem accidentia: sed in alteratione è conuerso est, quia ibi mutantur accidentia, & manet eadem substantia, sicut patet in corporalibus, quando de albo fit nigrum: & in spiritualibus, quando fit de iusto impius, vel de ignorante sciens.

Nota quod hæc præpositio de, multipliciter sumitur. Quandoque enim notat causam, vt cum Christus dicitur conceptus de Spiritu sancto. Quandoque materiam, vt cum dicitur Christus natus de Virgine. Quandoque idemtitatem substantiæ, vt cum dicitur Filius natus de Patre. Quandoque transsubstantiationem, vel conuersionem, vt cum dicitur corpus Christi fieri de pane. Quandoq; ordinem, vt cum dicitur creatura esse de nihilo.

CAPVT XV.

De effectu in suscipientibus corpus Christi.

Mat. 26. c

Digne suscipientes corpus Christi, bonum multiplex consequuntur. Primum est Christi commemoratio. Hoc facite in meam commemorationem, scilicet dilectionis, liberationis, imitationis. Item viuificatio interior, quia nonnumquam per virtutem huius sacramenti fit de attrito contritus. Vnde sicut in Genesi, lignum vitæ comestum vitam præstabat, sic per hanc gratiam purgamur, illuminamur, perficimur, reficimur, & viuificamur. Et bene redditur vita per cibum, per quem & mors intrauit. Item corporis Christi mystici incorporatio. Vnde dictum Augustini, Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me, non intelligitur de vnione corporis mystici de nouo facienda, sed de augenda: non enim vnit dissimilia. Item spiritualis refectio. In loco pascuæ, &c. Deus enim non tantum instituit sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, vt baptismum: vel quod genitos roboraret, vt confirmationem, verumetiam quod roboratos nutriret, vt Eucharistiæ, propter quod hæc tria sacramenta dantur omnibus, qui ad fidem accedunt. Item deuotionis augmentatio. Impinguasti in oleo, &c. Nutrimentum enim quod hic datur nobis quantum ad esse gratuitum, in tribus attenditur, scilicet in conseruatione deuotionis ad Deum, & dilectionis ad proximum, & delectationis intra nosmetipsos. Item fomitis mitigatio. Psalmus ibi: Super aquam refectionis, &c. quia sicut aqua refrigerat, sic & istud sacramentum feruorem concupiscentiæ mitigat. Item collatio gratiæ: Descendente manna descendebat, &c. Item virtutum roboratio: Panis cor hominis confirmet. Item peccatorum remissio, quia per istum cibum semper fit reparatio deperditi. Vnde quando dicitur in oratione Dominica, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, statim sequitur, Et dimitte nobis debita nostra. Istud intelligitur de venialibus tantum: quia sicut alimentum naturale prodest viuenti, & non mortuo, sic alimentum spirituale. Item contra diabolum armatio. Parasti in conspectu meo mensam aduersus, &c. Item spei eleuatio. Vnde Apostolus: Quomodo cum illo, &cet. Item amoris excitatio. Bernardus: Disce Christiane quantum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, aquam lateris in lauacrum. Item fidei commendatio, quia in hoc sacramento fides eleuatur supra naturam, supra sensum & supra intellectum. Apostolus: Captiuantes omnem intellectum in obsequium Christi. Item Angelica conuiuatio. Panem Angelorum manducauit homo. Item regni cœlestis collatio: Qui manducat meam carnem, & bibit, &c. Item spiritualis delectatio. Panem de cœlo præstitisti eis, &c. Item intellectus illuminatio. Gustauit Ionathas de melle, & illuminati sunt oculi eius. De effectu Eucharistiæ, dicit Bernardus: Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conseruat. Per hoc fit homo mansuetior ad correctionem, patentior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones deuotior.

Gen. 3. d — *Aug. l. 7. Confess. c. 10. a.* — *Psal. 22. a* — *Psal. 22. b* — *Psal. 22. a* — *Exo. 16. c* — *Num. 11.* — *Psal. 103. b* — *Psal. 22. b* — *Rom. 8. f* — *2 Cor. 10. b* — *Psal. 77. c* — *Ioan. 6. e* — *Sap. 16. c* — *1 Reg. 14. d*

Sicut recte communicantibus multa bona proueniunt, vt dictum est: sic indigne sumentibus corpus Christi multa mala occurrunt. Nullius enim opus placet Deo, nisi placeat ipse prius. Indigna enim communio peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excæcat, tentationi subiugat, Deum irritat, vitam temporalem breuiat, gratuitis spoliat. De his per ordinem dicitur. *Fiat* inquit, *mensa eorum coram ipsis. &c.* ecce primum. *Et in retributionem:* ecce secundum. *Et in scandalum:* ecce tertium. *Obscurentur oculi eorum ne videant:* ecce quartum. *Et dorsum eorum semper incurua:* ecce quintum. *Effunde super eos iram tuam:* ecce sextum. *Fiat habitatio eorum deserta:* ecce septimum. *In tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.* ecce octauum.

Psal. 68. d

CAPVT XVI.

De modo sumendi Eucharistiam.

Corpus Christi quattuor modis sumitur. Quidam accipiunt illud spiritualiter tantum, vt qui accipiunt rem sacramenti, idest gratiam, & non ipsum sacramentum corporis Christi. De hoc modo sumendi, dicit Augustinus: Crede & manducasti, idest, corpori Christo mystico incorporatus es. Quidam sacramentaliter tantum, vt communicantes in mortali peccato: quia licet Deus sit vbique per essentiam, non tamen per gratiam. Quidam spiritualiter & sacramentaliter, vt qui accipiunt rem, & sacramentum, vt communicantes in gratia. Quidam neutro modo, vt qui nec rem, nec sacramentum accipiunt, vt hæretici, qui nihil conficiunt. Primi non manducantes manducant, secundi manducantes non manducant, tertij manducantes manducant, quarti non manducantes non manducant.

Aug. tract. 25. in Ioan. par. 1 post. med. to. 9.

Circa communionem committitur peccatum tribus modis. Primo cum quis statuto tempore communionem dimittit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Secundo cum quis suo tempore communicans male accedit. Apostolus: Qui sumit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Tertio cum quis post communionem à peccatis se non custodit: & iste triplex malum incurrit. Primo quia Christum, quem suscepit, ignominiose à se expellit, nam turpius eiicitur, quam non admittitur hospes. Secundo quia talis quodammodo similitudinem Iudæ gerit, qui postquam cum Christo cenauit, ipsum tradidit. Sic & Absalom fratrem suum ad conuiuium vocauit, & postea occidit. Tertio, quia ordinem honestatis peruertit. Venturo enim reuerentiam exhibet, & præsenti nullam. Vnde similis est illis, qui cum ramis oliuarum, & clamore festiuo obuiauerunt Christo, & ipsum postmodum crucifixerunt.

Ioan. 6. f — *1. Cor. 11. g* — *2. Re. 13. f* — *Mat. 21. a*

Qualiter autem ad communionem accedendum sit, discere possumus in esu agni paschalis. Comedebant enim Iudæi accinctis renibus, calceatis pedibus, baculos habentes in manibus, cum lactucis agrestibus, & panibus azymis, & festinanter. Per primum significatur puritas castitatis. Sint lumbi præcincti & lucernæ. Per secundum affectus deuotionis. Quam pulchra es in calceamentis filia principum. Per tertium memoria Dominicæ passionis. In baculo meo transiui Iordanem istum. Per quartum amaritudo contritionis. Cibabis nos pane lacrymarum. Per quintum promptitudo bonæ voluntatis, & operationis. Vidisti hominem velocem in operibus suis, coram regibus stabit.

Exo. 12. b — *Luc. 12. e* — *Cant. 7. a* — *Gen. 32. c* — *Psal. 79. b* — *Prou. 22. d*

Item quales debeant esse communicantes, ostenditur in vestibus sacerdotalibus. Requiruntur enim ista, iudicium discretionis, munditia castitatis, mortificatio carnis, constantia fortitudinis, perseuerantia longanimitatis, perfectio charitatis. Primum notatur in superhumerali, secundum in alba, tertium in cinctura, quartum in fanone, siue manipulo, qui portatur in brachio sicut clypeus, quintum in stola, sextum in casula.

Corpus Christi sumitur velatum accidentibus multiplici ratione. Primo propter meritum quantum ad bonos, quia secundum Gregorium, fides non habet meritum, cui humana ratio præstat experimentum. Secundo propter indignitatem, quo ad malos. Exemplum de Bethsamitis, qui percussi sunt, quia arcam Domini viderunt. Tertio propter imbecillitatem quantum ad omnes. Non enim possemus videre claritatem corporis Christi glorificati. Exemplum de Moyse, in cuius faciem non poterant intendere filij Israel quando resplenduit. Quarto propter vitandum horrorem crudelitatis, qui fieret si Christi carnem dentibus attrectaremus.

Greg. hom. 26. in Euang. statim à prin. — *1. Reg. 6. d* — *Exo. 34. d*

Tres sunt causæ quare laicis non datur istud sacramentum sub duplici specie. Prima est, quia possent credere, quod totus Christus non esset sub vtraque specie. Secunda, propter periculum, quia de facili posset effundi sanguis. Tertia, vt veritas respondeat vmbræ, quia in lege non bibebant etiam offerentes de libamine.

CAPVT XVII.

De abstinentia à communione.

Abstinent quidam à communione propter culpam propriam, & aliqui sine culpa mortali, sed propter sacramenti reuerentiã, sicut qui sentiunt se minus mundos carne, vel mente, vel etiam indeuotos: & isti bene faciunt, dummodo possint iuste & sine aliorum scandalo supersedere. Vbi enim non instat necessitas, consulendũ est talibus, vt de communione expectent quousq; parati, & deuoti ac circumspecti possint accedere. Nulla tamen necessitas debet compellere, vt aliquis in peccato mortali existens scienter communicet.

Peccatum facit indignum communione tribus modis, aut in habitu, vt quando quis accedit non contritus de peccato præterito & inconfessus. Aut in actu, vt quãdo quis immutat formam sacramenti, & irreuerenter ipsum tractat. Aut in proposito, vt quando habet voluntatem peccandi in futuro.

Potest etiam propter reuerentiam sacramenti exclusio fieri à communione tripliciter: Primo propter reuerentiam sacramenti exterioris, sic excludit pollutio, & immunditia corporalis. Secundo propter reuerentiam rei contentæ sub formis, sic excludit defectus iudicij, & rationis, vt in pueris, & amentibus. Tertio propter reuerẽtiam rei significatæ, idest, vnitatis corporis mystici, sic excludit vinculum interdicti vel suspensionis, vel excõmunicationis etiam iniustæ. Sic igitur propter solam reuerentiam sine omni culpa excluduntur multi à cõmunione. Hoc primo patet in pueris, qui tamen si sint prope ætatem adultam, scilicet decimum vel duodecimum annum, & apparent in eis signa reuerentiæ, & discretionis, possunt sumere, alias non. Idem patet in furiosis, qui excluduntur sine culpa, qui tamen communicare possunt, quando habent lucida interualla. Item cum quis habet lutosas manus, licet hoc sit sine culpa, tamen pro sola reuerentia non debet tangere corpus Christi.

Tria genera hominum in lege excludebantur ab esu agni, scilicet incircumcisi, qui significant accedentes irreuerenter ad communionem. Legitur in libro Regum, quod percussus est Oza, qui tetigit arcam Domini. Item alienigenæ hi significant infideles, de quibus in Genesi: Fera pessima deuorauit filium meum. Item immundi qui significant habentes peccatum mortale. De his Propheta: Mundamini, qui fertis vasa Domini. De his tribus nota quod indigne sumit, qui non sumit, reuerenter, vel non Catholice, vel habet mortale scienter.

Exo. 12. g — *2. Reg. 6. b* — *Gen. 37. f* — *Isa. 52. d*

Qui non communicant suo tempore, multa mala incurrit. Primo, quia talis multiplici vtilitate priuatur, de qua supra dicitur in capitulo, De effectu Eucharistiæ. Si enim Raab saluata est, quia suscepit nuntios Domini, multo magis, qui ipsum suscipit. Secundo, quia constitutionem Ecclesiæ transgreditur: statuit enim Ecclesia quod qui non communicat in Pascha, viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens careat Ecclesiastica sepultura. Tertio, quia maledictionem incurrit. Væ soli, &c. Bene solus est, qui Christum non habet. Quarto, quia vices Deo non rependit. Augustinus: Verecundum est illi hospitium denegare, qui solet omnem pulsantem admittere. Quinto, quia vires spirituales perdit. Quilibet enim qui est sine mortali, est membrũ corporis mystici. Membrum autem debet sustentari alimento corporis Christi veri. Alioquin efficitur aridum, sicut corporeum membrum ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum.

Iosue. 6. d — *Eccl. 4. b*

CAPVT

Caput XVIII.

De officio Missæ.

PRærogatiuas plurimas habet Missa. Primo, quia celebratur à ieiunis. Secundo, quia tantum in Ecclesia, & super altare, nisi quandoque propter necessitatem fiat sub tentorio, vel in alio loco honesto. Tertio, quia oportet celebrantem esse sacerdotem. Quarto, quia oportet eum indutum esse sacris vestibus. Quinto, quia tantummodo fit in die, & non in nocte, nisi in natiuitate Domini. Sexto, quia celebratur accenso lumine, etiam si mille Soles lucerent super terram. Septimo, quia ibi sonant verba diuina, Angelica, & humana. Diuina quidem, cum dicitur vel cantatur, Pater noster, & leguntur verba Domini in Euangelio. Angelica vero, quando dicitur: Gloria in excelsis Deo, &c. Humana autem, vt in collectis & huiusmodi. Octauo, quia ibi audiuntur tria idiomata nobilissima, scilicet, Hebraicum, vt Sabaoth, & Osanna: Græcum, vt Kyrie eleison: Latinum, vt in alijs, quæ sunt ibi. Nono, quia Missa suo modo tam plena est mysterijs, sicut mare guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cœlum empyreum Angelis. Decimo, quia sacerdotes in solemnibus ecclesijs habent in Missa sua plures ministros, diaconum, subdiaconum, & acolytos. Vndecimo, quia Angelis ibi existentibus sufficit in præsentia tantæ maiestatis esse scholares. Duodecimo, quia ibi est Dominus cœli & terræ.

Officium Missæ moraliter exponitur ita. *Introitus* significat inchoationem boni operis: & duplicatur, quia in nostra inceptione debemus declinare à malo, & facere bonum: *Kyrie eleison*, quod nouem vicibus variatur, significat inuocationem misericordiæ Dei, qua nouem modis indigemus: primis tribus modis ad peccatorum remissionem, quæ committimus corde, ore, & opere. Quantum ad contritionem, confessionem, & satisfactionem. Secundis tribus modis quantum ad gratiæ collationem, scilicet, fidei, spei, & charitatis. Tertijs tribus modis quantum ad glorificationem, qua gaudebimus in Deo supra nos, intra nos de nobis ipsis, & iuxta nos de proximo. *Gloria in excelsis Deo*, significat gratiarum actionem. *Collecta*, denotat orationem. *Epistola & Euangelium*, nouæ & veteris legis obseruationem, *Graduale & alleluia*, vitæ actiuæ, & contemplatiuæ perfectionem. *Offertorium* contribulati spiritus sacrificium. *Secreta*, significant statum vitæ. *Præfatio* statum patriæ. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eleuationem Angelorum præsentium. *Canon*, transitum membrorum in corpus Christi mysticum. *Pater noster*, filiationem significat per gratiam. *Agnus Dei*, liberationem per misericordiam, & triplicatur, vt liberemur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. *Communio seu complenda* significat boni operis consummationem.

Circa quædam alia quæ sunt in Missa nota significationem allegoricam. Intelligimus enim per *altare* crucē: per *calicem*, sepulchrum: per *patenam*, lapidem superpositum: per *corporale* sindonem, in qua corpus Domini fuit inuolutum.

Nota etiam quod omnes Missæ sunt æque bonæ quãtum ad opus operatũ, vna tamen est melior altera quantum ad opus operans. Vnde melius est audire Missam boni sacerdotis quam mali, sicut in mensa corporali eundem cibum iucundius accipimus à mundo ministro, quam ab immundo.

Nota quod periculosum est si celebrans Missam, executiens vel manus tremulas habẽs, vel morbum habet, aut delirus, aut idiota est. Vnde talibus est iniungendum quod abstineant à Missa. Pręterea quando aliquis bis est celebraturus Missam, non debet sumere ablutionem in Missa priori, quia ad Missam secundam accederet non ieiunus.

Caput XIX.

De negligentiis quæ fiunt in Missa.

SI per negligentiam euenerit quod perlecto canone, nec vinum, nec aqua reperiatur in calice, statim infundi debet vtrumque: & sacerdos iterabit canonem siue consecrationem ab illo loco: *Simili modo*, & perficiet vsque ad finem, ita tamen, vt nec dimittat duas cruces, quæ fieri singulariter super hostiam consueuerunt. Vel melius potest dici quod aliam hostiam sumat, & canonem à principio incipiat. Quod si de simplici vino vel aqua fiat consecratio, vinum reputabitur pro consecrato, sed aqua non.

Si quid de sanguine ceciderit super corporale, vel pallam altaris, vel super albam, vel casulam pars illa rescindatur, & in loco reliquiarum reseruetur, prius tamen extrahatur sacramentum quantum poterit, & sumatur, deinde abluatur & sumatur ablutio.

Si vero super terram, lapidem, vel lignum ceciderit, lingendus, radendus, & extergendus est locus ille, & puluis in sacro loco reponendus.

Porro si in ipsum sanguinem musca, vel aranea ceciderit, vel aliquid aliud tale, quod vix sine vomitu, aut mortis periculo sumi potest, perfundatur & lauetur, quã cautius potest in calice, & ablutionem sumat sacerdos: sed musca siue aranea super piscinam cremetur.

Quod si corpus siue de corpore Christi super pallam altaris ceciderit, vel super aliud vestimentum, non incidatur, sed vino abluatur, & à ministro sumatur.

Si infirmus corpus Domini reijciat, suscipiatur prout diligentius potest.

Caput XX.

De sacramento pœnitentiæ.

POenitentia est, vt ait Ambrosius, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Item Gregorius: Pœnitentia est anteacta mala & peccata flere, & iterum flenda non committere. Circa prædictas diffinitiones nota quod quædam diffinitiones dantur per essentiam, vt homo est animal rationale mortale. Quædam per causam, vt dies est Sol lucens. Diffinitio autem pœnitentiæ data est per causam, & non per essentiam. Verumtamen pœnitentia diffinitur per duplicem actum, vnum qui est respectu pręteriti, scilicet mala pręterita plangere: alterum respectu futuri, scilicet plangẽda iterum non committere. Primus actus est in re: secundus in proposito.

Amb. in ser. feria 2. post Dominicam. Quadrag. Greg. hom. 34. in Euang. post med.

Pœnitentia duplex est, quædam interior tantum, & hæc est de iure naturali: quædam exterior, quæ fit ad arbitrium hominis. Prima non est sacramentum propriẽ: secunda vero est sacramentum. Non enim pœnitentia per se suscepta dicitur proprie sacramentũ Ecclesiæ, cum talis etiam ante baptismum possit fieri, sed pœnitẽtia iniuncta per ministros Ecclesiæ sacramentũ est. Notãdum quoq; est, quod lugere ꝑ proprijs peccatis est actus pœnitentiæ, quæ est virtus iustitię: sed lugere pro malis alienis, est alterius virtutis, scilicet misericordiæ: lugere vero pro bonis æternis, est actus tertiæ beatitudinis: de qua dicitur: Beati qui lugent, &c.

Mat. 5. b

De duratione pœnitentiæ sciendum est quod exteriorem non oportet esse perpetuam, sed de interiori distinguitur. Est enim pœnitentia interior secundum habitum: & hæc debet esse perpetua. Alia est secundum actum, & hanc nõ oportet esse perpetuam. Semper enim tenetur, quis ad interiorem pœnitentiam habitualem, qua vellet non peccasse, & vult de cetero non peccare. Sed ad exteriorem pœnitentiam non semper tenetur.

Præterea alius est dolor rationalis, qui est peccati detesta-

testatio: alius sensualis, qui est passio: & primus dolor semper debet esse in pœnitentia: secundus nō est de necessitate. Item quamuis homo non sit certus de peccati missione, tamen non oportet propter hoc pœnitentiam exteriorem esse perpetuam, quia non exigitur in talibus certitudo scientiæ; sed sufficit certitudo coniecturæ probabilis, vt est quando homo fecit probabiliter quod erat ex parte sui dolendo, confitendo, satisfaciendo, emendando.

Cum in omni sacramento nouæ legis sit aliqua materia visibilis elementi, quæ est signum & causa gratiæ, oportet etiam in sacramento pœnitentiæ ita esse, sed tunc materia sensibilis large sumitur pro omni re, siue res illa sit exterior substantia, siue actio humana. vnde secundum hoc in pœnitentia, prout est sacramentum, sunt res & verba. verba quippe in confessione & absolutione sunt, res autem est ipsa actio humana. Ad intelligendum ista plenius nota, quod sicut in medicinis corporalibus quædam consistunt in sola passione curati, vt est sectio vulneris: quædam vero in actione eiusdem, vt est exercitatio corporis: ita in sacramentis quædam consistunt in passione eius qui sanctificatur, & non in actione, nisi per accidens, vt baptismus, confirmatio, eucharistia, extrema vnctio, ordo. Quædam vero consistunt essentialiter in actu eius qui sanctificatur, vt alio duo sacramenta, scilicet pœnitentia & matrimonium. In primis ergo quæ sine actu nostro operantur, requiritur exterior materia, quæ significat & causam & rem sacramenti. In alijs vero ipse actus noster est pro materia sensibili. Ex prædictis patere potest quod in hoc quoddam est sacramentum tantum, vt est actus pœnitentis exterior: quoddam est res tantum, vt remissio peccatorum: quoddam res est sacramentum, vt contritio interior.

Caput XXI.

De qualitate pœnitentiæ.

Est enim pœnitentia quædam vera. [a] Augustinus: Pœnitentia vera est, pœnitenda non committere, & commissa deflere. Quædam est falsa. [b] Isidorus: Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœniteat. Quædam est coacta: Conuersus sum in ærumna mea, &c. Quædam est sera. [c] Augustinus: Si tunc pœnites, quādo peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Quædam iniqua: Iudas pœnitētia ductus, &c. Quædam desperata: Præ angustia spiritus gementes, dicentes intra se, pœnitentiam agentes. Quædam sancta & meritoria. Bernardus: O fœlix pœnitentiam humilitas. O bona spes confitentium, quam potens es apud omnipotentem, quam facile vincis inuincibilem, quam cito tremendum Iudicem conuertis in pijssimum patrem.

Debet pœnitentia esse amara. Planctum vnigeniti fac tibi. Voluntaria. Augustinus: Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcunq; faceret homo pro differenda morte moriturus. Perfecta. Augustinus: Nulla pœnitentia est sera, dummodo sit vera. Accelerata: Ne tardes conuerti ad Dominum. Hieronymus: Nauiculæ hærenti in solo funem potius præcide, quam solue: Perseuerans: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Fortis. Hieronymus: Licet in limine iaceat pater, licet mater vbera quibus te nutrierat, ostendat, per calcatum perge patrem, &c. Item resurrectio spiritualis, quæ est pœnitentia, debet esse cum Christo semper victuro, non cum Lazaro iterum morituro. Pœnitentia debet esse prompta, & non diu dilata. Primo, ne infructuosi simus, quia diu expectamur. Vnde in Isaia: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Secundo, quia ad magna vocamur. Ego ero merces tua magna. Tertia, ne ab æternis nuptijs excludamur, sicut factum est fatuis virginibus, quæ differebant se præparare. Quarto, ne ab hostibus impediamur, sicut filij Israel à Pharaone, ne egrederentur de Ægypto. Quinto, quia relinquere peccatū etiam pœnis compellimur. Gregorius: Contemnendus esset hic mundus, etiamsi rebus prosperis abundaret. At cum tot aduersitatibus animum pulsat, cum tot calamitates ingeminat, quid aliud, quam vt nō ametur, clamat? Sexto, ne blandè seducamur, sicut auis per fistulam aucupis, & sicut piscis per escam in hamo, & sicut vrsus per mel. Septimo, ne morte præueniamur. Gregorius. Nihil certius morte, &c. Octauo, ne consuetudine teneamur, sicut arbor de facili non euellitur, cum bene radicatur. Numquid Æthiops potest mutare pellem suam, &c.

Ad agendam pœnitentiam mouent quattuor, de quibus Bernardus: Nimis durum est cor, quod non emollitunt beneficia, nec terrent supplicia, nec alliciunt promissa, nec castigant flagella.

Impedimēta pœnitentiæ sunt, pusillanimitas aggrediendi: tales sunt sicut equus vmbraticus, qui trunco vel vmbra terretur. Pudor confitendi, sed sicut ait Augustinus, verecundia magna pars pœnitentiæ est. Horror satisfaciendi, sed sicut dicit Apostolus: Hoc momentaneū & leue tribulationis, &c. Delectatio peccandi, sed temporale est, quod delectat, æternum, quod cruciat. Spes diu viuendi, sed Dominus ait: Securis iam ad radicem arborum posita est. Desperatio gratiam obtinendi, sed contradicit. Quacumq; hora ingemuerit peccator, &c. Timor recidiuandi. Augustinus. Quando cecidi, erexit me: quando steti, tenuit me: quando iui, duxit me. Ita loquitur de Deo. Exemplum delinquendi, sed stultus est, qui vidit aliquem cadentem in foueam, si non sit in eodem loco cautior. Consuetudo peccandi, sicut Balaam consuetus monstris non curauit quod asina loqueretur. Cōfitentia de Dei misericordia, quod quando pœnituerit, ipsum recipiet, sed hoc est peccare in Spiritum sanctum. Gregorius: Misericordiam Dei debemus saltem erubescere: si iustitiam eius nolumus formidare.

Caput XXII.

De effectu pœnitentiæ.

Per pœnitentiam absoluitur homo à peccato, restituitur Ecclesiæ, reconciliatur Deo, donis spiritualibus ditatur, de filio diaboli filius Dei efficitur, paradisus Dei aperitur. Hæc est quæ Angelos lætificat, impium iustificat, amissa bona reuocat, vitam æternam donat, pœnam æternam vitat.

Item pœnitentia est secunda tabula post naufragium, ad quam potest homo recurrere, quamdiu est in statu vitæ præsentis, quandocunque, & quotiescunq; diuinam misericordiā voluerit implorare. Duplex est enim naufragium, scilicet peccati originalis, & actualis: sed de primo liberamur per tabulam baptismi, quæ virtutem & efficaciam accepit à tabula crucis Christi. De secundo autem liberamur per tabulam pœnitentiæ, quam diuina clementia prouidit homini: quia pro peccato actuali non potest iterum baptizari.

Nota quod à reatu peccati liberamur per gratiam: à sequelis autem peccatorum per pœnitentiam, & partes pœnitentiæ: à miseria vero per gloriam. Item nota qualiter opera mortificata viuificentur: quia licet verum sit quod à priuatione ad habitum non sit regressus in vita naturali, non tamen est verum in vita morali. Nam à priuatione ad habitum voluntarius est regressus, scilicet à morte culpæ ad vitam gratiæ. Vnde dicimus, quod sicut peccata actualia transeunt actu, & remanent reatu: ita bona opera transeunt actu, & remanent merito. Secundum autem quod manent, dicuntur mortificari, vel viuificari. Bona igitur opera quamdiu sunt coniuncta radici merendi, scilicet charitati, dicuntur viuere: quando autem ab illa separantur, dicuntur mortificari, & quando reuertuntur, dicuntur viuificari, quia redeunt ad statum suæ originis, videlicet gratiæ & charitatis, & quia valent ad maiorem radicationem charitatis.

Marginalia: a Aug. lib. de Eccles. dog. cap. 54. tom. 3. — b Isid lib. 2. de sum. bono c. 16. — c Aug. lib. 50. homil. 41. to. 10. — Psal. 31. a — Mat. 27. a — Sap. 5. a — Hier. 6. d — Eccl. 5. b — Cant. 5. b — Hier. ad Heliod. epist. 1. — Isa. 5. a — Gen. 15. a — Mat. 25. b — Exo. 7. & c. 96. g — Greg. lib. Dial. 38. — Hier. 13. d — 2. Cor. 4. d — Mat. 3. c — Eze. 18. e & 33. d — Num. 22. — Luc. 15. b

CAPVT XXIII.

De partibus pœnitentiæ.

PArtes pœnitentiæ integrales sunt tres, scilicet contritio, confessio & satisfactio. Quamuis enim complementum peccati possit esse in actu solum oris, & cordis solum, vel trium simul: tamen ad perfectionem pœnitentiæ exigitur horum trium aggregatio: licet ad esse simplex sufficiat contritio in actu, & confessio, & satisfactio in proposito. Non enim in his, quæ habent esse successiuum, exigitur quod partes integrales sint simul, sed exigitur hoc in toto, quod habet esse permanens.

Quod autem tres sint partes pœnitentiæ, sic ostenditur: Pœnitentia est quoddam spontaneum iudicium, in quo contritio est quasi quædam citatio, vbi sequitur rei ante iudicem spontanea confessio. Deinde sequitur per iudicem impositæ emendę solutio. Sed in hoc differt iudicium fori à iudicio poli: quia ibi confessus à iure condemnatur, & hic absoluitur.

Alia est partium istarum sufficientia: quia cum omne peccatum committatur corde, ore, vel opere, iustum est, vt per contrarium curetur, scilicet vt peccator culpam animo detestetur, verbo accuset, & facto puniat. Item per peccatum offendit homo Deum, Ecclesiam & seipsum, sed per contritionem reconciliatur Deo, per confessionem Ecclesiæ, & per satisfactionem sibi. Item istæ tres pœnitentiæ partes sunt tres dietæ, quibus itur ad terram promissionis, de quibus dicitur: Ibimus viam trium dierum. Item istæ tres partes significant tres mortuos moraliter, quos Dominus suscitauit: quoniam per contritionem suscitatur puella in domo, per confessionem iuuenis in porta, per satisfactionem Lazarus in sepulchro.

Exo. 3. f Mat. 9. d Luc. 7. c Ioan. 11. f

CAPVT XXIV.

De contritione.

COntritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Hæc diffinitio magistralis est, & ponitur hic dolor pro genere: voluntarie assumptus, ponitur ad differentiam doloris naturalis, qui non est meritorius, cum non sit in genere moris, sed voluntas tantum ponitur in genere moris. Pro peccatis, ponitur ibi pro materia doloris, ad differentiam doloris inuidiæ, qui est de bono alieno. Sic ergo diffinitur contritio prout est actus virtutis, sed prout est pars sacramenti pœnitentię, oportet quod aliquid comparatione ad alias partes addatur, & ideo ponitur, cum proposito confitendi & satisfaciendi.

Nota quod cor dicitur durum quando diuinæ inspirationi se tangendi non cedit, sed obuiat, in affectu peccati demorando. Frangi vero dicitur, quando incipit à proposito peccandi resipiscere, licet nondum totaliter conuertatur. Conteri autem dicitur, quando voluntas perfecte ab effectu peccandi resilit.

In contritione duplex est dolor. Vnus est voluntatis qui non est aliud quam peccati displicentia. Alius est sensualis. Primus est de essentia contritionis, & de hoc dolore intelligitur illud: Luctum vnigeniti fac tibi, quia homo ex ratione debet magis velle, nunquam peccasse, quam vnigenitum viuere. Secundus vero dolor non requiritur de contritionis necessitate, sed de eius perfectione: quia talis dolor non est in nostra potestate.

Hiere. 6. g

Nota etiam quod contritio potest tantum intendi, quod non solum culpa, sed etiam tota pœna dimittatur: hoc autem potest fieri dupliciter. Vno modo ex parte charitatis, quæ displicentiam peccati causat: quia quandoq; contingit tantum charitatem intédi in actu, quod contritio inde sequens merebitur absolutionem ab omni pœna. Alio modo fit istud ex parte doloris sensualis, quem voluntas in contritione excitat, quia ille dolor quædam pœna est, quæ tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem culpæ & pœnæ.

Differentia autem est inter attritionem & contritionem: sicut inter informe & formatum, secundum quod dicitur de fide informi & formata. Vtrum autem attritio fiat contritio, distinguendum est, quia contritio dicitur cum gratia tritio, hoc autem potest esse dupliciter. Vno modo per concomitantiam, quia gratia associatur motui existenti in anima, & illum informat, quamuis nõ eliciat. Alio modo per causam, ita quod motus à gratia eliciatur. Primo modo attritio fit contritio: quia actus ille simplex manens in anima formatur adueniente gratia, sicut color adueniente luce. Secundo modo impossibile est quod attritio fiat contritio.

Sed si quæritur, quamdiu quis de peccato dolere debeat: respondeo sicut dicit Hugo de sancto Victore: Deus quando absoluit hominem à vinculo peccati, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis. Sed detestatio peccati duplex est: quædam in habitu, ad quam semper tenetur homo etiam post perfectam peccati remissionem: de qua dicit Augustinus, loquens de pœnitente, quod pœnitens semper doleat, & de dolore gaudeat, & non semper doluisse doleat. Alia detestatio est in actu: ad hanc homo non semper tenetur. Sciendum autem quod beati, & damnati, & hi qui sunt in purgatorio, non habent contritionem proprie: cuius ratio est; quia in contritione proprie sumpta sunt tria, scilicet gratia, dolor, & effectus meriti satisfacientis, in beatis autem non est dolor, in damnatis vero non est gratia, & hi qui sunt in purgatorio non merentur.

Aug. lib. de vera & fal. pœnit. c. 13. in fi. tom. 4.

CAPVT XXV.

De confessione.

COnfessio est, vt ait Augustinus, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. Hæc confessio sacramẽtalis, quæ est pars pœnitentiæ, conuenienter describitur per materiam, quæ est peccatum: & per actum, qui est aperire, & per finem, qui est spes veniæ.

Duplex est confessio, quædam est mentalis, quæ fit Deo, & hæc est de iure naturali. Quædam est vocalis, fit homini, & hæc non est de iure naturali. Igitur ante incarnationem Christi sufficiebat confessio mentalis: quia Deus nondum erat homo: sed postquam factus est homo, debet confessio fieri homini vicario Christi. In hoc enim quod ministris sacramentorum Christus dedit potestatem ligandi atq; soluendi, insinuauit confessionem eis tamquam iudicibus fieri debere. Sic ergo Christus instituit confessionem tacite, sed Apostoli promulgauerunt eam expresse.

Mat. 16. f

Quamuis igitur in contritione remittatur peccatum communiter, tamen confessio vocalis est necessaria vel in re, quando habetur opportunitas, vel in proposito, quando articulus necessitatis eam excludit, & non contemptus religionis. Et ista necessitas confitendi post cõtritionem, non est in tali casu propter necessitatem remedij, cum peccatum iam sit dimissum, sed propter obligationem præcepti.

Confessio & satisfactio necessaria est non solum propter reconciliationem in iudicio Dei: sed etiam in iudicio Ecclesiæ.

Quas etiam circumstantias teneamur confiteri. Nota quod circumstantiarum quædam sunt trahẽtes in aliud genus peccati, vt coire cum muliere coniugata, & has tenetur homo confiteri. Quædam sunt aggrauantes in eadem specie, & harum quædam sunt non aggrauantes notabiliter, sicut scientia & huiusmodi: has non tenetur quis confiteri, quia sunt quasi venialia peccata. Quædam sunt aggrauantes notabiliter, & has secundũ quosdam tenetur homo confiteri. Non enim sufficit illi, qui accepit centum marchas de alieno, dicere: Ego accepi alienum, cum hoc posset verificari si solum accepisset vnum denarium, secundum alios communius, sed non

tertius opinantes, non oportet. Circumstantiæ aggrauantes peccatum notantur his versibus:

Aggrauat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus,
Luctaque pusilla, modus, culpa, genus, & status alius,
Conditio, numerus, ætas, & scandala, sexus.

Quamuis peccata alicuius nota sint sacerdoti, tamen oportet ea confiteri, quia non sunt ei nota vt iudici.

Quamdiu possit quis differre confessionem, duæ sunt opiniones. Quidam enim dicunt, quod peccator debet statim confiteri habita opportunitate sufficienti. Alij communius dicunt, quod cum confessio sit inter præcepta affirmatiua, non obligat nisi pro loco & tempore. Ecclesia autem determinat in decretalibus, quod omnis homo confiteatur semel in anno, quia tunc quilibet de necessitate communicare tenetur. In casibus tamē quattuor tenetur quis ante hoc tempus confiteri. Vnus est ratione sacramenti, quando quis vult communicare, vel celebrare. Alius ratione periculi, vt si est in periculo mortis. Tertius est ratione conscientiæ, vt si dictat sibi conscientia, quod statim teneamur. Quartus est ratione dubij, vt si non sperat illo anno amplius habere confessorem, quem modo habet, vel si habet casum de quo potest solus Papa absoluere, & modo habet copiam pœnitentiarij domini Papæ.

Ex. de pœnitentia & remissione c. omnis vtriusque sexus.

Si quæratur vtrum confessio facta in peccato mortali valeat, dicendum est, quod confessio est in remedium, & in præceptum. Inquantum est in remedium, non valet in mortali facta, tamen absoluitur homo à præcepto, sicut ficte baptismum suscipiens.

Vtrum confessio sit iteranda? Nota quod regulariter nullus tenetur confessionem bona fide factam amplius iterare. Sunt tamen quattuor casus in quibus tenetur quis iterare confessionem, quorum duo, sunt propter confessorem, & duo propter confitentem. Primus, si deficit confessori clauis potentiæ, eo quod non habet potestatem ab illo peccato absoluere. Secūdus est, si deficit ei clauis scientiæ, quia nescit discernere. Tertius est si confitens dimidiauit confessionē, oportet enim quod vni fiat confessio integre omnium, quę habentur in memoria. Si vero aliqua exciderant à memoria, non ideo debet reputari confessio dimidiata. Quartus est si contempsit, seu neglexit, & oblitus est satisfactionem, nam si sciret, & adimplere vellet, non oporteret confessionem iterare.

Si vero aliquis cadat in peccatum postquam bona fide fecit confessionem, quæstio est, vtrum teneatur confessionem prius factam iterare, & est opinio quod non in specie, sed in genere: licet aliter dicant quidam.

Nota quod confessio facta per nuntium vel per epistolam, licet sit quoddam opus bonum & meritorium, tamen inquantum est pars sacramenti pœnitentiæ, non potest sic fieri: quia determinatam habet materiam, scilicet actum sermonis, quo conscientia hominis manifestari consueuit. Vnde sine necessitate non licet aliter confiteri. In necessitate potest defectus per æquipollentem actum suppleri.

CAPVT XXVI.

De qualitate & effectu confessionis.

Qualis debeat esse confessio, notatur his versibus,

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Vera, frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ad multa valet confessio: A morte liberat, quia sicut confessio in foro contentioso damnat, sic in spirituali liberat. Vulnera mentis sanat. Hieronymus: Vulnus non intellectum tardius sanatur. Deum homini manifestat. Augustinus: Si nollem confiteri, non me tibi abscondere-rem, sed te mihi. Paradisum aperit. Augustinus: O breue verbum, peccaui, quod portas aperit paradisi. Exemplum in latrone dextro. Peccata tegit. Vnde quædam Glossa: Si homo peccatum detegit, Deus tegit. Misericordiam diuinam emollit. Glossa super illud Psalmi: Delictum meum cognitum tibi feci. Si homo agnoscit, Deus ignoscit. Animum iucundat: In voce exultationis & confessionis, &c. Intercessores multiplicat. Sacerdotes enim pro suis confessis orant. Conscientiam mundat. Augustinus: Confitēdo fit homo de fœdo pulcher. Fœdus diaboli rumpit, sicut cum aliquis secretum alterius detegit. Deo hominē coniungit. Augustinus: Quid propius auribus tuis, quam confitens cor & vita, quæ est ex fide? In via salutis dirigit. Qui abscondit scelera sua non dirigetur, &c. Peccatum delet. Dixi confitebor aduersum me, &c. Satisfactionem supplet. Glossa super Matthæo: Iubemur confiteri peccata nostra, vt erubescentiam patiamur pro pœna. Malum præcauet. Exemplum de dente putrido, qui extrahitur ne alij computrescant.

Aug. lib. 10. confess. c. 2. tom. 1.

Psal. 31.

Psal. 41.

Aug. tract. in Psal. 31. in illa ver. confessio, & pulchr. &c. tom. 8.

Psal. 31.

CAPVT XXVII.

Cui debeat fieri confessio.

Generaliter teneas, quod confessio debet fieri sacerdoti habenti claues, quæ sunt scientia discernēdi, & potestas ligandi, atque soluendi. Sciendum autem quod sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia. Vnde sicut baptismus duplicem habet ministrum, vnum cui competit baptizare ex officio, scilicet sacerdotem: alium cui committitur dispensatio baptismi ratione necessitatis: ita & minister pœnitentiæ duplex est. Vnus est cui confessio fit ex officio, sicut est sacerdos. Alius qui audiendo confessionem vicem supplere potest sacerdotis in necessitate, vt est laicus. Dicunt tamen aliqui quod cum deest copia sacerdotis, non oportet confiteri laico, sed sufficit soli Deo.

Quamuis omnes sacerdotes claues habeant, non tamen possunt omnes ligare & soluere, sicut excommunicati, suspensi, hæretici, & damnati. Hoc autem non est propter defectū ordinis, sed quia non habent materiam debitam, scilicet subditos, qui auferuntur ab eis cum excommunicantur. Possunt tamen tales baptizare, quia hoc est sacramētum necessitatis. Possunt etiam tales Eucharistiam consecrare, quia hoc substantialiter adhæret ordini.

Dicendum etiam quod nullus potest absoluere cōfitentem, nisi proprius sacerdos. Proprius vero sacerdos dicitur sex modis. Primo modo ipse Pastor Ecclesiæ. Secundo, per determinationem superioris, vt vicarij. Tertio, per priuilegium quibusdam indultum, vt sunt fratres Prædicatores, & Minores. Quarto, per licentiam proprij sacerdotis, dum tamen non licentietur nisi vir discretus, & honestus, & vere sacerdos. Quinto, propter necessitatem, quia instante mortis periculo quilibet sacerdos potest absoluere. Et peregrini absoluuntur ab illis, apud quos sunt. Sexto propter defectum sui sacerdotis, quando scilicet, est idiota, vel proditor confessionis, vel quando solet mulieres confitentes procari: tunc enim si non inuenit aliquem qui auctoritatem habeat, efficitur ei sacerdos proprius, non quilibet, sed discretus, & honestus, & notus, vel ex ordine, vel ex persona.

CAPVT XXVIII.

De sigillo confessionis.

Ea quæ geruntur exterius in sacramentis sunt signa rerum, quæ interius contingunt: & ideo confessio, qua quis sacerdoti se subijcit, signum est interioris, qua quis Deo subijcitur. Deus autem peccatum illius qui se sibi per pœnitentiam subijcit, tegit. Vnde oportet de necessitate sacramenti, quod sacerdos celet confessionem. Sunt & aliæ huius celationis vtilitates: quia per

homi-

homines magis ad confessionem attrahuntur & simplicius peccata confitentur. Sacerdos autem non solum debet celare peccatum quod in confessione recipit, sed etiam omnia alia signa per quæ posset peccator, aut peccatum comprehendi. Potest autem pœnitens facere, vt illud quod sacerdos per confessionem sibi factam sciebat vt Deus, sciat vt homo. Et hoc facit dum licentiat eum ad dicendum: & ideo si dicit, non frangit sigillum confessionis. Si autem quæratur, vtrum id quod scit sacerdos per confessionem, & scit alio modo, possit reuelare: super hoc diuersę sunt opiniones, sed hęc est verior; quia siue sacerdos sciat illud peccatum ante confessionem sibi factam, siue post, non tenetur celare, quantum ad id quod scit, vt homo. Nota quod iste est modus dicendi, dico tibi in confessione: & non clauditur tale dictum sigillo confessionis, quia non seruatur ibi modus confessionis vel ordo.

CAPVT XXIX.

De satisfactione.

SIcut in bellis & controuersijs restituta amicitia non statim restituitur debitum illati damni: ita post remissionem culpæ in contritione, seu confessione, remanet debitum pœnæ satisfactoriæ. Iniungit autem sacerdos quædam ad satisfactionis fundamentum, sicut abstinere à peccato, & restituere ablatum. Quædam ad satisfactionis expeditionem, vt est vitare consortia malorum. Quædam iniungit ad substantiam satisfactionis, vt ieiunare, vigilare, dare eleemosynam, peregrinari, & huiusmodi opera pœnalia. Quædam iniungit ad perfectionem & securitatem satisfactionis, vt sunt opera supererogationis.

Satisfactio debet respondere culpæ in tribus, scilicet in numero. Lauabo per singulas noctes, &c. In pondere. Augustinus: Libenter debet facere immortalis futurus, quæcunq; faceret pro differenda morte moriturus. In mensura. Gregorius: Tanto tempore debet esse amaritudo in pœnitentia, quanto fuit in culpa. Ista tria requiruntur in pœnitentia secundum conuenientiam, non secundum necessitatem.

Psal. 6. b

CAPVT XXX.

De singulis partibus satisfactionis in communi.

SAtisfactionis quædam sunt partes principales, scilicet oratio, ieiunium, & eleemosyna: quædam vero secundariæ, quæ ad has reducuntur, vt vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ. Dicendum ergo quod omnia opera carnem affligentia reducuntur ad ieiunium, omnia opera vero spiritualia ad orationem, omnia autem opera misericordiæ ad eleemosynam.

Sufficientia partium principalium potest accipi respectu termini à quo est motus satisfactionis, quia per ieiunium reuocamur à concupiscentia carnis, per orationem à superbia vitæ, per eleemosynam à concupiscentia oculorum. Alio modo sumitur ista sufficientia ex parte termini ad quē fit satisfactio, quia per ieiunium ordinatur homo in seipso, per eleemosynam ad proximum, per orationem ad Deum. Tertio modo sumitur hæc sufficientia ex parte materiæ, de qua fit. Per eleemosynam n. fit satisfactio de bonis exterioris substantiæ, per ieiunium de bonis corporis, per orationem de bonis mentis. Quarto modo sumitur hæc sufficientia ex parte modorum satisfaciendi. Fit enim satisfactio tribus modis, vel per punitionem, vel per redemptionem, vel per supplicationem. Primum facimus ieiunando, secundum eleemosynas dando, tertium orando. Quinto sumitur hæc sufficientia ex parte effectus. Per satisfactionem enim tria magna bona nobis proueniunt, scilicet, impetratio gratiæ, remissio pœnæ, expurgatio reliquiarum culpæ. Ad primum videtur valere eleemosyna propter multiplicationem intercessorum, ad secundum ieiunium, ad tertium oratio.

CAPVT XXXI.

De singulis partibus satisfactionis.

ELeemosyna dupliciter potest accipi, aut intentione subleuandi necessitatem proximi, & sic est opus misericordiæ, aut intentione recompensandi pro debito offensæ diuinæ, & sic est opus iustitiæ. Vnde primo modo proprie pertinet ad meritum vitæ. Secundo modo ad meritum dimissionis pœnæ: quia eleemosyna sic data proprie est satisfactoria.

De ieiunio quoq; sciendum est, quod in carne duo sunt, vnum natura, quæ debet sustētari, & aliud vitium, quod debet domari. Ieiunium ergo quod naturam seruat, & vitium domat, bonum est, & satisfactorium, aliud vero non.

Oratio dupliciter habet fieri, aut pro impetratione bonorum, & sic est pars, vel opus contemplationis: aut pro amotione malorum, & sic est proprie pars satisfactionis.

CAPVT XXXII.

De iustificatione impii.

IVstificatio impij est motus ab iniustitia ad iustitiam. In iustificatione impij quattuor requiruntur, scilicet motus liberi arbitrij, contritio, infusio gratiæ, & remissio culpæ. Horum prima duo sunt ex parte suscipientis, alia vero ex parte agentis. Prædicta autem quattuor sunt simul tempore, non natura. Prioritas autem & posterioritas, quæ secundum ordinem naturæ est, reducitur aliquo modo ad ordinem causæ & causati. Inter ista vero videtur hic ordo causalitatis esse. Causaliter enim motus liberi arbitrij prior alijs tribus est, quia requiritur cōsensus voluntatis in huiusmodi mutatione. Voluntas autem & liberum arbitrium sumuntur hic pro eodem. Præterea motus iste appellatur motus liberi arbitrij. Iste quoque motus qui per liberum arbitrium consentit Deo, vt primo motori, vocatur motus fidei: quia habet aliquid cognitionis, & aliquid affectionis sicut fides. Dicamus ergo quod motus liberi arbitrij, siue motus fidei in Deum, causaliter est prior, quam motus quo de peccato quis conuertitur: quia sicut in generatione peccati prior est conuersio, quam auersio, cum conuersio causet auersionem: ita in eius destructione prior est conuersio ad Deum per liberum arbitrium, quam auersio à creatura per contritionem de peccato. Quod enim primum est in compositione, vltimum est in resolutione. Isti vero duo motus liberi arbitrij, & contritionis sunt priores, quam gratia infundatur, quia sunt causa præparatoria vt gratia detur. Quamuis enim Deus sine vlla præparatione possit impium iustificare, tamen requiritur præparatio ex parte nostra: quoniam sicut requiritur præparatio ex parte materiæ in naturali mutatione ad recipiendam formam: ita in mutatione voluntaria, & hoc non est ex impotentia agentis, sed suscipientis. Alia ratio est, qua in iustificatione peccatoris fit introductio vnius formæ & expulsio contrariæ: ideo requiruntur prædicta duo, scilicet motus liberi arbitrij disponens ad gratiæ susceptionem, & contritio, idest, recessus à peccato disponens ad culpæ expulsionem. Gratia vero prius infunditur, quam culpa remittatur, quia per gratiam culpa remittitur, sicut in introductione formę prior naturaliter est forma, quæ expellit à parte agentis; quam illa, quæ expellenda est, remoueri possit.

Qualiter autem iustificatio fiat in instanti, vel successiue, nota distinctionem. Potest enim iustificatio dupliciter accipi, sicut & generatio. Vno modo, vt dicat motum ad iustitiam cum termino eiusdem, & sic fit succes-

siue, vt quando succedit successiua præparatio. Alio modo potest accipi, vt dicat solummodo mutationem sine motu: & hoc modo fit iustificatio in instanti, & hoc triplici ratione. Prima quia fit virtute infinita & simplici, quæ immediatè operatur. Secunda est, quia fit in subiecto, simplici, scilicet in mente. Tertia est, quia ipsa forma tam quę expellitur, scilicet culpa, quã quæ introducitur, scilicet gratia, omnino simplex est. Ad illud quod dicit Augustinus, quod maius est iustificare impium, quam creare cœlum & terram: dicendum est quod maius est, quantum ad id quod fit, quia melius est, sed non quo ad modum faciendi. Quamuis enim in iustificatione impij sit resistentia formalis, scilicet contrarij ad contrarium: non tamen est ibi resistentia, qua aliquid resistat agenti, scilicet Deo, cuius virtuti nihil resistere potest. In iustificatione enim impij aliquid est ex parte Dei, & aliquid ex parte peccatoris, & aliquid ex parte Ecclesiæ. Ex parte Dei sunt duo, scilicet misericordia, quæ reatum indulget: & iustitia, quæ emendam aliquantulam exigit, vel hic, vel in futuro, scilicet in purgatorio, hæc significatur per binos discipulos, quos misit Dominus in omnem locum, quo erat ipse venturus; tunc quidem corporaliter, nunc autem per gratiam & spiritualiter. Ex parte peccatoris sunt etiam duo, scilicet amor, & dolor: & hi sunt duæ molæ quibus peccatum conteritur, quæ secundum legem non debent diabolo in pignore obligari. Ex parte Ecclesiæ similiter sunt duo, primum est meritum, præcipue Christi, quod est inexhausibile, & aliorum sanctorum, qui fecerunt opera multa supererogationis, quæ omnia sub potestate clauium sunt posita, vt quod minus est in vno membro Ecclesiæ, compensetur in alio. Vnde si aliquis non est membrum Ecclesiæ, non influit in ipsum meritum prædictum. Secundum est indulgentia, quam dat Ecclesia per Papam & Episcopos: tamen vt ipsa indulgentia tantum valeat, quantum promittitur, exigitur auctoritas & causa, scilicet communis vtilitas ex parte dantis, exigitur etiam fides formata, & obedientia ex parte recipientis, hoc est, vt soluat id propter quod datur.

Aug. tract. 72. in Ioan. post med. tom. 9.

CAPVT XXXIII.

De pœnitentia venialium.

POenitentia est remedium institutum ad expiandum peccatum, cui debetur pœna sensibilis, quæ cum debeatur peccato nõ solum mortali, sed etiam veniali, patet quod pœnitentia est remedium cõtra vtrumq;, quia nõ est simpliciter de venialibus, sed de mortalibus, quia pœnitẽtia introducta est ad reconciliandum amicitiam, quam mortale peccatum tollit. Licet igitur pœnitentia non sit de venialibus simpliciter, tamen est per accidẽs, & hoc est tribus modis. Primo ratione dubij, vt quando creduntur esse mortalia. Secundo ratione statuti, vt quãdo homo, qui tenetur confiteri semel in anno, non habet nisi venialia. Tertio ratione periculi, vt quando venialis delectatio ad hoc producta est, quod nisi homo se auertat ab ea, trahit in mortale.

De remissione autem venialis peccati sciendum quod in duobus casibus non remittitur. Primus est, si talis habeat peccatum mortale: quoniam sine mortali numquam dimittitur veniale: licet è conuerso possit fieri, scilicet, quod mortale dimittatur sine veniali. Cum enim peccatum mortale tollat charitatem, quæ vniuersa delicta operit: constat quod existẽti in peccato mortali nullum veniale remittitur. Secundus est, quando voluntas fixa manet in affectu alicuius peccati venialis determinati, quoniam illud idem tolli non potest, & hoc multiplici ratione. Prima est, quoniam omne peccatũ remissione indiget quoad duo, scilicet, quo ad culpam, & quo ad pœnam: sed non potest esse remissio. secunda sine prima, quia quamdiu homo culpam habet, debitor est pœnæ. Culpa autem consistit in deordinatione voluntatis. Vnde voluntas sic manens pertinax reordinari non potest. Alioquin duo opposita simul essent in eodem. Alia ratio est, quia manente causa non potest tolli effectus, sed volũtas inordinata ad aliquid, est causa venialis peccati; vnde manente voluntate fixa in illo, non remittitur ipsum peccatum veniale.

Sciendum etiam quod vnum peccatum veniale bene potest dimitti sine alio, quia peccatum mortale quod maioris est adhærentiæ, potest etiam remitti sine veniali. Alia ratio est, quia peccatum mortale ita Deo displicet, quod facit ipsum peccantem Deo displicere. Sed veniale licet Deo displiceat, cum inordinatum sit, tamen non facit peccatorem Deo displicere: quia per illud nõ priuatur gratia, sed obnubilatur, in quantum eius processus ad exteriora impeditur, & propter hoc vnum veniale non impedit, quin aliud remitti possit. Tertia ratio est, quia venialia non habent connexionem ad inuicem, nec ex parte auersionis: quia nõ auertũt à summo bono: nec ex parte conuersionis: & ideo vnum dimitti potest sine alio. Non est autem sic de mortalibus, vbi non dimittitur vnum sine alio, quia connexionem habent ad inuicem ex parte auersionis. Quodlibet enim mortale auertit à Deo, licet non habeant connexionem ex parte conuersionis.

Ex prædictis colligitur quod aliter se habent mortalia ad inuicem, & aliter venialia ad inuicem, & aliter mortalia ad venialia. Mortalia enim sic se habent, quod vnum non dimittitur sine altero: venialia vero sic se habent ad inuicem, quod vnum potest remitti sine altero. Mortalia autem sic se habent ad venialia, quod mortale remittitur sine veniali, sed non veniale sine mortali. Cuius duplex est ratio. Prima est; quia mortale & veniale se habent sicut habitus, & dispositio, sed ablato *habitu* potest manere dispositio, & nõ è cõuerso. Secunda ratio est quia mortale opponitur charitati: veniale autem feruori eius: sed sublata charitate tollitur feruor, & non è conuerso.

CAPVT XXXIV.

Propter quid dimittatur peccatum veniale.

AD peccati venialis remissionem non exigitur nouus charitatis habitus, sed sufficit nouus motus: quia peccatum veniale non tollebat virtutis habitum, sed impediebat ipsius actum.

Notandum autem quod peccatum veniale non dimittitur contritione, cuius hæc est ratio: quia quamdiu voluntas in aliquo veniali fixa manet, numquam dimittitur, sed voluntatem ab eo auertere quod quis prius volebat, est displicere ei quod voluit, talis autem displicentia dolor contritionis dicitur.

Sed sciendum quod contritio potest accipi tripliciter, scilicet vel in actu, vel in habitu, vel medio modo. Contritio in habitu non sufficit ad peccati venialis remissionem: quia tunc quicunq; haberet pœnitentiæ virtutis habitum, non posset habere veniale peccatum: & sic veniale peccatum non posset esse cum gratia. Contritio quoq; in actu nõ semper requiritur, quia sequeretur quod peccatum quod quis in memoria non habet, remitti non posset: propter hoc requiritur contritio medio modo, scilicet vt peccatum displiceat actualiter vel explicite, vel implicite. Dico autem implicite, quia talis actus sufficit, quia displiceret explicite peccatum veniale, si cogitatio ferretur ad illud.

Notandum etiam quod tam feruens potest esse motus charitatis in Deum, quod omnia peccata venialia consummat, etiam sine actuali cogitatione ipsorũ: quia quando quis feruenter in Deum fertur, displicet ei quidquid à Deo retardat: & ita licet explicite de peccato veniali non cogitet, tamen in illo motu continetur implicite displicentia peccati venialis, vel vnius, vel omnium.

Sciendum etiam quod in contritione de venialibus

non

non exigitur propositum non peccandi venialiter, sicut in contritione de mortali exigitur: sed sufficit quod displiceat ei peccatum præteritum, & infirmitas qua ad peccatum veniale inclinatur: quamuis ab eo omnino immunis esse non possit: ita tamen quod voluntas non maneat fixa in vno veniali, quia illud sic retentum non dimitteretur in contritione generali, nec speciali, & hæc est ratio: quia peccata mortalia sunt in potestate nostra, vt vitentur, non solum singula, sed etiam omnia: venialia vero etsi singula vitari possunt, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit.

Multa sunt per quæ tolluntur peccata venialia, quæ per tria comprehenduntur. Primo sunt omnia illa quæ gratiam conferunt, vt omnia sacramenta Ecclesiæ. Secundo, illa quibus impedimenta feruoris & gratiæ tolluntur, sicut est aqua benedicta, quæ virtutem inimici reprimit, & Episcopalis benedictio. Tertio est exercitiū humilitatis ex parte nostra, sicut est tunsio pectoris, oratio Dominicalis, eleemosyna, ieiunium, & huiusmodi. Ratio autem horum est, quia cum venialia dimittantur per feruorem charitatis, quæ implicite vel explicite continet omnia illa, quæ nata sunt de se feruorem charitatis excitare, dicuntur venialia peccata dimittere: talia vero sunt omnia, quæ prædicta sunt. Vnde cum secundum quantitatem feruoris sit quantitas remissionis, patet quod prout per enumerata maior, vel minor excitatur feruor, qui implicite, vel explicite contritionem continet, plura vel pauciora venialia dimittuntur, non tamen semper omnia.

CAPVT XXXV.

De extrema vnctione.

Mediator Dei & hominum non solum vocatur Iesus inquantum habet saluare, sed etiam Christus, inquantum habet vnctionis gratiam in alios diffundere. Tribus vicibus inunctus fuit Dauid. Primo in domo patris sui in signum regni futuri, hæc significat vnctionem in baptismo. Secundo in Hebron super Iudam & postea multa bella habuit: hæc significat vnctionem in confirmatione. Tertio, iterum in Hebron super omnem Israel, post hanc autem in pace regnauit: hæc significat vnctionem in extremis.

1. Reg. 16. c *2. Reg. 2. a* *2. Reg. 5. a*

De substantia huius sacramenti sunt quinq;: Primum est, quod hanc vnctionem faciens sit sacerdos. Secundum est, intentio debita. Tertium est, materia debita, scilicet oleum infirmorum. Quartum est, forma verborum, hæc, scilicet. Per istam vnctionem, &c. quam formam dicere debet inungens. Quintum est, locus inungendus, quia fit ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad lumbos, & ad manus, &c.

In hoc sacramento forma verborum est deprecatiua: quia istud sacramentum debet valere per orationem Ecclesiæ, & per modum suffragij. Datur enim ad effectum, quem homo per propria opera posset consequi, nisi infirmitas impediret. Vnde nota quod in aliquo sacramēto verborum forma non est in sola oratione, nisi in isto. Dicit enim Iacobus: Si quis infirmatur, inducat presbyteros, & orent super eum. In quibusdam vero sacramentis consistit in sola enuntiatione verborum virtus, sicut in baptismo. Dixit enim Dominus: Baptizantes eos, non faciens mentionem de oratione. In aliquo autem sacramento secundum quosdam consistit forma in oratione, & enuntiatione: vt in sacramento pœnitentiæ. Consueuerunt enim confessores primo orare, dicentes: Absolutionem, remissionem, &c. & postea dicere. Absoluo te. Cum enim in peccato offendatur Deus & Ecclesia, contra primum merito fit oratio, & contra secundum absolutio. Istud autem sacramentum non datur nisi adultis, qui peccata venialia videntur habere, contra quæ institutum est: nec datur alijs quam infirmis in periculo mortis constitutis. Sanis autem non datur hoc sacramentum: quia habent aliud remedium paratum, scilicet pœnitentiam: nec datur nisi postulantibus, qui deuotione sursum eriguntur. Et si sæpe infirmatur quis ad mortem, sæpe potest inungi: sed in vna infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas vltra annum protrahatur, ita quod in vno anno propter eandem infirmitatem nemo bis inungatur.

Iac. 5. c *Mat. vlt. d*

Effectus huius sacramenti multiplex est, vnus est sanitas, quę est duplex: vna est principalis, scilicet liberatio ab infirmitate spirituali, quæ contrahitur per peccata venialia, quibus anima debilis efficitur ad exequendum actum gratiæ & gloriæ. Alia est secundaria sanitas, quæ est quasi effectus & signum prioris sanitatis, scilicet sanitas corporalis: & hoc est verum quando sanitas corporalis expedit sanitati spirituali. Tunc enim istud sacramentum causat vtrumq; in suscipientibus digne. Interdum enim vtilis est sanitas corporalis, scilicet ad meritū gloriæ cumulandum. Valet etiam ad deuotionem excitandam, & velociorem transitum ad cœlum.

In hoc sacramento, sicut in cæteris, tria sunt: Vnum est sacramentum tantum, scilicet vnctio exterior. Aliud est res tantum, scilicet effectus duplicis sanitatis, vt dictum est. Tertium est sacramentum, & res scilicet quædam vnctio spiritualis interior, idest, mentis iucunditas, & solatium.

CAPVT XXXVI.

De sacramento ordinis.

Qvinq; sacramenta, de quibus dictum est, pertinent ad statum personæ: sed duo, de quibus dicendum est, pertinent ad communem statum Ecclesiæ; quia ordo pertinet ad generationem spiritualem: matrimonium vero ad generationem carnalem.

Ordinem præcedit prima tonsura, quia in omni transitu de statu ad statum conuenienter interponitur aliqua dispositio media. Vnde in transitu à statu laicorum ad statum ministrorum Dei, conuenienter prima tonsura interponitur. Fit etiam in hac tonsura aliquorum capillorum resecatio in modum coronæ: quia in ministerium illius assumitur, cui seruire, regnare est.

Est itaq; duplex signum distinctiuum in ordinatis, scilicet exterius tonsura, & interius character. Ad esse autem ordinis tonsura non prǽexigitur, sed ad bene esse: quia dispositio congruitatis est ipsa tonsura ad ordinem, non necessitatis.

Hugo de sancto Victore ordinem sic describit: Ordo est signaculum quoddam, in quo potestas spiritualis traditur ordinatis, & officium. Hic nota, quod sicut in naturalibus dedit Deus superiora corpora in regimen inferiorum, sic & in spiritualibus quosdam posuit superiores, quosdam inferiores, vt illi potestatem habeant super istos: sicut sunt clerici, qui præsunt in spiritualibus, & principes, ac iudices sæculares, qui præsunt in temporalibus.

Mag. in 4. dist. 24 K.

De substantia huius sacramenti sunt sex: Primum est potestas ordinis, quia oportet quod sit Episcopus. Secūdum est materia, scilicet vnctio in sacerdotibus, & tactus illorum, quæ tangenda sunt in alijs. Tertium est forma verborum. Quartum est sexus virilis, quia mulier non recipit characterem ordinis. Quintum est intentio recta. Sextum est quod ordinandus sit baptizatus, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum.

Quoddam est hic sacramentum tantum, vt visibile signum, quo potestas traditur. Quoddam est res tātum, scilicet gratia quæ confertur digne recipienti. Quoddam est res & sacramentum, vt character.

Septem sunt ordines, scilicet Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter, qui omnium ordinum est perfectissimus, & terminus aliorum. Illi autem sunt quasi septem gradus, quibus ascenditur ad thronum Salomonis. Actus ostiariorum est, custodire locum confectionis sacramentorum ab ijs, qui immundi determinati sunt, idest, excommunicatis.

tis. Actus lectorum est, legere prophetias. Actus exorcistarum est, arcere dæmones, ne dominentur in corpore nondum baptizati, scilicet per coniurationes. Actus acolytorum est deferre lumen Euangelij in lumine corporali. Actus subdiaconorum est, accipere oblationes ab offerentibus, easq; offerre diacono: legere autem epistolas, non est actus eorum principalis, sed consequens. Actus diaconorum est, ordinare hostias in altari; legere autem Euangelium, vel prædicare, est actus consequens. Actus presbyterorum est consecrare corpus & sanguinem Christi, & est actus principalis: alius est consequens, scilicet ligare & soluere: per quem actum corpus mysticum præparatur, vt sit aptum & idoneum ad perceptionem corporis Christi veri.

In quolibet ordine character imprimitur: sed quando fiat, nunc dicendum est. Ostiarijs quidem character imprimitur, quando datur eis clauis, & dicitur: Sic agite tamquam rationem reddituri Deo de rebus, quæ clauibus istis recluduntur. Lectoribus character imprimitur, cum Episcopus porrigit eis librum, cum debita forma verborū. Exorcistis vero, cum dat eis librum exorcismorum cum debita forma verborum. Acolytis autem in verbis, quæ dicit Episcopus dum dat eis candelabrum. Subdiaconis imprimitur, quando Episcopus cum forma verborum dat eis calicem vacuum, & cetera vasa quorum vsus est in confectione Eucharistiæ. Diaconus & presbyteris imprimitur, quando Episcopus imponit manum capiti cum verbis ad hoc statutis.

Prædictos autem ordines Christus exercuit: Ostiariū, quando ementes & vendentes de templo eiecit. Lectoratum, cum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, legit in eo. Exorcistatum, quando dæmoniacos sanauit: Acolytatum, quando dixit: Ego sum lux mundi. Subdiaconatum, quando linteo se præcinxit, & pedes discipulorum lauit. Diaconatum, quādo in cena corpus & sanguinem suum ministrauit discipulis, & dormientes Apostolos excitauit. Presbyteratum, quando se in ara crucis obtulit, & quando in cena panem, & vinum in corpus & sanguinem suum conuertit.

Mat. 21. a. Ioan. 2. c. Luc. 4. c. Luc. 11. b. Ioan. 8. b. Ioan. 13. a. Mat. 26. c. Luc. 22. d. Ioan. 10. Isa. 5. 6. 1. Cor. 11. e.

CAPVT XXXVII.

De qualitate ordinandorum.

QValitas ordinandorum consistit in duobus, scilicet in faciendis, & in euitandis. Facienda sunt hæc: In moribus sit pudicus 43. dist. cap. 6. In habitu honestus 21. quæst. 4. per totum. Cibo & potu temperatus. Extra. de vi. & hon. cler. A crapula. Competenter, quamuis non eminenter litteratus. Extra. de elect. cum nobis. Mansuetus, & moderatus 41. dist. cap. 1. & 2. per totum. Tonsuram deferat clericalem. Extra. de vi. & hon. cler. & dist. 41. Hospitalis 16. quæst. 1. Quoniam. Doctor in prædicatione, dist. 43. Sit rector. Correptor vitiorum per virgam disciplinæ. 86. dist. cap. 3. Exemplum præbeat bonæ vitæ, distinct. 23. His igitur. Bonæ famæ distinct. 28. Priusquam. Residentiam faciat in ecclesia sua, vel beneficio, Extra. de cler. non residen. per totum. Vnicum sufficiat beneficium habens curam animarum, Extra de præbendis. De multa. Bonus sit gubernator familiæ 47. dist. in fi.

De necessitate clericis sunt hæc vitanda: Crimē mortalis peccati. Extra. de tempor. ordin. Extraordinarie. Non litigiosus 46. dist. Ecce, & cap. sequenti. Non cupidus 47. distinc. cap. 4. Non lusor. Extra. de vi. & hon. cler. Non negotiator. Extra. Ne clerici, vel mon. per totum. Non exerceat venationes clamosas. Extra. de cler. venatore per totum. Non sit incontinens, nec mulieribus cohabitet. Extra. de cohabit. cler. & mulie. A nobis. Non sit in comessationibus, conuiuiis & fabulis 44. distin. Non intersit spectaculis, nisi honestis clericorum. Non immisceat se negotiis sæcularibus. Extra. Ne clerici, vel mon. cap. 2. Ne ioculatoribus, & histrionibus. Extra. de vi. & hon. cleric. Tabernas debet euitare, nisi in itinere. Extra. de vi. & hon. cleric. Horas non debet negligere, Extra. de celebr. Miss. cap. 1. Iustum iudicium non debet vendere. 1. quæst. 1. Si quis Episcopus. Ecclesiastica sacramenta non pacto, sed gratis debet dare. Extra. de Simonia, Tuam & per totum. Non sit excōmunicatus, vel suspensus, vel irregularis. Extra de sent. excom. Cum illorum. Non apostata. Extra de aposta. cap. vlt. Non simoniacus in ordine, vel beneficio, 1. quæst. 1. & Extra de simonia per totum. Non sollemniter pœnitens. de pœnitentia dist. 1.

Ante ordinis susceptionem se quilibet per confessionem præparet 24. dist. cap. vlt. In peccato mortali non accedat extra de tempor. ordin. Ad aures. Primam tonsuram non negligat. Nullus ordinetur, nisi examinatio præcedat. 24. dist. per totum. Non accipiantur simul minores ordines cum subdiaconatu, nec etiam simul duo ordines sacri, sed gradatim. Extra de temporibus ordin. litteras. Nec per saltum recipiat quis ordines 52. dist. cap. 1. Nec ab alieno Episcopo, sed à suo 30. distin. Perlectis. Nec contra Episcopi prohibitionem, & sine titulo. Extra de vi. & hon. cleric. Cum secundum Apostolum. Nec furtiue. Extra de eo. qui furt. ordin. suscep. capit. 1. & vltim. Missam, in qua ordinatur, & audiat, & tangat omnia, quæ sunt tangenda, vnusquisque in susceptione sui ordinis 25. distin. Perdilectis, Non accedat non licentiatus, & præsentatus extra de scruti. cap. vno. Ieiunus à ieiuno suscipiat ordines. extra de tempor. Litteras. Non recipiantur ordines, nec conferantur, nisi temporibus ab Ecclesia institutis. Extra de tempor. ordin. c. 1. & 3.

Multa sunt, quæ impediunt promouendum etiam sine culpa, licet non sine causa. Non debet enim promoueri ignotus, extra de peregrin. cap. 1. Bigamus 26. dist. A cunctis. Neophytus 48. distin. Quoniam. Corpore vitiatus 16. quæst. 1. Legi. Qui non est de legitimo matrimonio natus. extra de fil. presbyt. cap. Seruus. extra de seru. non ordin. cap. 1. & 2. Obligatus ad ratiocinia quandoque expellitur ab ordinibus. Ex prædictis patet, quod dignitas clericalis, nec ordines non conferuntur à quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec in quolibet tempore.

CAPVT XXXVIII.

De sacramento matrimonii.

MAtrimonium est coniunctio maris & feminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Matrimonium per sponsalia initiatur, per consensum animorum expressū per verba de præsenti, ratificatur, per carnalem copulam consummatur, & perficitur.

Ad hoc autem sciendum quod duplex est perfectio. Prima est in esse simpliciter, secunda in esse completo: sicut patet in puero, in quo est perfectio, quantum ad esse hominis simpliciter, sed non est in eo perfectio quātum ad esse completū, secundū quantitatem, & operationem hominis. Eodem modo dicendum est de matrimonio, in quo duplex est perfectio: Prima est quæ facit matrimonium, scilicet consensus animorum per verba de præsenti expressus: & ad hanc non exigitur copula carnalis. Secunda perfectio est quæ matrimonium consummat: & ad hanc exigitur carnalis copula.

Bonum matrimonij triplex est, scilicet fides, vt neuter alieno thoro maculetur. Proles, vt ad cultum Dei nutriatur Sacramentum vt non dissoluatur. Licet enim Ecclesia possit diuortia propter impedimēta matrimonij facere, numquam tamen potest, nec debet matrimonium quod legitime celebratum est, dissoluere: quia quos Deus coniunxit homo nō potest, quantæcunq; auctoritatis sit, separare: tamen soluitur matrimonium per mortem.

Mat. 19. a.

Sciendum quod duplex est coniunctio in matrimonio, & duplex est mors correspondens illi. Est n. coniunctio spiritualis per consensum animorum, quæ soluitur

per mortem spiritualem, qua homo moritur mundo per religionis ingressum. Alia est coniunctio carnalis per commixtionem sexuum, quæ soluitur per mortem corporalem.

Est autem causa matrimonij quadruplex, scilicet efficiens, vt consensus animorum per verba de præsenti expressus. Materialis vt ipsæ personæ legitimæ. Formalis, vt benedictio, annuli subarrhatio, & huiusmodi. Finalis duplex est vna principalis, scilicet prolis procreatio, & fornicationis euitatio: quia matrimonium non solum in officium, sed in remedium institutum fuit: licet fuerit primo solum in officium. Alia est secundaria, & illa est multiplex. Vnde versus:

Hostes conciliat, & eo discernitur hæres;
Bis ligat, alma notat, ius transfert, auget honorem.

Quadruplex distinguitur matrimonium. Primum est carnale inter virum & mulierem. Secundum est morale inter Deum & animam in Ecclesia militanti per gratiam. Tertium est allegoricum inter Christum & Ecclesiam. Quartum anagogicum inter Deum & animam in Ecclesia triumphante per coniunctionem gloriæ.

Potest quis accedere ad vxorem suam quattuor de causis, scilicet causa prolis, causa reddedi debitum, causa vitandæ incontinentiæ. Istis tribus causis non est peccatum. Quarto potest fieri causa explendæ libidinis: & hoc modo peccatum est veniale, vel mortale, secundum quod libido est venialis, vel mortalis.

Fit autem peccatum in coniugali coitu quinque modis. Vnde versus:

Quinque modis peccat vxore maritus abutens,
Tempore, mente, loco, conditione, modo.

Nota quod vxor dimissa propter fornicationem, reconciliatur viro multis modis. Vnde versus:

Vltimo mœchatur, retinet, nec conciliatur,
Absens prostituit, ius, fraus reuocant mulierem.

Tria sunt ornamenta sponsæ, scilicet annulus in digito, monile in pectore, corona in capite. Primum significat operis puritatem, quia in manu est opus. Secundum affectus sinceritatem, quia in pectore est affectus. Tertium contemplationis claritatem, quia in capite est perspicacitas intellectus.

Matt. 1. c. Luc. 1. c.

Multis de causis beata Virgo fuit desponsata viro. Primo, vt designaret Ecclesiam desponsatam Christo, quæ similiter est virgo. Secundo, vt Ioseph testis esset integerrimæ castitatis eius. Tertio, vt per Ioseph origo eius ostenderetur, quia per viros genealogia texitur. Quarto, ne infamaretur, si generaret non habens maritum. Quinto, ne velut incontinens damnaretur, quia de tribu erat sacerdotali, & tales comburebantur, aliæ adulteræ lapidabantur. Sexto, vt virgo virili solatio sustentaretur. Septimo, vt partus diabolo celaretur. Octauo, ne Iudæi Christum tamquam illegitimum iuste persequi viderentur. Nono, ne legi, quæ commendat matrimonium, contrariari Dominus videretur.

Notandum, quod duodecim sunt impedimenta matrimonij. Vnde versus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc socianda vetant coniugia, iuncta retractant.

COMPENDII THEOLOGICÆ VERITATIS.

LIBER SEPTIMVS, *De vltimis temporibus.*

Capita Hvivs Libri.

Capvt I.

De fine mundi.

FINALE iudicium quædam sunt antecedentia, quædam concomitantia, quædam sequentia. Antecedentia iudicium tria sunt, scilicet pœna purgatorij, Ecclesiæ suffragia, persecutio Antichristi. Concomitantia iudiciū duo sunt, scilicet, conflagratio mundi, & resurrectio corporum. Consequentia iudicium duo sunt, scilicet pœna infernalis, & gloria cælestis. De quibus per ordinem dicendum.

Capvt II.

De purgatorio.

PVrgatorius ignis corporeus est, per quem tantummodo spiritus iustorum, qui in hac vita non impleuerunt pœnitentiam, neq; satisfactionem condignam, affliguntur. Hi qui sunt in purgatorio, spem habent euasionis, quia sciunt se non esse in inferno: & tamen propter pœnarum magnitudinem hoc aliquando non aduertunt.

Multę rationes sunt, quare oportet esse purgatorium. Prima est, quia secundum Augustinum, tria sunt genera hominum. Quidam sunt valde mali, quibus nō prosunt Ecclesiæ suffragia. Quidam valde boni, quibus non sunt necessaria. Quidam non valde mali, nec valde boni, qui habēt venialia, & his debetur pœna purgatorij. Secunda est, quia sicut summa bonitas non patitur, quod bonum remaneat irremuneratū, ita summa iustitia non patitur quod malū remaneat impunitum. Tertia est, quia diuinæ lucis tāta est dignitas, quod eam soli mundi oculi cernere possunt. Vnde oportet, quod quilibet veniat ad munditiam baptismalem antequā conspectui diuino præsentetur. Quarta est, quia culpa est offensiua diuinæ maiestatis, & damnosa Ecclesiæ, & deformatiua in nobis imaginis diuinæ. Sed offensa requirit punitionem, damnum requirit satisfactionem, & deformatio expurgationem, propter quod necesse est, quod peccato pœna vel hic, vel alibi respōdeat. Quinta est, quia contraria contrarijs curātur: sed peccatum oritur ex delectatione: vnde debet per pœnam deleri. Sexta est, quia nulli debet negligentia suffragari: sed si non

Aug. in Enchir. cap. 10 tom. 3.

punitetur talis, videretur in futuro commodum reportare de negligentia pœnitentiæ dilatæ. Septima est, quia iustum est, vt spiritus, qui contempto summo subiecit se infimo, id est, peccato, subijciatur postea inferioribus, id est, pœnis.

Nota quod animæ postquã fuerint in igne sufficienter purgatæ, statim euolant ad gloriam, & hoc patet multiplici ratione. Primo, quia post purgationem nulla remanet ad gloriam dissimilitudo in anima, vnde merito illi debet iungi. Secundo, quia ianua cœli illis semper est aperta, qui nullum habent obstaculum. Tertio, quia necesse est illos spiritus, in quibus est charitas sursum eleuans, & nihil retardans, sursum eleuari ad gloriam. Quarto, quia cùm Deus sit pronior ad miserendum, quam ad puniendum, merito debet purgatos coniungere gloriæ, quos purgandos subiecit pœnæ. Quinto, quia non punit Deus bis in idipsum. Vnde cum iste sufficienter satisfecerit in pœnis ignium, non amplius debet puniri in dilatione præmiorum. Sexto, quia post purgationem non debet talis esse in purgatorio, neq; in limbo, quia non est de numero illorum puerorum, neq; in inferno, quia non est de numero damnatorum. ergo debet esse in cœlo, quia post mortem non sunt alia receptacula animarum. Septimo, quia efficacior est charitas quã iniquitas; sed iniquitas statim ducit ad supplicia, ergo charitas statim ducit ad præmiũ. Octauo, quia sicut cessante impedimento corpora grauia feruntur deorsum, & leuia sursum: sic malorum spiritus, remoto carnis onere, statim feruntur ad locum suppliciorum, propter peccati grauitatem: spiritus vero bonorum, si non sit impedimentum alicuius culpæ, vel pœnæ debitæ, statim feruntur ad locum præmiorum.

CAPVT III.

De acerbitate pœna purgatorij.

IN purgatorio duplex est pœna. Vna est dãni de carẽtia diuinæ visionis. Alia sensus est, de afflictione ignis: & quantum ad vtrumq; minima pœna purgatorij maior est maxima pœna mundi. Istud patet de pœna damni: quia affectus quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est, quam aliquis affectus rei temporalis in vita, maxime cum iam tempus habendi aduenerit, ideo carentia eius molestius toleratur. Istud etiam patet de pœna sensus: quia cum dolor non sit essentialiter læsio, sed læsionis sensus: tanto magis dolet anima, quanto magis sentit sensitiuum aliquid. Ideo ab igne in ipsam agente maxime affligitur.

Ratio acerbitatis pœnæ purgatorij hæc est, quia cum Deus magis quærat emendam, quam pœnam, plus ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quam pœnam afflictionis. Vnde plus ponderat Deus modicam pœnam voluntariam in præsenti, quam multo maiorem non ita voluntariam in futuro, sicut plus valet modicum auri, quam multum plumbi. Vnde oportet vt quod ibi deficit in voluntate, hic suppleatur in acerbitate.

De igne qui purgat animas, dupliciter est loquendum, vel quantum ad id, quod primo animas affligit, & sic est corporeus: vel quantum ad quod proxime affligit, & immediate, sic est incorporeus. Primo modo dicitur ignis vere, secundo modo similitudinarie, sicut leo verus, & leo pictus. Vtrumq; tangit Gregorius, quando dicit: In eo ardent, dum ardorem vident. Ille autem ignis corporeus dupliciter potest considerari. Primo est instrumentum naturæ, sic agere potest in corpus, & non in animam. Secundo prout instrumentum diuinæ iustitiæ, sic agit in animam, imprimendo illi speciem suam, per quam affligitur, quia violenter illa specie informatur. Sicut enim anima secundum ordinem naturæ vnitur corpori, vt instituat vitam, sic merito secundum ordinem iustitiæ vnitur igni, à quo suscipiat pœnam.

Greg. lib. 4. Dial. c. 29.

Nota quod dæmones non puniunt animas in purgatorio, sed illic eas adducunt, vel etiam assistunt, vt communiter dicitur. Ex permissione tamen Dei dæmones in hac vita quandoque bonos affligunt, sed hæc est ratio: quia in præsenti durat pugna inter dæmonem & hominem, quia dæmon habet in eo potestatem exercitij, sed post hanc vitam non sic. Vnde & aer iste caliginosus est assignatus dæmonibus magis propter tentandi officium, quam propter supplicium.

De locis pœnalibus vbi sint & quot, require sup. lib. 4. cap. de descensu Christi ad inferos. Sciendum tamen de loco purgationis, quod dupliciter assignatur: aut secundum legem communẽ, & sic est in vno loco in parte inferni circa limbum patrum. Aut secundum dispensationem specialem, & sic purgantur animæ aliquando in diuersis locis, in quibus peccauerunt. Hoc autem fit propter aliquam suam reuelationem per suffragia eorum, quibus apparent in illis locis, vel etiam propter aliquam ædificationem viuentium. Ignis autem ille plus, vel minus cruciat, secundum quod plus, vel minus de combustibili, seu cremabili quisque secum tulit. Oportet enim prius quam facies Dei videatur, sicut legimus, quod ligna, fœnum, stipula, id est, maiora, minima, mediocria, & venialia totaliter per cremationem consumantur. Prædicta vero pœnæ diuersitas non est ex diuersitate ignis accidentis, seu agentis, sed subiecti patientis, sicut sub eodem Sole vnus plus æstuat, alter minus, vt dicit Gregorius. Necesse est autem, vt dicit Augustinus, quod tantum vrat dolor, quantum hæsetat amor. tanto enim quisque torquebitur diutius, quanto affectus eius venialibus adhærebat fortius.

1. Cor. 3.

CAPVT IV.

De suffragiis Ecclesiæ.

SIcut pertinet ad diuinæ iustitiæ seueritatem, bonos propter venialia puniri, ita pertinet ad bonitatem diuinæ misericordiæ eosdem per suffragia releuari. Prosunt ergo suffragia defunctis, non ad meritum vitææternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc, vel ad pœnarum mitigationem, vel ad celeriorem liberationem.

Sunt autem quattuor modi suffragiorum generales, ad quos omnes alij reducuntur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna, & sacramentum altaris: quorum numerus sic accipitur: quoniam defuncti à pœna absolui possunt duobus modis, scilicet per viam gratiæ, & per viam iustitiæ. Per viam gratiæ dupliciter. Primo per intercessionem publicam capitis, quæ est in oblatione sacramenti altaris. Secundo per intercessionem quasi priuatam membrorum, scilicet per orationes iustorum. Similiter per viam iustitiæ dupliciter: primo per modum redemptionis pœnæ, scilicet in eleemosynarum largitione, secundo per modum solutionis pœnæ, scilicet in ieiuniorum afflictione. Si autem quæritur, quando incipiat valere defuncto, id quod pro se fieri mandauit? Dicendum quod opus operans, id est, meritum auctoris statim obsequitur mortuum de bonis, quæ præcepit pro anima sua fieri: sed non opus operatum, id est, fructus ipsius operis, vsquequo fiant: quia primum valet ex merito absoluto, sed secundum ex merito conditionali.

CAPVT V.

Quorum suffragia prosint, & quibus.

AD hoc quod valeant suffragia, requiritur aliquid ex parte agentis, & aliquid ex parte mortui recipientis. Ex parte agentis requiritur quod sit in charitate, & quod intentionem suam dirigat ad illos quibus vult, vt opera sua proficiant. Distinguendum est tamen quod suffragia per malum possunt fieri dupliciter, vel vt per auctorem, & sic non prosunt nisi forte per accidens, scilicet in quantum per eleemosynas mali hominis excitatur boni pauperes ad orandum pro defunctis: vel vt per mini-

ministrum, & hoc dupliciter, quia, vel facit ea minister publicus Dei & Ecclesiæ, sicut quando sacerdos malus celebrat Missam, vel agit exequias mortuorum, & talia semper prosunt, quia malitia ministri non nocet operi boni auctoris: sicut patet in domino iusto dante eleemosynam per seruum malum. Si vero facit ea, vt minister priuatæ personæ, existentis tamen in charitate, siue defuncti, siue alterius, etiam talia prosunt: quia opus illud licet sit mortuum quo ad ministrum, non tamen quo ad auctorem. Si vero malus minister facit aliqua de mandato eius, qui non est in charitate, non prosunt.

Aliquid etiam exigitur ex parte accipientis ad hoc vt suffragia prosint illi. Primum est, quod ipse sit in charitate. Vnde non valet his, qui sunt in inferno, quia sunt à corpore Christi mystico separati: vnde nulla spiritualis influentia peruenit ad eos, sicut nec influentia corporalis valet membris à corpore amputatis. Secundum est indigentia: vnde non valent beatis, qui non sunt amplius in via, sed in termino, nec possunt ad altiora ascendere: sed potius econuerso illorum suffragia prosunt nobis. Vtrumque autem est in his, qui sunt in purgatorio, scilicet charitas & indigentia. Vnde sicut potest homo satisfacere pro altero viuente, qui per se non valet, ita potest etiam pro defuncto.

Nota quod suffragia prosunt defunctis, sed magis aut minus pro diuersitate meritorum in mortuis, vel pro charitate viuorum, qui magis sollicitantur pro aliquibus, quam pro alijs. Illa enim suffragia, quæ specialiter fiunt pro aliquibus, plus valent illis, quam alijs, licet etiam alijs aliquo modo communicentur. Suffragia vero, quæ communiter pro defunctis fiunt, quamuis pro modulo suo omnibus prosint, illis tamen amplius, qui dum essent in via, magis meruerũt, vt sibi prodessent. Quamuis autem, vt dictum est, suffragia non prosint ijs qui sunt in cœlo, nec illis qui sunt in inferno, tamen aliquo modo prosunt etiam illis. Vnde nota quod valent illis, qui sunt in purgatorio, per modum purgationis: valent saluatis, qui sunt in cœlo, per modum coniunctionis, quia multiplicatio saluãdorum augmentat gloriam accidentalem. Valent & damnatis in inferno per modum diminutionis: quanto enim plures saluantur per meritum Ecclesiæ, tanto pauciores damnabuntur, & ita minor erit pœna per subtractionem consortij illorum: valent etiam impijs facientibus per modum meriti: quia cum pro paruulis defunctis celebrantur Missæ mortuorum, hoc non fit propter illorum indigentiam, cum statim euolent ad gloriã, sed propter gratiarum actionem.

CAPVT VI.

Vtrum indulgentiæ prosint defunctis?

PApales indulgentiæ prosunt defunctis in purgatorio: quod patet, quia crux aliquando datur pro duabus, vel tribus, vel quattuor, vel decem animabus. In Ecclesia enim est thesaurus meritorum tam Christi, quam perfectorum, de quo solus Papa, qui habet claues huius thesauri, pro necessitate Ecclesiæ potest accipere & dispensare. Alij autem sicut Episcopi, non habent in his potestatem generalem, sed limitatam, & non nisi per summi Pontificis dispensationẽ. Dicendum ergo quod Papa proprie non absoluit defunctos à pœna, sed quasi pro eis de communi thesauro Ecclesiæ soluit: sicut aliter creditor liberat debitorẽ, dum eum à debito absoluit: & aliter amicus debitoris dum pro eo debitum soluit, sed viuentes vtroq; modo absoluit Papa. Illi autem quibus datur indulgentia, non possunt eam vlterius dare, neque viuis, neque defunctis: & hoc duplici ratione. Primo, quia indulgentia nõ est donum collatiuum gratiæ, sed priuatiuum pœnæ, priuatio cum nihil sit, alijs communicari non potest. Secundo, quia dare indulgentiam auctoritatis est, & iurisdictionis, quam non habent laici, ex eo quod indulgentiam ab alijs recipiunt: vnde nõ possunt defunctis impendere indulgentiam per auctoritatem, sed solum boni operis sui suffragium per charitatem, Papa vero potest vtrumque.

CAPVT VII.

De aduentu Antichristi.

ANtequam Dominus veniat ad iudicium, regni Romani fiet destructio. Nam sicut dicit Glossa super Apostolum: Prius erit discessio ab vtroque imperio, qua completa aderit Antichristus. Hic ex parentum seminibus concipietur: sed post conceptum descendet spiritus malignus in matris vterum, cuius virtute & operatione deinceps puer nascetur, aletur, adolescet: propter quod & filius perditionis vocabitur. Nascetur autem in Babylonia de tribu Dan, sicut dicit Glossa super Apostolum. Post hoc veniet in Hierusalem, & circumcidet se, dicens Iudæis, se esse Christum illis promissum, vnde plebs Iudæa specialiter ei adhærebit, sicut dicit Haymo super Apocalypsi, donec Enoch & Elia prædicantibus, qui ex illis fuerint saluandi; ad Christum reuertantur. Angelus bonus deputabitur primo Antichristo ad custodiam: sed quando ita obstinabitur in peccato, quod dicet se esse Deum, & extollet se super omne id, quod dicitur Deus, aut colitur, sicut dicit Apostolus: tunc primo deseret eum Angelus ex toto, nec habebit eum postmodum ad promotionem, sed ad accusationem.

2 Thes. 2. a — *2 Thes. 2. b*

CAPVT VIII.

De vita Antichristi.

ANtichristus erit luxuriosus, & in concupiscentijs fœminarum, vt habetur in Daniele, in aperto tamen per hypocrisim simulabit sanctitatem, vt facilius decipere possit. Cor suum per superbiam magnificabitur, sicut dicit Daniel: Contra principem principum consurget, id est, contra Deum. Et vt dicit Glossa super Danielem, in tantam eleuabitur superbiam, quod leges & cerimonias mutare conabitur, vel cursum temporum. Tantæ quoq; præsumptionis erit, quod non putabit se à Deo puniendum, propter hoc quod iudiciũ differtur. Auferentur iudicia tua à facie eius. Erit etiã blasphemus, sicut in Apocalypsi dicitur. Vnde Daniel: Aduersus Deum deorum loquetur magnifica: Item ad maiorem Dei contumeliam faciet imaginem suam adorari, & omnes suo charactere signari in manu dextera, & frontibus suis, sicut habetur in Apocalypsi: Confitebitur enim se verum filium Dei, & filium hominis, ita vt in templo Dei sedeat tamquam ipse sit Deus, & se faciet adorari. Iudæi namq; templum quod Romani destruxerunt, reædificabunt. Affirmabit ante se nullum fuisse Christũ, sed Antichristos fuisse, vt dicitur in Glossa, quia sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis habitat, ita & in Antichristo plenitudo omnis iniquitatis: quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus.

Dan. 11. f — *Dan. 8. g* — *Dan. 8. d* — *Psal. 10. b* — *Apoc. 13. a* — *Dan. 11. f* — *Apoc. 13. d* — *2 Thes. 2. b* — *Coloss. 2. b*

CAPVT IX.

De quattuor modis quibus decipiet.

MErito comparatur Antichristus Cerasti, qui est serpens cornutus: quia quatuor cornibus armabitur, scilicet callida persuasione, miraculorum operatione, donorum largitione, & tormentorũ exhibitione.

Primus ergo modus subuertendi homines erit callida persuasio. Prædicabit enim legem nouam prauam esse, & legem Christi pro posse destruet. Prædicatores enim sui discurrent per vniuersas partes mundi. Impedient quoque apostoli Antichristi, ne scriptura secundum veritatem exponatur à catholicis Doctoribus, vel fidelibus audiatur: ipsi autem bonos se simulabunt, & tamen mala suadebunt.

Secundus modus subuertendi erit per fallacia miracula,

Gen. 49. d — *2 Tim. 4.*

cula, quia per artem magicam illa faciet. Vnde Glossa super Apocalypsi: Magica arte statuã faciet loqui & futura prædicere, & faciet, sicut dicitur in Apocalypsi, ignem de cœlo descendere in terram. Glossa, id est, malignum spiritum faciet super eos descendere, vt loquantur varijs linguis. Spiritus enim malignus descendet in eos in conspectu hominũ, sicut Spiritus sanctus descendit in Apostolos Christi. Vnde iactabũt se esse meliores Apostolis Christi, qui spiritum acceperunt in conclaui. Item per artem magicam simulabit se mortuum, & feretur à dæmonibus in aera, quasi ascendat in cœlum: & sic putabitur ab hominibus resurrexisse, qui prius mortuus putabatur: & tunc mirabuntur populi, & adorabunt eum, atq; laudabunt. Ecclesia vero non faciet tunc miracula. De hoc modo decipiendi dicitur in Psalmo: Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Glossa, rectè Antichristus comparatur leoni existenti in spelunca: quia in eo vis & dolus operatur. Vis enim per leonem, dolus per speluncam intelligitur. Gregorius: Pensemus quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr corpus tormentis subijciet, & tamen tortor ante eius oculos miracula faciet. Sicut enim Antichristus finget se à mortuis resurgere, ita etiam finget se ad cœlum ascẽdere. Et plaga mortis eius curata est. Glossa: Arte magica ascendet Antichristus in aera ferentibus eum dæmonibus. Faciet arbores cito florere, arescere, mare turbari, naturas in diuersas figuras mutari: mortuos etiam in conspectu hominum suscitabit.

Apoc. 13. b *Apoc. 13. b* *Psal. 10. b* *Greg. li. 32. Mor. ca. 12. ante med.* *Apoc. 13. a*

Tertio decipiet per munera. Ipse namq; Antichristus inueniet thesauros absconditos, per quos ad sequendum se inclinabit plurimos. ditabit enim bonis diuitiis huius sæculi, & tunc eorum falsam felicitatem ad decipiendum alios ostendet.

Quarto compellet per minas, & tormenta: quos aliter vincere non poterit. Tanta vero, sicut ait Dominus, tunc erit tribulatio, vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi: & hoc innuitur in Apocalypsi, vbi dicitur: Pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Per pedes vltima Christi membra, per caminum vero vehemens tribulatio designatur. Exhibebit enim cuncta, quæ in præcedentibus martyribus impleta sunt genera tormentorum, sed in illis regionibus, tunc fideles maxime sunt vexandi, & vehementius, vbi Dominus fuit crucifixus. Et dicit Haymo super Apocalypsi: Illa tentatio non per partes, sed simul totum examinabit mundum. Soluentur enim dæmones, qui modo ligati sunt, ne possint nocere quantum vellent. Fideles quoq; illo tempore non prædicabunt, quia tamquam excommunicati habebuntur tunc boni. Nihil vendetur eis, nec emetur ab eis, nisi habeant characterem, id est, signum aliquod ad litteram, vt adhærentes sibi cognoscantur, & alij interficiantur. Aut nomen bestiæ, id est, confessionem oris: aut numerum nominis eius, id est, multiplicationem operum, vt habetur in Apocalypsi. Antichristus autem sicut erit crudelior omnibus persecutoribus, ita sancti tunc temporis fortiores erunt omnibus retro martyribus.

Mat. 24. b *Apoc. 1. d* *Apoc. 13. d*

CAPVT X.

De sequentibus Antichristum.

Prædictis quattuor modis Antichristus multos ad se attrahet. vnde in Apocalypsi: Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Attrahet autem malos per munera, bonos per tormẽta, simplices per prædicationẽ & miracula. Qui enim sancti & iusti credebantur, adhærebunt ei pro suæ arbitrio voluntatis. Habebit secum magos & maleficos, reges quoque, & principes. Vnde in Apocalypsi: Vidi de mari bestiam ascendentem, &c. Glossa, id est, Antichristum habentem capita septem, id est, principes vniuersos: cornua decem, id est, eos qui impugnant decalogum. Nota igitur, quod Antichristus primo veniet in benignitate, & miraculorũ operatione: & tunc à Iudæis suscipietur, qui ei specialiter adhærebunt: ad quorum conuersionem venient Elias & Enoch, & tunc Antichristus in apertam persecutionem consurget.

Apoc. 12. a *Apoc. 13. a* *Apoc. 11. a*

CAPVT XI.

De Gog, & Magog.

De Gog, & Magog dicunt quidam, quod sunt decem tribus intra montes Caspios clausæ: non ita tamen quin exire possent, si permitterentur, sed nõ permittuntur à regina Amazonum, sub cuius regno & ditione viuunt. Has dicunt Iudæi in fine sæculi exituras, & venturas in Hierusalem, & cum suo Messia ecclesias destructuras. Alij dicunt, quod per Gog, & Magog intelligitur exercitus Antichristi, qui in fine sæculi veniet ad expugnandam Ecclesiam. Per Gog enim secundum Glossam illi, per quos latenter diabolus persequetur fideles, designantur. Per Magog illi, per quos aperte Ecclesia opprimetur, vel illi, qui tempore Antichristi prius occulte, & postmodum aperte Ecclesiam persequentur. Secundum Augustinum, Gog refertur ad gentes, Magog ad diabolum: quia Gog interpretatur occultatio, & Magog deiectio, vel destitutio.

CAPVT XII.

De Elia, & Enoch.

Inter occultum aduentum Antichristi, qui est per natiuitatem, & manifestum eius aduentum, qui est per prædicationem & apertam persecutionẽ, venient Elias & Enoch, & conuertent, sicut dicit Malachias, corda patrum in filios, Glossa, ad instructionem præteritorum de fide Saluatoris, in quantum & ipsi crediderunt: & cor filiorum ad patres eorum. Glossa, quia suscipient fidem, quam illi habuerunt. Vnde & Christiani, & Iudæi tunc in Christum pari religione consentient. De eorum prædicatione, & sancta conuersatione dicitur in Apocalypsi: Dabo duobus testib' meis, scilicet Eliæ & Enoch, & prophetabunt, id est, prædicabunt 1260. id est, tribus annis, sicut ipse Christus prædicauit, amicti saccis. Glossa, prædicantes pœnitentiam, & exemplum ostendentes. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra. Glossa, id est, lumen dantes alijs. Tandem Antichristus occidet eos in Hierusalem: & iacebunt corpora eorũ in plateis tribus diebus, & tribus noctibus cũ dimidio, quia nullus audebit corpora eorũ sepelire, propter metum Antichristi. Occisores autẽ eorum erunt valde læti propter mortem eorum: post dies autem tres & dimidium resurgent, & eorum occisores audient vocem talem, Elias & Enoch ascẽdite huc: & ascendent in cœlũ in nube. Antichristus vero quindecim diebus post mortem illorum regnabit.

Mala. vlt. b *Apoc. 11. a* *Apoc. 11. b*

CAPVT XIII.

De duratione huius persecutionis.

Regnabit Antichristus, sicut dicit Glossa super Apostolum, tribus annis cum dimidio. Vnde Daniel, Iurauit angelus per viuentem in æternum, quod in tempus, scilicet, vnius anni, & tempora, scilicet duorum annorum: & dimidiũ temporis, id est, dimidij anni. Glossa, hoc spatio dicitur duratura desolatio sub Antichristo. Nisi autem, vt dicitur in Matthæo, breuiati fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro. Gregorius: Quia enim & superbos nos & infirmos aspicit Deus, dies quos singulariter malos intulit, misericorditer breuiandos dicit. & Glossa super Matthæo: Hæc tribulatio quanto ceteris grauior, tanto breuitate moderatior.

Gloss. 1. in c. 5. 1. Thess. *Dan. 12. b* *Mat. 24. b* *Greg. li. 32. Mor. c. 12. ante med.*

CAPVT XIV.

De morte Antichristi.

Potestate sua Dominus occidet Antichristum, sicut dicit Glossa super Apostolũ, siue per se, siue per Mi-

Gloss. in c. 5. 1. Thess.

chae-

chaelem. Occidetur autem in monte Oliueti, in papilione, & solio suo, in loco circa quẽ Dominus ascendit in cœlum. Interfecto autem Antichristo nõ statim veniet Dominus ad iudicium, secundum Glossam, super Danielem, concedentur quadraginta quinq; dies ad refrigerium Sanctorum, & ad conuersionẽ & pœnitentiam subuersorum. Quantum autem spacium sit inter illos quadraginta quinq; dies, & finẽ mundi, nemo scit. Ministri vero Antichristi post mortem illius gaudebunt, ducentes vxores, & dicẽtes: Licet princeps noster mortuus sit, habemus tamen potestatem, pacem, & securitatem: & cum talia dixerint, repentinus eis superueniet interitus. Iudæi vero tunc conuertentur ad fidem: & S. Ecclesia vsque ad finem pacificata quiescet, quia tunc fraudulentia & sæuitia diaboli penitus vbiq; deficiet.

Gloss. in 6. 12. Dan.

CAPVT XV.

De conflagratione mundi.

Psal. 96. a.

IGnis maximus præcedet faciem iudicis, quia virtute diuina non solum ignis qui est in sphæra sua, sed etiam omnes ignes qui in terra & super terram sunt, concurrent ad mundi conflagrationem. Ignis autem iste habebit officium quattuor ignium, scilicet ignis infernalis, reprobos puniendo: & ignis purgatorij, bonos à venialibus purgando: & ignis terrestris, vegetabilia, & sensibilia consumendo, & omnium hominum corpora incinerando: & ignis elementaris elementa subtiliando, & ad innouationem disponendo. Per illum igitur ignem ita facies terræ exuretur, quod figura huius mundi peribit, sicut olim factum fuit per diluuium. Et merito primum Dei iudicium fuit per aquam, contra ardorem luxuriæ, qui tunc viguit: vltimũ vero iudicium per ignem erit contra torporem charitatis, quæ tunc quasi senescente mundo refrigescet. Istius autem ignis actio erit successiua: habebit enim initium, mediũ, & finem. Primo namq; iudicis aduentum præueniet, & quasi simul per illum fiet purgatio iustorum, punitio malorum, & incineratio corporum cum consumptione terrę nascentium, sicut dictum est. Quo facto statim erit resurrectio corporum cum aduentu iudicis ad iudicium, & tunc inflammabitur totus mundus per circuitum. Terminato autem iudicio, tota calliditas illius ignis exequetur sententiam iudicis. Inuoluet enim peccatores, & trahet in infernum. Et ita patet, quod ignis ille aduentum iudicis præueniet & præcedet, & comitabitur, & sequetur.

1. Cor. 7. f
Gen. 7. c
Mat. 24. a

Post prædicta fiet mundi innouatio, sed inter purgationem & innouationem multiplex est differentia. Primo, quia purgatio erit qualitatum pœnalium detractio, sed innouatio erit pulchrioris formæ inductio. Secundo, quia purgatio est elemẽtorum ab impuritate, quam habent ex coniunctione, ad puritatẽ mutatio. Innouatio vero est cœlorũ à statu veteri in statum nouum commutatio, & hoc per cessationem à motu. In cœlis enim propter impermixtionem nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus. Vnde non erit in eis purgatio per ignem, sed à motu cessatio. Ita autem purgabuntur elementa, quod præcidetur ab igne vis combustibilis, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, à terra vero grauitas & opacitas.

CAPVT XVI.

De resurrectione generali.

DEvs sicut est potentissimus in constitutione naturarum, ita est clementissimus in collatione gratiarum, & iustissimus in retributione stipendiorum. Quoniam igitur homo, vel meruit, vel demeruit in anima simul & corpore, punietur vel præmiabitur in vtroque. Vnde in eisdem oportet eum resurgere.

1. Thes. 4. d
1. Cor. 15. c

Ad vocem autem tubæ resurgent mortui, sicut dicit Apostolus. Dupliciter autẽ intelligitur illa vox. Secundum enim quosdam vox tubæ est imperium Christi resurgere imperantis: secundum alios vox tubæ est manifesta Christi apparitio. Vnde Gregorius: Tubam sonare, nihil aliud est, quam mundo Dei filium iudicem demonstrare. Resurgent igitur omnes, nulla in eis existente differentia, quantum ad ordinem temporis, sed magna, quantum ad ordinem dignitatis. Nam mali resurgent deformes & passibiles: in bonis autem natura seruabitur, & vitia detrahentur. Omnes vero tam boni, quam mali resurgent integri corpore, debita statura secundum ætatem plenitudinis Christi.

Resurrectio igitur tria corriget in natura, scilicet defectum, sicut in pueris, & mutilatis, siue in diminuta natura membrorum; superfluum scilicet vnguiũ, crinium, & huiusmodi: errorem, sicut in monstruositate membrorum. Resurgent quoq; corpora eadem, quæ prius erant, & eodem numero, ex eodem natura, ex eodem puluere in quem reducta fuerant: ita quod in quascumq; auras, vel sinus puluis ille dispersus fuerit, ad eandem animam redeat, quæ ipsum primitus, vt viueret & cresceret, animauit. Nec solum resurgent corpora quantũ ad membra principalia, sed etiam saluis capillis: & ceteris membris, quæ faciunt ad decorum. Resurgent etiam homines, quantum ad esse, & quantum ad integrum esse, & quantum ad decorem esse, & resurget vnumquodque corpus in optimo suo esse.

Luc. 12. b

Et quia duplex est mors, animæ scilicet per culpam, & corporis, per pœnam: his respondet duplex resurrectio, scilicet animæ per gratiam, & corporis, per gloriam. Et sicut in primis parentibus mors culpæ intulit mortem pœnæ: ita resurrectio animæ per gratiam, causabit resurrectionem corporis per gloriam. In resurrectione concurrent quatuor causæ, scilicet efficiens, ipse Deus: materialis, scilicet pulueres: formalis, scilicet coniunctio corporis, & animæ: finalis, scilicet vt recipiat vnusquisque prout gessit, siue bonum, siue malum. Resurgent tunc homines velociter, integraliter, socialiter, æternaliter. Et erit ista resurrectio iusta quantum ad Deum: perfecta quantum ad resurgentes: miraculosa quantum ad ipsam resurrectionem.

CAPVT XVII.

De iudicio extremo.

POst resurrectionem statim erit iudicium. Ipsum vero iudicium præcedet trina citatio: Prima fuit per prophetas. Vnde illud: Vocaui, & renuistis. Secunda per Apostolos, & prædicatores. Misit seruos suos hora cœnæ dicere inuitatis, &c. Tertia erit per vltimam vocem tubæ: & hæc citatio erit peremptoria.

Prou. 1. c
Luc. 14. d

Secundum Richardum triplex est iudicium. Primum est vniforme, hoc est iudicium præsentis Ecclesiæ, quæ non iudicat, nisi de sola qualitate retributionum, & in genere tantum secundum quod bona bonis, & malis mala reddentur: sed numerum & quantitatem retributionum scit. Secundum dicitur multiforme, scilicet quod quilibet experitur in morte accipiendo sententiam de omnibus bonis & malis, quæ gessit: sed non omnia bona, vel mala statim recipit, quia in anima tantum, & non in corpore. Tertium dicitur omniforme, id est, vltimum iudicium, quando recipit vnusquisque secundum numerum & quantitatem siue bona, & mala, in corpore, & in anima.

Vltimum iudicium est horribile ex omni parte, quia supra erit iudex austerus, & iratus, subtus patens infernus, intus conscientia remordens, extra mundus ardẽs, à dextris peccata accusantia, à sinistris dæmonia terrentia, circa illa boni angeli in inferna propellentes, ibidem omnes sancti iudicis sententiam approbantes, & omnes malis cum bonis peccata damnatorum cognoscentes.

De qualitate autem iudicij nota quod erit horribile. Virtutes cœlorũ mouebuntur. Intolerabile: Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me? &c. Ineuitabile. Apostol.: Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi.

Iob 14. c
1. Cor. 5. b

1 Thess. 5. a
Prou. 6. 6
Rom. 6. d

Christi. Inopinabile, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Inexorabile: Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Erubescibile. Apostolus: Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Prædicta vero erubescentia erit in duobus. Primo in veniendo ad iudicium, quia mali cum habeant corpora ponderosa oportet eos illuc portari ab Angelis, sicut Habacuc portatus fuit ad lacum leonum in Babylonem. Secundo in stando coram iudice: quia peccata eorum omnibus erunt manifesta. Vnde illud: Reuelabo pudenda tua in facie tua, &c.

Dan. 15. c
Nahū. 3. b

Locus iudicij erat in valle Iosaphat: & hoc multiplici ratione. Primo, quia locum iudicij oportet esse communem: sed Hierusalem, & terra adiacens videtur esse communis, cum sit quasi medius nostræ habitationis locus. Secundo, quia debet esse publicus: sed locus prædictus est famosissimus propter opera nostræ redemptionis, quæ ibidem gesta sunt. Tertio competit locus ille ratione negotij, quia tractandum est ibi opus misericordiæ & iustitiæ. Mons Oliueti, qui est apud illam vallem, designat misericordiam: Iosaphat autem, quod interpretatur iudicium, designat iustitiam.

Ioel. 3. a

CAPVT XVIII.

De iudicantibus.

NOn solū secundum potestatē diuinam, sed etiam in forma humana Christus iudicabit: quia in iurisdictione ordinaria iudicabit, vt Deus, cum tota trinitate: sed in iurisdictione delegata iudicabit, vt homo.

Vnde nota, quod quinque sunt modi iudicandi. Primus modus est primæ auctoritatis, quo iudicabit tota Trinitas. Secundus modus est secundæ auctoritatis, quo iudicabit Christus, vt homo. Tertius est accessoriæ dignitatis, quo iudicabunt Apostoli, & viri perfecti, qui cum iudice eminentius residebunt vel iudicabunt, tanquam melius scientes leges & consuetudines regni Dei, quibus implendis, & sciendis operam dederunt. Quartus est approbationis, quo iudicabunt omnes sancti, & etiam Angeli. Quintus modus iudicandi est culpam iudicandorum manifestare, sic etiam mali iudicabunt.

1. Cor. 6. a

In iudicando Christus habebit duos actus oppositos: vnum passiue, & alium actiue. Primus vero est infirmitatis, & alius potestatis. In primo enim aduentu Christus venit ad iudicium passiue, in secundo veniet ad iudicium actiue. In primo venit in forma infirma, in secundo apparebit in forma gloriosa. Hinc est quod Christum in iudicio videbunt iusti tam in natura diuinitatis, quam humanitatis, à malis autem nullo modo videri poterit in forma diuinitatis: & hoc dupl ci ratione. Primo, propter defectum dispositionis in ipso vidēte, quia natura sine gratia non sufficit ad Dei visionem. Secundo, propter demeritum delectationis, quæ est in visione diuinitatis: quia videre Deum, secundum Ioannem, vita æterna est: quæ non potest communicari reprobis.

Ioan. 17. a

Ex prædictis patet, quod Christus apparebit blandus iustis, & terribilis iniustis, sicut dicit Gregorius: Quod figuratum est in columna nubis in die, & ignis in nocte. Videbunt mali humanitatem Christi, vt timeant: & non diuinitatem, ne gaudeant. Boni autem vtramque Christi naturam videbunt. Stigmata quoque Christus monstrabit, & insignia passionis suæ, scilicet crucem, clauos, &c. Sedebit quoque Christus supra in eminentiori loco cum sanctis, mali vero subtus in terra, quam dilexerunt. Et merito tunc Christus iudicium exercebit, tum quia vere scit merita singulorum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi: tum quia nō est reus de aliquo illorum, de quibus iudicabit. Non enim fecit peccatum, nec inuentus est dolus in ore eius: & hæc duo præcipue decent iudicem.

Ioan. 20. f
Coloss. 2. a
Ioan. 8. f
Isa. 53. c
1. Pet. 2. d

CAPVT XIX.

De iudicandis.

ORdines quattuor erunt in iudicio. Quidam enim iudicabuntur, & damnabuntur, vt quorum merita damnabilia permixta sunt aliquibus bonis, sicut illorum, qui habuerunt fidem sine operibus. Quidam iudicabuntur & saluabuntur, vt quorum merita bona permixta sunt aliquibus venialibus malis. Quidam non iudicabuntur, & damnabuntur, vt quorum mala merita omnino impermixta sunt bonis, vt qui caruerunt fundamento fidei. Quidam vero non iudicabuntur, sed iudicabunt & saluabuntur, vt quorum merita bona impermixta sunt malis, sicut perfectorum pauperum Christi, de quibus in Matthæo: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, & cetera.

Mat. 19. d

De prædictis quattuor ordinibus nota, quod omnes homines iudicabuntur iudicio retributionis, sed non iudicio disceptationis. Infideles enim, quia non fuerunt ciues ciuitatis Dei, tamquā hostes sine vlla meritorum discussione, & audientia punientur. Fideles vero mali tamquam ciues cum meritorum discussione, & audientia punientur. Iusti vero nō iudicabuntur, vt eorum merita de nouo discutiantur, an bona vel mala sint: sed vt bonorum præeminentia omnibus manifestetur, & vt contra malos appareat iusta sententia damnationis.

Duæ sententiæ ferentur in iudicio: vna pro bonis, alia contra malos. Sententia pro bonis continet septem clausulas. Prima est amabilis vocatio, ibi: Venite. Secunda, diuina benedictio, ibi: Benedicti. Tertia, paterna dilectio, ibi: Patris mei. Quarta est, remunerationis retributio, ibi: Percipite. Quinta est regni assignatio, ibi: Regnum. Sexta est gloriæ præparatio, ibi: Quod vobis paratum est. Septima est æterna prædestinatio, ibi: Ab origine mundi.

Item sentētia contra malos continet in ipsa sex clausulas. Primo, à Deo separationem, cum dicitur: Ite. Secundo, maledictionem, ibi: Maledicti. Tertio, incarcerationem, per hanc præpositionem: In, designatam. Quarto, pœnæ acerbitatem, ibi: Ignem. Quinto, liberationis desperationem, ibi: Æternum. Sexto, dæmonum associationem, ibi: Qui paratus est diabolo, & angelis eius.

CAPVT XX.

De innouatione mundi.

TErminato iudicio statim erit innouatio mundi, quæ non complebitur quamdiu peccator est in mundo, id est, quousq; detrudatur in infernum. Sicut enim ille maximus ignis elementa purgabit, cum habeat virtutem expulsiuam formæ extrinsecæ: sic mundum innouabit, cum habeat virtutem subtiliatiuam.

Mundum autem innouari, id est, pulchriorē formam accipere, ostenditur multiplici ratione: Primo, quia sicut dignū fuit, quod elementa purgarentur pro eo, quod infecta erāt, propter peccatum hominis, ita dignum est, vt mundus innouetur, propter glorificationem hominis. Secundo, vt creaturæ remunerarentur pro labore, quo homini seruierunt. Tertio, vt totus mundus, prout est possibile, conformetur homini glorificato. Quarto, quia mundus factus est, vt homo nunc per speculum creaturæ Deum cognosceret, quem in sua natura videre non potui. Vnde in futuro oportet speculum meliorari, & purgari, vt in pulchritudine creaturarum amplius refulgeat species Creatoris: hoc autem non erit ad necessitatem, quasi Deus aliter videri non possit, sicut modo: sed ad iucunditatem, vt scilicet delectationi visionis intellectualis addatur delectatio visionis sensualis.

Orbes autem cœlestes & sidera propter impermixtionem nulla indigebunt purgatione sicut elementa, sed tantummodo motus cessatione, & ideo innouabuntur, sed non purgabuntur. Innouatio autem in illis duo requi-

requirit, scilicet motus cessationem & claritatem splendoris ampliorem, quando stabit Sol in Oriente, & Luna in Occidente, vbi creati sunt. Huius dicti hæc est ratio, quia corpora superiora facta sunt ad vsum hominis dupliciter. Vno modo propter necessitatem corporis, scilicet statum generationis & corruptionis: & ideo cessante illo cessabit motus. Alio modo propter delectationem in pulchritudine creaturæ, & propter cognitionem Dei in illis, ideo lux illorum non cessabit, sed magis augebitur.

Circa elementa autem nota, quod terra erit sicut crystallus, & complanabitur. Aer erit clarior, nec habebit impressiones, quas modo habet, quia non erunt nubes, neque venti, neque pluuiæ, neque ros, neque nix, neque tonitrua, neque fulgura. Ignis etiam, & aqua fient puriores: & manebunt non solum secundum substantiam, sed etiam secundum suas qualitates, quas habebunt quantum ad habitum, sed non quantum ad vsum: quia cum in his duobus elementis magis vigeant qualitates actiuæ, scilicet frigiditas in aqua, & caliditas in igne, magis sunt generationis, & corruptionis principium: & talis effectus illorum non erit amplius, propter hoc dicuntur interire. Vel ideo secundum aliquos dicuntur hæc duo elementa interire, quia Dominus ea intercidet in illis, teste Basilio super Psalmos: Vox Domini intercidentis flammam ignis, ita quod calidum vstiuum & frigidum glaciale tendent inferius, perspicuum autem in aqua, & lux in igne manebunt: quia de omnibus elementis ignobile tendet deorsum, sicut grossum, & terrenum, & opacum, ac tenebrosum, & huiusmodi.

Psal. 28.a

Patet ergo quod cœlum & terra transibunt quantum ad formam: sed non quantum ad substantiam. Patet etiam ex prædictis terminari transmutationes elementorum, & generationes animalium & plantarũ, quia causæ illorum cessabunt, & propter ista dicuntur elementa interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem & passionem. Corpora vero cœlestia habita quiete & lumine clariori, dicuntur renouari. Verumtamen illa, quæ sicut dictum est, intereunt, in homine saluabuntur, qui similitudinem habet cum omni genere creaturæ, & propter hæc in hominis innouatione & glorificatione possunt dici omnia renouari.

CAPVT XXI.

De pœnis inferni.

SICVT patet diuina potentia in creando, sapientia in gubernando, clementia in reparando, sic patebit diuina iustitia in puniendo. Dignum est enim, vt non remaneat dedecus culpæ sine decore iustitiæ.

Licet autem peccatũ sit transitorium, tamen erit pœna perpetua, multiplici ratione. Prima, quia homo peccauit in suo æterno, ideo punietur in æterno Dei. Secunda, quia materia ignis infernalis est æterna, sic & peccati macula: ideo & pœna. Tertia, quia peccatum est contra illum, qui est infinitus: vnde, & pœna debet ei esse infinita, non quidem acerbitate, sed duratione. Quarta, quia homo per peccatum perimit in se bonum, quod posset esse æternum bonum: & ideo merito perpetuum incurrit malum. Quinta, quia mala voluntas reproborum æterna est, vellent enim in peccato, si possent, perpetuo delectari: & ideo perpetuo debent puniri. Sexta, quia in infinitum errat rationalis, cum præponit finitum infinito in iudicando: similiter concupiscibilis in appetendo, & irascibilis in adhærendo: vnde & merito pœna erit infinita. Septima, quia damnatus de peccato perpetrato, nunquam habebit veram pœnitentiam: ideo Deus nunquam mutabit punitionis illius sententiam. Octaua, quia peccatum à vita perpetua separat, scilicet à Deo: ideo mortem perpetuam peccator incurrit.

Post rationes inducam exempla de eadem materia. Videmus enim quod emptio momentanea dat ius possidendi perpetuum. Item vulneratio momentanea dat mortem perpetuam. Item casus in foueam temporalis est, detentio perpetua. Item crimen læsæ maiestatis temporale est, seruitus perpetua. Item plaga temporalis est, liuor perpetuus.

Quoniam in peccato est delectatio cum contemptu Dei, merito præcipitatur peccator in locum infimum & despectum, & maxime à statu gloriæ Dei elongatum, scilicet in infernum, vbi à despectis rebus puniatur, scilicet à fæcibus corporum mundanorum, quia in innouatione mundi quidquid est ignobile in mundo, ad locum pœnarum defluet, & ibi horrorem carceris multiplicabit.

CAPVT XXII.

De diuersitate pœnarum.

CVM in damnatis sit diuersitas peccatorum, erit & diuersitas pœnarum. Vnde cũ in peccato sit auersio à Creatore, & conuersio ad bonum commutabile, & deordinatio voluntatis contra dictamen rationis, merito pœna variabitur propter ista. Vnde propter auersionem erit carentia visionis diuinæ, sed propter conuersionem erit pœna materialis incendii, propter deordinationem autem rationis & voluntatis erit pœna vniuersalis: quæ consistit in afflictione varia, acerba & æterna.

Ignis autem infernalis non omnes æqualiter cruciabit, sed ab eodem igne alii plus, alii minus torquebuntur, secundum quod plus aut minus peccauerunt, sicut ab eodem igne aliter vritur palea, & aliter lignum.

Quamuis autem ignis ille sit corporeus, nec possit agere in spiritũ, ipsum calefaciendo: agit tamen in ipsum, vt instrumentum diuinæ iustitiæ, ipsum lædendo: & ille dolor est maximus, tum propter potentiam diuinæ manus ipsum ignem mouentis, tum propter sensibilitatem patientis, tum propter immediationem coniunctionis.

Luc. 16.f

Infernus est locus tenebrosus, cum sit locus iustitiæ. Lumen autem cum sit delectabile, tamen ingerit tristitiam per accidens, scilicet inquantum ostendit aliquid triste. Vnde in inferno est aliquid obscuri luminis, quo damnati videre possint vnde doleant, & non vnde lætentur.

Reprobi vident vsque ad diem iudicii gloriam beatorum in vniuersali, non in particulari: quia vident eos in magna gloria, sed non in quali. De huiusmodi autem visione non lætantur, sed tristantur, tum propter inuidiam alienæ felicitatis, tum propter carentiam propriæ beatitudinis. Post iudicium vero ad proprias pœnas ita deflectetur eorum consideratio, quod de Sanctorum gloria non cogitabunt.

Luc. 16.f

In damnatis erit fletus spiritualis, scilicet dolor interior, & non fletus corporalis, qui est cum resolutione lacrymarum, quia cessante cœli motu, nulla iam erit generatio vel corruptio. Vermis autem, quem Dominus in Isaia comminatur, nequaquam materialis est: quia nullum animal præter hominem remanebit. Erit autem ibi vermis conscientiæ, rodens animam, & non corpus. In summo loco sola est lætitia. In loco infimo sola est tristitia. In medio, hoc est, in mundo, hæc sunt modo permixta.

Matt. 13.c

Isa. vlt. g

Post diem iudicii tria tantummodo loca erunt habitata, scilicet cælum, infernus, & limbus. Quot sint loca pœnarum require in libro quarto, De descensu Christi ad inferos.

Octo genera pœnarum in legibus esse scripsit Tullius, scilicet damnum, mortem, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Hæc omnia possunt pœnis infernalibus adaptari. Primum patet, quia damnati amiserunt Deum, & omnia bona tam gratiæ, quam gloriæ, non solum in re, sed etiam in spe. Non remanebit testa, vt hauriatur parum aquæ de fouea, scilicet diuinæ misericordiæ, aut deportetur igniculus de incendio, scilicet charitatis: quia secundum Hieremiam, transiit æstas, consummata est messis. De secundo: Ligatis manibus & pedibus &c. De tertio: Mallei percutientes impiorum corporibus. Istud autem non intelligitur de malleis materialibus, sed de diuersitate pœnarum, quibus impii malleantur. De quarto: Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, &c. De quinto: Facies combu-

Isa. 30. c

Hier. 8.g

Prou. 19.d

Apoc. 18.b

Isa. 13. b

stæ vultus eorum. Immo tam ignominiosum erit corpus peccatoris, quod anima resumens ipsum stupebit, quando tam terribile illud videbit, & vellet habere tale sicut fuit, quando dimidium comestum fuit à vermibus. De sexto: Proicite eum in tenebras, &c. De septimo, Gregorius: Ibi mors semper viuit: & hæc, sicut dicitur in Apocalypsi, erit mors secunda. De octauo: Princeps prouinciarum facta est sub tributo.

Mat. 22. b *Apoc. 20. b* *Thren. 1. a*

Nota, quod damnati sub tributo pœnarum semper seruient, & tamen numquam persoluent. Ex prædictis collige, quod erit ibi calor ignis, stridor rigoris, tenebræ, fumus, lacrymæ, mœrores, aspectus dæmonum, clamor improperii, ariditas, sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, inuidia, rancor, carentia visionis diuinæ, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse quod omnis creatura appetit, erit eis pœna, quia quærent mortem naturalem, & non inuenient. Ibi erit, sicut ait Dionysius, proterua phantasia, demens concupiscentia, & furor irascibilis.

Apoc. 9. b

CAPVT XXIII.

De gloria Sanctorum.

VNVMQVODQVE tanto perfectius est, quanto magis coniungitur essendi principio. Homo autem qui perfectum esse expectat, duplicem habet finem vltimum, vnum extrinsecum, qui est beatitudo creata, quæ nos in patria beatificabit formaliter; alium habet finem intrinsecum, qui est beatitudo increata, quæ nos beatificabit effectiue, scilicet ipsum Deum: Prima, scilicet beatitudo creata, est tamquam finis quo. Secunda vero, scilicet increata tamquam finis, in quo quiescitur.

Alio modo iudicabant Philosophi de beatitudine: sed male. Dicebant enim Stoici beatitudinem in virtute animi consistere. Peripatetici vero in cognitione veritatis, Epicurei autem in voluptate. Nos autem dicimus duplicem esse beatitudinē, sicut dictum est. Deus enim remunerat suos secundum merita. Apostolus: Vnusquisque propriam mercedem accipiet, &c. Propter merita: Gratiam pro gratia. Ite & vos in vineam meam, &c. Supra merita, vnde illud: Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, &c.

1. Cor. 3. c *Ioan. 1. b* *Mat. 20. a* *Luc. 6. f*

CAPVT XXIV.

De dotibus in communi.

DOs in patria est illud, quod immediate animam Deo cōiungit: vt est visio, dilectio, & comprehensio. Sunt enim dona quædam patriæ, sicut est sapientia, & intellectus, quæ licet Deo animam coniungant, non tamen sine habitu medio: & propter hoc non dicuntur dotes, sed animæ præmiationes. Dotes enim non appellantur dona quælibet, quæ dantur animæ in introductione sui in gloriam, sed dona præcipua, per quæ ad actum vitæ gloriosæ disponitur: sicut in præsenti non appellatur proprie dos quodcumque donum datum sponsæ in sua traductione, sed donum præcipuum, de quo sustentari debeat.

Dotes sunt duplices. Quædam enim sunt à parte animæ, quibus Deo, tamquam principio vitæ suæ, sine habitu medio coniungitur: & per quas introducitur in amplexus sponsi sui indissolubiles, & fruitionem eiusdem. Quædā vero dotes sunt ex parte corporis, quibus ipsum corpus subiicitur animæ suæ, tamquam principio vitæ suæ, ne per ipsum anima ab actu gloriæ retardetur.

Notandum autem quod dotes animæ sunt de præmio substantiali, dotes autem corporis de præmio accidentali. Christus dotes non habet, quia sponsus est, sed anima sponsa: & est dos possessio sponsæ, quæ vsum eius habebit post mortem viri. Similiter nec Angeli dicuntur habere dotes, quia cum in nuptiis sit consensus animorum, & vnio corporum, secundum non est in Angelis, licet primum habeant. Vnde Angeli non possunt dici sponsæ, vt homo: ergo nec dotes proprie habebunt.

Ioan. 3. d

Sponsis carnalibus dantur tria, scilicet dos, donatio propter nuptias, & parapherna. Dos autem est, donatio facta sponsæ ex parte patris, & hoc ad vsum sponsi propter onera matrimonii, sed ad possessionem sponsæ. In diuinis autem Deus Pater dat sponsæ dotem ad possidēdum sed sponso Christo ad gloriam & honorem, & non ad vsum: quia bonorum nostrorum non eget. Donatio autem propter nuptias est, quæ à sponso datur sponsæ, & hoc erit in futuro, gaudium quod habebit anima in visione Christi hominis. Parapherna sunt, quod habet sponsa præter dotem, sicut sunt munera, quæ ei dantur ab amicis, & huiusmodi. Istud erit in patria per gaudiū, quod habebit anima de societate beatorum, & de congratulatione felicitatis eorum.

Psal. 15. a

CAPVT XXV.

De dotibus animæ in generali.

DOTES animæ sunt tres, scilicet cognitio, dilectio, & inhæsio, siue tentio, quæ à quibusdam, appellatur comprehensio, à quibusdam vero fruitio. Harum dotium numerus multipliciter accipitur: primo ex parte virtutum Theologicarum, quia cognitio succedit fidei, dilectio vero charitati, comprehensio autem spei. Accipitur alio modo ex parte potentiarum animæ. Cognitio autem potest appropriari intelligentiæ, dilectio voluntati, cōprehensio memoriæ. Appropriantur etiam à quibusdam aliis tribus potentiis, scilicet rationali, concupiscibili, & irascibili. Sensitiua non possunt intelligi, quia Deus non est obiectum potentiæ sensitiuæ, sed intellectiuæ. Possunt etiam prædictæ dotes accipi secundum tria, quæ tribus personis appropriantur: ita vt comprehensio respiciat Patris potentiam, cognitio Filii sapientiam, & dilectio bonitatem Spiritus sancti. Circa istas dotes nota, quod cognitio rei visæ in se ponit præsentiā, comprehensio ponit rei contingentiam, dilectio ponit amantis ad rem amatam colligantiam.

CAPVT XXVI.

De dotibus animæ in speciali.

PRIMA dos animæ est cognitio, qua diuina essentia videbitur tota ab omnibus, sed non totaliter prout est infinita. Videbitur tamen diuina essentia limpidius ab vno, quàm ab alio: & iste defectus erit ex parte videntis, non visi: quia idem erit visum. Beatitudo autem consistit in perfecta operatione potentiæ altissimæ, scilicet intellectiuæ, & circa obiectum altissimū, scilicet Deum. Ex parte igitur obiecti, cum sit vnum simplicissimum, nulla potest esse diuersitas, sed ex parte potentiæ. Nam inquantum vna potētia magis erit perfecta lumine gloriæ, quàm altera, tanto perfectius operabitur circa vnum & idem subiectum, siue obiectum, sicut idem Sol diuersimode à diuersis aspicitur, vel eadem litera à diuersis legentibus, secundum quod oculus est magis, vel minus dispositus.

Tribus modis cognoscitur aliquid secundum quod est, vel sicut est. Primo modo cognoscitur Deus in via etiam à malis. Secundo modo videbitur in patria à bonis. Vnde Ioannes: Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, id est, suam maiestatem, claritatem, & bonitatem. Tertio modo nec à bonis videbitur, nec à malis, nec in via, nec in patria: quia finitum numquam capiet infinitum. Videbimus tamen Deum in se, & Deum in nobis, & nos in Deo: & Deum in creaturis, & creaturas in Deo.

1. Ioan. 3. a

Cognoscere autem Deum in sua essentia, est visio meridiana: cognoscere vero creaturas in verbo, est visio matutina: sed cognoscere creaturas in se, hoc est, in proprio genere, appellatur visio vespertina. Videbit enim vnusquisque cogitationes alterius, prout vult ipse cogitans manifestare. Vnde Gregorius: Vniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. Videbunt itaque iusti Deum, vt gaudeant: videbunt gloriam Sanctorum, vt congaudeant: videbunt quoque pœnas reproborum, vt de euasione periculorum gratias agant.

Ad sciendum autem qualiter Deus sine medio videatur, nota quod triplex est medium, scilicet differens, obnubilans, & disponens. Sine medio igitur differente videbitur Deus: quia Dei visio non est per distantiam, sed per præsentiam, cum ipse sit essentialiter vbique. Videbitur etiam sine medio obnubilante: quia tolletur speculum, & ænigma, quæ ambo sunt in via. Cum enim visus noster in præsenti non possit propter debilitatem in excellentem lucem figi, necesse est habere medium, scilicet speculum creaturæ. Quia vero infinita est distantia inter speculum, & rem visam: propter hoc obscure relucet ibi similitudo: vnde videmus in ænigmate, id est, obscure. Videbitur quoque sine medio similari: quia Deus cognoscetur in seipso, & non per aliquam abstractam similitudinem, alias creatura esset terminus, & Deus non esset vere finis omnium. Non autem videbitur Deus sine medio disponente, quod est gratia, & gloria. Oportet enim proportionem esse inter videntem & visum: hæc autem dispositio erit ex parte videntis, & non rei visæ.

2. Cor. 13. d

Sciendum autem quod multiplex est medium. Primum est medium peccati. Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum: istud est medium impiorum. Secundum est medium creaturæ. Apostolus: Inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, &c. hoc est medium Philosophorum. Tertium est medium figuræ. Apostolus: Omnia in figura contingebant illis, hoc est medium Prophetarum & Patriarcharum. Quartum est medium scripturæ: Declarationem sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis, hoc est medium Theologorum. Quintum est medium fidei: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi, &c. hoc est medium fidelium, quo tamquam in ænigmate vident DEVM.

Isa. 59. a
Rom. 1. c
1. Cor. 10. c
Psal. 118. r
Apoc. 2. c

Secunda dos animæ est dilectio, sed inter dilectionē & virtutem differentia est duplex: vna est secundum habitum: quia virtus est proprie illud, quod transit de statu gratiæ ad statum gloriæ. Dos autem est id, quod supra meritum datur in inductione sponsæ. Alia est differentia, vt penes obiectum, quia licet obiectum vtrobique erit Deus, non tamen secundum quod Deus, sed erit obiectum virtutis inquantū est summa bonitas: obiectum autem dotis inquantum vnibilis in vnum spiritum.

Nota quod fides & spes secundum rem euacuabuntur in patria: charitas vero neque secundum rem, neque secundum actum eius euacuabitur, sed solum secundum modum, quia imperfectio eius tolletur. Dicit autem Augustinus, quod fidei succedit spes, quam videbimus: spei vero succedit beatitudo, ad quam peruenturi sumus, sed charitati nihil succedet, sed potius augebitur.

1. Cor. 13. c

Tertia dos animæ est comprehensio, quæ est tentio visi & amati, vel tentio veri boni & præmii: & istud verum est, prout comprehendere sumitur pro attingere, & non pro circumplecti diuinam immensitatem.

CAPVT XXVII.

De dotibus corporis in generali.

VNAQVÆQVE pars perfectius habet esse in suo toto, quàm in se. Vnde sicut anima nunc à corpore corruptibili separata perfectius habet esse, quàm ei coniuncta, sic in futuro reconiuncta corpori incorruptibili perfectius esse habebit, quàm modo separata: maxime cum non impediatur tunc à corpore, sicut modo: quin potius de glorificatione corporis habebit tunc gaudium speciale.

Dotes corporis sunt quattuor, quarum numerus sic habetur. Nam ad hoc quod corpus perfecte subiectum sit animæ, nec impediat eam in operibus gloriæ, quatuor requiruntur: quorum duo pertinent ad sensum: alia duo pertinent ad motum. Quo ad sensum duo requiruntur. Vnum, vt sit facile receptibile specierum sensibilium, ad quod disponit claritas. Alterum, vt non sit receptibile passionum ignobilium, ad quod disponit impassibilitas. Quo ad motum etiam duo requiruntur. Vnum est, vt per contrariam inclinationem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas. Aliud, vt corpora per quæ mouetur, non resistant ei, ad quod disponit subtilitas.

Alia sufficientia talis est, quia in homine quadruplex est compositio. Prima est qualitatum contrariarum: hæc compositio tunc erit perfecta, quando qualitates ita æquabuntur, vt nulla sit pugna vnius contra aliam: & hoc faciet impassibilitas. Secunda est compositio materiæ cum forma, hæc autem compositio tunc erit perfecta, quando materia vincetur à forma: penes hanc perfectionem sumitur subtilitas. Tertia est compositio corporis organici cum anima: perfectio istius compositionis est, quod omnia organa sine impedimento sint mobilia ab anima: penes hanc perfectionē sumitur agilitas. Quarta compositio est corporis cum spiritibus lucidis, quibus mouetur corpus ab anima: & huic compositioni secundum perfectum statum respondet claritas.

Tertio sumitur prędictarum dotium numerus secundum proprietates, quæ sunt in elementis. Nam penes aquæ transparentiam sumitur claritas, penes terræ soliditatem sumitur impassibilitas: penes tenuitatem ignis sumitur subtilitas: penes mobilitatem aeris sumitur agilitas.

Quarto sumuntur istæ dotes secundum quatuor defectus, quos habet corpus humanum à quatuor elementis, de quibus componitur. Habet enim corpus humanum ab igne caliditatem, & inde nigredinem: à terra grossitiem: ab aere passibilitatem: ab aqua frigiditatem, & inde tarditatem. Sed tolluntur per quatuor dotes corporis.

CHRISTVS assumpsit quatuor dotes ante passionem suam, sicut dicit Hugo de sancto Victore. Claritatem in transfiguratione: Agilitatem, quando ambulauit supra mare: Subtilitatem in natiuitate, quia salua virginali integritate matris natus fuit. Impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis suis manducandum dedit.

Matt. 17. a
Mar. 6. g
Luc. 22.

CAPVT XXVIII.

De dotibus corporis in speciali.

PRIMA dos corporis est claritas. Sed nota quod aliquid dicitur clarum dupliciter, aut quia peruium, sicut dicitur vitrum clarum: aut quia lucidum, sicut dicitur stella clara. Corpus autem glorificatum erit & peruium & lucidum: vnde vtroque modo erunt corpora clara. Duo enim sunt, quæ nunc causant obscuritatem in humano corpore: Vnum est materiæ impuritas: alterum luminis paucitas. Tunc vero tolletur vtrumque, scilicet illa impura densitas, & obscuritas, quæ ex modicitate luminis est: & ideo erunt corpora clarissima.

Nota quod corpora glorificata, septies tunc erunt clariora, quàm Sol sit modo, sicut Dominus ait: Quia iusti fulgebunt sicut Sol. Sed teste Isaia: Erit lux Lunæ, sicut lux Solis: & lux Solis septempliciter sicut lux septem dierum.

Matt. 13. c
Isa. 30. f

Sciendum quoque quod corpora Sanctorum non erunt ęqualiter clara, quia melior anima habebit corpus lucidius. Vnde licet corpus Christi supra modum excedat claritatem aliorum, tamen in comparatione Sanctorum, potest claritas eius assimilari claritati Solis, secundum illud Malachiæ: Vobis timentibus nomen meū orietur Sol iustitiæ, id est, Christus. Claritas Sanctorum potest respectu CHRISTI comparari claritati stellarum. Vnde Apostolus: Stella differt à stella in claritate, hoc est, quod Sancti plus vel minus lucent, secundum differentiam meritorum. Claritas vero puerorum, qui post Baptismum moriuntur, antequam veniant ad annos discretionis, comparari potest lumini Lunæ: quia sicut Luna non habet lumen à se, sed à Sole, ita isti non habent gloriam ex merito proprio, sed ex merito Christi. Baptismus enim ex passione Christi habet efficaciam. Secunda dos corporis est impassibilitas, quæ resultat ex virtute animæ corpus suum potenter continentis, ita vt à nullo exteriore agente valeat immutari.

Mala. 4. a
1. Cor. 15. e

Præterea quamuis corpora Sanctorum sint compo-

sita ex contrariis, illa tamen contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem, & concordiam redacta.

Dixerunt quidam, quod impassibilitas sanctorum corporum resultabit ex natura quinti corporis, id est, quintæ essentiæ. Sed hoc non est verum, quia nihil de quinto corpore venit in compositionem materialem corporum inferiorum.

Differentia est inter impassibilitatem Sanctorum, & Adæ in statu innocentiæ, & puerorum, quia impassibilitas Sanctorum erit non posse pati. Impassibilitas Adæ fuit posse non pati. Impassibilitas puerorum in limbo erit nihil pati: & hoc non est potentia resistendi læsionis extrinsecæ, quam non habebunt, sed ex ordinatione diuinæ misericordiæ, quæ non permittit aliquid eis adhiberi per quod possint lædi.

B Ex quo patet, quod si tales pueri ponerentur ad ignẽ post resurrectionem, læderentur ab eo, nisi obstaret diuina misericordia. Secus est de corporibus glorificatis, quæ etiam si ponerentur in inferno, non sentirent aliquam læsionem.

Subtilitas est tertia dos, quæ aufert grossitiem corporis causatam ex materialitate elementi, & compositione elementalium qualitatum. Nota ergo, quod duplex est subtilitas: Vna ex raritate partium stantium non propinque, sed ex tali subtilitate efficitur corpus facile diuisibile, & ea non erit in corporibus glorificatis. Alia est ex perfecta victoria formæ super materiam: & huiusmodi subtilitas est vnitæ substantiæ, sicut dicitur cœlum subtile: & hoc modo erunt corpora sanctorum subtilia.

C Et est sciendum, quod sicut duo corpora non glorificata non possunt esse simul in eodem loco, sic nec duo glorificata. Alioquin sequeretur inconueniens, scilicet quod in vnoquoque corpore glorificato esset potentia agendi ac intrandi partes alterius corporis: in alio vero esset impotentia resistendi. Corpus vero glorificatum potest esse simul in eodẽ loco cum corpore non glorioso. Nam sicut in corporibus non gloriosis ipsa grossities impedit, ne duo corpora possint esse in eodem loco, quia vnum alteri resistit: ita grossities ista per gloriæ subtilitatem tolletur: adeo quod corpus non gloriosum non possit resistere glorioso, ita quod corpora gloriosa penetrabunt alia corpora, non ea diuidendo, sed subintrando, manente distinctione dimensionum vtriusque corporis.

D Quarta dos corporis est agilitas, quæ tanta erit, sicut dicit Augustinus, quod protinus vbi volet spiritus, ibi erit & corpus. Verumtamen sicut melior anima habebit corpus lucidius, & ita & agilius: ita tamen quod voluntas Sanctorum erit omnino coniuncta rationi. Vnde voluntas eorum numquam appetet, quod non debet. Sed enim voluntas animæ melioris volet rationabiliter citius moueri corpus suum, quàm alterius: & spiritus minoris gloriæ non volet corpus suum tam cito moueri, sicut alterius. Vnde patet quod in omnibus verificabitur dictum Augustini, quod vbi volet spiritus, protinus erit & corpus. Quare corpora modo sunt tarda, & tunc agilia, hæc est ratio, quia tunc in corpore duplex est motor, scilicet natura elementi prædominans, quæ mouet ad medium locum, & voluntas animæ, quæ mouet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda sunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, quia terra prædominans naturaliter deorsum trahit. In futuro autẽ natura erit totaliter subiecta voluntati, vnde & tunc corpus mouebitur ad imperium spiritus.

Aug. li. 22. de ciuit. c. 30 tom. 5.

CAPVT XIX.

De aureolis in genere.

AVREOLA est mentis speciale gaudium, veniens ex opere præcellenti & priuilegiato. Sciendum autẽ quod sicut ex gaudio præmii essentialis, quod est aurea, redundat in corpore quidam decor, qui est gloria corporis: ita & ex aureolæ gaudio resultat aliquid speciale in corpore, vt sic aureola non tantum principaliter sit in mente, sed per quandam redundantiam fulgeat etiam in carne.

Sciendum autem quod decor cicatricum, qui in martyrum corporibus apparebit, non potest dici aureola: quia martyres aliqui cicatrices non habebunt, vtpote qui submersi sunt, vel famis inedia, vel squalore carceris interempti: & tamen isti aureolam habebunt.

Tribus generibus hominum debetur aureola: quod patet multiplici ratione. Primo ex operibus excellentissimis trium animæ potentiarum. Excellentissimum autem opus concupiscibilis, est obseruatio castitatis virginalis. Excellentissimum vero opus rationalis, est prædicatio veritatis. Excellentissimum opus irascibilis, est perpessio mortis. Vnde patet quod virginibus, prædicatoribus, & martyribus debetur aureola.

Secundo patet horum numerus & sufficientia ex hostibus, quos per pugnas magnificas vincimus, qui sunt mundus, caro, dæmonia. Martyres enim vincunt mundum: Virgines carnem: Prædicatores diabolum: quem non solum de se, sed etiam de cordibus aliorũ expellunt.

Tertio, patet id per victoriam triplicium passionum. Sunt enim passiones innatæ, illatæ, & in cordibus alienis inflictæ. Sed passiones innatas superant virgines: illatas martyres: illas autem quæ sunt in cordibus alienis, prædicatores.

Quarto, distinguuntur aureolæ secundum ea quibus Christo nobilissime conformamur. Christus enim fuit doctor, veritatẽ mundo manifestando: Martyr, à mundo passionem & mortem sustinendo. Virgo, puritatem seruando.

Quinto, sumuntur aureolæ secundum præfigurationem in Veteri Testamento. Tria namque habebant aureolas, vt legitur: scilicet altare incensi, arca fœderis, & mensa propositionis. Prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare passionis immolauerunt. Secunda significat aureolam virginum, quia sicut arca fœderis fuit intus & extra auro decorata: ita virginitas mentem & corpus decorat & ornat. Tertia significat aureolam prædicatorum, qui sunt in mensa propositionis ministrantes panes prædicationis & doctrinæ.

Exo. 25. & Exo. 37. d

Aureola diminutiue dicitur, & hoc in comparatione ad auream. Vnde nota, quod inter auream, & aureolam, & palmam est differentia. Aurea enim præmium est substantiale, quod metaphorice dicitur corona, tum ex parte meriti, quia non respondet generi operis, sed radici charitatis, tum ex parte præmii: quia per hoc efficitur homo particeps diuinitatis: & per consequens regiæ potestatis: tum etiam ratione perfectionis, quod significat figura circularis. Aureola vero est prẽmium accidentale, non tamen quodlibet accidentale, sed illud quod respondet operi excellenti, & priuilegiato, scilicet virginitati, martyrio, & prædicationi. Palma est præmium accidentale, quod nec radici, nec operi debetur, sed voluntati. Tale prẽmium habuit S. Martinus, eo quod martyrium desiderauit, licet opus non fuerit subsecutum: vnde de ipso cantatur, Quam, scilicet animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit. Hæc autem palma, nec aurea, nec aureola debet dici.

CAPVT XXX.

De aureolis in specie.

E AVREOLA prima debetur martyribus, in quibus est perfectissima victoria de impugnatione exteriori: & hæc perfectio victoriæ consideratur ex duobus. Primo, ex magnitudine passionis: quia inter omnes passiones illatas exterius, mors supremum tenet locum. Et præterea dolor tactus omnibus aliis doloribus præeminet: & ideo in hoc gloriosior victoria est. Secundo, consideratur ex causa pugnæ, quæ ipse Christus est. Martyrem enim non facit pœna, sed causa, id est, mors propter Christum suscepta.

Sciendum autem quod martyrio non debetur præmium, secundum quod ab exteriori, sed secũdum quod voluntarie pro Christi nomine sustinetur: quia non meremur nisi per ea, quæ sunt intra nos, nõ per ea, quæ sunt extra nos, sicut nec demeremur nisi per ea quæ sunt intra nos. Quanto autem id quod quis voluntarie sustinet, difficilius est voluntati sustinere, tanto voluntas, quæ propter Christum id sustinet, ostẽditur firmius in Christo fixa: & ideo excellentius ei præmium debetur.

Aureola secunda debetur virginibus, propter singularem victoriam, quam de carne obtinent, contra quam quotidie bellum geritur. Quamuis autem & viduæ pugnent contra carnem, perfectius tamen virgines triumphant, quia nobilissimum genus victoriæ est numquam hosti cessisse. Illis autem virginibus tantummodo debetur aureola, qui vel quæ habuerunt propositum seruandi virginitatem, quamuis hoc propositum sit interruptum, integritate tamen carnis manente: dummodo in fine vitæ inueniantur ad primum propositum rediisse: quia virginitas mentis reparari potest, sed non virginitas corporis, siue carnis. Si aliqua sit carne virgo, etiamsi propositum nõ habuit perpetuo seruandi virginitatem, non est tamen dubium quin habitura sit speciale gaudium de incorruptione carnis, & superessentiale gaudium; sicut etiam innocentes de hoc gaudebunt, quod immunes à peccato fuerunt: quamuis peccati opportunitatem non habuerunt.

Nota quod aliqua potest corrumpi carne, nec tamen aureolam amittit: sicut illa, quæ violenter opprimitur. Vnde S. Lucia dixit: Si inuitam me corrumpas, merces mihi duplicabitur ad coronam, quod nõ est intelligendum de aureola duplicata, sed quia duplex præmium reportabit: vnum pro integritate seruata: aliud pro iniuria, quam passa est.

Insuper sciendum est, quod virginibus debetur fructus centesimus: & hoc quia cœlestem vitam ducunt, quæ significatur per centum: quia numerus ille de læua transit ad dexteram. Viduis debetur fructus sexagesimus, quia tales exercere se debent in operibus misericordiæ, quæ significantur per sexaginta. Coniugatis autem debetur fructus tricesimus, quia talibus sufficit implere decalogum in fide Trinitatis. Ex ductu enim ternarii in denarium fiunt triginta. *Matt. 13. b*

Aureola tertia est pugnantium seu prædicatorum, quia perfectissima victoria contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam ipsum de regno eius expellit: & non solum à se, sed etiam ab aliis. Nec est dicendum, vt quidam voluerunt, quod hæc aureola debeatur tantummodo illis, quibus competit prędicare ex officio, & docere, sed quibuscumque exercentibus licite actum istum. Prælatis autem non debetur hæc aureola, quamuis habeant officium prædicandi, nisi & actu prædicent: quia aureola nõ debetur habitui, sed actui pugnæ, secundum illud Apostoli: Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Prædicare & docere, cum sint actus misericordiæ, inter spirituales eleemosynas computantur. *Dan. 12. b* *2. Tim. 2. a*

CAPVT XXXI.

Enumeratio cœlestium gaudiorum.

VLTIMO cœlorum gaudia sub epilogo enumeremus, non quidem singula generum, sed genera singulorum. Tot enim sunt gaudia particularia, quæ quilibet habet in se vel in aliis, quot ea solius Dei notitia comprehendit, & illi quos summa sapientia voluerit ea scire. Tantum gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio: quod tamen non est intelligendum de intensione gaudii, sed de numero gaudiorum. Tot igitur, & tanta sunt ibi gaudia, quot omnes Arithmetici huius mundi non possent ea numerare, nec Geometrici mensurare, nec Grammatici, Dialectici, Rhetorici, aut Theologi explicare: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor, &c. Gaudebunt sancti supra se de Dei visione, infra se de cœli & aliarum creaturarum corporalium pulchritudine, intra se de corporis glorificatione: extra se de Angelorum & hominum associatione. Deus enim omnes sensus spirituales ineffabili delectatione reficiet, cum ipse sit obiectum omnium sensuũ spiritualium futurus. Erit namque Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos tactui. Ibi erit candor lucis æstualis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hyemalis. Ibi, teste Augustino, fulget quod non capit locus, sonat quod non capit tempus, olet quod non spargit flatus, sapit quod non minuit edacitas, non erit quod diuellat satietas. Ibi, sicut ait Augustinus: Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Ibi videbitur stultitia, sapientia Salomonis. Ibi erit deformitas, pulchritudo Absalonis. Ibi erit tarditas, velocitas Asaelis. Ibi iudicabitur infirmitas, fortitudo Samsonis. Ibi erit mortalitas, longa vita Mathusalem. Ibi erit paupertas regnum Augusti. Ibi, secundum Augustinum, nihil obest, nihil deest, nihil affluit, nihil est extra, quod appetatur, nihil intra, quod fastidiatur. Ibi, secundum Bernardum: Deus erit rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Item Augustinus de corporis & animæ misera vita: O caro, illam vitam amplecti debuisti, vbi vita sine morte, vbi iuuentus sine senectute, vbi lux sine tenebris, vbi gaudium sine tristitia, vbi pax sine discordia, vbi voluntas sine iniuria, vbi regnum sine mutatione. Bernardus: Merces sanctorum tam magna est, quod non potest mensurari: tam multa, quod non potest numerari: tam copiosa, quod nõ potest finiri: tam pretiosa, quod nõ potest æstimari. Item Augustinus: Illud quod promittit Deus, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transcendit, acquiri potest. Ibi, secundum Augustinum: Carmina non desunt, præmia non deficiunt: ibi nihil quod amabitur, deerit: ibi nihil desiderabitur, quod non adsit. Illa beatitudo, sicut ait Augustinus, in duobus consistit, scilicet, in necessaria præsentia omnis boni, & in necessaria absentia omnis mali. Item Augustinus: O vita vitalis, dulcis & amabilis, & semper memorabilis: vbi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, vbi æterna beatitudo, vbi beata certitudo, vbi certa visio, & sine fine laudatio. Ibi affluentia diuitiarum, influentia delitiarum, & confluentia bonorum.

Isa. 64. b *1. Cor. 2. b* *Aug. de ciuit. lib. 22. c. 30.* *3. Reg. 3. d & 4. d* *2. Reg. 14. f* *2. Reg. 2. d* *Iud. 14. b* *Gen. 5. d* *Ber. ser. 11. in Cantic. post med.* *August. in manuali c. 7. tom. 9.*

Denique de gaudiis cœlestibus nota hos versus:

Mens cognoscendo datur amando fruendo
Est subtile, citum, clarum corpus, patiens nil.
Corpora Sanctorum cita, libera, fortia, sana.
Pulchra, voluptatis plena, sed absque pati pœna.
Sensus, amicitia, concordia plena potestas.
Pax secura, decus, & gaudia sunt animabus
Gaudia, pax, requies, libera, ac secura, iuuentus
Non peccat sapiens, sanus, duris, redolens laus.
Aureolam Martyr, Doctor, Virgoque meretur.
Fructus centenus, sexagenusque tricenus
Virginibus, viduis, & coniugibus tribuetur.

Ex omnibus prædictis collige, spectare quoddam gaudium solum ad animam, quoddam ad corpus, quoddam ad totum coniunctum, quæ cum felici fine quisque beatus secundum merita recipiet sine fine.

AMEN.

Finis Compendii Theologicæ veritatis.

ACTA CANONIZATIONIS S. BONAVENTVRÆ,

Oratio,

IN VITAM ET MERITA S. BONAVENTVRÆ, per insignem iuris vtriusque Doctorem disertissimum, Octauianum de Martinis Suessanum, sacri palatii Apostolici clarum Aduocatum Consistorialem.

IVSTITIA suffragiorum, B. P. ad quæ porrigenda desiderabar, herentem me concitauit, ad indicti mihi muneris prouinciam remota cunctatione capessendam. Neque enim me alioquin fallebat, quàm arduum quamve anceps munus obirem, postulare ex merito, secundum Rom. sed. decretum referri ordinem siue catalogum cœlestium, qui cum Christo regnant, Sanctorum. Idque in hoc tremendo auditorio, sub aspectu sacri Reuerendissimorum Patrum Senatus, ac sapientum Prælatorum & virorum, quibus tua sanctitas cœlesti superum dono, in sua maiestate sapientissime præsidet, vbi non ego modo, qui in actione causarum forensium nostri sæculi stilo versor, verum & alium quemlibet exercitatum, ac denique consummatum oratorem expauere quidem posse credendum sit. Nam per immortalem DEVM, quis tam sapiens, aut disertus quidquam adeo elimatum, aut studiosa lucubratione excogitatum hic proferat, quo maiestatem loci dicendo vel mediocriter æquare possit? Quid porro tanto studio adinuentum, quod præuisum, ac tritum non fuerit apud tantæ sapientiæ patres, ac te ante alios Sanctissime Princeps, qui cum ex multis iam annis diuinarum atque humanarum rerum, ac omnis denique Philosophiæ scientiam plenissime edidiceris, velut splendidissimum sidus in firmamento, in Dei Ecclesia cæteros illustrasti? Quæ quidem reuoluenti non leuem animo timorem incussisse poterant, atque ab hac actione, qua nulla illustrior, penitus dehortari, nisi iustitia meritorum, vt præmiseram, sancti Bonauenturæ, pro quo intercedimus, animum erexisset, atque confirmasset.

Accedebat præterea, quod Princeps non prophanus pro religioso, aut indoctus pro litterato rogandus erat, sed tu profecto Pater beatissime, qui diuinis obsequiis in beati Francisci religione, ex matris vtero cœlitus destinatus, in eadem omnipotenti Deo religiosius seruiuisti, ac demum ad eius principatum singularibus tuis meritis vectus, illam sapienter ac salubriter gubernasti, auxisti atque ampliasti, quive cum diuinorum ministeriorum scientiam per traditiones Patrum fueris nactus: tum vero ex operibus eiusdem sancti Bonauenturæ, quæ diuino spirante lumine edidit, conditoris diligentiam certissime comparasti. Ita te namque par erat, qui conditoris vices gesturus in terris, in illius mandatis commissum gregem oporteret erudire, neque enim illius fauste quis vices gerit, quem non penitus nouit, neque illius porro mandata recte alios edocet, quæ non prius luculenter edidicit. Quare cum pro diuina sapientiæ Patre, ordinis Minorum generali ministro Episcopo Cardinali Albanensi intercessurus essem, apud te beatissime Pater, qui iisdem meritis clarus, eisdem ve officiis gloriose perfunctus eras, & proinde ad hoc opus tibi in hos vsque dies diuinitus seruatum electus, nequaquam mihi verendum fuit, ne per insufficientiam tibi negligerer, qui etiam meritis fidelium Pastor imbecillitati nostræ clementissime compati didicisti. Iamque ego qui horrore quodam non sine titubatione occeperam, perspecto tamen quàm benigno vultu, ac clementi nutu audientiam indulgeas, erectus in spem meliorem, fidentiorem prosequor, tui sacri affectus oraculo, meis auribus illud propheticum insonare videtur: Dilata os tuum & ego implebo illud. Et rursus: Dabo tibi sermonem bene sonantem in os tuum, vt complaceas in ore principis, ac pium obsecro pari clementia velis fauere, dum diuino munimine adiutus, ac tuo benigno fauore firmatus proferam quæ ad ipsius creditoris Bonauenturæ, ac huius sanctæ sedis laudem perpetuam cedere possint. Exaraturo à tua sanctitate, Pater beatissime, Diui Bonauenturæ canonizationem ingens mihi studium fuit, sacrarum litterarum codices diligentius euoluere, ad dignoscendum quænam rei de qua agimus, conueniunt. Quibus quidem curiosius perspectis, quantum colligere potui duo potissimum inspicienda, ac merito inquirenda fuisse intelligo, vitam, scilicet & miracula, quæ si recitando monstrauerim, in hoc viro esse comperta, qualia ad canonizationem sufficiant, tua sanctitas, cuius arbitrio id subiicitur, benigne dignabitur votis supplicantium respondere. Et quoniam vitæ initium quod ex religione suscipio, miraculosum existit, nemo mihi vitio vertet, si vitam ante miracula relaturus, alterum cum altero recensendo permisceam. Nec rursus mirabitur, quod quemadmodum plerique, cuiuspiam memoriam commendaturi, non ego primordiis natalium, ac pueritiæ Diui Bonauenturæ insistam, aut eo altius à parentum ipsius dignitate exordiar. Prohibent namque crebra & clariora viri facinora, ab illo in statu perfectiori agitata.

Psal. 80. c

Nec tamen omittam, quod Bonauentura natione Thuscus patria Balneoreginus, Iohanne fidanza, & Ritella [illegible] ...bus coniugibus ortus, baptismatis vnda respersus, quæ ex Ioanne medicinæ magistro, & Felice Antonij, qui & ipsi ab illis maioribus originem trahunt, atque aliis testibus Balneoreginis probe comperta sunt. Cæterum prætermissa longiore serie præmissorum, vitæ inde exordium capiet, vbi relicto mortalitatis statu, mundo moritur, ac omnipotenti Deo meritis beatissimi Francisci, victimam se perpetuam dedicauit. Gloriosus Deus in Sanctis suis, quos sibi ab æterno prædestinauit electos, & secundum necessitatem temporis ad salutem humani generis producit in lucem, cum beatum Bonauenturam vas electionis sibi delegisset, ac suis obsequiis in Religione sancti Francisci destinasset, quo tamen illius conuersio, posset aliquando à Deo disponente perfecta intelligi, & in illo suæ maiestatis gloria reuelari, eumdem in extrema valetudine periclitari permisit. Cuius saluti anxia sollicitudine timens charissima parens, vbi Physicorum, quos adhibuit, diligentiam frustra experta est, & medelarum vires ad illum leuandum minus valere comperit, solius Dei opem quem sancta timebat, & cui castos pueri mores, quos probe vt mater nouerat, intelligebat acceptos, humiliter in salutem pueri inuocauit, ac sancti Francisci suffragia reuerenter implorans, illum si sanum recuperaret, ipsius religioni perpetuo deuouit. Exaudita est pro diuina clementia & sua reuerentia, & sanitate recuperata integer puer euasit, non sine admiratione Physicorum præsertim, qui eum statum corporis probe in illo deprehenderant, vt humana ope ægrum leuari posse penitus desperassent. Idem tam adolescens, ac porro ætate prouecta cum religioni maturum se, & illi ex parentis voto debitum intelligeret, memorque diuini mandati per Dauid Prophetam, humano generi prolati: Vouete & reddite Domino Deo vestro, anno suæ ætatis circiter secundo & vigesimo, habitum Religionis sancti Francisci deuotissime suscipit, in qua professionis emissione beneficium illius his verbis aperte testatus est: Voto enim pro me languēte grauissime ad S. Franciscum emisso à matre, cum adhuc essem puerulus, ab ipsis sum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis restitutus.

Psal. 75. b

quod

quod cum viua memoria teneam, vera nunc confessione profiteor, ne tantum beneficium reticens, sceleris arguar vt ingratus, orationemque ad illum piissime effundens, ait: Accipe igitur Pater beate, quascumque exiles meritisque tuis ac beneficiis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota culpas nostras sic orando excusa, vt à malis præsentibus eruas, & ad bona sempiterna perducas. Igitur vir sanctus in eadem vocatione progrediens, cum omnis ipsius vita in Dei certa cognitione ac contemplatione versaretur, ad quam assequendam, per sacrarum scripturarum assiduam perlectionem, orationes ac contemplationes intendens, docente illum Alexandro de Ales, sacra pagina magistro, tantam doctrinarum perfectionem breui adeptus est, vt septimo sui ingressus anno, consono magistrorum ordinis iudicio delectus, librum sententiarum in Parisiensi vniuersitate clarissime legerit, & cathedram magistralem receperit, admirabilis proinde cunctis, quod tam paruo spatio eam sufficientiam valuerit comparare. Sed admirentur sane, qui res humanas ex naturali tantum cursu, non autem ex diuina sapientia metiuntur, quæ duos discipulos litterarum prorsus ignaros, Emmaus oppidum contendentes breui itineris spatio comitata, diuinorum scientiam plenissime docuit. Idem diuus dona sancti Spiritus pro suis assiduis meritis consecutus, magna indies doctrinæ accrementa recipiebat, quæ magis diuinitus inspirata, quam humanitus acquisita videbantur. Cumque per tres annos sequentes cathedram magistralem rexisset, anno suæ ætatis secundo & trigesimo, inter primos Religione & doctrina in ordine habebatur. Namque illi tanquam infinitus thesaurus scientia erat, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei. Et quod notabilius & admirabilius erat in illo, quo magis scientia & auctoritate emerserat, eo magis humilitate mentis deprimebatur. Nec vt plerique litterarum scientia inflati, vilia ministeria domestica fastidiebat, sed qui vix nec nisi per obedientiam, ægre tamē, ab illorum executione coercebatur, reputantibus prælatis indignum, si à talibus non, vt egregius, sequestraretur, in quo sancti Spiritus gratia habitare perspicue cernebatur. Nec tamen vir sanctus vlla charitatis officia ob litterarias actiones prætermittebat, sed in omnes fratres oculos intendens, si quē forte tristem, aut professionis pœnitentem intelligeret, tanta dulcedine in sermone conueniebat, consolabatur, monebat, ac confirmabat, vt nullus ab eo discederet, quin libens cœptum Religionis iter prosequeretur. Infirmorum præterea cura, supra quam credibile sit, delectabatur, quoque grauioribus, aut contagiosis morbis grauarentur, eo magis se totum illorum obsequio applicabat. Quibus officiis cum maiorem diei partem absumeret, nō eo minor erat in publicis lectionibus & interpretationibus scripturarum, quæ tanta claritate audiētibus intelligenda reddebat, vt ipse auctor illarum merito videri posset. In capitulis vero aut Prouincialibus, aut Generalibus, tāta sapientia ipsius responsa dabantur, vt iam Generalis minister perspecta magnitudine consiliorū illius, nil omnino graue exequendum putaret, in quo sancti viri iudicium non antea explorasset. Quibus donis & gratiis illustratus, cum iam in Religione esset omni merito clarus, defuncto generali ministro tertiodecimo ipsius ingressus anno ex multis sanctis viris, quibus Religio in sua nouitate florebat, vnus omniū (sine contradictione) extitit subrogatus. Hic vir sanctus accingens se grauioribus actionibus, cum iam religiosi cœpissent à fundatoris disciplina paululū declinare, vbi monendo, instando, castigando, ac operosius laborando, ad meliorē vitæ frugem reduxisset: in capitulo generali, quod primum Narbonæ tenuit, regulam beati Frācisci reformauit atq; exposuit. ordinemq; in Prouincias, & Custodias taxauit, & duas addidit, vbi strenue decertans aduersus venenosas oppugnationes temeratorū, & obtrectatorū, qui in Religionem mendicantiū, ac sanctū virum imprudentius os soluerant, atq; artificiosis calumniis velitabantur, sola iustitia atq; innocentia tutus, permansit inuictus, tanquam qui integer vitæ scelerisque purus, nō eget Mauri iaculis, nec arcu, nec venenatis grauida sagittis Fusce Pharetra. Expertus fructū sanctorum monitorū magni Basilii diuini interpretis Homerici carminis, vbi Vlyssē pro meritis ad cælum tollit, asserens poetam clara voce testatum. O homines sit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago enatat, & eiectum in littore venerabiliorem ostendit. Vbi etiam libellum contra minores perniciosissimum à magistro Giraldo de Abbatis villa (vt putant) per Apologiā editum, non minus eloquenter quam subtiliter confutauit. Qui etiam Giradus non longe post iusto Dei damnatus iudicio, meritas sui sceleris pœnas dedit, paralyticus ac miseranda lepra respersus, quibus ærumnis vitam finiuit. Congregato vero capitulo generali Pisis, eo auctore institutum est, vt gloria tibi Domine qui natus est de Virgine, vsque ad Epiphaniam continuaretur, eodem modo quo infra octauam Natiuitatis Dominicæ cantatur, & alia rubrica in breuiario reformata, & alia addita. Idem etiam piissimus cultor gloriosæ Virginis matris IESV instituit, vt fratres populum hortarentur ad salutandum eamdem, signo campanæ quod post Completorium datur, quod creditum sit eamdem ea hora ab Angelo salutatam. Tunc translatum fuit venerabile corpus beati Antonii ad prægrandem Ecclesiam Paduanam, cuius lingua secundo & trigesimo sui obitus anno, recens & rubicanda reperta est, quam vir sanctus in manibus deuote recipiens, ac largioribus lacrymarum imbribus perfundens, talibus reuerenter affatus est: O lingua benedicta quæ Deum semper benedixisti, & alios benedicere docuisti, nunc perspicue cernitur quanti meriti fueris apud Deum. Cui oscula deuote figens, illam honeste collocari curauit. Cuius etiam fama permotus Pontifex tunc Clemens Quartus, vt illum in partem sollicitudinis traheret, opulentæ Eboracen. Ecclesiæ præfecit, nec tamen assequi potuit, vt vir sanctus eam promotionem acceptaret, qui propositi constans in Religione maluit permanere, vbi diuitias & dignitates sibi procuraret in cælo. Cuius constantiam Pontifex admiratus ad illum, Sta, inquit, in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce. Nunc vero se offert numerosior cumulus diuinorum scriptorum ipsius, cum Parisiis legisset primum librum Genesis, nobile opus quod de septem visionibus Bonauenturæ intitulatur, editum est. In libros Sententiarum celebria commentaria edidit secundum & quartum præsertim, quos etiam metrice extitit prosecutus. Et incipiunt. O fons splendoris, vas dulcoris & amoris. Quibus ob sublime ingenium auctoris ibi inspersum, sententiæ sententiarum Bonauenturæ titulus inditus est. Super Euangeliis compendiose & vtiliter scripsit, Lucæ præsertim cancellarii piæ Matris IESV, quam pectori impressam assidua meditatione semper extitit veneratus. Rursus contemplatione sancti Ludouici Regis Franciæ officium de Cruce deuotissimum edidit, quod ab Ecclesia nullo immutato receptum, in ea sollemnitate vbique legitur. Composuit & solemne officium in honorem beati Francisci, & de ipsius vita historiam serioso tractatu primum, & secundo reductorie annotauit. Composuit & libellum de sex alis Seraphim, in monte Aluernæ duo nobilia opuscula edidit, piissimas contemplationes fragrantia, quorum alterum itinerarium mentis in Deū, & alterum in seipsum appellata sunt.

Composuit & libellum approbatorium Religionis mendicantium, quod defensorium appellant. Composuit & libellum de vita Christi, siue meditationum passionum ipsius, quem arborem Crucis nominant. Composuit & breuiloquia. Item & sermones Dominicales, super Euangeliis & Epistolis per totum anni circulum. Item compendium veritatis sacræ Scripturæ. Item Libellum ordinationis siue institutionis nouitiorum. Item & libellum de stimulo amoris. Item & libellum quem appellant Pharetram, in auctoritatibus principalibus doctorum approbatorum, quem per Alphabetum extitit prosecutus. Et alia plura opuscula vsque ad tricennarium numerum, quæ in partibus Galliarum frequentius habentur in manibus. Et cum beati Francisci Religio, quam annis octo & decem sancto regimine gubernauit, ipsius monitis & exemplis, in solidiori sanctitatis statu firmata esset, & viri claritas ob vitæ sanctitatem, doctrinæ eminentiam, atque operum diuinitatem vbique elucesceret. Tum forte Romana Sedes plurimum laborabat difficultatibus, quæ in Concilio quod Lugduni congregabatur, inextricabiles emerserant. Gregorius tunc Papa X. & reliquus sacer Senatus illecti studio viri, quem leuandis dictis difficultatibus, ac vniuersalis Ecclesiæ regimini intelligebant plurimum præstiturum, atque ob merita alioquin subleuandum in Cardinalem, quamuis reluctantem, promoue-

Luc. 24. d

Sap. 7. b

Horatius lib. 1. Oda 22.

runt, & quod rarum est, & ex ipso initio ob viri excellentiam Episcopum Albanen. constituerunt. Mox pertractandis arduis rebus Concilij, vnus omnium delectus est, deputatis qui illi assisterent Rothomagense, & Tripolitano claris Episcopis illius temporis, qui & ipsi de Religione Sancti Francisci ad episcopatum ob meritum vocati fuerant. In quo Concilio de multis illius sapientia sancte consultum atque decretum, & Graecorum composita haereses, qui tum praesente Palaeologo eorum Imperatore, qui in hoc Lugdunum venerant, libere ad Romanae Sedis obedientiam redierunt. Ad quorum reductionem missi fuerant frater Hieronymus de Esculo, & Frater Bona gratia Dalmata ordinis Minorum religiosi eximij meriti. Quibus cum litteris reuersis laetus idem Gregorius, fratres ac praelatos qui in Concilio aderant, in Lugdunen. Ecclesia conuocauit, vbi vir sanctus praeclaram habuit orationem, proposito themate quod legitur in Baruch: Exurge Hierusalem, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente vsque ad Occidentem. Successiue in ea vocatione, pari sanctitate, & operum fructu perseuerans, cum in Dei Ecclesia diutius laborasset, ita vt cum Apostolo iure dicere posset. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidē seruaui. Anno salutis 1274. & suae aetatis tertio, & quinquagesimo, hora matutina diei Dominici, quae mensis Iulij erat tertia & decima, ex humanis sublatus est, & sanctis Patribus vt credere debemus, in aeternum victurus redditus. Qua die ipsius venerabile corpus sepulchro reconditur in Ecclesia Sancti Francisci Lugdunen. cum multis lacrymis & consternatione fratrum lamentantium se tanti viri societate destitui, qui patrem sibi in Dei Ecclesia relinquere non videbatur Gregorio Pontifice permaxime eum reputante qui ibidem publice testatus est, Ecclesiam Dei illius morte magnam incurrisse iacturam. In cuius exequijs primam Missam celebrauit Frater Petrus Tarantasien. Episcopus, Cardinalis Hostien. & sermonem habuit proposito themate: Doleo super te mi frater Ionatha. Vbi inter ceteras commemorationes gratiarum & donorum, quae illi Deus dedit, etiam fuit, quod quicumque eum videbat, statim ipsius amore capiebatur, eiusque monita libenter recipiebat, Graeci praesertim, quibus reducendis ipsius diuina eloquia & consilia plurimum contulerunt. Benignus, affabilis, omnibus gratus, & nulli vnquam scandalo, pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus atque quietus, quarum virtutum actiones & officia, semper strenue extitit executus. Quod & si nullo alio probante doceremur, satis ex diuinis suis scriptis liquido patet, quibus tam intenso affectu, singula praemissa prosequitur, vt nisi per assumptum de illis habitum, adeo ardenter illis insistere non valuisset. Tum vero, quod Alexandri de Ales praeceptoris ipsius testimonio, mundus ab omni vitio probatus est, qui eius vita & moribus probe compertis de eo dicere solebat: Verus Israelita est iste, in quo Adam non peccasse videtur. Cuius doctoris auctoritatem tanti apud Ecclesiam valuisse constat, vt de illius dictis, aut scriptis, nefas putauerint dubitare. Consummatumque omnes testati sunt, diuinum oraculum per beatum Franciscum de illo editum, futurum eum magnum virum in Ecclesia Dei, Religionemque suam, magna per illum sanctitatis accrementa recepturam. Iam intelligis Pater beatissime, quod & per te planius intelligebas, quis, qualis ve fuerit Bonauentura, de quo agimus, cuius vita & exemplis beati Francisci Religio illustrata, & doctrina omnis terra repleta est. Nunc quod secundo loco aggredimur, pari patientia audire digneris, dum refero, quae memoranda omnipotens Deus in illo, & ipsius virtute in alios monstrare dignatus est. A re miranda exordior. Bonauentura adhuc in minoribus agens, demissae mentis humilitate potius, quam ex iniustitia, pluribus diebus abstinuerat perceptione sacratissimi corporis Christi, veritus ne si illud indignus sumeret, iudicium sibi manducaret & biberet. Cumque die quadam in Missa deuotus adesset, Deus respiciens ad illius humilitatem, particulam consecratae Hostiae, de manu celebrantis per Angelum acceptam, illius ori clementer immisit. Respexit enim ad humilitatem serui sui, propter quam beatus omnibus gentibus praedicatur. Rursus cum intenso affectu studeret, contemplando & annotando vitam beati Francisci, gloriosus sanctus Thomas de Aquino, qui eadem tempestate meritis claruit, & Bonauenturae magna charitate coniunctus fuit, accedens ad illius cubiculum, per foramen ostij illum introspexit in contemplatione raptum, & à terra mirifice subleuatum.

Baruch. 4. g

2. Tim. 4. b

2. Reg. 1. d

Io. 1. g

1. Cor. 11. g

A Tunc retrocedens ad suos: Sinamus, inquit, sanctum qui laborat pro sancto. Simona Lugdunen. Beatum Bonauenturam viuentē summa deuotione prosequebatur, quae sicut Domino placuit mortuum peperit. Ad quam euocatus vir sanctus, exposito cadauere ante illius pedes, & mater quae in lecto coram ingemiscebat, & reliquae mulieres quae aderant, sancti viri opem in salutem mortui deprecatae sunt. Tum vir sanctus commiseratus, manibus atque oculis erectis in caelum, deuotissime orauit: mox signo Crucis super puerum facto, viuentem reddidit matri. Irritum atque frequens apud Lugdunen. Castrum villanum, ac totam Prouinciam, quod mulieres vtero laborantes, inuocatus exaudit & de periculo eximit. Ioanna Lugdunen. octo dies continuos vtero distenta, atque assiduo enixu parturiendi cruciata, desperauerat de salute, monita à mulieribus, quae laborantis aderant, se Sancti precibus & suffragijs commendauit, certum votum pro salute recuperanda faciens, & statim incolumis incolumem peperit. Petrus filius Io. Aiuse chaphelier, dextera tibia notabiliter claudus, ita vt quattuor mensibus sine baculo, nec ambulare, nec in vestigijs consistere posset, precibus, voto, & orationibus, in sepulchro ipsius factis, ibidem nouennam facere coepit, & in fine sex dierum filius melius habere coepit, & infra nouem dies salutem omnimodam recuperauit. Eadem inuocatione, simili aegritudine liberatus, filius Francisci Massodi notarij Lugdunens.

Nobilis miles dominus locorum de Vincellis, & de Gromellis, pestilenti febre attritus & exinanitus erat, quem loquela, sensu & motu destitutum, extra salutis spem denunciauerat Marcus de Ferrarijs nobilis Physicus Papiensis, qui in illo omnia mortalitatis signa probe comperserat. Ceterum Religiosus quispiam aderat, frater Matulinus biblicus conuentus S. Francisci Lugdunen. qui commemorare coepit, quae mira omnipotēs Deus per inuocationem dicti Sancti operaretur. Et propterea illius opem in salutem morientis poscendam persuasit. Tum votiua inuocatione per cognatos & dictum religiosum, & certo voto pro illius salute ad beatum Bonauenturam facto, qui moriturus videbatur, statim sentire, moueri, loqui, & melius habere coepit, & breui salutem omnimodam recuperauit: Simili inuocatione de grauissimis febribus liberati sunt, frater Ioan. Benedicti, ordinis sancti Francisci sacrae paginae magister. Ludouica vxor Petri Rouer. Gaspardа filia nobilis viri Petri Carionis de Chamberiaco. Filius Richardi Ridani. Soror Prinete vxor Claudij Pinol Antonius Catalanus, Lanzelotus Mercerius, Stephanus Gennes chaphelier, famulus Ioannis Adiusse de quartana, & frater Philippus Lacerti. Francisca luem siue formicam in collo patiebatur, cuius ignis sensim in reliquam corporis partem se prorogabat, & teneras puellae carnes misere vrebat atque vorabat: super quam dolens Gilbertus Alerij infelix pater, ad venerabile sepulchrum Bonauenturae se contulit, illiusque opem, & suffragia in salutem filiae deuotissime inuocauit, ac certum votum in hoc fecit. Mox domum reuersus extincto igne, sanam & liberam miraculose inuenit. Stephaneta relicta Ioan. Michaelis casu trabis oculum percussa, graues dolores incurrit, & in periculum perdendi oculum deducta fuit. Commendauit se Beato Bonauenturae, atque ad illius sepulchrum virgunculam filiam cum cerea imagine oculorum misit. Quae reuersa doloribus liberata est, & breui integram oculorum sospitatem recuperauit: In qua & illud notabilius, quod cum Lugdunum peruenisset, religiosus quispiam praedicator verbi Dei, indixisset que populo, quod quicumque sciret aliquid de miraculis beati Bonauenturae, quod sibi reuelare deberet, eadem Stephaneta quae in oculorum suorum salutem etiam inuocauerat auxilia Gloriosae Virginis Mariae, perplexa cuius beneficio sospitatem oculorum consecuta fuerat, aliquamdiu detrectauit quicquam praedicatori referre. Tum in grauiorem oculorum aegritudinem incidit, mittensque etiam filiam denuo, vt antea fecerat ad idem sepulchrum, & facta oratione & voto, miraculose extitit liberata. Tum suum reatum agnoscens, ad eundem praedicatorem accessit, & rerum seriem omnimodam reuelauit. Simili inuocatione de doloribus & periculo oculorum liberati fuerunt Dionysius de Foresta mercator: Claudia de Spicaria. Claudius Poleti corduernis. Margarita vxor Ioan. petit textoris Ioan. adiusse filius. Ioan. adiusse chaphelier dira paralysi repente percussus, amissis sensibus, & media sui corporis inferiori parte hebes factus cecidit. Cuius casum dolens pater, flexis genibus commendauit

mendauit illum beato Bonauentura, & statim qui ceciderat, sentire, loqui, & melius habere cœpit. Tunc imponentes eum lecticæ, pater, mater, & Petrus alter filius, detulerunt eundem ad sancti sepulchrum, quem ibidem sistentes, flexis genibus inuocauerunt beatum Bonauenturam, & factis certis orationibus ac voto, sanum & liberum reduxerunt domum. Eadem inuocatione de simili ægritudine liberati Franciscus Dauegnier, alias Rauillon, Guillerimus de Bletena textor, Catherina de Bauline, Ioanna relicta Petri Rolini, Margarita relicta Ioann. de Vaulx auriga. Illustris Dux Aurelianen. à potēti magnæ Britanniæ siue Angliæ Rege captiuus detinebatur, vbi veterē quartanā passus, intēsos capitis & renum dolores incurrit, destitutus omni aux lio, opem beati Bonauenturæ deuotissime inuocauit, in illius suffragijs deuotissime sperans. Et statim miraculose doloribus & ægritudinibus liberatus, in G illias infra annum extitit restitutus. Mox Lugdunum petēs visitauit venerabile sancti sepulchrū, & oblationibus factis, gratias Deo & sancto pro acceptis beneficijs egit, & quæ per illius inuocationē fuerat consecutus, religiosis dicti co uentus manifestauit. Laqueda, vxor Nicolai Colinecti Lugdunen. horrenda lepra respersa atq; infecta, suis vitabilis iā diutius detractare non poterat, quin relicto lare, cognatis, & vrbe miserabili cōsortio leprosorū se redderet: Quæ cum semper nomen beati Bonauenturæ deuote coluisset, ad illius sepul.bra procubuit, intensius precata vt misereretur sortis suæ, deuota oblatione ac voto factis, mūdari atq; à lepra liberari obtinuit. Michael de Chel. alias de Gennes in cuius latus dextrū equus vehementi ictu validū calcē detorserat atq; impegerat, ita vt duabus costis pene attritis, cum magno anhelitus impedimento tres menses languidus iacuit, varijsque fomentis, delinimentis ac cataplasmatibus frustra adhibitis, desperata salute cōmendauit se Bonauenturæ, & certo voto in illius honorē facto, de periculo exēptus & saluti extitit restitutus. Simili inuocatione liberatus etiam de dolore costarum Ioā. Michaelis de Cheual seruiens curiæ Lugdunen. & eadem Margarita Ioā. petit, quæ de celsiori ædium parte delapsa ceciderat. Ioannes Garboti Regius secretarius, vxorē perpetuo languore tabidam siue hydropicam nullo medicorū iuuamine curare poterat, accessit ad venerabile sancti sepulchrum, salutē coniugis, immo communē illi reuerenter cōmendans, & facto certo voto in honorem sancti, sanam & liberam, domum reuersus, extitit consecutus. Ioan. Dusolier Marescallus Lugdun. putri ac marcida tibia quattuor menses languidus iacuit, cumq; cruciabiles dolores diutius perpeti non valeret, in sola tibiæ amputatione spem conieceratt. Nocte forte per quietem monitus, cōmendauit se beato Bonauēturæ, atq; vxorem cum cerea imagine tibiæ ad illius sepulchrum deuotissime misit. Qua reuersa, doloribus penitus exemptus est, & salutē omnimodam breui recuperauit. Petrus Moyer ligneum molendinum habebat in flumine Rhodano, qui affluenti aquarum colluuione elatus & auctus, molendinum ipsum valida alioquin catena retentum violēter rapuit & in se vorauit. Quo conspecto idem Petrus qui semper coluerat beatum Bonauent. ad illius sepulchra confugit, ac procūbens reuerēter precatus est, vt à sui deuoto calamitosam iacturam auerteret. Mox egressus, inconcussum molendinum ad alteram Rhodani ripam in littore eiectū, & miraculose restitutum cōspexit & recuperauit. Stephaneta mater prædicti Francisci Dauegnier, alias de Rouellon, de squilentia in extremis laborabat, quæ allatum Dominicum corpus, nec agnoscere nec recipere potuit. Quod ægerrime ferens Franc. filius, qui probe noscebat matrem, magna deuotione beatum Bonauenturā semper coluisse, ad illius venerabile sepulchrum confugit, deuotissime precatus, ne sustineret sui deuotam, sine salutis viatico vita decedere. Domum reuersus, fidelissime sperans in beato Bonauentura, corpus Dominicum iterum afferri curauit. Quod statim agnitum mater, reuerenter recepit. Venerabilis religiosus pater Benedictus de Lulino ordinis sancti Antonij Viennen. procurator domus sancti Antonij Lugdunen. censuales libros domus amiserat, quos multa adhibita diligentia, reperire non valuit cum magno scandalo & detrimento domus, accessit ad venerabile sepulchrum beati Bonauent. & ibidem accensis cādelis commendauit se eidem, & domum reuersus libros meruit inuenire. Patri inuocatione Richardus Ridani mercator amissa instrumenta probatoria, & alias res apothecæ valuit inuenire. Itidem & frater Petrus fabri, res ad sui vsum deputatas amissas Margarita Gruella, vxor Hugonis, Francisci Burgundi calzetarij habitatores Lugdunen. intenso podagræ dolore cruciabatur: quæ cum probe nosset, medicam artē in hoc parum valere, confugit ad inuocationem suffragiorum beati Bonauēturæ, virgunculamq; filiam cum cerea pedis imagine, ad illius sepulchra reuerenter misit, & statim à podagra extitit liberata, nec illa vnquam de cetero grauata fuit. Eadem inuocatione liberata Catherina vxor Ioan. textoris de Hispania. Et filius Magistri Francisci Massedij notarij. Margarita vxor Benedicti Garrini, filium habuit in inguinibus ruptum, ac vlceribus misere putrescentem. Qui medica manu sectus, in deteriorem statum ac certum mortis periculum deductus fuit. Quod ingemiscens mater, quæ specialius beatum Bonauenturam venerabatur, ad illius sepulchrum reuerenter confugit, ibidemque deuotissime precata est, vt suæ orbitatis misereretur, nouennamque in illius honorem facere cœpit, & octaua die sanum & liberum consequi meruit. Petrus morget dolium vino plenum in cellarium inferens, illius oneri impar, pressus succubuit, & illo super eum incumbente quassatus fuit, ac pene contritus, commendauit se beato Bonauenturæ, & salutem consequi meruit. Simili inuocatione liberata illius cognata, quæ casu spatulam & brachium enormiter læserat. Sunt præterea & alij innumeri, qui meritis eiusdem sancti de varijs doloribus, ægritudinibus ac periculis miraculose liberari meruit: quorum singulos si recensere pergam, præsenti operi detrimento potius quam vsui, aut fauori indubie futurus ero. Hoc tamen loco non committam vt silentio transeam stupendum ac memorabile quiddam quod [illegible]potens Deus ad perhibendum certum testimonium sanctitatis viri, in illius venerabili corpore pro sua clementia monstrare dignatus est. Dum idem venerabile corpus transferretur ad nouam ecclesiam, ad titulum sancti Francisci Lugduni erectam, centesimo & sexagesimo sui obitus anno, reliqua corporis parte alioquin exesa, atque corrosa. caput tamen solidum, capillamentum hærens, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali statu, aut colore demutata, reperta sunt. Erat profecto diuinæ clementiæ illud os à putrefactione seruare, quod ad salutem fidelium, atque in diuinis laudibus semper extitit operosum, nec dare sanctum suum videre corruptionem. Extant præterea crebra & memoranda beneficia, quæ frequenter conciues Balneoregini & Vrbeuetani per inuocationem eiusdem sancti meruerunt obtinere, de quibus tam multis: vel vnum aut porro duo recensere non piget. Laodomia Vrbeuetana filiarum sarcina onerauerat domum, ac proinde Francisco Matthæi Nebie viro quodāmodo inuisa, qui rei familiaris angustia impar sarcinæ, matrimonio omnino abstinebat, de quo nō nisi feminas compererat proficisci. Eos cōiuges consolatus venerabilis religiosus minorum magister Franciscus de Aqua pendēte, qui illis admodum cultus erat, affirmauit se habere documenta ex institutis sancti Bonauenturæ, quæ si moniti susciperent, masculinam prolem consequerentur. Auscultantibus, Vna mecum (inquit) votiuas effundite preces ad gloriosum Bonauenturam, & pie speretis assequi quod optatis. Qui parentes monitis, pauculis diebus gignēdæ proli operam indulserunt, & vxor grauida facta est, & statuto mē se masculum peperit, cui nomē ex instituto eiusdem religiosi Bonauentura imposuerunt, laudantes Deum & sanctum, in cuius virtute mirabilia secum operatus est. Triennio post dum ea ciuitas Epidimia morbo, atq; internicinio grauiter affligeretur, domus omnis coniugum eo veneno respersa est, & filiabus omnibus extinctis, Bonauentura extra spem salutis constitutus, credebatur pari mortalitate iam sorores secuturus. Qui etiam immundorum spirituum præsentanea instantia vexatus, nulla domus parte illorum persecutionem effugere poterat, clamitans infelix succurrite gladio & fuste, hos spiritus maligniores fugate. Parentibus præ talium afflictione & mæstitia consternatis, atq; omni prorsus remedio destitutis subijt sancti recordatio, cuius munere filium fuerant consecuti, mox in spem adducti, illum hac prece precati sunt: Sancte gloriosissime qui benignus nobis hunc filium procurasti, eadem benignitate præstes, vt fatigatis malignis spiritibus à peste saluum retineamus. Et prece facta, spiritus extorres exclusi, febris cessauit, & breui puer omnino ab ægritudine saluus surrexit, cum magna parentum, & omnium ciuium lætitia, gaudentium quod ad superandas morborum & spirituum malignitates, defensoris tam validi præsidio cognoscerent se munitos. Possem forte ine-

ptus

tus videri, si studens cœpto prosequar diem absumere recensendo miracula, quorum relationi nec diem, nec certe dies sufficere satis scio. Sed quid vlterius exquirimus miracula, quasi vero Basilium magnum, Hieronymum & Augustinum nostræ fidei lucida sidera: Thomam Aquinatem & alios quam plures, quos in Dei Ecclesia sanctos colimus ob miracula, non autem ex diuinitate doctrinæ miremur & veneremur. Quos tamen sanctitatis testimonium nõ ex alio certius consecutos probe intelligimus, quam ex eorum commentarijs, quæ vt diuinitatis plena non nisi per infusam scientiam poterant edidisse, ex quibus Spiritum sanctum in eis habitasse verius comprobatur. At si porro miracula exigimus: non tam quæ per illum in alios, quam quæ in eoipso apparuerint, consideremus. Si igitur beatum Bonauenturam in suis operibus miraculosum iam constat, si infusam dono sancti Spiritus obtinuisse scientiam diuina illius commentaria profitentur. Si charitatis officia ardentius executum. Mundanos honores contempsisse. Affectus terrenorum abiecisse. In persecutionibus constantem mansisse. In Beati Francisci, ac vniuersali religione fructuosum extitisse. Si superna vocatione, vt Paulum in sortem Domini miraculose conuersum. Si diuino beati Francisci præsagio sanctum prædicatum. Si Alexandri de Ales doctoris irrefragabilis ipsius præceptoris sedula obseruatione, sanctum compertum ac iudicatum. Si religiosorum minorum voto qui sanctitate pollebant, vt sanctior summus prælatus assumptus. Si Romanæ sedis iudicio vt clarus meritis ad vniuersalis Ecclesiæ regimen profuturus ascitus: Si denique communi omnium opinione fidelium, sanctus tenetur, & nominatur, & colitur. Si benignus succurrit quotidie inuocantibus se. Potest sanctitas tua (etiam nullo potente) sancto quod vnum deerat publicos honores decernere, quanto magis id debes celsarum principum votis. Accedunt pientissimæ preces serenissimorum, ac clarissimorum. Federici Romanorum Regis semper Augusti, Ludouici Francorum Christianissimi, Ferdinandi Siciliæ & etiã Matthiæ Hungariæ Regum Catholicorum, qui cum de republica Christiana bene mereri consueti sint, digni certe videri debent, qui à sanctitate tua tam sanctam rem impetrent. Rogant præterea illustres duces, ac populi, ac loco maximi muneris hoc petunt Calabriæ, Venetiarum, Mediolani, Sabaudiæ, & Ducissæ Calabriæ, & Borbonij, Florentini, Senẽs. Perusini, Lugdunen. & ciuitatis Balneoregij quæ licet humilis, sic tamen clarissima & Deo gratissima videri debet, cui contigit tantum sidus producere. Rogat præterea istius ordinis reuerendissimorum patrum Ioã. de Aragonia eiusdem Serenissimi Regis Ferdinandi illustris proles, quia sanctos qui in eo ordine claruerunt, religiosius veneratur & colit. Exigit denique suo iure beati Francisci sancta religio cuius alumnus vel iusta petenti deesse non potes. Exigit & ipse sanctus ex promissione omnipotentis Dei nomine facta, strenue militantibus, quod illorum laudes cantet Ecclesia. Cui oblationi ipsius Vicarius satisfaciat necesse est. Tam multis igitur vinculis obligatum nullus iudex quamlibet fauorabilis, nisi solertem soluere posset. Magnus ab infernis reuocetur Tullius vmbris, & te defendat. Serues vsque licet, non potes absolui. Comperta præterea quæ dixi singulari studio, quod præno scendis vitæ miraculis sanctis, exactissimum indulserunt reuerendissimi patres Iulianus de Rouere sancti Petri ad vincula ordinis eiusdem meritus Protector. Stephanus Mediolan. & Franciscus de Gonzaga Mantuanus, sanctitatis in hoc Commissarij, Mediolanen. præsertim quem contra aduersam valetudinem, acri instantia colluctantem à sancto proposito, nec propria salutis ratio valuit retardare. Qui etiam Reuerendissimi patres illecti studio comperta sanctitatis viri, id instantissime poscunt. Quid igitur tua sanctitas vlterius differt, quid cunctatur, quid alterius gloriæ id prorogat. Multa certe extant celebria tua gesta, quæ te ac tuos illustrant atque perpetuo illustrabunt, nil tamen sic æque Romano Pontifici gloriosum meo captu contingere posse crediderim, quam vt sancto pro meritis publicam celebritatem decernat. Quam & tu pater beatissime, qui omni iure necessitudinis beato Bonauenturæ coniunctus es, auctoritate omnipotentis Dei, quem semideus mortalibus in terris refers, supplicantibus concedere, pro tua clementia benigne digneris.

Eccl. 44. c

RELATIO R. P. IOANNIS Francisci, DE PAVINIS, Inter diuinos, & humanos Iurisconsultos minimi.

BEATISSIME Pater: Circa canonizationem beati Bonauen. de balneo regio ex patre nomine Ioanne, cognomine Fidansa, ex matre vero nomine Rutella, prouincia Tusciæ. Doctoris Seraphici & irrefragabilis, &c. Olim generalis ordinis minorum septimus post sanctum Franciscum, ac demum Cardinalis Episcopus Albanen. Dico præcipue considerandum esse, & attendenda quæ dicturus sum, circa 20 puncta, siue fundamenta, quæ infra per ordinem subijciam. Premisso quodam vtili valde ac necessario præludio. Ex quibus concludendum videtur, per vestram beatitudinem illũ posse cononizari. Salua tamen semper. E. V. B emendatione. Non attento quod es loquentium iniqua loquatur, dum tamen non recedamus à tramite veritatis. De illius auctoritate securi, qui cum audisset à discipulis: Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt, respondit. Sinite illos, qui cæci sunt, & duces cæcorum, vt dicit Inno. 3. in c. magnæ. de voto. & in c. nisi cum pridem, de renunc. & 11. q. 3. inter verba c. senti. & c. non sunt. Et Xenophon Socraticus ait: Conscientia te dicti maledicta contemnere. Et Diogenes. Superat conscientia, quidquid male confinxerint linguæ. Et Ouidius fastorum lib. 4. Conscia mens recti, famæ mendacia ridet. De quo per Hieron. ad Eustochium de virginitate seruanda. Et Paulus. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, &c. Nam labijs iniquis, & lingua dolosa apponentur sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs, iuxta prophetam.

Matth. 15. b

Psal. 119. a

Articuli primæ partis hic subsequuntur.

PRIMO. Religio ordinis mendicantium sancti Francisci in primis eius exordijs, illius præcipuo feruore, iuncta ordini Episcopali.

Secundo. Doctrina sacrarum litterarum cum multitudine librorum.

Tertio. Contemptus dignitatum mundanarum & Ecclesiasticarum.

Quarto. Superexcellentes virtutes & merita eius insignia.

Quinto. Regimen œconomicum, atque politicum sanctum eius.

Sexto. Patientia in persecutionibus, propter zelum Dei.

Septimo. Labores multi, mores casti, & actus strenui. &c.

Octauo. Multa gloria quam fecit Deus cum eo, &c.

Nono. Sufficientia in operibus charitatis & innocentiæ.

Decima. Fama celebris beatitudinis eius & mors pretiosa.

Articuli secundæ partis.

PRIMO. Necessitas miraculorum sufficientium.

Secundo. Frequentia aduersitatis, & continuatio eorundem.

Tertio. Miracula tam in morte, quam in vita.

Quarto. Modus probandi miracula arbitrarius.

Quinto. An debeant fieri in instanti.

Sexto. An debeant fieri sine dolore, & de his, quæ non sunt de ratione miraculi.

Septimo. De omnibus in canonizatione requisitis, tam circa processum quam cærimonias.

Octauo. De fide chronicorum ordinis minorum.

Nono. Quid si canonizetur non canonizandus per errorem.

Decimo. An audiri debeant se opponentes canonizationi.

Premit-

Quid sit canonizare sanctum.

PRÆMITTO, quod canonizare sanctos est canonice & regulariter publice, & solemniter declarare, diffinire, & pronũciare, & statuere, quod aliquis ab omnibus honoratur vt sanctus, & pro eo tanquam pro sancto certa die fiat vbique solemne officium, sicut fit pro alijs sanctis, qui sunt eiusdem conditionis, vt si canonizetur confessor, fiat pro eo officium confessorũ: & si martyr, fiat pro eo officium martyrum, & sic de virginibus, &c. & eum tanquam sanctum in catalogo sanctorum adscribere, secundum Innoc. & Ioan. And. & alios in c. 1. de rel. & vene. sanctorũ. An autem possit quis canonizari ad ordinem Apostolorum, sicut martyrum, confessorum, aut virginum? Concludit Aug. de Anco. quod non, in lib. de Eccle. pote. ar. 4. Et hinc infertur, quod cui non potest appropriari officium commune sanctorum aliquorum, ille nõ debet canonizari, sicut & cui non potest competere diffinitio, nõ debet posse competere & diffinitum. l. Mortis causa capitur, ff. de dona. cau. mor. & l. Quintus. §. cum aurum. ff. de au. & arg. leg. l. Labeo, §. idem Tubero ff. de supel. lega. & Insti. de dona. §. est & aliud, de præben. cum secundum 13. q. 1. Clericus. cum si. Per hanc ergo canonizationem consequitur canonizatus, quod Ecclesia vbiq; solemniter dicere & cantare publice potest officium pro eo & Missam solemniter celebrare sicut pro sancto, & illum inuocare in letanijs, & dulia venerari de consecr. dis. 4. Venerabiles, quia iniuriam facit martyri qui orat pro martyre, vt eius intercessionibus consequamur orantes veniã peccatorum, & vt pijs eius meritis iuuemur omne per æuum, prout ex orationibus Missalis, Sacramentarii & Breuiarij patet. Orationibus namque eorum indigemus nos, quos vndique mala nostra perturbant. Et vt etiam illis prosit oblatio ad gloriam & honorem, & ad hoc vt magis ac magis à fidelibus glorificentur in terris. Et reputant plerique non indignum sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari. Et ideo Ecclesia interim sane potest augmentum glorificationis eorum optare cap. cum Marthæ, §. Tertio loco, de celeb. missarum, vt patet in oratione S. Leonis Papæ, & in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, & in secreta beati Gregorij, & in offerenda ibi, vt illis proficiat ad honorem. 38. dis. quæ ipsis. Vnde Prosper. Semper supe est sanctis quo crescere possunt, not. 15. dist. omnes, quoad præmij accidentalis augmentum secundũ Aug. vt legitur in 4 sent. 45. dist. c. 2. in fi. & fertur eum hoc dixisse in sermone vnius Apostoli. 17. homil. Quod nota, pro generali allegatione, de quo in c. vestra, de cohabit. cleri. & mulier. Et sic in numero sanctorum publice annumerare eum, secũdum illud Eccli. Sapientiam sanctorum narrent populi, & laudem eorum annunciet Ecclesia sanctorum. not. Ioan. Andr. in capitulo primo de reliquijs & vene. sanctorum, libro sexto, & Innoc. in dicto cap. primo, de reliquijs & venera. sanctorum. Item consequitur quod in eius honorem, & sub eius nomine, & cum eius reliquijs, possunt ecclesiæ & altaria erigi, ædificari, consecrari, c. de fabrica, &c. placuit, de consecr. dis. 1. & pingi & sculpi cum diademate c. prolatum, cum seq. de consecrat. d. st. 3. nec tamen de cetero pro eo est orandum. Describendus est ergo etiam canonizatus in catalogo sanctorum, qui est seu, nomina aliquorũ continens ordinate, à cata quod est iuxta, & logos quod est sermo secundum Hugo. 19. q. 4. quoniam conscribimus & Host. in summa, de reli. & vener. sanctorum, in ver. est autem catalogus. Facit. 11. dist. c. quis nesciat. Secrete vero cuilibet licet, alicui defuncto quem sanctum credit, preces porrigere, vt pro ipso ad Deũ intercedat, & eius reliquias venerari. quamuis solemnes preces publice porrigere, vel Missam ei solemne officium publice dicere nequeat secundum Innoc. Host. & alios in d. c. 1. de reliquijs & venera. sanctorum, & not. in cap. 1. eodem tit. lib. 6. quia fidem eius attendit Deus, &c. Et idem concludit Aug. de Ancona in eodem libro 6. de Ecclesiast. potestate quæst. 14. art. 5. iam per dictum c. 1. de reliquijs, & venera. sanctorum, quod expresse prohibet episcopis aliquem vt sanctum venerari publice absque auctoritate sedis Apostolicæ: ergo multo fortius debet censeri prohibitum inferioribus. Item quia Missæ celebratio & communis oratio fit in persona totius Ecclesiæ vniuersaliter, in memoriam ergo illius debet talis solemnitas celebrari, quando quo ab illo qui est caput totius Ecclesiæ etiã immediate ordinarius cunctorũ ca cũcta. 9. q. 3. & c. per principalem, canonizatus & in sanctitate approbatus, & qui solus debet passe, & nullus alius hac venera-

tionem indicere, cũ talis sanctus debeat ab omnibus venerari. Sed maior ratio est periculũ erroris incurrẽdi, quia Episcopus in hoc possit facilius errare quam Papa, vt infra patebit in penult. q. 2. partis, quæ ratio fundatur etiã in dicto c. 1. Itẽ ne contingat aliquẽ canonizari turpis lucri gratia, vel humanæ laudis seu iactantia, quæ ratio sumitur ex c. 2. eod. tit. Item & propter dubiũ incursus idololatriæ, vt probatur in clement. 1. de Iudæis. De quo plene per sanctum Tho. super 4. sent. dist. 49. art. 4. q. 1. Item propter gaudium Angelorũ, ideo cantat Ecclesia. Gaudeamus omnes, &c. de quorũ solemnitate gaudent Angeli & collaudant filiũ Dei. Itẽ propter plures alias rationes, quas statim subdam. maxime quia generale est. vt vbi periculũ animæ vertitur, præsumatur in deteriorẽ partẽ. Iuuenis, de sponsa. 68. d presbyteri, & not. in c. 1. de seru. & quod vbi maius est periculũ, ibi cautius est agẽdũ c. vbi maius. de elect. l. 6 d. 42. quiescamus. 7. q. 2. c. si. l. 1. §. 1. ff. ad Carbonian. Ex his infertur quod solus Papa de fratrum tamen consilio, &c. vel in generali Concilio potest non solũ certos ex sanctis præ aliis extollere, vt vbiq; solemnius venerentur, puta vt sub duplici officio per vniuersum orbem eorũ solemnitas celebretur, vt patet in c. 1. de reli. & venera. sanctorum lib. 6. Et in solemnitate sacramenti corporis Christi, de qua in clemẽt. Si Dominum, eod. tit. & in festo inuentionis sanctæ Crucis, de consecr. dist. 3. c. crucis. Et generaliter in eorum vigilia ieiunium indicere c. consilium, de obseruan. ieiuniorum. Sed etiam consimiliter prout infra dicetur, potest & debet canonizare quoslibet alios sanctos ad effectus, de quibus supra. Quinimmo nec inuentas reliquias de nouo quisquam debet publice venerari absq; Papæ licentia, nec possunt passim ostẽdi, nec transferri. Sed si antiquæ reliquiæ, de nouo inuenirentur, liceret eas venerari, alias non, nisi scilicet prius auctoritate Roman. Pontificis fuerint approbatæ: ne variis similiter figmentis, aut falsis documentis populi decipiantur, sicut in plerisq; locis occasione quæstus fieri consueuit, sicut interdũ faciunt quæstuarij, qui costam pecoris, vel asini ostendunt loco sancti. Alij ponunt oleum in oculo mareolæ suæ, vt videatur lacrymari secundum Hostien. & Ioan. And. Et ne Christianæ religioni postea in posterum detrahatur, sicut sæpius detractũ est, quia nimia familiaritas parit cõtemptũ. capit. & si Iudæos & Iudæis. Sumunt enim ex hoc materiam detrahẽdi, & blasphemandi, & videntes ossa nuda, dicunt trufam esse, quasi consumptus non esset si sanctus esset, cũ tamen sit scriptũ de omnibus: Cinis es & in cinerem reuerteris. Licet excipiantur aliqui, sicut Christus & gloriosa domina & beatus Ioannes Euangelista, & alij quidã hoc speciali priuilegio decorati De quib. Psal. Non dabis sanctũ tuũ videre corruptionem. d. c. fi. de reli. & vene. sanctorũ. Et ne contingat homines in ebrietate otiosos quasi sanctos more infideliũ venerari & colere: tã si per eũ miracula fierent, c. 1. eodem titu. secundum Host. & Ioan. And. ibi. qui tamen dicunt hoc male seruari propter auaritiã & insolentiã clericorum, quod esset corrigendũ. Quem namq; ipse reprobat reprobandus est, & quem approbat approbandus est. 24. q. 1. hæc est fides. & c. quoniam vetus. 7. quæst. 2. cap. sane profertur. Et propterea etiam nec martyres nec reliquiæ vendi possunt, l. nemo martyres, cap. de sacrosan. Eccle. & not. in dicto cap. fin. Nec venalitatis causa extra capsam trahi, vt plures oblationes recipiantur. Hoc enim facientes dici possunt venales sicut mulier fatua, aduocatus ignarus, & pugil, qui pro nummis passim se offerunt, ex hoc enim vilipenduntur, cum omne rarum charum. 39 dist. leg. mus. 27. q. 2. institutum. Item quia per id notabiliter re... gustur per latos auaritia clericorum cap. 1. de decis. se vndũ Hostien. Solus etiam Papa potest statuere, quod tempore interdicti possint diuina solemniter celebrari in certis præcipuis solemnitatibus, vt patet in ca. alma mater. §. in festiuitatibus, de senten. excom. lib. 6. Item sine licentia Principis transferre non possunt etiam laici patroni secundum Archid. dicto cap corpora. Et debent illis loca condigna præparari cap. si. de cust. euch. Nec etiam corpora sanctorum de loco ad locum transferri sine Papæ licentia, vel Concilii generalis, vt patet de consec. dist. 1. d. cap. corpora. & not. Hostien. in sum. de reli. & vene. sanctorum. Possunt tamẽ reliquiæ sanctorum & diuina verba ex deuotione ad collum ligata portari, nisi sit superstitio, secundum Thom. 2. 2. q. 96. ad 4. & super 1. ad Corinth. 10. fin. & per Archid. 26. q 7. c. non obseruetis. Licet aliter loquatur Henricus de Gandauo quolibeto. 3. quæst. 35. vide in Specu. de reliquiis & venera. sanctorum. & in l. nemo, de sacrosanct. Eccles. & per Goffred. & Ho-

Eccli. 44. c

Ad Papam spectat canonizare sanctos.

Gen. 3. d

Psal. 15. c

stien. in sum. eod. titu. Adducuntur & plures aliæ efficaces rationes, videlicet quia hæc est vna de maioribus causis, quæ inter Christianos proponi possit, & sic ad sedem Apostolicam merito referenda c. maiores, de bapti. Et adeo maxima est, quod licet alias Papa vel saltem cum solo cœtu Cardinalium omnia possit statuere & diffinire, vt not. in capitul. ad Apostolicæ, de re iudic. & plene per Doctor. in ca. super eo. de hæret. lib. 6. Hoc tamē casu Papa non potest saltem de congruo libere diffinire, etiam cum cœtu Cardinalium, nisi etiam adiūctis alijs prælatis curiæ quod quis canonizetur, secundum Hosti. Ioan. And. & alios in dicto c. 1. de reliquijs & venera. sanctorum. Et Aug. de Ancona, in dicto lib. de Ecclesiast. potestate. quæstio. 14. art. 3. Item quia miracula attribuuntur fidei. & quæst. fidei præcipue est ad sed. Apostolicam referenda. 24. quæstio. 1. quoties. Subest enim periculum idololatriæ clement. 1. de Iudæ. Item quia ad Papam præcipue spectat declarare dubia scripturarum cap. per venerabilem, qui fi. sint legi. ergo multo fortius dubia sanctitatis in quibus maius periculum vertitur, & in quibus cautius est agendum 42. dist. quiescamus. 41. distin. miramur. 7. quæstio. 2. c. vltim. l. prima. §. sed & si quis, ff. ad Carbon. ca. vbi periculum, de ele. l. 6. Est enim periculosum de sanctorū meritis disputare. secundum Hier. ad Damas. facit. cap. non turbatur. 24. quæst. 1. quia soli Petro dicitur, Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum, &c. & cap. cum aliud. ea. causa. & q. quia solum Petro piscatori Dominus iubet. Mitte hamum & eum piscem, &c. facit etiam ca. loquitur, ea. causa. & quæst. cum multis alijs. Item ne propter multorum episcoporum simplicitatem populos decipi cōtingat, &c. aut in infinitum sanctos multiplicari, & sic deuotionē refrigescere, & sanctitatē vilescere. 80. dist. episcopi, quia in multitudine sacrificiorum non propitiatur Deus, 14. quæstio. 5. scriptum, de consecrat. dist. non mediocriter, & ar. in auct. vt determinatus sit numerus clericorum, in prin. colla. 5. & not. de ætat. & quali. cap. penult. & de rescrip. capitu. cum in multis, lib. 6. De sanctis vero iam canonizatis debent intelligi. c. 1. de consecr. dist. 3. & c. fina. de fer. vt in illis not. & in d. c. 1. de reli. & vene. sanct. l. 6. Et ad hæc non debet legatus de latere sine speciali mādato Papæ & collegij extendere manus suas, sicut nec ad alia quæ insignum priuilegij singularis sunt tantummodo summo Pontifici reseruata: c. quod translationem, de offic. lega. c. mutationes, & c. temporis, & c. præcipimus, & c. frater noster. & §. sicut. 7. quæst. 1. & de sum. Trin. cap. 2. in fin. & de hæret. cap. cum Christus, & de voto. cap. ex multa, & de iudic. cap. at si clerici. de fi. presb. cap. 1. de tempor. ordin. cap. de eo. & Cle. quia cōtingit, de reli. do. & plene no. in cap. sicut vnire. de excess. prælat. cum fi. Ad solum ergo Papam qui est omnium vniuersalis princeps, vt in cap. cuncta per mundum, & cap. per principalem. 9. quæst. 3. spectat diffinire cum consilio aliorum prælatorum curiæ, vt quis vt sanctus & canonizatus vbique solemniter veneretur, secundum omnes tam canonistas quam Theologos per prædicta. Et ne alias contingat posse dici, ego sum Pauli, & ego sum Ciphæ, &c. contra Apostolum. Ad Papam etiam solū spectat tolerare, quod etiā in sola certa ecclesia certi loci solemniter venerari possit aliquis beatus, vt refert Host. & Io. And. de Carolo Imperatore in Aquisgrano diœc. Leodi. in cap. 1. de rel. & vener. sanct. & in alijs pluribus locis, de quo Carolo & pulchris miraculis eius habetur in speculo historiarum libro 25. capit. 5. Sic etiam fecit Calixtus III. de beato Alberto de Trapano ordinis Carmelitarum, vt patet per litteras testimoniales R. D. Rotomagen. Cardinalis, & ipsius ordinis Protectoris de anno 1457. 15. Octobris, anno ipsius tertio. Sic etiam fecit Sixtus IV. de beatis Gerardo, Petro, Ottone, Accursio, & Adiuto, martyrizatis in Marochio de Ordine fratrum Minorum, prout patet per eius litteras in forma breuis de anno 1481. 7. Augu. anno ipsius 10. Dicit Bald. in cap. fin. de ferijs, quod non valet statutum dispon. quod diebus Veneris sint feriæ ob reuerentiam cuiusdam Eremitæ non canonizati ab Ecclesia, cuius contrarium seruatur Paduæ in processione beati Antonij peregrini. Dicitur etiam in cap. 1. vt lite penden. quod surreptitia impetratio non tenet, etiam si sanctus sit ille qui impetrat, sicut erat ibi sanctus Thom. Cantuarien. vnde propter meritum vitæ non est recedendum à iuris dispositione, quia neque propter honestatem vitæ, aut probatam fidem, releuatur quis ab onere satisdandi secundum eum in rubrica, de eo qui mit. in poss. licet in contrarium faciat gloss. ff. de ripa munienda. leg. 1. §. his autē, quæ vult, quod virtus animi habeatur pro satisdatione, quam sequitur idem Bald. in cap. decernimus, de iudi. Item in eo non est timor subornationis testium, saluo tamen statu causæ, prout ipse Bald. dicit in capit. iurauit, de proba. faciunt not. in l. Titio fundus, ff. de cond. & demonst. facit quod not. Innoc. in cap. veniens, de præscrip. de illo Rege sancto, &c. Postquam autem Papa approbat reliquias, vel canonizat sanctum, licite ab omnibus publice venerari potest, veneratione duliæ in honorem Dei. Nam & seruorum honor redundat ad dominum, vt dicit Hieron. cōtra Vigilantium. 1. & Ioan. Andr. in dicto c. 2. de reli. & vener. sanct. & probatur in cap. gloriosus, eod. titu. li. 6. & in cle. si Dominum, &c. Quid autem de sanctis veteris testamenti? Notat Belleme. in c. 1. de rel. & vene. san. & Aug. de Anco. in lib. de Ecclesiast. potestate. quæst. 17. artic. 2. & quicquid illi concludant, videtur probari cōtrarium ex publica veneratione, scilicet sanctorum septem fratrum Machabæorum cū matre; de quibus habetur 2. Mach. 7. & quorum festum celebratur Kalen. Augu. Et vt dicit Iaco. de voragine in eorum legenda. Ecclesia Orientalis celebrat festum omnium sanctorum veteris testamenti. Ecclesia autem Occidentalis publice celebrat festum Machabæorum loco omnium aliorum sanctorum veteris testamenti, propter rationes de quibus ibi per eum. Item etiam sancti Hieremiæ, & sancti Danielis prophetæ, quib. sunt ædificata ecclesia & monasteria, & sancti Ioannis Baptistæ, & sanctæ Annæ matris beatissimæ Mariæ Virginis. 26. Iulij & alicubi sancti Ioseph mariti eiusdem, & Venetijs sanctorū Iob, Hieremiæ, Simeonis prophetæ & sancti Moysi, & sancti Zachariæ prophetæ patris sancti Ioannis Baptistæ, huius caput honorifice etiam colitur Romæ in Ecclesia Lateranen. & ex inuocatione eorum, quæ fit in commendatione animæ morientium, & per illud cantici Ambros. Te prophetarum laudabilis numerus. Et patet in officio omnium Sanctorum, de Patriarchis & Prophetis omnibus. Et in litanijs vbi omnes sancti Patriarchæ & prophetæ, & de Salomone no. 32. q. 4. Salomon de pœnit. dist. 2. si enim in versi. Salomon. & per Doct. in c. ne innitaris, de constit. Amb. in hexame. circa finem, & in lib. Apologiæ Dauid. 2. fol. de quorum sanctitate vera nō dubitatur, ergo.

Luc. 5. a
Mat. 17. d

1. Cor. 1. c

ARTICVLVS I.

PRIMÆ PARTIS.

CIRCA primum articulum primæ partis principalis, dico concludendum, magnam excellentiam inesse operibus & sanctitati huius beati patris, quoniam religiosus professus à iuuentute fuit, religionis obseruantissimæ & ordinis sancti Francisci in ipsius religionis exordijs, votum implens maternum, pro obtenta miraculose sanitate ob merita sancti Francisci, ipse testatur in descriptione vitæ breuioris eiusdē, quam diffuse compilauit, circa finē eiusdem scribens, hæc verba. Voto enim pro me languēte grauissime, ad beatū patrē Franciscum emisso à matre, cū adhuc essem puerulus ab ipsis sum mortis faucibus erutus & in robur vitæ incolumis restitutus, quod cum viua memoria teneam, vera nunc confessione confiteor, ne tantū beneficium reticens, sceleris arguar vt ingratus: & idem commemorat ad finem descriptionis vitæ maioris eiusdem. At tēpore quo religio illa floruit in primitiua sua obseruantia, fundata principaliter in consilijs Euangelicis, vt patet in c. exijt qui seminat, de verb. sign. lib. 6. & in clem. exiui de Paradiso, eod. titu. & in extrauag. Ioā. 22. quæ incipit, quorundam & ad conditorem, & quia quorundam, &c. Vnde necessario est inferendum, tam secundum Theologos, quam secundum canonistas, quod omne idem opus meritorium, multo laudabilius & excellentius fuerit in eo post votū & professionem, quam in non vouente vel professo, quia vouere opus est latriæ quæ præcipua virtus est inter mortales. Opus autē nobilis virtutis est omnino melius & meritorium, vt de latria, quæ est cultus & seruitus soli Deo debita, de consecra. dist. 4. ca. venerabiles, not. in c. si canonici, de off. ordin l. 6. Item quia vouens nō solum quo ad actū, sed etiam quoad potestatem subijcit se Deo, vt de cetero aliud agere non possit, ergo plus dat (secundū Anselmum in lib. de similitudinibus) qui dat fructum & arborē quam qui dat solum fructum. Item quia propter votum notabiliter voluntas firmatur in bonum: ad perfectionem autē virtutis pertinet aliquid agere ex voluntate firmata in bono secundū Philosophum in Ethicis, & secundum Augustinum. Felix necessitas, quæ ad meliora nos cōpellit. Item no. in clemen. si Dominū:

Opus factum ex voto est magis meritorium, quā sine voto.

super

super verbo seipsum. de reli. & venera. sanct. vbi etiam per Paulum, & Stephanum, & Cardinalem Florent. quia proprium arbitrium per professionem à nobis abdicatur. 12. q. 1. non dicatis. Necessitas enim ex anteriori inclinatione procedens, in habituatis ad virtutem auget de perfectione virtutis, ratione nobilioris finis, vt ibi per eos, & comprobat Henri. de Gan. quolibeto. 13. q. 14. Sunt etiam in perfectiori statu religiosi mendicantes, quàm alij: vt concludit Augustinus de Ancona in lib. de Ecclesiastica potestate. q. 103. art. 1. Vita namque & mores, sanctos faciunt sacerdotes. 40. dist. non nos, cum sequenti. Iuuenis namque pater iste beatus Bonauentura ereptus de faucibus mortis miraculose meritis sancti Fancisci, religionem eius professus est, cum esset ætatis circiter 22. annorum: in quo quidem ingressu tanta gratia recipi dicitur, quanta recipitur in baptismo, & remittitur omnis pœna secundum sanctum Thom. super quartum sent. & secunda secundæ. q. 189. & habetur in c. primo de filijs presbyterorum. 47. dist. quantumlibet, & in authentico. de sanctissimis Episcopis. §. nullam, versi. 2. c. 1. de Apost. & c. cum deputatis. de Iudæis. Et inter cetera laudatur de summa bonitate, & eminenti scientia, adeo quòd Alexand. de Ales magister eius sæpe fuerit dicere solitus, quòd in illo videbatur Adam non peccasse, vt patet ex Chronicis. Et hinc est, quòd Dionysius attribuit perfectionem religiosis; quos vocat monachos vel θεραπευτὰς therapeutas, idest cultores, à sincero Dei famulatu atque cultu, tamquam perfectos. Quæ quidem perfectio licet ex obseruantia præceptorum resultet: quia ordinatur ad remouendum ea quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest, perfectius tamen resultat ex obseruantia consiliorũ, quæ ordinatur ad remouendum impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur, vt matrimonium, & occupatio negotiorum sæcularium, & similia. Vnde dicit. Aug. in Enchiridion. Quæcumque mandat Deus (ex quibus vnum est. Non mœchaberis) & quæcumque non iubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus est, Bonum est homini mulierem non tangere: tunc rectè fiunt, cum referentur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum, & in hoc sæculo & in futuro. Ideo dixit Abbas Moyses in collationibus patrum, ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumẽta sunt, quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per ipsa peruenitur ad finem, cum prius præmisisset quòd ad perfectionem charitatis illis gradibus conscendere mittimur. Et ad hoc optime facit c. duæ. 19. q. 1. etiam facta comparatione bonitatis & difficultatis. cum religiosus totam vitam suam obliget ad perfectionis studium, & attenta difficultate bene conseruandi se in religione propter arctitudinem obseruantiæ regularis: propter quã tamquam in agone contendens, ab omnibus, se debet abstinere iuxta doctrinam Apostoli. Et ideo dixit idem Dionys. in 5. Ecclesi. hierarchia. Eos qui nominantur Dei famuli, ex Dei potentia, seruitio, & famulatu vniri ad amabilem perfectionem. Ad quod facit c. admonere, 33. q. 2. Et quia ad perfectionem charitatis primũ fundamentum est voluntaria paupertas, iuxta illud Matt. Si vis perfectus esse, &c. & secundum Greg. in 4. moral. & Aug. in lib. 10. confess. ad Deum loquentem & dicentem. Minus te amat, qui, tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Et idẽ Aug. in lib. 38. q. dicit, quod nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis, & vbi perfectio, ibi nulla cupiditas. Et hinc est, quòd damnatus est Vigilantius, qui adæquabat diuitias paupertati: sicut & Iouinianus, qui adæquauit matrimoniũ virginitati. Facit & illud. Sunt eunuchi. & c. facit etiam, quia per vniuersalem obedientiam maxime imitantur Christum, qui (vt ait Apostolus.) Factus est obediens vsque ad mortem, &c. & ideo super his tribus votis etiam summus Pontifex dispensare non potest, iuxta ea quæ plene habetur in c. cum ad monasteriũ, in fi. de sta. monach. & per Io. And. in merc. Actus legitimi & semel Deo. de reg. iu. in 6. Votum autem huiusmodi requiritur ad statum perfectionis, iuxta Greg. super Num. 6. c. & super Eze. hibi. Cum quis omne quod habet, &c. nam per votum paupertatis voluntariæ, res exteriores totaliter Deo offert, per votum continentiæ offert totum corpus, abrenuncians eius maximis delectationibus, per obedientiam offert in holocaustum totaliter animam, & propriam voluntatem, &c. per quam homo vtitur in omnibus potentijs & habitibus animæ. Facit de pœn. dist. 2. c. si quis semel, & quod plenius tradidit per sanctum Tho. in secunda secundæ, q. 86. & 87. & de meditantibus præcipue. 87. q. art. 5. & q. 88. art. 7.

[Marginalia: De Ecclesi. hierar. c. 6. — Exo. 20. b — 1. Cor. 7. a — 1. Cor. 9. d — Mat. 19. c — Mat. 19. b — Phil. 2. b — Ad statum perfectionis requiritur votũ.]

maxime accedente ei dignitate Episcopali, &c. Et à religione non differt sanctitas secundum essentiam, sed solum ratione, vt plene patet per sanctum Tho. secunda secundæ, q. 81. art. 8. & de religion. not. Ioan. And. in ca. is qui. de regu. lib. 6. & de regul. iuris c. non est sine culpa, per Archid. de regul. capitulo secundo. eodem lib. & 85. dist. cap. primo. no. in l. prima. C. de summa Trinit. Et dicitur, quòd summa ratio est, quæ pro religione facit, l. sunt personæ. ff. de relig. Vnde cum beato Greg. Confidenter dicendum est, quòd ostio salutari post mortem non indiget, qui ante mortem Deo hostia ipse fuerit. & hoc præcipue vbi etiam concurrit status perfectissimus dignitatis Episcopalis, vt in hoc viro glorioso assumpto ad Episcopatum Cardinal. Alban. vt probat Tho. secunda secundæ.

Primæ partis. Articulus II.

AD secundum articulum eiusdem primæ partis principalis, etiam dico concludendo, quòd doctrina excellentissima huius beati patris maximum affert testimonium sanctitatis, per quam in Dei Ecclesia velut splendor fulget firmamenti, & velut stella in perpetuas æternitates mansura, ad iustitiam valens fideles erudire, vt probat, c. super specula. de mag. & Hiero. ad Paulinum, & in prologo Bibliæ c. 4. & Daniel. 12 Est namque doctorum ordo præcipuus in Ecclesia, c. ex iniuncto, de hæret. Ipsius namque per lucida & salutaria documenta almam matrem Ecclesiã illustrarunt, decorarunt virtutibus & moribus informarunt, & per ea is quasi luminosa lucerna ardensque super candelabrum in domo Domini posita, errorum tenebras profugauit, & totius corpus Ecclesiæ irradiat tamquam sidus matutinum. Eius etiam fecunda facundia cœlestis riui, gratia influente, scripturarum ænigmata reserauit, nodos soluit, obscura dilucidauit, dubiaque declarauit. Profundis quoque ac decoris illius sermonibus ampla ipsius Ecclesiæ fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat, vt de alijs doctoribus dicitur in c. 1. de reliq. & vene. sanct. li. 6. vbi sacri Doctores Ecclesiæ adæquantur in solemnitate officiorum Euangelistis. Et hinc est, quòd Dominus, Oseæ sexto cap. se velle dicit scientiam Dei plus quàm holocaustum, & quòd præualet testimonium doctrina etiam testimonio resurgentis. vt patet Luc. 16. in fin. Et hinc dicit Zepherinus Papa quòd sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas cap. sicut. 38. dist. & si fides Catholica ampliatur, & dilatato sui territorij loco funiculos suos facit longiores, circumcingitur muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valet ascendentibus ex aduerso, vt in cap. fina. de cleri. vel monach. Legitur autẽ de hoc beato patre, quòd cum per solum septennium in religione stetisset, legit lib. sententiarum in vniuersitate celebri Parisijs: Dehinc post tres sequentes annos cum cathedram magistralem rexisset, anno ætatis eius. 32 de primarijs in ordine habebatur. Fuit namque sibi tamquam infinitus thesaurus scientiæ, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati: vt dicitur Sap. 7. Omne etiam in eo imperfectum scientiæ supereminentis, suppleuit perfectio charitatis non instantis. c. nisi cum pridem. §. pro defectu, de renunciatio. & propter eam non est præsumendũ ipsum fuisse vmquam immemorem propriæ salutis, capitulo cum in iuuentute: de præsump. quia vt ait Sapiens, in animam maleuolã non introibit Sapientia, &c. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugium fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, vt ibidem dicitur. Et hinc dixit Hieronymus. Ama scripturarum studia, & carnis vitia non amabis. Et diuitias nihil fecit in comparatione illius. Sapien. Septimo: & à cogitatione lasciuiæ auertit animum, & carnem macerauit propter studij laborẽ. Ecclesiast. trigesimoprimo. Probatur primo Mach. 12. ibi, habentes pro solatio sanctos libros. Verumtamen in hoc beato viro verissimo eam fuisse infusam magis quàm acquisitam. Est enim acquisitio sapientiæ per inspirationem velox & facilis, per studium vero difficilis & tarda, secundum sanctum Thomam. Ps. 44. ex quinque signis quibus hoc à Theologis discerni consueuit. Primò auctoritate Apostoli, 1. ad Corinth. 2. Secundò auctoritate Sapientis, qui ait. Cum simplicibus est sermocinatio eius. Vbi sapientia, ibi humilitas. Tertio quando in omnibus vera loquitur sine administratione alicuius falsitatis, ergo à Spiritu sancto, qui doctor est veritatis. Quarto quãdo in omnib. loquitur cõformiter

[Marginalia: Oseæ 6. c — Sap. 7. b — Sap. 1. a — In Epistola ad Rusticũ monachũ. — Sap. 7. b — Eccl. 31. a — 1. Mac. 12. b — Prou. 3. d]

ad sacram Scripturam, & sanctorum doctrinam: quia suspecta est omnis veritas, quam non confirmat scripturarũ auctoritas, secundum Richardum. Quintò quando iuuatur miraculis, & approbatione sanctitatis à Dei Ecclesia communi voto, per quod excluditur omnis error, secundum quòd hæc omnia plene examinauit Ioannes, de Tur. cre. olim magister sacri palatij, ac demũ Cardinalis sancti Sixti, & Episcopus Sabinen. in suo defensorio reuelationum sanctæ Brigidæ, circa principium: & ab Alfonso Eremita olim Episcopo Gien. in eius prologo, in libros reuelationum eiusdem sanctæ: pro quibus est dictum, c. Cum ex iniuncto, de hæreticis, iuncta multitudine librorum per eum compilatorum, & mira deuotione ex illis resultante, & paruo temporis spatio copia librorum, & maxime illius extrinsecis occupationibus, &c. Et dicendum quòd licet secundum Theologos communiter concludatur, tres tantum fore aureolas, quæ sunt mentis spirituale gaudium veniens ex corpore praexcellenti & priuilegiato, quarum vna datur martyribus, secunda vero prædicatoribus, tertia autem virginibus vltra quattuor dotes animæ glorificatæ, & quattuor corporis glorificati, iuxta illud Pauli, Stella enim differt à stella in claritate, sic, & resurrectio mortuorum, & cætera. De quibus plene per magistrum. 49. distinctio. in 4. & ibi plene per sanctum Thom. & alios Theologos. Item vltra quattuor delicias quas habuerunt in præsenti, scilicet lumen Dei, bona opera, virtutes, & quietem mentis, dicit Thom. Isa. 51. quod sancti in gloria habent plenam Dei visionem, perfectam dilectionem, copiosam refectionem, & eminentem auctoritatem. tamen secundum Ioannem de Tur. Cre. in lib. de quæst. Euangeliorum annuorum, quem dixerit cœtui Cardinalium; dicendum est, quod eadem aureola quæ debetur prædicatoribus, etiam debetur doctoribus, iuxta illud: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. & nota Gloss. super illud: Vt sciatis quàm sit eminens &c. quòd crementum quoddam habebunt sancti doctores, vltra id quod alij communiter habebunt. Item quia sicut per martyrium & virginitatem obtinetur perfectissima victoria, de carne, & mundo: ita etiam perfectissima contra diabolum obtinetur, quando aliquis non solum diabolo impugnanti non cedit, sed etiam eum repellit per doctrinam, ideo doctrinæ aureola pariter debetur, per quam non solum à se, sed etiam ab aliis repellit: quando scilicet doctrina est de pertinentibus ad salutem, vt in casu nostro & principaliter scribitur actu ad gloriam Dei, hoc enim inter spirituales eleemosynas, & arma spiritualia computatur. Etiam quia vsus doctrinæ ex voluntate procedit, quæ per charitatem informatur à Deo infusam. Nec exaltatio in hac vita diminuet alterius vitæ præmium, non quærenti gloriam propriam, sed exaltationem in vtilitatem aliorum conuertenti ex ea sibi mercedem in cœlestibus acquirendo. Hoc vult in prima quæst. de beato Thoma de Aquino. Dicit etiam Aug. Nemo (quantum puto) ausus fuerit virginitatem præferre martyrio &c. & foret peruersitas secundum Augustinum, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare. Quod non solum debet intelligi, in doctrina & lectione eorum quæ sunt secundum pietatem, secundum Apostolum; sed etiam aliis doctrinis vacare possunt religiosi, quorum tota vita diuinis obsequiis mancipatur, inquantum ordinantur ad sacram doctrinam. secundum Augustinum dicentem: Nos dum negligentes esse non existimamus, quos hæretici notionis & scientiæ fallaci pollicitatione decipiunt, tardius incedimus consideratione ipsarum viarum. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesiæ filios eadem refellendorum hæreticorum necessitate fecisse videremus. De quo per sanctum Thom. in opere aureo super quattuor libros Euangeliorum, decimonono, c. 5. & secunda secundæ. quæst. 85. art. 5. quæs. 81. & 82. per totum, quæ tamen omnia recipiunt determinationem, de qua in capit. non magnopere, & in c. fi. ne cleri. vel monach. ne antiqui hostis inuidia in Angelum lucis se more solito transfiguret &c. iuxta Apostolum & in c. licet. de regu. cum simi. & 36. dist. Florentinum, & per totas distinct. plene hæc examinantur. Ad hoc autem præcipue attendantur opera eius super lib. sententiarum, super quattuor Euangel. Compendium Theologiæ. Libellus instructionis nouitiorum minor, & libellus maioris introductorij nouitiorum. Apologia. Arbor vitæ. Item ad fratrem innominatum, & de partibus domus religiosæ. Dialogus, Centiloquium, & de vita Christi, de passione Christi. Epistola ad Michaelem Imperatorem, ad suam sororem de Philomena. Aliud compendium passionis Christi, Epistola ad sororem sanctæ Claræ. Item de consideratione. Item de meditat. Enchiridion. seu cumulus orationum, de diuisione rerum vniuersi, de quattuor operibus religiosorum, sermones, sophismata, de decem præceptis. Item super Ecclesiasten. Item super Lucam in Appa. spiritus Domini super me. In quibus libris apparet tantus ardor eius in diuinum amorem, quod præcipue appropriatur sibi hoc nomen Seraphicus doctor, ita quod non alteri cuiquam ex cunctis doctoribus sacris. Itinerarium mentis in Deum & in seipsum. Pharetra, & de stimulo amoris. Defensorium ordinis mendicantium. Legenda. Officia. Arbor crucis, & de septem visionibus, & de sex alis Seraphin, & quamplura alia, vt merito de illo cantare possit Ecclesia: Iste est qui magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina eius repleta est, &c. Et si forte nonnulli Theologi asserantur tenere contrarium eius, quod ipse aliquando determinat: dico non esse faciendam viam aliquam, tum propter not. per Inn. Hostien. & Ioan. And. & alios in c. ne innitaris. de constitu. per not. in c. litteras. de restit. spol. tum etiam propter protestationes consuetas, &c. per c. damnatus. de sum. Trinit. cum ibi notatis.

1. Cor. 15. c

Matt. 5. c

Aug. lib. de virginitate. c. 46. to. 6.

Aug. lib. de opere Monach. ca. 17. to. 3.

Aug in fine sexti libri Musicę suę. to. 1.

2. Co. 11. c

Opera à S. Bonau. cõposita.

Primæ partis. Articulus III.

AD tertium dico concludendum cum beato Thoma in quolibet. 5. art. 22. & cum ad opus prælaturæ maxima requiratur idoneitas: vt patet per Gregor. dicentem. tantum actionem populi debet actio prælati transcendere, quantum distare solet a grege pastoris vita, ad quod humana fragilitas secundum proprias vires sufficiens non est. secundum Apostolum. Et ob hoc quis etiam idoneus potest aliquando, & debet laudabiliter, considerans proprium defectum, ex humilitate officium prælationis recusare, sicut Hieremias dixit: Nescio loqui, quia puer ego sum. Et hinc est, quod dicit Greg. 18. moral. quòd prælatio propter meliorem intention. m fugienda est. Item quia valde difficile est, purgatum se quen libet posse agnoscere, sicut agnouit Isaias: prælationis officium tutius declinatur, non tamen pertinaciter, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Vnde Augustinus, ait. Superior locus sine quo populus regi non potest, & si ita teneatur vt decet, tamen indecenter appetitur. Otium enim sanctum quærit charitas, veritatis negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Beatus igitur Bonauentura noster, vt patet ex chronicis, cum per Clementem quartum fuisset ad Ecclesiam Eboracen. in Anglia opulentissimam promotus, ad pedes Papæ se contulit, & Episcopatui prædicto humiliter cessit, cuius Papa resignationem admittens, hæc verba protulit: Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce: verum cum de anno 1274. vocatus fuisset à Gregor. X. coactus ad Cardinalatum, & Episcopatum Alban. assumptus fuit, tempore quo Lugdunen. concilium generale celebratum fuit, ob cuius præsentiam & scientiam multa de nouo statuta ac vetera reformata & renouata fuerunt, &c. præcipue, c. religionum diuersitas situatum in tit. de religio. domi. libro sexto. & iuxta sententiam sancti Tho. de qua supra determinatur, olim in scripturis, & ibi not. de Episcopo Mutinen. qui dixit volens nolo, & nolens volo. c. sciendum. & c. qui Episcopatum. 8. quæst. 1. cum si. & not. per Innocent. in cap. cum in iure. de elect. & habetur cap. quàm sit. eodem titulo. lib. 6. & 23. quæ. 4. displicet & 40. distinctione, ante omnia. No. 1. quæstion. 6. sicut. & 7. quæst. 1. scias. & 16. q. 1. nos autem. Et simulans renuere etiam causa humilitatis peccat. 22. q. 2. cum humilitatis. & cap. fina. de præsumpt. & not. in dicto cap. sicut. & per legistas in leg. si quemquam. C. de Episco. & cleric. De his tamen plenius traditur per eundem sanctum Tho. in secunda secunda, q. 86. art. tertio. Fuit ergo status vitæ eius omni ex parte perfectus, tum quia religiosus ordinis mendicantium sancti Francisci, & in primordiis quibus in omnimoda perfectione floruit ipse ordo: tum quia Episcopus Cardinalis Albanen. & sic de summis: tum etiam quia religionem professus fuit ex voto, cum meritis sancti Francisci, de faucibus mortis fuisset ereptus, vt ipsemet testatur in fine legendæ eiusdem sancti Francisci. Pro quibus allegare sufficiat sanctum Tho. secunda secundæ. q. 184. vsq. ad fi. lib. & q. 88. art. 6. & simile de Samuele. 1. Reg. cap. 1.

Greg. sto. cũo...

2. C...

Hier. 1. a

Aug. lib. 19. de Ciui. Dei c. 19. to. 5

Primæ

PRIMÆ PARTIS.

ARTICVLVS IV.

AD quartum dico concludendum, sufficere eas virtutes quas exprimit hymnus confessorum (qui creditur fuisse Ambrosij) vt patet per Guilelmum in rationali diuinorum lib. 5. de diuinis officijs, in c. Est autem. in tertia cartha. ibi. Qui pius. 86. dist. qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ, & lacrymarum: quamuis spiritualis sit, non adimplet legem Christi &c. prudens sicut serpens, & simplex sicut columba. Matthei 11. Humilis, iuxta not. in clemen. 1. de religio. dom. & secundum illud. Discite à me, &c. & per Arch. 21. quæst. 2. cum humilitatis. & eadem quæst. contra mores. 86. dist. quando. Pudicus. Impudicus oculus, impudici cordis est nuncius 32. quæstio. 5. nec solo, hac sola Deo cum fiducia, &c. in authen. de lenon. §. scimus, coll. 6. Sobrius c. à crapula. de vi. & hone. cleri. cap. 1. de reliq. & vene. san. Castus contra bigamiam, & numeratur inter fructus Spiritus ab Apostolo. Fuit & quietus, id est non percussor sed modestus. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, inquit Paulus. 41. distinct. per totum, & numeratur etiam inter fructus Spiritus. Vita dum præsens, vegetauit eius corporis artus. Quòd omnia ista concurrant in eo, innuit euidenter perfectus status eius, scilicet religio mendicantium sancti Francisci, de qua supra dixi. licet Hostien. videatur plura requirere, in confirmando in Episcopum, & similiter in canonizando in sanctum, in sum. de elect. §. quis eligitur. vers. canon tamen antiquus, dicens quòd confirmandus in Episcopum, debet esse natura prudens, docibilis moribus, temperatus vita, castus, sobrius, suis negotiis semper cauens, humilis, affabilis, misericors, liberalis in lege Domini instructus, in scripturarum sensibus acutus, in dogmatibus Ecclesiastici exercitatus, & ante omnia fidei documenta simplicibus verbis asserens, id est, Patrem & Filium, &c. allegat. 23. distin. qui Episcopus. 41. distinct. cap. vltimo. Et quia Petrus dicit quòd talem oportet esse Episcopum, vt pro ingenio addiscentium semetipsum possit aptare, &c. Debet igitur valde esse eruditus & edoctus, irreprehensibilis, & maturus, & pauidus sicut fuit Clemens. Debet etiam singulos iuuare prout poterit, singulos portare, & singulos releuare. 8. quæstio. 1. oportet. & cap. seq. & ideo dicit Augustinus, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, & laboriosius, & periculosius Episcopi vel diaconi officio, sed nil apud Deum beatius, si eo modo militetur, quo noster præcipit Imperator, id est Deus. Sed nil facilius, nil ve leuius & acceptabilius, sed & nihil damnabilius si perfunctorie res agatur. 40. distinct. ante omnia, & subdit. Hanc vltimam partem multi tenent. Deus adiuua me & saluus ero, multa enim de prædictis, immo fere omnia in multis deficiunt, consulo si talem habere poteris, ipsum eligas, sed qui talem voluerit, ipsum fabricet de nouo. quia res pene contra naturam est, vt homo sine peccato sit, tamē eligendus est is, cuius respectu ceteri de Ecclesia grex dicantur. 30. dist. Vnum. §. nunc autem. Tamen quicquid dicatur sufficit, quòd bonus eligatur. 16. q. vlt. Monasterium. Sed ego dico, quòd ex eo, quòd iste beatus Bonauentura fuit electus in Generalem ordinis à bonis, videtur sufficiens resultare notitia de meritis eius, tamquam de auditu à bonis 22. quæ. 5. hoc videtur. sed amplius quia fuit electus in Cardinalem à Papa Honor. & procedente ad hoc cum maxima maturitate per not. in c. 1. de scruti. sicut dicit etiam Ioan. Andr. de auditore Rota in c. quod sicut, de elect. Latius discurrit in his idem Hostien. in sum. de temp. ordin. examinans singula, de quibus. 1. ad Tim. c. 3 & 2. ad Titum, & Gratianus à 53. dist. vsq. ad 50. & à 71. dist. vsq. ad 87. Dignus enim reputatus ad vnum ordinem, non debet ad alium indignus reputari, cap. accepimus, de ætat. & qualita. 74. distinct. gesta. 1. qu. 1. sicut Christus, c. nonnulli, de accusat. c. in præsentia, de sentent. excommunicat. leg. qui sciens, ff. de lib. causa. leg. si vxor, in fi. ff. de adul. & art. 1. leg. viro atq. vxore, ff. solut. matrimo. Et dicendum est sufficere istas, quia qui habet has, alias omnes habet, si. ut contra de vitiis dicitur, de pœnitent. dist. 5. c. defleat, & c. fratres, & cap. dolendum, de regu. iuris. cap. defleat. 32. quæstio prima cum renunciatur. Plenius patet per sanctum Thom. 2 2. in pluribus locis. Et quantum ad pietatem attinet, dico, quòd est specialis virtus inquantum parentibus, & patriæ, & his qui ad hoc ordinantur, officium, & cultum impendit, quia est connaturale principium producens in esse, & gubernans, vt declarat sanctus Thom. secunda secundæ. quæst. 101. art. 3. Dicit tamen Ambros. super Lucam, quòd necessitudini generis, diuina religionis pietas antefertur. Et Hieron. in Epistola ad Heliodorum: Per calcatum perge patrem, &c. summum genus pietatis est, in hac re esse crudelem. An vero & quomodo occasione religionis, prætermittenda sint pietatis officia in parentes, plene dicit idem sanctus Tho. vbi supra, art. quarto. Est etiam pietas donum Spiritus sancti, correspondens virtuti iustitiæ & beatitudini mititudinis diffundens corda miserationis ad proximum, contra crudelitatem. Et mitis est semper qui prius pauper fuit, & possidet terram & seipsum. Et comparatio obseruātia ad pietatem, attenditur secundum diuersas habitudines diuersarum personarum ad nos, quos respicit vtraq. virtus secundum eumdem sanct. Thom. secunda secundæ quæst. 102. artic. 3. Differt autem à misericordia & beneficientia, eleemosyna, & charitate, vt plene deducit idem S. Thom. 2. 2. quæst. 30. & 31. sub tractatu de charitate, proprie sumendo, &c. quia misericordia est compassio alienæ miseriæ: & beneficentia importat bonum facere proximo. Charitas autem est amor fundatus super communicatione hominum ad Deum, & est Spiritus sanct. mentem inhabitans. Eleemosyna autem est actus misericordiæ, & consequenter sunt diuersa licet connexa. Quantum autem attinet ad prudentiam, ad quam pertinet applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto, & non solum habet rationem virtutis, quam habent aliæ virtutes intellectuales, sed etiam quam habent virtutes morales quibus connumeratur, & cum prudentia sit in ratione, diuersificatur ab aliis virtutibus intellectualibus, secundum materialem diuersitatem obiectorum. A virtutibus autem moralibus distinguitur secundū formalem rationem potentiarum distinctiuam, vt plene deducitur per S. Thom. 2. 2. quæst. 47. art. 4. & 5. & in art. 6. subdit quòd ad prudentiam pertinet, disponere de his quæ sunt ad finem, & qualiter & per quæ homo in operando, pertingat medium rationis, pertinet ad dispositionem prudentiæ, & ad illam bene consiliaturam pertinet præcipere. Et dicit August. in lib. de mori. Eccles. quòd prudentia sunt excubiæ atq. diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur, & habet se ad bonum priuatum, & ad bonum commune multitudinis, & sic est tam politica, quàm œconomica. & monastica, & conuenit vnicuiq. inquantum participat, de regimine & gubernatione, & est perfecta, quæ ad bonum finem totius vitæ recte consiliatur, iudicat, & præcipit, quæ in peccatoribus esse non potest. Vnde Gregor. in 2. Moral. cetera virtutes nisi ea quæ agunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt, & cum omnes virtutes sint connexæ, concurrunt etiam cum gratia. & quia non est circa finem sed circa ea quæ sunt ad finem, non est simpliciter naturalis. Et quia consistit principaliter in applicatione ad opera oblivio vniuersalis cognitionis, id quod principale est in ea non aufert, licet aliquod afferat impedimentum, vt patet per S. Th. vbi supra. Huic correspondet donum consilij, & misericordiæ beatitudo: ideo illi congruit præmium misericordiæ superabundans, & excedens saturitatem. Maxima profecto elucet prudentia beati patris nostri Bonauenturæ, in sedādo discordias inter Prædicatores & Minores in capitulo Parisiis celebrato, de anno 1266. circa inquisitores hereticæ prauitatis, & transitus de vna religione ad aliam. & inquantum distinxit Prouincias, & quamlibet voluit habere suum præsidentem, & in statuendo prouinciarum omnium numerum, & cætera. Magnum etiam consilium eius relucet, ex gestis Concilij Lugdunen. 2. &c. & in capitulo generali Narbonen. vbi constitutionibus ordinis formam dedit, &c. Et licet Philosophus. 5. Ethic. dicat, impossibile esse, prudentem non esse bonum, quandoq. sumitur prudentia in malum, ca. de illis, de desponsa. impuber. Et 6. Ethic. dicit idem Philosophus. prudentes illos existimamus, qui sibi & aliis possunt speculari. Et Ægidius de regimine principum, c. 7. & capit. 8. ponit. 7. partes prudentiæ: improprie autem sumitur. 22. quæst. 1. quo casu, & in cap. fin. de desponsa. impuber. Et serpentina prudentia est cauere à supplantantium insidiis. 6. qu. 1. ex merito, in fin. sicut simplicitas columbina est, cuiquam non machinari dolos. Sancti namq. quæcumq. agunt, in conspectu Dei agunt, de pœniten. distinct. 1. cap. Verum. Circa humilitatem vero quæ est de speciebus modestiæ, quæ modestia est pars temperantiæ, dico humilitatem esse virtutem temperantiæ, & refrenantem animam, ne immoderate tendat in excelsa, quæ sunt supra se, secundum regulam

Gal. 5. d

Phil. 4. a

lam quam habet in cognitione: vt scilicet aliquis non se existimet esse supra id quod est, & sic iuxta illud. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me, & cætera. circa appetitum boni ardui præter rationem rectam, quod est cum homo considerans suum modum, tenet se in infimis secundũ suum modum, & sic in sui ratione, reportat quamdam laudabilem delectationem ad ima, in interiori motu animæ, hoc est principaliter in interiori electione mentis. Et est moderatiua motus appetitus, & regula quædam directiua eius, ex cognitione proprij defectus. Respicit etiam proprie reuerentiam, qua homo Deo subijcitur, & per quam homo secundum id quod est, debet se cuilibet proximo subijcere, quantum tamen ad id quod est Dei in ipso, absq; eius humilitatis præiudicio: possunt dona propria præferri donis Dei, quæ apparent aliis collata, & in ea fundantur omnia Ecclesiæ Sacramenta, & opponitur superbia vitiorum reginæ. Nec requirit humilitas, vt aliquis id quod suum est, in ipso subijciat, ei quod est hominis in proximo: licet possit reputari aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet, vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est, & sic potest se ei subijcere per humilitatem. Reprimit itaque humilitas motum spei, qui est motus spiritus in magna tendentis, & ideo recte dicitur pars temperantiæ, contenta sub modestia, iuxta illud Petri. In incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus. Facit autem hominem bene subiectum ordinationi quantum ad omnia, sicut qualibet alia virtus facit quantum ad aliqua, quibus est potior post virtutes Theologicas, intellectuales, quæ respiciunt ipsam rationem, ac post iustitiam præsertim legalem. In ea tamen principium, & radix est reuerentia, quam quis habet ad DEVM. Ex cuius interiori dispositione, procedunt quædam exteriora signa in verbis, & factis, & gestibus, quibus id quod interius latet, manifestatur, sicut in ceteris virtutibus accidit, quæ signa in duodecim gradus humilitatis conuenienter distinguuntur, vt magistraliter deducit Thom. secunda secundæ quæstion. 161. articulo sexto, & in regula sancti Benedicti, licet Ansel. in libro de similitudinibus, ponat tantum septem gradus. Aliqui ponunt tantum tres gradus, & decem indicia, vt Cassia. & gloss. Matth. 3. Qui quidem omnes gradus, & indicia, nedum sufficienter, sed abundanter, & cum omni iustitia, in beato patre nostro Bonauentura floruerunt: vt ex gestis eius, & chronicis ordinis, & libris per eum compilatis patet expresse. Et magna perfectio fuit huius patris in adimplendo votum matris, & profitendo religionem, per ea quæ habentur. capit. licet, de votis. Circa pudicitiam autem, quæ secundum Augustinum, est quædam virtus animæ, à pudore dicta, in qua verecundia significatur: dico eam proprie esse circa illa, de quibus homines magis verecundantur hoc est, de actibus venereis, secundum eundem Augustinum. Et attenditur proprie & præcipue, circa signa venereorum, sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus, & quia hæc solent magis reprehendi, ideo pudicitia magis respicit huiusmodi exteriora signa, quàm mixtionem veneream: & ordinatur ad castitatem, non vt virtus ab ipsa distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam, licet interdum vnum ponatur pro alio, & est virtus refrenans inobedientiam genitalium membrorum, quæ non subijciuntur imperio rationis, vt infra subijciam, dum de castitate loquar. de quo. 33. quæstion. 5. nec solo. cum se. & in clement. ad nostram. versic. 7. de haret. & per sanct. Thom. secunda secundæ. quæstio. 154. artic. quarto. Aliter tamen capitur Impudicus in capit. cum decorem. de fid. presbyt. & est pudor corporis, pudicitia mentis, secundum Papi. & Archid. 32. quæstion. 2. pudor facit, capit. de adult. l. ita pudor. In proœmio autem decret. super versic. pudicus exponitur, id est castus: & dicitur in cap. 1. 43. dist. quòd pudicus debet esse sacerdos & monachus, vt verbis pudorem indesinenter ostendant: habetur in auct. quomodo oportet Episcopos. §. neque autem. & ff. de iniuriis. leg. sed & quæstionis. §. fin. vbi sit iniuria si attendatur pudicitia, facit. 37. quæstio. 1. capitulo vltimo, & in cap. 3. 22. quæst. 5. dicitur quòd est virtus animi, quæ violentiam non sentit, facit institu. de noxalibus. §. fina. Circa sobrietatem, quæ est per se specialis virtus conseruans bonum rationis contra omnem potum, à quo possit impediri rationis vsus, ex fumositate cerebrũ perturbante, sicut abstinentia conseruat contra omnem cibum, ne per immoderantiam delectationis, bonum rationis absorbeat sua speciali ratione, non autem inquantum sunt nutritiua. Et sumitur à mensura, quasi briam seruans, id est mensuram proprie. iuxta illud Ecclesiast. Sanitas est animæ & corporis sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Sumitur etiam communiter nomen sobrietatis, in quacumque re & materia per similitudinem quamdam, in qua non tantum nocet excessus, sicut in potu, in quo mensura est maxime necessaria, &c. cuius oppositum est ebrietas. Dico tamen, quòd nullus potus sicut nec cibus (secundum se consideratus) est illicitus, iuxta illud: Non quod intrat per os coinquinat hominem: nisi per accidens, vel ex conditione bibentis, cum à vino de facili læditur, vel ex speciali voto obligatur ad vinum non bibendum, aut ex modo bibendi, scilicet excedendo mensuram, aut ex parte aliorum qui ex hoc scandalizantur, aut ad perfecte sapientiam recipiendam, &c. vt clare deducitur per S. Thom. secunda secundæ. quæst. 149. per totum. & per Gratianum. 35. distinct. Ecclesia. & capit. luxuriosa, & per totum, & distinct. 44. per totum. Circa castitatem dico, quòd inquantum est secundum rationem operans, concupiscentiam castigans & refrenans, virtus est propria, & habens in venereis rationem virtutis: inquantum autem habet delectationem in suo actu, connumeratur inter fructus, cuius oppositum est luxuria. Communiter etiam sumitur inquantum abstinet se, ne delectabiliter alij coniungatur contra debitum diuini ordinis, probatur in cap. Nicena. 30. dist. vbi ibidem not. de sobrietate, & tunc etiam dicitur castitas spiritualis, retrahens humanam mentem, ne rebus illicitis delectabiliter coniungatur: cuius ratio principaliter in charitate consistit, & in alijs virtutibus Theologicis, quibus mens hominis coniungitur Deo. Distinguitur ergo proprie ab abstinentia, quæ est circa delectationes pertinentes ad vsum ciborum, quia ipsa refrenat vsum concupiscentiarum venerearum, quæ sunt vehementiores & magis opprimentes rationem, quàm delectationes ciborum & potus, & sic secundum proprias & speciales rationes inter se differunt, abstinentia, sobrietas, & castitas, & temperantia ipsa, cuius istæ sunt partes subiectiuæ, sicut etiam & pudicitia, &c. Item & continentia quæ est pars potentialis ipsius temperantiæ, inquantum large accipitur nomen virtutis, pro quolibet principio laudabili operum, & resistit concupiscentiis prauis, quæ in homine vehementius sunt, & est hæc sola cum fiducia potens Deo hominum animas præsentare, vt in auct. de lenonibus. sancimus, & est Deo placens, quam non necessitas sed voluntas facit. 24. quæst. 5. sed tunc, & non nisi Deo inspirante habetur. 28. dist. de his facit. l. di. quia tua, vbi dicitur paucos inueniri. facit de Episcop. & cle. si quemquam. Circa quietudinem dico, illam sumi posse pro modestia, quæ est pars potentialis temperantiæ, & est moderatiua eorum, quæ minus difficile est refrenare secundum S. Tho. secunda secundæ. quæst. 160. per totum, & tã de illa quæ consistit in exterioribus motibus corporis, qui serio aguntur & ludis, quàm de ea quæ consistit in apparatu, &c. & in hoc differt à temperantia quæ est moderatiua difficilium, & à clementia quæ est moderatiua pœnarum contra crudelitatem, & à mansuetudine quæ est moderatiua iracundiæ, & ab humilitate de qua supra, & à studiositate, quæ est pars integralis ipsius temperantiæ, quæ proprie dicitur circa cognitionem, & importat vehementem applicationem mentis ad aliquid secundũ rationẽ virtutis, & sic differt à curiositate qua, quis vtitur ad peccandum, &c. potest etiã sumi pro mansuetudine & clementia, quæ sunt partes integrales temperantiæ, de quibus per S. Tho. secunda secundæ. q. 152. per totum. potest etiam sumi pro pacifico inquantum est actus charitatis. vt patet per S. Tho. secunda secundæ. q. 160. art. 29. vt sic sumatur pars pro toto & concludatur. Omnis charitas iustitia, & omnis deniq; virtus in canonizatis, prout concurrit in beato patre nostro Bonauentura, &c. Et secundum quod quies nobis appetenda est pro lucro multorum, aliquando tamen postponenda. 8. quæst. 1. in scripturis, & est quieta tranquillitas, vt pax vnde quiescamus, & sine turbatione simus. secundum Archid. de offi. leg. capet. 1. libr. 6. in versi. quiete. & in vers. quiescamus, & quieti esse debent serui Dei à strepitu causarum. cap. 1. de synodo. Merito ergo de hoc beato patre, Ecclesia sancta Deo cantare poterit, atq; perlegere. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina eius repleta est, ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Iste est qui contempsit vitam mundi, & peruenit ad cœlestia regna. Merito etiam de eo poterit Ecclesia solemniter & publice decantare. Qui pius, prudens, &c. & hic vana terræ gaudia & lutulenta prædia, &c. Itẽ ieiuna membra deferẽs, da

pes su

Marginalia: Psal. 103. a; 1. Pet. 3. a; Aug. li. 1. de Ciuit. Dei. 10. to. 5.; Ibid lib. 14. cap. 23.; Eccli. 31. d; Matt. 15. b

pes supernas obtinet: & hic vir despiciens mundum, &c. & alia, in quibus in officio communi confessorum. pręsertim maiorum inter quos enumerari debet, cum fuerit Episcopus Cardinalis Albanen. vnus de sex maioribus Episcopis vrbis Romanę, &c. De quo reperitur in quibusdam memorialibus magistrorum carimoniarum antiquis, & idem per omnia habetur in chronicis ordinis S. Francisci, vbi tractatur de nono generali in prima columna anno Domini 1274. quadam die Lunę quę erat 7. mensis Maij. Dominus Gregorius Papa X. cœpit concilium generale celebrare in ciuitate Lugdunen. propter Saracenos principaliter, qui inuaserant terram sanctā. In eodem concilio Papa contra voluntatem Cardinalium promulgauit. c. vbi periculum, de electio. lib. 6. cum 12. aliis sequentibus. Eodem anno quadā die Dominica quę erat tertia idus Iulij. hoc est 13. mensis Iulij, hora matutina obiit claræ ac venerandæ memoriæ beat. Bonauentura, ordinis sancti Francisci, Cardinalis, & Episcopus Albanen. ętatis suę anno 53. & ad sanctos patres appositus, triumphantes, suo vt credimus, lętificauit consortio, sed incredibili affecit mœstitia militantes: qui fuit vir eminentis scientia, sanctitate pręcipuus, vita, conuersatione, ac moribus excellentissime decoratus, benignus, affabilis, pius, misericors, virtutibus plenus, & ab omnibus dilectus Latinis & Gręcis, clericis & laicis. Qui eadem die sepultus fuit in conuentu fratrum Minorum Lugdunen. in cuius exequijs interfuit Dominus Papa, cum omnibus Cardinalibus & & Prælatis concilij, & quasi tota curia, frater Petrus ordinis sancti Dominici Cardinalis, & Episcopus Hostien. celebrauit primā Missam exequiarum, & pręedicauit, cuius thema fuit: Doleo super te frater mi Ionatha. Multæ lacrymæ, & amari gemitus emissi fuerunt in eodem sermone. Hanc enim gratiam inter alias concesserat ei Deus, quia quicumq; ipsum videbat, ipsius amore incontinenti capiebatur in corde, tantaq; prærogatiua donorū dotatus fuit diuinorum, vt Ecclesia Dei nullum parem sibi relinquere videretur. Et hoc tempore Gręci ad obedientiam sedis Apostolicæ redierunt in quo 40. primates Gręcorum subscripsisse dicuntur, cum eo qui tenebat imperium Gręcorum, & nuncij Tartarorum baptizati fuerunt. Notitia autem diei obitus necessaria videtur, propter hymnum confessorum, in quo Hodie lętus meruit secreta, &c. ibi: Anni recurso tempore dies illuxit lumine, &c. Et in serm. Amb. ibi: Bene igitur ac congrue in hac die cuius hodie ad paradisum transitus, &c. Et adde, quidquid Dominus fecit insigne, facit in die Dominica. 65. distin. quod die 15. quæstion. 4. c. 1. Nota Arch. de consecr. distin. 3. prouinciam, & ideo Pius II. non attento vero die obitus sanctę Catharinę de Senis, in eius canonizatione statuit, festum eius debere celebrari in prima Dominica mensis Maij annis singulis, vt patet in bulla canonizationis data 1461. 3. Kalen. Iulij, anno 3. Requirere etiam videtur Apostolus vltra pręmissa, quòd sit irreprehensibilis, id est sine crimine, ideo dicit Hieronymus 25. dist. cap. primum itaq; quomodo potest pręses, &c. quia si in promouendo requiruntur huiusmodi, multo magis in canonizando, quod intelligo de crimine capitali & mortali. Nam non est credendum, possibile fore etiam in Spiritu sancto confirmatos sine minutis peccatis reperiri, vt in c. criminis. ea. dist. iuxta Apostolum: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, &c. & illud: Septies in die cadit iustus, quia si ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam, vt dicitur in Psalm. Item quia Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, & adeo omnia prorsus vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiā hoc ipsum faciet eis proficere Deus in bonum, secundum Aug. & de pœnit. dist. 2. talibus: Et quia impossibile est in sensum hominis non irruere motum sensualitatis calorum, ideo ille demum laudatur & pręedicatur beatus, &c. & not. glo. in c. si quelibet. 22. q. 2. quòd veniale peccatum non tollit gratiam, nec eam impedit etiam si omnia peccata venialia aliquis commisisset, &c. de quo per S. Tho. in 1. 2. q. 88. vbi fecit triplicem distin. &c. Itē quòd sit vnius aut nullius vxoris vir, quinimmo etiā secundū Nicolaū papā in c. quorumdā 34. dist. debet vitare etiā immoderatā familiaritatē consanguineorū, & abstinere à nuptiarū conuiuijs, nec his cœtibus se miscere, vbi amatoria verba canuntur & turpia, aut obscœni motus corporum, &c. c. presbyteri. ea. dist. c. non oportet, de consecr. dist. 5. & c. de his 31. q. 1. Item ornatus in exterioribus, habitu videlicet, & incessu, ita quòd nec affectatæ sordes, nec exquisitæ delitiæ placeant secundum Hieron. 41. dist. quisquis, & c. Episcopus, & §. sicut. Item, quòd fuerit hospitalis,

2. Reg. 1. d

1. Tim. 3. a

1. Ioan. 1. d
Pro. 24. b
Psal. 36. c
Rom. 8. e

August. de correpț. & grat. c. 7. 10. 7.

nam & vidua in Ecclesia recipi prohibetur, quę pauperes non recipit hospitio, &c. Et Ioannes Euangelista Diotrephem excommunicauit, qui nec pauperes recipiebat, sed recipientes de Ecclesia eijciebat 85. distin. Florentinum, & c. siquis, & c. quiescamus. 42. dist. Item quòd non facile irascibilis, aut perturbati sensus, alios percutiens, c. quid autem, & c. qui sincera, cum seq. 45. dist. & licet nonnunquam, &c. Episcopum, &c. cum beatus, & c. disciplina, &c. omnis, cum multis aliis. Item quòd sit doctor, non litigiosus, nec cupidus, aut neophytus. Quibus omnibus virtutibus beatus noster Bonauentura claruit, summaq; doctrina fuit illustrissimus, paupertatis professor altissimę, ex Christianissimis parentibus Christianissimus ipse progenitus, ita vt in eo claruerit omnis, vita & morum perfectio, atq; sanctimonia, vt supra plenissime deductum est. fuitq; idem celeberrimus vir verus Dei minister, Deoq; semper fideliter ministrauit. Vnde merito inferendum est, ipsum cum Deo cui ministrauit, & quem secutus est in terris, fideliter regnare in cœlis & gloriari, dicenti Domino in Euangelio: Qui mihi ministrat, &c.

3. Ioan. e

Ioan. 12. d

Primæ partis Articulus V.

AD quintum dico concludendum, quòd regimen sanctū œconomicum atq; politicum huius beati patris, maximum affert testimonium sanctitatis ipsius. Multum enim ad perfectionem hominis attenditur, quòd domui suę fuerit bene pręepositus, illam regens honeste, tam exemplo, quàm verbo retrahendo à vitiis ad virtutes, vt probatur. 18. dist. §. necesse, & maxime integritatis est experientia, & probatio. Nam qui integer non est, nō habet frontem reprehendendi alios, includitq; euidentiam necessariam criminis negligentię, quod quidem crimen magnū probatur in c. ea quę. §. si vero, de statu monach. 86. dist. culpam. Nam qui non eijcit trabem de oculo suo, non potest festucam de oculo fratris eijcere, vt patet in Luca. & 3. quęst. 8. §. porro, in fin. & c. iudicat. & 1. quęst. 1. multi. Nam à quo debet alios prohibere, multo fortius seipsum, arg. in leg. altius. ff. si serui. vendi. cap. dudum. 2. de elect. cap. 1. de natis libero ventre, l. frater à fratre, ff. de condit. indem. & quia quòd quis debet exigere ab aliis, multo fortius tenetur exigere à seipso, l. si pupilli. §. videmus, ff. de neg. gest. l. tutor datus, ff. de fideiussor. & ideo dicitur, quòd non potest esse hortator viduitatis, qui coniugia frequentat. 26. q. 6. vna tantum facit. ff. de admin. tutor. leg. quotiens. §. 2. 42. dist. §. 1. 43. dist. §. necesse. l. cum in eo, ff. de pact. Et quomodo potest quis alios corrigere, cum tacitus respondeat sibi, eadē quę corrigit commisisse. 25. distin. prima. Nam cum de alio iudicaret, in se ferret sententiam, dicto cap. iudice. & not. in c. Romana. de censibus. & hinc dicit Greg. 7. moral. Numquam pure maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat: & superiectas sordes tergere non valet manus, quę lutum tenent. & 19. eiusdē. Qui veraciter proximis misericordiam facere student, prius debent iuste viuendo sibi ipsis misereri. Vnde scribitur, Miserere animę tuę placens Deo, & ideo perperam pater pius non est miserando, qui adhuc iniuste viuendo fit sibimet impius. Vnde dicitur in Eccles. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Qui itaq; proximo indigenti exteriorem substantiam pręebet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato: quod minus est offerens auctori, & quod maius seruans iniquitati. Et hinc est, quòd corrupta non potest eligi in Abbatissam. 25. quęst. 1. iuuenculas, nec electa potest benedici. facit. 1. quęst. 12. c. 2. versi. nouimus. & not. 16. q. 1. quę virginibus. Non enim posset corrupta virginitatem hortari. 26. dist. c. penult. & not. in c. indemnitatibus. de electio. lib. 6. Item Cyprianus c. si quis inquit. 1. q. 1. nec cuiquam Dominus per eius preces & orationes prosit, qui Deum ipse violauit. quomodo enim perficere quę agunt, & impetrare aliquid illicitis conatibus à Deo possunt, qui contra Deū quod eis non licet moliuntur? iuxta c. multi. 40. dist. vbi dicitur: Si bene docueris, & male vixeris, tui solius cōdemnator eris, quia bene dicendo & male viuendo eum instruis, quomodo te debet condemnare, &c. Ex quibus plane & necessarie infertur, quòd qui bene pręfuit domui suę, nec non toti ordini per annos 18. necessario concludendus est iustus, & vt sanctus habendus. Et maxime subiuncto eo quod dicit Augustinus in c. quantumlibet. 17. dist. ibi: Difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterio profecerunt, &c. Nam vt patet in chronicis. cum 12. annis in religione sua strenue profecisset: in totius ordinis generalem mi-

1. Tim. 3. a

Luc. 6. f

Eccl. 30. d

Eccl. 14. a

nistrum concorditer suis suffragantibus meritis. 8. scilicet successiue post S. Franciscum assumptus est, quem feliciter rexit annis circiter 18. tamquam arbor bona fructus bonos faciens, vt à fructibus eorum cognoscatur, &c.

Primæ partis. Articulus VI.

AD sextum dico concludendo magnam patientiam beati huius, per quam multum fructum attulit in Dei Ecclesia, quia verbum Dei retinuit in corde perfecte. Qui enim verbũ Dei retinent in corde bono & optimo, multum fructum afferunt in patientia: vt patet ex ore veritatis. Cum esset etiam sapiens, libenter sufferebat insipientes. Sustinebat namq; siquis deuorabat, siquis accipiebat, siquis extollebatur, siquis denique in faciẽ eum cædebat; iuxta Apostolum. Probatio enim fidei patientiam operatur. Cum etiam esset plenus charitate, quæ patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, omnia sustinet, non quærit quæ sua sunt, omnia suffert, non inflatur, non est ambitiosa, iuxta Apostolum. 1. Corin. 13. In omnibus itaq; exhibuit semetipsum sicut Dei ministrum, in multa patientia, in tribulationibus in necessitatibus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, &c. 2. Cor. 6. iuxta Apostolum. Rom. 12. Spiritu semper feruens, Domino seruiens, spe gaudens, in tribulatione patiens, orõni instãs, ac necessitatibus sanctorum cõicans, &c. & in patientia sua possidens animam suam, Luc. 21. non dans locum iræ, quoniam scriptum sciebat: Mihi vindictam, & ego tribuam. iuxta eundẽ Apost. Rom. 12. & 5. & 15. tribulatio namq; patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Sciebat ipse quod quæcumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam, &c. & quod patiẽtia est fructus Spirit. sancti, vt patet per eundẽ Apost. Gal. 5. ambulans in ea vocatione qua vocatus erat, cum omni patientia. Ephes. 4. Crescens in scientia Dei in omni patientia, & gaudio. Col. 1. & 3. Induens sicut electus Dei patientiam, &c. Hebr. 6. Imitator enim eius fuit, qui fide & patientia hereditauit promissiones. 1. Pet. 1. in virtute namq; scientiam ministrauit, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, arguẽs, obsecrans, & increpans, in omni patientia & doctrina, iuxta Petrum Apost. Prou. 19. Noscitur verò doctrina viri per patientiã, Heb. 10. Sciebat vtiq; patientiam necessariam esse secundũ Apost. Est namq; patientia virtus per quam mala æquo animo toleramus. i. sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus per quæ ad meliora perueniamus, secundum Aug. in lib. de patientia. 2. Corinth. 7. & Eccles. 3. Conseruat ergo bonum rationis contra impetum passionis tristitiæ sæculi, quæ mortem multorum operatur, & non est vtilitas in illa. De quo latius per S. Thom. in 2. 2. quæst. 136. per totum: & deficit à virtutibus Theologicis & Cardinal. quæ retrahunt à maioribus impedimentis, vt ibid. per eum art. 2. & causatur à charitate, nec potest haberi sine auxilio gratiæ. Est etiã pars fortitudinis sicut potẽtialis, & secundaria principalis, & potest conuenire cũ longanimitate, duplici ratione. Et secundũ Tull. est honestatis ac vtilitatis causa voluntaria ac diffinitiua, perpessio rerum arduarum, ac difficilium. Experientia etiam resultat ex patientia super carminibus quæ ob inuidiã contra ipsum in Concilio Lugd. diuulgata fuerũt, de quib. in chronicis. Nulla namq; afflictio, nulla amaritudo illũ à pio mentis proposito coercuit recedere, iuxta capit. suggestum 7. quæst. 1. sed beatus perseuerauit vsque in finem, quæ perseuerantia non est nisi de virtute patientiæ, vt ibi dicitur, quia secundum Apost. Omnes qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patiuntur. 2. Timoth. 3. Et hæc patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei & fidem Iesu Christi, Apoc. 14. Et contra morem esset Ecclesiasticum, si non patientissime toleratur (quod à nobis absit) etiam correptio iniusta correptio. c. in dis. contra morem. & dicitur Prou. 14. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam, & August. in lib. de quæstionibus Euangel. ostendit Dominus filios suos sapientiæ intelligere, non in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam. vnde dicit Apostolus. Scio abundare & penuriam pati, &. Phil. 4. Maxima autem huius patris patientia elucescit ex persecutione. N. qui libellum perniciosum, contra fratres mendicantes composuerat non erubescentis asserere, eos in viam salutis non ambulare, & cætera.

Luc. 8. b
2. Cor. 11. c

Primæ partis. Articulus VII.

AD septimum respondeo concludendum, quod illud quod dicit Leo Papa in cap. miramur. 61. distinct. videlicet quod ad honorem mundi sine suffragio temporis & sine merito laboris indignum est perueniri, & notari ambitus solet quẽ probitatis documenta non adiuuant, quam diligens & quam prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum & cælestium dignitatum, ita vt nisi prior vita testimonium perhibeat pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actibus strenuis, celsioris loci præmium nullum debeatur. Et si discernere inter sanctum & non sanctũ sit donum Spirit. sancti secundum Paulum dicentem. 1. Cor. 13. Alij discretio spirituum, &c. sufficit tamen per aliqua indicia Papam existimare sanctitatem vitæ illius qui est pro sancto venerandus, vel illius quem in sanctum intendit canonizare. Et sic dico intelligendam auctoritatẽ Leonis Papæ, de qua supra primo cum per illam veritas fidei non peruerteretur, sed magis confirmaretur, ampliaretur, & illustraretur, &c. Secundo cum per eum mandatum Ecclesiæ non contemneretur, sed magis obseruaretur. Tertio cum per eum nouus ritus viuendi non introduceretur, sed introductus sanctissime conseruaretur. Quarto, quòd per eum charitas proximi non sperneretur, sed in dies augeretur. Quintò quòd peccatum accusatione dignũ, ex toto conatu vitaretur, vt eius exẽplo cæteri possent proficere. Sexto quòd per eum Dei verbum delectabiliter audiretur, & doceretur. Septimo quòd per eum de operib. bonis gloria non quæreretur, sed omnia ad Dei laudẽ referrentur. Ex quo ergo sanctitas eius vitæ vtilis fuit, ad aliorũ informationẽ tam in vita quàm post mortẽ, ita vt fideles Ecclesiæ eius sanctitatis patrocinio dona multa perceperint, satisfactum fore dicendum est auctoritati Leonis, de qua supra Matt. 7. A fructib. namq; sanctorũ hominum, docuit Dominus cognoscendam sanctitatẽ viuentium ad nos in vestimentis ouium, cum. s. abstineant, à malo & faciunt qđ bonum est, qui fructus supra sunt enumerati: à quib. sunt cognoscendi, & quib. diligenter examinatis Papa põt aliquem canonizare, siue fructus hi proueniant facti in occulto, siue in manifesto. In occulto quidẽ, vt mundi gloriã non quærerent. In manifesto vero vt creator in creatura laudaretur, iuxta Aug. super illo verbo Ps. 150. Laudate Dominum in sanctis eius, dicentem quòd ideo Deus laudatur in sanctis, quia quod sunt, non habent merito eorũ & bonitate, sed Dei misericordia & pietate. Et sic exponit & intelligit auctoritatem Leonis Papæ. Aug. de Ancona. Sanctus vero Tho. super Ps. 150. dicit quod sanctitas consistit in tribus, s. carnis maceratione, spiritus deuotione, & affectus pietate. Item, 2. 2. q. 18. dicit quod sanctitas importat duo necessaria, applicationem mentis in Deũ, s. munditiam, & firmitatem. Item super Iob dicit quod sanctus quilibet habet aliquam præeminentiam, secundum specialem vsum alicuius virtutis. Et alibi dicit quod sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, immaculata munditia, & proprie dicitur per respectum ad Deum, s. cum homo seruat iusta quo ad Deum. ad Rom. 12. etiam alibi dicit quod triplex gradus munditiæ requiritur ad sanctitatem. s. libertas ab immunditia, perfectio, & immaculatio, & cætera. Sic & Chrysostomus ait: Tria sunt quæ sanctũ faciunt; scilicet cordis munditia, Spiritus sancti præsentia, bonorum operum affluentia, vel septem beatitudines, scilicet, persecutio propter iustitiã, paupertas spiritus, mititudo, esurire & sitire, luctus, misericordia, cordis munditia, & reliqua.

Primæ partis. Articulus VIII.

AD octauum dico ad concludendum secundum Innoc. & Io. And. quod alias in c. 1. de rel. & ven. sanc. quod satis est, quod in eo, qui canonizatur concurrant ea, de quibus habetur & traditur, in Eccl. 44. vbi dicitur. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in gener. sua. Multã gloriã fecit Dominus, sua magnificentia à sæculo. Dominãtes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudẽtia sua præditi, &c. Nam per hoc quod dicit laudemus viros gloriosos, ostendit quod canoniZati erant, & qđ de canoniZatis loquatur, quia aliter non mandaretur Eccl. quòd eos laudet. per hoc autẽ quod dicit, parẽtes nostros, ostendit quod

nullus

nullus est canonizandus nisi fidem habeat. Soli enim parentes eius qui erant Iudæi & penes quos solos erat fides, canonizandi erant, & pro hoc hodie est textus. in clem. 1. de Iudæis. Fides etiam præ ceteris virtutibus in miraculis operatur, vt Dominus ait Luc. 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceris huic mōti, transi hinc, & transibit. Per hoc vero quod sequitur. Multam gloriam fecit Dominus, supple cum eis, apparet quod non sufficit, quod in vno fuerit gloriosus, vel semel tantum, sed requiritur quod in multis, & multoties, immo quod continue vita eius fuerit gloriosa. Per hoc demum, quod subdit, sua magnificentia, i. sua magna potentia, siue suis magnis factis, ostendit quod excellentia vitæ, & miracula facta talia esse debent, quæ excedant vires & potentias naturales. vnde sequitur à sæculo dominantes, & c. q. d. à sæculo conuersionis suæ potenter, & multis continuarunt bonam vitam, & fidem quam habebant operibus comprobarunt. Fides enim non sufficeret sine operibus, quæ tunc est mortua. Iacob. 2. Nec secundum omnes sufficiunt miracula, sine vita excellentia, licet S. Tho. dicat quod ideo in Ecclesia aliqui canonizantur per testimonia miraculorum, quia Deus non potest esse testis falsitatis. Vitam tamen sine miraculis credit sufficere Innoc. quoad veritatē tamen Ecclesia non debet tales canonizare, quia in secreto potuerunt laxiorē vitam ducere, & c. cū determinatione tamen de qua in superioribus & inferioribus. dico tamen etiam quod licet non posset aperte probari, quod ille de cuius canonizatione agitur, fuisse re vera baptizatus, aut consecutus chrismatis & confirmationis sacramentum :. tamen ex quo de parentibus Christianis natus est, & in loco Christianorum, & inter eos semper conuersatus, attento voto Religionis emisso per matrem eius, violenta resultat præsumptio quod baptizatus, & chrismatus fit. Quæ præsumptio pro certitudine est habenda, donec euidentissimis argumentis contrarium ostenderetur, per cap. veniens in fi. de presbytero non bapt. & de consecr. distinct. 4. paruulos. Et idem intelligendum de ordinibus secundum Hostien. in summa de presby. non bapt. §. 1. vers. sed si quis. Quinimmo dico, quod in promoto in Episcopum & Cardinalem per Papam, & Cardinales ex certa scientia esset instar sacrilegij, dubitare an is fuerit dignus, aut habilis, & sic consecutus sacramenta, & ordines Ecclesiasticos. per l. ij. C. de crimine sacrilegij, & l. quidam. ff. de re iud. & l. 1. C. de domesticis, & protectoribus lib. 12. & l. sacri affectus. C. de diuersis rescriptis. & l. imperialis. C. de nuptijs, & precibus imperatori offerendis. l. vniuersis, cum similibus. facit quod not. Ioan. And. in reg. in famibus de reg. iur. lib. 6. & Ant. de But. in cap. later. qui fi. sint legit. & Zenze. super extrauaganti execrabilis in ver. Cardinales. Item non noceret illi etiam si ex infidelibus natus fuisset, aut ipse alias fuisset ante susceptum baptismum infidelis, per c. eam te. de rescriptis, & ibi nota. & 61. d. c. neophytus. & 48. dist. quoniam in principio. & ibi nota. postquam. s. aliquandiu à latioribus epulis & spectaculis vel coniugibus abstinuerunt. cap. neophyti. de con. secra. distin. quinta, &c.

Primæ partis. Articulus IX.

AD nonum dico concludendum illum posse canonizari secundum omnes theologos & canonistas, qui in singulis virtutibus excellit, seu excellentiam habet, & ca. quod dicit Collectarius intelligendum iuxta statum illius possibilitatem, vt patet de religioso claustrali, prout in casu nostro. Non enim potest Religiosus claustralis in eleemosynis & aliis actibus charitatis, seu misericordiæ, se libere & vniuersaliter exercere. Et sic quantum ad actus huiusmodi non potest probari excellentiam habuisse. Et idem de eremitis, qui nullam molestiam malorum hominum passi sunt, & sic probari non possunt in persecutionibus patientiam propter Deum habuisse, sicque in actibus patientiæ probati non fuerunt, nec in actibus iustitiæ, cum nec materiam ad hoc suppositam habuerunt, & tamen monachi Sancti dicuntur. 2. quæst. 7. sancta quoque rusticitas, & idem in moniali sancta. 20. quæst. 1. vidua, & ca. sanctimonialis, & habetur de regularibus cap. Ioannes. Et quod dicit Innoc. quod requiritur quod canonizandus fuerit gloriosus, non in vno sed in pluribus, non semel sed pluries, debet intelligi sic, vt patet de pæn. di. 2. §. quærendum, vbi satis probatur supra dicta distin. cū dicitur, quod sanctus manet semper vt propiis habere virtutes, & quod sanctus videretur etiam dici posse terrenarum rerum desertor. & Deo tota mente & cordis desiderio adhærens, vt probatur de pæn. di. 2. §. hæc quæ de charitate in fin. Nec est dicendum secundum eundem Collectarium in capite primo de rel. & ven. s. n. necessarium esse quod non peccauerit ad hoc, vt dicatur sanctus, vt probatur de pœn. di 1. & venit. in d. §. quærendum. de pœn. distin. 1. & S. Thom. 2. 2. de contemptu iustitiæ cap. ad quartum. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti, de pœn. dis. 2. cap. sed talis. Iustus enim non cadit, vt patet in Psalm. vt iusti vocabulum amittat. de pœn. distin. 3. §. hac auctoritate, & ca. seq. Septies. & ca. Illud vero, & c. Fortius enim postea resurgunt. l. dis. considerandum, & ca. seq. virtute s. sacramenti pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium, & beneficio orationis dominicæ, ibi. dimitte nobis debita nostra, & ca. de qua Matth. 6. & Luca. 11. & Marc. 6. Nec obstat. 5. & 7. Responsoriorum officij confessorum minorum, ibi. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo & permanens in innocentia sua. quia potest intelligi de innocentia reparata, vel quoad mortale, non quoad veniali, sicut nec quoad originale, à quo nemo liber reperitur salua beata virgine, etiam infans cuius vnius diei est vita super terram, vt ait Leo Sanctus in sermone natiuitatis Domini. & Ioan. ait. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. veritas in nobis non est, & Prouerb. 24. Septies enim cadet iustus & resurget, impius autem corruet in malum, de quo etiam per Bellemere in d. cap. 1. Potest etiam Sedes Romana facilius in examine huiusmodi pertransire, & merita beati huius ad canonizationem sufficientia reputare, ex ea notitia etiam aliquali, quam per prius etiam dum in moribus ageret, semper habuit, vt probatur in Clem. Romani principes, de iureiur. Hac notitia namq; etiam non plena excludit necessitatem tanti examinis, vt not. 24. dis. quando Episcopus, & 47. dis. de Petro: facit de appell. cap. constitutus. & quod not. in in d. Clem. Romani. super ver. aliqualem. Nam qui notus est non examinatur. Nonagesima quarta, distinctione valde. trigesima quinta, quæstione nona, veniam. Vnde & notus sine probatione recipitur. cap. ad Apostolica. de reg. & 23. distinctione qui Episcopus. Multum etiam facit testimonium populi, & cet. vt patet in d. c. quando Episcopus ad si. facit ad præmissa quod notat Ioannes Andreas in capite scriptum. de election. & præcipue, quia numquam legitur fuisse auditum de hoc beato patre aliquod crimen, aut criminis suspicio, aut contra eum quod vmquam vlla etiam minima laborauerit infamia, &c.

Primæ partis. Articulus X.

AD decimum dico concludendum, famam celebrem canonizandi, multum & vehementissime adminiculari, quia secundum Hier. in cap. si quis hominem 11. quæst. 3. Qui sanctus non est secundum famam & opera quæ ostendit, si quis eum Sanctum esse crediderit, & eum Dei iunxerit societati, Christum violat cuius membra sumus. Valet namque homini bona fama quātum ad tria. Primo quia ex bona fama redditur quis idoneus ad exequenda opera virtuosa. Hinc dicitur in Ecclesiast. quadragesimo primo. Curam habeas de bona fama & bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni & pretiosi. Item quia propter conseruationem bonæ famæ homo abstinet à peccatis, cuius signum est, quia quando homo videt se famam perdidisse, postmodū facit frontem meretricis, & reputat peccare pro nihilo, iuxta illud Hier. 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Et super Mat. Corripiēdus est frater seorsum, eo quod si semel pudorē, vel verecundiam amiserit, semper remaneat in peccato. Tertio ne & ipse & alij de ordine suo contemnerentur sed venerarentur, propter ea quæ dicit Aug. in epistola ad plebem Hipponensem super illud Psalmi sexagesimi octaui. Super me insultant, qui sedebant in porta. Et dicendum, quod in fama alicuius non solum est credendum populo vel turbæ, verumetiam requirendum est testimonium maiorum, qui sunt sanioris consilij, & verioris iudicij, quod concurrit in casu nostro, prout dicit Glo. super Exo. 21. Itē ex bona fama non acquiritur fauor vel amicitia mundi in malis

proximi, sed in bonum & deuotionem eorum, quia dilectus à Deo ab hominibus etiam diligitur, & non per operis imitationẽ, saltem propter diuinæ gratiæ manifestationem. Vnde dicitur in epistola 2. Pet. 2. Qui aspectu atque auditu Sanctus erat, habitans tamen apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Item per Sanctos bona extrinseca & intrinseca procreanda sunt. Nam iuxta Apostolum: Prouidenda sunt bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 2. Cor. 2. Et ita concludit Aug. de Ancona in lib. de Eccle. potestate. q. 15. ar. 3. in casu nostro magis attendenda, quia etiam post mortem adhac vsque tempora semper perseuerauit, vnde à Spiritu sancto dici debet processisse: nam quæ nõ sunt ab eo non durant, vt probatur Act. 5. c. ad fin. maxime quia singularis fuit & est in eo, & non in aliis Doctoribus eiusdem vel alterius ordinis, & ideo non potest dici vana sed Dei, prout in l. decurionum. C. de pœn. maxime quando fundatur in iuris præsumptione, & probatissimis argumẽtis. l. merito. ff. pro socio, & c. dudum de præsumpt. & c. penult. eod. tit. & fama, opinio & æstimatio eodem sumuntur, vt notatur in l. prima. C. de infamibus. Et est fama quædam clara cum laude notitia, secundum Aegidium de Roma de regimine Principum. cap. 9. & ideo testes de bona fama præualent illis de infamia, vt no. in cap. licet in beato Petro. de acc. Concludo etiam, non solum celebrem famam vehementissime adminiculari, sed fore etiam necessariam in eo qui canonizandus est, quoniam oportet præsenti testifiatione prædicari, & bona fama præconiis non taceri. 12. q. 2. quattuor, vt videntes bona opera, glorificent patrẽ qui in cœlis est His subiicio conueniens testimonium gloriosæ mortis eius. Nam vt patet in Psal. 115. pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum, & in Apocal. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Impossibile namque est, bene viuere & male mori, & secundum August. lib. 1. de ciuit. Dei. Mors mala putanda non est, quam bona vita præcessit. Et in Prospero, & in li. Sapientiæ dicitur. Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Ideo dicitur in ca. illa in fi. 5. q. 1. quod mors non est mala, nec in sorte malorum, peccatorum autem mors pessima. Psal. 33. Obiit autem iste beatus pater anno ætatis eius circiter. 52. vigente concilio secundo Lugdun. tempore Gregorij. X. in Lugdun. ibidemque sepultus est gloriose in Ecclesia Fratrum minorum anno, die, & mense, de quibus supra artic. 4. & locis. Quod quidem Concilium (vt referunt Franciscus Vercellen. & Ioan. And. in c. nemo deinceps. de elect. lib. 6. in nouel. super secunda glos.) viguit anno Domini. 1274. & durauit à principio Maij vsque ad Augustum. Prius etiam ibidem tempore Innoc. iiij. viguit Concilium anno Domini 1245. vt patet in speculo historiarum lib. vlt. in princ. Ratio vero quare commemoratio Sanctorum fit in die mortis, potius quam in natiuitate est, quia cum moritur, ascendit ad gloriam. not. in l. cum quidam ff. de auctoritate tu. Et est mors pretiosa sanctorum, iuxta August. in lib. de ciuit. Dei dicentem. Quid est pretiosius quam mors, propter quam debita dimittuntur, & merita cumulantur? Et super Ioannem: Pretiosus est sanguis Christi sine peccato, fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro nobis dedit sanguinem in pretium. Nam si suorum sanguinẽ non faceret pretiosum, non diceretur, pretiosa in conspectu Domini, &c. Nam sancti omnes martyres dici possunt etiam sine sanguine, propter parcitatem in vbertate, quam habuit Dauid, & largitatem in paupertate, quam exhibuit Tobias, & vidua, & castitatem in iuuentute, qua vsus est Ioseph in Ægypto secundum Ber. Sumitur namque sanguis large pro quacumque passione. vnde dicit Greg. sine ferro martyres esse possumus, si patientiam animo veraciter custodimus. Item, dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente. Item, ferre contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. quæ omnia de beato nostro Bonauentura constanter affirmanda sunt, vt ex præmissis, & infra dicendis patet euidentissime. Ad similitudinem eius quod canit Ecclesia de sancto Martino, O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij, non amisit.

* * *

SECVNDA PARS.

Articulus. I.

QVANTVM autem attinet ad quæsitum secundæ partis principalis, dico fore concludendum, quod licet largo modo miraculum dici possit omne quid magnum & nouum, quod raro fit, sicut dicitur in authentico de consulibus. §. post illud. col. 3. & cap. 1. de sacra vnctione. §. hoc vnguento. Et aliter sumitur in Cle. 1. §. 1. super hoc. de pœnis. & ff. de ædilitio. l. antepenul. & de suis & legit. l. 1. §. 1. 12. quæst. 9. cap. miror. de pœnit. dist. 1. miror. & no. auct. vt omnes obediant iudi. Prouinciæ. §. nec nos super verbo præstent, & in c. miramur. de seruis non ordinandis. Item, quod quandoque miraculum sumitur æquiuoce, pro quolibet prodigio & portento, & signo nouo, aut monstruoso & insolito, & cetera. Quandoque vero sumitur proprie pro eo signo in quo concurrunt ea, de quibus infra dicam. Dicitur namque proprie prodigium, quod cœlitus contingit. Portentum, quod à terra. Monstrum vero præsens. Ostentum futurum. Et dicitur portentum à porto & tentum, quasi in futurum tentum, vnde portentis, idest miraculis in terra factis, alias etiam dicitur diuinatio, vnde dantur versus. Prodigium cœlum, portentum dat tibi terra. Et monstrum præsens, portentum sæpe futurum. l. portentum. ff. de verbo. sign. l. non sunt liberi. ff. de sta. homi. Et etiam aliquid significare de futuris, quasi portendere. vnde portenta dicuntur, quæ significato suo dicunt aliquid futurum, portentum est etiam quod ex formis diuersis proponitur, secundum Papis. & Archi. in cap. nec mirum. 26. q. 5. & secundum S. Thom. 2. 2. q. 127. ar. 1. qui dicit, quod hæc signa dicuntur quandoque virtutes, attento quod fiunt excedendo facultatem naturæ, & inquantum manifestant aliquid supernaturale dicuntur signum, & propter excellentiam dicuntur portenta vel prodigia, quasi procul illud ostendentia, & cet. & dicit Aug. in sermone annunciationis Mariæ. 6. lect. quod mirabilia sunt, quæ omnibus hominibus sunt impossibilia: ideo mirabilis partus est mulieris post quinquagesimum annum. l. si maio. C. de legit. here. & mirabiliter loquebantur quidem linguis abscisis radicitus. leg. 1. C. de offic. præf. præt. Africæ. Licet S. Thom. in li. de fide. c. totus ordo, in fi. videatur dicere, quod miracula non sunt contra naturam, de quo per Albe. in l. quod certatum. C. de posthu. hæredibus instit. & per Arch. 1. q. 1. teneamus, & 26. q. 5. nec mirum. & 61. d. §. his auctoritatibus. & per Goff. & Hostien. in sum. de rel. & ve. San. Aliter tamen sumitur in authentico de consulibus. §. videlicet quod raro fit, & in cap. 1. de sac. vnc. §. hoc vnguento. & Can. 5. cap. 12. & 12. quæst. 6. cap. 1. & ca. miror. de pœni. dist. 1. & in cle. 1. §. super hoc. de pœnis. Quantum vero ad propositum attinet, illud dicitur miraculum, siue signum, & cet. in quo concurrunt quattuor. Primo quod ex Deo, non ex arte contingat, nec ex diabolo, nam miracula fiunt quandoque per malos. 1. q. 1. teneamus, & capit. Prophetauit. 2. q. 7. §. Item Balaam. Exo. 3. Num. 22. Est namque necesse martyres à Deo impetrasse, quæ mandant, l. dist. si quis Præpostera. Secundo quod fit contra naturam, sicut de virga Moysi mutata in colubrum: & de asina loquente ad Balaam. c. cum ex iniuncto. de hær. Tertio quod non ex vi verborum, sed hominis merito id contingat, Nam panis & vinum potestate & virtute verborum, transsubstantiatur in corpus & sanguinem. vt in c. cum Matth. §. quæsiuisti. de celeb. missæ. & de consec. dist. 2. cap. quia corpus, & ca. quia in quibusdam. Dicit autem Aug. in ser. de annunciatione, quod miracula sunt, quæ omnibus hominibus sunt impossibilia. Et dicit Leo, quod mirabilis est partus mulieris post quinquagesimum annum. l. si maior. C. de legit. hæredibus, & quod mirabiliter loquebantur nobis, eorum linguis abscisis radicitus. C. de off. præf. præto. Africæ. l. 1. Quartum quod fit ad corroborationem fidei. Herba enim ministerio hominis transit in vitrum, quod nil facit ad corroborationẽ fidei. Et ideo ad canonizationem nisi hæc quattuor concurrerent, non prodessent miracula, secundũ Host. in sum. de rel. & ven. San. circa fi. & Gof. in sum. eo. ti. à Lau. quem refert. Archi. in d. c. teneamus, & not. in d. c. ve. de testibus. & gl. & alios in c. 1. de rel. & ve. San. lib. 9. & 26 q. 5. nec mirum, intellige etiam dummodo fiat cum charitate perfecta: cum sæpe fieri possint ex arte, scientia singulari, & fide nimia

etiam

etiam ex dono Dei, vt in Regibus Franciæ, & in Saul, & Balaam sine merito vitæ, & tales sunt potius puniendi quandoque. quia Sanctis vsi sunt non sancte, d.c. prophetauit., & c. dictum. 1. q. 2. c. solet. de consecr. dist. 4. vbi dicit Aug. quod tanta potest esse miraculose fides sine charitate, vt quis transferat montes, quod dicit Abbas no. in d.c. ve. contra quasdam vetulas, quæ sine merito vitæ videntur facere miracula, & prædicere futura. Possunt enim habere spiritũ prophetiæ ex dono Dei, sine merito vitæ, vt in dictis iuribus. Et nonnulla faciunt ex deceptione diaboli. arg. 26. q. 5. Epi. 7. q. 4. c. sciendum & refert magister historiæ scholasticæ super Euang. in historia quadam, multos facere ea quæ videntur miracula, cum fictione quadam diabolica, & cum quibusdam incantationibus & characteribus positis in subascellis. fingunt se infirmos curare, & suscitare mortuos, & eos facere comedere. Et legitur de quadam pythonissa quæ suscitauit Samuelem ad preces Saulis Regis, ficte tamen vt refert Bald. in dicto cap. venerabili. de test. probauit Astu. 16. Nec obstat illud Ioan. 9. quod peccatores Deus non exaudit, quia secundum Aug. S. exaudit, vel ex sua misericordia, vel propter salutem eius qui orat, vt patet in Luc. 18. vel propter salutem aliorum, & gloriam Dei, secundum Tho. Verum quoniam fundamentalis ratio, propter quam Doctores voluerunt esse necessaria miracula in canonizatione Sancti, est, quia ignoramus sine miraculis, an ficte vitam duxerit, & in secreto laxiorem, & an sic fuerit dignus, ex quo hæc ratio etiam, cum miraculis potest militare, si fiant ex scientia singulari et iam dono Dei, & fide plurima sine perfecta charitate vt est prædictum, & probat Apostolus. 1. Corint. 13. & probatur etiam in Matt. 13. & 16. Et ex vehementi imaginatione quæ facit casum, vt patet per Augustinum in libr. de Trin. referentem, quod quidam in tantum recogitabat alicuius mulieris imaginem, quod ei carnaliter commisceri videbatur. Aut ex virtute vehementis orationis secundum Ioan. Andr. in Clemen. Si Dominum. de rel. & vener. Sanct. in fin. Gloss. magnæ. & Act. 6. capit. videtur non male dici posse, quod vbi vita canonizandi fuit adeò excellens ratione Altissimæ religionis, & doctrinæ etiam, prout in casu nostro, quòd tollatur contraria suspicio etiam sine miraculis, & permaximè in tempore quo plantula Ecclesiæ erat iam firmata & non indigebat suffragio aquæ aut miraculorum, de quibus Marci vltim. & ad Hebr. 2. teste. Hierem. super Isa. lib. 18. Non enim potuissent omnes gentes in tam breui tempore credere; nisi signorum miraculis fides eorum quodam modo fuisset extorta. Clamantibus enim Apostolis, & Apostolicis viris Dominus signorum magnitudine respondebat, vt refert Ioan. Andre. in capit. cum ex iniuncto. de hæret. Et præsertim cum tempore eius non vigerent hæreses graues, extinguendæ etiam per miracula, prout vigebant tempore Sanctorum Dominici, & Francisci, &c. Luc. 16. Et quia non est gaudendum, quod spiritus nobis subijciuntur, sed potius quod nomina nostra scripta sunt in cœlis: & ne nobis dicatur Luc. 11. Generatio praua signum quærit, & non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ secundum Augustin. 20. de ciuitat. Item quia in ipsis Deus tentari videtur. ff. de pur. vltim. l. Hinc est, quod cum diceretur Achaz. Pete tibi signum, & cætera. Isa. 7. Respondit non Petam, & non tentabo Dominum. Et dicit sanct. Thom. in 3. parte. quæst. 43. quod miracula minuunt meritum fidei, volentem credere nisi per ea. Item Augustinus in sermone de martyribus, quia virtutes & mirabilia non omnibus datum est facere, & cætera. videntur namque sufficere debere miracula mystica. Satis enim linguis loquuntur nouis qui vitæ veteris sæcularia verba derelinquentes sacra mysteria insonant, & conditoris sui laudem, & potentiam, quantum præualent, narrant. Et serpentes tollunt, qui bonis suis exhortationibus malitiam ab alienis cordibus auferunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur. Mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Item quod quotiens proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute occurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubabant, quid aliud faciunt, nisi quia super ægros manus imponunt, vt bene habeant? Secundum Gregor. qui subdit: Hæc miracula nimirum tantopere maiora sunt, quanto & spiritualia tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ curantur, & sanctificantur. Facit quod dicit Apostolus, 2. Thessal. 2. de tempore Antichristi, & alibi: Linguæ in signum sunt nõ fidelibus sed infidelibus, &c. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hæc autem spiritualia non tantum ostendunt, sed etiam faciunt, & cætera. vt patet per Gregor. vbi supra. Item Gregor. Miracula hominem Sanctum non faciunt, sed ostendunt. Deus enim facit miracula per auctoritatem, Angeli per materiæ habitationem, dæmones per virtutes naturales insitas, Magi per occultos contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam iustitiam, mali verò Christiani per signa publicæ iustitiæ. Et sciendum est quod Augustin. de Ancona. in lib. de Eccles. potestate. quæstion. 15. artic. 16. disputat hanc quæstionem, & dicit eam esse dubiam, concludit tamen, quod propter euidentiam miraculorum aliquorum, cum sint signa testificationis sanctitatis, & doctrinæ veritatis Sanctorum, debet Papa aliquos canonizare. auctoritate Augustin. 22. de ciuitate Dei. & in libr. 83. quæstion. Dicit tamen sanct. Thom. in quodam suo libello, qui incipit, Actus litteris, quòd potest fieri non solum virtute Angeli, sed etiam virtute hominis, quod aliqua pars terræ per violentiam sursum feratur. Deinde subdit: Sunt tamen aliqua miracula non simpliciter, sed quoad aliquos, qui eorum causas ignorant, sicut quædam in arte humana facta, mira ignorantibus artem videntur. & multo magis arte Angelica, & talia fieri possunt virtute alicuius creaturæ, sed non exclusa virtute diuina, & cætera. vel etiam virtute dæmonum, secundum quòd plene declarat idem Beatus Bonauentura in 2. Senten. distinction. 8. ibi. Tertio loco quæritur, vtrum dæmones possint sensus illudere. allegans Gloss. Rabani super Exod. 8. capit. Adde quod dicit Ambrosius in homilia super Lucam. Liberare à Dæmone homines, sed in verbo Dei possunt, resurrectionem mortuis imperare. Diuinæ solius est potestatis. & Chrysostomus. super Matth. Signanter dixit, In nomine tuo dæmonia, & cætera. & non in spiritu, &c.

PRIMÆ PARTIS.

ARTICVLVS II.

AD secundum dico, etiam præsupposito, quod omnino de necessitate requirantur in canonizatione alicuius miracula, quod tamen in casu nostro sufficiunt aliqua, & non requiratur frequentia miraculorum, sicut nec in martyre, in quo sufficit constare de martyrio, & causa propter quam passus est, scilicet propter fidem Christi, aut libertatem Ecclesiæ conseruandam, vt in sancto Thoma Cantuarien. & sancto Bellino quondam Episcopo Paduano, & sancto Petro martyre, ordinis Prædicatorum, absque eo quod fiat multa alia examinatio de vita & miraculis, vbi tamen aliqua licet pauca miracula sufficerent, secundum Hostien. in sum. de rel. & vener. in. §. & hæc intelligas. arg. de consecr. distinction. 4. capit. catechuminum, & cætera. baptismi vicem, quem sequitur Ioann. in directorio iuris Rubri. 13. in §. ad canonizandos. ver. & hoc verum. De cuius sancti Thom. martyrio patet in capit. sicut dignum. de homic. Pro qua sententia facit quod scribit Apostolus dicens. 1. Corinth. 12. Alij gratia sanitatum in vno spiritu, & cætera. & subdit: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et probatur in cap. multa. 1. quæst. 1. Nam etiam æquiparatur testimonium scripturæ miraculis, vt not. in capit. cum ex iniuncto, de heredit. & 50. distinction. si quis præpostera. & quod legitur Luc. 16. capit. Et quia nimia curiositas in hoc etiam est damnanda, & ratione dubitationis melius est ex abundanti aliquid facere, quam omittere. artic. 11. quæstion. 2. nolite. 13. quæstion. 2. non extimemus. 23. quæstio. 3. corripiantur. cum simil. Pro hac etiam sententia facit, quia Ecclesia in officiis martyrum nullibi facit mentionem de miraculis, sicut in officiis Confessorum, de multis martyribus non legitur ipsos aliqua miracula fecisse, licet sint canonizati ab Ecclesia, vt patet de Ioanne Baptista, & aliis pluribus. Sentit tamen Io. And. in dict. c. 1. de rel. & vene. San. quod frequentia miraculorum requiratur in canonizando, quod Romanus Pontifex debet attendere, vtrum miracula crebrescant & continuentur antequam inquisitionem committat. Dicit tamen Augustin. in libro. 83. q. quod boni Christiani per publicam iustitiam faciunt miracula, & admonet Dominus, vt intelligamus quædam miracula

racula

racula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt, & ideo non omnibus Sanctis ista attribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis esse maiora dona, quam in factis iustitiæ, quibus æterna vita comparatur, vt probatur Matth. 7. cap. & 24. vnde Hiero. Prophetare, & virtutes facere, & dæmonia eiicere non est eius meriti, qui operatur, sed inuocatio nominis Christi, hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt. Et ab his qui veram doctrinam enunciant, fiunt quandoque vera miracula ad confirmationem doctrinæ, non autem ad testificationem sanctitatis, secundum. Thom. 2.2. quæstione 128. ar. primo, ergo nec de frequentia videtur facienda vis magna. Concludit etiam Augustinus de Ancona in lib. de Ecclesi. potesta. quæstione decima sexta art. 2. & in quæst. an Papa debeat seruare eundem modum in canonizatione martyrum, & confessorum, affirmat, quod in canonizatione martyrum non sunt necessaria miracula, sed tantum sufficit veritas causæ & martyrij. Pro quo facit, quod in officio martyrum nullibi Ecclesia mentionem facit miraculi, sicut in officijs confessorum. Item quod martyr etiam sine baptismo potest propterea canonizari, allegat Augustinum in epistola ad Seleucianam dicentem: Quoscunque legimus in corpore Christi (quod est Ecclesia) pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis, & nolentes Christum negare, antequam baptizarentur occisi sunt, quibus iam passio pro baptismo deputata est, & cæt.

SECVNDÆ PARTIS

ARTICVLVS III.

AD tertium dico, quod licet omnes Doctores videantur miracula requirere tam in vita, quam in morte, vt patet in Gloss. in capitul. vnico. de rel. & vene. San. lib. 6. & per Bellemere in capitul. venerabili de testi. & Hostien. in Sum. de rel. & vener. Sanct. tamen etiam sufficerent sola miracula post mortem, vt probat hymnus confessorum, ibi: Ad sacrum cuius tumulum, &c. ibi nihil dicitur de miraculis factis in vita. non obstat illud quod dicitur in 7. vers. & respons. ibi. Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare, dedit illi Dominus cæcos illuminare, & dæmones effugare, tum quia non dicitur in officio confessorum maiorum, de quibus futurus esse beatus Bonauentura videtur, tum quia non dicitur in non facientibus miracula, vel saltem talia; quia non omnes canonizati cæcos illuminauerunt, ideo omittitur illud responsorium, & loco eius ponitur nonum responsorium, quod alias videretur superfluere, propter Te Deum laudamus, &c. quod immediate cantatur, & incipit; responsorium, Dominus qui elegit te, &c. Item respicit Sanctos, vt vniuersos, non vt singulos, & sicut genera singulorum, & non singula generum, quia etiam singuli non semper manserunt in adolescentia in innocentia sua, &c. vt subijcitur in vers. sequenti illud responsorium ibi: Ecce homo sine querela, & cetera. Satis namque dicendum est fecisse mirabilia in vita sua, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris, & cetera. Et hoc sentit Sanctus Thomas in secund secundæ. quæstiô. 178. art. 2. inquantum dicit. Ad demonstrationem autem sanctitatis alicuius in exemplum virtutis, non fiunt miracula siue per Sanctos in vita, vel post mortem, siue per eos siue per alios. Iuxta illud Act. 5. & 9. Et nihil prohibet per aliquem malum fieri miracula ad inuocationem alicuius sancti, quæ tamen miracula non dicitur ille facere, sed is ad cuius sanctitatem demonstrandam hæc fierent: Deus tamen principaliter operatur, secundum Greg. in 2. dial. quia vtitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel eius locatione, vel etiam aliquo contactu corporis mortui, & ita intelligitur in Ios. 10. & 4. Reg. 13. Potest etiam Deus operari per fidem hominis mali instrumentaliter, sicut homo operatur per baculum. Impetrant etiam mali interdum ex misericordia Dei, vel propter salutem suã sicut publicanus. Lu. 18. vel etiam propter salutem aliorum, & gloriam Dei, quod esse non potest post mortem eorum & damnationem, & ideo magis requiritur post mortẽ, quam in vita. Sufficiens autem in vita videtur & stupendum miraculum in hoc patre nostro Bonauentura, quod legitur in Chronicis, quod cum ex nimia conscientia indignum se existimaret communione Eucharistiæ, & ideo à celebrando abstineret, die quadam miraculose, & nemine ministrante nisi Angelo, vna ex partibus Hostiæ consecratæ, in os eius intrauit, eumque cibo cælesti repleuit. Circa quod notandum dico, quod corpora glorificata videri actualiter non possunt nisi per miraculum, secundum Archi. in capitul. sacrificium. de cons. distinct. 2. & ideo merito de ipso cantabit Ecclesia: Iste cognouit iustitiam, & vidit mirabilia magna, &c. & inuentus est in numero Sanctorum. Ad veritatem autem conclusionis præmissæ multum faciunt litteræ Inn. III. super canonizatione. S. S. Homoboni, Cremonensis, & Vulstani quondam Episcopi Vigornien. in quibus non referuntur nisi miracula facta post mortem, vt ex tenore ipsarum litterarum constat euidenter. Adde quæ habentur in legenda natiuitatis Sanct. Ioan. Bap. & littera Calixti III. super canonizatione Sanct. Osmundi de Anglia, qui etiam nulla refert miracula facta in vita.

SECVNDÆ PARTIS.

ARTICVLVS IV.

AD quartum dico primo concludendum, quod testes examinandi super miraculis, examinentur, per commissarios deputatos ad hoc à Sede Apostolica, & nõ per alios. vnde nõ putat Beatius, vt refert Ioann. Andr. in capitul. de testi. quod tales deputati commissarij possunt aliis committere hoc examen propter arduitatem negotij, & propter industriam electam. per capitu. si. de off. dele. de quo per doct. in Cle. 1. eo. tit. Item quod examinentur sigillatim, id est, quilibet per se, non plures simul, aliter non valeret testimonium, secundum Ioann. Andr. & alios in capitul. vener. de testib. per no. in capitul. cum causam eo. tit. probat. l. siquis inter. C. de bo. præscrip. Item examinentur super omnibus circumstantijs, de quibus in d. capitu. cum causam. Item secreto, arg. C. de testi. nulli. & in capit. inquisitionis. de accus. sicut. & vota eligentium scrutantur. capit. quia propter. de elec. & ad similitudinem Danielis. 13. Ne vnus habeat alium instruere, aut vnus sequatur dictum alterius, & ita non posset falsitas illorum facile deprehendi. Facit capitu. omnis. de pæ. & re. & ne forte ipsis contradicentibus vox contradictoria de foris audiatur, & sic partes addiscant testificata, arg. in capit. in causis. de elect. Item examinentur cum ea diligentia, quæ solet & debet in receptione testium adhiberi. vt d. cap. venerab. in fine. immo etiam cum maiori, vt ibi nota. quia circa maiora maius periculum vertitur, & ideo cautius est agendum. 42. d. capit. quiescamus & c. vbi periculum. de elect. lib. 6. l. 1. §. 2. ff. ad carbon. Item quia deponentes potuissent faciliter decipi, vt in capitul. 2. de rel. & vener. San. etiam si forent obstetrices, quia sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum, vt dicit canon. 27. quæst. 1 nec aliqua. & in capit. causam matrimonij. de prob. & in capit. fraternitatis. de frigi. & c. si per Sortiarias 33. quæst. prima. & consequenter etiam iudicum iudicium, vt ibi patet. Et de hoc ordine iudiciario debet intelligi illud quod dicit Aug. de Ancona in lib. de Eccles. potest. quæst. 16. art. 1. Intelligo etiam sigillatim fieri debere examen, tam super specificatis in articulis, quam super omnibus circumstantiis, iuxta ea quæ habentur in capi. cum causam. de testi. vbi dicit Bald. l. quod miracula non præsumuntur quia sunt de impossibilibus naturæ, & in ea forma de qua per Ang. in l. si quando. l. 2. C. de bonis vac. lib. 10. & Bal. in l. non possunt. ff. de legi. & not. in capitul. exhibita. de iudic. & in capit. præsentium. de testi. lib. 6. & in capit. penult. §. Porro. de elect. & in cap. damnamus. §. nos autem, de summa Trinit. licet aliter exponatur verbum sigillatim per Archi. in capit. si cui. de elect. libro sexto. de quo habetur in l. sed & si per Prætorem, in fin. ff. ex qui. cau. ma. & in l. cum quidam. C. de verbo. signific. Concludendum est etiam, quod miraculum est, quod est mirum factum. & vere est miraculum mirum, quia supra facultates siue vires naturæ, vel quoad factum, vel quoad modum. Quoad factum, scilicet vt quod ad preces Greg. Neocæsarien. legitur quidam mons retractus, & dedisse locum Basilicæ fabricandæ, & ad preces beati Benedicti quidam lapis translatus est de horto, vt habetur in historia scholastica super

evangelica

euangelia. cap. in sequenti quoque die, & cetera. & quod cæcus factus est videns, & mortuus suscitatus, vt legitur Petrum resuscitasse,& 1. quæst.1. teneamus.3. quæst.8. Petrus. Et Christus Lucæ.8.in. fi. de pœn. distinctione 1. §. ex his itaque. alias est.§. denique. vers. in Euangelio. cum si. Hoc enim est supra facultates, seu vires naturæ. quia via naturæ non datur regressus de priuatione in habitum. Quo autem ad modum facti vtputa, si aliquis est febricitans via naturæ, per certas alterationes potest fieri sanus. pœnis, distinctione 7. c. vlt. in fin. 23. quæstione 4. cap. ipsa pietas in princ. & cap. quid facit. & cap. nimium, in princ. Sed si fiat in instanti ad inuocationem Dei seu per Deum meritis alicuius Sancti inuocati, & hoc supra vires naturæ, quoad modum naturæ, quæ operatur successiue per alterationes diuersas, non potest probari directa probatione, quia directa probatio est per rerum principia. Et sic etiam intelligi debet illud, quod negantis factum per rerum naturam (hoc est per rerum principia) nulla est probatio. leg. actor. cap. de probatione. 6. quæstione 5. actor. & de electio. bona mem. Magunt. versiculo. quamuis. cap. 1. de clandestina despon. quia quod non est, non habet principia. quia secundum philosophum, Non entis non sunt species, neque differentia, ergo neque principia: quia superiora ad species, & ad differentias essent actualiter in ipsis, secundum Porphyrium. Cum ergo miraculum ex subiecto in quo fit, non habeat quod directe miraculum probari potest, ideo sequitur, secundum quod dicit Archid. in capitulo. nec mirum. 26. quæstione 5. quod indirecte probari potest. Nam cum reperiatur miraculum quod vires naturæ excedat, vel quoad factum, vel quoad modum facti, vt præmissum est, & hoc constat esse factum, sed non ex causa naturali, habetur consecutiue, & indirecte illud miraculum tantum ex causa supernaturali, quia quod meum non est, scire debeo ad alium pertinere. lege cu m quærebatur. capitulo vnde vi. Vnde natura videns hoc mirum factum non esse suum, nec à suis principijs deriuatum, licet sit in se factum, habet ascribere causæ maiori, & sic probatur indirecte, prout etiam firmauerunt Ioan. monachus. & Ioannes Andreas in nouella. in capitul. prima, de confessis, lib. sexto in versiculo. non possunt. Bartol. in tractatu. de test. in capitul. qualitas sine substantia. dicit circa hoc magistraliter, quod cum agitur de aliquo comprobando in Sanctum, cuius vita & miracula sunt probanda, vt est sacris canonibus constitutum, vitam probare facile est, miraculum autem quod dicitur quasi admiratione plenum, & quod est id cuius affectus est manifestus, causa autem eius omnibus est occulta, quoniam solus Deus. vnde quæ à Deo fiunt propter causas nobis ignotas, quæ vires nostras excedunt, ideo miracula nuncupantur. Et Sancti doctores tradunt, hoc tribus modis contingere. Primo circa substantiam facti, vt dum Deus facit aliqua, quæ natura nullo modo facere potest, vt quod sol stet, vt fuit tempore Iosue, vel retrocedat tempore Ezechiæ regis, vel quod homo habeat corpus glorificatum, vt Christus post resurrectionem, & id quod in sacramento alteris fide cernimus. Et ista in miraculis summũ gradum obtinent. Secunda quando illud fit, quod natura facere potest, non in illo in quo fit, sicut resurrectio mortuorum, illuminatio cæcorum, & similia. Potest enim natura dare vel secare vitam, sed non in mortuo: & potest præstare visum, sed non tamen in vera cæcitate. Et hoc tenet secundum locum in miraculis. Tertio quando quod fit, natura potest facere, sed non in illo ordine, vt quando aliquis virtute diuina à febre subito liberatur nullis adhibitis remedijs, vel non cum consueto processu naturæ panis multiplicatur. Potest enim homo naturaliter facere panem, sed non illo ordine. Liquet ergo, quod miraculum probari oportet probando aliquid naturæ, ita quod vires nostræ naturæ exceduntur, vel in substantia eius quod fit, vel in subiecto eius quod fit, vel in subiecto eius in quo fit, vel in ordine faciendi. sed si illud potuisset per causas naturales reduci, non esse miraculum clare probatur: quod autem Deus fecerit per inuocationem illius Sancti probata inuocatione, vel voto ad illum Sanctum emissis, quibus probatis recte concluditur illam animam esse beatam. quia tamen in istis potest faciliter esse deceptio, istud est determinationi Ecclesiæ Romanæ reseruatum, cui standum est. Et hinc est, quod Innocent. tertius in processu canonizationis Sancti Homoboni Cremonen. magnam fidem adhibuit testimonio Osbertij presbyteri, Sancti Ægidij Cremonen. qui patrinus fuerat ipsius Sancti Homoboni, & per viginti annos, & amplius confessionem eius semper receperat, super obedientiam quam in orationibus, & vigilijs, & alijs pœnitentiæ fructibus, quæ sibi ab eo imposita erat plus iniuncto satisfactionem exhibebat: licet videretur in suo dicto singularis, vt patet in litteris canonizationis ipsius. Non videtur tamen hoc casu nimium laxanda facultas. argum. in capitul. tua nos. de consang. & affi. Item Bonifacius nonus admisit testimonium filiæ Sanctæ Brigidæ, ad probandum miracula matris eius, quia etiam ab his qui foris sunt, oportet Sanctum habere testimonium, secundum Ambrosium in homil. latent, & cetera. Item Innocen. Sextus in Bulla directa per eum ex Auinion. Pontificatus sui anno sexto. Archiepiscopo Pragensi. & Episcopo Olomuncen. & cuidam Abbati, super inquisitione fienda pro canonizatione Lupulli, introclusit specificam formam circa examen testium per eos seruandam, quæ non discrepat ab alijs communibus formis examinum altarum causarum ciuilium, vel criminalium. Ex quo infero, sufficere diligentiam adhiberi in huiusmodi, quæ est adhibenda in alijs causis grauioribus. Dico & concludendum, quod licet Vincentius antiquus Doctor in capitul. venerabili. de testim. dixerit, quod ad hoc quod quis tamquam sanctus canonizetur, quod probanda est frequentia miraculorum, & per eosdem testes, & non sufficit per duos testes fore vnum miraculum ad inuocationem ipsius Sancti factum tali die, & aliud factum eadem die, vel sequenti per alios testes per inuocationem eiusdem Sancti, quia diuersa probant, nec concordant in idem, nec in eundem. Instit. de duobus reis. §. primo & capitul. licet ex quadam. de test. vt refert Archid. vigesima sexta, quæstione quinta, capitul. nec mirum. Verius tamen esse credo de iure, quod firmat Collectarium in ca. primo, de reliquiis, & vener. San. dicens sententiam Vincen. esse mirabilem, & contra iura, qui dicunt, quod in ore duorum vel trium stat omne verbum. cap. in omnes, & cã. licet. de test. & quia satis est quod conueniant omnes in facto miraculo, & Sanctitate eius de quo agitur, & satis est quod ex diuersis actibus resultat frequentia miraculorum necessaria, sicut ex diuersis iuribus vna regula, vt not. de reg. iur. capite primo, & ex diuersis actibus consuetudo, vt not. de constit. capitul. primo, & ex diuersis gradibus cognatio. & in capitul. non debet. de cons. & affi. ex diuersis actibus iurisdictionalibus iurisdictio: & tamen ad probandos singulos actus, ex quibus resultant prædicta, non sunt necessarij ijdem testes, vt ipse not. in capitul. ex tenore. de test. faciunt not. in capitul. nihilominus. tertio, quæstione nona, & propterea concludit, quod sufficit probare vnum miraculum factum tali die, in tali loco, per tales, & sic per diuersos testes diuersa miracula, alias concluderetur impossibile, & necessarium fuisset, quod ille de cuius canonizatione agitur, omnes testes semper secum duceret, & sic videretur vna collusio, & falsitates fingi possent, arg. quarto, quæstione quarta, in testibus nec pauperes, qui nullos secum ducere possunt, canonizarentur, iuxta not. in capitul. licet. de testi. Cuius sententiam alias sum secutus, in voce contra Iudæos Tridentinos, qui martyrizauerunt infantem Simonem, quinimmo etiam dico, quod etiam sufficeret probare miraculum per testes, quorum aliqui deponerent de infirmitate incurabili præcedenti secundum naturam: aliqui vero deponerent, quod iam factus esset sanus, sicut dicitur de celebratione Missæ. in d. capitul. nihilominus, quod satis probat. d. capitul. vener. de test. in fi. vbi sufficit quod interueniat diligentia, quæ solet & debet in receptione testium adhiberi. Idem tenet Bellemere in dict. capitul. venerabili referendo Collectarium.

Secundæ partis. Articulus V.

AD Quintum dico concludendum, quod non est necessarium, quod miraculum fiat in instanti, vt patet tertia regula, decimo septimo capite. & Exod. decimo, & decimo quarto, & quarti Reg. quarto, & quinto, & Mar. 8. secundum Archi. in capit. nec mirum. vigesimo sexto. quæstione quinta, quem refert, & sequitur Mar. de laude. in allegationibus quas fecit pro canonizatione sancti Bernardini, licet in contrarium videatur Act. 9. vbi patet, quod cõtinuo surrexit, & c. Act. 3. iuxta prin. vbi dicitur, Et apprehẽsa manu eius dextra alleuauit eũ, & protinus

consolidata

consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. & in Luc. iuxta. fi. vbi dicitur, Et tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis, & in cap. ad eius vero concubitum. 5. distinct. nam apud Deum non est mora de pœn. di.1. cap. multiplex. alias accipit. c. his autem, Vnde Amb. Spiritus sancti gratia nescit tarda molimina. & in Luc. 8. iuxta prin. vbi dicitur. Adolescens tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus. & Io. XI. iuxta fi. dicitur, Laza. veni foras, & statim prodiit, qui mortuus fuerat: & Mat. 9. vbi dicitur, Et facta est salua mulier ex illa hora, & 15. vltra med. vbi dicitur, Fiat tibi sicut vis, & salua facta est filia eius ex illa hora. & de pœn distin. 1. §. ex his itaque alias est. §. denique. iuxta fi. ibi leprosus vero, vbi sequitur, quem postea tangendo mundauit. & §. hoc idem iuxta prin. ver. hinc etiam. & Luc. 5. iuxta prin. vbi dicitur, quod confestim lepra discessit ab eo. Io. 5. circa prin. vbi dicitur quod statim sanus factus est homo, & Mat. 8. iuxta prin. vbi dicitur, Volo, mundare, & statim mundata est lepra eius. & Matth. 20. in fi. vbi Iesus tetigit oculos cæcorum, & confestim viderunt, & Matt. 10. dicitur, confestim vidit. & Mar. 7. vbi dicitur, Et statim apertæ sunt aures, &c. Quibus omnibus responderunt auctoritate Gl. posita in prædicto cap. 8. Matth. dicentis, Quem vno verbo statim curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adiuuat. Et dicit Ioan. Andr. in d. cap. 1. de rel. & vene. San. aliquos dicere, quod si sit illusio, vix possunt continuari miracula vltra quadraginta dies, de quo tamen certi non sumus. & ex his dico, quod cum ex processibus factis in causa præsentis canonizationis, constet de multis miraculis post mortem huius beati patris Bonauenturæ factis, vt leprosis mundatis, paralyticis, & aliis variis modis infirmis curatis miraculose, impium esset denegare huiusmodi canonizationem, & maxime propter miraculum linguæ eius repertæ, tempore translationis corporis sui, vt patet ex multis contestibus de quibus in processu, & de lingua S. Antonij de Padua, de qua ipse testatur in chronicis. Non enim voluit Deus, linguam Sancti sui videre corruptionem, iuxta illud Psal. 15. Et ne corpus quod corrumpitur aggrauaret animam, iuxta illud Sap. 10. quia custodit Dominus omnia ossa eorum, & vnum ex eis non conteretur, qui etiam dissipat ossa eorum, qui hominibus placent, vt Psa. 33. & Psa. 52. licet de omnibus dictum sit. Memento homo quod cinis es, & in cinerem reuerteris, &c. secundum Hostien. & Ioan. And.

Secundæ partis. Articulus VI.

AD Sextum dico similiter concludendum non esse contra rationē miraculi, si in liberatione alicuius dolor interueniat, vt in Mar. cap. 9. Et ibi, exclamans & multum discerpens eum, exiuit ab eo. Vbi nota quantus fuit dolor, quia sequitur, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est, &c. Et hoc etiam satis apparet ex eo, quod scriptum est in vita B. Francisci, Rubrica de intelligentia scripturarum, vbi inter cetera dicitur, Signo itaque crucis super eum facto, statim qui contractus iacuerat, surrexit sanus, & in Dei laudem prorumpens, Ego, inquit, sum liberatus, insonuerunt autem ossa renum eius audientibus multis, veluti cum manu ligna sicca franguntur. Et sic concludit etiam Archi. in d. cap. nec mirum. 26. q. 5. Item non est contra rationem miraculi, quod fiat cum aliquo adiutorio naturæ, vt patet in 4. Reg. 5. de Eliseo, qui misit Naaman principem militiæ Regis Syriæ leprosum, ad lauandum septies in Iordane. Et de filio viduæ mortuo super quem se incuruauit Propheta, vt infunderet in eum calorem, sicut dicitur in 4. Reg. 4. Item in Io. 9. de luto facto ex sputo, quo liniuit Christus oculos cæci nati, & de eo quem misit ad lauandum ad natatoriam Siloe, & de probatica piscina, & similibus. Item, nec est etiam contra rationem miraculi, quod illud operantur qui in ipsum operando peccent, vnde dicit glos. Nu. 20. quod Moyses & Aaron cum percussione virgæ fecerunt effluere aquam de petra, habuerunt quamdam inanem gloriam, & ideo meruerunt audire. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, ideo non introducetis hos populos, in terram quam dedi eis. Et super illo verbo Lucæ 10. Nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis, dicit glo. quod lætitia qua Christus discipulos suos lætos videbat, inanem gloriam sapiebat. Gaudebant enim, quod quasi sublimes terribiles hominibus, & dæmonibus erant, ideo Christus talem cordis elationem in eis reprehendit, indicium ruinæ primi Angeli referens, &c. Non est etiam contra rationem miraculi, quod ad maximam instantiam etiam cum tarditate quadam fiat, vt patet de muliere Chananæa, &c. Sic etiam non est contra rationem miraculi, quod vnus Sanctus illud faciat aut facere possit, & alius non, vt patet in Matth. 17. de lunatico dæmoniaco. Item etiam non est contra rationem miraculi, quod sanatus de proximo recidiuet, vt patet in legenda Sanct. Petronillæ paralyticæ, iuxta no. in l. Martius, ff. loca. & l. 1. C. de emen. seruorum, & in cap. præterea, de cleric. percu. & in quæst. dominica. 83. de qua per Ioan. And. in merca. cōtractu. de reg. iu. li. 6. & in c. presbyter. & c. significasti, de homicid. & per Bar. in l. 1. §. si in rixa, ff. de sica. Sufficit ergo, quod sanitas fuerit verisimiliter duratura, licet causa sit momentanea aut recidiuet, &c. per aliquod accidens culpabile & inordinatum. Item, quia non est contra rationem miraculi, quod faciens miracula, adhuc sit in purgatorio, vt patet de Paschasio diacono test. Greg. in dial. & per Vin. in Spe. hist. lib. 21. cap. 94. Item non est contra rationem miraculi, quod fiat in inuitum, vt per eumdem Vincen. eo li. cap. 54. Item quod etiam fiat in sideribus vel elementis, auibus cæli, aut piscibus maris, vel animantibus terræ, aut arboribus, aut lapidibus, aut aliis quibuscumque creaturis, &c. etiam ad damnationem & pœnam malorum, sicut de Anan. & Saphir. act. 5. & similibus.

Secundæ partis. Articulus VII.

CIrca septimum concludo, quod primo requiritur, quod præcedat instantia aliquarum personarum honestarum, authenticarum apud Roma. Pont. & supplicatio non semel, sed pluries, & instanter, pro huiusmodi canonizatione fienda, & obtinenda, &c. & non tantum semel, sed pluries & instanter, sicut not. de concessi. & de pallio. vt in cap. quidam credendi, de renun. & in cap. cum post petitam, de elect. Non enim consueuit moueri Papa statim ad committendam hanc inquisitionem, sed potius expectare quamdiu pulsetur, & cetera. propter rationes de quibus supra præmisi, facit clementina, quamuis, de appellationibus: adde notata in capitulo prisca. distinctione decima, & in capitulo importuna, de pœnis, distinctione prima. Circa quod dico, sufficere si fieret instantia per Episcopum & Capitulum loci illius, vbi sepultus est canonizandus, & vniuersorum prælatorum, & generalis capituli illius congregationis & ordinis, cuius fuit ipse, de cuius canonizatione supplicatur. Possunt namque licite instare religiosi pro canonizatione alicuius Sancti, qui fuit de ordine ipsorum. Nam omnes hi de quibus in capitulo venerabili. in principio, de testibus, instabant & preces porrigebant pro illius Abbatis Sanct. Martini canonizatione, ad quorum petitionem Papa Alexander III. commisit testium receptionem, super vita & miraculis eius, ad quod signāter Abbas notat illum tex. possunt etiam tales supplicantes pro canonizatione, assumere ministerium partis auctoritate iudicis, & illam promouere, & testes producere, tam super vita quam super miraculis, vt ibi patet secundum Ioannam Andream & alios. In casu autem nostro multo maior præcessit instantia, videlicet & Regum, & Comitum, & aliorum magnatum, vt patet in processu, iuxta illud Apostoli. 1. Timo. 2. & 24. distinctione §. 1. 78. distinctione quid est cito; de electio. c. cum nobis olim. cap. fi. eo. tit. li. 6. Secundo requiritur, quod expectato aliquo tempore Papa cum consilio fratrum, in patria illius pro cuius canonizatione instatur, committat duobus prælatis vel aliis personis honestis, discretis, & incorruptibilibus, vt inquirant de fama & de deuotione populi, & de aliis quæ sibi sunt nunciata in genere, quoad famam non quoad veritatem, & non in specie, & quod sibi describant quæ inuenerint, & an eis videatur, quod super veritate earumdem, & causa in specie sit inquisitio committenda de vita & miraculis eius. Circa quod dico, quod Innoc. III. processum inquisitionis Sanct. Vulstani quondam Episcopi Vigorn. in Anglia, commisit Cantuarien. Archiepisc. & Episcopo Helem. & S. Eadmund. & de Vrbren. Abbatibus, & sic quattuor prælatis. Potest etiam qui facit instantiam pro canonizatione illius, de cuius

cuius vita & miraculis est inquirendum, inter illos deputari ad huiusmodi inquisitionem faciendam, ita probat d.cap. venerabili, iuncta superscriptione. Dico etiam sufficere duos prælatos tantum, etiam vbi committeretur inquisitio pro canonizatione Papa, vt refert Ioannes Andreas factum fuisse in commissione canonizationis Gre. X. in cap. vbi periculum in princ. de elec. lib. 6. in nouel. Fuit enim facta commissio Archiepiscopo Pisano & Episcopo Mutinen. non ergo est paucioribus quam duobus facienda commissio, quia quod à pluribus sapientibus quæritur, facilius inuenitur. 20. distinctione de quibus, & per ampliores homines perfectissima veritas reuelatur. l. fin. C. de fideicom. 63. distinctione extra conscientiam. & integrum est iudicium, quod plurimorum sententijs confirmatur, sicut canones attestantur. c. prudentiam tuam. de off. dele. & hæc est quædam præambula inquisitio ad inquisitionem, præparatoria ad solemnem subsequentem, & quod hæc præambula inquisitio in genere sit necessaria, patet ex lib. cærimoniarum, vbi agitur de canonizatione Sanctorum. In casu autem nostro hæc omnia sunt debite obseruata, vt patet ex breuibus & processibus, de quibus in actis. Tertio in euentum quod primi inquisitores rescribant talia, per quæ videatur quod inquisitio veritatis committi debeat, requiritur quod post completam hanc præambulam inquisitionem, iterum Papa diffiniat cum consilio fratrum, an solemnis inquisitio sit committenda, & committatur ad minus tribus ex dominis Reuerendissimis Cardinalibus, vni scilicet Episcopo, alij presbytero, & alij diacono, vt patet ex decis. de Ægi. ij decis. Bell. de 672. ad fi. & ita obseruatur, & iterum scribit eisdem vel alijs prælatis in partibus, vt in specie inquirant, primo de fama, secundo de vita, hoc est, de fide & conuersatione &c. canonizandi. Item de morte, & miraculis, exacte, diligenter, fideliter, & prudenter, secundum articulos & interrogatoria sub Bulla träsmissa, & quod inuenerint, remittät sub sigillis suis inclusum, secundum Host. in cap. venerabili, de test. per allegata, & per no. in cap. 1. de rel. & venera. Sanct. lib. 6. Qua inquisitione remissa & completa, facienda est commissio in curia aliquibus capellanis Papæ, vel alijs personis auct. vt examinent processum, & forment Rubr. seu summarium examinanda cum exacta diligentia per Papam & fratres Cardinales, an sint probata talia propter quæ canonizatio sit facienda. & super hoc debet Papa requirere consilia Cardinaliũ. Et si videbitur Papæ, quod facienda sit canonizatio ex his quæ erunt probata, tunc hoc secretum primitus diffiniat inter fratres, & diffinitio secreta teneatur postmodum Papa coadunatis Episcopis, & aliis prælatis qui sunt aut reperiuntur præsentes tunc in curia, faciat publice proponi, & narrari per aduocatum aut promotorem fidei omnia & singula acta, & probata præter quam secretam diffinitionem factam prius in consistorio priuato Reuerendissimorum d. Card. & super his requirat omnium consilia & vota. Nam fructus diuinus est iustitiam recenseri. 35. quæst. 9 graue vbi etiam dicitur, quod veritas sæpius exagitata, magis splendescit in lucem. facit in lucem. facit 30. quæst. vlt. cap. iudicante. Vnde etiam dicitur quod ibi est salus, vbi multa consilia Prouer. 11. & repetitur. 15. dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, vbi vero plures sunt consiliarij confirmatur. Item pro istis facit l. dubium, C. de repudijs l. nominationes, C. de appel. cap. nouit de his quæ fiunt à præla. 13. quæst. 7. cap. Episcopus 34. distin. peruenit. Et erit salus vbi multa sunt consilia. Prouer. 24. & multitudo sapientum, sanitas est orbis terrarum. Sap. 6. & hinc quod tunc non est verisimile credendum, in hoc Ecclesiam posse errare, & dicit Archidia. 2. quæst. 6. anteriorum, quod cõsilium & deliberatio à malo iudicio hominem retrahit & refrenat. Debet enim semper præcedere consilium, & iudicium sequi, & demum præceptum secundum Thom. 2. 2. vbi tracta. de partibus prudentiæ, vt sic dici possit edictum consultissimum l. humanum, C. de legi. ex cap. Apostolicæ. 35. quæst. 9. vt sic quasi per ora eorum videatur Deus consuli. 4. Reg. 8. prima. quæst. 1. iudices, quia vbi plures congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum, dicit Dominus. Matthei 18. & ita reperi obseruatum per Innoc. III. in canonizatione sancti Homoboni Cremonen. vbi dicit: De fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam, cum Archiepiscopis & Episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de diuina misericordia, & ipsius Sancti meritis confidentes, ipsum Sanctorum catalogo duximus ascribendum, statuentes in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuote à Christi fidelibus annis singulis de cetero celebretur, & apud Deum suffragia eius humiliter implorentur, & c. vt patet in eius litteris datis Laterani secundo idus Ianuarij pontificatus sui anno primo. Hæc etiam requisita ponit Aug. de Ancona, in lib. de Ecclesiast. potestate, quæstione 15. art. pri. & Marti. de laude, in allegatio. quas fecit in canonizatione sancti Bernardini, per alium tamen modum, non tamen diuersum in effectu, & Cardin. post Hostien. & Ioannes Andreas in dicto capit. primo, de reliquiis & venera. Sanctorum. Reperitur etiam in gestis concilij. Constantien. de anno 1416. 5. Kalen. Maij Apostolica sede vacante pro vnione Sanctæ matris Ecclesiæ procurandis & promouendis omnibus, quæ posteritatem religionis Christianæ, & communem omnium mortalium vtilitatem & salutem conseruere possent & augere, speciali Dei prouidentia & in suo nomine congregato, commiserunt processum canonizationis duorum Episcoporum & vnius monialis ordinis sancti Augustini duobus Cardinalibus, vt Cardinali Cameracen. tituli sancti Chrysogoni, & Oddoni Cardinali diacono tituli sancti Gregorij ad vellus aureum, & vni Episcopo Lugdunen. & quinq; alijs Prælatis sæcularibus & religiosis præsentibus in Concilio, & viua vocis oraculo, ad quorum omnium relationem commisit idem Concilium Constantiense tribus Episcopis in partibus Regni Suetiæ, (vbi corpora dictorum canonizandorum venerabantur,) inquisitionem specialem & solemnem faciendam, prout facta apparet ex processu eorumdem. Postremo debet Papa ordinare, quod certa die omnes conueniant ad aliquam Ecclesiam quæ ornata sit pannis honorabilibus, & sternatur tapetis, & in qua illuminentur multi cerei, vbi Papa & totus clerus solemniter conuocati, & populus deuote assistant, & ad illos Papa sermonem habeat, processum recitans, & inducens clerum & populum ad orandum, quod Deus non permittat illum errare in hoc negotio. Posteaque flexis genibus fiat deuota oratio, & cantetur successiue hymnus: Veni Sancte Spiritus, &c. vel alius huiusmodi, siue antiphona conueniens. Deinde surgat Papa, ab oratione, & diffiniat illum de quo agitur Sanctum esse, & Sanctorum catalogo ascribendum, & tamquam Sanctum per omnes Christi fideles colendum in omni Ecclesia Dei, & per orbem vniuersum, ipsiusque festum solemnizandum certa die. & celebret Papa Missam solemnem in honorem canonizati post cantatum Psalmum, Te Deum laud. Vnde videtur esse Missa de substantia canonizationis, sicut in confessione chrismatis, not. in cap. te referente, de celeb. Missa. & in collatione ordinum, art. de transf. præla. cap. inter corporalia, & in aliis multis casibus, & in consecr. Eccle. de consecr. distinct. 1. omnes basilicæ. & hoc ideo, quia fidelibus non est tam de sollicita quacumque inuentione fidendum, quam de instantia orationis humilis & deuotæ sperandũ, vt in simili not. in cap. vbi periculum, in fi. de elect. li. 6. facit. 23. quæst. 8. in qualibet. & laudabile foret, vt quod ibi statuitur de electione Pontificis super frequentia orationum, & obseruantia ieiuniorum etiam hoc casu seruaretur. Multum enim valent orationes iustorum, secundum Ioan. Mona. ibidem, & Ioan. And. per cap. disciplina, ad fi. 41. distinct. & 16. quæst. 9. anima defunctorum, & plene no. in cle. si Dominum, de rel. & vener. Sanct. in glossa magna ad fi. Instanter enim est orandum, quia tunc oratio impetrat, de pœn. distinctione prima, importuna, per Archid. in d. cap. vbi periculum in fi. & in cap. de immu. Eccle. eo. lib. & ita reperi fecisse Innoc. III. in canonizatione S. Vulstani quondam Episcopi Vigornien. in Anglia. Vniuerso namque clero & populo ciuitatis illius ieiunium indixit triduanum in quibus omnes vnanimiter orarent, & peterent ab eo qui via, veritas est & vita, aperiri super hoc viam veritatis ad vitam, cum diuinum sit iudicium huiusmodi potius quam humanum, & ideo maturius procedendum. Item quod ad conscribenda huiusmodi acta, semper adhibeantur tres notarij in consonantia, sicut etiam tres Cardinales, tres capellani adhibentur, vt in ore duorum, &c. per cap. vt officium, §. verum, de hæreti. lib. 6. & c. licet, de test. 2. quæst. 4. cap. 1. & Exod. 17. & Mat. 18. & ad Heb. 5. & 1. ad Tim. vlt. vbi numerus de testibus, & licet iniuriam faciat Sancto, qui orat pro eo, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos miseri potius eorum orationibus indigemus, vt in cap. cum Matthæ. ver. 3. de celeb. Missa. tamen secundum Prosperum, semper est Sanctis quo crescere possint, ideo ad augmentum gloriæ pro eis orare potest, & proderunt orationes per

tiones per modum suffragij, de quo per Thom. in 4. sententiarum distinctione 45. art. 2. & scripsi super extrauag. cle. 6. quæ incipit, Vnigenitus, in ver. electorum, post Archid. in cap. tempus, 13. quæst. 2. Sunt namque accessiones gratiarum secundum Ray. in sum. de pœn. §. Item, quæritur vtrum. Et ea forte non esset nisi cautum, absoluere animam eius de plenaria potestate clauium plenarie, ad abundantissimam cautelam resultantem ex alienis periculis, vt nihil possit dici omissum, per ea quæ habentur in cap. à nobis de senten. excommun. 11. quæstio. 3. tunc vera. & ita fecisse videtur Calixtus III. in canonizatione beati Osmundi Episcopi Sarisperien. In Anglia dicens præfatum Osmundum &c. benedicentes benedicamus in sæculo, floreatque super eum sanctificatio nostra, &c. addit etiam idem Innocen. III. in canonizatione sancti Vulstani propriam collectam, in eius commemoratione dicendam, & illius memoriam inter Sanctos catalogo Sanctorum adscriptos decreuit celebrandam &c. vt patet in eis litteris datis Flor. 2. idus Maij, &c. Hic autem ordo non semper ad vnguem hactenus est seruandus secundum Host. Ioan. And. eam Card. & alios vbi supra. In libro cæremoniarum apparent aliæ diuersæ & plures solemnitates seruandæ & laudabiles, quæ de congruo videntur non deberi prætermitti. Cũ igitur in casu nostro omnia hactenus necessaria sint sufficienter & superabundanter circa processum obseruata, supplicantibus pro huiusmodi canonizatione pie mos gerendus est, cum iusta petentibus non sit denegandus assensus, per. l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alie. iur.

Secundæ partis. Articulus VIII.

AD octauum dico concludendum esse adhibendam fidem chronicis, ad arbitrium tamen Papæ & collegij D. Cardinalium, per cap. vnicum, in fi. de sa. vnc. & ibi not. & c. venerabilem, de elect. & in c. in nomine Domini. 23. distin. & in cle. 2. Dominus, de reli. & venerat. Sanct. in ver. Vrbano, & in gloss. magna in fi. & in cap. inter dilectos, de fide instrumen. vbi etiam not. Bald. quod quando sumus incerti de nomine Imperatoris, recurrimus ad chronicas anni & indictionem, &c. maxime ex quo non apparent alia veriores, quia tunc verioribus esset standum. Facit quod not. in cle. 1. de magist. in ver. Bononiæ, & præsertim ex quo maiores nostri eis crediderunt, vt not. in prima constitutione digestorum. §. hæc autem tria, maxime quoad personas & loca inter quas pro talibus habentur, sicut de nostris in ordine Sanct. Francisci, sicut de libris Aristot. & Hippocratis not. Nic. de mata. & Bald. super Rub. C. de fi. instr. ad fi. & Ioannes Andreas in tit. de fi. instr. §. nunc dicendum. ver. priuatoriam ad fi. Ant. de But. in cap. 2. eo tit. & in cap. cum venerabilis de exc. & Bart. & And. in l. 1. ff. si cert. petat. probat. l. si pater, ff. de solu. & septimo mense. ff de sta. hom. & quod ibi per Bald. & l. in tantum. §. si eum cum. l. seq. ff. de acq. re. dom. & quod per Bar. post Odof. in dicta. 1. const. digestorum. §. hæc autem tria super ver. iuribus. per Bald. in l. in tantum, in fi. ff. de re. diui. facit instit. de rer. di. §. item pretium, & in Spec. de aduo. §. nunc de exordijs, & etiam per eumdem Bart. in l. testamenta, C. de testamen. & c. & dicitur chronica à chronos Græco vocabulo. quod Latine tempus interpretatur, quia in chronica facta in suis temporibus recitantur. Item quia veritas illarum coadiuuatur alijs adminiculis ar. in cap. cum causam. de probat. & in l. census & monumenta, de prob. Item propter earum antiquitatem, & quia conseruantur inter libros authenticos. ar. in cap. ad audientiam, de præscrip. & 30. quæst. 5. cap. venit, & in authen. de his qui ingre. de appel. §. illud, & C. de fide inst. auct. ad hæc, & in c. cum ex litteris, de st. in integ. re. & l. vltima. C. arbitri. tute. & l. scripturas. C. qui pot. in pig. & 24. quæst. 2. cap. sane, vbi datur fides scripturis in columnis & lapidibus &c. & l. census & monumenta, de proba. & c. cum causam, e. tit. per Dominum Ægidium de Bellemere in decision. 70. quæ incipit adminicula. Nec est curandum, quod non constat de nomine eorum qui composuerunt dictas chronicas, quasi ex hoc videantur apocryphæ ar. 15. dist. c. Sancta Romana. ver. quæ vero opuscula, quia cum ordo S. Francisci in omnimoda humilitate fundatus fuerit, & ideo fratres sui minores nuncupantur, qui ne reprehendi possent eorum nomina subticuerunt, scribentes gesta generalium ordinis ipsius successiue, ad quod optime faciunt quamplures auctoritates veteris & nouæ legis canonum & doctorum, & aliæ rationes ad plenum adductæ per Ioan. And. in fi. mercurialium super vlt. quæstio.

Secundæ partis. Articulus IX.

AD nonum dico concludendum cum S. Tho. quolibet. 9. ar. 6. quod Ecclesia canonizando aliquem vt Sanctum errare non potest, quoniam aliquid potest iudicari possibile secundũ se consideratum, quod relatum ad aliquod extrinsecum impossibile inuenitur. ergo licet iudicium eorum qui præsunt Eccl. possit errare in quibuslibet, si personæ eorum tantum respiciantur, quia innititur in iudicando, medio fallibili, testimonio scilicet humano, cum inquirat per testes de vita & miraculis, & testimonium hominum sit fallibile. Item, quia nemo scire potest, an sit dignus odio vel amore, vt dicitur in Eccl. notatur in ca. fin. de Purg. can. & Apostolus. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, &c. ergo multo minus Papa, tamen cõsiderata diuina prouidentia quæ Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit, vt non erret, sicut ipse promisit, Ioan. 14. quod spiritus adueniens doceret omnem veritatem, de necessariis, scilicet, ad salutem, certum est, quod iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare in his quæ ad fidem pertinent, impossibile est. vnde magis est standum sententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quam quorumlibet sapientiam hominum in scripturarum expositione, cum Caiphas quamuis nequam, tamen quia pontifex legatur etiam inscius prophetasse, Ioan. 11. licet in his quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de possessionibus, vel de criminibus vel similibus, possibile sit Ecclesiæ iudicium errare propter falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo. Sed quia honor quẽ Sanctis exhibemus, quædam fidei professio est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit. Pontifex enim cuius est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicuius, per inquisitionem vitæ & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus sancti, quia omnia scrutatur etiam profunda Dei, & diuina prouidentia præseruat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. Ecclesiæ namque auctoritas omnem excellit aliam auctoritatem, etiam Sanctorum Patrum, vt patet. 11. distinct. vt veterum, & per totum, & not. 24. distinct. cap. 1. & 20. distinct. in sum. & cap. 1. & 30. quæst. vlt. c. fin. & per doct. in cap. ne innitaris, de const. Hinc etiam dixit Innoc. & Card. post eum, in c. 1. de rel. & vene. Sanct. quod si etiam Ecclesia erraret, quod non est credendum, tamẽ preces bonas Deus acceptaret. 32. dist. §. verum. 15. q. vlt. c. fi. Notat etiam Io. And. in glo. in c. gloriosus, de rel. & venera. Sanct. lib. 6. quod etiam si Eccl. in canonizatione erraret, quod dicit non esse credendum, licet accidere posset, ca. à nobis de sen. excom. 2. nihilominus preces in honorem talis accepta & grata sunt. Per fidem namque Christi omnia purgantur. cap. vestra. de coha. cle. & mul. & esto quod veritas canonizationis deficiat, non defecit fides. cap. debitum de bap. c. 2. & 3. de presbyte. non bap. & idem sequitur Ioan. in directorio iuris parte. 1. ti. 13. ad fi. & ideo quod supra concludendo dicit S. Thom. in suo quolibeto, cõcludit etiam magistraliter Aug. de Anc. in lib. de Ecclesia. potesta. q. 14. principali art. 3. quasi per easdem rationes, & respondet ad contraria, & q. 17. art. 4. vbi quærit. An omnes canonizati per Papam sint in vita æterna, licet videatur sibi cõtrarius. propter capitu. si sine charitate 1. quæst. 1. & ideo solemniter disputando formauit R. D. Io. de Tur. cre. quondam Card. S. Sixti per excellentes rationes in ca. hæc est fides 24. quæst. 1. Ad auctoritatem autem Greg. videlicet. Multorum corpora Sanctorum, hoc verbum non debet esse in illa auctoritate, & debet intelligi in veneratione priuata, nõ publica, venerantur in terris, quorũ animæ cruciantur in inferno. Respõdeo veram in his tantum, qui martyrium sustinuerunt absque charitate, &c. iuxta sententiam Hieron. de qua in q. 1. c. vide quantum bonum dicentis. Si sine charitate martyrium recipiatur, & corpora eorum coram hominibus venerantur, per fidẽ magis sunt talia, quam corona victoriæ, & tali operi magis pœna quam præmium debetur, & 90. dist. neq; & 1. ad Cor. 13. & cap. transmissa de hæret. & dicit Franscus Mayrones puncto 33. Ecclesiastica hierarchia, quod Papa habet Angelum personalem, qui non dimittit ipsum vnquam, & quod in rebus publicis respicit ad ipsum Sanct. Michael specialiter, sicut ad ducem sui exercitus. Item verisimiliter Deus per medium ali-

cuius veri Sancti reuelaret veritatem, vt legitur in legenda sancti Martini Episcopi, de suspenso qui venerabatur vt martyr.

Secundæ partis. Articulus. X.

AD decimum dico concludendum secundum Dominum Ægid. de Bellemere in decis. suis, decis. 677. quæ incipit extra totam, quod in informatione quæ circa negotium canonizationis alicuius, &c. tria principaliter. & primo. Non fore necesse vocare illos quorum interest, & per generale edictum. Ratio, quia hoc casu non agitur contra aliquam personam certam vel incertam, nec in directum præiudicium alicuius certæ vel incertæ personæ: & ideo non requiritur aliqua vocatio cuiuslibet, licet possint esse personæ aliquæ, quæ possint prætendere aliquod indirectum præiudicium vel interesse vt commune. Item quia talis actus non potest dici iudicialis, quia nullam habet partem, vt capit. forus. §. in omni. de verborum signifi. & in extraiudicialibus non requiritur partis vocatio. & hinc est, quod licet superior habens per modum prouisionis Ecclesiam ornare de bono Prælato, habet præmittere bonam informationem de persona electi, & qualitate prælaturæ secundum Innocen. in ca. cum dilecti. & cap. nihil, & cap. statuimus. de electio. facit cap. cum olim, de donation. & capitu. constitutus, secundū de appellat. & probatur satis. 8. quæst. 2. cap. 1. & 2. tamen non requirit informatio illa partis vocationem: immo nec tenetur prouisor partem audire, vt not. idem Innoc. in cap. dudum. de præsumpt. & in cap. proposuit. de concessio. præbend. & glo. vlt. in cap. fin. de electio. lib. 6. & hinc est etiam, quod cum Papa committit inquisitionem faciendam de sufficientia certæ personæ nominatæ vel supplicatæ sibi ad certam Ecclesiam cathedralem reseruatam & vacantem, in hoc non vocatur pars, immo nec auditur, nisi de gratia & speciali mandato, quia nec supplicatus habet aliquod ius propter quod faciat partem. Nec est negotium illud iudiciale, sed est potius quædam extraiudicialis executio officij ipsius superioris, quod est verum, etiam si superior procedit ad supplicationem alicuius sine proprio motu, vt probant iura præallegata, & quia superior vtitur iure suo ex officio mero, & ita nemini iniuriam facit. l. iniuriarum. §. 1. ff. de iniur. nec est ipse medius, neque iudex & pars. iuxta nota. Innoc. in cap. ex parte. de verborum significat. & est simile in statutu, in quibus non requiritur vocatio subditorum, licet eis bene præiudicet, & sit cum bona informatione ad ea procedendum. l. humanum, C. de legibus, & quod non teneatur probationes admittere, nec se opponentem audire vt partem. & hoc melius colligitur ex not. Innoc. in glo. mag. in cap. venerabili. de censi. & in cap. ex parte, alleg. de verborum signifi. 2. per ibi not. non expedit admittere quem vt partem, licet bonum sit audire ad sui ipsius informationem extraiudicialem. & ita dicit fuisse conclusum per Reuer. dominos Cardinales commissarios in facto canonizationis domini Caroli, videlicet per dom. Albanensem & Floren. & Sancti Angeli, tunc commissarios, quibus assentit d. sancti Eustachij, dicens quod alij do. Cardinales in consistorio in hoc etiam concordarunt. & secundum præmissa debent interpretari quæ dixit Augustinus de Anco. in libro de Ecclesiast. potestate quæst. 16. art. 1. vbi quærit. an Papa in canonizatione debeat seruare ordinem iudiciarium? Reperio tamen D. Calixtum Tertium in canonizatione sancti Osmundi de Anglia, per dominos Cardinales deputatos ad faciendam inquisitionem, monuisse omnes & singulos qui in hu interesse aliquod habere prætenderent, vt ad diem certam tunc expressam legitime comparerent, prout etiam per Episcopos commissarios in hac causa factum fuisse ex actis constat ad abundantiorem cautelam, ne nihil quod ad cautelam pertineat, videretur omissum. 63. distinct. quanto. & quia abundans cautela non nocet. l. testamentum. C. de testamen. l. si pupulli. §. 1. ff. de neg. gest. Subdit tamen idem dominus Ægidius in dictis decis. immediate sequ. quod licet expediat audire se opponentes canonizationi, non tamen debent admitti vt partem facientes, sed solum ad informandum extra iudicium ex officio, si tamen apparet, quod excipiens non excipit bono zelo, quem habeat ad Ecclesiam & ad fidem, sed potius ex odio quod habuit aduersus mortuum, vel ex inimicitia quam habet aduersus illos de genere mortui de cuius canonizatione agitur, ille non est aliqualiter audiendus, sed potius totaliter repellendus, capitulo. I. A. de re iudicia. cap. ex insinuatione. de appellatio. capitu. repellantur, & cap. cum oporteat, de accusa. cum capit. seq. & per plura alia, de quibus per eum in dictis decisio. in quibus respondent ad omnia contraria, multum magistraliter. & etiam magistraliter refert idem Bellemere in lectura in dicto capit. venerabili. de test. fuisse obtentum in consiliis multorum. Ex præmissis itaque conclusio ad Dei optimi maximi gloriam & laudem per V. B. procedi posse atque debere, ad canonizationem beati patris Bonauenturæ præfati, vt sic amplius Deus gloriosus in Sanctis suis etiam in ipso glorificetur, capitu. gloriosus. de reliq. & veneratio. Sanct. libro sexto, per ampliusque etiam in ipso iugiter laudetur. clem. si dominum eo. titu. & Psalm. 150. etiam sub duplici festo festum illius celebrari mandando, ad instar aliorum doctorum quattuor, de quibus in dicto cap. gloriosus, aut saltem disponendo, vt festum illius ferietur. iuxta cap. pronunciandum, de consecr. distinct. 3. & cap. fi. de feriis, & l. omnes. C. eod. tit. & vt vigilia eius ieiunetur cum præmio indulgentiarum, iuxta cap. 1. de obser. ie. & prout fecit Bonifacius IX. in translationis beatæ Brigidæ festiuitate, vt patet in Bulla canonizationis eius. & Nicolaus Quintus in canonizatione sancti Bernardini, & Pius Secundus in canonizatione sanctæ Catherinæ de Senis, & Calixtus Tertius in canonizatione sancti Osmundi etiam per octauam. Fateor tamen secundum Hierony. vnam esse vitam Sanctorum, sed præmia pro labore diuersa, & periculosum esse de Sanctorum meritis disputare, vt habetur in dicto cap. gloriosus, in nouella. Item vt propterea cultus diuinus augmentetur cap. ex parte, de constitu. & honor Ecclesiæ augeatur, capitu. vasa, de consecratio. dist. prima, & alij ad religionem & studia Theologiæ propterea inuitentur, capitu. super specula, ne cleri. vel mona. Item propter ipsius beati gloriam. Vult enim Deus vt Sanctos inuocemus, vt dum per eorum suffragia quod petimus impetramus, ipsos magnificamus, & glorificando collaudemus, & vt peccatores quasi non audentes ipsum in propria persona audire, amicorum possint patrocinia implorare, qui voto supplicantium scire possunt, quia in illo æterno diuinitatis speculo intelligitur, quantum vel illis pertinet ad gaudium, vel nobis ad auxilium, & propter inopiam quam habemus in merendo, vt vbi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena. & vt qui non possumus summum lucem aspicere in se contemplando, saltem in Sanctis aspicere valeamus, & vt sic omnis nostra inopia quam habemus, etiam in amando suppleatur, quam plerumque imperfectus homo magis sentit se affici circa vnum Sanctum, quam circa Deum. & ideo propter has causas generales ordinauit Deus, vt Sanctos honoremus, & oremus, prout plenius habetur per Iacob. de voragine in legendis Sanctorum, in cap. de festo omnium Sanctorum. Exaudit namque Dominus orationes Sanctorum, Prouerb. 15. & 3. q. 7 in grauibus. Annumeretur computeturque inter filios Dei confidenter, & inter Sanctos sors illius, vt exultet cœlum laudibus, & resultet terra gaudijs. &c. Cuius doctrina fulget Ecclesia, vt Sol Luna, & quem elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illi gloriam sempiternam.

Deo Gratias.

Et quoniam Innoc. Tert. in canonizatione sancti Vulstani quondam Episcopi Vigornien. in Anglia, fecit de eo specialem collectam & orationem dicendam in Missa eius, vt patet ex Bulla dicta canonizationis. Ideo laudo in huiusmodi canonizatione sancti Bonauenturæ fieri collectam & secretam & post communionem. vt sequitur & illas in Bulla canonizationis inscribi, & reliquum officium de confesso. maioribus doctoribus fieri, prout etiam mandauit fieri Calixtus Tertius in canonizatione sancti Osmundi, vt in Bulla canonizationis eius inscribitur.

Collecta, alias Oratio.

Exaudi quæsumus Domine preces nostras, & intercedente beato Bonauentura confessore tuo atque Pontifice, salutaribus nos instrue disciplinis, & gaudijs fac perfrui sempiternis. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Secreta.

Suscipe clementissime Deus hostiam laudis, quam tibi pro peccatis nostris offerimus, & intercedente beato Bonauentura Confessore atque Pontifice, preces nostras benignus exaudi. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

Postcommunio.

Memor esto sacrificij nostri omnipotens Deus, & precibus & meritis beati Bonauenturæ confessoris tui atque pontificis, vitam nobis & gloriam tribue sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum, &c.

SERMO MAGISTRI ROBERTI DE laudibus sancti Bonauenturæ Ordinis Minorum.

Eccl. 50.

QVASI stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in dieb. suis lucet, & quasi Sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei. Scribuntur hæc verba originaliter in Ecclesiastico ad laudem sancti Bonauenturæ proposita. Præclarissima domini & sancti Bonauenturæ merita, Sixtum Quartum Pontificem Maximum induxerunt, vt illum hoc felice tempore catalogo Sanctorum ascriberet. Res est vtique grandis & digna valde, quæ Dei gloriam pandit, sanctam Ecclesiam exornat, religionem lætificat Christianam, ordinemque fratrum minorum sublimat, & extollit. Quid enim præstantius excogitari potest, quam mortalem hominem post deuictum triumphatumque mundum ad cælestia regna deduci, ibique immortalitate perpetua gaudere cum Christo? Quis de beata vita promissaque nobis felicitate dubitare valeat, ad quam amicos Dei iam properasse certissimum est? Ibi Christus rex gloriæ, ibi immaculata Virgo regina cælorum, ibi Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines, omnesque electi, & amici Dei, ibi denique beatissimus Bonauentura. Cum vero hodierna die sit annumeratus catalogo Sanctorum, æquum est & rationabile, vt eius sanctitas omni populo fiat nota. Quare de re statui in præsenti sermone, laudibus eius incumbere, qui describitur in verbis propositis, illustrasse Ecclesiam sicut stella matutina, & sicut Luna plena, atque vt Sol fulgentissimus, per quæ splendores excellentiarum suarum possunt denotari. Prima excellentia dicitur vitæ. Secunda doctrinæ. Tertia refulgentiæ. Prima excellentia S. Bonauenturæ dicitur vitæ. Ex vita quippe munda & virtuosa iudicantur homines sancti, hoc tamen iudicium quantum ad publicam venerationem spectat ad Ecclesiam, vnde Innocen. de rel. & venera. Sancto. dicit: Non abnegamus, quin liceat porrigere preces alicui defuncto, quem quis credat bonum virum, & nunc esse cum Christo, licet non sit canonizatus, quia fidem orantis Dominus attendit, sed facere pro eo officium, vel preces solemnes nō licet ex quo in cap. primo, de reliquijs & venera. San. statutum est, vt nullus adoretur pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, etiamsi miracula faceret, quem enim Ecclesia reprobat, reprobandus est. & quem approbat, approbandus, vt patet 24. quæstione prima. cap. Hæc est fides Catholica. & cap. quoniam vetus. Secundum autem Goffredum. & Hostiensem in canonizatione Sanctorum inquiritur de vita canonizandi, si fuit in laboribus multis & iustis, si moribus castus, & strenuus, vt notatur distinct. 61. cap miramur, licet pro martyribus non sit tā stricta fienda examinatio. Quod autē vita sancti Bonauenturæ fuerit munda, pura, sancta; probatur triplici modo. Primus dicitur testificationis. Secūdus professionis. Tertius assumptionis. Primus modus quo probatur Sanctitas & bonitas vitæ S. Bonauenturæ, dicitur testificationis. Habet. n. testimonium à viris fide dignis. primo ab Alexandro de Ales viro bono & in sacra pagina probatissimo Doctore. De isto Alexandro scribitur in chronicis o dnis beati Francisci, quod illius opus quod scripsit in Theologia approbatum fuit ab Alexandro Quarto, & sexaginta magistris Parisiensibus, vt apparet in Bulla ipsius Pontificis, quam puto esse Parisiis. Hic itaque Alexander de Ales videns in Bonauentura morum elegantiam, corporis pulchritudinem, venustatem aspectus, eloquij suauitatem, conuersationisque affabilitatem, dicere sæpe solebat, Non videtur Adam in hom ne isto peccasse, quasi diceret, quod vita illius irreprehensibilis, potius Angelica erat, quam humana. Secundo bonitas vitæ S. Bonauenturæ habet testimonium à Domino Petro Cardinali Episcopo Hostien. qui fuit de ordine Prædicatorum. Hic sermonem habuit in funere Bonauenturæ suscepto themate, Doleo super te frater mi Ionatha, in quo inter alia tractat, quod quicumque Bonauenturam videbat, ipsius amore capiebatur, eiusque piissima monita obedienter recipiebat, permaxime Græci & Tartari, quibus eius eloquia plurimum proferrur. Quæ verba vltimo dixit, quoniam tempore generalis Concilij Lugduni celebrati, vt scribitur in chronicis præallegatis, Frater Hieronymus de Esculo Ordinis minorum, qui fuit postea Generalis, deinde Cardinalis Episcopus Prænestinus, & tandem Papa Nicolaus Quartus rediit ex partibus Orientalibus, ad quas missus fuerat cum solemnibus nuntiis Græcorum. & Tartarorum, & ipso Bonauentura suggerente, Græci tunc ad vnitatem Ecclesiæ redierunt, & Tartari baptizati sunt. Tertio sanctitas vitæ Bonauenturæ testimonium habet à poeta vulgari Dante, qui in tertia comœdia ita dixit:

2. Reg. 1.

Io son la vita di Bonauentura
Da Bagnoregio, che in grandi officij,
Sempre pospoli la sinistra cura.

Secundus modus quo probatur sanctitas Bonauenturæ dicitur professionis. Professus quippe fuit Regulam sanctam Fratrum Minorum, in qua semper quamdiu in Ordine fuit irreprehensibiliter vixit. Hæc autem Regula deuotos professores suos ad Christi, Angelorum, atque Sanctorum societatem perducit. Quod ostenditur ex triplici eius prærogatiua siue præeminentia. Prima quia illa Regula à Spiritu sancto fuit inspirata. Secunda quia super Euangelio fuit fundata. Tertia quia supernaturali signo fuit confirmata. De quibus omnibus, ita scribitur in extrauaganti Nicolai in sexto libro decretalium. Hi, scilicet fratres minores, sunt illius sanctæ Regulæ professores, quæ in Euangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, & fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus actibusque firmatur. Hæc est apud Deum & patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum, per eius Filium exemplariter & verbaliter tradita Apostolis, deinde per Spiritum sanctum beato Francisco, & eum sequentibus inspiritu, totius in se continet testimonium Trinitatis. Hæc est cui attestante Paulo nullus de cetero debet esse molestus, quam Christus passionis suæ stigmatibus confirmauit, volens institutorem ipsius passionis suæ signis notabiliter insigniri, hæc ibi. Hanc igitur Regulam diuinitus inspiratus suscipere voluit dominus Bonauentura, qui à teneris annis beatum Franciscum singulari deuotione est prosecutus. Meritis quippe illius, dum tenellus erat, à mortali infirmitate liberatus extitit. Vnde ipsemet in legenda beati Francisci ita scribit (vt habetur in cap. vltimo) innumera quoque per ipsum in diuersis partibus orbis exuberare non cessant beneficia Dei, sicut & ego ipse qui superiora descripsi, experientia teste in me ipso probaui. Voto enim pro me languente grauissime ad beatum patrem Franciscum emisso à matre, cum adhuc essem puerulus, ab ipsis sum mortis faucibus erutus, & in robur vitæ incolumis restitutus: Quod cum vitæ memoria teneam, vera nunc confessione profiteor, ne tantum beneficium reticens, sceleris arguar vt ingratus. Hæc ibi. Crescens itaque dominus Bonauentura, de virtute in virtutem proficiens cum affectione, & reuerentia beati Francisci anno ætatis suæ vigesimo secundo sacram eius Religionem ingressus est. In qua tantum profecit in omni deuotione & studio litterarum, quod septimo anno post ingressum religionis legit sententias Parisiis, & decimo anno scilicet trigesimo secundo ætatis suæ suscepit cathedram magistralem. Tertius modus quo probatur sanctitas Domini Bonauenturæ, dicitur assumptionis. Ob splendidissimam namque virtutum eius famam, nomen clarissimum, assumptus fuit ad triplicem dignitatem, Generalatus, Archiepiscopatus, & Cardinalatus. primo fuit assumptus ad dignitatē Generalatus. Licet enim seruus Dei Franciscus Prælatos suos, humilibus vocabulis decreuit nominari, tamen non parua dignitas est præesse tot fratribus, quot sunt in Religione minorum, tam longe lateque diffusa per orbem. Fuit namque Dominus Bonauentura Ordinis minorum octauus Generalis. Primus fuit

beatus

beatus Franciscus. II. frater Ioannes dictus parens, de Florentia. Tertius frater Elias de Asisio. Quartus frater Albertus de Pisis. Quintus frater Aimo Anglicus. Sextus frater Crescentius. Septimus frater Ioannes de Parma. Octauus frater Bonauentura. His in capitulo generali Romæ celebrato, Alexandro Papa Quarto præsente, anno ab incarnatione Domini 1246. & tertiodecimo post Religionis ingressum in festo Purificationis Beatæ Virginis in generalem fuit electus, annis autem decem & octo ordinem laudabiliter rexit, seruiens altissimo in paupertate, & humilitate, confortabat suauiter, tentatos, & infirmis seruiebat libenter. In Capi. Generali Narbonæ celebrato per eum regulam reformauit, & exposuit, ordinem in prouincias, & custodias distinxit. Tempore vero sui Generalatus fuit facta translatio corporis sancti Antonij de Padua ad pregrandem illam Ecclesiam, in qua nunc est reconditum trigesimo tertio anno post eius obitum in octaua Dominicæ Resurrectionis, & tunc lingua eius quæ sub terra fuerat, reperta est ita recens & rubicunda, quasi eadem hora sanctus ille gloriosus decessisset, quam beatus & deuotus Bonauentura in manibus reuerenter accipiens, irrigatus profluuiis lacrymarum, coram omnibus huiusmodi verbis affari cœpit: O lingua benedicta, quæ semper benedixisti Dominum, & alios benedicere fecisti, nunc manifeste apparet quanti fueris meriti apud Dominum. Secundo fuit assumptus ad dignitatem Archiepiscopatus. nam Clemens papa Quartus, contulit ei Archiepiscopatum Eboracensem pinguissimum, sed ipse de Parisiis vbi tunc erat, ad pedes Domini Papæ se conferens, tam humiliter & efficaciter tanto gradui, & dignitati cessit, quod Dominus Papa eius cessionem admisit. & ne quis miretur, quod clemens Archiepiscopum illum fecerit, cum in Generalem fuerit electus, Alexandro Quarto, præsidente vt diximus. Sciendum est, quod post Alexandrum prædictum creatus fuit Vrbanus Quartus, & post Vrbanum Clemens Quartus, & post Clementem Gregorius Decimus. Nam correcta sunt chronica ordinis ex quibus illa collegi. Tertio Bonauentura fuit assumptus ad dignitatem Cardinalatus, hæc dignitas amplissima est in Eccl. Dei. Quia vt dicit glo. in cap. ministerium, extra. de off. archipresbyteri. Cardinales dicuntur, quia per eos regitur vniuersalis Ecclesia, sicut in cardine regitur ostium, vt ponitur, 71. distinct. in capit. fraternitatem. & dicit Augustinus de Anco. in lib. de potestate Ecclesiastica. Cardinales assistunt Papæ, sicut Apostoli Christo. Apostoli enim sunt nuncupati Christi fratres secundum illud. Psal. 21. Narrabo nomen tuum fratribus meis, & principes mundi, secundum illud Psal. 44. Constitues eos principes super omnem terram. Sed Papa cum facit aliquos Cardinales, insignit eos ista duplici dignitate, dicens eis, Estote fratres mei & principes mundi. Ipse autem Papa gerit personam Christi. & quamuis etiam Episcopi succedant loco Apostolorum, alio tamen modo quam Cardinales. Apostoli enim duplici modo se habuerunt ad Christum, vno modo vt præsentialiter assistentes, sicut fuit ante passionem & ascensionem. Secundo modo vt missi ex præcepto eius per orbem, quod fuit post aduentum Spiritus sancti, quando dispersi per orbem diuiserunt se, accipiendo vnusquisque prouinciam vel Regnum in sortem suæ prædicationis. Cardinales ergo repræsentant personas Apostolorum vt Christo assistentes, quia ipsi assistunt Papæ præsentialiter vt Vicario Christi. Secundo modo repræsentant personas Apostolorum Episcopi, qui in partem solicitudinis vocati sunt, regentes diuersas ciuitates, vel prouincias, vt Archiepiscopi. & istud est satis conueniens, vt sicut in Hierarchia cælesti aliqui Angeli sunt assistentes, alij missi frequenter ad nos; ita in nostra Ecclesiastica Hierarchia, decet aliquos assistere vt Cardinales, alios mitti vt Episcopos, & hoc de lege communi, quia suborta causa non tollitur quin Cardinales aliquando mittantur vt legati, & Episcopi, aliqui etiam vocati à Papa sunt ei assistentes. Accipiunt autem Cardinales à Papa pileum rubeum in signum ardentis charitatis, quam debent habere, ita vt sint parati sanguinem suum fundere, mori pro bono & defensione Ecclesiæ & profectu. Vnde in cap. Fundamenta. de electione. libro sexto; dicuntur Cardinales, fratres, coadiutores, consiliatij, assistentes Domini Papæ. vt igitur ad Bonauenturam redeamus, ipse Cardinalis effectus fuit. Nam Parisiis existens vocatus fuit à Domino Gregorio Decimo, qui Pontifex ipsum recipere Cardinalatum, & Episcopatum Albanensem coegit. Imposuitque vt Concilij negotia ipse dirigeret. Sed curiosi quidam nos impugnare non cessant, quærentes, Cur Bonauentura Archiepiscopatum recusauit, tamen Cardinalatum acceperit? Ad quod respondemus, quod potuit esse. quod Gregorius Decimus præfatus eum obedientia vel aliqua forti persuasione induxit, vt Cardinalatum susciperet, quod non fecit Clemens, dum ei Archiepiscopatum contulit, & vt scribitur in capitul. Nisi cum pridem, de renuntiatione, Tunc in te veram humilitatem custodies, cum per eam locum sublimem effugies, per obedientiam non dimittes. Itaque non sine humilitate maxima & Dei timore, dignitatem Cardinalatus acceptauit. Nam tanta fuit humilitatis, quod etiam pontificatus maximi celsitudinem adipisci potuisset, quod noluit. Inquit enim Bartholomæus de Pisis in libro conformitatum, quod post mortem Clementis cum per plures menses Cardinales in electione Papæ conuenire non possent, tantæ opinionis erat apud eos Bonauentura tunc generalis minister, quod omnes Cardinales vota sua in eum compromiserunt, vt si se vel alium Papam nominaret, illum Episcopi eligerent. Ipse vero nominauit Dominum Theobaldum Archidiaconum Leodiensem sanctissimum virum, qui fuit Gregorius Decimus, & multis coruscauit miraculis, & iacet Aretij in Ecclesia maiori, canonizatus in Ecclesia Aretina. Quare Dominus Bonauentura probatus inuentus est in omni vita sua, & cum plurimum laborasset pro animarum salute, tandem ex hac luce cessit, anno Domini 1274. Ætatis vero suæ quinquagesimo tertio hora matutina diei Dominica, tertia decima die mensis Iulij. Eadem vero die sepultum corpus in Ecclesia fratrum minorum Lugduni fuit. Secunda excellentia sancti Bonauenturæ dicitur doctrina. Fuit quidem ipse doctor, quod nec minimum haberi debet, cum dicatur extra. de hæreticis. capitu. cum ex iniuncto. Doctorum ordo præcipuus est in Ecclesia Dei, & de doctoribus scriptum est. Dan. 12. Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Doctoribus insuper diuinarum scripturarum aureola danda est, vt doctores in quarto ponũt, & Albertus in compendio Theologiæ. Doctrina ergo Domini Bonauenturæ magnum lumen diffudit in Ecclesia Dei propter triplicem illius conditionem. Primo quia fuit copiosa. Secundo quia deuota. Tertio quia fructuosa. Prima cõditio doctrinæ sancti Bonauenturæ fuit copiosa. Multa quidem scripsit laude digna, & legentibus grata. Nam scripsit libellum apologiæ contra Giraldum de Abbatis villa, qui multa falsa de religiosis & religionis statu disserebat, qui Giraldus tandem leprosus mortuus est. Scripsit libellum de sex alis Seraphin, & super Genesim, opus quod intitulatur de septem visionibus, & defensorium religionis, & regulam nouitiorum, & super quattuor libros sententiarum, & breuiloquium, & sermones dominicales per anni circulum, & super quattuor Euangelia, præcipue, super Lucam, de arbore vitæ crucifixi, & plura alia opuscula edidit, inter quæ omnia singularis fuit legenda beati Francisci. Hanc videre voluit vir ille clarissimus Leonardus Aretinus, vt retulerunt mihi quidam patres conuentus Florentini, quam cum diligentissime legendo percurrisset, restituit illam fratribus, asserens quod in illo dicendi genere nullus esset, qui Bonauenturam posset superare. Secundo doctrina Bonauenturæ fuit deuota, sapida, & vere Seraphica, quæ legentes non solum illuminat, sed inflammat. Nec aliter esse posset cum de illo in chronicis scribatur. Siquidem omnem veritatem quam percipiebat intellectu, ad formam orationis & laudationis diuinæ reducens, continuo ruminabat affectu. Narratur adhuc de eo, quod dum scribebat legendam Sancti Francisci quadam die Sanctus Thomas de Aquino accessit ad visitandum eum, & cum familiariter (vt solebat facere) aperuisset ostium cellæ Bonauenturæ, vidit eum orantem ante crucifixum, & in ecstasi factum, mox S. Thomas, dimisit eũ, nec locutus est quidquã, sed socio suo dixit: Sinamus sanctum, quia laborat pro sancto, quia scribebat gesta S. Francisci, quod ipse S. Thomas sciebat. Tertio doctrina sancta Bonauenturæ fuit fructuosa, non enim profuit illis tantum, qui eum viderunt & audierunt docentem, sed etiam omnibus, qui eius scripta legunt, vt patet per experientiam. Tertia excellentia sancti Bonauenturæ dicitur refulgentia. Voluit quippe Deus sanctum istum triplici splendore fulgere. Primus dicitur miraculosa coruscationis. Secundus solemnis canonizationis. Tertius mundialis venerationis. Primus splendor dicitur miraculosæ coruscationis. Fecit quidem Deus meritis eius miracula multa, ex quibus aliqua percurramus. Fertur de ipso quod dum in humanis age-

bat, tanta ad sacramentum Eucharistiæ deuotione mouebatur, quod diebus aliquibus præter morem eius abstinuit à celebratione. Semel dum deuotus Missam audiret, & cum lacrymis passionem Dominicam meditaretur, cum Sacerdos celebrans communicare vellet, vna particula hostiæ per seipsam ad os Domini Bonauenturæ aduolauit, quam ipse reuerenter suscipiens, intellexit timorem scrupulosum circa communionem debite factam fore deponendum. Quædam domina Lugdunensis, Simona vocata, cum filium mortuum peperisset, illum ad sancti viri pedes detulit, qui facto signo crucis viuentem matri dedit. Post mortem eius multa miracula facta sunt ad inuocationem eius, Mulier quædam de castro Villano, octo diebus laborauerat in partu, emisso voto quod visitaret sepulchrum Bonauenturæ mox libera peperit, vnde in patria pia consuetudo inoleuit, vt mulieres laborantes in partu inuocent nomen Bonauenturæ, & sæpissime à grauissimis periculis liberentur. Petrus filius Ioannis calZolarij Lugdunensis, claudus dextera tibia, qui longo tempore sine baculo ambulare non poterat, voto emisso ad sanctum Bonauenturam, liberatus est. Dux Aurelianensis, alias OrlientZ carceratus, à magna Britannia Rege detinebatur, vbi quartanam cum dolore capitis incurrit, hic audito nomine sancti Bonauenturæ votum emisit, si liber euadere posset, visitaturum se sepulchrum ipsius sancti. Immutauit Deus cor illius Regis, prædictum ducem à carceribus liberatum, liberum abire permisit. Qui etiam à dolore & infirmitate liberatus, mox vt in Gallias rediit, ad sepulchrum sancti deuotus perrexit. Iaccbeta vxor magistri Nicolai lepra percussa, inuocato Bonauentura, & pijs votis per illam emissis mundata est. Vxor magistri Ioannis Garbreti Regij secretarij hydropica à medicis de sanitate desperata, accedente viro ad sepulchrum Bonauenturæ sanata est. In translatione corporis eius de Ecclesia veteri ad nouam Lugduni, corrosa reliqua parte corporis Bonauenturæ caput inuentum est integrum, capillaturam habens, ac labia & dentes, & lingua colorata & integra, ac si esset hominis viui. Laodomia Vrbeuetana filias feminas multas parturiens viro suo Francisco Matthæi ingrata erat, tādem suasu cuiusdam magistri Francisci Aquapendente, emisso voto ad Bonauenturam, inde ad paucos dies concedit filium, quem post salubrem partum vocauit Bonauenturam, & cum grandiusculus esset effectus, superueniente peste, qua filiæ omnes mortuæ fuerunt, hic ad inuocationem crebram Bonauenturæ pestis periculum euasit. Sunt & alia huius sancti miracula quæ omittimus, ne tædio, & prolixitate rerum audientes afficiantur Secundus splendor dicitur solemnis canonizationis. Non desunt pleriq; sublimitatem huius sancti volentes minuere, ex eo quod Sixtus Pontifex maximus, qui illum catalogo Sanctorum ascripsit, eiusdem fuit ordinis & professionis. Illud idem obiiciunt sancto Vincentio de ordine Prædicatorum, quod scilicet Calixtus illum canonizauit, quia eiusdem ciuitatis fuerat & patriæ. Ac etiam Pius sanctam illam gloriosam Catherinam de Senis, propterea canonizationis decorauit honore, quoniam ambo Senenses. O temeritas malarum mentium! ò incredulitas iniquorum hominum! Non canoniZantur sancti asque solemnitatibus & publicis conditionibus requisitis, non fuerunt prædicti sancti publicati ex aliqua affectione inordinata Pontificum præfatorum, sed quia inuenti fuerunt digni, vt publice à Christianis colerentur, vt. n. habetur in Glos. de reliquiis & vener. Sanct. in ca. Glorios. Deus, Papa solus habet canonizare sanctos. Primo quia canonizatio est vna de causis maximis fidei, ideo ad Papā referenda, extra. de Baptismo, c. maiores. Secundo quia Papa habet iudicare de miraculis fidei. 24. q. 1. c. quotiens. Tertio quia ad Papam spectat declarare dubia Scripturarum, multo fortius dubia sanctitatis, extra, qui filij sunt legitimi, ca. per venerabilem. Quarto ne per multorum Episcoporum simplicitatem contingat populum decipi. Quinto ne in infinitum fieret multiplicatio Sanctorum, & sic tepesceret deuotio, & vilesceret Sanctitas. 80. dist. ca. Episcopi, Papa vero in canoniZandis sanctis multa vtitur grauitate, obseruatq; tot ac tantas ceremonias, vt patet in dicta Gloss. quod nullus eum de passione reprehensibilis affectionis deprehendere possit. Quæcumque igitur requiruntur ad canonizationem sanctorum, omnia peracta sunt in canonizatione sanctorum, quos nominauimus. Et vt de sancto Bonauentura dicam, pro canonizatione illius supplicarunt, instanter Pontifici Sixto, Imperator Federicus, Ludouicus Rex Francorū, Ferdinandus Rex Siciliæ, Matthias Rex Vngariæ, Dux Venetiarum, Dux Mediolani, Dux Calabriæ, Alphonsus, Ferdinandi primogenitus, Dux Sabaudiæ, Ducissa Calabriæ, Florentini, Perusini, & Balneo Regiani. De quorum ciuitate Bonauentura oriūdus existit. Ipsa insuper religio sacra Minorum id postulauit fidentissime, cum pro viro digno apud Christi vicarium ex ipsa religione assumptum supplicaret: cui etiam totius religionis ex parte hoc assumpsit supplicandi officium vir ille grauis integer in sacra pagina eruditissimus, ob suorum morum bonitatem Generalis Minorum effectus Magister Franciscus Samson, qui sancti Bonauenturæ cultor præcipuus, & Sixto Pontifici charissimus est, ac reuerendissimis Dominis Cardinalibus, & omni curiæ dilectus, rem hanc diuinam mirabiliter solicitauit ac procurauit, cuius Deus mentem bonam & voluntatem rectam prospiciens exaudiuit preces, & vidit lacrymas ac suspiria deprecantis. Cōmissa fuit causa, missi ad partes Lugduni Legati, inquisitiones de vita & miraculis sancti diu celebratæ fuere. Tandem Commissarij deputati vtimo sunt reuerendissimi Domini Cardinales Iulianus tituli sancti Petri ad vincula: Stephanus Cardinalis Mediolanensis, & Franciscus de GonZaga. Interueniente ad hoc supplicatione feruenti Reuerendissimi Domini Cardinalis Ioannis de Aragonia, qui à teneris annis deuotus semper extitit ad diuina, post omnia rite peracta secundum Patrum sanctiones, post relationem tam secretam quam publicam; post ieiunia & orationes, post Prælatorum omnium, qui in vrbe reperti, sunt exquisitionem votorum, Sixtus Spiritu sancto eum dirigente in octaua Resurrectionis Domini, sanctum Bonauenturam publice in Ecclesia Dei à cunctis fidelibus statuit venerandum, Anno Domini MCCCCLXXXII.

Tertius splendor dicitur venerationis, omnis Christiana religio de cetero Sanctum ipsum publice venerari debet, cuius meritis potuerunt fideles à multis periculis liberari, impetrareque beneficia summi Dei, qui sit semper benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

BVLLA

BVLLA CANONIZATIONIS SANCTI BONAVENTVRÆ,

SIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

SVPERNA cœlestis patria ciuitas Hierusalem, cuius participatio eius in idipsum, ita omnium electorum salutatione lætatur, vt quorum præstantiora sunt merita; copiosiora etiam sumant gaudia præmiorum. Quod in excessu mentis suæ positus Isaias Propheta sensisse videtur, cum diceret: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus. Exultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum sedium habitatione solliciti conantur de virtute in virtutem, ad beatas illas mansiones, vnde superbi ruerunt spiritus, humilitate perducere. Exultent quoque omnes animæ iustorum, qui Christi vestigia sunt secuti, atq; omnes tam veteris quàm noui testamenti fideles amici Dei, qui contemptis huius sæculi vanitatibus, qui conciuium numerositate congaudent. Exultet cœlum laudibus, resultet terra gaudiis, quorum Sanctorum editio lætitiam habet plurimorum. Vnde enim fidei pietas exigit, vt quod pro salute multorum geritur, communibus vbique gaudiis celebretur. Præcipue vero exultet Pontificum cœtus beatorum, & sacra Doctorum concio, qui fulgent in cœlo tamquam stellæ in perpetuas æternitates, quos inter sanctus Bonauentura, tamquam nouum sidus ex hac lacrymarum valle ad cœlestem, quæ sursum est, Hierusalem vocante eum Domino migrare emicuit. Nos autem, qui disponente Altissimo ad culmem Apostolatus euecti Christiani gregis curam gerimus, quem pro debito Pastoralis officij, iucundorum Sanctorum collegio conformare, vt debemus intensis desideriis affectamus, Ecclesiæ militari, pro cuius ædificatione & incremento ipsum Bonauenturam in catalogum Sanctorum referendum duximus, haud incongrue dicere possumus: Exulta hodie & lauda habitatio Sion, idest Christiana religio, in qua tamquam in monte Sion per veram fidem habitat verus Deus, quoniam magnus in medio tui sanctus. Quippe in medio Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus, & stolam gloriæ induit eum, & coronauit ad portas paradisi, in qua vna cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Lætemur itaq; & exultemus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, illuminauit doctrinis, & miraculis confirmauit. Quem Deus dedit cunctis populis in gloriam & honorem, cuius memoria in benedictione est. Ea namq; de diuinis rebus scripsit, vt in eo Spiritus sanctus locutus videatur. Ita pie, religiose & sancte vixit, vt scriptis vita congrueret, & quod scribebat, doceret exemplo. In quo morum virtus, & signorum claritas ita comperta est, vt congruentibus maximis meritis, ac miraculis veræ sanctitatis testimonium, à militante Ecclesia debeatur eidem. Nam cum in flore virente iuuentutis humanis abiectis illecebris, diuino se addixisset seruitio, religionem beati Fancisci, quæ per ardua tendit, ingressus, tantum sedula lectione, & assidua oratione perfecit, vt cum sapiente merito dicere posset: Optaui, & datus est mihi sensus. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem sensum, qui lux, via, veritas est, & vita, paucorum annorum spacio, incredibilem est scientiam consecutus, nec talentum sibi à Domino creditum, sudario alligauit, aut terræ infodit, sed vt sapientissimus dispensator in communem vtilitatem conuertit. In celebri enim Parisien. Gymnasio cathedram rexit, vbi absconditá Scripturarum enucleans, non solum viua voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum, tum in sacris litteris, tum in maioribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore posteris profutura. Magnus doctrina, non minor humilitate & vitæ meritis, quem Alexander de Ales doctor clarissimus, cui se in disciplina sanctus Bonauentura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ simplicitatis expertus est esse, vt dicere solitus fuerit sibi videri, quòd in eo Adam numquam peccasset. Magnus etiam in ordine fratrum Minorum, cui vnus post Beatum Franciscum plurimum profuit. Ad eius enim gubernacula vocatus, & Generalis minister Domino inspirante creatus, talem se suis præbuit subditis, vt in illo Dominicum illud verbum videretur impletum: Qui maior est vestrum, sit minister vester. Nam sapientia & morum integritate maior, Prælationis officium cum tanta exercuit charitate, quòd sponte humilis, nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali seruitio satagebat, vt bonus Christi miles inferioribus ministrare. Nec solum quæ ab ipso Beato Francisco pie & sancte fuerant instituta diligentissime custodiuit, sed multa etiam adinuenta quæ crescente fratrum numero necessaria videbantur, adiecit. Ordinem quoq; ipsum in prouincias, custodiasq; diuisit. Magnus etiam dignitate in Romana fuit Ecclesia. Increbrescente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ eius à felicis recordationis Gregorio Papa Decimo prædecessore nostro ad cardinalatus est vocatus honorem, vt eius opera in maximis & difficillimis rebus, quæ temporibus illis inciderant, vterentur, in quem Gregorius ipse ob ingentia viri merita, nouo est vsus exemplo. Statim enim illi Albanen. commisit Ecclesiam, quæ non nisi vetustioribus Cardinalibus solet committi. Non fefellit expectationem summi Pontificis, ac sacri Senatus optimus ac Deo amicissimus vir. Sed in Concilio Lugdunen. præsidens omniaq; ad Dei laudem dirigens sedatis discordiis difficultatibusq; sublatis, ipsi Ecclesiæ maximo vsui fuit & ornamento. Quibus rebus aperte cognoscitur, quòd statuit illi Dominus testamentũ pacis, & principẽ fecit eum, vt sit illi sacerdotij dignitas in æternũ, quẽ inanis gloria non inflauit, non diuitiæ sinistrorsum egerunt, sed in fide lenitateq; perseuerans pius in Deum, in pauperes misericors, iustus in omnes; ita hoc corruptibile corpus exuit, vt cum Apostolo dicere posset: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitię. Qui & si ex sola perseuerãtia, poterat sanctus credi, iuxta illud: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Subsecuta sunt tamen post etiam multa maximaq; miracula, quæ certum sanctitatis eius probent iudicium, & nos ad ipsius venerationem inducunt, quòd Deus meritis præcedentibus venerandum ostendat. Ipse enim Deus omnipotens, vt suæ virtutis potentiam manifestet, & nostræ salutis causam pangat, fideles electos suos, quos coronat in cœlis, sæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam signa faciens & prodigia, quo hæretica prauitas confundatur, & fides orthodoxa seruetur. Agimus igitur ipsi Deo quantas possumus gratias, quòd nos dignos duxerit per quos hæc canonizatio celebraretur, quæ licet diuinis litterarum monumentis extantibus, coruscantibusque miraculis, iam pridem potuerit rite fieri, numqu m tamen antehac, vel à Principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Nostro tempore charissimi in Christo filij nostri Fredericus Romanorum Imperator semper

Isa. 12. a

Sap. 7. a

Mat. 23. a

Augustus Ludouicus Francorum Christianissimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Vngariæ reges illustres. Dilecti quoque filij nobiles viri Alphonsus Calabriæ, Ioannes Mozenico Venetiarum, Ioannes Haleam Mediolani, & Ioannes Burbon duces insignes. Præterea ciuitates Florentium, Senensium, Lugdunensium, Perusium, & quod tale iubar tulit Balneoregium, tanto studio, tantaque perseuerantia petierunt à nobis, vt durum & impium putaremus eis in re tam pia resistere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Accesserunt assidue venerabilis fratris nostri Iuliaci Episcopi Sabinensis ipsius ordinis protectoris, dilectorum quoque filiorum Francisci Samsonis generalis ministri, & Petri de Rudolphis Procuratoris dicti ordinis, sacræ Theologiæ professoris preces, quò nomine generalis eorum Capituli, id tamquam iustum & debitum reposcebant. Legeramus studiosissime sancti huius diuina scripta, quibus, postquam per ætatem aliquod sapere licuit, semper fuimus delectati. Audieramus quoque ab antiquioribus præfatæ religionis fratribus, & grauibus quidem viris, quod & ipsi à maioribus natu acceperant de sanctimonia vitæ eius constantem famam esse, sciebamus de multis maximisque miraculis, nec erat propterea apud nos dubium, quando in triumphanti Ecclesia triumpharet in cœlo, & venerationem mereretur in terris. Sed memores nos eundem Minorum ordinem ex voto ingressos, in quo diuina assistente gratia in sacris litteris & religiosis moribus, vtcumque profecimus, eademque ministeriatus officia exercuimus, atque infra ad Cardinalatus dignitatem, ita vt per Consistoriales gradus ad Pontificatus culmen subleuatos nos fuisse disponente Domino cognoscamus, per quos ipse Bonauentura sanctus ad triumphātis Ecclesiæ immarcescibilem gloriam euectus est, ne ad id videremur potius affectione propria, quàm debita deuotione moueri, eam adhibuimus diligentiam ac grauitatem, quam rei magnitudo poscebat. Commisimus enim tribus ex venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, vt de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque vnus ex eis inchoato processu, vt Deo placuit, ab hac luce migrasset. Alium in locū defuncti subrogauimus Cardinalem quo etiam decedente alium substituimus, nec his contenti, cum iam processus ipse pene perfectus esset, & hi qui delegati erant fidelissime retulissent. Tamen quia non videbatur in procedendo tanta quanta requiritur obseruata solemnitas, illum reiterari iussimus. Demum cum ex vberiori relatione & fide dignorum testium super hoc receptione compertum fuisset multa & magna à Deo, per ipsum Sanctum, miracula fieri, quæ in conspectu multitudinis cernebantur. Nos ne Spiritui sancto resistere videremur, quo per os Prophetæ laudare DEVM in sanctis suis iubet, in Consistorio nostro secreto huius rei causa habito, eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium vota super huiusmodi Canonizatione sumus scrutati. Cumque omnium vna eademque fuisset sententia, videlicet vt in Sanctorum numero referri deberet. Consistorium publicum deinde habuimus, in quo magna multitudine astante in triduum orationes, ieiuniaque indiximus, vt Deus omnipotens nobis quod factu optimum in hac re esset, ostendere dignaretur, nec pateretur Ecclesiam suam militantem errare. quæ se triumphanti conformare studet; triduo deinde elapso omnes qui in Romana curia erant, Prælatos iussimus conuenire, qui ad vnum interrogati quid faciendum videreretur, in eamdem sententiam conuenerunt, beatumque Bonauenturam eum canonizandum censuerunt. Nos ergo Dei nutum & voluntatem sequentes, attendentesque iustum ac debitum esse, vt quos Deus honorat in cœlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur & glorificetur in illis, qui est laudabilis & gloriosus in sæcula; hunc diem canonizationis ipsius Sanctæ Bonauenturæ in medio Basilicæ principis Apostolorum de vrbe, quo maxima omnis generis ordinisque multitudo confluxerat, celebrandum statuimus, ibi reliquis omnibus legitime peractis, prædictus ordinis Minorum procurator in medio stans dictum illud Beati Ioannis Apostoli clara voce proponens, videlicet: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, probauit etiam habito super præmissis processu ipsas beatissimæ Trinitatis personas testimonium, quòd beatus Bonauentura in cœlo sit, præstitisse, Patrem, videlicet in miraculorum potentia, Filium in doctrinæ sapientia, & Spiritum sanctum in vitæ ipsius bonitate. Et propterea non solum nominibus omnium quo hanc ipsam canonizationem fieri supplicarunt, sed etiam ex parte indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, vt ipsum beatum Bonauenturam sanctum pronunciare dignaremur, instanter, instantius, & instantissime requisiuit. Confidentes igitur quòd in hac canonizatione non permittat nos Deus errare, quo omnia in ea quomodolibet requisita etiam superabundanter, obseruari fecimus, & obseruauimus, de eorundem fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia existentium vnanimi consensu, & maturo consilio de omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi beatæ memorię Bonauenturam Balneoregionensem, sacræ Theologiæ professorem, ex gremio sacræ ordinis Minorum, & ex officio Generalatus in Episcopum Cardinalem assumptum, sanctum esse ac aliorum sanctorum Dei catalogo ascribendum, adijciendum, & aggregandum fore, ac fideliter, firmiterque teneri debere decernimus, ipsumque sanctorum Confessorum, Pontificum & Doctorum, quos sancta Dei veneratur Ecclesia, consortio solemniter inpræsentiarum ascribimus, aggregamusque per præsentes. Statuentes etiam & mandantes venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitanorum, & Cathedralium Ecclesiarum capitulis, & quorumuis ordinum, tam mendicantiū quàm non mendicantiū professoribus, necnon quibuscumque Ecclesiasticis personis, vt festum ipsius sancti Bonauenturæ secunda Dominica mensis Iulij, singulis annis solemniter & deuote celebrent, diuinum officium, veluti pro vno Confessore, Pontifice, & Doctore, tam publice quàm priuatim, prout contigerit persoluentes. Dilectis vero filiis fratribus prædicti Minorum ordinis, quatenus huiusmodi officium sub festo duplici & octaua, eo modo quo aliorum dicti ordinis sanctorum celebrare festa & octauas consueuerunt, celebrandi concedimus facultatem. Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in eadem Dominica, Ecclesiam in qua sanctum eius corpus requiescit, deuota visitauerint annuatim, septem annos & totidem quadragenas: his vero qui aliis temporibus in singulis diebus Dominicis, centum dies. Illis autem qui Ecclesias fratrum Minorum vbilibet constitutas, tam ipsa die festi, quàm in octaua diuinis officiis interfuerint consimiles indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ in singulis aliorum eiusdem ordinis Sanctorum festis ex indultis Apostolicis generaliter promulgatis Romani Pontifices concesserunt de iniunctis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, & elargimur. Considerantes præterea quanta ab hoc ipso sancto Bonauentura ratione scientiæ, & sanctitatis vitæ, Episcopalisque & Cardineæ dignitatis, Sancta Romana Ecclesia susceperit incrementa, quantamque idem sanctus cum beato Thoma de Aquino coætaneo condiscipulo, & commagistro suo familiaritatem, & spiritualem coniunctionem in hac vita seruauerit, vt quos in hoc sæculo fraterna iunxit charitas, & eadem in cœlo præmia consecutos credimus, præsens Ecclesia pari veneratur honore prædictum festum inter festa sacri Palatij Apostolici assumentes, annumerantesque eandem indulgentiam in festo prædicto, in Ecclesia Sanctorum Apostolorum de vrbe, quæ in

festo

festo ipsius sancti Thomæ de Aquino in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis vrbe, Minerua vulgariter nuncupata, habetur. Concedimus, pariterque decernimus fratres Minores, in alma vniuersitate Parisiensi, eisdem priuilegiis posse ac debere vti, & gaudere ob ipsius sancti Bonauenturæ merita, quibus ex Apostolicis indultis fratres Prædicatores, qui in eadem vniuersitate intuitu, & gratia eiusdem sancti Thomæ potiri & gaudere consueuerunt, & gaudent, aut potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum. Quocirca omnes & singulos in dignitate constitutos requirimus, & monemus, quatenus vniuersis & clericis & populis suarum ciuitatum, diœcesum, & parochiarum præsentes nostras litteras solemniter publicantes, eosdem hortentur DEVM ipsum, à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, vt ipsius sancti Doctoris & Confessoris Bonauenturæ meritis & precibus, exoratus militantem Ecclesiam, Apostolicam fidem, & cunctos Christi fideles, à Paganorum, & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incursibus, & à periculis cunctis semper protegat ac defendat, & illam quam nobis mundus dare non potest pacem, hostium omnium sublata formidine firma tranquillitate concedat, vtque post huius vitæ militiam, depositumque pastoralis officij ministerium, vna cum grege nobis credito ad sempiterna tandem gaudia peruenire mereamur. Demum, quia difficile foret litteras originales præsentes ad vniuscuiusque notitiam deferri volumus, ac decernimus quòd earum transsumpto, sub sigillo Generalis Ministri ordinis antedicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debite subscriptis fides adhibeatur indubia in omnibus, & per omnia, & illis vbique stetur, ac si originales litteræ huiusmodi essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, ascriptionis, aggregationis, statuti, mandati, concessionis, relaxationis, largitionis, assumptionis, annumerationis, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, decimooctauo Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno vndecimo.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVI A SANCTO BONAVENTVRA IN TOMO SEXTO ET SEPTIMO SVORVM operum explicantur.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Quid

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex Iosue.

Ex Iudicum libro.

Ex Ruth.

Ex primo Regum.

Ex secundo regum.

Siiii que

Ex tertio Regum.

Ex quarto Regum.

Ex primo Paralipomenon.

Ex secundo Paralipomenon.

Ex secundo Esdræ.

Ex Tobia.

Ex Iudtih.

Ex Esther.

Ex Iob.

Ex Prouerbiis.

Ex Ecclesiaste.

Spiritus

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Timor

Ex Threnis Hieremiæ.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osee.

Spiritus

Ex actis Apostolorum.

Deus

Ex prima ad Corinthios.

Ex secunda ad Corinthios.

Ex Epistola ad Galatas.

Ex Epistola ad Ephesios.

Ex Epistola ad Philippenses.

Ind getis,

Translati

Ex secunda Ioannis.

Ex tertia Ioannis.

Ex Epistola Iudæ.

Ex Apocalypsi.

Finis Indicis locorum sacra Scriptura.

INDEX VERBORVM, ET RERVM.

QVÆ TOMO SEXTO, ET SEPTIMO operum S. Bonauenturæ continentur.

Altaris

Christus

Claritas

D

E

filio

Gula

iura-

K.

L.

Mino-

N.

O.

Origina-

Q.

R.

S.

T

Z

Finis Indicis verborum & rerum, quæ sexto & septimo Tomo operum Sancti Bonauenturæ continentur.

MOGVNTIÆ

Sumptibus Antonij Hierati Bibliopolæ Coloniens.
excudebat Balthasar
Lippius.

Anno M. DC. X.